- 49 -

S.a. 1-3




IOANNIS MALDERI
EPISCOPI ANTVERPIENSIS,
S.Th. in Academia Louanienſi
quondam Profeſſoris
DE
VIRTVTIBVS
THEOLOGICIS
Del Colegio de la Compañia de Jhs. de Granada
Commentaria
Ad Secundam Secundæ D. THOMÆ.
ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
Apud Balthaſarem et Ioannem
Moretos fratres.
M. DC. XVI.

# SERENISSIMO
# ET
# POTENTISSIMO
# ALBERTO
# ARCHIDVCI AVSTRIAE
# DVCI BVRGVNDIAE,
# BRABANTIÆ, ETC.
# TOTIVS BELGICAE
# PRINCIPI.

OPVS hoc de Virtutibus Theologicis, Iuſtitia & Religione, nemini magis conueniebat à me offerri, SERENISSIME PRINCEPS, quàm CELSITVDINI VESTRAE. Cui, me etiam tacente, innato quodam iure erat dedicatum, aut ſanè multis nominibus obnoxium. Siquidem profeſsionis meæ in Academia Louanienſi Theologiæ Scholaſticæ fetus eſt: cui profeſsioni ſcholaſticæ

quando in ipſis quaſi præludijs Belgici feliciſsimi tui Principatus, in vtraque Belgij Academia, Louanienſi & Duacenſi, cathedras nouas ex voluntate ſoceri veſtri Regis Catholici PHILIPPI II. glorioſæ memoriæ, magno rei Chriſtianæ bono erigebas, vni me Louanij præfeciſti. In ea ſtatione dum vſque ad decimum ſextum annum ſubſiſto, inter alias tractatio iſta de Virtutibus, CELSITVDINIS V. auſpicijs, mediocritatis verò noſtræ ſtudio concepta eſt. Nunc in lucem proditura, meritò in ſinum eiuſdem CELSITVDINIS V. (quæ, vti confido, pro ſua clementia benignè eam excipiet) reuertit: eius nimirum, qui Regia auctoritate Profeſſorem & Profeſsionem, cuius primitiæ ſunt, inſtituiſti. Omitto alia vetera, & recentiora, quæ à CELSITVDINE VESTRA SER^MA beneficia accepi; omnino talia, vt cùm plura ſint, ſingula me totum meáque in perpetuum peculiari nexu eiuſdem ſeruitio obſtrictum teneant; ea, inquam, omitto: alia enim de cauſſa CELSITVDINIS V. Virtuti vel maximè dedicatum oportebat de Virtutibus hunc commentarium. Cui enim magis dedicanda de Fide & Religione tractatio, quàm ijs Principibus qui Fidei & Religioni ſeſe patronos conſecrarunt? cui magis Fides, Dei cultus & Religio, de quibus hoc opere meditamur, quàm CELSITVDINI V. curæ eſt? Dicam ſine adulatione quod ſentio. Plurima habet Belgica noſtra quæ in pretio & admiratione ſint toti orbi; in ijs eminet florentiſſima Louanienſis Academia; ſcriptione enim clariſſimos viros, vt alia taceam, quàm plurimos pridem dedit, qui ſuo ingenio, ſtylo, eruditione animi cultum non parum iam promouerunt: ſed PRINCIPES modò habemus (vouemus vt quàm diutiſſimè habeamus) coniuges, qui vitæ ſuæ actioníſque magiſterio, doctrinæ non minus conferant, quàm ſcribendo conferri poſſit. Ipſa namque hîc, Deo laus, palatia, ſcholæ ſunt Religionis, palæſtra Fidei & Spei in Deum, Charitatis, prudentis Iuſtitiæ, iuſtæ Fortitudinis, & conſtantiſſimæ Caſtitatis. Auita, vt ſemel dicam, PRINCIPVM pietas in Belgium redijt. Faxit DEVS vt & populi ſanctitas, & in priſca Religione purus Dei cultus, in quo à gentilitatis tenebris maiores noſtri conuerſi vſque ad noſtra tempora perſtiterunt, poſtliminiò redeant; nouóque diuinæ gratiæ lumine illuſtrati, ſeducti ex Belgis videant, quantis in tenebris verſentur, dum CHRISTVM ita in Chriſtiana Eccleſia, in Orientis & Occidentis antiquitate fulgentem, in deſerto quærunt, vbi nihil boni eſt, ſed omnes fruges operum ſteriles ſunt, imò venenata criminum (etiam ipſis fatentibus qui dicunt, Ecce hîc eſt Chriſtus) zizania; aut in tenebroſis penetralibus, vbi defectu luminis etiamſi quid veri ſit, reperiri non queat, vbi quicumque verſatur cæcus ſit & manu tentans. Faxit (inquam) DEVS, vt tam diuer-

diuerſis & aduerſis ſectis ſeſe tandem Belgæ expediant, vnámque ad exemplum PRINCIPIS Religionem veram ſectentur omnes, vt ſit vnum ouile & vnus Paſtor. Quod omnibus modis magno apud DEVM merito, & apud bonos omnes laude curantem ipſe DEVS OPT. MAX. CELSITVDINEM V. diu publico bono vt ſeruet, publicis priuatíſque votis precari non deſinemus. Antuerpiæ, anno M. DC. XVI. die XX. Auguſti.

SER^MAE CELSITVDINI V.

*deuotiſsimus*

Ioannes Malderus Epiſc. Antuerp.

PRÆ-

# PRAEFATIO AVCTORIS AD LECTOREM.

BENEVOLE *Lector, habes hîc quas* DEO *dante enixus ſum ſcholaſticas lucubratiunculas de vtiliſsimo Theologico argumento, nimirum de Theologicis Virtutibus, de Iuſtitia & Religione: tempore quidem profeſſionis meæ, quando lectionis ſcholaſticæ in celebri Academia Louanienſi munus obibam, diſcipulis prælectas; nunc autem, inter occupationes & ſolicitudines paſtorales, relectas, & ex parte etiam auctas & emendatas. Nolui eas, tales quales, veſtræ vtilitati inuidere. Ea inculcare ſtudui quæ contra noſtri temporis hæreticos opportuna intercurrebant. Sectatus autem ſum breuitatem, quia videbam hodie ita expedire, quando virorum doctiſsimorum adeò multa & copioſa ſcripta prodierunt, & indies prodeunt, vt prolixiora noſtra vix locum habitura viderentur. Studium tamen meum & propoſitum fuit, circa potiores materias quàm plurima mouere, & ſuccincte reſoluere. Strictius alioqui, & ſcholis accommodatum eſt noſtrum dicendi genus, non paſsim excurrens pro campi oblati latitudine, ſed pro inſtituto, ſemita illius adſtrictum doctrina, in qua magis diſcipuli ducem requirunt: quæ etiam cauſſa fuit, quare à nobis ſit omiſſa tractatio de Prudentia, Fortitudine & Temperantia; ſolum è Cardinalibus Virtutibus tractata Iuſtitia, & Religio, quæ ipſa quoq; quædam eſt Iuſtitia ad* DEVM. *Facem in hac ſemita nobis prætulit Princeps*

*ceps ille Theologorum Scholasticorum D. Thomas Aquinas. Verborum amputata prolixitas: imò & ea quæstiones dissimulata, quarum non maior, quàm ipsius battologia, videbatur futurus vsus. Illud denique affirmare possum, me eò semper collimasse, ne cuiquam saltem mole prolixioris operis inutili grauis essem, non immemor eius quod Ecclesiastes monuit, faciendi plures libros non esse finem; & simul expendens, scripta sua euulgaturo non considerandum tantummodò esse num bona scribat, sed etiam ánne operæpretium sit ea à se scribi, quæ forsan aliunde publicæ vtilitati non defuerint. Supersedere equidem meo iudicio poteram, sed aliorum cessi sententiæ secùs existimantium, quibus hoc meritò tribuere debere videbar: volebant enim, nos debere bis Modestiæ litare, & non solùm excusare submissionem, sed & submittere excusationem. Ita quidem ipsi iudicabant; quibus an acquieuerim, non aquè dixerim, ac quòd iam acquieuisse boni consultum à te amice Lector optarim. Vale, & quæ* DEI *sunt, agnosce; quæ nostra, ignosce.*




IOAN-



# IOANNIS MALDERI
## EPISCOPI ANTVERPIENSIS
# DE
# VIRTVTIBVS
# THEOLOGICIS
# COMMENTARIVS

## Ad Secundam Secundæ D. THOMAE, à Quæst. I. vsque ad Quæst. XLVI.

SECVNDA *parte Secundæ S. Thomas speciatim de iis quæ pertinent ad moralem Theologiam tractat, eaque facit bipartita: quædam omnibus communia, de quibus priori loco agit; alia certo hominum generi ac statui propria, de quibus incipit agere q.* 171. *Priora reuocat ad septem virtutes, tres Theologicas, & quatuor Cardinales. Nam circa singulas virtutes, tractat de vitiis oppositis, & aliis annexis; vtpote præceptis pertinentibus ad quamque virtutem & respondentibus donis Spiritus sancti. Posteriora in triplici esse differentia, docet Apostolus prioris ad Corinthios* 12. *quando dicit esse diuisiones gratiarum, diuisiones ministrationum, & diuisiones operationum. Per diuisiones enim gratiarum omnis illa diuersitas, secundùm B. Thomam, significatur, quæ est ex gratiis gratis datis. Per diuisiones autem ministrationum, illa quæ est secundùm diuersa officia & status. Denique per diuisiones operationum, illa quæ est secundùm diuersas vitas, actiuam, & contemplatiuam. Posterior itaque pars agit de gratiis gratis datis, de vita actiua & contemplatiua, de diuersis statibus & officiis.*

## QVÆSTIO PRIMA.

### De obiecto Fidei.

*Fidei nomẽ variè accipitur.*

INTER virtutes itaque, primæ sunt Theologicæ, & in illis prima est Fides: cuius obiectum prima hac quæst. consideratur.

Sed ante omnia, pauca de nomine fidei præmittenda, ne obscuritatem pariat eius varia vsurpatio. Omissa vulgari acceptione fidei pro assensu, quo sibi mutuò homines fidem adhibent; quo modo constat fidem accipi in illo Genesis 39. *In argumentum fidei, retentum pallium ostendit*; habet inprimis fides tria significata: quod ferè etiam aliarum virtutum nominibus commune est. Significat enim actum & habitum quo Deo credimus; & obiectum quod credimus, vt docet S. Thomas prima secundæ q. 55. a. 1. ad 1.

Pro habitu sumitur in Conciliis Viennensi & Tridentino, quando dicitur fides infundi in iustificatione: eoq; modo potissimùm hic de fide tractatus instituitur. Pro obiecto & doctrina fidei, accipitur fides in Symbolo Athanasij: *Hæc est fides Catho-*

*Catholica*, &c. & ad Rom. cap. 1. *Accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei.*

Quarta est fidei acceptio admodum frequens pro fidelitate, quo modo etiam Christo tribuitur fides, Isaiæ 11. *Fides cinctorium renum eius.* imò & ipsi Deo, Psal. 32. *Omnia opera eius in fide.* & 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Huic acceptioni potissimùm quadrat etymologia: Cicero enim lib. 1. Officiorum, & August. Epistola 19. & lib. de mendacio, cap. 20. Fidem inde dictam volunt, quasi fiat quod dicitur.

Quinta acceptio fidei est pro conscientia, ad Roman. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Per conscientiam enim credimus, nobis aliquid esse licitum vel illicitum.

Sextò, per Metonymiam fides accipitur pro signo & sacramento fidei, videlicet Baptismo, vt notat Aug. Epist. 23.

Septimò, accipitur fides pro ea fide qua rebus præsentibus creditur; quam fidem rerum vocat idem August. lib. 2. q. 39. in Euangelia, eiq; opponit fidem verborum. Ad hanc fidem rerum Lucæ 17. Rom. 1. purat pertinere illud quod orabant discipuli: *Adauge nobis fidem.* & illud Apostoli: *Iustitia Dei in eo revelatur ex fide in fidem.* quasi dicat; Ex fide verborum quam nunc habemus de rebus non apparentibus per verba, in fidem rerum quam expectamus.

*An fides accipiatur pro fiducia in Scripturis.*

Volunt hæretici, sæpè fidem accipi pro fiducia in Scripturis. At re benè examinata vix vsquam ita accipi reperietur. Sanè nusquam ita accipi, contendit Dominicus Soto lib. 2. de natura & gratia c. 6. Ex Catholicis tamen nonnulli ita accipiunt illud Iacobi 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Valentia hîc & Vega q. 1. de Iustificatione: quo modo etiã accipit versio Erasmi & quorumdam aliorũ, qui loco fidei vertunt fiduciam. Sed fortè cum Lyrano dicere poterimus, fidem ibi accipi pro fide Christi, cuius germen sit fiducia. Quamuis enim fides, qua credimus nos accepturos quod Christus promisit, ita vicina sit fiduciæ, vt nominum communicatio non videatur improbanda: reuerà tamen fiducia manet istius fidei effectus, vt verisimile sit Iacobum illam fidem intelligere, eiusque effectum indicare, quando addit: *nihil hæsitans.* Certius itaque est, Ioannem c. 2. quando dicit, *Iesus autem non credebat semetipsum eis*; credere, accepisse pro fidere: quomodo dicimus, credere alicui, pro fidei eius committere.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm obiectum fidei sit veritas prima.*

RESPONDET D. Thomas in fide obiectum formale esse veritatem primam, materiale autem Deum & diuinitatis effectus, quibus homo iuuatur vt tendat ad Dei fruitionem; adeò vt principale materiale etiam sit veritas prima aut ipse Deus.

### SECTIO I.

#### *Varij modi quibus obiectũ fidei accipi queat.*

*Obiectum variis modis consideratur in potentiis & habitibus cognitiuis.*

OBIECTVM in potentiis & habitibus cognitiuis non vno modo consideratur. Primò enim obiecti nomine intelligimus in scientiis subiectũ quod vocant Attributionis; de quo solo agitur, quòd cetera ordine quodam ad illud considerentur: & hoc licebit vocare obiectum materiale principale.

Secundò, obiectum consideratur quod efficit vt materiale obiectum actu & reipsa objiciatur potentiæ aut habitui: & illud dicimus obiectum formale. Quo modo lumen est obiectum in visu, medium in scientiis. Illud tamen hîc obseruandum, vnum & idem posse vtriusque rationem subire, vt sit obiectum vt quod, & vt quo. Sicuti lumen ita est id quo videmus, vt etiam ipsum videri queat.

Tertiò, dicitur obiectum alia quædam ratio sub qua; quæ proximè sumitur tamquam ratio quædam vnitatis ad distinctionem potentiæ aut habitus, & resultat ex formali obiecto: sed ab eo differt, quòd non moueat ad actum; quo modo visibilitas potest dici obiectum visus.

*Alia obiecti diuisio.*

Alio modo potest obiectum diuidi in obiectum per se, & per aliud: quo modo color est obiectum aspectus per se, quantitas autem per colorem. Hoc modo dicit D. Thomas ad obiectum fidei accidentariè pertinere illa quæ consequuntur ex propositionibus quas fide credimus; vt nimirum ea credamus in obiecto per se fidei, sicuti quantitatem videmus in colore. Ita ipse in 3. dist. 24. Verùm de obiecto fidei per aliud, hoc loco non agimus.

### SECTIO II.

#### *De materiali obiecto fidei.*

*Subiectum fidei primarium.*

SVBIECTVM de quo præcipuè cognoscit fides, est ipse Deus, aut veritas prima in essendo considerata; sicut & Theologiæ subiectum in prima parte designatur. Quamuis enim fides hoc differat à Theologia, quòd in Theologiæ obiecto per se cognoscantur, quæ in fide pertinent ad obiectum per aliud; conclusiones nimirum quæ ex fidei propositionibus inferuntur, cùm ipsæ per se non sint reuelatæ: conueniunt tamen in subiecto quod vocant Attributionis, de quo principaliter est cognitio. Principia enim scientiarum & ipsæ scientiæ habent idem subiectum. Confirmatur ex D. Augustino lib. 4. de ciuitate c. 20. *Fidei primum & maximum officium est, vt in verum credatur Deum.*

*An Christus pertineat ad primariũ obiectũ fidei.*

Contendit hîc Caluinus lib. 2. Instit. c. 6. §. 4. Christum non debere omitti in primario obiecto fidei. cùm enim Deus lucem habitet inaccessibilem, Christum occurrere medium, qui est inuisibilis Dei imago, vt dicitur ad Colossenses c. 1.

Sed respondeo, diuinitatem Christi in primario fidei obiecto esse: humanitatem autem, per quam Deus multa nobis de inuisibili sua deitate dignatus est reuelare, non pertinere ad absolutè primum obiectum quod fide reuelatur; quamuis vt inter Deo coniuncta, ita & inter reliqua fidei obiecta post Deum primarium locum obtineat. Sicut enim Filius enarrat inuisibilia Patris, ita Pater potissimũ de Filio suo extra se reuelat tamquam de auctore nostræ salutis, ad quam omnis reuelatio fidei respicit, quando in Dei gloriam tendit. Absolutè itaque primarium obiectum fidei, Deus; Christus autem secundùm humanam naturam, est primarium inter secundaria post Adæ lapsum. Secundaria autem intelligo, quæcumque Deus alia à se dignatur reuelare.

*Obiecta secundaria fidei.*

SECTIO



### SECTIO III.

#### *De obiecto formali fidei.*

*Fidei obiectum formale.*

OBIECTVM fidei formale est auctoritas primæ veritatis, res non apparentes reuelantis: siue ipsa reuelatio primæ veritatis obscura, consideranda non vt terminans assensum fidei; sed vt immediatè ad ipsum mouens & inducens, adeoque efficiens, vt actu credantur materialia fidei obiecta, sicuti lumen solis facit vt actu videantur corporum colores. Si enim auctoritas primæ veritatis consideretur vt obiectum quod creditur, non autem vt ratio sub qua creditur; non magis veritas prima quàm ens primum aut Deus, erit obiectum formale fidei. Considero etiam, veritatẽ primam immediatè ad credendum mouere, quia mouet etiam ad assensum Theologicum, sed solùm mediatè; mediante nimirum ipsa fide tamquam habitu principiorum in ista scientia. Denique, quando consideratur prima veritas vt mouens & inducens ad formandum assensum; distinguitur fides à scientia infusa, quę non habet auctoritatem diuinam tamquam rationem sub qua præbeatur assensus, sed aliud lumen naturale vel supernaturale pro natura ipsius scientiæ secundùm substantiam consideratæ. Si enim sit ordinis naturalis, non aliud est formale obiectum scientiæ infusæ quàm acquisitæ: sicuti eodem lumine solis videt oculus miraculo restitutus, quo oculus reliquorum hominum & bestiarum.

Veritatem primam esse obiectum formale fidei probatur ex Sacris literis. 1. ad Thess. 2. *Cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei.* Ioannis 1. *Vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* 1. Ioannis 5. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* Ioan. 18. *Ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Isaiæ 55. *Ecce testem populis dedi eum.* 2. ad Timoth. 1. *Scio cui credidi.* Ad Galat. 1. *Neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* His testimoniis apertè constat, quod fide credimus, nos credere tamquam verbum Dei, id est, propter auctoritatem quam apud nos habet verbum Dei; quæ nihil aliud est quàm auctoritas primæ & summæ veritatis.

Confirmatur idem ex Patribus. Cyrillus Catechesi 5. *Deus à vobis reposcet depositos sermones.* Lucianus Antiochenus apud Eusebium lib. 9. historiæ: *Auctor nobis de Deo, Deus.* Bernardus epist. 190. docet contra Abailardum, fidem non esse æstimationem, sed totum quod in ea est, oraculis & miraculis diuinitus esse persuasum. Denique ex illo capitis primi ad Galatas: *Sed licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus, anathema sit.* Ex quo colligunt veteres, fidem maioris esse auctoritatis quàm Angelorum, eò quòd sit ipsius Dei reuelantis auctoritas. Addit Chrysostomus, ideò dictum esse epuloni Lucæ 16. *Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent*: quòd nimirum tanta sit auctoritas fidei in Scripturis reuelatæ, vt illâ non possit

In cap. 1. ad Galatas. maior desiderari. Adde Theophylactum, qui docet, omnem auctoritatem seponi, præter diuinam, quando agitur de fidei dogmatibus.

Confirmari etiã potest ratione. Quando enim alicui homini credimus non propter auctoritatem aliorum aut rationes; sed quia ipse dicit; eius veritas seu veracitas & auctoritas nobis est loco rationis formalis, sub qua dictis eius assentiamur. In rebus autem fidei credimus verbo Dei nobis aliquid reuelantis, non propter alterius auctoritatem, aut propter argumenta, aut apparentiam eius quod reuelatur; sed quia Deus dicit. Dei ergo veracitas & in dictis suis infallibilis auctoritas, ratio est formalis fidei.

### SECTIO IV.

#### *De credibilitate summa quæ in obiectis fidei consideratur.*

SVMMA credibilitas obiectiua, quæ in rebus non apparentibus resultat, eo ipso quo substant diuinę reuelationi, vnitatem quamdam obiectiuam eis tribuit; adeoque secundùm ipsam sumitur vnitas & distinctio habitus fidei à reliquis habitibus cognitiuis. Pro cuius intellectu, nota, in potentiis & scientiis obiecta duobus modis considerari; vno secundùm naturam quam habent in genere entis; altero secundùm naturam quam habent quatenus sunt obiecta. v. g. binarius & ternarius secundùm suam naturam differunt specie; secundùm naturam autem quam habent vt obiecta Arithmeticæ, conueniunt quodammodò in specie infima, propter similẽ sciendi modum: numerus enim vt est quoddam genus scibilis, est species infima, & tribuit similem vnitatem Arithmeticæ. Eodem itaque modo omnia quæ fide creduntur, quantumuis secundùm naturam suam differant; secundùm rationem tamen obiecti, quę vnica in omnibus reperitur, specie infima conueniunt, estque ea species summa illa credibilitas, de qua agimus.

Oritur autem ista credibilitas non præcisè ex eo quòd Deus res istas quomodocumque manifestet; sed ex eo quòd per modum dicentis solùm manifestet, sine alia ipsarum probatione aut euidentia: ideoque quod ex parte Dei hic est veracitas prima & summa, hoc ex parte credentis est fides quædam certissima & firmissima, Deo digna, & ex parte rerum quæ reuelantur, credibilitas: de qua licebit accipere illud Psalmi 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Quamuis & alia credibilitas ibi insinuata intelligi queat, quæ actiua dici potest, & consideratur ex parte subiecti credentis: neque solùm pendet in sui perfectione ab auctoritate dicentis; sed etiam à certis signis, quibus constet ipsum hoc aut illud dicere, vt significetur illorum signorum accessu, testimonia Dei quæ in se summè sunt credibilia, talia etiam facta esse ex parte nostri. Verùm de hac credibilitate eiusq; signis ac euidentia, in sequentibus suo loco dicturi sumus.

### SECTIO V.

#### *An fieri nequeat aliquid pertinere ad obiectũ fidei quin propositum sit per Ecclesiam?*

*Sententia quorumdã.*

EST hoc controuersum inter quosdam Catholicos. Quidam enim, licet fateantur, fide diuina credendum fore, quod Deus priuatim forte alicui reuelauerit; negant tamẽ eiusmodi fidem futuram eamdem cum fide Catholica qua idem

homo credit Trinitatem diuinarum personarum. Hanc enim duo requirere, videlicet motū interni luminis, & auctoritatem Ecclesiæ proponentis id quod credendū est, esse reuelatum. Tertium addit Canus; vt id quod reuelatur pertineat ad religionē publicam. Ita ille l. 12. de locis c. 3. Neque multū absimilis sententia Dominici Soti, c. 5. Apologię contra Catarinum, & Banesij hîc dub. 3.

*Argumentum 1.* Argumenta huius opinionis ferè sunt ista. Primum, Fides non est priuata virtus, sed communis, vnde & Catholica dicitur. Ad eam ergo non pertinent priuatis factæ, aut de priuatis rebus reuelationes. Confirmatur ex illo ad Ephes. 4. *In opus ministerij in ædificationem corporis Christi.*

*2. Argum.* Secundum, Ecclesia non recipit tamquam de fide, reuelata particularibus Sanctis in hac vita, qui non fuerunt fundatores Ecclesiæ; sed solùm illa quæ reuelata sunt fundatoribus Ecclesię; qualis est ipse Christus, Apostoli, & Prophetæ ad hoc à Deo missi, & Scriptores hagiographi. Hoc Psal. 86. enim insinuat Scriptura: *Fundamenta eius in montibus sanctis; Dominus narrabit in Scripturis populorum & principum horum qui fuerunt in ea.* Et Ephes. 2. Apostolus: *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.*

*3. Argum.* Tertium ab auctoritate S. Thomæ infrà q. 5. a. 3. vbi dicit formale obiectum fidei esse veritatem primam, secundùm quod manifestatur in Scripturis sacris & doctrina Ecclesiæ.

*Sententia probabilior.* Aliorum tamen contraria est sententia, non esse necessariam propositionem Ecclesiæ, vt aliquid à Deo reuelatum credamus eadem fide, qua Catholici & Christiani sumus. Ideoq; dicunt, si cui fieret priuatim aliqua à Deo reuelatio; ipsum eadem fide, eodem lumine, eadem certitudine assensum præbiturū qua reliqua credit quæ fortè priùs per Ecclesiam didicit credenda, tamquam olim Apostolis & Prophetis reuelata. Ita docet Andreas Vega lib. 9. in Tridentinum c. 3. & Bellarminus lib. 3. de Iustificatione c. 3. Quæ sententia omnino est probabilior.

Probatur Primò, Quia Prophetæ, Apostoli, paralyticus, Magdalena, quibus immediatè aliquid à Deo reuelatum est, illud credebant eadem fide, qua alia ab Ecclesia ipsis proposita. Nisi fortè dicere quis audeat, non ea perfectione Apostolos credidisse, qua exigebant fidem ab illis quibus prædicabant.

Secundò, Fides non differt à visione Dei, quòd in fide se nobis Deus manifestet per alium, in visione autem per seipsum: sed quòd in fide reueler se sine euidentia; in visione autem euidenter. Potest ergo fides esse, vbi immediatè Deus obiectum credendum proponit.

Tertiò, Si cui Deus reuelaret suam perseuerantiam, posset eam credere fide diuina, vt indicat Tridentinum can. 16. de Iustificatione.

Quartò, Non tantùm per Ecclesiam credimus; sed etiam ipsa, adeoque primum membrum Deo credit immediatè.

Quintò, Angeli, aut saltē primus Angelorum, immediatè à Deo accepit fidem: ergo sine propositione Ecclesiæ, salua potest esse essentia fidei.

Sextò, Si nollet credere se perseueraturum cui hoc Deus reuelaret, esset hæreticus, non secùs ac si alium articulum fidei negaret. Cùm itaque ad hæresin pertineat dissentire; ad fidem infusam pertinebit assentire.

Denique quod fide credimus, suscipimus vt verbum Dei, non vt verbum hominum. Nihil itaque refert quoad substantiam fidei, siue per homines id accipiamus, siue immediatè ex Dei reuelatione: neque enim Deus ideò veracior, quia pluribus aut per plures loquitur.

*Resp. ad 1. Argumentum.* Ad primum Argumentum pro opposita opinione respondeo, Etiam si fides infusa sit Catholica, non inde sequitur, quòd per eam, etiam priuatim reuelatę à Deo veritati, assensus pręberi nequeat. Catholica enim dicitur: quia quidquid citra priuilegium speciale per eam credimus, non aliud illud est, quàm (vt loquitur Vincentius Lyrinensis) *quod tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Aut, vt voluit D. Thomas opusculo 70. ideò dicitur fides Catholica, quòd regulas præscribat, quibus tota hominis vita, & quidquid ad eam pertinet, contineatur & ordinetur. Catholica ergo dicitur non ab aliquo quod ingrediatur suum obiectum formale; sed à qualitate sui ordinarij obiecti materialis, quod dicimus non adæquatè respondere rationi formali habitus fidei. Quamuis autem inter obiectum per Ecclesiam propositum, & priuatim reuelatum ex speciali priuilegio, non admittamus differentiam quæ sumatur à parte rationis formalis fidei; aliam tamen omnino assignamus, quòd priuata reuelatio, non possit continuò obtrudi, tamquam pars fidei Catholicæ, adeò vt non solùm ab eo cui est facta, sed à tota Ecclesia sit credenda.

Ex quo colligimus, bis peccare hæreticos, qui nouas reuelationes iactant. Semel quòd credibile non sit, hominibus perditæ vitæ, & qui instar arundinis circumferuntur omni vento doctrinæ, & ad quamuis auram humanæ persuasionis fidem mutant, nouas à Deo fieri reuelationes. Rursus, quòd tempus nunc non sit nouos fidei articulos condendi, sed seruandi depositum diuinæ traditionis, *Nihil enim innouandum nisi quod traditum est.* Stephanus Papa 1. apud Cypr. epist. 74.

*Resp. ad 2. Argum.* Ad secundum respondeo, Etiamsi Catharina Senensis suis reuelationibus per fidem infusam assentiat, & Ecclesia eas non improbet, sed eas veneretur; non tamen omnibus fidelibus eas credendas proponit: quia neque de talibus rebus sunt, vt omnes eas credere oporteat (de quibus Ecclesiæ tempore Apostolorum abundè prouisum est:) neque in eum finem à Deo factæ sunt, neque ab ea cui factæ sunt, aliis propositæ. Itaque quoad vniuersos, deest hîc sufficiens propositio: quoad ipsam autem cui sunt factæ, nihil deest quo minùs fide diuina eis assentiatur.

*Resp. ad 3. Argumentum.* Ad tertium respondeo, D. Thomam ibi assignate obiectū formale fidei non simpliciter, sed quoad nos, & quoad articulos qui omnibus credendi proponuntur. Potest ergo fidei formale obiectum duobus modis considerari: vno vt non solùm est mediū quo credimus verum esse quod Deus dicit; sed etiam medium quo credimus Deum hoc aut illud dicere. Priori modo consideratum semper est sola veritas prima in se: posteriori modo consideratum, est etiam veritas prima sola, sed non semper in se sine alio interlocutore & quasi internuntio; imò ordinaria via quoad nos habet, vt se dicere veritas prima per Ecclesiam manifestet; cui tamen per signa sufficientia



ficientia, auctoritatem vicis suæ hac in parte statuit. Et hoc voluit D. Thomas. Cum quo tamen benè consistit, Deum per se posse illam propositionem, quæ fit per Ecclesiam, supplere, sicuti suppleuit quando locutus est Prophetis & Apostolis; quamuis, vt dixi, ordinarium sit, non supplere. Sicut enim Deus per se primas creaturas produxit, reliquas autem in temporum decursu, non nisi generantibus creaturis secundis; ita primos Ecclesiæ Principes per se erudiuit, reliquos non nisi per illos. Quo factum est, vt vnus ex illis Galat. 1. Principibus dicat: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* & D. Augustinus dicat contra epistolam Fundamenti, c. 5. *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.* Hoc etiam significatum vult idem Augustinus lib. 2. q. 2. in Euangelia, in eo quòd à lepra mundati, id est, conuersi à mala doctrina, iussi sunt ostendere se Sacerdotibus. Item quòd Paulus ad Ananiam missus sit, & cùm aliis contulerit Euangelium, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset: denique quòd ad Cornelium mittatur Petrus. Act. 9. Galat. 2. Act. 10.

## SECTIO VI.

### *An fides aliquo modo resoluatur in auctoritatem Ecclesiæ.*

*Auctoritas Ecclesiæ tribus modis potest cōsiderari.* ECCLESIÆ auctoritatem licebit hîc tribus modis considerare: vno quidem quatenus cœtus est proborum hominum. Si enim vni probo fides sit adhibenda; quanto magis si plurimi probi in idem conspirent? Verùm quia non facilè supernaturalia credimus homini etiam probo, nisi auctoritas ipsi aliunde & quidem ab ipso Deo accesserit; secundò consideranda est auctoritas Ecclesiæ, vt miraculis, aut aliis certis signis coniunctionis cum Deo, tamquam Dei sigillo confirmata. quo modo superiori Sectione dicebamus, per Ecclesiam nobis innotescere, quòd Deus sit qui veritates credendas reuelat. Sic autem considerata Ecclesiæ auctoritas, iam proportionata est vt proponat sufficienter obiecta fidei supernaturalia, tamquam diuinitus reuelata. Quia autem inter illa obiecta vnum est, Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, & in definitionibus suis dirigi infallibili Spiritus sancti assistentia; accedit hîc Ecclesiæ alia auctoritas in discernendis omnibus quæ Deus reuelauit. Quæ auctoritas respectu totius obiecti fidei non potest habere rationē proponentis; quia ad illud etiam ipsa pertinet, vt diximus: sed quoad nos erit ipsa primum creditum; & respectu reliquorum articulorum credendorum, habebit rationem sufficientissimè proponentis; & respectu contrariorum errorum, ex hac eadem auctoritate certissimū erit Ecclesiæ reprobantis iudicium. Dico itaque, fidem nostram non resolui in auctoritatem illam primam Ecclesiæ, quæ tantùm ciuilis, moralis & humana est: quamuis enim illa sufficiat, vt credatur Ecclesiam in propositione fidei nos non fallere mentiendo; non sufficit tamen vt firmissimè credamus, eam non falli inuitam. Dico autem, resolui in secundam auctoritatem, vt in proponens sufficienter obiectum credibile supernaturale. In tertiam autem, tamquam in primò creditum quoad nos; & quoad reliqua credenda, tamquam in sufficientissimè illa proponens, & contraria reijciens. *Fides resoluitur in auctoritatem Ecclesiæ.*

Quæ res eiusmodi considerationē dilucidari poterit: Quandocumque credimus siue Deo, siue Angelo, siue homini quem ipsi non audiuimus loquentem; oportet testimonium aliquod & indicium habeamus, quo nobis constet ipsum tale quid dixisse, & quodammodò coniungamur illis quibus immediatè dixit, vt quasi vnum iam cum ipsis effecti, censeamur per ipsos audiuisse, quod ipsi non audiuimus. Quod dum fit, quadam ratione fides nostra resoluitur in illud testimonium vt in proponens; sicuti dum coràm audiuimus eum cui credimus, resoluitur ex hac parte fides in manifestationem qua se nobis loquentem applicuit. Eiusmodi autem testimonium est propositio, qua Ecclesia sanctitatē, signis & miraculis clara, nobis fidem proponit.

Verùm inter hanc fidei analysim, & illam qua resoluitur in primæ veritatis reuelantis auctoritatem, est alia quasi media. Credo enim Christum esse Deum, non tantùm propter auctoritatem Ecclesiæ conceptam ante fidem infusam, neque tantùm quia prima veritas falli aut fallere non potest; sed quia prima veritas dixit Ecclesiam esse columnam & firmamentū veritatis: quæ Ecclesia mihi tamquam Dei verbum credendum proponit Christi Euangelium, contestans eius diuinitatem. Et hanc resolutionem dicimus esse in auctoritatē Ecclesiæ, non vt in meram credendi rationem, sed vt in primò creditum, quo firmentur reliqua. Vnde sequitur, non esse hanc resolutionem totius fidei: relinquit enim & supponit fidem circa articulum de Ecclesia, in eoque sistit: resolutio autem quæ est in auctoritatem Ecclesiæ ex signis ante fidem conceptam, tamquam proponentis fidem, est totius fidei: nam etiam ille articulus, *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis*, creditur, quia Ecclesia proponit eum tamquam à Deo reuelatum.

Notandum porrò hîc est, Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, non esse primò creditum simpliciter; sed solùm quoad nos. Si enim velimus, in natura prius credēdum fieri resolutionem; etiam hic articulus, Ecclesia est infallibilis, debebit resolui in istum ex terminis notum, Prima veritas fallere non potest. Quando autem fit resolutio in receptius per fidem quoad nos, credimus primam veritatē fallere non posse, quia Ecclesia, quam semel recepimus tamquam infallibilem fidei magistram, ita credendum esse docet. Dico *in receptius per fidem*; quia si de euidentia sit quæstio, etiam quoad nos notius est primam veritatem fallere non posse, quàm Ecclesiam esse infallibilem.

Hic itaque videtur fidei communis esse progressus quoad nos, vt primò quidem ex signis, v.g. miraculis, persuadeamus nobis testimonium Ecclesiæ infallibile: quæ persuasio nondum est ex fide infusa, sed argumentis humano modo expensis: ideoque potest dici persuasio humana. Secundò, credimus fide infusa Ecclesiam esse magistram veritatis. Tertiò, credimus quæcumque hæc magistra tamquam articulos fidei proponit. Atque hinc fit, vt Christiani rogati, quare hunc aut illum articulum credant; rectè respondeant confugiendo ad Ecclesiæ auctoritatem, non autem ad internum Spiritus sancti testimonium, vt solent hæretici.

*Obiectio.* Dices, Ergo fides nostra resoluitur ac tandem abit in persuasionem humanam, & quod fide tenemus, recipimus non vt verè est, tamquam verbum Dei; sed tamquam verbum hominum.

*Resp.* Respondeo, Si fides resolueretur in persuasionem illam, quam ante eam habemus de auctoritate Ecclesiæ, tamquam in rationem formalem, propter quam credimus; verum esset quòd abiret in persuasionem humanam. Sed nunc solùm dicimus eiusmodi resolutionem fieri tamquam in proponens & applicans rationē credendi. Itaque quod fide creditur, recipitur vt verbum Dei: quia non illud hominibus credimus, sed eorum auctoritatem diuinis signis conciliatam admittimus in complementum quoddam argumenti, quo nobis constet hoc esse Dei verbum. Itaque ei credimus cuius verbum est; sed eius verbum esse, aliunde nobis perspicuum est quàm ex sola eius formali locutione: hoc enim ipse per sua signa, mediante Ecclesia, nobis manifestum reddit. Ad quam manifestationem hîc recurri, non debet videri mirum; quia omne iudiciū nostri intellectus, etiam illud quod est de rebus non apparentibus, est quoddam apparere. Apparet enim nobis, non apparentia esse credenda propter dicentis auctoritatem. Apparet autē, Deum quod credimus dixisse, ex signis quæ in eius rei fidem habet Ecclesia, de quibus videri potest D. Augustino asscriptus libro De fide rerum inuisibilium, c. 3. Quando igitur Deus per se nobis non loquitur, opus est alio argumento, quo appareat nobis quòd ipse sit qui reuelat antequam ei credamus; quamuis dum ei credimus, etiam per lumen fidei ei credamus hoc ipsum. Quando enim quispiam alteri loquitur, etiam eo ipso saltem actu exercito se loqui & reuelare reuelat. Quamuis autem credētes homini, non tam credamus ipsum dicere, quàm sciamus: quando tamen Deus reuelat, licet signis credamus ipsum hoc dixisse; fide nihilominùs diuina hoc ipsum credere incipimus quòd dixerit, quādo credimus quod dixit. Ratio diuersitatis est, quòd fides diuina certitudine superet euidentiā, qua ordinariè præscimus, Deum hoc aut illud reuelasse: in homine autem nobis loquente secùs eueniat.

In appendice tom. 4.

*Obiectio.* Ex quo iam facile fuerit respondere eiusmodi obiectioni: Fides qua credo Petro, non potest esse certior à parte rei, quàm sit cognitio qua noui Petrum mihi loqui; ergo fides qua credimus diuinitus reuelata, non erit certior, si vera sunt supradicta, quàm sit cognitio illa qua scimus Deum reuelasse: quod est absurdum, cùm hæc cognitio vel persuasio sit humana; vel certè non sit certior scientiâ: fides autem certior sit omni persuasione humana & scientia. Constat enim non esse dicendum, quòd qui credit Trinitatem fide infusa, tantùm fide humana credat Deum eam reuelasse: simul enim dum credit Trinitatem, credit Deo eam reuelanti, adeoque Deo vt reuelante vtitur, vt benè obseruat Caietanus. Nititur ergo fides ipsius non persuasione humana, sed infusa cognitione & diuino lumine, vtpote quo non tantùm cognoscat quod Deus dicit, sed etiam Deum dicere: sicuti per lumen non tantùm colorem, sed ipsum simul lumen etiam videmus; & verbum, non tantùm id quod per ipsum declaratur, sed etiam se ipsum declarat, vt dicit D. Augustinus q. 1. super Euangelia. Fatemur tamen, fidem, qua recipimus auctoritatem Ecclesiæ, antequam fide infusa credamus, tamquam proponentem obiectum fidei, atque ipsam Dei reuelationem, posse esse inferiorem certitudine, quàm sit fides diuina. Neque refert quòd ea præsupponatur in fide diuina: quia quando Deus loquitur Prophetæ vt credat Deo loquenti, debet credere Deum sibi loqui; quod vt credat, præsupponit cognitionem suæ existentiæ, & tamen certiùs debet credere verum esse quod Deus dicit, quàm se existere.

Si dicas, talem fide diuina crediturum se existere, eò quòd sequatur euidenter ex illis quæ ipsi sun. fidei. Contrà; si solùm cognoscat vt sequitur ex illis, ergo prius credit aliquid aliud Deo reuelanti: quæ fides supponat cognitionem propriæ ipsius existentiæ, vt dictum est. Sicuti ergo potest quis ex opinione quòd Mathematicæ scientiæ sint sibi futuræ vtiles, applicari ad ipsas scientias ex suis principiis hauriendas longè certiori cognitione, quàm sit prior illa opinio quæ ad sciendum applicuit: ita fit in proposito, vt ex persuasione minùs certa applicetur homo ad credendū fide diuina quæ sit certissima.

Ex dictis sequitur, non esse circulum vitiosum, quando fidelis dicit se credere Deo reuelāti propter auctoritatem Ecclesiæ: & vlteriùs rogatus quare tantum deferat Ecclesiæ, respondet propter Deum se id facere, qui reuelauerit Ecclesiæ esse credendum. Ideò enim non est vitiosus, quia prius redditur causa cognitionis, siue à posteriori, & quoad nos: posteriùs autem redditur ratio rei cognitæ, & à priori.

## SECTIO VII.

### *De resolutione fidei in auctoritatem primæ veritatis.*

OMNINO dicendum est, Fidem secundùm naturam resoluiin auctoritatem primæ veritatis reuelantis, tamquam principium & causam propriam. Neque est de hac re inter Theologos vlla controuersia. Confirmatur. Aliàs enim fluctuaremur tamquam paruuli omni vento doctrinæ. Si enim in aliquam auctoritatē humanam resoluatur fidès Catholica, non poterit certitudine superare opinatiuam fidem, eritq; fundata super fundamēto fallibili. Sicuti enim cōclusio non superat certitudine principia, ita in fallibilitate fides non poterit superare auctoritatē eius cui creditur.

*Fides non resoluitur in auctoritatem humanam.*

Secundò, Fidem non possumus deferre propter Angelorum aut hominum auctoritatem, vt patet ad Galat. cap. 1. & 3. Regum 13. vbi malè hoc cessit cuidam Prophetæ: ergo non propter homines aut Angelos credimus Deo, sed vltimò credimus Deo, quia ipse est prima veritas: quamuis (vt dictum est) per homines ad ei credendum applicemur. Ideoque rectè notant quidam, nos posse dicere Ecclesię quando iam credimus, quod Samaritani dicebant mulieri, Ioannis 4. *Iam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audiuimus & scimus quia hic est verè Saluator mundi.*

*Per homines ad credendū applicamur.*

Tertiò, Consonant Scripturæ. Audierat Petrus à Ioanne, esse filium Dei: tamē Matth. 16. dicit ei Christus: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* 2. ad Timoth. 2. *Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc.* Vide Commentarium Ambrosij.

Quartò, Fides non esset virtus Theologica, nisi diuina veritate niteretur, vt patet ex D. Thoma 1. 2. q. 62. a. 1.

Quintò,



Quintò, Nostra fides est eadem cum fide Apostolorum & Prophetarum, quæ indubiè resoluebatur in primam veritatem.

Sextò, Eadem fide credimus qua crederemus Christo si nobis hîc in terris loqueretur. sicuti enim tunc Pater reuelaret; ita & nunc, quando in mentibus nostris facit de ignorantiæ ac infidelitatis tenebris lumen fidei splendescere. Denique suffragatur D. Augustinus lib. 11. Confessionum, c. 3.

## SECTIO VIII.

### *Obiectiones, & earum solutio.*

*Obiectio 1.* OBIICITVR Primò contra illud, quod diximus primam veritatem esse formale obiectū fidei, hoc modo: Fidelis rogatus quare credat Christum esse Deum, dicet quia Deus reuelauit. Rogatus autem quare credat Deo reuelanti; dicet quia est prima veritas. Si autem quod supereſt inquiras, quare Deus sit prima veritas; dicet quia est Deus. Videtur itaque non Deus vt prima veritas, sed Deus vt Deus esse formale obiectum fidei.

*Resp.* Respōdeo, Non sequi. Quia licet fortasse aliqua ratio reddi possit, quare Deus sit prima veritas; nulla tamen potest reddi ratio à priori, propter quam primæ veritati sit credendum: est enim omnino immediata & prima propositio, Prima veritas est credibilis. Argumentū itaque obiectū transit à causa credēdi ad causam existendi: quod sine vitio non fieri, patet in simili. Quamuis enim corpus mixtum sit causa colorati in existendo; mixtio tamen non est causa, quare color videatur: sed potiùs contrà, propter colorem videtur corpus mixtum; cuius signum est, quòd etiamsi corpus non esset mixtum, modò esset coloratum, nihilominùs videretur. Eodem modo, etiamsi prima & summa veritas, per impossibile non esset Deus; nihilominùs ei reuelanti adhiberetur certissima fides.

*Obiect. 2.* Obijcitur Secundò, Si fides resoluatur in auctoritatem Dei; vel resoluitur in auctoritatē eius loquentis per Ecclesiam exteriùs, adeoq; resoluetur in auctoritatem Ecclesiæ; vel resoluitur in auctoritatem eius loquentis cuilibet fideli interiùs per lumen fidei infusum; quo modo dicendum erit, omnibus fidelibus immediatè Deum loqui, quod suprà videbatur negari. Respondeo, Hoc argumento abutitur Michaël Medina, lib. 5. De recta in Deum fide, c. 11. vt contra communem sententiam probet, fidem nostram non debere dici resolui in auctoritatem primæ veritatis, sed in auctoritatem Ecclesiæ. Et valdè improbat eos qui in hoc non distinguunt fidem Apostolorum aut reliquorum Dei notariorum, à fide communium fidelium, qui per ipsorum verbum crediderunt. Sed dicendum est, fidem eorum qui per Ecclesiam credunt, partim resolui in auctoritatem Dei loquentis per Ecclesiam; partim in auctoritatem ipsius interiùs cuique fidelium loquentis. Quod vt intelligamus, oportet meminisse, inter infusam & acquisitam fidem, hoc interesse, quòd actus fidei infusæ non eliciatur, nisi concurrente lumine supernaturali, à Deo reuelante & loquēte infuso. Quamuis enim, Deo esse credendum, lumine naturali notum sit; non tamen ei creditur qua oportet certitudine & firmitate, nisi per lumen supernaturale. Duo itaque sunt in nostra reuelatione qua sumus fideles: vnum respondet externæ locutioni in fide humana; estque locutio externa ipsius Dei, nobis facta per Ecclesiam: alterum respondet locutioni efficaci interiori (de inefficaci enim an illa aliter quàm subijciemus fieri possit, alterius est instituti) quæ locutio siue persuasio actiua, in fide humana fit concursu alicuius luminis naturalis; quo mediante, homo qui loquitur, persuadere dicitur: in fide autē diuina, de qua loquimur, hæc locutio & persuasio fit mediante illustratione supernaturali, interiùs in mente hominis supplente insufficientiam luminis naturalis, & eleuante intellectum, vt sit proportionatus actui supernaturali credendi. Quia autem illud lumen sic Deus suppeditat, vt secundùm Scripturam hominem interiùs docere dicatur: manifestum est quoad hanc partem, Deum non tantùm mediante Ecclesia, sed etiam immediatè nobis loqui interiùs. Quia itaque in diuina hac reuelatione, idem qui exteriùs loquitur per Ecclesiam, penetrat & loquitur in corde; interior ista eius locutio est quasi pars completa, ex qua simul & externa illa locutione; integretur vna quasi Dei locutio totalis, qua loquitur vnicuique credenti. Quo modo sunt intelligendi Catholici quando fidem, etiam communiū fidelium, volunt resolui in testimonium Dei interiùs loquentis, immeritò reprehensi à Michaële Medina, inter quos Hosius in confessione sua, c. 16.

Obijcitur Tertiò, In illud quodque resoluitur ex quo generatur: atqui fides per auctoritatē Ecclesiæ generatur: ergo, &c. Respondeo, Sicut res naturales resoluuntur in materiā & formam, non autem in illud quod eas, fortè applicando solùm actiua passiuis, produxit: ita fides resoluitur, tamquam in proprium principium, in obiectum suum formale, non autem in auctoritatem Ecclesiæ, quæ solùm applicando illud nobis, eam produxit.

*Obiect. 3.*

*Resp.*

Obijcitur Quartò, Si fides resoluatur in veritatis primæ auctoritatem, non erit ordo inter credenda, sed omnia simul credentur; sicuti omnia quæ lumine solis illustrata oculis obijciuntur, æquè primò videntur: atqui credimus primò Trinitatem, quàm Incarnationem; priùs Incarnationem, quàm sacram Eucharistiam, aut mortem & resurrectionem Christi. Respondeo, Vtà generationis quidam articuli priùs, alij posteriùs cadunt sub fidem; quamuis vt subsint reuelationi, omnes simul credendi sint: quod inde prouenit, quia termini rum conceptus, aut fortè etiam fides acquisita, quæ ad fidei infusæ actum prærequiratur, hunc ordinem requirit.

*Obiect. 4.*

*Resp.*

Obijcitur Quintò, Obiectum formale dat habitui vnitatem. Auctoritas dicentis non dat fidei vnitatem: si enim illa eadem quæ credo fide diuina, crederem propter auctoritatem vnius alicuius hominis, non essent diuersi actus fidei humanæ, propterea eiusdem speciei: neque enim error circa vnum articulum pugnaret cum fide circa quemlibet alium. Ergo auctoritas Dei reuelantis non est formale obiectum fidei diuinæ. Respondeo differre hoc fidem acquisitam ab infusa, quòd hæc de articulis diuersis sit eiusdem speciei, non autem acquisita. Ita Cameracensis in 3. q. vnica, articulo 2. & Gabriel dist. 23. Ratio est, quòd fides infusa sit proportionata primæ veritati reuelanti, cui omnis alia veritas aut apparentia

*Obiect. 5.*

*Resp.*

rentia veritatis participatæ cedit: quo fit vt fidelis non credat primæ veritati quatenus iuuatur aliunde, aut quatenus non repugnat alteri auctoritati vel rationi; sed omnino similiter ei adhæret: qui autem fide acquisita credit huic aut illi auctoritati humanæ, admittit subsidium rationis, aut alterius auctoritatis. neque ei adhæret omnino simpliciter, sed quasi cum formidine & restrictione, quatenus non repugnat alteri maiori auctoritati aut rationi naturali. Contingit autem circa diuersos articulos diuersas inueniri rationes vel auctoritates iuuantes aut repugnãtes: hinc fit vt eiusdem hominis auctoritas cum adiunctis, non sit eadem in omnibus suis assertis; sed specie diuersum quasi medium, respectu huius aut illius assensus ac fidei.

*Obiect. 6.* Obijcitur Sextò, Quòd resoluatur fides in auctoritatem Ecclesiæ creditam fide acquisita, conuinci videtur ex eo, quòd baptizatus in infantia, adeoq; fidei habitum nactus, actum nullum elicere queat, quando iam peruenit ad vsum rationis, nisi circa articulos quos fide acquisita didicerit per auctoritatem humanam. *Resp.* Respondeo ex Gabriele suprà, Fides acquisita vt immediatè gignitur exactibus, ita etiam immediatè inclinat ad actum credendi, & solùm requirit apprehensionem credibilium. Præconcepta enim auctoritas semen quoddam est assensus, & rationale quoddam determinatiuum intellectus ad assensum. In puero autem baptizato nihil est priùs conceptũ quo determinetur ad assensum: sed solùm est habitualis inclinatio fidei infusæ, quæ se habet ad actum credendi vt oportet, sicut intellectus se habet ad actum intelligendi absolutè. quo fit vt sicut homo non potest credere quidquam etiam fide humana, nisi præcedat aliqua actualis instructio: ita neque fide diuina. Quia autem, quando instructio illa præcedit, generatur fides quam dicimus Acquisitam; rectè dixerint Theologi, fidem infusam non exire in actum, nisi coniunctam habeat fidem acquisitam.

*Obiect. 7.* Obijcitur Septimò, Si resoluatur fides in auctoritatem Dei reuelantis, videbitur niti hoc discursu: Quidquid Deus reuelauit, verũ est: istud Deus reuelauit: ergo verum est. Atqui fides non nititur discursu: est enim certior quouis discursu. *Resp.* Respondeo, Fides non resoluitur in primã veritatem mediante discursu, sicuti nec ex ea sic procedit. Sicuti enim ex albedine visa iudico album esse parietem sine discursu; ita propter reuelationẽ Dei applicatam huic propositioni, Christus est Deus, iudico Christum esse Deum sine discursu. Verum quidem est, per discursum nos inquirere sitne huic articulo applicata Dei reuelantis auctoritas, sicuti per visum inquirimus an paries sit albus: sed sicuti ideò in sensu non est compositio, sed simplex solùm apprehensio; ita neque in discursu fides, aut in fide discursus.

## ARTICVLVS II.

### *Utrùm obiectum fidei sit aliquid complexum per modum enuntiabilis?*

Hæc quæstio olim in scholis controuersa fuit. Quidam enim dicebant fidei obiectum esse incomplexum, moti his aut similibus argumentis.

*Argumentum 1.* Primum, Idem est obiectum fidei & visionis beatificæ. Quod enim hîc credimus, ibi videmus; vt colligitur ex c. 13. prioris ad Corinth. & c. 11. ad Heb. vbi dicitur, *Fides substantia rerum sperandarum.* item vt Augustinus loquitur: *Ex fide verborum peruenimus in fidem rerum.* Atqui obiectum visionis est incomplexum, Dei nimirum essentia: ergo & fidei.

Secundum, Veritas prima est quid incomplexum: atqui dictum est, illam esse obiectum fidei. 2.

Tertium, Deus sine compositione nouit veritates fidei, easque reuelat: ergo etiam sine compositione eas noscimus per fidem; fides enim nostra subordinatur scientiæ diuinæ, eiusque certitudinem participat. 3.

Quartum, Fides est de Deo: ergo de aliquo incomplexo. 4.

Quintum, Obiectum fidei potest assignari sine respectu ad nostrum intellectũ in ipso Deo: compositio autem & diuisio, non sunt sine intellectu componente & diuidente: ergo, &c. 5.

Respondet D. Thomas, Obiectũ fidei, ex parte ipsius rei creditæ, esse aliquid incomplexum: consideratum autem ex parte credentis, esse aliquid complexũ per modum enuntiabilis. Prior pars est clara: res enim quæ creditur, præueniendo respectum ad nostrum intellectum, non est complexa. Potest autem sic considerari, quia eam Angeli crediderunt sine vlla compositione, aut saltem Deus eam sine cõpositione intelligit. Posterior probatur: Quia quod credimus, verum est; verum autem & falsum in compositione sunt & diuisione: ignorant ergo propriam vocem, qui negant obiectum fidei esse quid complexum, vt rectè dicit S. Thomas in 3. dist. 24. Secundò, Credimus id cui propter auctoritatem dicentis assentimus: atqui non assentimus propriè nisi complexo, videlicet alicui propositioni: ergo, &c. Ita Durandus eadem dist. q. 1.

Ad primum itaque argumentum oppositum respondeo: Visio beatifica est Dei sicuti est, videbimus enim eum sicuti est: fides autem est de Deo secundùm modum cognoscentis, quem intellectus noster non valet per vnum simplicem conceptum adæquatè concipere: ideoq; quæ de Deo vnico intuitu visurus est, hic per compositionem de ipso cognoscit, diuersa attributa cum inadæquato Dei conceptu componendo; atque ita supplendo aliquousque suam incapacitatem. *Resp. ad argum.*

Ad secundum, Non aliud confici, quàm ex parte rei obiectum fidei esse incomplexum.

Ad tertium respondeo, Deum sine compositione intelligere quæ nobis reuelat, nos autem eadem pro modulo nostro imperfectiùs cognoscere; sicuti paruuli per minuta frusta cibum accipiunt propter incapacitatem suam.

Ad quartum, Fides est de Deo tamquam subiecto attributionis, quod fatemur esse incomplexum, vt benè Durandus.

Ad quintum, dico solùm concludi, fidei obiectum in se esse incomplexum.

Dices, Ergo falsò concipitur vt complexum: intellectus enim non conformis rebus, falsus est.

Respondeo, Si modificaretur sic conceptus noster, ex parte obiecti quod cõcipitur, esset falsus: sed non est falsus quando sic modificatur ex parte concipientis. sicuti enim Deus sine falsitate intelligit complexa incomplexè; ita nos incomplexa complexè.

ARTI-



## ARTICVLVS III.

### *Utrùm fidei posit subesse falsum?*

### DVBIVM PRIMVM.

### *An per potentiam absolutam Deus possit fallere vel mentiri?*

Fvit aliquando quorumdam Scholasticorum opinio, Deum potentia ordinaria posse fallere & decipere per homines aut Angelos: potentiâ autem absolutâ posse falsum dicere & decipere etiam per seipsum. Ita Camerarensis in 1. q. 12. quod post ipsum videtur sensisse Gabriel in 3. dist. 30. Idem dixerunt alij quidam, sed obscuriores.

*Deus mentiri aut falsum dicere non potest, ne quidem per potentiam absolutam.* Contraria sententia est communis & omnino tenenda. Pro qua sit vnica propositio. Ne quidem per potentiam absolutam fieri potest, vt Deus per se aut per aliũ mentiatur aut falsum dicat. Ita tenet in primis Ariminensis q. 1. prologia. 4. & in primũ dist. 42. q 2. falsò à Gabriele pro sua sententia citatus, Bonauentura & communiter reliqui cum magistro eadem distinctione, Banesius hîc, qui dicit esse fidei. Huc pertinet articulus quidam à Parisiensibus damnatus, qui ita se habet: *Christus potuit dixisse falsum, & asseruisse assertione creata, tam vocali quàm mentali.* Ideò enim hic articulus meritò damnatus est; quia si Christus falsum diceret, Deus aut suppositum Verbi, cuius erat dirigere omnes actiones Christi creatas, saltem mediatè per naturã humanam Christi, falsum diceret, adeoque mentiretur; in Deo enim hæc eadẽ sunt: quamuis hominẽ contingat mentiri quando falsum non dicit, sed putat se dicere; & non mentiri quando falsum dicit, quod non putat esse falsum: hoc enim prouenit ex errore, qui in Deo omniscio locum non habet.

Alienam autem à Deo esse omnem falsitatẽ & mẽdacium, apertè docet Scriptura, Lucę 21. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* ad Heb. 6. *Impossibile est mẽtiri Deum.* ad Rom. 3. *Est autem Deus verax: omnis homo mendax.* 2. ad Timoth. 2. *Ille fidelis permanet, seipsum negare non potest.* Numerorum 23. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur.*

Probatur secundò ex Patribus. Augustinus libro 1. de Symbolo fidei ad Catechumenos c. 1. *Mentiri non potest; & quod ait Apostolus, seipsum negare non potest. Quam multa non potest, & omnipotens est. Et ideò omnipotens, quia ista non potest.* Similia habet libro 22. de Ciuitate c. 25. Lib. autem 2. de consensu Euangelistarum c. 3. dicit hominem religiosum, quodlibet aliud potiùs iudicare sibi esse quærendum, quàm credat Euangelistam esse mentitum. Item lib. 5. Confessionum c. 5. docet Manichæum non posse credi Spiritum sanctum qui est Spiritus veritatis (vt iactabat) eò quòd multa falsa scripsisset. Vide eumdem Augustinum contra Epistolam fundamenti. Videri etiam potest Eusebius, lib. 6. de præparatione Euangelica, cap. 4. vbi ostendit Apollinem non esse Deum, eò quòd etiam fatente Porphyrio, aliquando profiteretur se mentiri: *Quomodo Deus,* inquit, *qui naturà veritas est, mentiretur?*

Probatur tertiò ratione. Vna est D. Thomæ: Reuelata à Deo, stant sub veritate prima, sub qua non potest stare falsum, sicuti non ens non potest stare sub ente, aut malum sub bonitate. Sicuti ergo Deus non potest auctor esse mali, quia prima bonitas est; ita neque mendacij, quia prima veritas. Si enim fallit, veritas non est, vt rectè Augustinus q. 14. lib. 83. qq. Altera à posteriori: Si Deus mentiri potest, concidit omnis firmitas fidei. *Quomodo enim credendum est ei qui putet aliquando esse mentiendum?* inquit Augustinus, libro contra mendacium, c. 4. & 18. & lib. de mendacio, cap. 8. Tertia, Mendacium ex diabolo patre est, vt dicitur Ioannis 8. atqui nulla est societas lucis ad tenebras: 2. ad Corinth. 6. ergo remotissimũ à Deo est omne mendacium. Quarta, Verbum Dei summum culmen auctoritatis obtinet, vt dicit S. Aug. dicto lib. 2. de consensu Euangelistarum, c. 12. maioris autem est auctoritatis qui nullo modo potest mentiri aut fallere, quàm qui aliquo modo fallere potest aut mentiri.

Postremò potest nostra propositio probari etiam auctoritate philosophorum. Plato enim libro 2. de Republica dicit nullo modo ferendos esse qui dicunt Deum aliquando mentiri, & probat Deo omne mendacium indecens esse.

*Obiect. Genes. 27.* Obijciunt Deum decepisse per Iacob dicentem: *Ego sum primogenitus tuus Esau*; ideò enim pater dicit: *Venit germanus tuus fraudulenter.* Confirmatur auctoritate Innocentij, capitulo, Gaudemus, de Diuortiis: vbi videtur dicere Iacob excusari à mendacio, quòd Deo auctore mentitus sit: sicut ab adulterio excusantur, qui secundam superinducunt vxorem, Deo concedente.

*Resp. Iacob dicendo, Ego sum Esau, non fuit mentitus.* Respondetur quòd Iacob fecit Deo fecisse auctore, sed non esse mentitum, verùm figurata locutione protulisse mysterium, vt docet Augustinus c. 6. contra mendacium, & in Genesim q. 74. Confirmatur: Quia Scriptura dicit fuisse virum simplicem, id est, sine dolo, vt LXX. verterunt. *Quis est* (inquit Augustinus lib. 16 de ciuitate, c. 37.) *dolus simplicis? quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis?* Figuratè itaque dicit se primogenitum Esau, sicut Christus Ioannem dicit Eliam; Paulus gentes conuersas ad fidem semen Abrahæ; Esau enim non erat Esau, sicut non omnes qui ex Israël, Israelitæ. sicut illi qui Apoc. 2. *Dicunt se Iudæos esse & non sunt.* Non igitur dixit se primogenitum nascendo; sed ius primogenituræ Esau vẽdente, ritè adeundo, eum iure merito repræsentans, à quo actionem habebat. Vide Gratianum 22. q. 2. capitulo, Quæritur. Dicitur tamen Iacob veniſſe fraudulenter, propter modum exteriorem; qui licet in se sit indifferens; apud homines tamen iudicatur pertinere ad fraudulentiam: quo modo etiam Apostolus dicit 2. ad Corinth. 12. *Cùm essem astutus, dolo vos cepi.* Simili modo intelligi potest quod Ieremias dicit, c. 20. *Seduxisti me Domine & seductus sum,* quia, vt exponit Hieronymus, significat se cùm putaret contra gentes prophetare, missum esse contra Iudam. Matth. 11. Rom. 9.

Dices, Videtur verè Iacob egisse fraudulenter, quia & vestibus Esau, & hœdinis pellibus tectis manibus & collo, similitudinem maioris expressit; adeò vt meritò etiam ipse timuerit, ne tamquam illusor à patre malediceretur. Videtur enim excessisse modum, quando non tantùm hoc egit vt primogenitus haberetur, sed etiam vt putaretur personaliter esse Esau.

Respon-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Respondet Lyranus non esse necessarium Iacobum excusare hîc à mendacio officioso, quod sine Deo auctore admiserit, præsertim cùm & Apostoli inueniantur leuioribus quibusdam delictis fuisse obnoxij, propter quod vnus eorum
1. Ioan. 1. dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Eiusdem sententiæ referuntur à Pererio in Genes. Scotus, Tostatus, Adrianus, Lypomanus, Caietanus. Huic opinioni obest in primis quod diximus 1. 2. q. 109. a. 8. illa peccata venialia, quæ non sunt ex surreptione, Apostolos vix habuisse. Obest secundò quòd sit contra cõmunem sententiam Patrum, qui rectè de mendacio numquam admittendo senserunt. Hi enim ferè excusant Iacob à mendacio: ideoque rectiùs aliter respondetur, potuisse Iacob volentem hereditare benedictionem sibi debitam, sine fraude adhibere eiusmodi simulationem: agebatur enim de benedictione debita primogenito obtinenda; at vestes Esau valdè bonæ fuerunt ipsius non vt Esau, sed vt ratione primogenituræ erat sacerdos: erant enim vestes sacerdotales, vt habet traditio Hebræorum apud Hieronymum. Ne autẽ impediretur à debita sibi benedictione, si à patre agnosceretur; potuit illis pellibus tegere noxiam veritatẽ sine vitio mendacij. accedente præsertim magni veritate mysterij. Admittimus itaq; Iacob simulasse aut potiùs dissimulasse; sed non esse mẽtitum. Simulatio enim generaliùs accepta, vt etiam dissimulationem complectitur, non est intrinsecè mala, sicut mendacium; simulatio enim rebus vtitur, quæ liberioris sunt significationis: mendacium autem verbis, quæ ad animi sensa exprimenda, naturâ suâ destinantur; ideoque nisi ambiguo sensu proferantur, iustæ simulationi inepta sunt. Ambigua tamen verba, rerum in significatione libertatem aliquo modo imitantur; ideoque non tantùm rebus simulare citra iniustitiam & scandalum, quando intentio bona est, licebit; sed etiam verbis vti ambiguis. Non licet tamen intendere facto aut verbis significationem falsi, aut vt alius falso sensu intelligat; sed solùm vt veritas tegatur: quam iustæ causæ non expedit alterum scire, etiam eo non obstante quòd præuideatur illud non futurum sine alterius errore. Verùm de hoc alibi plura.

*Simulatio rebus vtitur, mendacium verbis.*

Quòd ad Innocentium attinet cap. illo, Gaudemus, de Diuortiis, existimat Pererius eum non fuisse alienũ à contraria sententia, quæ dicit Deo auctore sine peccato Iacob fuisse mentitum. Sed neque ea sententia est probabilis; neque certum est Innocentium id voluisse. Quando enim Iacobum excusat à mendacio propter Dei reuelationem, non excusat mendacium à peccato, excusat autem Patriarcham à mendacio per Dei reuelationem, non quòd mendacium ipse protulerit, aut à quopiam proferri possit Dei iussu, ita vt mendacij vitiosi & iniusti nomine tunc non veniat appellandum. Hoc enim pulchrè excludit D. Anselmus lib. 1. Cur Deus homo, c. 12. *Non sequitur*, inquit, *si Deus vult mentiri, iustum esse mentiri; sed potiùs Deum illum non esse.* Sed excusat hoc modo, quia vult supposita Dei reuelatione quæ signum erat voluntatis Dei vocantis, diligentis & ordinantis Iacob in primogenitum ex parte rei mutationem eam subfuisse, qua fieret vt verè diceret Iacob: *Ego sum primogenitus tuus Esau.* De hac reuelatione mater reddidit illum securum quando dixit: *In me sit fili mi illa maledictio.* Habebat autem eam mater fortassis inde, quòd dum colli-
Genes. 25. debantur in vtero infantes, oraculo edocta sit maiorem seruiturum minori.

*Obiect.* Opponit pro sua sententia Aliaco, Deum esse causam omnis deceptionis & erroris, eò quòd secundùm Aug. lib. 3. de Trinitate, c. 3. Deus sit causa omnium rerum & motuum.

*Resp.* Respondeo, Deum esse causam vniuersalem realis entitatis, adeoq; veritatis transcendentalis, quæ est in errore: sed inde non sequitur, Deum, qui prima veritas est, posse causare errorem, vt à veritate alienus est.

*Obiect. 2.* Opponit Secundò, Aliqui homines merentur decipi, ergo iustum est eos decipere, ergo hoc fieri potest à Deo. Mirum enim videbitur, inquit, si tales per se Deus non possit punire?

*Resp.* Respondeo illa benè consistere simul, dignum esse vt peccator decipiatur, & indignum nihilominùs esse quòd Deus decipiat; sicuti in repub. latro dignus est qui occidatur, indignum tamen est quòd eum Rex per se occidat; nam etiam apud homines, non nisi flagitiosi destinantur fundendo reorum sanguini. Quibus D. Hieronymus in c. 6. ad Ephes. similes dicit esse dæmones quasi sub Deo iudice carnifices. Ad hoc itaque vt peccator sit dignus decipi, sufficit quòd dignus sit quem permittat Deus iusto suo iudicio decipi à malis, siue hominibus, siue angelis, sicuti permisit decipi Achab, quando spiritui mendaci potiùs dimittendo quàm mittendo dixit: *Decipies & præualebis, egredere, & fac ita.* Eoque sensu dedit spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum Achab, vt habemus 3. Regum vltimo.

*Obiect. 3.* Objcit Tertiò, Angelus Matthæi 2. Dei iussu docuit Magos quomodo illuderent Herodi alia via redeundo in regionem suam.

*Resp.* Respondeo, Illa deceptio non erat contra veritatem vitæ, quia in malè promissis licet rescindere fidem: neque tendebat eò vt in errorem duceretur Herodes, sed vt à flagitio abstineretur.

*Obiect. 4.* Objcit Quartò, Christus decepit Iudæos, quando dixit Ioannis 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Inde enim falsum crediderunt, intelligentes de templo lapideo, quod dicebat de templo corporis sui.

*Resp.* Respondeo, Figuratè loquebatur Dominus. Quòd autem obscuriores eius parabolas non sint assecuti Iudæi, quantum sufficiebat vitando errori; non factum est Domino decipiente, sed eos propria malitia excæcante: nam vel hoc ipsum satis erat vitando errori, si non vulgari sensu loquentem Dominum agnouissent se non intelligere. *Non enim consequens est* (inquit Auguſt. Enchiridij, c. 17.) *vt continuò erret quisquis aliquid nescit; sed quisquis se existimat scire quod nescit: pro vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium.*

*Obiect. 5.* Objcit Quintò, Augustinum q. 53. ex octoginta tribus apertè docentem quòd Deus decipiat per malos angelos & homines: imò interdum decipere per bonos homines; vt qui iusserit Israëlitas decipere Ægyptios.

*Resp.* Respondeo D. Augustinum tota illa quæstione esse pro nobis: nihil enim aliud docet quàm quod ad Tertiam respondimus, Deum neque per se neque per bonos decipere: & quando per malos decipit, hoc facere non iubendo, sed potiùs permittendo. Verba eius de Israëlitis sunt ista: *Cùm & Ægyptij deceptione digni essent, & populus Israël pro illa ætate generis humani in tali adhuc gradu morum constitutus esset, vt non indignè hostem deciperet: factum est vt iuberet Deus, vel potiùs pro illorum cupiditate permitteret, vt vasa aurea & argentea, quibus adhuc terrenæ rei appetitores inhiabant, & peterent ab Ægyptiis non reddituri, & acciperent quasi reddituri.* Ex quibus Augustini verbis patet, dici posse, Deum, quãdo per Israëlitas decepit Ægyptios, non tam decepisse per bonos iubendo, quàm per malos permittendo. Aliter tamen dici potest, Deum iussisse commodatò accipere, deinde retinere tamquam à supremo Domino eis donata; vel tamquam mercedem laborum, secundùm illud Sapientiæ 10. *Reddidit iustis mercedem laborum suorum*: quod etiam subiungit Augustinus; vel denique tamquam spolia hostium, secundùm quod Sapiens ibidem dicit: *Iusti tulerunt spolia impiorum.*



*Obiect. 6.* Objcit Sextò, Error potest esse sine peccato, vt docet Augustinus dicto cap. 17. Enchiridij: ergo potest Deus inducere in errorẽ, etiamsi non possit esse auctor peccati.

Respondeo, non solùm oportere considerare quid Deo repugnet vt summa bonitas est, quomodo ei repugnat esse auctorem peccati; sed etiam quid ei repugnet vt prima veritas est, quo modo ei repugnat esse deceptorem, etiam in illis veritatibus quæ ad mores aut fidem non pertinent, quales sunt Mathematicæ. *Est enim* (inquit Auguſt. nuper citatâ quæst. 53.) *pater veritatis & veritas, & spiritus veritatis: dignis tamen digna tribuens, (quoniam hoc quoque pertinet ad iustitiam & veritatem) vitur animis pro meritis & dignitatibus quæ sunt in gradibus earum; vt si quisquam dignus est decipi, non solùm per seipsum eum non decipiat, sed neque per talem hominem qui iam congruenter diligit, & custodire perstitit, Sit in ore vestro, Est, est; Non, non.* Ex quo loco Augustini perspicuum apparet, ipsum fuisse alienum ab opinione quorumdam quam reiecimus 1. 2. q. 29. a. 3. dicentium, Deum posse esse auctorem cæcitatis & erroris in mente, sicut est causa cæcitatis in corpore.

## DVBIVM II.

### *An fides infusa possit inclinare ad assensum falsum?*

Ex dictis satis constat, fidei assensum non posse esse falsum. Hîc quæritur, an possit esse causa assensus falsi? Fuerunt enim qui id asserent, his ferè argumentis.

*Argumentum 1.* Primum, Prudentia infusa potest se inclinare ad iudicium speculatiuè falsum: v. g. ad hostiam non consecratam, sed expositam pro consecrata, adorandam: ergo & fides.

2. Secundum, Ex maiori de fide & minore falsa, sequitur conclusio falsa: atqui maior est causa conclusionis: ergo, &c.

3. Tertium, Faciamus Episcopos alicuius prouinciæ conspirare in articulum hæreticum de Trinitate, eumque idiotæ alicui proponere: idiota ille huic falso articulo videtur assensum præbiturus ex inclinatione fidei infusæ, per quam propendet ad amplectendum quemcumque à Deo reuelatum articulum, qualis hic esse prædicatur ab illis quibus ipse credere tenetur.

Nihilominùs tamen respondeo, quòd omnino certum sit, fidem nullo modo, neque per se neque per accidens, posse dici causam assensus falsi, aut ad illum inclinare. Prior pars probatur, quia habitus non inclinat ad aliquid quod non informetur ipsius obiecto formali: atqui nihil falsi potest informari ratione reuelati à veritate prima, vt patet ex dictis: ergo fides ad falsum non inclinat. *Fides non potest esse causa assensus falsi.*

Dices; Etiam intellectus habet pro obiecto verum, aliquando tamen inclinat ad falsum assensum apparenter verum: ergo similiter fides.

Respondeo, antecedens non esse verum. Potentia enim intellectus, vt est principium iudicatiuum, numquam inclinat ad falsum. In lumine enim rationis naturalis, quod sequitur naturaliter intellectus, numquam aliter res apparent quàm sunt; ideoque error non est effectus huius luminis, sed potiùs sequitur ex declinatione à lumine, & præsumptione obscurati cordis, apparentiam veritatis pro veritate amplectentis. Secundò probatur; Deus est auctor fidei, ergo fides non inclinat ad falsum: alioqui enim ipse Deus duceret in errorem, & esset causa falsi assensus. Si dicas liberi arbitrij Deum esse causam, illud tamen non obesse quo minùs ipsum propensum sit ad omnem malitiam: respondeo, liberum arbitrium esse facultatem liberam & indeterminatam. De causa autem libera verum non est, quidquid ipsius est causa, etiam esse effectus causam: inclinatio autem luminis fidei est determinata, non libera, quoad specificationem; adeoque si esset in falsum, Deus esset pater mẽdacij. Tertiò, virtus intellectualis non potest esse principium assensus falsi, virtus enim subiectum benè disponit; intellectus autem per errorem malè disponitur; atqui fides est virtus intellectualis, vt patebit infrà q. 4.

Altera pars responsionis, *fidem ne quidem per accidens inclinare in assensum falsum*, patet, tum quia ne quidem per accidens Deus potest esse causa falsi assensus; tum quia explicari non potest modus quo fides influat in eiusmodi assensum falsum, sicut oportet influere causam per accidens. Neque enim fides inclinat per se ad aliquem assensum, ex quo falsitas resultet; sicuti fodiens sepulchrum, aliquid per se attingit, vnde contingit ex rerum connexione resultare inuentionem thesauri. Neque alio simili modo hîc explicari potest causa per accidens, siue ex parte causæ, siue ex parte effectus.

*Resp. ad Argumentum 1.* Ad argumenta respondeo: Ad primum quidem, negando sequelam. Fides enim pro obiecto non habet solam veritatem practicam, sed speculatiuam, quam in beatitudine plenè videbimus: prudentia autem inclinat ad verum practicum, quale est in illo casu, hostiam esse adorandam. Fides ergo, quia virtus est speculatiua simul & practica, non inclinat vllo modo in assensum falsum, neque speculatiuè, neque practicè: prudentia autem, quia est virtus tantùm practica, non speculatiua, inclinare potest in falsum speculatiuè, sed practicè verum.

*Ad 2. Arg.* Ad secundum respondeo, In casu argumenti, non sequitur falsum ex vero, nedum ex vero diuinitus reuelato: quia, vt docet Philosophus, totum antecedens considerandũ est vt integra quædam causa conclusionis; quæ quidem causa defectũ falsitatis habet in consequente, propter defectum similẽ, quem habet in minore falsa. Itaque quòd

quòd inferatur aliquid, maior est concausa; sed quòd aliquid falsi inferatur, non aliunde prouenit quàm ex minore.

*Ad 3. Arg.* Ad tertium respondeo, Non est verisimile hæresim ita posse proponi, vt quis, quamtumuis idiota, teneatur, aut etiam prudenter possit credere. Dei enim prouidentia tam perfectam hæresis propositionem non permittit. Vel enim Sedes Apostolica, vel viri doctrina & sanctitate clari, facilè intelliguntur se opponere falsitati; vel proponentes deficiunt in auctoritate & signis credibilitatis, quæ in rebus supernaturalibus prudentia requirit, ne qui citò credit, leuis sit corde, adeò vt inexcusabilis sit, quicumque existimat firmissimè sibi adhærendum doctrinæ hæreticæ. Addo secundò, etiamsi posset dari casus, vbi prudētia acquisita aut etiam infusa dictaret esse credendum hæresi; ne tunc quidem fidem inclinaturam ad assensum falsum, sed assensus qui sequetur, solùm erit ex fide acquisita, & persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm obiectum fidei possit esse aliquid visum?*

RESPONDET D. Thomas, non posse esse de visis, siue per intellectum, siue per sensum: eò quòd fides non sit eiusmodi assensus qui nobis ingeneretur necessariò ex vi apprehensionis terminorum; quo modo immediatè prima principia, & mediantibus principiis conclusiones scientiarum cognoscuntur: sed talis sit assensus fidei, vt cùm opinione hoc habeat commune, quòd fiat per electionem & liberam determinationem credentis; hoc autem ab ea differat, quòd excludat formidinem de opposito.

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm ea quæ sunt fidei, possint esse scita?*

RESPONDET negatiuè: quia quæ scita, quodammodò visa sunt.

Circa duos istos Articulos Dubia aliqua occurrunt.

### DVBIVM I.

### *An vera sit doctrina D. Thomæ, vnum & idem ab eodem non posse esse simul fide diuina creditum, & visum aut scitum?*

### SECTIO I.

### *Opinio D. Thomæ cum suis argumentis.*

CLARISSIMA est opinio D. Thomę, quam etiam Scoti schola recepit, non posse ea quæ sunt fidei, ab eodem simul esse visa vel scita & credita; quamuis in vno & eodem obiecto possit quis aliquid scire aut videre, aliud autem credere: quamuis etiam sub communi ratione credibilis, considerata ea quæ creduntur, visa dici queant ab eo qui credit: quamuis denique à diuersis, aut etiam ab eodem successiuè tam in hac vita sola, quàm in hac & futura, idem possit esse visum aut scitum & creditum. Probatur hæc sententia in primis Scripturis sacris, quæ dicunt, fidem esse substantiam rerum sperandarum, ar-
Heb. 11. gumentum non apparentium. Item opponunt fidem visioni 2. ad Corinth. 5. *Per fidem enim ambulamus & non per speciem.*

Secundò, Probatur ex Patribus. Hilarius lib. 8. de Trinitate: *Habet non tam veniam quàm præmium, ignorare quod credas; quia maximum fidei stipendium est, sperare quod nescias.* Augustr. tractatu 41. in Ioannem: *Quid enim fides, nisi credere quod non vides?* item quæst. 68. ex 83. *Merces cognitionis meritis redditur, credendo autem meritum comparatur.* & quæstione 75. *Imperfecta in eum nostra visio, perfecta visione perimitur.* Gregorius homilia 26. in Euangelia: *Nec fides habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.* & infrà: *Quæ etenim apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem.* Idque colligit ex dictis verbis Apostoli Chrysostomus ad eadem verba, homilia 21. in epistolam ad Hebræos: *Papæ! Quali dictione est vsus, dicens, Argumentum non apparentium, id est eorum quæ non videntur. Argumentum enim est in iis quæ sunt valdè manifesta. Fides ergo (inquit) est aspectus eorum quæ non sunt manifesta; & ea quæ non videntur, ducunt ad eamdem certam ac plenam persuasionem, ad quam quæ videntur.* & infrà: *Si est ergo argumentum eorum quæ non videntur; quid ea vultis videre, vt à fide excidatis, & ab eo quod iusti sitis, siquidem iustus ex fide viuet?*

Tertiò, Probatur ratione. Non minùs repugnat fidei visio quàm spei. Spei autem ita repugnat, vt quod videt quis, sperare idem non possit, secundùm illud Apostoli ad Romanos c. 8. *Quod videt quis, quid sperat?* Ergo similiter dici potest: Quod videt quis, quid credit?

### SECTIO II.

### *Aliæ opiniones & ipsarum argumenta.*

*Error Manichæorũ.*

VNA hîc est opinio, seu potiùs error: non solùm posse, sed debere, quidquid creditur, euidenter videri simul, aut sciri; adeoque nihil esse credendum, quin apertè videatur, sciatur aut intelligatur. Videtur fuisse Manichæorum, vt patet ex Augustino, libro De vtilitate credendi, capite primo. Dicebant enim, se neminem premere ad fidem, nisi priùs discussa, enodata, ac euidenter comperta veritate. In argumentum trahebant, quòd inhumanum videatur, hominem terribili auctoritate ac superstitione terreri; eique fidem ante rationem imperare, vt Catholicos facere calumniabantur.

*Opinio Bonauenturæ.*

D. Bonauentura in tertium distinct. 24. negat quidem posse esse fidem de eodem secundùm idem, de quo sit visio aut sensus exterior simpliciter, ita vt dicatur sensu exteriore clarè & perfectè cognosci; aut de quo sit scientia talis, quæ simpliciter excludat ænigma, qualis est cognitio Dei in patria; & hoc modo dicit intelligendam Sanctorum auctoritatem, & rationem Theologorum, quæ habet, idem non posse esse creditum & visum aut scitum: dicit tamen fidem habitualem posse esse simul de eo quod scitur scientia ratiocinationis; adeoq; posse quempiam hac scientia scire, Deum esse, & idem nihilominùs credere. Ratio ipsius est, quòd hæc scientia ratiocinationis, quamuis aliquam faciat certitudinem & euidentiam; non tamen omnino claram, quamdiu sumus in via, ita vt non sit superuacanea illumina-



minatio fidei, sed potiùs necessarium vsum habeat, etiam vbi aduenit, aut præsupponitur hæc scientia.

*Opinio Gabrielis.*

Gabriel eadem distinctione, videtur simpliciter admittere, fidem posse esse cum visione & scientia. Quod probat: Quia fides non ita pugnat cum visione aut scientia, sicut actus intemperantiæ cum habitu temperantiæ, aut habitus scientiæ cum habitu erroris. Cùm itaque fieri possit, vt habitu sciens aut temperans, admittat vnum aliquem erroris aut intemperantiæ actum: non videri impossibile, eum qui præditus sit habitu fidei infusæ, circa idem obiectum, elicere actum scientiæ aut visionis. Gabrielis modum loquendi præfert Valentia opinioni D. Bonauenturæ, & probabiliorem putat hanc opinionem, quæ simpliciter admittit, quod creditur etiam sciri aut videri posse.

### SECTIO III.

### *Verior sententia cum suis probationibus.*

CERTVM hîc in primis est, actum fidei non cõsistere simul cum actu scientiæ: quia contingit plura scire (inquit Philosophus,) cogitare autem non. Intellectus enim noster ad plura, perfectè saltem, & vt plura, simul cogitanda, non sufficit; quasi vna consideratione, tamquam actu vitali, potentia exhauriatur. Neque id mirum, cùm etiam vnius potentiæ operationem, alterius intẽsiori actu videamus impediri, propter vnius & eiusdem animæ influxum. Vnde fortassis etiam fit, vt audiant acutiùs qui non vident. Cùm itaque eadem res non credatur simul & sciatur, nisi distinctis actibus considerentur diuersa media; manifestum est id esse impossibile.

Secundò, Certum est etiam, cognitiones eiusdem rei, quæ habentur per diuersa media, posse sibi mutuò succedere. Quod similiter dicendum est de fide humana, & alia cognitione opinatiua aut sensitiua imperfectiori: quomodo multa in philosophia nunc credimus propter Aristotelis auctoritatem; nunc opinamur, propter vtcumque conceptam aliquam rationem, aut sensus aliqualem experientiam suffragantem. Attamen cùm in humanis aliquando videamus, accedente euidentia cessare fidem; verbi gratia, si veniam Constantinopolim, non ampliùs eam esse credo, sed video; non parum conduxerit difficultati propositæ enodandæ, si examinauerimus, ánne hoc perpetuum sit, vt intellectus noster non moueatur medio ineuidenti, quando acquisiuerit euidens? Perpetuum esse, videtur sentire Almainus sæpè citata distinctione 24. in 3. Dicit enim intellectum magis propendere natura sua ad euidentem assensum quàm ad ineuidentem; ideoq; quandocumque applicatur causa veritatis euidens, intellectum agere cum ea, & non esse natum agere cum altera eiusdem veritatis causa ineuidenti, quę fidem vel opinionem gigneret, etiamsi simul ea fortè concurrat. Quod extendit etiã ad casum, quo causa euidens esset debilior: vtrumque enim vult esse naturale & necessarium intellectui, vt posita causa aut medio euidenti, assensum præbeat; & assensum euidentem nactus, declinare non possit ad assensum ineuidentem, quem non nisi liberè etiam aliàs habet.

Aliter tamen dicendum est, non esse id perpetuum; & quomodo discernatur, an sic an aliter fiat, operæ pretium fuerit huiusmodi regulam statuere.

*Regula.*

Quandocumque cognitio euidens superat certitudine, aut sanè adæquat ipsam fidem; naturale est omnino intellectui, vt huiusmodi euidentiam consequutus, abijciat fidem: sicut in meridiana luce abijcimus lumen lucernæ; aut à claudicatione sanatus, abijcit sustentacula, &c. Cùm itaque fides diuina, certitudine superet omnem visionem & scientiam, quæ de eisdem obiectis in hac vita haberi potest: probabilius est habitualem fidem non euacuari, etsi fortè contingat scientifica collectione idem sciri; neque è contrà perire scientiam aut habitualem experientiam, etsi fides superuenerit. Hanc sententiam tenuit D. Bonauentura ex eodem fundamento; quamuis ipse videatur existimasse, quòd sensus cognitio intuitiua non minùs sit certa quàm fides diuina, ideoque non possit cum ea consistere. A qua opinione non videtur fuisse alienus Magister. Verùm hoc dicendum non esse, infrà ostendemus suo loco.

Confirmatur hæc sententia: Dixerat Christus se resurrecturum, crediderunt Discipuli; quando posteà viderunt ipsum resurrexisse, non propterea amiserunt fidem illius articuli, *Resurrexit à mortuis*: præcipuè cùm meliùs disponamur per fidem quàm per huiusmodi visionem: certior enim est fides. imò etsi ipsam Domini resurrectionem vidissent, potuissent nihilominùs retinere fidem eiusdem articuli: recordantes enim eam sibi fuisse prædictam, potuissent induci ad eliciendum actum fidei, etiam eo tempore quo videbant.

Secundò, meliùs est dispositus (quidquid dicat Caietanus) qui credit Deum esse fide diuina, quàm qui idem nouit per demonstrationem. Certiùs enim nouit per fidem: atqui non est probabile, eo ipso quo fidelis, qui iam priùs credebat Deum esse, secundùm illud ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*, & per demonstrationem incipit scire Deum esse; incipere peiùs esse dispositum quàm erat priùs. Erit autem peiùs dispositus, nisi retineat fidem, cuius adhuc magnus est vsus ad habendam maiorem firmitatem assensus, quàm haberi queat per solam huiusmodi scientiam, vt benè expendit Bonauentura.

Tertiò, D. Augustinus quæst. 48. ex octoginta tribus, facit tria genera credibilium: vt alia semper credantur, numquã sciantur; qualia sunt quæ in humanis historiis discimus: alia mox vt creduntur, intelligantur; qualia, inquit, sunt ea quæ de diuinis rebus non possunt intelligi, nisi ab his qui mundo sunt corde. Vult itaque Augustinus multa in hac vita à mundis corde posse vtcumque sciri, etsi fide qua cor mundatur credantur.

### SECTIO IV.

### *Soluuntur obiectiones pro contraria opinione.*

EX triplici capite potest peti solutio obiectionum contrariarum, sectione prima propositarum. Aliquæ enim auctoritates obiectæ hoc solùm volunt, quòd fides non requirat visionem aut scientiam, neque ea nitatur, sed Dei auctori-

tate; sic tamen vt certissimum habeat assensum. Propter quam certitudinem asseuerantissimè ea quæ fide credebat, dicebat se scire B. Iob cap. 19. *Scio enim*, inquit, *quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Similiter & Martha cap. 11. Ioannis: *Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die.* Hoc modo accipi potest locus ad Hebræos, & testimonium Chrysostomi. In quo obserua, non dici eos excidere à fide, qui vident quod credunt; sed qui videre cupiunt, aliàs non crediturí. Patet hoc ex eodem Chrysostomo in cap. 20. Ioannis, ad illa verba: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: Atqui, inquies, Discipuli viderunt & crediderunt: at nihil tale quæsierunt; sed ex sudario statim resurrectioni, priusquam intuerentur corpus verè crediderunt.*

Aliæ autem sunt auctoritates, quæ solùm volunt meritum fidei consistere in eo, quòd credatur id quod non apparet. Quod enim apparet euidenter, non liberè creditur, sed necessariò agnoscitur; adeoque sine merito: quia meritum requirit libertatem. Hoc voluisse Gregorium, omnino perspicuum est.

Aliæ denique solùm volunt, fidem non consistere cum visione beatifica, quæ omnino fidem euacuat: sicut fidem humanam euacuat visio perfecta, & omnimoda sensus. Vbi nota, fidem quoad habitum, per Dei potentiam posse conseruari cum actu visionis Dei intuitiuæ; & fortè in D. Paulo, Deum in hac vita vidente, ita contigit. Nota secundò, opinionem & fidem humanam cessare, quando visio aut scientia perfecta de eodem obiecto succedit; eò quòd neque propter euidentiam, neque propter certitudinẽ eis opus sit: non autem excludere se mutuò fidem diuinam & euidentem huius vitæ cognitionem; quia cùm intellectus noster non inueniat euidentiam & certitudinem in vtroque, per scientiam suppletur fidei ineuidentia, & per fidem suppletur quod deest in scientia omnimodæ certitudinis.

## DVBIVM II.

### *Quomodo non visum pertineat ad obiectum fidei?*

PATET ex dictis, esse aliquam visionem quæ tollat fidem. Non visum itaque pertinet ad obiectum fidei, quatenus vt inhæreatur obiecto propter auctoritatem reuelantis, oportet ipsum obiectum non videri. Probatur: Obiectum formale fidei est auctoritas primæ veritatis reuelantis, vt suprà dictum est: vt autem inhæreatur alicui credito propter auctoritatem primæ veritatis, necessum vt non clarè illud videatur, ea visione quæ adæquet certitudinem primæ veritatis reuelantis. Vnde patet ex eo quòd non visum pertineat ad formalem rationem obiecti fidei; non esse consequens, eo ipso quo aliquid quouis modo videtur, desinere esse creditum: aut eo ipso quo non videtur, incipere credi: aut denique, quando creditur, non visum esse motiuum aliquod propter quod credatur. Est ergo non visum, non ratio formalis obiecti fidei simpliciter & propriè; sed aliquid in ea inclusum, quo compleatur specifica ratio fidei. Neque id mirum, ad fidei rationem pertinere hanc negationem perfectionis; cùm fides sit ex parte etiam cognitio essentialiter imperfecta. Ideoque specificus eius gradus non constituitur sine implicita saltem negatione perfectioris cognitionis specie differentis, quæ est visio beatifica.

Nota, rectè D. Thomam a. 6. dicere, non visum esse rationem formalem credibilium ex parte nostra: ex parte enim credentis debet considerari, an res quæ creditur sit non visa. Quamuis enim in obiecto consideretur ratio non visi, quæ ipsum ponat in certo genere cognoscibilis; hoc tamen prouenit non ex parte rei creditæ, sed credentis. Cùm itaque auctoritas loquentis Dei, vt nata constituere rem cognoscibilem à nobis, respectum habeat ad nostrum intellectum: fit, vt ipsa determinetur ex hoc ipso respectu; adeoque à nostro intellectu, tamquam à suo correlatiuo. Neque id insolens videri debet, quod ex nostro modo intelligendi, obiecta cognitionum varientur: quia ex nostro modo cognoscendi & abstrahendi à materia, etiam obiecta scibilium differentias specificas sortiuntur: magnitudo enim mobilis, pertinet ad obiectum Physices: abstracta autem à motu, ad obiectum Mathematices.

Ex his facile erit respõdere ad argumenta Durandi & aliorum, qui contendunt, non visum non esse formalem rationem credibilis. Procedunt enim hactenus, quòd non fit simpliciter ratio credibilis ex parte ipsius rei creditæ; quomodo sola veritas prima est ratio formalis fidei: sed non concludunt, non visum non esse rationem formalem fidei, tamquam conditionem quamdam, sumptam à parte credentis, sine qua ratio formalis credibilis non applicetur obiecto materiali. Auctoritas enim Dei loquentis, respectu beatorum Angelorum videntium clarè Deum & mysteria fidei, non potest considerari, vt ratio formalis fidei in eo obiecto, quod fortè ipsis videntibus, Ecclesiæ credendum reuelatur; sed solùm in viatoribus, qui Deum non vident.

## DVBIVM III.

### *An liber & non sine pio affectu sit assensus fidei diuinæ?*

PRIMA Propositio: Actum credendi ita esse in potestate credentis, vt propriæ libertate voluntatis assensum præbeat, quamuis non sine motione & auxilio gratiæ, certissimum dogma fidei est. Et habemus in Concilio Arausicano can. 5. Toletano 4. can. 55. Tridentino c. 5. & 6. de Iustificatione. Probatur 2. ad Corinthios 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* ad Romanos 10. *Corde creditur ad iustitiam*, id est, ex voluntate. Lucæ 24. *O stulti & tardi corde ad credendum.* Idem docent PP. Cyprianus ad Quirinum lib. 3. cap. 52. Augustinus tractatu 62. in Ioannem: *Credere non potest nisi volens.* Hilarius lib. 8. de Trinitate: *Non haberet fides præmium cùm fidem nobis necessitas affixæ voluntatis inferret.* Videntur præter hæreticos contra hanc Propositionem sensisse quidam etiam Scholastici, qui voluerunt voluntatem non posse resistere fidei, aut non posse resistendo impedire assensum fidei. Contra quos agit Ariminensis q. 1. prolog. a. 4. Et facillimè confutantur, quia aliàs, etiam infidelis habens notitiam terminorum, & conceptum apprehensiuum propositionis fidei, inuitus propelleretur ad assensum, sicuti fit in cognitione primorum principiorum



rum naturalium: atque ita nullus esset positiuè infidelis.

Secunda propositio: Non solùm requiritur ad fidem ne voluntas resistat, sed etiam vt imperet assensum. Est contra Scotum in tertium, distinctione 25. qui requirit quidem ad fidem ne voluntas resistat intellectui, & fatetur posse resistere; sed videtur existimare, non esse necessarium vt positiuè imperet actum fidei.

Contrà communiter alij docent, etiam hoc esse necessarium, vt mediatè vel immediatè assensus fidei pendeat ab imperio voluntatis, non tantùm naturali, quale etiam reperitur in fide humana, quod Scotus non videtur negare, sed supernaturali. Quãdo enim propositio non est nota per se, oportet nota sit ex alia; quæ si per se nota sit, etiam altera inde sequens erit euidens. Cùm itaque fides sit ineuidens assensus, oportet neque sit de propositione per se nota, formaliter loquẽdo, neque de tali quæ sequatur ex nota per se euidẽter. Opus ergo est, vt voluntatis electione suppleatur quod deest euidentiæ ex parte intellectus; idque per auxilium gratiæ: quandoquidem non minùs certus adhibendus assensus, quàm si res credenda esset euidens: qui tantæ certitudinis assensus, solis naturæ viribus à voluntate non imperatur, sed oportet Deus gratia sua tangat cor & voluntatem hominis qui crediturus sit, neque sufficit quòd intellectum illuminet.

Tertia propositio: Neque tamen semper potest homo, quando libet, assentiri contrario eius quod fide credendum est. Ratio est: quia, vt benè Scotus, vbi res est ineuidens, non potest voluntas in vtramuis partẽ assensum determinare; sed opus est pro illa, ad quam determinet, habeat argumẽtum. Alioqui posset quis pro libitu iudicare, stellas esse pares aut impares, Regem nunc sedere aut stare.

Quarta propositio: Affectus ille qui est necessarius imperando assensui fidei diuinæ, pius est; neque tamen necessariò est actus charitatis, vt hæretici volunt: qui ex eo quòd requiratur pius affectus ad fidem, imperitè colligunt fidem sine charitate esse non posse. Rectè enim dicit Augustinus epistola 107. *Vbi est initium fidei, etiam esse initium bonæ & piæ voluntatis.* Qui tamen alibi docet fidem posse esse sine charitate, vt patebit infrà quæst. 4. a. 4.

*Obiectio.* Contra iam dicta obijciet quispiam ex epistola Iacobi, dæmones credere; quos constet id neque liberè neque ex pia affectione facere. Sed

*Responsio. Fides dæmonum.* respondeo, fidem dæmonũ esse assensum, euidentia rerum extortum; non autem esse argumentum non apparentium, vt est fides diuina, de qua agimus.

*Obiectio.* Dices; Fides diuina habet hoc commune cum humana, quòd sit ineuidens: in fide tamen humana videmus sæpè assensum non requirere imperium aliquod voluntatis, vt patet in fide qua eredimus mundum ante nos fuisse, hos esse patres nostros, & similia, de quibus Augustinus libro de vtilitate credendi, c. 12. Ergo neque semper requiret fides diuina tale imperium voluntatis.

*Responsio.* Respondeo, negando sequelam: quia in fide acquisita potest esse peculiaris quędam euidẽtia, nata ex discursu, & roborata euidentibus testimoniis & effectis; quæ euidentia quasi naturaliter propellat hominem ad assensum credulitatis humanæ. Immiscet se itaque isti fidei acquisitæ quædam experimentalis cognitio, quæ non est fides: alioqui fides præcisè per se non determinat intellectum, nisi interueniente voluntate.

## DVBIVM IV.

### *Sitne verum quod dicit S. Thomas art. 4. ad secundum, Creditum fide diuina non esse euidentis veritatis; esse tamen debere euidentis credibilitatis.*

SVPPONO Primò, Obiectum fidei à nobis credi non posse, nisi nobis proponatur. Sicuti vt quidquam videamus, non est satis ipsum esse visibile, ac nos videndi facultate ac instrumento non carere; sed opus est ipsum obiectum potentiæ videndi debito modo applicari ac proponi.

*Propositio credendorũ fit variis modis.* Suppono Secundò, Credendorum hanc propositionem variis modis posse fieri. Primò, Deo immediatè reuelante; quomodo Angelo saltem primò facta est. Secundò, per interiorem & occultam inspirationem. Tertiò, per Angelum. Quartò, per assumptam hypostaticè humanam naturam. Quintò, per institutionem & prædicationem hominũ à Deo ad hoc destinatorum.

Suppono Tertiò, Necessarium fuisse primam fidei reuelationem immediatè fieri à Deo alicui vel homini vel Angelo; quamuis non fuerit necessarium, vt fide is homo vel Angelus huiusmodi reuelationi adhæserit. Potuit enim clara visione, aut scientia infusa cognouisse; & aliis porrò credenda, quæ clarè ipse nouerit, proponere.

Suppono Quartò, Non esse necessarium, vt fiat vnicuique fideli immediata illa reuelatio, siue per se, siue per assumptam humanitatem loquentis: sed satis esse, per homines ad hoc à Deo missos fidem proponi, Deumque intus immediatè hominem docere: quomodo suprà articulo primo diximus, omnem fidelem doceri à Deo.

## SECTIO I.

### *Quod fide diuina creditur, debere esse euidentis credibilitatis.*

VT quis prudenter credat, oportet talis sit fidei propositio, qua euidẽter videat res fidei esse credibiles & credendas. Ita D. Thomas, & communiter Theologi. Probatur: Qui dubitat an sit credendum quod credendum proponitur, non potest præbere assensum: oportet ergo certus sit, istud esse credibile. Certus autem non est per fidem; quia in illo instanti naturæ, ponitur nondum credere: oportet igitur certus sit per euidentiam, præcipuè quando omnino certam fidem vult adhibere. Confirmatur ex Sacris litteris. Ecclesiastici 19. *Qui credit citò, leuis corde est.* Ioannis 15. *Si opera non fecissem in eis quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent.* Secundò, Probabile esse probabile, non tantùm est probabile, sed certum & euidens: ergo similiter, quod creditur esse credibile, potest esse euidens. Tertiò, huc facit illud Augustini epistola 102. c. 4. *Christi resurrectionem non videt, sed credit; & tamen eam videre dicitur quodam mentis intuitu, magis secundùm testimoniorum fidem, quàm rerum præsentium creditarum.*

*Obiectio.* Obijcies; Quod euidens est esse credibile, etiam euidens est non esse impossibile: ergo est euidens esse possibile: ergo, quando de attributis Dei agitur, euidens erit esse verum. Posse enim & esse non distinguuntur in æternis, vt docet Philosophus. *Libro 3. Physic. c. 4.* *Respons.* Respondeo, primum antecedens non esse verum: sicuti enim quod euidens est esse credibile, non continuò euidens est esse; ita neque est euidens non esse impossibile, aut esse impossibile; sed solùm est euidens posse credi: ad quod requiritur ne sit euidens esse impossibile, aut ne sit euidens non esse, aut non esse possibile.

*Obiect. 2.* Obijcies secundò, Rudiores non videri habere hanc euidentiam, qui tamen prudenter credunt. *Resp.* Respondeo, etiam ipsos habere euidentiam de rerum fidei credibilitate, quæ tantò in eis est facilior, quantò minùs ipsis argumenta contra fidem occurrunt; præsertim cùm sciant doctiores in Ecclesia esse & perspicaciores, quibus hæc euidentia sit explorata, & à maioribus se hanc fidem accepisse, & ab omnibus in Ecclesia Catholica teneri, quam certissimò nouerint falli non posse.

## SECTIO II.

### *Vnde oriatur hæc euidentia credibilitatis.*

Divvs Thomas articulo quinto ad primum, dicit, per lumen fidei videri, ea quæ sunt fidei, esse credenda: articulo autem quarto ad tertium, dicit, quòd lumen fidei, faciat ea videri, quæ creduntur; & per habitum fidei mentem hominis inclinari ad reuelanti assentiendum, sicut per alios habitus: homo videt sibi conuenientia, secundùm illum habitum. Verùm contra hanc doctrinam, difficultatem parit, quòd euidentia credibilitatis sic debeat explicari, vt etiam ante fidem habeatur: item quòd hæc euidentia nitatur discursu, quo fidem constat non vti.

Dico itaque, hanc euidentiam non procedere ex habitu fidei, quasi ab illo eliciatur ipse assensus euidens, cùm ex fide procedat solùm assensus ineuidens. In homine tamen iam fideli, tribuitur euidentia illa habitui & lumini fidei: efficit enim fides vt attendat fidelis, & amplectatur argumenta credibilitatis. vnusquisque enim prout habitibus est dispositus, rationes sibi format. *Qualis enim quisque*, inquit Philosophus, *talis ei videtur finis*. Sic temperans faciliùs iudicat viuendum esse temperanter; non quòd illud iudicium eliciat ex habitu temperantiæ qui residet in appetitu, sed inclinato per temperantiam ad benè iudicandum intellectu. Atque hæc est mens S. Thomæ. Quando autem infidelis primò incipit credere, dici non potest quòd ex habitu fidei ipse habeat euidentiam credibilitatis illius quæ fidem præcedit; sed habet concurrentibus signis exteriùs: verbi gratia, si proponens fidem signa faciat quæ nullus alius fecit: & interiùs, partim concurrente discursu naturali, partim etiam præuenientis gratiæ illustratione, qua cor eius aperiatur, vt intendat illis quæ dicuntur ab eo qui fidem proponit; sicut istius Lydiæ purpurariæ, Actorum 16.

## SECTIO III.

### *Esse euidens, fidem Catholicam Romanam esse credibilẽ, & quæ sint huius euidẽtiæ signa.*

Evidens esse quòd credenda sit Catholica fides, testatur Psalmus 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Argumenta autem quibus comparetur eiusmodi euidentia, in quinque classes contrahi possunt; vt prima complectatur quæ sumũtur ex parte eius cui creditur: secundæ classis sint quæ sumuntur ex parte eorum qui credunt: tertiæ, quæ ex parte eius quod creditur: quartæ, quæ ex parte eorũ qui non credunt: quintæ, quæ ex modo propagatæ & stabilitę fidei.

### *De miraculis.*

Ad primam classem in primis reuocatur argumentum quod sumitur ex miraculis, nitens eiusmodi ratiocinatione: Fides miraculis confirmata, est credenda: talis est Catholica Romana: ergo credenda.

Probatur maior: Miracula enim sunt proprium opus Dei, sicut sigillum est proprium opus Principis: vt rectè dixerit Richardus de S. Victore libro 1. de Trinitate cap. 2. *Nónne cum omni confidentia Deo dicere poterimus: Domine, si error est, à te ipso decepti sumus? Nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.*

Confirmatur primò ex Sacris litteris, quæ sæpè indicant, illud non solùm prudenter posse credi, sed etiam debere credi quod miraculis comprobatur. Ioannis 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Ioan. 3. *Scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ioan. 5. *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Et hoc dicit esse testimonium maius Ioanne. 3. Regum 17. mulier illa, cuius filium suscitauerat Elias propterea dicit, *Nunc in isto cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo verum est.* Sequenti cap. 18. ipse Elias videtur hoc idem voluisse, quando ad faciendum miraculũ prouocat prophetas Baal, dicens: *Deus qui exaudierit per ignem ipse sit Deus.*

Confirmatur secundò idem ex Patribus. Chrysostomus homilia 39. in Ioannem: *Opera etiam insanis persuaderent, ideò ipsorum adduxit testimonium.* & homil. 60. obseruat etiam Iudæos hoc sensisse, quando dicebant: *Non potest homo peccator hæc signa facere, non potest dæmonium cæcorum oculos aperire. Nemo potest talia signa facere, nisi fuerit Deus cum eo.* Item quando videtes signa quæ faciebat, dicebant: *Numquid hic est Christus?* Isidorus l. 1. de summo bono c. 24. *Tunc oportebat mundũ miraculis credere.* Aug. de vtilitate credendi c. 16. de miraculis Christi agens; *Omnia*, inquit, *hominibus maiestatis testimonio consulebãt*, &c. Greg. hom. 4. in Euang. *Adiuncta sunt prædicatoribus sanctis miracula, vt fidem verbis daret virtus ostensa; & noua facerent, qui noua prædicarent.* Nyssenus de vita Moysis: *Iisdem miraculis hostes expugnantur, fideles muniuntur.*

Probatur minor ex Augustino lib. 22. de ciuitate c. 5. *Si verò per Apostolos Christi, vt eis crederetur Resurrectionem & Ascensionem Christi prædicantibus, etiam ista miracula facta esse non credunt; hoc nobis vnum grande miraculum sufficit, quòd ea terrarum orbis sine vllis miraculis credidit.*

Vtitur



Vtitur hoc eodem argumẽto, & latiùs idem probat Augustinus eodem lib. c. 8. item de vtilitate credendi c. 14. 16. & 17. & contra epistolam fundamenti c. 4. Arnobius lib. 1. contra gentes. Iustinus, aut quicumque est auctor, respõsione ad quæstionem 100. à Gentibus positam. Guitmundus lib. 3. de Eucharistia: *Si miracula non recipiunt, hostes Ecclesiæ se declarant.*

*Argumentum contra hæreticos.* Potest simile argumentum contra hæreticos formari hoc modo: Quandocumque voluit Deus orbi inuectam aliquam doctrinam dissidentem à doctrina vulgò recepta, numquam id per homines fecit destitutos virtute miraculorũ: atqui nostri hæretici virtute miraculorum prorsus destituuntur: à Deo ergo non sunt missi ad nouam doctrinam orbi obtrudendam. Minorem etiam ipsi hæretici admittunt. Probatur maior, *Moyses miraculis claruit.* quia Moyses legem laturus miraculis claruit; & hoc sibi necessarium fuisse, videtur velle iftis verbis, Exodi 4. *Non credent mihi, neque audient vocem meam.* Neque Dominus hanc tergiuersationem reprehendit; sed addicit legato suo signa in testimonium missionis. *Christus.* Christus Dominus legem nouam laturus, Moysen, vt lege, ita & miraculis superauit. *Apostoli.* Apostoli quia gentibus prædicantes Euangelium, quibus nihil priùs erat de Christo annuntiatum, magis noua nuntiabant; etiam maiora his miracula fecerunt, vt Dominus promiserat Ioannis 14. Secundò probatur eadem maior ex Patribus, qui apertè eam asserunt. Tertull. de præscript. c. 30. *Probent se nouos Apostolos esse: sic enim Christus Apostolos solet facere, dare illis præterea virtutem eadem signa edendi quæ & ipse.* Augustinus 22. de ciuit. c. 8. *Possem quidem dicere, miracula necessaria fuisse priusquam crederet mundus, ad hoc vt crederet mundus.* Clemens lib. 8. Constitutionum Apostolicarum c. 1. *Charismata sunt collata necessariò, non ad illorum qui illa exercent vtilitatem; sed ad infidelium persuasionem: vt quos oratio flectere non potuit, commoueat prodigiorum potentia.* Accedit Gregorius suprà alleg. qui requirit, vt noua faciant qui noua prædicant.

*Ad quid miracula sint necessaria.* Sed quæras, ad quid miracula hîc dicamus necessaria; an vt credant homines, an etiam vt teneantur credere? Si etiam vt teneantur credere, vnde proueniat ea necessitas; an ex eo quòd aliunde Dei reuelatio non proponatur; an verò inde, quòd etiam aliunde propositа, ad fidem non obliget?

*Ioannes Baptista miracula non fecit.* Respondeo, Certum est, quando aliunde satis constat de sanctitate prædicatoris, & quæ proponit continentur in libris iam receptis, non opus esse ei miraculis, sicuti contigit in Ioanne Baptista, cui Iudæi tenebantur credere, etiam nullum facienti signum: quamuis ipse austera sua vita tam magnum fuerit signum, vt non solùm sufficerit ad testimonium reddendum de Christo, sed etiam ipse putaretur Christus. Verùm vt ad Christum potiùs attenderent homines, nullũ signum fecit Ioannes. Ne tamen ipsi de lumine testimonium perhibenti auctoritas deesset; miraculosè conceptus est de sterili & vetula, in vtero prophetauit, parens eius subitò mutus, miraculo loquelam recuperat, & de nato puero prophetat. Denique ipse Ioannes suam prædicationem comprobauit, tamquam prædictam per illud Isaiæ 40. *Vox clamantis in deserto*, &c.

Ad Christum autem quod attinet, qui miraculis & prædicatione sua intendit persuadere, se esse Messiam in lege promissum, & non purum hominem, sed verum Deum: quamuis ea fuerit eius sanctitas, vt omnino fidem de his meritus sit fine miraculis; aliunde tamen prouenit, vt nisi fecisset miracula; excusati fuissent Iudæi in eum non credentes: quia nimirum hoc ipsum, tamquam signum Messiæ, prædictum erat, quòd miracula eiusmodi erat facturus, vt patet Isaiæ 35. Vnde & à discipulis Ioannis interrogatus an ipse esset Messias qui expectabatur: non aliud respondit, quàm, *Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant*, &c. Matthæi 11. Quò fortè etiam respexit, quando dixit Ioannis 15. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* & Ioannis 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Quamuis non hæc illo sensu accipienda sint, quasi Christo Domino non fuerit debita fides, antequam omnia signa perfecisset: debita enim ei fuit, quando cœpit miracula facere, & talem se exhibere, vt quod reliquum erat in signis Messiæ, meritò ab eo fuerit expectandum. *Christus debuit facere miracula.*

*Necesse est vt miracula faciat qui noua prædicat.* Existimo itaque, illis qui noua prædicant, quales sunt hæretici nostri temporis, necessarium esse, vt miracula faciant, non solùm ad hoc vt homines eis credant; sed etiam, vt vel teneantur eis credere: præcipuè cùm illa quæ ipsi conuellere volunt, magnis miraculis stabilita sint: & nullo modo de Dei prouidentia sit existimandũ, quod quæ miraculis confirmauit, velit ab impiæ & palàm sceleratæ vitæ hominibus euerti, sine vllo signo diuinę missionis: eo etiã accedente, quòd ipsi hæretici fateantur miracula esse instar literarum quas vocant Credentiæ, sine quibus non sit credendum reformatori religionis vulgò receptæ, extraordinariè misso. Ita Brentius in Lucam. Cui satis astipulantur alij, Melanchthon, Musculus, Zwinglius, & ipse Lutherus. Sed respondit Beza, Lutherum non esse extraordinariè missum, quia fuit Doctor in Papatu creatus. Verùm hoc apud sectarios non est aliud, quàm Lutherum ab Antichristo esse missum. Deinde Caluinistæ apertè fatentur, se extraordinariè missos fuisse à Deo, ad Ecclesiæ collapsæ ruinas instaurandas, vt patet in confessione Gallicana, num. 31.

*Obiectio Caluini.* Aliter itaque conatur euadere Caluinus in præfatione Institutionum. Opponit enim, non opus sibi esse miraculis; vtpote qui doceat illam ipsam doctrinam, quam Christus & Apostoli satis miraculis confirmarunt. Addit, miracula quæ pro nobis adferimus quasi in hunc vsque diem fidem nostram confirmantia, talia esse, tam friuola, ridicula, vana & mendacia, vt etiam animum benè alioqui compositum labefactare queant: nec tamen, etsi valdè prodigiosa essent, contra Dei veritatem vllius momenti esse oportere. Ita quidem Caluinus asseueranter magis quàm verè: neque enim omnibus suis libris, quæ assumit, vnquam probare potuit. Deinde hoc subterfugio potuissent vti omnes, qui post Apostolos quindecim iam pænè sæculis fidem Christianam propagarunt. Vsi tamen non sunt; sed illam ipsam quam ab Apostolis acceperant fidem, maioribus nostris prædicarunt, Domino sermonem confirmante, sequentibus signis. Ad hæc, miracula sunt necessaria propter incredulitatem auditorum: atqui

totus orbis Christianus non minùs reclamat doctrinæ Caluinianæ, quàm Christianæ doctrinæ repugnabant Ethnici & Iudæi, cùm primùm annuntiaretur. Adde, quòd non solùm contra infideles, sed etiam contra hæreticos, semper miraculis floruerint Orthodoxi. Vide Cassianum collatione 15. c. 3. vbi S. Macarius prouocat quemdam Eunomianum, ad suscitationem mortui; eoque hac prouocatione profligato, ipse mortuum suscitat. Sic Arius miraculo periit ad preces Alexandri Episcopi. Vide Theodoretum libro 1. historiæ Ecclesiasticæ c. 14. Ita & Simon Magus rogante Petro ex aëre concidit. Denique, nisi Caluinus sibi miracula necessaria existimasset, non tantopere ea affectasset; sed vicit veritas. Apostoli de mortuis viuos faciebant: Caluinus de viuo mortuum fecit, Apostolos in peruersum æmulatus. Testis oculatus Hieronymus Bolsecus in vita Caluini. Idem eisdem ferè verbis hæretecis obiecit Tertull. libro de præscriptionibus c. 30. Quòd verò nostra traducit, pro more suo facit impudenter: cùm etiam hodie talia in Ecclesia Catholica fiant, quæ vim naturæ planè superare compertum sit; ita vt omnino videatur Deus nos excitare, vt testimonia miraculorum contra hæreticos vrgeamus. Insignis porrò est illa petitio principij, qua contra Dei veritatem, quantumuis prodigiosa, nihil valere addit; quasi non esset ei nobiscum contentio, vtri potiùs faueat Dei veritas, Caluino an successioni Sedis Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ: cuius miracula ideò reijciuntur, quia in eius fidei confirmationem fiunt, quæ repugnat veritati quam Caluinus tandem inuenit. Sanè, quando Caluiniani negant necessaria sibi esse miracula, tyrannidem imitantur (parum in hoc Euangelici) impij Mahumetis, qui gladio, non miraculis suam perfidiam volebat propagari; & lege sanxit, suis tamquam Dei verbis, nullo desiderato miraculo, fidem simpliciter adhibendam. Viderint & illud nostri hæretici, qua fronte ita loquantur & scribant, quasi hodie nulla fiant aut fieri credibile sit miracula, nisi à dæmonibus; adeoque miracula nihil esse aliud, quàm notam quamdam Antichristi; eisq; carere, notam esse veræ Christianitatis.

*Maximus Taurinen. sermone 5. in natali Apost.* — *Caluinus miracula affectauit.*

*Reijcitur Caluinus.* — *Caluiniani tyrannidem Mahumetis imitantur.*

Obiicit secundò Caluinus, Donatistarum esse iactare miracula, quos Augustinus propterea vocauerit Mirabiliarios, tractatu 13. in Ioannem, opponens eis ex c. 24. Matth. prædictum esse à Christo, etiam Pseudoprophetas facturos signa. Similia habet idem Augustinus libro de vnitate Ecclesiæ c. 19. item hæresi 24. refert quædam miracula Philumenæ, quæ fuit sectæ Seuerianorum. Respondeo, Hæc obiectio postulat vt breuiter examinemus, an vlli vnquam hæretici vera potuerint facere miracula? Vera voco, quæ superant virtutem creatam, & ope dæmonis fieri non possunt: qualia sunt excitatio mortui, illuminatio cæci nati, sanatio paralytici, & similia. Dico, *Quæ superant virtutem creatam*, non autem, quæ superant virtutem omnis naturæ, aut humanæ naturę; quia quæ solùm superant virtutem humanæ naturæ, non sunt vera miracula, sed solùm hominibus mirabilia: quæ autem Dei virtutę superent, nulla sunt. Vt autem dignoscamus, quænam superent vim naturę creatæ, plura nobis sunt consideranda. In primis considerandum foret, quanta vis insit aquis, succis, terris, gemmis, lapidibus, herbis, lignis, seminibus, frugibus, radicibus, animalibus, ipsique humano corpori. Secundò considerandum, quanta sit potestas dæmonis ad loco mouendas res quascumq; corporeas, saluo ordine vniuersi; quanta eius peritia, quàm probè calleat, penetret, & perspectas habeat vires rerum naturalium, quas separatim, certáve coniunctione aut mixtione adhibita habeant. Tertiò insuper oportet considerare virtutem in rebus naturalibus, quam eo ipso habent, quo assumuntur tamquam instrumenta spiritus Angelici. Potest enim Angelus per res naturales mira concinnatione adhibitas efficere, quod sine ipso numquam producere possent. Eleuantur enim quodammodò tamquam instrumenta, per principale agens; sicut calor naturalis in homine eleuatur, quando per eum anima carnem producit & ossa, quæ ipse sine anima producere non posset: aut potiùs, vt securis iuncta humanæ arti, eleuatur ad faciendam arcam; & ignis iuuatur per artem coci ad faciendum certum modum decoctionis, quem per se numquam faceret. Ita docet S. Thomas 3. contra gentes c. 103. & 1. p. q. 110. a. 2. ad 3. Hinc fit vt dæmon curare possit quosdam morbos humana medicina incurabiles. Oportet tamen, vt seminalis virtus rebus his naturalibus ea sit insita, quæ ex naturæ suæ lege ad eiusmodi effectum producendum proportionem habeat; ita vt Angeli virtus solùm consideretur vt causa sine qua non applicaretur virtus rebus insita ad talem effectum producendum. Si enim desit huiusmodi proportio, vt contingit quando morbus est simpliciter incurabilis, nihil potest potentia aut scientia dæmonis: per se enim dæmon nullam formam potest producere. Cùm enim sit incorporeus, non habet vim per se alterandi materiam: ex materiæ autem potentia, formæ non educuntur nisi præuia certa alteratione. Quia verò animalium perfectorum generatio, naturæ lege alligata est semini eiusdem speciei animalis; fit vt huiusmodi animalia nequeat dæmon sine semine tali producere. Idem est iudicium de productione notabilis membri, aut curatione cæci nati, aut notabilis & perfectæ monstrositatis, ad quam auferendam, constet in nulla re corporea sufficientem reperiri virtutem, quæ dæmoni subseruire queat. Talia enim eiusdem ordinis sunt cum hominis productione, adeò vt extra generationem sic materiam formari, excedat vires naturæ creatæ. Quartò & postremò hîc cõsiderandum est, interdum fieri diuino miraculo, quod idem fieri posset etiam ope dæmonis. Cùm enim constet dæmonem ab eo faciendo impediri per Dei prouidentiam, aut per suam malitiam id facere nolle, meritò ascribitur diuino miraculo.

*Obiectio Caluin. 2.* — *Respons. An haeret. vmquam fecerint vera miracula?* — *Vera miracula quæ?*

*Dæmon per se nullam formã potest producere.*

Hinc colligere licebit quatuor gradus miraculorum. Primus est, quando miraculum superat vires totius creaturæ, secundùm substantiam eius quod fit: quale est quòd duo corpora sint in eodem loco; quod Deus fecit quando ranæ in Ægypto vsque ad lectos Regios per parietes penetrarunt. Quo modo, secundùm traditionem Hæbręorum, accipiendum erit illud Psal. 104. *Edidit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipsorum.* Item quando Christus de virgine natus est, de clauso sepulchro surrexit, clausis ianuis intrauit ad Discipulos; corpus idem intulit cælo; & quotidie

*Quatuor gradus miraculorum.*



die in Sacramento altaris, quãdo quantitatẽ corporis Christi ponit simul cum quantitate panis.

Secundus gradus est, quando miraculum superat vires creaturæ, non secundùm substantiam; sed quia per creaturam ex tali materia, aut in tali subiecto produci non posset: quomodo productio hominis ex limo terræ, aut resuscitatio mortui, est miraculum.

Tertius, quando neque secundùm substantiam, neque secundùm materiam; sed solùm secundùm modum producendi superat: vt si morbus curetur sine vllo medicamento, aut omnino subitò; cùm per vires naturæ non fuerit curabilis, nisi sensim, & adhibito medicamento.

Quartus & infimus gradus erit, quando neque secundùm substantiam, neque secundùm eamdem materiam, neque secundùm modum, est dæmoni effectus impossibilis: sed aliunde constat, non dæmonem, sed Deum mirabilem hunc effectum operari. Constat autem, vt insinuauimus, ex duplici capite: nimirum vel ex prouidentia Dei id exigẽte, quomodo constare poterat 3. Regum 18. ignem qui ad preces Eliæ descendebat, non descendisse ope diaboli, sed virtute Dei: prouidentia enim Dei, quæ non patitur nos tentari supra id quod possumus, exigebat, ne post eiusmodi Prophetæ sui stipulationem, sineretur diabolus exaudire per ignem. Vel sanè ex diabolica malitia, & effectus vtilitate: quo modo quando ad memorias Sanctorum sanitates fiunt, constat illas non prouenire ab inuido hoste humani generis diabolo; nisi fortè & illud simul ad Dei prouidentiam referre malis: sanandi enim, vt & ditandi potestatem, diabolo nunc Deus non permittit; ne homines infirmi tententur supra id quod possunt. In fine tamen mundi, sentiunt veterum quidam infrà citandi, Deum permissurum Antichristo potestatem sanitatum. Quod idem de diuitiis docent Theologi, ex illo Danielis 11. *Dominabitur thesaurorum auri & argenti.* Hoc modo licebit intelligere, dixisse D. Augustinum lib. de vnitate Ecclesiæ c. 19. Mirabilia sanitatum & exauditionum quæ in Ecclesia Catholica fiunt, ideò esse approbãda, quia in Catholica fiunt: non ideò ipsã manifestari Catholicam, quia hęc in ea fiũt. Siquidem respexit Augustinus ad ea mirabilia, quæ vel verè vel apparẽter, etiam dæmonum ope fieri possunt. Neque dicit, vera miracula si fiant, non esse certa signa veræ fidei; aliàs contradiceret ei quod docet de vtilitate credendi c. 17. & contra epist. fundamenti c. 4. sed quando eiusmodi fiunt mirabilia, vt dubium esse queat, sintne vera miracula: potiùs ideò debere iudicari esse vera, quia fiunt in vera Ecclesia, quàm ideò Ecclesiam esse veram, quòd talia in ipsa fiant. Idem iudicium de approbandis nouis miraculis, Ecclesiæ tribuit Tridentinum sess. 25.

*Quatuor gradus miraculorum.*

His prænotatis, tres sunt de proposito dubio distinguendæ sententiæ. Vna simpliciter affirmat hæreticos posse facere miracula; ideoque non esse miracula infallibile signum veræ fidei. Probant autem; partim, quia magi Pharaonis fecerunt miracula similia illis quæ Moyses faciebat; & perfidi Iudæi iam à Deo abiecti, dæmones eijciebant, vt testatur Iosephus libro 8. antiquitatum c. 2. Irenæus lib. 2. c. 5. Iustinus dialogo contra Triphonem. partim, quia Antichristus magna prodigia est facturus 2. ad Thessalonicenses 2. *Cuius est aduentus secundùm operationem satanæ in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus.* partim, exemplis variis ex historia Ecclesiastica, quale est apud Socratem lib. 7. c. 17. de Paulo Nouatiano Episcopo, coram quo repentè disparuit aqua, cùm Iudæus quidam ficto proposito ad Baptismum accederet. Item lib. 1. c. 7. dicit Constantinopoli in magno vrbis incendio, per miraculum Ecclesiam Nouatianorum esse seruatam. De Simonis Magi miraculis videre licet Clementem variis locis, lib. 3. recognitionum, vbi Niceta ita de his loquitur: *Quid peccant qui Simoni credunt, cùm videant eum tanta facere mirabilia. Aut non est mirabile per aërem volare? igni admixtum vnum corpus effici? facere statuas ingredi, canes æneos latrare, & alia his similia? &c.*

*Sententia.*

Secunda sententia negat falsæ fidei præcones facere miracula, nisi in fine mundi. Quæ videtur fuisse sententia Clementis lib. 3. recognitionum citato, post medium; & Auctoris operis imperfecti in Matth. sub nomine Chrysostomi homil 49. qui hac in parte Clementem sequitur & citat. verba eius ita habent: *In fine temporis concedenda est potestas diabolo, sicut in historia Clementis Petrus exponit, vt faciat signa vtilia, & ex ea parte qua priùs facere consueuerant Sancti: vt iam ministros Christi non per hoc cognoscamus, quia vtilia faciunt signa; sed quia omnino non hac faciunt signa.*

*2. Sententia.*

Tertia & verissima sententia est, numquam Pseudoprophetas aut hæreticos fecisse, aut facturos, vera miracula, in confirmationem falsæ suæ doctrinæ. Patet ex supradictis, vbi ostendimus, vera miracula, exhibita in confirmationem alicuius doctrinæ, eam facere verè credibilem & credendam.

*3. & verissima sententia.*

Itaque quod attinet ad miracula Donatistarum quæ Augustinus contemnit: vel ea conficta fuerint, vel talia, vt arte diabolica fieri facilè potuerint; qualia sunt quæ recenset dicto c. 19. de vnitate Ecclesiæ: *Non dicat, inquit, ideò verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius; aut quia homines ad memoriam mortuorum nostrorum orant, & exaudiuntur; aut quia illa aut illa tibi contingunt; aut quia ille frater noster, aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniauit,* &c. Similia habet epistola 165. Miracula Philumenæ certum est virtutem dæmonis non excessisse, vt patet ex præcipuo, quod commemorat Augustinus eadem hæresi 24.

*Reijciuntur miracula Donatistarum.* — *Philumenæ.*

De miraculis magorum Pharaonis alibi diximus, non fuisse ea talia quæ superent vim totius creaturæ: applicando enim actiua passiuis, permissi à Deo dæmones, mira qua pollent celeritate & sagacitate ea patrare potuerunt. Discrimen autem inter sua & Moysis miracula, etiam ipsi magi fassi sunt, & se victos digito Dei agnouerunt.

*Magorum Pharaonis.*

De miraculis perfidorum Iudæorum in eijciendis dæmonibus, illud in primis aduertendum, eijcere dæmones, non esse miraculum secundùm substantiam; nam ex pacto cum superiori dæmone, aut cum illo eodem, potest fieri hæc è corpore eiectio: quamuis ex homine secundùm corpus & animam, dæmon non expellat dæmonem. Aliquando etiam mali non tam eijciunt quàm reuocant dæmones quos ipsi immiserant. Secundò, fieri potest vt in digito Dei, Iudæi perfidi eijciant dæmonia, quæ tremunt ad

*Iudæorum.*

Dei veri nomen, etiam ab impiis vsurpatum:
Marci 9. Lucæ 9. quomodo etiam in Christi nomine aliquando leguntur dæmonia eiecisse, qui ipsum non sequebantur: quomodo etiam hæreticos & schismaticos dicit Augustinus 83. qq. q. 79. per signa publicæ iustitiæ facere miracula; licut milites exauctorati, signis sui Imperatoris nonnullos territant, & aliquid ab eis, quod publicè non iubetur, extorquent. Hi ergo Iudæi vel per priuatos contractus eiecerunt dæmonia; vtebantur enim tempore Iustini ad hoc incensis, odoribus & vinculis, vt ipse refert: vel ea eiecerunt per signa publicæ iustitiæ, non autem per publicam iustitiam, vt faciunt boni Christiani.

*Miracula Antichristi* Quod attinet ad miracula Antichristi, maiora quidem ei permittentur, quàm eousque Pseudoprophetis fuerint vmquam permissa: non tamen erunt mirabilia illa magna, quæ Dauid dicit solum Deum facere, Psalmo 135. vbi effectorem miraculi habemus *Deum deorum:* causam, *quoniam in æternum misericordia eius:* finem, ipsius Dei laudem, in verbo *Confitemini.*

*Resp. ad Clementem, & Auctorem operis imperfect.* Ad Clementem & Opus imperfectum in Matthæum, respondeo in primis, Clementis scripta esse in multis corrupta. Vnde & quædã ab Athanasio in Synopsi, à Gelasio distinct. 15. & Leone IX citato dist. 16. relata sunt inter apocrypha. Similiter Auctor Operis imperfecti est suspectæ fidei: quod inter cetera etiã hoc ipso probat Sixtus Senensis, quòd familiaris ei sit citatio apocryphorum. Accedit quòd Paulus Quartus hoc opus inter suspecta retulerit. Sanè vel Auctor fuit hæreticus, vel opus ab hæreticis in multis constat esse corruptum.

Respondeo secundò, Clementem & Auctorem operis imperfecti, solùm velle, quòd tempore Antichristi cessabit discrimen, quo nunc & eousq; discernũtur miracula Pseudoprophetarũ à miraculis Orthodoxorum, in eo situm, quòd miracula Ecclesiæ Catholicæ hominibus prosint; Pseudoprophetarum verò, ad ostentationem solùm fiant, sine vtilitate sanitatis corporalis, vel aliqua eiusmodi. Quæ doctrina est contra nostros sectarios, qui dicunt etiam nunc, sublatum esse istud discrimen miraculorum. Aliqua nihilominùs posse hæreticos arte diabolica facere, quæ etiam ad morborum quorumdam leuiorum curationem pertineant, auctor est Iustinus responsione ad quæstionem quintam à Gentibus positam. Verùm, est aliud quod possunt, aliud quod permittuntur à Deo. Ne enim Deus desit electis suis, numquam permittit talia ac tanta à Pseudoprophetis signa fieri, quin maiora pro veritate opponat. Nam miraculis Antichristi ipsam prædictionem opposuit, quæ maius est miraculum, quàm ipsa illa signa mendacia Antichristi.

Ceterùm, siqui Catholicorum dicant, Pseudoprophetas feciſse aut facturos vera miracula, vt dicere videtur, præter veteres quos citat, Maldonatus in c. 7. Matthæi; id intelligendum de veris, vt opponuntur præstigiosis: non autem de veris, vt opponuntur iis quæ virtute creaturæ fieri possunt. Numquam enim mortuos suscitarunt aut suscitabunt, quamuis aliquando id tentauerunt; vt de Polychronio Monothelita constat in actis 6. Synodi actione 15. & Antichristus in phantasmate id sit facturus, vt dicit Athanasius q. 30. ad Antiochum.

Quod attinet ad aquam disparentem subitò, quando baptizaturus erat Paulus ille Nouatianus Iudæum quemdam fictè accedentem, & aliàs baptizatum; quamuis id Socrates Nouatianus in suæ sectæ commendationem aut finxerit, aut retulerit, nihil omnino ad rem facit. Neque enim fuit miraculum superans virtutem diaboli, cui facile fuisset subitò aquam auferre. Neque est factum ad commendandum errorem Nouatianorum, sed ad confirmandum Christi Sacramentum. Erat enim ille Iudæus ter aliàs baptizatus: semel ab Arianis; iterùm à Macedonianis; sed inualidè, quia isti errabant in Trinitate personaram, adeoque in forma Baptismi: tertiò ab Attico Constantinopolitano, idque validè, atque hactenus aqua non disparuit. Verùm cùm quartò vellet baptizari à Paulo Nouatiano, disparuit aqua, ne iteratione sacrilega, Baptismus Christi prophanaretur. Nouatianus enim, vtpote nullum circa Trinitatem habens errorem, validè potuisset baptizare.

Quod verò idem Socrates refert de Nouatianorum Ecclesia ab incendio per miraculum conseruata; non alia indiget refutatione, quàm quòd Nouatianus hîc testis sit in propria causa.

Denique, miracula Simonis Magi potuisse arte dæmonis fieri, non est dubium, & ipsa sua vanitate & inutilitate à veris miraculis separata satis fuerunt & distincta, vt D. Petrus apud Clementem libro citato docet.

## *De oraculis & reliquis argumentis.*

SECVNDVM argumentum primæ huius classis, sumi potest ab oraculis Prophetarum. Multa enim in fide Catholica, ante complura sæcula, eo modo quo euenerunt, per Prophetas prædicta sunt. Prædici autem non potuerunt; nisi Deo, qui solus futura nouit, reuelante. *2. Argum.*

Perspicuum itaque est, illa saltem Deum, qui nec falli nec fallere potest, reuelasse. Ex illorum autem certo successu, & alia quæ prædicta sunt, & nondum euenerunt; aut quæ ad prædictionem non pertinent, sed ab iisdem qui sibi fidem conciliarunt vera prædicendo, tradita sunt, omnino credenda & suscipienda sunt. Vtitur hoc Argumento Iustinus apologia 2. ad Antoninum, Tertullianus in apologetico, Clemens Alexand. libro 1. Stromatum, Lactantius libro 4. diuinarum institutionum c. 5. Augustinus lib. 17. de ciuitat. c. 15. & seqq. item de catechizandis rudibus c. 24. & 27. Prosper. lib. de promissionibus & prædictionibus Dei.

Tertium argumentum est antiquitas diuinarum Scripturarum, tradentium hanc fidem; quæ ostenditur à Iosepho libro 1. contra Appionem, Iustino apologia 2. Tertulliano & Lactantio suprà citatis, & Augustino lib. 18. de ciuitate cap. 37. *3. Argum.*

Quartum est Christi auctoritas, fidei nostræ dignitas & præstantia. Vide Chrysost. oratione 2. & 3. contra Iudæos, August. in dicto libro de catechizandis rudibus cap. 24. *4 Argum.*

Quintum, vitæ sanctitas eorum qui primi prædicarunt hanc fidem. *5. Argum.*

Sextum sumetur argumentum ex Dei prouidentia, quem nullo modo verisimile est, vniuersum Christianum orbem, tanto redemptum pretio, ita despexisse, vt tot sæculis in crassam perfidiam *6. Argum.*



diam, & in gehennæ voraginem totus corruerit, donec Lutherus sanctimoniam libidine commutaret, vt rectè Campianus martyr c. 7. Rationum fidei. Imitari nobis hîc liceat verba Tertulliani de præscriptionibus: *Aliquos Marcionitas & Valentinianos* (Lutheranos, Caluinianos nos dicemus) *liberanda veritas exspectabat: intereà perperàm euangelizabatur, perperàm credebatur,* &c.

*2. classis.* Ad secundam classem in primis reuocatur probitas & sanctitas eorum qui fidem nostram coluerunt. Vide Augustin. de moribus Ecclesiæ c. 31. Tertullianum in Apologetico, Epist. Plinij ad Traianum de Christianis.

Secundò, multitudo credentium & consensus populorum. Vide August. de vtilitate credendi c. 14. Lactantium lib. 5. Diuinar. institit. c. 13.

Tertiò, constantia Martyrum, qua se permotum fuisse ad fidem Christianam amplectendam, testatur Iustinus Apologia prima ad Senatum Romanum.

Quartò, mira animi mutatio, quam semper obseruare licuit in illis qui nostram fidem receperunt: cùm è contrà in illis qui ab ea desciscunt, obseruare sit mutationem in peiora. Vide eumdem Iustinum Apologia 2. ad Antoninum, Tertullianum libro ad Scapulam, Lactantium libro 3. institutionum c. 26.

*3. classis.* Ad tertiam classem quod attinet, ex parte eorũ quæ creduntur se offert in primis sanctitas & rectitudo Christianæ doctrinæ; quam semper etiam qui foris sunt, mirati fuerunt: *Lex* enim *Domini immaculata:* Psal. 18. Ex opposito hîc consideranda absurditas dogmatum, quæ hodie proferunt hæretici tam in fide quàm in moribus; vtpote de Deo, peccata lapsumque hominis procurante & iubente, in crimina impellente, &c. De operum omnium, etiam in renatis, inquinamento & reatu, de iustitiæ inamissibilitate, fidei solius sufficientia, Christo inferni dolores subeunte, &c.

*4. classis.* Ad quartam classem pertinet punitio & infaustus exitus eorum qui fidem nostram oppugnarunt; vt Simonis Magi, de quo videre licet Egesippum; Manichæi, de quo Epiphanius hæresi 66. Montani, de quo Eusebius lib. 5. historiæ c. 16. Iuliani Apostatæ, apud Nazianzenum oratione in Athanasium, & inuectiua 2. in Iulianum; Lutheri, apud Cochlæum; Caluini, apud Bolsecum.

Secundò, huc pertinet testimonium Iudæorum: illos enim Deus dispersit in totum orbem, vt Moysen circumferant qui de Christo scripsit, omnibusque constet, nos illas prophetias non confinxisse. Ita August. lib. 1. de consensu Euangelistarum c. 14. & epistola 59. q. 2. vbi accommodat huic proposito illud Psalmi 58. *Ne occidas eos, nequando obliuiscantur populi mei. Disperge illos,* &c.

Tertiò, subuersio Synagogæ: de qua vide orationes Chrysost. contra Iudæos.

Quartò, expulsio idololatriæ, quam neque Philosophia, neque Synagoga vmquam potuit plenè expellere: sed eam futuram, virtute fidei Christianæ, prædixit ipse Christus Ioannis 12. & Lucæ 11. Abacuc c. 3. Zacharias c. 13. Isaias 19. Daniel c. 2. Ezechiel c. 30.

Quintò, ad hanc classem pertinet testimonium, quod etiam hæretici perhibent, dum nomen Catholicorum velint nolint nobis relinquunt. Vide August. de vtilitate credendi c. 7. Lutherus scribens contra Anabaptistas, fatetur in Papatu verum esse nucleum Christianitatis.

Ad quintam & postremam classem pertinet argumentum, quod pro fide Orthodoxa sumi potest ex eo, quòd tam ardua & difficilia creditu, tot philosophis, principibus, populis, tyrannis, persuasa sint à viris rudibus & simplicibus; idq; diabolo omnibus tormentis suis contrà nitente: adeò enim certum impendebat Christianis supplicium, vt teste Tertull. in Apologetico, vulgò dicerentur sarmenticij & semissarij; quia ad stipitem dimidij assis, sarmentorum ambitu exurebantur. *5. classis.*

Secundò, huc facit mira doctrinæ concordia in diuersis mundi partibus: de qua videre licet Euseb. libro vltimo de præparatione Euangelica cap. 1.

Eódem pertinet tertiò continuata successio Romanorum adeoque summorum Pontificum; quam magni facit Tertullianus libro de præscriptionibus, Irenæus libro 3. c. 3. August. lib. de vtilitate credendi c. 17. Quantum autem rei Catholicæ præsidium positum sit in eiusmodi argumento, colligere licet ex Iosepho libro 13. antiquitatum c. 4. vbi habemus Iudæos cum Samaritis contendentes de legitimo templo, causam obtinuisse apud Regem Ptolomæum, eò maximè, quòd successionem Mosaicorum sacerdotum in suo templo luculenter ostendissent; cùm nihil tale Samaritani præstare potuissent.

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm credibilia sint per certos articulos distinguenda?*

## VII.

### *Vtrùm articuli fidei secundùm successionem temporum creuerint?*

## VIII.

### *Vtrùm conuenienter enumerentur?*

## IX.

### *Vtrùm conueniẽter in Symbolo ponantur?*

CONCLVSIO PRIMA. Ea quæ fide diuina creduntur, in tot articulos distinguuntur, quot occurrunt rationes, ob quas ipsa peculiarem habeant difficultatem. Probatur: Cùm enim credibilia sint non visa, & non apparentia; quot occurrunt rationes ob quas ipsa lateant, tot etiam enascuntur rationes, ob quas peculiariter inniti nos oporteat diuinæ reuelationi, tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco. 2. Pet. 1. Lucernam enim adhibere solemus, quoties obscurior locus transeundus est. *Conclusio.*

CONCLVSIO SECVNDA. Quoad substantiam post lapsum Adæ semper fides fuit eadem; neque temporum successu aucti sunt articuli credendi. Ita hîc D. Thomas, & Magister lib. 3. dist. 25. Et videtur communis Patrum, qui docent eamdem nobiscum fidem habuisse veteres: Irenæi lib. 4. c. 13. Eusebij lib. 1. historiæ c. 1. Epiphanij initio Panarij, qui dicit fidem statim ab Adam Christia- *Conclusio.*

Christianismi imaginem continuisse & ostendisse; Augustini lib. 19. contra Faustum c. 14. *Eadem* (inquit) *credebant omnes iusti & Sancti, etiam temporum illorum: & promissiua erant illa omnia sacramenta, omnisque ritus ille sacrorum. Nunc autem reuelata est fides, in quam conclusus erat populus quando sub lege custodiebatur.* Vincentij Lyrinensis, qui rectè comparat fidem antiquorum puero; nostram, viro. Vt enim pueri & viri eadem membra, sed viri amplius extensa; ita iidem articuli semper fidei, sed nunc explicatiores. Probatur: Substantia omnium articulorum continetur implicitè in duobus articulis: vno de existentia, altero de prouidentia Dei circa hominum salutem: quos Apostolus indicauit ad Hebr. 11. his verbis: *Accedentem ad Deum, oportet credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Atqui fidem de existentia Dei & prouidentia habuerunt quotquot fuerunt ab initio fideles: ergo implicitè crediderunt omnes articulos. *Prob. Conclus. 1.*

*Obiectio.* Dices; Fides Incarnationis non videtur implicitè contineri in fide prouidentiæ diuinæ circa hominum salutem; quia potuisset Deus salutem nostram procurare etiam sine Verbo incarnato, vt traditur in tertia parte.

*Resp.* Respondeo, Hactenus dici fortè posset, implicitè fidem Incarnationis contineri in fide prouidentiæ diuinæ, circa nostram salutem, quòd Deus promittendo salutem, implicitè intelligatur eam promittere, dandam per medium priùs à se constitutum: sicuti si cui Rex dicat, Ego iubebo pro te: promittit implicitè modum, quem priùs in eiusmodi causis præscripserit.

Sed hoc modo omisso, aliter respondeo: Quòd ideò fides generalis de prouidentia ista Dei dicatur implicitè continere fidem de Christo; quia minores credebant Deum fore inquirentibus se remuneratorē, eo modo quem credebant maiores, qui explicitam fidem habebant de redemptione per Christum. Vide D. Thomam in dictam distinctionem 25.

*Prob. Conclus. 2.* Probatur secundò Conclusio: Siue videas hominem velatum, siue in speculo, siue facie ad faciem, eumdem vides. Itaque cùm fides sit rerum sperandarum, &c. idem est quod cognoscitur in patria per visionem; & quod nouo Testamento, per ænigma à fidelibus videtur; & quod à veteribus tamquam sub velamine credebatur. De quo videre licet D. Aug. initio l. 2. ad Simplicianum.

Tertiò probatur ex insigni allegoria (quam obseruat idem Augustinus de catechizandis rudibus c. 3. & 9.) Patriarchæ Iacob, manum in nauitate præmittentis: significatur enim, omnes Sanctos qui ante Christi natiuitatem fuerunt, vniuersò corpori sub ipso capite per fidem eius cohæsisse.

Hinc colligitur, Siquis ex ratione naturali cognosceret Dei existentiam & prouidentiam, non propterea implicitè quidquam cogniturum de Christo.

Colligitur secundò, Si præcisè hi primi articuli secundùm se considerentur, non posse vllo modo eos sufficere ad salutem; quamuis sufficiant & requirantur, vt homo accedat ad Deum vlteriùs illuminandus: etiamsi enim existere sciat, nisi aliquid ab eius prouidentia speret pro laudabiliter inquisita ipsius agnitione, non accederet ad Deum.

Colligitur tertiò, Etiam Cornelium Centurionem, quando ex aliqua fide orabat ante iustificationem, habuisse fidem de Christo, vt dicit Magister l. 3. dist. 25. quamuis nesciuerit Christum venisse, quod per Petrum didicit. D. tamen Augustinus videtur dicere, quòd Cornelius tunc non crediderit in Christum, de prædestinatione c. 7. Sed respondet Magister, Augustinum solùm velle, quòd non crediderit tunc factum, quamuis mysterium non ignorauerit. Cōfirmatur, quia fides Centurionis, ex qua orabat & eleemosynas dabat, fuit supernaturalis: quia alioqui ex cōgruo non meruisset per eam vlteriùs à Deo iuuari; quod meruisse dicit Chrys. hom. 58. in Matthæum: *Cornelius* (inquit) *sua fide gratiam spiritus inuitauit.* & homilia 26. in epist. ad Rom. *Quoniam diligenter Cornelius quidquid poterat faciebat; quod reliquum adhuc deerat, adiecit Deus.* Supernaturalis autē fides præcipuè disposita post Adæ lapsum, semper, implicitè saltem, fuit de Christo; semperque fuit fides Deum spe remunerationis inquirens; & in rudioribus, maiorum explicatiorem fidem inuoluebat.

CONCLVSIO TERTIA. Secundùm explicationē creuit numerus articulorum; semper tamen fuit in principibus populi explicita fides Diuinitatis, Trinitatis, & Incarnationis. Probatur prior pars: Cerrum enim est, in veteri Testamento non tam distinctè, vt modò, creditos fuisse articulos de Trinitate & Incarnatione: à longè enim priores illi aspiciebant & salutabant repromissiones, vt dicitur ad Hebræos 11. Confirmatur ex c. 7. Exodi: *Nomen meum Adonai non indicaui illis.* id est, non tam perfectè eis me ostendi qui sim, quàm tibi. Item ex c. 3. ad Ephes. *Quod aliis generationibus non est agnitum, filiis hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis & Prophetis in spiritu.* Vide D. Hieron. in istum locum. Idem docet Irenęus l. 4. c. 47. *In nouo Testamento, ea quæ est ad Deum fides hominum, aucta est; additamentum accipiens filium Dei.* & Augustin. de catechizandis rudibus c. 4. *In veteri Testamento est occultatio noui, in nouo Testamento est manifestatio veteris.* Idem significatum est scisso velo in passione Dominica, Matth. 17. Marci 15. & Lucæ 23. Nimirum tunc arcana Testamenti, & omnia Legis sacramenta quæ priùs tegebantur, apparuisse. Vide Bedam & passim veteres in dicta loca. Iuuat hunc commentarium Apostolus 2. ad Corinth. 3. vbi dicit velamen quod erat in facie Moysi, euacuatum esse per Christum, & solùm manere super cor incredulorum, quando eis legitur Moyses; fideles autem nunc reuelata facie, gloriam Dei speculari. *Concluſ. 3.* *Prob. prior pars Concl.*

Posterior pars Conclusionis probatur primò ex cap. 11. ad Hebræos: *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem.* Vbi significatur, redemptionem omnes illos expectasse; adeoque redemptionis nostræ mysterium, in quo præsupponitur mysterium Trinitatis, agnouisse. Apertiùs id de Moyse ibidem exprimitur: *Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* Hîc enim significatur, Moysen intellexisse mysteriū Christi magno improperio reiecti à Iudęis, quos saluare venerat. Neque id mirum: quia & ipse Dominus de Moyse dixit: *De me enim ille scripsit.* Neque verisimile est, quando serpentem æneum *Prob. posterior pars.* *Moyses.* Ioan. 5.



æneum erexit Moyses, tantum Prophetam ignorasse in eo significatum Domini passionem. Adde quòd Moyses non solùm Prophetica reuelatione, sed etiam paterna traditione, accepta à pronuo suo Leui, potuerit hæc mysteria didicisse. Nam de Adamo, quem Sapientia *eduxit de delicto suo,* quòd hæc mysteria nouerit; luculentus est testis S. Hieron. in illud capitis 5. ad Ephes. *Sacramentum hoc magnum est.* De Abrahamo constat Ioannis 8. *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum; vidit & gauisus est. Vidit,* inquit August. tractatu 44. in Ioannem, *Verbum apud Patrem manens, in carne venturum.* De Iacob constat idem ex cap. 49. Genes. *Non auferetur sceptrum de Iuda,* &c. Constat etiam de Isaia Ioannis 12. *Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo,* scilicet filio Dei, vt interpretatur Hieron. initio cap. 8. Isaiæ. Item de Simeone, Zacharia, Anna, tēpore aduentus Christi, vide eumdem D. Hieron. in cap. 3. ad Ephesios. Denique nec in gentibus omnino defuit hæc Dei reuelatio, vt constat de Iob cap. 19. & de Sibyllis, apud D. August. lib. 18. de ciuitate c. 23. *Adam.* Sap. 10. *Abraham.* *Iacob.* *Isaias.*

*Conclus. 4.* QVARTA CONCLVSIO. Explicatio fidei, à lapsu generis humani, numquā habuit, neque habitura est in Principibus populi, perfectiorem statum, quàm habuit eo tempore quo lex gratiæ cœpit prædicari. Contrà senserunt Abbas Ioachim & quidam Petrus Ioannis, de quibus Alphonsus à Castro, verbo Apostoli. Dixerunt enim, hic tempore S. Francisci, ille tempore S. Benedicti, fidei cognitionem in Ecclesia fuisse ampliorem, ac statum feliciorem ac perfectiorem, quàm tempore Apostolorum. Sed probatur nostra Conclusio Ioannis 15. *Omnia quæcumque audini à Patre meo, nota feci vobis.* & quamuis ante passionem Domini non omnia intellexerunt, aut portare potuerunt; postmodum tamen de illis ipsis quæ Christus dixerat, per Spiritum sanctum pleniùs edocti sunt, secundùm illud Ioannis 16. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* & Ioannis 14. *Hæc locutus sum vobis apud vos manens; paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Ad Ephesios 1. *Quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia; vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* *Prob. ex Script.*

*Prob. ex Patribus.* Probatur Secundò ex veteribus. Tertull. c. 22. de præscriptionibus, & aliquot sequentibus, refutat hæreticos sui temporis, qui contendebant Apostolos aut non omnia sciuisse quæ ad fidem pertinent, aut non omnia tradidisse. Vtrumque autem refutat his ferè argumentis: Primò, quòd alioqui Christus reprehendendus esset, vt qui aut minùs instructos, aut parum simplices & sinceros Apostolos misisset. Secundò, quòd verisimile non sit, aliquid eos ignorasse quos Dominus magistros dedit; indiuiduos habitos in comitatu, in discipulatu, in conuictu: quibus obscura quęq; seorsim differebat; dicens, illis datum esse nosse mysteria regni Dei. Tertiò, quòd verisimile non sit, aliquid latuisse Petrum, ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum, claues regni cęlorū consecutum, & soluendi ac ligandi in cælis & in terris potestatem: aut Ioannem dilectissimum Domino, pectori eius incubantem: aut eos qui Patris vocem de cælo audierunt; aut quibus post resurrectionem Scripturas aperuit. Similiter Apostolorum hanc cognitionem perfectam statuit Gregorius homilia 16. in Ezechielem: *Plus Moyses quàm Abraham, plus Prophetæ quàm Moyses, istem Apostoli quàm Prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt.* Quod deinde etiam Scripturis confirmat. Idem sentit Cyprianus, epistola ad Pompeium: vbi vult Apostolos haberi fontes cælestis doctrinæ: quod apertiùs dicit D. Ambrosius serm. 24.

Probatur Tertiò ratione. Omnino enim conueniens erat, eos qui proximi & primi prodibant ex Christi schola, in plenitudine temporis, in ætate mūdi quæ respondet illi hominis ætati, qua maximè pollet iudicio, constitui magistros omnium sæculorū. Ita ferè hîc D. Thomas a. 7. ad 4. *Prob. Rationiens.*

Contra hanc Conclusionem objcitur Primò, hac ratione futurum, vt per Ecclesiæ in Concilio Oecumenico definitionem, nihil fiat de fide, quin idem iam inde à temporibus Apostolorum fide creditum & credendum fuerit; adeoque quando aliquid in Conciliis definitur, non definiri ipsam fidei veritatem, sed solùm reuelatum id pridem esse Apostolis. *Obiectio 1.*

Secundò, apud Danielem cap. 12. prædictum videtur, nouissimis temporibus multò vberiorem & exactiorem fore mysteriorum fidei scientiam, per illa verba: *Et multiplex erit scientia.* *Obiect. 2.*

Tertiò, non apparet tempore Christi fuisse perfectum statum fidei, & quasi meridiem huius diuinæ illustrationis: quia sic oportebat Christo venturo viciniores, explicatiorem de ipso habere fidem, quàm habuit Abraham; quod non videtur ita factum esse. *Obiect. 3.*

Quartò, non videntur Apostoli nouisse omnem fidei veritatem: aliàs enim non celebrassent Concilium Ierosolymis super obseruatione legalium. Si dicas, id factum, non quòd Apostoli quod ignorabant discerent; sed vt inueniretur ratio pacandi fideles ex Iudaismo, & coniungendi eos in vnum Christi ouile cum gentibus: contrà facit quod textus dicat, magnam conquisitionem in eo Concilio fuisse factam, quæ videtur præ se ferre aliquam ignorantiam. Adde in huius rei confirmationem, quòd Petrus cum suis à Paulo fuerit reprehensus. Oportet itaque aliqua fuerit vel in reprehensore, vel in reprehenso, ignorātia. *Obiect. 4.*

Quintò, si Apostoli nouerint omnia mysteria fidei, verisimile est, ipsos populo tunc fideli omnia proposuisse. Imò hoc Actorum cap. 20. Paulus apertè videtur dicere: *Non enim subterfugi quò minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Verisimile etiam, Ecclesias Apostolorum doctrinam benè esse assecutas. Nam (vt rectè Tertull. de præscriptionibus cap. 27.) etiamsi Galatæ aut alij nonnihil fuerint à Pseudoapostolis persuasi; correpti tamen fuerunt, & ab Apostolis emendati. *Cùm ergo correptas* (inquit Tertull.) *Ecclesias opponunt, credant emendatas.* Videtur itaque, si vera est Conclusio, nihil nunc esse de fide, nisi quod etiā populus in primitiua Ecclesia credidit. *Obiect. 5.*

Ad hæc Argumenta vt ordine respōdeamus, dico ad primū, duo hîc extrema vitanda esse: vnum quod habet, in Conciliis generalibus, vbi contra hæreses aliquid definitur, Ecclesiam accipere nouam reuelationem eius quod priùs numquam reuelatum fuerit; alterum, illa eadem quæ post Ecclesiæ definitionem credenda sunt, non minùs ante eiusmodi definitionem vniuersè ab omnibus *Respons. ad Argumenta. Ad 1.*

bus sub præcepto debuisse credi, quàm posteà debeant. Non itaque nouam accipit Ecclesia reuelationem in Conciliis, sed assistentiam habet sancti Spiritus, vt rectè ex deposita traditione statuat, quid secundùm reuelationem olim factam credendum sit; atque hactenus ipsam fidei veritatem definit: quæ quidem veritas credita fuit ab ipsis Apostolis. Quare autem passim non obligentur fideles ante definitionem eam credere, duplex ratio est; vna, quòd fortè numquam fuerit populo proposita, sed reseruata fuerit eius propositio, donec exortæ hæreses eam postularent. Secunda, quòd etiamsi fortè initio proposita fuerit, temporum tamen decursu, vel negligentia vel malitia, effectum sit, vt de traditione minùs clarè passim constaret, quàm requirat obligatio ad fidem adhibendam. In Ecclesia nihilominùs hodie & cognitio rerum fidei, & easdem proponendi auctoritas perseuerat. Meritò enim Gregorius XIII. damnauit articulũ cuiusdã Theologi, asserentem, Quòd præsens Ecclesia non sit eiusdẽ luminis nec auctoritatis, cuius erat primitiua.

*Resp. ad 2.* Ad secundum respondeo, loco Danielis non significari, quòd in nouissimis temporibus, Ecclesiæ Doctores erunt perfectiùs illuminati in rebus fidei, quàm fuerunt Apostoli. Sed varij sunt istius loci alij intellectus. Quidam enim intelligunt significari, quòd prophetia per Danielem conscripta manebit signata & obscura, donec reipsa impleatur. Alij, quòd multiplex erit scientia, id est, multiplex sensus illorum qui pertransibunt, id est, qui tempore intermedio viuent, aut librum Danielis legendo percurrent. Alij, vt Theodoretus, referunt ad tempus prioris aduentus Christi: qui commentarius nostram sententiam iuuat, vt quo significetur, tempore Messiæ occulta Scripturarum, tamquam velo iam scisso, Apostolis, quibus Agnus qui solus dignus aperire librum, & soluere signacula eius, aperuit sensum earũ, fuisse reuelata & aperta. Alij referunt ad tẽpus consummationis mundi; vbi enim nos habemus, *Vsque ad tempus statutum:* alij vertunt, *tempus consummationis* aut *finis*. & alia ibidem prædicuntur de tempore illo nouissimo. Alij denique & tempus intelligunt nouissimum, & volunt significatum, quòd illo vltimo tempore erit fidei & rerum sacrarum amplior noritia, quibus fauet Greg. hom. 16. in Ezechielem. Quamuis enim Danielis prophetiam de primo Christi aduentu explicet, subiungit tamen hæc verba: *Quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largiùs aperitur.* Verùm neque vltimus hic intellectus, neque sententia Gregorij nobis aduersantur. Rectè enim intellexerimus comparari solùm istam extremam senectam cum superioribus ætatibus; non autem posteriores fideles cum Apostolis, aut posteriores Theologos cum prioribus. Quamuis autem posteriores explicatiùs quædam tradant, non tamen ideò maiores suos superant; hoc ipsum enim habent illorum beneficio: sicuti puer gigantis dorso in sublime elatus, longiùs quidem ipso gigante prospicit, sed gigantis beneficio.

*Resp. ad 3.* Ad tertium, quando D. Thomas in responsione ad 2. dicit, plenius fidei mysteria cognita fuisse ab illis qui Christo viciniores fuerunt secundùm tempus; intelligendum hoc est regulariter, salua eminentia & prærogatiua quorumdam paucorum. Deus enim fidei donum distribuit prout vult, neque solùm respicit ad propinquum tempus Christi, sed maximè ad vtilitatem Ecclesiæ & prædestinatorum salutem. Congruentia ergo sancti Thomę, petita ex similitudine visus corporei, quo perfectiùs videntur quæ viciniora sunt, magis erit accommodanda generibus singulorum, quàm singulis generum: vt solùm significetur (quod etiam voluit D. Greg. quem D. Thomas imitatur) Moysen plus sciuisse Patriarchis: quibus nomen suum Adonai Deus non indicauit; Prophetas autem plus sciuisse quàm sciuerit Moyses, quorum vnus dicit: *Super senes intellexi.*

*Resp. ad 4.* Ad quartum respondeo, Valdè est verisimile, Apostolos in die Pentecostes didicisse omnem veritatem quæ pertinebat ad ædificationem Ecclesiæ, sicut Moyses didicit à Deo in monte, quæ pertinebant ad structuram tabernaculi. Sciuerunt ergo ex illo die, gentes non esse obligandas ad circumcisionẽ & legem Moysi: sed communi auctoritate voluerunt in primo illo Concilio decernere idipsum, quod à Spiritu sancto priùs dicerant, quò sic compescerent contrariũ docentes, & formam Conciliorum celebrandorum, successoribus in Ecclesiæ posteritate darent: quo modo fides Nicæna aliquoties in posterioribus Synodis denuò definita est. Conquisitio autem illa fiebat, vt idoneis Scripturæ testimoniis res persuaderetur, & satisfieret contradicentibus. Quò etiam pertinet visio, quam Petrus habuit in Ioppe, antequam accederet ad Cornelium. Quod verò attinet ad Petrum à Paulo reprehensum, respondet similiter obijcientibus Tertull. de præscriptionibus c. 23. si quod vitium ibi subfuerit, non id fuisse prædicationis, sed conuersationis.

*Resp. ad 5.* Ad postremum respondeo, Apostolos quæ à Christo intellexerant, omnia Ecclesiis tradidisse; quia saltem Episcopi, apud quos deposuerunt traditiones diuinas Apostoli, omnia sunt assecuti. De quo deposito Vincentius Lyrinensis rectè intelligit illud Apostoli primæ ad Timotheum 6. *Depositum custodi, deuitans vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Præcipua etiam fidei dogmata, quæ in controuersiam vocabant hæretici, contra quos agit Tertullianus, clarissimè erant proposita per Apostolos toti Ecclesiæ, quam quisque fundabat.

*Concluſ. 5.* QVINTA CONCLVSIO. Conuenienti delectu, numero, & ordine proponuntur articuli credendi in Symbolo. Vide D. Thomam a. 8.

*Concluſ. 6.* SEXTA CONCLVSIO. Quia fides omnibus est necessaria, necessarium fuit, summam eorum quæ ab omnibus communiter credenda sunt, redigi in formam Symboli.

Lutherus putauit, non sine iniuria Christianæ libertatis Symbolum esse inuectum, cùm Deus sola illa voluerit credi, quæ in Scripturis sacris continentur: sed Caluinus fatetur, in Symbolo nihil contineri, quod solidis Scripturæ testimoniis non sit consignatum. Quare autem necessarium sit Symbolum, hæ ferè rationes adferuntur. Prima, facilior instructio simpliciorũ; quia propter Scripturæ prolixitatem & obscuritatem, non poterãt omnes qui debent credere, ex ea accipere articulos credendos. Ita D. Thomas. Secunda, conformitas doctrinæ, vt sit vbique vniformis fides apud omnes gentes. Ita Irenæus lib. 1. c. 3.

Tertia,



Tertia, euitatio errorum, vt nimirum in promptu sit contra hæreticos formula professionis fidei. Ita Durandus in 3. dist. 25. q. 2.

## ARTICVLVS X.

### *Vtrùm ad summum Pontificem pertineat, fidei Symbolum ordinare?*

RESPONSIO D. Thomæ est affirmatiua, & patebit ex tractatu de Pontifice, quem hîc subiungemus: siquidem appendicis loco huic primæ quæstioni in scholis adiungi solent quinque admodum vtiles Controuersiæ, propter hæreses nostri temporis, de Pontifice, Ecclesia, Scripturis, Traditionibus, & Conciliis; quæ in Summa D. Thomæ vix alibi commodiùs tractantur, excepta quæst. de Scripturis, quæ in prima parte tractata est. Omnia enim ista, Pontifex, Ecclesia, Scriptura, Traditio, & Concilia, obiectũ fidei proponunt. Omissa itaque Scriptura, de reliquis quatuor singulares tractatus breues, ordine hîc subnectemus.

# TRACTATVS DE SVMMO PONTIFICE.

## DISPVTATIO PRIMA.

### *An conueniens fuerit, vnum aliquem in terris relinqui Christi vicarium, qui sit caput visibile Ecclesiæ?*

ATENTVR hæretici, Ecclesiam gubernari debere politia quadam & disciplina, qua doctrinæ puritas retineatur, vitia cohibeantur, pauperibus & calamitosis consulatur, & sacri cœtus habeantur; ideoque opus esse pastoribus, presbyteris, & diaconis: sed volunt omnes pastores æquales esse, sub vnico capite, solo vniuersali Episcopo Christo. Ita in confessione Gallicana Caluinistæ. Volunt itaque Ecclesiæ regimen, quod Christus hominibus commisit, non esse Monarchicum, sed Aristocraticum, & Democraticum.

*Concluſio.* Contra hunc errorem sit vnica nostra Conclusio: Conueniebat sub Christo esse vnicum visibile caput totius Ecclesiæ. Probatur Primò: Christus constituit in sua Ecclesia optimam formam regiminis: inter regimina autem plura, quę tria sunt, Monarchia, Aristocratia, & Democratia; optima est Monarchia simpliciter loquendo, etiam supposita humani generis corruptione. Inter omnes autem regiminis formas, quæ septem enumerari possunt, Monarchia pura, Aristocratia pura, Democratia pura: Monarchia permixta Aristocratiæ & Democratiæ, Monarchia permixta soli Democratiæ, & Aristocratia permixta Democratiæ soli: simpliciter loquendo, optima rursus est Monarchia pura. Considerata autem hominum corruptione, optima erit Monarchia permixta Aristocratiæ & Democratiæ; ita tamen, vt ordinem quem naturâ suâ tres istæ formulæ regendi habent, etiam in mixtione retineant: adeò vt primas retineat Monarchia, secundas Aristocratia, tertias Democratia. Itaque in Ecclesiæ statuendo regimine, Christus vel puram elegit Monarchiam, vel illam formam mixtam, in qua primas obtineat Monarchia. Monarchiam esse optimam, communiter docent Philosophi & Theologi. Aristoteles 8. Ethicorum cap. 10. Nazianzenus oratione 3. de Theologia non procul ab initio: *Vbi nullum est imperium, ibi nullus est ordo; vbi multorum, ibi seditio.* Idem passim dicunt Patres, quando volunt contra gentiles probare, vnum esse Deum. Quibus adde D. Thomam lib. 1. de regimine Principum cap. 2. & seqq.

*Obiect. contra Probat.* Ad hanc Probationem respondet quidam hæreticus, verum quidem esse quòd Monarchia optima sit in ciuili regimine, quod situm est in imperio; non autem in Ecclesiastico, quod situm est in ministerio: ideò in Ecclesia, Monarchiam esse solius Christi; ministerium reliquorũ, tamquam seruorum: hoc autem interesse inter imperium & ministerium, quòd imperium leges ferat, ministerium suscipiat: non esse itaque hac in parte confundenda inter se regimen ciuile Reipub. temporalis, & spirituale Ecclesiæ.

*Responſio.* Respondeo, Ecclesiæ pastores ita esse ministros, vt simul sint rectores, secũdùm illud Actorum 20. *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Subsistit itaque nostra probatio, in hoc regimine optimum genus regiminis fuisse statuendum. Neque hîc dici potest, talem esse naturam huius regiminis spiritualis, vt Monarchia in eo non sit optima, sicut est in alio regiminis genere: quia sic ne quidem Christus in eo erit statuendus Monarcha. Neque etiam dici potest, quòd quatenus est in ministris Christi, hominem purum Monarcham respuat: omnis enim necessitas aut vtilitas Monarchiæ æquè locum habet in Ecclesiæ rectoribus, sub inuisibili capite Christo; ac necessitas vllius regiminis simpliciter, aut necessitas Monarchiæ in rebus temporalibus sub inuisibili Deo.

*Prob. 2.* Probatur Secundò, sicut post Deum vnus est inter Angelos supremus princeps reliquorum, ita conuenit esse in ecclesiastica hierarchia, cuius illa cælestis exemplar est, vt dicit S. Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium: imò (vt colligitur ex eodem Bernardo) etiamsi non esset vnus supremus Angelorum, sed inferiores tantùm Angelorum ordines superioribus subessent sub vno capite Christo aut Deo, cuius faciem semper omnes Angeli vident; nihilominùs ad exemplar istud in monte monstratũ, rectè Christus (qui nihil facit nisi quod videt Patrem facientem) sub vno visibili capite, Ecclesiam suam descendentem de cælo tamquam castrorum aciem ordinasset.

*Obiect. contra 2. Prob.* Respondet idem sectarius, quamuis incertum sit, an Angelorum aliquis sit princeps ex ipsis Angelis; admitti tamen id posse, considerando Angelos quà Angeli sunt, non autem quà sunt electa

Ecclesia: ita enim ipsorum caput esse solum Christum ad Ephes. 1. ad Coloss. 1. & 2. Addit, sicubi in Scripturis Michaël absolutè indicetur esse Princeps omnium Angelorum, vt Apoc. 12. *Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone*: malè id à nobis intelligi de Michaële Angelo, cùm sit intelligendum de Christo, qui Iosue 5. dicitur Princeps exercitus Domini; ideoque non rectè Ecclesiam Romanam hæc ad aliquem Angelorum, qui dictus sit Michaël, transtulisse, eumque vocare præpositum paradisi, principem militiæ Angelorum, primatem cælestis exercitus.

*Resp.* Respondeo: In prima parte diximus, Angelos gratiam habuisse secundùm proportionem naturalium; ideoque non omnino disparem hîc fore rationem Angelorum vt Angeli sunt, & vt sunt Ecclesia electa; præsertim cùm superiores illuminare inferiores, etiam secundùm mysteria gratię, eosque mittere vt diuinæ voluntati in supernaturalibus subseruiant, ex Scripturis & Patribus satis constet. Quòd verò Michaëlem velit iste hæreticus non esse Angelũ, sed ipsum Christum, nullam habet probabilitatem: quia etiam locus Iosue quem adducit, omnino intelligendus est de aliquo Angelo, non de Christo. & in eo facilè conueniunt interpretes; quamuis D. Augustinus q. 7. in Iosue dubitet an Iosue Angelum, an verò Deum in Angelo adorauerit; adeoque non Angelo, sed Deo dixerit: *Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum?*

*Prob. 3.* Probatur Tertiò nostra assertio: In veteri Testamento, vnus erat ex Dei instituto summus Sacerdos; ergo etiam Monarchia regiminis ecclesiastici conueniens est. Antecedens adeò clarum est in Scripturis, vt etiam hæretici admittant, nominatim Centuriatores centuria 1. lib. 1. cap. 7. Sed negant consequentiam, tum quia faciliùs poterat vnus populus sub vno capite contineri, quàm possint Christiani per totum orbem dispersi; tum etiam quia summus Sacerdos legalis non fuerit typus Papæ, sed ipsius Christi. Sed prima responsio nulla est; Christiani enim quia magis dispersi per vniuersum orbem, magis indigent vno capite, quo in vnitate contineantur. Secunda etiam responsio non satisfacit: quia vis consequentiæ in nostro argumento consistit in duobus. Vnum est, quòd vetus Testamentum fuerit figura Noui: alterum quòd sicuti Deo placuit sub se ibi habere vnum summum Pontificem ex hominibus assumptum, propter commodum regiminis istius populi; ita conueniens sit, Christum velle sub se habere eiusmodi aliquem in Ecclesia sua summum Pontificem. An verò summus Pontifex tunc fuerit Christi typus, sicuti nunc est Christi vicarius; non adeò ad propositum nostrũ refert.

*Prob. 4.* Probatur Quartò: Vnius Ecclesię est vnus Episcopus; atqui totus populus Christianus est vna Ecclesia; ergo oportet esse vnum summum Pontificem, qui toti Ecclesiæ præsit.

*Obiectio 1. contra 4. Prob.* Obiiciunt Primò, impossibile esse vnum hominem curam gerere totius mundi.

*Obiect. 2.* Secundò, vt possibile sit, non posse id fieri sine Christi iniuria, qui solus est caput Ecclesiæ, secundùm illud ad Ephes. cap. 4. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam submin istrationis, secundùm operationem in mensuram vnius cuiusq; membri, augmentũ corporis facit.*

*Obiectio 3.* Tertiò, vt possibile sit, & vt sit permissum, esse tamen superuacaneum. Quid enim opus est (inquiunt) Monarchica ista potestate in Ecclesia, vbi res non agitur vi externa, sed precibus dumtaxat & sermone?

*Resp. ad obiectiones.* Respondeo, Monarchiam Pontificis in Ecclesiastico regimine neque impossibilem, neque illicitam, neque superuacaneam esse. Non est im- *Ad 1.* possibilis: quia licet per se ad orbis regimen nemo vnus sufficiat, sufficit tamen vt regat per subordinatos sibi pastores, qui in difficultatibus ad ipsum recurrant. Hac enim ratione sollicitudo omnium ecclesiarum vni Petro aut Paulo incumbere potefit. Non est illicita, aut Christo iniuria: quinimò *Ad 2.* in iniuriam cedit potiùs Christi, si dum peregrè proficiscitur, non possit constituere dispensatorem fidelem & prudentem super familiam suam. At Christus (inquit Caluinus) semper præsens, vicario non indiget; *Ascendit enim vt adimpleret omnia.* Quid ergo est, quòd Apostolus dicit se legatione fungi pro Christo? quorsum & pastores constituit, cùm ipse per se omnes pascat, maximè cùm vnum oporteat esse pastorẽ, & vnum ouile? Quorsum Sacramentorũ dispensatores instituit, cùm ipse sit qui baptizat, & omnia Sacramenta perficit? Ita ferè diluit eiusmodi obiectionem diuus Thomas lib. 4. contra gentes cap. 76. Denique sicut ad Ephes. citato loco dicitur Christus caput Ecclesiæ; ita prioris ad Corinth. 12. significatur esse aliquod caput sub Christo in Ecclesiæ visibili regimine. Quod enim dicit Apostolus, non posse caput dicere pedibus: *Non est is mihi necessarij*: neque de capite Ecclesiæ non intelligi, neque de Christo potest intelligi. Ipse enim pedibus dicere potest: Non estis mihi necessarij. Denique non est *Ad 3.* superuacaneus in Ecclesia vnius Monarchiæ primatus, etiamsi consideretur solùm in illa res geri sermone & precibus: quia vt retineatur fidei vnitas, vnus requiritur supremus controuersiarũ iudex, cuius sententia non possit in ambiguos sensus detorqueri, sicut hæretici detorquent Scripturas.

*Obiectio.* Dices; Conuenient seniores super eo quod fortè controuersum fuerit circa fidem. *Respons.* At cuius directione conuenient, si omnes sint pares? Deinde vbi decident, dicet condemnatus, non eos esse infallibiles interpretes sacræ Scripturæ; se videre in Scriptura sensum, quem ipsi non videant: obediendum potiùs esse Deo, & auscultandum quid Spiritus sanctus intus doceat, quàm quid homines dicant. Neque tamen verum est, solum ministerium verbi sine regendi potestate in Ecclesiæ pastoribus esse considerandum: quod mirum est quomodo negare possint Caluinistæ, quorum hæc sunt verba in confessione Gallicana cap. 33. *Eas leges admittimus, quæ fouendæ concordiæ & vnicuique in obedientia debita retinendo subseruiunt. Quain re sequendum nobis putamus, quod Christus de excommunicatione statuit: quam quidem approbamus, & vnà cum suis appendicibus necessariam esse arbitramur.*

## DISPVTATIO II.

### *An Christus præfecerit Petrum toti Ecclesiæ?*

NEGAT Caluinus & hæretici omnes nostri temporis. Sed est de fide. quamuis insulsè quidam recentior Caluinista dicat, quæstionem hanc esse ordinis, non fidei: quasi ille ipse ordo non potuerit reuelari verbo Dei, nihilq; ad fidem pertineat, nosse an Petrus à Christo datus sit iudex controuersiarum fidei.



Probatur itaque responsio hæc affirmatiua. Si enim (vt superiori disputatione ostẽsum est) oportebat in Ecclesia vnum quempiam supremum Christi esse vicarium; non est ambigendum, quin Christus de eo prouiderit. In Petrum autem hanc potestatem contulisse, non parua sunt in Scripturis diuinis argumenta.

*Primatus Petri. prob. ex Script. Argumentum 1.* PRIMVM sit ex illo Matth. 10. vbi cùm recenseñda essent Apostolorum nomina, ita incipit Euangelista: *Primus, Simon qui dicitur Petrus.* vbi Syriacus maiori emphasi dicit; *Primus illorum.* In quibus verbis hoc obseruandum est, Petrum non solùm primo loco recenseri, vt apud alios recensetur, Marci 3. Lucæ 6. Actorum 1. sed significari, primum locum ei datum esse à Domino; quomodo intellexit Epiphanius in hęresi Alogorum, quę est 51. Vult enim dici Petrum primũ; quia quamuis in vocatione prior fuerit Andreas frater eius senior, in secunda tamen vocatione, quando rebus suis perfectè renuntiauerunt, prior fuerit Petrus, priorque renuntiauerit: per vocationem autem istam quasi inchoatum fuisse Petri primatum. Verba Epiphanij ita habent: *Insuper autem & in hoc Deus est, qui nouit vocationes cordium, & scit quis dignus sit primo loco locari, & elegit Petrum, vt dux esset suorum discipulorum, velut omnino clarè indicatum est. Primus* ergo hîc, secundùm Epiphanium, idem est quod dux & princeps. Similiter intellexit Hieronymus: *Ordinem*, inquit, *Apostolorum, & meritum vniuscuiusque, illius fuit distribuere qui cordis arcana rimatur.*

Ad hunc locum respondet in primis Theodorus Beza, illud *Primus* ab aliquo additum Papæ adulatore. Proferant ergo codices vel Græcos vbi non sit hæc particula, qua etiam verbotenus canonizatur primatus Petri. Sed cùm non proferant, etiam illud hîc benè habet, quòd non soleant Græci Pontifici Romano nimiùm adulari, vt in eius gratiam textum hîc videri queant corrupisse.

Alij hæretici communiter dicunt, non esse vllam faciẽdam vim in ordine, eò quòd ceteri Apostoli non eodem ordine apud omnes Euangelistas recenseantur. Sed contrà: reliquos alio atque alio ordine licuit recensere, non Petrum; quia ille primus ita recensitus est, vt primus esse diceretur: reliqui autem similiter non sunt dicti secundi, aut tertij. Vnus itaque Matthæus ita Petro primatum tribuens, reliquis præscripsit, ne alio quàm primo loco Petrum censerent, recitantes Apostolorum nomina. Quod & religiosè propterea obseruarunt; non autem in aliis Apostolis æqualem ordinis curam habuerunt, vt vel hoc ipso significarent, alia ratione Petrum primo, atque alio reliquos suo ordine esse locatos.

Omitto responsionem aliam, quæ dicit Petrum Andreæ & aliis præponi, quòd senior esset ætate; quod est contra Epiphanium: & quamuis Euthymius dicat, Petrum fuisse seniorem; negat tamen, propterea solùm primo loco esse positum: sed vel maximè ideò primo loco positum vult, quòd ceteris omnibus firmitate esset excellentior.

*2. Argum.* SECVNDVM ARGVMENTVM est ex c. 16. Matthæi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ex hoc enim loco ita licet argumentari: Quod Princeps est in Republica, quod caput in homine; hoc fundamentũ in ædificio, vtpote à quo tota structura sustentetur, stabiliatur & confirmetur; cui quæcumque superstruuntur, agglutinari oporteat calce, aptaque compositione. Hęc Metaphora reperitur Michęæ 6. *Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ.* id est, Superiores qui sustinent alios, & soliditate sua conseruant. Vide Hieronymum, Rupertum, Riberam, Eman. Sà. Atqui Petrus hîc dicitur fundamentum Ecclesiæ; dicitur itaque Princeps totius Ecclesiæ. Ex his verbis primatum Petri communiter veteres statuunt. Omitto quos longo ordine recẽset Maldonatus, Clementem Rom. Hippolytum, Dionysium, Tertullianum ante & post hæresim, Cyprianum, Origenem, Epiphanium, Nazianzenum, Basilium, Hieronymum, Leonem, Concilium Chalcedon. Hilarium, Chrysostomum, Cyrillum, Augustinum. Produco clarissimum testimonium Ambrosij in hymno Ecclesiastico: *Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente, culpam diluit.* idq; eò libentiùs, quòd quidam hæreticus nuper hunc locum miro glossemate conatus sit nobis eripere: quasi significetur, non Petrum gallo canente culpam lachrymis diluisse; sed Christum qui Ecclesiæ petra est, vel Petri gallo canente, vel Ecclesiæ manè ipsum inuocantis, culpam diluere. Addo Euthymium, qui Christi hæc verba interpretatur, quasi Petro dixisset: Te ponam fundamentum credentium. Item Isidorum epistola ad Eugenium Episcopum Toletanum; Theodoretum Epitome diuinorum decretorum cap. de pœnitentia: *Discant primum Ecclesia fundamentum fuisse labefactatum, & à diuina gratia confirmatum. Cum ter enim magnus negasset Petrus, mansit primus suis lachrymis curatus.*

*Obiectio 1. hæret.* Contra istud nostrum argumentum multa obiciunt hæretici. Primò negant eo loco Petrum dictum esse fundamentum Ecclesiæ: & volunt illud, *super hanc petram*, intelligi vel de Christo; in quo diui Augustini patrocinio vtuntur, qui propter Donatistas, qui volebant iustitiam esse ab homine baptizante, procliuior videtur fuisse in hunc commentarium, etiam in speciem minimùm hæreticis illis fauentem; vel intelligi volunt de fide ac confessione ipsius Petri: quo modo videtur accepisse Hilarius lib. 6. de Trinitate.

*Obiect. 2.* Secundò, concedunt super Petrum significari ædificandã Ecclesiam; sed negant hoc ad πρεσβεῖον, aut ad prærogatiuam, aut ad priuilegium Petri pertinere; eò quòd super omnes fideles similiter Ecclesia ædificetur. Qui commentarius fautorem habet Origenem.

*Respons.* Verùm facillimè hæc omnia subuertuntur. Ac in primis *hanc petram* non intelligi ipsum Christum, ipse modus loquendi arguit, præcipuè in ea lingua qua Christus locutus est, & qua Matthæus Euangelium scripsit. Hebraicè enim, Syriacè & Chaldaicè non est illa differentia generis inter *Petrum* ac *Petram*, sed idem est ac si diceretur: *Tu es petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Neque refert quòd interpres Græcus, qui paris est auctoritatis cum Matthæo, posuerit priori loco Petrum, posteriori Petram; Πέτρος enim Græcè magis vsitatè viri nomen est quàm saxi: quamuis Atticè etiam significet idem quod petra, eoque respexisse interpretem sit verisimile. Cùm itaque vsitatè saxum quod in fundamento ponitur,

tur, non poterat dici πέτρος, neque Simon aut vir aliquis poterat femminino vocabulo dici petra, merito genus mutauit interpres. Ne enim de sensu periclitaretur, satis per Pronomen appositum cauit; quod non patitur intelligi de alia petra, quàm cuius fuerit facta mentio: Christus autem non erat dictus Petra, sed Simon; præsertim eo accedente quod diximus, πέτρος etiam Atticè petram significare. Quod verisimile est latuisse D. Augustinum, quando voluit Petrum à petra dictum.

Quod verò attinet ad secundum commentarium, quo super petram, id est super Petrum, hoc est super fidem ac confessionem Petri, dicatur ædificanda Ecclesia; non est probabilis, nisi ita accipiatur, vt significetur Petrus ratione fidei ac confessionis suæ, fundamentum ac petra Ecclesiæ meruisse appellari. Ita enim oportet fidei hîc interpretari præmium, vt sit ipsius Petri confitentis honorarium. Sicuti enim non fidei, sed propter confessionem fidei, ipsi Petro promissæ claues regni cælorum; ita non fidei confessio, sed propter eam Petrus dictus est petra.

Ad tertium sensum quod attinet, quo omnes fideles fundamentum Ecclesiæ dicuntur, is nullo modo consistere potest. Si enim omnes fundamentum, vbi parietes? vbi tectum? Si totum corpus oculus, vbi auditus? vbi cetera membra?

*Obiectio.* At dicit sectarius quidam, esse triplex fundamentum: vnum simpliciter, in quo totum ædificium fundatur, & conuenienter compactũ crescit; quod est solus Christus: alterum secundùm quid, quamuis commune, sicut columnæ sunt in ædificiis; & hoc modo Petrum fuisse in Ecclesia fundamentum, sed non solum, verùm cum aliis Apostolis: tertium, secundùm quid, & singulare; quo modo lapis lapidi fundamentum in structura dici potest: eoque modo omnes fideles ab Origene & Erasmo rectè dici fundamentum Ecclesiæ.

*Resp.* Respondeo, lapidem lapidi non rectè dici fundamentum in tota structura; nemo enim ita loquitur, vt fundamentum extendat vsque ad fastigium ædificij. Deinde, quid sit apud Matthæum ædificari super petram, satis patet ex c. 7. vbi sapientem dicit domum suam ædificare supra petram, stultum autem super arenam. Sanè patet, fundamentum non esse in parietis medio quærendum, nam & ibi stultus petras ponit, qui loco fundamenti habet arenam. Verùm si triplici modo fundamentum accipere placet, aliter id statuendum est; vt nimirum primo & perfectissimo modo dicatur fundamentum ipse Christus, quod possumus dicere fundamentum fundans. Quamuis enim ab Apostolo 1. ad Corinthios c. 3. Christus dicatur fundamentum; *Fundamentum enim*, inquit, *aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus* IESVS: ad Hebræos tamen c. 3. (quod etiam hic locus Euangelij quem tractamus satis præ se fert) idem Christus, dicitur ædificator & factor domus Dei, quæ sumus nos. Tale itaque fundamentum nemo alius potest ponere: quamuis locus ad Corinthios potiùs intelligendus sit de fide & prædicatione Christi; hoc enim fundamentum Paulus architectus posuerat. Esto itaque, nemo potuit statuere aliud Christum; sed Christus pro ædificanda domo sua potuit ponere alterius ordinis fundamentum, ipsum Petrum. Secundum ergo fundamentum dicetur vnicum fundamentum à Christo & super Christum (sicut saxum super terram) fundatum, super quod ædificatur tota Ecclesia, quod fundamentum hîc dicitur Petrus. Nam quòd dicunt Apostolis esse commune quod hîc Petro promittitur, falsum est. Communiter enim veteres ita interpretantur hunc locum, etiam illi qui nullo modo potuerunt esse suspecti tamquam Romanæ Sedis adulatores, vt Petrus qui præuenit confessione, præ reliquis honoratus sit principatu. Tertiò fundamenti nomen extendi potest ad omnes Apostolos, qui in prima Ecclesię ædificatione, columnæ fuerunt: vnde & dicimur *superædificati supra fundamentum Apostolorum & prophetarum.* & alibi, ciuitatis Ierusalem dicuntur fundamenta duodecim, & in eis scripta nomina duodecim Apostolorum Agni. Ephes. 2.

*3. Argumentum.* TERTIVM ARGVMENTVM pro responsione nostra sumi potest ex aliis Christi ad Petrum verbis eodem cap. 16. Matth. *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Mirum quàm hîc sudent hæretici, vt vel clauium potestatem eleuent, vel ianitoris cæli in eis accipiendis prærogatiuam amoliantur. Nos vtrumque probabimus; per claues regni cælorum hîc promitti Petro supremum Pontificatum, & aliquid ei promitti quod aliis Apostolis non fuerit commune.

Quod ad prius attinet, volunt hæretici per claues nihil aliud significari, quàm potestatem prædicandi verbi Dei, quod est in salutem & apertionem cæli omni credenti. Sed contrà constat, in Scriptura per claues, principatum & prefecturam significari. Isaiæ 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* Apocal. 3. *Qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Priori enim loco apertè agitur de præposito templi exauctorando, & eius loco Eliacim surrogando. Et vt demus incertum esse, an Sobna ille fuerit summus sacerdos, an verò solùm scriba Regis, aut magister aulæ: negari tamen non potest per claues hîc principatum, & quidem sacrum significari; cùm constet Eliacim fuisse typum Christi, de quo apertè loquitur posterior locus.

Ceterùm superintendentiam & Episcopatum per claues rectè designari, colligimus ex illo Marci 13. *Et ianitori præcepit vt vigilet.* Neque enim ianitor pro se tantùm vigilat, quod omnes iubẽtur facere; sed totius curã domus habet. Omitto, clauium traditione Magistratus solere inaugurari.

Neque est quòd nobis obiiciant, Christum alibi meminisse *clauis scientiæ*: nam etiam ibi *clauis* non scientiam, sed potestatem sciendi significat. Sicut ergo clauis scientiæ est potestas introducẽdi ad scientiam; ita clauis regni cælorum est potestas quædam introducendi ad regnum cęlorum, quæ includit non tantùm prædicandi ministerium, sed etiam regendi auctoritatem. Petro autem claues præ reliquis hîc esse promissas, hoc in primis modo ostendere possumus. Quorsum enim alioqui ita accuratè designatur persona Petri, vt nullus tabellio instrumentum promissionis aut donationis conficiens, donatarij personam accuratiùs describere posset? Exprimitur enim nomen vetus, nouum, & patris; Simon, Petrus, Bar-Iona.

*Obiectio.* Obiicit quidam sectarius, ideò dictum esse *Bar-Iona*, vt distingueretur à Simone Chananęo, siue Zelote. Verùm istud friuolum est: quamuis enim *Resp.* Simonis nomen vtrique erat commune; Petri tamen non erat, vt Bar-Iona etiam distinctionis istius



istius caussa dici debuerit. Deinde si nihil peculiare Petro Dominus promittere intendisset, non magnopere intererat, tanta cura Simonem Chananæum, cuius etiam nomine diuinitatem Christi Petrus confessus erat, excludere: satis enim sciebatur, quis Christo respondisset, & cui ipse loqueretur: sed quia rei magnæ hîc suberat promissio, solum Petrum præ reliquis concernens, meritò expressiùs persona eius designata est. Ad hæc illi promissæ claues, qui confessus erat: ergo peculiariter Petro.

*Obiectio 1.* Dicent nomine omnium Apostolorum confessum fuisse; itaque non suo proprio, sed nomine collegij Apostolorum, aut nomine Ecclesiæ cuius figuram gerebat; claues accepisse: præcipuè cùm illud quod sequitur, *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis; & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis*, clauium harum potestatem explicet, & nihilominùs omnibus Apostolis commune sit; vt patet ex promissione cap. 18. vbi omnibus Apostolis Dominus dicit: *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solueritis super terrã, erunt soluta & in cælo:* & ex promissionis impletione, Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

*Confirm. ex PP.* Confirmatur hæc obiectio auctoritate veterum, qui vel Ecclesiæ, vel Apostolorum collegio hîc promissas cæli claues intellexerunt. Ita videtur intelligere Augustinus tractatu 50. in Ioannem: *Si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo claues regni cælorum, quæcumque solueris*, &c. *Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia.* & infrà: *Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit.* Similia habet tractatu vltimo: item in Psalmum 108. & in Psalm. 118. concione 13. & serm. 54. in nouis: *Numquid istas claues Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Ioannes & Iacobus non accepit, & ceteri Apostoli? Aut non ista in Ecclesia claues, vbi quotidie peccata dimittuntur? Sed quia in significatione, personam Petrus gestabat Ecclesiæ*, &c. Leo serm. 3. de anniuersario Assumptionis suæ, de his verbis: *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. ita loquitur: *Non frustrà vni commendatur, quod omnibus intimatur.* Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum cap. 14. *At dicis, Super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesia fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Origenes tract. 1. in Matth. *Dictum hoc, Tibi dabo claues regni cælorum, ceteris quoque commune est.*

*Respon.* Ad huiusmodi obiectiones diluendas notasse iuuerit, Petro claues regni cælorum in plenitudine potestatis ordinarię fuisse ita proprias, vt ipso viuente nõ alius fuerit Christi generalis vicarius, cui simpliciter cæli claues concreditæ sint; id est, plenitudo summæ in totam Ecclesiam potestatis, potissimùm ea remouendi quæ regnum cælorum clausum nobis retineant. Pro aliis tamen Petrus hactenus etiam has claues accepit; quia in totius Ecclesiæ ædificationem, pro se & suis successoribus: cum aliis Apostolis accepit, quia quamuis eas solus acceperit in plenitudine summæ potestatis, quæ contineat etiam potestatem regendi & legibus formandi Ecclesias per alios Apostolos fundatas; alij tamen in Apostolatus sui potestate comprehensam habebant bonam portionem harum clauium: poterant enim per totum orbem fundare Ecclesias, & à se fundatas regere. Imò, vt benè Leo dicit suprà citatus, ad omnes Ecclesiæ Principes vis huius potestatis participatione quadam transiuit.

*Resp. ad 1* Ad primum itaque respondeo: Ita pro aliis, vt etiam præ aliis, Petrus respondit; vt mirum non sit, non tantùm pro aliis, sed etiam præ aliis claues accepisse: &, vt verbis Leonis vtar, primum fuisse in Apostolica dignitate, qui primus fuit in Domini confessione.

*Resp. ad 2.* Ad alterum autem quod de verbis *Quodcumque solueris*, &c vrgetur, fatemur illam potestatem Apostolis cap. 18. esse promissam, & datam Ioannis 20. sed non in ea plenitudine qua Petro, cui soli agni & oues Christi (hoc est, totum Christi ouile) peculiariter, tamquam plus diligenti, commissi sunt. Nisi enim curam pascendi præ reliquis acciperet ampliorem, non erat cur tantopere in ampliorem eius præ ceteris dilectionem inquireretur. Vide Cyprianum lib. de vnitate Ecclesiæ, Euseb. Emissen. sermone de natali S. Ioannis Euangelistæ.

*Resp. ad tertium. PP.* Ad Patrum testimonia similis erit accommodanda responsio. Augustinus solùm vult, Petrum mysticè repręsentasse Ecclesiam quoad bonos, qui semper Christum sunt habituri, quando secundùm historiam vniuersalis primatus ei promissus est in clauibus regni cælorum: sicuti Iudas malorum gessit figuram, quando ei dictum est, *Me autem non semper habebitis.* Sicuti enim non vnus Iudas, quia multi vendunt Christum; ita in bonis non solus soluit & ligat Petrus, sed Ecclesia, quando reconciliat & excommunicat. Deinde aduertendum est, in verbis Augustini claues quidem datas Ecclesiæ, sed Ecclesiam in suo prefecto eas accipere in omnium vtilitatem. Secundò, negatiuè id posse accipi, vt significatum sit, has claues non haberi extra Ecclesiam; secum enim eas non fert qui foras egreditur. D. Leo apertissimè pro nobis est. subiungit enim: *Manet ergo Petri priuilegium.* Ad Hieron. quod attinet lib. 1. c. 14. contra Iouinianum, virginitatẽ nuptiis pręstare ostendens, diluit aduersarij obiectum; quasi in eo quod de coniugibus Petrus primatum obtinuerat, indicatum sit, coniugium Deo plus placere quàm virginitatem. Diluit autem, dicens, Apostolis aliis adeoque Ioanni virgini in potestate quæ data est Petro, tantum fuisse commune, quantum schismatis occasionem tollendi necessitas permittebat, quæ vnum esse caput postulabat, quod Petrus potiùs fuerit quàm Ioannes; quia Petrus senior erat. Origenes denique infelix Scripturæ interpres, etiam hîc paruæ auctoritatis erit: quia ipse omnia quæ Petro hîc data & promissa sunt, parum conformis litteræ & genuino sensui, vt suprà ostendimus, communia facit cuilibet fideli Christum confitenti.

*4. Argum.* QVARTVM ARGVMENTVM pro nostra Conclusione desumitur ex illo Ioannis 21. *Pasce agnos meos, pasce oues meas.* Hîc enim soli Petro committitur cura vniuersi ouilis Christi. Quod enim soli Petro hęc verba dicta sint, patet, quia illi dicta sunt, quem Dominus interrogauerat, *Diligis me*

*plus his?* vbi apertè Apostoli qui aliquot præsentes aderant, excluduntur. De hoc igitur apertè conuicti posteriores Caluinistæ, admittunt soli Petro hoc dictum esse. Sed quidam ex eis ideò dicit soli Petro esse dictum, quia solus Petrus dignitatē suam Christum negando amiserat, ideoque solus restitutione indigebat. quod confirmat ex Cyrillo lib. 12. in Ioannem cap. 64. *Terna confessione Petri, trina negationis delictum euacuatum est. Dixit autem, Pasce agnos meos, Apostolatus ei renouans dignitatem: ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit, labefactata videretur.*

Respondeo, non velle Cyrillum aut alios qui similiter loquuntur ex veteribus, quod Petro nihil hîc amplius collatum sit, quàm quod simul acceperat cum aliis Apostolis ipsò die Resurrectionis (tunc enim legationis suæ partem eos simul accepisse, apertè docet idē Cyrillus,) sed vult principatum inter Apostolos, qui Petro iam ante lapsum propter egregiam confessionem addictus erat, & à quo videri poterat prima negatione per temeritatem & in propriis viribus fiduciam decidisse, nunc eidem humiliter de se sentienti, neque amorem suum vt priùs iactanti, sed Domini scientiam compellanti, adeoque trina confessione trinam negationem eluenti & expianti, ita collatum esse, vt quodammodò restitutus videri possit. Istud Cyrillum sensisse, vel ex hoc eodem capite colligitur, vbi Petrum vocat principem & caput ceterorum Apostolorum. Deinde nisi aliquid peculiare Petro hîc tributum sit, dicant quid illud sit, vnde videri queat excidisse post diem illum Dominicæ resurrectionis, quo iam Apostolatum cum reliquis acceperat aut receperat.

At dicent; Eriamsi Petro soli hæc dicta sint, parum ad propositum valere, tum quòd pascere non sit idem quod regere, cùm etiam dapiferi dominos suos pascant; tum etiam, quòd etsi pascere idem esset quod regere, non tamen ideò totum Petri regimini commissum sit dicendum ouile, sed solùm quasdam oues & agnos Christi: quod etiam aliis pastoribus commune est, quibus ipse
1. Pet. 5. Petrus scribit, *Pascite qui in vobis est gregem Christi.*

Respondeo vtrumque falsum esse. Pascere enim maximè, secundùm Græcorum etiam Homero vsitatam, & Hebræorum phrasim, significat regere; ita vt etiam ad Regum regimen extendatur, solumque excludat tyrannidem & despoticum regimen. Significat enim regere in vtilitatem eorum qui reguntur: quamuis in Psalmo 2. vbi vulgatus habet, *Reges eos in virga ferrea*; etiam reperiatur eadem vox Hebraicè & Græcè, quæ pascere significat: vt etiam interdū ad durius imperium translata videatur. Durius inquam, non respectu totius populi, vt despoticum dici queat; sed respectu rebellium, quos oportet pastorali baculo coërceri. Hebræam tamen vocem ibi posse verti *conteres*, loco *reges*, multorum sententia est.

Respondet quidam sectarius, fateri se quòd pascere, etiam regere & præesse in latitudine suæ significationis includat; sed vult hîc accipi Synechdochicōs, vt significet ex parte solùm, secundùm quemdam modum, pastoris officium facere.

Sed contrà, quòd pascere hîc significet summam præfecturam ouilis, vel ex ipsa rei natura colligimus. Omnia enim munia pastoralia sunt necessaria ouili Christi; itaque simpliciter præfecturam & curam sui ouilis, Dominus quasi foras ad Patrem profecturus, Petro demandauit; sicut simpliciter omnem curam quam decebat filium gerere matris, moriens Ioanni commendauerat. Quorsum enim exciperetur præcipua portio curę pastoralis, sita in prouidentia primi præfecti, qui inferiores pastores ad vnitatem reuocet? Regit itaque & pascit nos per Petrum Dominus, ita vt nihil nobis desit, secundùm illud Psalm. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* vbi Græcè est, *pascit me.* Totum autem ouile Christi hîc Petro esse commissum, non tantùm aliquam portionem gregis, facilè euincimus contra hæreticos. Habet enim vox illa, *meas*, vim distribuendi; vt si quis dicat, Lego Petro libros meos, nullus liber excipitur: idem enim est ac si dicatur, omnes libros meos. Accedit consensus veterū, quibus interpretantur illud, *oues meas*, quasi dixisset Dominus, Pasce ouile meum, aut omnes oues meas: immò interdum apertè dicunt, etiam ipsos Apostolos curæ Petri hîc esse commissos. Ita Leo sermone 3. de Assumptione sua ad Pontificatum, & Bernardus lib. 2. de consideratione. Vbi aliud quod respondeant non habent hæretici, quàm hos viros, alioqui pios, communem tunc errorem secutos esse. Ita enim respondet recentior quidam, nisi quòd petulantiùs in S. Leonem inuehatur. Respondens enim ad eius verba, quæ in eodem sermone citato reperiuntur eiusmodi: *Vt omnes propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus*; ita scribit sectarius: *Hæc Christus numquam dixit: Leo si dixit, rugientis vocem horret Ecclesia.* Sed benè habet, quòd nos saltem leuent aduersarij onere probandi, priscis illis sæculis nostram sententiā fuisse communem, & etiam à piis & doctissimis viris receptam. Sanè eam iuuat ouium distincta & agnorum in textu mentio: per oues enim Apostoli & reliqui Ecclesiæ pastores significantur, qui alios Christo pariunt per agnos significatos: aut quia bis agni nominantur, per oues, maiores pastores Apostolos & Episcopos: per agnos, semel ouiculas, id est qui sub Episcopis curam animarum habent; & semel eos qui nullam pastoralem curam exercent, licebit accipere.

Ex his patet, frustrà hæreticos conuictos de significatis vniuersis hîc Christi ouibus, hoc quasi occluso sibi ostio, per aliam rimam conari euadere; quasi omnes quidem Christi oues Petro hîc commendentur pascendæ, sed non aliter quàm aliis Synapostolis fuerint aliàs commissæ: adeoq; nullas quidem hîc esse exceptas, sed non omnes esse inclusas. Frustrà inquam hoc modo nituntur elabi, quia iam ostensum est, non tam cum aliis pastoribus pascere iussum hîc esse Petrum, quàm ipsos etiam quoscumque pastores cum aliis, tamquam oues cum agnis, ipsius curæ pascendos commendatos esse.

Multa contra Petri primatum obijciunt hæreti- *Obiectio ex*
ci. Ex Scripturis enim obijciunt Primò, illo Con- *Script.*
cilio Actorum 15. celebrato Petrum non præse- 1.
disse, sed se gessisse vt reliquis parem. Item cùm ad 2.
pastores scribit, non mandare ex imperio, tamquam superiorem; sed collegas suos facere, & comiter hortari. Immeritò accusatum quòd ad gen- 3.
tes ingressus esset, respondisse & se purgasse. Apo- 4.
stolos etiam eum non agnouisse pro suo capite; aliàs enim non fuisset inter eos contentio, quis ipsorum esset maior, postquam iam Petrus petra esset



esset constitutus Ecclesiæ, eique cælorum claues promissæ essent, adeoque iam ipsorum princeps designatus esset. Et ne quis dicat, dispositionem Domini Apostolos tunc latuisse, sed palàm Petrum posteà inauguratum fuisse, & promissas cla-
5. ues accepisse; opponunt Paulum etiam posteà in
6. faciem ei restitisse; & apertè satis se Petro Apostolatus honore parem esse contendisse, ad Galat.
7. cap. 1. & 2. Item dicere se nihil minùs feciisse à
8. magnis Apostolis 2. ad Corinthios 11. Denique Petrum cum Ioanne in Samariam missum tamquam legatum cœtus Apostolici.

*Obiectio 2.* Secundò obijci potest, Augustinus de agone Christiano cap. 30. *Cùm Petro dicitur, ad omnes dicitur, Pasce oues meas.*

*Obiectio 3.* Tertiò opponunt, Paulum per Antonomasiam dici Apostolum, Petro à dextris pingi, Petrum non semper primo loco nominari, Petrum Satanam dictum, & in grauissima peccata præ reliquis cecidisse, adeoque etiam in fide errasse.

*Obiect. 4.* Denique si Petrus fuerit princeps Apostolorum, ostendendum esse in quo eos rexerit, aut quid eis contulerit.

*Resp. ad obiect. ex Script. Ad 1.* Verùm ad hæc argumenta facile fuerit respondere. Ad primum Respondeo, & Petrum aliquando potestatem sui principatus siue primatus exercuisse, & in ea ab Apostolis agnitum fuisse, etiam in illo ipso Concilio. Theophylactus quidem videtur sentire, Iacobum in illo Concilio, tamquā loci Episcopum, honoratiori loco dixisse sententiam: *Episcopus erat hic, quamobrem etiam posteriori loco dicit.* Hieronymus tamen epistola ad August. quæ reperitur 11. inter epistolas August. notat Petrum solita libertate primò locutū, eiusq; sententiam alios secutos esse: *In sententiam*, inquit, *eius Iacobus Apostolus & omnes simul presbyteri transierunt.* Non itaque est verisimile, quòd honoratiori loco Iacobus ibi sententiam dixerit, vt vult Theophylactus; neque tamen illud, etiamsi detur, quidquam oberit primatui Petri. Poterat enim Petrus qui accusatus erat quòd diuertisset ad gentes, cuius etiam fortè tum aderant accusatores, aliquid in eo concedere Iacobo, cuius in nullo suspecta erat Ierosolymis tamquam Episcopi auctoritas: potuitque hoc deferre in propria Ecclesia residenti, vt sententiam pronuntiaret, vt dicit Driedo lib. 4. de Ecclesiasticis scripturis cap. 3. parte 2. Verùm, vt rectiùs obseruauit in eum locum Caietanus, non prorulit sententiam definitiuam Iacobus, sed ea subsecuta est. Sequitur enim: *Tunc placuit Apostolis & senioribus*, &c. alioqui Iacobum Petro cessisse clarissimè docet Bernardus lib. 2. de Consideratione: *Iacobus*, inquit, *vna contentus est Ierosolyma, vniuersitatem Petro concedens.*

Act. 1. Gessit quoque se Petrus tamquam caput Apostolorum, in electione Matthiæ, vbi Apostolos direxit tamquam Princeps: *Surgit Petrus*, inquit Oecumenius, *non Iacobus; & tamquam feruentior, & veluti is cui discipulorum præsidentia commissa erat.* Citant Eusebium, qui dicat Iacobum Apostolorū fuisse Episcopum. Sed rectè ostendit Bellarminus, corruptè ita legi apud Eusebium; cùm in Græco solùm dicatur Iacobus constitutus Episcopus Ierosolymorum. Opponit quidam sectarius, apud Ruffinum & Marianum Scotum ex sententia Methodij idem reperiri; Clementem etiam Romanum lib. 1. recognitionum, Iacobum vocare Episcoporum principem. Sed neque bonæ fidei hîc est Ruffinus, neque melioris Marianus Scotus multò posterior. Quòd verò Clemens vocet Iacobum Episcoporum principem, minus est quàm si Apostolorum principem vocasset, vt vocari solitum Petrum suprà ostendimus. Presbyteri enim in primitiua Ecclesia ijdem etiam Episcopi dicebantur: vt solùm voluerit Clemens, Iacobum fuisse principem presbyterorum Ierosolymis, sicut Caiphas erat princeps Sacerdotum. *Iacobum*, inquit, *Episcoporum principem Caiphæ Sacerdotum princeps orabat.* Humilis verò Petri *Ad 2.* stylus quo cap. 5. primæ suæ Epistolæ ad seniores scribit, non est signum nullius primatus; sed non iactati: nam quia simul Apostolus erat, libentiùs eo vtitur titulo quàm Principis; & mauult haberi testis passionum Christi, quàm Vicarius Christi, præcipuè quādo vult alios dehortari ne ipsi dominentur in Cleris. Ideò ergo conseniorem se vocat; alioquin certum est omnes Apostolos fuisse superiores eiusmodi senioribus, vt rectè notat Oecumenius ad cap. 15. Actorum. Quòd accusatus se *Ad 3.* purgauerit, subiectionis non est signum, sed sollicitæ innocentiæ: nam etiam Christus hoc fecit. Contentio inter Apostolos, quis eorū esset maior, *Ad 4.* non arguit Petro primatum tunc non fuisse promissum; sed solùm non fuisse ita promissum, vt ipsi satis intellexerint. fuit enim sermo Domini figuratus. Adde, hunc locum esse contra sectarios; vt quo constet, aliquem inter Apostolos Christi, fuisse maiorem. Nisi enim à Domino hoc intellexissent, non quæsiuissent quis ille esset. Neque in hoc à Domino corriguntur, quòd putent aliquem inter se esse maiorem; sed quomodo maior se debeat gerere, Dominus subiungit dicens: *Reges gentium dominantur eorum*, &c. Reprehensibilis *Ad 5.* autem dicitur fuisse Petrus, imprudenter gentes offendendo, Deo permittente; vt posteritas haberet in Paulo exemplum zelosæ libertatis, in Petro verò humilitatis. Rectè enim Augustinus epist. 19. *Rarius & sanctius exemplum Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur, si cubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi, quàm Paulus*, &c. Quòd dicunt Paulum Petro se pa- *Ad 6.* rem facere, negatur si ad Pontificatum fiat respectus: alioqui Apostolatus munus par vtrique fuisse, libenter dederimus. In quo etiam ita stre- *Ad 7.* nuè se gessit Paulus, vt supra modū Apostolus, nihil minùs fuerit à magnis Apostolis. Legatio Pe- *Ad 8.* tri cum Ioanne, non derogat primatui eius. Nam Iosue 22. populus Israël Sacerdotem summum Phinees misit ad filios Ruben & Gad. Consilio enim & suasione etiam ab inferiori mitti superiorem, nihil vetat.

Ad secundum respondeo. Quando Petro cla- *Resp. ad 2.*
ues aut potestas ligandi & soluendi aut pascendi committuntur, duæ cauendæ sunt extremæ opiniones: vna nostrorum hæreticorum, Petro nihil peculiare committi præ reliquis Apostolis; contra quos satis in superioribus disseruimus: altera aliorum hæreticorum, qui Petro ita personaliter id tribuunt, vt ad Ecclesiam aut posteros illam potestatē non deriuent; quos refutat loco obiecto Augustinus. Proximus isti posteriori errori videtur fuisse Tertullianus, postquam ab Ecclesia iam defecerat, lib. de pudicitia cap. 21.

Ad tertium. Quare per Antonomasiam Paulus *Resp. ad 3.*
dicatur Apostolus, rationem reddit Augustinus, quia in pluribus Epistolis sit notior, & plus omni-

bus laborauerit. Quod ad picturam attinet, constat apud Romanos dignitorem solitum esse ire interiorem, id est, à sinistris; vt si vellet, posset alteri tamquam famulo inniti. Omitto hoc non fuisse in antiquis picturis perpetuum, vt Petrus Paulo adpingeretur à sinistris. Quod verò dicitur non semper primo loco Petrum recenseri; falsum est, si ad illos locos respicias, in quibus catalogus texitur Apostolorum. Fraudi denique ne sit Petro sua negatio, aut quòd Satan sit appellatus, effecit Dominus quando eum respexit, & post se ire iussit. Sic enim conuersus, etiam exemplo suo confirmauit fratres suos. Omitto quòd etiam in Paulo vbi abundauit delictum, ibi abundauerit & gratia. In fide tamẽ Petrus non errauit quando Christum negauit, sed solùm peccauit contra præceptum confitendi fidem: quod sine infidelitate posse fieri, suo loco ostendemus.

*Resp. ad 4.* Ad quartum & postremum. In quo direxerit, aut rexerit Apostolos Petrus, iam suprà diximus. Verùm esto, non fuerit tunc opus multo exercitio supremæ huius potestatis; fuit tamen necessaria, vt vnitas commendaretur, sicut dicit S. Cyprianus lib. de simplicitate Prælatorum, & vt posteritati certa regiminis forma præscriberetur.

## DISPVTATIO III.

### *An ex Christi instituto Petrus aliquem habeat in summo Pontificatu successorem, & quisnam sit ille?*

EO iam constituto quòd Petrus fuerit summus Pontifex, & pastor vniuersalis non tantùm populi Christiani, sed etiam illorum quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, vna nobis est cum sectariis contentio, an in hac potestate Petrus habuerit successorem? *Sententia hæret.* altera, quisnam ille sit? Et de priori quidem ea est ipsorum sententia; Etsi verum non sit Petrum eiusmodi primatum habuisse, nihilominùs etiam eo dato, inconsequens esse quod nos volumus aliquem in hac potestate succedere. Quod probant: Quia neque in Apostolatu, neque in dono edendi miracula quisquam Petro succedit.

Contra hunc errorem sit nostra huiusmodi Propositio:

*Propositio.* Primatus & summus Pontificatus Petri, non fuit temporaneus sicut Apostolatus; sed talis fuit, vt in eo oporteat, quamdiu Ecclesia hîc militat, aliquem succedere, qui toti ouili Christi, & reliquis omnibus pastoribus, presbyteris & diaconis ex officio præsit & imperet. Neque enim pastoratus, vt hæretici fatentur, in Ecclesia cessat. Quæ itaque causa fuit, summũ sacerdotium ac pastoratum committendi Petro; ea erit toto decursu Ecclesiæ, aliquem loco Petri in huiusmodi præfectura surrogandi. Neque enim Christus Petri primatum instituit tam vt Petrum honoraret, quàm vt in perpetuùm suæ Ecclesiæ prouideret de vicario, pastore vniuersali. Ecclesia enim post mortem Petri non minùs indiget tali pastore, quàm eo viuente: imò magis; tum quia fideles nunc plures sunt, maior autem multitudo ex variis ingeniis constans, difficiliùs in vnitate continetur: tum etiam quia fideles non æquè perfecti sunt, ac erant primi illi Christiani tempore Petri, adeoque magis indigent summi alicuius Pontificis auctoritate, qui vitia corrigat: denique quia Apostoli reliqui non æquè indigebant directione Petri, ac modò Episcopi, qui quoad Episcopale munus, ipsis Apostolis successerunt, indigent directione summi Pontificis.

Confirmatur ex D. Augustino lib. de pastoribus cap. 1. *Quòd Christiani sumus, propter nos est: quòd præpositi sumus, propter vos est.* Item ex ipsis verbis Domini, quibus supra Petrum ædificaturum se promittit Ecclesiam. Nemo enim dixerit, fundamenti munus in ædificio vmquam cessare: oportet enim semper totam molem sustentet. Oportet itaque Cathedra Petri in Ecclesia perseueret, cui tamquam basi incumbat confirmandum ac solidandũ totum ædificium. Verum quidem est, Ecclesiam non semper fundari, ideoque Apostolatum in ea cessasse; sed sicut domus semel fundata nihilominùs regenda est; rectè intelligitur aliquis perpetua successione præficiendus Ecclesiæ, qui eam regat donec redierit Dominus. Manet ergo sua gloria Christo Domino, qui solus est fundamentum primarium fundans Ecclesiam: manet etiam sua prærogatiua Petro, qui inter Apostolos fundatores primus fundator, & inter fundamẽta ciuitatis sanctæ, primum à Christo architecto positus est fundamentũ. Perseuerat nihilominùs fundamenti huius officium in Petri successore, quatenus cura sua pastorali totius Ecclesiæ molem sustentat, & omne reliquum ouile sua stabilitate ad normam Petri confirmat; vt non malè hoc respectu dixerit Leo serm. 2. de sua Assumpt. ad Pontific. Petrum suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquisse. Retinet etiam summus Pontifex Apostolicam potestatem ad propagandam Ecclesiam, iam priùs per Christum Apostolorum extraordinario ministerio fundatam.

Quòd verò opponunt, si fundamenti vrgeamus rationem, etiam in futura vita aliquem, præter Christum, futurum summum Pastorem, si nunc talis constituatur, facilè diluitur: neque enim mirum est, Domino redeunte cessaturum post iudicij diem hunc Christi vicariatum, quando Deus erit omnia in omnibus; & oues non egredientur foras ampliùs, sed ingredientur & egredientur, & pascua inuenient. Sicut enim per se suos rexit Christus, quando cum eis erat ante mortem; ita per se eos reget, quando omnes assumentur ad consortium gloriæ & resurrectionis eius.

*Obiectio.* *Responsio.* Ioan. 10.

Accedit in huius Propositionis confirmationem, quòd vnus in veteri Testamento fuerit Pontifex, controuersiarum iudex, cui sub pœna mortis omnes debebant obedire, Deo ita iubente. Vtitur hoc argumento Anacletus epist. 2. Denique contrariũ damnauit Ecclesia in Concil. Constantiensi: vbi inter articulos Ioannis Hus, damnatur 27. ita habens: *Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse vnum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesia conuersetur & conseruetur.* Deut. 17.

De posteriori, Quisnam sit hic D. Petri in pastorali primatu successor? mirè tumultuantur hæretici, omnibusque neruis contendunt, non esse Romanum Pontificem.

Contra quos sit secunda nostra hæc Propositio: Romanus Pontifex pro tempore existens, succedit D. Petro non tantùm in Episcopatu Romano, sed

*1. Propositio.*



sed in regimine & præfectura Ecclesiæ vniuersalis. Vt hanc Propositionem accuratiùs probemus, per distincta aliquot dubia, difficultates aliquas præcipuas circa eam occurrentes, explicabimus.

### DVBIVM I.

#### *An Petrus Romæ Episcopatum tenens ibidem sit mortuus?*

DVM omnem hîc lapidem mouent hæretici, ne cogantur admittere Romanum Pontificem in primatu succedere Petro; negant in primis, Romanum Episcopum aliqualiter Petri esse aut vmquam fuisse successorem, nisi fortè generali ratione, qua quilibet Episcopi, aut saltem illi qui Ecclesias regunt ab Apostolis fundatas, Petri successores dici queant propter fidei vnitatem. Et dicunt, aut Petrum numquam fuisse Romæ; aut si Romæ fuerit, non fuisse tamen Episcopum Romanum: aut si fuerit Episcopus Romanus, non constare quòd illum Episcopatum ante mortem non reliquerit, sicuti dicitur Antiochenum reliquisse; adeoq; non magis Romanum quàm Antiochenum Patriarcham Petri esse successorem. Huic errori oppono aliquas Propositiones.

*1. Propositio.* Prima Propositio: Petrus antequam certi loci esset Episcopus, erat verè Pontifex vniuersalis Ecclesiæ. Patet ex dictis, præcipuè dum constet, aliquamdiu Petrum sine certa sede post Domini ascensionem fuisse.

*2. Propositio.* Secunda Propositio: Quando Petrus Antiochiæ fuit Episcopus, aut non euexit Episcopatum Antiochenum in primam sedem, sed primatus mansit quasi nulli loco astrictus, & sedit primus & Oecumenicus Episcopus vniuersalis Ecclesiæ Antiochiæ, sicut si sederet Papa in ciuitate Auenionensi, & simul illius loci esset Episcopus: aut si etiam Antiochenum Episcopatum Petrus ad tempus euexit in primam sedem, vt videtur dici 24. quæst. 1. capitulo Rogamus; non tamen fundauit ibi perpetuò primatus sui sedem.

*3. Propositio.* Tertia Propositio: Relicto Episcopatu Antiocheno Petrus Romam venit, & Romanus Episcopus factus, eam sedem tenuit donec ibidem martyrio consummaretur. Priorem partem tradunt apertissimè veteres passim. Posterior autem satis apertè consequitur ex priori, adiuncto quòd nusquam legatur aliò Petrum Româ sedem transtulisse; & quòd plurimi veterum, etiam Caluino fatente, luculenter restentur Romæ mortuum esse.

*Obiect. hæreticorum.* Respondent ad hæc hæretici, verum non esse, quòd Petrus aut Paulus, locales Episcopi Romæ fuerint; sed vtrumque Romæ quidem fuisse, & Episcopum exstitisse; sed vniuersæ Ecclesiæ, sicut & omnes Apostoli: quamuis vt Iacobus à residentia Ierosolymitanus, & Ioannes Ephesinus, ita Petrus dici potuerit Romanus. Primum autem localem Episcopum Romæ fuisse Linum, eumq; non tam à Petro, quàm à Paulo ordinatum, vt testatur Clemens l. 7. constit. Apostolicarum, c. 47. vbi Petrus ita loquitur: *Romanæ Ecclesiæ Linus Claudiæ filius, primus à Paulo; Clemens post eius mortem à me Petro secundus ordinatur.* Addunt in huius rei confirmationem, quòd veterum quidam dicant, Petrum & Paulum simul Romæ Episcopos fuisse, vt Ireneus cap. 3. lib. 3.

*Respons.* Sed contrà, Petrum propriè Romanum Pontificem fuisse, tota vetustas testatur, sicut & Iacobum Ierosolymitanum, & Ioannem Ephesinum. Cyprianus epist. ad Cornelium: *Nauigare audent ad Petri Cathedram.* Eusebius in Chron. dicit Petrum viginti quinque annis Romæ Episcopum fuisse. Similiter loquitur Epiphanius, & alij passim. Verum quidem est, ex veteribus satis colligi, Linum, etiam viuente Petro, Romæ Pontificatum gessisse, videlicet tamquam Petri adiutorem: quòd verò à Paulo dicitur ordinatus Linus, ita accipit Franciscus Turrianus, vt principalis coadiutor Petri Paulus, etiam ipse vniuersali Ecclesiæ fundandæ cum Petro intentus, hunc ex Petri potestate sibi commissa, per manus impositionem Episcopum ordinauerit, & adiutorẽ in Sede Romana Petri posuerit. Paulum enim constat Petri adiutorem fuisse in Ecclesia Romana fundanda, adeoque fraterno quodam iure quasi simul eamdem sedem cum ipso Petro tenuisse, vt propterea & hodie Romani Pontifices, in Apostolorum Petri & Pauli hac auctoritate succedere rectè dicantur. Itaque per impositionem manuum, primus Episcopus Romæ fuit Linus, ne Petro absente vrbs sine Episcopo remaneret: Petrus autem sine manuum impositione, ab ipso Domino primus fuit absolutè Episcopus Romæ constitutus. Ex quo constat, malè quemdam ex hoc loco collegisse, Romanum Episcopatum potiùs esse à Paulo introductum, quàm à Petro.

### DVBIVM II.

#### *An Romanus Episcopatus per Petrum euectus sit in summum Pontificatum?*

DVO hîc nobis sunt tractanda: vnum est, Romanum Episcopum succedere Petro in summo Pontificatu: alterum quomodo hoc fiat; an connexione summi Pontificatus ad Romanum, an verò euectione Romani Pontificatus in summum, sicut ex Episcopatu fit Archiepiscopatus.

Quod ad prius attinet, si ostenderimus Episcopum Romanum semper habitum fuisse pro summo Pontifice & vniuersali Patriarcha, satis ostenderimus Petro in hoc successisse. Ostendemus autem, omissis plurimis quæ ex omni sæculo produci possent testimoniis, auctoritate præsertim quatuor primorum vniuersalium Conciliorum: his enim tamquam tintinnabulis quibusdam, summum Pontificem exhibemus agnoscendum, vt audiatur sonitus eius in templo, in memoriam filiis gentis suæ, vt de Aarone dicit Ecclesiasticus c. 45.

*Primatus Romanæ Sedis prob. ex Concil. Nicæno.* Certum est, in primo Concilio Nicæno apertè satis contestatam fuisse hanc Romanæ Sedis auctoritatem, vt patet ex Concilio Chalcedonensi, actione 16. Certum etiam est, plures fuisse Nicænos Canones, quàm nunc Græcè exstent. Rectè enim Baronius ex tabulis, id est ex diuersis Canonibus, qui extra notos illos viginti apud veteres passim citati reperiuntur, colligit hoc naufragium Nicænorum Canonum, quos alij fuisse volunt septuaginta, alij septuaginta duos, alij octoginta; qui in septuaginta postea redacti sunt. In Canonibus autem qui nunc exstant, Canon. 6. commendatur auctoritas Romani Episcopi; qui quamuis murilus circũferatur, in Concilio tamen Chalcedonensi, actione 16. à Paschasio Sedis Apostolicæ Vicario recitatur in hunc modum: *Trecentorum decem & octo sanctorũ Patrum Canon. 6. Quòd Ecclesia Romana sem-*

*na ſemper habuit primatum; teneat autem & Ægyptus, vt Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo.* Circa quem Canonem obſeruandũ primò, Turrianum exiſtimaſſe verba illa, *Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*, à Paſchaſio eſſe prolata, tamquam titulum Canonis: ſed meliùs ſentire Baronium, eſſe partem Canonis. Secundò obſeruandum, verba illa, *quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo*, pro Sedis Romanæ primatu vrgeri à magnis auctoribus, quaſi ſignificatum ſit, conſueuiſſe Romanum Epiſcopum in Eccleſias Ægypti poteſtatem relinquere Epiſcopo Alexandrino. Ita Nicolaus in epiſtola ad Michaëlem Imperatorem, Leo I. in epiſtola ad Marcianum Auguſtum, Melchiades Papa, & alij quos hodie citant & imitantur Catholici contra Lutheranos, Turrianus, Bellarminus, & ceteri. Verùm omnino exiſtimandum, luculentiùs in eodem Concilio Romanæ Sedis primatum fuiſſe expreſſum; idque cum aliis pluribus Canonibus intercidiſſe, Arrianis paſſim exemplaria exurentibus, vt conſtat ex D. Athanaſio epiſtola ad omnes Orthodoxos. Quia tamen Arriani non æquè potuerunt alibi latentes in peregrina lingua iam verſos Nicænos Canones è medio tollere; admodum fit veriſimile quod tradit Turrianus l. 3. pro epiſtolis Pontificum c. 8. potuiſſe integros Canones cõſeruari lingua Arabica. Profert autem ex codice Arabico Canonem 44. ita redditum: *Qui ſedem Romæ tenet, ſuperior eſt, & princeps omnium Patriarcharum; ſiquidem ipſe eſt primus vt Petrus, cui datus eſt principatus in omnes principes Chriſtianos, & eorum populos; quia eſt vicarius Chriſti Domini noſtri, ſuper populos eius, & ſuper omnes Eccleſias Chriſtianorum.* Eumdem Canonem idem Turrianus ex alio codice Arabico per alium interpretem redditũ profert libro 3. de dogmaticis characteribus verbi Dei fol. 125. in hunc modum: *Vt à principio Petrus Chriſti vicarius, religioni, Eccleſiis, ceteriſque ad Chriſtum pertinentibus rebus præfectus, principum Chriſtianorum, prouinciarum, & omnium gentium dominus & rector erat: ita ille cuius principatus Romæ eſt, Petro ſimilis & auctoritate par, Patriarcharum omnium dominatum & principatum obtinet.*

Eſt prætereà inter Nicænos Canones Canon de admittenda Epiſcopi à ſuis conprouincialibus damnati appellatione, ex quacumque prouincia, ad Romanam Sedem; quem Zoſimus Papa obiecit Concilio Africano, vt patet in Cõcilio Carthaginenſi 6. Neque debet quempiã hîc mouere, quòd Africani tunc hunc Canonem non admiſerint, ſed conſuluerint Græcos, à quibus acceperunt, hunc Canonem in Orientalium exemplaribus non reperiri: conſtat enim apud Græcos, Nicænos Canones ſtatim initio fuiſſe exuſtos, corruptos, mutilatos; ita vt etiam Athanaſius eos Romã petendos putauerit. Cùm enim tanta eſſet turba Arrianorum Epiſcoporum, & duodecies eoque amplius ſua contra Nicænam fidem conciliabula coëgerint; mirum non eſt, apud Græcanicas Eccleſias non potuiſſe Nicænos Canones ſaluos perſiſtere. Accedit quartum nobis ex Nicæna Synodo præſidium, quòd hæc Synodus decreta ſua petierit & obtinuerit à Siluestro Papa Romano confirmari. Denique plures Canones Nicænos pro auctoritate Romanæ Sedis, videre licet in reſcripto Iulij Papæ pro Athanaſio ad Orientales Epiſcopos; qui Iulius Nicænæ Synodo interfuit, & paulò pòſt Romanam Sedem adeptus eſt. De quibus tamen à Iulio citatis Canonibus illud monuerim, non videri propriè eos conſtitutos pro Canonibus à Nicænis Patribus, ſed deſumptos ex actis Synodi, vt ſint potiùs Nicænæ deciſiones iudiciales, quàm Canones qui ſeorſim ab actis editi ſunt.

Concilium Vniuerſale ſecundum, etiam primatum & auctoritatẽ Romanæ Sedis agnouiſſe, conſtat ex l. 5. hiſt. Theodor. c. 9. Vbi Concilium ſcribens Damaſo, dicit ſe conueniſſe Conſtantinopolim ipſius directione & iuſſu. Confirmatum etiam fuiſſe idem Concilij à Papa Damaſo, narrat Photius Patriarcha de ſeptem Conciliis Oecumenicis. *Prob. ex Conc. Conſtantinop. 1.*

Concilium etiam Epheſinum, honorem ſuum detulit Romano Pontifici Cæleſtino, cuius vicarius Cyrillus, & alij ſubmiſſi tres Legati, Arcadius, Proiectus, & Philippus preſbyter, primatum Apoſtolicæ Sedis, ſacro approbante Concilio, & verbis & factis profeſſi ſunt. *Ex Concil. Epheſino.*

Ad Chalcedonenſem Synodum venio, in qua Epiſcopus Romanus Leo, non ſemel vocatur Eccleſiæ vniuerſalis Pontifex. Et quamuis Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus Synodum induxerat, vt nouæ & antiquæ Romæ Epiſcopos pares pronuntiaret; reclamarunt tamen Apoſtolicæ Sedis Legati, & Canon ille 28. reiectus eſt à Leone, de ſuæ Sedis iniuria iudicante, & Anatolius coactus eſt ſe continere intra limites ſuos. *Ex Synodo Chalced.*

Reſpondent hæretici, Leonem à Concilio non aliter appellari vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem, quàm quòd eſſet Pontifex Eccleſiæ Catholicę, ſicut ſunt quilibet Epiſcopi Orthodoxi. Sed manifeſtum eſt erratum. vocatur enim non tantùm vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, ſed Archiepiſcopus Oecumenicus: quæ appellatio non conuenit omni Epiſcopo Catholico, ſicut Concilium Prouinciale, aliàs Catholicum, non dicitur Oecumenicum. *Obiectio haret.* *Reſponſ.*

Reſpondent ſecundò, Patriarchas omnes dictos eſſe Oecumenicos, eò quòd ex conſtituto humano ad ipſos pertineret iudicium totius ordinis Eccleſiaſtici in toto orbe, quamuis preſbyterium debuerint adhibere, adeoque non niſi in Conciliis Oecumenicis eiuſmodi iudicium exercere potuerint. Ita dicunt Iuſtinianum Nouella 3. 5. & 7. Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum vocaſſe Oecumenicum Patriarcham, eodemque titulo Leonem Imperatorem exornaſſe Stephanum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum. Imò in Concilio 5. Vniuerſali act. 1. ita legi: *Præſidente ſanctiſſimo & beatiſſimo Domino noſtro Oecumenico Patriarcha Menna.* & poſteà: *Sanctiſſimus & beatiſſimus Oecumenicus Archiepiſcopus & Patriarcha Mennas dixit.* Item Adrianum Romanum Pontificem Concilij Nicæni 2. act. 2. ſic inſcripſiſſe litteras ſuas ad Taraſium Conſtantinopolitanum: *Dilecto fratri Taraſio Generali Patriarchæ Adrianus ſeruus ſeruorum Dei ſalutem.* Denique non diſſimiliter in eadem Nicæna Synodo in ſingulis actionibus Alexandrinum & Antiochenum ſiue Theopolitanum dictos eſſe Apoſtolicos & Oecumenicos Patriarchas, quòd nimirum & Apoſtolicas Sedes obtinerent, & primas agerent in Conciliis Oecumenicis. *Obiectio 2.*

Ad hæc reſpondeo, non eſſe verum Patriarchas omnes dictos fuiſſe Oecumenicos. Verùm quidem eſt, Conſtantinopolitanum, vſurpatione quadã, quam ſecuti ſunt Imperatores obiecti, Oecumenicum à Græcis dictum fuiſſe: ſed quo loco illud habendum ſit, patet ex Anaſtaſio Bibliothecario in præfatione ſua de Septima Synodo à ſe tranſlata, ad Ioannem Papam Octauum. Dicit enim ſe Græcos frequenter Conſtantinopoli ſuper vſurpato illo titulo Oecumenici reprehendiſſe, eoſque reſpondiſſe, quòd non ideò Oecumenicum dicerent ſuum Patriarcham, quaſi vniuerſi orbis teneret præſulatum; ſed quòd cuidam parti orbis præſit, quæ à Chriſtianis inhabitatur. Hoc idem ſecutus eſt Nouellarum interpres Nouella 3. & 5. ſuprà citata. Vbi enim Græcè erat Οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ, vertit, *vniuerſi eius tractus Patriarchæ.* Ex æmulatione itaque Romanæ Sedis, Patriarcha nouæ Romæ, etiam ipſe, ne quid minus videretur eſſe à Romano, dici voluit Oecumenicus. *Reſponſ.*

De Adriani epiſtola quod addunt; benè annotauit in margine Heruetus aut Surius, videri hoc à Græculo quopiam appoſitum, maximè cùm in eadem epiſtola aliquoties apertiſſimè dicat Adrianus, Romanam Eccleſiam eſſe caput omnium Eccleſiarum Dei.

Quod de Alexandrino & de Antiocheno addunt, negamus bona fide citatum eſſe, cùm nihil tale in Secunda Nicæna Synodo reperiatur.

His niſi recentiora, veteribus conformia, nouatores reijcerent, addi poterat Concilium Florentinum, in quo poſt diligentem hac de re quindecim menſibus habitam inquiſitionem, tandem definitum eſt, Romanum Pontificem Petri eſſe ſucceſſorem, & in vniuerſum orbem tenere primatum.

Nunc alterum videamus, quòd Romanus Pontifex Petro ſuccedat in ſummo Pontificatu, an fiat quia ſummus Pontificatus annexus Epiſcopatui Romano; an verò quia Epiſcopatus Romanus euectus eſt in ſummum Pontificatum. Poſterius videtur verius; eſt enim vrbis Pontificatus idem totius orbis, adeò vt eo ipſo quo quis eligitur Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ, ſit paſtor vniuerſalis totius Eccleſiæ Chriſti, etiamſi aliud electores non exprimant. De quo vide Bellarminum lib. 2. cap. 12.



## DVBIVM III.

### *Quo iure vrbis, orbis ſit Pontifex?*

NON hîc inquiro à quo Petrus habuerit primatum; ſatis enim conſtat ex dictis, habuiſſe non ab Apoſtolis, aut ab Eccleſia; ſed immediatè à Chriſto. Non etiam quæro à quo electus Pontifex accipiat poteſtatem Papalem, an ab electoribus, an immediatè à Chriſto; de hoc enim ſequenti dubio: ſed an Romanę Sedis euectio illa in primam & vniuerſalem, de qua ſuperiori dubio, conſtituta ſit immediatè à Chriſto, vt iuris ſit diuini: an verò à Petro aut aliunde, vt tantum iuris ſit Eccleſiaſtici aut humani, & per homines mutari poſſit?

*Sententia 1.* Vna hîc eſt ſententia, non eſſe hanc euectionem iuris diuini, ſed ius diuinum liberum permittere Papæ, vt retento ſummo Pontificatu, relinquat Epiſcopatum Romanum, & alterius loci Epiſcopatum ſuſcipiat, aut etiam nulli loco aſtrictus ſit. Ita Dominicus Soto in 4. diſt. 24. q. 2. a. 5. Petrus de Alliaco quæſt. de Eccleſia.

*Sententia 2.* Altera ſententia dicit, non eſſe quidem inſtitutionem Euangelicam, quòd Romanus Epiſcopus potiùs quàm Antiochenus Petro in primatu ſuccedat: habere tamen Eccleſiam Romanam hanc prærogatiuam à Chriſto, quòd Chriſtus Petro iuſſerit, non ſolùm vt Romæ moreretur, ſed vt Eccleſiam Romanam, ibi moriens, heredem ſui primatus inſtitueret. Ita ferè Caietanus opuſculo de primatu Romanæ Eccleſiæ; Banneſius hîc dubio 2. in commentario, & in additionibus dubio 4. Valentia puncto 7. Canus lib. 6. de locis cap. 4. & aliquot ſequentibus; Driedo de variis dogmatibus lib. 4. cap. 3. part. 3. Turrecremata in capitulum Rogamus 24. q. 1. & Paludanus ab ipſo citatus.

Reſpondeo, ex Chriſti inſtituto Romanam Sedem eſſe primam, adeoque non poſſe ab ea ſeparari primatum & ſummũ Pontificatum: quamuis non ſit apertè de fide, eſt tamen probabiliſſimum. Ita Driedo & Bellarminus lib. 4. cap. 4. Probabilitas huius ſententiæ oſtenditur primò ex mandato Chriſti, quo Petrus Antiochiã Sedem tranſtulit Romam: videtur enim illud pertinere ad ſtabilimentum primatus Romanæ Sedis. De hoc mandato ita ſcribit Marcellus Papa Epiſcopis Antiochiæ conſtitutis: *Petri Sedes primitus apud vos fuit, quæ poſteà iubente Domino Romam tranſlata eſt.* Secundò hæc probabilitas oſtenditur ex eo quòd monitu & iuſſu Domini Petrus Romæ martyrium ſubierit, cùm aliò fugere vellet, vt conſtat ex Ambroſio oratione de tradendis Baſilicis. Videtur enim Chriſtus hoc facto impediuiſſe, ne aliò Sedes Petri videretur trãſlata, & voluiſſe vt agone ſuo Apoſtolus in hac Sede primatũ conſecraret; quòd vrget Gelaſius in decreto de apocryphis Scripturis. Tertiò, ex Iulio Papa epiſtola ad Epiſcopos Orientales; quę refertur capitul Dudum 3. q. 6. verba ſunt: *Hæc Eccleſia ſuo nomine conſecrata, Domino inſtituente, prima ſit & caput ceterarum,* &c. Quartò, ex Anacleto epiſtola ad omnes Epiſcopos, & refertur cap. Sacroſancta, diſt. 22. *Sacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit,* &c. Et infrà: *Prima ergo Sedes eſt cæleſti beneficio Romanæ Eccleſiæ,* &c. Quintò, ex decretis Gelaſij Papæ, in quibus ita legimus: *Conuenienſ eſt vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.* Sextò, ex auctoritate illorum qui Romanæ Eccleſiæ dicunt promiſſum à Chriſto, vt non deficiat fides eius. Ita Marcus Papa in epiſtola ad Athanaſium, Cyprianus lib. 1. epiſtola 3. Hieronymus libro 3. Apologiæ contra Rufinum c. 4. Vnde colligimus, in diœceſi Romana futuros veros fideles, qui Chriſti vicario adhęrebunt, donec Roma tempore Antichriſti, vt prædicitur in Apocalypſi, conCreametur: adeoque Romanam fidem & Sedem, non niſi cum mundo perituram. *Sententia & verior.* Apoc. 17.

Septimò, niſi Dei ordinatione primatus iſte à Sede Romana eſſet inſeparabilis, fuiſſet aliquando ſeparatus, cùm tot fuerint ſeparandi occaſiones tempore Imperatorum tyrannorum, tempore Gothorũm, tempore Bernardi, quando ciues Romani admodũ iniquè erant ſummis Pontificibus; denique illis 70. annis, quibus Romani Pontifices in Galliis reſiderunt. Denique videtur ad Dei prouidentiam pertinere, vt vnus idemque locus ab initio vſque in finem perſeueret, cuius Epiſcopus ſit Oecumenicus; vt hac ratione certius & magis

magis perſpicuum ſit caput viſibilis Eccleſiæ, & certior ſucceſſio.

Alteram partem noſtræ reſponſionis, quæ habet, non eſſe hanc Eccleſiæ Romanæ immutabilem & perpetuã dignitatem apertè de fide, oſtendere poſſumus ex vnico illo capite; quòd non prorſus improbabili tergiuerſatione, quęcumque ex Pontificum auctoritate de Romanæ Eccleſiæ in fide ſtabilitate dicta ſunt, accipi queant formaliter de illa Sede, vt eſt Sedes Petri, de qua apertè loquitur Anaſtaſius II. ad Anaſtaſium Auguſtum, vt liberum relinquatur opinari, quòd Sedes Petri deſinere queat eſſe Romæ; vel dici poterit, non omnia iſta pro definitione habenda, quæ in ſuis decretalibus Pontifices narrauerũt. Neque refert, damnatũ eſſe à Sixto I V. & congregatione Complutenſi articulum Petri Oxomenſis, quo aſſeritur, Eccleſiam vrbis Romæ errare poſſe: aut à Martino V. in Bulla, approbante Concilio Conſtantienſi edita, hæreticos haberi qui de Sacramentis aut fidei articulis aliter ſenſerint quàm Romana Eccleſia: nam etiam illa, modo quo diximus, accipi poterunt de Romana Eccleſia, in qua perſeueret ſedes Petri. Eſt tamen, vt diximus, altera ſententia communior probabiliſſima, & omnino recipienda. Ad Dei enim prouidentiam videtur pertinere, vt viſibilis Eccleſiæ caput certius ſit, per ſucceſſionem Petri in loco certo ſub aſpectum noſtrum cadente.

## DVBIVM IV.

### *A quo accipiat poteſtatem ſuam nouus Pontifex?*

RESPONDEO, immediatè à Chriſto accipere, cuius eſt vicarius, vt communiter dicunt Theologi & Canoniſtæ. Albertus Pighius lib. 6. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ c. 16. Soto in 4. diſtinctione 24. q. 2. a. 5. Turrecremata de Eccleſia lib. 2. c. 38. Ratio huius eſt manifeſta. Poteſtas enim omnis vel datur à ſuperiore, vel à multitudine. Pontifex autem ſuperiorem neminem habet præter Chriſtum: à multitudine autem hanc poteſtatem non accipit, ſicut Reges & Imperatores à Republica ſuam poteſtatem accipiunt; quia communitas non poteſt illam poteſtatem conferre, quæ originaliter in ipſa non reſidet; ſed independens à conſenſu ipſius multitudinis, à Deo inſtituta eſt. Quando enim Monarcha inſtituit vicarium, à ſolo ipſo is accipit poteſtatem, non à multitudine; etſi ab ipſa Monarcha ſit conſtitutus. Ergo multò magis vicarius Chriſti Monarchæ & capitis Eccleſiæ à Patre independenter à conſenſu hominum conſtituti, immediatè à Chriſto accipiet poteſtatem.

Neque obeſt, quòd Papa à Collegio Cardinalium eligatur: quia etiam Matthias per Apoſtolos electus, immediatè à Chriſto Apoſtolatus accepit poteſtatem. Quamuis meritò ibi diſcrimen inter duos factum ſit per diuinam ſortem: quia Apoſtolum aliquem eligere, non pertinet ad ordinariam Eccleſię poteſtatem, ſicut eligere Pontificem ſummum.

## DISPVTATIO IV.

### *An Romanus Pontifex habeat poteſtatem immediatè in omnia membra Eccleſiæ militantis?*

## DVBIVM I.

### *An Papa habeat poteſtatem in ſingulos Epiſcopos?*

INTER Doctores controuerſum eſt, An Epiſcopi iuriſdictionis poteſtatem accipiant immediatè à Deo, an verò immediatè à Romano Pontifice? Quod dubium hîc nobis examinandum eſt, vt hac ratione inueniamus, quouſque Epiſcopi ſint ſubiecti Pontifici. Quòd Epiſcopi non à Pontifice, ſed immediatè à Deo accipiant ſuam iuriſdictionem, tenet Victoria relect. 2. de poteſtate Eccleſiæ num. 27. & ſeqq. quam tamen ſententiam multùm mitigat num. vltimo; Caſtro libro 20. c. 24. de iuſta hæreticorum punitione.

Contraria ſententia eſt hodie communior, eamque tenet D. Thomas in 2. diſt. vlt. & alibi; Gabriel in Canonem Miſſæ lectione 3. Turrecremata lib. 2. de Eccleſia c. 54. & aliquot ſeqq. Caietanus tractatu de auctoritate Papę & Concilij c. 3. Latomus de primatu Romani Pontificis fol. 37. Soto in 4. diſtinct. 20. q. 1. a. 2. Bellarminus libro 4. de Pontifice c. 22. & 24.

Pro reſponſione ſit prima Propoſitio: Apoſtoli omnem ſuam iuriſdictionem acceperunt immediatè à Chriſto. Contrarium tenet Turrecremata & alij quidam: ſed noſtra ſentẽtia eſt probabilior. Nam ad Apoſtoli eſſentiam pertinet, vt ſit miſſus à Chriſto, ſicut Legatus de latere debet mitti ab ipſo Pontifice. Ideò Paulus tam ſeriò docet ſe non eſſe aſſumptum per homines, & Matthias diuina ſorte eligitur. Probatur ſecundò, Quia Matth. 10. Marci 6. & Lucæ 9. Apoſtoli immediatè à Chriſto miſſi ſunt ad domum Iſraël; Ioannis 20. Matth. & Marci vltimo, generatim ad omnes gentes. Neque enim dictum eſt ſoli Petro, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; ſicuti ſoli Petro dictum eſt, *Paſce oues meas*. *1. Propoſitio.*

Huic dubio affine eſt aliud, An Apoſtoli omnes immediatè à Chriſto fuerint ordinati, non ſolùm ſacerdotes, ſed etiam Epiſcopi; an verò per Petrum? Vbi rurſum magis placet, à Chriſto proximè omnes ordinatos eſſe; quamuis aliter viſum ſit Ioanni de Turrecremata. Ita docet Ioannes Maior in 4. diſt. 24. q. 3. Dominicus Soto ibidem q. 2. a. 2. & videtur eſſe D. Clementis libro 8. Apoſtolicarum conſtitutionum c. 46. & Turriani ibidem in ſcholiis. Idem tenuit Auctor quæſtionũ veteris & noui Teſtamenti, ſub nomine Auguſtini q. 97. *Nemo*, inquit, *ignorat Epiſcopos Saluatorem Eccleſiis inſtituiſſe. Ipſe enim priuſquam in cælos aſcenderet, imponens manum Apoſtolis, ordinauit eos Epiſcopos*. Probatur: Apoſtoli omnes acceperunt à Chriſto poteſtatem fundandi Eccleſias, quæ includit poteſtatem ordinandi & conſecrandi Epiſcopos: poteſtas autem conſecrandi Epiſcopos, præſupponit ordinem Epiſcopalem. Mirum enim eſſet, alicui competere poteſtatem conſecrandi conſecratores & ordinatores preſbyterorum, qui ipſe per ſe preſbyteros ordinare non poſſet.

Obijci-



*Obiect.* Obijcies ex Anacleto Papa relato diſtinct. 66. capitulo Porrò, Iacobum fratrem Domini, ordinatum Archiepiſcopum Ieroſolymitanum à Petro, Iacobo, & Ioanne.

*Reſponſ.* Reſpondeo, Inter multas reſponſiones quas habet gloſſa, optimam eſſe poſtremam, hac ordinatione Iacobo Sedem Ieroſolymitanam fuiſſe deſignatam; non autem Epiſcopatus ordinem collatum. Siqui autem ritus ſunt adhibiti, qui videantur pertinere ad conſecrationem, vt indicat Anacletus; poſſunt illi dici eò pertinere, vt per poteſtatem excellentiæ à Chriſto priùs ordinatus, per huiuſmodi cæremoniam viſibilis ordinationis, forma fieret ordinandorum in Eccleſię poſteritate Epiſcoporum.

*Propoſ. 2.* Secunda Propoſitio: Apoſtoli potuerunt per ſe ordinare Epiſcopos in ciuitatibus à ſe conuerſis, inconſulto Petro. Patet in Paulo, qui Timotheum ordinauit & Titum, cui inſuper c. 1. ita ſcribit: *Conſtituas per ciuitates preſbyteros*, id eſt, Epiſcopos. Sequitur enim: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe*, &c. Propugnat hanc Propoſitionem Franciſcus à Victoria, à quo tamen differimus in ſequenti.

*Propoſ. 3.* Tertia Propoſitio: Illi Epiſcopi ab Apoſtolis ordinati, non potuerunt ſibi paſſim eligere ſucceſſores, aut modum eligendi præſcribere, inconſulto Petro, aut Petri ſucceſſore Chriſti vicario, aut ſine aliquo ipſius conſenſu. Poſt mortem enim Apoſtolorum, poteſtas illa fundandi Eccleſias, ex qua promanabat extraodinaria iſta poteſtas coſtituendi per ciuitates Epiſcopos, remanſit in vno Chriſti vicario Petri ſucceſſore: id enim poſtulabat vnitas in Eccleſia Vniuerſali conſeruanda. Sanè ſi quid ratio hîc valeat, cõgruebat factis ſemel duodecim illis fundamentis, toto diffuſam orbe Eccleſiam, ad Apoſtolici verticis vnitatem reuocari. Verùm hæc ex ſequentibus magis conſtabunt.

*Propoſ. 4.* Quarta Propoſitio: Probabile eſt, ab initio ſolum ſucceſſorem Petri Romanum Pontificem habuiſſe poteſtatem per ſe aut per alios conferendi Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus, etiam in Eccleſiis Apoſtolicis, Antiochena, Alexandrina, & ſimilibus, iuriſdictionem Epiſcopalem; ita vt ſine Papæ hac poteſtate, nulla immediatè à Deo, aut mediante alio homine aut hominum conſenſu, in Epiſcopos iuriſdictio deriuetur.

Probatur; Quia oportet caput influere in omnia membra: cùm itaque poteſtatem ordinis, Epiſcopi à Deo immediatè accipiant, ſicut & ipſe Papa; ſupereſt vt eis conferat poteſtaté ordinariæ iuriſdictionis. Nam quòd Apoſtolorum caput fuerit Petrus, & nihilominùs iuriſdictionem eis non contulerit, extraordinariæ fuit diſpenſationis.

Secundò, Confirmari poteſt hæc Propoſitio ex typo: vt enim commendaretur vnitas Eccleſiæ, abſtulit Deus de ſpiritu Moyſis quod daretur ipſis ſenioribus, quos ei in populi regimine ſubſidiarios adiunxit.

Tertiò, Id præ ſe ferunt ſimilitudines capitis, radicis, fontis, ſolis, à quibus pro Eccleſiaſticæ poteſtatis deriuatione, exemplum ſumit Cyprianus, de ſimplicitate Prælatorum: vbi etiam propterea vnum Epiſcopatum eſſe dicit. Facit etiam quod lib. 1. epiſtola 3. dicit: *Nauigare audent ad Petri Cathedrã, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt*. Eódem pertinet quòd Iuſtinianus Romam vocet fontẽ ſacerdotij, authentica Vt Eccleſia Romana.

Quartò, Niſi à Papa Epiſcopi haberent iuriſdictionem, non ea magis à Papa poſſet eis auferri, quàm poteſtas ordinis; quæ nulla degradatione auferri poteſt.

Quintò, diſtinct. 22. capitulo Omnes, dicitur Eccleſia Romana Patriarchas, Metropolitanos, & Epiſcopos omnes inſtituere. Item Leo ſerm. 3. de aſſumptione ſua: *Numquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negauit*. Eamdem ſententiam ſcribit epiſtola 89. & ſerm. 2. de natali Apoſtolorum dicit, per Petrum debere intimari aliis illud, *Quæcumque ligaueris*, &c. & nihil eſſe ligatum aut ſolutum, niſi quod Petrus ligauerit aut ſoluerit. Innocentius I. epiſtola ad Concilium Carthaginenſe dicit, à Petro omnem Epiſcopatum & auctoritatem huius nominis emerſiſſe. Vigilius Papa Epiſtola ad Eleutherium, relatus 2. q. 7. capitulo Qui ſe ſcit: *Ipſa namque Eccleſia quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credit largiendas, vt in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. Neque dici poteſt, Vigilium loqui non de Epiſcopali functione, ſed de aliarũ Eccleſiarum viſitatione, quam Sedes Romana aliquando cõmittit viciniõribus Epiſcopis; quod quidam eruditus opinatur ex ſimili loco Leonis epiſt. 84. qui ita accipiendus eſt: hoc, inquam, dici non poteſt, quia certum eſt illis verbis rationem reddi, quare oporteat omnes Epiſcopos ſtare iudicio Sedis Romanæ. Rationem autem reddit Pontifex, quòd poteſtatem quidem acceperint à Sede Romana, qua ſuis ouibus præſint; ſed non in ea plenitudine, quin & ipſi ſubſint ei à quo acceperunt poteſtatem. Denique hoc ratio Monarchiæ Eccleſiaſticæ requirit. Oportet enim dependeat poteſtas reliquorum à poteſtatis plenitudine reſidente in Hierarcha.

Contra hanc Propoſitionem obijcitur Primò, Epiſcopos poſitos eſſe regere Eccleſiam Dei per Spiritum ſanctum, Actor. 20. non itaque accipere ſuam iuriſdictionem à Pontifice Romano. *Obiect. 1.*

Reſpondeo cum Turrecremata lib. 2. de Eccleſia c. 62. Epiſcopos omnes rectè dici poſitos à Spiritu ſancto ad regendam Eccleſiam Dei: non quòd immediatè à Spiritu ſancto accipiant poteſtatem ſuæ iuriſdictionis; ſed quia qui legitimè vocantur ad Epiſcopatum, & ſibi non ſumunt honorem, rectè dicantur ad eiuſmodi munus à Deo vocati. Deinde, peculiariter hoc verum eſt in illis quos conſtituerant Apoſtoli, qui in rebus Eccleſiaſticis ſingulari Spiritus ſancti inſpiratione dirigebantur. Tertiò, in genere, quòd Eccleſia habeat ſuos Epiſcopos, diuini eſt inſtituti, ita vt non poſſit Papa ſuo arbitratu delere omnes Epiſcopatus; ſed potiùs ei incumbat prouidere Eccleſiis per totum orbem de Epiſcopis. Quartò, poteſtatem ordinis immediatè Epiſcopi accipiũt à Deo, vt ſuprà dixi. *Reſponſ.*

Obiicitur Secundò: Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, vt poſt Auguſtinum, Epiphanium & Concilium Florentinum, docet Tridentinum Seſſ. 23. c. 4. Apoſtoli autem immediatè habuerunt ſuam iuriſdictionem à Chriſto, vt ſuprà dictum eſt: ergo & Epiſcopi. *Obiect. 2.*

Reſpondeo: Apoſtolis ſucceſſerunt Epiſcopi, non in Apoſtolica dignitate, neque in extraordinaria iuriſdictione; nam in ea non habet locum ſucceſſio: ſed ratione ordinis Epiſcopalis, & ob proportionem hierarchiæ Eccleſiaſticæ; in qua, poſt Pontificem ſummum, primo loco ſunt Epiſ- *Reſponſio.*



ſcopi,

scopi, sicut primi post Christum erant Apostoli.

*Obiectio 3.* Obiicitur Tertiò, Episcopum habere aliquam iurisdictionem, est iuris diuini; non ergo omnem accipit à Papa.

*Respons.* Respondeo, non sequi; quia ita est iuris diuini Episcopum habere aliquam iurisdictionem, vt simul sit iuris diuini, quòd eam accipiat à Papa. Neque refert potestatem Episcopalis ordinis, quæ est potestas ordinandi Ecclesię ministros, nõ posse exerceri sine iurisdictione: neque enim pro incommodo id habendum, tribui à Deo immediatè potestatem, cuius exercendæ facultas non concedatur, nisi intercedente superiore homine: nam & simplex sacerdos accipit in Ordinatione sua aliquam immediatè à Deo potestatem absoluendi, quam tamen exercere non potest sine accepta iurisdictione ab Episcopo; nisi fortè quoad peccata venialia, & quoad mortalia in articulo extremæ necessitatis.

*Obiectio 4.* Obiicitur Quartò: Papa vocat Episcopos fratres: ergo non habent potestatem suæ iurisdictionis ab eo, sed simul cum ipso ab eodem Christo; alioquin potiùs essent vicarij Pontificis, quàm fratres; sicut ipse Christi est vicarius, à quo iurisdictionem suam habet.

*Respon.* Respondeo: Sunt fratres eius potestate ordinis. potestate autem iurisdictionis non sunt eius vicarij, sed cum ipso: quamuis ipso mediante constituti sunt rectores ordinarij, patres, & sponsi Ecclesiarum. Neque enim ad rationem vicarij sufficit, ab aliquo potestatem accepisse: nam & Christus à Patre potestatem accepit; non tamen est eius vicarius.

*Obiect. 5.* Obiicitur Quintò: Gregorius lib. 4. epist. 32. à se reiicit tamquam profanum, vocabulum Episcopi Oecumenici, & dicit Romanos Pontifices id noluisse sibi vsurpare. Idem repetit epist. 36 & 38. & lib. 7. epist. 69. Si autem omnes Episcopi suam iurisdictionem haberent à Romano, videretur posse appellari Oecumenicus Episcopus. Neque refert Synodum Chalcedonensem Leonem I. vocasse Oecumenicum Patriarcham; alia enim est ratio Patriarcharum, qui iurisdictionem accipiunt à Papa; atque alia Episcoporum, qui immediatè à Deo constituuntur.

*Respon.* Respondeo; Oecumenicus Episcopus duobus modis dicitur: vno, vt is sit Episcopus Vniuersalis, qui in suo statu manentibus Episcopis vniuersis, cunctis superemineat. Quo sensu Romanus verè est, & appellatus est à Chalcedonensi Synodo Episcopus aut Patriarcha Oecumenicus. Neq; enim facit Gregorius hîc discrimen inter Patriarcham Oecumenicum & Episcopum Oecumenicũ: quia epistola illa 32. dicit Leoni fuisse nomen illud à Synodo Chalcedonensi oblatum, quod non oblatum vsurpet Ioannes Constantinopolitanus. Et eodem lib. 4. epist. 80. ita scribit: *Si vnus Patriarcha Vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur.* Altero modo dicitur Oecumenicus Episcopus, præter quem nemo alius sit Episcopus; sed qui solus per vniuersam Ecclesiam sit Episcopus. Et propter hunc sensum Gregorius iudicauit vocabulum istud esse profanum. Fortè etiam istud in hoc vocabulo displicuit, quòd summus Pontifex non sit propriè, si ordinis potestatem spectes, Episcopus Episcoporum. Quoad ordinem enim, omnes Episcopi pares sunt; & meritò, vt diximus, à Romano Pontifice fratres appellantur: eoque sensu solus Christus vniuersale caput Ecclesiæ dici posset. Quo modo etiam appellatur à D. Gregorio lib. 12. epist. 32. quæ est de priuilegiis monasterij S. Medardi. Habemus itaq; vnum sensum, quo nullus sit Episcopus Vniuersalis; alterum, quo solus Christus; tertium, quo etiam Romanus Pontifex, quamuis titulo abstineat. *Vide Baron ad An. Chr. 595.*

Obiicitur Sextò: Romani Pontificis solùm est supplere quod omiserint Episcopi, & quod erauerint corrigere: imò nisi manifestum sit erratum, stant iudicio solius Christi: qui vnus & solus habet potestatem & præponendi Episcopos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu ipsorum iudicandi; vt totidem verbis dicit S. Cyprianus in Concilio Carthaginensi: quod etiam commemorat Augustinus lib. 2. contra Donatistas cap. 2. lib. 3. cap. 3. & lib. 6. cap. 6. Consentanea habet Gregorius lib. 7. epist. 64. *Quòd se dicit Sedi Apostolicæ subiici: si quæ culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit; cùm verò non exigit culpa, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.* *Obiect. 6.*

Respondeo in primis, Cyprianum ibi non agere cum Romano Pontifice, sed cum suis collegis. Secundò, Verum est in quæstionibus quæ nondum satis discussæ sunt, vt Augustinus Cyprianum interpretatur, liberè posse Episcopos suas sententias in Concilio proferre, à nemine in hoc iudicandos, nisi à solo Christo. Tertiò, Verum est, Christum vnum & solum habere illam potestatem excellentiæ, præficiendi & iudicandi Episcopos, quæ se extendat ad ambigua eiusmodi iudicia: alioquin certum est, Cyprianum agnouisse in Romano Pontifice potestatem deponendi Episcopos, qui id commeruissent, per totum orbem. Libro enim 3. epist. 13. Stephanum Papam hortatur, vt iubeat deponi Episcopum Arelatensem, & alium surrogari: imò præ se fert Cyprianus, tractatu de simplicitate Prælatorum, etiam dum rectè agunt, Episcopos contineri in sua rectitudine ab vno capite Romano Pontifice: sicuti riuulus non tantùm indiget fonte dum fluere desistit, sed etiam dum fluit, ne desistat. *A fonte*, inquit, *præcide riuulum, præcisus arescet.* Ad Gregorium respondeo, satis ipsum significare, quòd pares sint omnes Episcopi, non præfectura, sed superiorum humilitate; cuius exercendæ opportunitas est, quãdo auctoritatem culpa non exigit. Ex verbis itaque Gregorij potiùs contrarium habemus: si enim vt pares sint, opus sit humilitate, præfectura pares non sunt. *Respons.*

## DVBIVM II.

### *An Papa habeat iurisdictionem in singulos fideles immediatè?*

RESPONDEO; Omnino dicendum est Pontificem Romanum habere potestatem iurisdictionis in omnes & singulos Christianos: non solùm quia in ipsorum Episcopos eam habeat; sed immediatè, sicut habet sibi subiectos fideles diœcesis Romanæ. Non enim tantùm commisit Petro Christus oues; sed etiam agnos, id est, omnes omnino & singulos fideles: quod apertiùs exprimit Ecclesia in Officio festi Apostolorum Petri & Pauli: *Super plebem meam principem te constituit.* Est etiam definitum in Concilio Florentino Sess. vltima, tam in litteris vnionis, quàm in connentu Græcorum habito in domo Imperatoris, Romanum



num Pontificem omnium Christianorum patrem ac doctorem esse. Tertiò, Pontifex est vniuersalis Episcopus Ecclesiæ, vt suprà diximus; & hoc titulo sese appellarunt Sixtus I. Pontianus, Stephanus, Victor, & alij sanctissimi Pontifices. Quartò, Papa antequam det iurisdictionem Episcopo in hanc aut illam Ecclesiam, indubiè eam ipse habet: alteri autem communicando, non spoliat eâ se ipsum; alioqui non posset dici, in Papa residere plenitudo potestatis. Confirmatur exemplo Moysis; qui, postquam Deus dederat de Spiritu eius septuaginta senioribus, non minùs manebat toti populo præfectus quàm erat priùs. Communicatur enim hæc potestas instar luminis, quod focus cereo, sine sui diminutione, communicat. Quintò, Nisi ita sit, non rectè ferret Papa leges inconsultis Episcopis, totum orbem Christianum obligantes: non rectè daret quibusdam facultatem absoluendi pœnitentes in qualibet diœcesi; cuius contrarium definiuit Ioannes Vigesimus secundus in extrauagante, Vas electionis. Sextò, Bonifacius Octauus in extrauagante, Vnam sanctam, definit esse de necessitate salutis, omnem humanam creaturam subesse Romano Pontifici. Quod etiam probat glossa in Clementinam, Ad nostrum, de hæreticis, & D. Thomas opusculo contra errores Græcorum. Septimò, Bernardus lib. 2. ad Eugenium de consideratione: *Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi vniuersi crediti.* Neque repugnat sibi Bernardus, quando lib. 3. ita scribit eidem Eugenio: *Monstrum facis, si manu submouens digitum facis pendere de capite, superiorem manu, brachio collateralem.* Agit enim solùm contra abusum potestatis, non contra potestatem. Denique est hæc sententia S. Thomæ in 4. dist. 19. q. 1. a. 3. Num. 11. *vel.* 5.

*Obiectio 1.* Sed obiiciunt aduersarij, Nicænos Patres, suos limites posuisse Episcopo Romano, quando voluerunt eum habere solùm curam suburbanarum Ecclesiarum. Ita enim Ruffinus reddidit canonem 6. Nicænum: *Vt apud Alexandriam & in vrbe Roma vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic suburbicanarum Ecclesiarum solicitudinem gerat.*

*Obiect. 2.* Secundò, In Concilio Mileuitano can. 22. constitutum esse sub anathemate, ne presbyteri, diaconi, aut inferiores clerici, à iudicio suorum Episcoporum appellent ad Romanum Pontificem.

*Obiect. 3.* Tertiò, Si omnem humanam creaturam oporteat subesse Rom. Pont. vt vult Bonifacius VIII. oporteret etiam animas purgatorij esse ei subditas.

*Resp. ad 1.* Ad primum optima est responsio, quòd Ruffinus errauerit ita abbreuiando canonem Nicænum, cùm ex eodem canone, vt suprà ostendimus, constet Episcopum Romanum tenere primatum super omnes Ecclesias. Adde quòd Ruffinus aliàs sæpè satis infidus deprehendatur interpres, vt non immeritò dixerit Hieronymus, Ruffinum, dum Græcè loquitur, videri Latinum; dum Latinè, videri Græcum. Quod vel maximè in hoc canone verum est, quem ita reddidit, vt apud Latinos vix sensus aliquis constare possit. Illud etiam notandum, suburbicarias ecclesias apud Ruffinum non debere intelligi suburbanas; sed quæ propriè subsunt Patriarchæ Romano, sicuti suberant suæ Antiocheno. De quo vide Baronium. *Ad annum Christi 325.*

*Ad 2.* Ad secundum: In Concilio Mileuitano solùm prohibetur, ne presbyteri Romam appellent; non autem, ne Episcopi. Verum quidem est, Africanos in epist. ad Cęlestinum contendere, eamdem debere esse rationem Episcoporum, & in suis exemplaribus non reperiri illum Nicænum canonem, quo Episcopis concedatur ista appellatio ad Sedem Apostolicam: satis autem in eodem Nicæno Concilio esse definitum, non licere appellare Romam presbyteris minoribus. Verùm vt dissimulem Africanos non habuisse integros Nicænos canones, vt suprà dixi, hæc nõ eò pertinebant, quòd non existimarent presbyteros etiam Romano Pontifici esse subiectos; sed quòd pacis conseruandæ & fraudis vitandæ causa putauerint expedire, vt Romanus Pontifex non susciperet, neque restitueret presbyterum à proprio Episcopo excommunicatũ, sed potiùs iudicium illud relinqueret comprouincialibus Episcopis, qui faciliùs in partibus, facti veritatem cognoscere queant. Si verò aliqui iniquiores fuerint prærogatiuæ Romanæ Sedis, quasi non potuerit saltem legatum mittere, qui coràm causam cognosceret, & eiusmodi missionem sæcularis potestatis æmulam esse; in eo plurimum errasse censendi sunt. Quamuis, vt benè ostendit Turrianus lib. 3. pro epistolis Pontificum, cap. 1. præsupposito primatu Romani Pontificis, hi Africani solùm egerint contra appellationem transmarinam ad ipsum. Quod illustrat sęcularis potestatis exemplo: decretum enim erat, ne à præfectis prætorio appellare liceret; neque tamen illi propterea non suberant Imperatoribus Romanis.

Ad tertium respondeo; Immeritò fingunt hæretici nos dicere, quòd etiam animæ purgatorij subsint Romano Pontifici: nam D. Thomas, Bonauentura, aliique Scholastici communiter ex illo, *Quodcumque solueris super terram*, docent Pontificem non habere iurisdictionem in illas animas; ideoque Indulgentias eis non concedere, nisi per modũ suffragij. Imò Parisienses aliquando damnarunt eiusmodi articulum: *Animæ in purgatorio existentes sunt de iurisdictione Papæ, & si vellet, posset totum purgatorium euacuare.* Itaq; respon. non sequi; sicuti ex eo quòd Apostolus moneat, omnẽ animam, vt potestatibus sublimioribus subdita sit; non sequitur purgatorij animas monuisse. *Ad 3.* Rom. 13.

## DVBIVM III.

### *An Romanus Pontifex sit superior Concilio Vniuersali omnium Episcoporum Christiani orbis?*

DVÆ sunt hîc sententiæ admodum celebres; vna præponens Papam, altera Concilium. Vtraq; multos habet auctores, & Victoria vtramque putauit probabilem.

Respondeo, manere Pontificem caput omnium Episcoporum simul congregatorum, adeoq; Concilij Vniuersalis. Nota, Concilium sumi vel cum suo capite Pontifice Romano; & sic intensiuè est eadem auctoritas eius & Pontificis, quamuis sit maior Concilij extensiuè: vel sumitur sine illo; qua consideratione hîc dicimus maiorem esse & superiorem potestatem Pontificis.

Probatur hæc responsio Primò ex Scripturis. Matth. 16. Ecclesia dicitur fundanda super Petrum, tamquam super petram: atqui domus semper pendet à suo fundamento; ergo Ecclesia etiam in Concilio congregata, pendet à Pontifice tamquam capite & fundamento.

Secundò ex Conciliis. In Concilio Romano

ducentorum octoginta quatuor Episcoporum, habito in Thermis Traianis, presente Siluestro Pontifice, canon 3. est: *Neque Præsul summus à quoquam iudicabitur; quoniam scriptum est: Non est discipulus super magistrum.* Et 20. *Nemo iudicabit primam Sedem, quoniam omnes sedes à prima Sede iustitiam desiderant temperari: neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo index iudicabitur.* Idem habemus in Concilio Sinuessano sub Marcellino, & in Concilio Romano quinto sub Symmacho; in octaua Synodo act. 7. & in Lateranensi sub Alexandro I I I. Synodus quoq; Oecumenica Chalcedonensis ita scribit Leoni Papæ: *Quibus tu quidem sicut membris caput præeras.* Item in sententia contra Dioscorum, dicunt iidem Patres, Leonem per Concilium priuasse Dioscorum Episcopatu, & se Leonis auctoritate fultos, eumdem damnare. Concilium quoque Constantiense duos articulos definiuit, ex quibus apertè sequitur nostra responsio. Vnus est, *quòd Papa sit caput Ecclesiæ*, alter qui continetur in Interrogatoriis hæreticorum, *quòd Papa habeat supremam auctoritatem in Ecclesia.* Hinc enim sequitur, Concilium non habere maiorem; si autem habeat minorem, subest Papæ: si dicatur habere parem, non rectè id dicitur; quia sic Papa non esset caput Ecclesiæ. Secundò neque Concilium esset supra Pontificem, vt eum iudicare possit, aut ei quidquam præcipere: par enim in parem non habet imperium. Denique tolletur hierarchia Ecclesiastica tempore Conciliorum, vt tunc vel nullum, vel duo sint capita, quorum vtrumque manifestè absurdum est; vel solũ Concilium sit caput, quod non potest fieri sine magna degeneratione regiminis à Monarchico in Aristocraticum, hoc est à meliori in dererius. Ad hęc Concilium Lugdunense, vt videre licet capitulo Vbi periculum, de electione in 6. vocat Pontificem rectorem Vniuersalis Ecclesię. Est ergo rector Concilij, quod Ecclesiam vniuersalem repræsentat. Florentinum definit Pontificem esse caput Ecclesiæ, habere plenissimam potestatem regẽdi Ecclesiam Vniuersalem. Præterea idem docent grauissimi Patres, vt meritò in Concilio Lateranensi sub Leone X. reprobatum sit contrarium decretum Concilij Constantiensis, & hæc verba prolata: *Solum Romanum Pontificem, tamquam super omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius ac potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifestè constat.*

Denique probatur ratione: Omnes Episcopi, vt dictum est, habent suam iurisdictionem à Papa: non ergo sunt eo superiores quando congregati sunt. Deinde, Papę est Concilia futura indicere, & confirmare iam facta, eisque presidere quando habentur: est itaque semper caput. Tertiò, Christus est caput Cõciliorum; Papa est vicarius Christi & pastor, non solùm singularum ouium, sed totius Christiani gregis congregati. Quartò, Si concilium esset supra Papam, liceret à Papa ad Concilium appellare, tamquam ad superiorem; ordinariè enim ad superiorem licet appellare, 2. q. 5. capitulo Placuit. Non licet autem à Papa ad Concilium appellare 9. qu. 3. capitulo Ipsi. & capitulo Cuncta. & patet ex Bulla Cœnæ. Plures rationes videre licet apud Turrecrematam de Ecclesia libro 3. cap. 44.

Veniamus ad obiectiones aduersariorum. Prima est ex Scripturis. Dictum est Petro: *Si eos non audierit, dic Ecclesiæ.* vbi Petrus videtur remitti ad iudicium Ecclesiæ, tamquam ad summum tribunal: *Si enim Ecclesiam*, inquit, *non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* *Obiectio ex Script.* 1.

Deinde in Actis cap. 15. Concilium immediatè subesse Spiritui sancto, significatur illis verbis: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* non dicunt, Visum est Spiritui sancto & Petro principi nostro. 2.

Tertiò leguntur Apostoli, Ecclesiam repræsentantes, misisse Petrum ad Samaritanos. 3.

Ad primum respondeo, vel Petro illud dictum esse vt fratri, non autem vt summo Pontifici, vt in Petro Dominus hîc docuerit quemlibet Christianum, atque ita nomine Ecclesiæ licebit superiorem accipere qui est caput Ecclesiæ: vel si etiam velis significatum, quomodo se hac in parte Petrus in Pontificatu gerere deberet, & per Ecclesiam cœtum aliquem, saltem optimatum, adeóque ipsum Synedrion intelligere; dici poterit cum Turriano, moneri hîc Pontifices, ne præterito presbyterij consilio, aliquid grauius in fratrem peccantem statuant; non quòd ipsorum non sit excommunicare, sed quòd expediat id fieri consensu presbyterij. Quem ordinem videtur Apostolus seruasse in excommunicando illo Corinthio incesto. cùm enim dicit, *iudicaui*, significat præpositi esse iudicium: cùm autem addit, *congregatis vobis & meo spiritu*, significat præpositum debere adhibere presbyterium. *Resp. ad* 1.

Ad secundum respondeo, Quando Concilium dicit, *Visum est Spiritui sancto & nobis*, Petrum tamquam caput includi. Forma autem ista loquendi, significati, fuisse maturè deliberatum, magnaque conquisitione facta, communi tandem consensu omnes in Petri sententiam iuisse. *Ad* 2.

Ad tertium respondimus suprà Disputatione 2. *Ad.* 3.

Secunda obiectio est ex Conciliorum & veterum ac ipsorum Pontificum auctoritate. Concilium enim Constantiense & Basilienſe tamquam veritatem fidei Catholicę definierunt, Concilium habere potestatem supra Papam. Constantiense enim Sess. 4. statuit, quòd Concilium habeat potestatem immediatè à Christo, cui etiam Papa debeat obedire in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in capite & in membris. Sessione 5. idem confirmatur, & additur, Papam esse puniendum si contempserit. Basilienſe autem Sessione 2. eadem decreta Constantiensis repetit, & Sessione 33. addit, esse de fide, Concilium Generale esse supra Papam, & quod non possit à Papa dissolui. *Obiectio ex auctoritate.* 1.

Accedit auctoritas D. Augustini epistola 162. vbi indicat maiorem esse auctoritatem Generalis Concilij, quàm Melchiadis Papæ & Episcoporum, qui cum ipso iudicauerant in causa Cęciliani; & potuisse Concilium rescindere Pontificis sententiam. *Ecce putemus*, inquit, *illos Episcopos qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuisse; restabat adhuc plenarium Vniuersalis Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.* 2.

Addi potest, quòd Augustinus sæpè dicat, Petrũ in persona Ecclesię claues accepisse, vt mirum non sit Petro maiorem esse Ecclesiam, quam repræsentat Concilium Vniuersale. Imò in Psal. 108. dicit, illud, *Tibi dabo claues regni cælorum*, & similia, non habere illustrem intellectum, nisi quando referuntur ad Ecclesiam. Videntur itaque ex mente Augustini, claues potiùs datæ esse Ecclesię, quàm Petro. 3.

*Obiect.* 4. Prætereà Zacharias Episcopus Chalcedonensis, cùm ei Romani Pontificis sententia obiiceretur; respondit, Romani Pontificis & aliorum Patriarcharum principem esse Canonem.

*Obiect.* 5. Idipsum videntur etiam fassi Romani ipsi Pontifices: dicit enim Zosimus Papa cap. Contra 25. qu. 1. *Contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec huius quidem Sedis potest auctoritas.* Gregorius scribit se quatuor Concilia instar quatuor Euangeliorum venerari: & se, non illa, destruere, quisquis præsumpserit absoluere quos ligant, vel ligare quos absoluunt.

*Resp. ad* 1. Ad hæc respondeo, ita quidem decreuisse Constantiense & Basiliense Concilium, sed non legitimè; quia auctoritate Papæ nil tale propositum erat; imò Constantiense non habebat certum Pontificem qui præsideret, & Ioannes XXIII. qui Concilium inchoauerat, iam decesserat quando habita est illa Sessio 4. Deinde illud decretum non est factum Conciliariter. Itaque nec probatum à Martino V. qui confirmauit illius Concilij decreta de fide, quæ facta erant Conciliariter, hoc est, more aliorum Conciliorum, re diligenter examinata, &c. Imò illud decretum rescissum damnatumque esse ab eodem Martino V. sacro approbante Concilio, refert Turrianus. Basilienſe autem numquam est confirmatum à Pontifice, sed verum Pontificem Eugenium deposuit, qui eodem tempore coëgit Concilium generale Florentiæ: potiùs enim fuit Concilium presbyterorum, quàm Episcoporum. Deinde, reprobatum est giganteum & schismaticum illud decretum, quo Concilium ponitur supra Papam, à variis Pontificibus de Sedis suæ iniuria iudicantibus, Eugenio I I I I. Leone X. & ceteris. quamuis Nicolaus V. confirmauerat ea quæ Basilienſes egerant circa beneficia & censuras Ecclesiasticas. Denique ipsi Basilienſes Patres, cum suo Antipapa Felice, cesserunt, & se Nicolao subiecerunt.

*Ad* 2. Ad alterum ex epistola Augustini, respondeo cum Turriano, Augustinum concedere appellationem à Pontifice cum paucis Episcopis iudicante, ad eumdem Pontificem cum maiori iudicij maturitate, qualis est in plenario Concilio iudicantẽ.

*Ad* 3. Ad tertium, ex eodem Augustino, de Petro accipiente claues in persona Ecclesiæ, iam suprà diximus. Quòd verò dicit, non habere illustrem sensum, nisi quando referuntur ad Ecclesiam; id eò pertinet, vix posse intelligi, quomodo soli Petro claues cæli, potestas ligandi, soluendi, & cura pascendi ouilis commissæ sunt, nisi in Petro etiam successores in Ecclesia intelligantur, vt Petrus in persona Ecclesiæ hoc sensu claues acceperit, quas alioqui rectè Ecclesia in persona Petri accepisse intelligi potest. Voluit itaque Augustinus claues non tam vni, quàm vnitati datas.

*Ad* 4. Ad dictum Zachariæ illius respondeo, verum non esse, Canonem esse principem Romani Ponficis, nisi fortè quatenus quoad directionem vinculo legis naturæ etiam propriæ legi Pontifex tenetur parêre.



Ad Canonem Zosimi: hoc verum esse in illis quæ inuoluunt aliquid iuris naturalis aut diuini; vel intelligi sine iusta caussa, non fore licitam Pontificii hanc mutationem. *Ad* 5.

Ad Gregorium autem respõdeo, quoad dogmatum fidei auctoritatem, quę diuina vtrobique est, paria facere Euangelia & quatuor Concilia prima Vniuersalia; & velle, eum qui ligando aut soluendo eis sine caussa contrauenerit, seipsum potiùs quàm illa destruere. *Ad* 6.

Tertia obiectio est ex ratione & historia. Dicunt enim, Marcellinum Papam fuisse iudicatum à Concilio Sinuessano, ex actis Concilij quæ ita habent: *Marcellinus in conspectu Concilij cecidit in terram, ibi ergo iacentem & moram trahentem damnauerunt.* *Obiectiones ex ratione.* 1.

Item à Sexta Synodo obijciunt damnatum esse Honorium. 2.

Referunt etiam Platinam ita scribentem in Gregorio V I. *Henricus cum magno exercitu in Italiam veniens, habita Synodo, Benedictum, Siluestrum & Gregorium, tria monstra, abdicare se magistratu coëgit.* 3.

Addunt, leges Conciliorum Generalium obligare summum Pontificem etiam coactiuè: cùm enim antiquis Canonibus constitutum esset, ne excommunicatus ab vno Episcopo, ab alio reciperetur; Marcion à suo Episcopo excommunicatus, Romam confugiens, ab Ecclesia Romana reiectus est, eo allegato, quòd nefas esset eum in communionem recipi sine consensu sui Episcopi. Ita Epiphanius in hæresi Marcionis, quæ est 42. 4.

Ad hæc, Totum, inquiunt, est maius sua parte, orbis maior vrbe; ergo Concilium quod repræsentat totam vniuersalem Ecclesiam, est maius Pontifice, qui tantùm pars est Ecclesiæ. 5.

Prætereà Papa de hæresi suspectus, iudicatur à Concilio. Atqui non continuò vbi est de hæresi suspectus, definit esse Papa, aut vitandus est tamquam excommunicatus; sed post vnam & secundam correptionem, quam Synodus ex sua supra Papam auctoritate facere debeat. 6.

Accedit quòd legatur, Concilium Constantinopolitanum & Chalcedonense suis decretis Romano Pontifici priuilegia tribuisse; quod non ita esset, nisi ipsorum fuisset ius dicere etiam Romanæ Sedi. 7.

Respondeo, Synodum Sinuessanam pro nobis esse, vt quæ apertè dicat, Sedem primam à nemine iudicari, vt constat ex actis Synodi, & epistola Nicolai Papæ ad Michaëlem Imperatorem. Si ergo damnauit Marcellinum, non ptiùs id fecit quàm se ipse condemnasset, & Pontificatu abdicasset. *Resp. ad* 1.

De Honorio in proposito non est difficultas: in caussa enim hæresis, fatemur Pontificem à Concilio posse iudicari; quamuis an Honorius aut alius Romanus Pontifex verè fuerit hæreticus, infrà simus dicturi. *Ad* 2.

Ad factum autem Henrici respondeo, hîc nos solùm contendere, non posse Synodum de indubitato Pontifice, tamquam sibi subdito, iudicare; in medio relinquentes, an in schismate, quando dubium est quisnam sit verus Pontifex, & plures se legitimè electos prætendunt, possit Generalis Synodus cogere tales, ambiguos Pontifices, ad renuntiandum iuri prætenso. *Ad* 3.

Ad historiam de Marcione respondeo, nos fateri etiam Pontificem & Ecclesiam Romanam, di- *Ad* 4.

rectiuè saltem, teneri legibus Conciliorum Oecumenicorũ, & sine causſa non licitè in illis dispensare: idque constat potuisse esse causſam, cur Romani non putauerint sibi licere recipere Marcionem à suo Episcopo excommunicatum.

*Ad 5.* Quòd verò vrgetur, orbem vrbe esse maiorem; fatemur corpus mole esse maius toto capite, sed caput virtute maius est reliquo corpore.

*Ad 6.* Quomodo verò de Papa hæreseos suspecto iudicet Concilium, infrà dicemus.

*Ad 7.* Denique negamus verum esse, quòd Constantinopolitana Synodus aut Chalcedonensis priuilegia concesserit Romanæ Ecclesiæ: quamuis ex malo intellectu Canonis 6. Nicæni, quem refutat Nicolaus dicta epistola ad Michaëlem Imperatorem, Constantinopolitanus Patriarcha & Imperator Canone supposititio & adultetino id persuadere sint conati. Postquam enim importunitate sua, obtinuissent sedi Constantinopolitanæ secundum locum post Romanam, non sine iniuria sedis Alexandrinæ; voluerunt ambitioso intellectu eo proficere, vt sedes Constantinopolitana non esset secunda à Romana, sed quasi secunda Romana, id est, par Romanæ: quod vt obtinerent, præ se ferebant, ordinum hæc priuilegia humani iuris esse, potuisséque Constantinopoli hunc honorem Ecclesiasticum Imperiali accedere.

## DISPVTATIO V.

### *An Romanus Pontifex possit errare in decidendis fidei quæstionibus?*

NON hîc quærimus, an possit errare vt particularis doctor; fatentur enim id Catholici: quamuis an contingat vel sic esse hæreticum, inter ipsos dubium sit; de quo disputatione 7. Neque quæro, an possit errare quando cum Vniuersali Concilio aliquid tamquã de fide definit, quod omnes Catholici negant; sed aiunt hæretici, refutandi in tractatu de Conciliis. Sed propriè hîc quærimus, an possit Pontifex errare, quando ex cathedra aliquid circa fidem definit, extra Concilium Generale. Quod fieri potest nemine adhibito, vel adhibitis solis extraordinariis quibusdam Pontifici placentibus; vel adhibitis & cõsultis ordinariis, puta collegio Cardinalium, aut certis illis quibus ex officio incumbat subsidio esse Pontifici in quæstionibus fidei examinandis & decidendis. Neque opus est hîc præmittere disputationem aliam, an Pontificis sit controuersias fidei determinare: si enim in illis determinandis eius sit iudicium certum & infallibile; certum est, diuinitus hoc ipsi esse commissum, vt etiam fatentur hæretici.

Respondendum omnino videtur, summum Pontificem non posse auctoritate sua Pontificali proponere Ecclesiæ aliquem errorem in fide. Vnde dicendum est consequenter, vel Pontificem etiam sine assumptis consiliariis, qui rem examinent, errorem definire non posse; vel potiùs ita per Dei prouidentiam dirigi, vt numquam nisi adhibitis debitis consiliariis, & legitima præmissa inquisitione, ex cathedra definiat: adeoque non solùm veritatem semper definiat, sed etiam legitimum modum in ea definienda obseruet. Per debitos autem & legitimos consiliarios, hîc intelligo sub disiunctione, vel illos quibus incumbit ex officio Pontifici in talibus adsistere; vel alios idoneos ad arbitrium Pontificis extraordinariè assumptos.

Citatur in contrarium à quibusdam Alphonsus à Castro, de iusta hæreticorum punitione lib. 1. cap. 4. Sed non videtur multùm dissentire, quia solùm vult, iusto delectu citra factionem & fraudem, magis idoneis non exclusis, tamquam præconcepte opinioni minùs fauentibus, debere consiliarios assumi: neque restringit Pontificem ad Cardinales. In quo verbotenus ferè secutus est Ioannem de Turrecremata lib. 2. de Ecclesia, cap. 112. qui auctorem habet Archidiaconum in capitulum Sic omnes, dist. 19. Quod capitulum cùm habeat, omnes Apostolicæ Sedis sanctiones esse accipiendas, tamquam ipsius diuini Petri voce firmatæ sint; laudat Turrecremata Archidiaconum, quod cautè annotauerit, capitulum illud dixisse, *de Apostolicæ Sedis*, non autem, *de Apostolicis sanctionibus*.

Citatur alius quidam, qui docuerit, Pontifices respondendo etiam ex officio errasse in fide, sed errores à successoribus correctos esse, & correctionem ad Ecclesiam priùs peruenisse quàm errores. A qua opinione non videtur alienus fuisse Adrianus VI. in responsione ad 2. principale circa finem qu. de Confirmatione. Ita enim scribit: *Si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput eius, puta Pontifex, certum est quòd possit errare, etiam in iis quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo.*

Verùm existimo, vel horum auctorum opinionem non esse veram, si eo sensu accipiatur, quo Gerson & alij quidam Parisienses dicunt, Pontificem extra Concilium Generale aliquid definientem posse errare; imò esse improbabilẽ, quamuis nondum apertè sit hæretica: vel non esse accipiendam de Pontificia definitione ex cathedra; neque enim omnia quæ Pontifex, etiam consultus vt Iudex, scribit aut rescribit tamquam vir doctus & potestatem habens, mox habenda sunt pro definitione Sedis Apostolicæ. Iudices enim supremi solent quædam mandare, lite adhuc pendente, antequam proferant sententiam, quibus illi parti faueant, in quam ipsi vt priuatæ personæ procliues sunt.

His constitutis probatur nostra responsio, quæ tria dicit; Pontificem non errare in quæstionibus fidei decidendis; debere in hoc adhibere inquisitionem prudentium; & numquam Pontificem temerè sine eiusmodi legitima consultatione aliquid Ecclesiæ per definitionem suam ex cathedra proponere. Primum probatur Lucæ 22. dicit Dominus Petro: *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Hîc habemus Petri fidem non deficere; quod accipi potest vario sensu. Primò, vt significetur numquam defectura fides à corde Petri vt erat particularis persona. Secundò, vt significetur numquam defectura fides à corde Petri vt erat vniuersalis Pastor, atq; ita neque à corde successorum eius, sic videlicet vt Papa esset interior hæreticus, & desideraret proponere Ecclesiæ suam hæresim. Tertiò, vt significetur reipsa numquam defecturam fidem summi Pontificis in actu quo proponat credenda Ecclesiæ, siue ita vt gerat se pro hæretico in ipsa definitione fidei. Quartò, vt significetur, quòd fides numquam deficiet ab ouili vniuersali ipsius Petri, siue ab vniuersali Ecclesia. Quintò, vt significetur numquam defectura à propria sede vel diœcesi, quam Petrus peculiariter gubernandam susceperit. Sextò, vt significetur numquam defectura fides quam primus explicitè confessus est Petrus, dicens: *Tu es Christus filius Dei viui*; sicuti in Conciliis soler acclamari, *Hæc est fides Petri.* Septimò, vt significetur Petri fides finaliter non defectura, id est, vt significetur Petrus esse prædestinatus ad fidem saltem in morte habendam, si eam in vita aliquando amiserit; aut sanè si defecerit fides eius, statim eam recuperaturum: quem sensum maximè commendant hodie sectarij. Verùm quidquid sit de reliquis sensibus, tertium sensum, qui proposito nostro sufficit, non esse præter Christi intentionem, patet ex communi Patrum explicatione. Vide Leonem sermone 3. de anniuersario die suæ assumptionis. Videtur huc respexisse Cyprianus libro 1. epistola 3. quando dicit, ad Romanos perfidiam non habere accessum: & Epiphanius in Anchorato, quando dicit, in Petri ministerio omnes fidei subtilitates inueniri. Cõsentit Bernardus epistola 190. Faciunt huc alia Scripturæ loca, quibus adstruitur Petri summus Pontificatus. Nam eo ipso iubentur omnes eius & successorum vocem tamquam pastoris audire; adeoque recipere quidquid ipsi tamquam fidei proponendum existimauerint. Atqui absurdum foret, Deum præcipere vt credamus erranti. Claues etiam regni cælorum hanc prærogatiuam indicant. Rectè enim Theodorus Studites, in epistola ad Naucratium, aduersus Iconoclastas ita scribit: *Seipsos abscinderunt à corpore Christi & principe Sede, in qua Christus claues fidei posuit, aduersus quas non præualuerunt, neque præualebunt porta inferi.*

Neque est quòd opponant, etiam successoribus Iacobi & aliorum, demandatam esse curam pascendi oues; & vicissim ouibus præceptum, vt eis obediant: quos tamen à fide defecisse constet. Alia enim est ratio Vicarij Christi, penes quem solum voluerit Christus residere auctoritatem infallibilem ortas inter Episcopos fidei controuersias decidendi, ne quid minus habeat Ecclesia, quàm concessum est Synagogæ Deuteronom. 17. Oportet itaque Episcopos audire, quàm diu Catholicè & orthodoxè prædicant; Papam autem, quando dubium fuerit an Episcopus rectè doceat. Confirmatur idem per varia capitula 24. qu. 1. Per capitulum, In sede. capitulum, Memor. capitulum, Hæc est fides. deniq; capitulum, Directa; vbi ita legimus: *Hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi, Ecclesia quæ per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur.* Similia habet Bernardus initio epistolæ 190. *Dignum namque arbitror ibi potissimùm reserari damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua sedis. Cui enim alteri aliquando dictum: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua?* Basilij, Theodoreti, Sardicensis Concilij, & aliorum Patrum pro hac re auctoritates videre licet apud Turrianum lib. 3 dogmaticorum characterum.

Altera responsionis pars, Teneri Pontificem ante decisionem adhibere consilium & inquisitionem prudentũ & intelligentium, more maiorum, & secundùm Ecclesiasticam regulam, est manifesta; quia etiam Concilia Generalia non definiunt, nisi vt ad formam posteritatis factum est in primo Concilio Ierosolymitano, præuia magna conquisitione.

Tertia denique pars, In hac inquisitione numquam quando ex cathedra definit, officio suo deesse Pontificem, vt benè Bellatminus, sequitur ex eo, quòd infallibilitas iudicij Sedi Apostolicæ sit promissa à Deo; addito quòd hæc inquisitio sit quasi medium necessarium infallibilis iudicij: qui enim promittit finem, promittit & medium necessarium.

Mouet Castro suprà citatus lib. 1. cap. 6. dubium, An Papa non solùm per se possit infallibiliter controuersias fidei determinare, sed etiam per alium; ita vt etiam æquè sit infallibile eius iudicium cui Papa eiusmodi determinationem commiserit, puta Legati. Et respondet non posse, neminemque vmquam contrarium sensisse: neque enim pro Petri legatis aut commissariis, sed pro Petro rogauit Dominus, ne vmquam eius fides deficeret.

Obiiciunt, pro fide Petri quidem Dominum rogasse, sed non quia futurus summus Pastor; verùm quia potiùs præ ceteris lapsurus. *Obiectio.*

Respondeo; Hoc non posse dici, arguunt verba sequentia: *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* His enim verbis significatur, Christum non tam rogasse pro fide personali ipsius Petri, quàm pro fide Petri vt Pastoris, confirmaturi per fidem suam non deficientem, totum Christi gregem. Vnde etiam intelligitur, in Petro simul pro fide successorum eius rogasse: confirmatio enim totius gregis, vt summorum Pastorum successionem, ita etiam quasi hereditariam hanc in fide eorum immobilitatem postulabat. Sed conantur hæretici aliter explicare illa verba, quasi significatum sit, quòd Petrus fratres quos lapsu suo scandalizauerat, conuersione sua esset ædificaturus & confirmaturus. Verùm quamuis hoc etiam ibi insinuatum intelligi queat, vlteriùs tamen, vt diximus, Dominus prospexit: quod apertè indicat illud *aliquando*. idem enim est, ac si quando opus erit. Non ergo semel tantùm, quando conuersus amarè fleuit, sed quoties opus fuit, Petri fides contra satanæ cribrationem & portas inferorum confirmata, fratres confirmat. Neque prætereunda est illorum hîc expositio, qui illud *conuersus* vo- *Vide Mal-*
lunt idem esse, quod rursus; vt sit sensus: Sicut ego *donatum in*
pro te rogando, fidem tuam confirmaui; ita vici- *Luca 22.*
sim tu fratres tuos confirma: ad hoc enim firmus es vt confirmes. Quibus nonnihil fauet Venerabilis Beda.

Obiiciunt Secundò, non orasse Christum ne Petri fides vmquam pateretur defectum, sed ne in finem deficeret. Quod probant, quia Petrus fidem amisit quando Christum negauit, aut sanè quando eum cum aliis Christus increpauit de incredulitate, quando cum aliis rogauit: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?* Denique quando non ambulans ad veritatem Euangelij, gentes coëgit Iudaizare. *Obiectio.*

Respondeo, Petrum tamquam Pastorem numquam errorem aliquem contra fidem docuisse, idque priuilegij ad successores eius in Sede Romana transiuisse: imò, quamuis hoc necessarium non sit nostro proposito, neque vt priuata persona vmquam errauit contra fidem Petrus; quamuis negando Christum, peccauerit grauiter contra fidei confessio- *Respons.*

confessionem, adeoque amiserit charitatem, fidelitatem, fidemque formatam. Euthymius enim explicat Christum rogasse, ne Petrus amitteret fidem tempore negationis: vt non malè vtrumque Christum hîc petiisse intelligi queat, & ne Petri, & ne Pastoris fides deficeret; quod posterius etiam ad Petri successores pertineret: non igitur vmquam amisit fidem Petrus, quamuis incauta conuersatione, Antiochiæ, reprehensibilis fuerit circa obseruationem legalium, quæ secundùm veritatem Euangelij tunc obligare cessabant. Quando autem interrogant discipuli de tempore restitutionis Israël, superuacanea quidem, sed non infidelis ea fuit interrogatio. Reprehensa quoque ipsorum incredulitas apud Marcum, non est infidelitas, sed imperfectio quædam fidei; sicut erat illius qui dicebat: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Vel sanè si fuit incredulitas, non fuit Petri: Petro enim mulierum de Resurrectione narratio non fuit visum deliramentum, sed, vt refert Lucas, ea audita cucurrit ad monumentum.

*Obiect. 3.* Obiiciunt Tertiò, summum Pontificem veteris Testamenti potuisse errare, adeoque errasse quando cum toto Concilio pronunciauit Christum esse blasphemum & occidendum.

*Respons.* Respondeo, Sacerdotium veteris Testamenti fuisse mobile, nec habuisse promissionem æternæ stabilitatis, sicut habet petra Ecclesiæ. Quamdiu tamen durauit vetus illud tabernaculum, voluit Christus audiri eos qui sedebant super cathedram Moysis: sed quando Caiphas in Saluatorem blasphemam sententiam protulit, excidit Pontificatu, imò deletus est veteris Testamenti Pontificatus; in cuius signum ipse scidit vestimenta sua, vt dicit Leo serm. 6. de passione Domini. Post illud enim tempus videntur adhibiti fuisse in concilium Saducæi, vt colligitur Actorum cap. 4. imò c. 5. significantur sedem sacerdotalem occupasse, vt rectè obseruat Hesselius de cathedra Petri, c. 7.

*Obiect. 4.* Obiicitur Quartò; Non est fidei hunc Pontificem esse verum Pontificem: ergo numquam eius determinationes erunt de fide. Probatur antecedens: quia non est de fide, neque aliter omnino certissimò constat ipsum verè esse baptizatum, adeoque nec an capax sit dignitatis Episcopalis. Sequela probatur: quando enim dubitare possumus de antecedente, etiam de consequente possumus dubitare.

*Respons.* Respondeo, ad solutionem istius argumenti non esse necessarium dicere, quòd sit fidei, hunc Pontificem esse verè Pontificem. Si enim hoc esset necessarium, etiam necessarium esset fateri, non tantùm esse probabile quod hoc sit fidei, sed esse certissimum: redibit enim alioqui eadem difficultas. Si enim solùm sit probabile, esse fidei quòd hic sit verus Pontifex; etiam dicetur, non nisi probabile futurum, quòd de fide eius sit definitio.

Respondeo itaque potiùs negata consequentia. Vt enim sit fidei, id quod Papa determinat; non requiritur vt sit fidei diuinæ, hunc qui determinat, esse verum Pontificem, sed sufficit hoc esse certissimum. Est autem certissimum, eum quem vniuersa Ecclesia pro Pontifice recipit, esse verum Pontificem. Hoc enim ad prouidentiam Dei pertinet impedire, ne in eiusmodi iudicio fallatur Ecclesia. Frustrà ergo noui homines, blasphemi quidam apostatæ, dubium mouent de legitima electione Pontificum huius æui, quos sibi aduersos experti sunt. Ab Ecclesia Catholica recepti, extra huius calumniæ aleam sunt. Sufficere autē, quòd omnino certum sit, etiamsi non fuerit fidei, probo: Quia certitudo fidei pendet ex veracitate Dei id dicentis quod creditur; Papa autem non facit nouos articulos fidei, sed solùm proponit, Deum aliquando hoc aut illud dixisse. Dictum autem est suprà, in illis quæ concurrunt ad propositionem & credibilitatem fidei, non esse exigendam certitudinem per omnia æqualem certitudini fidei; sed sufficere credibilitatem fieri euidentem per eiusmodi argumenta, quæ fallere quidem non possint, non tamen fide diuina credantur. Hoc enim sufficit non solùm ad infallibilitatem fidei, sed etiam ad obligationem; ita vt non credens, hæreseos aut infidelitatis peccatum incurrat.

## DISPVTATIO VI.

### *An Pontifex in legibus ferendis, & in aliis definitionibus suis, item in canonizatione Sanctorum, & qualificatione Propositionum, possit errare?*

PRIMA PROPOSITIO: Potest Pontifex ferre leges in conscientia obligantes quemlibet Christianum. Patet ex suprà dictis. Confirmatur ex capite 17. Deuteron. vbi iubetur occidi, qui noluerit obedire sacerdotis imperio.

*Obiectio.* Opponit quidam sectarius, in Hebræo ita habetur: *Vir autem ille qui fecerit per superbiam, vt non auscultet sacerdoti stanti ad ministrandum ibi Iehouæ Deo tuo aut illi iudici; vtique morietur vir ille.* Vbi vrget mortem decerni magis propter inobedientiam factam iudici, quàm sacerdoti. Alius quidam vrget in Hebræo deesse vocem imperij.

*Respons.* Sed respondeo, mortem decerni contra nolentem obedire sacerdoti, aut quod idem est, contra nolentem audire sacerdotem. Neque enim sectarij vmquam probauerint, in Scripturis minùs eum iuberi puniri qui sacerdoti obtemperare noluerit, quàm qui iudici ciuili. Vnde & Oseas cap. 4. tamquam extremam summamque enormitatem commemorat, contradicere sacerdoti: *Populus tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti.* Vide Cyprian. epist. 55. Omitto probabiliter iudicem in loco illo Deuteronomij intelligi sacerdotem, quomodo intellexit Innocentius III. c. Per venerabilem, qui filij sint legitimi.

Sed, inquiunt, obedire sacerdotibus quisque tenebatur, sed in illis quæ docuissent iuxta legem Dei, vt dicitur ibidem: *Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum.* Voluit itaque, non simpliciter mandatum esse sacerdoti obedire, sed sacerdoti præcipienti & docenti secundùm legem Dei.

At respondendum est, verum illius loci sensum esse, Si ambiguum fuerit an sit lepra, vel non, &c. consule sacerdotes; & quod dixerint de ambigua ista lepra Dei legem præscribere, illud facies: non autem præscribitur illis, tum demum obediendum, quando secundùm legem iudicauerint: eiusmodi enim præceptum fuisset inutile. Ponitur enim esse ambiguum quid sit legis ac iuris diuini. Propterea LXX. ita legunt: *Secundùm legem & iuxta iudicium quod dixerint tibi, facies.*

Et



Et glossa quædam Hebraica, vt refert Lyranus, ita habet: *Etiamsi dixerint tibi quòd dextera tua sit sinistra, aut è conuerso, talis sententia est tenenda.* Confirmatur secundò ex Euangelio Matthæi 16. *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Hîc promittitur Petro potestas vniuersalis per legem obligandi. Et Ioannis 21. eidem committitur regendum rationale ouile Christi, quod sine legibus regi non potest.

PROPOSITIO SECVNDA. Habet Pontifex Dei assistentiam, qua fiat vt non possit in generalibus illis legibus ferendis errare, statuendo aliquid quod repugnet legi diuinæ aut naturali. Hoc enim videtur Dominus promisisse Ioannis 16. *Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Si enim pastor, cui tenetur grex obedire, ad deuia ducat errorum, totus grex necessariò oberrat. Dico *in generalibus legibus*, quia in particularibus sententiis, quæ potiùs ex facto quàm ex iure pendent, non negamus Pontificem posse errare; eoque modo videntur errasse veteris Testamenti sacerdotes, quando pronuntiauerunt Ieremiam reum mortis: Ierem. c. 26.

PROPOSITIO TERTIA. Potest Pontifex leges Conciliorum Generalium & suorum prædecessorum, quæ non pertinent ad articulos fidei, aut substantiam Sacramentorum, materiam videlicet & formam (in quibus mutandis nihil vmquam potuit Pontifex aut Ecclesia) aut quæ necessariam non habent connexionem ad legem diuinam vel naturalem, sed sunt meri iuris Ecclesiastici, abrogare, & in eisdem dispensare, etiamsi statutum esset ab iisdem Conciliis & prædecessoribus, ne fieret eiusmodi abrogatio aut dispensatio. Sine causa tamen, quando vtiles manent ad Dei legem seruandam, abrogans & dispensans grauiter peccabit. Ita Victoria relectione de potestate Papæ & Concilij, addens, veram fore hâc propositionem, etiamsi Papa non esset supra Concilium; eò quòd nimirum in Ecclesia oporteat esse potestatem eiusmodi leges mutandi quando necessitas aut vsus ita postulauerit: Concilium autem nequeat semper ad huiusmodi casus ingruentes ex toto orbe conuenire. Accedit quòd alioqui Papa non esset vicarius Christi, neque haberet plenitudinem potestatis.

PROPOSITIO QVARTA. Omnino dicendum est, Pontificem non posse errare in Sanctorum canonizatione. Est cōmunis Theologorum, D. Thomæ quodlibeto 9. art. 16. Contrarium sentit Wiclef, vt videre licet apud Waldensem tomo 3. titul. 14. vbi accuratè eum confutat. Videtur etiam circa hanc propositionem dubitasse Caietanus, quem multis propterea lacessit Ambrosius Catherinus, qui contendit omnino esse fidei, Sanctum canonizatum à Pontifice, esse verè Sanctum. Caietanus autem scripserat c. 8. tract. de Indulgentiis, posse interuenire errorem humanum in canonizatione alicuius Sancti, ita vt fortè reipsa sit in inferno qui legitimè præsumitur canonizatus. Media sententia placet, vt neque dicatur esse fidei, quòd Pontifex in canonizatione Sanctorum errare non possit; neque interim admittatur, vllo modo esse probabile in ea ipsum posse errare. Rectè enim D. Thomas notat, canonizationem Sanctorum esse medium quid inter determinationes fidei & sententias quæ pertinent ad quædam particularia facta.

Probatur itaque nostra Propositio: Si in Sanctorum canonizatione posset Papa errare, tota Ecclesia grauissimè deciperetur, eos tāquam Sanctos inuocando, qui forsitan essent in inferno; esset-que is error omnino perniciosus. Sancti enim proponuntur imitandi præcipuè in illo statu in quo ex hac vita demigrarunt. Quando ergo reprobus canonizatur, proponitur Ecclesiæ imitandum peccatum, propter quod damnatus est. Quare rectè Hieronymus dixit in Epistolam ad Philemonem, magnum esse crimen, dicere sanctum qui non est, & non sanctum qui est sanctus.

Sed obijciunt, Testes qui de miraculis aliisq; si- *Obiectio.*
gnis sanctitatis deponunt, esse fallibiles; fallibile proinde esse Pontificis ex eiusmodi testimoniis iudicium.

Resp. cum D. Thoma neg. conseq. Præseruat enim Deus Ecclesiam & Pontificem ne in talibus per fallibile hominum iudicium fallatur. Vnde etiam patet immeritò Wiclefum dixisse, cuiuslibet sæcularis imò & profani iudicis ex similibus testimoniis iudicantis, æquè certum fore de sanctitate alicuius iudicium, ac ipsius Papæ. *Respons.*

PROPOSITIO QVINTA. Non potest Pontifex errare, quando toti Ecclesiæ ex cathedra declarat, aliquem contractum esse licitum, aut illicitum & vsurarium. Hoc enim sanctitas Ecclesiæ postulat, vt non profiteatur bonum, malum; aut malum, bonum: profiteretur autem, si caput eius ita præscriberet.

PROPOSITIO SEXTA. In qualificandis propositionibus Papa non potest errare: v. g. quando definit aliquam Propositionem esse hæreticam, erroneam, temerariam, malè sonantem, hæresi proximam, periculosam, sapientem errorem, scandalosam, piarum aurium offensiuam. Si enim in his errare posset Pontifex, multum decederet Ecclesiæ in doctrinæ puritate. Erronea opponitur propositioni quæ non est quidem de fide, sed fidei proxima: Temeraria communi prudentum & sapientum virorum opinioni: Malè sonans casto & circumspecto sermoni in argumento nobis cum hæreticis controuerso. Errorem sapit, quæ non nisi frigida euasione excusari potest à sensu erroneo. Scandalosa est, quæ inducit infirmos in errorem circa fidem, quamuis ipsa non sit hæretica. *Erronea.* *Temeraria.* *Malè sonans.* *Errorem sapiens.* *Scandalosa.*

Circa istam Propositionem dubitatur, An Pontifex habeat infallibile iudicium de propositionum philosophicarum probabilitate? Respondeo; Non videtur de talibus Pontificem debere iudicare, nisi interfit fidei eiusmodi propositionem probabilem haberi: quomodo Clemens V. in Concilio Viennensi definiuit erroneum esse, si quis dixerit animam rationalem non esse formam corporis humani per se & essentialem. & Leo X. in Concilio Lateranensi præcipit philosophis, vt pro posse Christianam fidem contra philosophorum argumenta adstruant. Vbi acta habent, Caietanum interrogatū respondisse, sibi eam partem Bullæ non placere, qua præcipitur philosophis, vt publicè suadendo doceant veritatem fidei. Verùm rectè poterat statui, vt saltem contraria philosophorum argumenta soluendo, quæ omnia solubilia sunt, philosophiæ Professores propugnent dogmata fidei. Quænam autem quæstiones vel à Pontifice, vel à Conciliis decidendę sint, dicemus infrà tractatu de Conciliis. In materia verò Theologica, contingit interdū, Pontificem aliquam opinionem *Dubium.*

defi-

definire tamquam probabiliorem. Sicut Clementina vnica de summa Trinitate & fide Catholica, definitur istam esse probabiliorem, quæ asserit, paruulis in Baptismo infundi virtutes & informantem gratiam quoad habitum. Quæ definitio vti nunc non efficit eiusmodi opinionem de fide, ita neque impedit quo minùs posteà tamquam de fide definiatur. Neque enim contraria definitur esse probabilis ex argumentis intrinsecis; sed solùm relinquitur probabilis propter auctoritatem asserentium.

## DISPVTATIO VII.

### *An Pontifex vt particularis persona possit esse hæreticus; & an eo ipso excidat Pontificatu?*

QVOAD priorem partem, sentiunt quidam, ne sic quidem Papam posse esse hæreticum. Ita docet Pighius lib. 4. Ecclesiasticę hierarchiæ, cap. 8. Idem tenet tamquam probabile & piè credendum Bellarm. lib. 4. cap. 6. de Pontifice. Contrarium tamen, priuatim Pontificem posse incidere in hæresim, plurimi Theologi docent. Caietanus opusculo de auctoritate Papæ & Concilij; Turrecremata de Ecclesia lib. 2. c. 102. Soto in 4. d. 22. q. 2. a. 2. Canus lib. 6. de locis, cap. vltimo. Adrianus in 4. de Sacramento Confirmationis prope finem; Banesius hîc, qui dicit omnes grauiores auctores ita sentire, & ante Pighium neminem contradixisse: consentit Turrianus lib. 3. de auctoritate Pontificis supra Concilia. Pro responsione sit

*Conclus. 1.* PRIMA CONCLVSIO: Verius videtur Pontificem vt particularem personam posse labi in hæresim. Ita videntur sensisse omnes illi Pontifices & Patres, qui aliquid attentarunt circa damnationem Honorij, de quibus infrà. Illi enim (vt rectè Valentia & Banesius obseruant) videntur saltem existimasse possibilem casum quo Papa in hæresim priuatim laberetur. Idem videtur præsupponere Innocentius III. serm. 2. de consecratione Pontificis: *Propter solum peccatum quod in fide committitur, possem ab Ecclesia iudicari.* Similia sunt verba Adriani Papæ in Synodo 8. act. 3. & cap. Si Papa, dist. 40. *Papa à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius.* Præterea nulla est Scriptura quę Pontificis hanc confirmationem in fide, vt est priuatus & particularis, satis confirmare possit, vt rectè Driedo suprà. nam etiam posito, quòd rogauerit pro fide personali Petri Christus, quod tamquam probabile suprà iam asseruimus; non tamen inde consequens est, etiam illud priuilegij ad successores transiisse. Deniq; si Pontificibus summis illud priuilegij Deus dedisset, multo potiùs videtur concessurus fuisse, vt exteriùs numquam profiterentur hæresim, communicando cum hæreticis, iisque pacem dando; hoc enim scandalizat magis Ecclesiam: atqui contrarium videtur aliquando euenisse, vt infrà dicemus. Idem tenet glossa in cap. Achatius non est, 24. q. 1.

*Conclus. 2.* SECVNDA CONCLVSIO. Non est certum, Papam vt priuatam personam, posse labi in hæresim, ita vt verè sit hæreticus: nisi enim Dei prouidentia Pontifex seruaretur immunis ab omni hæresi; mirum esset, hactenus neminem inuentum esse, de quo constet hæreticum fuisse. Ad singula enim quæ de hæresi Romanorum Pontificum hactenus sectarij obiicere potuerunt, solidè satis à Catholicis responsum est.

*Obiect. 1. Zepherinus.* Obiiciunt Primò, hęreticũ fuisse Zepherinum, quẽ Tertullianus aduersus Praxeam testatur fuisse Montanistam. De Papa enim loquens ita scribit: *Episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscæ & Maximillæ; & ex ea agnitione pacem Ecclesiæ Asiæ & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis prophetis & ecclesiis earũ asseuerando, & prædecessorum eius auctoritates defendendo, coëgit & litteras pacis reuocare iam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare.*

*Respon.* Respondeo, ex illis verbis Tertulliani non verè constare, Romanum Episcopum (quem aliqui volunt fuisse Zepherinum, Pamelius autem in vita Tertulliani arbitratur fuisse Eleutherium) lapsum fuisse in hæresim Montani: neque Tertullianus (quamuis iam Montanista & Romano Episcopo offensus) dicere audet Pontificem Montanizasse, vt habet annotatio marginalis; sed solùm agnouisse prophetias Montani, & aliquamdiu decepturn; arbitratumque illos qui verè erant Montanistę, esse Catholicos; litteras pacis dedisse, virtute quarum tamquam Catholici in communionem reciperentur: quas tamen (fortè occasionem prębente Praxea, & re meliùs expensa) mox reuocauerit, & damnauerit Montanistas, sicut fecerant sui prædecessores.

*Obiect. 2. Marcellinus. Respon.* Obiiciunt Secundò Marcellinum qui idolis sacrificauit.

Sed respondeo, Marcellinum retenta in corde fide, contra religionem & fidei confessionem metu tormentorum peccasse. sicut diximus de Petri negatione.

*Obiect. 3. Liberius.* Tertiò Liberium, quem fuisse Arianum testatur Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes, Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis in Fortunato, Platina, & alij.

*Respon.* Respondeo, satis de Liberio variare scriptores. Probabilius videtur, post biennij exilium pro fide Catholica, Liberium damnationi Athanasij subscripsisse, & Arianis communicasse, non ex animo, sed cupiditate nimia recuperandæ Sedis, ærumnis & metu mortis compulsum: quomodo Petrus negauit, & Marcellinus thurificauit: & propter hoc scandalum meritò amisisse Pontificatum suffecto ei Felice: quo mortuo, denuò à clero Romano susceptum Liberium, Catholicum se Præsulem præstitisse, sanctèque obiisse; vt meritò à D. Ambrosio lib. 2. de virginibus, sanctæ memoriæ vir appellatus sit.

*Obiect. 4. Vigilius. Resp.* Quartò opponunt Vigilium, quem dicunt fuisse Eutychianum.

Respondeo, Vigilium fauisse hæreticis quando erat pseudopapa, viuente vero Pontifice Siluerio; sed eo mortuo, cùm esset verus Pontifex, quasi per vnctionem accepisset cor aliud, & transmutatus esset in alium virum, tantùm abfuisse vt hæreticis faueret, vt etiam rogatus ab Imperatrice, & quasi ex promisso conuentus, renuerit Anthenium patriarcham hæreticum restituere. Imò eum contra Theodoram Augustam & Acephalos damnationis sententiam tulisse, auctor nobis est Gregorius lib. 2. epist. 36.

*Obiect. 5. Honorius.* Quintò Honorium, quem Sexta Synodus tamquam Monothelitam damnauerit, probasseque dicunt eamdem damnationem aliquot Romanos Pontifices, Adrianum II. Agathonem, & Leonem



nem II. in hoc Pontifice excusando, existimat Alphonsus lib. 2. cap. 23. de punitione hæreticorum, frustrà laborari.

*Resp.* Respondeo, Omissa tergiuersatione Alberti Pighij, qui frustrà conatur ostendere, acta 6. Synodi in hac damnatione à Græcis esse corrupta, Honorium pacis studio existimasse abstinendum esse à voce vnius aut duarum in Christo voluntatum; atque in illam sententiam Catholico sensu, vt testatur Maximus in dialogo contra Pyrrhum, ex fide Secretarij ipsius Honorij binas epistolas ad Sergium scripsisse, quæ lectæ in 6. Synodo, & falsò ita intellectæ, quasi Honorius Monothelitarum hæresim fouisset; occasionem dederunt, vtei diceretur anathema, magnopere id desiderantibus Orientalibus, ne soli ipsorum Patriarchæ viderentur damnari, & permittentibus Sedis Apostolicæ Legatis, tum propter apparentem suspicionem, tum quia timebant alioqui schisma. Quem facti errorem potuerunt sequi aliqui etiam Romani Pontifices, damnando Honorium; quamuis Agatho eum non damnauerit, vt liquet ex actione 13. Sextæ Synodi.

*Obiect. 6. Ioannes XXII.* Sextò obijciunt Ioannem XXII. qui non solùm docuerit, animas Sanctorum ante diem iudicij non videre Deum; sed etiam animas hominum simul cum corpore interire.

*Resp.* Respondeo, De immortalitate animæ rectè sensisse hunc Pontificem; sed Caluinum priorem errorem ita interpretatum esse, quasi negauerit Pontifex animam esse immortalem. De beatitudinis illa mora, verum quidem est, Ioannem errasse; sed non est verum, illam opinionem tunc pertinuisse ad hæresim, cùm posteà demum à Sede Apostolica contrarium sit definitum.

*Obiect. 7.* Obijciunt denique quosdam Pontifices, qui non solùm errores in fide priuatim tenuerint, sed eos etiam Ecclesiæ in Decretalibus suis obtrudere conati sint: nam Cælestinum III. dicunt definiuisse, quòd matrimonium inter fideles contractum, si alterum contingat fieri hæreticum, dissoluatur; ita vt liceat fideli transire ad alias nuptias. & Alexandrum III. capitulo Licet, de sponsa duorum, cùm definiuisset matrimonium ratum cum vna, non solui per subsequens consummatum cum altera, addidisse hæc verba: *Quamuis aliter à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando iudicatum.*

*Resp.* Respondeo, Cælestinum solùm rescripsisse illam suam opinionem, tamquam quæ sibi probabilior videretur; non autem tamquam definitionem Ecclesiæ obtrusisse: quamuis inter Decretales aliquamdiu ista epistola fuerit. Propterea Innocentius III. capitulo Quanto, de diuortiis, solùm dicit, eum videri sic sensisse, non autem ita definiuisse. Errauit igitur, sed non pertinaciter; multò minùs ex cathedra definiuit, & cæcus in hoc fuit; sed neque dux cæcus, neque pertinax hæreticus. Quomodo etiam licebit ad illos respondere, quorum meminit Alexander in dicto capitulo Licet. Neque refert quòd dicat, aliter à quibusdam prædecessoribus fuisse iudicatũ: nam (vt benè Canus lib. 6. c. 8. de locis) iudicare aliquando sumitur pro sentire & opinari. Quia verò non solùm ex dictis constat, summos Pontifices aliquãdo materialem hæresim per opinionem sine pertinacia tenuisse, sed eam etiam Decretalibus suis inseruisse, qui hæretici omnino fuissent, si eiusmodi errorem ex cathedra definiuissent; operæpretium fuerit, hîc quasdam regulas obseruare, quibus discerni queat, an id quod in Decretalibus asseritur, debeat haberi pro definitione Sedis Apostolicæ; an verò solùm pro opinione priuata Pontificis. Tradit autem quidam non malè quatuor ferè eiusmodi regulas.

PRIMA est, Non quidquid in iure Pontificio continetur, pertinet ad iudicium fidei.

SECVNDA, Quod Pontifex in Decretalibus suis addit, præter id quod principaliter agitur, non est fidei. Quomodo Nicolaus Papa respondens ad consulta Bulgarorum, addidit opinionem suam de Baptismo in nomine Christi.

TERTIA, Vt sit fidei quod Papa emittit, non sufficit id rescribi particulari Ecclesię; sed debet dari vniuersæ, vt Ecclesia vniuersalis in eo doceatur. Quod fiet etiam cùm scribitur solùm particulari, si contrarium dicatur aduersari doctrinæ Apostolicæ, aut esse hæreticum, aut sub anathemate prohibeatur.

QVARTA, Quando Pontifex non loquitur assueranter, sed per modum opinantis, *Sic videtur*, aut simili modo; certum est signum, quòd non intendat definire; eoque modo Innocentius III. locutus est dicto capitulo Quanto, de diuortiis: *Non credimus*, inquit, *quòd possit*, &c.

*Si prius Pontifex priuatim incidat in hæresim, an eo ipso desinat esse Pontifex? Sententia 1.* Supereſt altera huius Disputationis pars, Si Pontifex priuatim incidat in hæresim, an eo ipso desinat esse Pontifex? Sunt qui dicant per hæresim merè internam excidere ipso facto Pontificatu. Ita Turrianus de auctoritate Pontificis supra Concilia lib. 3. Alphonsus lib. 2. de hæreticorum punitione c. 24.

2. Alij tum demum excidere putant Pontificatu, quando hæresim quam animo fouet, exteriùs publicè cum Ecclesiæ scandalo profitetur. Ita Turrecremata lib. 2. summæ de Ecclesia c. 102. quamuis c. 112. ad 7. videatur à priori sententia non alienus. dicit enim Papam eo ipso quo cadit à fide Petri, cadere à cathedra & Sede Petri.

3. Alij ne tum quidem volunt eo ipso excidere, sed Ecclesiæ iudicio posse deponi, post vnam aut alteram monitionem; eo nimirum ordine seruato, quem Apostolus in hæreticis vitandis præscripsit. Ita Caietan. de auctoritate Papæ & Concilij c. 23.

*Ass. 1. Ob aliud crimen non excidit.* Dico Primò, Certum est ob aliud crimen ab hæresi vel infidelitate non excidere Pontificem ipso facto potestate sua Papali. In hoc omnes Catholici conueniunt, & contrarium sapit hæresim Ioannis Wiclef, damnatam in Concilio Constantiensi.

*Ass. 2. Ob infidelitatem mentalem non excidit.* Dico Secundò, Ob solam infidelitatem mentalem non excidit Papa Pontificatu ipso facto. Probatur; Quia alioqui multa sequerentur incommoda. Si enim tota Ecclesia nesciente, Papa in animo esset hæreticus, adeoque iam non esset Papa, illegitimæ essent per eum factæ ordinationes Episcoporum; illegitimæ insuper ordinationes sacerdotum factæ per Episcopos illos; illegitimæ vlteriùs illorum sacerdotum benedictiones & Euchariſtiæ, atque adeò Sacramentales absolutiones: incertæ etiam essent omnes Pontificiæ determinationes. Probatur secundò; Hæreticus occultus adhuc hæret in Ecclesia, secundùm exteriorem compagem & retia Sacramentorum: ergo, potest aliquatenus esse membrum & caput.

Respondet Castro, posse esse membrum, sed non caput; membrum enim posse esse aridum, sed non caput. Verùm omnia illa quæ ad caput visibile,

bile, quale est Pontifex, plura requiruntur, quàm ad membrum, etiam possunt esse in Pontifice occultè hæretico: non enim habet Pontifex influxum interiorem per fidem in membra Ecclesiæ, sed per externam directionem.

*Obiectio.* Obiicit Castro, Eadem futura incommoda si mulier per errorem, qui dicitur aliquando accidisse, creetur in Pontificem.

*Respons. Mulier Papa non fuit.* Sed dicendum est, Non solùm fabulam esse ita aliquando accidisse, vt rectè Bellarminus & alij ostenderunt, sed omnino de Dei prouidentia sentiendum, numquam ipsum eiusmodi aliquid in prima Sede permissurum. Quamuis in sede Constantinopolitana aliquando permiserit, vt scribit Leo IX. epist. ad Michaëlem Episcopum Constantinopolitanum: vt verisimilis sit coniectura, inde natum esse rumorem de femina Pontifice, & intellectum esse de Romano, qui per Antonomasiam est Pontifex, quod de alio Pontifice narrabatur; & apud prurientes auribus lectores, commentum Martini Poloni rei nouitate id obtinuisse, vt saltem ita dici, plurimi posteriores historici scriptis mandauerint.

*Assert. 3.* Dico Tertiò, Ob professionem hæreseos, aut alterius infidelitatis, etiam sine interiori infidelitate, posset Papa ab Ecclesia deponi; modò in eiusmodi exteriori infidelitatis professione pertinax maneret & incorrigibilis. Sic Marcellinus potuisset deponi, si quod semel fecerat, voluisset continuare etiam monitus, cum scandalo totius Ecclesiæ thurificans idolis. Pœnitens tamen non potest deponi, sed ipse se potest abdicare, vt videtur Marcellinus ad tempus fecisse: cui tamen mox restitutus est Pontificatus, & adiecta martyrij palma. Per pœnitentiam enim abdicauit, per pœnitentiam recuperauit.

*Ob professionem hæreseos.*

*Ass 4.* Dico Quartò, Ob nullum aliud crimen, quantumuis incorrigibilis, potest Pontifex ab Ecclesia aut Concilio deponi. Remedia autem quæ tunc adhibenda superessent, accuratè prosequitur Turrecremata lib. 2. summæ de Ecclesia cap. 106. Est hæc assertio cõtra glossam ad cap. Si Papa. dist. 40. quæ vult Papam posse iudicari, quandocumque etiam in alio crimine scandaloso est incorrigibilis: eò quòd contumacia dicatur hæresis & paganitas, dist. 81. cap. Si qui sunt presbyteri, & alibi. Verùm impropria est ista locutio, & accipienda tunc hæresis generatim, vt etiam schisma complectitur; quia solent hæreses ex contumacia & schismate oriri; & vt alibi Cypr. inde quòd non obediatur vni sacerdoti: aut sanè propter grauitatem hoc dicitur, sicuti, *quasi peccatū ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, non acquiescere.* 1. Reg. 15.

*Incorrigibilis in alio crimine.*

Probatur nostra Propositio. Apertè enim illud dicunt auctoritates, quæ habent, Pontificem à nemine iudicari, nisi fuerit à fide deuius. Bonifacius Martyr dicto capitulo Si Papa: *Cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius.* Adrianus Papa in Concilio Romano: *Licet Honorio ab Orientalibus post mortem anathema dictum sit; sciendum tamen est, quia super hæresi fuerat accusatus.* Eusebius Papa capitulo Oues, 2. q. 7. *Oues quæ pastori suo commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitauerit, debent.* Quod idem repetitur in Synodo Romana sub Symmacho.

vt refert in Actis Symmachi act. 7.

*Ass. 5.* Dico Quintò, Si Papa verè & notoriè sit hæreticus, reipsa excidit Pontificatu: & depositio quæ nihilominùs est adhibenda, quia Ecclesiæ non potest constare de occultis, potiùs tunc est declaratio quòd verè exciderit, quàm depositio. Si autem mundano amore aut timore, sine interiore infidelitate, exteriùs hæresim, aut aliam infidelitatem cum Ecclesię scandalo incorrigibilis profiteri pergat; deponi à Concilio potest, vt dictum est, sed ipso facto non excidit. Atque ita poterunt conciliari diuersæ Doctorum opiniones.

*Notoriè hæreticus.*

## DISPVTATIO VIII.

### *An Papa habeat aliquam potestatem temporalem?*

*Assert. 1.* ASSERTIO PRIMA: Papa vt Papa, nullam habet potestatem temporalem, nec directè nec indirectè, propriè loquendo de potestate temporali; habet tamen potestatem spiritualem, quæ se extendat ad temporalia, non vt talia, sed vt sunt media finis spiritualis, & quatenus finis potestas temporalis subest fini spirituali, quem ex munere suo Papa curare debet. Prima pars de potestate directa, est contra Siluestrum verbo Papa, & alios quosdam Iurisconsultos. Sed nostra assertio est communis.

*Directè & indirectè, propriè loquendo.*

Probatur: Si enim Papæ tam latè pateret dominatio terrena quàm potestas spiritualis, vt videntur aduersarij velle, Constantinus nihil dedisset Siluestro, sed tantùm restituisset, quando donauit vrbem Romanam: cuius contrariũ constat dist. 96. capitulo Constantinus, & 12. q. 1. capitulo Futurum. Accedit quòd Innocentius III. capitulo Per venerabilem; qui filij sint legitimi; fateatur Regem Franciæ non habere superiorem in temporalibus. Idem voluit Bernardus ad Eugenium: *Quid tu gladium denuò vsurpare tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam?* Significat enim, directè non posse Pontificem exercere potestatem temporalem. Hoc enim est gladium propria manu exerere.

Ex hac doctrina sequitur Primò, Papam non posse dici Dominum temporalem totius orbis. *Non potest dici Dominus temporalis totius mundi.*

Secundò, non posse sibi vsurpare nomen Regis aut Imperatoris in orbe Christiano: capitulo Cùm ad verum, dist. 96. & capitulo Quoniam, dist. 10.

Tertiò, non accipere Principes suam temporalem iurisdictionem à Papa, sicut Episcopi suam spiritualem.

Quartò, non posse passim à Regibus & Imperatoribus in causis merè ciuilibus ad Papam appellari.

Quinto, Reges non esse vasallos Papæ. Quod Ioannes Maior dicit, multos Reges pios ab Ecclesia canonizatos apertè negasse.

Denique, sine caussa non posse Papam validè deponere aliquem ex Regibus.

Sed obiiciunt ex Innocentio III. capitulo Solitæ, de maioritate & obedientia, Papam Soli, & Imperatorem Lunæ comparari: Lunam autem omne suum lumen à Sole accipere; atque ita videri Imperatorem accipere omnem suam potestatem à Papa. *Obiect. 1.*

Respondeo, non esse consequens: neque enim debet similitudo in omnibus quadrare: sufficit in eo consistere, quòd sicut vtrumque luminare est creatum à Deo, ita vtraque potestas sit à Deo: vna vt præsit spiritualibus, tamquam diei; altera temporalibus, tamquam nocti. Vnde sequitur, vt dies *Resp.*



præstat nocti, spiritualia temporalibus; ita Pontificiam potestatem Imperatoriæ præstare.

*Obiect. 2.* Obiicitur Secundò; Christus fuit Dominus temporalis secundùm humanam naturam totius mundi: ergo & Papa, qui est eius vicarius.

*Resp.* Respondeo, admisso antecedente, quod est alterius loci, certum esse, consequentiam nihil valere. Posset enim fieri quòd Christus habuerit excellens quoddam dominium, non solùm ratione diuinitatis, sed etiam vt homo in omnes res creatas; siue solùm post resurrectionem, vt quidam volunt, siue etiam antè in vita mortali, vt videtur probabilius; & tamen in eiusmodi dominio Papa non sit eius vicarius. Quod mirum videri non debet; quia neque in tota Christi potestate spirituali Papa eius est vicarius. Non enim habet Papa potestatem spiritualem, aut iurisdictionem in infideles, sicut habet Christus; sed positus est vt regat Ecclesiam Dei, & dispẽset mysteria ac Sacramenta. Deinde Papa non potest semper, sicuti Christus, perspectũ habere ordinem & proportionem temporalium rerum ad finem supernaturalem; vt meritò solùm eius potestas se ad eas extendat secundùm certum terminum præfixum, quo secundùm humanæ prouidentiæ modum dispicere valeat, qua via temporalia spiritualibus subseruiant. Itaque rectè Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium Papam ita scribit: *Non tu ille de quo Propheta; Et erit omnis terra possessio eius? Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris.*

*Indirectè & ex consequenti.* Altera tamen pars, Papæ plenam potestatem in spiritualibus extendere sese ad temporalia, vt sunt media ad finem spiritualem; & eo sensu, indirectè & ex cõsequenti saltem, Papam habere in temporalia dominium aut potestatem, probatur ex capitulo Omnes, dist. 22. vbi dicitur Christus commisisse Petro iura cælestis imperij & terreni. Et quia apud Bernardum lib. 4. de consideratione, dicitur Papa habere vtrumque gladium; & de temporali ita loquitur: *Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipse tuo forsan nutu, etiamsi non tua manu, euaginandus. Alioqui si nullo modo ad te pertineret; dicentibus, Ecce duo gladij hic; non respondisset Dominus, Satis est; sed, Nimis est.* Probatur etiam ex capitulo Nouit, de iudiciis. vbi Pontifex ita dicit: *Nullus qui sit sanæ mentis, ignorat quin ad officium nostrum spectet, de quocumque peccato corripere quemlibet Christianum; & si correptionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coërcere.* Ex quo loco alibi diximus, pertinere quodammodò ad legem Ecclesiasticam, cohibere omnia vitia. Cohibebit itaque etiam illa quæ ex neglectu, vel abusu, vel contemptu potestatis politicæ admittentur, quatenus ea fini supernaturali aduersantur; quod est indirectè habere potestatem in temporalia, quatenus nimirùm ipsa quodammodò rationem spiritualitatis induunt.

Ex hac potestate potest interdum Papa Principes in suæ iurisdictionis vsu delinquentes, censuris coërcere, & valdè negligentes interdum deponere. Ita Zacharias Papa deposuit Childericum Francorum regem. de quo ita legimus 15. qu. 6. capitulo Alius: *Zacharias Regem Francorum, tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo quòd tanta potestati erat inutilis, à regno deposuit; & Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem, in eius locũ substituit; omnesque Francigenas à iuramento fidelitatis, quod illi fecerant, absoluit.* Videri potest hac de re canon Quis dubitet, & canon Duo sunt, dist. 96. Leo Papa istius nominis tertius, transtulit imperium à Græcis in Germanos, teste Innocentio III. capitulo Venerabilem, de electione. Innocentius IV. Regi Portugalliæ interdixit regni administrationem, deditque ei fratrem suum coadiutorem, vt habetur capitulo Grandi, de supplenda negligentia Prælatorum in 6. Gregorius Magnus, sub pœna priuationis honoris sui, Regibus præcipit, vt seruent priuilegia monasterij S. Medardi, lib. 12. epistola vltima. Similia exempla plurima sunt aliorum Pontificum: Gregorij III. qui Leonem Tertium iconomachũ Imperatorem exauctorauit; Gregorij VII. qui deposuit Imperatorem Henricum III. & Boleslaum regem Poloniæ: Innocentij III. qui Ottonem IV. imperio exuit: Honorij Tertij, qui imperio abdicauit Fredericum II. Clementis VI. qui Ludouicum IV. ab imperio deposuit: Pauli II. qui Georgium Bohemiæ regem regno priuauit.

*Zacharias deposuit Childericum.*

*Leo transtulit imperium ad Germanos.*

*Pontifices quos imperatores vel Reges deposuerunt.*

Potest Secundò Papa, propter contumaciam Principis, subditos ab eius obedientia absoluere, capitulo Nos 15. qu. 6. hac potestate aliquando debere Papam vti, statuitur cap. 3. Concilij Lateranensis sub Innocentio III. *Si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, vt ex tunc ipse vasallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam.* Ita Concilium. Mitiùs sanè quàm Caluinus aliique nostri temporis sectarij, qui Principes eo ipso quo fidei (hoc est, sectæ suæ) resistunt, docuerunt excidere principatu. Caluinus in cap. 6. Dan. Synodus Caluiniana habita Bernæ anno 1572. Goodmanus libro Geneuæ impresso, cuius argumentum in titulo est, Quemadmodum superioribus magistratibus obediendum sit.

Potest Tertiò Papa exigere decimas ab vnoquoque fideli, occurrente necessitate.

Quartò, ex causa certa potest legitimare interdum ad successionem paternam, ad sæculares honores & dignitates. capitulo Per venerabilem, qui filij sunt legitimi. Quod intellige cum Molina tractatu 2. de iustitia disp. 29. quando ita postulatet bonum spirituale commune, vel peteret ipse Princeps.

Quintò, potest administrare iustitiam in caussa ciuili, deficiente iudice competente, vt dicit glossa ad capitulum Licet, de foro competenti: imò vacante Imperio Pontificem habere iurisdictionem in temporalibus, eadem glossa satis conformis textui affirmat. De quo est euidentior textus in Clementina Pastoralis, de sententia & re iudicata: vbi Pontifex dicit se habere superioritatem ad Imperium, & Imperatori in potestate temporali, vacante Imperio, succedere. Hodie tamen (inquit Molina suprà citatus) viuente Imperatore eligitur rex Romanorum, qui eo ipso quo Imperator moritur, succedit; ita vt non contingat Imperium vacare. Sed contigit post mortem Molinę. Ockam parum equus Apostolicæ Sedi, dialogi 3. p. tractatu 2. lib. 1. cap. 22. negat Pontificem se posse immiscere administrationi vacantis Imperij, nisi auctoritate Romanorum vel Electorum.

*Pontificis potestas temporalis vacante Imperio.*

Quidquid sit, tria hîc nobis videntur; Primum, non malè assertum à Molina suprà contra Occamum, esse quodammodò maiorem dependentiam Imperatorum Germanorum à summo Pontifice, quàm aliorum Regum; eò quòd Germanum imperium, populis & Ottone III. consentientibus, creatum sit dependenter ab approbatione & confirmatione summi Pontificis. Secundò, non habere summum Pontificem, ratione Pontificiæ potestatis, vllam potestatem temporalem in regna vel Imperium. Tertium, etiam Episcopos habere potestatem spiritualem, quæ se aliquo modo extendat ad temporalia fidelium, quatenus vt media seruire debent fini spirituali; ratione cuius possunt pecuniariam mulctam imponere. Et quia hæc potestas in sua plenitudine in Papa residet; fieri potest, vt circa Imperium & regna tantum possit in temporalibus, quantum postulat aliorum officium suum negligentium defectus, & spiritualis boni necessitas.

*Obiectio.* Obiici potest contra dicta, Non videri Pontificis illam esse potestatem, vt possit regno inutiles Principes amouere. Glossa enim in dictum capitulum Alius 15. q. 6. vbi Papa dicitur deposuisse regem Galliarum; illud *deposuisse* dicit idem esse, quod proceribus deponentibus consensisse.

Sed benè de glossa illa dicit Turrecremata li. 2. summæ, cap. 114. eam contradicere textui & intentioni Pontificis; quamuis Palude ab ipso citatus excuset glossam; quasi intelligenda veniat, quoad institutionem noui Regis, cuius electio fuerit penes proceres, licet penes ipsos non fuerit destitutio Regis inutilis, sed solùm penes Pontificem. Quoad ordinem tamen quem Papa debeat in vsu huius suæ potestatis obseruare, libenter admittimus, magnum hîc discrimen esse quoad Ecclesiastica siue spiritualia, & sæcularia negotia regnorum. Politico enim regimini non potest se immiscere Papa quando magistratus suo munere funguntur, sicut potest se immiscere gubernationi Ecclesiasticæ, etiam dum Episcopi benè suo munere funguntur, vt suprà dictum est. Quando ergo illi ex sæcularibus, quorum fortè munus erit agere de inutilis Principis depositione, aut de noui electione, inutili iam per Papam depositi, suo officio non desunt; Papæ erit potiùs, excitare & applicare ipsos ad huiusmodi officium, tamquam ad medium finis supernaturalis, quàm immediatè per se aliquid attentare, antequam articulus necessitatis postulet extraordinarium eiusmodi subsidium. Itaque non potest tentare quidquam circa criminosi depositionem, nisi priùs per spiritualem pœnam excommunicationis, emendationem procurare conatus fuerit. Ad quod etiam non procedit, nisi postquam impleuerit illud Apostoli 2. ad Timoth. 4. *Insta opportunè, importunè; argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Nihil etiam attentat quando peior exitus timetur, non quòd potestatem non habeat, sed quòd prudentia Pastoralis vetet ea vti in destructionem. Denique nihil tentat insidiosum, nihil grauitate & moribus Ecclesiæ indignum; sed palàm iudicium exercet. Neque hæc subiectio Regum, grauis iugi nomine debet traduci. Grauius enim esset, totam rempub. Christianam sine remedio posse diuexari, fidem extirpari: deinde grauius est, priuari per excommunicationem regno cælorum, quàm regno terreno. Quando ergo politici, potestatem Reges excommunicandi admittentes, vrgent, nimis graue iugum fore, si Reges per Ecclesiam regno exui possint quando fidem extirpant; ostendunt maioris se facere regnum terrenum, quàm cæleste.

*Obiect. 2.* Obiici potest Secundò, etiam Reges posse impedire vsum potestatis Ecclesiasticæ, quando videtur vergere in notabile detrimentum boni politici. Quomodo in quibusdam prouinciis hodie obtinuit, ne Bullæ Apostolicæ mandentur executioni sine Principis consensu. Ergo ex eo quòd Papa similiter possit interdum sistere cursum regiminis politici, tamquam regimini spirituali aduersum, non rectiùs asseritur potestatem habere in temporalia, quàm Princeps in spiritualia.

Respondeo, ex naturis rerum magnam hîc esse disparitatem. Ea enim est rerum conditio, vt temporalia oporteat cedere, imò seruire, spiritualibus; adeoque ordinatissimum est, vt quando aduersatur regimen politicum fini spirituali, cedere oporteat sacerdotis imperio. Dico itaque cum Francisco Victoria, relectione 1. numero 10. non posse Regem impedire administrationem spiritualem, etiamsi temporali videatur incommodare: imò neque Papam teneri eam mutare si sit saluti spirituali necessaria, aut valdè vtilis. Neque tamen potest Pontifex, quidquid videtur primo aspectu conducere ad promouendam religionem, statim decernere, sine vllo respectu rerum temporalium: non enim astringi possunt Principes ad optimum gradum ac modum vitæ Christianæ, sed solùm ad seruandam Christianam legem intra certos terminos. Non videtur etiam improbabile, quod Couarruuias practicarum q q. c. 35. accuratè tradidit, ex Papæ consensu, præscriptione, vsu immemoriali, & euidenti spiritualis regiminis vtilitate, tribunalia regia in quibusdam regnis ritè ita practicare, vt cognoscant de iniustis censuris iudicis Ecclesiastici; vt sine sua permissione & consensu, nequeant quædam Apostolica mandata executioni mandari. Eodem ferè modo sentit Driedo lib. 1. de libertate Christiana, fol. 183.

*Assert. 1.*

Secunda Assertio; Non repugnat in eamdem *Assert. 2.* personam Papæ conuenire potestatem Papalem & temporalem. Ita enim ex donatione Constantini Siluester Papa dominium obtinuit Romanum: sic Moyses, Deo instituente, præfuit in temporalibus simul & spiritualibus; Melchisedech Rex simul fuit & Sacerdos; Machabæi Sacerdotium cum Ducatu populi coniunctum habuerunt.

TRA-



# TRACTATVS DE ECCLESIA.

## DISPVTATIO PRIMA.

### *In quo consistat essentia Ecclesiæ?*

IN quæstionibus quæ hodie cum hæreticis de Ecclesia controuertuntur, si non præcipua, saltem ordine prima est, Quænã sit essentia Ecclesiæ, & quænam requirantur, vt quis dicatur membrũ Ecclesiæ.

*Prima opinio.* Prima opinio est, solos prædestinatos esse de Ecclesia: ita Ioannes Hus, & Wiclef.

2. Alij in Ecclesia ponunt solos perfectos in sanctitate, vt Pelagiani apud Augustinum, hæres. 88. Quem errorem Caluinus tribuit Anabaptistis nostri temporis.

3. Alij solos iustos qui sunt in charitate, ita vt excludantur quicumque sunt in peccato mortali, saltem grauiori: quo modo senserunt Nouatiani, qui se propter munditiem Catharos vocabant, & Donatistæ apud Aug. hæres. 69.

4. Alij solos & omnes fideles dicunt esse in Ecclesia, siue charitatem habeant, siue non: ita Turrecremata lib. 4. Summæ, parte 2. c. 20.

5. Alij, vt quis sit in Ecclesia, præcisè requirunt characterem Baptismi: Castro lib. 2. de hæreticorum punitione, cap. 24.

6. Alij fidem cum charactere Baptismi.

7. Alij fidem cum professione fidei, quæ includat Baptismum, & coniunctionem cum aliis membris & capite.

*Vera sententia.* Ceterùm sententia verissima videtur ea, Ecclesiam esse quasi humanum corpus viuum, vt habeat aliquid respondens homini interiori, & aliquid respondens homini exteriori: vt videre licet indicatũ apud D. Augustinum in Breuic. collat. 3. contra Donatistas, c. 10. & apertiùs serm. 10. de verbis Domini, cap. 19. Vel, vt habeat aliquid respondens carni, & aliquid respondens spiritui, quod pulchrè attigit Clemens Alexan. l. 7. Strom. Anima Ecclesiæ, sunt interna dona Spiritus sancti, fides, spes, charitas de corde puro. Corpus, externa professio fidei & fraternitatis, subiectio sub vno capite visibili, & communicatio Sacramentorum. Vtrumque complectitur sententia Apostoli 2. Timoth. 3. *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Species ergo pietatis quæ est in externa professione, est corpus & cortex huius vitis; sed interior virtus pietatis, est quasi inuisibilis & spiritualis vita ac anima radicis. Quidam ergo sunt de anima tantùm, vt catechumeni, si fidem & charitatem habeant; alij de corpore tantùm, vt occultè hæretici: alij de anima & corpore simul, vel quia veram charitatem cum externis illis vinculis habent, quo modo sunt perfectè viua membra, quæ animam habeant motiuam & operantem; vel quia fidem habent sine charitate, qui non perfectè viuunt; sicut brachium paralytici, quod viuit quoad sensum, non quoad motionem.

*Soli prædestinati non sunt in Ecclesia.* Solos prædestinatos nõ esse de Ecclesia, ex Scripturis probarũt prisci Catholici, per figuras & parabolas arcæ Noë, habẽtis animalia munda & immunda; areæ habentis triticum & paleas; sagenæ missę in mare, & ex omni genere piscium congregantis, quorum quidam postea foras mittantur; vitis, in qua dicitur palmes inueniri non ferens fructum, abscindendus, & in ignem mittendus; conuiuij nuptialis, in quo inuenitur non habens vestem nuptialem, qui propterea eiiciatur in tenebras exteriores; decem virginum, quarum quædam fatuæ; ouilis, in quo oues & hœdi; magnæ domus, in qua vasa quędam sunt in contumeliam. Vide D. Augustin. lib. 3. contra Donatistas, c. vltimo, & 20. de Ciuitate, cap. 9. vbi distinguit duplex regnum cælorum: vnum vbi ambo sunt, & ille qui soluit quod docet, & ille qui facit: alterum quod non intrat, nisi qui facit. Et prius dicit esse Ecclesiam qualis nunc est. Genes. 6. Matth. 3. Matth. 13. Ioan. 15. Matth. 22. Matth. 25. 2. Tim. 2. *Duplex regnum cælorum.*

Secundò, Ecclesia dicitur à verbo ἐκκαλέω, quod est conuoco, aut euoco: multi autem vocati, pauci verò electi; non ergo soli electi pertinent ad Ecclesiam.

Tertiò, idem probat Augustinus lib. 18. de Ciuitate, cap. 48. ex illo Psalmi 39. *Annuntiaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Et ex eo quòd Christus etiam inter Apostolos vnum reprobum habere voluerit, vt suo exemplo doceret, Ecclesiam malos tolerare, donec nimirum messores omnia euellant zizania, ea colligentes in fasciculos ad comburendum.

Denique contrarius error est reprobatus ab Ecclesia in Concilio Constantiensi, in articulis Ioannis Hus & Wiclef; quem refert Thomas Waldensis docuisse, quòd Ecclesia sit prædestinatorum vniuersitas. Ceterùm quamuis hæc apertissimè sit doctrina Ecclesiæ, Augustini, & totius vetustatis; nouatores tamen nostri temporis contrarium tenent, & hæc ferè opponunt argumenta.

Primum ex Scripturis, Apoc. 21. *Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo, paratam*, &c. Hîc significatur, inquit, totam Ecclesiam esse prædestinatam, reprobos in ea nihil iuris habere; ipsam habere radicem in cælo, & æterna Dei prædestinatione niti. *Obiect. 1. ex Script.* 1.

Præterea vocatur Ecclesia sponsa Christi: Christus autem non est sponsus reproborum. Christi enim sponsa numquam repudiatur, numquam ab eo diuellitur. 2. Apoc. 21.

Dicitur etiam *hortus conclusus, fons signatus.* De quo Gregorius in cap. 4. Canticorum: *Hortus sancta Ecclesia exiſtit, qui hortus conclusus benè esse dicitur; quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur.* 3. Cant. 4.

Ad hæc similis est Ecclesia arcæ Noë, in qua, vt ait Petrus, paucæ, id est, octo animæ saluæ factæ per aquam: nullus ergo eorum qui sunt in Ecclesia, perit. 4. 1. Pet. 3.

Ad Ephes. 5. dicitur Christus caput Ecclesiæ, 5.

& Saluator corporis sui; mundare Ecclesiam, vt exhibeat sibi gloriosam.

6. Ioan. 10. Alibi dicit de ouibus suis Christus: *Non rapiet eos quisquam de manu mea.* omnes ergo oues Christi saluabuntur: non sunt autem de ouili Christi, id est Ecclesia, qui non sunt oues Christi: nam quod attinet ad illud quod mouetur de hœdis, sunt quidem inter oues, in die iudicij separandi; sed non sunt ex ouibus: itaque sunt quidem in Ecclesia, sed non sunt de Ecclesia.

7. Denique primæ Ioannis 2. significatur reprobos numquam esse de Ecclesia: *Ex nobis*, inquit, *exierunt, sed non erant ex nobis: nam si ex nobis fuissent, permansissent vtique nobiscum.*

*Respons. Ad 1.* Respondeo, locum Apocalyp. posse intelligi de Ecclesia triumphante, Ierusalem cælesti, quę cõstat ex solis prædestinatis, quæ descendit de cælo, quando hominibus innotescit, vt interpretatur Ribera, secutus venerabilem Bedam & alios. Imò debere intelligi de cælesti Ierusalem, videntur conuincere verba sequentia: *Absterget Deus omnem lachrymam*, &c. Dico secundò: Si placeat hæc verba accommodare Ecclesiæ militanti, vt fecit Bernardus lib. 3. de consideratione; dicetur Ecclesia descendisse de cælo, quia habet vnum primum pastorẽ Romanum Pontificem, & reliquos ordines dispositos, ad exemplar cælestis ciuitatis. Dico tertiò: Si velimus admittere quòd Ecclesia sit prædestinata; dicere poterimus, neque nos dicere Ecclesiam esse reprobam; imò libenter fateri, totam illam vocationem multorum, quæ constituit Ecclesiam, esse propter electionem paucorum, quos Deus saluare intendit: quamuis & vocationis gratia, totaque Ecclesiæ professio ita sancta sit, vt hoc ipsum de cælesti gratia prouenire, adeoq; de cælo descendere, dici queat, quòd quis Ecclesiæ sit filius.

*Ad. 2.* Ad alterum respondeo, semper manere Christi sponsam, sed particulares animas, quæ sunt in Ecclesia, posse repudiari propter peccatum; & hoc ipsum pertinere ad perpetuum amorẽ, quo Christus amat sponsam suam Ecclesiam, quod tandem ex ea tollat omnia scandala: quamuis ob iustas causſas non solùm in mundo reprobos velit misceri cum electis, sed etiam in regno suo quod est Ecclesia militans, in qua non omnes legitimè certant, sed solicitè monendi sunt, vt sic currant, vt comprehendant; vt dignè vocatione sua & societate Ecclesiastica ambulent, &c.

*Ad. 3.* Ecclesiam in Canticis dici hortum conclusum, & fontem signatum, fatemur: sed sicuti ex eo malè Cyprianus epistola 67. ad Magnum, intulit Baptisma ab hæreticis collatum esse inualidum, ita ex eodem nostri temporis hæretici malè colligunt, prædestinatos solos esse de Ecclesia. Dicitur ergo Ecclesia hortus conclusus, inquit Beda in illum locum, quia Domini ac redemptoris sui protectione munita persistit, ne improba vmquam vel hominum infidelium, vel immundorum spirituum corruptione violetur, & à fructuum cælestium prolatione passim conculcata retardetur. Vel dicitur Ecclesia hortus conclusus, quia per continentiam munitus, vt explicat Gregorius libro 5. in 1. Regum cap. 4. Vel intelligitur iste locus de Ecclesia, pro tempore futuri sęculi, quando nihil coinquinatum in eam intrabit, quando non egredientur ampliùs foras: alioqui de Ecclesia militante prædixit Isaias cap. 60. *Et aperientur portæ tuæ iugiter.* Et hoc modo potest accipi Gregorius nobis obiectus. Charitas enim separat filios regni à filiis gehennæ. Vel denique illud Ecclesiæ elogium synecdochicôs accipi potest, vt dictum sit de Ecclesia propter præcipuam illam eius partem, quæ constat solis electis; quo modo etiam non incommodè licebit accipere verba Gregorij. Potest enim per Antonomasiam illa pars electorum dici Ecclesia, sicut & charitas quæ non deficit, illustriori sensu charitas est: alioqui multos reprobos esse in Ecclesia quãdo hîc militat, apertè docet idem Gregorius lib. 13. Moralium, cap. 5. in illud capitis 16. prophetiæ Iob: *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me.*

*Ad. 4.* De arca facilis est responsio. Vt enim dissimulemus, non debere in omnibus conuenire similitudinem; non defuit etiam in arca significatio nostræ doctrinæ, cùm in ea fuerint non tantùm munda, sed etiam immunda animalia; non tantùm columbæ, sed etiam corui.

Replicat quidam sectarius, debere omnes, qui verè sunt in Ecclesia, saluari; sicuti omnes octo illæ animæ, quarum similitudine vtitur Petrus, saluatæ sunt; nihilque ad rem pertinere, quod de immundis animalibus ingeritur.

Sed contrà, certum est, non omnes qui baptizantur, saluari. Si dicas Petrum loqui de spirituali & interiori Baptismo: verum quidem est quòd saluentur à peccatis per præsentem iustitiã, quotquot ita baptizantur; sed verum non est, verè sic ad tẽpus saluos, non posse excidere, & instar corui, saluatricem arcam relinquere. Sicuti ergo, si quis ex octo illis quos arca saluauit, deseruisset arcam, aquis diluuij periisset; ita si quis illuminatorum, qui iam gustauit donum cæleste, prolapsus fuerit, poterit esse reprobus, & maledictioni proximus, vt loquitur Apostolus ad Hebr. c. 6.

*Ad. 5.* Ad locum ex epistola ad Ephesios respondeo, Ecclesiam saluari & gloriosam exhiberi, quando mundatur à paleis quæ nunc in ea sunt; quod fiet in ventilatione extremi iudicij.

*Ad. 6.* Oues quas sibi non eripiendas Christus dicit apud Ioannem, intelligendę sunt per excellentiam in prædestinatis; non autem omnes qui sunt de Ecclesia, inter quos erat filius perditionis, typus omnium illarum erraticarum ouium, quæ ex ouili Christi pereunt: quia deserunt vocationem suam spontaneo peccato, à qua nullis hostium viribus separari potuissent, nisi ipsi defuissent gratiæ Dei. Neque est quod hîc quisquam miretur, eosdem interdum dici hœdos, qui aliàs dicuntur oues; hoc enim frequens in hisce similitudinibus. Christus enim aliquando dicitur leo, aliquando agnus: & in illo Canticorum 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; eædem secundùm Augustinum epistola 48. dicuntur spinę propter malignitatem malorum morum, & filiæ propter communionem Sacramentorum.

*Ad. 7.* Ad postremum ex epistola Ioannis respondeo; Quando dixit, *ex nobis exierunt*, significat reprobos illos fuisse in Ecclesia, sed eam reliquisse: quando autem dicit, *non erant ex nobis*, intelligit non fuisse ex numero prædestinatorum. Vide Augustinum de corrept. & gratia, cap. 9. & de dono perseuerantiæ cap. 8.

*Obiect. ex PP.* Secundum argumentum est ex veterum auctoritate. Clemens libro septimo Stromatum prope finem: *In Ecclesiæ catalogum referuntur ij qui*



*qui sunt iusti secundùm propositum.*

2. Cyprianus epistola 55. dicit eos esse Ecclesiam, qui in domo Dei permanent.

3. Auctor operis imperfecti in Matth. sub nomine Chrysost. homilia 20. *Christianum qui se ædificauerit super Christum, nulla aduersitas diruere potest.*

4. Augustinus contra Cresconium lib. 2. cap. 21. *Damnati à Christo, iam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia; quoniam non potest Christus habere membra damnata.*

5. Et lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, c. 17. *Semper ab illius Ecclesia, quæ sine macula & ruga est, vnitate diuisus est, etiam qui congregationi sanctorum in carnali obduratione miscetur.*

6. Item lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 32. *Non est reuerà Domini corpus, quod eo non erit in æternum.*

7. Rursum lib. 18. de ciuitate, cap. 45. dicit in illa sententia Domini, *Multi vocati, pauci verò electi*, per electos intelligi Ecclesiam: *Talibus*, inquit, *electis gentium, domus Dei ædificatur per Testamentum nouum lapidibus viuis*, &c.

*Resp. ad 1.* Respondeo ad Clementem, non aliud ipsum velle, quàm electos omnes inscribi Ecclesiæ, & Ecclesiam esse propter electos. Alioquin quòd cum electis vocentur etiam alij, eodem lib. docet his verbis: *Numquid eos Apostolus Paulus esse dixit veluti carnes sancti corporis? Corpus autem allegoricè dicitur Domini Ecclesia, spiritalis & sanctus chorus, ex quibus ij qui vocantur solùm nomine, viuunt autem non ex ratione, sunt carnes.* Et infrà: *Fornicatur enim in Ecclesiam eius quoque corpus, is qui gentiliter vivit in Ecclesia.* Hîc Clemens carnales dicit carnem esse in corpore Ecclesiæ, & in ea gentiliter viuere: non ergo solos electos in ea agnoscit.

*Ad 2.* Ad Cyprianum respondeo, cùm Ecclesia à vocatione dicatur, vocatio autem Dei secundùm propositum excellentior sit ea quæ non est secundùm propositum, Cyprianum ibi respicere ad vocatos secundùm propositum, qui secundùm excellentiam sunt in Ecclesia: alioqui alios esse vocatos multiplicatos super numerum, qui de Ecclesia pereant, clarissimè subiungit: *Conuenit dare operam, ne quis culpa nostra de Ecclesia pereat: si autem quis vltrò & crimine suo perierit, atque ad Ecclesiam redire noluerit*, &c.

*Ad 3.* Auctor operis imperfecti pro nobis est: facit enim duplicis generis Christianos; vnos qui ædificent super petram, alios qui super arenam. De prioribus dicit, quòd nulla aduersitate diruantur; de posterioribus fatetur quòd cadant: *Tales*, inquit, *sunt quos cadere de Ecclesia, significauimus suprà; eò quod non se ædificauerint super petram, sed magis super arenam.*

*Ad. 4* Ad Augustinum contra Cresconium respondeo, potiùs ipsum de malis, quàm de reprobis agere; sed hæretici hos cum illis confundunt. Dicit autem, malos non esse in Ecclesia, eò quòd perfectè non sint membra Christi; quia secundùm animam non sunt de corpore Christi, sed solùm secundùm exteriorem compagem.

*Ad 5.* Similis est responsio ad locum ex lib. 1. de Baptismo, nisi malueris respici eo loco ad partem Ecclesiæ, quæ solis electis constat.

*Ad 6.* Ad locum ex libro 3. de doctrina Christiana, respondeo: Augustinus ibidem admittit malos esse de corpore Domini permixto, siue de Ecclesia permixta: sed reprehendit Ticonium, quòd putauerit duplex corpus Christi posse dici. Quamuis enim corpus nostrum permixtum sit noxio humore, non tamen potest dici noxius humor corpus nostrum, aut duplex corpus nostrum. Vbi nota, similitudinem istam de noxio humore, non ita esse vrgendam, quasi mali non sint membra Ecclesiæ, sicuti noxius humor non est membrum hominis; mali enim ita sunt humor noxius in Ecclesiæ corpore, vt etiam sint quasi de carne eiusdem corporis, vt diximus ex Clemente Alexandrino.

*Ad. 7.* Ad postremum locum respondeo, Augustinum in similibus locutionibus ad duo respicere; vnum est, quòd meritò illi soli ad domum Dei quadam ratione pertinere dicantur, qui in ea tamquam viui lapides ponuntur, non ad tempus, sed vt æternum Diuinę maiestatis constituant habitaculum: alterũ, quòd in oculis Dei, soli electi sint pulchritudo Ecclesiæ, quod prouenit ex eadem causſa. Pulchritudo enim ædificij ea meritò dicitur, quæ absolutè placet architecto, eiusque finem assequitur. Vocat tamen Deus plures, vt inter multos vocatos, pauci illi veniant electi: sicut Samuël vocabat omnes filios Isai, vncturus solum Dauidem: sicut piscator capit malos pisces cum bonis, vt bonos colligat in vasa. Sicuti enim talis non dicitur esse piscator malorum piscium, sed bonorum: ita quamuis Ecclesia malos contineat simul & bonos, est tamen eius vocatio sancta, & rectè dicitur vocatio & Ecclesia sanctorum: rectè dicitur ipsa prædestinata, non autem reprobata; quamuis reprobi sint plures. prædestinati enim sunt principales, & per se intentæ Ecclesiæ partes. 1. Reg. 16.

*Reprobi an aliquando sint filij Dei.* Quæres, An ergo reprobi, dum temporalem habent in Ecclesia iustitiam, non sint perfectè membra Christi, & filij Dei?

*Filius Dei adoptiuus triplicitèr.* Respondeo: Tribus modis potest dici quis filius Dei adoptiuus. Vno, quia habet pignus hereditatis cælestis, ratione cuius habet ius ad illam, si benè suum pignus custodiat: eoque modo reprobus est Filius Dei, quando temporaliter iustus. Altero, quia quamuis nondum habeat pignus hereditatis cælestis; complacuit tamen Deo eam ipsi dare, & in extremo saltem vitæ suæ etiam pignus illud habebit: & sic prædestinati etiam dum lupi sunt dispergentes, aut sanè dispersi extra Christi ouile, sunt filij Dei per prædestinationem; ita enim vocantur Ioannis 11. *Vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Tertio, quia vtrumque habeat, & ius per pignus, & stabilitatem per firmum Dei propositum: quo fit, ne in fine destituatur eiusmodi pignore: quo modo soli iusti prædestinati sunt filij Dei. 1. 2. 3.

Hinc colligitur, meritò damnatum esse in Concilio Constantiensi, articulum Ioannis Hus eiusmodi: *Præscitus etiamsi aliquando sit in gratia secundùm præsentem iustitiam, tamen numquam est pars sanctæ Ecclesiæ; & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat à gratia aduentitia, sed non à gratia prædestinationis.*

*Mali sunt in Ecclesia.* Malos esse in Ecclesia, probat multis Scripturis Augustinus. Matthæi 24. *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Ioannis 8. *Seruus non manet in domo in æternũ. Non dixit, Non est; sed, Non manet*, inquit Augustinus tract. 41. in Ioannem. Lucæ 15. *Quanti mercenarij in domo*

*patris mei abundant panibus*? Matth. 18. In Ecclesia seruus nequam non vult dimittere conseruo suo; frater in fratrem peccat: imò & malos præfectos etiam esse in Ecclesia, ostendit seruus ille, Lucæ 12. qui, moram faciente domino, percutit conseruos suos. Probat etiam exemplis; vt Iudæ, Ananiæ, Sapphiræ, Nicolai diaconi, Simonis magi, fornicarij Corinthij, falsorum fratrum æmulatorum apud Apostolum, Ecclesiarum Asiæ, de quibus Apocalypsis 2. & 3. Feliciter vsi sunt Catholici Matth. 3. contra Donatistas parabola illa areæ, in qua ita simul cum tritico est palea, vt triticum vix appareat. Volebant enim Donatistæ, malos tantùm occultè esse in Ecclesia. His & similibus argumentis testatur Augustinus in Breuiculo, à Catholicis Donatistas fuisse conuictos. Accedit Gregorius homilia 38. in Euangelia: *Boni soli nusquam sunt, nisi in cælo; & mali soli nusquam sunt, nisi in inferno.* Denique Tridentinum Sess. 6. can. 28. anathema dicit, siquis malos fideles Christianos esse negauerit.

*Obiectio ex Script.* Contrà obiicitur Primò ex Sacris litteris: Ecclesia tota pulchra est & sine macula, vt dicitur
1. Cantic. 4. & ad Ephes. 5. Item non transiturum
2. per eam incircumcisum & immundum prædixit
3. Isaias cap. 25. Confirmatur idem ex Apostolo ad
Romanos cap. 8. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.* 2 ad Corinth. 6. *Quæ societas*
4. *lucis ad tenebras? Quæ autem conuenientia Christi cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Ieremiæ 23. *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus?*
5. 6. Ad Ephesios 4. *Ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iunctu ram submini strationis, secundùm operationem in mensuram vnius cuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem corporis sui in charitate.* Hîc inquiunt significatum, totum corpus Christi incrementum ex eo capere per charitatem.

*Respons.* Respondeo, Ecclesiam dici totam pulchram, propter secretiorem & potiorem sui partem, quæ continet solos iustos, qui perfectè in ea sunt: nam peccatores, qua parte nondum iusti sunt, deficientes à iustitia huius vitæ, ad Ecclesiam non pertinent, vt patet ex dictis. Nisi ita explicetur, ne quidem ij in quibus radix fidei manet, & qui peccant ex infirmitate, & luctantes contra peccatum succumbunt, & posteà resurgere conantur, essent membra Ecclesiæ: nam etiam illi offuscarent integram illam pulchritudinem. Eos tamen esse de Ecclesia, fatentur sectarij, contenti excludere illos qui cauteriatam habentes conscientiam, sceleratè viuunt, & non contristantur de peccatis.

*Ad 2.* Isaias loquitur de Ecclesia, vt futura est in altera vita. Ita Augustinus in Breuiculo collat. 3. cap. 9. Vel, non pertransit incircumcisus & immundus; quia & temporalem pacem aliquamdiu habuit Ecclesia: & spirituales hostes, præcipuè diabolus, non ita præualent ad intus expugnandum, sicut olim quando dicebant, *Incuruare vt transeamus*; vt est apud eumdem Isaiam cap. præcedenti: sed solùm foris oppugnare possunt Ecclesiam & animas fideles. Qui sensus videtur communior interpretum Cyrilli, Hieronymi, &c.

*Ad 3.* Ad Apostoli locum respondeo: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius; sed qui non habet perfectè Christi spiritum, potest eum aliquousque habere, & aliquo modo esse Christi: mali autem fideles, habent Christi spiritum eo-

ipso quo fideles & fraternitatis amantes; non habent tamen Christi spiritum perfectè: neq; enim sunt in spiritu, sed in carne: itaque non sunt Christi perfectè; non enim viuunt in Christo, alioqui nihil in eis esset damnationis.

Paulus ad Corinthios pro nobis est: nisi enim *Ad 4.* contingeret, Christianos manêtes in Ecclesia participes fieri mensæ dæmoniorum, non tam appositè eos increparet Apostolus, rei vrgens indecentiam.

Ad locum Ieremiæ respondent Catholici Do- *Ad 5.* natistis apud Augustinum in Breuiculo collat. 3. non hoc dictum esse de Ecclesia, sed de diuinis Prophetarum visionibus, & humanis somniis, ne eis vllo modo compararentur.

In loco ad Ephesios, charitati adscribitur ædifi- *Ad 6.* catio & augmentatio corporis Christi quod est Ecclesia; sed inde non sequitur, non esse aliquos in Ecclesia, qui charitatem non habent, & non promouent augmentum corporis Christi, quamuis illud promouere se profiteantur eo ipso quo manent in Ecclesiastica communione. Compactum itaque & connexum est totum corpus; sed quædam partes neque in se, neq; in alijs augmentum faciunt per charitatem, nisi forte admodum tenuiter, quatenus non deserunt Sanctorum communionem, & fraternitatis amorem; quia non exsequuntur opere quod profitentur.

Obiicitur Secundò ex Patribus: Augustinus de *Obiectio 2. ex PP.* vnitate Ecclesiæ cap. 12. dicit, impias turbas in Ecclesia non deputari. Lib. 6. contra Donatistas, cap. 2. *Qui quis non habens charitatem, intus videtur esse cum foris sit.* Et cap. 4. dicit omnes malos spiritaliter à bonis seiunctos esse. Lib. 1. contra Cresconium cap. 29. dicit, non pertinere ad Ecclesiæ vnitatem eum qui non habet charitatem. Hieronymus in cap. 5 ad Ephesios: *Qui peccator est, & aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari.* Denique Chrysost. in 2. ad Timotheum cap. 2. disertè negat, alia esse in Ecclesia vasa quàm aurea & argentea. Cui subscribens Theophylactus, dicit nihil in Ecclesia esse ligneũ.

Ad hæc omnia patet solutio ex D. Augustino *Respon.* de Genesi ad litteram, lib. 11. cap. 25. vbi distinguit duplicem modum quo quis ab Ecclesia separatur: *Paradisus*, inquit, *dicta est Ecclesia. Inde ceciderunt vel aperta & corporali separatione omnes hæretici: vel occulta & spiritali, quamuis in ea corporaliter esse videantur omnes conuersi ad vomitum suum, cum post remissionem peccatorum paululùm ambulassent in via iustitiæ: in quibus facta sunt posteriora peiora prioribus, & quibus expediebat non cognoscere viam iustitiæ, quàm cognoscentibus retrorsum reflecti à tradito sibi sancto mandato.* Quando ergo sancti dicunt, malos non esse in Ecclesia, aut de Ecclesia; volunt solùm spiritualiter excidisse, rupto saltem vinculo interiori charitatis; non autem negant, eos secundùm fidem informem, aut saltem exteriorem compagem esse membra Ecclesiæ.

Non baptizatos non esse in Ecclesia, patet 1. ad *Non baptizati, non sunt in Ecclesia.* Corinth. cap. 5. *Quid mihi de illis qui foris sunt iudicare?* Actor. 10. dicitur Petro, cùm de Cornelio baptizando ageretur, *Macta & manduca.* Manducare autem ibi est per Baptismi sacramentum, tamquam manducatione quadam, in Ecclesiæ corpus traiicere, & Ecclesiæ incorporare. Huc etiam faciunt loca, quæ negant salutem posse obtineri



neri sine Baptismo, illumque tamquam aditum quemdam ad salutem requirunt. Christus enim est Saluator corporis sui: ianua itaque in Ecclesia erit Baptismus. Præterea ad Ecclesiam Christi non pertinent, qui Christum non induunt; induimus autem Christum per Baptismum. Ad Galatas 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Accedit auctoritas D. Gregorij homilia 38. in Euangelia, vbi per nuptias Ecclesiam intelligens, *Quis*, inquit, *sine Baptismate & fide has nuptias intrauit*?

*Obiectio 1.* Sed obiicitur, interdum catechumenos sine Baptismate saluari: non posse autem saluari, nisi sint de Ecclesia etiam militante; extra illam enim non est salus: non ergo ad Ecclesiæ ingressum opus esse Baptismo.

*Resp.* Respondeo: Propter hoc argumentum quidam dicunt, Baptismum quidem esse necessarium ad ingressum visibilis Ecclesiæ, non autem inuisibilis. Sed illi peccant contra Symbolum, quo credimus, vnam esse Ecclesiam. Hæretici autem nostri temporis nullo modo ferunt hunc sermonem, quo dicantur non baptizati esse extra Ecclesiam. Verùm dicêdum est, eiusmodi catechumenos inuisibiliter inseri visibili Ecclesiæ, per voluntatem Baptismi; sicuti possunt per nauem saluari, qui manibus eam exteriùs apprehendunt, vt virtute iam, quasi sint intus, eiusque adminiculo queant portum attingere. Confirmatur ex capitulo Veniens, de presbytero non baptizato: vbi Pontifex dicit, non solùm per sacramentum fidei, sed etiam per fidem Sacramenti posse quempiam effici membrum Christi. Alioqui per solam fidem sine Baptismo non esse catechumenos simpliciter in Ecclesia, patet ex Augustino lib. 8. confess. c. 2. vbi refert Simplicianum dixisse Victorino iam credenti; *Non deputabo te inter Christianos, nisi in Ecclesia Christi te videro.* Sed Augustinum quidam sectarius primum esse huius dogmatis inuentorem dicit & obiicit.

*Obiect. 2.* Secundò, Sicuti Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. ita etiam dixit: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. Si ergo Baptismus sit necessarius vt quis incorporetur Christo, etiam similiter necessaria erit sacra Eucharistia. Quod videns Augustinus, etiam illam infantibus dixit esse necessariam.

*Respon.* Respondeo, spiritualem manducationem carnis Christi esse omnibus necessariam; & infantes, saltem interpretatiuè & quoad effectum, illam habere, quando Christo incorporantur per Baptisma, & hoc voluisse Augustinum. Baptismi autem actualem susceptionem ita infantibus dicimus esse necessariam, vt extra casum martyrij non baptizati decedentes, damnentur, & pereant de populo Dei, etiamsi nati fuerint parentibus fidelibus.

*Obiect. 3.* Tertiò, Eadem (inquiunt) est ratio Baptismi & Circumcisionis: atqui multi pertinebant ad populum Dei qui non erant circumcisi, vt Melchisedech & Iob: ergo etiam nunc multi pertinent ad Ecclesiam, qui non sunt baptizati.

*Respon.* Respondeo, disparem esse rationem Circumcisionis & Baptismi: neque enim generalis erat illa initiatio populi Dei, sed tantùm in populo Hebræo certi sexus, certorumque, puta octo dierum.

*Hæretici aperti.* Hæreticos apertos & apostatas non esse in Ecclesia, patet 1. Ioannis 2. *Ex nobis exierunt*, &c. Ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita.* Non ergo pertinent ad communionem & conuocationem fidelium. Addit Apostolus: *Cùm sit proprio iudicio condemnatus*, id est, eiectus ab Ecclesia. Vbi notat Hieronymus differentiam inter hæreticos qui seipsos ab Ecclesia eiiciunt, & alios flagitiosos, quos per excõmunicationem eiicit Ecclesia. Eamdem differentiam obseruat Cyprianus libro 1. epistola 3. Huc pertinet quòd 1. ad Timoth. cap. 1. dicantur quidam circa fidem naufragasse. significantur enim è naui excidisse.

Restringitur hæc doctrina ad apertos hæreti- *Hæretici occulti.* cos: quia occulti, quamuis non sint de anima Ecclesiæ, sunt tamen de corpore, quamdiu externa fidei professione Ecclesiastico corpori adhærent. De qua re sectarius quidam admodum contendit cum Bellarmino, quasi nulla ratione dici queat, hæreticos occultos esse in Ecclesia. Verùm is hæreticorum mos est, valdè operosè persequi quæ parum ad principalem caussam pertinent. nam & inter Catholicos non desunt, qui simpliciter fateantur, non esse occultos hæreticos in Ecclesia, sed per hæresim etiam mentalem verè excidere. Probabilior tamen est modus loquendi contrarius: antequam enim deuitentur occultè hæretici, vult Apostolus eos moneri. Neque incommodum videri debet, si de corpore visibilis Ecclesiæ permansisse dicantur, quando eodem modo exteriùs cum fidelibus agunt & communicant, quo priùs, quando adhuc erant sani, licet non eodem animo.

Dices; Ergo per solam hypocrisim erit quis *Obiectio.* membrum Ecclesiæ. Quòd enim occultus præ aperto hæretico sit in Ecclesia, non aliunde prouenit, quàm quòd occultus agat hypocritam: illud autem absurdum est, quia hypocrisis est opus diaboli, Ecclesia autem est plantatio quam plantauit Pater cælestis.

Respondeo: In hac hypocrisi tria sunt; defe- *Respon.* ctus veræ fidei, bonum per quod simulatur ille defectus ibi non esse, & ipsa simulatio. Per primum & tertium, diabolo potiùs adhæret hæreticus iste occultus quàm Deo; per secundum autem, quod per se bonum est, manet adhuc in corpore visibili Ecclesiæ, quamuis deficiat à spiritu Christi & anima Ecclesiæ; partim per defectum fidei, partim per mendacium facti, quod in ipsa simulatione & hypocrisi admittit. Hypocrisis itaque tale malum est, quod intentionem, quæ est quasi anima operis boni, corrumpit; ideoque natum est, interiorem formam membro Ecclesiæ auferre. Externum autem corpus operis ipsius splendidum exhibet, eaque parte aptum est vt exteriùs in corpore Ecclesiæ hominem retineat non per se, sed vt continuans externum illud bonum, quod situm est in exteriori communicatione Ecclesiastica.

Verùm, etiam manifestos hæreticos esse in Ec- *Obiect. 1.* clesia, videntur quædam suadere argumenta. Primum ex parabola Matth. 13. vbi zizania, per quæ etiam hæretici intelliguntur, dicuntur reperiri in agro Dominico, qui est Ecclesia. Item 2. ad Timo- 2. theum 2. in magna domo, id est, in Ecclesia, dicuntur esse etiam vasa lignea, & fictilia, & vasa in contumeliam. Per quæ si non solos, saltem cum aliis malis simul oportet etiam hæreticos intelligere: nam ita intellexit D. Augustinus lib. 4. con-

tra Donatistas, cap. 12. ex Cypriano lib. 4. epist. 2.
3. ad Antonianum. Denique huc trahi potest illud 1. ad Cor. 15. *Quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* quem locum Augustinus lib. post collationem contra Donatistas, cap. 20. ita intellexisse videtur, vt significatum sit, infideles circa articulum resurrectionis esse in Ecclesia.

*Resp. ad 1.* Ad primum locum respondeo: Catholici contra Donatistas vsi sunt illa parabola, vt ostenderent malos esse in Ecclesia, & per agrum intelligebant Ecclesiam. Sed opponebant Donatistæ, per agrum potiùs mundũ intelligi, eò quòd Christus dicat, *Ager autem est mundus.* Respondebant Catholici, etiam per mundum intelligendam Ecclesiam, & ita intellexisse Cyprianum. Contrà opponebant Donatistæ, in Scripturis mundum nusquam accipi in bonam partem. Sed imperitia illa facilè conuicta fuit, cùm scriptum sit: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Ita refert D. Augustinus lib. post collationem, cap. 6. Ceterùm quamuis non improbabiliter possit per agrum hîc intelligi mundus, ita vt non Ecclesia; ea tamen Catholicorum interpretatio est admodum probabilis: nam Christus concludit, Angelos collecturos de suo regno omnia scandala: regnum autem Christi siue Dei, est Ecclesia. Quomodo autem tunc non dicantur esse in Ecclesia aperti hæretici, videri potest apud Augustinum libro 2. retractationum, cap. 28. vbi duo docet. Vnum est, si solæ hæreses per zizania intelligerentur, consequens fore, præter Ecclesiam tantummodò esse zizania, non etiam in Ecclesia reperiri. Alterum est, zizania in sua latitudine etiam complecti hæreses. Sensit itaque Augustinus, zizania quatenus complectuntur hæreses, non esse in Ecclesia; sed quatenus complectuntur alia scandala, præter schisma, hæresim apertam, & apostasiam.

*Ad 2.* Ad secundum locum respondeo, per *magnam domum*, intelligi Ecclesiam; per *vasa in honorem*, electos; per *vasa in contumeliam*, reprobos; per *aurea & argentea*, bonos; per *lignea & fictilia*, malos. Vnde patet, quædam vasa aurea & argentea esse in contumeliam; & contrà, quędam lignea & fictilia in honorem, vt ex Ticonio Augustinus lib. 2. retract. c. 18. Ex mente itaq; Apostoli, etiam
2. Tim. 2. Philetus & Hymenæus, & alij, *quorum sermo vt cancer serpit*, fuerunt in Ecclesia per Sacramentorum communionem, dum iam essent vasa in contumeliam, lignea & fictilia, & occultè hæresim fouerent. Quando autem facti sunt apertè hæretici, exierunt ex nobis, id est, ex Ecclesia. De his Augustinus de vera religione cap. 8. *Ex his hominibus haretici fiunt, qui etiamsi essent in Ecclesia, nihilominùs errarent*, &c.

*Ad 3.* Ad tertium locum respondeo, accipiendum esse non de apertè & pertinaciter hæreticis, sed de seductis.

*Obiectiones ex Ratione.* Secundum argumentum est ex Ratione: Ecclesia in hæreticos seruat iurisdictionem, & potest illos iudicare; ergo non sunt foris.

*Respons.* Respondeo, Ecclesiam habere iurisdictionem in aliquos qui non sunt in Ecclesia, propter promissionem subiectionis, quam vel ipsi, si sint adulti; vel eorum parentes, si paruuli ex baptizatis nati, præstiterunt Ecclesiæ: vel sanè propter characterem Baptismalem. Non tamen potest sola eiusmodi promissio, aut solus character Baptismi efficere, vt quis sit de Ecclesia: alioqui etiam catechumenus esset de Ecclesia, & damnati in inferno.

*Schismatici.* Schismaticos non esse in Ecclesia, probatur ex cap. 5. Lucæ, vbi per scissionem retis, & quæ sequi solet, egressionem piscium, intelliguntur schismata Ecclesiæ, & egressiones hæreticorum & schismaticorum. Ita Augustinus tractatu 122. in Ioannem, lib. 2. Quæstionum Euangelicarum qu. 2. & de vera religione cap. 6. Huc facit capitulum Pudenda, & capitulum Schisma 24. q. 1. Item capitulum Qui cathedram, dist. 93. vbi dicitur non esse in Ecclesia qui deserit cathedram Petri. Cyprianus lib 1. epist. 6. dicit, schismaticos non habere Ecclesiam. Confirmatur: quia adeò Ecclesia respicit coniunctionem ad vnum caput, vt in Scripturis sanctis non fuerit nominata Ecclesia, priusquam Aaron esset Pontifex creatus, vt notat Turrianus libro 1. de Ecclesia, cap. 1. ex Cyrillo catechesi 18.

*Deficientes à proprio Episcopo.* Quæres, An qui deficiunt à proprio Episcopo, adhærent tamen Romano Pontifici, desinant esse in Ecclesia?

*Respons.* Respondeo, eos qui per iniquum schisma & manifestum deficiunt, sicuti defecerunt Donatistæ à Cæciliano Carthaginensi, desinere esse in Ecclesia.

*Excommunicati.* Excommunicatos non esse in Ecclesia, patet: quia sicut schismatici & hæretici deserunt Ecclesiam, ita excommunicati ab Ecclesiastica societate eiiciuntur. Hoc enim est excommunicari, priuari communione Ecclesiæ, fieri sicut ethnicum & publicanum, Matth. 18. tolli de medio fidelium, ad Corinthios 1. cap. 5. Neque solùm amittunt excommunicati exteriorem societatem Ecclesiæ; sed etiam spiritale & interius societatis emolumentum, quo membra se mutuò fouent: si modò iusta de caussa, & legitima via sint excommunicati: nam si sine vera caussa, legitimè tamen *Sine vera caussa.* propter falsò allegata & probata, non carebunt spirituali societatis Ecclesiasticę emolumẽto: nam coram Deo verè intus erunt; abstinebunt tamen ab exteriori communione publicè, ex obligatione vitandi scandali, quæ oritur ex vi præcepti inclusi in eiusmodi sententia, reuerà quidem iniqua, iusta tamen in foro exteriori, quod in proposito etiam retinet aliquam vim obligandi in interiori. Si verò non tantùm iniusta, sed etiam ipso iure nulla sit excommunicationis sententia intentata; manifestum est, quòd nec exteriùs nec interiùs sic excommunicatus eiiciatur ex Ecclesia.

*Obiectio.* Obiicies, excommunicatum vocari fratrem 2. ad Thessal. 3. *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem.*

*Respons.* Respondeo, esse fratrem, quia Baptismo nobiscum renatus est, & propter spem conuersionis. Quo posteriori modo accipere licebit, quod habet Augustinus lib. post collationem, cap. 20. *Neque enim à populo Dei separamus, quos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus.* vt significatum sit, excommunicatum non separari à populo Dei, vt in æternum pereat de populo suo, sicut pereunt non baptizati; sed vt confundatur, & spiritus saluus fiat. Existimant tamen quidam eruditi, subesse mendum, & deesse in Augustini sententia negationem, vt ita legendum sit; *Neque enim à populo Dei non sepa-*



*separamus*, &c. Alij explicant Augustinum de excõmunicatione minori: sed minùs id placet, quia subiungit quędã verba, quibus significet, excommunicare ita se intelligere, vt sit euellere zizania, & ab Ecclesia separare; quod de minori excommunicatione dici non potest. Alius quidam dicit, per populum Dei ibi intelligi posse numerum saluandorum, non Ecclesiam: verùm neque istud placet, quamuis quoad sensum redeat in idem cum prima responsione; quia subiungit Augustinus, *Quos tamen ab Ecclesia separare non possumus.*

## DISPVTATIO II.

### *De Ecclesiæ origine, duratione, ac vnitate.*

PROPOSITIO PRIMA. Ecclesiæ prima membra fuerunt Adam & Eua. Probatur: quia illi primi ex delicto suo educti & euocati sunt per fidem Christi; estque verisimile, hos primos etiam fidem exteriori cultu protestatos fuisse: imò solemnis Doctorum opinio est, Adamum docuisse filios suos offerre Deo primitias & decimas.

*Aliorum sententia.* Sentiunt quidam contrarium: quorum aliqui dicunt, Ecclesiam ab Angelis cœpisse; alij ab Abel; alij ab Apostolis. Verùm Ecclesia Angelorum non est conuocata ex peccatoribus ad fidem Christi; à qua cõuocatione dicitur Ecclesia Christi, de qua hîc agimus. Abel autem non fuit absolutè primum Ecclesiæ membrum; quia verisimile est, non defuisse primo illo tempore aliquod remedium pro paruulis, vt habet communis sententia: adeoque verisimile est, Cain in infantia fuisse iustificatum. Cùm igitur Cain fuerit senior Abelo, & non sit iustitia extra Ecclesiam, apparet Ecclesiam fuisse ante Abel. Secundò, non est certum, Adam & Euam peccando amisisse fidem: & vt certum id esset, non minùs certum est, eos per pœnitentiam recuperasse fidẽ & iustitiam, antequam generarent Abelum: imò quando nascebatur Cain, videtur Adam habuisse fidem, cùm diceret: *Possedi hominem per Deum.* hoc est, inquit Chrysostomus hom. 18. in Genesim: *Non natura mihi puerum dedit, sed diuina gratia.*

Quòd tamen Abel fuerit primum Ecclesiæ membrum, multis auctoritatibus conantur probare: Augustini in Psalm. 128. Gregorij hom. 19. in Euangelia, & aliis, quas prolixè prosequitur Turrecremata lib. 1. Summæ, capite 25. vbi sequitur illam opinionem, quæ vult Ecclesiam cœpisse ab Abel.

*Cur Abel dicatur primum Ecclesiæ membrum.* Sed respondeo; Quamuis absolutè loquendo, verum sit, cœpisse Ecclesiam à primis parentibus; multas tamen subesse causssas, quare veteres soleãt dicere, cœpisse ab Abel. Prima est, quia tunc primùm diuisa fuit Ecclesia Dei ab ecclesia malignantium; ciuitas Dei à ciuitate diaboli: cęlestem enim ciuitatem, secundùm D. Augustinum li. 15. de Ciuitate, ædificabat Abel; terrenam, Cain. Secunda, quia Abel primus legitur ritè Deo sacrificium obtulisse, Ecclesia autem maximè fidem suam profitetur sacrificio. Quare, sicuti Melchisedech ab Apostolo dictus est sine patre, & sine matre, eò quòd parentum ipsius non meminerit Scriptura; ita etiam Adam, quasi sine sacrificio, adeoque quasi extra Ecclesiæ professionem negligitur, eò quòd sacrificium ipsius non commemoret Scriptura. Tertia, quia Abel, primus hominum, sanctitatem non interruptam seruauit: vt ergo Ecclesiæ sanctitas, integritas, & pulchritudo commendetur, ab eo dicitur incepisse, qui actuali peccato non legitur à sanctitate excidisse. Quarta, quia Abel tamquam primus iustus, à Christo commendatus est: *A sanguine Abel iusti*, &c. Matth. 23. Quinta, quia Abel primus est persecutionem passus: ea autem est putatio quædam vineæ Ecclesiasticæ, vt non incommodè vinea ista tunc cœpisse dici queat, quando cœpta est coli. Sexta, in Abel primus fructus Ecclesiæ relucet: primus est confirmatus in gratia, primus discessit in iustitia.

*Ecclesia nõ cœpit ab Apostolis.* Denique, non potest dici, absolutè cœpisse ab Apostolis; quamuis secundùm statum noui Testamenti, eam in Sion & Ierusalem cœpisse Apostolorum tempore, Scripturæ testimoniis comprobetur.

*Duratio Ecclesiæ.* PROPOSITIO SECVNDA. A principio mundi vsque ad finem, sine vlla interruptione perseuerat Ecclesia; ita vt numquam desint veri fideles, qui visibilem Ecclesiam constituant.

Contrà sentiunt hæretici nostri temporis, præcipuè Caluinus, præfatione in suas Institutiones; vbi contendit visibilem Ecclesiam subinde defecisse; nam occultam & inuisibilem fatetur numquam deficere. Ideò autem hæretici ita docent, ne cogantur fateri suam ecclesiam esse malignantium, quam fatentur aliquamdiu inuisibilem latuisse, quamuis originem habeat ab Apostolis.

Probatur nostra Propositio: Adam vixit donec iam Enoch coleret Deum, qui non est translatus antequam iam in Dei cultu floreret Lamech, qui vixit postquam genuit Noë, optimum Dei cultorem, 595. annis. A Noë verò vsque ad Abraham perseuerasse Ecclesiam, patet; quia Noë vixit vsque ad annum ferè sexagesimum Abrahæ, & Sem filius Noë, vixit post Abraham. Manifestum autem est in Scripturis, perseuerasse veram fidem in posteris Abrahæ, vsque ad mortem Ioseph: à morte verò Ioseph, vsque ad Moysen, in populo Israël perseuerasse fidem, certum videtur; tres enim dumtaxat generationes interfuerunt inter Leui filium Iacob & Moysen: accedit quòd Leui magna parte temporis illius intermedij superuixerit, vt constat ex cap. 6. Exodi. Denique, parentes Moysis fideles fuisse, testatur Apostolus ad Hebræos 11. *Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis.* Iosephus etiam lib. 2. Antiquitatum, cap. 9. patrem Moysis inducit religiosè Deum pro obtinenda prole precantem. A tempore autem legis, res est clarissima vsque ad Christum, qui dixit suis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Matth. 28. *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Matth. 16. Ioan. 14. Has enim promissiones, de militantis Ecclesiæ in fide perseuerantia vsque in finem sæculi, tota vetustas intellexit. Quod etiam ad Eph. 4. indicatur: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, ... alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, ... donec occurramus omnes in virum perfectum*, &c.

Dices,

Dices; Hæc concludunt Ecclesiam mansisse in fide: sed non probant, eam per ignorantiam, saltem inuincibilem, non errasse.

Respondeo; Si Ecclesia vel sic erraſſet, portæ inferi præualuissent aduersus eam: ad portas enim inferi pertinent quæcumque tenebræ ignorantiæ rerum ad fidem spectantium: neque etiam Spiritus veritatis, apud eam in æternum mansisset, si columna veritatis errores docuisset. Quamuis ergo contra Dei promissum non sit, particularem aliquem fidelem in hac vita ignorare aliquid inuincibiliter, quod fidei est; est tamen contra Dei promissum, Ecclesiam, quæ nobis in rebus fidei magistra à Deo infallibilis est data, errores docere ex quacumque ignorantia.

Dices iterùm: Esto, Ecclesia non errauerit; at inde non sequitur, etiam particularem Romanam Ecclesiam, vt prætenditur, non erraſſe.

Respondeo; Pendet vniuersalis Ecclesiæ firmitas à fundamento Apostolicæ petræ, de qua Dominus: *Super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Fides Petri, Romanæ fides est Ecclesiæ; pro hac fide, quæ vniuersalis Ecclesiæ fidem confirmat, Dominus rogauit.

*Obiect. 1.* Obiicitur, primos parentes amisisse fidem, atque ita statim initio Ecclesiam fuisse interruptam.

*Resp.* Ad istud argumentum duo dicere possumus:

*An Adam amiserit fidem?* vnum est; non esse certum, quòd Adam & Eua peccando amiserint habitum fidei infusæ, vtpote ex qua mox pœnituerint. Alterum; etiamsi id certum foret, nihil obesse nostræ doctrinæ; nobis enim sufficeret, quòd Christi Ecclesia, ex peccatoribus per gratiam ipsius collecta, non deficiat.

Adamum amisisse fidem, videntur quidem sentire veteres; Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem, Ambrosius lib. 5. epist. 33. & lib. 7. in Lucam, cap. 47. Augustinus lib. 14. de Ciuitate, cap. 17. Prosper responsione ad tertium dubium Genuensium.

*Respons. ad loca PP.* Verùm vno excepto Prospero, reliqui facilè explicari possunt. Tertullianus enim se ipsum explicat: postquam enim dixisset; *Quis dubitabit Adæ debitum hæresim pronuntiare?* addidit; *quod per electionem suæ potiùs quàm diuinæ sententiæ admisit.* Alludit itaque ad etymologiam hæresis, quæ ab eligendo dicitur; non propriè nomen vsurpat. Ambrosius fidem accipit pro fidelitate, vel fide formata. Augustinus significat primos parentes, Deo non credidisse, eò quòd magis serpenti crediderint dicenti, *Nequaquam moriemini*, non tam speculatiuo errore, quàm practico; vel si etiam speculatiuè, secundùm Augustinum, errauit femina, quæ fuit seducta, in eo errauit, quòd putarit alio sensu posse accipi Dei comminationem; quæ opinatio non mox reiicienda est ad hæresim, præsertim in femina; cùm etiam excellentissimi viri, de intellectu illius comminationis, non satis inter se conueniant.

In diuo Prospero tamen, vt insinuauimus, est difficultas: videtur enim sensisse, non solùm quòd Adam spoliatus sit dono habitualis fidei, quod est probabile; sed etiam quòd peccauerit peccato infidelitatis, quod non perinde apparet. *Quid est* (inquit Prosper) *quòd eidem naturæ solã fidem non vult esse præceptam, quam nisi primã amisisset, ceteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo.* Verùm fortasse Prosper solùm vult, congruum & iustum fuisse, auferri Adamo donum fidei habitualis, eò quòd quodammodò crediderit diabolo, quamuis non peccarit peccato infidelitatis. Si ergo Adam amisit fidem, cœpit in eo Christi Ecclesia, quando per merita Agni occisi ab origine mundi eam recuperauit: si non amisit, cœpit in eo Christi Ecclesia, quando ex Redemptoris meritis hoc ipsum prouenit, vt in Adamo peccatore, donum fidei, contra quam merebatur, conseruaretur.

Obiicitur Secundò, totum populum Dei apo- *Obiect. 2.* statasse, quando Israëlitæ adorabant vitulum aureum; aut sanè quando iam ex Israelitica Ecclesia (quæ sola erat in mundo vera Dei Ecclesia) plurimi ad idololatriam defecerunt, & inter eos etiam Aaron, qui absente Moyse, dux & caput erat populi: eo tempore obscurum fuit, quinam censerentur inter vera membra Ecclesiæ; atque ita visibilis Ecclesia tunc videtur interrupta. Exod. 32.

Respondeo, populum Israël, neque fuisse to- *Respons.* tam Ecclesiam, neque totum defecisse: in gentibus enim aliqui potuerunt etiam tunc esse fideles. Et nisi pars aliqua populi Domino mansisset fidelis, non diceret Moyses: *Si quis est Domini, iungatur mihi.* Quòd verò caput defecisse dicunt, verum non est; quia Moyses non defecit: qui licet absens in vicino monte, verè tamen erat caput: & qui fidem suam à Deo non mutabant, constituebant visibilem Ecclesiam, præcipuè cùm manifesta esset idololatria in cultu vituli; & Aaron tunc temporis nondum esset vnctus sacerdos, quamuis iam designatus.

Obiiciunt Tertiò, Eliam deplorantem se solum *Obiect. 3.* relictum; & fuisse quidem septem millia relicta, 3. Reg. 19. quæ non curuauerunt genua ante Baal: sed eos nec Eliam cognouisse, nec reliquos vidisse, vt Ecclesiam visibilem repræsentare potuerint. Neque (inquiunt) dici potest, extra gentem Iudaicam fideles aliquos fuisse; tum quia hoc non videtur verum; solis enim Iudæis credita sunt eloquia Dei: Rom. 3. *Non* enim *fecit taliter omni nationi; & iudicia sua* Psal. 147. *non manifestauit eis:* sed *dimisit omnes gentes ingredi vias suas*, præcipuè tempore legis: nam Iob & Melchisedech ante legem fuerunt; Cornelius & eunuchus Candacis Reginę, proselyti: tum etiam, quia si Ecclesia in gentibus fuit, non fuit conspicua & visibilis, vt inde probari queat, visibilem Ecclesiam non defecisse. Act. 14.

Respondeo; Vt reliqua omnia diſſimulemus, *Resp.* certum est Eliam non loqui de toto populo Iudaico, sed solùm de illa parte, quæ subiecta erat Regi Samariæ: nam in Ierusalem, religio vera palàm à populo & sacerdotibus exercebatur.

Opponit quidam sectarius; Quare ergo Elias potiùs fugerit in montem Oreb, quàm in Iudæam vicinam? Deinde, Cur queritur (inquit) altaria destructa, si loquatur de Israëlitis tantùm, apud quos non erant altaria, nisi idololatrica? Præterea dicit, ex Apostolo constare, Eliam locutum esse generaliter de tota Iudæa. Addit, videri sub Asa & Iosaphat Dei cultum in Iudęa cessasse, quia excelsa non abstulerunt, & fœdus inierunt cum impiis. Rom. 11.

Sed hæc omnia parum conuenienter: potuit enim Elias vel Dei iussu, vel Angeli monitu, vel aliis de causſis fugere in montem Oreb, etiamsi vicinior aliqua ciuitas refugio esse potuisset. Quando Domino dicit, *Altaria tua destruxerunt*: certum est, quòd non loquatur de altaribus, quæ erant



erant in Ierusalem, vt vult hic sectarius: quod vt ostendam, referam verba Nicolai Lyrani, quia plenissimè isti obiectioni satisfaciunt: *Non loquitur hic* (inquit) *de altaribus quæ erant in Ierusalem, scilicet altare incensi, & altare holocaustorum; quia illa manebant: sed de altaribus quæ fuerunt facta in excelsis, tempore quo licitum erat ibi immolare Deo, ante ædificationem templi: & licet post templi ædificationem non esset licitum ibi Deo immolare, nisi ex speciali dispensatione Dei; tamen minus malum erat ibi Deo immolare, quàm idolis. Item destructa fuerant in contemptum Dei, ac idololatriæ exaltationem, & propter hoc Elias plangebat eorum destructionem.* Hactenus Lyranus. Apostolus autem ad Rom. 11. potuit hanc historiam applicare proposito suo paulò generaliori: sicut enim tunc ex Israël millia sibi reliquit Deus; ita nunc ex Iudaica gente, reliquiæ saluæ fiunt. Denique excelsa tolerata, aut amicitia cum impiis, non arguit duos istos reges Iuda non fuisse veræ religionis cultores, præsertim cùm eos Scriptura commender, quoad reliquam viuendi viam.

*Obiect. 4.* Obiicitur Quartò, tempore Arrianorum nullam fuisse visibilem veram Ecclesiam; sed totum orbẽ fuisse Arrianum: quod probatur ex Hilario, lib. contra Auxentium circa finem, & Hieronymo dialogo contra Luciferianos: *Ingemuit*, inquit, *totus orbis, & se esse Arrianum miratus est.*

*Respon.* Respondeo; Certum est, fuisse tunc temporis viros quosdam Catholicos, qui tamquam luminaria quædam, Ecclesiam non solùm visibilem, sed etiam illustrem, quasi super montem positam, exhiberent; Athanasium, Hilarium, Iulium, Eusebium Vercellensem, & alios. Hilarius itaque, loquitur solùm de Mediolanensi Ecclesia, quam occupabat Auxentius Episcopus Arrianus. Hieronymus solùm significat, Episcopos totius pænè orbis fuisse deceptos, condemnando ὁμοούσιον in Synodo Ariminensi, & per ipsos totum orbem, id est, magnam orbis partem, Arrianum factum materialiter, per ignorantiam subscribendo hæresi. Noluisse autem Hieronymum dicere, quòd tunc extincta fuerit visibilis Ecclesia Christi; patet ex eius verbis: *Periclitabatur*, inquit, *nauicula Apostolorum.*

*Obiect. 5.* Obiiciunt Quintò, tempore Concilij Basiliensis apertè Ecclesiam defecisse, quando Eugenius à Concilio legitimo est depositus; qui tamen Principum fauore, saluum Pontificatum retinuit. Omnes itaque Eugenij successores, censendos esse schismaticos.

*Respon.* Respondeo, non Eugenium, aut eius successores, sed Concilium Basiliense tunc fuisse schismaticum, quando Eugenium deposuit, vt testatur Leo X. in Concilio Lateranensi: & fuisse synagogam Satanæ, vt vocat Æneas Siluius siue Pius II. in Bulla retractationis. Neque enim (vt vult Caluinus) semper eadem dignitate, ad extremum perseuerauit: quando enim in Pontificem sententiam dixit, non solùm destituebatur præsentia legati Apostolici; sed præcipui iam Episcopi discesserant, & contra formam Conciliorum, potiùs erat Synodus Presbyterorum, quàm Episcoporum.

*Obiect. 6.* Obiiciunt vltimò, in fine mundi, tempore Antichristi, Ecclesiam non fore conspicuam; sed instar lunæ occultandam: imò hoc ipsum significari Matth. 24. quando Dominus dicit, solem & lunam tunc obscurandam, interprete Augustino epist. 80. *Ecclesia*, inquit, *tunc non apparebit impiis, tunc persecutionibus vltra modum sæuientibus.*

*Respon.* Respondeo; Obscurabitur tunc Ecclesia & obnubilabitur, non tamen ita absconderur, vt non sit futura visibilis; alioquin non possent eam persequi tyranni: neque de ea cadere viderentur, qui tamquam stellæ fulgebant. Ipse etiam Dominus Matth. 24. indicat, aliquos tunc futuros electos, quos in errorem duci non continget.

PROPOSITIO VLTIMA. Ecclesia illa quæ ab *Ecclesia vna est & eadem.* initio perseuerat, vnica est, & eadem, adeò vt neque simul, neque successiuè, vmquam fuerint aut futuræ sint plures Ecclesiæ. Est contra Ticonium Donatistam, qui faciebat Ecclesiam siue corpus Domini bipartitum; quasi vna Christi Ecclesia sit reproba, alia verò prædestinata & electa: quem refutat Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 32. Est etiam contra illos, qui faciebant vnam Ecclesiam visibilem, aliam inuisibilem.

Insinuatur vnitas Ecclesiæ Cantic. 6. *Vna est columba mea.* ad Rom. 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo.* ad Ephes. 4. *Vnum corpus, & vnus spiritus.* 1. ad Corinth. 12. *Multa quidem membra, vnum autem corpus.* Idem significabat tunica Domini inconsutilis.

Probatur Propositio: Duplex est Ecclesiæ vni- *Duplex Ecclesiæ vnitas.* tas, permanens & successiua. Permanens probatur ex Scripturis, dicentibus eam esse quasi vnum *Permanens* corpus, vnum regnum, vnum exercitum aut gregem, vnam ciuitatem, familiam aut domum: vnitas enim harum rerum permanentium, in duobus consistit; in connexione ad vnum caput, & connexione partium inter se. Ratione capitis Ecclesiam esse vnam, significatur Ezechielis 27. *Et Rex vnus erit omnibus imperans.* Ioannis 10. *Fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Connexio autem quę est inter membra, fit quibusdam quasi vinculis; atque in primis vna fide, vna tessera, vno symbolo fidei, de quo ad Ephes. 4. *Vna fides.* Et iterùm: *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei.* Secundum vinculum est vna anima Ecclesiæ, vnus videlicet spiritus, de quo Apostolus: *Vnum corpus & vnus spiritus.* Tertium est charitatis & pacis, quod ex præcedenti oritur: nam per Spiritum sanctum diffunditur charitas, & ab eo procedit, tamquam calor natiuus ab anima, quo se mutuo membra foueant, vt indicat Apostolus ad Rom. 12. Huic simile est vinculum humilitatis, quæ maximè vitat schismata: vt meritò Prosper epistola ad Demetriadem, hanc dixerit esse copulatricem virtutem membrorum Ecclesiæ. Quartum vinculum est identitatis Sacramentorum: ad Eph. 4. *Vnum Baptisma.* 1. ad Corinthios 10. *Vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Ibidem cap. 12. *In vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus.* Quintum est connexio ad vnum visibile caput, summum Pontificem, & alios proprios Episcopos: dedit enim Christus hos pastores in ædificationem corporis sui.

Vnitas autem, quam habet Ecclesia per mo- *Successiua.* dum rei successiuæ, explicari potest similitudine fluuij. Sicuti enim fluuius dicitur vnus, si originem habeat vnam, si eamdem rem succedentem, si perpetuam successionem; ita toto decursu temporis, vna est Christi Ecclesia: origine quidem, quia ab Adam absolutè: ex Ierusalem autem, secundùm statum Euangelij, ortum habuit, vt suprà

prà diximus & oſtendimus: identitate rei etiam vna eſt, quæ ſuccedit propter identitatem fidei, quæ numquam antiquatur: denique ſucceſſione perpetua; quia, vt ſuprà oſtendimus, numquam eſt interrupta. Sicut enim poſt diluuium promiſit Deus, non defuturas temporum ſtatas viciſſitudines, æſtatis & hiemis, diei & noctis, cunctis diebus terræ; ita Iſaiæ 54. dicit ſe fœdus pacis, quod cum Eccleſia pepigit, in æternum ſeruaturum: *Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducerem aquas Noë vltrà ſupra terram.*

## DISPVTATIO III.

### *An Eccleſia ſit viſibilis?*

ADMITTVNT hæretici, quod ſenſu notum eſt, Eccleſiam ex perſonis viſibilibus conſtare. Facilè etiam eis nos admittimus, Eccleſiæ eſſentiam, internam formam, & quaſdam etiam proprietates non eſſe ſenſibus obuias. Rurſum admittunt ipſi, aliquando Eccleſiam fuiſſe conſpicuam; negant autem ſemper talem manere. Admittunt Catholici, non ſemper fuiſſe æquè conſpicuam; volunt tamen ſemper fuiſſe verè conſpicuam, non quidem per eſſentialem ſuam formam, ſed per quædam accidentia ſua: quomodo videtur ſubſtantia, viſis accidentibus; & anima, viſis operationibus: habere enim Eccleſiam quaſdam viſibiles proprietates, quibus viſis, ipſa videatur.

*Eccleſia eſt viſibilis.* Sit itaque Concluſio huiuſmodi: Eccleſia eſt viſibilis, ita vt à prudenti rerum æſtimatore, ex ſignis quæ ſub ſenſum cadunt, dignoſci queat: & numquam ita obſcuratur, quin ex ſenſibilibus quibuſdam notis ſciri poſſit, quiſnam cœtus hominum ſit vera Eccleſia.

Prior pars probatur ex cap. 5. Matth. *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Vbi Eccleſia, ſecundùm ſtatum legis Euangelij, quem habuit poſt Chriſtum, non ſolùm dicitur eſſe conſpicua, ſed ita eminenter conſpicua, ac ſi eſſet ciuitas in monte ſita. Vtitur hoc loco Auguſtinus libro 2. contra Creſconium, cap. 36. *Extat Eccleſia cunctis clara atque conſpicua; quippe ciuitas quæ abſcondi non poteſt, ſuper montem conſtituta.* Confirmatur Iſaiæ 2. & Michææ 4. *Erit in nouiſſimis diebus, præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Alter locus eſt Pſal. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* id eſt, Eccleſiam ſuam poſuit in manifeſtatione, inquit Auguſtinus in illum locum. Tertius, Iſaiæ 61. *Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos; quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Quem locum ipſe Caluinus ita explicat, vt prædictum ſit, Eccleſiam conſpicuam fore omnibus gentibus. Idem docet Auguſtinus epiſt. 48. *Quomodo autem confidimus ex diuinis litteris accepiſſe nos Chriſtum manifeſtum, ſi non inde accepimus & Eccleſiam manifeſtam?*

Poſterior pars patet ex dictis ſuperiori Diſputatione. Confirmatur autem hac ratione: Tenentur ſemper homines ſe Eccleſiæ adiungere; oportet itaque ſemper ipſam queant dignoſcere. Secundò, vbi reuerenter auditur Euangelij prædicatio, neque Sacramenta negliguntur; ibi, etiam Caluino fatente, neque fallax, neque ambigua apparet Eccleſiæ facies: atqui poſt Chriſtum, ſemper fuit aliquis hominum cœtus, in quo viguit & Euangelij prædicatio, & Sacramentorum vſus: ergo Chriſti Eccleſia numquam fuit occulta. Accedit Auguſtinus epiſtola 48. *Obſcuratur aliquando Eccleſia, & tamquam obnubilatur multitudine ſcandalorum; ſed etiam tunc, in ſuis firmiſſimis eminet.*

*Obiect.* Obiiciunt hæretici, hoc differre Eccleſiam à ſynagoga, quòd illa ſit viſibilis per illum externum Dei cultum; Eccleſia autem, tamquam ſpiritualis, cuius cultus ſit in ſpiritu & veritate, vt eſt Ioannis 4. ſit occulta & viſibilis. Confirmatur Ieremiæ 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum.* 2. ad Corinthios 3. *Non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis.* Lucæ 17. *Regnum Dei non venit cum obſeruatione, neque dicent: Ecce hîc, ecce illic; ecce enim regnum Dei intra vos eſt.*

*Reſp.* Reſpondeo, primis illis verbis Chriſti ſolummodò ſignificari, quòd præcipuus cultus Dei in Eccleſia, ſit futurus internus; qui non excludit, ſed producit externum: neque enim infructuoſus, aut in corpore otioſus eſt Dei ſpiritus. Apud Lucam verò dicitur *regnum Dei*, id eſt, dies iudicij, quo Chriſtus incipiet palàm regnare in cordibus & corporibus fidelium, non ita venire, vt humana coniectura & prudentia deſignari queat hîc aut illic. Dicitur verò intra nos eſſe regnum Dei, quia quamuis Eccleſiæ militia ac profeſſio partim ſpiritualis & interna ſit, partim verò viſibilis & externa; maximè tamen regnum Chriſti conſiſtit in cordibus fidelium.

*Obiicit.* Obiicit quidam, venturam ante finem diſceſſionem. 2. Theſſ. 2.

Secundò, mulierem, quæ erat figura Eccleſiæ, Apoc. 12. in ſolitudinem ceſſuram à facie draconis.

Tertiò, Eccleſiam Catholicam corpus myſticum eſſe, non naturale; oculis autem corporeis non videri, niſi res corporales & naturales.

Quartò, Catholicum, idem eſſe quod vniuerſale; vniuerſalia autem non cadere ſub ſenſum.

Quintò, ſpeciem pietatis habere poſſe etiam 2. Tim. 3. illos, qui virtutem eius abnegant: atqui hoc eſſe difficillimum iudicare, an ex animo in ſpiritu & veritate quis ea præſtet, quæ ad Dei cultum pertinent: non ergo poſſe Eccleſiam videri propter externam diuini cultus profeſſionem.

Sextò, Credimus, inquit, Eccleſiam eſſe; fides autem eſt argumentum non apparentium: videntur ergo articulum ex Symbolo delere, qui dicunt Eccleſiam eſſe viſibilem.

Septimò, Omnis ornatus Eccleſiæ ab intus eſt, ſecundùm illud Pſalmi 44. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.* ergo etiam omnis ſpecies eius interior eſt, vt exteriùs non ſit viſibilis.

Octauò, Eccleſia non tantùm complectitur homines præſentes, ſed etiam præteritos & futuros: atqui præteriti & futuri, aut tota multitudo ex iis conſtans, videri non poſſunt; ergo nec Eccleſia.

*Reſpon.* Ad Primum reſpondeo: Diſceſſio iſta erit non ipſius Eccleſiæ, ſed ab Eccleſia, vel ſanè à Romano imperio.

Ad Secundum, ſignificari fugam Eccleſiæ, quæ erit tempore perſecutionis nouiſſimæ; ſed fuga illa non occultabit totam Eccleſiam quouis loco. Quamuis enim ad deſertum quidam præcipui fugient; poterit tamen vel ibidem, vel aliis locis tutioribus innoteſcere, quænam vera ſit Chriſti Eccleſia, legitimè inquirentibus.

Ad



Ad Tertium; Licet Eccleſia ſit corpus myſticum, habet tamen proprietates ſuas viſibiles, ratione quarum videri queat: vtpote vera miracula, & opera ſanctitatis; antiquitatem, & continuam ſucceſſionem, perſeuerantiam in petra in qua Chriſtus eam fundauit, diffuſionem per totum terrarum orbem.

Ad Quartum; Hæretici fatentur, Eccleſiam aliquando eſſe viſibilem: ipſi ergo reſpondeant ad huiuſmodi argumentum. Certum enim eſt, vniuerſale numquam videri.

Ad Quintum; Aliquæ ſunt notæ Eccleſiæ, ratione quarum nullus cœtus perfectè ſimulare poſſit ſe eſſe Eccleſiam, qui verè non ſit Eccleſia: vt eſt ſucceſſio viſibilis & continuata Pontificum ab ipſis Apoſtolis, miracula, ſanctitas, & efficacia doctrinæ, &c.

Ioan. 20. Ad Sextum; Sicuti Thomas tenebatur credere, viſibilem illum hominem eſſe verum Deum & Saluatorem; ita nos debemus credere fide diuina, illum cœtum hominum, in quem conueniunt notæ viſibilis Eccleſiæ, eſſe veram Eccleſiam.

Ad Septimum; Loco illo Pſalmiſtæ, nihil aliud ſignificari, quàm Eccleſiam (licet exteriùs pulchra ſit, in veſtitu deaurato, circumdata varietate) interiùs tamen, ſi ibi conſpici poſſet, eſſe longè pulchriorem. Significatur ergo, non quòd exteriùs non ſit conſpicua; ſed quòd interiùs ſit longè pulcherrima.

Ad Poſtremum; Sicuti fluuius dicitur re ctè viſibilis, etiamſi aquæ quæ præterfluxere, aut poſtmodum præterfluent, nunc ſimul non videantur; ita etiam Eccleſia rectè dicetur viſibilis, quamuis partes eius, quæ ad cæleſtem ciuitatem tranſierunt, aut nondum exiſtunt, nunc non videantur. Eſt enim ex his omnibus vna, vt ſuprà diximus; & videtur in toto temporis decurſu, ſecundùm cœtum pro tempore præſentem.

# TRACTATVS DE CONCILIIS.

## DISPVTATIO PRIMA.

### *Quid Concilium, & quomodo in eo procedendum?*

#### DVBIVM I.

#### *Quid ſit Concilium?*

QVOD in regno ſunt comitia, in Eccleſia ſunt Concilia. Eſt itaque Concilium, Rectorum Eccleſiæ, ex diuerſis locis, grauis rei tractandæ cauſſa, apud eum qui ius conuocandi habet, promiſcuus conuentus.

Generaliùs autem, vt etiam politica comitia complectatur, Turrecremata definit, Concilium eſſe congregationem ſeu conuentum hominum prudentum, publica auctoritate conuocatorum, ad tractandum communi intentione, de rebus neceſſariis ſiue commodis reipub. ſiue vniuerſitatis. In qua definitione, notat quatuor cauſſas Concilij; Materialem, in hominibus prudentibus; Efficientem, in auctoritate publica; Formalem, in communi intentione; Finalem, in eo quòd conſulatur commodi rati aut neceſſitati reipub.

*Quatuor cauſſæ Concilij.*

#### DVBIVM II.

#### *Quotuplex ſit Concilium?*

CONCILIVM quadruplex eſt: Generale, quando conueniunt Epiſcopi totius orbis Chriſtiani; Nationale, quando conueniunt Epiſcopi totius regni ad ſuum Primatem; Prouinciale, quando Epiſcopi ad Archiepiſcopum ſuæ prouinciæ; & Diœceſanum, quando preſbyteri vnius Epiſcopatus, ad ſuum Epiſcopum. Alij quintuplex faciunt, addito ſuperioribus Concilio ſimili Vniuerſali; quod ſit, conuenientibus omnibus Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Primatibus, qui ſunt ſub vno Patriarcha. Alij ita extendunt, vt etiam ſextuplex dici queat: annumerant enim ſynodos Religioſorum. Verùm omnia poſſunt ad duo reuocari: nam quæ non ſunt Epiſcopotum, non propriè ſunt Concilia; & quæ non ſunt Vniuerſalia, communi nomine ſolent dici Prouincialia.

*Concilium quadruplex.*

Ad Concilium Generale requiritur Primò, vt euocatio ſit generalis, & innoteſcat omnibus maioribus prouinciis Chriſtianis. Secundò, vt nullus Epiſcopus excludatur. Tertiò, vt adſint per ſe, aut per alios, quatuor Patriarchæ, præter Romanum Pontificem, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Ieroſolymitanus: non tamen eſt hæc conditio abſolutè neceſſaria. Quartò, vt ſaltem ex maiori parte Chriſtianarum prouinciarum, aliqui conueniant, quamuis pauci Occidentalium vices ſupplere poſſint, quando celebratur Concilium in Oriente, & contrà.

*Requiſita ad Concil. Generale.*

#### DVBIVM III.

#### *Ad quid conducant Concilia?*

CONDVCVNT vt errores impij deleantur, obſtinati detegantur, ſeducti reducantur, vacillantes ſtabiliantur, qui veritatem timidè profitentur, confirmentur; item vt latè graſſantes nequitiæ emendentur, probitatis normæ præſcribantur, inter litigantes Chriſtiana pax & concordia reparetur; vt faciliùs inueniatur quod à multis quæritur, præſertim in quæſtionibus arduis, in quibus veritas non facilè priuato ſtudio inuenitur. Alius eſt fructus, multorum ingeniorum collatio, & conſiliorum mutua communicatio: quæ etiam in reformatione magnum vſum habet, vtpote qua demum rectè cognoſcatur, quid accommodatum ſatis ſit Chriſtianæ reip. per omnes prouincias. Ad hæc libentiùs ſuſcipiunt homines, quæ norunt priùs à pluribus eſſe agitata & expenſa, & ſic tandem definita & approbata. Quando enim ſine Generali Cõcilio definit Poſtifex, locus eſt ſuſpicioni, ne aſſenſus aliarum Sedium,

*Vtilitas Concilij.*

dium, sit summæ Sedis assentatio. De hac re videri potest D. Leo epist. 63.

*Quando Concilium Generale conuocandum.*

Itaque Concilia Generalia conuocanda erunt, quando noua fuerit exorta hæresis, aut antiqua suscitatur, aut pertinaciter à quibusdam retinetur, aut quando schisma est inter Romanos Pontifices, aut resistendum est nouis mediis communi hosti totius Ecclesiæ; gladius enim temporalis, Ecclesiæ nutu, quamuis non manu, est exerendus; aut quando suspectus est Papa de hæresi, aut incerta remanet ipsius electio, aut reformandi sunt per totam Ecclesiam abusus, aut de cęremoniis & festis magna incidit dissensio: quo modo celebratum est Concilium Ierosolymis, super cessatione legalium, & Nicænum primum, super quæstione de Paschate. quæ duo Concilia reliquorum forma & exemplar fuerunt. Quia tamen molestum est, totius orbis inquietare Episcopos, & rarò, aut numquam necessarium est Concilium Vniuersale; faciliora remedia, quando de illis speratur, priùs tentanda sunt.

## DVBIVM IV.

### *Quinam vocandi & admittendi sint ad Concilium Vniuersale: & qui ex illis vocem decisiuam in eo habeant?*

Dico Primò; Certum est, Episcopos, qui sunt primi ordinis sacerdotes, ad Generalem Synodum vocandos esse. Patet ex forma Concilij Nicæni, ad quod soli citati Episcopi; & Concilij Ierosolymitani, ad quod conuenerunt Apostoli & Seniores.

Dico Secundò; Infra Episcopos, qui sunt rectores Ecclesiarum, sunt duo alij ordines sacerdotum; quorum prior etiam aliorum curam habet, & laborat in verbo & doctrina; alter solùm orationi & liturgiæ vacat. In his secundi & tertij ordinis presbyteris, eminent Abbates seu Archimandritæ, quos constat aliquando ad Concilium adhibitos fuisse: nam Barsumas Archimandrita, agente Theodosio iuniore, consedit Synodico cœtui, in Ephesina Synodo, vt patet ex litteris Theodosij ad Dioscorum Alexandrinum. quæ Synodus, quia non fuit legitima, vt patet ex Leone epistola 24. maioris momenti fuerit, quòd Constantinus V. ad Sextam Synodum, monachos aliquos ex Occidente & Oriente euocauerit, eò quòd dogma tractandũ, inter ipsos latè sparsum fuisset. Postmodum quasi lege obtinuit, vt Abbates, præsertim ab Ordinario exempti, hac in parte, vt & in aliis quibusdam, participes forent honoris Episcopalis, quo ad Synodum Generalem etiam ipsi vocarentur. Nam Lateranensi, Florentino & Tridentino Abbates & Generales Ordinum subscripserunt.

*Abbates.*

*Priores Conuentuales.*

Leguntur etiam vocati in Lateranensi Concilio, sub Innocentio III. Priores Conuentuales, Decani & Archidiaconi. His autem inferiores non legimus ad Synodum Vniuersalem vocatos, nisi pro ministerio, defensione, & testimonio; quomodo Imperatores, & interdũ etiam Imperatrices interfuerunt, aut denique, pro voce merè consultiua; quomodo quilibet doctus aduocari posset.

Dico Tertiò; Episcopi vocati ad Concilium Vniuersale, venire tenentur ex iuramento. Patet ex capitulo Ego. Extra. de iureiurando.

Dico Quartò; Ex iure ordinario soli Episcopi habent vocem decisiuam in Generali Concilio; ex priuilegio autem, & ex consuetudine, etiam Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum.

Dubitari potest, An id etiam extendendum sit ad Episcopos, quibus nulla plebs paret: puta quia suis sedibus pulsi sunt, aut eas metu persecutionis reliquerunt, aut numquam habuerunt certam sedem: quia fortè ordinati sunt, vt sibi populum acquirant, aut vt alium Episcopum iuuent?

Probabilius existimo, etiam hos in Senatu Vniuersalis Ecclesiæ, tamquam iudices consessuros, si conuenerint; quamuis non æquè ac alij obligentur ad Synodum venire: neque enim Concilia olim exules Episcopos reiecerunt, Athanasium, Chrysostomum, & alios.

Dubitant quidam etiam de Academiarum legatis, an vocem decisiuam in Concilio habeant: Constantienses enim & Basilienses plures interfuerunt. Dicunt autem Iurisconsulti, duos actus sufficere ad consuetudinem, in illis quæ rarò fiunt. Ex consuetudine itaque videntur ipsi hoc iuris sibi præscripsisse, vt ad Concilium Generale vocentur.

Respondeo; Quidquid sit de iure veniendi ad Concilium, non videri hos legatos venire tamquam iudices, sed solùm tamquam consiliarios.

## DVBIVM V.

### *Quæ causæ tractandæ sint in Conciliis?*

Respondeo; Illæ solæ, quæ ad Christianam Remp. conseruandam & augendam pertinent: quæ ex Synodo Nicæna, distingui possunt in quinque genera. Vel enim sunt dogmata Christiana, vel ritus Christiani, vel Christianorum priuata iurgia, vel Christiana disciplina, aut normulę Christianę vitę. Quoad primum, Nicęna Synodus damnauit Arrium. Quoad secundum, decidit quęstionem de tempore Paschatis. Quoad tertium, eadem Synodo Christianorum iurgia impediuit Constantinus, libellis querelarum exustis, vt refert Ruffinus. Quoad quartum, Meletium in Thebaide Episcopum, Synodus damnauit, vt videre licet apud Theodoretum, lib. 1. historiæ, c. 9. Ad quintum pertinent ferè viginti illi canones, qui supersunt.

## DISPVTATIO II.

### *Cuius sit conuocare Concilium, eique præsidere?*

Respondeo & dico Primò; Conuocare Concilium Generale, est propriè summi Pontificis. Est contra Protestantes Germanos, qui contendunt esse Cæsaris. Item contra Theodorum Bezam, qui dicit esse Monarchæ Christiani, si quis sit: si autem sint plures Christiani Principes supremi, vt reuerà sunt; esse illorum simul cum Cæsare, & ciuitatibus liberis.

Sed probatur nostra assertio variis auctoritatibus, quas videre licet apud Gratianum tota distinctione 17. & Turrecrematam l. 3. Summæ, c. 6. Luculentum est testimonium Synodi Chalcedonensis, quæ obiicit Dioscoro Alexandrino, quòd Synodum facere ausus fuisset sine auctoritate Apostolicæ Sedis, quod numquam licuit, numquam



quam factum est. Ad hæc, cùm suprema potestas in spiritualibus & Ecclesiasticis negotiis sit penes Romanum Pontificem; manifestum est, conuentus Ecclesiasticos sine ipsius consensu fieri non posse: nam & apud Iudæos hoc habebat summus Sacerdos, ne sine ipsius consensu cuiquam liceret conuocare conuentum: 1. Machab. 14. Denique, etiamsi Romanus solùm esset primus Patriarcha, quod etiam hæretici ei tribuunt, non autem Vniuersalis; eius nihilominùs esset, Synodum Vniuersalem conuocare; sicut Archiepiscopi est, conuocare Prouincialem.

*Obiect.*

Obiiciunt, Imperatores solere Oecumenicas Synodos conuocare. Testatur enim Ruffinus li. 10. cap. 1. historiæ, Constantinum conuocasse Concilium Nicęnum: *Ex Sacerdotum sententia*, inquit, *apud vrbem Nicæam Episcopale Concilium conuocat.*

Item Leo epistola 24. rogat Theodosium, vt iubeat Synodum celebrari: *Omnes*, inquit, *mansuetudini vestræ supplicant Sacerdotes, vt Generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari.*

*Respons.*

Respondeo, Constantinum indixisse Concilium Nicęnum, sed ex Sacerdotum sententia. Si dicas, inter Sacerdotes illos non fuisse Romanum Pontificem; sed Alexandrum Alexandrinum Episcopum hoc primùm ab Imperatore impetrasse, vt testantur historiæ: saltem hoc habemus, Episcoporum rogatu, non propria auctoritate, Constantinum indixisse Synodum. Deinde, non sine auctoritate Siluestri id factum fuisse, patet ex Sexta Synodo, act. 18. *Constantinus semper Augustus, & Siluester laudabilis, magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.*

Ad Leonem quod attinet, voluisset quidem ipse potiùs in Italia Generalem Synodum congregari, quàm in Oriente; Imperatori tamen hoc detulit, vt conuocaret, & vbi vellet.

Causæ autem, quare in Synodis conuocandis tantum detulerint tunc temporis Romani Pontifices Imperatoribus, variæ sunt. Vna est: Quia lege cautum erat, ne qui conuentus fierent sine conscientia Augusti, vt patet L. Collegia. ff. de collegiis & corporibus. & L. Conuenticula, C. de Episcopis & clericis. Secunda est: Quia de publico, vehicula & sumptus necessarij, Episcopis proficiscentibus ad Synodum suppeditabantur. Tertia: Quia Episcoporum auctoritatem facilè contempsissent hæretici, nisi Imperatoris accessisset. Quarta: Quia difficile fuisset Romano Pontifici, cõuocare Episcopos, qui erant extra imperium Romanum, sine auctoritate & liberalitate Imperatoris. Quinta: Quia Ecclesia illius temporis non erat ita potens, vt posset tutum accessum Episcopis facere ad Synodum, & compellere eos, qui vocati venire recusassent; Imperator autem erat potentissimus.

Quæres, An ergo nullo casu posset Concilium indici, sine auctoritate Pontificis: verbi gratia, quando esset necessarium Generale Concilium, & Pontifex nollet conuocare; aut quando Pontifex ab infidelibus esset captus, aut in phrenesim fortè incidisset.

Respondeo, Concilium Generale nullo casu esse absolutè necessarium: si tamen ponatur esse necessarium, non facilè ponendum erit, quòd Pontifex aliquis reperietur, qui nolit Cõcilium eo casu conuenire. Si nihilominùs etiam istud ponatur; respondet Turrecremata, quòd talis Papa esset habendus suspectus de hæresi, adeoque dubius in Papatu: vt mirum non sit, ad alios tunc deuolui auctoritatem conuocandi Concilium. Pontifice per carcerem aut phrenesim impedito, poterit sine ipso indici Synodus: sed neque sine ipsius consensu poterit destitui Pontificatu, aut alius surrogari, aut aliquid infallibili auctoritate de fidei dubiis decerni.

Dico Secundò; Etiam Romani Pontificis est, per se, aut per Legatos suos, præsidere Conciliis Generalibus.

Negant & illud hæretici, & volunt potiùs esse Imperatoris, aut Christianorum Principum, simul cum Imperatore & ciuitatibus liberis, aut per se, aut per vnum aliquem idoneum à se delectum, Synodali conuentui præesse: & dicũt Constantinum Nicæno, Martianum verò Augustum Chalcedonensi præsedisse. Sed malè: nam Constantinus interfuit quidem Synodo, sed non præfuit; interfuit, inquam, præter opinionem, quia Synodum indixerat bello implicitus, quod, Deo dante, finiuit, antequam Concilium conueniret. Quantum verò abfuerit, vt Constantinus sibi Præsidis partes in Concilio sumeret; liquet ex iis quæ refert Ruffinus lib 10. cap. 2. Martianus verò Augustus cum Pulcheria coniuge semel aut iterùm interfuerunt Concilio Chalcedonensi. Magistratus autem & Senatores, delecti iudices cognitores, quorum arbitrio cuncta, legitimo seruato ordine, in Concilio tractabantur, ferè omnibus Actionibus interfuerunt. Imperator autem, oratione habita declarauit, se non ad ostendendam potentiam, sed ad confirmandam fidem, exemplo Constantini, Synodo adesse. Denique Augustos ad ornandum præsedisse, ait epistola Synodica ad Leonem, non ad definiendum; ipsum verò Leonem tamquam caput, per suos Legatos: *Quibus tu quidem, sicut membris caput, præeras, in his qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens: Imperatores verò, ad ornandum decentissimè præsidebant; sicut Zorobabel & Iesus, Ecclesiæ Ierusalem ædificationem renouare circa dogmata annitentes.*

## DISPVTATIO III.

### *Quanta auctoritas Conciliorum?*

## DVBIVM I.

### *Vtrùm Concilium Generale sit infallibilis auctoritatis, antequam confirmetur à Pontifice?*

1. *Sentent.*

Videtvr quòd in definiendis fidei controuersiis infallibilis sit auctoritas Concilij Generalis, à Papa indicti, & cui Præsident Pontificis Legati, etiam antequam confirmetur ab ipso Papa.

*Prob. 1.*

Probatur, Quia tale Concilium verè dicitur Sacrosancta Oecumenica Synodus, in Spiritu sancto congregata, Generale faciens Concilium, Catholicam Ecclesiam repræsentans: atqui Spiritus sanctus errare non potest, Ecclesia errare non potest: ergo, &c.

2.

Ad hæc; Nisi suprema Ecclesiastica auctoritas esset in huiusmodi Concilio legitimo, non apparet, quomodo non teneatur Papa personaliter præsidere: debet enim curare, vt cum

plena auctoritate res fidei tractentur.

3. Tertiò huc facit, quòd Concilia dicant anathema omnibus qui contra sua decreta senserint.

4. Quartò, Non erit alioqui differentia inter Generalia & Prouincialia Concilia: nam confirmata & ista à Pontifice, infallibilis sunt auctoritatis.

5. Quintò, Episcopi non sedent in Conciliis Generalibus vt Consiliarij, sed vt Iudices & definientes subscribunt. Definitio ergo Ecclesiæ, quæ est columna & fundamentum veritatis, facta est, antequam Pontificis accedat confirmatio.

*Verior sententia.* Contraria tamen sententia est verior; Concilia Generalia, etiam cum consensu Legatorum Apostolicorum, Sedis Apostolicæ nomine præsidentium, aliquid definientia, posse errare, quando Apostolici Legati vel non habent vel non sequuntur instructionem Sedis Apostolicæ. Dum enim illam in definiendo, Legati cum Concilio sequuntur; certum est, errare non posse: eoque modo in Chalcedonensi Synodo & aliis quibusdam actum esse constat.

Confirmatur hæc sententia ex eo quod suprà diximus, infallibile illud de rebus fidei iudicium non posse Pontificem aliis committere; adeoque dum Legatos, qui suo nomine præsideant, designat, non transfundere in eos illam iudicij infallibilitatem. Cùm itaque constet, Concilia etiam Generalia, in quibus nec Pontifex, nec Vicarij eius præsunt, errare posse; consequens videtur, etiam vbi præsunt Legati, errare posse, antequam confirmentur à Pontifice. Neque difficile est respondere obiectis argumentis.

*Respondetur Argumentis 1. Sententia. Ad 1.* Ad Primum enim respondeo, aliquid deesse plenitudini Vniuersalis Concilij, quamdiu deest caput Ecclesiæ, vltimam quasi manum, instar Præsidis concludendo, addens. Ideoque, quòd priùs Oecumenicum dicatur, & Ecclesiam Vniuersalem repræsentare, quoad corpus quidem verum est; quoad caput autem, perinde verum non est: quia, vt dixi, Legati Sedis Apostolicæ, perfectè non repræsentant Ecclesiæ caput, in directione sententiæ ferendæ.

Ad Secundum: Satis id curat Papa, quando vel instructionem mittit, (quod facilè fieri potest, quando vnus aut alter solùm articulus tractandus est; non autem quando valdè multi:) vel sanè Decreta confirmat. *Ad. 2.*

Ad Tertium respondeo, etiam Prouincialia sub anathemate solere quædam definire, sicut & Iudices inferiores sententias ferùt, licet per appellationem rescindi possint. Anathema ergo dicunt, sed cui robur accessurũ sit, si Pontifex approbarit. *Ad. 3.*

Ad Quartùm: Differentia quæ nihilominùs erit inter Concilia Vniuersalia & Prouincialia, manifesta est ex supradictis, Disput. 1. dub. 3. Et sanè quando duo inter se comparantur Concilia, nec probata à Pontifice nec improbata, vnum Vniuersale, & alterum Prouinciale: certum est, maioris auctoritatis esse Vniuersale. *Ad. 4.*

Ad Quintum: Definiunt quidem Episcopi vt iudices, sed non definiunt vt infallibiles iudices; nisi eo confirmante, cui dictum est: *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos:* & sine iudicio capitis, Ecclesia non censetur definire. *Ad. 5.* Lucæ 22.

## DVBIVM II.

### *An sua vel superiorum Conciliorum Vniuersalium Decreta, Concilium Generale reuocare possit?*

RESPONDEO, Decreta fidei & doctrinæ, quando ea in Concilio Generali facta sunt, vel præsidente ipso Pontifice, vel ipsius Legatis, eius instructionem sequentibus, vel sanè à Pontifice confirmata sunt, non posse mutari. Veritas enim Dei est immutabilis. Decreta autem quæ reformationem concernunt, quæque naturam sequuntur legis humanæ; possunt mutari ad eum modum, quo diximus in materia de legibus, legem humanam mutari posse.

# RELECTIO DE CONCILIIS OECVMENICIS.

*CVM de sacris Oecumenicis Conciliis nuper breuiùs, quàm rei postulet dignitas, tractauerim; operæ pretium me facturum existimaui, si noua relectione præclarum illud argumentum illustrarem, & nouatorum nostri temporis, præsertim recentioris cuiusdam sectarij, Illustrissimi Cardinalis Bellarmini antagonistæ, calumnias diluerem. Itaque Relectionem hanc in quinque capita distribuemus. Primò, De Concilij Generalis definitione agemus. Secundò, De vtilitate. Tertiò, De necessitate. Quartò, Cui de Iure competat illud conuocare. Quintò, Cuius sit ei præsidere.*

## CAPVT PRIMVM.

### *De definitione Concilij Generalis.*

CONCILIVM Oecumenicum, conuentum dico omnium Episcoporum ex vniuersa Ecclesia, grauis rei tractandæ caussa, ab eo qui auctoritatem habet indictum. *Conuocatio debet esse generalis.*

Ad Concilium enim Generale requiro in primis, vt conuocatio sit generalis, & innotescat omnibus maioribus prouinciis Christianis.

Neque tamen existimo necessarium, vt Episcoporum ex nouo Orbe aduentus expectetur, quando is diutiùs expectandus esset quàm Ecclesiæ *Episcopi ex nouo Orbe.*



status patiatur: Oecumenicum enim erit, si (vt ipsum nomen sonat) ex omni à Christianis habitato & accessibili orbe, terræ illius in qua Dominus salutem nostram operatus est, Episcopi conueniant. Requiro tamen, ne quis excludatur; & vt reipsa, ex maiori parte Christianarum prouinciarum, aliqui conueniant.

Sanè huius conditionis defectu (vt exemplo rem illustremus) conati sunt quidam sustinere, Concilium Lateranense, celebratum sub Iulio II. & maximè sub Leone X. non fuisse generale, eò quòd Galliæ Episcopi non interfuerint, impediti propter bellum, quod tunc erat inter Iulium II. qui Concilium cogebat, & Regem Galliarum; vel (vt referunt ipsi in litteris ad Leonem, quæ habentur Sess. 9.) impediti per Duces Mediolanenses & Genuenses. Illud diffiteri non possumus, desideratos in hoc Concilio fuisse plures Episcopos Hispanos, Germanos, & præsertim Gallos, qui in Conuentu Pisano adiuti ab aliquot Cardinalibus, Imperatore, & Rege Galliarum, pragmaticæ iniquæ in Sedem Apostolicam, subscripserant. Videtur autem eo nomine nonnullis displicuisse, tamquam præmaturam Concilij illius dissolutionem ac dimissionem, vt patet ex Sessione vltima; quòd maluissent pleniùs Episcopos priùs conuenisse. Illud certum est, quod definitum est in illo Concilio, Pontificem esse supra Concilium, montes pietatis esse licitos; nescio qua tergiuersatione à Catholicis quibusdam non ea veneratione fuisse receptum, qua Generalis Cõcilij, à Pontifice habiti & confirmati, Decreta suscipienda erant. Verùm non rectè vocatur in dubium huius Lateranensis Synodi auctoritas, propter absentiam Gallorum: vocati enim fuerunt; & non satis iustam habuisse excusationem, apparet: quia Pontifex Sess. 10. Oratori Regis Galliæ obiecit, Episcopos Gallos facilè potuisse venire Romam per Prouinciam & Ianuam.

Hactenus itaque dictum sit, quòd oporteat conuenire ex maiori parte Christiani orbis, aliquos Episcopos, vt Concilium Generale veniat appellandum.

Neque tamen perinde oportet Orientales adesse omnes, quando in Occidente, ac si in Oriente celebraretur Concilium: & contrà, Occidentales, quando in Oriente, ac si in Occidente. Quando enim Generale Concilium cogebatur in Oriente, semper visum fuit sufficere, si ex prouinciis Orientis multi conuenissent Episcopi; ex toto autem Occidente missi fuissent aliqui à summo Pontifice, qui reliquorum vices supplerent. Sic in magno illo Niceno Concilio, ex Occidente solùm fuerunt duo Presbyteri missi ex Italia; vnus Episcopus Nicasius ex Gallia; vnus ex Africa; vnus ex Hispania, magnus ille Canonum architectus Osius. In Concilio secundo Oecumenico & tertio nulli leguntur adfuisse ex Occidente Episcopi. Sed Romani Pontifices Damasus & Cælestinus, Concilia illa nomine suo & Occidentalium Antistitum, quos Romæ collegerant, confirmarunt. In Chalcedonensi, Legati adfuerunt Leonis; ipseque submisit consensum Episcoporum Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ; qui Synodis Prouincialibus celebratis, in Leonis sententiam se consentire professi erant. *In Concilijs Orientalibus pauci Occidentales.*

*In Occidentalibus Cõ.* Ex aduerso, Conciliis Occidentalibus perpauci interfuerunt Orientales, vt magno Lateranensi, Lugdunensi, Viennensi, Tridentino: quamuis Florentino interfuerint iusto numero. *ciliis pauci Orientales.*

Quinimò huius rei forma & norma (vt & aliorum ferè, quæ in Conciliis obseruanda sunt) peti potest, tamquam ex archetypo, ex prima illa Apostolorum Synodo, Ierosolymis habita, de qua cap. 15. Actorum. Quamuis enim ex vna tantùm Iudæorum natione Præsules interfuisse legantur, nulli autem ex Gentibus (nec enim legimus, huic Concilio interfuisse quemquam alium, præter Apostolos & Seniores qui erant Ierosolymis, qui omnes ex Iudæorum natione fuerunt:) Generalis tamen meritò habenda est, quia interfuerunt Legati Ecclesiarum gentium: Paulus enim & Barnabas, ab Ecclesiis Gentium ad Apostolos & Seniores Ierosolymam missi, aderant. Adde, quòd Apostoli vniuersalis Ecclesiæ Senatum plenè exhibebant, vtpote Principes & Pastores constituti super omnem terram. Ad hæc aderat vicarius Christi Petrus, cum ordinaria illa potestate, Ecclesiæ à Christo relicta, in decidendis fidei & religionis controuersiis. Aderat præterea Iacobus, forma & exemplar Episcoporum, qui singulis præsunt Ecclesiis. Aderant denique ad generalitatis plenitudinem Seniores.

Dicet hîc quispiam, Sinuessano Concilio auctoritatem Concilij Generalis nõ videri posse negari, quandoquidem in eo caussa agitata fuerit summi Pontificis, cui tractandæ nullum Prouinciale Concilium par esse possit: non videri autem huic Concilio ex omni parte orbis Episcopos interfuisse: itaque illud necessarium non esse ad Concilij Oecumenici rationem.

Sed negandum omnino est, illud Concilium fuisse generale; neque enim in canicula illa feruentissimę persecutionis (quod etiam Acta testantur) in crypta Sinuessana, ex toto orbe, ad subitum casum Romani Pontificis, Episcopi adesse potuerunt. Acta ita habent: *Non tamen collecti sunt in integro Sacerdotes, quia curriculus vrgebatur persecutionis.* Neque id opus erat: non enim aderant iudicaturi Pontificem primæ Sedis; sed instar Petri lacrymantem audituri, & pœnitentem recepturi: quamuis de hoc Concilio multa corrupta, obscura, & parum authẽtica, corruptiùs in lucem iactent nostri tenebriones, de quibus alibi commodior erit sermo.

Nunc ad ea redeamus, quæ videtur postulare natura Concilij Generalis. Vnum enim ex illis superesse videbitur; quamuis (vt ex recentioribus quidam rectè monet) nec illud necessarium; vt nimirũ Concilio præsertim in Oriente celebrando, intersint, præter summum Pontificem, aut eius Legatos, quatuor præcipuè Orientis Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Ierosolymitanus. Confirmari id potest ex Septima Synodo Sess. 6. vbi reiicitur pseudosynodus septima Constantinopolitana, recitãte Ioanne Diacono & Cancellario in hunc modum: *Iconoclastæ à mendacio inchoantes, per vniuersam hanc nouitiam vaniloquentiam, Synodum in defensionem assumentes, in mendacio quoque cessant. Quo pacto autem sancta dicenda erit, quæ quid sit sanctum non intelligit? Execrabilis est, & prophana, & adulterina: nam qui in hac congregati fuere (vtcum Propheta loquar) inter sanctum & prophanum non distinxerunt; inter purum & impurum, discrimen non statuerunt. Imaginem enim Domini Dei nostri,*

*cum imagine simul Satanæ, idolum appellarunt. Quomodo autem magna & vniuersalis, in quam neque omnes consenserunt, & reliquarum Ecclesiarum Præfecti non admiserunt, sed anathemate eam denouerunt? Non habuit cooperarium (vt hæc quæ nunc celebratur) Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, neque per vicarios, neque per Prouinciales litteras, quemadmodum fieri in Synodis debet. Quin etiam neque concordantes sibi habuit Orientis Patriarchas, Alexandrinum inquam, Antiochenum, & Vrbis sanctæ summos Pontifices, neque cum illis etiam mystas & sacerdotes.*

Hactenus de ratione & definitione Concilij Oecumenici. Nunc videamus quantus vsus Conciliorum Generalium, quantáve necessitas.

## CAPVT II.

### *De vtilitate Concilij Generalis.*

IN PRIMIS, hæreticorum amouendæ nobis hîc occurrunt cauillationes, qui Pontificios dicunt præ se nimis parui facere vtilitatẽ Conciliorum: imò Romanam Curiam ad Concilij Generalis nomen non secùs expauescere, quàm ad certum sui interitum: eaque de causa Innocentium III. decreto sanciuisse, ne Concilia Generalia frequentiùs haberentur, quàm singulis quinquaginta annis. Concilium Constantiense vix tandem summo Sigismundi Imperatoris studio & labore indictum fuisse: post cuius Concilij exitum, licet Patres ibi decreuissent aliud Concilium post quinquennium, & deindè aliud post septennium, & posteà singulis decem annis, singula Concilia celebranda esse; & hoc Sigismundus Imperator, summo studio à Martino V. contendisset, nihil tamen impetratum esse: sed vbi indictum esset Concilium Basilienſe, Eugenium IV. nuntios misisse ad Iulianum Cardinalẽ, qui ipsum hortarentur vt Concilium illud dissolueret. cùm autẽ hoc ab ipso impetrare non posset, Gallos excitasse, qui armis & vi Concilium illud dissiparẽt.

At quid tandem hîc culpant hæretici? Innocentium Tertium Romanum Pontificem? Is omni hic culpa vacat: magno enim studio, cura ac diligentia maximum illud Lateranense Concilium procurauit, præsedit, finiuit. De sæpiùs quàm singulis quinquaginta annis non celebrando Concilio plenario, etiam Ecclesiæ vtilitate id exigente, quis contra sanctissimum & doctissimum Pontificem Matthæo Paris aut nouo Matthæo Sutlinio fidem adhibebit? At ægrè Constantiensis Synodus à Romana Sede obtenta est. Melius fortè erat, si ne obtenta quidem: Gigantum non euasisset conciliabulum seditiosum & schismaticum. Primas enim eius sessiones, quibus se posuit ante Sedem Petri, Florentinum & Lateranense abrogarunt. Basilienſe Eugenius ideò exauctorauit, quia legitimum Ferrariæ habere voluit, non quia à Concilio Generali abhorrebat.

Fatemur itaque, fassíque semper sunt etiam Romani Pontifices, vtilitatem magnam ac variam esse Conciliorum Generalium, imò quamdam etiam necessitatem; omnimodam tamen, vt sine illis Ecclesiam consistere sit impossibile, negamus.

*Sex vtilitates Conciliorũ Vniuersalium.*

Enumerauit Cardinalis Bellarminus sex Conciliorum Oecumenicorum vtilitates, quæ nonnullam etiam necessitatem secum ferant. Plures, alius è Cardinalium etiam ipse Senatu Ioannes Turrecremata. Ad quas ne nihil diceret sectarius, quod conuellere non potest, arrodit, solo conatu contentus, qui cedat in sigillum roboris.

Prima causſa Oecumenicam Synodum cogendi statuitur, nouæ hæresis ortus, quæ videlicet non fuerit priùs vmquam iudicio Ecclesiæ condemnata. Vide Auguſt. sub finem l. 4. contra duas epistolas Pelag. *Ortus noui hæresis.*

Opponit sectarius, non tantùm propter hæreſes nouas, sed etiam propter veteres, Conciliis opus esse; atque hoc eò magis, quòd veteres hæreſes, temporis diuturnitate robur acquisiuisse videantur. Quod etiam Conciliorum actis confirmari gloriatur, eò quòd Nicæna Synodus non tantùm propter Arij nouam hæresim, sed etiam propter Nouatianorum, Cataphrygum, & Paulianistarum dogmata venenata, coacta videatur. Neque enim verisimile esse, pios illos Episcopos alia egisse, quàm quorum nomine conuenerant. Similiter plurimis posteà Synodis eadem pridem damnata Arij dogmata, aliquoties iterùm damnata esse; in Constantinopolitana prima, Chalcedonensi, Toletana tertia, & aliquot aliis. *Obiectio.*

Hîc nodum in scirpo quærit aduersarius. Quis enim nesciat, magis vrgere hæresim nouam, & non satis exploratę falsitatis, ad videndum de verbo hoc, quàm hæreſes iam antiquatas; quas si quis tenuerit, iam proprio iudicio, & totius orbis Christiani præiudicio condemnatus est? Vel quis ambigat posse contingere, vt vbi conuenerit Ecclesiæ Senatus ille plenarius, etiam illa tractet congregatus, propter quæ sola conuenire non debuisset? multa enim facimus obiter, ob quæ non faceremus iter. Ecquid enim hîc volunt? si nulla præscriptio ex decreto Synodi; quorsum vel noua hæreſeon portenta damnatum coëunt? si aliqua; liquet igitur, minùs opus esse, pro semel iugulatis hydris iterùm conuenire, quàm pro nouis natis iugulandis. *Resſonſ.*

Secunda causſa conuocandi Synodum à nostris censetur, schisma inter Romanos Pontifices. Eius enim sopiendi causſa, habita fuisse Concilia temporibus Cornelij, Damasi, Symmachi, Innocentij II. Alexandri III. Gregorij XII. & Benedicti XIII. *Schisma inter Rom. Pontifices.*

Hîc rursus aduersarium malè habet, quòd maioris fiant schismata inter Romanos Pontifices, quàm inter alios Episcopos. *Imò*, inquit, *non tantùm propter schismata inter Pontifices Romanos, sed etiam propter contentiones & schismata inter alios Episcopos & Ecclesias, congregata sunt Concilia: nam ad sedandas lites inter Dioscorum Alexandrinum, eiusque sectatores & alios Episcopos, coacta est Synodus Chalcedonensis. Et in Synodo Octaua schisma inter Photium & Ignatium, qui de Episcopatu Constantinopolitano contendebant, sublatum est.* Hæc quidem ille.

Sed incassum ista omnia. Quando enim Romanum Pontificem Oecumenicum Patriarcham (quamuis de hoc Oecumenicorum Conciliorum auctoritate conuicti) pertinaciter negare pergunt; admittunt tamen (quia luce meridiana id clarius est, neque vlla tergiuersatione negari potest) eumdem Romanum Episcopum, quoad legitimus fuerit, verè habitum semper fuisse, & haberi primæ Sedis Episcopum. Quo semel dato, quid peccant hîc Orthodoxi, si præcipuas Conciliorum cogen-



cogendorum causſas recensentes, principalis Sedis Episcopos malo schismatis vindicandos, vnam esse velint; non magnopere soliciti, an etiam inter alios Episcopos, tanta de Sede aliquâ contentio esse queat, vt eius sopiendæ gratia, orbis Senatum conuenire quoque sit operæ pretium? Quòd verò Synodum Chalcedonensem allegat: non ea solùm congregata est ad sedandas lites inter Dioscorum & aduersarios eius; sed aduersus hæresim Eutycheris Archimandritæ, qui in theandrico Emanuele, vnam tantùm asserebat naturam post incarnationem.

*Ratio reſistendi communi hosti Ecclesiæ.*

Tertiam causſam Concilij indicendi recipiunt Catholici; vt ineatur ratio ac modus, quando resistendum est cõmuni hosti totius Eccleuiæ. Quomodo legimus indixisse Vniuersalem Synodum Vrbanum II. Calixtum II. Eugenium III. aliosque Pontifices, pro bello contra Saracenos. Item ad exauctorandum, pro meritis suis, Imperatorem, celebrauit Synodum Gregorius III. contra Leonem III. Iconomachum; Gregorius VII. contra Henricum IV. Innocentius IV. contra Fredericum II.

Tota res ista displicet aduersario: & quam demum ob causam? *Consultatio* (inquit) *& decretum de bello inferendo, ad Imperatores & Principes Christianos, & non ad sacerdotes pertinet. Quamuis enim trecentos ferè annos Ecclesia Christi grauissimam persecutionem ab Ethnicis & Iudæis passa esset, nullam tamen celebrauit Synodum contra persecutores suos. Non enim gladium materialem, sed spiritus, Episcopis & Pastoribus traditum fuisse accepimus.* Hæc ille.

*Lib. 4. de consid. ad Eugenium.*

Sed quid si gladius ille materialis, non quidem sacerdotum manu, sed nutu & consilio sit exerendus, vt D. Bernardo (quem virum à Deo illuminatum, aduersarij fateri solẽt) visum fuit? Quis enim sanæ mentis neget, ad vniuersalem Reipub. Senatum pertinere, in commune deliberare, quo pacto Ecclesiæ asceteria, oratoria, plebs fidelis, virginum Deo deuotarum cœtus, ab immani Turcarum barbarie tuti consistant? Si Principes etiam in causſis Ecclesiasticis, Synodicis conuentibus adfuere, eò quòd regni interſit plurimum, sartam tectam seruari Orthodoxiam: quid ni & Ecclesiæ proceribus, de communi Christianitatis hoste auertendo, cõmunibus viribus, commune consilium capere licebit; præsertim cùm in multis res Ecclesiasticę turbentur, ciuili statu perturbato; finiſque Reip. spirituali saluti deseruiat? Adde communem Christianæ Reip. hostem, etiam religionis hostem esse; neque tam ciuilem statum studere euertere, quàm religionem Christi conuellere.

Suscipit deinde aduersarius eorum Imperatorum patrocinium, contra quos diximus Romanos Pontifices aliquando Synodos habuisse. Ita scilicet hæresis, Principum saluti inuigilare videri vult ruendæ; quantum reuerà res ipsa clamat, quasi innata quadam genij sui propensione, semper incubuisse è medio tollendis Regibus & Monarchis se non recipientibus, & vix etiam sibi consentientibus parcere consueuisse. *Quòd autem Gregorius III.* inquit aduersarius, *contra Leonem Imperatorem, Gregorius VII. contra Henricum IV. Innocentius IV. contra Fredericum II. Concilia cogerunt, & in eis bellum contra summos Principes gerendum, & ipsos imperio & magistratu priuandos esse decreuerunt: hoc impiè & sceleratè fecerunt. Tantum abest, vt ex facto ipsorum, exemplum ad tale quid perpetrandum capiendum sit; vel vt inde existimemus, resistentiam Principibus legitimis, iustam esse Conciliorum celebrandorum causſam. Aliter enim Christus nobis monstrauit, aliter Apostoli docuerunt, aliterque Christiani & veri Catholici fecerunt.* Ita ille.

At sanè, non video quid tandem hîc reprehendat aduersarius. Impios, hæreticos, crudeles & incorrigibiles, communibus votis, à nostris Pontificibus amoueri ab imperio; ab imperio inquam, quod originaliter à Sede Apostolica, post translationem istam ad Germanos, quodammodò habere dignoscuntur; graniter se ferre præ se ferunt aduersarij, cùm ipsi interim non vereantur docere, licere exauctorare Principes, sibi in negotio religionis non consentientes. Omitto quæ ipse de hac re Caluinus scripsit. Consulatur Synodus Bernensis habita anno 1572. Hîc videant, an primæ Christianitatis habeant exemplum, quod à nobis exigunt; aut faceſſant, & desinant à nobis exigere.

*Suſpicio hæresis in Pontifice.*

Quartam causſam, ob quam operæ pretium sit Concilium celebrari plenarium, statuunt Catholici, suſpicionem hæreſeos in Romano Pontifice, aut sanè tyrannidem incorrigibilem. Vbi exempla habemus, Concilij Sinuessani in causſa Marcellini, & Romanarum Synodorum in causſa Damasi, Sixti III. Symmachi, Leonis III. & IV.

Quoad hæresim, culpat hîc aduersarius, quòd in Pontifice suſpicionem hæreſis, fateamur causſam esse Concilij indicendi, cùm aliàs negare soleamus, eumdem posse venire in suſpicionem hæreſeos. Addit, non reperiri vmquam hac de causſa Generale Concilium celebratum. Denique, licet magna orbis Christiani pars, hæreſeos aliorumq; grauissimorum criminum Papam accuſet; numquam tamen impetrari potuisse legitimum & liberum Concilium: neque posse hodie id obtineri à Romanis Pontificibus, vt se coram Concilio purgent, sicut olim fecerunt Damasus, Sixtus III. Leo III. & IV. & alij.

Videamus de singulis: Quamuis Papam è Cathedra definientem errare non posse, inter Catholicos recepti dogmatis sit: posse tamen eum priuatim errore aliquo circa fidem labi, communiter Orthodoxi fatentur; eoque casu, volunt Ecclesiæ contra degenerem pastorem, contra lupum, inquam, in vestimento pastorali latitantem (excidit enim è Cathedra Petri, qui excidit à fide Petri) Concilium conuenire, quod errantem aut corrigat, aut incorrigibilem iudicet & amoueat. De quo proprius alibi dicendi locus.

Neque est quòd nobis opponat, non reperiri vmquam Concilium conueniſse propter hæresim Romani Pontificis; id enim non est mirum, cùm hactenus nemo Romanorum Pontificum apertè hæreticus fuerit. Nobis suffecerit, per Concilij Generalis remedium, Ecclesiæ subueniri posse, si contigerit priuato errore Romanum Pontificem in hæresim labi.

*At magna pars orbis, hæreſeos Papam accuſat; Conciliumque contra ipsum flagitat, non qualecumque, sed liberum.*

Quid per *magnam orbis partem* aduersarius intelligat, facilè coniicio. Non Europam, aut Asiam, Africámve, vel alterius vmbræ Americam; sed Geneuensem Caluini Patriarchatum,

aut sanè (quod facere solent, quando magis de numero, quàm de vnitate cogitant) totum simul Papatum Saxonicum, cum omnibus suis Augustanis & Smalcaldicis toties deformatis, sectis, dissectis, malè natis fœtibus.

Verùm quid per *liberum Concilium* intelligant, non æquè clarum est. Tridentinum, quod, antequam ageretur, toties exflagitarant; tamquam tyrannicum conuenticulum aspernati sunt, quando viderunt, suo malo se illud expetiisse, neque secundùm suos errores in eo sententiam ferendam. Neque interim existimo, eos tam deliros fore, vt libertatem Concilij ponant in securitate cuiquam impunè contumeliam inferendi: reliquam autem libertatem, quæ vsui esse poterat, in Concilio Tridentino habuerunt quam maximam; commeandi, hærendi, liberè proponendi, supplicandi, commonstrandi quod quisque animo concepisset, probandi, refellendi, refragandi & suffragandi, acquiescendi & repugnandi, domum quando placuisset reuertendi. Verùm hæc missa facientes, ad institutum redeamus.

Quintam caussam Concilij conuocandi ponimus, dubitationem subortam circa electionem Romani Pontificis.

*Dubitatio circa electionem Rom. Pont.*

Quid hîc sectarius? *Dubitatio circa electionem Pontificis Romani, caussa esse non potest, cur Concilium Generale congregetur. Neque enim tanti faciendа est electio Romani Pontificis, vt ad eam ritè celebrandam, totus orbis Christianus turbari, & pij Episcopi ex sedibus suis euocari debeant. Imò multò consultius esset toti Ecclesiæ Christianæ, si nullus omnino esset Romanus Pontifex. Cùm ergò rerum finis sit optimum quid, secundùm Philosophum, electio autem Pontificis sit pessimum quid, vtpote tyrannis, pessima Reip. administrandæ forma, & maximè intolerabilis: non poterit electio Pontificis Romani esse caussa finalis Concilij celebrandi.* Ita ille.

Sed quàm in singulis nugetur, & quàm apertè principium petat, nemo non videt. Cùm enim ei res sit cum illis, qui dicunt, regimen Monarchicum esse optimum; quid opus erat, serium disputatorem suorum hîc aures demulcere, styloque prorsus exarmato ludere? Si conueniebat inter nos, Episcopum Romanum tyrannum esse, & Christi Ecclesiam vastare, vexare; conueniebat etiam, non pro eius electione, sed pro amotione, toto conatu esse laborandum. Sin verò de tyrannide Pontificia toto-dissidemus cælo; quid opus erat, magnum hunc antagonistam ita pueriliter ineptire?

Sextam Concilij caussam recensemus, reformationem generalem abusuum & vitiorum quæ in Ecclesiam irrepunt.

*Reformatio generalis.*

Hîc aduersarius, non rectè nos eam statuere Concilij finalem caussam; quandoquidem Romani Pontifices, pro tollendis abusibus & vitiis, non soleant Concilia cogere. quod probat: quia abusus in religione maximi, non corriguntur; sed papisticis Synodis defenduntur, vt cultus Angelorum & hominum defunctorum; diuinus honor translatus ad imagines Trinitatis; Pelagiani dogmatis, veterumque hæreseωn multæ propagines. Denique vitia morum adeò dicit à nostris non corrigi, vt de reformationis neglectu, magnæ etiam apud nostros sint querimoniæ.

Respondemus obiter ad prius, Venerationem Sanctorum, aut cultum sacrarum Imaginum, non esse in abusibus recensendum, vt nouus hic Vigilantius somniat, nouusque Copronymus iactitat. Ad posterius: Si tardior morum vitiis adhibeatur medela, an propterea nulla? aut si vlla, an idcirco ex Conciliis nulla?

Conducunt itaque Concilia, vt errores impij aboleantur, obstinati detegantur, seducti reducantur, vacillantes stabiliantur; qui veritatem timidè profitentur, confirmentur: item vt latè grassantes nequitiæ emendentur, probitatis normæ præscribantur, inter litigantes concordia & Christiana pax reparetur, vt faciliùs inueniatur, quod à multis quæritur, præsertim in quæstionibus arduis, in quibus veritas non facilè priuato studio inueniatur.

Alius est fructus, multorum ingeniorum collatio, & consiliorum mutua communicatio, quæ magnum etiam momentum adferat ad reformationem; vtpote qua demum rectè cognoscatur, quid accommodatum satis esse queat Christianæ Reipub. per omnes Prouincias. Ad hæc libentiùs suscipiunt homines, quod à pluribus norunt agitatum, expensum, approbatum: quando enim sine Concilio Generali definit Pontifex, locus est suspicioni, ne assensus aliorum, Romanæ Sedis sit assentatio; vt rectè D. Leo epist. 63.

## CAPVT III.

### *De necessitate Concilij Generalis.*

NVNC videamus, an vtile ita sit Generale Concilium, vt prorsus sit necessarium. Existimamus enim ita esse vtile, vt quodammodò sit necessarium: absolutè tamen esse necessarium, negamus. Trecentis enim primis annis, stetit Ecclesia sine Generali Concilio; atque omnino compertum est, Pontificum summorum Decretis, accedente adminiculo Prouincialium Synodorum, nouas hæreses posse opprimi, schismata tolli, inimicos Christiani nominis reprimi, abusus in ritibus & moribus emendari.

Sectarius tamen noster, è Caluini schola nouus disputator, affirmat Concilia Generalia prorsus esse necessaria; modò rectam Ecclesię administrationē à Spiritu sancto institutam tenere velimus.

Quod probat in primis, ex eo quòd Concilium Generale in Ecclesia, tempore noui Testamenti, eo loco habendum sit, quo in Synagoga habebatur Synedrion, in quo de rebus grauissimis, pace, bello, de falso propheta, de summo Sacerdote, sine vlla appellatione iudicabatur, cuius meminerit Scriptura Deuteronom. cap. 17. *Venies ad Sacerdotes, & ad Iudicem, qui fuerit temporibus illis, qui indicabunt tibi iudicium veritatis*; quod contra Christum Dominum sententiam tulit, quod carceri mancipauit, cęsosque dimisit Apostolos.

*Argumenta aduersarij.* 1.

Negare autem, Synedrion istud, quod ex lege Dei institutum erat, necessarium fuisse; nihil erit aliud (inquit) quàm aduersus Dei sapientiam, suas ineptias tueri. 2.

Ad hæc, *Ipsi*, inquit, *Apostoli ostenderant, quanta necessitatis sit Concilium Generale ad fidei controuersias sopiendas: Conuenerunt (inquit Lucas) Apostoli & Seniores videre de verbo hoc. Similiter Patres Ecclesiæ, pij Principes & prisci Christiani, non aliter Arij, Macedonij, Nestorij, Eutychis, aliorumque hæreticorum impia dogmata eradicari posse putarunt, quàm Synodorum Generalium auctoritate.* 3.

*At si*



*At si vera sit aduersariorum sententia; tùm inane erat Imperatorum Christianorum in Conciliis celebrandis studium, & piorum Episcoporum frustrà susceptus labor: omnia enim Episcopus Romanus, & Synodus aliqua particularis, vt ipsi existimant, expedire poterat.*

4. Addit, & rationem hoc postulare, vt quæ vniuersam Ecclesiam concernunt, ab vniuersæ Ecclesiæ Episcopis & rectoribus tractentur: neque Synodos particulares, aut Romanum Episcopum, potestatem habere in Ecclesiam vniuersam; cùm etiam istum suburbicarum Ecclesiarum cura contentum esse voluerit magna Nicæna Synodus.

5. Adiungit postremò & auctoritatem: *Constantinus*, inquit, *ex sententia Concilij Nicæni scripsit, non posse religionem Christianam in tuto collocari; nisi vel omnes Episcopi, vel maxima eorum pars, in vnum conuenisset, singulique sententiam de rebus ad sanctissimam religionem pertinentibus dixissent.*

6. Augustinus quoque libro 1. de Baptism. cap. 7. asserit, contentionem de Baptismo hæreticorum non aliter finem accipere potuisse, quàm ex plenarij Concilij determinatione. *Quæstionis*, inquit, *huius obscuritas, prioribus Ecclesiæ temporibus, ante schisma Donati, magnos viros, & magna charitate præditos Patres & Episcopos, ita inter se compulit salua pace disceptare & fluctuare; vt diu Concilium in suis quibusque regionibus diuersa statuta nutauerint, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur.*

7. Martianus Augustus Synodum Generalem ad reparandam Ecclesiæ Orientalis pacem necessariam iudicauit, vt testis est Leo. *Annosa series temporum* (inquiunt Patres Toletani Concilij 11.) *subtracta luce Conciliorum, non tam vitia auxerat, quàm matrem omnium errorum ignorantiam otiosis mentibus ingerebat.*

8. Isidorus denique inde dicit Christianitatem in varias hæreses scissam, quia non erat Episcopis licentia in vnum conuenire, nisi tempore Constantini.

9. Denique adducit experientiam testem: *Ex quo enim defierunt*, inquit, *Concilia celebrari, discissa est Christi Ecclesia, & Orientalis ab Occidentali dissentire cœpit; & ipsa Occidentalis Ecclesia, iugo seruitutis sub tyrannide Pontificum Romanorum & variarum traditionum oppressa iacet.* Hactenus aduersarius. Cuius machinationes haud difficile fuerit euertere, oppositis euidentissimarum rationum momentis.

*Respōdetur argumentis aduersarij. Ad 1.*

Quod enim initio dicit, Oecumenica Concilia in Ecclesia noui Testamenti, respondere veteris synagogæ magno Synedrio; equidem à veritate alienissimum arbitror. Synedrion enim illud erat ordinarium quoddam Concilium, quale diceremus supremum Concilium Regium. Vnde nunc in aduersarium facilè telum istud retorserimus. Si enim ex Dei instituto necessarium fuerit in veteri illo populo Dei, Concilium aliquod ordinarium & perpetuum, penes quod summa iudicij esset potestas & auctoritas; opus erit & in Christi Ecclesia. Erit ergo in Christi Ecclesia, præter Concilia, quibus primis trecentis annis caruit, ordinarium aliquod supremæ auctoritatis tribunal, quod nos attribuimus Romano Episcopo, qui sine Generali Synodo, adhibito tantùm fratrum suorum aut presbyterij Romani suffragio, controuersias Ecclesiasticas quascumque, etiam de fide, terminare valeat.

Quod verò secundo loco videndum nobis & ad Lydium lapidem reuocandum, illud est, An meritò iactet aduersarius Synedrij veteris vsum planè necessarium. Synedrion istud (ne de re ignota philosophemur) quid fuerit, paullò altiùs repetamus. Tradunt antiquitatum Iudaicarum periti, Petrus Galatinus & alij, Iudæos præter summum Sacerdotem, Regem & Iudicem, habuisse quoddam Concilium, institutum Num. 11. quod constabat 71. viris, 70. videlicet Moysi primùm adiunctis: viris inquam non solùm moribus & ingenio præstantissimis, sed etiam corpore integerrimis; nequid esset in illis, quod reprehensioni patere posset: quorum tanta erat auctoritas, vt neque Sacerdotes, neque Reges, aut Principes, sine horum consilio, quidquam possent statuere. vnde & à LXX. Interpretibus vocantur Συνέδριοι, id est, assessores. Debebant autem isti 70. linguarum periti esse, ne illis opus esset interprete. Cùm autem pronuntiaturi essent capitalem sententiam, per totum diem ieiunabant. Prætereà verò, quando horum quispiam initiabatur, imponebantur illi à tribus eiusdem ordinis viris manus; nomenque illud laudatissimum Rabbi, quod significat copiosum & abundantem, & cui nihil desit, illi tribuebatur: & deinde à reliquis collegis quinque animalia mactabantur; leo, lupus, vrsus, pardus, & serpens (fidem sequor aliorum) vt vel hac cęremonia admoniti, discerent se alienissimos ab harum ferarum moribus esse debere. Ex his omnibus, tres constituebunt Concilium, quod Iudicium vocabatur; quorum intereat iudicare de caussis pecuniariis, quæque ad sanguinem non pertinebant; & huiusmodi Concilium in omnibus ciuitatibus Iudęorum erat constitutum: caussæ autem capitales decidebantur à viginti tribus horum hominum: vsque adeò non temerè agendum putabant. Quando autem quæstio erat de Rege, Sacerdote, vel iudice, vel vniuersa tribu; tum simul omnes cogebantur. Et volunt hinc esse, quòd apud Matthæum dicatur totum Concilium manè coiisse, cùm videlicet de occidendo Christo Domino ageretur. Siue ergo Synedrion intelligamus in viginti tribus illis sanguinis iudicibus, vt quidam intelligunt; siue (quod malim) in septuaginta vetustum dierum imitantibus senibus (vt alibi Hieronymus) certum est, non ita illud prorsus regendo Dei populo necessarium fuisse, quin sicuti cœperat, si ita visum fuisset, Deus sine illo consulere populo suo potuisset. Eo itaque modo, dicemus Spiritum sanctum, qui trecentis primis annis, vsque ad Constantini tempora, Ecclesiam sine Oecumenicis Conciliis rexit, potuisse & aliis trecentis, sexcentis, eamdem rexisse, protexisse, conseruasse. Quamuis & illud quispiam non immeritò discrimen hîc vrserit, quòd Synedrion ordinarius potiùs fuerit Senatus, quàm Synodus; Senatus autem maiorem esse necessitatem in Christiana Repub. & Ecclesia, quàm Synodalis conuentus.

Matth. 27.

*Ad 2.*

*Synedrion quid.*

Neque est quòd aduersarius hîc eo nos dilemmate premat, quasi nihil sit tertium, sed oporteat vel planè necessaria esse Concilia Vniuersalia, vt sine eis Ecclesiam subsistere, prorsus sit impossibile; vel frustrà Apostolos & Christianos Principes sollicitos fuisse pro cogendis Synodis. Neque

*Ad 3.*

que enim frustrà adhibetur Oecumenica Synodus, quando quouis modo aliter fieri poterat; sed tum demum, quando æquè commodè, pariquè prouentu ac fructu, sola Pontificis aut Prouincialis Concilij auctoritate, Christiano orbi, in controuersiis fidei fluctuanti, consuli poterat.

*Ad 4.* Quod verò subnectit, per magnam Nicænam Synodum, Romani Pontificis iurisdictionem ad suburbanas Ecclesias esse reuocatam, adeoque non esse existimandum, commune totius orbis negotium fidei ex iudicatu pendere huius Capitolij, vt propterea opus non sit Synodo; alterius loci est operosiùs refutare. Nunc illud solùm obiter monuerim, quod de suburbicis Ecclesiis Romano Episcopo subiectis profertur, non esse genuinum, neque verè in Nicæno Canone reperiri, quem longè aliter Paschasinus Apostolicæ Sedis vicarius in Synodo Chalcedonensi, Actione 16. produxit: sed esse infelix compendium (dispendium dictum oportuit) Ruffini, quem meritò Hieronymus ita Latinè loqui ait, vt Græcum esse putes; ita Græcè, vt Latinum. Verè enim sine sensu vllo reddidit sextum illum Nicænum Canonem Ruffinus, vt in tractatu de summo Pontifice Disp. 4. dub. 2. demonstrauimus.

*Ad 5.* At Constantinus Augustus sine Generali Synodo scripsit non potuisse fidem in tuto collocari.

Respondeo, verum quidem esse, Constantinum apud Eusebium lib. 3. de vita ipsius, cap. 16. ita scribere ad Ecclesias, de habita Niceæ Synodo: *Istud maximè omnium mihi propositum putaui, vt in sanctissima Catholicæ Ecclesiæ multitudine, vna fides, sincera charitas, & consentiens erga Deum omnipotentem religionis cultus seruaretur: verùm istud haud poterat in loco tuto firmoque collocari, nisi vel omnes Episcopi, vel maxima eorum pars in vnum conuenisset, singulique suum iudicium de rebus ad sacratissimam religionem pertinentibus interposuissent*, &c.

Verùm ista non tam arguunt omnimodam necessitatem, quàm ex hypothesi. Turbatus enim erat totus Oriens, & longè lateque hæresis Arianæ incendium omnia deuastabat; vt ad illud restinguendum, Siluester iam senex, & non tantæ ac debebat apud seditiosos istos Arij sectatores, auctoritatis, minimè sufficeret; adeoque nec Prouinciale nec Nationale Concilium, propter auctoritatem & multitudinem eorum qui hæresim fouebant. Hoc res ipsa declarauit: tanta enim violentia rem suam, etiam Nicææ iam damnati, promouere conati sunt, vt vix è Nicæa efferrentur Concilij Canones, quin interciperentur passim ab eis, & incendio absumerentur, vt ex septuaginta aut octoginta vix viginti integri, Græca lingua, ad posteritatem peruenerint.

*Ad 6.* Ceterùm, quod Augustinus dicere refertur, contentionem de Baptismo hæreticorum non potuisse finem accipere, nisi in plenario totius orbis Concilio; non multùm aduersarium iuuabit. In primis enim in dubium vocare possumus, Sítne verum, quæstionem illam non potuisse finiri ante Concilij Generalis sententiam. Nam scribit Hieronymus in dialogo cõtra Luciferianos, illos ipsos Episcopos, qui cum Cypriano decreuerant hæreticos esse rebaptizandos, posteà contrarium protulisse decretum: quos tamen omnes constat diem suum obiisse ante Nicænum, quod fuit primum Vniuersale Concilium. Quia tamen dici posset, etiamsi hi Episcopi sententiam mutauerint, non idcircò verum esse, quòd planè sopita fuerit apud omnes controuersia, ante plenariam Synodum: aliter respondet Bellarminus, non fuisse quidem sopitam, sed non dicere Augustinum, quòd non potuerit sopiri. Quæ Cardinalis verba contentiosior antagonista ita excipit: *Absurdum*, inquit, *est putare, Stephanum Episcopum Romanum noluisse lites illas sopire, si potuisset. Præterea, vt Stephanus & consentientes cum illo Episcopi, eos qui hæreticos esse rebaptizandos censerent, vel excommunicandos esse decreuissent, vel re ipsa excommunicassent; non tamen propterea credere debemus, vel controuersiam hanc fuisse sublatam, vel non opus fuisse Concilio Generali: nam licet Victor Episcopus Romanus omnes secum non consentientes in Paschatis obseruatione à Communione repulisset; lis tamen illa ante Concilium Nicænum finem non accepit.* Hactenus ille, in re superflua nimis curiosus. Neque enim quispiam Catholicus hîc voluit, hæreticorum aut aliorum erronum pertinacia non fieri, vt nisi Concilium Generale celebretur, tam citò error exortus non extinguatur: sed hoc volumus: sicut Pelagianus error, aliique complures, sine Generali Concilio extincti fuerunt; ita nullum esse, qui, si tempestiuè aduigiletur, non similiter extingui possit; quamuis aliquos ita contigerit inualescere, vt citò opprimi non potuerint, nisi exercitu Vniuersalis Ecclesiæ ad eorum internecionem confluente. Atq; eo semel considerato, quod reliquum est obiectionum, euanescit. *Ad 7. & 9.*

Illud solùm quod ex Isidoro opponitur, nonnihil expendendum. Dicit Isidorus, ante Constantini tempora Ecclesiam variè scissam esse, eò quòd propter persecutiones Imperatorum, Episcopi in vnum conuenire tunc non potuerint. Credo ita esse; non quòd Concilium Generale vnicum sit remedium tollendæ hæresis, sed quòd valdè efficax. Sanè & ante Constantinum multæ hæreses per Concilia Prouincialia & Romanos Pontifices extinctæ sunt; & post Constantinum, etiam adhibitis Conciliorum Oecumenicorum remediis, Eutychiana & Nestoriana hæresis numquam radicitus euelli potuerunt. Testimonio hîc erunt plurima quæ recensere possumus, ante Nicænum habita Prouincialia Concilia: vt Romana Synodus sub Victore, tempore Commodi Imperatoris; Cæsarienſis, in Palęstina; Gallicana, in causſa de celebratione Paschatis, sub Irenæo; Pontica, celebrata à Palmate Episcopo, eamdem pænè ob causſam; Achaica, cui præfuit Bacchylus Corinthi Episcopus; Arabiana prima Synodus, Philadelphiæ in Arabia à Berillo congregata, vbi ipsum Berillum Origenes erroris conuicit; Arabiana altera, sub Philippo, cui similiter interfuit Origenes; Africana, contra Felicissimum presbyterum factiosum; item alia, contra Basilidem & Martialem; Romana, sub Cornelio; & Antiochena, contra Nouatum; Antiochenæ plures, contra Samosatenum; Romana, sub Dionysio Papa, contra Dionysium Alexandrinum; Sinuessana; Ancyrana; Neocęsarienſis, & alię plures: quæ licet particulares, Vniuersali tamen Ecclesiæ non parum subinde profuerunt.

CA-



## CAPVT IV.

### *De conuocatione Concilij.*

HActenvs de vtilitate & necessitate Synodorum: sequitur alia, quæ nobis est cum hæreticis concertatio, Penes quem sit potestas & auctoritas indicendi Concilij Oecumenici, eíque præsidendi?

*Opiniones hæreticorũ.* Germani Protestantes contendunt Cæsaris esse indicere Synodum Vniuersalem. Beza, extra Cæsaris ditionem agens, dicit esse Monarchæ Christiani, siquis sit: si autem sint plures Christiani Principes supremi, nullum agnoscentes superiorem, vt reuerà nunc sunt, esse omnium illorum simul cum Imperatore & ciuitatibus liberis.

*Sententia Catholicorum.* Contrà, Catholici memores, quòd Ecclesiastica Comitia indicere, Ecclesiasticæ sit potestatis; quam neque cum ciuili eamdem, neque subditam ei magis fateri volunt, quàm temporalia fateantur confundenda cum spiritualibus; aut hæc eis, tamquam inferioris ordinis, subiicienda; eumdem quem supremum ponunt in Ecclesia Dei Hierarcham, volunt auctoritatem propriè habere, vniuersos Episcopos ad Synodum euocandi. Quò pertinet quod Synodus Chalcedonensis obiicit Dioscoro Alexandrino, quòd Synodum facere ausus fuerit sine auctoritate Apostolicæ Sedis; quod numquam licuit, numquam factum est. Et Pelagius II. *Multis Apostolicis & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Quo intelligimus, vel per se Pontificem conuocare debere, vel ipsius id iussu alium; vel sanè si iniussu summi Præsulis indictum fuerit Concilium Oecumenicum, non aliter ratum fore, quàm si eius accesserit auctoritas & consensus.

Proferam rationem qua id ex Scriptura nostri asserunt. Concilium Ecclesiæ debet congregari in nomine Christi, secundùm illud Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Non congregatur autem in nomine Christi, nisi id fiat eius auctoritate, qui hac in parte est vicarius Christi: is autem solus est summus Pontifex; ergo illius est cogere Concilium.

*Obiectio.* Huic argumento obstrepit sectarius: *Si verba*, inquit, *Christi propriè interpretari velimus; reperiemus ipsum non loqui de Synodis Episcoporum, sed de omnium Christianorum ad preces Deo fundendas institutis conuentibus.*

*Respons.* Verùm, quamuis occasione precum hæc verba Christus Dominus protulerit, latiùs tamen se extendunt, & vtique ad Concilia, quæ rectè dixeris antonomasticœs congregari in nomine Christi; vbi propterea is conuentum indicere habebit, cui incumbit cura generalis ouilis Christi.

*Obiectio.* At videamus, an ne maioris ponderis argumentum, ex Scripturis nobis opponat aduersarius. *Pontificem Romanum*, inquit, *non habere propriam potestatem, ita vt solus Concilia Generalia indicere possit. probatur ex lege Dei. Nam lex Dei non tribuit summo Sacerdoti potestatem Concilij indicendi: neque enim Aaron, nec alij summi Sacerdotes, vel Concilium vel populum congregasse leguntur: non est ergo quòd plus sibi arroget Pontifex, quàm summus populi Hebræorum Sacerdos.* Huc redit obiectio: Hebræorum summus Pontifex non habuit ius indicendi Concilium, ergo neque Christianorum.

*Respons.* Vbi in primis dicere quis possit, maiorem esse auctoritatem nostri Pontificatus, & plusculum in regenda synagoga Regibus, pro illius temporis conditione fuisse concessum, quàm nunc sit Regibus Christianis in Ecclesia regenda. Verùm eò confugere necessum non est: neque enim solidè probabit aduersarius, quod audacter assumpsit; indicendi cœtus sacerdotalis auctoritatem non habuisse tunc summum Sacerdotem. Sanè 1. Machabæorum cap. 14. quando Simoni sacerdotalis defertur dignitas, inter alia statuitur, ne cui liceat conuentum conuocare in regione, sine ipso. 2. Paralipom. 19. pius rex Iosaphat ita constituit: *Amarias Sacerdos & Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porrò Habadias filius Ismaël, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.*

Vnde colligimus, ad Regis officium non pertinuisse, sacris cœtibus indicendis præsse. Quocirca & in Ecclesia, hæc sacra potestas delata semper fuit summo, id est Romano Pontifici. Scribit enim Marcellus Papa in Epistola ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ; Apostolicum canonem, inspirante Domino constitutum esse, vt nulla Synodus fieret, sine Romanæ Sedis auctoritate. Quem canonem renouatum à Concilio Nicæno, testatur Iulius I. in epistola ad Episcopos Orientales.

Testatur etiam ex Socrate Cassiodorus lib. 4. tripartitæ cap. 9. Ecclesiasticam regulam antiquissimam iubere, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.

*Ita*, inquit Caluinus, *præter sententiam: quia non vocato Romano Pontifice, qui erat vnus de precipuis Patriarchis, non poterat Synodus celebrari.*

Verùm istud violentum ac tortum est, neque immeritò suspectum; cùm ea ratione idem inculcari debuisset de Alexandrino & Antiocheno Patriarcha. Quocircà Centuriatores in Caluiniano isto effugio parum præsidij sibi fore aduertentes, aliud commenti sunt: nimirum de Concilijs celebrandis Socratem non loqui, sed de Ecclesiis canonizandis aut consecrandis, eò quòd Græcè sit Κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας, loco eius quod Cassiodorus vertit, *Concilia celebrare*. At quis Latinorum non ita vertit vt Cassiodorus, quod non tam ex Socratis dicto, quàm ex passim nota regula, omnes dicerant? quasi vero simile sit, tanti tunc factas Ecclesiarum dedicationes, vt eas per totum orbem, simul cum iudicio causſæ Episcoporum (ad quorum depositionẽ pro grauiori crimine ageretur) Canones reseruauerint potiùs Romano Pontifici, quàm Oecumenici Concilij regulationem, adeoque canonicam conuocationem. Quod canonizare Ecclesiam dixit Socrates, Græcis vsitato sermone; Ecclesiam conuentum, & κανονίζειν, regulari intelligens, aut ad normam exigi ac dirigi. Faceſſat itaque nuperus iste sectarius, pro Caluino suo & Centuriatoribus hîc triumphum canens ante victoriam, quando in hæc verba concludit: *Licet in omnes se vertat formas, numquam probabit Bellarminus* κανονίζειν ἐκκλησίας, *significare Concilia indicere.*

Eisdem vestigiis institit vera Septima Synodus Nicæna, Secunda contra Septimam pseudosynodum Constantinopolitanam, eam inter cetera eo nomine reiiciens, quòd non habuerit cooperarium Romanum Pontificem, quemadmodum

in

in Synodis fieri debet: vbi non aliud quod opponat habet sectarius, quàm impudentiam suam; eleuans Synodum, quòd imaginum cultum impium approbauerit: quòd non ex hoc solo reiiciat illam sub Leone Iconoclasta pseudosynodum Constantinopoli celebratam, quia Romanum Episcopum non habuerit synergon; sed quòd ne quidem Patriarchas Orientis habuerit consentientes. Sit itaque ita, pseudosynodum illam quæ sanctas imagines damnauit, pluribus nominibus fuisse adulterinam; nobis sufficit, vel eo nomine in primis adulterinam fuisse notatam, quòd legitimum Synodorum auctorem, patrem non habuerit Romanum Pontificem.

Idem nobiscum senserunt Patres Quarti Concilij Romani sub Symmacho. Cùm enim Concilium istud Theodoricus Rex conuocasset, voluerunt ante omnia congregati Patres sibi declarari, quomodo legitimè fuisset Concilium indictum sine Pontificis auctoritate, per ipsum Regem; asseuerantes, Symmachum etiam impetitum, & cuius in ipsa Synodo causa erat tractanda, debuisse secundùm Sedis suæ principatum & priuilegia Synodum conuocare, neque aliter conuocari potuisse. Quibus ea demum ratione Rex satisfecit, quòd se ostenderet, Symmachi Pontificis assensu conuentum indixisse; & ipse Symmachus præsens ita esse fateretur.

At videamus, quæso, quomodo hæc elidat aduersarius: *Non reprehendunt*, inquit, *Patres eius Synodi, quòd Synodum indixisset Theodoricus Rex; sed quòd Synodo iam indicta, de causa Episcopi Romani, homo ministerij Ecclesiastici expers iudicare vellet; & quòd Ecclesiæ Episcopis inconsultis, Synodum coëgisset.* Ita iste.

Sed contra ipsum, ad tabulas prouoco. Ita enim Acta Concilij habent: *Pontifices suggesserunt, ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum conuocare, scientes quia eius Sedi primùm Petri Apostoli meritum vel principatus; deinde, secuta iussione Domini, Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem: nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio in propositione simili, facilè forma aliqua testaretur. Sed potentissimus Princeps, ipsum quoque Papam, incolligenda Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significauit.* Hactenus Acta, quæ non videtur inspexisse sectarius, aut (quod magis de scriptore diligente suspicari licet) speraſſe, plures sua scripta quàm Acta illa relecturos, symmystæ nimirum cuiusdam sui in Anglia secutus exemplum; cui cùm in scriptis suis apertissima quædam deprauatio eius quę adducebatur auctoritatis, ab amico eiusdem sectæ homine, à Typographo posteriori cura emendanda ostenderetur, respondisse dicitur: *Sinamus vt est, multi Papistarum hoc non aduertent.*

*Obiectio.* Verùm obiiciunt aduersarij; Concilium omnium Christi discipulorum, qui ad diaconorum electionem conuenerunt, omnes vnà indixerunt Apostoli, non vnus Petrus: *Conuocantes duodecim discipulorum multitudinẽ* (inquit Lucas Actorum cap. 6.) Posteà verò, vel ex Apostolorum omnium auctoritate & mandato reliqui conuenerunt, vel sponte suâ congregati sunt Apostoli & Seniores, vt quæstionem de legalibus diffinirent. Nusquam sanè accepimus, vbi Petrus hanc potestatem sibi sumpserit, vt solus Concilium cogeret. Quæ ergo arrogantia est, plus postulare Pontificem Romanum, quàm habuit Petrus, qui summus erat Apostolus, & à quo causam habet?

*Respons.* Respondeo, Actorum cap. 6. Concilium non fuisse, quod Seniorum maximè & Apostolorum esse debebat; sed promiscuam fidelium multitudinem, vocatam fuisse ad electionem diaconorum. Sanè si electio talis Concilium fuit, iam habemus quod quærit aduersarius, vbi Petrus Concilium conuocauerit: Actorum enim cap. 1. centum viginti fratres vocauit ad electionem Matthiæ in locum Iudæ. Cap. autem 15. Actorum, Petrum conuocasse Concilium, textus non dicit, quamuis id verisimile sit, & Scriptura non obscurè significet, quando eum narrat in sententia dicenda ducatum & principatum obtinuisse; & rem Synodalem, tamquam supremum Pastorem, auctoritate sua direxisse. Illud saltem dabunt aduersarij, Petro consentiente conuenisse Seniores: & nos damus, sufficere, summi Pontificis consensu cogi Concilium.

*Obicitur Conc. Nicænum.* Obiicit præterea sectarius in hunc modum: *Si penes Romanos Pontifices esset ius indicendi Concilij, & non penes Romanum potiùs Imperatorem; non ita euenisset, vt saluo imperio Romano, ante Constantinum, id Romani Pontifices nulli tentassent.*

Verùm istud dilutius est, quàm vt diluere opus sit: non enim ideò ante Constantinum non indixere Romani Episcopi Concilium, quòd ad eos ea non pertineret auctoritas; sed quòd tyrannide sæcularis potestatis impedirentur auctoritate sua vti.

Pergit & obiicit aduersarius: *Concilia quædam Generalia & nos legimus, & aduersarij fatentur, fuisse congregata vel inuitis vel saltem inconsultis Pontificibus Romanis.* Exempla horum allegant sectarij, ipsum in primis Concilium Nicænum, quod dicunt inscio Siluestro à Constantino fuisse indictum; & probare se dicunt ex Ruffino lib. 10. cap. 1. *Ex Sacerdotum sententia*, inquit iste, *apud vrbem Nicæam, sacerdotale Concilium conuocat Constantinus.*

*Respon.* Respondemus, Constantinum quidem indixisse Concilium Nicænum (vt vult Ruffinus) sed ex Sacerdotum sententia. Si dicas inter eos Sacerdotes non fuisse Pontificem Romanum, at potiùs Alexandrum Alexandrinum Episcopum hoc primùm ab Imperatore impetrasse, vt Ecclesiasticæ testantur historiæ: id saltem obtinuerim, Episcoporum rogatu, non propriis auspiciis Imperatorem Synodum coëgisse. Deinde, non sine auctoritate Romani Pontificis, qui tunc erat Siluester, non (vt malè quidam opinantur) Iulius, id factum esse, patet ex Sexta Synodo Actione 18. vbi Patres ita dicunt: *Constantinus semper Augustus, & Siluester laudabilis, magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.* Quinimò, Rhegino apertè indictionem Concilij Nicæni Siluestro asscribit. Sanè probabile est, quod D. Baronius circa annum Domini 325. annotatum reliquit; Constantinum cum Siluestro egisse de Synodo cogenda, & de ea re inter eos conuenisse; potissimùm ad reprimendos Arianos: de quorum insolentia Alexander Alexandrinus Episcopus iam tum Pontifici, tum Imperatori Romano conquestus erat. Antequam autem Concilium indiceretur, missus est à Siluestro Osius in Orientem ad Constantinum Imperatorem (indubiè cum mandatis de adhibendo



bendo remedio communibus votis, Arianismo iam gliscenti) qui Constantinus eumdem Osium Alexandriam misit, ad sedandas turbas schismaticorum (testis Eusebius in vita Constantini.) Redeunte Osio re infecta Constantinopolim, progressus est Constantinus ad indictionem Generalis Concilij, cui idem Osius, tamquam Apostolicę Sedis primus Legatus (fuerunt enim in hoc munere adiuncti & alij duo Presbyteri vrbis Romæ, Victor & Vincentius) non tantùm interfuit, sed etiam præfuit. In Concilio itaque Nicæno indicendo, nihil sine Siluestri auctoritate gestum est. L. 2. c. 62.

*Chalcedonense.* Sed Chalcedonense (inquit aduersarius) inuito Leone indictum fuit extra Italiam. Is enim ad Theodosium scribens, petiit vt intra Italiam Concilium celebrari permitteret: *Generalem* (inquit epist. 24.) *Synodum intra Italiam iubeas celebrari.* Similis petitio eius est ad eumdem Imperatorem, epist. 34. *Petiit* (inquit aduersarius) *sed impetrare non potuit.* Ita ferè ille.

Porrò, vt eius rei liquida constet narratio, inuenimus quidem ita esse, vt Leo Romanus Pontifex petierit à Theodosio Imperatore, Oecumenicam Synodum in Italia celebrari: verùm hoc Imperatore ex humanis sublato, aliter actum est cum Marciano eius successore, ad quem de eadem re extat epistola Leonis 43. petentis eamdem Synodum Nicææ, aut saltem consentientis in Oriente celebrari, destinatis eò suis Legatis. Elegit autem Imperator, qui ipse coràm adfuturus erat, Nicæam: at postmodum, pro maiori sua & Episcoporum opportunitate, iussit ex Nicæa Chalcedonem eos conuenire. Sanè extat eiusdem Marciani epistola ad Leonem Papam (qua ipsum consulit de loco pro Synodo eligendo) in præambulis Concilij Chalcedonensis. At de his satis: nemo enim iure miretur, Synodi locum tunc temporis potiùs Imperatorem, quàm Pontificem designasse. Primò, quòd Imperator personaliter erat interfuturus, non Papa. in Orientalibus enim Synodis non solebat Papa interesse. Secundò, Quòd Imperatoris maior erat auctoritas apud illos, qui per Synodum erant corrigendi; eos nimirum, qui in Ephesina ciuitate pseudosynodum, aut potiùs sub nomine Synodi latrocinium contra Flauianum celebrauerant; quem, eò quòd ad Sedem Apostolicam appellasset, indignissimè tractauerant, ita vt paullò pòst inde ex hac vita migrauerit. Tertiò, Leges sæculi tunc adhuc erant in vigore, minùs attemperatæ suaui Christi iugo: è quibus vna vetabat, Ne qui conuentus fierent sine conscientia Augusti, vt patet L. Collegia. ff. de Collegiis & corporibus, & L Conuenticula Cod. de Episcopis & Clericis. Quartò, De publico vehicula & sumptus necessarij Episcopis ad Synodum proficiscentibus suppeditabantur; adeoque vel ea de causa res Synodica ad Augustalem cognitionem pertinebat. Denique, Ecclesia sine Imperatoris potentia non potuisset facilè tutum ad Synodum accessum Dei sacerdotibus procurare.

*Ephesinum.* Pergit sectarius: *Præterea*, inquit, *à Theodosio, certum est, Concilium Secundum Ephesinum fuisse indictum. Episcopale Concilium* (*inquit Leo, ad Theodosium scribens*) *quod haberi apud Ephesum præcepistis. Adeò autem Leo huius indictionis incertus erat, vt nec conuenisse sacerdotes intellexisset, nisi hoc ei Hilarius* (*Hilarum alij legunt*) *diaconus suus à Concilio reuersus, dixisset.* Verissimè hæc dixit aduersarius: neque nos negamus, tales Synodos, qualis fuit latrunculatoria illa Ephesina Secúda, solere sine Pontificis auctoritate indici. Latronibus enim, qui per ostium intrare non solent, ostiarius non aperit; sed per fenestram intrant vt perdant, vt mactent. Inuito ergo Leone coiuit ista Synodus: sed quo successu? Flauianum Catholicum damnauit, & tantùm non occidit, Barsuma seditioso illo Archimandrita iam inclamãte, Occide: Eutychetis hæresis, Christi duas naturas in vnam confundens, atque alterius naturæ eius carnem faciens à Virginis matris & nostra; agente Dioscoro, & conciliabulo præsidente, recepta est; Apostolicæ Sedis Legatis contestantibus, horum nihil ratum fore, cùm per vim & metum, intentatis exiliis; catenis, fustibus & gladiis, ad calamum subscribentes Episcopi adigerentur. Habeant ergo aduersarij, tales renitente Pontifice Synodos posse celebrari.

*Synodus 5. & 6.* Sed pergit: *Quinta etiam & Sexta Synodus, incõsulto Episcopo Romano, indicta est. Præterea Synodus illa, quæ Ioannem XII. deposuit, ab Imperatore indicta est, inuitissimo Ioanne. Concilium verò Pisanum à Cardinalibus, repugnante Gregorio XII. indictum est. Concilium etiam Constantiense, inuitus coëgit Ioannes XXIII.* Hactenus ille. Nos singula ordine perueſtigemus, ne fortè (vt solet aliàs) parum intentos fallat sectarius.

Ad Synodum Quintam quod attinet; verum non est, eam inconsulto Romano Pontifice indictam esse ab Imperatore. Cùm enim Iustinianus Imperator damnasset tria illa capitula; videlicet, Theodorum Mopsuestenum, Epistolam Ibæ Episcopi Edessèni, & scripta Theodoreti Episcopi Cyri contra Cyrillum; magnis de tribus istis capitulis, inter ipsos Catholicos excitatis motibus, commissis inter se Oriente & Occidente; eò tamdem adactus est Imperator, vt Vigilij monitis cesserit, qui nolebat quidquam de his capitulis statui ante Concilij Generalis cognitionem, suumque edictum reuocauerit; & in Concilij, ea de re cogniturj (quod fuit Quintum Generale) conuocationem consenserit. In eo tamen studio suarum partium excessit contra Vigilium Imperator, quòd conatus sit solos suæ opinionis aduocare Episcopos, exclusis illis qui aliter sentirent. Verùm & in eo iterùm à Vigilio correctus fuit: & quamuis in hac Synodo non per omnia Vigilio satisfactum fuerit; eam tamen approbando posteà Sedes Apostolica fecit Oecumenici nomen obtinere. quamquam, tum quòd de personis potiùs quàm de fide disputarit; tum quòd obtinere non potuerit Romani Pontificis, ne quidem in Legatis suis præsentiam, licet sæpè imploratam, supparis vix cum quatuor primis auctoritatis habita fuerit. Romanus enim Pontifex, quamuis Constantinopoli præsens, noluit adesse Concilio, eò quòd pauci ex Occidente aduenissent Episcopi; cùm tamen causa quæ potissimùm tractabatur, controuersa esset inter Orientales & Occidentales, adeoque in propria causa iudices impari lance consedissent Græci.

Veniamus ad Sextam Synodum, quam etiam caussatur aduersarius inconsulto Romano Pontifice fuisse indictam. Sed fallitur. Constantinus enim Imperator in suo edicto de cõuocanda Synodo ad Patriarcham Constantinopolitanum, narrat se ad Dominum Papam, antiquæ Romæ Præ-

sulem, de Synodo congreganda scripsisse: *Et illo*, inquit, *de hoc seculo migrante, Agatho sanctus, nuper ordinatus Papa, in Apostolica Sede prædictæ antiquæ Romæ, huiusmodi nostros pios suscipiens apices, destinauit in præsenti, propriam eius indutos personam, Theodorum & Georgium Deo amabiles Presbyteros, & Ioannem Deo amabilem Diaconum: ex persona verò totius eius Concilij* (Romanum intelligit, quod tunc celebratum fuit sub Agathone) *Ioannem, & Abundantium, & Ioannem, venerabiles Episcopos.* Videat ergo noster sectarius, non inscio Romano Pontifice Sextam Synodum fuisse indictam; sed consentiente, eoque instructos ex Synodo Romana præmittente suos Legatos.

At videamus, anne in reliquis sincerior sit; aut sanè cautior: *Illa* (inquit) *Synodus, quæ Ioannem XII. deposuit, ab Imperatore indicta est, inutissimo Ioanne.*

*Synodus quæ Ioannem XII. deposuit.*

Possemus hîc excipere, quòd Ioannes ille non fuerit verè Pontifex, eò quòd contra Canones inuaserit Apostolicam Sedem, cùm vix octodecim esset annorum. erat enim is Octauianus Alberici filius, vrbis Princeps, qui primus Pontificum nomen suum inuenitur mutasse; vt videlicet, cùm esset inuasor, putaretur hòmo fuisse missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Tyrannus is fuit, tyranni filius: nam pater eius Albericus, vrbis principatū, pulso Hugone Rege, sibi vendicauerat: quem imitatus filius, seditiosis quibusdam adolescentem incitantibus, mortuo sanctissimo Pontifice Agapito, Sedem Apostolicam inuadit; vt, quam in temporalibus iam exercebat, eamdem ad spiritualia extenderet tyrannidem. Tunc itaque nullo modo dicendus fuit legitimus iste fuisse Pontifex, vtpote cuius electioni lex nulla sit suffragata, cuncta supplentibus vi & metu; cùm qui per ætatem nec diaconus esse potuit, ostensus sit tamquam in scena mimus, Pontificem agens. Attamen accessit Ecclesiæ consensus, eligentis potiùs perditissimis illis temporibus monstrosum caput ferre, quàm crudeli schismate diuidi. Ita recepto vtcumque Ioanne pro vero Pontifice; videamus quomodo potuerit ab Othone Imperatore, indicta Synodo, inuitus deponi. Vt verbo vno dicamus, illegitimè intrusum; illegitimè nihilominùs extrusum existimamus Ioannem istum XII. Pontificis alioquin nomine indignum. Inuito verò Pontifice indicta fuit non Synodus, sed pseudosynodus, in qua ita contra regulas Ecclesiasticas processum est ad depositionem Ioannis, & electionem Leonis, vt D. Baronius, diligentissimus & æterna memoria dignus Ecclesiasticorum Annalium scriptor, dicere ausus sit; numquam se legisse Orthodoxorum conuentum Synodalem aliquando habitum, in quo magis Ecclesiasticum ius offensum, magis Canones violati, vulnerata traditio, conculcata, atque maiore dedecore oppressa iustitia. Excommunicati enim verum Pontificem, qui à nemine iudicatur, laica auctoritate deponebant, inauditum, non conuictum iusto testium numero, sed tumultuario paucorum clamore præcipitatum: quo etiam factum est, vt Leo suffectus Ioanni non haberetur legitimus Pontifex; sed mortuo Ioanne, & viuente adhuc Leone, Romani elegerunt Benedictum Quintum eius nominis. Itaque circa hoc argumentum illud quisque meritò cauerit, ne Othonis Imperatoris pietas, & Ioannis XII. Pontificis impietas insulam cum paludamento commutet: aut existimetur, Cæsarem & Pontificem non ordinatione, sed vitæ dumtaxat sanctitate differre. Hactenus de Ioanne XII.

Veniamus ad Pisanum Concilium: quod obiicit aduersarius, inuito Gregorio XII. à Cardinalibus fuisse indictum. *Concilium Pisanum.*

Hæc Synodus neque certò probata est, neque improbata. Quāuis enim eam improbauerit sanctus Antoninus: constat tamen, vrgente admodum de caussa coactam fuisse, ad tollendum schisma quod tunc exoriebatur. Neque fortè adeò refert, verum Pontificem Gregorium XII. non indixisse: probabili enim fortassis opinione, longi schismatis pertæsi, videbuntur existimasse Cardinales, licuisse sibi pro tollendo schismate, ad electionem noui Pontificis conuenire, quòd Gregorius ea conditione electus erat, vt abdicante se antipapa Benedicto, qui fuisset XIII. eius nominis, ipse sese pro bono pacis Ecclesiæ, similiter Pontificatu abdicaret.

Quidquid sit hac de re, nondum protulit aduersarius vllum Concilium Generale indubitatæ auctoritatis, cuius indictio omnino Pontificia fuerit auctoritate destituta: nam quod de Constantiensi subiungit postremo loco, inuitum id coëgisse Ioannem XXIII. parum de eo nobis laborandum est, cùm neque per omnia irrefragabilis sit huius Concilij auctoritas; neque omnino velit aduersarius, Pontificis ei auctoritatem defuisse.

## CAPVT V.

### De Præsidentia in Concilio.

*Sententia Catholicorum.*

AFFINE huic, quod hactenus de indictione Concilij diximus, est, quòd similiter de Synodali Præside docent Catholici; nimirum Pontificis id esse Romani, per se aut per Legatos suos præsidere Conciliis Oecumenicis.

*Error hæreticorum.*

Negant hæretici: volunt enim potiùs esse Imperatoris, aut Principum simul cum Imperatore & ciuitatibus libertis, per se aut per vnum aliquem idoneum à se delectum, Synodali Conuentui præesse. Verùm si rectè probauerimus, Pontificis esse indicere Concilium; etiam hanc litem vicerimus: fatetur enim aduersarius, eius esse præsidere, cuius est indicere. Ne tamen sibi nimiùm placeat in iis quibus peculiariter Papam arcere nititur ab hac præsidentia; singula quanti roboris sint aut firmitatis, obiter percurrendo examinemus, & quasi extremæ manus contactu experiamur.

*Argum. 1.*

Magnum in primis, in eo suæ caussæ ponit subsidium, quòd sacerdotes veteris Legis in Conuentibus de rebus religionis ac legis non soleant præsidere; sed Moyses, qui potiùs Dux & Rex populi erat, quàm sacerdos; & alij posteà Reges, in ea potestate Moysi successores: *Quoties*, inquit, *visum est populum congregare; non Aaron, sed Moyses Concilio præfuit.* Deuteronom. cap. 31. *Iosue coram omni populo præcepta dedit, & Sacerdotibus librum Legis commisit. Iosua etiam planissimè Concilio totius populi præfuit: ipse enim congregauit omnes tribus Israël in Sichem, & vocauit maiores natu, ac Principes & Iudices & Magistros, percussitque Iosua*



*Iosua in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta & iudicia. De Dauide, Salomone, & Ezechia, nulla controuersia est, quin illi Synodos congregarint: hoc enim nos Scripturæ docent, & ostendunt, eos Sacerdotibus & Leuitis & vniuerso populo, leges præscripsisse. Vnde etiam colligere licet, eos Conciliis præfuisse. Ioas coacto Sacerdotum & Leuitarum Concilio, eis præcepta dedit de instauranda domo Dei: idemque Ioiadam sacerdotem reprehendit, quòd non coëgisset Leuitas inferre pecunias in tabernaculum testimonij. Ezechias etiam ad Concilium Sacerdotum & Leuitarum ita locutus est: Audite me Leuita, & sanctificamini: mundate domum Domini Dei patrum vestrorum; & auferte omnem immunditiam de sanctuario. Vbi autem summus Sacerdos aliquid eiusmodi præceperit in Concilio, nusquam legimus: & non debet Pontifex Romanus, plus postulare quàm summus Hebræorum Pontifex.* Hactenus sectarius.

*Respon.*

Cui respondeo, ex his nondum liquere, in illis quæ ad Deum pertinent, vmquam Synodo præfuisse quemquam sola Regia potestate: sed, vel vniuerso populo, in illis quæ regnum concernebant; vel eum quidem qui Princeps erat, sed simul Propheta, aut extraordinaria Dei missione, Dei res ab ordinariis præfectis neglectas, instaurans. quò ferè redit responsio, qua contra Brentium, similia allegantem, vsus est Cardinalis Bellarminus.

*Moyses fuit sacerdos.*

Ad Moysem itaque quod attinet; Dux iste fuit populi, sed simul Propheta: imò peculiariter à Deo constitutus, vt populo esset in iis quæ ad Deum sunt, sequester inter Deum & populum, Legis sub Deo proximus architectus, primi summi Sacerdotis ordinator, qui & Deus Pharaonis diuinitus est constitutus, vt Aaron eius fuerit Propheta, & ipse Aaroni, in iis quæ sunt ad Deum. Quid? quòd apertè etiam sacerdotem fuisse Moysem Scriptura testetur? Psalmo enim 98. dicit: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius.* Ad quem locum ita scribit S. Augustinus; *Aaron frater Moysi erat, quem ordinauit etiam sacerdotem; & ibi quidem non videtur sacerdos esse, nisi Aaron: apertè enim in illis litteris Aaron nominatur sacerdos Dei: de Moyse non ibi dicitur quòd sacerdos erat; sed si hoc non erat, quid erat? Numquid maior sacerdote esse poterat? Exprimit Psalmus iste, quia & ipse sacerdos erat: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius: ergo erant illi Domini sacerdotes.* Hactenus ibi Augustinus. Non dissimilia idem habet q. 23. in Leuiticum: *Cùm videatur ab Aaron cœpisse summum Sacerdotium, quid putamus fuisse Moysem? Si ergo sacerdos non fuit, quomodo per illum omnia illa gerebantur? Si autem fuit, quomodo summum Sacerdotium ab eius fratre incepisse definimus? Quamquam etiam Psalmus ille, vbi dictum est, Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, auferat dubitationem quòd sacerdos fuerit & Moyses. Vestem tamen illam sacerdotalem, quæ magnum continet sacramentum, Aaron iubetur accipere.* Et infrà: *Ambo ergo tunc summi Sacerdotes erant, Moyses & Aaron. An potiùs Moyses, Aaron verò sub illo? an & ipse summus propter vestem Pontificalem, ille verò propter excellentius ministerium?* Ita D. Augustinus. Vbi non solùm, quomodo Sacerdos dici queat Moyses; sed etiam habemus, qua consideratione, præ fratre, & non tantùm cum fratre, summus Sacerdos appellari possit.

Aduersarius verò, existimans sibi non cum Augustino, sed cum solo antagonista suo negotium esse, è diametro contraria opponens ita scribere audet: *Sed primò absurdum est cogitare duos simul fuisse in illo populo summos & legitimos Sacerdotes, & hoc nunc primùm narrat Bellarminus* (verè primùm aduersario, quia Augustinū aliosq; veteres non legerat) sed pergit: *Neque enim potuit summus ille Sacerdos verus esse typus* IESV *Christi, qui vnicus est noui Testamēti Sacerdos, si duo simul fuissent sacerdotes. Ex Psalmo sanè non probatur Moysem fuisse sacerdotem: nam verbum (cohanim) significat Principes. Atque vt significet Sacerdotes, tamen rectiùs vertere licet, Moyses & Aaron cum sacerdotibus ipsius, quàm vt habet vetus interpres. Præterea, vt simul fuisset sacerdos & Princeps; tamen hoc fecit Moyses pro Principis, non pro sacerdotis imperio. Nusquam enim docere potest Bellarminus, Aaronem alicui Synodo præfuisse, aut hoc officium vsurpasse.* Hactenus ille.

Cui respondere in primis licebit: non videri debere incommodum, duos eo tempore summos fuisse Sacerdotes; vnum quidem missionis extraordinariæ; alterum verò consecrationis legitimę, quæ etiam ad posteros ordinaria successione deriuaretur: vt fortè Moyses Christum in cælis sacerdotio fungentem repræsentauerit; Aaron verò sacerdotium eius, quatenus in forma militantis Ecclesiæ perseuerat, adumbrauerit. Quando verò ex Psalmo dicit aduersarius non probari, Moysem fuisse sacerdotem; singularem profitetur peritiam linguæ Hebraicæ, quam nec assecutus sit, nocturnus ille pædagogus Hieronymi, nec Rabbinorum quisquam; secundùm quos Moyses non tantùm fuit sacerdos, verùm etiam primus Legis Sacerdos; vt qui sacerdotali munere functus sit ante Aaronem, septem consecrationum siue ordinationum diebus; nec fuerit exclusus à magni Sacerdotij functione quadraginta illis annis, quibus in deserto rexit populum, vt ostendit Genebrardus ex scriptis Rabbinorum Ionathan, Ioseph, Iosua & Berechia. Ideò Moyses Sacerdos sacerdotū ab Abben Esra dicitur, quia populo religionis quæstiones finiit, obtulit Deo munera & immolauit, Aaron & filios eius consecrauit iussus, & fœdus sanxit sanguine, oblationes & donaria Principum duodecim in tabernaculum & in altare excepit. Præter Augustinum, quem nuper adduximus, è nostris passim alij assentiuntur: Dionysius Areopagita, Hierarchiæ Ecclesiasticæ c. 5. vbi vocat Moysem primum Pontificum, Legis doctorem ac ducem. Hieronymus libro 1. in Iouinianum, cap. 13. Moysem colligit fuisse sacerdotem, ex illo Psalmi quod adduximus; Samuelem autem, tantùm Leuitam. Ambrosius epistola 82. *Quid aliud*, inquit, *significatur, quòd post defunctum Aaron non vniuerso populo, sed soli Moysi, qui est in sacerdotibus Domini, imperauit Deus, vt exuuiis Aaron sacerdotis filium eius indueret Eleazarum; nisi vt cognosceremus quòd sacerdos consecrare sacerdotem debeat?* Idem scriptum reliquerunt Gregorius Nazianzenus & Leo Primus. Sed infinitum esset, singulos persequi: vnum præterire non possum, Philonem, Iudæorum disertissimum, & rerum Iudaicarum peritissimum; is enim libros suos de vita Moysis, distributos in tres partes, Regnum, Leges, & Sacerdotium, ita concludit: *Atque hæc fuit vita obitusque Moysis, Regis, Legislatoris, Vatis, & Pontificis, sicut Sacris litteris proditur.*

*tur.* Cùm ergo his omnibus titulis illustris fuerit Moyses: quando in politicis populum direxit, ducis; quando autem in iis quæ ad Deum, Prophetæ, Legislatoris, aut Pontificis munere functus est.

Meritò itaque hîc causſæ ſuę diffisus sectarius, aliò dilabitur; dicit enim: *Præterea, vt Moyses simul fuisset sacerdos & Princeps; præsedit tamen in conuentibus, vbi de Religione & Lege agebatur, non vt sacerdos, sed vt Princeps.* Bellè & mirificè. Hinc Moyses, inde Moyses; hinc sacerdos Dei, inde dux populi: hinc sacra Religio & Lex tractanda, & vniuersæ res quæ ad Deum sunt; inde negotia politica, negotia quæ ad ducis officium pertinent; & tamen in eis quæ ad Deum pertinent, vt pius Rex Iosaphat postmodum dixit, non Moyses vt sacerdos, sed vt populi dux præsidebit. Ordo præposterus; sed necessariò commutatus, ne videlicet interfectrix veritatis lingua, veritati succumbat. Pergit itaque hoc suadere, quod non probatum præsumpsit: *Nusquam enim*, inquit, *docere potest aduersarius, Aaronem alicui Synodo præfuisse, aut hoc officium usurpasse.* Ita ille. Sed iam diximus priùs, in illis quæ ad Deum sunt, Moysem etiam Aaroni præfuisse; sed sacerdotem sacerdoti, non Regem Pontifici: alioquin absente Moyse, Aaronem etiá in illis quæ religionis sunt, à populo adeundum fuisse, patet Exodi 24.

Pergit aduersarius: *Non omnes*, inquit, *Reges qui Synodos indixerunt, Prophetæ erant: neque probari potest, ipsos vel Synodos indixisse, vel eis præfuisse iure Prophetico potiùs quàm Regio: numquam enim Prophetæ huiusmodi quid fecisse leguntur, at Reges sæpiùs: imò Salomon, Abiathar depósito, Sadoc in eius locum suffecit iure regio.* Hæc ille.

*Si* pij Reges, ea quæ religionem concernunt, aliquando curarunt supra sacerdotes: certum id est, extraordinaria potestate fecisse, qualem solent habere Prophetæ. Iudicia enim de rebus Dei non ad Regem, sed ad sacerdotem pertinere, neque Regia potestate includi sacerdotalem, exemplum Regis Osiæ nos docet, cuius temeritas leprâ
2.Par.26. punita est. *Rex* (inquit Chrysostomus hom. 4. de verbis Isaiæ, Vidi Dominũ, &c.) *cùm esset (Osias,) sacerdotij principatum vsurpat: Volo, inquit, adolere incensum, quia iustus sum. Sed mane intra tuos terminos: alij sunt termini regni, alij termini sacerdotij. Hoc regnum illo maius est. Neque enim ex his quæ videntur, hic declaratur Rex; neque è gemmis illi affixis, neque ex auro quo amictus est, debet æstimari Rex: ille quidem ea quæ sunt in terris sortitus erat administranda; ceterum sacerdotij ius è supernis descendit: Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. Regi ea quæ hîc sunt, commissa sunt, mihi cælestia. Mihi cùm dico, sacerdotem intelligo.* & infrà: *Regi corpora commissa sunt; sacerdoti animæ. maior hîc Principatus: propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis, & vbique in veteri Scriptura sacerdotes inungebant Reges.* Item hom. sequenti: *Rex rerum terrenarũ admonitionem sortitus est: nec vltra potestatem hanc præterea quidquam habet auctoritatis.* Hæc & alia plura eò pertinentia ibi Chrysostomus. Quin etiam clarissimè idem docet Clemens Constitutionum Apostolicarum l. 2. cap. 34. De Rege enim Iudaici populi per Samuelem constituto, ita scribit: *Ille militaria tantùm administrabat, bello & pace ad custodiam corporis susceptæ*, &c. Ex quibus liquet, etiam in veteri Lege Reges, quâ tales, non nisi de negotiis ciuilibus iudicandi potestatem habuisse: in Christi autem Ecclesia multò minùs vmquam licuit Regibus in rebus Fidei præsidere. Præclarum est, quod Osium Cordubensem Episcopum, olim Constantio Imperatori dixisse scribit Athanasius: *Ne te misceas Ecclesiasticis Princeps, neque nobis in hoc genere præcipe; sed à nobis ea disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Similia huius exemplo Ambrosius dixit *Epist.33.* Valentiniano: *Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere; noli te extollere, sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ.*

At Salomon, inquies, remoto Abiathar, Sadoc *Obiect.* in locum eius suffecit, iure Regio. 3.Reg.2.

Respondeo, etiam Salomonem fuisse Prophe- *Respons.* tam, & ex diuina inspiratione, vt implereturſermo Domini, quem locutus erat super domum Heli in Silo, Abiathar Sacerdotio summo priuasse: nam & in iudiciis exercendis, sapientiam Dei peculiariter fuisse in Salomone, patet tertio illo Regum libro cap. 3. Adeò autem verum est quod volumus, non eò protendi sæcularis Magistratus potestatem, vt summos Sacerdotes loco suo mouere possit; vt etiam naturali quodam præeunte lumine, id conspicati in suæ infidelitatis tenebris Gentiles, sacerdotibus suorum idolorum eum detulerint honorem, & illud esse voluerunt Pontificum Augurumque in omnes ius & potestatem, vt etiam Consules à Consulatu abire iubere possent, & ab Imperio deponere Magistratus. Quod ne contingere sibi posset, Imperatores cum Imperio sacerdotium sibi arrogarunt, vt essent & dicerentur Pontifices Maximi.

At causam suam munit aduersarius ex historia *An Synodo* Synodorum. Dicit enim Nicenę Primę præsedisse *Nicænæ* Constantinum Imperatorem, aut Osium Cordu- *præsederit* benſem. *Et quidem illud*, inquit, *ratio suadet, quia* *Constantinus.* *Concilium indixit, & iudicium illud Oecumenicum constituit. Eius autem est præesse Iudicibus, qui Iudices legit, & Concilium conuocat.* Addit Eusebium hoc ipsum indicare, qui asserat Imperatorem Concilium inchoasse, & orationem de pace Episcoporum, & de modo procedendi habuisse, discordantes Episcopos conciliasse, aliis persuasisse, alios verbis mulsisse, alios laudasse, & denique vniuersam actionem concluſisse, & Episcopos dimisisse: quæ omnia ad Concilij Præsidem spectant. Adhæc iactat, Ruffinum scribere, Episcopos libellos Imperatori dedisse aduersus se inuicem. *Quod*, inquit, *verisimile non est eos facturos fuisse, nisi eum Præsidem esse Concilij intellexissent.* Pro Osio autem præsidente adducit, quòd is primus subscripserit, vt ex actis Synodi constat, & ex epistola Athanasij ad solitariam vitam agentes. Legatos autem Romani Pontificis, Vitum (Victorem alij legunt) & Vincentium presbyteros, inde probat non præfuisse, quòd non sit verisimile, summis Episcopis præfuisse Presbyteros; & ex Eusebio constet, nihil ipsos in Synodo illa egisse, quod ad Præsidentis officium pertineat: denique quòd non primo (vt oportebat Præsides) sed secundo loco subscripserint. Ita quidem ille, vt Præsidium Romani Pontificis amoliatur: in eo sanè quibusdam suis sodalibus cautior, qui sine fronte dicunt,



dicunt, præsedisse Eustathium Antiochenum, vt fecerunt Magdeburgenses, & ipse Lutherus: aut Athanasium, vt fecit Caluinus lib. 4. Institut. c. 7. in hoc tamen moderatior Carolo Molinæo, quòd Legatos Pontificis Romani saltem quarto loco sedisse dicat, quos iste dicit vltimo loco post omnes Episcopos sedisse.

At primam litem discutiamus, vbi & qualiter sederit Constantinus. Vbi initio constat, interfuisse Constantinum Nicæno Concilio: sed non præfuisse, in primis argumento est, quòd videatur præter spem id euenisse vt interesset. Indixerat enim ex Siluestri (à quo baptizatus erat, & sine cuius instructione rem tantam aggredi non potuisset) directione: indixerat ex Pontificis voluntate, mutua collatione, antequam in Orientem proficisceretur, iam sibi perspecta voluntate Siluestri, Concilium, ante victum Licinium, sororis suæ maritum, ex Christi cultore persecutorem sæuissimum. Indixerat inquam, incertus adhuc, ánne is belli futurus esset euentus, quo sibi Synodo indictæ interesse liceret. Imò nec assessoris sibi partes, nedum Iudicis, sumpsit, teste Eusebio: neque venit stipatus satellitibus; sed expectatus ab Episcopis, comitatus amicis. Iam ingressus, præfatur veniam, petitaque à Patribus concessione, non priùs sedit, quàm ab Episcopis annueretur: honor enim is fuit solemnis, Episcopis deferri solitus, etiam à Principibus, teste Suida in Leontio. Primus quidem sententiam dixit, approbans fidem ab Eusebio Cæsariensi conscriptam, modò vna homoousij vox asscripta esset: sed cùm Patres trecenti decem & octo, formulam fidei aptam conscripsissent atque consignassent; eam Concilij concordiam diuinitus datam approbauit. Non ergo iudicio Episcoporum præfuit, à quibus ipse se iudicandum esse profitebatur; alioquin non postremus, sed primus subscripsisset: sed idem Synodale iudicium, etiam ipse Imperiali auctoritate acceptauit, ratumque esse voluit, ac confirmauit.

*At*, inquit aduersarius, *hoc ipsum est præsidis Concilij, Acta confirmare, extremam manum addendo.*

Ita quidem rectè, si præsidere sit confirmare. Præsidere, est suffragia rogare, cuncta in actione dirigere, & capitis vice, totum Concilij corpus, subinde etiam interposito sermone, ordinare. Hoc non Constantinus, sed tres Romanæ Sedis Legati, Osius Cordubensis Episcopus, & duo memorati Presbyteri Romani, Vitus & Vincentius, præstiterunt. Constantinus enim, initio Synodi oratione habita, in reliquo progressu (inquit Eusebius in vita eius lib. 3. cap. 13.) *sermonem omnem, deinceps Concilij Præsidibus cõcessit.* Audiat hoc sectarius: Constantinus Præsidibus Concilij, Præsidum officium concessit. Ipse quidem primo loco, Ecclesia honorante Imperium, deferente Synodo, in aurea sella consedit; at Episcoporum iudicia
*Epist.32.* libera esse voluit, vt Ambrosius dicit, vt nec simul iudicandi, nedum præiudicandi sibi vices sumpserit: nam & accusationum libellos, sibi ab hæreticis potiùs quàm Catholicis oblatos, simul omnes comburi iussit, contestatus, non esse sui officij causſas Episcoporum cognoscere; vt si hoc (vt vult aduersarius) tantopere arguat officium Præsidis, iam eo officio videamus sese Constantinum abdicantem.

Amoto à Synodali præsidentia Constantino, videamus, num rectè Lutherus & Magdeburgenſes Præsidem fecerint Eustathium Antiochenum. *Eustathius* Fuit quidem vir iste sanctitate & doctrina admo- *Antiochedum illustris, seditque primus à dextro latere in* *nus.* consessu Synodali; eique delatum fuit, vt oratione habita, Synodi nomine, Imperatorem iam primò considentem saluaret; Deoque in publico illo consessu hymnum præcineret: sed tantum abest, vt ipse tamquã Præses Synodalia negotia direxerit; vt de se ipse scribat, quòd ne quidem numerum Episcoporum qui aderant, scire curauerit. Ita enim ipse testatur apud Theodoretum lib. 1. cap. 8. *Nicæam*, inquit, *aduentauit maximus Episcoporum cœtus, numero ducentorum & septuaginta ad minimum, in vnum coactorum: nam propter ingentem eorum multitudinem nihil certi de hoc numero scribere possum, quandoquidem in eo curiosè inuestigando minimè laborauit.* Quis credat, adeò incuriosum rei Synodalis Præsidem fuisse, cuius esset & particularem ordinem singulorũ Episcoporum nosse, vt ad quinquaginta propemodum eius calculo Episcopi exciderint? Primum ergo à dextris locum habuit; at eum post Imperatoris locum primum fuisse, negamus. Constat id ex Actis Chalcedonensis Synodi, vbi primo loco in læua ponuntur legati Leonis Papæ, &c. ex dextera verò parte primus ponitur (quem constat inferiori post Legatos Sedis Romanæ loco sedisse) Dioscorus Alexandrinus. Quare autem in consessu Synoda- *Sinister lo-*
*li locus à sinistris fuerit dignior, variæ possunt es-* *cus in Syno-*
*se coniecturæ. Vna est, quòd apud Romanos, in* *dalibus cõ-*
*sacris potior locus semper sinister sit habitus;* *sessibus cur*
dexter verò, posterior. Altera, quòd in Ecclesia *dignior?*
Christi, ex benedictione illa Patriarchali in Ephraim atque Manasse, mutatæ sint rerum vices & ordo; vt quæ sinistra esset, in dexteram; & dextera in sinistram, dignitatis & benedictionis ordine mutaretur. Tertia, quòd Euangelio, quasi vice Christi in medio sede aliqua regia collocato, omnes Synodici consessus Patres, in illud intentos oculos habere oportebat. Libri autem sic aperti primam faciem conspicari non poterant, nisi qui à sinistris sedissent: ij ergo digniori loco censebantur. Omitto, quòd & hodie in multis Ecclesiis Collegiatis, sinistrum latus subselliorum pro digniori habeatur. Si dicta non placeant, dicere possumus, Eustathium à dextris intrantium debere intelligi sedisse, adeò vt verè sederit à sinistris ipsi Euangelio in medio posito. Quò pertinentia, circa annum Domini 451. Baronius adducit verba ista ex antiquo Romano ordine: *Sedebunt ea locali dispositione, vt intrantibus Ecclesiam, Episcopi sint ad sinistram, Presbyteri verò ad dexteram; vt quando Pontifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad dexteram, Presbyteros contueatur ad sinistram.* Denique, quo tandem colore præsedisset Eustathius, cùm Sedes eius Antiochena nec prima sit, nec secũda; sed posterior Romanã & Alexandrinâ, etiam ipsis hæreticis fatentibus, inter Patriarchales, quarum Sedium potiùs ordo hic esset inspiciendus, quàm locus, quo fortè personæ alio respectu in Concilio ordinatæ sunt. Fieri enim potest, vt meritis Eustathij huius primum locum detulerint Patres, etiamsi alius præsederit. Addit denique Bellarminus, fortè Osium cum duobus aliis Sedis Romanæ Legatis, in capite aulæ totius, latera clausisse Imperatoris primo loco sedentis: à dextris autem lateralium Sedium, primo loco sedisse Eustathium Antiochenum; à

sinistris verò Macarium Ierosolymitanum. Sed maioris ponderis est, quòd constet Eustathium non primo loco, sed inter alios inferiores, Synodi Decretis subscripsisse.

*Athanasius.* Athanasium autem cùm præsedisse scribit Caluinus, nimis à scopo aberrat. Constat enim ex Photio de septem Synodis, & aliunde, Athanasium in illorum Patrum consessu non fuisse, sed tamquam diaconum, Alexandro Episcopo suo adhæsisse. Sanè, vt diacono non liceat in medio Presbyterorum sedere, eadem Synodo can. 18. diserte statuitur. Quomodo præsidere potuit, qui non sedebat? quomodo præesse potuit Episcopis diaconus, nisi fortè locum teneat Episcopi, Legatumq; eius agat, cui id honoris competat? Sed aderat, vt dixi, præsens Alexander: vices suas Athanasio is non commiserat, sed ipse obiuit; ipse subscripsit in Synodo, non Athanasius.

*Osius præsedit Concilio primo Nicæno.* Supereſt ergo Osius, quem (licet non solum) fatemur præsedisse. Vidit idipsum sectarius: sed qua est vafricie, nostros culpat. qui dum Legatos Romanæ Sedis Præsides non inueniant in prima sede, Osium, quem in prima sede inueniunt, faciant Romani Pontificis Legatum. Agedum ergo, hoc ipsum comprobemus, verè Osium fuisse Pontificis Romani in Synodo illa Legatum. Luculentissimum huius rei testimonium præbet præfatio præfixa Concilio Sardicensi, vbi diserte asseritur, Osium Cordubensem in Concilio Nicæno Legatum egisse Romani Pontificis. item ipsorum Legatorum epistola ad Siluestrum, quæ ita habet in antiquissima collectione Cresconij: *Osius Episcopus prouinciæ Hispaniæ, ciuitatis Cordubensis, Victor & Vincentius Presbyteri vrbis Romæ ordinati ex directione tua*, &c.

Sed quia fortè opponent, solos duos posteriores significari eò directos à Siluestro; præsertim cùm in quibusdam exemplaribus etiam Macarius addatur: accedat testimonium Photij, non ita Romanis Episcopis æqui, vt testis hic suspectus sit, qui Legatis Romani Pontificis, Vito seu Victori atque Vincentio adiunctum in legatione facit Osium Cordubensem: ita enim habet in editione Surij: *Cum his (Vito & Vincentio) coniunctus erat Codumbres Episcopus.* (Legendum existimo, *Cordubes Episcopus*: ϙ enim transpositum est, & υ in μ, peruersum, amanuensis incuria; vtrumque enim procliue.) Et ne dubites, ad nomen Osij respiciens subiungit: *Qui in Græcis persecutionibus nomen suum re ipsa verum esse demonstrauit: cùm enim Pius (id est Osius) appellaretur, confessionem puram seruauit.* Ad hæc Osium ante Nicænum Concilium fuisse Sedis Apostolicæ Legatum, in caussa Arianorum & controuersia de Pascha te in Ægyptum & Orientem, in historia Ecclesiastica ostendit Baronius ad Christi annum trecentesimum decimumoctauum. vnde fauet coniectura, eumdem etiam in Concilio Nicæno Apostolicæ Sedis Legatum consedisse; præsertim cùm solemne fuerit Romanis Pontificibus, tres in Oecumenicis Synodis habere Legatos, & ex illis vnum saltem Episcopum; neque verisimile sit, duobus tantùm Presbyteris vices suas commisisse, cùm Nicææ habiturum se sciret Siluester magnum illum Osium, idoneum Synodorum principem, gratissimum Imperatori, quo iam antè Legato vsus fuerat. Denique numquam ostenderint aduersarij, nisi Osius Sedis Romanæ fuerit Legatus, qua ratione primus is subscripserit, vbi reliqui duo Legati Siluestri, tantùm Presbyteri, secundo & tertio loco subsignarunt. Si enim Episcopatus spectetur, longè multis aliis inferior erat Cordubensis. Aderat ex Africa Metropolita, adeoque Primas totius Africæ Cæcilianus. Si oportebat in Orientali Synodo, postpositis Patriarchis illius orbis, aliquem ex Occidente præesse: quare non potiùs id Cæciliano quàm Osio delatum? At Legati dignitas, quæ Presbyteros præponebat Episcopis, sola Cordubensem Episcopum omnibus præposuit Presbyteris itidem Legatis, & reliquis omnibus Patriarchis & Episcopis. Is ergo Concilio præfuit cum duobus Romanis, Presbyteris, Vincentio, & Victore, aliàs Vito.

At dices; Duo isti posteriores in subscriptione fatentur se id facere vice Siluestri Romani Pontificis. Nihil huiusmodi in sua subscriptione dicit Osius, sed nominans se Cordubensis ciuitatis, prouinciæ Hispaniæ Episcopum, simpliciter subscripsit, quasi proprio tantùm nomine.

At facilè redditur ratio, quare potiùs Presbyteri, qui alio nomine vt iudices non sedebant, aut subscribere non poterant, seſe scribant Sedis Apostolicæ missos, quàm Osius, qui & proprio & Coëpiscoporum totius Hispaniæ, non tantùm Siluestri nomine subscribebat.

Sed antequam finem faciam, adiiciam & Dalmatij (alij legunt Dalmatiani) Cysici Episcopi testimonium, qui collegit Acta Nicæna; & absque aliqua controuersia, Osium Episcopum inter Legatos Apostolicos, qui S. Concilio Nicæno interfuerunt, adnumerat. Hactenus de Nicæna adeoque prima Synodo Oecumenica.

*In Synodo Constantinopolitana quis præsederit.* Veniamus ad Constantinopolitanam illam secundam Vniuersalem, tempore Damasi Pontificis summi & Theodosij Imperatoris celebratam. *In hac* (inquiunt aduersarij) *neque Romanus Episcopus, neque vlli eius Legati præfuerunt; sed Nectarius Episcopus Constantinopolitanus.* Ita quidem. At dispiciendum erat potiùs, vnde Generalis Concilij nomen acceperit hæc Synodus, si cooperarium nõ habuerit Romanum Pontificem. Constat enim, non ideò dictam esse Oecumenicam, quòd vniuersaliter sit indicta, vocatique ad illam fuerint tam Orientales quàm Occidentales Episcopi, adeoque Romanus Pontifex saltem per Legatos interfuerit: sed Imperator Theodosius (non tamen sine Romani Pontificis auctoritate, vt apparet ex Synodica eiusdem Concilij ad Damasum & reliquos Occidentales Episcopos Romæ congregatos) occasione schismatis, quod in Ecclesia Constantinopolitana conflatum fuerat à Maximo Cynico, qui illam Sedem inuaserat, Gregorio Nazianzeno vero illius possessore, in suburbiis ægrotante: vel sanè post Concilium Aquileense Damasus cum Occidentalibus Episcopis, Synodum habens ob alias causſas, & præsertim pro extirpanda hæresi Macedonij, vt Synodus Orientalium Constantinopoli haberetur, cum Theodosio per litteras egerat; quod Imperator etiam pro aliis Ecclesiæ necessitatibus, interim ingruentibus, executus est. Verùm cùm posteà Damaso cum Concilio Romano videretur Oecumenicum Concilium Romæ habendum esse; eoque etiam Orientales, qui iam tum Constantinopoli Concilium celebrabant, ope Imperatoris euocandos; accidit vt Orientales in hac euocatione difficiles seſe præ-



præbuerint; fortè, quòd nonnulla à se nosſent factitata & decreta, quorum rationem in Generali orbis iudicio coram Sede Apostolica non facilè essent reddituri: quale erat quod accidit in amotione (sponte alioquin cedentis) Gregorij Nazianzeni à Sede Constantinopolitana, & surrogatione Nectarij, viri quidem boni, sed neophyti: imò dum eligeretur, nondum baptizati, adeoque Ecclesiasticarum rerum non satis gnari; in summa, tanto oneri longè imparis: item quòd admiserant in electione Flauiani, in Sede Antiochena, in locum Meletij, in cõtumeliam Paulini, veri Episcopi Antiocheni, iam olim creati à Lucifero Sedis Apostolicę Legato. Res enim, probante id & agente Concilio Antiocheno, ita transacta erat inter Meletium & Paulinum, vt qui ex duobus istis superstes esset alteri, solus, nullo alio designato Episcopo, Alexandrinam Sedem occuparet. Contigit priorem mori Meletium; contra Ecclesiastica Decreta, præterito Paulino, surrogatus defuncto est Flauianus. Cuius electionem constat semper improbasse Damasum, quamuis humaniùs cum electoribus egerit. Potuit & alia causſa huius esse tergiuersationis, quòd Imperiali residentia noua Roma superbior, ægriùs veteris Romę prærogatiuam iam tum ferre cœpisset. Quidquid sit, alias ipsi in dicta Synodica excusationes obtendunt; quòd Ecclesiæ, recèns hæreticis, adhuc præ foribus stantibus, ademptæ, pastorum tam diuturnam absentiam non ferrent: quòd à suis Coëpiscopis, qui in prouinciis remanserant, non nisi Constantinopolim dimissi, quò etiam tantùm Imperatoriis litteris euocati essent, adeoque Romanum iter suscipere; eis inconsultis non possent; consuli autem eos, breuitatem temporis non permittere: suaserunt itaque Imperatori & persuaserunt, satisfactum iri desiderio Damasi & Synodi Romanæ, si ipsi similem Synodum celebrent Constantinopoli, quæ cum Romana quasi in vnam Oecumenicam coalesceat, vltrò citroque mutuis Decretis transmissis, & hinc inde receptis & probatis; quod eò faciliùs successum habuit, quòd Orientales in negotio fidei, Damasi litteras ad amussim sint secuti, & tres ex suo ordine Episcopos Romam destinauerint, Eusebium, Cyriacum & Priscianum; quo factum est, vt ea quæ circa fidem Constantinopoli constituerant, Romanus Pontifex & Occidentalium Romæ consistens Synodus, approbauerit, & Oecumenicorum Decretorum auctoritatem habere voluerit, vt patet ex epistola Damasi ad Paulinum Episcopum Antiochenum, quam refert Theodoretus lib. 5. histor. cap. 10. quamuis perperàm vocet Paulinum Episcopum Thessalonicensem. Hoc ergo modo, quod neque ex origine neque ex forma & ordine gestorum per se habuit, Constantinopolitana hæc Synodus Oecumenicæ nomen accepit; cùm alioquin sui natura Romana, quæ eodem tempore habebatur, potiùs fuerit Oecumenica dicenda, nisi eius Acta intercidissent; præsertim cùm ei non tantùm prædicta trium Episcoporum ex Synodo Constantinopolitana missa interfuerit legatio, sed conuenerint & alij ex Oriente Episcopi, inter quos fuit Paulinus Episcopus Antiochenus, & celeberrimus ille scriptis & sanctitate D. Epiphanius, Episcopus Constantiæ in Cypro; quibuscum venit etiam tunc S. Hieronymus, qui de hac Romæ coacta Synodo scribens ad Principiam epist. 16. meminit his verbis: *Cùm Orientis & Occidentis Episcopos, ob quasdam Ecclesiarum dissensiones, Romam Imperiales littera contraxissent*, &c. Hactenus de legatione Sedis Apostolicæ in secunda Synodo Oecumenica.

*Synodus Ephesina.* Venio ad Synodum Ephesinam, in qua Cælestinum illius temporis Romanum Antistitem non præfuisse, duobus potissimùm argumentis probatum se relinquere arbitratur aduersarius: vnum inde desumit, quòd Synodi illius Patres Decreta sua confirmari petierint à Theodosio Imperatore his verbis: *Rogamus*, inquiunt, *tuam clementiam, vt per litteras tuæ pietatis ratum esse iubeas confirmesque Concilij Decretum.*

At ne actum agamus, iam antè diximus, quòd Imperiali auctoritate rectè Synodus Episcoporum approbetur: non quòd ei sua non constet sine Imperio auctoritas; sed quòd capite sæcularis politiæ eam recipiente, totum corpus Reip. faciliùs eamdé agnoscat. Et hoc sensu poterit accipi, quod Reginaldus Polus Cardinalis, lib. de Concilio q. 75. scribit, Christum esse Regem & Sacerdotem: vt Sacerdos est, eius vicarium esse summum Pontificem: vt autem Rex est, eius vicarium esse Imperatorem; & in ea qualitate debere Conciliis cooperari. Cooperatur autem, non sibi vsurpando quæ ad ministerium verbi Dei pertinent, sed pacem procurando verbo Dei: ob hanc enim causſam oramus pro salute omnium, qui in sublimitate constituti sunt, vt tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate (vt inquit Apostolus) id est, vt tranquillum cursum verbum Dei habeat. 1. Tim. 2.

Alterum aduersarij argumentum ex eo sumitur, quòd Cyrillus eidem Concilio præsederit; & ne sibi parùm constans videatur, non dicit Cyrillum Alexandrinum Synodo præfuisse simpliciter (quod potiùs Imperatoris esse iam insinuauerat) sed Episcoporum disputationibus. At Cyrillum verè præsedisse alli Concilio, libenter fatemur vt rem exploratissimam: dicimus tamen, non proprio nomine, sed vt vices gerentem Cælestini Romani Pontificis, præsedisse. Hîc vt veritatis euadat retia, mirè se torquet aduersarius. Fatetur tamen quod volumus, his verbis: *Cyrillo quidem, aliquot historici narrant, Cælestinum vices suas demandasse.* Sed opponit subiectis verbis: *At narrant*, inquit, *etiam Cyrillum Præsidem fuisse designatum, propter proprias virtutes, & non propter nomen Cælestini. Constat enim ex Euagrio & Nicephoro, ipsum Præsidem Concilij fuisse designatum, antequam Cælestinus ad eum litteras dedisset: imò non veretur Euagrius Cyrillum Cælestino præponere, ne quis eum ex Cælestini mandato aliquam dignitatem adeptum putet. Similiter in condemnatione Nestorij, Prosper primas partes defert Cyrilli industriæ, secundas Cælestini auctoritati. Quòd propter Cælestini mandatum præsederit Concilio, aut quòd per Cyrillum præsederit Cælestinus, nullus dicit.* Ita ille.

Respondeo, falsum esse, quòd ex Euagrio & Nicephoro constet, Cyrillum fuisse Præsidem designatum, antequam Cælestinus ei vices suas commisisset. Sanè ex Nicephoro nihil aliud habemus, quàm Cyrillum ante destinatum diem Ephesi adfuisse; Synodo autem præfuisse, antequam id ei à Siluestro cõmitteretur, non dicit. Imò apertè dicit, inchoatam Synodum, præsente hoc Legato, iam priùs per litteras constituto à Romano Pontifice; his enim vtitur verbis: *Congregati sunt..... præ-*

*sente Iuuenali, & diuino Cyrillo, qui Cælestini locum tenuit, Romani, vt diximus, Episcopi.* Et iterùm in condemnatione Nestorij dicunt Patres, se per Canones & epistolam Romani Episcopi ad illam damnationem cogi. Extat autem Cælestini ad Cyrillum epistola, qua ei vices suas committit in depositione Nestorij, nisi resipiscat intra dies decem. Ad quod mandatum verisimile est Patres hîc respexisse: ita enim habet in noua editione Conciliorum tom. 1. fol. 717. *Quamobrem nostræ Sedis auctoritate adscita, nostraq; vice & loco, cum potestate vsus eiusmodi, non absque seueritate, sententiam exequeris: nempe vt nisi decem dierum interuallo, ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam, conceptis verbis anathematizet; eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana & tuæ Sanctitatis Ecclesia, & vniuersa denique Religio Christiana prædicat; ilicò Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat.* Euagrius similiter lib. 1. cap. 4. disertè testatur, iam tum Cyrillum vices gessisse Romani Pontificis, quando Concilium Ephesinum inchoatum est; & auctoritate Cælestini, Patres illius Concilij damnasse Nestorium, quos loquentes inducit his verbis: *Tum Ecclesiæ Canonibus, tum epistola Sanctissimi Patris nostri, & collegæ Cælestini Episcopi Romanæ Ecclesiæ, necessariò compulsi, idque non sine crebris lachrymis, ad hanc seueram sententiam contra eum pronuntiandam venimus.* Ex his quilibet iudicabit, quàm proteruè & impudenter torqueat sectarius ad suam causſam Nicephorum & Euagrium, apertissimè pro nobis stantes. Sed hoc solemne nostris aduersariis; modò imponant, mentiri lucrum eis est.

*Synodus Chalcedonensis.* Sed pergamus ad quartam Synodum, quæ est Chalcedonensis. In ea præsedisse Leonis Pontificis Legatos, Acta testantur. Erant ij designati, Paschasinus & Lucentius Episcopi, Bonifacius & Basilius Presbyteri; de quibus ipse Leo Papa ep. 47. postquã se per consuetudinem & temporis necessitatem à personali in Synodo præsentia excusasset, ita scribit: *Tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere.*

Neque est quòd hîc opponant aduersarij, in sua causſa propria Pontificem audiendum non esse: nam primas habuisse in Synodo partes Legatos Leonis, ipsi Imperatores indicant, quando scribunt, ideò se Synodo interesse desiderare, quòd id petierint iidem Legati. verba ita habent: *A Rmo Leone Archiepiscopo felicissimæ vrbis Romæ, Rdi Episcopi & Presbyteri venerunt, & poposcerunt à nostra tranquillitate, quatenus nos omnino adesse debeamus sacro Concilio*, &c. Interfuit quidem Martianus Augustus; interfuere & cognitores Imperij sæcularis, auctoritate Synodum ornantes, & eius pacem conseruantes, contrà violentas hæreticorum factiones; sed in ipsos hæreticos, auctoritate Papæ Leonis, maximè sententia fertur per Legatos tres: nam quartus Basilius videtur diem suum obiuisse, antequam Synodus haberetur, quamuis ei Legationi deputatus esset. Consulatur Actio Synodi tertia, vbi hæc verba: *Sanctissimus ac Beatissimus Papa, caput vniuersalis Ecclesiæ Leo, per nos Legatos suos, sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum & petra fidei, & cælestis regni ianitor nuncupatur, Episcopali dignitate Dioscorum nudauit, & ab omni sacerdotali opere fecit extorrem.* Item in epistola Concilij ad Leonem Papam: *Quibus tu quidem, sicut membris caput, præeras, in his qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens; Imperatores verò ad ornandum decentissimè præsidebant*, &c. Denique Paschasius, seu Paschasinus primus Leonis Papæ Legatus, ita Synodo subscripsit: *Paschasius Episcopus, Vicarius domini mei, Beatissimi atque Apostolici vniuersalis Ecclesiæ Papæ Leonis vrbis Romæ, Synodo præsidens, statui, consensi, & subscripsi.* Vbi aduerte, non tantùm dici Legatum Papæ Synodo præsedisse, sed indicari causſam, ob quam oportuerit eum præsidere; quòd nimirum vices tenuerit vniuersalis Ecclesiæ Papę. Qua obseruatione concidet friuola Caluini cauillatio: qui cùm videret, nulla tergiuersatione negari posse quin Legati Romanę Sedis Synodo huic præsederint; eò confugit, vt id dicat Leonem ab Imperatore precariò obtinuisse, eò quòd in Oriente deessent idonei Episcopi. Facessant ista nimis ieiuna figmenta; Vniuersalis Ecclesiæ Papa suo iure præsedit, & semper præsidet Conciliis Oecumenicis, tamquam caput membris. Quod iam in ptimis quatuor Conciliis, quæ normæ instar sunt reliquis, luce meridiana clariùs ostensum est.

# TRACTATVS DE TRADITIONIBVS.

## QVAESTIO VNICA.

### *Sitne recipiendum aliquod Dei verbum non scriptum?*

#### DVBIVM I.

#### *Quid, & quotuplex Traditio?*

NOMEN Traditionis in Scripturis & Scriptoribus sacris pro doctrina aut obseruantia tradita vsurpatur, siue ea scripta sit, siue non sit. Nos hîc accipimus pro traditione non scripta. Quia verò contingit, non rectè tradi doctrinam aliquam errore aut malitia tradentium; à traditionis latitudine hîc in primis excludimus traditiones falsas, vanas & fabulosas, qualis fuit Papiæ de mille annis; quam refert Eusebius lib. 3. histor. cap. 39. Inter veras autem traditiones, de iis solis hîc nobis sermo est, quas per Apostolos accepimus: cabula enim & deuterosis Iudæorum vel fabulosa est, vel antiquata: Ecclesiasticę autem traditiones quę scriptę non sunt, nisi fortè sint priuatæ & propriæ aliquibus tantùm Ecclesiis, ferè ab Apostolis acceperunt originem: ipsos enim, quæ ad fidem pertinent, certissimum est plenissimè tradidisse. Reliqua autem quæ ad ordinem in Ecclesia meliorem constituendum faciunt, quasi in principiis quibusdam



busdam tradiderunt; vt meritò dicat Turrianus libro 1. pro canonibus Apostolorum cap. 23. *Canones Apostolorum omnium Ecclesiasticorum canonum esse originem.*

*Diuiduntur traditiones. Diuina.* Traditiones itaque per Apostolos traditæ, aliæ sunt diuinæ, quas immediatè ipsi à Spiritu sancto dictante, vel ex ore Christi acceperunt; vt de materia, & potissimùm de formis Sacramentorum:

*Apostolica.* aliæ autem propriæ dicuntur Apostolicæ, vt de ieiunio Quadragesimali quod Apostoli instituerũt. Et hactenus quidem ex parte causſę efficientis diuisa sit traditio.

Ex parte materiæ diuidi possunt traditiones in pertinentes ad fidem, & ad mores aut ritus.

Aliter diuidi possunt in traditas ad tempus tantùm, & perpetuas. Temporanea traditio erat de abstinendo à suffocato & sanguine. Perpetua, de abstinendo à carnibus feria sexta.

Aliæ item liberæ sunt, vt consignatio crucis ad initium communis operis: aliæ præceptæ, vt obseruatio diei Dominicæ.

#### DVBIVM II.

#### *An sit aliqua Traditio diuina?*

NON potest nobis cum hæreticis magna esse quæstio, An fuerit aliqua traditio diuina antequam vel Sacræ litterę extarent, vel etiam vllę litteræ: sed eò tota redit difficultas, an quando fidei doctrina litteris est tradita, præsertim libris canonicis noui Testamenti, Deus nihilominùs reliquum aliquod voluerit esse suum verbum à fidelibus credendum, quod non apertè libris canonicis contineretur, sed traditione sola quasi per manus esset acceptum in Ecclesia. Aiunt enim Catholici, negant hæretici, quorum hîc insignis fraus notanda: dum enim diuinæ Scripturæ videntur fauere, eam præ traditionibus extollentes, verbum Dei ad somnia sua alligant. Cùm enim traditioni derogant, sensum Scripturæ, id est, animam Scripturæ sibi asscribunt, solùm inanime Scripturæ corpus, Dei auctoritati relinquentes, quod nõ est aliud quàm Dei verbo suũsubstituere.

*Sententia Catholicorum.* Catholicorum sententia est de fide, expressa verbo Dei etiam scripto; adeò vt si verbum Dei scriptum recipiant hæretici, etiam non scriptum eos recipere oporteat. 2. ad Thessalonicenses 2. *Tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* In quem locum præclarè Chrysostomus: *Hinc*, inquit, *perspicuum est quòd non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque sunt fide digna: quamobrem etiam Ecclesiæ traditionem censeamus fide dignam: Est traditio: nihil quæras amplius.* Ex hoc eodem Apostoli loco Octaua Synodus can. 1. docet etiam non scriptas traditiones esse tenendas.

*Obiectio.* Conantur ad hunc locum respondere hæretici, & dicunt intelligi de eadem doctrina secundùm subſtantiam, quæ non solùm scripto, sed etiam sermone tradita sit.

*Responsio.* Verùm ita intelligi non posse, traditione omnium veterum Interpretum conuincuntur: qui volunt significatum, quod verba satis clarè præ se ferunt, aliqua tenenda, quæ sola voce sine scripto sunt tradita.

Probatur vlteriùs, aliquod verbum Dei esse sine scripto traditum: quia Ioannes significat non omnia signa & facta Christi esse scripta. Verisimile itaque est, similiter non omnia dicta Christi esse scripta: si enim non omnia discipulis ante passionem dixit, quia tunc non omnia poterant portare; verisimile est etiam, non omnia quæ docuit & præcepit esse scripta: quia scripta peruenirent non solùm ad manus infirmorum, qui omnium capaces non sunt; sed etiam ad manus infidelium, qui mysteria fidei ridere soleant: quam causſam allegat Dionysius Ecclesiasticæ Hierarchiæ c. 1. quare Sacramentorum formæ & materiæ potiùs sine scripto sint traditæ. Præclarè huc facit quod Innocentius I. epist. 1. §. 3. de Confirmationis forma loquens: *Verba verò*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar quàm ad consultationem respondere.* & §. 8. *Reliqua quæ scribi fas non erat, cum adfueris poterimus edicere.* Causſa itaque communis est, ob quam & Apostoli & Pontifices mysteria scriptis non prodiderint. Accedit aliud testimonium eiusdem Ioannis in 2. Epist. *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Similia habet epist. 3.

Secundò, Idem definiuit Concilium Trident. Sess. 4. insistens vestigiis veterum Conciliorum, quæ ex traditione non scripta, dogmata sua statuerunt, & statuenda esse docuerunt; vtrumque Nicęnum, Synodus Octaua, &c.

Tertiò, Clarissima est hæc doctrina Basilij c. 27. de Spiritu sancto; Irenæi lib. 3. cap. 4. Clementis Alexandrini lib. de Paschate, vt refert Eusebius lib. 6. historiæ cap. 11. Ignatij apud eumdem Eusebium lib. 3. cap. 36. Tertull. de corona militis, cap. 3. & aliorum passim.

Quartò, Probatur eadem doctrina, quia constat familiare semper fuisse hæreticis traditiones reiicere. De Gnosticis testatur id Irenæus lib. 3. cap. 2. Arrianos in Cõcilio Seleuciano palàm affirmasse, se nihil præter Scripturas recipere, testis est Epiphanius hæresi 73. Idem in Septima Synodo tribuitur Iconomachis, & Ioanni Wiclef apud Thomam Waldensem lib. 2. doctrinalis fidei cap. 19. Denique apud omnes gentes explosi semper fuerunt qui maiorum traditiones reiicerent: quo nomine Sadducæos notat Iosephus libro 13. Antiquitatum cap. 17.

Vnde patet traditionem diabolicam esse communem apud hæreticos, Traditiones Ecclesiæ non esse recipiendas.

Quàm verò sit irrationabilis contra Scripturam traditio, nullam esse traditionem non scriptam, his etiam rationibus ostendere licet. Primò; Si nulla præter verbum scriptum Dei traditio, vnde hoc ipsum habent, quòd omnia sint scripta quæ Deus credi voluit? hoc enim scriptum non est, ergo extra Dei verbum est. Si dicant, ita se quędam Scripturæ loca intelligere, vt hoc significatum sit. Vrgeo Secundò; Scripturæ illæ (vt mox constabit) alium habent longè magis consonum & obuium intellectum: quomodo ergo constabit, ita vt ipsi volunt accipiendas esse nisi aliqua traditione? quæ si diuina sit, concidit ipsorum doctrina: si humana est, voluntarium est, & (vt Petrus loquitur) voluntate humana allatum, non Spiritu sancto inspirante traditum, quòd nulla sit traditio. Tertiò; Si nulla sit traditio, vnde constabit hos esse libros Scripturæ non plures, neque alios; item infantes esse baptizandos? Sanè vt Traditio diuina hominum scripto conserua-

seruatur, ita Scriptura; imò magis indiget traditione, vt vel in illis ipsis quæ scripta sunt, sanus intellectus seruetur. Quartò; Qui legem veterem scripsit, legem nouam daturum se in corde nostro promisit. In veteri Lege tabulæ erant lapideę, quia cor lapideum erat; in noua, tabula legis cor est: itaque primariò (vt rectè D. Thomas docuit) Lex noua scripta non est, vt mirum non sit si tota scripta non sit. Quintò; Non omnia quæ Dominus dixit scripta sunt in Euangeliis; celebre enim erat apud Apostolos Domini apophthegma: *Beatus est magis dare quàm accipere:* Act. 20. quod ex Euangeliis nemo conceptis illis verbis traditum meminerit. Rursum non omnia quę à Domino Apostolis dicta esse Scriptura meminit, ab Apostolis tunc quando dicta sunt, fuerunt intellecta; sed, *Spiritus sanctus*, inquit Dominus Ioannis 14. *vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Vbi etiam Scripturam traditione Spiritus sancti intelligi debere discimus.

*Obiect.* 1. Obiiciunt nobis hæretici Primò ex Scripturis, Deuteronom. cap. 4. *Non addetis ad verbum quod*
2. *vobis loquor; nec auferetis ex eo.* Et cap. 12. *Quod*
*præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas*
3. *quidquam, nec minuas.* Apoc. vltimo: *Si quis apposuerit super hæc, apponet Deus super illum plagas*
4. *scriptas in libro isto.* Ad Galat. primo: *Licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.*

*Resp. ad* 1. *&* 2. Respondeo ad locos Deuteronomij, Traditionem diuinam neque verbis neque præceptis Domini quidquam addere; minui autem Dei verba & præcepta, quando ab illis traditio subtrahitur, quæ reuerà in latitudine diuini verbi continetur; ideoque ista potiùs esse contra sectarios.

*Ad.* 3. Ad locum Apocalypsis respondeo, id contra falsarios Sacrarum litterarum esse dictum, ne quis audeat diuinam prophetiam deprauare, assuendo aliquid aut abradendo: quod nos libenter extendimus ad totum corpus Scripturæ sacræ, vt hîc in fine vltimi libri quasi sigillum sit Scripturæ diuinæ. Neque tamen consequens inde est, nullum esse Dei verbum non scriptum; sed solùm, id quod scriptum est, non esse deprauandum.

*Ad.* 4. Ad locum epistolæ ad Galatas, responsio optima videtur, illud *præterquam quod euangelizauimus vobis*, idem esse quod contra quæ euangelizauimus vobis. Ita enim aliquando (*præter*) accipitur, vt quando Comicus dixit: *Præter ciuium morem aut legem.* Sic dicimus, præterire legem, pro contrauenire. Non absimilis est ratio dictionis Græcę παρὰ, vt eam hîc & ad Rom. cap. vltimo, versu 17. pro contra accepisse Apostolus dicendus sit: *Obseruetis eos qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt.* Neque hîc displicet eorum annotatio, qui volunt eo loquendi modo vsum Apostolum, quò significaret se ne in minimo quidem ferre contrauenire verbo à se euangelizato. Verbum autem quod euangelizauit Apostolus, non est solùm scriptum, sed etiam sine scripto traditum, contra quod euangelizant hodie hæretici.

*Obiect.* Obiiciunt Secundò ex Scripturis alia testimonia, ex quibus liquere volunt, sola illa esse credenda quæ scripta sunt. Eoque in primis retorquent illud Ioannis 20. *Multa quidem & alia signa fecit* IESVS, *quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Christus Filius Dei; & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Addunt & illud ad Timotheum: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum,* &c.

*Respon.* Verùm facilè ad hæc respondetur. Ioannes enim dicit, non omnia signa à se esse scripta; sed quæ scripta sunt, scripta esse vt credamus, & vitam habeamus. Vbi non dicitur, extra Euangelium Ioannis, aut etiam extra quatuor Euangelia nihil reperiri quod sit credendum: quid enim alioqui fiet de illa ipsa Scriptura, quam ex epistola ad Timotheum adiungunt? quæ tamen non hoc præ se fert, quod ipsi volunt, fideli sufficere si illud credat quod Scriptura disertè tradit, etiamsi non credat traditiones quas Scriptura tenendas monet. Hoc itaque voluit Apostolus, quod Episcopo qui iam habet depositum sacrarum traditionum scriptarum & non scriptarum, non sit opus præsentia alterius hominis doctoris, cùm prædicationis munus explere possit assidua meditatione sacræ Scripturę; præsuppositio, quòd seruet alius Apostoli præceptum, quod cap. vltimo prioris epistolæ Timotheo dedit his verbis maximè seriis: *O Timothee depositum custodi.* Quem locum rectè de traditionibus non scriptis intelligit Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio, vt nimirum memori mente custodiat, & præ oculis semper habeat, quæ sine charta & atramento de regno Dei sibi tradita sunt.

*Obiect.* Obiicit Postremò quidam sectarius in hunc modum: Non est verisimile Apostolos quædam ex credendis scripsisse, aliis prætermissis; pertinet enim ad officium fidelium notariorum, omnia excipere & litteris consignare, quæ Deus dixerit & inspirauerit.

*Respon.* Respondeo, Apostolos pro parte sua curasse vt omnia inscriberentur tabulis cordis; alioquin vt rectè ex B. Augustino docet S. Thomas 1. 2. q. 106. art. 1. Lex noua principaliter est lex indita, secundariò autem lex scripta.

## DVBIVM III.

### *Quomodo discerni queant Traditiones Diuinæ aut Apostolicæ?*

RESPONDEO & dico Primò; Pro Apostolica traditione habendum est, quod cùm non inueniatur in diuinis litteris, tamen vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est. Ita Augustinus libro 4. de Baptismo, cap. 24.

Dico Secundò; Quando traditio quę aliàs scitur esse legitima, pertinet ad substantialia fundamenta fidei seu Ecclesiæ, aut sanè de re tali est, quam constet Ecclesiam non posse instituere; signum est ab ipso Christo immediatè manasse, & traditionem esse Diuinam.

Dico Tertiò; Sciri potest, traditionem esse Apostolicam aut Diuinam, si hoc Concilia dicant, si Apostolica Sedes definierit, si passim Patres dicant; si ipsa traditio habeat non solùm ita esse, sed Christum aut Apostolos ita tradidisse; si Ecclesia aliqua Apostolica, in qua primi Episcopi Apostoli fuerunt, & quæ successionem ab Apostolis legitimam & continuam retinet, dicat esse traditionem Apostolicam. Illud postremum nunc solùm locum habet in Ecclesia Romana, olim etiam in Antiochena, Alexandrina, Ierosolymitana, Ephesina, & aliis, in quibus legitima successio nunc abrupta est.

## DVBIVM POSTREMVM.

### *An Traditio diuina sit paris auctoritatis cum Scriptura diuina?*

RESPONSIO affirmatiua est clarissima. Siue enim scripto loquatur Deus, siue sine scripto; omnino est eiusdem infallibilis auctoritatis: neque enim ei aliquid creditur tam quia scriptum est, quàm quia constat ab eo dictum & reuelatum esse. Itaque meritò Concilium Trident. sess. 4. dicit se pari pietatis affectu & reuerentia susципere & venerari cum Scripturis sacris traditiones tum ad fidem tum ad mores pertinentes tamquam vel oretenus à Christo vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas.

Quærent hæretici, An ergo de re minima traditio tanti apud nos momenti sit, ac præcipua mysteria Scripturæ sacræ?

Si de veritatis infallibilitate agatur, omnino dicemus esse eamdem: reuerentia autem quæ respondet materiæ, poterit esse inæqualis; sicut & in ipsa Scriptura non omnia æquè magnum continent mysterium. Nobis sufficit non ideò traditionem inferiori esse loco quòd scripta non sit.

Quærent iterùm, Cùm per Concilia & Pontifices etiam traditiones litteris mandatæ sint, an Scripturæ vel Conciliorum vel Pontificum, paris sint futuræ auctoritatis cum Scripturis diuinis.

Respondeo, Nullo modo. Quamuis enim traditiones diuinæ, quæ scriptæ sunt successu temporis per scriptores non hagiographos, sint paris auctoritatis cum illis quę Scripturis diuinis continentur, eò quòd à Christo vel Spiritu sancto sint dictatæ, non minùs quàm ipsæ factæ Scripturæ; non tamen sunt dictatæ his scriptoribus, sicuti suis scriptoribus sacræ Scripturę. Scriptura ergo est verbum Dei, inspiratione Dei & dictamine scriptum. Traditio autem est verbum Dei sine scripto à Christo aut Spiritu sancto Apostolis traditum, & in Ecclesia quasi per manus acceptum, non tam quia in posteriorum libris in subsidium memoriæ lectum, quàm quia auditum & semper creditum.



# QVÆSTIO SECVNDA.

## De interiori actu Fidei.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm credere sit cum assensione cogitare?*

AVGVSTINVS de prædestinatione Sanctorum, cap. 2. occasionem præbuit huic articulo, quando dixit: *Credere nihil est aliud, quàm cum assensione cogitare.* Ex quibus Augustini verbis facit sanctus Thomas definitionem actus fidei; quamuis Augustino non tam propositum fuerit eo loco definire fidem, quàm ostendere, quòd ex nobis non possimus credere, ex eo quòd non simus sufficientes, vt Apostolus dicit,
2. Cor. 3. cogitare aliquid ex nobis. Verùm quidquid sit de mente Augustini, non malè verba illa ita accipi poterunt, vt integram nobis faciant definitionem actus fidei: loco enim generis accipi potest assensus; differentia autem innuetur per cogitationem. Assensum oportet intelligere firmum & certum; cogitationem autem actum intellectus deliberantis, voluentis, & inquirentis ea per quæ homo inducatur ad credendum, quæ neque in se, neque in principiis euidentibus euidentia sunt. Excludetur assensus qui est per lumen propheticum, aut per donum intellectus sapientiæ & scientiæ: quia talis assensus per se non habet coniunctam cogitationem & reuolutionem rei credendæ tamquam obscuræ.

Pro definitionis huius explicatione, & intellectu actus fidei, inquirendum nobis hîc est, sitne credere, actus intellectus an voluntatis?

Respondeo breuiter, esse actum elicitum ab intellectu, liberum tamen propter imperium voluntatis. Prior pars liquet ex Scripturis sacris. Credere enim explicant per discere. Ioannis 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit?* 2. Tim. 3. *Tu verò permane in iis quæ didicisti.* Discere autem est intellectus, cuius est scire quod discitur & intelligere. Credendo etiam nos contemplari dicunt, 2. ad Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Contemplari autem ad intellectum pertinet. Facit huc & illud quod eadem epistola dicit Apostolus cap. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Item illud prioris ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* videre enim pertinet ad intellectum qui est oculus animæ. Idem præ se ferunt omnes loci, quibus fides dicitur lucerna vel lumen: illuminari enim pertinet ad intellectum.

Posterior pars, actum credendi liberum esse & pendere ab imperio voluntatis, multis modis ex Scripturis sacris ostendi potest: in primis illis locis, quibus fides præcipitur aut laudatur. Opus enim præceptum aut laudabile, oportet esse liberum, vt patet ex dictis 1. 2. Secundò, ex loco iam citato, quo dicimur intellectum captiuare in obsequium Christi; captiuamus enim per imperium voluntatis. Tertiò, Scriptura vituperat eos qui non credunt: habent ergo in arbitrio suæ voluntatis credere & non credere. Quartò, prædicatur in Scriptura magnum meritum fidei: vbi autem non est libertas, nullum est meritum. Quintò, dicitur Abraham contra spem in spem credidisse: Rom. 4.
quod fieri non potest nisi vim quodammodò sibi intulerit, auertendo mentis oculum à contemplatione

tione eorum quæ videntur, & contemplando ea quæ non videntur. Sextò, dicitur esse impedimentum fidei praua affectio voluntatis. 1. ad Timotheum 1. *Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* & Ioannis cap. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ad inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Idem volunt Patres, quando fidem voluntati tribuunt. Augustinus capite 5. de prædestinat. Sanctorum: *Non quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino; ideò ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet: quis enim te discernit?* Ambrosius in cap. 4. ad Romanos: *Credere aut non credere, voluntatis est: neque enim quis cogi potest ad id quod manifestum non est; sed inuitatur: quia non extorquetur, sed suadetur. Quamobrem assentiens præmiis afficiendus est, sicut & Abraham quod non vidit, credidit.*

Quæres: Quomodo credere Deo liberum est, cùm euidens sit, Deum esse primam veritatem, quæ neque fallere neque falli potest.

Respondeo, inde quidem oriri necessitatem præcepti, manere tamen libertatem obedientiæ, quia intellectum non cogit ad assensum fidei talis euidentia, sed solùm ad assensum credibilitatis: neque quod manifestum est esse credibile, continuò creditur necessariò, sed quod euidens est esse: potest enim nobis esse euidens rationabiliter aliquid credendum esse, quamuis vt credamus, nihil nobis inferat necessitatem.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm conuenienter distinguantur actus Fidei per hoc quod est credere Deo, Deum; & in Deum?*

RESPONDET Thomas, actum fidei posse considerari, vel vt est ab intellectu eliciente, vel vt est à voluntate imperante. Priori modo posse in eo considerari obiectum formale, quod sit tamquam medium credendi: eamque considerationem fieri quando dicimur credere Deo: posse item considerari obiectum materiale; quo modo credimus Deum; est enim Deus principalis in materia & obiecto fidei, vt suprà diximus. Posteriori modo, cõsiderando actum fidei vt est à voluntate imperante, vult nos diuus Thomas dici credere in Deum.

### DVBIVM I.

### *An peccatores credant in Deum?*

*Sententia 1.* TRES sunt hac de re sententiæ. Prima absolutè negat, quam videtur multis locis tenere D. Augustinus: ex quo & istum articulum diuus Thomas desumpsit serm. 61. de verbis Domini, & serm. 181. de tempore: *Credere in illum, diligere illum.* Tractatu 29. in Ioannem: *Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo in eum ire, & eius membris incorporari.* Imitatur Augustinum Anselmus in illud 4. ad Romanos: *Credenti in eum qui iustificat impium.* Item venerabilis Beda in caput 2. Iacobi: *Credere illi, est credere vera esse quæ loquitur: credere illum, credere quòd ipse sit Deus: credere in illum, est diligere illum.* Et postquam dixisset credere Deo & malos posse: credere Deum & dæmones posse, addit: *Credere verò in Deum soli nouere qui diligunt Deum, qui non solo nomine sunt Christiani, sed & factis & vita.* Similia habet in cap. 7. Ioannis. Idem sequitur D. Thomas superiori q. a. 9. ad 3. Magister lib. 3. dist. 23. Durandus ibidem q. 7. Qui dicit, credere in Deum non esse præcisè actum fidei, sed fidei & charitatis simul.

Secunda sententia simpliciter admittit, peccatores etiam in Deum credere. Ita videtur sentire Augustinus tractatu 11. in Ioannem; & apertè Caietanus in cap. 12. Ioannis, vbi & textus fauet: *Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eiicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* Ex hoc enim loco ita licebit argumentari: Quicumque magis diligunt gloriam hominum quàm Dei, non habent charitatem: isti Pharisæi tales erant: ergo, &c. Dicuntur tamen credidisse in Christum; ergo aliqui in Christum credunt, qui charitatem non habent. Accedit quòd peccatores sine mendacio profiteantur Symbolum, quo dicant se credere in Deum. Denique vt voluntas imperet actum fidei, non est opus charitate: est enim quidam affectus credendi & sperandi separabilis à charitate, qui illi imperio sufficiat: quod imperium dicit D. Thomas efficere, vt homo dicatur credere in Deum. *Sentenz. 2.*

Tertia sententia media est, & vtramque iam dictam conciliat; peccatores non perfectè, sed imperfectè credere in Deum: & hoc differre à dæmonibus, qui Deum credunt, sed non in Deum, neque Deo. Illo enim imperfecto modo credere in Deum, vix est aliud quàm credere Deo; vt meritò obseruent Theologi, discrimen inter *credere Deo*, & *credere in Deum*, non esse perpetuum; sed saltem quoad suppositionem (nam de accurata significationis distinctione aliter dicendum, vt infrà) subinde hæc confundi etiam in Scriptura sacra, vt patet ex argumentis secundæ opinionis. *Sentenz. 3. & verior.*

Hæc sententia sola videtur vera: nam quòd Caluinus dicit, nos in Deum credere, quia fiducia nostra in ipso acquiescit, sapit hæresim, quæ fidem cum fiducia confundit: neque enim dum Symbolum recitamus, & nos in Deum credere profitemur, fiduciæ, sed fidei facimus professionem; quamuis non negem, credere in Deum, & credere Deo ita posse accipi, vt sit idem quod fidere in Deum, & fidere Deo; quomodo accepisse videtur Augustinus in Psal. 38. verùm ea acceptio non congruit huic proposito. *Lib. 4. Inst. c. 1.*

### DVBIVM II.

### *An sicuti dicimur non solùm credere Deum, sed etiam in Deum: ita dici possimus, non tantùm credere Ecclesiam, sed etiam in Ecclesiam?*

VIDETVR enim id dici posse, Primò, Quia superiori dubio insinuauimus, credere in Deum aliquando ita accipi, vt sit idem quòd credere Deo. Cùm itaque Ecclesiæ credamus, non apparet quomodo etiam non possimus dici credere in Ecclesiam. Secundò, Credere in Deum secundùm phrasim Hebraicam dictum videtur, vt non *Sentenz. 1.*



non multùm differat à credere Deo. Tertiò, In Symbolo Constantinopolitano, secundùm editionem quæ reperitur in Concilio Chalcedonensi, dicitur, *Credimus in vnam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Eamdem lectionem refert Turrecremata lib. 1. cap. 20. retentam fuisse in Concilio Basilien si; & reprehendit quòd in eodem Concilio se vidisse dicit quosdam ita deliros circa auctoritatem Ecclesiæ, vt ad hæc verba Symboli genu flecterent, sicuti solemus ad illa: *Et incarnatus est.*

*Verior sententia.* Contraria tamen sententia est verior, non in Ecclesiam, aut in vllam creaturam nos dici debere credere: sed in solum Deum, & quem misit Iesum Christum, & in Spiritum sanctum. Ita communiter tam Patres quàm Scholastici. Ruffinus in expositione Symboli, de modo isto loquendi per præpositionem In, ita scribit: *Hac itaque præpositionis syllaba, creator à creaturis secernitur, & diuina separantur ab humanis.* Idem habet Augustinus Serm. suprà citato de Tempore, & Tractatu 54. in Ioannem dicit, nos posse credere Apostolo, non in Apostolum. Idem docet ex D. Leone D. Thomas in 3. dist. 25.

*Respon. ad 1. & 2. argum. primæ senten.* Ad argumentum in contrarium respondeo; Quamuis fieri non possit, vt Deo is credat, qui non vero sensu etiam dicatur credere in Deum; non tamen est verum quod quidam dicunt, per præpositionẽ In solum significari obiectum formale, vt significatione hæc prorsus sint eadem, credere Deo, & credere in Deum. Quamuis enim non improbabiliter hæc locutio orta dicatur ex phrasi Hebraica; omnino tamen certum est, habere plus energiæ si dicas, credere in Deum, quàm si, credere Deo. Credere enim in Deum, significat cõiunctionem cum Deo, tamquam cum capite & vltimo fine. Prior coniunctio significari etiam potest per credere in Deo, credere in nomine Dei, credere in Christo: ita enim Scriptura & Patres interdum loquuntur. Posterior autem propriè significatur per credere in Deum. Quia ergo fideles licet peccatores, eo ipso quo fideles, pio affectu credulitatis Deo tamquam primæ veritati adhærent, ipsumque vltimum suum finem profitentur; dicuntur in ipsum tamquam finem suum aliquò vsque tendere, adeoque in ipsum credere, non tantùm ipsi. Atque ita etiam patet, quid dicendum sit ad secundum.

*Ad 3.* Ad Tertium, In Symbolo Constantinopolitano verior lectio, loco *In vnam Catholicam*, habet *Et vnam Catholicam.* Si tamen illam lectionẽ, quia à quibusdam magnis auctoribus recepta fuit, excusare velimus; dicere possumus cum Anselmo apud D. Thomam in 3. suprà, rectè dici, *Credo in sanctam Ecclesiam*; quatenus in effectu caussa intelligitur, nimirum in Ecclesia sancta Spiritus sanctus sanctificans: aut sanè dicemus cum Epiphanio in fine Anchorati, illum modum loquendi non aliud significare, quàm si diceretur, Credo sanctam Ecclesiam. Quod etiam sentire videtur Hieronymus in epistolam ad Philemonem.

### DVBIVM III.

### *An rectè dicat S. Thomas in responsione ad 3. Infideles non verè credere Deum?*

RESPONDEO, Rectè D. Thomam dicere, quòd credere Deum, non conueniat infidelibus sub ea ratione qua ponitur actus fidei. Quando enim Deus dicit se esse, implicitè dicit modum quo est. Cùm autem Dei substantia sit simplicissima, & à se simplicissimè concipiatur; eo ipso quo dicit se esse, dicit se esse totum quod est. Quare qui credit Deum esse, non autem credit esse omnipotentem aut incorporeum; non tam id credit quod Deus reuelauit, quàm quod proprium ei phantasma fabricauit. Huc pertinere putauit D. Thomas doctrinam Philosophi nono Metaphysicorum, In simplicibus aut totum sciri, aut totum ignorari. Quatenus tamen Deus nostro modo concipitur complexè, poterit quis scire Deum esse, qui non nouerit conditiones quas fides determinat.

### DVBIVM POSTREMVM.

### *Quomodo vno & eodem actu dicat S. Thomas in responsione ad 1. nos credere Deo, Deum, & in Deum.*

EODEM actu nos credere Deo, de Deo, facilè est intelligere: sed quomodo eodem actu credamus in Deum, non perinde est facile. Cùm enim in Deum credimus, aliquid concurrit ex parte voluntatis.

Respondeo; Sicut vnus & idem actus est quo credo Deum, & quo credo Deo; quia ex obiecto materiali & formali vnum resultat obiectum fidei, cui respondet vnitas actus: ita etiam vno & eodem actu credimus in Deum, affectu nos coniungendo Deo: quia ex imperio & actu imperato vnus resultat actus, in quo imperium habet partes formæ; actus autem imperatus, materiæ. Quomodo autem, vt credatur in Deum, non sit opus accedere actum charitatis, vt voluit Durandus, satis patet ex dictis.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm credere aliquid supra rationem naturalem, sit necessarium ad salutem?*

RESPONDET D. Thomas affirmatiuè. Notandum hîc est, quando dicitur aliquid supernaturaliter credi, posse id intelligi tribus modis: ex parte auxilij, ex parte medij seu rationis credendi, & ex parte eius quod creditur. Ex parte auxilij & medij, poterit actus fidei esse supernaturalis, etiamsi quod creditur, rationem naturalem non superet; vtpote si Deo per supernaturale gratiæ auxilium iuuante, propter ipsius reuelationem aliquid credamus, quod etiam per rationis naturalis discursum inuestigare potuissemus. Hîc propriè quæritur de supernaturali tertio modo, nimirum, An oporteat aliquid credere, quod ex ratione naturali cognosci non poterat, adeoque, An necessarius sit ad salutem actus fidei, ex obiecto quod creditur, supernaturalis? An autem opus sit ad credendum Dei gratia & reuelatione, in 1. 2. dictum est.

Notandum Secundò, necessarium ad salutem posse aliquid duobus modis intelligi, videlicet, necessitate medij, & necessitate præcepti. *Necessarium ad salutem, duobus modis dicitur.*

Necessarium necessitate medij vocamus, quod est medium ita ad salutem necessarium, vt sine eo salus obtineri nequeat, etiamsi fortè eius defectus *Necessitate medij.*

interueniat sine alicuius præcepti violatione.

*Necessitate præcepti.* Necessitate autem præcepti tantùm necessarium est ad salutem, sine quo salus non obtinetur, nisi quando eius defectus accidit sine culpabili alicuius violatione præcepti. Discrimen itaque inter hæc duo necessaria in primis est, Quòd prius sit necessarium propter connexionem medij cum salute; posterius autem propter connexionem præuaricationis cum amissione salutis. Secundò, Quando aliquid est necessarium necessitate medij, etiamsi non liberè omittatur, nihilominùs amitti salutem: secùs quando est necessarium solùm necessitate præcepti. Tertiò, Quòd omissio eius quod est de necessitate medij, fieri possit sine peccato; omissio autem præcepti, formaliter loquendo, semper sit peccatum.

Notandum Tertiò, in adultis semper ex necessitate medij oriri necessitatem præcepti, modò cognita sit necessitas medij: quando autem ea inuincibiliter esset ignota, fieri posset vt etiam adultus periret propter solum peccatum originale, medio salutis necessario destitutus. Interdum autem respectu adulti, videtur necessitas medij posse considerari quasi orta ex generali præcepto; verbi gratia, necessitas reipsa suscipiendi Baptismi; & tunc amittit rationem necessitatis medij, & sequitur naturam suæ originis eiusmodi necessitas, vt iam respectu adulti sit quodammodò solùm necessitas præcepti. Ex quo fit, vt licet Baptismus sit necessarius necessitate medij, possit tamen saluari adultus sine actuali Baptismo, quando eius susceptionem non negligit, sed necessitate aliqua ab ea impeditur, & contritus Baptismo spiritus renouatur.

*Articulus de vtraque necessitate tractandus est.*

*Conclusio.* Est autem Conclusio eiusmodi: Credere aliquid certò & firmiter per supernaturale auxilium, ex supernaturali Dei reuelatione, de supernaturali obiecto, semper fuit ad iustitiam & salutem necessarium, non solùm necessitate præcepti, sed etiam medij.

Tres hîc præcipuè confutantur errores: vnus antiquorum hæreticorum, de quo alibi diximus, qui volebant nihil esse credendum, nisi quod ratione naturali posset demonstrari. Alius est quorumdam recentium, qui incautiùs hîc senserunt, existimantes, fidem de supernaturali obiecto, & nominatim de Christo, non esse in noua lege necessariam necessitate medij. Ita sensit Andreas Vega lib. 6. in Concilium Trid. cap. 17. 19. & 20. Tertius error est eorum, qui dixerunt eum posse saluari, qui non excussa planè formidine de opposito, dogmata fidei nostræ solùm velut probabilia susceperit: talesque fuisse Apostolos, quando

Lucæ 17. petierunt sibi adaugeri fidem.

Esse itaque aliquid credendum, quod nondum intelligitur, imò ratione naturali intelligi non potest, ex Scripturis sacris est manifestum. In primis ex celebri illo loco Isa. 7. secundùm Septuaginta: *Si non credideritis, non intelligetis.* Neque refert in nostra versione loco (*non intelligetis*) esse *non permanebitis*; sensus enim poterit esse idem, vt significetur, nisi crediderimus, nos tamquam vento omnis doctrinæ circumferendos, & nusquam stabilem assensus pedem in rebus Dei figere posse. Apostolus etiam illam fidem, sine qua dicit esse

Heb. 11. impossibile placere Deo, dicit esse argumentum non apparentium, & substantiam rerum sperandarum: res autem sperandæ tales sunt, vt de illis dicat idem Apostolus alio loco: *Oculus non vidit,* 1. Cor. 2. *nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Dominus iis qui diligunt illum.* Secundò, Dicit idem Apostolus, accedentem ad Deum Hebr. 11. debere credere, quòd inquirentibus se remunerator sit: est autem remunerator præmio supernaturali cælestis ciuitatis, cuius ipse auctor est & conditor, vt in sequentibus Apostolus dicit. Tertiò, Confirmari potest ex illis verbis, *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram.* Repromissiones autem illas explicat Apostolus fuisse de patria cælesti, & beatitudine supernaturali. *Nunc autem,* inquit, *meliorem appetunt, id est, cælestem.* Fide ergo à longè aspiciebant & salutabant Ierusalem illam cęlestem, locum visionis Dei supernaturalis.

Necessitatem verò ad salutem fidei de obiecto supernaturali non solùm esse præcepti, sed etiam medij, arguit in primis modus loquendi Apostoli, *Sine fide impossibile est placere Deo.* Congruentia etiam quæ est in ratione S. Thomæ, medij necessitatem ostendit, quę ferè talis est: Videmus in hac rerum vniuersitate ita comparatum esse, vt inferiora præter proprium motum, aliquid etiam habeant à motu superioris naturæ sibi impressum: quomodo aqua non solùm mouetur descensu ad centrum, sed secundùm motum à luna impressum, fluxum habet & refluxum. Cùm itaque rationalis creatura immediatè subsit Deo, oportet & ipsa impressionem aliquam diuinam accipiat, qua potiùs secundùm Dei statum, quàm secundùm naturæ suæ inclinationem moueatur. Fit autem istud per supernaturalem Dei visionem, ad quam præambula est fides in hac vita; per quam, quasi in sublimioris ordinis Dei disciplinatu, seruamus istud Philosophi: *Discentem credere oportet.*

Quæres, An generatim verum sit, omnem inferiorem creaturam aliquid à creatura superiori perfectionis accipere.

Respondeo esse: nam ab Intelligentiis primum cælum, de quo dubium esse poterat, accipit quamdam virtutem & caussalitatem, vt sentit Banesius hîc: vel certè stabilitatem & immobilitatem, vt sentit in 1. partem q. 66. art. 3. vel denique participabit à corporibus beatorum quoddam diuinæ laudis cõsortium, quo supra naturam corporis nobilitetur. Terra etiam à superioribus corporibus virtutem habet germinandi. Mixta ad hanc diui Thomæ doctrinam Caietanus putat non pertinere. Alij tamen dicunt, etiam ipsa habere virtutem suam à cælo; quod ostendunt in magnete, ferrum mouente versus polum.

Contra doctrinam huius Articuli obiicitur pri- *Obiect. 1.* mò ex Vega: Homo faciens quod in se est, saluatur: contingit autem hominem facere quod in se est, & inuincibiliter ignorare fidem de supernaturalibus: ergo, &c. Si dicas, eiusmodi homini Deum daturum fidem; contrà est illud ad Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt: quomodo autem audient sine prædicante?* His enim verbis significatur, neminem ordinariâ viâ credere sine prædicante: potest autem fieri, vt sine culpa sua faciens quod in se est, careat prædicante; ergo sistendo in via ordinaria, poterit quis saluari sine fide supernaturalium.



*Respon.* Respondeo, hominem facientem totum quod potest per Dei gratiam, quæ tempore & loco non deest, infallibiliter illuminandum à Deo per fidem; idque vel via ordinaria, quam Apostolus describit, submisso prædicatore, vt factum est

*Act. 10. & 8.* Cornelio centurioni & Eunucho Candacis reginæ: vel alia extraordinaria ei placente, cuius manus non est abbreuiata. Neque tamen eiusmodi hominem vmquam saluabit Deus sine fide: fides enim necessaria est ad salutem supernaturalem, non solùm vt remouens impedimentum, sed etiam vt pars quasi formalis nostræ iustificationis. Vnde patet, non parem necessitatem apud Apostolum significari, quando dicit: *Quomodo credent sine prædicante?* ac quando dicit: *Sine fide impossibile est placere Deo.* est enim fides magis necessaria ad salutem quàm prædicatio hominis ad fidem.

*Obiect. 2.* Obiicitur Secundò; In aliis præceptis diuinis non est similis rigor: adulto enim qui non potuerit baptizari, sufficit Baptismus in voto. Ergo similiter illi qui non potuerit credere defectu prædicantis, sufficiet fides supernaturalis implicita, & in præparatione animi.

*Respons.* Respondeo; Quamuis Baptismus sit medium ad salutem necessarium, est tamen magna disparitas inter ipsum & fidem quoad hanc necessitatem in adultis: in Baptismo enim necessitas oritur ex positiua Dei lege, in fide autem ex connexione quasi naturali ipsius fidei cum iustificatione & salute. Itaque salus simpliciter est impossibilis sine fide, sine Baptismo autem est impossibilis propter Dei præceptum; quod præceptum si desinat adultum obligare, tamquam impossibile, quando Baptismus haberi non potest, etiam necessitas realis Baptismi cessat, vtumque pro facto reputatur.

Mar. 16. Quapropter cùm dictum esset: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* non adiunxit Dominus: Qui verò non fuerit baptizatus, condemnabitur. sed: *Qui verò non crediderit, condẽnabitur,* vt benè obseruat Bernard. ep. 77. ad Hug. Victorinũ.

*Obiect. 3.* Obiicitur Tertiò; Cornelius centurio videtur iustus fuisse sine fide supernaturali.

*Respon.* Respondeo; Si fuerit iustus, non fuisse iustum sine fide supernaturali: si enim sola credidisset quę Gẽtes ex naturali lumine de Deo cognoscere potuerant, & non illa supernaturalia, quæ in sacris Iudæorum libris tradita erant; non habuisset tam præclarum religionis suæ testimonium ab vniuersa gente Iudæorum, vt in Scriptura commemoratur habuisse.

*Obiect. 4.* Obiicitur Quartò ex cap. 19. Matthæi: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi, Quæ? Iesus autem dixit, Non homicidium facies, non adulterabis,* &c. Hîc mandata, quibus seruatis liceat ad vitam æternam ingredi, recensentur sola naturalia: non ergo opus est seruare præceptum supernaturale fidei, de qua nulla hîc fit mentio.

*Respon.* Respondeo, Per mandata non sola naturalia, sed etiam supernaturalia esse intelligenda. Quò pertinet quod refert Origenes Tractatu octauo in Matth. in Euangelio secundùm Hebræos ita legi: *Si vis ad vitam ingredi, imple legem & Prophetas.* D. Thomas etiam 1. 2. q. 100. art. 10. per mandata ibi docet intelligi debere omnia mandata, vt etiam comprehendatur mandatum quod est de Dei dilectione, vt auctoris & finis ordinis supernaturalis, & largitoris vitæ æternæ. Commemorantur tamen solùm ea quæ ad proximum pertinent. Primò, quia *qui diligit proximum, legem implenit*: ad Rom. 13. Neque refert etiam legem implere, qui Deum diligit; qui enim diligit ipsum, Ioan. 14. mandata eius custodit; *& hæc est charitas, vt ambu-* 2. Ioan. *lemus secundùm mandata eius*: quia Scriptura solet nos remittere ad dilectionem proximi, tamquam ad notiorem & magis obuiam. Secundò, Quia fortè Dominus voluit quædam faciliora solùm commemorare, quæ sufficiant vt ad principium vitæ quis perueniat, non autem vt ingrediatur in vitæ interiora, vt dicit Origenes. Tertiò, Quia dies erat iste adolescẽs, inculcat ei Dominus præcepta, quæ ad proximi dilectionem pertinent. Si enim impleret illud mandatum, *Di-* Matth. 22. *liges proximum tuum sicut teipsum*; non fortasse ei tantum fuisset diuitiarum: quia diuites per Iac. 2. potentiam solent proximos opprimere. Quartò, Quia præcepta primæ tabulæ satis indicauit Dominus, quando dixit: *Vnus est bonus, Deus.* Quin- Matth. 19. tò, Potest videri Dominus ideò hæc præcepta sola commemorasse, quia maximè in illa peccarent Iudæi; vt eò respiciens Ioannis septimo eis dicat, *Nemo ex vobis facit legem.* Sextò, Potest dici partem posuisse pro toto, sicque indicasse non minorem ceteris præceptis obseruationem deberi. Postremò, Quia non erat interrogatus, quænam essent credenda, sed quæ facienda; adolescentem hunc docet, supposita fide & Dei cultu, quid vteriùs agendum sit.

*Obiect. 5.* Quintò obiicitur, In lege naturæ ante Moysem non fuisse opus fide: ergo, &c.

Respondeo; Hoc dici non potest; neque enim lex naturæ in ea acceptione opponitur legi supernaturali, sed scriptæ: legem autem supernaturalem, præsertim de fide, complectitur. vnde commendatur in Scripturis fides Abel, Enoch, Noë, Abrahæ, Isaac, Iacob, Ioseph. In quocumque ergo statu, viator indiget fide supernaturali, si modò ponatur ordinari ad finem supernaturalem. Si enim homo in puris naturalibus conditus fuisset, & solùm ordinaretur ad beatitudinem naturalem, fide supernaturali non indiguisset.

*Dubium.* Examinandum hîc est, An reuerâ præceptum fidei dicendum sit supernaturale? Videtur enim esse naturale. Si enim Deus reuelaret se trinum *Argum.* esse in personis, & nullum omnino adderet præceptum, teneremur ei credere, non præcepto supernaturali; ponimus enim nullum præceptum addidisse: ergo naturali.

2. Secundò, Præcepto supernaturali, respondet obedientia supernaturalis; atqui obedientia supernaturalis præsupponit actum fidei, quæ prima est in virtutibus & donis supernaturalibus: ergo non potest homo supernaturali præcepto obligari ad primò credendum.

3. Tertiò, Præceptum supernaturale non obligat eum, qui eius obligationem non potest cognoscere; fidei autem præceptum obligat antequam homo possit cognoscere obligationem præcepti supernaturalis: quia non potest eam cognoscere nisi iam crediderit esse aliquem finem supernaturalem: necesse itaque est credere, antequam ei proponi queat obligatio præcepti supernaturalis, vt ipsum ligare queat.

*Respons.* Nihilominùs dicendum est, præceptum fidei esse supernaturale: illud enim præceptū vocamus supernaturale, quod est de actu qui viribus naturæ, etiam sanæ, fieri non potest: non possumus autem viribus naturæ, Deo supernaturales veritates reuelanti credere ea certitudine & firmitate, qua oportet credere primæ veritati. Quamuis enim fidei naturaliter capaces simus; habere tamen fidē, vt dicit Augustinus, non nisi gratiæ est fidelium.

*Resp. ad 1. Argum.* Ad Primum argumentum contrarium respondeo; Licet Deus eo casu nullū addereat præceptum, resultaret tamen ex necessaria connexione rerum; & esset supernaturale, non tamen positiuum: esset enim de actu supernaturali, & connaturale ordini supernaturali.

*Ad 2.* Ad Secundum; Quando satisfit alicui præcepto, non est opus id fieri formali actu obedientiæ, quæ versetur formaliter circa actum vt præceptus est; sed sufficit quòd fiat actu qui versetur circa specialem honestatem actus. Quamuis ergo obedientia supernaturalis formaliter non exerceatur, nisi præsupposita fide; satisfieri tamen potest precepto supernaturali, ea non præsupposita.

*Ad 3.* Ad Tertium respondeo ex Thoma inf. q. 10. art. 1. ad 1. esse homini satis notum ex ratione naturali, quòd non possit dissentire prædicationi fidei sufficienter propositę; & si dissentiat, verè peccaturum contra præceptum fidei supernaturale, etiamsi nullam habeat præuiam aliam cognitionem supernaturalis ordinis.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm credere ea quæ naturali ratione probari possunt, sit necessarium?*

NON quærit D. Thomas, an scita credantur ab eo à quo scita sunt; sed generaliter, an quę ratione naturali cognosci possunt, etiam necessariò sint credenda. Respondet affirmatiuè. Ratio triplex: vt homines citiùs, vt plures, vt certiùs rerum diuinarum notitiam assequantur.

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm homo teneatur ad credendum aliquid explicitè?*

*Explicitè credere.* EXPLICITE dicimur credere eam propositionem, cui in terminis assentimur. Implicitè autem credimus, quod per fidem cognoscimus non in se, sed prout continetur aut indicatur in alio, vel vt medium in fine, vel vt instrumentum in causa principali, vel vt particulare in vniuersali. De quo videre licet Gabrielem in 3 dist. 25. qui addit & aliū modum quo implicitè quid credatur, quando solo habitu creditur: quo modo dicit infantes baptizatos dogmata fidei implicitè credere. Verùm isto modo non commodè explicabitur hic articulus. Certum enim est ex superioribus articulis, quòd homo teneatur actualiter credere; imò actus propriè præcipitur, non habitus. Non potuit etiam ita generatim quæstio articuli intelligi, vt quæratur, an propositionem aliquam teneatur homo explicitè credere: impossibile enim est, actu credere, & non explicitè credere aliquam veritatem aut propositionem. Intelligendum itaque est, quæri, an homo debeat particulare aliquod credibile, quales sunt articuli fidei, credere explicitè: an verò sufficiat eiusmodi particularia credere implicitè, in alio vniuersali, quod explicitè credatur: v. g. in illo, Quidquid Scriptura aut Ecclesia docet, est verum.

Respondet D. Thomas per distinctionem eiusmodi particularium credibilium in prima credibilia, quæ pertineant propriè ad obiectum fidei per se, per quod homo beatus efficitur; quales sunt articuli fidei in Symbolo expressi; & in alia credibilia quæ per accidens & secundariò se habent ad obiectum fidei: quia licet non pertineant per se ad obiectum hominis beatificum, continentur tamen in verbo Dei scripto vel tradito. Priora ergo dicit hominem debere credere explicitè; posteriora autem non item, sed solùm implicitè, vel in præparatione animi, vt nimirum paratus sit credere quidquid Scripturâ diuinâ continetur: tum autem etiam illa debere explicitè credere, quando ei constiterit in particulari, hæc contineri in doctrina fidei, id est, in Scripturis sacris aut diuina traditione.

Dubitatur hîc Primò, An articuli doctrina intelligenda sit de necessitate medij, an verò solùm præcepti.

Respondeo, teneri hominem explicitè credere necessitate medij obiectum per se fidei, per quod beatur: v. g. Deum esse, & esse remuneratorem & auctorem etiam donorum supernaturalium.

Dubitatur Secundò, An illa etiam sint credenda necessariò explicitè necessitate medij, sine quibus per Dei potentiam possemus obtinere beatitudinem, etiam supernaturalem sitam in clara Dei visione, quamuis nunc reipsa ad beatitudinem pertineant: in quibus videtur esse ipsemet Christus, de quo apud Ioannem cap. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ratio dubitandi est, Quia ex parte rei non videtur hîc esse illa quasi naturalis connexio cum salute hominis, quam videtur postulare necessitas medij.

Respondeo, Verbi incarnatio, adeoque Christi diuinitas, humanitas & passio, necessitate medij, nunc post promulgatum Euangelium explicitè necessariò credenda sunt, etiamsi per Dei potentiam absolutam potuissemus sine Christo ad beatitudinem peruenire. Sufficit enim, reipsa Christum Dominum ab eo constitutum esse auctorem nostræ salutis, ita vt non sit aliud nomen sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri.

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm omnes æqualiter teneantur ad habendam fidem explicitam?*

RESPONDET D. Thomas, Superiores, ad quos pertinet erudire alios, teneri ad pleniorem cognitionem de credendis, & ad fidem magis explicitam. Quæ responsio certissima est, & communis in 3. dist. 25. Probari potest in primis similitudine cælestis hierarchiæ, in qua superiores Angeli, magis de diuinis rebus illuminati, inferiores illuminant. Videtur enim natura rerum id postulare, vt qui alium illuminat, ipse vicinior sit fonti luminis, & magis illuminatus. Quò



Quò pertinet etiam similitudo mōtium, per quos illuminatos terra illuminatur: est enim maius lumen in ipsis quàm in terra. Vtitur hac similitudine Psalmus 75. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*, interprete D. Augustin. *Primi* (inquit) *magni montes accipiunt lucem tuam; & à luce tuâ quam suscipiunt montes, vestitur & terra.* Idem voluit Gregorius lib. 2. Moral. cap. 25. huc referens illud Iob cap. 1. *Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos. Simul ergo* (inquit) *se asinæ cum bobus reficiunt, quia prudentibus coniuncti tardiores, eorum intelligentiâ pascuntur.* Ad hæc omnes tenentur illa credere explicitè, quæ nouerint in doctrina fidei contineri: atqui certum est, Superiores debere magis nosse, quęnam in Scriptura sacra & traditione diuina contineantur: tenentur enim de illis etiam inferiores dubitantes instruere.

## DVBIVM.

### *Qui superiores, quid teneantur explicitè credere.*

*Doctrina Durandi.* DVRANDVS in 3. d. 25. q. 1. ita ferè de hac re disserit. Statuit in primis, omnes illos debere credere explicitè, quidquid Deus reuelat, quibus immediatè facta fuerit reuelatio: quo modo existimo Apostolos vniuersa quæ fidei sunt, explicitè debuisse credere: vtpote qui immediatè omnia per Christum aut Spiritum sanctum didicerint. Est res ista manifesta: non credere enim quæ Deus reuelat, apertè infidelitatis est. Illorum autem fidelium, quibus per Apostolos fides tradita est, non autem sicut Apostolis immediatè reuelata, facit tres gradus. In primo dicit esse summum Pontificem & Episcopos, quos dicit teneri ad fidem explicitam omnium articulorum, & ad notitiam vniuersæ Scripturæ sacræ, vt per eam possint exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, & omni poscenti reddere rationem, sicut loquitur Apostolus 1. cap. ad Titum, & Petrus 1. epistola cap. 3. Quod confirmari potest ex modo loquendi Apostoli: *Oportet Episcopum esse amplectentem eum qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem.* Loco *amplectentem*, est Græcè ἀντεχόμενον, id est, inquit Chrysostomus, curantem & summopere molientem. Ceterùm de scientia rerum fidei in Episcopo necessaria, videri potest Gratianus tota dist. 36. & distinct. 38. cap. Omnes. In secundo gradu ponit Durandus inferiores Pastores, Doctores & Concionatores; hos vult debere scire omnes articulos, quoad substantiam; in difficultatibus autem vel hæreticorum oppugnationibus, debere recurrere ad Superiores. In tertio autem & infimo ordine, statuit reliquum vulgus fidelium, qui non teneantur scire explicitè vel credere, nisi quantum eis traditum est ex maiorum doctrina & communi ritu Ecclesiæ, qui neminem latet nisi sua culpa.

*Notanda circa doctrinam Durandi.* In hac doctrina Durandi, aliàs non mala, minùs sufficienter videtur dici (vt obseruat Valentia) quòd in secundo gradu satis sit inferiores pastores & doctores intelligere substantiam articulorum, & in difficultatibus ad superiores recurrere; cùm potiùs dicendum fuerit, pro ratione officij sui, & eminentia Ordinis, debere vnumquemque plus vel minus de fidei doctrina intelligere, & explicitè credere. Debent enim non tantùm distinctè posse tradere & discernere omnes fidei articulos; sed tam multum scire de explicatione eorum quæ in fidei articulis implicitè continentur, quantum sufficiat salutari eorum qui sibi commissi sunt, instructioni, & congruat capacitati. Ita diuus Thomas & Gabriel in 3. distinct. 25.

Secundò, in eadem doctrina commodè accipiendum est, quòd dicitur Episcopos debere habere notitiam vniuersæ Scripturæ sacræ: neque enim debent vel memoria tenere totam sacram Scripturam, vel omnes eius difficultates habere enodatas; sed vt dicit cap. Omnes, suprà citatum, & Turrecremata in illud, debent sibi ita perspectam & familiarem habere Scripturam sacram, vt officio suo satisfacere valeant: eoque sensu vult idem Turrecremata, Episcopos ordinandos solere interrogari; an sciant vetus Testamentū & nouum.

Tertiò, in eadem doctrina obseruandum est, discrimen inter maiores & minores accipiendum esse secundùm actus exercitium, non autem secundùm specificationem; vt non teneantur quidem æquè multa simpliciores credere ac Prælati, teneantur tamen omnia quæ ad fidem pertinent non negare, & omnem contrarium rebus fidei errorem cauere. Si tamen sine pertinacia seducti fortè errēt in subtilitatibus fidei, quod facilè solet accidere iis qui degunt inter hæreticos; non continuò sunt iudicandi peccare mortaliter, multo minùs esse hæretici, aut incurrere pœnam hæreticorum, vt docet D. Thomas ad 2. quem sequitur Caietanus: sic & Siluester verbo Fides. Quamuis enim non rectè sentiant, falsus tamen ille sensus non est ipsorum fides, neque est ipsis loco fidei; sed pro fide retinent fidem Catholicam: atq; ita implicitè adhuc retinent contrarium illius erroris, quo videntur præoccupati.

Illud salubre quoad simpliciores fuerit, quod docet D. Thomas, non esse illos facilè examinandos in fidei subtilitatibus: & quod D. Augustinus tradit in Psal. 75. suprà citatum; non debere eos adhærere prædicanti tamquam homini; sed Deo, qui à montibus quidem æternis, sed tamen ipse illuminat; vt ideò Propheta, cùm dixisset Psal. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*; subiunxerit: *Auxilium meum à Domino.*

Contra doctrinam huius articuli, qua parte dicit, vulgo fidelium sufficere quorumdam articulorū fidem implicitam, insurgit Caluinus l. 3. c. 2. Instit. num. 2. atque ita Catholicorum doctrinam traducit, quasi dicerent, simplices nihil debere explicitè credere; sed eis sufficere quòd parati sint amplecti pro vero quidquid Ecclesia præscripserit. Quæ opinio quàm sit à Catholicorum doctrina aliena, patet ex dictis superiori articulo, vbi ex professo cum D. Thoma contrarium tenuimus: imò hæc opinio à Sede Apostolica damnata est, vt refert Banesius ex Directorio inquisitorum, infrà articulo octauo.

*Respon. Caluino.* Neque quidquam concludunt quæ mouet Caluinus contra fidem implicitam, quam vulgaribus sufficere dicimus. Quòd enim dicit, sic implicitè credere non esse credere, sed ignorare & iudicium suspendere; verum non est: sicut enim in vniuersali scire, non est ignorare, sed imperfectius scire apud Philosophos; ita hæc implicita fides imperfectior quidem est fides, ignorantia tamen dici non debet: sicut enim scientia in vniuersali est dispo-

dispositio quædam ad scientiam in particulari; ita & implicita hæc fides, magna est animi præparatio ad concipiendam explicatiorem de rebus credendis notitiam.

## ARTICVLVS VII.

### *Vtrùm explicitè credere mysterium incarnationis Christi, sit de necessitate salutis apud omnes?*

In hoc articulo distinguenda sunt tempora, modus credendi, necessitas, & personæ. Tempora, quia alia est ratio temporis ante lapsum & post lapsum, ante Christum & post Christum: modus, non enim æquè necessaria est fides explicita ac implicita: necessitas, quia faciliùs statuitur necessitas præcepti quàm medij: persone, quia (vt dictum est) ad plura & perfectiùs credendum obligantur maiores quàm minores.

Opinantur quidam, etiam post sufficienter promulgatum Euangelium, explicitam fidem Christi non esse necessariam necessitate medij, nec ad iustitiam, nec ad beatitudinem. Ita sentit Andreas Vega lib. 6. in Trident. citatus articulo tertio. Alij admittunt necessariam esse quidem ad beatitudinem, negant tamen necessariam necessitate medij ad iustificationem. Ita Melchior Canus in relectione de Sacramentis in genere, Alphonsus à Castro libro 2. de lege pœnali cap. 14. Banesius hîc articulo octauo.

*Adamus habuit fidem incarnationis.*

Prima propositio. Etiam in statu innocentiæ Adamus habuit aliquam fidem de mysterio incarnationis, quamuis non cognouerit mysterium crucis, neque præscius fuerit sui casus. Prima pars est communis Patrum, qui illam statuunt ex illo Geneseos 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis.* & ex illo ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Hieronymus in locum ad Ephes. Augustinus de Genesi lib. 9. cap. 19. Tertullianus lib. de anima cap. 11. & 21. Prosper de promissionibus & prædictionibus Dei, parte 1. c. 1. Et quidem ex verbis ad Ephes. fidei est, Adami verba de Christo continere Prophetiam. Non est autem verisimile, ipsum omnino ignarum sensus Prophetici prophetasse vt Caiphas; quamuis probabile sit (quod veterum quidam videntur sensisse) non omnem diuinæ huius sententiæ intellectum plenè, quoad modum & circumstantias, Adamum esse assecutum: alioqui verum non esset reliquum propositionis nostræ: mysterium enim crucis & mortis Christi etiam illis verbis indicatur; in cruce enim Ecclesia de latere Christi dormientis formata est. Et idem voluit hîc D. Thomas quando dicit, Adamum ante lapsum habuisse explicitam fidem de Christi incarnatione, vt ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem vt ordinabatur ad liberationem à peccato per passionem & resurrectionem. Non dixisse autem istud D. Thomam, supposita sententia, quam vt probabilem asseruerat in 3. Sententiarum, videlicet etiam homine non peccante, futuram fuisse Christi incarnationem, patet ex tertia parte q. 1. art. 3. ad. 5. Quantum autem fuisset incommodi, si præscius fuisset Adam sui casus, declarat Hugo de S. Victore, lib. 1. de Sacramentis, parte 6. cap. 15. *Quia bona (inquit) sperare cum præscientia malorum non potuisset.*

Secvnda propositio. Eadem fides semper sufficit ad beatitudinem, quæ sufficit ad iustitiam. Vt immeritò dixerint quidam, necessariam esse fidem Christi explicitam ad ingressum regni, non autè ad iustitiam. Multis enim modis isti refutari possunt: nam in primis per iustitiam quisque Dei filius est; si autem filius, & heres. Regni itaque hereditate, si in sua iustitia moriatur, non fraudabitur.

Secundò, Augustinus in Pelagianis reprehendit, quòd paruulos iustos excluderent à regno Dei. Cum Pelagianis itaque hac ex parte errant qui iustos putant inidoneos regno cælorum, etiamsi plenè purgati hinc discesserint. Sicut enim Pelagiani Scripturæ auctoritate coacti, admittebant, paruulos sine Baptismo decedentes non intrare in regnum cælorum; pollicebantur tamen eis vitam, tamquam innocentibus; ita isti non audent propter Scripturæ auctoritatem, sine fide Christi explicita polliceri adultis regnum Dei: humanis autem quibusdam rationibus permouentur, vt sine eiusmodi fide dicant eos iustificari.

Tertiò, Qui iustus est, seruat mandata; qui mandata seruat, ingreditur ad vitam. *Si enim vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Quartò, Neque Scripturæ, neque Patres, neque antiquiores Scholastici vllam hîc faciunt distinctionem iustitiæ & vitæ æternæ.

Quintò, Eugenius Papa in litteris vnionis, definit, omnes illos mox ad vitam ingredi, qui hinc discesserint in iustitia plenè purgati: quod verum non esset, nisi iustitia, remoto obice culpæ aut pœnæ, semper redderet hominem sufficienter dispositum ad capessendum regnum cæleste, per Christi mortem nobis apertum.

Dices, mox ad vitam tales ingredi; quia continuò vt corpore soluitur anima, discunt explicitè mysterium incarnationis Christi, eoque sensu ad salutem eis necessariam esse fidem explicitam in Christum, quæ non erat necessaria ad iustitiam.

Contrà: Etiam paruuli baptizati sic discunt hoc mysterium, quando hinc migrant; nemo tamen Catholicus dixerit, illis necessariam esse fidem Christi explicitam ad salutem. Si ergo non aliud velint aduersarij, aliter eis loquendum est.

Obiicit Banesius Augustinum ad Simplicianum q. 2. initio: *In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cælorum, sicut in Catechumenis, sicut in ipso Cornelio antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam verò tanta est, vt iam corpori Christi & sancto Dei templo deputentur.*

Verùm iste locus potiùs pro nobis est: solùm enim vult Augustinus, esse quamdam inchoatam fidem, quæ vt non sufficit ad regnum cælorum, ita neque sufficiat, vt quis Ecclesiæ incorporetur, vt iustus sit & sanctum Dei templum.

Obiicit & Chrysostomum, qui alibi dicat, opera Cornelij, antequam à Petro edoceretur de fide, fuisse quidem mirabilia, & placuisse Deo; sed tamen fuisse mortua. Sed (inquit Banesius) non potest intelligi de morte quæ opponitur gratiæ; aliàs enim non placuissent Deo: sed intelligenda sunt mortua, quia per se non poterant perducere ad vitam æternam.

Sed



Sed Respondeo, potuisse dici mortua, quia citra gratiam iustificantem, quæ vita est nostrorum operum, facta: placuisse tamen Deo, quia ex aliquali fide fiebant, & Cornelium disponebant ad iustitiam & Dei amicitiam: quomodo etiam pœnitentiam dicimus Deo placere, & omnia illa quę placant Deum; non tantùm illa quæ iam placatum habent.

Argumentatur tertiò ex ratione in hunc modum: In Lege veteri multi sunt iustificati per fidem implicitam incarnationis; nulli tamen admissi sunt ad regnum, nisi postquam in limbo vel purgatorio idem mysterium explicatiùs didicissent.

Respondeo, non ideò ante Christum fideles detentos fuisse in limbo, quia explicitam fidem de Christi incarnatione non habebant; nam etiam
Ioan. 8. illi qui explicitam habebant, vt Abraham qui *vidit diem Christi & gauisus est*, Moyses, Isaias, aliiq; maiores populi, inter quos nonnulli Christum præsentem viderant, vt Simeon & Ioannes Baptista, eamdem sortem subierunt: sed ideò qui nihil
Mich. 2. purgandum habebant, dilati sunt à regno Dei, quia Christus nondum ascenderat *pandens iter ante eos.* Quare si quis fidelium ante Euangelium satis promulgatum, post Christi ascensionem cum fide Christi implicita plenè purgatus, in sua iustitia mortuus fuisset, statim admissus fuisset ad cælestem beatitudinem.

Tertia propositio. Ante incarnationem Christi, hoc mysterium non necessariò credebatur explicitè necessitate medij. Probatur; quia alioqui rudior plebs fidelium tota fuisset damnata: necessitas enim medij omnes inuoluit, pusillos & magnos. Huc facit illud Apostoli ad Galatas 3. *Priusquam autem veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ reuelanda erat: itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, &c.* Ex hoc enim loco colligere licet, eos qui sub pædagogo, quasi in puerili ætate, in sua implicita fide Christi hinc emigrarunt, non carere salute: nam etiam paruulus, dum sub pædagogo est, & sub actoribus & tutoribus, heres est omniũ & dominus, vt dicit idem Apostolus capite sequenti. Ad idem nostrum propositum adduci potest illud Isaiæ 45. *Verè tu es Deus absconditus.* Hæc enim verba de Christo accipienda esse, docet Hieronymus, Cyrillus, Lyra, & alij communiter, Et quamuis dicta sint, quia in Christo habitabat corporaliter, & latebat plenitudo diuinitatis; possunt tamen, præcipuè secundùm lectionem Septuaginta, qui habent, *Tu enim Deus es, & nesciebamus*; ita accipi, vt significetur, populum Iudaicum explicitam fidem de Messiæ diuinitate non habuisse.
Matth. 27. Eódem pertinet mysteriũ scissi veli in morte Christi: scissione enim illa significabatur, reuelari apertiùs, quæ de Christo erant mysteria, vt interpretatur Augustinus de spiritu & littera cap. 15. Similiter interpretatur Origenes, qui, cùm duo fuerint vela, vnum interius, alterum exterius, dicit tantùm alterum velum esse scissum, vt significetur, quamuis reuelentur quæ vsque ad Christi aduentum rationabiliter fuerũt occulta; ex parte tamen nos cognoscere quamdiu peregrinamur à Domino, ideoque alterum velum nondum auferri. Ex Patribus pro nostra propositione videri possunt Eusebius lib. 7. de præparatione Euangelica cap. 3. Chrysostomus homil. 37. in Matth. Augustinus libro 19. contra Faustum, cap. 14.

Qvarta propositio. Necessitate præcepti maiores tenebantur explicitè credere in Christum venturũ, non autem minores. Ita sentit hîc D. Thomas. Quamuis enim solùm dicat, maiores populi veteris, cognouisse mysterium incarnationis, quod consistere cuipiam videri queat sine præcepto credendi aut cognoscendi: videtur tamen amplius voluisse, quia præceptum explicitè hoc aut illud credendi, sequitur traditionem legitimè à maioribus acceptam; qualem hi maiores videntur habuisse, & ex illa explicatiùs mysterium redemptionis nostræ intellexisse, quod per sacrificia profitebantur: quibus sacrificiis, cùm etiam minores vti iuberentur; facilè intelligitur, quomodo in illis, significatione huius mysterij grauidis, implicitè Christi fidem susceperint; Christi (inquam) non solùm incarnandi, sed etiam per passionem & resurrectionem suam nos redempturi. Idem cum D. Thoma sentit Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis parte 10. cap. 6. *Semper*, inquit, *in Ecclesia Dei ab initio fidem & cognitionem fuisse credimus incarnationis & passionis Christi, quia ab initio numquam defuerunt qui hoc cognouerunt: alij saluabantur, quia horum perfectioni fide simplici iungebantur, & eos benè operando sequebantur.* Confirmari potest prior pars nostræ propositionis ex ratione seu congruentia: quia conueniebat, vt qui sacrificiis præerant, eorum rationes & mysteria distinctiùs intelligerent; alioqui si etiam ipsi ea ignorarent, omnis defuisset circa ista populi Dei instructio, & vix vlla fuisset vtilitas sacrificiorum in excitanda deuotione vrentium. Ad hæc, Agnus occisus est ab origine mundi, vt dicit Ioannes in Apocalypsi cap. 13. hoc autem intelligendum est de occisione in fide & sacrificiis Patrum: quamuis quidam hîc intelligunt hyperba- Commentarius Anton, vt illud *ab origine mundi* non debeat iungi cum illo *occisus est*; sed cum eo quod præcedit, *scripta sunt.* Est tamen intellectus prior multorum, quem Sixtus Senensis contra Rupertum contendit esse genuinum, lib. 2. Bibliothecę: & tuetur eum congrua auctoritate, & certa ratione contra Riberam, Viegas in illum locum. brosio inscriptus, Beda, Ribera, &c.

Posterior pars propositionis, quamuis ex dictis pateat, confirmatur ex D. Bernardo epist. 77. vbi ex proposito refellit contrarium errorem, quem ex litteris Hugonis Victorini didicerat eo tempore à quodam teneri; qui volebat, etiam priscis illis temporibus, neminem quantumuis ex simpliciori plebe, iustum aut saluum esse potuisse, qui non crediderit & sciuerit apertissimè mysterium incarnationis & redemptionis, prout Apostoli posteà sciuerunt & Symbolo tradiderunt. Refellit autem tam Hugo quàm Bernardus eiusmodi errorem: Primò, quia sic nemo potuisset eo tempore saluari, qui non fuisset Propheta. Secundò, quia aut Deus tunc nimis largus fuisset saluando, aut nimis parcus: si enim explicita de incarnatione fides ad salutem omnibus erat necessaria; vel gratiam huius fidei omnibus dedit Deus, & pro temporis illius statu in Scripturis sacris reuelato, nimis largus fuit; vel eam dedit solis illis paucis spiritualibus, qui in rebus diuinis eminebant: & nimis parcus fuit, reliquos omnes excludendo à salute. Tertiò, Apostoli Domino prædicante erant iusti, non tamen mysterium incarnationis explicitè credebant, ita vt etiam Domino apertè prædicente, non satis intellexerint eius passionem &

resurrectionem: imò & post Domini resurrectionem, de redemptione iam facta dubitabant duo
Lucæ 24. illi discipuli, quia dicebant: *Nos sperabamus quia ipse erat redempturus Israël.* Quartò, Mysterium
Colos. 1. incarnationis dicitur ab Apostolo sæculis absconditum, & nouissimis temporibus reuelatum Sanctis: non ergo fuit Sanctis passim reuelatum prioribus illis sæculis. Itaque Bernardus & Hugo volunt, simpliciores tunc temporis, sine detrimento salutis, saluationis tempus, modum & ordinem nesciuisse, quæ tamen certa spe & fide, vti promissa fuerant, firmissimè tenuerunt: sicuti hodie simpliciores Christiani vitam æternam sæculi futuri credunt, de cuius tamen forma ac statu, ne cogitare quidem vel tenuiter norunt.

*Obiect.* Contra priorem partem huius propositionis, est vna obiectio ex Euangelio Matth. cap. 11. vbi Ioannes Baptista, qui proculdubiò erat ex maioribus populi Dei, non videtur satis explicitam habuisse fidem Christi venturi; quando per suos eum interrogat: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Imò ex hoc licebit colligere, etiam alios non habuisse: quia vt Veritas ibidem testatur, *Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptista.* Quod testimonium, inquiunt Bernardus & Hugo, falsum erit, si tantum tribuamus veteribus, quantum nec Ioanni vendicare valemus.

*Respons.* Respondeo, illis verbis Ioannis ad extremum hoc solum posse conuinci, non habuisse eum tam distinctam & explicitam fidem de modo & circumstantiis nostræ redemptionis omnibus, ac habuerunt posteà Apostoli, & habuisse contendebat veteres iustos ille, contra quem agunt Bernardus & Hugo. Varij alioqui sunt intellectus istorum verborum. Optimus videtur, Ioannem discipulos suos cum hac legatione ad Christum misisse, non quòd ipse dubitaret an hic esset Christus, cui priùs tam præclarum testimonium perhibuerat; sed quia discipuli dubitabant, & quia maioris faciebant Ioannem quàm Christum. Illos itaque ad Christum mittit, vt ipsi discerent, quod in eis interrogabat magister. Confirmari id potest ex cap. 18. Actorum, vbi Apollo diligenter docet ea quæ sunt Iesu, sciens tantùm baptisma Ioannis: inde enim colligimus, etiam Ioannem discipulos suos diligenter docuisse illa quæ sunt Iesu.

QVINTA PROPOSITIO. Quouis tempore post Adæ lapsum, etiam ante Christum, necessarium fuit necessitate medij, implicitè saltem in alio supernaturali credere Christi incarnationem. Ita docent communiter Doctores cum Magistro in 3. dist. 25. & in 4. dist. 1. D. Thomas hîc.

Dico, *In alio supernaturali*, ne quis existimet sufficere cognitionem naturalem prouidentiæ diuinæ, præsertim quà inquirentibus se remunerator est: eiusmodi enim cognitio non sufficit: imò reuerà impossibile est, vt in veritate naturali plus implicitè credatur, quàm ratione naturali cognosci queat; quamuis de beatitudine naturali eiusque mediis, possit in tali veritate contineri fides implicita. In genere itaque ex diuina traditione, debebant etiam veteres illi supernaturali fide credere, quòd esset aliquis à Deo mittendus, qui saluum faceret totum populum in se credentem, à peccatis eorum: aut saltem, si tempus ante legem spectes, quòd Deus erat eos liberaturus. De hac re Hugo & Bernardus ita disserunt: Multi ante Saluatoris aduentum, Deum omnipotentem tenentes & diligentes, fuę salutis gratuitum promissorem credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum redditorem, in hac fide & exspectatione saluati sunt. Idem Hugo sub finem capitis 6. suprà, docet, ante legem simplicibus non fuisse necessarium credere, etiam generatim, quòd Deus esset missurus aliquem redemptorem; sed solùm quòd ipse Deus, modo sibi placenti, à peccatis eos esset liberaturus: tempore autem Legis debuisse ab omnibus credi, quòd eis Deus esset missurus aliquem liberatorem. Itaque generatim neminem vmquam potuisse sine fide Christi, saltem implicita, modo explicato, hoc est, sine fide supernaturali, qua saltem crederent Deum futurum redemptorem eorũ qui eius misericordiam quærerent & exspectarent, indicant Scripturæ & Patres. Actorum capp. 4. & 10. dicitur, non esse aliud nomen in quo sit salus & remissio peccatorum, præter nomen Christi. Isaiæ 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum: qui crediderit, non festinet.* Hîc significatur, ciuitatem fidelium fundari super fidem Christi: vna est autem ciuitas fidelium ab initio, & fundamentum aliud nemo potest ponere; debent ergo omnes qui sunt in hoc ædificio mystico inniti aliquo modo ipsi Christo per fidem, tamquam fundamentum. Sap. 9. *Per sapientiam sanati sunt, qui cumq; placuerunt tibi Domine à principio.* Oseæ 13. *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne.* In Apocalypsi dicitur Christus habere claues mortis Apoc. 1.
& inferni: alibi dicitur nemo ascendere in cęlum, Ioan. 3.
nisi Filius hominis, qui descendit de cælo. Frustrà ergo sperat homo mortem aut infernum euadere, qui non fuerit incorporatus Christo: non est autem Christo incorporatus, qui in eum non credit; neque salutis eius est particeps, qui fide eum non aspicit, tamquam æneum serpentem exaltatum in cruce. Non est membrum Christi, vt cum eo possit ascendere in cælum, nisi conforme sit, & fide capiti cohæreat, vt docet S. Bernardus sermone quodam de sex tribulationibus. Docet idem sanctus Augustinus lib. 18. de Ciuitate cap. 47. vbi loquens de iis qui olim potuerunt placere Deo, addit: *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus est vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Vbi cuipiam videbitur D. Augustinus plus probare quàm oporteat: videtur enim velle, Christi fidem, etiam explicitam, necessariam semper omnibus fuisse: sed dicendum videtur, omissis responsionibus quas refert Banesius, D. Augustinum agere de illis, qui eo tempore, quo cultus Dei vigebat præcipuè in Israël, inter Gentes Deo placuerunt: quod non est factum, nisi Deo redemptorem eis peculiari priuilegio reuelante: nam eo tempore non sufficiebat credere quòd Deus esset liberator futurus; sed oportebat credere quòd liberaturus esset per Redemptorem, à se aliquando mittendum. Vel simpliciter dici potest, Augustini sententiam generalem esse, & accipiendam de reuelatione quæ fiat saltem implicitè, & vt loquitur cap. 118. Enchiridij, pro temporis ratione velata & occulta. Idem docet Epistola 157. & alibi; vbi dicit, antiquos illos fuisse reipsa Christianos. Hieronymus in caput 2. ad Galatas non tantùm propositionem nostram asserit, sed idoneo testimonio confirmat:

Hugo li. 1. de Sacram. par. 11. c. 6. Bernardus Epist. 77.

L. 2. de gratia Christi, c. 24. l. 3. cont. 2. ep. Pelag. c. 4.

*Admo-*



*Admonere*, inquit, *debemus, Sanctos qui antiquitus fuerint, ex fide Christi iustificatos; siquidem Abraham vidit diem Christi, & lętatus est. Et Moyses maiores diuitias æstimauit thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: & Isaias vidit gloriam Christi, vt Ioannes Euangelista commemorat: & Iudas de omnibus generaliter: Commonere, inquit, vos volo, scientes semel omnia: quoniam Iesus populum de terra Ægypti saluans, secundò eos qui non crediderunt, perdidit.* Addi potest Gregorius hom. 17. in Ezechielem etiam à Magistro citatus, qui huic proposito mystică accommodat, quod in Euangelio est: *Et qui præibant & qui sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna*, &c. quasi significatum sit, non tantùm tempore Legis nouæ, sed etiam prioribus sęculis, omnes electos illud *Saluum fac*, per fidem acclamasse. Denique B. Prosper in illud Psal. 104. *Nolite tangere christos meos. Ideò iam tunc christi dicti sunt, cùm adhuc in vsu chrismatis non esset: quia & ipsi in ea viuebant fide, qua erat in nouissimis temporibus reuelanda: ab initio enim omnibus Sanctis non nisi in Christo iustificatio fuit.*

Potest & ratione eadem Propositio confirmari. Christus enim est caput fidelium; oportet itaque omnes aliquo modo ei tamquam capiti fuisse coniunctos: non potuerunt autem, nisi per fidem in ipsum. Ita Bonauentura.

Obiici hîc potest Eusebius lib. 7. de præparatione Euangelica cap. 3. *Abrahamo Scriptura mirabilem iustitiam, quam non à Moysaica lege, sed naturali fuit ratione consecutus, summa cum laude attestatur.* Hîc enim videtur Eusebius dicere, ad iustitiam sufficisse ante Legem, solam cognitionem naturalem: ergo non fuit opus credere implicitè in Christum in alio supernaturali.

Respondeo; Naturalem rationem vult Eusebius sufficisse sine lege scripta, sed non sine gratia fidei: subiungit enim ex Scriptura, Abrahamum per fidem consecutum esse iustitiam. Patet etiam ex illis quæ tractat de Enoch.

Secundò obiicitur Chrysostomus hom. 37. in Matth. *Poterant homines tunc, etiam Christum non confessi, saluari: non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur; sed vt idolorum cultu spreto, solum Deum conditorem omnium noscerent.* Cuius confirmationem subiungit ex illo ad Romanos cap. 2. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum.*

Respondeo cum Sixto Senensi lib. 6. Biblioth. annot. 51. Chrysostomum posse accipi de fide explicita, vt non aliud voluerit, quàm non requisitam fuisse tunc ab omnibus explicitam Christi fidem, sicut vnius Dei; vt sit confirmatio nostræ tertiæ Propositionis.

SEXTA PROPOSITIO. Post Christi passionem, nondum sufficienter per totum orbem promulgato Euangelio, non erat necessarium necessitate medij, credere explicitè in Christum. Probatur, Quia vt dicit Bernardus suprà epist. 77. *Durum nimis austerumque videtur, vt verbum absconditum, iam palàm noceat, & antè iudex feriat, quàm minetur; quodque interim in tenebris loquitur & in aure Saluator, nondum quidem saluet, quia nondum apparet, & iam mundum impleat condemnatis.*
Genes. 20. Secundò, Deus gentem ignorantem & iustam non interficit, vt Abimelech dicebat. Tertiò, Non conuenit vitæ auctori, morte, quam exterminare venerat, vti mox in initio viarum suarum ad præiudicium sæculi, fidem nondum promulgatam ignorantis. Quartò, Lex non obligat antequam sufficienter promulgetur, ergo neque Lex ista fidei explicitæ in Christum: neque enim hæc ita ad ius naturæ pertinet, vt absque noua promulgatione lex naturalis eam ignorari non sinat. Quamuis enim connaturale sit ordini supernaturali, credere hoc mysterium; habet tamen commune cum legibus positiuis, quòd ex Dei arbitrio pendebat, quando iam adesset ea plenitudo temporis quo Filius moreretur, mitteretur, & similia. Quintò, Ex Apostolo: *Sed dico, Numquid non audierunt?* Ac si dicat, Excusari poterant, si non audissent: vbi enim non est Lex, nec præuaricatio. Denique ex ipsius Christi dicto: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Neque enim satis est, Christum venisse; sed oportet locutus fuerit, & in omnem terram sonus eius exiuerit, vt quoslibet arctissima illa obligatio fidei explicitæ inuoluat.
Rom. 10. Rom. 4 Ioan. 15.

SEPTIMA PROPOSITIO. Quando cœpit promulgari Euangelium, etiam antequam sufficienter per totum orbem promulgaretur, tenebantur ij, quibus sufficienter annuntiatum erat, necessitate præcepti, explicitè credere in Christum. Patet ex Marco: *Qui non crediderit condemnabitur.* Etiamsi enim non suberat adhuc necessitas illa medij, de qua superiori Propositione; semper tamen subfuit necessitas præcepti quoad illos quibus sufficienter fides proponebatur, Domino eam confirmante sequentibus signis. Cap. vlt.

OCTAVA PROPOSITIO. Sufficienter per totum orbem diuulgato Euangelio, explicita in Christum fides omnibus adultis est necessaria necessitate medij, ita vt nullus adultus vllo casu iustificetur, aut saluetur, qui non explicitè credat in Christum. Est D. Thomæ in 3. d. 25. q. 2. ar. 2. vbi adeò vult hanc fidem esse necessariam, vt si quis non haberet prædicatorem, Deus ei esset reuelaturus, nisi per culpam suam obicem poneret. Quod benè notandum est: quia in primis refutat sententiam Banesij, qui putat hanc explicitam Christi fidem non esse necessariam ad iustitiam, sed tantùm ad salutem. Secundò refutat sententiam Vegæ, qui putat tantùm necessitate præcepti esse necessariam: si enim ita esset, non diceretur Deus ei reuelaturus, qui sine culpa sua careret prædicatore. Tertiò refutat opinionem illorum, qui admittunt, extraordinariè saltem posse contingere, vt quis etiamnum saluetur, qui in Christum non explicitè crediderit. Quartò multùm temperat rigorem qui videtur esse in hac Dei lege: quamuis enim non sit omnibus possibile habere prædicatorem; est tamen omnibus possibile per gratiam Dei, ita se disponere, vt Deus infallibiliter eos sit illuminaturus: aut saltem, quod eòdem recidit, omnibus est possibile, non ponere impedimẽtum per culpam diuinæ illustrationi. De qua re alibi latiùs diximus. Et sanè si quis expendat, non multùm dissimilis est rigor, si necessitas consideretur, quę semper maxima fuit fidei supernaturalis: cùm tamen naturæ viribus haberi ea non potuerit.

Durandus lib. 3. eadem dist. q. 1. apertè tenet nostram Propositionem; sed in eius explicatione addit: Siquis natus & enutritus esset in deserto, vbi nihil ei de fide esset explicatum: talem, si berè viuat secundùm legem naturæ, fore à Deo illuminandum. Vbi si Durandus intelligat bonam vitam

vitam ſecundùm legem naturæ, ſine auxilio gratiæ; refutatus eſt à nobis in materia de gratia: ſi autem intelligat cum auxilio gratiæ, ſine quo probabile eſt neminem ſeruare totam legem naturæ poſt lapſum; vera eius eſt ſententia.

Denique Ruardus art. 8. & alij Catholici paſſim noſtram hanc Propoſitionem aſſerunt, quæ probari poteſt in primis Scripturis ſacris. Ioan. 3. *Qui non credit in eum, iam iudicatus eſt.* Vbi adhibita ſimilitudo ænei ſerpentis, confirmat neceſſitatem medij. Rurſus in fine capitis: *Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum.* Vbi ſignificatur, à peccato originali neminem liberari, niſi remedio huius fidei. Et c. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Hic videtur ſignificari, fidem explicitam in Chriſtum eſſe
Ioan. 12. quaſi partem iuſtitiæ: *Qui enim facit legem, iuſtus eſt, & mandatum Dei vita æterna eſt* Rurſus c. 10. & 14. dicitur Chriſtus oſtium & via ſalutis. Ad hæc quod ad Hebr. 11. dicitur, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*; pro tempore Chriſti iam reuelati, debet intelligi de fide explicita Chriſti. Paſſim enim Doctores ſimiliter nunc dicunt eſſe neceſſariam fidem explicitam Chriſti, ſicut olim dicunt ſine fide neminem potuiſſe placere Deo. Ad-
Seſſ. 6. c. 6. di poteſt Concilium Tridentinum, quod inter diſpoſitiones ad iuſtitiam, hanc fidem Chriſti mediatoris recenſet. Denique D. Auguſtinus videtur ſenſiſſe, tam neceſſariam eſſe poſt promulgatum Euangelium hanc de Chriſto explicitam fidem, vt nulla ignorantia, quantumcumque inuincibilis, excuſare poſſit à damnatione, etiamſi Euangelium audiri non potuerit. Nam c. 7. de corrept. & gratia docet, electis numquam deeſſe Euangelij prædicationem & fidem. Lib. de natura & gratia cap. 2. docet, ſine fide paſſionis & reſurrectionis Chriſti, non poſſe quempiam ſaluari aut iuſtificari. *Si*, inquit, *non gratis Chriſtus mortuus eſt, ergo omnis humana natura iuſtificari & redimi ab ira Dei iuſtiſſima, id eſt, vindicta, nullo modo poteſt, niſi per fidem & ſacramentum Sanguinis Chriſti.* Accedit illud Athanaſij in Symbolo: *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.*

Poſtremò probatur ratione; Cùm enim conſtet, neceſſariam eſſe fidem ſupernaturalem, admodum conueniens eſt, vt peracta iam redemptione non minùs teneamur credere in Deum redemptorem, quàm genus noſtrum ab initio tenebatur credere in Deum creatorem. Creatorem enim & Saluatorem credendo, fideles ſumus, vt benè Hugo lib. 1. de Sacramentis parte 10. c. 5.

Obiicitur; Si tunc demum neceſſaria omnibus dicatur fides explicita Chriſti, quando toto orbe diuulgatum fuerit Euangelium, non erit neceſſaria, niſi in fine mundi: non enim diuulgabitur Euangelium per totum mundum, niſi quando iam inſtabit conſummatio ſæculi. Ita enim habemus Matth. 24. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus. Et tunc veniet conſummatio.* Deinde, vt detur, in maioribus prouinciis totius orbis fuiſſe nunc Euangelium promulgatum: multi tamen ſunt orbis anguli, ad quos nondum peruenerit Euangelij ſonus. Denique etiam in quibuſdam maioribus mundi partibus, in quibus fortè circa initium aliquando annuntiatum fuit; ita poſtmodum in obliuionem abiit, vt non magis poſteris inde aliquid reſcire poſſibile ſit, quàm ſi in illis locis numquam quidquam de Euangelio auditum fuiſſet: quomodo in quibuſdã nouis orbis partibus accidiſſe creditur, in quibus trecentis aut etiam quingentis annis fides Chriſtiana omnino ſepulta, & vix vllo relicto veſtigio, prorſus fuit deleta; donec patrum noſtrorum memoria, iterùm quaſi ab inferis reuocaretur. Non ſatis itaque apparet, quomodo nunc omnes omnino pereant, qui fidem Chriſti non habent.

Reſpondeo; Quorumdam ſententia eſt, Euangelium non fuiſſe primo poſt paſſionem Chriſti ſæculo per totum orbem diuulgatum; imò neque diuulgandum, niſi inſtante iam mundi conſummatione, propter allegatum locum Matthæi. Ita videtur ſenſiſſe D. Auguſtinus epiſt. 78. & 80. ad Heſychium, item epiſtola 165. lib. de natura & gratia cap. 2. & lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 16. Probat autem epiſtola 80. eò quòd in Africa ſuo tempore adhuc innumeræ gentes ſupereſſent, quibus nondum eſſet prædicatum Euangelium; quamuis lib. de natura & gratia dicat, pauciſſimas, vt perhibetur, ſupereſſe.

Aliorum eſt ſententia, primis viginti aut triginta ab aſcenſione Domini annis, per totum orbem Euangelium fuiſſe promulgatum. ita Chryſoſtomus hom. 76 in Matth. *Viginti annis, aut ad ſummum triginta, ad omnes oras orbis Euangelium tranſcurrit.* Per conſummationem autem in loco Matthæi, intelligit deſtructionem & euerſionem Ieroſolymorum.

Tertia ſententia diſtinguit, initio quidem Euangelium fuiſſe promulgatum per totum orbem tunc repertum, ita vt vix vlla fuerit in eo regio, vbi Euangelium non inſonuerit; ſimpliciter autem vbique, præſertim in illa quarta parte, ante centum circiter annos demum reperta, non fuiſſe promulgatum. Ita Maldonatus in Matth.

Quarta ſententia etiam diſtinguit, ſed alio modo. Dicit enim, prædicatum poſſe dici Euangelium in vniuerſo mundo duobus modis: vno ita, vt reipſa vbique fuerint prædicatores; & ſic recipiendam eſſe ſententiam D. Auguſtini, & de eiuſmodi prædicatione loqui textum Matthæi: alio, vt in præcipuis mundi partibus ſit prædicatum, & fama eius potuerit peruenire ad omnes; quo modo Apoſtolus Romanis cap. 1. ſcribit: *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.* Et alibi:
Rom. 10. *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum*: ita verum eſſe quod dicit Chryſoſtomus. Ita ſentit Caietan. in locum Matthæi, & videtur ea ſententia veriſſima: imò probabile eſt, quamuis magis obuium ſit Scripturam intelligere de conſummatione Ieroſolymorum & prædicatione poſteriori modo, poſſe tamen accipi pro ſenſuum fecunditate Scripturis diuinis familiari, etiam de conſummatione & prædicatione priori modo. Sufficere autem ſecundo illo modo factam promulgationem Euangelij, vt omnes vbique terrarum, etiam in orbe non reperto, pereant qui non crediderint; omnino ſequitur ex ſententia D. Auguſtini cap. 7. de corrept. & gratia, & dicto capite 2. de natura & gratia: loquitur enim generaliter de toto humano genere. Neque id debet videri mirum: quia, vt ſuprà diximus, rigorem temperat, quòd nemo adultorum pereat, niſi qui defuerit gratiæ diuinæ. Secundò, maior eſt rigor in



in infantibus, qui priùs moriuntur quàm naſcantur. Tertiò, Totus pænè orbis ante Chriſtum non habuit illuſtriora præſidia ad fidem ſupernaturalem, quæ etiam tunc erat neceſſaria neceſſitate medij. Quartò, Non eſt certum an in orbe qui fuit aliquamdiu ſeparatus à tribus partibus mundi cognitis, tunc non fuerit prædicatum aliquo modo Euangelium, verbi gratia, à Thoma Apoſtolo,
Iſidorus de vita & morte SS. in Thoma. quem Indis conſtat prædicaſſe, ex Iſidoro & epiſtolis Indicis.

Obiicitur Secundò, De ſubſtantia neceſſariò credendorum, ſolùm videntur eſſe illa, quæ ſunt obiectum per ſe viſionis beatificæ: atqui humana Chriſti natura non eſt obiectum iſtius viſionis: ergo, &c.

Reſpondeo; Quando ſanctus Thomas docet, illa pertinere ad ſubſtantiam fidei, per quæ efficimur beati; intelligendum id eſt ſiue obiectiuè aut formaliter, ſiue efficienter, vt ipſemet ſatis indicat ſuperiori qu. artic. 8. Ad ſubſtantiam itaque fidei pertinet humana Chriſti natura, non tam vt obiectũ beatitudinis, quàm vt via ad beatitudinem, quam omnino neceſſarium eſt viatoribus noſſe.

Quæres, quidnam explicitè de Chriſto oporteat credere neceſſariò neceſſitate medij.

Reſpondeo ex Symbolo Athanaſij, oportere credere, quòd ſit Filius Dei, Deus & homo; alioqui non crederetur in Chriſtum: item oportet credere eius paſſionem & reſurrectionem, vt patet non ſolùm ex Auguſtino ſuprà de natura & gratia cap. 2. ſed ex ipſo Apoſtolo ad Rom. 10. *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus: quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſalnus eris.*

ASSERTIO VLTIMA. Neceſſitate præcepti hodie tenentur omnes explicitè credere myſterium incarnationis, quoad articulos Symboli Apoſtolorum, præcipuè illos qui in Eccleſia publicè, vel ritibus, vel Feſtis celebrantur.

Dubium eſt inter Theologos, An illi articuli, qui Symbolo Apoſtolorum de Chriſto continentur, ſed ab Eccleſia non ſolemnizantur, debeant ab omnibus idiotis ſciri & teneri ſub præcepto, cuius tranſgreſſio ſit letalis.

*Sentenz. 1.* Tres hîc ſunt ſententiæ. Quidam dicunt ſolos illos eſſe neceſſariò ab omnibus credendos, quos non tantùm prædicatio, ſed Eccleſiaſticus vſus & conſuetudo manifeſtat. Ita Bonauentura & Durandus. Exiſtimant enim, ad ſuauem Dei diſpoſitionem pertinere, ne conſtringantur rudiores ad diſcendum aliquid, quod non niſi magna difficultate cognoſcere poſſunt. Alij non ſolùm Apoſtolicum Symbolum totum, ſed etiam Nicænum
2. & Athanaſij, volunt omnes, etiam rudiores, explicitè debere credere. Alij denique tenent noſtram
3. Propoſitionem: ita D. Thomas hîc; quamuis videatur ſentire omnes articulos Symboli, qui ſolent de Chriſto ab Eccleſia ſolemnizari, & publicè proponi, vt non magnopere in eius doctrina locum habere videatur noſtra dubitatio. Tenet eamdem ſententiam Adrianus quodlibeto 3. Baneſius hac quæſt. art. ſequenti. Graffius lib. 1. deciſ. cap. 24. Azorius lib. 1. cap. 6. & videtur conformis praxi communi Eccleſiæ, quæ pueris ediſcendum proponit Symbolum Apoſtolorum, non autem Nicænum aut Athanaſij. vide cap. Neceſſarium, & cap. Ante viginti. de conſecrat. diſt. 4. & de Pœnitentiis & remiſſionibus, cap. Deus qui.

Ad argumentum primæ ſententiæ reſpondeo; *Reſpon. ad argumen. 1. ſenten.* Si cui impoſſibile aut valdè difficile ſit diſcere verbotenus totum Symbolum, ille quidem memoria tenere non obligabitur; imò ordinarium hoc eſt, vt communis fidelis non teneatur ſub peccato mortali, ſed ſolùm ſub grauiori veniali, ordine & memoriter tenere Symbolum Apoſtolorum; quamuis paſtores teneantur docere, vt videre licet apud Nauar. cap. 11. nu. 22. Tenentur tamen communiter Symbolum ſpiritualiter, id eſt, ſenſum tenere, vt patet ex dicto cap. Ante viginti, & gloſſa ibidem: ſcire enim leges, non eſt verba tenere earum, ſed vim ac poteſtatem. ff. de leg. L. Scire leges. Eódem pertinet cap. Marcion 1. qu. 1. Sub peccato ergo mortali ordinariè tenentur fideles ſcire, non memoriter & ordine, quod ad ſummum ſolùm præcepti eſt Eccleſiaſtici, ſed quoad ſenſum Symboli illos articulos, quos Eccleſia ſolemnizat, quod eſt præcepti diuini; ita Nauarr. ſuprà. Eorum enim probabilem ignorantiam prætendere non poteſt, qui inter fideles verſatur. De reliquis verò, etiam illis qui aliquo modo Symbolo continentur, ſed non conſtituunt vnum ex quatuordecim articulis, iudicandum erit ex circumſtantiis: certum enim eſt, vnumquemque fidelem debere tantum de rebus fidei credere, quantum ſibi proponitur: ita vt tota hæc quæſtio pænè eò recidat, quantum debeat quiſque ex ſimplicioribus Chriſtianis operæ impendere, quærendis & audiendis fidei inſtructoribus; de quo in particulari prudens iudicabit. Dixi, *ordinariè*: quia ſi quis adeò ſit obtuſo ingenio, vt nequeat concipere quoſdam difficiliores articulos, is excuſabitur à præcepti neceſſitate, modò ea credat, quæ creditu neceſſaria ſunt neceſſitate medij.

Affine eſt huic articulo & illud dubium: Quænam ſint ex præcepto credenda paſſim ab omnibus præter articulos Incarnationis, de quibus iam dictum eſt, & Trinitatis, de quo ſequenti articulo?

Reſpondeo, Præter ea quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur, credenda & tenenda eſſe ab omnibus ſaltem tria Sacramenta, Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam, Decalogi præcepta, præcepta communia Eccleſiæ, animæ immortalitatem, peccatum originale, Deum eſſe orandum, adeoque orationem Dominicam, Deum eſſe timendum, vt qui poſſit mittere in gehennam; & generatim, quęcumque ſecundùm ſtatum reuelatæ fidei ſunt cuique neceſſaria ad honeſtè viuendum in ordine ad finem ſupernaturalem. Azorius tamen non improbabiliter exiſtimat ſufficere ſimplicibus, ſi explicitè credant Symbolum, cùm hæc omnia aut explicitè aut implicitè illo continentur. Non tamen apparet, quomodo Symbolo Apoſtolorum explicitè contineatur, Chriſti Corpus realiter eſſe in Euchariſtia; aut quomodo id non oporteat eum explicitè credere, qui tenetur communicare. Illud omnino conceſſerim, non teneri aliquo diuino, aut vniuerſalis Eccleſiæ præcepto, vulgares fideles Decalogum aut petitiones orationis Dominicæ verbotenus & ordine poſſe recitare; debent tamen ſecundùm rem ipſam iſtas eatenus ſcire, vt interrogati meminiſſe valeant, quid de illis ſentiendum ſit, & petere ſciant quæ oratione Dominica continentur; imò omnino

nino agendum, vt etiam verbotenus sciant, vt saltem ex studio ediscendi præsumi possit, quòd sufficienter intelligant.

Denique hîc quæri potest, Quando obliget præceptum, interiùs in animo eliciendi actũ fidei?

Respondeo; Credere est cum assensione cogitare: quare qui credit, nouit seu apprehendit, & præterea assentit: & quamuis sine assensu apprehendere possit (oportet enim etiam dissentientem apprehendere) assentire tamen non potest, nisi iam didicerit quod apprehendat. Hinc fit, vt necessitas credendi semper inuoluat necessitatem sciendi, & impossibilitas sciendi interdum inuoluat nec essitatem credendi.

Hoc supposito, certum est teneri quemque elicere actum fidei, quando primùm ei proponitur fides sufficienter, ita vt non possit notabilis mora intercedere. Sed quòd quidam putauit, hoc vnico actu omnem exstinctam eliciendi actum fidei obligationem; non placet.

Secundò itaque tenetur credendi actum habere, quando grauem contra fidem tentationem patitur, ita vt verè eius in fide firmitas periclitetur; nisi fortis in fide diabolo resistat. Quod addo cum Ledesma apud Sanchium l. 2. in Decalog. c. 1. vt à fidei actu excusetur scrupulosus. Atque his duobus casibus præceptum fidei satis per se obligat.

Tertiò, Obligat etiam, quando confitenda necessariò fides; quod nequeas sine interiore fide commodè præstare. Sed hoc per accidens est.

Quartò, Iterùm & quidem magis per accidens debemus elicere actum fidei, quando sine eo tentatio aliqua circa materiam externam fidei superari non potest.

Quintò, Dixit Valentia, in articulo mortis nos ad fidei actum obligari. Sed hoc absolutè verum non erit, nisi concurrat tentatio per fidem vincenda; aut quatenus tunc pœnitentiâ opus est, ad quam debeat concurrere fides.

Sextò enim dicunt quidam, opus esse actu fidei in conuersione, eò quòd in ea debeat esse spes veniæ, quæ non sit sine fide. Sed benè restringit Ruardus artic. 8. hoc ad virtualem fidem; neque enim ad conuersionem opus est formali actu fidei, sicuti neque ad spem aut amorem.

Septimò, Dicunt nonnulli, probabile esse, aliquories in vita ad eliciendum actum fidei, quasi peculiari præcepto, hominem teneri. Neque tamen placet quod Ledesma voluit, singulis saltem annis semel, instar confessionis peccatorum, præceptum hoc recurrere; nullum enim hac de re præceptum Ecclesiæ, sicut de annua peccatorum confessione.

Dubitabis, Quando obliget præceptum discendi ea quæ sunt fidei.

Respondeo; Tam fidelis quàm infidelis, statim atque ad vsum rationis peruenerit, tenetur inquirere præceptores fidei, eosque audire. Vbi peculiarem posse esse præuaricationem, patet: fieri enim potest vt animo paratus credere si audiat, negligat audire; si verò hanc obligationem infidelis inuincibiliter ignoret, excusabitur quidem à peccato infidelitatis, sed carebit remedio aliorum peccatorum.

Dubitabis iterùm, Quando censeatur fides sufficienter proposita, vt infidelis teneatur credere.

Respondeo; Quando sic proponitur, vt euidens sit esse credibilem. quare non sufficit quòd sic sit proposita, vt prudenter eam credere possit, puta quòd iam æquè probabilis, aut etiam probabilior ei sit fides, quàm sua secta. Excipio tamen articulum mortis, in quo teneretur amplecti fidẽ quam iudicaret probabiliorem, etiamsi non haberet de credibilitate euidentiam. Illud extra controuersiam est, vt infidelis teneatur inquirere de vera fide, adeò vt si non inquirat, ignorantia eius fiat culpabilis; sufficere probabilia argumenta pro vera fide, quæ saltem prudens dubium contra infidelitatem iniiciant.

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm explicitè credere Trinitatem, sit de necessitate salutis?*

RESPONDEO; Quoad necessitatem medij & præcepti, rursum quoad distinctionem maiorum & minorum, omnino idem dicendum est de mysterio Trinitatis, quod suprà diximus de mysterio Incarnationis, videlicet à maioribus semper, à minoribus tempore reuelatæ gratiæ, ex præcepto debere explicitè credi: imò tempore noui Testamenti, fidem Trinitatis explicitam, esse necessariam necessitate medij. Hoc discriminis erit quoad statum hominis ante lapsum, quòd etiam tunc ab omnibus debuisset credi mysterium Trinitatis, quamuis fortè non similiter Incarnationis. Sub præcepto saltem omnes nunc teneri ad fidem explicitam Trinitatis, communis est Theologorũ sententia. Videntur tamen nonnulli negare eam esse necessariam necessitate medij, vt Scotus; *Si*, inquit, *sit aliquis rudis, qui non possit concipere quid est natura, & quid persona; non est necesse quòd habeat actum explicitum de articulo pertinente ad essentiæ vnitatem, & personarum trinitatem distinctè, sicut habent clerici litterati; sed sufficit (quòd si non potest talia intelligere, quia nec terminos) quòd credat, sicut Ecclesia credit.* Eamdẽ sequitur Azorius. Valentia tamen excusat Scotum, quasi solùm voluerit, rudiores teneri quidem ad explicitam fidem Trinitatis, vt qui posteà dicat teneri ad explicitè credendum articulos Symboli, qui communiter proponuntur omnibus, & solemnizantur in Ecclesia; non tamen teneri ad fidem Trinitatis tam distinctam, qualem habent clerici. Lib. 8. c. 7.

Omnino itaque asserendum videtur, aliquo modo explicitam Trinitatis fidem etiam rudioribus hodie esse necessariam necessitate medij. Nam in primis, vt dicit hîc S. Thomas, non potest explicitè haberi fides Incarnationis, quòd nimirum Filius Dei conceptus sit de Spiritu sancto, & natus ex Maria Virgine, nisi aliquo modo explicitè credatur in totam Trinitatem: Filius enim sine Patre intelligi non potest. Addit S. Thomas, fidem explicitam Incarnationis explicitè hoc continere, quòd Christus per Spiritus sancti gratiam mundum renouarit. Secundò, adduci hîc potest congruentia quę petitur ex nomine Christi apud Irenæum lib. 3. cap. 20. quando enim Christum dicimus, & Patet subauditur qui eum vnxit, & ipse qui vnctus est, & Spiritus sanctus quo vnctus est. Scriptum est enim, *quem vnxit Deus Spiritu sancto.* Act. 10. Tertiò, huc pertinet quòd in Christo non renascamur, nisi inuocatione sanctissimę Trinitatis. Vt itaque statuamus, quòd Deo credere sit meritorium; operæ pretium fuerit de singulis istis breuiter videre, an quadrent in actum credendi.



nitatis, vt non solùm verbo, sed ritu maximè solemni tam necessarium mysterium inculcetur. Quare & Paulus illos qui ignorabant Spiritum sanctum, interrogat: *In quo ergo baptizati estis?* Quartò, Trinitas est principale obiectum fidei nostræque beatitudinis, vt meritò eius fides, explicitè cum primis habenda, sit maximè necessaria. Quintò, Vnitas Dei non rectè intelligitur, nisi in personarum trinitate, vt benè docet Cyrillus. Postulat enim infinitudo diuinæ naturæ, vt existat in tribus personis: imò in hoc propriè circa Deum versatur fides: nam vnus vtcumque ratione naturali intelligitur; trinus autem in personis non nisi per fidem intelligi potest, vt hîc verè locũ habeat, *Nisi credideritis, nõ intelligetis.* & quia nec Deus intelligitur, cùm in personis trinus non intelligitur, fides in Deum, fides erit in Trinitatem; & fides quæ in plenitudine temporis ab omnibus exigitur, erit fides explicita SS. Trinitatis.

Act. 19. Lib. 11. in Ioan. c. 16. Isa. c. 7. secũdum 70.

Ad Scoti difficultatem respondeo, neminem esse tam rudem, quin confuso modo concipere possit, quid sit esse tres personas, eumque conceptum applicare possit Deo, quem credit vnum esse. imò tanto faciliùs credet tres personas esse vnum Deum, quanto minùs ei rationes occurrent, quas Philosophi contra hoc mysterium mouere solent. Neque est quòd Scoti doctrinam quis ita accipiat, quasi Christiano iam adulto, sed in infantia beneficio Baptismi iustificato, salus esse queat, aut iustitia conseruari, nisi de mysterio Trinitatis & Incarnationis instructus fuerit diuina aut humana ope, & vtrumque explicita fide crediderit: sub hac enim cautione, patrinis sponsoribus, in sanguine Christi, per inuocationem Trinitatis ablutus est. Quare si postquam adoleuerit, non inueniat instructorem hominem, nisi in aliis peccet, habebit instructorem Deum.

Neque tamen improbabile est, si quis reperiatur ita rudi ingenio, vt explicitè satis concipere nequeat tres personas in vna natura diuina, talem, quoad hunc articulum, cum infantibus recensendum esse. Neq; enim necessitate medij tenetur hoc aut illud credere, qui etiam apprehẽsiua cognitione necessaria ad assensum & dissensum positiuum, propter naturalem aliquam impotẽtiam, rem credendam cognoscere non potest aut potuit. Sufficit itaque eo modo credat, quo apprehendere potest. Neque tamen satisfacit quod Sanchius dicit lib. 2. in Decalogum cap. 3. eiusmodi rudes teneri credere explicitè necessitate medij; explicitè autem debere scire tantùm necessitate præcepti. Debent enim eousque explicitè actu concipere, eoque sensu scire, quousque explicitè actu credere: cùm credere explicitè, sine conceptu explicito, non detur. Hoc admiserim, eiusmodi rudes necessitate medij non teneri ad memoria retinendum articulum Trinitatis; sufficit quòd interrogati eum corde & ore fateantur, quem instructi iam priùs crediderunt.

## ARTICVLVS IX.

### *Vtrùm credere sit meritorium?*

AD actum meritorium vitæ æternæ, vt alibi diximus, requiritur vt sit liber, Deo gratus, & honestus, supernaturalis: imò, vt D. Thomas vult, debet esse ex imperio charitatis. Vt itaque statuamus, quòd Deo credere sit meritorium; operæ pretium fuerit de singulis istis breuiter videre, an quadrent in actum credendi.

### DVBIVM I.

### *An qui credunt Deo, satis in eo sui sint arbitrij, vt apud Deum fides merito suo non careat?*

VIDENTVR non esse. Vel enim habent causam sufficienter inducentem ad credendum, vel non: si non habent, non est fides diuina, sed temeraria; si habent, non credunt liberè.

Contrà tamen faciunt, quæ 5. art. huius quæst. hac de re diximus, & ad articulum 4. & 5. quæst. 1. sect. 4. dub. 3. estque res omnino certissima, actum fidei esse liberum, quia quatuor modis libertas in eo reperitur; videlicet quoad exercitium cogitandi de rebus fidei, quæ libertas potest fidei esse communis cum scientia: nam etiã de veritatibus, quibus necessariò per demonstrationem assentimus, liberè meditamur. Secundò, quoad exercitium assensus: nam consideratis rebus fidei, liberum præbemus assensum. Tertiò, quoad specificationem assensus: quamuis enim non semper homo ita sit constitutus, vt eius quod Deo credit, possit sibi contrarium persuadere, vt alibi diximus; sæpè tamen ita constitutus est, vt posset si vellet. Quartò, quoad firmitatem assensus: quòd enim ita firmiter adhæreat, ex prompta & intellectum captiuante voluntate prouenit.

Ad argumentum oppositum respondeo; Sufficiens illud inductiuum ad credendum efficit, vt homo rationabiliter credat, non autem impedit quo minùs quatuor iam dictis modis credat liberè. Vt enim alibi diximus, euidentia credibilitatis non tollit obscuritatem veritatis, adeoque nec libertatem assensus.

### DVBIVM II.

### *An credere Deo satis honestum sit, & Deo gratum, vt queat esse meritorium?*

CREDERE Deo honestum esse, & Deo gratum, apertissimum est, Act. 15. *Fide purificans corda eorum.* Si enim fides bona non esset, non purificaret, sed macularet. Ad Hebr. 10. & 11. apertè dicitur Fides placere Deo, & cedere in acquisitionem animæ: de qua re aliqua diximus 1. 2. quæst. 113. artic. 4. Neque censendus est qui credit Deo, se exponere erroris periculo: habet enim tria testimonia infallibilia; auctoritatem diuinæ doctrinæ, miracula, & instinctum diuinum. de quibus hîc ad vltimum D. Thomas & Caietanus. Ex illis autem, interiori instinctui Dei inuitantis meritò primas adscribit D. Thomas. Hîc enim quantus sit tractus, quanta persuasio, nemo nouit: nisi qui accipit. Quare vel ex hoc capite ostẽdi queat, immeritò à Iuliano Apostata & Porphyrio reprehensos esse Apostolos, quòd nimis citò & leuiter ad vnam vocantis vocem secuti sint Dominum, vt rectè Hieronymus in cap. 9. Matthæi. Neque enim magis leuitatis sunt arguendi qui ad diuinæ gratiæ motionem obediunt, quàm Lazarus qui ad Domini vocem reuixit, vt benè Toletus in cap. 1. Ioannis.

### DVBIVM III.

*An actus internus fidei ita sit bonus, vt non possit fieri malus?*

SIC VTI quidam actus humani ita sunt mali, vt non possint benè fieri; ita Theologi benè consentiunt, quosdam esse bonos vt non possint malè fieri. An autem inter eos sit actus interior fidei, hoc loco nobis examinandum: nam quòd exterior fidei confessio fieri possit vitiosa ob malum aut inordinatum finem, nemo dubitat.

Infrà q. 5. a. 2. & 1. 2. q. 55. a. 4. Sententia videtur esse Caietani, etiam actum internum fidei, mala circumstantia posse vitiari: quam secuti sunt quidam recentiores. Sed verius videtur contrarium, nimirum quando in sola mente manet actus fidei, etiam informis, modò reuerà ab habitu infuso per auxilium supernaturale eliciatur; numquam contingere, vt ex apposita aliqua mala circumstantia aut fine vitietur. Vnde consequenter dicendum est, quòd intentio mala quæ in voluntate esse potest, numquam vel mediante pio affectu credulitatis (quem in actu credendi esse necessarium, ex Concilio Arausicano alibi diximus) vel simul cum ipso imperet actum credendi, vt est in intellectu. Primò, Quia non est verisimile, Deum speciali auxilio gratiæ per merita Christi nobis impetratæ, concurrere ad
Sap. 1. actum prauum. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Secundò, Videtur sententia Augustini de catechizandis rudibus c. 5. *Rarissimè accidit*, inquit, *imò verò numquam, vt quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus. Si enim aliquod commodum spectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum deuitando, quorum offensionem aut inimicitias reformidat, vult fieri Christianus; non fieri vult potius quàm fingere: fides enim non est res saluandi corporis, sed credentis animi.* Tertiò, Quando quis credit ex fide infusa, vtitur vera virtute: virtute autem nemo vtitur malè, vt docent D. Augustinus libro 2. de lib. arbit. cap. 19. & D. Thomas 1. 2. q. 55. ar. 4. ergo nemo vtitur malè fide diuina. Neque explicari id potest, vt vult Caietanus, de sola virtute quæ non potest esse informis: quia in Responsione ad quintum apertè dicit D. Thomas, posse quempiam malè vti virtute vt obiecto, malè de ea sentiendo, non autem tamquam principio vsus, ita vt malus sit ipse actus virtutis. Quartò, Non apparet, quo fine aut circumstantia vitiari possit actus fidei interior: si enim dicas, ob vanam gloriam posse quempiam Deo credere; manifestum est, eam non captari ex fide interiori, sed professione exteriori: nisi fortè dicas, posse fieri vt quis velit interiùs in animo credere, quò sine mendacio possit ad vanam ostentationem fidem profiteri. Verùm neque illud rectè dicitur: si enim vult credere ex fide infusa, cõsequens est, totum affectum credendi bonum esse; alioqui non tam vellet credere, quàm fingere se credere. Bonus autem non erit totus credendi affectus, si resoluatur in affectum vanæ gloriæ: imò neque dæmones ex hoc affectu prauo captandæ propriæ gloriæ, Deo credere possent, si non haberent coactum assensum, & careret affectu pio credulitatis: res enim diuinæ supernaturales & difficillimæ credi non possunt, nisi ex bono illo affectu.

Dices, Bonus iste affectus credulitatis imperari poterit à voluntate intendente vanã gloriam.

Respondeo, etiam hoc implicare: nam pius hic credulitatis affectus, non est voluntas solùm eliciendi actum fidei ex quocumque fine; sed est bonus affectus ex bono fine. Si enim ex mali finis affectu sit affectus credendi, potiùs ex illo prauo affectu Deo creditur, quàm ex pio affectu credulitatis: sicuti qui furatur vt mœchetur, potiùs mœchus est quàm fur; quia motiuum quod est ordinariè in furto, eum non mouet nisi virtute motiui quod est in adulterio: cùm ergo motiuum quod est in affectu vanæ gloriæ, inefficax sit ad supernaturalia illa credenda; non poterit hoc modo imperari actus credendi.

Obiicies Augustinum de catechizandis rudibus cap. 17. *Sunt qui propterea volunt esse Christiani, vt promereantur homines à quibus temporalia commoda exspectant.*

Respondeo; Esse Christianum, ibi idem est, quod profiteri exteriùs Christianam fidem.

Obiicies secundò; Actus supernaturales intellectus habent pro obiecto non bonum, sed verum supernaturale; possunt igitur salua sua substantia, ex parte affectus quo imperantur, admittere aliquid quod repugnat bonitati morali: ergo cùm credere sit actus intellectus, poterit esse malus.

Respondeo, neque primam neque secundam consequentiam valere. Non primam: quãuis enim actus supernaturalis, vt est ab intellectu, non habeat repugnantiam cum malitia; habet tamen quatenus est ex tractu Patris à Spiritu sancto, & gratia Christi ad ipsum nos excitante. Non secũdam: quia credere ita est actus intellectus, vt elici non possit nisi ex motiuo, & affectu piæ credulitatis, vt dixi.

Obiicies tertiò; Potest quis Sacerdos, malo fine per verba Consecrationis conficere corpus Christi: ergo actus supernaturalis potest vitiari.

Respondeo, negando sequelam. Quia proferre verba Consecrationis, non est actus sic supernaturalis, vt ad eum exercendum opus sit auxilio supernaturali: quamuis effectus qui ad verba sequitur sit supernaturalis, Deo benè vtente malo opere Sacerdotis. Similiter dici potest de illis, qui peccato suo miracula facerent. Fatemur tamen, quando peccator paratus est sententiam aliquam impiam proferre, posse Deum efficere, vt animo eius non occurrant nisi certa illa verba, quibus ipse Deus per impijs hominis propheticè velit significare aliud quàm homo intendat: quomodo Caiphæ prophetiam licebit accipere, cuius os, non cor, gratia attigit, vt inquit Chrysostomus.

Obiicies quartò; Ponamus prohibitum esse à Deo, ne Petrus nunc occupetur circa actum credendi, eliciendo istum actum Petrus peccabit: fieri ergo poterit, vt actus fidei sit malus.

Respondeo; Cogitando de rebus fidei quando Deus prohiberet, posset quis peccare; assentiendo autem peccare non potest, quia id Deus prohibere non potest, sicuti intrinsecè mala præcipere non potest.

D V-



### DVBIVM IV.

*An credere sit actus supernaturalis?*

RESPONDEO esse; idque tribus modis: ex parte obiecti formalis, ex parte obiecti materialis præcipui, & ex parte principij efficientis. Obiectum enim formale, est veritas prima reuelans, quam natura assequi non potest: materiale præcipuum, est Deus trinus & vnus: efficiens, ipse Deus adiuuans per gratiæ suæ auxilium supernaturale.

Dices, Actus fidei habet præuium bonum affectum in voluntate: qui affectus vel est naturalis, atque ita actus fidei qua parte est liber, erit naturalis, atque adeò incapax meriti vitæ æternæ; vel si affectus ille supernaturalis sit, oportet eum præcedat in intellectu aliquod iudicium supernaturale, quod præcedere non apparet, quia ante fidem non videtur vllum esse supernaturale iudicium in intellectu.

Respondeo, Etiam illud iudicium, quo intellectus ante credulitatis affectum prudenter iudicat, fidei propositæ esse credendum ea perfectione qua oportet Deo credere, esse supernaturale; neque inconueniens esse, ante fidem esse aliquod iudicium supernaturale, sicut ante errorem hæreseos præcedit iudicium in intellectu, quo contra conscientiam sæpè homo iudicat, huic hæresi sibi hîc & nunc esse adhærendum. Non desunt tamen qui admittunt, iudicium illud, quod pium credulitatis affectum præcedit, esse secundùm substantiam naturale, ex motione tamen Spiritus sancti; quamuis ipsum affectum credendi fateantur esse secundùm substantiam naturalem; & negant, quòd in obiectione supponitur, actum supernaturalem voluntatis non posse niti iudicio naturali: quia nimirum suauis Dei prouidentia postulet, ne ab extremo hîc ad extremum fine medio transiliatur, sed inter actus naturales & supernaturales medius intercedat, qui partim sit naturalis, partim supernaturalis. In cuius rei confirmationem adduci potest, quòd voluntas magis sit vulnerata quàm intellectus: inde enim fit, vt etiam in illis quæ naturaliter possunt cognosci, tarda voluntas intellectum non sequatur, v. g. naturaliter iudicat intellectus, Deum vt auctorem naturæ, esse super omnia diligendum; post lapsum tamen voluntas id non facit, nisi adiuta per gratiam; habet enim homo lapsus se in hoc negotio ad eum ferè modum, quo affectus est quis, qui fortè simul visu laboret & gressu, longiùs tamen videat, quàm pedes ferant vt ambulet. Hæc responsio etiam est probabilis, prior tamen magis placet: quamuis si agatur de apprehensione aliquali rerum fidei, qualis etiam est in illis qui non credunt, facilè admiserim, esse eam in fideli secundùm substantiam naturalem, licet sit ex auxilio Spiritus
2. Cor. 5. sancti, vt hîc accommodari queat quod Apostolus dicit, nos non esse sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.

### DVBIVM V.

*An aliquando contingat actum fidei imperari à charitate?*

VIDETVR enim naturalis ordo repugnare, eò quòd fides prima sit virtutum, & charitatem, saltem ordine naturæ, præcedat. Dubitari tamen non potest, quin fieri ita possit in homine iusto, vt ex amore charitatis diuinæ eliciat actum credendi. De quo consulere licet D. Thomam, in responsione ad primum. In qua aduerte, quod D. Thomas dicit, etiam actus naturæ, charitate superueniente, fieri meritorios, non posse intelligi de merito vitæ æternæ, nisi actus naturæ intelligantur à charitate imperati.

Conclusio itaque Articuli erit; Actum credendi debere absolutè dici meritorium. 1. Petri 1. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* ad Rom. 9. *Omnis qui credit in eum, non confundetur.* ad Galat. 3. *Vt promissio ex fide daretur credentibus.* Actorum 16. *Crede in Dominum Iesum, & saluus eris.* Ad Hebræos 11. per fidem dicuntur sancti adepti repromissionem. Rectè Augustinus tract. 68. in Ioannem: *Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium.*

## ARTICVLVS X.

*Vtrùm ratio inductiua ad ea quæ sunt fidei, minuat meritum fidei?*

RESPONDET D. Thomas, minuere, quando consideratur vt præcedens, & homo ita est dispositus, vt non crederet, aut non æquè promptè crederet sine humana ratione: non minuere autem, sed esse potiùs signum maioris meriti, quando consideratur vt consequens ad voluntatem credentis; quando nimirum ita perfectè afficitur rebus fidei quas credit, vt rationes inquirat, excogitet & amplectatur, facientes pro fidei veritate.

Circa hunc articulum notandum Primò, non minui meritum fidei per rationem inductiuam ad fidem, etiam tempore antecedentẽ, modò ipsa non sit ratio formalis, propter quam assensum præbeamus, aut tam firmum assensum; sed solùm per illam veniamus in sufficientem auctoritatis diuinæ applicationem, & fidei propositionem. Antecedens enim ratio, quæ minuit meritum, talis est, vt etiamsi constaret Deum reuelasse, ipsi nihilominùs rationi, tamquam non sufficeret Dei reuelatio, assensus inniteretur. Hanc eo nomine reprehendunt Gregorius homil. 26. in Euangelia, & Auctor de cardinalibus Christi operibus, serm. de Christi natiuitate; quando dicunt fidem non habere meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Sic ad incredulitatem pertinet, signa aut sensus experimenta quærere: quorum alterum in Iudæis, & Regulo illo de quo Ioannis 4. alterum in Thoma Apostolo reprehendit Dominus; qui Ioan. 20.
enim ad eum modum credunt, similes sunt illis Samaritanis, qui simul Deum colebant & idola: Ioan. 4.
aut sanè illis, qui propter loquelam mulieris credebant, alioqui non crediturí; mulier enim illa rationem humanam significabat; vt quilibet fidelis rationi naturali dicere debeat, *Iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus*, Patre nimirum cælesti reuelante, non carne & sanguine, *quoniã hic est verè Saluator mundi.*

Nota Secundò, sequi ex doctrina articuli, per studium Theologiæ non minui, sed potiùs augeri meritum fidei, etiamsi rationes inducentes ad fidem per illud inueniantur: non enim inquiruntur istæ rationes vt discens credat, sed quia credit.

Confirmatur ex Eccleſiaſt. cap. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* & 1. Petri 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe.*

Nota Tertiò, Non tantùm moraliter per rationes fidem conſequentes non minui libertatem in actu credendi, ſed neque Phyſicè: quia reuerà efficacia perſuadendi, quæ eſt in ratione, non influit in aſſenſum: neque ea vtitur fidelis; adeò vt ſine illa non minùs crederet; ſicuti ſi quis ſuſtentacula manu geſtet, iis tamen in greſſu ſuo non vtatur, non minùs benè is ambularet ſine iis, ac cum illis. Vnde poterit facilè inueniri Reſponſio ad dubium quod nonnulli hîc mouent: nimirum, An quando ratio conſequens topica & probabilis tantùm, quamuis non minuat meritum, omnino efficiendo vt minùs homo mereatur, ſaltem non minuat meritum fidei, nimirum efficiendo vt actu ipſo fidei non tam perfectè mereatur, quamuis aliunde id compenſetur: quia nimirum inquiſitione talium rationum, fidelis mereatur: & quando eſt ratio demonſtratiua, quamuis non tollat meritum, an ſaltem non tollat meritum fidei? *Dubium.*

Theologi, qui negant fidem poſſe conſiſtere cum ſcientia, in tres diuerſas opiniones hîc diuiduntur. Quidam enim dicunt, rationem topicam non minuere meritum fidei, demonſtratiuam autem etiam tollere. Ita Durandus in 3. diſtinct. 24. quæſtione 3. Ratio eius eſt, quòd demonſtratiua non relinquat libertatem aſſenſus: topica autem libertatem non tollat in aſſenſu, vt nec difficultatẽ in veritate. Alij dicunt, demonſtratiuam tollere meritum fidei, & topicam minuere. Ita Caietanus 3. parte, quæſt. 26. art. 1. vbi etiam dicit, per miracula minui fidem. Alij denique dicunt, neque topicam neque demonſtratiuam rationem tollere aut minuere vllo modo meritum fidei: dicunt enim ipſi, manere meritum fidei, etiam vbi non manet fides; ſicuti in Chriſto viatore non deerat fidei meritum, quamuis abeſſet fides; idque propter actum quemdam reflexum, quo paratus ſit homo credere, etiam ſi non haberet euidentiam. Ita hîc Baneſius: & videtur eſſe D. Thomæ in reſponſione ad primum. Qui verò exiſtimant (quod verius eſſe diximus ſuperiori quæſtione) fidem poſſe conſiſtere cum ſcientia; admittunt quidem, fidei acquiſitę. ſi quod ſit, meritum tolli per rationem demonſtratiuam, non tamen meritum fidei infuſæ. Ita Gabriel in 3. diſtin. 25. dub. vltimo. *Sentem.* 1. 2. 3.

De quibus omnibus quid iudicandum ſit, ex eo patet, quod tertio loco iam notauimus.

Notandum Quartò ex Almaino & Durando; quamuis rationes pro fide non minuant, rationes tamen contra fidem augere meritum fidei. Ratio diſcriminis eſt, quòd meritum augeatur duobus modis, ex parte obiecti, & ex parte credentis. Ex parte obiecti, quando illud redditur creditu difficilius, & nihilominùs creditur. Ex parte ſubiecti, quando libertas augetur in actu credendi. Quando autem rationes apparentes contra fidem opponuntur, & nihilominùs creditur; manifeſtum eſt, obiectum credibile fieri difficilius, adeoque ex ea parte augeri meritum: quando autem pro fide excogitantur rationes, non minuitur libertas; quia magis conuincit diuina auctoritas, quàm vllæ rationes: & fidelis contentus firmitate diuinæ reuelationis, non nititur neque vtitur in eliciendo fidei aſſenſu, ſubſidio iſtarum rationum: vt mirum non ſit, fidem eius manere ſinceram ſine mixtione perſuaſibilium humanæ ſapientiæ argumentorum, quæ inſtar aquæ ipſam fidem redderent diluiorem.

# QVÆSTIO TERTIA.

## De externo Fidei actu.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm confeßio ſit actus Fidei?*

RESPONDET D. Thomas, Confeſſionem fidei eſſe propriè actum fidei exteriorem. Probatur, Ille propriè eſt actus exterior alicuius virtutis, qui ſecundùm ſuam ſpeciem fini illius virtutis ſubſeruit. Certum eſt autem, ſubſeruire exteriorem fidei confeſſionem fini virtutis fidei, qui eſt adhærere Deo tamquam primæ veritati. Confirmatur ex Pſalmo 115. & ex Apoſtolo poſterioris ad Cor. 4. *Habentes autem eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur.*

Circa confeſſionis nomen, benè monet D. Thomas tribus modis illud accipi: pro confeſſione laudis, quæ eſt actus latriæ; pro confeſſione fidei, de qua hîc agimus; & pro confeſſione peccatorum, quæ eſt pars Pœnitentiæ. Quam poſtremam acceptionem, ita ſuo tempore obuiam fuiſſe teſtatur Auguſtinus in Pſal. 137. vt ſola pęnè intelligeretur: *Ita nota eſt*, inquit, *confeſſio peccatorum, vt in quocumque Scripturarum loco auditum fuerit, Confitebor tibi Domine, aut, Confitebimur tibi: continuò iam conſuetudo ſit intelligendi, vt manus currant ad pectus tundendum: vſqueadeò non ſolent homines intelligere confeſſionem eſſe, niſi peccatorum.*

Circa doctrinam articuli notandum, confeſſionem fidei duplicem habere rationem virtutis. Vna eſt veracitatis, quæ conſiſtit in eo quòd homo talem ſe profiteatur exteriùs, qualis eſt interiùs: quę ratio virtutis non profluit à ratione virtutis quæ eſt in fide; quia etiamſi credere non eſſet actus virtutis, confiteri tamen, quatenus eſt veracitatis, eſſet laudabile. Altera ergo ratio virtutis, quæ propriè hîc conſideratur in confeſſione, accipitur ex obiecto proprio, Deo ſcilicet veraci, quatenus confeſſio exterior eſt in genere locutionis exterioris, quod credere in genere locutionis interioris & cogitationis: & hac ratione confeſſio eſt propriè actus exterior virtutis fidei.



Sed quæres, Qualis actus, elicitus, an imperatus?

Sententia D. Thomæ ad 3. eſt, eſſe elicitum & proprium, non ſolùm imperatum. Quam vt explicet Baneſius, dicit, vt quis actus dicatur elicitus ab aliqua virtute, non opus eſſe vt Phyſicè ab eadem & in eadem ſit potentia immediatè, in qua ipſa virtus eſt; ſed ſufficere, quòd virtus eum regulet & dirigat, non mediante alio habitu: quomodo oratio eſt actus religionis, quamuis ſit actus intellectus, & virtus religionis reſideat in voluntate. Eódem recidit quod dicit Valentia, Phyſicè non elici confeſſionem ab habitu fidei; moraliter tamen dici actum proprium fidei, quia habet laudem ex obiecto formali illius virtutis, & in illud tamquam in finem ordinatur.

Notandum itaque Primò, Si in fide conſideres affectum credendi, poteſt confeſſio fidei dici imperari mediante aſſenſu interiori, ab illo affectu. Si autem ſolus conſideretur aſſenſus, in quo eſt ſubſtantia fidei, non eſt confeſſio fidei actus imperatus; quia ſola voluntas habet actus imperatos, ſed potiùs debet dici actus à fidei virtute directus, tamquam eius opus exterius: ſicut demonſtratio Geometrica verbis prolata, eſt proprium opus ſcientiæ Geometricæ; & exterior locutio, eſt opus directum ab interiori mentis locutione.

Notandum Secundò, Poſſe confeſſionem imperari à virtute Religionis; ſed hoc fit mediante interiori fide. Poteſt etiam conſiderari vt eſt à fortitudine, non ſolùm remouente prohibens, quomodo conſideranit S. Thomas: ſed etiam per ſe, licet ſecundariò; quomodo conſiderat Baneſius. Si enim conſideretur confeſſio, vt adiunctum habens periculum mortis, erit actus fortitudinis; quamuis per accidens ſit, confeſſioni adiunctum eſſe eiuſmodi periculum. Hoc periculum conſideraſſe Pſalmiſtam, quando, poſtquam dixiſſet, *Credidi propter quod locutus ſum*; addidit, *Humiliatus ſum nimis*, interpretatur D. Auguſtin.

Notandum Tertiò, Confiteri fidem, eſſe de neceſſitate ſalutis, & præcepti affirmatiui, quando id requirit honor debitus Deo, & vtilitas impendenda proximis.

### MEMBRVM I.

#### *De obligatione non negandi exteriùs fidem per verba.*

QVAMVIS præceptum confeſſionis fidei ſit affirmatiuum, includit tamen negatiuum, de numquam neganda fide.

Sit itaque noſtra hîc Aſſertio: Quantumuis animo fidem retineas, peccas tamen grauiſſimè, ſi verbis eam neges, aut contrarium profitearis.

Contrarius error, Eccleſię perniciоſiſſimus eſt, eumque tenuerunt ex hæreticis plurimi martyrum refragatores, eò quòd hæreſibus fouendis admodum ſit opportunus; ac in primis Gnoſtici, quorum apud Tertullianum in Scorpiaco cap. 1. hæc vox eſt: *Semel Chriſtus pro nobis obiit, ſemel occiſus eſt, ne occideremur: ſi vicem repetit, num & ille ſalutem de mea nece exſpectat? An Deus hominum ſanguinem flagitat? maximè ſi taurorum & hircorum recuſat.* *Gnoſtici.*

Similis fuit error Helcheſaitarum, quorum tale refert argumentum Euſebius lib. 6. Hiſtor. capite 28. ex Origene: *Qui fixus eſt in corde ſuo, etiamſi pro neceſſitate ore neganerit, corde tamen in fide permanet.* *Helcheſaitæ.*

Item Priſcillianiſtarum apud Auguſtinum contra mendacium cap. 2. *Dicunt*, inquit, *in corde retinendum eſſe quod verum eſt; ore verò ad alienos proferre falſum, nullum eſſe peccatum: & hoc eſſe ſcriptum: Qui loquitur veritatem in corde ſuo; tamquã hoc ſatis ſit ad iuſtitiam, etiamſi quiſquam in ore ſuo loquatur mendacium, quando non proximus ſed alienus hoc audit.* Volebant itaq; Priſcillianiſtæ, apertè fatendam fidei veritatem apud domeſticos fidei, non autem apud alienos: quò detorquebant & illud Apoſtoli: *Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo.* Huius autem erroris rationem refert eorum eiuſmodi Auguſtinus capite 11. eiuſdem libri 3. ne videlicet religionis myſteria alienis pateſcant: quinimò ſuam pudendam & nefandam ſectam, periurio tegebant, docentes illud: *Iura, periura, ſecretum prodere noli.* *Priſcillianiſtæ.* Epheſ. 4.

vt refert idem Auguſtinus de hæreſibus cap. 70. In eodem errore fuiſſe Baſilidem, teſtis eſt Euſebius lib. 4. Hiſt. cap. 8. De quibuſdam ſui temporis idem aſſerit Bernardus Ser. 65. in Cantica.

Sequuntur eumdem errorem noſtri ſæculi Libertini, qui confeſſionem fidei declinant: quòd reuerà athei, nullam habeant Religionem; & dicunt, fidei negotium, non tantùm vbi vita, ſed etiam vbi fortunæ bona periclitantur, poſtponendum eſſe. Refert Valentia ex Staphylo, eiuſdem erroris eſſe Anabaptiſtas. Sanè nec Caluiniſtas ab illo errore eſſe alienos, quamuis reclament, & Caluinus contrarium ſcripſerit, multa exſtant documenta.

Contra hos omnes probatur Aſſertio. Ad Romanos cap. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Vbi Apoſtolus docet, huc pertinere quod Deuteronomij 30. Dominus dicit: *Iuxta te eſt ſermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Vult autem hominem iuſtificatum à ſalute ſua, adeoque à iuſtitia excidere, niſi quod corde credit, ore confiteatur. Lucæ 9. & Matth. 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo qui in cælis eſt.* 2. ad Timoth. 2. *Si negauerimus, & ille negabit nos.*

Idem docent Patres. Tertullianus ſuprà in Scorpiaco, & lib. de fuga in perſecut. & libro de Corona militis, Cyprianus lib. de exhort. martyrij, lib. de duplici martyrio, lib. de ſingularitate Clericorum, & lib. 3. Epiſtola 25. lib. 4. Epiſtola 3. Origenes homil. 10. in Num. Auguſtinus libro 8. Confeſſ. cap. 2. Baſilius homil. in Gordium martyrem. Auctor operis imperfecti in Matth. homil. 25. aliquot adfert rationes: Vna eſt, Quamdiu fides cordis integra eſt, ſemper germinat confeſſionem in ore. Altera, Si ſufficit tibi corde credere, etiam hypocritæ ſufficiet ſolo ore confiteri. Ponetur ergo pars tua cum hypocritis, niſi corde

simul & ore confitearis. Tertia, Si sufficiat tibi quòd Christum cognoscas, & interim eum palàm nolis confiteri; sufficiat etiam tibi, quòd ipse te ita cognoscat, vt tamen coram Angelis & hominibus te nolit pro suo agnoscere. Quarta, Si sufficeret tibi fides cordis, cor tibi tantummodò Deus creasset; nunc autem & os tibi creauit.

*Resp. ad argumentum Gnosticorum.* Ad argumentum Gnosticorum respondeo; Christus non præcipit vt affectemus martyrium; vult tamen, quando aut fides neganda, aut mors esset subeunda, mortem potiùs nos pro se oppetere; non quòd ipse indigeat nostra morte, sed quòd nos indigeamus illa fidei confessione: indigemus enim, vt nos pro suis agnoscat Christus coram Patre. Æquum autem non est, vt nos pro suis agnoscat, nisi ipsum pro nostro coram hominibus cognouerimus. Æquum etiam est, vt animam demus pro eius discipulatu retinendo, qui morte sua nos suos facere dignatus est: *Non* enim Lucæ 6. *est discipulus supra magistrum.*

*Ad argumen. Helchesaitarum.* Ad argumentum Helchesaitarum, cùm sibi id obiiceretur, respondit apud Basilium Gordius martyr, Non posse manere in fide illum, qui in se Christum voce negauerit: in eo enim non manere Christum, qui vicissim eum negabit.

*Ad argum. Priscillianistarum.* Ad Priscillianistarum de proximo distinctionem respondet Augustinus, Si solùm fidelibus fratribus oporteat confiteri fidem, reprehendi Martyres & exhonorari, eò quòd secundùm hanc opinionem iustiùs sapientiusque facerent, si persecutoribus suis non confiterentur se esse Christianos.

Ad Psalmi locum: Illud, *In corde,* non excludit exteriorem professionem, sed ei coniunctam esse vult interiorem cordis sententiam. Vide Euthym.

Ad locum Apostoli respondeo ex D. Augustino citato apud Bedam in illum locum, per proximum intelligi quemuis hominem. Deinde, in proposito sufficiat nobis, Christum dixisse, *Qui me negauerit coram hominibus*, non coram proximis: imò non est magni meriti, coram Christianis proximis confiteri fidem; vbi punitur, non qui confitetur, sed qui negat. Denique apud Lucam cap. 9. id manifestum est, vbi dicitur, *Qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet*, &c. Erubescentia enim non habet locum apud domesticos fidei, sed apud infideles, & alienos ac aduersarios.

## MEMBRVM II.

### *De Præcepto confessionis fidei vt verbis facienda est.*

DIXIMVS quomodo obligemur, nihil vmquam contra fidem exteriùs confiteri; nunc dicendum est, quomodo necesse sit, etiam ipsam fidem interdum clarè verbis confiteri.

PRIMA ASSERTIO. Præceptum affirmatiuum confessionis fidei aliquando per se obligat etiam ratione fidei, non tantùm ratione aliarum virtutum. Quando enim alioqui non potest euitari scandalum contra charitatem, aut peccatum aliquod contra Religionem, si nimirum te tacente periclitetur Dei honor, aut proximi salus; certum est, hoc præceptum obligare. Asserimus itaque ampliùs, etiam per se aliquando obligare.

Probatur: Actus fidei interior per se cadit aliquando in obligationem, vt patet ex dictis: ergo etiam exterior; præcepta enim sunt accommodata naturæ nostræ; constamus autem non tantùm anima, sed corpore: & per fidem adhærere debemus Ecclesiæ visibili, quod fieri non potest sine exteriori fidei professione. Secundò, In statu innocentiæ aliquando obligasset præceptum confessionis fidei, vbi tamen non fuisset periculum scandali, aut simile. Tertiò, Æquum est, vt etiam lingua conditorem & glorificatorem suum aliquando glorificet, vt corpus particeps sit meriti, quod particeps erit gloriæ.

Neque obest, hîc difficulter posse assignari tempus quo præceptum istud per se obliget sine concursu præcepti alterius virtutis: nam etiam in aliis præceptis, quæ probabile est aliquando per se obligare, idem vsu venit. Adde, quando obligatio profitendi fidem ex eo oritur, ne quis videatur negare fidem; reuerà videri affirmatiuum fidei confitendæ præceptum, obligare ratione sui: negare enim fidem malum est, quia profiteri fidem bonum est & necessarium. Deinde, vnde sciemus potiùs oriri obligationem, hîc & nunc confitendi fidem, ex eo quod alioqui videretur negari; quàm contrà, ideò videri negari, quia eam non confitemur, quando tenemur?

Fatendum tamen est, alteram sententiam esse probabilem; & fauet ei D. Thomas, quando dicit, tum demum obligare præceptum confitendi fidem, quando omissione confessionis subtraheretur honor debitus Deo, vel vtilitas impendenda proximis.

Ceterùm, iure positiuo Ecclesiæ tenentur ad professionem fidei, qui gradus Academicos suscipiunt, aut munus publicè legendi, vel priuatim litteras docendi, aut Episcoparum, aut curam Pastoralem, aut Canonicatum: de quo videri potest Tridentin. sess. 24. cap. 2. & 12. Bulla Pij IV. de professione fidei; & alia Pij V. quæ incipit, *In sacrosancta.*

SECVNDA ASSERTIO. Interrogatus à tyranno, aut alio qui publica fungitur potestate, Sitne Christianus aut Catholicus, credátne hunc aut illum fidei articulum; tenetur ex præcepto fidei, etiam cum periculo mortis, disertis verbis fidem, vel vniuersaliter, vel in articulo qui proponitur confiteri, aut sanè ita se gerere, ne possit esse suspicio, quòd fidē negauerit. Potissimùm id asserimus de persona publica; quia fides confitenda vt glorificetur Deus, secundùm illud Ioan. vltimo: *Hoc autem dixit, significans qua morte esset clarificaturus Deum*: magis autem glorificatur Deus confessione facta coram magistratu, quàm coram priuato. Indicauit hoc Dominus Actor. cap. 9. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus & Regibus.* Quando enim Dei confessio fit coram personis istis publicis, fit quasi in theatro; & quasi toti mundo dicitur, quod ita publicè dicitur: neq; enim hoc solùm in testimonium cedit ipsis magistratibus, archisynagogis, Regibus, ac præsidibus; sed etiam subiecto populo, secundùm illud Matth. 10. *Ad præsides & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus.*

Loquimur in Assertione eodem modo de interrogato, An sit Christianus; quo, de interrogato, An hic aut ille articulus fidei verus sit. Non enim sufficit quòd fateatur aliquis Christum, sed etiam debet fateri se Christianum: qui enim negat se Christianum, Christum in se negat, & censetur absolutè Christum negasse, vt patet in Petro, qui dum negat se Christi discipulum, dicitur Christum negare. Rectè Tertullianus in Scorpiaco capite 9. *Christum in se negans, etiam ipsum negauit.* Quòd verò idem Tertullianus huc torqueat, quod Græcè est; *Qui in me confessus fuerit*, quasi in Lucæ 12. Christo confiteatur, qui se Christianum confitetur: quamuis doctrinam veram contineat, genuinum tamen non est. Græca enim ea phrasi ex Hæbraismo orta, non aliud significatur, quàm quod interpres noster habet, *Qui me confessus fuerit.* Eodem modo loquitur D. Augustinus tract. 103. in Ioannem, & habetur cap. Non solùm. 11. qu. 3. *Non solùm abnegat Christum qui dicit eum non esse Christum, sed ille etiam, qui, cùm sit, negat esse se Christianum.* Ratio autem, quare, qui negat se esse Christianum, neget Christum; vna potest esse ex Glossa in dictum cap. Non solùm. Quamuis enim non velit negare Christum; vult tamen istud, propter quod negat, scilicet vitam: hoc enim ferè commune est in peccatis, vt non velit homo deformitatem, quę sequitur aut annectitur ad actum vitiosum, vt patet ex Augustino Quæst. 24. in Num. Deinde qui se Christianum negat, Christum Deum esse negat: nemo enim Deum illum esse fatetur, cuius se negat esse cultorem.

De confessione per mortem facienda, pulchrè Cyprianus disserit lib. de laude Martyrij. Quare autem ea congrua sit, rationes plures adferri possunt. Prima Cypriani: *Si iustus es, & Deo credis; quid pro eo sanguinem effundere metuis, quem pro te toties passum esse cognoscis? In Isaia sectus, in Abel occisus*, &c. Secunda, Martyrium quasi perfectum testimonium dicitur, quo Euangelium fideles suo sanguine obsignant, & velut socio Christi cruore decorati, Christo vices reddunt. Quomodo enim resurrectionis & immortalitatis spem certissimam nos habere persuadebimus, si pro Christo mori recusemus, si eam emere nostro sanguine abnuamus? Tertia, ex Epist. 9. eiusdem Cypriani: *Sanguis Martyrum, incendium persecutionis extinguit: flammas & ignes gehennæ sopit, Ecclesiam illustrat*, &c. Similia plura videre licet apud eumdem Cyprianum lib. de exhortat. Martyrij.

Disertis verbis oportere fidem confiteri, ostendi rursus potest exemplo Apostoli Petri: alioqui enim non negasset Christum dicendo, *Non noui* Mat. 26. *hominem*, si intellexisset, non comprehendere se, quem mens humana comprehendere non potest. & quando dixit: *Nescio quid dicas*; si intellexisset, Sacrilegia vestra non intelligo. Rectè enim Ambrosius lib. 10. in Lucam. hæc subterfugia reiiciens, monet, non sufficere inuolutam confessionem, sed opus esse aperta: *Quid enim prodest*, inquit, *verba inuoluere, quando videri vis denegasse.* Meritò etiam illi à diuo Hieronymo reprehensi sunt, qui Petri negationem ita excusarunt, quasi hominem negasset, non Deum; eò quòd Christus de veritate periclitetur, quando homo negatur.

Neque tamen ita apertis verbis necessum, fidem in hoc necessitatis articulo confiteri, vt etiam ipso silentio non satis interdum id fiat, quando eiusmodi concurrunt circumstantiæ, vt silentium sufficiens sit constantiæ indicium.

Vbi tamen rursus cauendum est, ne vllo modo simulet fidelis, se parêre tyranno contra legem Christi mandanti: sicuti sollicitabatur vt simula- 1. Mach. 6. ret Eleazarus, comedendo carnes licitas, quò videretur illicitas comedisse; sicuti etiam sollicitabantur à militibus fortiores milites Christi, apud Eusebium lib. 8. cap. 3. vt saltem fingerent aliquid, & sic dimitterentur, cùm illi contrà clamarent voce intenta: *Nec sacrificaui, nec sacrificabo.*

Refert ibidem Eusebius, quosdam crimen sacrificationis publicè ab ipsis persecutoribus, quasi ex humana commiseratione vt sic dimitterentur, aut abigerentur, sibi obiectum cum silentio passos esse, quos eo nomine reprehendit. Huc pertinentia quædam habet Auctor operis imperfecti hom. 25. in Matthæum, vbi docet, quomodo non tantùm ore, sed oculis, auribus, odoratu, gustu, & tactu negetur Christus.

Multò magis illi reprehendendi, qui testimonium acceperint ab ipso tyranno, quasi mandato ipsius paruissent; vt faciebant olim illi Libellatici, *Libellatici.* multùm à SS. Patribus ideò reprehensi, & ad publicam pœnitentiam adacti. Quodnam autem fuerit Libellaticorum peccatum, ita clarè à Cy- Epist. 52. priano explicatum est, vt mirum sit de eo variare quorumdam opiniones. Libellaticum ita loquentem inducit: *Ad magistratum veni, vel alio eunte, mandaui Christianum me esse: sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse: dare me ob hoc præmium, ne quod non licet, faciam.* Item Clerus Romanus Epistola ad Cyprianum, quæ in eius epistolis est numero 31. de Libellaticis agens, dicit eos contestari quòd ad aras accesserint. & addit: *Qui vult videri propositis aduersus Euangelium vel edictis, vel legibus satisfeciſſe; hoc ipsō iam paruit, quòd videri paruisse se voluit.* Factum itaque quo se maculabant Libellatici, videtur illud fuisse, cùm scirent non licere sibi sacrificare, & timerent ad sacrificandum vrgeri mandato Imperatoris, soluebant certum pretium magistratui, aut Imperatoris ministris, qui se offerebant ad illud officij, vt publicam fidem facerent, eos sacrificasse; atqui eo fine dabatur illis libellus, continens publicum testimonium quòd sacrificassent, & mandato Imperatoris paruissent. Vnde consequens erat, vt cum aliis Christianis constantioribus non vexarentur, eosque scandalizarent, quasi iam sacrificati aut thurificati: ita enim vocabant eos, qui idolis aut sacrificium obtulerant, aut thus posuerant. Sunt qui velint hos Libellaticos, per se aut per nuntios coram magistratu professos, se quidem Christum negare; ne tamen sacrificare cogerentur, pecuniam spopondisse. Ita Baronius ad annum Domini CC.LIII. Sed apertè id est contra Cyprianum. Neque verum esse potest, nisi fortè fuerint etiam illius, adeoque peioris generis aliqui Libellatici. Constat quidem ex dicta epistola 31. præter Libellaticos à nobis explicatos, alios fuisse, qui protestationem aliquam infidelitatis, in acta publica suo nomine absentes referri procurabant: qui an etiam Libellatici (non ab accepto libello, vt priores illi, sed à dato potiùs) fuerint dicti, clarum eo loco non est. Sanè fuisse aliquos, qui dici poterant Libellatici, non ab accepto, sed à dato libello, quo se Christum negare profiterentur, constat ex Plinio Epistola 97. lib. 10. quam ad Traianum dedit de Christianis. Existimamus itaque, Libellaticos, de quibus agit Cyprianus, & quos non vultæquari cum sacrificatis, non dissertè negasse Christum; sed neque solùm redemisse immunitatem in Christi professione permanendi, quod licere mox subiiciemus; verùm hanc im-

munitatem medio illicito sibi procurasse, accepto nimirum libello à magistratu, quo diceretur eos sacrificasse: quem libellum pretio comparantes, & pro immunitate vtentes, prædicabant se fecisse, quod non fecerant; eaque simulatione prodebant fidem.

Neque pro altera sententia, quæ maius facit ipsorum crimen, facit Epistola Cypriani 68. ad Hispanos. Quamuis enim Basilides & Martialis essent Libellatici, non tamen solùm id crimen habuerunt, vt omnia quæ ibi referuntur, eorum crimina, debeant censeri propria Libellaticorum; imò alia & distincta fuisse, satis indicat ipse Cyprianus quando dicit: *Basilides adhuc insuper præter libelli maculam*, &c.

Notandum hîc est discrimen inter factum Libellaticorum, & eorum fidelium, & integrarum Ecclesiarum, quæ etiam Tertulliani temporibus, beneficiariis Cæsaris vectigal pendebant, ne cogerentur sacrificare: hoc enim certum est licere. Quamuis enim non liceat emere testimonium sacrificij, quasi per te facti, licet non feceris; licet tamen redimere coactionem sacrificandi, & damnum ac iacturam pecuniarum sustinere, pro auertendo animæ proprię & domesticorum detrimento. Tertullianus tamen cap. 13. & 14. lib. de fuga in persecutione: qui existimabat tale esse martyrij præceptum, vt non liceret vllo modo subterfugere, etiã eiusmodi vectigales damnat. Sed parui id est momenti, cùm D. Hieronymus in catalogo Ecclesiasticorum Scriptorum testetur, hunc librum à Tertulliano esse conscriptum contra Ecclesiam; atq; in eo errasse Tertullianum, patet ex Canone quodam pœnitentiali Petri Alexandrini, Episcopi & martyris, quem refert Baronius ad annum Domini CCV. & ad annum CCCV. in quo apertè excusantur, qui pecunia redemissent sacrificationem. Imò additur, Actor. 17. Iasonem & reliquos fideles narrari id fecisse, illis verbis: *Accepta satisfactione à Iasone & ceteris, dimiserunt eos*: illam enim satisfactionem intelligi per solutionem pecuniæ: quod quamuis Baronio placeat, rectè tamen monet Lyranus, ex textu non constare, cùm ea satisfactio intelligi queat facta per rationabilem excusationem, aut alio modo.

Notandum Secundò, non peccare eum qui noluerit dimitti cum eiusmodi simulatione, quasi sacrificasset; sed clamans se non sacrificasse, contunditur & expellitur à militibus; vt quibusdam accidisse narrat Eusebius suprà. Similiter neque eum, qui violentè ad sacrificandum attrahitur, etiamsi manus per vim hostiæ admoueatur; modò ipse constans permaneat in fidei confessione, vt videre licet Canone 5. Concilij Ancyrani. Neque denique illum, cui per vim in os ingestum idolothytum; aut cui manus thure illigato tamdiu aduritur, donec thus in ignem ante idolum dimittere cogatur; vt de S. Barlaam narrat Basilius: à peccato tamen non excusantur in Canone Petri Alexandrini, qui pro se ethnicos in sacrificiis dolo quodã supponebant; aut qui suos suos Christianos suo loco sacrificatum submittebant.

TERTIA ASSERTIO. Non est illicitum fugere persecutionem, nisi ex illa fuga secuturum sit magnum damnum spirituale proximorum, quos fugiens ex iustitia aut charitate tenebatur in fide confirmare: imò aliquando fuga in præcepto est.

Tria hîc nobis probanda sunt. Primò, Christiano fugere licere persecutionem. Secundò, Aliquando etiam præceptum id esse. Tertiò, Aliquando tamen non licere.

Quoad primum, Hæresis fuit Tertulliani, ex Montani erroribus profecta, non licere fugere in persecutione: pro qua librum scripsit de fuga in persecutione; cùm tamen antequam ab Ecclesia deficeret, contrarium senserit, vt patet lib. de patientia cap. 13. *Si fuga vrgeat, incommoda fugæ cæro militat.* Exprobrat autem Tertullianus fugam præcipuè Pastoribus, quos alibi dicit se nouisse in pace leones, in prœlio ceruos.

Licitam esse fugam, probatur ex cap. 10. Matthæi: *Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Matth. 24. *Qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Isaiæ 2. *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* Vtitur hoc loco Athanasius in sua Apologia ad Constantium Imperatorem. In Apologia autem de fuga sua, præter locum alium qui est Isaiæ 26. *Claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio*; etiam adhibet exempla Sanctorum, qui in Scripturis leguntur persecutores suos fugisse. Fugit enim Iacob fratrem suum Esau; Moyses Pharaonem fugiens, ad Madianitas secessit; Dauid diu & sæpè fugit à facie Saul regis; Elias fugit regem Achab, & tyrannidem Iesabelis; Prophetæ quæsiti ad necem, apud Abdiam latent; Discipuli in noua Lege, ob metum Iudæorum, latebras & recessus quæsierunt; & occiso Stephano, diffugerunt; Paulus in sporta dimissus, Damasco profugit; denique & ipse Christus non semel fugisse, & insidias declinasse legitur; primùm infans in Ægyptum metu Herodis: deinde in Nazareth metu Archelai: postea etiam miraculis clarus, antequàm venisset hora eius, aliquoties eis cessit, qui ipsum ad necem expetebant.

Genes. 27. Exod 2. 1. Reg. 19. 3. Reg. 19. 3. Reg. 18. Ioan. 20. Act. 8. 2. Cor. 11 Matth. 2.

Probatur Secundò rationibus, quas ferè adfert Athanasius. Prima petitur ex dilectione, quam sibi quisque debet: qui enim non fugit, sed persecutoribus sese occidendum offert, suiipsius occisor est. Ita Apologia ad Constantium. In altera autem Apologia de fuga sua dicit, numquam Martyres se persecutoribus, cùm ad necem quærerentur, obtulisse, quin profiterentur ex peculiari Spiritus sancti instinctu hanc promptitudinem suique oblationem profectam esse. Adde ex Canonibus Petri Alexandrini aliam exceptionem de illis, qui cùm vident alios in confessione vacillantes, prosiliunt & profitentur, ne gloriandi, quasi de victoria, ansam inimicis relinquant. Sanè, aliàs pro Martyribus non esse habendos, qui, cùm facilè fugere potuissent, vltrò se tyrannis tradiderunt occidendos, existimauit Mensurius Episcopus Carthaginensis, vt testatur Augustinus in Breuiculo, collatione 3. cap. 13. *In iisdem*, inquit, *litteris lectum est, eos, qui se offerrent persecutionibus, non comprehensi, displicuisse Mensurio; & ab eis honorandis, eum prohibuisse Christianos.* Multo euidentiùs illi iustè ab eodem Mensurio reprehensi sunt, qui se ingerebant martyrio, dicentes se habere sacros libros, sed tradere nolle. Illi enim non solùm temeritate sua tentabant Deum, & accersebant tentationem quam Dominus deprecari nos docuit; sed quodammodò prodebant diuinos libros, sicuti nuntios prodidisset Raab meretrix, si

Iosue 2.

illos



illos se habere latenter dixisset; nolle tamen tradere. Petrus tamen Alexandrinus reprehendit quidem temeritatem Christianorum se offerentium tyrannis; vult tamen eos à communione non reiici. In Concilio Ancyrano Can. 1. Presbyteri illi ordine suo non permittuntur ministrare, qui, cùm priùs immolassent, posteà quasi ex pacto ad ostentationem, vt caperentur, & fidem profiterentur, fecerunt. Cyprianus epist 83. *Ne quisquam*, inquit, *vestrùm, vltrò se gentilibus offerat: apprehensus enim & traditus, loqui debet; siquidem in nobis Dominus positus, illa hora loquatur, qui nos confiteri magis voluit, quàm profiteri.* Similiter in actu passionis legitur Cyprianus rogatus de Presbyteris, dixisse Proconsuli: *Nec ipsi se vltrò offerunt, cùm hoc Scriptura sancta prohibeat.*

Secunda ratio petitur ex dilectione inimicorum: Qui non fugit dum potest, sæpè reus est homicidij, quod tyranni in ipsum admittunt. Nam etiam eo nomine, vt parcamus persecutoribus, iniungi nobis à Domino fugam, docet ex Gregorio Nazianz. Euthymius in cap. 10. Matth.

Tertia ratio petitur ex dilectione debita proximo. Fieri enim potest, vt qui fugit, sit futurus vtilis Ecclesiæ: quomodo Athanasius dicit, se ad hoc ipsum fugisse, vt Imperatori ciusmodi Apologiam exhibere posteà liceret: *Sic sancti*, inquit, *fugiebant, vt tamquam medici, in vsus indigentium reseruarentur.*

Quarta ratio ex Cypriani libro de lapsis, vbi dicit, fugam ipsam esse quamdam fidei confessionem; *Idcircò enim*, inquit, *fidelis secessit, quia non erat negaturus.* Imò Athanasius in Apologia de sua fuga dicit, eos, qui in fuga moriuntur, adoream martyrij consequi.

Obiicit Tertullianus libro de fuga in persecutione cap. 6. præceptum illud Christi de capessenda fuga apud Matthæum, solos Apostolos concernere: sicut & illud, *In viam gentium ne abieritis.*

Sed respondeo, ex Scripturis suprà memoratis constare, ante & post Apostolos eumdem fugiendi modum à Deo commendari.

Obiicit Secundò cap. 4. Persecutio à Deo immittitur; ergo fugienda non est. Probat consequen. duobus modis; tum quia quod à Deo euenit, bonum est, atque adeò vitari non debet: tum etiam, quia quod à Deo immittitur, ineuitabile est, adeoque euitari non potest.

Respondeo; Simili argumento concludebat Lutherus, non esse pugnandum Christianis contra Turcas. Dicendum itaque: Si ex euentu colligamus voluntatem Dei esse, vt sit persecutor; tentare poterimus, an similiter ex euentu colligere
2. Cor. 11. nequeamus, voluntatem Dei esse, vt euadamus manus eius in nomine Domini, sicut Paulus: dicentes interim cum Machabæo, vbi etiam humana media non neglexerimus, *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* Hactenus dictum sit, licitam esse fugam.
1. Mach. 3.

Nunc videamus, An aliquando etiam sit præcepta? Sanè præceptum in verbis Domini Matthæi 10. agnoscit Athanasius: quamuis Augustinus in fine epistolæ 180. sub disiunctione dicat, Dominum fugam vel permisisse, vel præcepisse.

Duobus autem casibus potissimùm præceptum est fugere: vnus, quando quis admodum probabiliter putat, se non fore constantem in tormentis ferendis: tunc enim nisi fugiat, exponet se periculo negandi; & hactenus peccabit contra præceptum confessionis fidei.

Occurrit hîc Tertullianus duobus argumentis. Vnum est: Qui fugis, quia si comprehendaris, times te negaturum; vel certus es quòd negabis, & frustrà fugis; quia certus negare, iam negasti: vel non es certus; atque ita non tam debes fugere ex præsumpta negatione, quàm subsistere ex fiducia confessionis.

Alterum: Vt confitearis fortiter, vel solius Dei est, vel etiam in tuo situm est arbitrio. Si in nobis est confiteri aut negare; cur non id præsumimus quod melius est? Si verò in Deo totum est; cur non totum relinquimus arbitrio eius? & quare non dicis, Ego quod meum est facio, non discedo. Deus si voluerit, ipse me proteget.

Ad priorem obiectionem respondeo: Inter certitudinem futuræ negationis coniunctam cum proposito negandi, & omnimodam incertitudinem, media est certitudo illa probabilis coniecturæ, nitens cognita animi infirmitate, qua fiat vt etiam contra propositum recedatur plerumque à bono.

Ad posteriorem respondeo ex Cypriano de lapsis, coronam de Dei dignatione descendere; nec posse accipi, nisi quando fuerit hora sumendi. Itaque posse nos in fide Christi manentes fugere, & tempus coronæ, quod nescimus, expectare. Sic Christus, antequam hora eius veniret, sæpè fugit: quando autem hora eius venit, persecutoribus obuiàm iuit. Sic Petrus etiam de carcere fugit, quando nondum aderat hora eius: postmodum autem, monitus diuina apparitione, Romam rediit, vbi erat crucifigendus.

Alter casus, quo præceptum sit fugere, est, quando ex præsentia tua & confessione, nulla speratur fidelium ædificatio, & certum timetur scandalum, & maior ruina infidelium: hoc enim est dare occasionem mali, & sine caussa vitam prodigere. *Decet Christianos*, inquit Nazianzenus, oratione 1. in Iulianum, *non solùm res considerare proprias, etiamsi magno sint animo & fortitudine præditi: sed etiam persequentibus parcere, ne fortè ipsis acceptum feratur, quòd hostium periculo non subuenerint.* Consentiunt Siluester & Angelus, verbo Fides: qui dicunt, confiteri fidem tunc, quando solùm pertinet ad infidelium perturbationem, esse vituperabile.

Sed quæres; Quid si speretur aliqua fidelium ædificatio, sed simul timeatur scandalum infidelium?

Respondeo, In dubio potius esse ius fidelium. Est tamen res ista prudentiæ iudicio relinquenda; eoque tutiùs, quòd non tam dubitetur an præceptum, quàm an licitum non fugere.

Tertio loco superest videndum, quando Christiano non sit licitum fugere.

Duo sunt casus expressi in assertione: vnus, quando ex iustitia; alter, quando ex charitate tenemur auertere magnum damnũ spirituale proximorum, quod videmus ex fuga nostra secuturum. Quoad obligationem charitatis, patet: ea enim aliquando postulat, vt membrum obiiciat se mucroni, pro conseruando capite, non tantùm sibi, sed etiam aliis membris, secundùm prudentiam serpentis nobis à Domino commendatam Matth. 10. vbi videre licet Hieronymum & Hilarium. Confirmatur ex 1. Ioannis 3. *Et nos debemus*

*bemus pro fratribus animas ponere.* Qui enim à fuga retracti, aut non fugientes propter suas necessitates, patiuntur, pro seipsis patiuntur: qui autem patiuntur, quia ne deessent fratrum spirituali saluti, non fugerunt; propriè pro eis animas ponunt.

Quoad obligationem iustitiæ patet Ioan. 10. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis: mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit.* Zachariæ 11. *O pastor & idolum, derelinquens gregem.* Videri potest hac de re Nicolaus Papa capitulo, Scitcitaris 7. qu. 1. Sic Athanasius se fecisse refert: *Ego autem cùm in tanta tribulatione absurdum putarem populos deserere, & rectius esse vt pro aliis pericula susciperem; manebam sedens in Cathedra mea*, &c. Apologia de fuga sua. Potuisse tamen, relicta Alexandrina Sede, Athanasium fugere, eò quòd personaliter ipse præ reliquis ad necem quærebatur, & non deerant è Clero, qui in Ecclesiæ illius ministerio subsisterent, obseruat Augustinus dicta epistola 180. ad Honoratum, vbi ex proposito tractat istud argumentum, & huius fugæ iustitiam confirmat exemplo Apostoli, qui Damasco profugit, cùm è discipulis solus quæreretur ad necem, & aliis tutum esset Ecclesiæ necessitati illic prouidere. Idem fecerunt Chrysostomus & Nazianzenus. Tunc enim expedit pastorem fugere, vt oues iactari desinant: nisi fortè ex alia caussa eius præsentia omnino ouibus sit necessaria, aut multa populus sit passurus propter absentiam pastoris. Sic Marcus Episcopus Arethusorum, cùm subuertisset quoddam templum idolorum, eaque de caussa, ne occideretur, fugere coactus esset; vbi intellexit propter se alios Christianos trahi ad supplicia, rediit, & se supplicio obtulit, vt refert Nazianzenus oratione 1. in Iulianum.

Petrus tamen Alexandrinus in Canonibus suis probat etiam illam è carcere fugam, ratione cuius custodes occidendi sint, exemplo Petri, Actor. 12. Itaque rectissimè fugit pastor, quando fugiendo non tam deserit gregem, eò quòd alij pascant, quàm se seruiat gregi: quomodo Apostolus dicit: *Manere in carne necessarium propter vos.* Philip. 1. Rectè tamen monet Augustinus, eo prætextu non debere simul omnes pastores gregem deserere, vt se pro vtilitate Ecclesiæ, temporibus tranquilliores seruent; cùm tunc potiùs cuique verendum sit, ne magis fugiendi obsit exemplo, quàm viuendi prosit officio. Si dubium sit, quòsnam ex multis qui adsunt ministris, expediat fugere, & melioribus temporibus reseruari; monet Augustinus ibidem, non debere quemquam ex eis præ se ferre, propter gratiam aliquam in qua videatur excellere, se vita, & ob hoc fuga esse digniorem; sed potiùs expectandum esse, vt ab aliis hoc deferatur dignioribus: quomodo Dauid, ne extingueretur lucerna Israël, vt se præliis subduceret, à suis id petentibus sumpsit, non ipse præsumpsit: aut sanè per sortem qui fugiant legendos esse. 2. Reg. 21.

## MEMBRVM III.

### *De confessione per alia signa.*

PRIMA PROPOSITIO. Numquam licet vti rebus, aut admittere actiones quæ ex natura sua, vel hominum consuetudine præcisè ordinatæ sunt, ad professionem aut cærimonias alicuius falsæ sectæ. Hoc enim est profiteri illam sectam; & etiam ipse infidelis toties peccat, quoties vtitur huiusmodi rebus. Rectè tamen communiter excusant Doctores illum fidelem, qui ita vtitur cærimonia falsi cultus, vt constet finem illius cerimoniæ in ipso cessare: imò contrarium ei esse propositum finem, vt fit, quando Christiani in comœdiis exhibent ritus idololatrarum. Neque enim plus hi peccant, quàm si quis recitet verba blasphemiæ, narrans solùm ea alium quempiam dixisse.

Confirmatur Propositio ex cap. 10. prioris ad Corinthios: *Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum.* Et infrà: *Si quis dixerit, Hoc immolatum est dæmonijs; nolite manducare*, &c. 2. ad Corinth. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* ad Ephes. 5. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.*

Confirmatur Secundò ex vsu Ecclesiæ, quæ grauissimè semper in eos animaduertit, qui etiam animo fidem retinentes, exteriùs sacrificassent aut thurificassent, vt patet in Concilio Elibertino Canone 1. 2. & 3. vbi sacrificatis ne in exitu quidem communio conceditur: quam tamen tunc eis concedit Cyprianus epist. 52. imò epist. 53. post triennij pœnitentiam, eam concedit illis, qui initio fortiter confitentes, postea non tam in fide quàm in carne victi sacrificauerant. Et epist. 54. omnibus sacrificatis, modò verè pœniteant, ex sententia totius Synodi Africanæ, propter instantem persecutionem communio danda statuitur. Grauiter etiam in eos qui sacrificassent, aut idolothytis se maculassent, statuit Concilium Ancyranum pluribus Canonibus. vide can. 1. 2. 4. 5. 6. 7. & 9. S. Irenæus lib. 1. cap. 1. reprehendit in Valentinianis, quòd promiscuè idolothytis vescerentur, & festos Ethnicorum dies celebrarent. Stante enim Gentilismo, ab idolothytis Christiani religiosè abstinebant; eumque morem defendit Origenes lib. 8. contra Celsum. Idem docet Tertullianus lib. de Idololatria: vbi reprehēdit Christianos, qui sculpebant idola, vel ornabant, vel templa eis aut aras ædificabant, vel bracteam vel insignia fabricabant, vel ea vendebant quæ idolis erant sacrificanda, vel in solemnibus Cęsarum, tabernas aut ianuas suas lucernis ornabant; aut laureis coronabant. Imò refert, quemdam per visum fuisse castigatum, eò quòd serui, ipso inscio, more idololatrarum ianuam eius coronassent. Similia habet Cyprianus lib. de lapsis, & Augustinus contra mendacium cap. 2.

Contra hanc Propositionem videtur sentire, Adrianus in 4. qu. 1. de Baptismo, in responsione ad 5. ita enim scribit: *Etiam seriosè simulando, contingit verum velle occultare, per signum quo verisimiliter credimus alios decipiendos; quomodo Dauid coram Rege Achis simulauit se furere; & siquis hoc modo simulet idololatriam, dum non requiratur confiteri cuius sectæ sit, aut talis apud alios habeatur, qui facto suo alios in errore confirmet, vel à veritate deiiciat; non videtur magis peccare idololatriam simulando, quàm si metum vt Iosue, aut furorem simularet vt Dauid* Vbi videtur esse sententia Adriani, licere assumpto ritu aut re aliqua idolica, simulare idololatriam, concurrentibus tribus his conditionibus: Si videlicet absit mendacium facti: quod quando habet simulatio, non secùs intrinsecè mala est, ac mendacium in verbis, vt docet S. Thomas infrà qu. 111. modò etiam tunc non vrgeat



vrgeat præceptum affirmatiuum confitendi fidem; puta si de fide non interrogeris, neque alia subsit necessitas confitendi, secundùm superiùs dicta. Deniq; modò tunc absit omne scandalum, vt nimirum hac simulatione non videaris quempiam in errore confirmare, aut à fide auertere.

Verùm contraria opinio est, ne sic quidem licere vmquam simulare idololatriam, aut aliquam falsam in religione sectam, adeoque nostra Propositio, communis est sententia Antonini 2. patte, titulo 12. cap. 6. Angeli & Siluestri, verbo Fides, & verbo Infidelitas, Caietani, Banesij, Valentiæ hîc, Nauarri in cap. Humanæ aures, 22. qu. 5. vbi testatur omnes ita sentire, excepto Archidiacono, & Hugatione. Ratio autem, quare hæc opinio Adriani non sit admittenda, est, quòd etiamsi hîc simulatio fortè careat mendacio facti, & absit accessorium peccatum scandali, & denique non incurratur peccatum omissæ confessionis præceptę, per cautelas ab Adriano adhibitas; non tamen est immunis à peccato. Sicuti enim inficì poterat per malum finem operantis, aut per aliam vitiosam circumstantiam; ita verè inficitur per finem operis quod simulatur. Cùm enim hoc sit intrinsecè malum, non sufficit, formaliter illud non intendere, vt peccatum euadas; quando in interpretatione illud probas & amplecteris, iam peccasti. Amplectitur autē illud interpretatiuè, qui coram proximo illud exteriùs exercet, aut se exercere dicit: præcepta enim quibus talia vetantur, etiam vetant, ne proximo ad ista nos duces præbeamus; sed ab illis volunt nos omnino abstinere, quæ aliquo modo specimen & exemplum mali præ se ferunt. Neque refert, re ipsa te existimare, proximum non scandalizandum: hoc enim solùm sufficit in aliis, quæ intrinsecè non sunt mala: hîc autem non sufficit, & semper scandalizas quantum in te est. Indicat hanc rationem Nauarrus suprà, & confirmatur ex sacra Scriptura, ad Rom. 12. *Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* & 2. ad Corinth. 8. *Prouidemus bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* & c. 6. *Nemini dantes vllam offensionem.* Et hæc quidem idololatriæ communis caussa est, cum omni opere intrinsecè malo. Peculiaris tamen est ratio, quare simulare idololatriam sit peius quàm simulare adulterium, aut simile intrinsecè malum; quia nimirum virtutes, quibus alia peccata contrariantur, non ita exteriùs tenemur profiteri, sicut fidem. Obligatio autem illa confitendi fidem, peculiarem adducit obligationem non confitendi contrariam sectam verbis aut æquiualentibus signis; æquiualent autem verbis res illæ quæ propriè sunt idolicæ. Vbi & illa aduertenda paritas verborum & rerum, quòd sicuti Christiano interrogato à priuato, cui non teneatur respondere tunc se esse Christianum, non licet vti verbis ambiguis, quæ secundùm mentalem suam restrictionem vera sint; secundùm communem autem, & audientis intellectum, falsò significant ipsum esse falsæ alicuius sectæ: ita neque licet vti alia intentione rebus aut ritibus idolicis, quando significaturus esset se idololatram.

*Obiect. 1.* Obiectiones pro sententia Adriani ferè sunt istæ: Dauid simulauit se furere coram Achis, vt posset euadere: ergo etiam potuisset simulare exteriori actu idololatriam. Si dicas, non sequi, eò quòd alienatio illa mentis in moribus sit res in- 1. Reg. 21.

differens, non autem idololatria, vt Dauid non tam peccatum, quàm morbum simulauerit: contrà, Thamar simulauit se meretricem, neque tamen in eo reprehenditur à Scriptura. Gen. 38.

Respondeo, in eo esse reprehendendam. Rectè enim dicit Augustinus 22. contra Faustum cap. 61. quòd Iudas dicat Thamar, *Iustior me es*; non quia iusta erat, sed quia minùs erat culpabilis quàm ipse.

Secundum argumentum: Eliseus concessit Naaman Syro, vt Rege Syriæ adorante in templo Remmon, in eodem templo liceret ei adorare: 4. Regum cap. 5. *Obiect. 2.*

Respondeo, secundùm quosdam, quibus fauet Valentia, Naaman ab Eliseo petiisse vt posset simulare cultum idoli, sed non obtinuisse. Verba enim illa, *Vade in pace*, non esse concedentis, sed dimittentis, & nolentis dicere erroneam esse conscientiam Naaman, qua putabat sibi licere posse (saltem deprecante pro eo Dominum Eliseo) eiusmodi simulationem idololatriæ. Cùm enim videret, non esse spem auertendi Naaman ab eiusmodi proposito, noluisse eum grauare, omnino inhibendo eiusmodi simulationem: ceterùm dixisse ei, *Vade in pace*; quò significaret, se nolle de hac difficultate grauius aliquid inculcare. In qua sententia nobis fauet, quòd cùm Naaman putauerit sibi non licere simulare idololatriam, adorando in templo Remmon, saltem sine singulari dispensatione & indulto, hoc enim significauit quando dixit: *Hoc solùm est, de quo depreceris Dominum pro seruo tuo:* in eo tamen non fuit eius conscientia ab Eliseo correcta, quasi senserit sibi non licere quod licebat: correxisset autem Eliseus, si aliter sensisset; quia semper expedit corrigere eiusmodi errorem, quo putatur esse illicitum, quod est licitum.

Alia responsio est communior & verior, Naaman nihil illiciti petiisse, adeoque obtinuisse ab Eliseo quod petiit; & quod ex timorata conscientia verebatur, ne fortè sibi non liceret: petiit enim non simulare idololatriam, sed posse ministerium, quod Regi suo etiam extra templum exhibebat, in templo idoli præstare. Petiit itaque vt posset adorare in templo Remmon, id est, vt posset ibi genua flectere, nimirum non exercendo actum cultus diuini, sed obsequij humani. Qui enim seruit Regi in incessu, potest eidem seruire in geniculatione, eum sustentando, vt sicut innititur super manum congredientis, ita geniculans innitatur geniculanti. Rectè enim Tertullianus libro de Idololatria cap. 16. dicit, Christiano licere domino suo idololatræ assistere, tamquam spectatorem, non autem vt cooperatorem sacrificij, vt ea solùm præster, quæ nos homini, non idolo officiosos habent. *Si propter sacrificium*, inquit, *vocatus assistam, ero particeps idololatriæ: si me alia caussa coniungit sacrificanti, ero tantùm spectator sacrificij.* Item cap. 17. ita seruis permittit ministerium idololatrarum, vt idololatriæ omne ministerium interdicat. Sic Nicolaus de Lyra in c. 5. lib. 4. Regum dicit, captinæ Christianæ licitum fore, eadem obsequia dominæ præstare in æde Mahumetica, quæ in ædibus & alibi præstare solebat.

Ex eodem capite resoluere licet, non peccare illum in fidei Catholicæ professionem, qui vadit ad coniuium nuptiale hæreticorum, sponsisque benè precatur, etsi more suo coram ministro sectæ suæ

suæ contraxerint, nisi aliunde hîc culpa subrepat. eaque videtur sententia Tertulliani dicto capite 16. *Circa officia solemnitatum nuptiarum & sponsalium, nullum putem periculum observari de flatu idololatriæ quæ intervenit.*

Non tamen sunt excusandi Catholici, qui in Ecclesia hæreticorum, coram hæretico ministro, ritu hæretico Matrimonium contrahunt, proferendo formam præeunte ministro, qua profiteantur, se coram communitate sancta Dei (Caluiniana nimirum) coniungi, præsertim ministro apprecante eis generationem filiorum, qui sancti sint ex vi fœderis cum Abrahamo à Deo initi; quasi sancti nascantur filij fidelium.

*Obiect. 3.* Tertium argumentum: D. Hieronymus commendat in Iehu, quòd simulauerit se cultorem Baal, vt facilius occideret omnes eius cultores. In cap. enim 2. ad Galatas ita scribit: *Vtilem verò simulationem, & assumendam in tempore, Iehu regis Israël nos doceat exemplum: qui, cùm non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi se finxisset velle idolum colere,* &c. imò ipse Dominus videtur Iehu in
4. Reg. 10. hac simulatione commendasse: *Quia,* inquit, *studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab; filij tui sedebunt vsque ad quartam generationem super thronum Israël.* Ex hoc autem facto Iehu in exemplum admisso, sequi, licitam esse idololatriæ simulationem, quando alioqui Christianus periclitaretur de vita; rectè colligimus cum Augustino, hoc argumento à minori: Si Iehu rectè mentitus est se seruum Baal, vt seruos eius occideret: quanto iustiùs tempore persecutionis, seruos dæmonum se mentirentur serui Christi, ne serui dæmonum occiderent seruos Christi; & sacrificarent idolis, nè interficerentur homines, si sacrificauit ille Baali, vt interficeret homines.

Respondeo; Hieronymus longiùs abductus per commentaria Origenis, nimius fuit in defendendis huiusmodi simulationibus: ideoque Augustino potiùs assentiendum est, qui in hoc contra Hieronymum sensit. Dominus autem commendat zelum, & quòd magno studio diuinæ voluntati sit obsecutus in delenda domo Achab. In electione tamen multùm peccauit zelus huius Regis. Quapropter D. Augustinus contra mendacium cap. 2. dicit, Iehu mendacio impio & sacrificio sacrilego occidendos impios & sacrilegos inquisiuisse; neque Scripturam ipsum nobis commendare imitandum, quandoquidem commemoret, cor rectum non habuisse cum Deo; neque multùm ei profuisse, quòd pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda, pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, aliqualem mercedem transitoriam temporalis regni accepit.

*Obiect. 4.* Quartum argumentum hîc esse poterit ex Ambrosio, serm. 69. vbi de Eusebio Vercellensi ita loquitur: *Sicut ait S. Paulus, Factus sum Iudæis Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem: ita Eusebius hæreticis se hæreticum esse mentitus est, vt de hæresi filium liberaret. Dixit enim illorũ se consentire perfidiæ, hoc sibi placere, quod illis; sed quòd sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent, grauiter se moueri: Vos enim, inquit, qui dicitis filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse; cur mihi filium prætuliſtis?* Cùm itaque Eusebius hac ratione obtinuisset filij chirographum deleri, insultauit Arianis, dicens: *Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum vobiscum participare permitto.*

Respondeo, Sermonem non esse Ambrosij, & in eo non parum errari, quòd dici videtur, licere hæreticis fieri hæreticum, sicut Paulus Iudæis se dicit factum esse Iudæum. Rectè enim ex Augustino epistola ad Hieronymum, Beda & Anselmus (in illud prioris ad Corinthios 9. *Omnibus omnia factus sum:*) *Omnibus omnia factus est, non mentientis astu, sed compatientis affectu; non simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ.* Neque enim eum, quando dicit, *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* infirmitatem alterius potiùs simulasse quàm doluisse volebat intelligi. Adde, etiamsi constaret, Eusebium hîc ea vsum esse simulatione, non tamen ideò imitandus erit; vt qui in hoc non habuerit zelum secundùm scientiam, & fortè ex errore inuincibili, putauerit sibi huiusmodi simulationem tali casu licere.

Quintum denique argumentum addi potest ex *Obiect. 5.* Tertulliano suprà cap. 7. & 18. petitum ex exemplo Ioseph & Danielis, qui apud Reges idololatras magistratum gesserunt in purpura & habitu idolis sacro.

Sed respondet Tertullianus, purpuram fuisse honoris ciuilis, non superstitiosæ professionis: magistratum quoque sub infideli principe, licere Christiano; modò neque sacrificet, neque sacrificiis aut falsæ religionis exercitiis auctoritatem suam accommodet, neque hostias locet, neque curas templorum deleget, neque vectigalia eorum procuret, neque spectacula edat de suo, aut de publico, aut edendis præsit. Hactenus de rebus omnino & merè idolicis, aut pertinentibus ad falsæ religionis cultum.

Nunc dicendum aliquid de vestibus, non quidem idolo sacris, aut eius cultui propriis, sed aliquid cum vano cultu aut perfidia commune habentibus: quæ sunt in duplici genere: quædam enim consensu populi, aut per magistratum præscriptæ sunt, verbi gratia, certi coloris, ad distinctionem infidelium à fidelibus: aliæ sunt, non quidem ad distinctionem religionum præscriptæ, sed ex gentium vsu, propriæ illi populo, qui falsam sectam profitetur; qualis erit communis habitus Turcarum.

SECVNDA PROPOSITIO. Certum est, posterioris generis vestibus, verbi gratia Turcicis, licere interdum vti Christiano.

Probatur exemplis Sanctorum. Iustinus enim iam Christianus gestabat pallium philosophicum, & Sebastianus chlamydem militarem: Daniël cum suis Persico habitu versabatur in aula Regis innoxius, vt loquitur Tertullianus suprà lib. de Idololatria: imò & in camino ignis, solis adustis vinculis, gentilis habitus in sanctis, sanctus fuit & illæsus.

TERTIA PROPOSITIO. Veste sacra idolo, aut quæ distinguat ministros superstitiosi cultus à reliquo vulgo infidelium, numquam licet vti Christiano. Eadem enim illius ratio, quæ aliarum similium rerum, de quibus diximus suprà Propositione prima. Rectè de illa Tertullianus: *Tunicam si induas inquinatam per se, poteris forsitan illam non inquinare per te, sed tu per illam mundus esse non poteris.*

QVARTA PROPOSITIO. Si quis esset Christianorum habitus, quo distinguantur ab infideli-



fidelibus, liceret Christiano extra casum scandali, metu mortis, illum interdum deponere aut tegere; maximè quando is esset à tyranno constitutus, quo perpetuò dignoscantur Christiani. Imò probabile est, sepositio scandalo (quod tamen non æquè facilè hîc seponitur, quàm in priori casu nostræ Propositionis) licere interdum assumere habitum quem magistratus præscripserit infidelibus, vt eo dignoscantur à Christianis. Si tamen sit vestis aliqua, etiam propter solum finem politicum à magistratu designata, vt significet, gestantem esse falsæ alicuius sectæ in religione, puta Mahumetanæ aut Iudaicæ; probabile est, quòd non liceat ea veste vti Christiano coram aliis, qui ipsum inde iudicarent esse illius sectæ; puta quia vestis non aliter in vsu est. Si tamen priùs fuisset hæc vestis communis potiùs gentis quàm sectæ, etiamsi posteà magistratus infidelis, ob finem politicum statuat esse distinctiuam religionis; probabilius est, licere Christiano ea vti, ad euitandum mortis periculum, quando neque scandalum subesset, neque honor Dei læderetur, neque vtilitas proximo debita subtraheretur. Idem dicendum quando lex de veste distinctiua non fuerit apud omnes in viridi obseruantia. Ita ferè Bannes, Valentia, & alij recentiores. Neque Siluester & Angelus contrarium sentiunt, quando dicunt, esse peccatum mortale, si quis gestet vestem aliquam destinatam ad aliquod determinatum signum infidelitatis. Vel enim intelligendi sunt ita locuti, quia ferè semper subest scandalum: vel accipiendi sunt de signis, quæ sunt propria religionis; quale est, vesci idolothytis. Quo exemplo vtuntur ex cap. Sicut. 32. quæst. 4. vbi Glossa in extrema famis necessitate dicit licitum esse vesci idolothytis, modò non fiat ad venerationem idoli. Neque enim ratio Caietani contra nos hîc sentientis solida est: putat enim legem, qua tyrannus præscribit eiusmodi vestē, qua constet quisnam sit Christianus, æquiparandam esse quasi perpetuæ cuidam interrogationi, qua tyrannus te interroget, num sis Christianus. Verum enim illud non est: neque enim potest tyrannus pro suo libitu extendere interrogationem, qua posita obliget lex diuina de confitenda fide. Quid enim, si constituat eum habendum pro abnegatore fidei Christianæ, qui se vltrò non repræsentauerit pro fide occidendum?

Confirmatur hæc sententia, quia religio non adfert peculiarem vestitum, sed honestum vestimentum relinquit homini pro necessitatibus corporalis vitæ, interdictis vestimentis idolo sacris: itaque reliquo politico vestitu, per religionem licebit Christiano vti in necessitate vitæ quando alioqui occidendus esset, modò nullum subsit scandalum. Secundò, alioqui conuersus ad fidem infidelis, non poterit ad momentum differre vestis eiusmodi abiectionem: sicuti non potest ad momentum continuare idololatrię simulationem. Tertiò, alioqui non liceret Christianis contra infideles sic vestitu distinctos vti vestibus & insignibus eorum in stratagemate bellico, quod est contra communem praxim. Imò possit cuipiam videri, tunc licere vti etiam illis insignibus, quæ continent imaginem idoli, proprium tamen vsum habent politicum signi militaris.

# QVÆSTIO QVARTA.

## De Fidei virtute.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*Vtrùm sit competens Fidei hæc definitio: Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium?*

Hebr. 11. RIA hoc loco excutienda sunt: An illis Apostoli verbis definiatur fides? Quomodo intelligenda definitio? &, Quę fides definiatur?

Quoad Primum, Caluinus & Erasmus existimant, non definiri illis Apostoli verbis fidem: sed existimat Caluinus, solùm partem quamdam naturæ ipsius explicari; quòd nimirum cum patientia semper coniuncta sit: ideoque perperàm verba illa Apostoli aulusa esse à capite superiori. Erasmus verò dicit, esse potiùs encomium fidei, quàm definitionem Dialecticam: ideò tamen à veterum nonnullis definitionem appellari, quòd speciem habeat definitionis aliquâ, qua rei naturam explicant Dialectici. Ille, longè falli eos qui definitionem putant: iste etiam derideudos existimat, vt qui vbicumque legerint, *est*, suspicentur esse rei definitionem. D. Thomas etiam indicat suo tempore non defuisse, qui negarent esse definitionem. Sanè Glossa in cap. Firmiter, de summa Trinitate, dicit non esse veram definitionem, sed tantùm quamdam notificationem; eò quòd etiam spei conueniat, & solùm contineat fidem rerum futurarum, non autem præteritarum & præsentium.

Verùm hanc esse fidei definitionem, non tantùm Scholasticorum opinio est in 3. dist. 23. sed etiam veterum Patrum, Hieronymi in c. 5. ad Galatas, Augustini tract. 79. in Ioannem, Theophylacti in eum locum, Bernardi epist. 190. Non displicet tamen, quod eruditus quidam annotauit, præcipuè spectando priorem partem, non tam essentialem definitionem, quàm descriptionem aut materiam hîc esse descriptionis, per officium & propriam passionem fidei, per quam ipsius essentia nobis innotescat, non solùm ex parte, quod fatetur Caluinus, sed tota adæquatè.

Neque verum est (quod Erasmus videtur po-

nere) encomium rei, ita cum eius definitione pugnare; vt in definitione nequeat esse encomium, aut in encomio definitio.

*Substantia nomen variè accipitur.*

Quoad secundum, dicitur fides substantia, siue vt Græcè est, ὑπόστασις rerum sperandarum. Quia verò substantiæ nomen variè accipitur, & fidei respectu rerum sperandarum variè congruit, pluribus modis hîc intelligunt Theologi, fidem dici rerum sperandarum substantiam. Primò enim substantiam accipiunt pro basi ac fundamẽto. Vt enim dicit Bernardus serm. 10. in Psal. Qui habitat, Non magis possibile est super inane pingere, quàm non credita sperare. Neque malè congruit vox Græca ὑπόστασις. ex hac enim interpretatione, alia sequitur valdè affinis, qua per substantiam intelligitur certitudo: quomodo vrget Apostoli sensum Bernardus contra Petrum Abailardum, qui fidem dixerat esse existimationem, nimis abiectè & contemptim, quasi nullo fundamento nixa, incerta vacillet. Confirmat translatio Syriaca, quæ ita habet: *Est autem fides certitudo de iis rebus quæ sunt in spe, ac si iam existerent actu.*

Secundò, Accipiunt substantiam, vt significet possessiones & facultates; quomodo accipitur apud Lucam, *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* Hæc quidem interpretatio, aliàs vera, quia fidei magnæ sunt diuitiæ, non videtur genuina, propter nomen ὑπόστασις, quod non solet accipi pro possessionibus & facultatibus, sicut Latinum substantia. Veterum tamen nonnulli vsi sunt hac interpretatione.

Lucæ 15.

Tertiò, Accipiunt substantiam rerum sperandarum, pro inchoatione quadam totius boni sperandi, virtute totum illud continente: quomodo D. Thomas hîc videtur accipere. Sed rursus nomen ὑπόστασις non satis congruit.

Quartò, Accipiunt substantiam, tamquam substantem accidentibus, & ea sustinentem; vt significatum sit, à fide ita pendere res sperandas, sicut à substantia pendent accidentia.

Quintò, Accipiunt substantiam, vt idem sit quod essentia, aut subsistentia; & significetur, per fidem res quæ sperantur & in se nondum subsistunt, iam esse & subsistere, nimirum in corde eius qui credit, & in animo, & certas eas habet non minùs quàm si reipsa subsisterent aut essent. Quæ interpretatio optimè conuenit cum voce ὑπόστασις, & videtur genuina, estque communis Græcorum: hoc solo differt à prima, quòd illa dicat, fidem esse fundamentum; hæc autem, quia fides est rerum sperandarum fundamentum, dicit in sensu causali, fidem esse earũ existentiam; quia scilicet faciat existere, modo iam explicato.

*Rerum sperandarum.* In Græco ambiguum est, an πραγμάτων debeat construi cum ἐλπιζομένων, an verò cum eo quod sequitur, οὐ βλεπομένων, quomodo legit Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 31. Fides est sperandorum substantia, conuictio rerum quæ non videntur. Sed eódem pænè recidit. Illud maioris fuerit momenti, cùm ἐλπιζομένων dicatur à verbo medio, & possit etiam sumi actiuè, an cum D. Augustino tractatu 79. in Ioannem, rectè hîc legerimus, *sperantium*, vt fides dicatur hypostasis sperantium: quasi significetur, fidem esse id quo nituntur sperantes & credentes. Vbi dicendum est, omnino retinendam esse communem ac vulgatam versionem, & intellectum passiuum; tum quia is intellectus plus elegantiæ habet, & etiam Græcorum communis est; tum etiam, quia Augustinus alibi legit, *sperandorum*, vt patet loco producto De peccatorum meritis. Fatendum tamen, lectionem illam, & sensum actiuum, nihil habere falsi: verè enim dixit Dionysius cap. 7. de diuin. nom. fidem esse fundamentum quoddam aut stabilem sedem eorum qui credunt.

At, Quare potiùs dicitur fides substantia rerum sperandarum, quàm timendarum; cùm etiam res timendas credamus?

Respondeo; Quia fides natura sua inchoat in nobis res sperandas. Est enim vnitiua cum Deo, vt dicit Dionysius suprà. Primatiò autem fides, vt nos cum Deo vnit, respicit res sperandas; & secundariò timendas. Ideò enim horremus & timemus æternum supplicium, quia timemus à Deo separari. Accedit quòd scopo Apostoli magis congruebat: horratur enim ad tolerantiam malorum præsentium, & quantum ad eam conferat fides, dum sperandabona proponit, ostendit.

Dices, Cùm charitas maximè Deo nos vniat, quare saltem non dicitur fides, substantia rerum amandarum?

Respondeo; Quia charitas est etiam præsentium, & eorum quæ iam videntur & possidentur; ideoque non satis explicaretur propria virtus fidei, si res diligendas diceretur exhibere præsentes: sed maior eius virtus est, quòd quæ non sunt præsentia, sed sperantur futura, quodammodò præsentia exhibeat. Sicut enim est oppositio quædam in elencho, & non apparẽti, vt mox dicemus, secundùm elegantiam stili Apostolici, quam obseruant Chrysostomus & alij; ita & oppositionem oportebat esse inter substantiam & res, quarum dicatur substantia. Est autem maior, si eæ sperari dicantur, quàm si amari. Secundò, Fides non est ita fundamentum charitatis, sicut spei; charitas enim cum visione esse potest, eiq; inniti; sed spes subsistere non potest, si fidei fulcrum subtrahatur.

*Argumentum non apparentium.* Græcè ἔλεγχος, quod alij vertunt, *conuictionem*, vt Augustinus suprà: alij, *indicium*, vt Erasmus: alij, *demonstrationem*: noster Interpres, *argumentum.* Quæ explicationes omnes ferè eódem recidunt, vt significetur modus, quo fides est substantia rerum sperandarum; conuincendo nimirum, certumque reddendo intellectum de rebus quæ non apparent, sed sperantur; non secùs ac si coràm apparerent & viderentur: quòd enim omnes res sperandæ, siue quæ sperantur (ille enim est sensus Græci vocabuli, vt meritò ita verterit Erasmus) sunt in non apparentibus; quamuis non contrà omnes non apparentes sperentur; alibi idem Apostolus ostendit, dicens: *Quod enim videt quis, quid sperat?* Rectè Primasius: *Fides est ita animum firmum esse de his quæ non videntur, sicut de his quæ iam videntur; & dum hoc fit, fides facit ea subsistere in vobis, credendo.* Non minùs opportunè D. Thomas monet, *argumentum* hîc sumi pro suo effectu, nimirum pro firma adhæsione intellectus ad veritatem fidei non apparentem. Itaque sensus huius partis est, fidem esse assensum quemdam firmissimum, rerum alioquin obscurarum, & argumentum non habentium; visionem ac euidentiam quãdam rerum ineuidentium. ἔλεγχος enim dicit aliquid repugnans ineuidentiæ, vt benè obseruat Chrysostomus.

Rom. 8.

Ex



Ex his patet responsio ad dubia, quæ circa hanc definitionem moueri poterant. Siquis enim addubitet, quî fieri queat, vt fides, quæ virtus est Theologica, rectè censeatur definita, nulla interueniente mentione ipsius Dei; dicendum erit, implicitè hîc Dei mentionem fieri: conuictio enim illa certissima rerum non apparentium, non fit nisi auctoritate Dei reuelantis.

Quod verò suprà ex glossa quadam Decretalium opponebatur, videri hanc definitionem etiam spei conuenire; apertè falsum est. Vt enim demus, spem posse dici substantiam rerum sperandarum (quamuis rectè annotet Bonauentura, non esse fundamentum sicut fides, cùm non sit prima virtutum) vt, inquam, hoc demus; nulla tamen probabilitate dici potest argumentum non apparentium. Denique quod eadem glossa arguebat, hîc solam definiri fidem rerum futurarum; diluitur, si aduertamus, res non apparentes posse intelligi etiam præsentes & præteritas nobis obscuras. Rectè enim Primasius, *Dum ea*, inquit, *credimus in veritate fuisse, aut esse, aut futura esse quæ non vidimus; ipsa fides facit ea subsistere in corde nostro*, &c. Confirmatur, quia de eadem fide dicit Apostolus eodem cap. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo. Accedentem ad Deum credere oportet quia est.* Adde, quòd etiam res sperandæ aliquo modo possint cogitari præsentes, modò earum fruitio præsens non habeatur, sed futura speretur.

*Quæ fides definiatur in verbis Apostoli.*

Quoad tertium, tres sunt sententiæ: vna est Erasmi, fidem hîc vsurpari non propriè pro ea qua credimus credenda, sed qua speramus, id est, ipsa fiducia.

Sed hæc sententia est manifestè falsa: Fiducia enim non est conuictio aut argumentum; conuictio enim ista est res intellectus, sicut & iudicium, argumentum, demonstratio, & euidentia. Quibus postremis duobus, ἔλεγχον hîc posse explicari, placet etiam Caluino; cui alioquin satis probatur, quod de fiducia Erasmus annotauit. Secundò, Fides hîc significatur esse fundamentum fiduciæ; non nisi ineptè autem diceretur fundamentum suiipsius. Tertiò, Quæ Apostolus toto capite prosequitur, competunt fidei propriè dictæ, potiùs quàm fiduciæ; verbi gratia, illud, *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo.* Si enim fides hîc definita non pertineat ad intellectum; quomodo fide intelligimus? Item illud, *Fide Noë metuens, aptauit arcam*, &c. Ex fiducia enim non rectè metuisse quis dicetur; sed fides propriè dicta gignit metum. Denique illud, *Accedentem ad Deum oportet credere quia est.* Neque enim confidimus Deum esse; sed certo intellectus assensu iudicamus & credimus.

Sententia secunda excludit ab hac definitione fidem informem, solumque definiri putat formatam. Ita D. Bonauentura in 3. distinct. 23. art. 1. qu. 5. qui pro ratione dicit, quòd fides informis non sit substantia rerum sperandarum; quia, inquit, non sustentat totam fabricam spiritualem. Fauere videbitur & ipse D. Thomas art. 7. ad 4. vbi dicit, fidem sine charitate fundamentum esse non posse.

Verùm neque ista sententia placet: verè enim fides informis etiam est fundamentum & basis rerum sperandarum; non quidem vt informis, sed vt fides: sic enim est inchoatio quædam, & initium spiritualis ædificij, adeoque rerum sperandarum. Neque D. Thomas articulo illo 7. contrarium dicit: non enim agit de fundamento, eo sensu quo hîc dicitur fides substantia rerum sperandarum; sed de fundamento, quod re ipsa fundamenti partes agit & exequitur, totam ædificij molem aptè connexam sustentando: quod fidem sine charitate non posse, patet ex illo ad Colossenses 3. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

Tertia itaque vt communis, ita verissima est sententia; fidem hîc definiri prout communis est formatæ & informi, prout virtus est Theologica, à spe distincta & charitate, prout nata quidem & apta semper vincere; quamuis contingat non vincere in illis qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Sicut enim fundamentum esse potest sine ædificio, ita fides potest esse in eo, in quo per vinculum charitatis nondum connexa & compacta est spiritualis ædificatio.

Rom. 1.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Fides sit in intellectu sicut in subiecto?*

RESPONDET D. Thomas affirmatiuè, & probat: quia credere est actus intellectus, secundùm quod mouetur à voluntate ad assentiendum. Oportet autem hic actus sit perfectus, cùm sit actus virtutis: non est autem perfectus, nisi procedat à principio ad sic operandum benè disposito, quod fit per habitum. Oportet itaque fidei habitus sit in intellectu, qui ipsum perficiat tamquam principium credendi, in quo actio immanens assensus fidei secundùm substantiam residet: neque enim stabili & suaui ratione naturæ suæ conformi, perfici hæ potentiæ, vt sint istorum actuum principium, possunt sine habitibus. Adde, quòd non appareat, quomodo in intellectu reformetur imago Dei, nisi per fidem. De hac re suprà q. 2. ar. 1. nonnulla diximus.

Quædam tamen hîc notanda sunt. Primò, Caluinum in c. 10. ad Romanos, ex illis Apostoli verbis, *Corde creditur ad iustitiam*, docere contrarium. *Obseruemus*, inquit, *fidei sedem non in cerebro esse, sed in corde; & nomen cordis pro serio & sincero affectu ponitur.* Sed malè existimat Caluinus, cor hîc accipi pro nudo affectu: includi enim, aut simpliciter intelligi intellectum, patet; quia Apostolus eodem modo loquitur quo Moyses, quando dicit: *Propè est verbum in corde tuo.* Certum autem est, verbum pertinere ad intellectum. Deinde, fides historica pertinet ad intellectum: loqui autem hîc Apostolum de fide historica, patet ex illis verbis: *Quòd si credideris in corde tuo quòd Deus suscitauit illum ex mortuis*, &c.

Notandum Secundò, D. Bonauenturam existimare, fidem, quatenus est substantia rerum sperandarum, rem esse voluntatis; pertinere autem ad intellectum, quatenus est argumentum non apparentium. Sed patet ex dictis, quomodo etiam, vt est hypostasis aut subsistentia sperandorum, ad intellectum pertineat: certitudine enim assensus, iam quasi præsentia exhibentur; certitudo autem ista ad intellectum pertinet.

Illud maiorem difficultatem habet, quòd idem Bonauentura dicit, fidem, vt virtus est hominem

reddens laudabilem, esse in libero arbitrio: quatenus autem est habitus, & innititur veritati primæ propter se, esse in intellectu. Verùm de hac re infrà art. 5.

Notandum Tertiò ex responsione ad 2. fidem in voluntate etiam habere habitualem quemdam pium affectum, quo imperetur ipse actus credendi; simpliciter tamen dicitur esse in intellectu, quia is est qui elicit assensum: assensus autem propriè est fides; assentiri est credere: velle enim credere, nondum formaliter est credere.

Notandum denique circa responsionem ad 3. fidem pertinere ad intellectum speculatiuum, fieri tamen practicam, quadam intellectus extensione; quam extensionem dicit Bonauentura fieri tribus modis: videlicet, coniunctione fidei cum affectu credulitatis, vnde ipsa procedit; quo modo ex Augustino dicitur, quòd nemo credat nisi volens: vel coniunctione ipsius cum affectu charitatis, ad quem ipsa inclinat; quo modo fides inclinat & præparat ad Deum amandum: vel denique coniunctione ipsius fidei cum operatione, quam dirigit; quo modo Apostolus dicit, fidem per charitatem operari. Gal. 5.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm charitas sit forma fidei?*

RESPONDET affirmatiuè. Probat, quia finis ad quem actus ordinatur, quodammodò est eius forma; fidei autem actus ordinatur ad bonum diuinum: imperatur enim à voluntate mota à Deo, cuius obiectum est bonum diuinum: in ordine autem ad bonum diuinum non plenè perficitur voluntas, nisi per charitatem. Charitas ergo erit forma fidei; per eam siquidem actus fidei formatur, quando suo fini bono scilicet diuino, coniungitur.

Notandum hîc Primò, non quæri, An charitas sit substantialis forma fidei: certum enim est non esse, cùm charitas sit in voluntate, fides autem in intellectu secundùm substantiam suam, vt superiori articulo dictum est. Vbi nobis videbitur contrarius Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis, parte 10. c. 3. *Fides in affectu habet substantiam, quia affectus ipse fides est: in cognitione habet materiam, quia de illo & ad illud quod in cognitione est, fides est.* Sed respondeo, per cognitionem Hugonem intelligere cognitionem apprehensiuam, quam etiam habet qui audit & non credit; in qua non est fidei substantia, sed in assensu; qui non præbetur, nisi ex affectu credulitatis; ratione cuius affectus putauit Hugo, substantiam fidei statuendam esse in affectu. Paulò aliter respondet D. Thomas in 3. dicit enim, Hugonem per substantiam non intelligere essentiam fidei, sed formam, quam hoc articulo dicimus esse charitatem; vt solùm significare voluerit, charitatem esse in voluntate.

Notandum Secundò, charitatem non esse fidei formam physicam & intrinsecam; sed, vt hîc dicit D. Thomas ad 2. solùm est fidei forma, prout informat & perficit actum eius.

Variè interim explicari potest modus quo charitas sit fidei forma. Vnus est, si consideremus, fidem à coniuncta charitate accipere peculiarem rationem virtutis: cùm enim virtutis sit, benè disponere habentem; absolutè autem tum demum benè disponatur homo, quando capax est meriti æternæ beatitudinis; rectè aliquid virtutis fidei accedere dicitur, eo ipso quo redditur meritoria vitæ æternæ. Quamuis autem etiam aliarum virtutum hac ratione charitas forma dici queat; peculiariter tamen fidei forma siue vita dicitur, quia iustus ex fide magis dicitur in Scriptura viuere, & reuerà viuit, quàm ex aliis virtutibus. Vt itaque constet, vnde fides id habeat, quòd per eam dicatur iustus viuere; D. Iacobus in ipsa fide vitam quamdam considerauit, quam per opera expressit: & sicut corpus sine spiritu mortuum, ita fidem sine operibus mortuam esse pronuntiauit. Hunc spiritum, hanc vitam in ipsa fide intellexerunt Scholastici à Iacobo statui operatricem charitatem; eumque imitati dixerunt, fidem aliquando esse informem, quando mortua est, & non habet coniunctum spiritum charitatis; aliquando autem formatam, quando viuit & energetica fit per charitatem coniunctam. Quia verò hæreticis nostri temporis valdè displicet huius articuli doctrina, qui potiùs fidem (cui soli iustitiam totam adscribunt) volunt vitam & formam esse charitatis, quàm contrà; quidam ipsorum reiecerunt epistolam Iacobi, vt Lutherus, qui & stramineam eam vocat, & nescio quid spiritus Apostolici ei deesse dicit. Caluinistæ fatentur, non esse iustam rationem vllam, epistolam hanc reiiciendi, aut canonicam eius auctoritatem in dubium reuocandi: cetera dicunt, Apostolum non voluisse fidem sine operibus veram esse fidem; sed aut nullam esse, aut saltem mortuam, propter inane fidei simulachrum, quod est in homine inani, qui non habet charitatem, neque ex operibus ostendit fidem suam. Rom. 1. Iac. 2.

Verùm enimuerò, voluisse Apostolum, quod alibi dicit Augustinus, sine charitate fidem quidem esse posse, sed prodesse non posse; vel ex similitudine corporis & spiritus colligere licet. Corpus enim anima destitutum verè corpus est. Deinde, si tantùm sit mortua sine operibus fides in inani suo simulachro, quomodo Iacobus dicit, mortuam esse in semetipsa, siue per se, vt vertit Erasmus? quomodo dicit otiosam esse? Sed hac de re latiùs diximus in materia de Iust. 1. 2. q. 113.

Alter modus est, quo charitas est forma fidei, si consideretur fides participare charitatem, à qua imperatur, tamquam formam; sicut participat voluntarium à voluntate à qua imperatur.

Tertius est, si consideretur charitas vt coniungens fidem cum vltimo fine. Quos duos modos videre licet apud D. Thomam in 3.

Quartus esse potest, si consideretur fides per charitatem operari, vt Apostolus dicit: res enim quæque per formam & vitam suam operatur. Vide Bernardum serm. 2. de Resurrectione.

Quintus, si consideretur charitas vt consummatio fidei, roborans eam ad perfectiùs eliciendum assensum, vt dicemus art. 5.

Præter locum Iacobi, & alium D. Pauli, qui est 1. ad Cor. c. 13. in quo fidelis sine charitate dicitur nihil esse, doctrinam huius articuli probat illud 1. Ioannis 3. *Qui non diligit manet in morte.* Ex Patribus videre licet librum de cognitione veræ vitæ Augustino inscriptum, tomo 9. cap. 37. Bernardum suprà & epist. 42. Venerabilem Bedam & alios in cap. 2. Iacobi.

ARTI-



## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm Fides informis possit fieri formata, vel è conuerso?*

RESPONDET D. Thomas, eumdem esse habitum fidei formatæ & informis.

Supposita doctrina superioris articuli, disputarunt olim Scholastici, Vtrùm, quando ex formata fide fit informis, aut contrà ex informi formata, sit idem habitus fidei sub vtroque termino. Disputarunt inquam olim: quia post Concilium Tridentinum, non tam inter Catholicos, quàm cum hæreticis ista disputatio instituitur, vt mox patebit.

Erant itaque variè hîc sententiæ. Quidam enim dicebant, adueniente fide formata, destrui secundùm substantiam illum habitum, qui erat fides informis.

Secunda sententia habebat, non quidem destrui fidem informem, sed manere simul cum fide formata adueniente; esse tamen duos distinctos habitus. Vtraque in eo conuenit, quòd saltem numero distinguat fidem informem à formata. Item quòd secundùm vtramque possit dici, has fides etiam specie differre: imò si fortè posterioris sectatores in ea fuerint opinione, quòd duo accidentia eiusdem speciei non possint esse in eodem; necessariò posterior intelligenda erit de habitibus specie distinctis. Atque has duas opiniones recenset D. Thomas.

Bonauentura autem in 3. distinct. 23. tres ponit opiniones eorum qui dicunt fidem informem non destrui, superueniente gratia iustificante eius forma. Quosdam enim refert dicentes, fidem informem ita manere, vt alia fides formata ad infusionem gratiæ resultet, quomodo in homine ad infusionem animæ resultant potentiæ; ipsa autem fides informis maneat informis, neque à gratia, neque ab illa fide, quæ simul cum gratia aduenit, formata. Alios dicentes, fidem informem non quidem ab ipsa gratia, sed à fide illa altera, quam gratia iustificans adducit, formari. Alios denique, qui dicunt formari ab ipsa gratia aut charitate, vt quæ erat informis, eadem numero fiat formata; solaque sit in homine iusto. Quæ postrema sententia est verissima, ipsius Bonauenturę, D. Thomæ, Durandi, & communis.

Contraria, quatenus negat fidem infusam informem esse eamdem specie cum formata, est hæretica: Tridentinum enim sess. 6. Can. 28. definit, fidem quæ in peccatore remanet, licet non sit viua, esse tamen veram fidem; & anathema dicit ei, qui dixerit talem peccatorē non esse Christianum: quatenus verò negat esse eamdem numero, est temeraria, quia in re graui, contra cōmunem.

Probatur hæc sententia primùm ex Scripturis, vbi parabolæ quædam satis indicant esse vnam & eamdem fidem, vt illa de decem virginibus, vbi fidem licet informem intelligere per lampadem sine oleo, viuam autem per lampadem oleo refertam. Vide Augustinum tract. 23. in Ioannem. Sic alibi legimus quemdam ad nuptias intrasse non habentem vestem nuptialem. Fide vtique intrauit, sed veste nuptiali caruit, quia charitate destitutus fuit: qua vt vestiretur, quis dixerit fide exspoliandum, & non potiùs superinduendum charitate? Efficacissima probatio est apud Iacobum, qui indicat, eamdem esse fidem viuam & mortuam, sicut idem corpus nunc viuit, nunc mortuum est.

Ex Patribus Irenæus lib. 4. cap. 25. dicit, fidem vt & prophetiam, & similia, sine dilectione vacua esse & fruſtrà: intellexit ergo, accedente dilectione non definere esse, sed incipere prodesse. Chrysostomus homil. in Encœniis, comparat peccatorem habentem fidem informem militi ignauo: certum autem est, eum, qui ex ignauo milite fit strenuus, eamdem retinere tesseram militarem. Augustinus in Psalmum 31. comparat fidem & opera fundamento & ædificationi, radici & fructui: certum autem est, fundamentum manere idem, quando superædificatur; radicem manere eamdem quando fructificat. Item lib. 15. de Trinit. cap. 18. *Sine charitate fides potest quidem esse, sed non prodesse.* Beda in cap. 2. Iacobi dicit, Fidem mortuam per opera charitatis reuiuiscere, & animari; tantum abest, vt extingui existimauerit.

Probatur denique ratione. Primò, Fides ordine generationis prior est charitate, & habet se fides informis ad viuam, sicut imperfectum ad perfectum in eadem specie, vt docet S. Thomas seq. artic. ad 3. Potest itaque charitatis habitus tolli, remanente fide: prius enim non tollitur, posteriori sublato. Secundò, Alioquin vel nullus peccator habet fidem infusam: quod non esse verum diximus, & ostendimus in tractatu de iustificatione: vel oportet Deum infundere suum donum, eo ipso quo quis mortaliter peccat; quod est inconueniens: tunc enim homo charismata Spiritus non accipit, quando Spiritum sanctum amittit.

Supersunt soluendæ obiectiones. Vna fieri potest eiusmodi: Iustificatio hominis fidelis non est minoris perfectionis, quàm sit iustificatio hominis infidelis: ergo sicut hæc producit nouum habitum fidei, ita & ista.

Respondeo, non sequi. Sicut enim pluuia non est imperfectior quando cadit in terram vbi herbam inuenit, quam ad incrementum promoueat, quàm dum cadit in terram, vbi ex semine herba de nouo producenda est: ita iustificatio hominis fidelis non ideò debet censeri imperfectior, quòd germen fidei non de nouo producat, sed ibi inuentum crescere faciat.

Secunda obiectio: Opus mortuum non potest fieri viuum. Ergo nec habitus mortuus potest fieri viuus. Antecedens est commune dictum Theologorum, qui ita distinguunt opus mortuum à mortificato.

Respondeo, negando consequentiam. Quia quòd opus mortuum non reuiuiscat, ideò est, quia non manet neq; in se, neque in acceptatione diuina. Si enim aliquod opus inchoëtur in peccato, & continuetur donec homo iustificetur; illud quodammodò reuiuiscit, quia quodammodò manet. Cùm itaque habitus absolutè maneat, non est mirum, si absolutè dicatur reuiuiscere.

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm Fides sit virtus?*

RESPONDET D. Thomas, virtutem esse fidem formatam, non autem informem; vtpote cuius actus non habeat debitam perfectionem ex parte voluntatis.

Maioris methodi gratia articuli doctrinam in tria dubia distinguemus.

## DVBIVM I.

### *An saltem Fides formata sit virtus?*

NON magnopere opus erat istud mouere, nisi Durandus in 3. d. 23. q. 6. quædam de hac re contra communem sententiam docuisset. Quærens enim, An Fides sit virtus; dicit, virtutem accipi duobus modis: vno, pro habitu quocumque laudabili, inclinante potentiam ad bonum actum; altero strictiùs, pro habitu ponente potentiam in vltimo perfectionis debitæ suo actui. Ita enim virtutem dici vltimum de potentia. Priori modo dicit fidem esse virtutem, sed non magis formatam quàm informem. Secundo autem modo dicit, neque formatam neque informem esse virtutem, eò quòd non ponat intellectum in vltimo perfectionis suo actui debitæ; quia nimirum non perficiat eum ad conspiciendum suum obiectum in se, vel per resolutionem ad id quod in se conspicitur.

*Opinio Durandi.*

Eò itaque abit sententia Durandi, vt propriè & strictè loquendo, existimet fidem non esse virtutem, etiamsi viua & formata sit. Cuius contrarium duobus modis in primis ostendere possumus: vno, congerendo illa testimonia, quæ probant fidem esse virtutem: si enim fides sit virtus, omnino fides formata virtus erit; hoc enim nec Durandus negat; altero per illa quæ probant peculiariter, saltem fidem formatam esse virtutem. Fidem itaque esse virtutem, adeoque viuam fidem formatam & consummatam, esse perfectam virtutem, colligere licet ex prioris ad Corinthios cap. 13. vbi dicuntur esse tria hæc, Fides, Spes, Charitas; atque innuitur esse magnas virtutes: nihil enim alioquin magni esset, maiorem harum esse charitatem. Sanè communis Theologorum schola tres inde statuit virtutes Theologicas. Huc faciunt omnia Scripturæ loca, quæ dicunt fidem iustificare: per virtutem enim iustificamur, cùm iustitia sit tota virtus, vt ex Philosopho hîc D. Thomas. Item illa quæ dicunt, per fidem fieri vt non confundamur, vt purificentur corda, vt saluemur, & similia.

*Vera sententia.*

*Rom. 10. Act. 15. Ephes. 2.*

Fidem formatam esse virtutem perfectam, peculiariter ostendit Apostolus ad Galatas cap. 5. vbi pronuntiat, solam fidem quę per dilectionem operatur, aliquid valere. Rectè D. Bonauentura, fidem hanc dicit non solùm esse virtutem, sed aurigam omnium virtutum: idemque, vno excepto Durando, passim omnes dicunt Scholastici.

Neque difficile fuerit Durandum refutare. Quod enim dicit, per fidem nõ statui intellectum in vltimo perfectionis debitæ suo actui, propter ipsius fidei ineuidentiam; cõcidet, si aduertimus tantum abesse, vt in fide virtutis rationem auferat ineuidentia, vt ipsa illa ineuidentia ad talem virtutis rationem prorsus sit necessaria. Meritum enim fidei euacuatur, vbi est euidentia; meritum autem fundatur in ratione virtutis. Istud vnde proueniat intelligemus, si aduertamus, fidem ita esse rem intellectus, vt dependeat ab imperio voluntatis. Quamuis ergo maior esset perfectio intellectus, videre clarè quod obscurè credit; maior tamen est perfectio voluntatis, velle assentiri non visis. Deinde, etiamsi consideremus fidem vt perficit intellectum; obseruat rectè Banesius, eum magis perficere intellectum, quàm habitum alium quemcumque, siue naturalem siue acquisitum: eò quòd maxima perfectio intellectus, sit certissima illa rerum diuinarum cognitio. Neque enim multùm refert, abesse euidentiam, cùm aliunde maxima illa certitudo habeatur, propter quam euidentia solet desiderari. Adde, quòd de rebus præstantissimis, etiam minima cognitio, magnæ sit delectationis, vt alibi docet Philosophus.

*Reſponſ. ad argumen. Durandi.*

Lib. 1. de partibus animalium cap. 5.

Quòd verò vrget Durandus, virtutem esse extremum potentiæ, aut dispositionem perfecti ad optimum; intelligendum id est, quantum status subiecti requirit. Sicut enim in naturalibus virtus est oculi noctuæ, quod vitium esset oculi aquilæ: ita in proposito, quamuis fides ex parte sit, & imperfecta cognitio, ideoque cùm peruenerit ad id quod perfectum est euacuanda, in viatore tamen magna est perfectio. Sicuti enim non perficit aërem lucerna, quando iam solis radiis illustratur, perficit autem in noctis caligine: ita & fides tamquam lucerna lucens in caliginoso loco, multùm perficit caliginosum nostrum intellectum, *donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris.* Fides enim est illud incorruptum lumen, cui qui rebelles sunt, digni sunt carere luce, & cum Ægyptiis pati carcerem tenebrarum: de quo Sapientiæ cap. 18. Pulchrè de lucerna ista Augustinus tract. 23. in Ioannem. vbi rectè monet, eam oleo misericordiæ foueri & conseruari, vento superbiæ extingui.

*2. Pet. 1.*

Neque difficile fuerit conuellere quod Durandus dicit, formatam fidem non magis esse virtutem, quàm informem. Quamuis enim charitas sit forma fidei externa, multum tamen ei confert perfectionis internæ: perficiente enim imperium voluntatis charitate, promptiùs, firmiùs, certiùs & constantiùs intellectus per fidem inhæret primæ veritati. Ad hæc, si virtus est quæ reddit habentem bonum; maior erit virtus quæ reddit meliorem. Certum autem est, fidem formatam reddere hominem meliorem, quàm reddat fides informis: bonitas enim ex ordine voluntatis pendet, quem constat in fide formata esse perfectiorem. Insuper huc facit, quòd secundùm statum virtutis, omnes virtutes morales sint connexæ. Vt enim quis non patiatur difficultatem, verbi gratia, in materia temperantiæ, ratione circumstantiæ quæ requirat exercitationem in alia virtute; oportet ipsum etiam in illius exercitio expeditum esse. Aduertendum tamen, magis perfici fidem per charitatem, quàm perficiatur temperantia aut alia moralis virtus per prudentiam: efficit enim vt ipse fidei actus & conatus magis roboretur circa proprium obiectum: prudentia autem instar aurigæ tantùm dirigit temperantiam.

Dices: Scientia acquisita ex coniunctione charitatis, non induit rationem virtutis: ergo neque fides infusa.

Respondeo, non sequi. Per scientiam enim acquisitam tam perfectè cognoscit peccator, quàm iustus; per fidem infusam autem, quatenus ea pendet ex imperio voluntatis, perfectiùs credit iustus quàm peccator.

## DVBIVM II.

### *An Fides informis sit virtus?*

DIVVS Thomas hoc articulo videtur negare: sed ex responsione ad 3. liquet, non aliud ipsum



ipsum voluisse, quàm fidem informem non habere rationem perfectam virtutis.

Respondeo itaque, Fidem informem esse quidem virtutem, sed imperfectam. Prior pars probatur, Quia est habitus inclinans ad honestum sub ratione honesti, & formaliter principium actus moraliter boni, captiuans intellectum in obsequium Christi. Secundò, Si fides per se sit virtus (quod superiori dubio satis ostensum est) non apparet quomodo non sit virtus vbicumque reperiatur, adeoque etiam in peccatore. Confirmatur, Quia nõ satis apparet, quomodo tres sint virtutes Theologicæ, si omnis ratio virtutis, quæ est in fide, sumatur à charitate. Imò fides tunc propriè non erit virtus: nam etiam actus fidei acquisitæ potest imperari à charitate, atque ab ea mutuare rationem virtutis: nemo tamen propterea dixerit fidem acquisitam esse virtutem. Tertiò, Virtus opponitur vitio, & bonum malo: fides etiam informis opponitur sic infidelitati, quæ magnum est vitium: ergo, &c. Quartò, D. Augustinus lib. de vera innocentia citatus à D. Thoma, & Bonauentura in 3. docet, ceteras virtutes, præter charitatem, posse inesse bonis & malis. Quintò & postremò, Est communis Theologorum, fidem quidem informem esse virtutem, sed neque perfectam, neque in statu virtutis; quæ erat altera nostræ resp̃tionis pars breuiter hîc probanda. Probant autem eam omnia quæ in speciem videntur priorem partem improbare: vt quòd fides informis non coniungat hominem vltimo fini. Perfecta enim virtus secundùm D. Augustinum 4. in Iulianum cap. 3. coniungit habentem vltimo fini. Item quòd sine charitate sit mortua, otiosa, & similis fruſtraneæ pauperum consolationi, sine vero subsidio, vt inanibus verbis solis eis dicatur, *Ite in pace, calefacimini & saturamini*; virtus autem perfecta sit viua & operatoria. Denique quòd virtus simpliciter faciat hominem promptè & delectabiliter operari. Hoc enim est habere statum virtutis, quod non præstat fides informis. Obiectum enim fidei, cùm sit ineuidens, sensuum & naturalis rationis argumentis destitutum, ita difficile creditu est, vt promptè & delectabiliter illud non credat is, in quo credendi affectus nondum profecerit vsque ad charitatem. Neque aliud existimo voluisse D. Chrysostomum in illud 2. ad Timoth. cap. 3. *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*, scribentem in hûc modum: *Fides sine operibus, figura solùm absque virtute est. Rectè ergo pulchro & venusto corpori virtute destituto picturaque comparatur.* Vult enim Chrysostomus, fidem informem pulchritudinem quamdam conferre; sed quando sine operibus est, esse sine virtute operatrice, eoque sensu quodammodò sine virtute.

*Iac. 2.*

## DVBIVM III.

### *An Fides informis sit virtus intellectualis?*

DIVVS Thomas in 3. apertè dicit, fidem informem non esse virtutem intellectualem, eò quòd non habeat conspicuam veritatem cui adhæreat.

Caietanus verò in hunc articulum, dicit quidem fidem esse virtutem intellectus, non tamen intellectualem; eò quòd ponat quidem intellectum in vltima perfectione, quam natus est supernaturaliter habere in via; sed nõ faciat euidentiam in intellectu speculatiuo, in quo residet.

Alij simpliciter admittunt, fidem etiam informem esse virtutem intellectualem. Ita Banesius. Quam opinionem licebit confirmare hoc argumento: Definitio virtutis intellectualis, quam tradit Philosophus, conuenit fidei etiam informi. Est enim virtus qua anima dicit verum affirmando aut negando; estque maxima intellectus perfectio; cùm certissima sit rerum diuinarum cognitio, quæ nusquam fallat, eo præsertim accedente, quòd eius ineuidentia certitudine compensetur: neque, vt suprà monuimus, eadem ineuidentia obsit, quò minùs pro statu viatoris, fides benè afficiat intellectum. Neque conuenit fidei ratio, propter quam Philosophus reiicit à virtutibus intellectualibus opinionem & existimationem: neque enim contingit fidei subesse falsum, sicut illis, vt ostendimus suprà. Sicuti ergo virtus est voluntatis, qua semper benè vtimur operando; ita virtus erit intellectus, qua semper benè vtimur rectè iudicando & enuntiando. Viderint autem qui fidem negant virtutem esse intellectualem, ne accedant nimiùm ad errorem Petri Abaillardi, qui fidem volebat esse solùm existimationem. Neque tamen displicuerit ea hîc moderatio, vt dicatur quidem fides virtus intellectualis, sed non simpliciter: virtus, inquam, intellectualis, propter omnimodam certitudinem, & nullius alterius argumenti indigentiam: non simpliciter autem, quia reuerà simpliciter melius est intellectui videre quàm credere, quamuis propter meritum beatiores sint secundùm verbum Christi, qui non viderunt & crediderunt. Sed hoc effecerit fortè, non tam vt intellectualis virtus sit fides, quàm vt virtus sit hominis viatoris.

*Ioan. 20.*

Hactenus itaque dictum sit, qua ratione fides virtus intellectualis dici mereatur, propter suam certitudinem. Accedit autem ad virtutes morales, propter imperium quod requirit ex parte voluntatis, eaq; causa fuit, cur D. Thomas neque intellectualem, neque moralem, sed Theologicam tantùm existimauerit appellandam.

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm Fides sit vna virtus?*

ASSERTIO PRIMA pro Responsione: Fides in singulis fidelibus, non tantùm aggregatione, sed absolutè est vnus numero, & simplex habitus. De hac assertione satis constat inter omnes Theologos, modò eam intelligas de fide, vt dicit habitum intellectus: alioquin considerando fidem vt simul inuoluit habitum existentem in voluntate, quo voluntas prompta fiat ad credendum; erit quidem vna numero virtus, sed non dicetur perinde vnus numero habitus: quomodo actum internum & externum dicimus vnum esse actum, non perinde dicturi esse vnam rem. Nomen enim specificum, magis interdum significat illam vnitatem aut cõpositionem, quàm genericum: duo enim habitus possunt esse vna virtus, duæ res vnus actus. Debere autem fidei respondere habitum quemdam piæ affectionis in volutate, constat ex illis quæ suprà ad artic. 2. diximus. Displicet tamen id Scoto in 3. d. 25. *Posita*, inquit, *fide acquisita, credibili præsente, potest*

*intellectus per habitum infusum credere; dummodò voluntas non contrà moueat, nec plus requiratur: & esto quòd requiratur motio positiua voluntatis, etiam sufficit voluntas ad sic mouendum in puris naturalibus: quia posito vero supernaturali præsente in intellectu, potest voluntas intellectum mouere ad illud intelligendum, dummodò in intellectu sit habitus in illud inclinans.* hactenus ille. Sed in eo fallitur, quòd non satis aduertat, fidem ex parte voluntatis requirere & promptitudinem inclinandi in assensum, & proportionem ad ipsum assensum. Ratione prioris, requirit in voluntate habitum; ratione posterioris, requirit pium affectum eiusdem ordinis cum assensu fidei, adeoque supernaturalem. Sicuti enim ad fidem, qua filius facilè parenti credit, pietas concurrit quam habet erga patrem, quem nouit se nolle decipere; ita ad fidem qua quis Deo supernaturalia reuelanti credit, oportet concurrat affectus pius in Deum, vt infallibili veritate etiam supernaturalia reuelantem, adeoque vt luminis supernaturalis Patrem.

Supposito itaque quòd hoc sensu fides sit habitus quodammodò compositus, aut potiùs quòd præter se, aliùm in voluntate habitum requirat; ostendamus non esse compositum aut aggregatum ex pluribus, considerando solum habitum qui est in intellectu; quomodo multæ scientiæ dicunt habitum tantùm coordinatione vnũ. Ostendi autem id potest hoc modo: Quando assentior alicui propositioni, non solùm apprehendo prædicatum & subiectum & copulam, quod fit tribus actibus apprehensiuis distinctis; hoc enim solùm est quoddam sentire: sed animo probo, agnosco, talem reuerà esse coniunctionem mente enuntio, iudico, decerno, qualem propositio præ se fert; adeoque consentio. Quod dum facio, si naturas extremorum conferam, & propter congruentiam quam inter ea inuenio assentiam; pro extremorum varietate variabitur species assensus; idemque dixero, si vel ex parte concurrat eiusmodi extremorum inspectio: quò fit vt diuersi specie assensus sint harum propositionum: Deus est, Deus est vnus, Deus est principium rerum, &c. si cum reuelatione diuina ad eos concurrat medium demonstratiuum. Quando verò assensus præbetur purè propter auctoritatem dicẽtis, est assensus specie idem, etiamsi propositiones sint diuersissimæ. Quia verò hominis auctoritati non tantum deferimus, quin etiam per rationem naturalem extrema conferamus, & ex eorum collatione firmius aut infirmius assentiamur: diuinæ autem totum deferimus, ita vt omni extremorum consideratione neglecta, soli diuinæ auctoritati innixi, assensum præbeamus; fit vt magis in fide diuina omnes assensus sint eiusdem speciei, quàm in fide humana. Vnde manifestum est, in vnoquoque fideli esse tantùm vnum indiuiduum simplicem habitum fidei infusæ. Consequens etiam est, in omnibus fidelibus fidem esse eiusdem speciei.

Sit itaque SECVNDA ASSERTIO nostra: Fides non tantùm vna est specie in omnibus fidelibus, sicut facies omnium hominum possunt dici vna specie facies; sed omnimoda similitudine vna est, sicuti de faciebus omnino similium, dicimus esse vnam faciem. Confirmatur ex cap. 4. ad Ephesios: *Vnus Deus, vna fides.* Et ex D. Augustino lib. 13. de Trinitate cap. 2. vbi de fidei vnitate ita loquitur: *Non enim numero est vna, sed genere. Propter similitudinem tamen & nullam diuersitatem, magis vnam dicimus esse quàm multas.* Addit; quando dictum est, fuisse Apostolis animam vnam; magis potuisse plures animas in illis considerari, quàm possint plures fides, aut tot fides dici quot fideles, quorum Apostolus dixit vnam esse fidem.

TERTIA ASSERTIO. Si fides sumatur pro eo quod creditur, sic etiam est vna fides, quatenus est vnum eius obiectum principale, ad quod cetera credenda ordinem certum habent, videlicet Deus.

Displicet ista Assertio Scoto, dist. 25. in fine; eò quòd Deus non sit tale primarium obiectum fidei, vt ex illo reliqua omnia, quæ fides considerat, deduci possint. Sed benè respondet Caietanus, ad veritatem nostræ assertionis sufficere, quòd in Deo, vt obiecto, omnia credenda concipiantur, propter respectum quem habent ad Deum: plenè enim cognito Deo, non possunt remanere ignota quæ Dei sunt.

## ARTICVLVS VII.

### *Vtrùm fides sit prima inter virtutes?*

RESPONDET D. Thomas, Fidem esse per se primam virtutem: per accidens autem contingere, vt impedimentum fidei remoueat fortitudo, aut aliqua alia virtus; eaque ratione, fide quodammodò sit prior.

Notandum, articulum institui de virtute prima, non tempore: quia fortè fides numquam sola infunditur sine spe, aut etiam charitate: neque dignitate (certum enim est ex Apostolo charitatem sic esse primam:) sed origine & natura.

Prior pars Assertionis probatur auctoritate omnium veterum, qui passim fidem dicunt primam esse virtutem, & fundamentum omnis boni operis. Ita Ambrosius lib. 1. offic. cap. 29. Chrysostomus homil. de Fide, Spe, & Charitate: Augustinus lib. 22. de Ciuitate cap. 6. vbi dicit fidem esse fundamentum ciuitatis Dei: Gregorius homilia 16. in Ezechielem, fidem significari per marginem ante thalamum, eò quòd charitatem præcedat: & homil. 17. dicit, fidem significari per portam; spem, per locum qui ad faciem vestibuli portæ interioris propinquat; per atrium, charitatem; & sine his tribus neminem ingredi posse ad cæleste ædificium. Beda libello de substantiis, tomo 2. dicit fidem esse fundamentum omnium virtutum, & primam in corde ponendam. Idem docet Prosper ad excerpta Genuensium dub. 8. Item Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. Ratio etiam D. Thomæ est admodum idonea: Fides vt Theologica, est prior virtutibus non Theologicis; Theologicæ enim cùm versentur circa Deum, qui est finis vltimus, sunt priores aliis: vt autem fides ad intellectum pertinet, prior est spe & charitate, quæ ad voluntatem pertinent: rem enim ignotam nemo sperat, nemo diligit.

Posterior pars satis declaratur apud D. Thom.

Si quis hîc nobis opponat, affectum piæ credulitatis videri virtutem priorem fide; respondebimus illam non statuendam virtutem distinctam à fide. Hic enim affectus & fides habent se vt imperium & actus imperatus, quæ vnum actum moralem constituunt.

Quæres



Quæres iterùm, An ergo nulla sit moralis virtus in infidelibus: hoc enim consequens videtur, si fides sit prima virtutum.

Respondeo, fidem esse primam virtutum supernaturalium & infusarum, quæ pertineant ad ædificationem cælestis Ierusalem; non autem moralium, quæ terrenam magis quàm cæleſtem ciuitatem ædificãt. Ruffinus tamen in expositione Symboli, quę reperitur in operibus Cypriani, docet, fidem aliquam præcedere, etiam in exercitio virtutum moralium. *Quid mirum,* inquit, *si accedentes ad Deum credere nos primò omnium profitemur, cùm sine hoc nec ipsa exigi possit vita communis?* &c.

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm Fides sit certior scientiâ & aliis virtutibus intellectualibus?*

QVAMVIS D. Thomas hîc solam fidem comparet cum tribus virtutibus intellectualibus,
Cap. 3. & 6. quas statuit Philosophus 6. Ethicorum, & cum tribus donis Spiritus sancti, sapientiæ, scientiæ, & intellectus: possumus tamen eamdem comparationem extendere ad visionem beatificam, experientiam sensus, & pertinaciam hæresis. Dicitur autẽ vna cognitio certior altera, vel ex parte causſæ, vel ex parte subiecti. Ratione causſæ, illa est certior, quæ superat certitudine medij, aut luminis, aut alterius quod sit loco medij; ratione subiecti autem, cuius subiectum meliùs & perspiciùs assequitur medium aut lumen.

Contingit itaque certitudinem vnius cognitionis esse maiorem quatuor modis. Primo, ex parte causſę & subiecti simul, quo modo scientia est certior opinione. Secundo, ex parte causſæ, sed ita vt superetur ex parte subiecti; quo modo fides est certior scientiâ. Tertio, ex parte subiecti: ita vt ex parte causſæ neutra aliam superet, quo modo visio beatifica superat fidem. Quarto, secundùm quid tantùm ex parte subiecti, quando nimirum ita ex parte subiecti certitudo prævalet, vt interim ex parte causſę planè vincatur; quo modo scientia superat certitudine fidem secundùm quid, à qua tamen dicitur simpliciter superari; quia (vt rectè diuus Thomas) certitudo quæ est ex parte causſæ, potiùs consideranda est.

Ex his inferuntur aliquot conclusiones explicantes articulum.

PRIMA CONCLVSIO. Simpliciter loquendo, fides est certior scientiâ & reliquis virtutibus intellectualibus, etiam intellectu principiorum.

Probatur Primò, Quia per fidem participamus cognitionem qua Deus res cognoscit, & assensus nostet nititur certitudine & infallibilitate Dei cognoscentis: ideò enim fides dicitur Dei sapientia, 1. Cor. 2. reuelata à Deo, ad Galat. 1. verbum Dei, 1. ad Thess. 2. testimoniũ Dei, 1. Ioan. 5. Cùm itaque Deus certissimè cognoscat res etiam contingentes; imò tam certò quàm suam essentiam, aut alia quæcumque necessaria, vt qui non accipiat cognitionem ab ipsis rebus; consequens est, nostram illam diuinæ scientiæ participationẽ longè superare certitudine quamuis aliam nostram notitiam: sicuti beatorum cognitio matutina quam habent in Verbo, longè superat cognitionem vespertinam, qua res in seipsis cognoscunt. Confirmatur: Quando alicui credimus, quò certior & minùs fallibilis eius est veritas & auctoritas, eò nostet assensus est certior: ergo cùm Dei summa est veritas & auctoritas, quòd ei credimus, certissimò cognoscimus.

Dices, hinc solùm sequi, fidem diuinam fore certiorem quauis fide acquisita, qua hominibus aut Angelis credimus; non autem fore certiorem scientiâ. At si benè res inspiciatur, sequitur etiam, scientiâ nostrâ esse certiorem, sicuti scientia Dei nostram certitudine superat; neque nostræ propriæ indagini tantum fidimus, quantum scientiæ diuinæ: certitudo autem in fide nititur scientiâ Dei tamquam caussâ propriâ, cùm nostrę scientię certitudo longè incertiori exploratione nitatur.

Probatur Secundò ex cap. 24 Matthęi, vbi Dominus dicit verba sua non prętereitura, etiam cælo & terra pereuntibus: certitudo ergo maior est fidei à verbo Dei, quàm scientiæ à rebus acceptæ, quæ intercidere possunt, quantumuis videantur incorruptibiles.

Probatur Tertiò ex PP. Chrysostom. hom. 21. in epistolam ad Hebræos: *Si de iis quæ non cadunt sub aspectum, non apertiùs fuerit quispiam persuasus, quàm de iis quæ videntur, non potest esse fides.* Basilius epist. 43. ad Gregorium fratrem dicit, quòd in fidei dogmatibus potior sit fides quarumuis ratiocinationum complexione, sicut in rebus sensibilibus experientia superat rationis redditionem.

Denique hæc est communis sententia Theologorum in 3. excepto Durando, qui putat, non debere illam cognitionem dici certiorem, quæ non est certior quoad nos: qualis tum demum est, quando medium causſans cognitionem, est certius non solùm in se, sed etiam quoad nos, vt nimirum nos certiores faciat quàm medium alterius cognitionis, cum qua fit comparatio. Existimat itaq; Durandus, multas scientias esse certiores fide, duobus modis. Primo, Extensiuè, id est, propter plures modos certitudinis, puta euidentiæ & adhæsionis: cùm enim fides sola adhæsione certa sit, contingit (inquit) scientias esse certas adhæsione simul & euidentia. Secundo, Intensiuè; quo modo certius est quod minùs admittit sibi permiſceri dubitationem. Constat autem (inquit Durandus) scientiam nullo modo posse habere permixtam dubitationem; fidem autem, etiam saluam permanentem, posse habere aliquem modum dubitationis permixtum. Verùm hîc Durandus dum non vult via communi incedere, non solùm incidit in opinionem falsam, sed etiam temerariam. Quod enim dicit, fidem sola adhæsionis firmitate certam esse, nullo modo tolerandum est: Primò, quia sic non haberet maiorem certitudinem quàm idololatria aut hæresis: imò nullam haberet certitudinem. Nam, vt Durandus ipse notat, firmitas adhæsionis non nisi impropriè dicitur certitudo, de quo diximus 1. 2. quando de certitudine gratiæ. Secundò, vt benè obseruat Almainus contra Durandum in 3. si fides propter solam adhęsionem credentis certior dicatur scientiâ, eò quòd difficiliùs possit homo diuelli ab assensu fidei, quàm ab assensu scientiæ; verè non dicetur certior: quamuis enim, si liberam vtrobique consideres adhæsionem, faciliùs relinquatur illa quæ scientiæ est, quàm quæ fidei; tamen quia scientiæ adhæsio positis principiis necessaria est, & non subest libero arbitrio, sicuti fides subest,

etiam

etiam plenè proposita & applicata Dei auctoritate; simpliciter loquendo, fidei adhæsio ex parte subiecti considerata, faciliùs relinqui potest quàm scientiæ. Quòd ergo faciliùs relinquamus scientiam, aliunde prouenit quàm ex parte subiecti. Prouenit autem ex parte causſæ & rationis assentiendi, quæ est omnino infallibilis Dei dicentis auctoritas. Quòd verò dicit Durandus diuinam auctoritatem, licet in se sit certissima, non posse fidem nostram reddere certissimam, eò quòd non sit nobis certa; quia nimirum non ipsi audiuimus Deum hoc loquentem, sed quia Ecclesia dicit, credimus Deum hoc dixisse: facilè reiicitur ex dictis q. 1. Eadem enim certitudine credimus Deum reuelasse se esse trinum in personis, qua crederemus hoc esse verum, si nobis immediatè per se reuelaret, sicut reuelauit Apostolis. Habet itaque fides veram certitudinẽ causſæ, qua superet scientiam, vt rectè hîc D. Thomas. Quòd autem ea parte Durandus existimat, fidem superari certitudine à scientia, quia admittat dubitationem; à vero est alienum. Cùm enim actus fidei liber sit, non repugnat eius certitudini dubitatio aliqua non libera: quando enim indeliberata dubitatio surrepit, non vtitur homo medio assensus fidei: at si deliberatè dubitet de veritate reuelata, censetur ei ad vsum applicatæ minus deferre quàm fidelis debeat, ideoque rectè dicitur de hæreticis cap. 1. dubius in fide esse infidelis.

Obiiciet hîc quispiam; Saltem ex cognitione naturalis principij, Quodlibet est vel non est, tam certò scio hanc disiunctiuam esse veram, Verbum est incarnatum, vel non est incarnatum; ac per fidem teneo priorem partem: ergo fides non est certior habitu principiorum.

Duæ hîc adferũtur responsiones: vna est, Quandocumque aliquid credendum fide Deus reuelat, semper in eo inuolui reuelationem huius primi principij, Quodlibet est vel non est: ideoque non posse fieri comparationem inter propositionem de fide, & primum istud principium; quod nisi credatur, nil credi potest. Altera est, Posse duobus modis considerari istud principium; vno, vt cognoscitur solo naturali lumine, & sic fidem esse certiorem eius cognitione: altero, vt cognoscitur etiam fide, eoque modo paris cum fide esse certitudinis. Prior responsio vera est, quia illud principium tam est generale, vt non tantùm in naturali cognitione, sed etiam supernaturali quacumque necessariò supponatur. Neque tamen displicet secunda responsio: quia impossibile est, hanc propositionem, Verbum est incarnatum, esse fidei, quin etiam sit fidei ista disiunctiua. Quæ enim ita eadem sunt illis quæ sunt fidei, vt non nisi nugatoriè ex illis colligantur, illa verè sunt fidei. Neque vllum est incommodum, si dicatur isti disiunctiuæ per reuelationem alterius partis accedere aliquid certitudinis ex parte causſæ cognoscendi: incipit enim Deus per se reuelare, quod priùs solùm reuelabatur mediante lumine rationis naturalis.

Secvnda conclvsio. Fides simpliciter est certior dono intellectus, sapientia, & scientia, quatenus sunt dona præsentis vitæ; nam (vt rectè diuus Thomas) comparantur ad fidem, sicut ad principium suum.

Tertia conclvsio. Fides est certior experientiâ sensus. Probatur ex Patribus citatis conclusione prima, & D. Augustino libro 7. Confessionum cap. 10. *Faciliùs dubitarem viuere me, quàm non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt, intellecta conspicitur.* Accedit quòd sensus interdum errare, & etiam circa proprium obiectum subinde fascinari possit.

Qvarta conclvsio. Fides est certior pertinaci persuasione hæreticorum. Probatur, Quia hæc ex parte causſæ admittit falsitatem. Neque refert, quòd ex parte subiecti, hæreticorum assensio valdè sit firma: multùm enim distinguuntur firmitas quæ est ex parte subiecti, & certitudo quæ est ex parte causſæ; vt diximus quando de certitudine gratiæ.

Qvinta conclvsio. Visio beatifica non est certior fide quoad causſam, cùm vtrobique sit prima veritas reuelans: est tamen certior ex parte subiecti; quia clara est & manifesta apparentium rerum reuelatio, cùm fides sit obscura rerum non apparentium. Ita Caietanus. Ex qua conclusione conciliari inter se poterunt Bonauentura affirmans, & Gabriel negans visionem beatificam fide esse certiorem.

Sexta conclvsio. Scientia, sapientia, & intellectus, vt sunt virtutes intellectuales, secundùm quid superant fidem certitudine quoad nos, siue ex parte subiecti. Et secundùm hanc Conclusionem explicandæ sunt auctoritates quæ adferri poterant contra Conclusionem primam.

Obserua tamen, quando dicimus, has virtutes intellectuales certiores esse quoad nos; non hoc nos velle, quòd fides reuerà non reddat nos certiores, quàm istæ virtutes: quamuis enim non sit hęc certitudo fidei tanta quoad nos; hactenus quia quod ex nobis est, solemus certitudinem metiri euidentia; est tamen ea certitudo in nobis, & reuerà nos afficit: per voluntatem enim imperamus intellectui, vt inhæreat primæ veritati, tamquam captiuantes omnem intellectum in obsequium Christi. Quo fit, vt in intellectu maior sit certitudo fidei quàm scientiæ, sed dependens à voluntate, qualis non est certitudo scientiæ: dependens inquam, non quòd causſa certitudinis ex obiecto desit, sed quòd reuelatio sit obscura. 2. Cor. 10.

Obiici potest contra doctrinam huius articuli, quod habet Hugo de sancto Victore lib. 1. de Sacramentis p. 10. cap. 2. Fidem esse certitudinem quamdam animi de rebus absentibus, supra opinionem & infra scientiam constitutam.

Respondeo, ita eum loqui propter ineuidentiam fidei, qua fit, vt secundùm extensionem certitudine à scientia superetur: scientia enim non solùm adhæsione, sed euidentiâ certa est; fides autem quodammodò sola adhæsione. Per fidem tamen diuinam sine euidentia, sola adhæsione, certiores reddimur quàm scientiâ, propter causſam certitudinis omnino perfectam, quæ posita est in summa auctoritate Dei reuelantis.

QVÆ-



# QVÆSTIO QVINTA.

## De habentibus Fidem.

## ARTICVLVS I.

*Vtrùm angelus aut homo in prima sui conditione habuerit Fidem?*

Videtvr fidei cognitio imperfectior esse, quàm conueniat primæ illi felicitati, in qua conditus est homo aut angelus: ideoque Hugo Vict. libro 1. de Sacramentis parte sexta, cap. 14. videtur primo homini tribuere cognitionem quamdam mediam, maiorem fide, minorem clara & beatifica diuinæ essentiæ visione. Dicit, maiorem fuisse fide, quia non fuerit accepta foris per auditum, sed intus per inspirationem. Secundò, quia eâ non quærebatur Deus absens, sicut fide nunc quæritur à credentibus: sed per præsentiam contemplationis, quasi à sciente, manifestiùs cernebatur. Tertiò, dicit illam cognitionem fuisse certiorem nostra fide. Postremò addit, per internam inspirationem, visibiliter ita edoctum fuisse Adamum, vt nullatenus de creatore suo dubitare potuerit. Hugonem sequitur Magister lib. 2. dist. 23. & lib. 4. dist. 1. vbi dicit, hominem ante peccatum Deum vidisse sine medio. Bonauentura similiter in 3. dist. 23. q. 3. dicit, Angelos in via non habuisse fidem, sed potiùs cognitionem contemplationis, propter absentiam ænigmatis. Durandus eadem dist. prope finem, negat angelos habuisse fidem: à qua opinione non videtur alienus Gabriel, ibidem. Accedit & ratio, qua Durandus egregiè exercet Thomistas: Fidei essentialis est ineuidentia, quam tollit euidentia, qua euidenter constat Deum esse, qui hoc aut illud credendum reuelet: quomodo enim quod reuelatur, poterit esse ineuidentis veritatis ei, cui simul euidens est Deum non posse fallere, & Deum istud reuelare?

Suppositio autem, tamquam ab omnibus admisso, angelis fuisse euidens, Deum aut primam veritatem non posse fallere; probatur eos euidenter sciuisse reuelationes quas interiùs habebant, sibi fieri à Deo; ab aliis enim angelis non fieri sciebant: quia non latent angelos actiones quas habent ad inuicem; & saltem supremus angelus potuit scire euidenter reuelationem sibi fieri à Deo. Cùm enim sciret se esse summum, & ab inferioribus non posse illuminari, restabat, Deum esse qui reuelaret.

Sit nihilominus pro responsione Assertio nostra eiusmodi: Angelus viator, & homo in statu innocentiæ, habuerunt fidem. Est communis D. Thomæ & Caietani hîc, D. Antonini 4. part. tit. 8. cap. 2. §. 3.

Omissis illis, quæ diximus de angelorum fide in prima parte, probatur Assertio: Angelus & homo eo ipso quòd erant viatores, debebant accedere ad Deum; accedentem autem ad Deum, oportet credere; ergo, &c.

Secundò, Quoad primum hominem, est sententia Prosperi ad excerpta Genuensium responsione primâ: quoad angelos, idoneus est testis Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum c. 3. vbi dicit, eadem gratia angelum fuisse custoditum vt staret, qua homo fuit post ruinã reparatus. Reparatur autẽ maximè per fidem; ergo per eam angelus in veritate stetit.

Notandum tamen ex D. Anselmo, in 12. cap. Matthæi, maiorem de Deo cognitionem, adeoque explicatiorem fidem habuisse angelum in via, quàm hominem in paradiso. Similis tamen conditionis fuit gratia vtriusque, vt docet Augustinus de correptione & gratia cap. 11.

Tertiò probatur ex Scriptura, quæ testatur angelum in via, & hominẽ in paradiso, fuisse plenos diuina cognitione. Diximus autem ex D. Thoma q. 4. ar. 8. dona intellectus, sapientiæ, & scientiæ, in viatore comparari ad fidem, tamquam ad principium suũ. Ioan. 8. *In veritate non stetit.* Ezech. 28. dicitur angelus antequam caderet, fuisse plenus sapientia, & perfectus decore. Non dissimilia de primis parentibus habemus Ecclesiastici 17. *Disciplina intellectus repleuit illos, creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum, & mala & bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum.*

Restat soluere contraria argumenta.

Ad Primum. Ratio requirit (& auctoritas Hugonis & aliorum hoc solùm concludit) speculum illud fidei, quo Deum contemplabatur primus homo, fuisse multo clarius & limpidius, quàm quo nunc Deum in ænigmate speculamur: illa tamen claritate non euacuabatur fides; quam diu enim sumus in corpore non glorioso, *Per fidem ambulamus, & non per speciem*, vt dicit Apostolus 2. ad Corinthios 5. Sine medio autem dixit Magister hominem ante peccatum Deum vidisse, non quòd viderit Deum facie ad faciem sine vllo medio adminiculante, quod medium speculare vocant Scholastici: sed quod viderit sine medio obumbrante, quod vocant ænigmaticum. Quamuis ergo Deus Adamo clariùs quàm nobis manifestabatur, intus in animo se reuelans sine corporali & exteriùs adumbrante ænigmate; quamuis etiam angelus clariùs in via, quàm homo in paradiso cognouerit Deum; neuter tamen habuit intuitiuam Dei visionem, qualem habent beati, adeoque neuter habuit talem visionem quę fidem euacuauerit, sed vterque habuit fidem cum cognitione minùs obscura.

Ad rationem Durandi superest respondeamus, quæ postulat examen huius dubij, An fides euacuetur, quando euidens est, Deum esse qui loquitur; etiam si illud quod loquendo reuelat, in se obscurum nobis maneat. *Dubium.*

Duæ hîc sunt opiniones. Vna negat euacuari:

ita

ita Caietanus hoc articulo : altera affirmat, quam sequitur Banesius. Prior videtur verior, eamque secundùm rem satis probat D. Thomas hoc & sequenti articulo. Certè nec hominem primum, nec Angelum, talem habuisse euidentiam de Deo attestante, quin simul fidem habere potuerint de obiecto supernaturali, naturaliter ipsis obscuro & ignoto, puta, quòd Deus sit trinus in personis, quòd sit auctor beatitudinis supernaturalis ; citra omnem controuersiam admittendum esse existimo : imò probabilius est, solam euidentiam de Deo reuelante, vt sic, non sufficere ad euacuandam fidem : nec enim est idem, euidens esse hoc à Deo esse reuelatum, & simpliciter in se esse euidens: potest enim secundùm se nobis manere obscurum, & simul esse euidens, à Deo esse reuelatum. Atque hactenus quidem, etiam secundùm illorum opinionem id verum est, qui per euidentiam sensus aut scientiæ, qualem in hac vita habemus, putant circa idem obiectum euacuari fidem : multò autem magis verum erit, secundùm opinionem (quam superiùs secuti sumus) dicentem, nulla euidentia euacuari fidem, nisi quæ adæquet fidei certitudinem. Non apparet autem, tali euidentia posse constare, Deum esse qui reuelet, extra visionem beatificam : eoque sensu verè dixisse intelligi poterit Banesius, extra beatificam visionem non reperiri hanc euidentiam de Deo attestante. His conformiter addo, hanc euidentiam de Deo attestante ne quidem minuere fidei meritum. Quando enim D. Gregorius dicit, fidem
Hom. 26. in Euang. non habere meritum, vbi humana ratio præbet experimentum ; loquitur de experimento quod accepterur in supplementum ineuidentiæ eius quod creditur : hæc autem de Deo attestante euidentia, potiùs pertinet ad euidentiam credibilitatis. Illud verum habet, si quis aliàs habens euidentiam credibilitatis sufficientem ad credendum nolit credere, nisi maiorem euidentiam Dei attestantis habeat ; minoris meriti fidem eius futuram. Non ergo minoris meriti fuit in illo qui dicit,
Psal. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus*, aut in aliis Prophetis, quos euidenter cognouisse, Deum esse qui sibi reuelaret, docent D. Thomas & Caietanus infrà qu. 171. ar. 5. Sed minoris fides fuit
Ioan. 4. meriti in illis, de quibus Dominus dicit, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*. Ex his patet responsio ad rationem Durandi.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm in dæmonibus sit Fides?*

VARIÆ hac de re sunt sententiæ. Prima est, Dæmones ante peccatum non habuisse fidem infusam, sed loco eius quamdam claram cognitionem rerum supernaturalium, quæ, quoad substantiam habitus, manserit in eis post lapsum, sed amissa priore claritate, vt iam sit ænigmatica, adeoque fidei informis nomine censenda : quamuis non moueat affectum, sed solùm illuminet intellectum. Addit insuper, præter istum infusum habitum fidei, esse quemdam in dæmonibus acquisitum per actus supernaturales, quibus in via veritates supernaturales cognouerunt. Refert Malonius in 2. dist. 2. dispur. 14. sect. 1.

Secunda est Durandi, in 3. dist. 23. qui admittit, non esse in dæmonibus fidem, si non fuerit ante peccatum : si autem dicatur fuisse ante peccatum, etiam nunc debere in eis poni. Eadem est sententia quorumdam aliorum, qui simpliciter ponunt in eis fidem informem.

Tertia sententia in altero extremo versatur ; non enim solùm adimit dæmonibus fidem infusam, sed coactam illam veri interioris assensus, nullam in eis agnoscit, præterquam vnius articuli, qui est de potentia vnius Dei, quam experiuntur in suis pœnis. In ceteris enim, vtpote de Trinitate diuinarum personarum, de Christo Deo & homine, ac Patris Filio naturali, Christo in Eucharistia ; existimat, dæmones nullum omnino habere interiorem assensum, sed solam exteriorem confessionem, quam vel fallendi studium exprimat, vel metus extorqueat.

Quarta sententia vt adimit fidem infusam dæmonibus, ita relinquit illis coactam illam de plurimis articulis, quos experientiâ didicerint. Imò generatim dicit, credere eos, veram esse doctrinam Ecclesiæ, vtpote quam ex multis manifestis indiciis sciunt esse à Deo. Hæc sententia communis est & D. Thomæ hoc articulo.

Respondeo, & DICO PRIMO : Certum est, aliquo modo dæmones credere. Patet Epist. Iacobi cap. 2. *Dæmones credunt & contremiscunt.*

Dices, Iacobum non tam de interiori assensu locutum esse, quàm de exteriori fidei confessione, quam dæmones compulsi cruciatibus edunt inuiti, dum confitentur quod ex animo non credunt.

Respondeo, id dici non posse : Primò, quia Iacobus loquitur de fide huius articuli, quòd vnus sit Deus : quem articulum certum est dæmones non solùm exteriùs confiteri, sed etiam interiori fide, licet coacta, per experientiam certam tenere. Præterea significat Apostolus, quòd dæmones ex fide contremiscant : si autem solùm exteriùs confiterentur, non tam ex fide cõtremiscerent, quàm ex timore & tremore confiterentur. Tertiò, diuus Augustinus infrà citandus, dicit, illos qui fidem habent sine operibus, eaque sola saluari putant, habere ex sententia Iacobi fidem dæmonum ; illi autem quos refutat, non dicebant confessionem sufficere ad salutem sine interiore fide, sed interiorem fidem sine opere. Fidem ergo dæmonum intellexit Iacobus esse verum assensum, non solam confessionem.

DICO SECVNDO : Dæmones non solùm credunt articulum de vnius Dei potentia, sed etiam vident, illam fidem esse veram, quam Ecclesia profitetur.

Probatur contra tertiam opinionem : Certum enim est, dæmones nunc post Christi resurrectionem agnoscere eius diuinitatem, quamuis fortè eam ante resurrectionem coniecturaliter solùm nouerint, vt diximus prima parte, q. 57. ar. 5. Fidem autem totam Christianam esse veram, vident partim ex miraculis quibus confirmata est, partim ex consensione & duratione huius religionis, partim ex eo, quòd videant, eos qui fidei Christianæ conformantur, non posse damnari, vt benè Bonauentura.

DICO TERTIO : Omnino dicendum est, dæmones post lapsum non retinuisse fidem infusam. Malonius dicit contrarium esse erroneum. Sanè hæc nostra, communis est Theologorum sententia.

Proba-



Probatur Primò, Fides etiam informis requirit supernaturalem, humilem, pium ac bonum affectum credulitatis in voluntate, quo captiuetur intellectus in obsequium fidei : eiusmodi autē bonum affectum dæmones non habent ; imò in eis nulla est voluntas deliberata bona, vt diximus prima parte quæst. 64. art. 2. Hæc causa fuit, quare Iacobus, cùm de informi hominis fide loquitur, dicat, *Credis quòd vnus est Deus : benè facis.* quando autem de fide dæmonum ; non dicit, dæmones credunt & benè faciunt, sed, *Credunt & contremiscunt* ; coacti enim credunt, & tantum abest vt credere vellēt, nisi euidens esset quod credunt, vt etiā velint non credere, si id possibile esset : credunt enim cum murmure, experientia coacti, timore adacti : cogit enim eos natura bona, quæ remansit, & ad tantum de hoste in se testimonium contremiscunt : excutere tamen non possunt, quia ipsum intellectum abijcere nequeunt.

Secundò, Fides nititur lumine Dei reuelantis, iuxta illud ad Ephesios 1. *Det vobis Spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri*, &c. Atqui dæmones sunt toti in tenebris ; vnde & dicuntur potestates tenebrarum & ostia tenebrosa, Iob cap. 38. interprete Hieronymo. In eos enim quadrat illud Prouerbiorum cap. 13. *Lucerna impiorum extinguetur.* Itaque rectè D. Thomas quæst. 14. de verit. a. 9. ad 4. docet, credere æquiuocè dici de hominibus & dæmonibus ; nec esse in dæmonibus fidem ex aliquo lumine gratiæ infuso, sicut est in fidelibus.

Tertiò, Fides est substātia rerum sperandarū : dæmones nil ampliùs sperant : ergo nõ est in eis fides.

Quartò, Dionysius de diuinis nominibus cap. 4. dicit, dæmones à toto bono, quod eis datum erat, deflexisse.

Obijcies ; Augustinus Iacobi locum ita intellexit, vt eādem fide dicti sint credere dæmones, qua Christani malè viuentes ; ideoque sæpissimè fidem informem vocat fidem dæmonum. Ita lib. 50. homiliarum, homilia 17. tract. 6. & 22. in Ioannem : item in Psal. 130. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 9. & lib. de fide & operibus aliquoties.

Respondeo ; Fides informis, quatenus informis, aut quatenus charitate aut operibus fidei destituta, rectè dicitur fides dæmonum ; quia in illa qualitate dæmones eam habere ex Iacobo discimus : cum eo tamen benè stat, quòd fides infusa peccatoris hominis, magis eum disponat ad benè operandum, quàm dæmonem disponat fides sua ; adeoque quòd alterius rationis sit, quatenus fides est, tam ex parte intellectualis luminis, quàm ex parte obsequentis affectus.

Obijcies secundò ; Fides non repugnat statui, in quo sunt dæmones : neque enim vident Deum, vt quod perfectum est, euacuet id quod est ex parte ; neque peccarunt infidelitate ; neque talem habent euidentiam, quæ destruat fidem : si enim fideli in via superueniret omnis illa euidentia, quam de rebus fidei habent dæmones, non propterea amitteret fidem. Confirmatur, quia dæmones cum simili euidentia in via habuerunt fidem.

Respondeo ; Dæmones ideò non habent fidei habitum, quia quando de cælo proiecti sunt, ablatum est ab eis talentum. Ideò autem nec actum habent fidei diuinæ, quia neque in veritate Dei stant, neque lumen fidei habent, neque obiecto formali fidei mouentur, sed sola euidentia, quæ potest esse quidem cum fide secundùm se spectata in ea perfectione, qua dæmones habent ; sed non potest, quando ipsa est tota causa credendi.

Pro supplemento huius articuli, proponemus quædam dubia.

### DVBIVM I.

### *An in hominibus damnatis fides maneat, quam hinc decedentes fortè habebant?*

RESPONDEO, non manere. Est communis, & ferè sequitur ex ijsdem principijs, quibus id de dæmonibus astruximus. Confirmatur ex illo Ioannis capite 15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Et infrà : *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet.* Hîc significatur, quòd saltem in fine vitæ amittat inutilem fidem, qui noluit hîc exercere charitatem : qui enim nil succi accipit à vite, non potest iam dici habere donum Christi quo credat. Eódem pertinet, quòd Matth. 25. tollatur talentum à seruo inutili, quando proijcitur in tenebras exteriores. Verùm in huiusmodi accommodatione parabolæ, difficultatem habet quod dicitur, talentum ablatum ab inutili, dari illi qui habet decem talenta. Neque enim apparet, quomodo fides damnato ablata, cedat in præmium seruo bono. Quidam eruditus putat significari, quòd in thesauro Ecclesiæ reponantur etiam reproborum merita, & ex illis ditentur serui boni & fideles. Verùm hoc non placet ; redundantia enim satisfactionum ac meritorum, cogitari non debet, vbi respectu merentis aut satisfacientis nec mēnsura præmij nec satisfactionis est plenitudo. Meliùs ergo Anselmus dicit, significatum esse, eos qui Deum promeruerint, benè vtendo scientia exteriorum, in futura vita accepturos cognitionem rerum diuinarum, quasi translatam à seruis, qui ea hîc vsi non sunt. Aut sanè cum alijs hîc dici poterit, significatum esse præmium accidentale quòd sancti percipiunt, quando de bonis operibus etiam reproborum gaudent.

Obiicitur ; Vermis conscientiæ in damnatis videtur præsupponere fidem : cruciabuntur enim de carentia visionis diuinæ, de qua nil nouerunt nisi per fidem ; item de hoc, quòd fidei opera non fecerint, vt ea fides præscribit : habebunt ergo fidem quoad habitum, & quosdam etiam actus. Propter hoc argumentum contrarium sentit Durandus.

Respondeo, beatitudinem sitam esse in Dei visione, damnatos non credere fide infusa, sed aliter in genere scire magnam esse gloriam beatorum, vt inde crucientur : quomodo autem sciant, variant Doctores, vt videre licet in fine quarti Sententiarū. Fortè non improbabile est, etiam animas separatas ad quamcumque distantiam posse videre alium quemcumq ; spiritum creatum, quando attendunt, & Deus permittit : quomodo epulonis anima vidit animā Abrahę & Lazari. Quamuis autem similiter de gloria quæ supernaturalis est, loqui non possimus ; dici tamen potest, quòd visa anima Lazari, epulo benè videat eam affici ; atque ita si videret eam in cælis, colligeret facilè esse beatam, licet non videret id, quo formaliter aut obiectiuè est beata : non scire autem hoc damnatos, certissimum argumentum est : quia hæc

ſcientia eſt communis etiam illis damnatis, qui numquam habuerunt fidem diuinam; nemo autem dixerit, eis infundi lumen fidei eo ipſo quo damnantur.

Obijcitur ſecundò; D. Thomas infrà, quæſt. 18. art. 3. ad ſecundum, vbi cùm obiectum eſſet, fidem eſſe in damnatis; reſpondet, fidem poſſe eſſe magis in damnatis, quàm ſpem.

Reſpondeo, D. Thomam admittere, fidem informem eſſe in damnatis, non illam infuſam quam habent mali Chriſtiani in hac vita, ſed qualem diximus eſſe in dæmonibus: cui fidei poſſet reſpondere etiam ſpes quædam informis & acquiſita. Negat autem vel talem ſpem in damnatis reperiri: deſperant enim, ſibique impoſſibilem ſalutem certiſſimè norunt, ita vt ex ipſa fide quam habent, deſperent; ſitque in illis fides deſperationis fundamentum, non autem ſubſtantia rerum ſperandarum.

Obijcitur tertiò ex Durando, Non fore diſtinctionem inter fideles damnatos & infideles, niſi in illis manſerit fides.

Reſpondeo, fideles præter fidem infuſam habuiſſe etiam acquiſitam de ijſdem articulis; & per hanc acquiſitam in inferno remanentem, diſtingui ab eis qui non crediderunt. Confugiunt quidam ad characterem Baptiſmi. ſed quamuis verum ſit, illum in damnatis manere, eò quòd character non ordinetur ad actum ſicut fides, veluti ſi militi propter ignauiam damnato, arma quidem detrahantur, non tamen ſignum militare: non eſt tamẽ generalis iſta diſtinctio: multi enim ſunt fideles, præcipuè qui vixerunt ante Chriſtum, nullo inſigniti charactere: nullus autem eſt fidelis in inferno, quin habeat fidem acquiſitam.

## DVBIVM II.

### *An fides ſit in beatis?*

RESPONDETVR negatiuè. Videtur ſententia Apoſtoli 1. Corinth. 13. *Cùm venerit quod perfectum eſt, enacuabitur quod ex parte eſt.* & infrà, *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc.* Item 2. ad Corinthios 5. ſignificatur fides eſſe peregrinorum, *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.)* Accedit & definitio fidei ex epiſtola ad Hebræos cap. 11. vbi ipſa dicitur ſubſtantia ſperandarum rerum: quod autem videt quis, quid ſperat? Dicitur etiam argumentum non apparentium: non poterit ergo tunc fides eſſe de Deo, quod eſt proprium eius obiectum, quatenus eſt virtus Theologica; quia Deus beatis clarè apparebit, ſecundùm illud 1. Ioannis 3. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus.* Pſal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* 1. Pet. 5. *Cùm apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilẽ gloriæ coronam.* Docet idem D. Thomas 1. 2. quæſt. 67. art. 3. Eſtque communis Theologorum in 3. d. 31. Rom. 8.

Durandus tamen docet, non conſtare, an habitus fidei de facto in beatis maneat; ſatis autem conſtare, quòd manere poſſit. Secundò, dicit conſtare ſatis quòd actus fidei non maneat in patria: ſi autem dicatur, ibi non poſſe eſſe ſimul cum viſione, hoc non eſſe propter oppoſitionem iſtorum actuum: cùm enim non diſtent ſub eodem genere, non eſſe contrarios, ſed poſſe ex hac parte eſſe ſimul, ſicut albedo & dulcedo: aliunde tamen prouenire, quòd non poſſit actus fidei eſſe in patria; quia ibi non ſit futurum medium cauſſans actum fidei, eò quòd auctoritas Scripturæ ſacræ clarè conſpiciatur à beatis, euidentia autem Dei atteſtantis euacuet fidem.

Vt hæc doctrina explicetur, quatuor oſtendenda. Primò, Actum fidei non eſſe in patria. Secundò, Habitum fidei ibidem non eſſe. Tertiò, Per Dei potentiam poſſe habitum fidei ibidem remanere. Quartò, Implicare contradictionem, ſi ponatur actus fidei remanere circa idem obiectum, quod clarè beatifica viſione conſpiciatur.

Primum ſatis probant Scripturæ allegatæ. Neque hoc negat Durandus, & qui eum ſequitur, Almainus.

Obiici poteſt Irenæus libro 2. capite 47. vbi verba illa Apoſtoli, *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas*, accipit dicta eo ſenſu quo ſignificetur, tria hæc etiam manere in futura vita. Idem videtur ſentire Tertullian. lib. de Patientia, cap. 12.

Reſpondeo, Hos Auctores non benè intellexiſſe locum Apoſtoli. Non enim ſine violentia, quando Apoſtolus dicit, *Nunc manent*, illud *nunc* aliò refertur, quàm ad vitam præſentem. Atque ita intelligunt communiter alij, inter quos Theophylactus rectè docet, ſignificare Apoſtolum, quòd dona illa gratis data ceſſent, fide in omnes diffuſa: tunc autem manere adhuc fidem, ſpem, & charitatem, ex quibus tamen ſola charitas in futurum ſæculum extendatur. Vero tamen ſenſu intelligunt Irenæus & Tertullianus, fidem manere in patria: quia nimirum etiam ibi homo ſemper aliquid diſcet à Deo, cuius immenſa eſt diſciplina, & ſemper aliquid ab eo ſperabit accipere. Ita enim ſemetipſum explicat Irenæus. Non tamen diſcet fide propriè dicta, ſed beata illa diſciplina, quæ per ſpeciem eſt, & ſuccedit fidei. Similiter dicendum de ſpe. Eódem recidit, quod dicit Feuardentius in annotatione ad locũ Irenæi: vult enim in fide duo conſiderari; certitudinem & obſcuritatem obiecti: voluiſſe autem Irenæum, fidem manere quoad certitudinem in patria, non autem quoad obſcuritatem.

Secundum verò, Nec habitum fidei manere de facto in beatis, probatur; quia habitus eſt propter actum. Cùm ergo actus fidei ibi numquam ſit futurus, vt diximus, fruſtrà eſſet habitus: nam ad ornatum nil conferre poterit, cùm omnis eius perfectio reperiatur in viſione.

Tertium, Per Dei potentiam poſſe ibi conſeruari habitum fidei, cùm non implicet contradictionem, manifeſtum eſt. Neq; videtur verum, ſaltem reſpiciendo ad potentiam Dei abſolutam, quod Caietanus contra Scotum docet, habitum fidei ceſſare in patria, non tantùm ratione ſuperfluitatis, vt vult Scotus, ſed etiam ratione incompoſſibilitatis. Confirmatur: Quia ſecundùm probabilem ſententiam, Paulus & Moyſes viderunt Deum, non amiſſo habitu fidei.

Poſtremum verò, Implicare contradictionem, quòd ibi dicatur eſſe poſſe actus fidei circa obiectum clarè viſum, probatur: Si fides maneat cum viſione, vel ipſa fides ſit viſio, vel tantùm cum ea manet. Prius non poteſt dici, quia fides eſt cognitio ſecundùm ſubſtantiam ſuam imperfecta, rei videlicet non apparentis; viſio autem eſt rei apparentis, & perfecta cognitio. Itaq; eoipſo quo cognitio proficit vt iam ſit viſio, deſinit eſſe fides.

Poſte-



Poſterius etiam dici non poteſt: quia ſic oppoſita ſecundùm idem ineſſent eidem, perfecta ſilicet ex parte ſubiecti cognitio, & imperfecta ex parte eiuſdẽ ſubiecti. Ita ferè D. Thomas 1. 2. dicit. Vbi nota, hoc ideò implicare, quia vt quæſt. 1. diximus, non viſum includitur in ratione formali obiecti fidei, ita vt eo ipſo quo obiectum certiſſimò per viſionem cognoſcitur, impoſſibile ſit illud ab eodem homine credi: priuatiuè enim & contradictoriè oppoſita conuenirent eidem; idem enim obiectum eſſet viſum & non viſum, idemque homo videret & viſione priuatus eſſet; nam (vt benè Caietanus) imperfectio quam fides dicit ex parte ſubiecti, ponit ſubiectum eſſe priuatum viſione.

Ceterùm ſi quis quærat, An implicet, viſione Dei beatum aliquid Deo credere, quod fortè extra ſe obſcurè reuelet, verbi gratia, diem iudicij? Reſpondeo, non implicare: ſed neque ita fieri, neque conuenire ipſius ſtatus perfectioni obſcuram eiuſmodi reuelationem.

## DVBIVM III.

### *An animæ in Purgatorio retineant fidem?*

RESPONDEO affirmatiuè, donec admittantur ad viſionem Dei. Similiter ſentiendum de animabus Patrum in Limbo, patet ex dictis; ſola enim viſione euacuatur fides. manet etiam magnus fidei vſus: quamuis enim non mereantur, opus tamen habent certa ſpe, quam habere non poſſunt ſine fide. Confirmatur ex Concilio Florentino, quando definit, prodeſſe Purgatorij animabus ſuffragia quæ pro alijs fidelibus fieri conſueuerunt.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm qui diſcredit vnum articulum fidei, poſſit habere fidem informem de alijs articulis?*

VARIÆ hîc ſunt opiniones. Prima eſt Durandi, non eſſe improbabile, habitum fidei infuſæ manere in hæretico errante de nouo circa aliquem articulum fidei.

Secunda eſt D. Bonauenturæ diſt. 23. quæſt. 2. de fide informi, vbi docet eum qui ex infidelitate, verbi gratia, ex Turciſmo, tranſit ad hæreſin, veros articulos non tenere niſi fide humana: illum autem qui ex Catholico fit hæreticus, veros, quos adhuc tenet articulos, non credere ſola fide acquiſita: ſed quamuis non retineat virtutem fidei, retinere aliquid ex priori illuminatione ſupernaturali, quod permiſceatur quodammodò falſitati erroris.

Tertia eſt, eum qui per hæreſin à fide Catholica diſcedit, quaſdam adhuc fidei particulas velut quædam fragmenta ex Dei dono retinere.

Quarta eſt quorumdam recentiorum, non retinere hæreticos fidem circa articulos omnes quos retinent, ſed ſolùm circa difficiliores & grauiores.

Hæ ſententiæ in eo conueniunt, quòd Catholicus in hæreſin incidens, reliquias veræ fidei ſupernaturalis habere poſſit.

Quinta eſt D. Thomæ, & communis, non ſolùm virtutem, ſed totum habitum fidei deſtrui in eo, qui cum pertinacia negat vel minimum fidei articulum. Quæ ſententia omnino tenenda eſt: reliquarum verò maximè illa vitanda, quam Durandus dicit non eſſe improbabilem; eſt enim temeraria: habitum enim fidei, non tantùm omnes alij communiter negant in hæreticis manere, ſed ſolidiſſimis argumentis probant. Videtur non malè probari illo ad Gal. 5. *Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini.* Et infrà: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Vnde non immeritò Gregorius XIII. ſuſtulit Gloſſam illam Rubricę de ſumma Trinitate & fide Catholica, quę habebat, fidem informem etiam eſſe in dæmonibus & infidelibus, quos hæreticos intellexit ſecundùm Baneſium. Totum autem habituale fidei lumen perire in hæretico, probatur; quia donum fidei deſtruitur in eo demeritoriè, non tam per aſſenſum contrarium, quàm per adiunctam errori pertinaciam. Sicut ergo charitas tota demeritoriè aufertur, quando offenditur Deus in vno aliquo præcepto; ita & fides per infidelitatem.

Secundò, Idem videtur docere Apoſtolus 1. ad Timoth. 1. quando dicit, *Hæreticos naufragos eſſe circa fidem.* Sicut enim qui naufragium facit, vix nudus euadit, & nihil habet vbi figatur; ita qui ad hæreſim declinant, dono fidei ſpoliantur, & nihil iam habent vbi pedem figant, vt rectè in eum locum Chryſoſtomus.

Tertiò, Sentire idem videtur Tridentinum, Seſſ. 6. cap. 15. vbi dicit, per infidelitatem amitti fidem, id eſt, per quemlibet actum infidelitatis.

Quartò, Fauet Auguſtinus lib. 17. contra Fauſtum cap. 3. *Qui in Euangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potiùs quàm Euangelio creditis.* Et lib. 32. cap. 19. *Videtis vos id agere, vt omnis de medio auferatur Scripturarum auctoritas, & ſuus cuiuſque animus auctor ſit quod in quaque Scriptura probet aut improbet, vt non ſeſe auctoritati Scripturarum ad fidem, ſed ſibi Scripturas ipſe ſubiiciat.*

Quintò, Hæreticus non retinet obiectum formale fidei. Si enim crederet Caluiniſta, Deum eſſe trinum in perſonis, quia Deus dixit; etiam crederet, corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, quia & illud dixit. Reſoluitur ergo fides quam hæreticus retinet de ſancta Trinitate, in perſuaſionem humanam, qua ſibi perſuadet, hoc Deum reuelaſſe potiùs quàm illud; perſuadet autem, quia hoc potiùs quàm illud eligit, vt meritò ab electione nomen habeat.

Sextò, Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 5. vocat hæreticum interfectorem veritatis, & dicit ipſum deſtruere neceſſarium decus fidei. Hieronymus autem in illud Abdiæ, *Superbia cordis tui extulit te habitantem in ſciſſuris petrarum*: dicit, hæreticos habitare in ſciſſuris petræ. Exciderunt itaque à petra fidei.

Contra hanc doctrinam quædam obiici poſſunt argumenta.

Primò, Pro opinione quam probabilem ponit Durandus, videmus habitum acquiſitum remanere ſaluum, etiamſi quis eo præditus, non ſatis reſpuat contraria; quamuis enim habitus inclinet ad contraria refutanda, non tamen neceſſitat. *Obiectio 1. pro opinione Durandi.*

Secundò, Similes actus arguunt ſimilem habitum: ergo, cùm hæreticus pleriſque credibilibus aſſentiat vt priùs; apparet quòd retinuerit eumdem habitum fidei. 2.

3. Tertiò, Poſſumus habere veram ſcientiam de aliquibus paſſionibus ſubiecti, etiamſi decipiamur circa alias: ergo ſimiliter poſſumus credere quaſdam ſacræ Scripturæ partes, etiamſi erremus circa alias.

4. Quartò, Habitus acquiſitus non amittitur vnico actu contrario, vt patet in actu intemperantiæ: ergo nec infuſus.

5. Quintò, Sequitur alioqui, Theologum quando fit hæreticus, amittere ſcientiam Theologicam, quaſi amiſſo habitu principiorum, à quo illa dependeat: quod videtur contra experientiam.

*Reſp. ad 1.* Reſpondeo ad Primum, Verum eſſe quòd qui præditus eſt habitu fidei infuſæ, non neceſſitetur ad contrarios errores refutandum: ſed verum non eſt, Deum errore offenſum, non ſubtrahere ſuum concurſum neceſſarium conſeruationi habitus fidei infuſæ.

*Ad 2.* Ad Secundum, Similitudo aſſenſus iſtius cum aſſenſu fidei infuſæ, non eſt fundata in identitate ſpeciei, & naturæ vtriuſque actus; ſed in quibuſdam quæ materialiter ſe habent in actu fidei, vt ſupernaturalis eſt, aut quæ comitantur, & diſcerni ab ipſo credente poſſunt. Nam, vt alibi diximus, non poteſt homo certò ſcire, an id quod credit, credat auxilio ſupernaturali; multo minùs, an ex habitu infuſo. Talis ergo ſimilitudo à ſpiritu hominis naturaliter perceptibilis, non arguit remanſiſſe eumdem habitum; imò neque arguit, ex ſupernaturali Dei auxilio proficiſci actum veri aſſenſus circa credibile etiam ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturale in hæretico, ſicuti proficiſcebatur in eodem homine, dum erat Catholicus: non arguit (inquam) quamuis nil vetet, ſubinde ita fieri Deo miſericorditer perfidorum corda pulſante, & vel ſic præparante ad reſipiſcentiam.

*Ad 3.* Ad Tertium reſpondeo, Non ſequi, neque eſſe ſimile; quia in ſcientiarum concluſionibus contingit diuerſa eſſe media; in fide autem vnicum eſt medium, diuina auctoritas.

Dices; Fidem qua homini credo, habitualem ſeruo, etiamſi in aliquo ei non credam: ergo, etiamſi in aliquo Deo non credam, poſſum fidei habitum retinere; vtrobique enim vnum eſt medium, ibi hominis auctoritas, hîc Dei.

Reſpondeo, Diuerſitatem inde prouenire, quòd hominis auctoritas non ſit ſola per ſe ſufficiens medium; ſed admittat alia argumenta, quaſi in ſubſidium ſuæ infirmitatis, quæ argumenta ex varietate materiæ contingit eſſe varia, ita vt contingat in eiuſmodi fide humana, medium eſſe aliud atque aliud.

*Ad 4.* Ad Quartum reſpondeo, negando ſequelam. Habitus enim infuſus deſtruitur demeritorie per actum contrarium; quod mirum videri non debet, quia etiam ad vnicum actum infunditur.

*Ad 5.* Ad Quintum; Quando Theologus fit hæreticus, verè amittit ſcientiam Theologicam, ſicut amittit fidem: attamen ſicut in eo manet aliquid fidei ita ſimile, vt per experientiam à fide diſcerni non poſſit circa articulos indubitatos; ita etiam tali iam principio infirmiori nitens, manet in eo quidam habitus ſimilis ſcientiæ Theologicæ in quem Theologia degenerauit, experientia minimè talem degenerationem conteſtante.

*Obiectiones pro alijs opinionibus.* Pro alijs opinionibus argumentari licet, Primò: Hæretici credùt myſterium Trinitatis; illud tam ſublime eſt, vt ſine illuminatione ſupernaturali credi non poſſit; retinent itaq; aliquam illuminationem.

2. Secundò, Non apparet, quomodo circa indubitatos articulos hæreticus non retineat obiectum formale fidei. Diximus enim quæſt. 1. non eſſe de ratione fidei, vt ſit propoſita per Eccleſiam, & certum eſt, hæreticum iſtos articulos ideò credere, quia habet ipſos pro reuelatis à Deo; imò in eo quòd Chriſtum credit, ſincerè ſuum iudicium Scripturæ auctoritati ſubmittit, non auctoritate motus humana; ergo diuina.

3. Tertiò, *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto*; pertinet itaque verus iſte aſſenſus fidei in hæretico, quo in Chriſtum credit, ad donum Dei; non aliud autem illud donum eſt quàm fidei. Item, *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare à nobis, quaſi ex nobis*; ergo multo minùs credere, quod potiſſimùm verum erit in magnis fidei myſterijs; verbi gratia, S. crucis, quod Iudeis eſt ſcandalú, Gentibus autem ſtultitia; tantú abeſt vt ſolis naturę viribus in Crucifixum quis credat.

4. Quartò, Sicut non ſolùm integritas vitæ bonæ, Dei donum eſt, ſed ſingulæ bonæ actiones; ita non ſolùm integra fides, ſed ſinguli eius aſſenſus circa ſingulos articulos ex Dei dono ſunt.

5. Quintò, Rediens ad Eccleſiam hæreticus, non corrigitur in eiuſmodi aſſenſu verorum articulorum, quos retinuit; itaque ex ea parte credidit vt oportet, nihilque ei defuit ad veram fidem, præter correctionem erroris in alijs articulis.

6. Poſtremò, Quemadmodum ratio credendi, eſt Dei reuelantis auctoritas; ita fidelibus ratio faciendi in moribus, eſt diuina auctoritas præcipiens iuſtitiam, & prohibens iniquitatem; ergo ſicut fidelis poteſt propter Dei auctoritatem quędam bona facere, etiamſi in alijs peccet; ita & hæreticus poterit propter Dei auctoritatem quędam credere, etiamſi alia ſimiliter reuelata non credat. Neque enim ſemper propter æmulationem vera credit, ſed aliquando propter veritatis guſtum & doni cælestis. Heb. 6.

*Reſp. ad 1.* Reſpondeo ad Primum, Etiam illos, qui à paganiſmo tranſeunt ad hæreſim, poſſe credere myſterium Trinitatis: quos tamen fatentur aduerſarij, non credere fide diuina: quomodo autem credant fide humana, diximus 1. 2. quæſt. 109. art. 1.

*Ad 2.* Ad Secundum reſpondeo; Quamuis propoſitio Eccleſiæ ſit vera regula, qua diſcernantur credenda; eam tamen abſolutè non eſſe neceſſariam, ſuprà quæſt. 1. diximus; vbi etiam explicuimus, quo ſenſu hîc de illa re loquatur D. Thomas. Quòd verò dicitur, hæreticum hos articulos credere, quia habeat eos pro reuelatis à Deo, & ſubmittat, quoad illos, iudicium ſuum auctoritati diuinæ; non ſufficit, vt dicatur credere propter proprium motiuum, & obiectum formale fidei. Vt enim credat fide diuina, oportet Dei tantam agnoſcat auctoritatem, vt ſine vlla hæſitantia, aut humanæ perſuaſionis ſubſidio, omnia illa credat, quæ Deus credenda proponit. Si enim quę vult credit, quæ vult non credit, ex equè propoſitis; non Deo, ſed ſibi credit, vt ait Auguſtinus: ex æquè autem propoſitis, certum eſt, hæreticum quædam credere præ alijs; præiudicat itaque diuinæ reuelationi, non ei deferens quid potiùs credat, ſed ſibi eligens; non ſe in Dei obſequium & fidei obedientiam captiuans, ſed veritatem Dei mentis ſuæ idolo poſtponens. Addere poſſumus, etiamſi dicatur (quod non improbabile eſt) hæreticum ve-





ros articulos ideò tenere, quia ex electione acceptat tamquam euidens, illos eſſe credibiles fide diuina, tamquam à Deo reuelatos, & nouit firmiſſimè Deo eſſe adhęrendum; nondum tamen crediturum fide diuina, ſed aſſenſu quodam proportionato viribus naturæ, qui nitatur euidentia conſecutionis: imò fide tantùm humana crederet; quia concluſio ſequitur debiliorem partem antecedentis: illam autem antecedentis partem, quæ habebat, iſtos articulos eſſe à Deo reuelatos, ſolùm tenet aſſenſu libero; alioqui enim alios ſimiliter teneret eſſe reuelatos: aſſenſus autem ille liber non nititur hîc euidentia, alioqui liber non eſſet; neque auctoritate Dei, quia illa pariter habet locum in illis quæ reſpuuntur; ſed ſolùm perſuaſione humana.

*Ad 3.* Ad tertium reſpondeo, Hæreticos non dicere, Dominus Ieſus, ad ſenſum Apoſtoli: de quo vide Auguſtinum expoſitione inchoata in epiſt. ad Romanos. Anſelmus Apoſtoli ſenſum dicit eſſe, quòd nemo deuotè poſſit Dei gloriam prædicare, niſi mentem eius illuminet Spiritus ſanctus, & affectum amore veritatis accendat. Non dicunt ergo, Dominus Ieſus, hæretici, qui Chriſti gloriam non quærunt, ſicuti nec dæmones cùm eum clamabant eſſe ſanctum Dei; aut illi qui dicunt ei, Domine, Domine, & non faciunt eius voluntatem; imò nec iſti qui leguntur ei dicturi, *Domine, nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus?* Lucæ 4. Mat. 7.

Ad alterum locum: Si ad pietatem veram aliquid prodeſſet hæreticorum iſta fides, fateremur eſſe à Spiritu ſancto: ſed poſſe ex ſolis naturæ viribus humanam fidem concipi de myſterijs fidei ſufficienter propoſitis, alibi diximus.

*Ad 4.* Ad quartum: Si agatur de ſingulis actibus fidei infuſæ, verum eſt, ſed petitur principium: ſi verò de fide humana & eius actibus, nec illa nec iſti, ad donum gratiæ pertinent.

*Ad 5.* Ad quintum: Ab Eccleſia hæreticus non corrigitur in veris articulis quoad obiectum, ſed à Deo ab hæreſi reſipiſcens emendatur interiùs, vt quod humana perſuaſione credebat, iam incipiat credere fide diuina, & ſuſcipiat vt verbum Dei, quale reuerà eſt. Sanè hæreticum verbum Dei non ſuſcepiſſe vt tale eſt, indicio eſſe poteſt: quia ſi caro & ſangüis reuelaſſet ei contrarium, ſicuti in alijs in quibus errabat, reuelationem Patris etiam ibi reliquiſſet. Vnde etiam fit, vt paulatim plures ac plures fidei articulos ſoleant hæretici negare, vt obſeruat Vincentius Lirinenſis in ſuo Commonitorio. Imò ipſe Apoſtolus idem videbitur tradere 2. ad Timoth. 2. *Quorum ſermo* (inquit) *vt cancer ſerpit.* At (inquies) ſi vt cancer ſerpat hæreſis, ergo ſanæ adhuc hæreticis ſunt illæ fidei partes, quas non negant: ſicuti in cancro laborantibus adhuc ſanæ ſunt partes corporis, ad quas nondum ſerpſit malum. Confirmatur; Secundùm Auguſtinum & Bedam hæreſis aut falſa doctrina comparatur lepræ, quòd quædam ſana dogmata retineat, ſicut lepra & maculas habet, & ſanitatis intercapedines.

Reſpondeo: Sicut cancer aut lepra ſimpliciter ſanitatem tollunt, quamuis non equè omnes partes inficiunt; ita & hæreſis ſimpliciter tollit fidem. Rurſum, ſicut lepra & cancer illas partes quas videntur ſanas relinquere, quodam contagio deteriores reddunt; ita hæreſis eneruat & debilitat veros iſtos aſſenſus, quos reliquos habet hæreticus circa fidem. Alioqui quòd dicatur hæreſis vt cancer ſerpere, poteſt non ſolùm quoad diuerſos articulos quos paulatim idem homo relinquat, ſed etiam quoad contagium alios homines inficiens intelligi. Et vt lepræ comparetur, ſufficit ſecundùm obiectum retineri ſanam in quibuſdam doctrinam quaſi exteriùs immaculatam.

*Ad 6.* Ad ſextum Reſpondeo cum D. Thoma ad tertium: *Qui in vno offendit, factus eſt omnium reus*; quia reuerà donec cum Deo in gratiam redeat, iam deſiit vlla eius præcepta in eo honore habere, quo oportet; neque enim auctoritatem Dei mandantis eo loco quo par eſt habet, ſi vel in vno præcepto eam contemnat, aut ſuæ libidini poſtponat.

Pro coronide huius articuli quæri poteſt, An implicet contradictionem, eum qui reſpuit vnum articulum ſufficienter propoſitum, habere fidem de alijs articulis fidei?

Reſpondeo, implicare. Implicat enim, eum qui non credit Deo, eo ipſo quo Deus reuelat, credere aliquid Deo fide diuina, id eſt quæ debeatur primæ veritati: implicat ergo, hunc hæreticum credere aliquid purè quia Deus dixit; alioqui enim ſibi non credenda quædam ex reuelatis non eligeret, adeoque hæreticus non eſſet: per omnipotentiam tamen Dei fortè fieri poſſet, vt habitus fidei ſecundùm ſubſtantiam etiam in hæretico maneat ſaluus, ſaltem prout ſe extendit ad veros articulos quos retinet.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm Fides poſſit eſſe maior in vno quàm in altero?*

RESPONDET Thomas, ex parte obiecti formalis, cùm illud ſit vnum & ſimplex in omnibus, ſcilicet veritas prima, nō variari fidē in fidelibus, ſed ex parte obiecti materialis; quia vnus habet fidem explicitam de pluribus obiectis materialibus quàm alter: ſi verò conſideretur fides ſecundùm participationem ſubiecti, duobus modis eſſe eam maiorem in vno quàm in altero: vno, ex parte intellectus propter maiorem certitudinem & firmitatem: altero, ex parte voluntatis propter maiorem promptitudinem, deuotionem, aut confidentiam.

Sit itaque PRIMA ASSERTIO. De fide eſt, habitum fidei in vno eſſe maiorem, quàm in alio. Ita Bannes & Valentia. Probatur Matth. 8. *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* & 14. *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* item cap. 15. *O mulier magna eſt fides tua.* ad Rom. 12. *Vnicuique diuiſit Deus menſuram fidei.* Docet idem Hugo de ſancto Victore de Sacramentis lib. 1. parte 10. cap. 4. vbi dicit, fidem creſcere vel ſecundùm cognitionem, vel ſecundùm affectum. Vnde quatuor diſtinguit genera fidelium: quoſdam dicit habere fidem magnam cognitione, affectu paruam; alios affectu magnam, cognitione paruam; alios affectu & cognitione magnam; alios denique affectu & cognitione paruam. Addit, ex affectus magnitudine fidem in Euangelio eſſe commendatam, ideoque fidem cognitione paruam, affectu magnam, grano ſinapis eſſe comparatam, quod quantitate quidem paruum eſt, ſed non feruore. Similia habet in Miſcellaneis lib. 1. cap. 18.

ASSERTIO SECVNDA. Etiam fides ea-

dem numero in eodē potest crescere. Luc. 17. *Adauge nobis fidem.* Quod imitatur Ecclesia, quando orat, *Deus, da nobis fidei, spes, & charitatis augmentum.* 2. ad Thessal. 1. *Supercrescit fides vestra.* 2. ad Cor. 10. *Spem habentes crescentis fidei vestræ.*

Notandum tamen, in homine eodem non posse fidem fieri minorem, vt pauciora incipiat credere explicitè quàm priùs: huiusmodi enim regressus, manente eadem applicatione, propositione, & credibilitate fidei, est totius fidei defectus & amissio. Imò secundùm intentionem, habitum fidei eumdem numero, non fieri minorem, omnino dicendum est: habitus enim infusi non diminuuntur, sed à Deo sine diminutione conseruantur donec forte contingat omnino amitti. Fieri tamen potest, in operatione fidei habitum fieri remissiorem: potest enim fidelis, etiam in charitate manens, secundum aut tertium actum fidei elicere remissiorem primo: constat etiam ex dictis, amissa charitate, fidem esse minùs expeditam ad proprium actum.

Dices; Summo nil potest esse maius, ergo fides non potest augeri secundùm intensionem: est enim eo ipso quo Dei summam veritatem respicit, tanta vt maior esse nequeat.

Respondeo, negando consequentiam. Nam etiam charitas tendit in summam Dei bonitatem: circa illam tamen augeri potest. Quamuis itaque fides semper adhæreat summæ Dei veritati, tamen adhæret interueniente imperio voluntatis, quod contingit maiori aut minori conatu applicare intellectum primæ veritati; vnde sequitur maior vel minor adhæsio habitualis etiam in intellectu. Atque hinc colligitur, fieri posse, vt idem homo habeat maiorem aut minorem fidem, secundùm intensionem, qui æqualem habeat secundùm extensionem ad obiecta explicitè credita.

Dubitari autem hîc posset, An etiam in peccatore fides interdum crescat? Videtur enim quòd non: quia per actus non augetur fides effectiuè sicut habitus acquisiti, sed meritoriè solùm, vt habet communior Theologorum: in peccatore autem nullum est meritum.

Probabiliter tamen dici potest, etiam in peccatore posse augeri fidem: eâdem enim Dei misericordiâ, quæ peccatori relinquit fidei donum, videtur fieri, vt fidei habitus in ipso augeatur, vbi actus exercuerit isti augmento proportionatos, id est, tales vt per eos similis habitus acquisitus physicè augeretur. Neque incommodè dixeris cum Valentia, in tali fidem actum iri meritoriè, respiciendo ad meritum congrui; ad quod extendi poterit Theologorum opinio, quæ dicit, fidem non augeri effectiuè per actus, sed meritoriè.

Vrguntur hîc & alio argumento. Fides, inquiunt, etiā peccatori sine charitate interdum infunditur; ergo etiam augeri in peccatore interdū potest. Verùm antecedens illud non est notius consequēte.

Breuiter itaque hîc inquirendum, Sitne verum, fidei habitum informem peccatori aliquando infundi sine charitate. Sine assertione, referam quid Doctores sentiant.

Tres sunt sententiæ, Prima absolutè affirmat. Ita multi recentiores, Valentia, Bannes hîc & q. sequenti art. 2. Suarez 3. parte q. 69. art. 10. disp. 28. sect. 3. Fauet D. Thomas infrà quæst. 6. art. 2. ad 3. vbi apertè eam tenet Caietanus.

Secunda sententia distinguit. Dicit enim, in Baptismo aliquando ita contingere, aliàs autem numquam. Ita Soto lib. 2. de natura & gratia, c. 8.

Tertia absolutè negat ita vmquam fieri; quamuis non neget fieri posse. Ita D. Thomas 1. 2. q. 62. art. vltimo: *Ordine*, inquit, *generationis in vno & eodem, fides præcedit spem, & spes charitatem, secundùm actus: nam habitus simul infunduntur.* Vbi nimis violenta est euasio Caietani & Banesij, intelligi habitus vt sunt virtutes; ipse enim modus loquendi præ se fert substantiam habituum. Alius locus D. Thomæ est in 3. d. 23. q. 2. articulo vltimo, ad primum, vbi cum argumentum exigeret huius rei explicationem, dixit, virtutes omnes simul à Deo infundi, sicut potentiæ simul cum anima oriuntur: ex actibus autem tam illarum quàm istarum, ordinem esse æstimandum. Non dissimilia habet de spiritualibus creaturis quæst. 3. art. 10. Verba autem D. Thomæ, quæ fauere primæ sententiæ diximus, possunt accipi de actuali lumine fidei, infuso per modum tranſeuntis impressionis. Quod confirmatur, quia facit in hoc D. Thomas fidem similem prophetiæ, quam tamen non esse habitum, docet infrà quæst. 171. art. 2. Deinde non dicit D. Thomas, peccatori absolutè dari donum fidei, sed dari ei vt credat. Tenet eamdem sententiam Scotus in 3. d. 23. & 36. quem sequuntur Gabriel & Vega, lib. 7. in Tridentinum, cap. 28. qui dicit esse communem Scholasticorum, fauet Magister d. 25. tenet etiam Almainus d. 26.

Omnes istæ sententiæ sunt probabiles: tertia tamen apud recentiores magis in dubium reuocatur, dum toti in eo sunt, vt contra hæreticos ostendant, fidem posse esse sine charitate, & non satis distinguunt inter actuale lumen fidei (quod peccatori, antequam primò iustificetur, infunditur à Deo, vt iam verè credat; quod negant hæretici) & habitualem fidem infusam.

Verùm etiam hanc esse probabilem, probatur Primò: Tridentinum sess. 6. cap. 7. agens de iustificatione eius qui numquam priùs fuit iustus, *In ipsa iustificatione*, inquit, *cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & charitatem.* Hoc loco, vt benè dicit Vega, Concilium non obscurè indicat hanc tertiam sententiam.

Respondet Suarez, non voluisse Concilium, fidem informem, secundùm habitum numquam seorsim infundi, quia nulla erat necessitas hoc definiendi, nec pertinebat ad institutum eius: itaq; solùm voluisse, in instanti iustificationis, illa tria, videlicet fidem, spem & charitatem, esse inseparabilia à vera iustitia, atque ita simul esse debere in homine iusto: atque hactenus, ea simul hominem dum iustificatur, accipere, vt nihil eorum desit: neque aliud probare rationem quam Concilium subiungit; videlicet fidem sine spe & charitate, non vnire perfectè cum Christo. Quando ergo Concilium dicit, hæc omnia simul infusa hominem accipere in iustificatione; vel verbum *accipere* poni pro habere, vel aduerbium *simul* non significare coniunctionem harum virtutum in origine, sed simpliciter coniunctionem ipsarum inter se, quæ fiat in iustificatione, sumendo iustificationem non pro instanti infusionis gratiæ sanctificantis, sed pro tota spirituali immutatione, quæ fit in homine à prima vocatione vsq; ad gratiæ infusionem: quæ acceptio & aliàs in Concilio reperiatur.

Verùm



Verùm vt demus, hæc omnia facere probabilē euasionem, & ex illis constare quod fatemur, non definiuisse Concilium sententiam D. Thomę; negari tamen non potest, alterum sensum, qui tertię isti sententiæ faueat, magis esse obuium, & minùs violentum. Adde, fortè nec probabiliter dici, iustificationem ibi sumi pro tota illa immutatione, quæ incipit à prima vocatione: quia initio capitis Concilium apertè dicit, iustificationem, de qua loquitur, sequi post dispositiones: vt omnino hoc capite videatur ita loqui de iustificatione; vt ea posita, iam verè iusti nominemur & simus, non solùm ad iustitiam præparemur.

Ex Patribus etiam nō desunt, qui faueant huic sententiæ. Oecumenius enim in caput secundum Iacobi, videtur generaliter negare, fidei donū vmquam à Deo infundi homini impuro; aut saltem ratio quam adfert, illud includit: *Quis*, inquit, *negabit verum esse, quòd fides nequaquam ad impurum accederet. Dico autem veram fidem: neque enim vnguentum in capsula conderetur quæ luto plena esset, neq; homini impuro fides immitteretur à Deo.*

Deut. 32. Probatur etiam ratione. Dei perfecta sunt opera, vt est in cantico Moysis; totum hominem sanum fecit in sabbato; non sanat nisi perfectè, vt dicitur cap. 9. libri de vera & falsa pœnitentia, qui licet non sit Augustini, refertur tamen hæc ex eo sententia apud Gratianum de pœnitentia dist. 3. cap. Sunt plures. Consentaneum itaque est, Deum infusis habitibus neminem de nouo sanare, nisi perfectè. Quo argumento Innocentius III. cap. Maiores, de Baptismo & eius effectu, concludit, numquam remitti vnum peccatum sine alio. Præterea, si fides infundatur ad quemlibet actum fidei diuinæ, qui attingat formale obiectum virtutis Theologicæ, sicut charitas ad actum primum dilectionis Dei super omnia; erit homo fidelis antequam perfectè catechumenus. Deinde cōtinget ordinariè infundi habitum fidei, antequam perueniatur ad Baptisma. quod quamuis admittit Suarez, non videtur verum: quia sacramentum Baptismi vt regeneratio, ita & illuminatio in Scripturis & apud veteres sæpè dicitur, eò quòd fidei habitus in hoc Sacramento infundatur, quando homo in Christo interiùs regeneratur, vt obseruat Bellarminus initio controuersiæ de Baptismo. Vnde & Dionysius cap. 3. de Ecclesiastica hierarchia, 1. parte, dicit Baptismum omnium diuinarum illustrationum principium, ideoque illuminationis nomine appellari. Et Nicetas in scholio orationis Nazianzeni in sancta lumina, dicit, in huius rei significationem solere faces in Baptismo accendi.

Sed obijcies pro sententia Soti, Si in Baptismo informi numquam infundatur fides informis, futurū vt illi non sint Christiani, & membra Ecclesiæ, qui licet baptizati, & charactere signati, propter aliquod tamen impedimentum, puta quia nolunt restituere ablata, non consequuntur remissionem peccatorum.

Respondeo, tales credere fide diuina & infusa, per modum actus, sicuti & catechumeni; eamque fidem cum charactere Baptismi & exteriori professione eos constituere membra Ecclesiæ; imò efficere, vt inchoatiuè etiam ad animam Ecclesiæ pertineāt: nondum tamen conuenienter in eis ponitur habitus fidei, qui pertinet ad Spiritum sanctum inhabitantem, aut ad reliquias Spiritus qui inhabitauit: hoc enim consentaneum est, vt non tam facilè quis priuetur eo quod habet, ac differtur ab eo accipiendo quod nondum habet.

Vnde facilè respondetur etiam ad argumentum quod proferunt pro prima sententia; non posse dari rationem discriminis, quare potiùs in peccatore remaneat fides, quàm de nouo accedat.

Quæri hîc posset & illud, An fides in homine iusto augeatur non tantùm actibus fidei, sed etiam charitatis, & omnibus illis quibus augetur charitas?

Respondeo, solùm augeri per suos actus: ita Almainus dist. 23.

Postremò hîc quæritur, An fieri possit, vt fides informis sit maior quàm formata?

Respondeo; Secundùm extensionem, & ex parte obiecti, fieri potest, vt maiorem, id est explicatiorem, fidem habeat peccator quàm iustus: imò & secundùm cognitionem circa vnum & idem obiectum, fieri potest, vt peccator magis sit illuminatus quàm iustus: sed quatenus fides pendet ab affectu, maior semper est formata quàm informis. Et quia etiam firmitas eius & certitudo quam habet in intellectu, pendet ex voluntatis imperio aliquatenus, vt suprà diximus; fit, vt simpliciter dicatur minima fides formata maior esse qualibet informi, non tam vt est habitus, quàm vt virtus intellectualis.

# QVÆSTIO SEXTA.

## De causſa Fidei.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm Fides sit homini infusa à Deo?*

RESPONDET diuus Thomas, fidem esse à Deo, tam quoad propositionem credibilium, quæ solus Deus reuelare potest, quàm quoad assensum. Propositione enim fidei facta, inclinatur homo ad assensum exteriori motiuo miraculorum: sed hoc non sufficit; neque enim omnes credunt, qui vident miracula: est ergo aliud interius motiuum, quod discernit credentem à non credente: & illud Pelagiani dicebant esse liberum arbitrium. Est autem de fide, esse Deum per suam gratiam. Verùm de hac re diximus in materia de Gratia.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Fides informis ſit donum Dei?*

RESPONDEO; Deus eſt cauſſa huius fidei, quatenus eſt fides, non autem quatenus informis eſt: neque enim eadem eſt cauſſa fidei & informitatis: informitas enim non eſt de ratione fidei vt fides eſt; ſi enim eſſet, eo ipſo quo Deus eſſet cauſſa fidei, etiam eſſet informitatis cauſſa; ſicuti qui eſt cauſſa ægritudinis, eo ipſo eſt cauſſa priuationis debitæ proportionis humorum, eò quòd eiuſmodi priuatio, ſit de ſubſtantia ægritudinis: ſed qui cauſſa eſt diaphani, non continuò debet cenſeri cauſſa tenebrarum, etiamſi fortè diaphanum ſit tenebroſum; eò quòd tenebræ non ſint de ſubſtantia diaphani.

Cæterùm fidem etiam informem eſſe donum Dei, & non eſſe ex nobis, ſententia eſt D. Auguſtini, quoties negat fidem eſſe ex nobis, contra ſententiam quam iunior tenuerat. Actus enim fidei in catechumenis eſt fides informis. Certum autem eſt, illum D. Auguſtino eſſe donum Dei; ideóque ſatis conſtat ex Tridentino, ſeſſ. 6. c. 6. & confirmatur: Niſi enim fides informis ſit donum Dei, nullum donum Dei erit in peccatore, adeóq; ſine dono Dei adducetur ad pœnitentiam; quia fides eſt quæ primò datur ſecundùm Auguſtinum.

Notandum tamen ex B. Bonauentura, quamdam fidem informem eſſe acquiſitam, qua nimirum humana tantùm perſuaſione creditur: aliam autem infuſam, quæ nititur auctoritate primæ veritatis reuelantis; & in hac, apprehenſionem propoſitionis credendæ poſſe ſecundùm ſubſtantiam eſſe acquiſitam, & viribus naturæ conceptam: nam vt Auguſtinus dicit de prædeſt. Sanct. cap. 2. *Quidam ideò cogitant, ne credant*: ſed aſſenſum non poſſe eſſe ſine lumine ſupernaturali diuinitus infuſo. Neque tamen illud ipſum cogitare eſt à nobis, quaſi ex nobis; ſed quatenus ad pietatem confert, initium ex Dei motione habet. Itaque fides etiam informis eſt donum Dei, non ſolùm propter vocationem, prædicationem & interiorem ſuggeſtionem; neque ſolùm propter impedimentorum ablationem, præcipuè ex parte ſatanæ prouenientium, quem à fortiori ligari oportet, quoties homo ad fidem conuertitur; ſed propter ſecretam gratiæ diuinæ operationem, qua Deus intus in animo dat incrementum, & efficit vt ſemen verbi in agro cordis poſitum, à volucribus cuſtoditum germinet, gratia non tantùm ſuadente, ſed etiam ineffabili illo tractu perſuadente. Hæc omnia Dei beneficia ſunt, etiam in fide informi: quando verò accedit vt ſemen iſtud fructum adferat 100. 60. 30. fides formata per dilectionem operatur.

# QVÆSTIO SEPTIMA.

## De effectibus Fidei.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm timor ſit effectus Fidei?*

RESPONDET D. Thomas, Timorem eſſe effectum fidei, eò quòd per fidem apprehendamus illa mala, quæ peccatori iuſto Dei iudicio inferuntur, & ipſum Deum tamquam immenſum bonum, à quo ſeparari peſſimum ſit, & cui ſe æquare non poſſit, non eſſe creaturæ malum. Priori modo fidem informem eſſe cauſſam timoris ſeruilis; poſteriori formatam timoris filialis.

Timorem eſſe fidei effectum, patet ex loco Iacobi: *Dæmones credunt & contremiſcunt*, qui videtur D. Thomæ occaſionem articuli dediſſe. Pſalmo 138. *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es.* Habacuc 3. *Domine audiui auditionem tuam, & timui.* Pſal. 118. *A verbis tuis formidauit cor meum.* Docet idem S. Chryſoſtomus, hom. de incomprehenſibili Dei natura, vbi inter cetera dicit: *Sicut non ſine metu inſpicimus maris altitudinem; ita nos metuere, quando per fidem vaſtum illud diuinæ eſſentiæ & ſapientiæ pelagus inſpicimus.*

Dubitari hîc etiam poteſt, An fides formata non ſit cauſſa etiam ſeruilis timoris?

Reſpondeo ex D. Thoma infrà quæſt. 19. art. 4. Sicut eadem fides ſecundùm ſubſtantiam nunc formata, nunc informis eſt: ita idem timor nunc eſt timor pœnæ vt principalis mali; nunc pœnæ timor, non vt principalis mali. Si ergo per timorem ſeruilem intelligatur poſterior timor, ille etiam eſt effectus fidei formatæ; ſi autem intelligatur prior, non eſt effectus fidei formatæ.

Dubitari poteſt Secundò, In quo genere cauſſæ fides ſit cauſſa timoris?

Reſpondeo; Fides informis producit timorem ſeruilem, eo modo quo cognitio mali imminentis ſolet producere timorem: ſed fides formata alio præterea modo producit timorem filialem, videlicet eo modo quo amor alicuius boni producere ſolet timorem eius boni amittendi, aut contrarium malum incurrendi: timor enim ſeruilis ſolùm eſt ex amore ſui, qui non oritur ex fide; ſed timor filialis ex amore charitatis eſt, quæ oritur ex fide. Vnde patet, fidem perfectiùs eſſe cauſſam timoris filialis quàm ſeruilis.

Ad quod autem genus cauſſæ pertineat principium timoris, quod in cognitione imminẽtis mali conſtituitur, alterius inſtituti eſt explicare.

Breuiter dici poteſt, modum quo cognitio imminentis mali voluntatem mouet ad timorem, pertinere ad motionem metaphoricam cauſſę finalis; fit enim per propoſitionem obiecti: accedit tamen tamquam impulſus quidam, iudicium practicè practicum, ratione cuius intellectus cauſſalitatem quamdam, ſaltem vt inſtrumentum, hîc habet



habet pertinentem ad genus cauſſæ efficientis. In quo autem genere amor ſit cauſſa timoris, explicat D. Thomas 1. 2. quæſt. 43. art. 1. & dicit eſſe cauſſam per modum diſpoſitionis materialis.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm purificatio cordis ſit effectus fidei?*

RESPONDET affirmatiuè ex capite 15. Actorum, *Fide purificans corda eorum.* Explicat autem S. Thomas modum quo fides cor purificet, retrahendo nimirum illud ab inquinatione, quam cõtrahit ex affectu inordinato, ad res ſe viliores: retrahit autem fides tum demum perfectè, quando inordinato amori ſuccedit charitas. D. Auguſtinus 11. de ciuitate cap. 2. præter iam dictam rationem inſinuat aliam qua fides purificet cor, etiam peccato non inquinatum, ſed naturaliter fæculentius, quàm vt incommutabile lumen perferre queat, niſi fide imbuatur atque purgetur.

Notandum hîc eſt, quando Apoſtolus Petrus dicit fide purificari corda, non ipſam fidem diſtinguere contra charitatem, ſed contra opera legis. Hoc quippe agebat, ne fruſtrà legalibus oneribus grauarentur, quorum iam fide purificata erant corda: neque enim opus habebant circumciſione carnis, & munditie legali, quorum corda, per fidem purificante ſpiritu, erant circumciſa & mundata, vt rectè Theophylactus.

Notandum ſecundò, per fidem commodiſſimè in hac ſententia Apoſtolica intelligi ipſam legem fidei, adeóque fidem quæ per dilectionem opera ſua exercet. Eſt tamen verum, etiam fidem ſecundùm ſe præcisè ſumptam, hoc diſpoſitiuè agere, vt cor emundetur, vnde & Dominus dixit: *Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* quod mirum videri non debet, quia & peccata quæ contra charitatem admittuntur, ita obſcurant corda & maculant, vt tandem etiam fidem extinguere contingat: ſordes enim peccatorum ita ſanæ fidei aduerſantur, vt quamuis non ſtatim, tandem tamen per illas circa fidem naufragium fieri contingat. Ioan. 15.

Notandum poſtremò, etiam ad paruulos poſſe extendi purificationem cordis per fidem; ſed ſi actualem intelligas fidem, illa alterius erit in paruuli purificatione, ſicut alterius actu maculatus eſt: ſi verò habitualem fidem conſideres, ſicut macula ſibi inhærente paruulus immundus eſt, ita & habituali infuſa fide purificatur. Vide Bernardum, epiſtola 77.

# QVÆSTIO OCTAVA.

## De dono Intellectus.

# QVÆSTIO NONA.

## De dono Scientiæ.

AD has Quęſtiones nihil peculiare addendum occurrit, niſi dubium illud celebre, An dona diſtinguantur à virtutibus? Non diſtingui realiter, eſt ſententia Scoti & Gabrielis in 3. diſt. 24. Imò videtur eſſe Magiſtri ibidem. Sequuntur eam Altiſiodorenſis, Almainus, Nicolaus de Nyſe, Flauius, & paſſim Scotiſtæ.

Diſtingui tamen ſentit diuus Thomas 1. 2. quæſt. 68. art. 1. Conradus, Caietanus, Valentia ibidem, Antoninus 4. parte, titulo 10. cap. 1. & 2. Lælius in Summa ſua moralis Theologiæ, cap. de donis: eaq; ſententia vtitur Suarez 3. parte, tom. 1. diſput. 20.

Alij ſunt quibus res iſta ita videtur incerta, vt eam determinare non audeant: Durandus, Petrus de Aquila, & ex recentioribus Gabriel Vaſquius in 1. 2.

Argumenta primæ ſententiæ ferè ſunt iſta: Primò, Nõ ſunt multiplicandi habitus ſine neceſſitate; atqui nulla eſt neceſſitas, præter tres virtutes Theologicas, & quatuor Cardinales, ſtatuendi ſeptem habitus, qui ſint dona Spiritus ſancti: nam quidquid tribuitur dono ſapientiæ, ſcientiæ & intellectus; aut per ſolam fidem, aut ſanè per tres virtutes Theologicas abundè præſtatur: ad virtutem autem iuſtitiæ, pertinet donum pietatis; ad prudentiam, donum conſilij; ad fortitudinem, donum fortitudinis; ad temperantiam, donum timoris Domini. Confirmatur: In ordine ad Deum ſufficienter diſponunt tres virtutes Theologicæ; quoad vſum verò creaturarum, quatuor Cardinales.

Secundum eſt ex Patribus, qui ſolent dona appellare virtutes, vt Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 20. Auguſtinus quæſt. 8. in Euangelia, Gregorius lib. 2. Moralium cap. 36. & alibi.

Tertium, Vel dona ſunt actus, vel habitus: ſi actus, nihil ſunt aliud, quàm peculiares operationes virtutum, vt virtus ſit in communi operatione, donum in expeditiori, beatitudo in perfecta, fructus in iucunda: ſi verò dona ſint habitus, non poſſunt non eſſe virtutes; quia virtutis definitio eis competit. Definitur enim virtus; Bona qualitas mentis, qua nullus malè vtitur, & quam Deus in nobis ſine nobis operatur; aut (vt ex Auguſtino Durandus) Bona qualitas mentis, qua rectè viuitur.

Si dicas, etiam dona eſſe virtutes generaliter loquendo, ſed realiter diſtingui à Theologicis & Cardinalibus, eò quòd per virtutes illas ſeptem humano modo, per dona autem ſuperhumano modo operemur: contrà, ſic ſequeretur charitatem non eſſe præſtantiſſimam virtutem, quod eſt contra Apoſtolum & Auguſtinum lib. 15. de Trinitate

nitate cap 18 imò & contra D. Thomam, qui ampliùs dicit, nimirum, virtutes Theologicas ex toto genere suo, esse perfectiores donis Spiritus sancti, & dona virtutibus moralibus. Sequeretur secundò, aliud esse obiectum formale in donis, quod non sit in virtutibus; illud autem difficillimum fuerit assignare: oporteret enim in donis, quæ ad voluntatem pertinent, diuersam rationem boni & honesti considerare: in illis verò quæ ad intellectum, diuersam veritatem aut diuersum modum cognoscendi: non apparet autem, quomodo donum intellectus, sapientiæ & scientiæ, quando obiectum supernaturale est, non nitantur testimonio Dei, quod est obiectum formale fidei Neque facile erit ostendere, donum consilij non esse aliquid prudentiæ infusæ; donum timoris filialis, non esse aliquid charitatis.

Pro sententia D. Thomæ proferri possunt argumenta non contemnenda. Primum, Dona Spiritus sancti in Scriptura significantur nomine spirituum; considerantur ergo secundùm quod insunt nobis ex inspiratione diuina: inspiratio autem est motio ab exteriori: ratio autem interiùs monet: itaque virtutes considerantur, vt proportionatæ motioni rationis siue naturalis, siue auctæ donis supernaturalibus: dona autem, vt proportionata motioni Dei: eam verò mobilis dispositionem, quæ proportionata est altiori mouenti, perfectiorem esse oportet. Itaque oportet donum sit habitus quidam perfectior virtute. Simile quid videtur Philosophus agnouisse, quando dixit, eos qui per diuinum instinctum mouentur, non oportere considerari secundùm rationem humanam, eò quòd à meliori moueantur principio.

Secundum argumentum: Dona faciunt hominem vltra communem modum operari: non ergo sunt confundenda cum communibus virtutibus; sed sunt instar virtutum heroicarum, quas à communibus distinguit Philosophus septimo Ethicorum.

Tertium argumentum: Si dona intellectus, sapientiæ & scientiæ, non haberent aliam rationem formalem, quàm fidei, non potuissent esse in Christo, in quo non fuit fides; fuisse autem, docet Isaias cap. 11.

Quartum ex Gregorio, qui aptè distinguit septem hæc dona à tribus virtutibus Theologicis lib. 1. Moralium c. 28. vbi dicit, per tres filias Iob, significari tres virtutes Theologicas: per septem autem filios, septem dona Spiritus sancti. Distinguit etiam à quatuor virtutibus Cardinalibus, libro 2. Moralium cap. 36. vbi per quatuor angulos domus, quatuor intelligit virtutes Cardinales, quibus collabentibus, opprimantur septem filij Iob, id est, septem dona Spiritus sancti.

Pro dubij huius solutione, Notandum, malè illud quosdam intellexisse, adeoque graues Auctores inter se commisisse, qui reuerà non sunt contrarij. Putarunt enim quæri, An dona sint virtutes? quod non quæri patet ex responsione D. Thomæ ad primum loco suprà citato ex 1. 2. vbi fatetur, dona esse virtutes. Quæritur ergo, An distinguantur dona ab illis virtutibus, cum quibus affinitatem habere noscuntur, aut sanè à virtutibus Theologicis & Cardinalibus? aut, vt, semel dicatur, ab illis habitibus, qui virtutes tantùm dicuntur, non autem peculiari ratione, dona Spiritus sancti, sicut ista septem ab Isaia enumerata, quamuis interim certum sit, & virtutes omnes infusas, de quibus hîc est quæstio, esse dona Spiritus sancti, & hæc septem dona Spiritus sancti, esse virtutes?

Notandum secundò, Satis certum esse, hæc dona potuisse ita conferri, vt à reliquis virtutibus non essent distincta, & etiam ita, vt reuerà distincta essent. Addo cum Durando, vtro modo factum sit, non esse certum; vt probabiliorem tamen posse defendi sententiam diui Thomæ. Potuerunt, inquam, ita dari, vt non essent distincta: virtutibus enim infusis, non tam reddimur prompte obsequentes rationi, quàm rationi rectæ rectitudine supernaturali, & auctæ donis supernaturalibus. Quod dum fit, etiam motioni Dei recipiendæ videbimur reddi idonei: instinctus enim Dei supernaturales videntur esse eiusdem ordinis & rationis cum Dei motione, quæ est in operatione virtutum infusarum. Neque refert, singularia videri opera, quæ interdum fiunt per Spiritus sancti peculiares instinctus: non enim diuini isti habitus inclinant ad opera diuina, quia communia sunt, sed quia diuina. Videbitur ergo motio quidem diuina distincta in donis necessariò statuenda; sed habitus quo motioni instinctus peculiaris, facilè homo obsequatur, non necessariò alius statuendus est, ab habitu cõmunium virtutum infusarum. Potuerunt tamen hæc dona Spiritus sancti ita conferri, vt sint à virtutibus distincta. Quamuis enim qui habet virtutes, magis sit dispositus ad recipiendum peculiares instinctus Spiritus sancti, quàm si eas non haberet; poterit tamen magis disponi, si in genere habitus aliquid præcisè respondeat istis instinctibus, quod Deo facilè esse euidens est. Esse autem incertum, vtro potiùs modo fiat, patet: quia neque Scripturæ sacræ, aut veterum indubitata auctoritate, aut euidenti ratione, aut certa experientia alterutrum statui potest: quamuis enim sola ratione dona à virtutibus distingui ponantur, potuit ita loqui Gregorius, vt suprà allegatum est Nonnihil tamen maioris probabilitatis reperiri in sententia D. Thomæ, libenter fatemur, quia facilius est respondere ad argumenta contra eam, quàm pro ea.

Ad Primum enim respondeo, Nullum esse donum Spiritus sancti, quod non queat reduci ad aliquam virtutem, cum qua similitudinem habeat; sed verum non esse, quòd æquè expeditè per solam illam virtutem diuinis instinctibus obtemperetur, ac per adiunctum donum. *Respond. ad primum argumentum, & prima sententia.*

Ad Secundum, Solum concludit dona esse virtutes; non autem, non esse alias à cõmunibus illis.

Ad Tertium respondeo, Non solùm charitatem, sed omnes Theologicas esse perfectiores donis Spiritus sancti, vt docet sanctus Thomas 1. 2. q. 68. suprà citata, a. 8. dona enim solùm perficiunt ad patiendum à Deo; virtutes autem Theologicæ perficiunt ad immediatè agendum circa Deum. Illis ergo tantùm virtutibus dona sunt præstantiora, quæ non versantur immediatè circa Deum, sicut ipsa dona: sicut enim intellectualis virtus præfertur morali, eò quòd perficiat rationem, quæ motiua est virtutum moralium, ita donis Spiritus sancti præferuntur virtutes Theologicæ, quia regulant ea: per virtutes enim Theologicas, coniungimur Spiritui sancto mouenti. Sicut enim appetitus non mouetur secundùm morales virtutes, nisi præsuppositis intellectualibus; ita homo non mouetur secundùm dona Spiritus sancti, nisi præsuppositis Theologicis virtutibus. Cum hoc tamen benè consistit, quòd operatio doni dicatur præstantior, quatenus in ea consideratur peculiaris instinctus Spiritus sancti, superadditus directioni virtutis Theologicæ, & operationi habitualis doni.

Ad difficultatem quæ mouetur de obiecto formali, quod in dono oporteret distingui, si ipsum à virtute distinguatur, dici potest, diuersum modum operationis hîc sufficere ad distinctionem habituum. Deinde, sicuti ars inchoata in discipulo, & obedientia qua sequitur directionem magistri, habent diuersum obiectum formale, licet in opere diuersitas non appareat; ita fieri potest in dono & virtute.



# QVÆSTIO DECIMA.

## De Infidelitate in genere.

### ARTICLVS I.

*Vtrùm infidelitas sit peccatum?*

RESPONDET S. Thomas; Si infidelitas accipiatur secundùm puram negationem, vt dicatur infidelis hoc solo, quòd non habeat fidem, non esse peccatum, sed potiùs pœnam: quia talis ignorantia diuinorum consecuta sit ex peccato primi parentis; indeque fieri, vt qui nihil audiuerunt de fide, nõ damnentur propter infidelitatis peccatum, sed propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt. Si verò infidelitas accipiatur secundùm contrarietatem, quæ sita in repugnantia vel contemptu auditus fidei, perficit rationem infidelitatis, esse eam peccatum.

Itaque circa hunc articulum videndum, quomodo infidelitas sit vel non sit peccatum.

Sonat infidelitas negationem fidei. Contingit autem fidem deesse pluribus modis in homine, cui naturale est, posse habere fidem: qui modi omnes ad pœnam vel culpam pertinent; nam beatis non tam deest fides, quàm adest illud, quod deerat in fide, visio per speciem clara, facie ad faciem.

Primò, Deest fides, propter status miseriam in damnatis: quod etiam potest contingere sine peccato aut demerito infidelitatis, vt constat ex dictis suprà De fidem habentibus.

Secundò, Deest fides ei qui per ætatem credere non potest: quomodo certum etiam est, sine peccato infidelitatis eam deesse.

Tertiò, Deest fides adulto, qui non habet à quo audiat fidem.

Quartò, Deest illi cui sufficienter est proposita.

Sit PRIMA CONCLVSIO: Infidelitas merè negatiua, qualis est illorum quibus fides non est sufficienter annuntiata & proposita, non est peccatum.

Probatur Primò, quia contrarium est damnatum à Pio V. & Gregorio XIII, in hoc articulo: *Infidelitas purè negatiua in ijs quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Secundò ex capite 15. Ioannis: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Hoc est peccatum,* (inquit Augustinus tract. 91. in Ioannem) *quo in eum loquentem & operantem non crediderunt.* Et tractatu 89. & 91. dicit eos quibus nõ est locutus Christus, ne quidem per prædicatores, habere excusationem de peccato quo in Christum non crediderunt. Peccatum itaque infidelitatis non habent, qui prædicantem non audierunt. Tertiò, Nemo obligatur præcepto quod non est sufficienter promulgatum: atqui illis qui nihil de fide audierunt, non est promulgatum mandatum credendi; ergo, &c.

SECVNDA CONCLVSIO: Quicumque non crediderit fide iam sibi sufficienter proposita, eo ipso indubiè grauissimè peccat.

Probatur, Quia excusationem non habet de peccato suo. Nemo enim Euangelio sufficienter proposito non credit solo defectu auxilij, quod nullo modo sit in sua potestate: adeoque proposita sufficienter fide, nemo adultus est infidelis sola infidelitate negatiua, quam diximus non esse peccatum. Illa enim intelligitur negatiua infidelitas, qua homo, ne interpretatiuè quidem, repugnat, aut contemnit fidem; sed est infidelis, vel priuatiuè solùm, vel etiam contrariè: priuatiuè solùm, si contrario errori non adhæreat, sed fidem tamen respuat sufficienter propositam, quod non fit sine interpretatiuo contemptu: contrariè autem, si non tantùm fidem propositam respuat, sed insuper contrario errori adhæreat, aut adhærere pergat. Sic ergo infidelitatem esse peccatum, est fide credendum. Marci vltimo: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Ioannis 3. *Qui non credit, iam iudicatus est.* & infrà: *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam.* Ad Hebr. 3. *Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt?* Plura huc pertinentia dicemus art. 3.

Quæret hic aliquis, An vt incurratur peccatum infidelitatis, aliquando sufficiat interior gratia instinctus, aut motio diuina ad credendum sine exteriori prædicatione?

Respondeo, rarò aut numquam infideles ita in intellectu illuminari aut in affectu commoueri per Dei gratiam, sine hominis externa prædicatione, per verba, aut alia signa, vt fidem respuendo incurrant completum peccatum infidelitatis: ad eiusmodi enim peccatum requiritur auersio à formali obiecto fidei sufficienter applicato, & credibili sufficienter proposito: ordinarius autem modus sufficienter proponendi, est per ministerium prædicationis; fides enim ex auditu est: illustrationes namque interiores, communiter non Rom. 10. tam

tam distinctè & apertè reuelant veritatem credendam; neque ita discerni potest, an sint à Spiritu sancto, an à proprio spiritu. Denique per communes instinctus Deus nihil præcipit, aut tamquam ex præcepto faciendum pronuntiat & proponit, sed per propheticas aut peculiares reuelationes.

Hinc patet, quare fidelis omittens præceptum affirmatiuum fidei, non semper incurrat peccatum infidelitatis, quamuis incurrat peccatum contra fidem, quod sit quasi quædam participata infidelitas. Sicut enim non omnis qui peccat contra charitatis præcepta, peccat formali odio Dei, sed aliquando solùm participato; ita non omnis qui peccat contra fidei præceptum, peccat formali infidelitate, sed aliquando solùm participata.

Patet vlteriùs, non amitti fidem quouis peccato contra præceptum exercendi actum fidei, sed peccato infidelitatis.

Vbi differentia obseruanda est charitatis & fidei, quòd in amissione fidei magis requiratur formalis infidelitas, quàm in amissione charitatis formale Dei odium.

Patet denique, errorem qui potest ex fideli constituere non fidelem, positiuè non continuò posse similiter ex infideli negatiuè, facere infidelitatis reum. Cùm enim fideli obiectum formale fidei sit sufficienter propositum, non autem infideli, negatiuè magis ille recedit à Deo quàm iste.

Quæri hîc potest secundò, Quomodo oporteat fidem esse propositam, antequam incurratur peccatum infidelitatis?

Respondeo, Non sufficere qualemcumq; Euangelij prædicationem, sed opus esse, vt fides euidenter facta sit credibilis, productis argumentis de quibus q. 1. diximus. Credibilis inquam non quomodocumque, sed magis quàm sit vlla religio alia veri Dei. Quod notandum contra nostri temporis reformatores.

Contra primam conclusionem obijci potest hoc modo: Carentia fidei in infante non est minùs voluntaria voluntate primi parentis, quàm priuatio originalis iustitiæ; atqui hæc est peccatum; ergo & illa.

Respondeo, negando sequelam. Illa enim est differentia peccati originalis & peccati propriè vitæ, quòd in peccato originis, vt contrahitur à paruulo, solùm remaneat generalis ratio peccati, quæ iniustitiam inuoluit, quia iustitia generalis est virtus; non autem specialis reatus intemperantiæ aut infidelitatis, etiamsi ea detur fuisse in actuali peccato Adæ, in quo omnes peccauimus. De qua re latiùs diximus 1.2.q.82.art.1.dub.5.

Obijci potest secundò; Infidelitas negatiua etiam apponitur virtuti; est ergo peccatum.

Respondeo, Omne peccatum opponi virtuti, quatenus ea ad voluntatis perfectionem pertinet; infidelitas autem inuoluntaria, non apponitur virtuti fidei, vt pertinet ad perfectionem voluntatis; sed solùm vt pertinet ad perfectionem intellectus: dicit enim negatiua infidelitas negationem perfectionis in intellectu, sed non ponit dispositionem prauæ affectionis in voluntate; non ergo magis est peccatum, quàm amentia quæ inest à natiuitate.

Obijcitur tertiò; Etiam negatiua infidelitas trahit in damnationem; ergo est peccatum.

Respondeo, Trahere in damnationem, non est solius peccati, sed trahere ad damnationem sibi debitam: trahit itaque infidelitas negatiua ad damnationem debitam non sibi, sed alijs peccatis, eò quòd sine fide nullum remittatur peccatum. Ita ferè D. Augustinus suprà citatus in Ioannem.

Contra secundam conclusionem est argumentum apud Caietanum ferè eiusmodi: Nemo tenetur aspirare ad perfectionem quæ est supra naturam suam: neque enim peccabit plebeius si nolit ascendere ad gradum nobilium; ergo non poterit homini verti vitio, si naturali cognitione contentus, renuat fidem supernaturalem; aut saltem propter infidelitatem non poterit priuari beatitudine naturali, sed solùm supernaturali.

Respondeo, negando consequentiam. Non est enim simile: nam ciuis supponitur ab initio non fuisse nobilis, & Rex, nisi magna ingruat necessitas, non potest suo imperio in talibus præiudicare libertati ciuium: homo autem est conditus in gratia & fide, estque plenissimè Deo subiectus tamquam figmentum factori suo. Sicut ergo potest Rex illos ciues, qui reuerà nobiles sunt, cogere vt redeant ad originalem suam conditionem, quando id aliqua reip. postularet necessitas; ita Deus, cuius voluntas est rerum necessitas, potest creaturam rationalem obligare, vt redeat ad primæuum suum statum, ad quem & in quo condita est; præsertim cùm quelibet natura inferior naturali quasi indigentia postulet perfici à superiori, & perfectio eius confirmetur ex participatione superioris.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Infidelitas sit in intellectu sicut in subiecto?*

Respondet D. Thomas, Actum infidelitatis esse in intellectu sicut in proximo subiecto, sed in voluntate esse sicut in proximo motiuo; quo modo & omne peccatum est in voluntate.

Contrà opponi potest, reperiri aliquando infidelitatis vitium, sine vllo defectu intellectus circa fidem. Qui enim per demonstrationem sciret Deum esse, erit infidelis, si dicat se non creditu-rum, nisi demonstratione sciret. Rursus quando Thomas videbat Christum resurrexisse per sensus experientiam, si mansisset ita dispositus vt diceret, Nisi expertus sensu fuissem, nollem credere; reuerà fuisset incredulus, sine tamen vllo vitio intellectus. Ad hęc Catholicus deliberatè dubitans de aliquo fidei articulo, est infidelis; nullum tamen habet errorem in intellectu; ergo potest infidelitas consistere in sola voluntate.

Respondet Valentia, infidelitatem completam esse in intellectu vt subiecto, & in voluntatè vt motiuo: sed nihil obesse quo minùs infidelitas inchoata, qualis est in casibus obiectionis, sit in sola voluntate: completam autem infidelitatem vocat contrarium fidei assensum, aut negationem veritatis fidei, aut omissionem assensus tempore quo est debitus.

Sed aliter dici potest, etiam in his casibus infidelitatem pertinere ad intellectum. In singulis enim verè degenerat intellectus, & habet quodammodò obiectum formale fidei loco inferiori quàm deberet, præponendo ei euidentiam scientiæ aut sensus, aut aliquid ei opponendo, quod



quod veritatem fidei in dubium reuocet, quasi Deus non esset summæ veritatis. Neque refert, quòd fortè, quando homo de fide dubitat, non tenebatur pro illo tempore elicere assensum fidei ex præcepto affirmatiuo: tenetur enim semper non reuocare in dubium illa quæ sunt fidei, quasi præcepto negatiuo obligante pro omni momento. Itaque ad infidelitatem hîc non requiritur, vt præceptum affirmatiuum fidei vrgeat; neque sufficit, vt suprà monuimus, præceptum credendi vrgere, & omitti, vt infidelis dicatur qui omittit: si enim ex negligentia fidelis omittat tempore debito elicere actum fidei, non tam quia actus fidei est, quàm quia actus & negotium aliquod est, cui nunc non libet vacare; peccabit quidem, sed non propterea erit infidelis: sed tum demum omissio assensus est infidelitas, quando omittitur quia assensus fidei est, quæ nondum placeat, & cui animus audientis adhuc repugnet, cum aliquo contemptu saltem interpretatiuo. Adde, quòd infidelitas illa quæ tantùm in voluntate consideratur, non videatur pertinere ad propriam speciem infidelitatis, prout opponitur fidei; sicut voluntas credendi, quæ reflexa aut conditionata ponitur in beatis, non pertinet ad speciem fidei. Denique non satis apparet, quomodo fieri possit, vt sit in voluntate propositum non credendi, sine detrimento fidei in intellectu, qui desinit inhærere primæ veritati, cessante imperio voluntatis.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm Infidelitas sit maximum peccatorum?*

Respondeo; Infidelitas peccatum maius est omnibus peccatis quæ contingunt in peruersitate morum, non autem omnibus peccatis quæ committuntur contra alias virtutes Theologicas; nam odium Dei simpliciter maius est: & quamuis infidelitas simpliciter sit peccatum maius desperatione; desperatio tamen est periculosior, & ex parte nostra execrabilior.

Magnitudo peccati infidelitatis manifesta est in Scripturis, quando nomine peccati, quasi per antonomasiam, hoc peccatum appellant. Ioannis 8. *Quæretis me, & non inuenietis, & in peccato vestro moriemini.* Ioannis 15. *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* & capite 16. *Ille arguet mundum de peccato.* Quod exponens Dominus addit, *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Quæ loca adducens Augustinus lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum c. 3. *Filios*, inquit, *diaboli, infidelitas facit; quod peccatum proprium vocatur, quasi solum sit, si non exprimatur quale peccatum sit.* Hinc ad Ephes. 2. filij diaboli vocantur filij diffidentiæ siue infidelitatis.

Rationes autem ob quas infidelitas sit maius peccatum omni peccato quod committitur contra virtutes morales, ferè sunt istæ: Prima, Peccato infidelitatis maximè homo recedit à Deo; prima enim ad Deum accessio est per verā Dei cognitionem, ita D. Thomas. Secunda, Peccatū incredulitatis impedit directè remissionē aliorum peccatorum, secundùm illud Ioan. 8. *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Ad Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Actorum 4. *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Explicat hanc rationem Augustinus tractatu 89. in Ioan. *Sed magnum quoddam peccatum non omne peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi; hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod vnusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata, hoc est autem quia non crediderunt in Christum.* Similia habet tractatu 91. Vtrobique refutat hæreticos, qui dicunt nullum esse peccatum mortale nisi infidelitatis, quos etiam damnat Tridentinum, de Iustificatione, Canone 27.

In corpore articuli obscuritatem aliquam habent verba illa D. Thomæ, *Nec potest esse quòd quantum ad quid Deum cognoscat, qui falsam opinionem de eo habet, quia id quod ipse opinatur, non est Deus.* Videtur enim hîc D. Thomas dicere, fieri non posse, vt aliquis erret circa vnum aliquem fidei articulum per infidelitatem, quin simul ignoret Deum verum: quod videtur falsum. Qui enim crederet Christum esse Deum, & in hoc solo erraret, quòd crederet ipsum non esse verum hominem, is non videretur ignorare verum Deum; sed solùm errare in Christi humanitate. Dico nihilominùs, esse verissimum quod D. Thomas docet: quia qui negat aliquid quod Deus dicit, iam negat Deum esse veracem; Deus autem non verax, non est Deus: imò cùm Deus sit sua veritas & res simplicissima, patet eum, qui veritatem Dei aut aliquid Dei negat, ipsum Deum negare. Quædam de hac re diximus q. 2. art. 2. occasione responsionis ad 3. Neque videtur Valentia rectè dicere, quòd Caietanus hîc meliùs quàm ibi hac de re sit locutus. Ibi enim cum D. Thoma explicat peculiarem illam rationem, qua Deum dicatur negare, qui aliquid Dei negat. Hîc autem solùm explicat modum, quo verum sit, generaliter eum tollere subiectum, qui tribuit illi falsum prædicatum. Probabile autem videtur D. Thomam vtrobique Dei simplicitatem considerare, qua fiat, vt totum ex parte rei semper tollatur, quando aliquid Dei tollitur; in simplicibus enim idem est totum & pars:

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm omnis actio Infidelium sit peccatum?*

Prima hîc est sententia, Omne opus quod infidelis facit, ex solis naturæ viribus sine gratia, esse peccatum. Est Lutheri a. 36. qui ita habet: *Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo; & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.* Verùm quòd Lutherus dicat infidelem in quolibet opere peccare, non est mirum, cùm dicat iustum etiam in bono opere peccare mortaliter.

Caluinus lib. 2. Institutionum cap. 3. ferè eiusdem est sententiæ: dicit enim, infideles viribus naturæ, nihil boni operis vmquam fecisse; sed ita naturam in nobis esse deprauatam, vt nihil vmquam boni operis proferat, idque non solùm prauæ consuetudinis vitio, sed ingenita malitia: sed, sicut cadauer perpetuò exhalat fœtorem, ita ipsam corruptam naturam perpetuò in malas libidines ebullire, secundùm illud Psalmi 5. *Sepulchrum patens est guttur eorū.* Vbi si Camillos, Fabricios, Regulos, Fabios aut Scipiones ei opponas, qui

egregijs facinoribus excelluerint, aut à vitijs multùm abstinuerint ; dicit nos meminisse debere, inter illam naturæ corruptionem esse nonnullum gratiæ Dei locum, non quæ illam purget, sed quæ intus cohibeat : itaque quidquid in gentilibus illis moraliter boni operis fortè repertum fuerit, non ad naturæ reliquias, sed ad diuinæ gratiæ nouum pertinere præsidium.

Secunda sententia est Gregorij Ariminensis in 2.dist. 41. Illorum qui omni ex parte sunt infideles, nullum esse opus moraliter bonum : posse autem esse aliquod opus moraliter bonum in hæretico, qui aliquorum adhuc articulorum fidem retineat. Probat, quia ad opus bonum requiritur, vt fiat ex dilectione Dei, aut vltimò propter Deum ; non autem ita fieri possit, quando nulla Dei subest cognitio.

Tertia est communis, & D. Thomæ, Infideles non posse quidem operari bona opera, qualia fiunt ex gratia, videlicet æternæ vitæ meritoria ; aliqualiter tamen operari posse moraliter bona, ad quæ sufficiat bonum naturæ quod per infidelitatem non est ablatum, sicut bonum gratiæ. Hæc sententia omnino tenenda est, & meritò damnatus est contrarius iste articulus : *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.* Item iste : *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, id est, quod à solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.* Denique iste : *Non nisi Pelagiano errore admitti potest vsus aliquis liberi arbitrij bonus, siue non malus ; & gratiæ Christi iniuriam facit qui ita sentit & docet.*

Pro explicatione huius articuli notandum est, triplicem esse bonitatem in actibus humanis : vna est naturalis, quo modo bonum est agrum colere : altera moralis, quo modo propter honestatem bonum est colere viros probos : tertia meritoria vitæ æternæ, quo modo ex charitate bonum est Deum colere. De prima & tertia bonitate non quæritur, An infidelis bonum aliquod opus facere possit ; quia primo modo posse, & tertio non posse, certissimum est : sed quæritur, An naturaliter bona facere ita sufficiat, vt aliquando etiam in illis liberè versans non peccet ? Item quæritur, An opera moraliter bona ita exercere queat interdum sine merito æternæ vitæ, vt tamen peccatum in illis vitet, quod damnationem nouam mereatur ; an verò semper vitiosa aliqua circumstantia, præsertim mali finis, opus eius vitiet. Vbi miscetur & illa quæstio, de qua in materia De gratia dictum est, An sine gratiæ auxilio possit homo per vires solas naturæ corruptæ aliquod opus moraliter bonum facere ? Item ista, An fides in omni opere bono debeat intentionem dirigere ? Item, An quæ in Deum per fidem non referuntur opera, eo ipso sint peccata ? Item, An infidelis omnia referat in malum finem vltimum, in quo errat ; verbi gratia, in idolum ? Denique, An quando non refert, id gratiæ diuinæ sit ? &, An gratia qua saltem ita operetur aliquando, vt tunc non peccet, aut etiam vt morale opus bonum faciat, infideli detur ?

Non esse itaq ; omnia infidelium opera peccata, probatur in primis apertissimis testimonijs sacræ Scripturæ. Exodi 1. *Benefecit Deus obstetricibus ; & quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domus.* Hîc timor Domini non fuit in obstetricibus peccatum : neq ; dici potest vitiatus per mendacium : nam illud alio tempore ex timore Pharaonis addiderunt. Matthæi 5. *Si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis ? nónne & ethnici hoc faciunt ?* Hîc ethnicis tribuitur opus moraliter bonum. Quamuis enim loco (*ethnici*) quędam exemplaria Græca habeant sicuti in superiori sententia (*Publicani*) vetustissima tamen alia Græca habent (*ethnici* ;) & ita constat legisse suo tempore Chrysostomum, vt meritò hanc lectionem Vaticana retinuerint, quamuis alteri lectioni faueat Syrus. Accedit quòd Lucæ 6. vbi de peccatoribus dicitur, quòd diligentes se diligant ; ethnici, si non soli (vt intellexit Basilius regula 163.) saltem simul cum alijs peccatoribus intelligendi sint. Huc etiam facit illud ad Romanos 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Quem locum pro hac sententia insigniter illustrat Hieronymus in caput 29. Ezechielis : *Perspicuum*, inquit, *est, condemnari nos comparatione gentilium, si illi lege faciant naturali, quæ nos etiam scripta negligimus. De quo plenissimè ad Romanos Paulus Apostolus disputat.* Ad hæc, quis dixerit Pharaonem qui peccauerat auferendo vxorem Abrahę, etiam peccasse eam restituendo, & salutum conductum præbendo, vt est Genes. 12.

Secundò probatur ex Patribus. Apertè enim ita sentit Augustinus de spiritu & littera cap. 27. & 28. Consentit Prosper contra Collatorem capite 26. Fulgentius de incarnatione & gratia capite 26. Gregorius homil. 27. in Euangelia, Primasius in cap. 2. ad Romanos. Omitto Græcos, quia aduersarij fatentur ita eos sensisse.

Tertiò probatur ratione : Sicut quædam opera moraliter bona, quæ fieri possunt sine gratia, vt cum D. Thoma diximus 1. 2. q. 109. art. 2. neque necessarium est illa actu aut virtute, id est ex præcedenti actuali intentione referri in Deum, vt bona sint ; nam eiusmodi intentionem neque auctoritas vlla, neque ratio requirit ad quoduis opus bonum, vt patet ex illis quæ diximus eadem 1. 2. quæst. 18. art. 9. Neque verisimile est denique, omnia eiusmodi opera referri ad idoli cultum aut alium peruersum finem, quod valdè operosum esset, vt manifestum sit, interdum omissum iri sine speciali gratiæ auxilio ; & hoc ipsum potiùs esse gratiæ, quod vel tantillæ vires, in reliquiis naturalis boni reperiantur, quamuis illæ reliquiæ non debeant propriè nomine gratiæ appellari, cùm non sint reliquiæ primæ gratiæ, aut originalis iustitiæ, sed naturæ, vt alibi obseruauimus. Manent ergo hæc opera in naturali sua conditione, secundùm quam tacitè referuntur in Deum auctorem luminis naturalis, & conscientiæ illa dictantis, & scriptorem legis naturalis in cordibus omnium. Accedit quòd cognitio vnius Dei insit quibusdam infidelibus, quos nemo dixerit peccare libero exercitio eiusmodi cognitionis. Deinde sicut fidelis non omnia facit fideliter, sed aliquando venialiter peccat, imò interdum etiam sine amissione fidei mortaliter ; ita non facit infidelis omnia infideliter, sed saltem paruum aliquod & facile opus bonum ex naturalis boni reliquiis ita potest exercere, vt hîc & nunc contra naturam non peccet, verbi gratia, honorem exhibere parentibus. Sicut enim contra dominatum mentis in homine iustificato aliquando se exerunt motus remanentis concupiscentiæ, non tantùm inuoluntarij, sed etiam ita voluntarij, vt iam venialia sint peccata, adeoque pœnam, licet non damnationem æternam mereantur : ita in homine infideli subdito peccatis, possunt interdum erumpere boni aliqui motus ex naturæ reliquiis, qui laudem nonnullam virtutis mereantur, quamuis non vitam æternam. Præterea, videmus etiam illos qui ad omne opus bonum reprobi sunt, pigri & refractarij, virtutem in aliis laudare ; in qua laude fieri potest, vt non peccent appositа aliqua mala circumstantia. Videmus etiam eos benefacere, salutare, diligere illos à quibus similia acceperunt : quod mirum esset secundùm naturam suam hominem non posse, cùm id etiam bruta quædam animantia, aliquousque secundùm naturæ suæ proportionem, facere videamus. Denique si infidelis non posset facere opus moraliter bonum, esset pari conditione cum damnatis, qui rarò bonum, & numquam benè volunt. Hoc autem non videtur ; quia ratio ob quam damnati numquam habent actionem bonam, & sine qua aliquando haberent, nimirum magna naturæ deiectio, & continuum Dei odium, non habet locum in viatore, vt patet ex dictis prima parte quæst. 64. art. 2. Verè enim dixit Augustinus dicto cap. 28. de spiritu & littera, sine quibusdam bonis operibus difficillimè hîc vitam cuiuslibet pessimi hominis reperiri.



Contra hanc doctrinam, Argumentum primum est ex Apostolo ad Rom. cap. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Hoc enim loco videtur Apostolus damnare, quidquid non procedit ex fide, adeoque omne opus hominis infidelis : ità enim Apostolum videtur intellexisse Augustinus libro 4. in Iulianum cap. 3. & alibi.

De Augustini sententia paulò pòst dicemus. Verus autem Apostoli sensus est, esse peccatum quidquid non est ex conscientia, qua saltem credas aut confidas tibi id licere ; fides enim hîc illa est, qua credimus & fidimus de aliqua actione, quòd non sit illicita ; atque ita est conscientia quæ dictet, quod agis licere tibi : omnis autem actio humana, quæ non dirigitur eiusmodi practico iudicio, indubiè peccatum est. Nam vt suo loco diximus, ne quidem ex dubia conscientia operari licet. Ita interpretatur Apostolum Chrysostomus & alij passim, vtiturque eo sensu Concilium Lateranense, siue Innocentius III. capitulo finali De præscriptionibus.

Secundum argumentum est ex illo ad Titum 1. *Coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.*

Respondent quidam, sensum esse, infidelibus formaliter consideratis, id est, vt ex infidelitate operantur, nihil esse mundum. ita refert Adamus Sasbout. Alij dicunt, sensum esse, quòd coinquinati & infideles omnem cibum dicturi sint immundum, eadem ratione qua aliquem : nam cibi qui secundùm legem tamquam mundi distinguuntur à vetitis & immundis, facilè ab illis qui proprio sensui indulgentes, putant legalem immunditiam tamquam naturalem etiam in nouo Testamẽto debere manere, iudicabuntur immundi ; verbi gratia, ceruus quia serpentes comedat, vinum quia ex fimo crescat : atque ita ipsi prauo suo iudicio, ex immunda mente & conscientia, etiam vniuersam Dei creaturam coinquinabunt, immundam eam dicentes, eò quòd ipsi immundi de rebus perperàm iudicent : sicuti febricitanti stomacho, etiam dulcia videntur amara. Ita schola Chrysostomi, & videtur genuinus commentarius. Augustinus contra Faustum lib. 31. cap. 4. aliter explicat : *Immundis & infidelibus*, inquit, *ideò Apostolus dicit nihil esse mundum, quia & ijs quæ respuebant, & ijs quæ sumebant, non sanctè nec iustè vtebantur.* Verùm neque iste intellectus nobis aduersatur.

Tertium argumentum ex capite 11. ad Hebræos : *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ergo etiam aliquod opus Deo placere non potest, nisi fide informetur. Confirmatur ex D. Augustino qui dicto libro 3. contra Iulianum cap. 4. eum reprehendens ita scribit : *Cùm sine fide impossibile sit Deo placere, tibi virtutes sine fide sic placent, vt eas veras prædices, ijsque bonos esse homines.*

Respondeo, Apostolum loqui de homine, non de opere hominis. Secundò, etiamsi de opere hominis intelligas, & fateamur sine fide non posse opus hominis Deo placere simpliciter loquendo, quia neque vitam æternam (cuius candidatus factus est illa translatione Enoch, de quo agit Apostolus) sine fide meretur, neque Deum placat, quem aliunde fortè homo habet offensum ; quod voluit Augustinus, quando sine fide negat vllam esse veram virtutem, aut facere homines bonos : non tamen propter opus quodcumque sine fide factum homo Deo displicet, & de nouo offendit. Itaq ; sicuti iustus Deo placet, etiamsi veniale eius peccatum Deo displiceat ; ita infidelis Deo displicet, etiamsi aliquod eius opus bonum placeat.

Quartum est Caluini ex cap. 3. Ioannis : *Quod natum est ex carne*, id est, quidquid facit infidelis nondum renatus, *caro est* : quod autem caro est, Deo est inimicum ; dicit enim Apostolus ad Romanos 8. *Prudentia carnis mors est ; sapientia carnis inimica est Deo ; legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest.*

Respondeo, apud Ioannem carnem sumi pro homine : vt significetur, quod ex homine nascitur, nihil esse aliud quàm hominem ; adeoque vt spiritualis sit & Dei filius diuinæ consors naturæ, & quodammodò Deus, oportere nasci denuò regeneratione illa spirituali, qua nos Deus in Baptismo regenerat : apud Apostolum autem sumitur caro pro homine secundùm carnem viuente, aut pro carne spiritui dominante. Vnde patet, longè alium esse sensum Apostoli.

Quintum argumentum & præcipuum est ex D. Augustino, qui etiam quibusdam nostræ alioqui sententiæ subscribentibus videtur affirmasse, omne opus infidelium esse peccatum : ita enim diuum Augustinum sensisse probabilius existimat Ruardus a. 11. Ex duplici autem capite videtur Augustinus omnia infidelium opera damnasse ; videlicet, aut propter defectum debiti finis, aut propter appositionem mali finis. Prius considerat lib. 4. in Iulianum cap. 3. *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit propter quod fieri debere sapientia præcipit, etiamsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Eodem capite dicit, non esse verè pudicum, qui seruat quidem cõnubij fidem, sed non propter Deum. Idem dicit libro 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 3. de prædestinatione Sanctorum cap. 10. *Non sunt bona opera nisi ex fide.* Posterius considerat de spiritu & littera capite 27. vbi de infidelium bonis

operibus agens, ita scribit: *Si discutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur quæ iustitia debitam laudem defensionémve mereantur.*

Sed respondeo, ex neutro capite Augustinum omnia infidelium opera absolutè damnasse; sed ex priori capite solùm ea reprobasse, tamquam quæ non possint dici vera virtutum opera, eò quòd non sint vtilia ad vitam æternam, etiamsi officio videantur bona, neque homines faciant bonos. Patet hoc: quia aliquando ita loquitur, vt videatur similiter negare aliquam esse virtutem hominis nõ iustificati. Dicit enim in Iulianum suprà, eum qui nõ facit opera bona intentione fidei bonæ, id est eius quæ per dilectionem operatur, habere totum corpus tenebrosum. Secundò, quia eodem capite ita scribit: *Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei gratia, quæ datur per vnum mediatorem Dei & hominũ, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.* Et iterùm: *Ideò veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, id est, hoc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem & veram felicitatem.* Et infrà: *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosint homini virtutes; nullo modo verè possunt esse virtutes.*

Dices, Augustinus defectu vtilitatis ad veram beatitudinem non solùm negat infidelium virtutes esse virtutes; sed apertè dicit, eo ipso esse peccata: *Ipso*, inquit, *non recto fine peccatum est.* Et iterùm eodem capite dicit, quando per fidem non dirigitur opus alioqui bonum, esse tenebrosum, hoc est, plenum nigredine peccatorum.

Respondeo ad priorem locum, Præsupponere ibi Augustinum, quod ferè, quando sine fidei directione infideles operantur, apponãt circumstantiam mali finis: ideoque quod dicit, *Ipso non recto fine peccatum est*; accipiendum est vt sit idem quod peruerso fine peccatum est. Ad posteriorem verò locum respondeo non dicere Augustinum, opus quod fide non dirigitur esse peccatum; sed vbi oculus fidelis deest, totum corpus & congeriem operum esse plenam nigredine peccatorum, quòd nimirum pauca inueniantur in illis, quæ non sint peccata. Ex posteriori autem capite, infidelium operibus officio bonis, non solùm adimit Augustinus rationem veræ virtutis, sed peccati rationem tribuit. Verùm non id omnibus absolutè, sed ferè omnibus, eò quòd vix contingat, sine appositio malo fine ab infidelibus ista exerceri. Hoc manifestum est vel ex ipso loco de spiritu & littera, vbi non dicit non inueniri omnino, sed vix inueniri quæ iustitiæ laudem defensionémve mereantur, si discutiatur quo fine fiant.

Sextum argumentum est ex Prospero. Sententia enim 106. ex Augustino ita dicit: *Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono; vbi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus.* Et in carmine de ingratis cap. 16.

*Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ*
*Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum*
*Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.*

Respondeo ad priorem locum, non esse improbabile, Augustinum & Prosperum vocare peccata omnia infidelium opera, peccati nomen extendendo ad omne illud, quod non ita fit vt profit ad beatitudinem æternam, ad quam prodesse poterat, nisi sterile esset defectu veræ fidei. Ita Bellarminus. Sed ad posteriorem locum illud responderi non potest; quia opus, quà sterile, non mox vertitur in reatum, neque peccato tam latè accepto respondet pœna. Alia igitur est solutio, quæ etiam Augustini plerisque locis poterit seruire, hos Patres existimasse, vix vmquam in infidelium istiusmodi officio bonis operibus abesse vitiosam intentionem. Quæ res si non omnimodam habeat veritatem (vt meritò Augustinus aliquoties insinuauerit, interdum, licet ratiùs, id fallere) moraliter tamen, & quod vix fit non fieri æstimando, ita loqui potuerunt, quasi omnia infidelium opera existimauerint esse peccata.

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm sint plures Infidelitatis species?*

RESPONDET diuus Thomas, esse tres, secundùm tres modos, quibus contingat quempiam reniti fidei. Vel enim renititur fidei numquam priùs à se susceptæ; quæ est infidelitas Paganorum, siue Gentilium: vel renititur quam in figura susceperit; estque infidelitas ista Iudæorum: vel denique renititur fidei quam in manifestatione veritatis se habere profitetur; estque ea infidelitas hæreticorum.

Circa hunc articulum disputatio instituenda est, An rectè diuidatur infidelitas in paganismum, Iudaismum, & hæresim? Non rectè diuidi suadetur Primò: Siue quis temperantiam vmquam habuerit, siue non, eadem specie intemperantiæ peccat: ergo eadem specie infidelitatis peccabit, siue fidem vmquam habuerit infidelis, siue non; ergo non rectè distinguitur paganismus ab hæresi aut Iudaismo.

Secundò, Dictum est 1. 2. peccata distingui specie per obiecta: non ergo rectè distinguuntur species infidelitatis ex parte veritatis à qua recedit-ur; sed potiùs erunt distinguendæ ex parte erroris ad quem acceditur.

Tertiò, Eadem est contrariorum disciplina; fides autem Iudæorum ante Christi aduentum, est eadem specie cum fide Christiana, vt patet ex dictis suprà: ergo infidelitas contra fidem implicitam, quæ est in perfidia Iudæorum; & infidelitas contra fidem explicitam, quæ est in perfidia hæreticorum, etiam erit eiusdem speciei.

Quartò, Fieri potest vt quis ex Christiano fiat paganus, & tunc eius infidelitas erit verè paganismus; neque tamen erit renisus contra fidem numquam susceptam. Rursus fieri potest, vt hæreticorum filij verè sint hæretici, etiamsi numquam receperint Catholicam fidem; non ergo rectè dicitur paganismus esse contra fidem numquam receptam, hæresis autem contra receptam.

Quintò, Etiam in Iudaismo ante Christum, quando vera erat ipsorum fides in venturum, erant hæreses: non ergo rectè dicitur tunc demum esse hæresis, quando receditur à fide recepta secundùm manifestationem lucis Euangelicæ.

Sextò, Prætermissa videtur perfidia Herodianorum, qui Herodem pro Christo receperunt, vt testatur Epiphanius hæres. 20. Item illa perfidia, qua dicuntur Iudæi recepturi Antichristum pro Christo, secundùm illud Ioannis 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.*

Postremò,



Postremò, Turcismus ad nullam istarum specierum videtur pertinere. Neque enim est paganismus: quia aliquousque recipit veram fidem: imò fieri potest, vt aliqui hæretici, verbi gratia, Manichæi, in pluribus articulis fidem reiiciant, quàm Turcæ, vt fatetur D. Thomas art. seq. Neque est hæresis: quia non profitentur se Christianos: neque Iudaismus, quia non adhærent figuræ contra figuratum.

Respondeo tamen, communem doctrinam diui Thomæ retinendam esse; videlicet hanc esse diuisionem adæquatam, & generis in species. Addo tertiò, probabile esse, quòd sit in species infimas, vt sentit & probat Caietanus.

Pro qua re intelligenda, meminisse oportet eius quod art. 1. dictum est, infidelitatis rationem in eo maximè spectandam esse, quòd quis renitatur fidei per prædicationem propositæ. Itaque secundùm gradus huius contrarij nisus, sumi poterunt infidelitatis species: gradus autem isti possunt sumi secundùm obiectum quod retinendo abiicitur. Sed quia illud obiectum in fide materiale est, & videtur pertinere ad extensionem aut contractionem materiæ fidei, erit quidem adæquata diuisio, quæ hac ratione sumetur; sed forte non erit generis in species. Rectè ergo secundùm hanc extensionem, infidelitas alia dicetur respuere totam fidem, quæ est paganorum: alia partem, idque vel quia figuram Christi retinet, ipso Christo repudiato, quæ est perfidia Iudæorum; vel quia ex fide Christiana retinet quod lubet, aliis reiectis, quæ est hæresis. Itaque accuratiùs alio modo isti gradus renisus sumentur ex parte ipsius abiectionis, quæ maior aut minor est, quo magis aut minùs res quæ abiicitur, fuerit recepta. Vnus ergo gradus erit illorum, qui non profitentur vllo modo se recipere fidem Christianam, cui responderet paganismus. Secundus illorum, qui in figura eam recipiunt, sed figurati veritatem negant; quo gradu sunt perfidi Iudæi, qui sunt Christi propter figuram; aduersarij autem, quia in propria venientem non recipiunt. Tertius illorum, qui profitentur se veritatem Christianæ religionis in manifestatione veritatis per Christum factæ recipere, interim tamen veritatis illius aliquam partem reiiciunt; qui sunt hæretici.

Hoc modo accepta infidelitatis diuisio, non solùm est adæquata, sed etiam in veras species: differentiæ enim specificæ sumuntur secundùm naturam generis. Cùm ergo infidelitatis species per contrariam auditui fidei reluctationem quodammodò absoluatur; species infidelitatis erunt distinguendæ secundùm speciales modos reluctandi fidei: modi autem illi rectè distinguuntur secundùm receptam vel non receptam fidem, vt differat specie infidelitas eius qui fidei quam se recipere profitetur renititur, ab infidelitate eius qui eam non profitetur vllo modo se recipere: sicuti specie differt fornicatio eius qui ex voto profitetur quam Deo promisit castitatem, à fornicatione eius qui non promisit. Sicuti enim qui circumciditur debitor est vniuersæ Legis faciendæ; ita qui profitetur aliquo modo fidem Christi, siue iam nati, siue nascituri, peculiari iam ratione debitor est totius religionis & fidei veræ de Christo recipiendæ.

Laborant hîc quidam, vt vitia infidelitatis ostendant esse secundùm excessum & defectum: quasi paganismus ad sinistram declinet deficiendo, Dei verbum non recipiens; Iudaismus verò & hæresis ad dextram excedendo, vt quæ intellectum de se diuini sensus præsumant: vel quia paganus minus credit quàm oporter; Iudæus verò & hæreticus plus quàm oportet, quando pro verbo Dei illud obtrudunt, quod Dominus non est locutus, ex verbo Dei statuentes errores suos. Verùm ista consideratio magis locum habet in vitiis contra virtutes morales, quàm in peccatis contra Theologicas, quæ per se non consistunt in medio, sed solùm per accidens ex parte nostra, vt docet S. Thomas 1. 2. q. 64. a. 4.

Superest responsio ad argumenta contraria.

Ad Primum respondeo, Non ex eo distingui species infidelitatis, quòd fidem quis habuerit, vel non habuerit; sed quòd eam profiteatur vel non profiteatur.

Ad Secundum, Etiam in hac doctrina distingui species peccati infidelitatis per obiecta, quatenus in eis consideratur renisus ille & repugnantia ad fidem. Renisus enim obiectum est cui homo renititur: in vna autem specie illud est fides recepta; in altera, fides non recepta: quę sunt obiecta, vt sic, specie distincta.

Ad Tertium respondeo; Quamuis Iudæorum vna fuerit fides nobiscum, habent tamen modum diuersum, qui in contemptu specialem parit rationem.

Ad Quartum patet responsio ex dictis. Neque enim dicimus eum esse paganum, qui non habuit fidem, hæreticum autem qui habuit: sed paganum, qui non profitetur se habere; hæreticum, qui profitetur.

Ad Quintum respondeo; D. Thomas de his speciebus infidelitatis loquitur in ordine ad fidem Christianorum, vera alioqui potuit esse hæresis in profitentibus fidem Messiæ venturi; quando ea erat vera, si quis in aliquo errasset, quod tunc in fide quam profitebatur satis erat reuelatum: quo modo errarunt Sadducæi & alij, de quibus Iosephus lib. 13. Antiquitatum cap. 8.

Ad Sextum respondeo, Vtramque illam perfidiam posse reduci ad perfidiam Iudaicam; superinducit enim aliquid falsi erroris fidei in Christum venturum.

Ad Septimum respondeo cum Caietano, Turcismum pertinere ad paganismum. Non enim est larua Christianæ fidei, sicut erat hæresis Nestoriana, ex qua multa habent Turcæ; sed omni modo & ex professo discessio: neque est perfidia Iudaica, quia fidem Christi in figura non profitentur, neque de scriptis Iudaicis plus recipiunt quàm dux ipsorum voluit, sicuti nec de Euangelio.

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm Infidelitas Gentilium seu Paganorum sit ceteris grauior?*

RESPONDET S. Thomas, grauitatem in infidelitate sumi vel ex renitentia, vel ex abiectione. Ex renitentia grauiorem esse illam, quæ plus renititur; plus autem renititur, quæ est contra fidem receptam: sic ergo maximum peccatum erit hæresis, secundo loco erit perfidia Iudaica, tertio & infimo paganismus.

Ex abiectione autem illa erit grauior infidelitas, quæ totam fidem abiicit: atque ita peßima erit paganorum; Iudaismus autem communi hæresi erit peior. Quædam tamen hæreses tam multa abiiciunt, vt etiam hac parte superent malitia Iudaismum: quia verò penitentia magis in culpa spectatur, quàm negatio illa credendorum, simpliciter loquendo hæresis grauior erit ceteris, & Iudaismus paganismo. Neque enim hæreticos iuuabit quòd Legem & Prophetas recipiant, quia de illis dicit Dominus: *Si dixerit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: ejice eos*, &c. Ita applicat hanc Scripturã Isidorus libro 1. Sententiarum cap. 16. per Moysen legem, per Samuelem Prophetas intelligens. Videri potest hac de re Augustinus lib. 21. de Ciuitate, capite 25. Hieronymus in illud Isaiæ 18. *Væ terræ cymbalo alarum.* Confirmatur ex D. Petro 2. epistolæ cap. 2. *Melius erat eis viam iustitiæ non cognoscere, quàm post cognitionem retrorsum conuerti.* Plus vapulat seruus cognita Domini negligens mandata; & scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.

Ierem. 15.
Lucæ 10.
Iacob. 4.

## ARTICVLVS VII.

### *Vtrùm sit cum Infidelibus publicè disputandum?*

DISPVTATIONEM cum hæreticis inutilem & periculosam esse, atque adeò cùm aliunde periculum non cauetur & compensatur, omnino esse vitandam, omnis generis testimoniis probari potest.

In primis, Scripturis sacris. 2. ad Timotheum 2. *Noli verbis contendere, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Vbi Apostolus indicat, nisi magna sit vtilitas, & periculum omne amoueatur subuersionis tam audientium quàm disputantium, non esse cum hæreticis disputandum. Ad Titum 3. iubet idem Apostolus hæreticum hominem deuitari, non post disputationem, sed post vnam, vt legit Tertullianus, aut vt Hieronymus, post vnam aut alteram correptionem. Si enim sæpè corripiatur, aut cum eo multùm disputetur, excitatur vt magis solicitus sit ad perditionem multorum: quare ne pereat, semel aut iterùm corripiendus; vt autem solus pereat, non est pluribus cum ipso agendum. Videri potest Ambrosius in illum locum primæ ad Timotheum 6. *Languent circa quæstiones & pugnas verborum; ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum.*

Secundò probatur ex Patribus; Tertulliano de præscriptionibus cap. 15. & aliquot sequentibus: Irenæo lib. 3. cap. 2. vbi ostendit, hæreticos, præsertim sui temporis Gnosticos, principia ex quibus esset disputatio instituenda, Scripturam & Traditionem pro suo errore impudentissimè deprauare, aut saltem tamquam nullius auctoritatis contemnere. Idem docet Vincentius Lirinensis, libello suo contra hæreses, & Isidorus epistola ad Claudium ducem. Gelasius Papa in Commonitorio ad Faustum: *Nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienæ.* Refertur capitulo Cum quibus 24. q. 3.

Tertiò Probatur rationibus: præcipuæ sunt istæ. Prima est D. Augustini lib. 13. contra Faustũ cap. 12. *Non enim*, inquit, *disputare amant hæretici, sed quoquo modo superare impudentissima pernicacia, vt congregent quæ non pepererunt.* Sanè, vt experientia didici, parum proficitur conferentia quantumuis familiari & suaui, quando obstinati, dum vnum dicis, aliud extra propositum animo voluunt quod opponant, neque vnquam animum applicant vt veritatem discant, sed perpetuò toti sunt in tuenda & propaganda falsitate. quo fit, vt sæpè nesciant quid eis dixeris, præsertim idiotæ (nam quilibet apud eos disputat) qui parum solliciti sunt, vt consequenter loquantur, pro omni arte habentes vnicam pertinacem garrulitatem. Secunda Tertulliani suprà citati: *Scripturæ*, inquit, *obtendunt, & hac sua audacia statum quosdam mouent, in ipso verò congressu firmos quidem fatigant; infirmos cæsiunt, medios cum scrupulo dimittunt.* Tertia, Indignũ est cum illis agere de Scripturis, qui illas solas quas volunt & quomodo volunt recipiunt, vt enim ipsi de Ecclesia scisti sunt, ita vnius capituli sententiam scindunt, inquit Cyprianus de vnitate Ecclesiæ. Quarta ex Clemente lib. 8. Recognitionum, vbi Petrus publicè cum quodã sene disputaturus, dicit, se hoc solum vereri, ne conuictus coram multitudine, senex veritatem præ verecundia non fateatur. Postremò, probatur experientia. Attestantur enim historiæ Ecclesiasticæ, vix vnquam benè succesisse colloquia publica cum hæreticis. Vide Nicephorum lib. 8. cap. 13. Driedonem de sacra Scriptura lib. 2. cap. 3. Ruardum oratione 5. quodlibetica.

Hactenus in genere de incommodis disputationis, maximè publicæ cum hæreticis: quia tamen aliquando licita, aliquando etiam necessaria est eiusmodi disputatio, quædam hîc Propositiones addendæ sunt.

PRIMA PROPOSITIO. Numquam licet cum infidelibus disputationem suscipere, quasi in dubium reuocando articulos fidei: Catholicus enim qui deliberatè de fide dubitat, eo ipso fit infidelis.

Dico, Catholicus: quia benè facit infidelis quando incipit vacillare, an fides Catholica sit vera, & potest disputationem suscipere veritatis inquirendæ causa. Habetur, propositio ex capitulo Maiores 24. q. 1. & Lege Nemo, Codice de summa Trinitate & fide Catholica, quę desumpta est ex edicto Marciani Imperatoris pro confirmatione Concilij Chalcedonensis.

SECVNDA PROPOSITIO. Laico aut indocto non licet suscipere disputationem de fide cum hæreticis. De laico patet cap. Quicumque, de hæreticis in 6. ita enim habet: *Inhibemus quoque ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè vel priuatim de fide Catholica disputare: qui verò contrà fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Glossa dubitat, an per laicum intelligatur illiteratus more vltramontanorum, qui illiteratos vocant laicos, & litteratos clericos, sed immeritò. Quamuis enim ratio inhibitionis ea videatur esse, saltem bona ex parte, quòd communiter laici non sint sufficienter eruditi; neque tamen idcircò liceret continuò laico erudito disputare de fide: nam vt bene Sylvester, verbo Disputare, leges id respiciunt, quòd in pluribus accidit. Deinde canone 64. sextę Synodi, vbi idem laico inhibetur, alia additur ratio quæ numquam



quam cessat; quòd nimirum oporteat laicum ordini à Domino tradito cedere. Adde, periculum esse, ne disputante docto, indocti eius exemplo disputare audeant.

Excipiunt tamen Doctores quosdam casus, quibus concedant etiam laicis disputare de fide. Primus est, Si disputatio non instituatur ad persuadendum ei cum quo agitur, sed solùm exercitij causa: hæc enim non est formalis disputatio, sed solùm materialis, ita Caietanus restringit dictum capitulum. Secundus, Potest etiam deficiente clerico æquè idoneo laicus eruditus disputare, vbi reddendo rationem de sua fide probabiliter fructum suæ disputationis speraret: tunc enim non videtur secundùm verba legis, sed secundùm intentionem agendum. Tertius est, Si disputatio suscipiatur in illis locis, vbi contraria consuetudine dicta lex Ecclesiastica est abolita, sicuti videtur esse in locis vbi hæreses grassantur, vt rectè Valentia: ibi enim res ista redit ad statum legis naturæ, vt si idoneus sit laicus, possit disputare, quando aliud nihil obest. Iuuat hanc consuetudinis præscriptionem, quòd excommunicatio Canonis illius, non sit ipso iure lata, sed à iudice ferenda, præuia monitione, vt annotauit Philippus Francus: sic enim fit, vt ex superiorum dissimulatione facilius consuetudo firmetur.

Extra hos casus disputatio solis clericis erit licita, per clericos etiam comprehendendo Religiosos; ipsi enim in dicto Canone non veniunt intelligendi nomine laicorum, vt obseruant ibi Iuris interpretes.

De clerici sufficienti doctrina, notant Doctores, vt liceat ei de fide suscipere disputationem, non sufficere quòd paris cum aduersario sit eruditionis; facilius enim esse obiicere, quàm plenè soluere, præsertim in materiis fidei, quæ captum naturalis intellectus excedunt.

TERTIA PROPOSITIO. Coram rudioribus, qui nondum sunt ab hæreticis solicitati, non expedit disputare de fide; secùs si iam sint ab hæreticis solicitati, imò tunc aliquando necessarium erit, vt viri idonei, ne indiscreto silentio, vt loquitur Gregorius, fidem prodant, argumenta aduersariorum refellant, quod sæpè Sancti fecisse leguntur, vt Stephanus & Paulus in Actis, imò ipse Christus Ioannis. 8.

Propter seductos etiam vtiliter subinde disputatio instituitur: de his enim licebit accipere illud Apostoli 2. ad Tim. 2. *Seruum Domini non oportet litigare, sed cum modestia corripere eos qui resistunt, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem.* At operę pretium non est disputationem suscipere propter contumaces, præsertim hæresiarchas, qui etiam veritatem agnitam oppugnare parati sunt, & aliquando iuramento se adstringunt, vsque ad mortem errorem suum se defensuros.

QVARTA PROPOSITIO. In disputatione cum hæreticis, abstinendum est à maledictis, contentione, ambitione & iactantia vltra captum auditorum; sed argumentorum vi, & sententiarum pondere agendum. Vide Apostolum prioris ad Corinth. 11. 2. ad Timotheum 2. ad Titum 3. Nazianzenum Oratione de modestia in disputatione seruanda, Gregorium parte 2. Pastoralis capite quarto.

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm Infideles sint compellendi ad Fidem?*

RESPONDET D. Thomas, eos qui numquam fidem susceperunt, non esse compellendos vt fidem suscipiant, sed esse coërcendos solùm, ne contra eam aliquid moliantur: eos autem qui fidem aliquando susceperunt, cogendos esse corporaliter vt eam teneant.

Quatuor præcipua hîc dicenda sunt: De paganis principi Catholico non subditis: De hæreticis subditis: De hæreticis non subditis: Et de paganis subditis.

PRIMA PROPOSITIO. Non potest Princeps ad fidem eos compellere, qui neque sibi sunt subditi, neque fidem vmquam professi: potest tamen eos coërcere, ne fidem impediant. Est communis Doctorum: diui Thomæ hîc, Richardi in 4. distinct. 6. art. 3. quæst. 1. Victoriæ Relectione 5. Castri lib. 2. de hæreticorum punitione capite 14. Soti in 4. dist. 3. art. 10.

Probatur prior pars: Quia eiusmodi potestatem non habet Princeps à iure naturæ, neque ex lege Dei positiua superaddita; aliunde autem habere non potest. Quòd non habeat manendo in iure naturæ, patet: Quia fidei præceptum est supernaturale, ideoque ad eam multò minùs poterit Princeps sibi non subditos compellere, quàm ad seruanda præcepta temperantiæ. Quòd Dei peculiari lege positiua non habeat Princeps hanc auctoritatem, tamquam certum & exploratum suppono. Neque enim Deus semper iubet, quòd semel Israëlitis iniunxit, vt Chananæos idololatras delerent; qui & postea abstinuerunt à similibus bellis inferendis, vbi similis Dei iussio non vrgebat. Quod notandum contra Scotum in 4. distinctione 4. vbi contrarium sentit, & exemplo Israëlitarum probat. Ab Ecclesia autem aut aliunde, Princeps huiusmodi potestatem non habet: Ecclesiæ enim suæ non reliquit potestatem Christus, alia via Gentes conuertendi, quàm per prædicationem, suauem monitionem, terrorem incussum metu gehennæ & futuri iudicij. Marci vltimo: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Non dicit, Condemnabitur à vobis; sed ab illo qui saluos facit credentes. *Quid enim mihi est de illis qui foris sunt iudicare*, inquit Apostolus: *eos qui foris sunt Deus iudicabit.* Itaque eorum condemnationem qui non credunt, credentes debent Deo relinquere, non sibi vsurpare. Matth. 10. iubet suis Dominus ad conuersionem hominum procurandam, sanare ægros, non vulnerare sanos; mortuos suscitare, non viuos occidere. Rursum, si consideres coactionem per mulctas pecuniarias, tantum abest, vt eos velit spolium auferre ab aliis, vt etiam nolit aurum aut argentum circumgestare proprium, aut ab aliis sponte oblatum. Denique in legationem suos Christus subornat omnino pacificam: *Dicite*, inquit, *primùm, Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin minùs, ad vos reuertetur.* Nusquam aliquid violenti prætendit. Quod non intelligentes Iacobus & Ioannes, reprehenduntur, quando eis petentibus vt ignis de cælo descenderet in Samaritanos, non recipientes Christum, dicit Dominus: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis*

Deut. 7.
1. Cor. 5.
Matth. 10.
Lucæ 10.
Lucæ 9.

*hominis, non venit animas perdere sed saluare.* Sanè quantum clementia hîc profit, vel ex eo colligitur, quòd Samaritani citiùs posteà crediderint, à quibus hoc loco ignis arcetur, vt obseruat Ambrosius. Fuissent autem secundùm animum & corpus perditi, si tunc fuissent absumpti.

Suffragantur etiam Concilia & Patres: Toletanum 4. Can. 55. statuit, nemini deinceps ad credendum esse vim inferendam. quod etiam refertur capitulo de Iudæis dist. 45.

Neque respondeti potest, quod voluit Gabriel astipulator Scoti in 4. dist. 4. quæst. 2. istud tolùm prohiberi, tamquam scandalosum: ratio enim quam Concilium subiungit; quòd propriæ mentis conuersione credere oporteat; satis ostendit, ex natura fidei nasci hanc prohibitionẽ, non tantùm ex scandalo. Gregor. lib. 1. ep. 45. & l. 2. ep. 52. *Noua & inaudita est*, inquit, *ista prædicatio quæ verberibus exigit fidem.* Idem habemus dist. 45. capitulo Qui sincera. Consentit Chrysostomus homilia 14 in Matthæum, Augustinus sermone 6. de verbis Domini, Ambrosius lib. 7. in Lucam in illud cap. decimi: *Nolite portare sacculum*, &c.

Ex his colligitur, non licere Christiano Principi indicere bellum idololatris sibi non subditis, vt cogat eos cessare ab idololatria, vt benè contra Alphonsum à Castro docet Molina, de iustitia & iure tract. 2. disput. 106. Licebit tamen eis bellum mouere, si in sacrificiis suis innocentes occidant, etiamsi ipsi innocentes consentirent: pro defensione enim innocentis licet bellum suscipere. Neque refert, quòd immolationi innocens consentiat; quia etiam seipsum volenti suspendere, oportet laqueum eripere. Victores tamen Christiani in huiusmodi bello non poterunt plus sibi vsurpare, quàm æstimationem impensarum & laboris, belli & iniuriæ sibi fortè illatę, nisi in tutelam innocentium, aut alia de causa, etiam temporaliter, regno ipsi expediat administrationem transferri ad Christianum Principem. Quod plerumque vsu venire existimat Molina suprà. Verùm id erit maximè, quando senior Reip. pars ita experierit.

Posterior pars Propositionis probatur; Quia data est Ecclesiæ potestas à Deo, vbique terrarum Euangelium prædicandi: fit ergo ei iniuria, si impediatur prædicatio. A qua iniuria vt cessent infideles, etiam armis coërceri possunt, sepositio scandalo, vt rectè Victoria & Soto suprà citati, non secùs, ac si aliam aliquam in temporalibus bonis iniuriam inferrent reip. Christianæ.

SECVNDA PROPOSITIO. Certum est, posse Principes compellere sibi subditos, vt exteriùs retineant professionem & exercitium Religionis Catholicæ, quam priùs fuerant professi. Fuit aliquando in contraria sententia Augustinus, sed eam mutauit, vt videre licet epistola 48. Probatur, quia isti se iam obligarunt ad seruandam fidem, & potest Ecclesia & Principes ad hanc obligationem seruandam ipsos cogere, & si non seruent, punire: multùm enim huiusmodi mutatione turbatur status Ecclesiæ & Reip. Estque tationi consentaneum, vt caput Reip. habeat potestatem ciues suos continendi in illa vnitate, ad quam semel se ritè obligauerunt. Confirmatur ex 13. cap. ad Romanos: *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Hîc oportet dicant hæreticorum patroni, an eos non habeant inter malefactores.

Dicent hæresim ad mentem pertinere, ideoque non esse contra eam pugnandum gladio materiali, sed gladio Spiritus, quod est verbum Dei.

Respondeo; Si sola mente hæresim foueant, non exteriùs prodant, vtcumque id verum fore: at si quis in hæresis propagationem foras se effundat, non secùs qui blasphemare docet nunc puniri poterit, quàm olim qui blasphemasset. Addo, lege naturæ Principes teneri ad hæreticorum in Rep. sua punitionem, tamquam debitam paci salutique communi.

TERTIA PROPOSITIO. Ecclesia potest cogere quemcumque infidelem, qui fidem semel susceptam reliquit, ad eam denuò recipiendam: Princeps tamen id non potest, nisi sint sibi subiecti, aut fortè ad hoc ab Ecclesia, aut ipsorum Principe fuerit requisitus; coactio enim præsupponit legitimam potestatem.

QVARTA PROPOSITIO. Non licet Principi cogere infideles, qui numquam susceperunt fidem, sibi alioquin subditos, vt fiant Christiani & baptizentur; sed benè, vt desinant blasphemare, & publicè idololatriam in templis suis exercere.

Probatur prior pars ex dicto Concilio Toletano: Iudæi namque quos coëgit ad fidem Rex Sisebutus, erant eius subditi, & tamen Concilium statuit, ne in posterum ita fiat. Extraneos itaque Princeps ne quidem ab idololatria potest compescere extra regnum suum; suos potest, si quidem sint idololatræ, coërcere ab idololatria; si autem sint Iudæi, non similiter sunt impediendi à suis ritibus. Nullos autem cogere potest ad fidem, præter fidei desertores, aut qui sub Christi nomine Christum oppugnant. Si tamen rei sint læsæ maiestatis Iudæi, aut pagani subditi Principi Christiano, adeoque mortem commeruerint, puta ob rebellionem; poterit eis culpa hac conditione remitti à Principe, si religionem Christianam susceperint: quomodo Granatæ aliquando feliciter factum fuisse, narrat Aluarus Gomezius in vita Francisci Ximenij.

Dubitabit hîc aliquis, An sufficiat, natum esse ex Christianis parentibus, vt Princeps possit cogere ad fidem Christianam; an verò requiratur, vt ipsi qui cogantur sint baptizati: verbi gratia, habet Anabaptista filiũ quatuordecim annorum nondũ baptizatũ, an is possit cogi ad Baptismum?

Respondeo, Posse cogi omnes illos, qui profitentur se Christianos, ad Catholicam Religionem à suo Principe, siue sint baptizati, siue non; siue orti ex Christianis parentibus, siue non. Eo ipso enim quo profitentur se Christianos, debitores fiunt vniuersæ legis Christianæ. Si autem qui Iudaismum aut paganismum profiteri pergunt, fuerint baptizati coacti, verè tamen acceperint characterem Baptismi, vt factum est in illis Iudæis, tempore Sisebuti regis; *Oportet*, inquit Toletana Synodus, *& fidem etiam, quam vi vel necessitate susceperunt tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt contemptibilis habeatur.* Si adolescens nõdum baptizatus, sub cura & potestate patris Christiani, paganismum aut Iudaismum profiteatur; cogi potest per Ecclesiam & Principem ad Baptisma: si patriã potestatem iam euaserit, sub pœna mortis non poterit cogi, quamquamuis, ne sit aliis scandalo, possit, & fortè debeat in exilium relegari, aut moderati carceris pœna à publico arceri. Sanè aliquo modo posse puniri, eo ipso quo est natus Christianis parentibus, patet ex Concilio 4. Aurelianensi can. 31. vbi de Christianis natus, à Iudæo domino manumissus vt Iudaismum sequatur, retrahitur Ecclesiastica constitutione in seruitutem.



Iudæi, vt suprà insinuaui, aliter tractandi sunt quàm idololatræ aut hæretici: nam (vt D. Augustinus docet lib. 18. de ciuitate cap. 46.) noluit eos Deus occidi, sed quaquauersum dispergi, vt prædicit Psalmista Psal. 58. quò Ecclesia quæ vbique est, eos Prophetiarum, quæ de Christo sunt præmissæ, testes in omnibus gentibus haberet. Similia habet cap. vltimo lib. 4. & Theodoretus oratione 10. de Prouidentia; qui benè ostendit, etiam ipsorum incredulitatem promouere fidem Christi in Gentibus. Quæ ratio notanda est contra Scotum, qui putat satis fore, si pauci aliquot Iudæi, qui secundùm prophetiam Scripturæ sacræ in fine mundi conuertantur, in insula aliqua conseruentur.

Secundò, Tolerandi sunt Iudæi inter Christianos, ne ad alias gentes dispersi, à salute & conuersione, quæ reliquiis Israel promissa est, reddantur alieni. Est enim eis hæc peregrinatio in emendationem à Domino constituta, vt saltem sic emendati superbire desistant, vt vel in hac dispersione, scelus suum pœnitendo deplorent. Ita ferè diuus Hieronymus in Psalmum 58.

Denique de Iudæis non persequendis extat epistola Gregorij 34. lib. 1. item alia 15. lib. 11. vbi permitti eis vult, vt celebrent suas ferias & festiuitates; quod inde relatum reperitur dist. 45. cap. Qui sincera.

Ceterùm de quibus delictis Iudæi, aut alij infideles inter Christianos tolerati, sint puniendi; videre licet Decretalem Gregorij XIII. titulo De Iudęis lib. 7. Decretalium.

Illud etiam hîc consideratione dignum, quod in libello suo ad Concilium Constantiense, proponit Petrus de Aliaco, & in sermone ad idem Concilium Ioannes Gerson; An rectè faciant Christiani Principes, qui Iudæis dant locum in Christianorum ciuitatibus, non eos compellendo ad artes mechanicas, agriculturam & seruitia Christianorum; sed permittendo vt exerceant damnabiles vsuras, sibi in peccatum, Christianis in spolium?

Posterior pars Propositionis probatur, Quia potest Rex subditos suos cogere ad seruandam legem naturæ. Sic Constantinus iussit claudi omnia templa paganorum, vt patet Lege Nemo, Codice De paganis, laudata ab Ambrosio epistola 30. & Augustino epistola 48.

Nota tamen, non posse Principem paganorum sibi subditorum idololatriam punire, nisi postquam ipse eam prohibuit: deinde non semper expedire, vt ea potestate vtatur.

Quæres, An Princeps infidelibus regni sui mandare possit sub moderata aliqua pœna, vt intersint concionibus Christianis semel in mense aut septimana?

Banesius putat, infideles posse cogi à suo Principe, vt saltem semel audiant Euangelium: quod credo verum esse, sepositio scandalo. Sanè sub pœna exilij quidam Principes cogunt Iudæos certis temporibus interesse Christianæ concioni; quod vel eo nomine videtur licitum, quia iidem Iudæi, ne sint aliis scandalo, possint vel regno eiici, vel in commodiori loco constringi. Hoc ergo ne ipsis fiat, censentur redimere, audiendo Christianas conciones. Similiter licebit Principi imponere iusta aliqua tributa & onera Iudæis, quæ se promittat remissurum, si conuertantur: sic mulctis Paulus III. & alij Pontifices ad fidem Iudæos inuitarunt.

Contra Propositionem nostram obiicit Scotus, *In 4. dist. 4. Concl. vlt.* Etiam ipsis infidelibus minùs esse malum, si non sinantur impunè legem suam seruare.

Secundò, Etiamsi initio non verè conuerterentur, & pro apertis hostibus fictos haberemus Christianos; ex illis tamen tandem in tertia saltem aut quarta generatione veros futuros fideles, modò filij eorum benè educentur.

Tertiò, Concilium Toletanum laudasse Sizebutum Regem, tamquam religiosissimum Principem, itaque commendasse quòd coëgerat Iudæos ad fidem.

Quartò addi potest ex cap. 14. Lucæ, *Exi in vias & sepes, & compelle intrare.*

Ad primum & secundum respondeo; Non sunt facienda mala, vt eueniant bona, aut minùs mala; idque multo minùs, quando incertum est, an sint euentura bona illa, aut minùs mala; hîc autem incertum est: nam vt benè Richardus, potiùs contraria & peiora timenda sunt, ne quos sermo pacificus corrigere poterat, alienet à fide indiscreta compulsio: vel vt Gregorius suprà citatus, lib. 1. epist. 34. *Ne quos dulcedo prædicationis, & pretentus futuri iudicis terror ad credendum inuitare poterat, minis & terroribus repellantur.* Et vt ait idem altero loco suprà citato, *Ne mentem illorum procul pellat aduersitas compulsionis.*

Ad tertium, Commendat Synodus Sizebutum tamquam religiosissimum Principem, titulo Regibus Christianis communi: quia tamen zelus eius excessit, & non fuit secundùm scientiam; factum ipsius non commendat, sed ne ita in posterum fiat, prohibet.

Ad quartum variis modis responderi potest. Vno ex Augustino epistola 50. illud accipiendum esse de solis hæreticis & schismaticis, qui dicuntur esse in viis & sepibus. Altero ex D. Thoma q. 22. de veritate a. 9. ad vltimum, compulsionem generaliter accipiendam esse, vt extendatur ad eam quæ est per argumenta fidei. Addit Euthymius, significari vehementiorem & constantiorem adhibendam esse prædicationem, vt tandem resipiscant altiori somno infidelitatis oppressi. Tertiò ex Beda & Richardo suprà, Iansen. cap. 91. Concordiæ, compulsionem illam posse intelligi eam, qua Deus per aduersitates aliquos peccatores conuertit.

## ARTICVLVS IX.

### *Vtrùm cum Infidelibus possit communicari?*

RESPONDEO cum D. Thoma, Duplici de causa negari communionem cum infidelibus; ad cautelam fidelium, & in pœnam infidelium. Priori modo vitandos esse Iudæos & paganos ab infirmis Christianis, non autem à firmioribus, quibus non imminet peruersionis

sionis periculum: posteriori modo ab omnibus esse vitãdos hæreticos & apostatas. Priorem causam indicat Apostolus prioris ad Corin. 5. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* posteriorem 2. ad Thessal. 3. *Ne commiscearmini cum illo vt cõfundatur.* & 1. ad Timoth. 1. *Quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.*

Notandum tamen, nunc etiam notorios hæreticos ex posteriori capite non esse necessariò vitandos, quasi propter legem positiuam, nisi sint specialiter denuntiati à legitimo Iudice, per moderationem Concilij Constantiensis, quam hoc sensu in vsu & praxi receptam & recipiendam esse docet Suarez de Censuris disp. 9. sectione secunda.

Addidi (quasi propter legem positiuam) quia tales semper sunt vitandi, quantum ius naturale exigit.

Dubium hîc est, An liceat Christiano vendere infideli agnum, thus, & similia, quibus scitur abusurus in cultu suæ infidelitatis.

Respondeo; Quando res sunt tales, vt non habeant communiter alium vsum, quàm in exercitio infidelitatis, non licebit eas vendere: quando autem etiam alium vsum habent, cum distinctione respondendum est ex Siluestro, verbo Infidelitas. Si enim sit causa rationabilis, propter quam, præciso illo abusu infidelitatis, venditurus es infideli, verbi gratia, propter notabilem tuam vtilitatem aut necessitatem; non teneris omittere eiusmodi venditionem, etiamsi præscieris abusum: secùs si non sit tibi vtile multùm, aut necessarium, aut aliam non habeas rationabilem causam. Ratio Siluestri est, quia possum meæ vtilitati & necessitati consulere, etiamsi videro, ex malitia alterius inde secuturum aliquod peccatum, modò ego immediatè non cooperer illi, quod natura sua peccatum est. Cuius conditionis defectu addit Siluester, non licere à mago petere, vt soluat maleficium, si facturus id sit nouo maleficio. Cum Siluestro sentit Asorius lib. 8. moralium, cap. 22. qui benè monet, non esse eamdem rationem veneni quo Iudæus sit abusurus in alicuius perniciem.

Illud hîc addendum est de Iudæis, multos esse casus, in quibus per ius positiuum interdicta sit cum illis communio. Neque enim licet Christiano cum illis habitare, comedere, balneum intrare; non licet eis tamquam medicis vti, aut medicinam ab eis accipere; non licet eorum filios domi nutrire, aut azymis ipsorum vesci, neque vllo seruitutis vinculo eis subesse. Quæ omnia colliguntur ex capitulo Nullus, & capitulo Omnes 28. quæst. 1. Ceterùm quàm sit Christianis etiam quoad temporalia incommoda consultum, abstinere à conuersatione cum Iudæis, ex professo neque infeliciter ostendit libro eius argumenti edito quidam recentior scriptor, licet extra Ecclesiæ castra militans.

## ARTICVLVS X.

### *Vtrùm Infideles possint habere prælationem seu dominium super Fideles?*

CERTVM in primis est, infideles iure diuino non priuari priùs obtento dominio, eo ipso quo fit Christianus qui ipsis suberat. Ita docet Augustinus in Psal. 125. Dicit enim, Christum non tam ex seruis suos facere liberos, nimirum à seruitio temporali dominiorum infidelium, quàm ex malis seruis seruos facere bonos. Idem docet Apostolus Rom. 13. ad Colossen. 3. & ad Titum 2. & Petrus 1. c. 2. Ideò autem sacri Scriptores & Patres diligentiùs istud inculcarunt; quia Gentiles opinionẽ habebant de nostris, quòd liberos sese assererẽt à potestate humana; fortè quia primi discipuli plerique ex Galilæa erant, vnde erat & ille Iudas seditiosus, de quo Actorum 5. capite.

Dico Secundò, Potest Ecclesia impedire, ne infideles de nouo præficiantur fidelibus, propter periculum, ne fortè auctoritate dominiorum alienentur à fide, & scandalum oriatur contra fidem, quando domini cognoscunt defectus subditorum fidelium. Quò pertinet, quòd Apostolus increpet fideles, qui iudicio contendebant apud infideles. Potest ergo Ecclesia Iudæos & alios infideles arcere ab omni magistratu & officio publico inter Christianos, ne occasio eis tribuatur, Christianis pœnam aliquam inferendi. Ita de Iudæis constituit Concilium Toletanum tertium, canon. 14. Matisconense primum, can. 8. & Aruenense can. 5. Paulus IV. statuit, vt Iudæi non possint habere bona immobilia inter Christianos, aut ex Christianis nutrices, seruos, aut ancillas. Quod etiam decretum fuit in Concilio Basileensi sess. 19. vbi similiter cauetur, ne Iudæi admittantur ad publica officia vel gradus scholasticos.

Inhibet etiam Iudæis idem Paulus, ne se à Christianis pauperibus dominos vocari patiantur. Ne mancipia Christiana habeant, constitutio antiqua est, tam Legum quàm Canonum. Gregorius ad Brunichilden reginam Francorum l. 7. epistola 113. *Ne*, inquit, *membra Christi hostibus calcanda permittantur.* Vide appendicem Concilij Lateranensis sub Alexandro III. præcipuè parte 20. vbi ex professo plura de hac re collecta habentur: Toletanum 12. can. 9.

Vt possint à Christianis redimi Christiani serui Iudæorum, statuit Concilium quartum Aurelianense: vt autem redimi possint duodecim solidis singula, quantumuis bona mancipia, Matisconense primum, canon. decimo sexto. Imò ferè talia digna supplicia à Christianis passi sunt iam inde à destructis Ierosolymis Iudæi. Nam vt Clemens scribit, & interpretatur Turrianus lib. 6. constitutionum Apostolicarum cap. 24. fideles Romani, qui erant de Cæsaris domo, iam inde ab initio Iudæos coëgerunt conferre tributum, & eos legibus suis vti non permiserunt: vt meritò Iudæi, quando Romanis, destructa Ierosolyma seruire cœperunt, facti videantur serui Christianorum.

Concilium Lateranense sub Alexandro III. parte 1. can. 26. dicit, quòd Iudeos oporteat subtacere Christianis, & ab eis pro sola humanitate foueri. Idem voluit D. Thomas quando dicit, Iudæos esse seruos Ecclesiæ. Astipulatur Glossa in capitulum Consuluit, de Iudeis, quæ dicit, Constantinum libertatem contulisse Ecclesiis, & Iudeos seruituti subiecisse. Idem habet Innocentius III. capitulo Etsi Iudeos, Extra. de Iudeis.

Sed benè obseruat Suarez in tract. de Baptismo, disput. 25. sect. 5. Iudeos non esse propriè mancipia Christianorum; sed seruiliter tributarios, & hoc sensu seruos.

Dico



Dico tertiò; Quamuis ab infidelium aliorum, qui nec Iudæi nec hæretici sint, dominio non possit directè fideles Ecclesia eximere, eò quòd in illos non habeat potestatem, sicut in Iudeos & hæreticos: potest tamen indirectè Christianos eorum potestati subtrahere, si certò constet, non nisi magno fidei periculo infideles præesse. Habet enim ius procurandi media necessaria salutis, & amouendi contraria impedimenta.

Dico quartò; Quando non subest, neque subfuturum timetur periculum subuersionis fidei ex principatu Gentilium, qui nullo modo Ecclesiæ subsint; non habet ipsa potestatem, Christianos solùm propter dignitatem nominis Christiani, eximendi ab ipsorum dominio, etiamsi aliàs sine scandalo id posset. Videtur contrarium sentire Valentia; sed tenet nobiscum Durandus in secundum dist. 44. quæst. 3. art. 2. Fortè tamen casus ille vix potest euenire, vt nullum omnino timeri debeat, ne quidem in futurum, periculum auersionis à fide, ex infidelium principatu: & hoc poterit dici considerasse D. Thomas, quando hîc in corpore videtur fauere contrariæ sententiæ, vt solùm voluerit, propter hoc periculum, quod numquam satis remouetur, Ecclesiam posse statuere, ne Christiani subsint Principi infideli, ad hoc iuuante, quòd infidelis mereatur priuari dominio suo, & Christiani dignitas postulet, ne infidelibus subsit. Quamuis verò hoc cum D. Thoma de rigore dicamus Ecclesiam posse; non tamen dicimus, subditos eodem casu, propria auctoritate se posse à dominio sui Principis subtrahere, aut seruos fugere posse à dominis suis infidelibus.

## ARTICVLVS XI.

### *Vtrùm Infidelium ritus sint tolerandi?*

RESPONDET D. Thomas, Mala illa posse à Principe dissimulari, quæ impediri non possunt, nisi impediantur maiora bona, & eueniant maiora mala: ideoque quando ex impeditis ritibus infidelium vel magnum scandalum, vel dissidium, vel impedimentum salutis eorum qui paulatim sic tolerati conuertuntur ad fidem, sequeretur, eos posse tolerari.

Dico itaque Primò; Inter ritus infidelium, Iudaici faciliùs sunt tolerandi. Probatur, quia minùs nocent Christianæ religioni: hactenus enim prosunt, quòd figuram eorum quæ credimus contineant. Ideò & Gregorius lib. 11. epistola 15. suprà relatus, permitti vult Iudæis, vt celebrent suas ferias & festiuitates. Aliquando tamen, ne essent scãdalo fidelibus, in suis ritibus & festis celebrandis leguntur Iudæi à Christianis impediti; & meritò in illis ritibus omnino impediuntur, quos excogitarunt in odium Christianæ religionis, de quo videre licet capitulum Etsi Iudæus, Extra. de Iudeis. Huc pertinet quod etiam per miraculum prohibiti sunt Iudæi à suis ritibus: tempore enim Iuliani diuinitus prohibiti sunt ne restaurarent templum Ierosolymitanum. Testis Cassiodorus in Tripartita lib. 6. cap. 43. Ab Apostolica etiam Sede constitutum est, ne eis liceat plures habere synagogas in vna ciuitate, aut nouas vsquam ædificare, aut eam, quæ permittitur, ampliare. Extra. de Iudæis, capitulo Iudæi, & capitulo Consuluit.

Dico Secundò; Princeps Christianus potest in suis terris tolerare ritus paganorum & Sarracenorum, quando eos impedire non potest sine graui aliqua iactura boni publici, aut speratur eorum conuersio per tolerantiam: quo modo olim Christiani Imperatores ethnicos tolerarunt. Excipiendi tamen illi ritus, quos fortè nec veteri sectæ congruos nouos excogitauerint: illos enim tolerare, indignum est Principe Christiano.

Dico Tertiò; Quando magna id postularet ratio, liceret Principi Catholico, etiam hæreticis concedere publicum exercitium religionis, secundùm suam sectam. Ita hîc videtur sentire D. Thomas. Eritque potissimùm id verum, quando hæretici multa loca munita occuparunt, in quibus & ex quibus multos corrumpunt, admissuri in illis exercitium religionis Catholicæ, si aliqua ipsis Ecclesia relinquatur. Quod confirmatur exemplo Athanasij, quem narrat Theodoretus lib. 2. capite 12. obtulisse Arianis vnam Ecclesiam Alexandrię, modò vicissim ipsi vnam Catholicis vellent concedere Antiochiæ: atque eo modo Constantio Imperatori satisfecisse. Sanè etiam Concilium Basileense sess. 4. concessit Bohemis, vt Basileę in suis hospitijs suo ritu diuina celebrarent.

Difficiliùs tamen hæreticorum ritus quàm aliorum infidelium esse tolerandos, colligitur non solùm ex ratione naturali, quia periculosius sit illud mali; sed auctoritate Concilij Lateranensis, in quo Innocentius III. voluit Principes Christianos sub pœna excommunicationis compelli, ad exigendum è terris suis pro virili hæreticos vniuersos ab Ecclesia denotatos; vt videre licet capitulo Excommunicamus. §. Moneantur, de hæreticis.

## ARTICVLVS XII.

### *An pueri Iudæorum & aliorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi?*

RESPONDET negatiuè: quod notat Azorius etiam tunc verum esse, quando parentes in infidelitate infantes educaturi, non ex animo eis flagitarent Baptisma, sed solùm ne corpora eorum fœteant, aut ne à dæmonibus vexentur: quomodo dicit ex Siluestro, Sarracenos nobiles factitare solere. Ita ille lib. 8. cap. 25. quæst. 6.

Contrarium quoad infantes sic oblatos, est probabile, videlicet tales licere baptizare, etiamsi tunc ex tempore non occurrat modus, quo impediri parentes queant ab infideli educatione: alioqui videbitur cuipiam consequens fore, quòd non esset baptizandus filius Catholicorum parentum, si necessitas similis efficiat, vt relinquatur educandus infidelibus. Verùm decisio huius dubij, vt & totus iste articulus, pertinet ad materiam De Baptismo, vbi latiùs tractari solet.

QVÆ-

# QVÆSTIO VNDECIMA.

## De Hęresi.

## ARTICVLVS I.

*Vtrùm Hæresis sit infidelitatis species?*

## ARTICVLVS II.

*Vtrùm Hæresis sit propriè circa ea quæ sunt fidei?*

### MEMBRVM I.

*De nomine Hæresis.*

HÆRESIS electionem significat, atq; etiam vt infidelitatis speciem denotat, ab eligendo nomen suum habet. Testis Tertullianus cap.6.de Præscriptionibus: *Hæreses dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis siue ad instituendas siue ad suscipiendas eas vitur. Idèo & sibi damnatum dixit* ( Apostolus ) *hæreticum , quia & in quo damnatur, sibi elegit.* Idem testatur Hieronymus in caput 5. ad Galatas, Isidorus Originum lib.8.cap.3.

Sed quæ electio hæresi nomen dedit? Respondeo; Quia eligunt quid de fide Christiana retineant, quid ve abijciant. Ita sentit D. Hieronymus; qui monet, in alijs disciplinis profanis hæresin seu electionem licere, in fide autem Christiana vitio verti. Indicat aliam rationem D. Thomas, quasi hæresis circa fidem benè intendat, quia intendit credere Christo; quo differt à paganismo & Iudaismo; sed malè eligat, quia deficit in illis eligendis, quibus Christo credat. Vtraque ratio ferè redit in idem: prior tamen videtur verior & simplicior; inde dictam esse hæresin, quòd, cùm propter Dei auctoritatem credendum sit, ideò potiùs credatur illud præ isto, quia lubet vnum potiùs eligere, quàm alterum.

Opponitur apertè hac ex parte hæresis Prophetię, id est fidei per Prophetas traditæ, de qua dicit Petrus epist.2.cap.1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia.* Hęresis enim electione voluntatis humanę allata est. Similiter Catholicæ fidei opponitur; quia, vt Isidorus dicit ex Tertulliano, *Nihil arbitrio nostro eligere debemus in rebus fidei: Apostolos enim Dei habemus auctores, qui nec ipsi quidquam, quod ex arbitrio suo inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo doctrinam rationibus fideliter assignarunt.*

Itaque in rebus fidei vsus Ecclesiasticus obtinuit, vt hæresis nomen ferè non nisi in vitio sumatur. Actor. c. 5. *Quæ est hæresis Sadducæorum.* Et c. 11. prioris ad Corinth. *Oportet hæreses esse.* Quo fit, vt Christiani non patiantur fidem Christi hęresim appellari, quamuis ab aduersarijs aut externis ita sit appellata, Actor. 24. Ita vocatur à Tertullo, quando Paulum dicit auctorem sectæ (Gręcè, hæreseos) Nazarenorum. Quod reijciens Paulus infrà, *Secundùm sectam*, inquit, *quam dicunt hæresin, sic deseruio Patri, & Deo meo.* Vbi loco *sectæ*, melius Gręcè est, via; nam etiam secta in malam partem sumitur, & pro hęresi vsurpatur etiam apud ipsum vulgatum nostrum interpretem, ad Galat. cap. 5. & hoc ipso capite Actorum 24. num. 5. Excusari tamen potest interpres, quando sectam pro via posuit; quia solet sectę nomen potiùs quàm hæresis extendi ad disciplinas, vt secta sit certa quædam & ab aliis distincta disciplinæ via. Vnde factum est, vt Tertullianus & Cyprianus religionem nostram sectam interdum appellauerint. Philo Iudęus fidem Christianorum hęresim appellat apud Eusebium l. 2. histor. capite 17. sed apud nostros non ita appellari, testatur Theophylactus in cap. 2. ad Colossens. & in cap. Actor.24.

Apud profanos tamen Auctores, hęresis nomen in bonam aliquando partem vsurpatum reperitur; vt apud Ciceronę paradoxo 1. imò & S. Scriptura illud tribuit doctrinę etiam verę, sed veteris Testamenti, Act.26. *Secundùm certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.* Gręcè est αἵρεσις. & secundùm quosdam, idem dicendum Act. 15. *Surrexerunt autem quidã de hæresi Pharisæorum.*

Volunt nonnulli, nomen hęretici in 6.Synodo can.72.sumi pro infideli qui nullo modo se Christianum profiteatur, quando decernitur, nuptias Catholici cum hęretica esse irritas. Sed dicunt alij, inter quos Couarruuias in 4. Decret.2. p. capite 6.§.11.num.4.& Turrianus lib.de actis sextæ Synodi non esse certam illius Canonis auctoritatem. Hoc satis constat, non esse sextæ Synodi illos Canones: dicit enim Tarasius in 7.Synodo actione 4. esse editos non sub Constantino, cuius tempore fuit sexta Synodus; sed quatuor aut quinque annis post sextam Synodum sub Iustiniano Constantini filio. Quamuis autem in annorum numero reprehendat Tarasium Turrianus; post sextam tamen Synodum editos esse hos Canones, & non esse Oecumenicæ auctoritatis, sufficienter probat: itaq; in Canonis huius explicatione non est laborandum: certumq; existimo, non dici solidè vocē (hęretici) inusitato illo modo ibi accipi.

Apud Gratianum Canone, Quod autem 4.quęstione 1. videntur excommunicati dici hęretici. Sed hoc accipiendum est eo sensu, quòd æquiparentur hæreticis in eo, quòd arceantur à ferendis testimonijs contra Orthodoxos, præsertim in Episcopos, & similibus.

MEM-



### MEMBRVM II.

*Quòd ad hæresim requiratur error, & qualis.*

HÆRESIS non potest constare sine errore ex parte intellectus, ita vt proximum quidem ipsius genus sit infidelitas; remotum autem error. Quod confirmatur in primis ex communi modo loquendi, & sensu omnium: nemo enim hæresim ponit, nisi in falso dogmate, eóque non quouis, sed circa fidem.

Contrà tamen obijcitur ex cap. 11. prioris ad Corinth. Vbi enim nos habemus, *Nam oportet & hæreses esse*; Chrysostomus contendit, hæresis nomine, non opinionum, sed animorum significari dissidium. Ita in illum locum homilia 26. & alia peculiari homilia in idem illud dictum Apostoli, *Oportet hæreses esse. Dic quæ illæ hæreses? hic attendite, quòd non de articulis fidei dictum est, Oportet inter vos hæreses esse; sed de discordia & sectis circa mensam.* Iuuat hùc sensum quòd Græcè sit, *Oportet etiam hæreses esse in vobis*; quò magis significetur, pertinere ad dissidia de mensa, de quibus ex instituto tunc agebat. Chrysostomum sequitur Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus.

Respondeo, Ita quidem voluisse Chrysostomum cum sua schola; sed verius esse quod alij voluerunt, hæreses ibi accipi pro erroribus circa dogmata. Ita Beda, Anselmus, Primasius & alij in illum locum, Hieronymus in cap. 12. Ieremię, Augustinus lib. 12. contra Faustum cap.24. Tertullianus de præscriptionibus cap. 39. *Nec pericli tor dicere, ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materiam subministrarent, cùm legam, Oportet hæreses esse, quæ sine Scripturis esse non possent.* Cyprianus lib. 3.ad Quirinum cap. 93. *Prædictum quòd hæreses futuræ essent, in epistola Pauli ad Corinth. 1. Oportet & hæreses esse.* Facit pro hoc intellectu coniunctio &, vt sensus sit; Credo esse scissuras, quod mirum non est, cùm oporteat & hæreses esse.

Dici potest Secundò, Etiam Chrysostomi sensum nobis non repugnare. Ipse enim solùm vult, Apostolum ibi hæreses impropriè accepisse; quomodo facilè admiserimus, solius affectus dissidium, posse hæresis nomine appellari.

Obijcitur Secundò; Dubius in fide, infidelis est, vt dicit Stephanus Papa de hæreticis cap. 1.& habet idem Hieronymus in caput 12. Habacuc. Dubius tamen nondum errat: sicuti à scopo non errat qui iaculum non mittit, sed suspendit; datur ergo hæresis sine errore.

Respondeo, Dubium in fide, esse infidelem, sed non continuò esse hęreticum: hæresis enim dicit perfectam mentis adhæsionem, adeoque perfectum errorem, & contrariatur assensui fidei, non tam vt certus, quàm vt verus est. Reducitur itaque ista infidelitas dubitantis ad hæresim, sicut imperfectum ad perfectum, si non dubitet an sit sibi relinquenda professio Christianismi: tunc enim, si dubitaret an melior sit Iudaismus an paganismus; pertineret ad inchoatum Iudaismum aut paganismum.

Quærit Valentia, An huiusmodi dubius debeat dici infidelis contrariè, an tantùm priuatiuè?

Responderi poterit, In fide duo reperiri, certitudinem & veritatem. Si spectetur certitudo; dubitatio repugnat fidei contrariè, non solum moraliter, sed physicè: si autem veritas; physicè quidem dubius solùm est infidelis priuatiuè, moraliter tamen etiam contrariè, quatenus non venit in dubitationem deliberatam, nisi per contrarietatem quamdam voluntatis, saltem interpretatiuam ad obiectum fidei sufficienter propositum; & per dubitationem exponit se periculo contrarij assensus, si pro eo rationes occurrerent: exponit enim se omni doctrinæ vento circumferendum, semel depositio dubitationis repagulo, credulitatis affectu, quo intellectus captiuabatur in obsequium fidei.

Obijcitur Tertiò; Si quis sola opinione teneret ea dogmata fidei Catholicæ, in quibus dissentiunt Caluinistæ, verè is potiùs esset Caluinista, quàm Catholicus; non haberet tamen errorem; ergo potest esse hæresis sine errore.

Respondeo; Azorius putat, talem, si in opinione illa sit pertinax, esse hæreticum, eò quòd opinetur & pertinaciter credat, posse esse verum contrarium eius, quod fides docet. Quæ sententia nobis hactenus non aduersatur: quia vt ostendat talem esse hæreticum, ostendit ipsum habere in fide errorem. Viderur tamen dicendum, talem non esse propriè hæreticum, quamuis incurrat peccatum infidelitatis contra præceptum fidei. Sicuti enim opinio opponitur quidem scientiæ, sed non est error scientiæ contrarius, etiamsi per eam quod sciendum erat, aliter se posse habere putetur: ita etiam opinio de rebus fidei, aliàs non falsa, opponitur quidem fidei, sed non est contrarius error: quamuis enim non dicat necessariò aut infallibiliter ita se habere; dicit tamen ita se habere, & fides non dicit aliud: nam quòd non possit se aliter habere, hoc non est id quod directè fides dicit, sed potiùs inde resultat, quia fides dicit. Deficit ergo sic opinans in exercitio perfecti assensus, non autem errat circa obiectum assensus, nisi fortè errore facti potiùs quàm dicti; actu potiùs exercito, quàm significante; practicè potiùs quàm speculatiuè.

Obijcitur Quartò; Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, vt dixisse D Hieronymum refert Magister lib. 4. dist. 13 & vt dicit Glossa in capitulum, Hæc est. 24. q. 1. *Propter solum dictum censetur quis hæreticus*; ergo potest incurri hæresis sine sensu erroneo.

Respondeo; Melchior Canus l. 12. de locis c. 9. putat illam sententiam non esse D. Hieronymi: imò si ea significetur, sufficere ad hæresim verba inordinata, sine erroneo sensu; manifestè repugnare D. Hieronymo in epistola ad Damasum de tribus hypostasibus, & D. Hilario lib. 2. de Trinitate, vbi dicit, *De intelligentia hæresis, non de Scriptura orta est; & sensus, non sermo, sit crimen.* Ceterùm, vndecumque ea sententia sit deprompta, hactenus vera erit, vt interpretatur D. Thomas in illam distinct. Quòd verba inordinatè prolata, sint caussa & occasio erroris; quamuis in eis per se hæresis non consistat. In foro etiam exteriori suspectus redditur de hæresi, qui inordinatè loquitur de rebus fidei: alioquin hæresim sapere, & malè sonare potiùs dicendus est huiusmodi sermo, quàm esse hæresis. Præsumptio enim illa ex verbis ( vti etiam ex factis quibusdam ) est de errore mentis: nemo enim existimandus est dixisse, quod mente non cogitauit; & ex fructibus arbor,

ex operibus hæreticus cognoscitur. Si quis ergo crimen ore vel opere admittat, ad quod non facilè censebitur impulsus, nisi quia hæresis errorem animo fouet; is ex dicto vel facto præsumetur meritò hæreticus. Hoc etiam modo Simonia dicitur hæresis: quamuis & alias huius rationes producturi simus in tractatu De Simonia.

Obijcitur Quintò; Si quis putet Romanam Ecclesiam definire quod non definit, & contrarium teneat, etiamsi non sit falsum, erit hæreticus.

Respondeo cum Lælio, talem non esse hæreticum sine errore; quia saltem in eo errat, quòd putet Ecclesiam errare.

Obiicitur Sextò; Si hæresis sit error, nemo potest esse hæreticus, qui fateatur aut iudicet se esse hæreticum.

Respondeo ita esse: si enim iudicet esse errorem quem tenebat, iam desinit eum tenere. Oportet ergo qui hæreticus est, ignoret se errare, alioquin non errat: quia agnitus error, non constituit errantem: neque tamen inuincibiliter illud ignorabit, alioquin enim non esset pertinax.

## MEMBRVM III.

### *Ad hæresim requiri professionem Christianismi.*

Qvi errat in fide, non dicetur hæreticus, nisi retineat professionem nominis Christiani: hoc enim differt hæresis ab apostasia. Quocirca rectè Siluester verbo Hæresis 1. requirit ad hæreticum, vt credat aliquem articulum de humanitate aut diuinitate Christi. Non videtur tamen omnino requiri, vt sit baptizatus: potest enim quis ex Catechumeno fieri hæreticus; imò ex Turcismo, paganismo, aut Iudaismo immediatè transire ad hæreticos, qui vel Baptismum non recipiunt, ad metaphoram detorquentes, quod Christus de eius necessitate dixit; vel in aqua non baptizant, sed alio superstitioso ritu Christi sacris initiantur, vt Iacobitæ in igne.

Sufficit itaque professio nominis Christiani, non solùm vt coram Deo quis hæreticus sit, sed etiam vt talis habeatur ab Ecclesia; quamuis prius tantùm admittat Azorius, & verum sit quoad censuras Ecclesiæ, eum solum illas incurrere per hæresim, qui fuerit baptizatus. Confirmatur hoc ex Augustino lib. 18. de Ciuitate c. 51. vbi hæreticos definit, qui sub vocabulo Christiano, doctrinæ resistunt Christianæ. Poterit tamen dici, quòd sicuti fidelium nomine solent censeri soli baptizati: ita profiteri Christianam fidem, vt hæretici dici queant, ordinariè solos illos censeri, qui vel verè fuerint baptizati, vel pro talibus vulgò habentur.

## MEMBRVM IV.

### *An præter errorem in fide, hæresis requirat pertinaciam, & qualem?*

Pertinaciam ad hæresim requirunt omnes Doctores veteres & recentiores, & requirit capitulum Dixit. & capitulum Qui in Ecclesia. 24. quæst. 3. vtrumque desumptum ex Augustino. Prius enim capitulum dicit, non esse hæreticos, qui hæreticam quam tenent opinionem, non pertinaciter defendunt; præsertim si eam sua temeritate non ipsi inuenerint, sed à parentibus seductis acceperint. Clementina vnica de summa Trinitate, tum demum, qui dixerit animam rationalem non esse formam corporis humani, declarat hæreticum esse censendum, quando pertinaciter id tenet. Similiter loquitur Clementina Ex graui, de vsuris, de eo qui affirmare præsumpserit, exercere vsuras non esse peccatum.

Supposito itaque quòd ad hæresim requiratur pertinacia, dubitatio magna est inter Doctores, qualem oporteat esse hanc pertinaciam.

Turrecremata lib. 4. Summæ de Ecclesia p. 2. cap. 17. dicit, eum esse pertinacem in opinione hæretica, qui in animi præparatione non est paratus tenere contrarium, si illud verum esse ostensum fuerit aut ratione, aut Scripturę sanctæ, aut vniuersalis Ecclesiæ auctoritate. Siluestro adscribit eam sententiam Banesius, quasi ad pertinaciam requirat temporis diuturnitatem. Verùm Siluester hoc non dicit, sed solùm, quòd non sit necessarium vt verbis vel scriptis monitus sit, & etiam illum qui in errore diu latuit habendum esse pro pertinace. Eodem modo de hac re loquitur Antoninus 2. parte tit. 12. cap. 5. Sotus verò in 4. distinctione 22. quæst. 2. art. 3. docet, ad pertinaciam hæreseos sufficere ignorantiam crassam. Canus lib. 12. de locis cap. 9. putat crassam non sufficere, sufficere tamen ignorantiam affectatam. Banesius ne affectatam quidem putat sufficere; quem sequitur Azorius, qui videtur ad pertinaciam hæreticum constituentem requirere, vt sit electio voluntatis cum certa scientia, & notitia eius quod credit & sentit Ecclesia. Castro lib. 1. de punitione hæreticorum cap. 9. eum dicit in hæresi censendum pertinacem, qui nouerit assertionem suam esse contra sacram Scripturam, aut alicuius generalis Concilij decretum, aut Papæ legitimam definitionem, aut contra communem omnium Catholicorum Doctorum sententiam, aut contra tacitum totius Ecclesiæ consensum. Secundò, etiamsi id non nouerit, quando legitimè admonitus errorem non corrigit. Tertiò, si post admonitionem, etiam non legitimam, pergat adhærere errori, nolitque consulere viros doctos & Catholicos, cum præparatione animi ad eis acquiescendum. Quartò, quicumque iurat se perpetuò adhęsurum suo errori.

Pro huius difficultatis explicatione, Dico primo, Vt quis in hæresi sit & censeatur pertinax, non esse opus longa temporis mora: neque enim actus hæreseos qui constituat hæreticum, multò longiorem requirit moram, quàm oppositus actus fidei, vt constituat fidelem.

Dico secvndo, Vt sit hæreticus qui ex ignorantia in fide errat, non sufficit quòd illa ignorantia sit crassa, vt rectè contra Sotum ostendit Canus ex D. Thoma in cap. 3. ad Titum. Talis enim ignorantia non excludit formale obiectum fidei, & relinquit hominem adhuc paratum obedire Ecclesiæ in rebus fidei.

Dico tertio; Si ille qui ex ignorantia affectata errat, ideò ignorare affectet, vt liberiùs in moribus peccet; verbi gratia, si vt fornicetur liberiùs, affectet ignorare fornicationem esse peccatum mortale; non censebitur is eo ipso pertinax in errore, vt dici queat hæreticus: si autem ex auersione à fide, puta quia non statuit credere, quomodocumque proponatur per Ecclesiam, affectet ignorare eiusmodi fidei veritatem; erit sufficienter pertinax, vt dici queat hæreticus: est enim perfectè Deo incredulus, sicuti perfectè homini est incredulus, qui ne quidem audire ipsum vult, eò quòd statuerit ei non credere. Priori autem modo dispositus non est perfectè incredulus: eligit enim ignorantiam potiùs, vt veritatem fidei non aduertat, quàm vt non credat etiam vbi aduerterit: imò ideò eligit non aduertere, quia crederet si aduerteret. Peccat ergo quidem contra præceptum fidei, non solùm contra peccatum temperantię. Verius tamen existimo, ipsum non amittere habitum fidei, & non peccare perfectè peccato infidelitatis: probabilius enim est, eum qui censeri adhuc vult Christianus, non amisisse habitum fidei infusum per suum errorem, quamdiu non est infidelis, defecta pertinaciæ.



Nota tamen vt amittat fidem, sufficere pertinaciam, consideratam in eo quòd auersetur pertinaciter fidem sufficienter propositam: hanc tamen non sufficere vt perfectè dici queat hæreticus; sed ad hæresim requiritur, vt pertinaciter adhæreat errori contrario: ad hæresim enim requiritur formaliter error. Est autem error secundùm Augustinum cap. 17. Enchiridij, *verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo.* Itaq; dubius in fide pertinaciam habere poterit, qua fidem amittat; sed non eam qua propriè sit hæreticus, nisi iam desinat esse dubius, & amplectatur errorem: quod quia ferè facit per actum reflexum, iudicans esse dubium quod fidei est; moraliter loquendo pertinaciter in re fidei dubij sunt hæretici. quod etiam de illo erit dicendum, qui dixerit, rem fidei esse tantùm rem opinionis, adeoque posse probabiliter contrarium defendi.

Dico qvarto, Si quis ideò nõ credat, quia non obstante sibi facta sufficiente propositione, pergit existimare non esse hunc fidei articulum verum, is habebit pertinaciam quæ ad constituendum hæreticum sufficiat. Illa enim quæ tunc est in errore perseuerãtia, nihil est aliud quàm pertinacia hæreseos aut infidelitatis. De hac re Cyprianus epistola 63. ad Iubaianum ita scribit: *Ignoſci potest ſimpliciter erranti; poſt inſpirationem verò & reuelationem factam, qui in eo quod errauerat perſeuerat prudens & ſciens, ſine venia ignorantiæ peccat: præſumptione enim & obſtinatione quadam nititur, cùm ratione ſuperetur.*

Ex hac Propositione colligitur Primò, Non sufficere ad hæresim pertinaciam illam, qua reluctetur quis doctis viris, aut etiam proprio Episcopo; quamuis fieri possit, vt mortaliter peccet: homines enim isti sunt, neque auctoritatem habent omnino infallibilem; sed requiritur vt infallibili auctoritati Dei reluctetur; quod fit, quando non recipit ea quæ nouit Ecclesiam vniuersam credenda proponere. Videri potest de hac re Canus suprà citatus.

Colligitur Secundò contra Canum, non sufficere quòd pertinaciter neget conclusionem Theologicam quæ non est fidei: si tamen eiusmodi conclusio euidentissimè sequatur ex reuelatis, erit hæresi proximus error. Neque refert quòd ex opposito consequentis sequatur oppositum antecedentis; potest enim sine hæresi negare consequẽtiam, alioquin euidentissimam. In foro tamen exteriori illud esset magnum indicium hæreseos: talis enim præsumetur faciliùs negare præmissam de fide ineuidentem, quàm euidentissimam consequentiam, etsi exteriùs aliud profiteatur.

Colligitur Tertiò, Quomodo in foro exteriori sufficientia sint signa pertinaciæ, quæ ex Castro recitauimus, & repetiuntur cum similibus alijs apud Turrecrematam, videlicet quærens arguunt quòd non ideò erret, quia putet Ecclesiæ doctrinam hoc non habere, sed quia malit suo iudicio niti, quàm eorum, per quos nobis fidem voluit Deus proponi, hoc est, Ecclesiæ.

Ex dictis colligi potest hæc definitio hæreseos, vt dicatur error profitentis se Christianum ita pertinacis, vt dissentiat propositioni sufficienter sibi propositæ tamquam fide diuina credendæ. Vnde colligo, etiam illum fore hæreticum, qui dissenserit propositioni à Deo sibi priuatim sufficienter reuelatæ. Erit etiam hæreticus, qui ita pertinaciter assenserit propositioni nondum ab Ecclesia definitæ, vt dicat eam se defensurum, etiamsi Ecclesia contrarium definierit; videtur enim sentire, quòd Ecclesia possit errare, quando ei paratus est dissentire.

## MEMBRVM V.

### *De propositione hæretica, & reliquis damnabilibus.*

Diximvs, sine pertinacia hominem non esse hæreticum. Videtur quibusdam operæ pretium, idem quærere de propositione quæ enuntiat aliquid hæreticum; an ea tum demum dicenda sit hæretica, quando ex pertinaci errore profertur?

Respondeo; Si eam vocemus hæreticam propositionem, quæ idonea est constituere hæreticum, quantum est de se, modò reliqua adsint, rectè cum Alphonso à Castro & Adriano in quartum q. 1. de confessione dixerimus, esse propositionem hęreticam, quæ enuntiat hæresim à quocumque proferatur.

Caietanus tamen hîc art. 1. putat non rectè dici hæreticam, quando non profertur animo tam pertinaci, vt constituat hæreticum.

Pro qua sententia argumentatur Banesius hoc articulo: Si est, inquit, hęretica, etiam erit hæreticus qui eam protulerit; sicuti qui fecerit adulterium, adulter est.

Respondeo, ita fore, si nouerit esse aduersam Romanæ Ecclesiæ, sicuti non est adulter, qui nescit esse non suam.

Secundò obijcit; Propositio tantùm pertinet ad intellectum; hæresis est simul vitium voluntatis.

Respondeo, Ideò propositionem hæreticam non esse hæresim, nisi ex parte intellectus, & materialiter tantùm; sicuti propositio erronea non est error, quando materialiter profertur; neque falsa constituit hominem mendacem, quando non profertur contra mentem.

Objicit Tertiò; In Concilio Constantiensi propositiones contrarias fidei distingui in hæreticas, erroneas, scandalosas, piarum aurium offensiuas, & temerarias. Erroneam autem non distingui ab hæretica, nisi hæretica includat pertinaciam.

Respondeo; Erronea ibi ea dicitur, quæ non repugnat formaliter fidei, sed alicui conclusioni, quæ apertè sequitur ex propositionibus de fide; adeò vt non sit apta constituere hæreticum propositio erronea, vt ibi accipitur, etiamsi reliqua non defuerint.

Obijcit Quartò, Nullas fore nouas hæreses, si secundùm se propositiones sint hæreticæ: sed meminisse poterat, dici posse, nouam hęresim electionem antiquæ propositionis hæreticæ.

Obiicit Quintò; Hæc propositio, Christus non est mortuus, nunc est hæretica; non fuit autem hæretica antequam Christus moreretur: non ergo verum est, propositionem, quæ semel est hæretica, semper fuisse talem.

Respondeo, Nos solùm velle, quòd propositio cõtrarium, cuius quando ipsa profertur, à Deo reuelatum est, & sufficienter per Ecclesiam declaratum, nata sit constituere hæreticum, eoque sensu hæretica dici possit. Sufficit itaque quòd semper, etiam dum neminem constituebat hęreticum, fuerit hæretica hæc propositio, Christus non est mortuus, postquam Dei testimonio mors eius vt iam præterita credenda proposita est.

De reliquis damnabilibus propositionibus, quædam diximus in materia De Pontifice. Consuli potest Turrecremata lib. 4. p. 2. cap. 11. Summę, de Ecclesia; & Melchior Canus lib. 2. De locis, cap. 11.

Illud solum quęrere operæ pretium; An quando Pontifex aut Ecclesia in generali Concilio definit, aliquam propositionem esse temerariam, sit hęreticum, pertinaciter negare eam esse temerariam; an verò solum sit temerarium. Eadem erit ratio de erronea, scandalosa, offensiua. Proponit hanc quæstionem Banesius, sub hac forma; An sit hæreticum dicere, quòd Ecclesia possit falli, definiendo aliquam propositionem esse malè sonantem, scandalosam, aut sapientem hæresim?

Respondet, *Sine* dubio grauius esse, asserere quòd Ecclesia possit errare in huiusmodi rebus definiendis, quàm asserere ipsasmet propositiones malè sonantes & offensiuas. Probat, quia magis accedit ad contumaciam. Dicit ergo errorem esse vel errori proximum, asserere quòd Ecclesia in eiusmodi censuris possit errare. Alij dicunt eo ipso quo Ecclesia definit propositionem esse offensiuam, &c. id fieri fidei, quòd reuerà talis sit propositio.

Dicendum videtur, reuelatum quidem esse à Deo, Ecclesiam non posse errare in definitionibus circa doctrinam, adeoque qui hoc negaret cum pertinacia, fore hæreticum: si autem ipse affirmaret propositionem, quam Ecclesia censuit esse temerariam, non esse temerariam, sed veram; nisi simul dicat Ecclesiam errare in huiusmodi cẽsura, non erit hęreticus, sed incurret in errorem hęresi proximum. Si enim hæc propositio non sit temeraria, sequitur aliquid contra fidem, nimirum, Ecclesiam errare in definitionibus circa doctrinam. Itaque distinguendum est. Vel enim qui negat hanc propositionem esse temerariam, solùm intendit dicere, eam esse veram; & sic non erit hęreticus, etiamsi nouerit Ecclesiam determinasse, quòd sit temeraria: potest enim fieri, vt non nisi probabile putet, Ecclesiam in talibus non posse errare; aut vt nouerit quidem Ecclesiam hoc damnasse tamquam temerarium, & credat quidquid vt temerarium damnat Ecclesia, esse reuerà tale; sed non pertractet illa simul ad concludendum hoc esse verè temerarium: vel intendit sustinere pertinaciter Ecclesiam errare in censura istius propositionis; & erit hæreticus.

Obseruandum tamen, posse mutari conditionem huiusmodi propositionum, ratione temporis & personarum; quæ mutatio non infirmabit iudicium Ecclesiæ, quod respicit huiusmodi propositiones, præsuppositis omnibus circumstantijs: atque ita fieri poterit, vt quod olim temerarium ab Ecclesia habitum, nunc post apertiorem decisionem, sit hęreticum.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm hæretici sint tolerandi?*

RESPONDET negatiuè. Tradit autem duos modos hæreticos puniendi: vnum per excommunicationem, quod est extremum supplicium spirituale: alterum per occisionem corporalem. Tertius modus est per priuationem famæ, honoris & bonorum temporalium, aut exilium: ad quem pertinet priuatio dignitatum, publicorum officiorum & beneficiorum.

### MEMBRVM I.

#### *De pœna mortis iustè hæreticis inferenda à magistratu ciuili.*

CONTROVERSIA antiqua est, An hæretici sint morte mulctandi? Quam renouarunt nostro tempore Lutherani.

Negabant occidendos Donatistæ, Parmenianus, Petilianus, Gaudentius. Testis Augustinus epistola 50. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 10. & lib. 2. contra epistolam Gaudentij cap. 17. Negabat etiam Ioannes Hus, vt patet in Concilio Constantiensi sess. 15. a. 14. Tribuunt hunc errorem Magdeburgenses cuidam Raimundo Lullo centuria 13. cap. 5. ex Bernardo Luxemburgensi: imò in Indice se idem sentire satis profitentur, vt Lutheri discipulos agnoscas. Refert in eodem errore fuisse quemdam Hermannum Bodium Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ cap. 60.

Contra hunc errorem sit nostra PROPOSITIO ex D. Thoma; Si hæretici morte plectantur, non est id contra Domini mandatum: imò rectissimè relinquit Ecclesia hæreticos incorrigibiles iusto iudicio magistratus occidendos. Banesius infrà art. 4. putat esse fidei ex Concilio Toletano 4. quod statuit, baptizatos etiam per vim Iudęos cogendos vt fidem seruent. Rectiùs dixerimus, esse certum secundùm fidem, propter consensum Ecclesiæ, & omniũ Doctorum, qui illud tamquã dogma fidei tradunt, vt non immeritò Roffensis tamquam hęreticum existimet à Leone X. damnatum articulum 33. Lutheri, qui ita habet; ***Hæreticos comburi est contra voluntatem Spiritus.*** Lęlius tamen c. 11. de fide n. 3. hanc propositionem; ***Hæretici non sunt puniendi***; non videtur habere inter hæreticas, sed fauentes hæreticis.

Probatur Propositio nostra ex Scripturis. In veteri enim Testamento, interfici iubentur nouatores in religione, suadentes cultum aliorum deorum, falsi prophetæ, inobedientes sacerdoti, blasphemi: quod mandatum executi sunt Moyses, Exodi 32. filij Israel contra filios Ruben & Gad & dimidiam tribum Manasse, Iosue 22. Elias, tertio Regum 1. Ozias, Iehu & alij, 3. Regum 18. & 4. Reg. 10. & 23. Mathathias, 1. Machabæorum 2. Et ne quis existimet, eos qui ad noui Testamenti Christianam mansuetudinem hæc præcepta putant pertinere, nescire cuius spiritus sint: habemus propter agelli vnius pretium defraudatum, Ananiam cum vxore morte mulctatos, Elymam Actor. 5. Actor. 13. à Paulo excæcatum, & Corinthium traditum satanæ in interitum carnis. Sanè certum est, gladij vsum contra malefactores ab Apostolo commendatum ad Rom. 13. etiam in Christiano magistratu relictum. 1. Cor. 5.

Actor. 8. At dicent, Ananiam Petrus occidit, Simonem Petrus increpauit: verbis igitur corrigendi hæretici, quamuis alij malefactores occidendi.

Respondeo cum Chrysostomo homil. 18. in Acta, Petrum non occidisse Simonem magum, sicut occiderat Ananiam cum vxore: non quia Simon id perinde non merebatur, aut quia minùs conueniebat hæreticum occidi quàm sacrilegum; sed quia iam sufficiebat exemplum statuisse.

Probatur Secundò testimoniis Patrum. Augustinus epistola 50. comparat hęreticos cum Absalone, sine cuius morte non potuerit domus Dauid pacem habere. Tract. 11. in Ioannem docet, meritò illud contra Donatistas statui posse, quod Dan. 3. Nabuchodonosor statuit contra illos, qui blasphemassent Deum trium puerorum. Similia habet lib. 1. contra epistolam Parmeniani cap. 8. & libro 2. contra litteras Petiliani cap. 83. & 86. vbi dicit, Etsi Donatistæ nondum capitali supplicio coërcerentur ab Imperatoribus, non id factum fuisse, quòd eo non fuerint digni; sed vt supplicio Cain parricidæ, vita ipsa carnifice, diu torquerentur. Sanè dicti lib. contra epistolam Parmeniani cap. 11. egregiè refutat Donatistas, dicentes, ad Principum sæcularium potestatem non pertinere animaduersionem in hæreticos. Refutat inquam, ex eo, quòd ipsi Donatistæ cõtra schismaticos suos Maximinianistas, extrema per sęcularem gladium supplicia procurassent. Dioscorus Episcopus Alexandrinus in Concilio Chalcedonensi Act. 1. dum adhuc synodico consentiret nondum damnatus consideret, Eutychem dignum igne non esse veritus dicere: *Si Eutyches*, inquiebat, *præter dogmata Ecclesiæ sapit, non solùm pœna dignus est, sed & igne.* Ex quo constat, vel suo iudicio hæreticos ad mortem condemnari. Non fuisse autem Orthodoxorum tum temporis aliam opinionem, videre licet apud Leonem epistola 93. ad Turbium, vbi vtilitatem huius seueritatis indicat, quando dicit: *Ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.* Videri etiam potest Bernardus serm. 66. in Cantica.

Probatur Tertiò ex historijs. Prisscillianus hæreticus occisus est ab Imperatore Maximo, teste Hieronymo de viris illustribus: & vt dicit idem epistola ad Ctesiphontem cap. 2. sæculi gladio, & totius orbis auctoritate damnatus est. Quod notandum est, ne Maximus tyrannicè putetur occidisse Prisscillianum: tyrannus enim fuit, sed non in hoc iusto supplicio. Vide Baronium ad annum 385. Similia exempla videri possunt apud ipsos Magdeburgenses Centuria 6. c. 7. & Centuria 12. cap. 5.

Probatur denique ratione. Tribus de caussis occidendi sunt homines scelerati, vt docet Galenus in opusculo, cui titulus est, *Quòd animi mores corporis temperamentum sequantur*: videlicet, ne alijs noceant; vt morte ipsorum alij à scelere terreantur; & ne superstites deteriores fiant; cùm nulla sit spes emendationis. Atqui vel maximè tres illæ caussæ in hæreticis relapsis & alijs desperatæ conuersionis locum habent, præcipuè secunda, quam vrget Moyses Deuter. 13. *vt omnis Israël audiens timeat, & nequaquam faciat vltrà quidquam huius rei simile.*

Obijcit Lutherus, A tot retrò sæculis nullos esse ab Orthodoxis hæreticos combustos. Nam quòd Constantiæ Ioannes Hus & Hieronymus à Praga exusti sunt, ad rem hanc non pertinere, cùm isti Catholici ab Antichristi discipulis id passi sint. Confirmatur, Tempore enim Augustini lex pecuniaria statuebatur in Donatistas, crudeles alioquin latrones, ad seruandam etiam contra indignos mansuetudinem Christianam, vt ipse dicit epistola 50. Imò cap. 83. lib. 2. contra litteras Petiliani dicit, ne quidem pecuniariam pœnam decem librarum auri, priùs in hæreticos constitutam, à Donatistis rigidè fuisse exactam. Ita ferè hoc vrget Erasmus in Annot. ad dictam epistolam Augustini.

Secundò dicit Lutherus, Christum non aliam pœnam statuisse hęreticis, quàm vt habeãtur tamquam ethnici & publicani: Apostolum etiam hominem hæreticum non tam occidi voluisse quàm vitari.

Tertiò, De hæresi cognoscere pertinet ad iudicium Ecclesiasticum: Ecclesiasticis autem non licet interficere quemquam. & tantum abest, vt possint occidendos tradere brachio sæculari, vt debeant etiam allaborare, ne à iudicibus sæculi comprehensi occidantur: hoc enim Canones voluisse, hoc exempla docere sanctorum Patrum.

Omissis alijs Lutheri argumentis, quia parum habent roboris, quartum sit eiusmodi: Matth. 13. quando paterfamilias dicit: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem*; multi Patres intellexerunt, prohiberi necem hęreticorum. Chrysostomus homilia 47. in Matth. *Non prohibet Christus concilia hæreticorum dissipari*, &c. *sed prohibet interficere & trucidare.* Euthymius in illum locum: *Iubet ergo, vt vtriusque generis homines*, id est Orthodoxos & hæreticos, *sinant viuere crescentes*, &c.

Quintò, Punitio hæretici debet eò spectare vt corrigatur: quocircà Augustinus epistola 127. Donatum proconsulem Africæ rogat, ne occidantur hæretici, vt sint quos pœniteat erasse.

Ad hæc argumenta facilis est responsio ex illis quæ adduximus, si loca etiam ab ipsis Lutheranis citata inspiciantur, liquidò constare, aliquando zelo Christianorum populorum & Principum, hæreticos mortis, adeoque ignis supplicio affectos esse, vt meritò hoc imitatum sit Concilium Constantiense in Ioanne Hus & Hieronymo de Praga. Quod enim de fide Ioanni Hus violata obtendunt, violata non est, quia data non erat: data inquam non fuit à Concilio. Neque tamen diffitemur, pro diuersitate temporum diuersis modis hæreticos fuisse mulctatos. In primitiua enim Ecclesia cui nondum seruiebant, sed sæuiebant Reges, non afficiebantur pœna temporali, sed excommunicabantur. Tempore Constantini, vt liquet ex Concilio Nicæno, decreta pœna exilij. Theodosius constituit mulctam decem librarum auri, vt testatur Augustinus sępè citata epistola 50. Martianus autem & Valentinianus decreuerunt in illos pœnam capitalem L. Quicumque, Codice de hæreticis. Ecclesiastica pœna accessit,

excommunicatio ipso iure: & tandem cùm priora non satis prodessent, etiam ipsa Ecclesia constituit, vt pertinaces & relapsi, iudicio potestatis sæcularis, pro meritis & ciuilibus legibus relinquantur puniendi. Capitulo Ad abolendam, de hæreticis; capitulo Super eo, eodem tit. in 6. capitulo Accusatus, ibidem: relapsus declaratur, qui abiurata vna hæresi recciderit in aliam. Honorius & Theodosius pœnam capitis in rebaptizantes constituerunt, L. Si quis. Cod. Ne sanctum Baptisma iteretur. Fredericus Imperator (cuius constitutionem à Lombardis & alijs obseruari mandauit Innocentius IIII.) statuit, vt hæretici qui metu mortis conuersi fuerint, in perpetuum carcerem recludantur. quod etiam antiqui canones statuerunt, vt patet capitulo penultimo de hæreticis. Item vt per iudicem Ecclesiasticum damnati, morte plectantur. Huic Christianæ seueritati etiam ipse Caluinus subscripsit libro huius argumenti edito contra Seruetum; quem sequuntur Beza & Benedictus Aretius, & alij ex sectariis plurimi. Vide epistolam Bulingeri ad Caluinum inter epistolas Caluini, Casaubonum in Præfatione sua ad Regem Angliæ præfixa Exercitationibus contra Baronium, vbi laudat eumdem Regem, quòd nuper quemdam Arrianum flammis vltricibus tradi iusserit. Iusta itaque est capitis pœna in hæreticos. Quòd verò eam non semper infligi voluerit Ecclesia, vel ideò accidit, quia non potuit, quando Imperatores erant ethnici; vel quia studiosa clementiæ, mitiori pœna voluit eorum correctionem tentare. quod charitatis consilium omnino commendandum est: sed quod charitas indulget, non sibi debitum arroget hæresis, ea præsertim, quæ parcere alterius sectæ hominibus tum demum solet, quando sæuire non audet. Quare autem Circumcelliones non adeò voluerint Catholici Episcopi à potestatibus sæculi occidi, alia fuit ratio; ne videlicet passiones seruorum Dei quos illi occiderant, inimicorum sanguine dehonestarentur; vel ne inuidia grauarentur Ecclesiastici, per quos oportebat hæreticos declarari.

Ad Secundum; Christus Dominus instruit ibi fratrem, non iudicem sæcularem: Apostolus verò instruit Episcopum, cuius est vitare, & vitandos declarare hæreticos. An autem, quando salus reliqui ouilis id postularet, & potestatis sæcularis gladius famularetur Ecclesiæ, sint tradendi aut relinquendi iudicio sæculari, neque affirmat neque negat.

Ad Tertium; Verum nihilominùs est, quando pertinacia id exigit, & salus publica requirit, posse Ecclesiasticos desistere ab intercessione pro auertenda hæreticorum nece apud iudices, eosque in genere monere, ne desint officio.

Ad Quartum respondeo, Significari, non esse omnes improbos, hoc est filios illius nequam, scilicet diaboli, vt interpretatur ipse Dominus, ex orbe eradicandos ante diem iudicij: cum quo tamen benè consistit, quod iudicibus datur præceptum de occidendis maleficis Rempub. turbantibus. Iuuabit hunc intellectum, si cum D. Hieronymo seruos patrisfamilias, quibus hæc verba dicta sunt, intelligamus Angelos: illos enim non sinit Dns extirpare malos ante diem iudicij; certis alioquin legibus quosdam voluit extirpari per homines iudices. Fortè tamen melius cum D. Augustino per seruos illos, homines intelligimus.

Alia est responsio, Non prohiberi omnino hæreticorum necem, sed ne fiat cum periculo euellendi triticum. Subest autē illud periculum multis modis: vel quia atroci bello excitata, multitudo hæreticorum opprimet Catholicos, quod annotat Euthymius; vel quia hæresis tales habet defensores, per quos possit schisma contingere, vt dicit Augustinus lib. 3. contra epistolam Parmeniani c. 2. vel, vt dicit Chrysostomus, & alij communiter, quia perirent illi mali, qui aliquando futuri erant boni, si viuere permitterentur: vel quia cum malis posset ab hominibus, qui facilè errant, interimi qui malus non est, vt insinuat Augustinus serm. 46. de diuersis; vel denique, quia sine vtilitate bonorum non viuunt mali, adeoque quodammodò videtur obesse bonis, qui malos omnes è medio tollit. Ita Augustinus q. 12. in Matth.

Ad Chrysostomum & Euthymium respondeo; Quidam putant eos non posse excusari à contraria sententia: inter quos est Banesius, qui tamen eos hactenus excusat, quòd ea sententia tunc non fuerit satis ab Ecclesia explicata, ita vt eam etiam aliquando tenuerit Augustinus; quamuis Augustinus non tam dubitauerit, an iustum & licitum sit hæreticos occidere, quàm an expediat? Sed rectiùs dixerimus cum Sixto Senensi, hos Patres esse intelligendos de occisione, qua simul euelleretur & triticum.

Ad Quintum respondeo; Si, ne pereant impij, quorum si viuant speratur emendatio, aliquando laxetur disciplina; quantò magis seuerior ea interdum exerceri debet, ne pereant etiam boni à malis seducti; aut vt à talibus criminibus legum terrore & supplicij exemplo multitudo auocetur. Adde, quòd maior sæpè spes sit conuertendi hereticos, si sibi moriendum intelligant, quàm si viuere permittantur. Denique eadem epistola vbi pro vita hæreticorum iudicem Augustinus deprecatur, fatetur iustè eos posse occidi: tantum abest vt deprecatio eius obiurgatio iudicis debeat intelligi. Sanè nisi iustè occidi poterant, occisurus iudex ab Episcopo potiùs erat corripiendus quàm rogandus.

## MEMBRVM II.

### *De Ecclesiastica hæreticorum pœna.*

De hac pœna videnda sunt quę tradi solent in tractatu De censuris: hîc tamen dubitatio propriè moueri potest, An hæretici sint iure diuino excommunicati? Vbi certum est, quando hæretici ab Ecclesia siue per legem siue per sententiam excommunicantur, illud fieri auctoritate à Deo ad hoc accepta.

Sed quæro, An quando hæretici ipso iure dicuntur excommunicati, possit hoc veritatem habere aliquo modo, spectato solo iure diuino? An videlicet ipso iure diuino, nulla accedente humana lege aut sententia, hæreticus quispiam sit excommunicatus?

Pars negatiua magis placet. Quamuis enim Christus Dominus eum qui Ecclesiam non audierit, statuat habendū sicut ethnicum & publicanum; nihil tamen aliud ibi constituisse censendus est, quàm talem esse vitandum iuxta gradum & modum, quo eum vitandum esse Ecclesia determinauerit. Illa etiam Apostoli verba ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita*, non sunt idonea quę probent ipso iure diuino hæreticum esse excommunicatum; sed solùm esse excommunicandum: imò nec hoc quidem efficaciter; partim quia dici potest, non esse illud præceptum diuinum, sed Apostolicum; partim, quia deuitatio illa hæretici posset accipi, prout iure naturæ eum deuitare tenemur ad ipsius correptionem & nostram cautelam, vt non significetur vlla censura. Ita tenet cum communi Suarez disput. 2. De censuris. vbi addit contra Couarruuiam, etiam in diuinis vitare excommunicatos, non esse iuris diuini, sed Ecclesiastici, (quod verum puto extra casum scandali & periculi subuersionis:) vnde Ecclesia in Concilio Constantiensi potuit obligationem excommunicatos vitandi, etiam in factis, restringere ad denuntiatos, aut percussores Clericorum.



Altera dubitatio hîc moueri poterat, An ius diuinum permittat hæreticos excommunicari ipso facto; an verò secundùm præceptum Apostoli ad Titum 3. semper requiratur vna aut altera correptio?

Respondeo; Quando excommunicatio est à iure, non requiritur monitio: ipsum enim ius quasi continuò censetur monere, quando cum interminatione excommunicationis latæ sententiæ aliquid vetat. Deinde requiritur monitio vt constet de contumacia; hîc autem satis constat de contumacia: magnæ enim est contumaciæ, non obstante tanta pœna, legi contrauenire.

Cererùm de irregularitate hæreticorum & filiorum vsque ad secundam generationem, habemus capitulo Quicumque, de hæreticis in 6. Quod intellige de linea paterna: nam in linea materna, soli filij sunt irregulares, non autem nepotes, vt patet per capitulum Statutum, ibidem. Quare si pater fuerit hæreticus, & filia eius Catholica habuerit filium, is ab auo materno non contrahet irregularitatem. Vbi etiam aduerte, restringi hanc pœnam ad parentes, qui in hæresi decesserint, aut in illa perseuerant, vt intelligenda non sit de reconciliatis. Quod etiam declarat Honorius I V. in 7. Decretalium, tit. De hæreticis, capitulo 6.

De hæreticorum depositione ab officiis tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, item de priuatione beneficiorum, multa passim occurrunt in Decreto & Decretalibus.

## MEMBRVM III.

### *De punitione hæresis per ablationem bonorum temporalium.*

Præter Imperatorum mulctas, de quibus suprà diximus, hæretici prohibentur hereditario iure succedere Catholico, capitulo Si quis Episcopus. De hæreticis, & ibi Glossa. Item capitulo In eos, ibidem. Panormitanus extendit ad quoduis legatum, Asorius ad fidei commissum & donationem, ex L. Diuinam, Cod. De hæreticis. Imò Episcopus & Clericus aliquid legans hęretico, etiam consanguineo, excommunicatur etiam post mortem. Eorum bona confiscantur, & statuitur, ad ea publicanda Principes censura Ecclesiastica compellendos, non obstante quòd filios habeant Catholicos, capitulo Vergentis, eod. tit. capitulo autem, Cùm secundùm leges, in 6. eodem tit. ipso iure decernuntur confiscata; sic tamen vt sententia Ecclesiastici iudicis super crimine debeat promulgari, antequam confiscatio executioni mandetur. Si quis ergo post mortem probetur hæreticus, poterit fiscus eius capere bona, quod non poterit per capitulum Vergentis.

Notat hîc Panormitanus, etiam illum qui conuertitur ab hæresi, non nisi ex quadam misericordia recuperare sua bona.

Item capitulo Absolutos, Extra. De hæreticis, liberantur ab omni obligatione, qui hæreticis de fidelitate aut obsequio tenebantur obstricti: quod intelligunt de ciuili etiam debito ex contractu Glossa & Panormitanus. Neque id mirum, cùm omnia hæretici bona iam sint fisci ipso iure, vt dictum est. Est hæc sententia probabilis: verùm de ea in materia De restitutione. Extendit idem Panormitanus etiam ad filios, vt eo ipso sint sui iuris, & exempti à patria potestate, quo pater incidit in hæresim.

## MEMBRVM IV.

### *De libris hæreticorum non tolerandis.*

Quæstio nobis cum hæreticis est, An rectè eorum libros comburamus?

Dico primo; Etiam manendo in solo iure naturæ, hæreticorum libri non sunt legendi nisi à doctis, iisque constantibus in fide, non obnoxiis tentationi contra fidem. His enim lege naturæ id non est prohibitum, sed potest multum esse meritorium, si id faciant vt confulant fidelibus. Ita Alphonsus à Castro lib. 2. de hæreticorum punitione.

Dico secvndo; Lege positiua, tam Imperatoria ac Politica quàm Ecclesiastica, rectè statuitur, hæreticorum libros non esse legendos, sed comburendos. Probatur exemplo illorum, qui Actor. cap. 19. Ephesi combusserunt libros magicos, ex quibus erant curiosa sectati. Ex quo loco Lutherus probat, se in Academia Wittembergensi meritò libros iuris Pontificij publicè flammis tradidisse. Extat edictum Constantini de comburendis libris Arrianorum, quod refert Castro. In quinta etiam Synodo Constantinopolitana inseritur constitutio Iustiniani contra Antimum, Seuerum, & alios. Vbi inter alia constituitur, ne libri Seueri apud aliquem maneant Christianorum, sed comburantur: & si quem contingat eos describere, manus ei amputetur. Idem de Nestorij libris Theodosius & Valentinianus constituerunt, vt ibidem refertur. Quæ lex annexa reperitur dicto Concilio Constantinopolitano, & agnoscitur à Centuriatoribus, Centuria 5. cap. 7. Vide etiam Decretum Martiani Imperatoris contra hæreticos, adiunctum Concilio Calcedonensi, tomo 2. Conciliorum. In epistola Leonis Papæ 93. c. 15. mandatur, ne legantur, sed comburantur libri Priscillianistarum. Accedit 2. Synodus Nicęna actione 5. vbi Itinerarium Apostolorum damnatur & prohibetur. Adrianus etiam I I. in epistola ad Basilium Imperatorem, sub grauissima pœna iussit exuri acta cuiusdam Conciliabuli hæretici. Huc etiam facit capitulum Fraternitatis, & capitulum Excommunicamus, §. Credentes, Extra. De hæreticis. Denique inhibitionem lectionis librorum Ioannis Wicleff, habemus in Concilio Constantiensi sess. 8. At postquam cœpit grassari hæresis Lutheri, & infinita pænè hæreseon portenta

tenta ex ea secuta sunt; meritò ardentiùs in abolendis pernicioſis libris, disciplina Eccleſiæ inuigilauit; decretumque est, vt innumera praui dogmatis volumina, quos Indices vix capiebant, flamma absumeret: partim, ne corrumpendis simpliciorib⁹, aut etiam litteratis, sed minùs in fide constantibus superessent; partim, vt memoria auctorum damnatorum deleretur; partim, vt quam in proprijs corporibus merebantur, in suis libris pœnam hæresiarchæ sustinerent. Vbi obiter obserua, ex dictis non relinqui mirum, quod adeò mirum sibi visum fuisse scriptum reliquit Lycostenes in theatro vitæ humanæ, etiam Grammaticam Melanchthonis aliquando ab Orthodoxis fuisse exustam.

Addita est excommunicationis pœna in legentes, retinentes, imprimentes. Extat constitutio Leonis X. in Concilio Lateranensi, Pauli III. Iulij III. Pauli IV. Pij IV. ex Concilio Tridentino, & ipsius Concilij sess. 18. Gregorij XIII. qui etiam professoribus Theologiæ admit facultatem libros hæreticorum legendi. De his consulendus est septimus Decretalium, post cuius editionem Clemens VIII. multa nuper ad Indicis Pij V. Regulas adiecit. Accedit, quæ singulis annis renouatur, Bulla Cœnæ: circa quam notat Asorius differentiam inter eos qui legunt libros hæreticorum tractantes de hæresi, & eos qui legunt eorumdem libros non tractantes de hæresi; quod priores ab excommunicatione non absoluantur, nisi à Papa, & excõmunicentur per Bullam Cœnæ; posteriores autem licet incurrant excommunicationem latæ sententiæ in Indice librorum prohibitorum, non tamen eorum absolutio Papæ reseruatur.

Sed pro tolerandis hæreticorum libris, aut etiam legendis, obijciet quispiam illud prioris ad Thess. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete*: per illam enim sententiam D. Hieronymus excusauit se, quòd hæreticorum sententias attulisset, in epistola ad Minerium & Alexandrum 152.

Secundò, adferunt exemplum Theophili Alexandrini, qui libros Origenis à se damnatos nihilominùs legebat, vt testatur Socrates libro 6. historiæ Eccleſiasticæ.

Tertiò allegatur visio Dionysij Martyris, in qua ei dictum sit, Lege omnia, valebis enim expendere & probare: refert Eusebius lib. 7. c. 6.

Ad primum respondeo, Apostolum contra eos agere, qui spiritum extinguebant, & prophetiam prohibebant, hoc est (interprete Anselmo, Oecumenio & alijs) tamquam falsos prophetas, alios alioqui bonos, prophetare ex inuidia prohibebant. Istos ergo monet, vt antequam probarint, non reijciant totum quod eiusmodi est prophetiarum: vbi autem probauerint, teneant quod bonum est, & malum reijciant. Qui locus nihil facit pro legendis hæreticorum libris: illi enim iam probati & examinati per eos quibus id munetis incumbit, & qui discernere valent inter bonum & malum, inuenti sunt reprobi; ideò ab ipsis abstinendum vult Apostolus, qui etiam ab omni specie mali abstinendum monet verbis proximè sequentibus.

Ad Hieronymum respondeo, eruditionem ipsius hoc postulare, vt eum non redigamus in ordinem vulgi, sed nummularium habeamus, cuius iudicio alij stent de proba aut adulterina moneta. Legat ergo Hieronymus, & eius similes, hæreticorum libros, ne alij legant iudicio ipsorum cognoscentes reprobatos esse.

Idem possumus de Theophilo & Dionysio respondere, præsertim cùm tunc non extabat lex positiua, omnes omnino prohibens hæreticorum libros; & manendo in solo iure naturæ, licitum sit eiusmodi probatis viris hæreticos legere.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm reuertentes ab hæresi sint ab Eccleſia recipiendi?*

RESPONDEO cum D. Thoma, & DICO PRIMO; Eccleſia semper recipit hæreticos ad pœnitentiam & communionem, etiam relapsos, quando per Dei gratiam ad fidem conuertuntur. Patet ex capitulo Excommunicamus, De hæreticis, & capitulo Super eo, eodem titulo in 6. Vide diuum Hieronymum in caput secundum Oseæ. Eccleſia enim non claudit gremium redeuntibus ad ipsam, & delicti veniam dat pœnitentibus, vt dicitur L. Inter claras, Codice de summa Trinitate: vult enim Christus omnes laborantes & oneratos ad se venire, & omnes homines saluos fieri: quare Nouati & Montani contrarium dogma Eccleſia damnauit.

DICO SECVNDO; Eccleſia primò reuertentes ab hæresi, conseruat in vita, imò interdum restituit eos in pristinum suum gradum dignitatis Eccleſiasticæ. Prior pars in eo fundatur, quòd præsumantur seriò conuerti, & futuri stabiles in posterum in fide.

Alphonsus à Castro lib. 1. de hæreticorum punitione cap. 22. distinguit inter eos qui non sunt relapsi, nec tamen ex animo conuerti præsumuntur, ideoque nihilominùs iudici sæculari relinquuntur; & eos qui ex animo conuertuntur. Ponit enim quinque gradus eorum qui hæresin abiurant, & misericordiam petunt. Primus, est eorum qui contrarium errorem habuerunt circa articulum quem scire non tenebantur. Secundus, eorum qui ex negligentia ignoranter errarunt circa articulum quem scire tenebantur; illis dicit ignoscendum leui iniuncta pœnitentia; secundis tamen paulò maiori. Tertius, est eorum qui non errarunt ex ignorantia, sed ex malitia & scienter; sed durante tempore gratiæ à iudice constituto, licet fortè accusati, & accersiti veniant, errorem suum agnoscunt. etiam hos dicit dimittendos, sed iniuncta grauiori pœnitentia. Quartus, est eorum qui transacto tempore gratiæ vocati, crimen suum negarunt, & posteà per testes idoneos conuicti, peccatum suum fatentur & deprecantur; quos dicit euadere pœnam mortis, sed non perpetui carceris, eò quòd Canones ei vitam concedant, qui mox vt deprehensus fuerit, errori renuntiat. Vbi deprehensionem Castro intelligit per conuictionem legitimam: tales ergo secundùm capitulum penultimum de hæreticis, perpetui carceris pœnam sustinebunt. Quintus gradus, est eorum qui conuicti negauerunt & damnati sunt vt relinquantur iudici sæculari: sed post hanc damnationem, crimen suum spe veniæ fatentur: de his dicit Castro, esse relinquendos iudici sæculari ad necem, & habendos pro incorrigibilibus quoad forum exterius, per capitulum Ad abolendam, De hæreticis. Panormitanus tamen nec hos quidem putat occidendos, sed solos relapsos, cui fauet capitulum Accusatus, de hæreticis in 6. atque etiam doctrina D. Thomæ hoc articulo. Sed ad capitulum Accusatus, respondet Castro, ibi non dici solos relapsos esse occidendos, sed quinam tamquam relapsi sint occidendi. Et sanè certum est ex aliis iuris Canonici locis, incorrigibiles etiam qui non sunt relapsi esse occidendos. Videntur autem posse præsumi incorrigibiles, qui etiam statim postquam in iudicio conuicti sunt, non reuertuntur, sed differunt donec iam per sententiam definitiuam tradantur occidendi, atque ita etiam poterit facilè pro Castro explicari D. Thomas, vt sit locutus de illis qui verè reuertuntur, & reuerti præsumuntur.

Excipit Lelius, secutus Simancam, ab hac priori parte nostræ Propositionis, hæresiarchas, hæreseon doctores, item eum qui principi, filiis, vxori vel sororibus eius, hæreses persuadere tentauerit: hos enim putat sæculari potestati relinquendos, etiamsi relapsi non fuerint, neque incorrigibiles.

Annotat idem Lelius, reuertentem ab hæresi cui venia datur, debere abiurare hæresim; & si quidem fuerit solùm leuiter suspectus, sufficere in domo Episcopi abiurare, neque sic relapsum puniri vt relapsum: aliàs in publico debere fieri abiurationem, nisi aliud suadeat rationabilis causſa.

Est autem inhabilis ad officia & beneficia abiurans hæresim, nisi solùm abiuret de leui aut vehementi, non autem de violenta. Emmanuel verbo Hæresis, & Alexander 4. in 7. Decretalium.

Posterioris partis rationem assignat Augustinus epistola 50. pacem Eccleſiæ. Sicut enim dum frutex inseritur arbori, nonnihil læditur arboris integritas; ita par est nonnihil lædi Eccleſiasticam seueritatem, dum inseruntur hæretici. Hinc ipsi Nouatiani, lapsis tam iniqui, Nicæno canone 8. post pœnitentiam suis dignitatibus restitui permittuntur. Non absimiles sunt canon. 12. Concilij primi Aurelianensis, & 37. Concilij Agathensis, qui loquuntur de quibusuis hæreticis. Sic in 7. Synodo Actione 3. restitutus est Gregorius Næocesarienſis.

Dicitur in assertione, ita interdum fieri: non enim est perpetuum, imò nec ordinarium, vt meritò D. Thomas dicat, fieri dispensatiuè; Concilium enim Elibertinum can. 51. & Cyprianus libro 2. epistola 1. reuersis hæreticis adimunt sacerdotium: Innocentius in epistola ad Episcopos Macedoniæ statuit, non posse vlteriùs promoueri; quamuis non adimat eis Ordinem quem priùs obtinuerant. Denique fuit & illa D. Augustini loco citato sententia, tum demum restituendos esse, quando aliter multitudini per hæreses & schismata pereunti subueniri non potest.



# QVÆSTIO DVODECIMA.

## De Apostasia.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm Apostasia pertineat ad infidelitatem?*

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Princeps propter apostasiam à fide amittat dominium in subditos, ita vt ei obedire non teneantur?*

### SECTIO I.

#### *De nomine & diuersitate Apostasiæ.*

SVMITVR apostasia varijs modis: Primò dicitur apostata, qui Ordinem in quo professus erat & vouerat, deserit; aut qui post susceptum Ordinem sacrum, sine dispensatione vxorem ducit, vel fit miles sæcularis. Ita accipitur capitulo Prætereà. de apostatis. vbi Glossa dicit hanc esse apostasiam irregularitatis. Immeritò autem Erasmus reprehendit hanc acceptionem apostasiæ, verè enim desertor & transfuga est, qui susceptum Ordinem relinquit, quod Græca voce apostatæ significatur.

Secundò dicitur apostata, qui deserit fidem Catholicam, quomodo hac quæstione maximè consideratur; atque ita potest reperiri apostasia in hæretico, pagano, Iudæo, & Saraceno.

Tertiò dicitur apostata quasi per antonomasiam, qui non solùm fidem Catholicam deserit, sed etiam professionem nominis Christiani; quo modo hæretici non possunt dici apostatæ, sed soli illi qui ad Iudaismum aut paganismum deficiunt.

Quartò, in Scriptura sacra, aut potiùs in versione vulgata, dicitur apostatare, qui recedit per inobedientiam à diuinis mandatis, Eccleſiastici 10. *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo.* In Græco tamen est, ἀνθρώπου ἀφισταμένου, *hominis deficientis*. Est ergo apostasia, ab arctiore vitæ genere, quam dicunt à Religione; est à fide Catholica, & à fide Christiana; & denique est apostasia à lege Dei. Postrema tamen acceptio non est in vsu: vsus enim obtinuit, vt odiosius sit apostatarum nomen, quàm vt cuilibet peccatori tribui possit.

SECTIO

## SECTIO II.

### *Quomodo se habeat Apostasia ad tres species infidelitatis, hæresim, Iudaismum, & paganismum?*

EST apostasia, vti hîc docet D. Thomas art. 1. ad 3. quædam circumstantia aggrauans, non tamen secundùm se mutat speciem: quia species non sumitur à termino à quo, sed à termino ad quem: apostasia autem, vt diximus, significat desertionem & recessum à termino; quare secundùm rem semper oportet apostasiam coincidere cum aliqua specie infidelitatis, sicut recessus à liberalitate coincidit cum vitio prodigalitatis aut auaritiæ. Neque tamen vice versa dicendum est, non posse infidelitatem esse sine apostasia. Quamuis enim verum sit, non posse esse sine apostasia à lege Dei; potest tamen esse sine apostasia à fide. Neque enim ad hæresim requiritur, vt suprà diximus, quòd quis priùs veram habuerit fidem quam reliquerit, multò minùs ad Iudaismum aut paganismum. Si quis autem contendat, eos qui à Catholicis ad hæresim deficiunt, non debere dici apostatas, eò quòd retineant professionẽ nominis Christiani; respondendum est, satis eos à fide deficere, qui Dei veritatem in vno articulo negantes, iam ipsum Deum negasse censentur, vt suprà ex D. Thoma diximus. Sanè Actorum cap. 21. vbi interpres vulgatus habet, *Audierunt de te, quia discessionem doces à Moyse*, &c. Græcè est, *quia apostasiam doces à Moyse*; quam tamen apostasiam solùm probant in vno articulo, *dicens*, inquiunt, *non debere eos circumcidere filios suos*. Sicut ergo apostasiam à Moyse illi iudicabant, si quis doceret, pueros non esse circumcidendos, quam doctrinam vocabant hæresim; ita rectè dixerimus, apostasiam esse à Christo, si quis priùs Catholicus, incipiat negare vnum articulum de lege Christi; verbi gratia, eum non esse in Sacramento. Hoc tamen fatendum, eos qui ad hæreticos deficiunt, minùs esse apostatas, quàm qui ad Iudæos aut paganos: quamuis enim hæresis sit maius peccatum, apostasia tamen dicit desertionem; desertio autem est maior, quando plus de fide abijcitur.

## SECTIO III.

### *De pœna Apostatarum.*

APOSTATAS easdem pœnas cum hæreticis incurrere, communis Doctorum opinio est, quos videre licet apud Azorium; estque textus apertus capitulo Contra Christianos, De hæreticis in 6. Inter has pœnas est illa quam tractat D. Thomas art. 2. Verùm de illa satis diximus in superioribus.

Quòd verò quidam dicunt, apostatas etiam non relapsos, quando ad Ecclesiam reuertuntur, debere tradi potestati sæculari morte puniendos; meritò ab alijs refutatur: est enim hac in parte idem etiam de apostatis dicendum, quod de hæreticis dictum, vt benè contra Ioannem Arelatanum Alphonsus à Castro lib. 1. cap. 23. de hæreticorum punitione.

Neque obest L. Hi qui. Codice de Apostatis; quia illa correcta est per canones, saltem quatenus statuunt, ne iudex sæcularis quomodolibet de hæreticis cognoscere aut iudicare præsumat, capitulo Vt inquisitionis. §. Prohibemus, De hæreticis in 6.

Si dicas, de hæreticis id esse constitutum, non autem de apostatis; esse autem standum iuri ciuili, etiam in foro Ecclesiastico, quando contrarium non reperitur in iure Canonico: respondeo, id non esse verum, nisi in ijs rebus, quæ iuri ciuili possunt esse subiectæ, qualis non est apostasia à fide; est enim crimen merè fori Ecclesiastici, secundùm illa quæ diximus 1.2.q.96.a.2.

# QVÆSTIO DECIMA TERTIA, ET DECIMAQVARTA.

## De Blasphemia.

## SECTIO I.

### *Quid sit Blasphemia?*

BLASPHEMIA est derogatio quædam alicuius excellentis bonitatis, præcipuè diuinæ. Quæ derogatio vel fit secundùm solam opinionem intellectus, vel coniuncta quadam affectus detestatione: vtraque vel est tantum cordis, vel etiam oris blasphemia; quæ posterior opponitur confessioni fidei. Ita diuus Thomas.

Hugo Victorinus, aut quicumque est auctor libelli De fructibus carnis & spiritus, cap. 6. ita definit: Blasphemia est cum quadam probrosa irreligiositate conuitiorum iaculata in alium maledictio. Concordat etymon Græcum: dicitur enim à proiectione aut nocumento famæ, vt annotat Petrus Matthæus in 7. Decretalium.

In Scripturis sacris blasphemare aliquando ita latè accipitur, vt non sit aliud quàm vituperare. Sic gigas quidam dicitur blasphemasse Israel: sic Apostolus se dicit blasphemari, quasi dicat, facienda esse mala vt eueniant bona: & alibi, *Blasphemamur & obsecramus.* & in Apocal. c. 2. dicitur angelo Smyrnæ: *Blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse.* Hac significatione etiam mali possunt dici blasphemari, vt obseruat Lorinus in cap. 6. Actorum. At nos hîc blasphemiam accipimus, vt est contra Deum, aut ei coniunctos Sanctos; quo modo ita horrenda est, vt etiam diabolus & impia ac procax mulier vxor Iob, & Iesabel, & calumniatores Naboth, ne voce quidem 2.Reg.21. 1.Paral.20 Rom.3. 1.Cor.4. 4.Reg.18. & 19. Iob 2. 3.Reg.21.



quidem eius vsi sint; sed contrarij nomine horrorem eius dissimulauerint, per antiphrasim, aut euphemismon, id est bonam ominationem, benedicere pro blasphemare vsurpantes. *Vineda in Iob.*

Controuertunt hîc Scholastici, Sítne blasphemia dicenda potiùs opponi fidei, quàm religioni?

Omissis varijs opinionibus, DICO PRIMO; Certum est, blasphemiam posse esse sine infidelitate: conuitium enim potest esse contra mentem conuitiantis, qui non credat vera esse quæ dicit; deinde est aliqua blasphemia omnino aliena ab infidelitate; vt cùm indecenter nominantur aliqua membra Christi aut Sanctorum.

DICO SECVNDO; Blasphemia illa oris, quæ Deo aliquid tribuit quod ei non conuenit, aut aliquid de ipso negat quod ei conuenit, se habet ad infidelitatem, sicut se habet confessio fidei ad fidem: & hoc modo intelligendi sunt, qui dicunt blasphemiam opponi confessioni fidei. Neque refert, quòd aliquando salua fide contingat; sic quempiam blasphemare ex mera malitia; quia etiam ex infirmitate & timore contingit exteriùs negari fidem, quæ corde retineatur. Hoc etiam modo poterit intelligi D. Augustinus quando lib. contra mendacium cap. 19. dicit, neminem posse esse blasphemum per veritatem, & blasphemando falsa dici de Deo.

DICO TERTIO; Si blasphemia consideretur prout ex affectu malo prouenit, rectissimè dicitur repugnare virtuti religionis. Ita sentiunt communiter recentiores, Azorius, Lælius, & alij. Confirmatur ex definitione Hugonis communiter recepta. Secundò, ex eò quòd blasphemiam videatur Ecclesiasticus infrà citandus opponere periurio, aut iuramento malè vsurpato. Certum enim est, peierare esse contra religionem, retenta contestatione diuinæ veritatis: erit ergo blasphemia contra religionem, conuulsa Dei veritate: aut si omnem omnino blasphemiam complecti velis, sicut omne iuramentum malè vsurpatum religioni repugnat, Dei veritatem quasi honoris specie malè contestando; ita omnis blasphemia repugnat religioni, Dei veritatem quasi conuitio traducendo.

Hinc colligitur, quinam blasphemi sint ab Inquisitoribus fidei aut Ordinariis cogendi abiurare, tamquam suspecti de hæresi, & qui non: qui enim blasphemando profitentur aliquem errorem contra fidem, præsumuntur contra fidem sentire. vt enim Lex dicit, *Nemo præsumitur aliter sentire, quàm loquitur*; adeoq; tamquam de hæresi suspecti, abiurare meritò coguntur.

## SECTIO II.

### *De grauitate peccati Blasphemiæ.*

GRAVITAS huius peccati multis modis in Scriptura indicatur; Primò, quia etiam à nomine blasphemiæ abhorret, vt suprà dixi. Secundò, quia audita blasphemia, narrat, solere cultores Dei vestimenta sua lacerare. Tertiò, quia blasphemus iubetur occidi, Leuitici 24. Imò Ecclesiastici 23. dicitur de blasphemia, *Est & alia loquela contraria morti. Non inueniatur in hereditate Iacob contraria.* id est, è vicino respondens: aut dicitur contraria iuramento etiam malè vsurpato, de quo ibi sermo præcesserat; quia peierans profitetur se honorare Deum, blasphemans autem profitetur Dei conuitium: quo modo si acceperis cum Iansenio, erit sensus, blasphemiam contrariam iuramento, esse in mortem. Hoc etiam facit illud capitis secundi Iob, *Benedic Deo & morere.* id est, prouoca Deum per blasphemiam, vt te interimat. Memorabilis est punitio blasphemi Sennacherib cum exercitu suo. Deinde Danielis 7. etiam gentilis rex Nabuchodonosor, mortis pœnam statuit blasphemantibus Deum Danielis. 4.Reg.19.

Vnde patet, rectè Principes gladio animaduertere in blasphemos. Iustinianus in Authenticis, fames, terræmotus, pestilentias, ab iratо propter blasphemias Deo immitti ait; hasque vltimo supplicio extirpandas. Nunc tamen mortis pœna consuetudine abrogata est, vt obseruat Azorius: grauissimæ tamen aliæ, tam ciuili, quàm Canonico iure irrogantur. Recentiorum Pontificum Iulij III. & Leonis X. Constitutiones in blasphemos videre licet in 7. Decretalium, titulo de blasphemis & aleatoribus.

Quamuis autem blasphemia grauissimum & maximum sit peccatum; materialis tamẽ blasphemia, quæ ex suggestione diaboli, solet in mente neophytorum suscitari, non est peccatum hominis non consentientis, sed diaboli tentantis: nam etiam damnatos Deum blasphemare, eoque peccare, quamuis nihil de nouo mereantur, rectè & conformiter Scripturæ docet D. Thomas.

Remedia eorum qui sic tentantur, & inuiti patiuntur blasphemas dæmonis suggestiones, videre licet apud Ioannem Gersonem, Alphab. 71. lit. N.

Non esse statim absoluendos, qui in priùs confessam aliquoties blasphemiam relapsi sunt, sed differendum esse ad aliquot dies, quibus prauam consuetudinem emendent, salubriter monet Graffius.

## SECTIO III.

### *De Blasphemia Spiritus.*

BLASPHEMIA Spiritus sancti, de qua in Euangelio, non est peccatum quodlibet hominis baptizati, vt quidam antiquorum voluerunt; neque finalis impœnitentia, quæ potest dici peccatum in Spiritum sanctum, sed non habet speciem blasphemiæ; neq; etiam peccatum quod ex malitia admittitur, propter eamdem causam: qui enim ex malitia fraternam oppugnat charitatem, non propriè peccat in religionem, adeoque non est blasphemus. Blasphemia ergo in Spiritum sanctum erit, quando ex malitia Deus aut Sancti eius blasphemantur: malitia enim opponitur bonitati, quæ appropriatur Spiritui sancto. Matth.12.

Dices; Omnis blasphemia videtur esse in Spiritum sanctum, quia vt docet D. Thomas hîc q. 13. art. 1. blasphemia semper derogat excellenti bonitati.

Respondeo, hoc non sufficere: potest enim derogari diuinę bonitati ex passione, quomodo ex ira quidam blasphemant, quæ erit blasphemia in Patrem; est enim ex animi impotentia: Patri autem appropriatur potentia. Potest etiam diuinæ bonitati derogari per ignorantiam, quæ est blasphemia in Filium, cui sapientia & scientia appropriantur; quo modo Paulus blasphemus fuit, ignorans in incredulitate. Confirmatur hæc sententia 1. Tim. 1.

tentia ex verbis Marci; ipse enim explicans quam dixerit Dominus blasphemiam Spiritus, addit:
Marci 3. *Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet.* Hoc autem in Filium dicebant; sed quia ex ingrati animi malitia dicebant, non in Filium, sed in Spiritum sanctum dicuntur blasphemi: neque enim ex offensione & passione animi id dicere potuerunt in eum, à quo beneficia per eadem miracula accipiebant, quæ calumniabantur: neque ex ignorantia; quia nulla erat probabilis ratio, quare Scribæ homines docti, tam euidentia Dei opera principi dæmoniorum adscriberent. Datur ergo blasphemia, quæ non est Spiritus blasphemia; & datur peccatum in Spiritum sanctum, quod non est blasphemia.

De reliquis satis clarè disserit D. Thomas, quæ addi poterant pertinentia ad blasphemiam Spiritus, sicut etiam de q. seq. De illis verò quæ pertinent ad q. 16. quæ est de præceptis fidei, satis diximus in superioribus, præsertim q. 2.

# QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

## De Spe.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm Spes sit virtus?*

SPEI nomen variè accipitur; Impropriè, pro contrario accipitur sperare pro timere, vt ex Virgilio obseruat Augustinus c. 8. Enchiridij. Sic Iudith capite 13. *Sperabant eam iam non esse venturam.* Generatim alioqui spes sonat expectationem boni; sed aliquando accipitur pro passione, quo modo etiam brutis communis est; estque boni, futuri, ardui, & possibilis: quia boni, differt à timore: quia futuri, differt à gaudio: quia ardui, differt à communi desiderio & cupiditate: denique quia possibilis, differt à desperatione. De spe vt passio est, accuratè tractat D. Thomas 1.2. q. 40.

Est præterea spes consideranda in rationali parte, qua speretur bonum aliquod quod superet sensitiuam partem, puta honestum. Verùm sicuti per irascibilem partis sensitiuæ, non speratur bonum rationis, sed tantùm sensus; ita animalis homo non sperat ea quæ Dei sunt, vt præter sensitiuam spem & naturalem illam rationalis partis, constituenda sit spes diuina, qua speretur bonum supernaturale & diuinum: atq; hæc est spes Theologica de qua agimus. Sicut enim bonum, Theologicè loquendo, non aliud absolutè dicitur, quàm supernaturale illud pertinens ad beatitudinem supernaturalem; ita spei nomen peculiare est illius boni expectationi. Quæ spes retinet generalia illà, quæ etiam in spe sensitiua reperiuntur, quod sit boni, futuri, ardui, & possibilis, & (vt addit Augustinus) pertinentis ad sperantem.

In hac significatione varietas illa obseruanda est, quæ in similibus vsu venire solet: vsurpatur enim vox spei nunc pro habitu, nunc pro actu, nunc pro obiecto quod speratur, vt apud Apostolum ad Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes.* nunc pro eo à quo speramus; quomodo Deus dicitur spes nostra, Ps. 13. *Dominus spes eius est.* quamuis multis placeat, spē ibi pro obiecto spei sumi; nam Deus non solùm est in quo speramus, sed quem speramus: sed prior sensus est illustrior. Denique aliquando accipitur pro eo per quem aliquid obtinere speramus; quo modo Christus homo est spes nostra, quia per eius merita speramus saluari: & D. Virgo salutatur spes nostra, quòd per eius intercessionem speremus saluari.

De habitu spei Theologicæ quæritur, An sit virtus? Respondet D. Thomas affirmatiuè. Probat, quia actus spei est bonus, eò quòd attingat propriam regulam, quæ est Deus: qui enim sperat beatitudinem, eam sperat vt possibilem non suis viribus, sed auxilio Dei: nititur ergo diuino auxilio, adeoque benè agit: omnis autem actus bonus est actus virtutis; spes ergo virtus est. Idem satis indicant Sacræ litteræ, quando nos ad spem hortantur, eam laudant, eius merita commendant ad Hebræos 10. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Ad Romanos 8. *Spe salui facti sumus.* & cap. 5. *Spes non confundit.* Psal. 90. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum.* Similia in Psalmis sæpè alibi occurrunt: nam (vt notat Genebrardus in Psal. 3.) in Psalmis beatitudo adscribitur spei, quę in epistolis Pauli fidei assignatur; eò quòd Dauid cum fidelibus agat, Paulus cum infidelibus aut recèns conuersis. Imò prioris ad Corinth. 13. apertè ipse Apostolus spem virtutibus annumerat. Accedit quòd Augustinus lib. 2. qq. Euangelicarum c. 22. & epistola 121. ad Probam cap. 8. inter præcipua Dei dona spem recenseat, significatam Lucę 11. similitudine oui. Denique tantum bonum est spes, vt sine illa nullum à Deo bonum petamus.

Obiicies, Spem informem non videri virtutem, itaque verum non esse, includi virtutis rationem in ratione spei; ratio enim spei tota reperitur in spe informi. Antecedens probatur, Quia temerè speratur beatitudo sine charitate, vt patet ex Apostolo prioris ad Corinth. 13. At spes hypocritæ & impiorum dicitur peritura, Prou. 10. & Iob cap. 8.

Respondeo, Spem etiam informem esse virtutem. Ad confirmationem antecedentis dico, eum qui habet spem informem, non sperare quòd sine charitate obtinebit beatitudinem, sed sperat beatitudinem obtinere per Dei auxilium: per Dei enim gratiam ei possibilis est: atque ita si non explicitè, saltem tacitè, & virtute priùs sperat obtinere remissionem peccati sui, & tam charitatem quàm beatitudinem. Illud tamen lubenter damus, spem informem non habere statum virtutis, sicuti suprà diximus de fide.

Obijcies



Obiicies Secundò, Passiones non esse virtutes, sed earum moderationes; itaque quod in mente respondet passioni spei, non erit virtus.

Respondeo negando sequelam. Hoc enim argumento solùm efficitur, passionem non posse esse virtutem moralem aut intellectualem: sed vt benè D. Thomas q. 7. de spiritualibus creaturis art. 1. ad 6. non sequitur, amorem & spem, quando secundùm Dei leges attingunt Deum, non posse esse virtutes Theologicas; summo enim bono per amorem & spem non possumus nimis coniungi præsenti inhęsione aut spirituali contactu.

Obiicies Tertiò: Timor non est vitium; ergo spes non est virtus.

Respondeo, Non sequi. Spes enim non est virtus quatenus est expectatio rei bonæ, alioqui etiam spes humana esset virtus: neque rursus quatenus est expectatio boni à Deo, quia sic etiam præsumptio esset virtus; sed tum demum induit rationem virtutis, quando secundùm Dei legem à Deo bonum expectatur. Timor opponitur spei secundùm primam illam generalem rationem, qua est expectatio boni: itaque non illi opponitur vt est virtus; ne mirum sit spem posse esse virtutem, etiamsi timor non sit vitium: alioqui si ex vitiis oppositis hìc argumentari libeat, ita argumentum inuertemus; Desperatio & præsumptio sunt vitia; ergo spes est virtus.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm beatitudo æterna sit obiectum proprium Spei?*

### SECTIO I.

#### *De obiecto materiali Spei.*

HIC examinandum in primis est, quidnam potissimùm speremus, an Deum ipsum in se, an Deum visum, an visionem Dei, an bona aliqua creata? sequenti autem sectione videbimus, quodnam sit obiectum formale spei.

ASSERTIO PRIMA. Beatitudo siue vita æterna est obiectum materiale spei, siue res quæ speratur. Est de fide, ad Titum 2. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.* & cap. 3. *In spem vitæ æternæ.* Ad Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ.* & 8. *Spe salui facti sumus.* Ad Ephes. 1. *Vt sciatis quæ sit spes vocationis vestræ, & diuitiæ gloriæ hereditatis.* Ad Hebr. 6. dicitur spes incedere vsque ad interiora velaminis, hoc est in ipsum cælum beatorum, vbi Dei vultus cernitur, vt explicat ipsemet Apostolus cap. 9.

SECVNDA ASSERTIO. Parum refert, siue dicatur obiectum materiale spei beatitudo obiectiua, id est ipse Deus; siue beatitudo formalis, id est visio Dei. Eódem enim recidit, siue Deum sperari dixeris, siue Dei visionem: Deus enim per visionem possidetur & comprehenditur; sicuti parum refert, an auarum dicas sperare pecuniam, an pecuniæ possessionem. Ratio est, quia per spem homo tendit in bonum vt summum, secundùm Augustinú Enchiridij 8. Hinc enim fit, vt Deus non sit obiectum spei, nisi vt videndus. Neq; rursus Deus vt videndus sit spei obiectum, nisi vt visio illa est comprehensio, & possessio summi boni supernaturalis ipsius sperantis.

Si quis autem quærat, Sitne visio Dei eodem modo obiectum spei, quo Deus ipse? Respondeo; Si in visione spectes possessionem Dei, tentionem ac comprehensionem, frustrà id quæritur: quia (vt dictum est) idem est sperare Deum, & sperare Dei visionem, nisi quòd posterius sit explicatius. Si verò visionem consideres vt creatum quoddam bonum inhærens homini; vel eam considerabis vt id quod obtinetur, & sic erit inter secundaria obiecta spei; vel vt id quo aliud, videlicet Deus ipse obtinetur, quo modo redibit consideratio altera, qua diximus, non posse Deum & visionem distingui, tamquam duo obiecta spei.

ASSERTIO TERTIA. Bona creata pertinent ad obiectum spei, quatenus conducunt ad Dei comprehensionem, aut inde consequuntur. Intelligo tam naturalia quàm supernaturalia: per se tamen magis sperantur supernaturalia, quia per se conducunt aut consequuntur ad beatitudinem supernaturalem: quæ verò naturalis sunt ordinis, hactenus dum sperantur, induunt rationem boni supernaturalis, quia bonitas finis propter quam expetuntur, supernaturalis est. Quidquid ergo speratur, vel beatitudo est, vel caussa eius, aut medium, vel effectus; ita vt ipse Deus, qui beatitudo nostra est, quodammodò solus speretur, dum hęc omnia sperantur secundùm legem eius.

### SECTIO II.

#### *De formali obiecto Spei.*

NONNVLLVM est dissidium Theologorum de obiecto formali huius virtutis. D. Bonauentura in 3. dist. 26. q. 4. dicit bonum esse obiectum spei sub ratione ardui, siue magni. quod declarat hoc modo: *Spei*, inquit, *duplex est actus; facit enim spes considere, & confidendo facit expectare: qui autem rectè confidit, eo nititur, qui simul & potentissimus sit & munificentissimus.* Potentissimo autem & munificentissimo iam fidens & innitēs, magna & ardua ab eo expectat. Hoc itaque modo, magnum bonum sperantis, eique arduum, erit obiectum spei, & quidem spei diuinæ obiectum erit summum bonum sperantis, ita arduum, vt non nisi diuino auxilio expectari queat.

D. Thomas q. 7. de spiritualibus creaturis a. 1. apertè dicit, obiectum formale spei, esse auxilium diuinæ potestatis & pietatis.

Vasquius in primam partem disput. 84. & in primam 2. dist. 15. cap. 5. dicit, spem non versari circa arduum bonum, tamquam obiectum formale, cùm etiam desiderium circa arduum & difficile bonum versetur: res enim, inquit, quò sunt difficiliores, eò ardentiùs desiderare solemus. Dicit ergo, rationem formalem obiecti affectus spei in eo consistere, quòd respiciat illum à quo res speratur, tamquam superiorem & potentiorem, qui possit præstare id quod speratur, & forsitan in eo consistere rationem difficilis, quam dicit sanctus Thomas ad obiectum spei pertinere. Vult itaque Vasquius, Deum à quo bonum speratur, vt sic, esse obiectum formale spei, non autem id quod speratur: quemadmodum & obiectum formale fidei non est id quod credimus, sed cui credimus, quod confirmans adiungit: nam formale, inquit, obiectum spei, est difficile; difficultas autem in eo est, quòd ab alio aliquid speretur. Præterea si quis speraret regnum cælorum & ipsum Deum, ab

alquo angelo aut homine, ſpes non eſſet diuina & Theologica, ſed humana aut angelica. Formale ergo obiectum ſpei, eſt is à quo ſperamus. Ita Vaſquius.

De hac re ſatis difficili, illud in primis monendum arbitror, in ſpe diuina obiectum formale quærendum eſſe ſecundùm proportionem ſpei in genere: in ſpe autem generaliter conſiderata, ſubeſt radicalis quidam amor, ex quo dum abeſt bonum quod amatur, oritur deſiderium eius habendi. Deſiderium autem tranſit in fiduciam adipiſcendi, quando bonum apprehenditur vt poſſibile, & ſi quidem propriis viribus, abſque alterius auxilio ſit obtinendum; adhuc non dicitur propriè ſperari: ſi autem non niſi alterius auxilio obtineri queat, expectari ab eo dicetur & ſperari, quando ipſe & ſatis potens, & ſatis beneficus ad nos iuuandum fuerit. Spes ergo pro obiecto formali habet ipſum à quo accipere ſperamus, conſideratum ſub ratione auxiliatoris: ſpes autem diuina, tamquã obiectum formale, reſpiciet Deum vt auxiliatorem, vel quod in idem redit, auxilium diuinæ poteſtatis & pietatis, vt loquitur diuus Thomas. Sicut enim in fide, Dei reuelantis auctoritas, vt diximus ſuprà, eſt ratio immediatè mouens & inducens ad aſſenſum veritatis obſcuræ; ita in ſpe, auxilium Dei potentis & pij eſt ratio immediatè mouens & inducens ad expectandum bonum arduum tali largitore dignum. Arduum itaque in ſpe ſe quodammodò habet ſicut obſcuritas in fide: boni autem & propitij Dei conceptum auxilium ſe habet in ſpe, ſicut auctoritas Dei in fide. Quocircà ſicut quando obſcuritatem vincit Dei veracitas, adhibetur fides; infidelitas autem oritur, quando obſcuritas vincit reuelationem: ita ſpes oritur, quando rationem ardui vincit auxilium eius in quem ſperamus; oritur autem deſperatio, quando contrà tale auxilium apprehenditur ſuperare rei difficultas. Quando ergo bonum fit nobis poſſibile Dei ſupernaturali auxilio, aliàs impoſſibile, illud iam arduum eſt, & tranſmutat deſiderium in ſpem & expectationem.

Confirmatur hæc ſententia ſacris Scripturis, quæ ſatis indicant, ſpem humanam reſpicere in auxilium hominum, & ſpem diuinam in auxilium Dei; Eccleſiaſtici 51. *Reſpiciens eram in adiutorium hominum, & non erat.* Pſalm. 17. *Deus meus, adiutor meus, & ſperabo in eum.* 2. Machab. 5. *Machabæus autem ſemper confidebat cum omni ſpe auxilium ſibi à Deo adfuturum.*

## SECTIO III.

### *Argumenta contra doctrinam articuli proponuntur & ſoluuntur.*

PRIMO arguitur, Deum non eſſe qui ſperatur: bonum enim quod ſperatur, appetitur amore concupiſcentiæ tamquam bonum ipſius ſperantis. Dicit enim Auguſtinus in Enchiridio c. 8. ſpem non eſſe niſi earum rerum quæ pertineant ad ſperantem: inordinatum eſt autem appetere Deum propter hominis aut alicuius creaturæ bonum; hoc enim eſt vti fruendis, quod inordinatum eſſe oſtendit Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana; ergo inordinatum eſt Deum ſperare propter bonum ſperantis.

Reſpondeo; Quando fidelis ſibi appetit Deum, non appetit Deum propter creaturam, tamquam propter finem, quod inordinatum eſſet; ſed ſuum finem ſibi aut creaturæ, tamquam ſubiecto appetit; quod non eſt aliud, quàm velle ſibi illam fruitionem, qua Deo tamquam vltimo fini, propter gloriam ipſius Dei inhæreat: ſibi ergo Deum ſperat, ſed Deo etiam hoc ipſo ſeipſum ſubiectum perfectè eſſe deſiderat.

Obiicitur Secundò: Omnis amor concupiſcentiæ, id eſt, quo quis aliquid amat vt bonum proprium, eſt naturalis; itaque ſi ſpes oriatur ex eiuſmodi amore, videbitur & ipſa naturalis.

Reſpondeo, Amorem concupiſcentiæ oriri duobus modis ex amore beneuolentiæ, quo quiſque ſibimetipſi benè vult: vno, vt amor iſte beneuolentiæ ſit cauſſa, quare mihi bonum velim, ſub communi ratione boni; & hactenus amor concupiſcentiæ qui eſt in actu ſpei, poteſt dici radicari ex parte in amore naturali, quo ſeipſum quiſque diligit: altero, vt amor beneuolentiæ ſit cauſſa ſpecificationis, quare hoc bonum mihi velim; atque ita amor concupiſcentiæ, in qua radicatur actus ſpei, non oritur ex amore beneuolentiæ naturali, ſed ſupernaturali, quo homo ſibi vult vitam æternam.

Obiicitur Tertiò: Prius eſt finem ſperare, quàm ſperare alicuius auxilium ad illud obtinendum; non ergo rectè dictum eſt, Deum vt auxiliatorem eſſe formale obiectum ſpei.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens; Quando aliquid ſic eſt medium finis obtinendi, vt ſimul ſit ratio poſſibilitatis ipſius finis, non repugnat illud eſſe obiectum formale ſpei, qua iſte finis ſperetur. Atqui ita eſt in propoſito: auxilium enim Dei conſtituit beatitudinem nobis poſſibilem, non tantùm facit vt eam obtineamus.

Obiicitur Quartò: Auxilia Dei ſunt res creatæ, verbi gratia, dona illa gratuita, quæ nobis inhærent: obiectum autem formale ſpei eſt quid increatum, vt latiùs dicetur infrà articulo quinto.

Reſpondeo, Auxilium diuinæ potentiæ & miſericordiæ, quod eſt obiectum formale ſpei, conſiderari vt eſt in ipſo Deo; ſicuti quando ab homine aliquid ſperas, vires reſpicis & fauorem tui, quæ in ipſo ſunt; auxilium ergo Dei hîc eſt ipſe Deus, auxiliator fortis.

Obiicitur Quintò: Spes non tantùm attingit Deum ſicut primam cauſſam efficientem, quatenus eius auxilio nititur; ſed etiam ſicut vltimam cauſſam finalem, vt dicit S. Thomas infrà art. 5. ergo obiectum formale eius non rectè ponitur in ſolo Dei auxilio.

Reſpondeo, Quatuor eſſe actus vnius & eiuſdem habitus ſecundùm ſubſtantiam: videlicet amorem concupiſcentiæ beatitudinis ſupernaturalis, deſiderium, ſpem, & gaudium ſeu delectationem. Finis autem vltimus ſeu beatitudo, eſt obiectum omnibus illis quatuor commune: ſed adiutorium Dei ad futuram beatitudinem obtinendam nobis paratum, eſt proprium obiectum ſpei. Illud ergo rectè aſſignatur, quamuis generaliori ratione ſpes attingat Deum vt finem vltimum.

ARTI-



## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm aliquis poſſit alteri vitam æternam ſperare?*

RESPONDEO cum D. Thoma; Simpliciter loquendo, ſpes directè reſpicit proprium bonum, non autem alterius: ſed præſuppoſita vnione ſperantis cum altero per amorem, poteſt alteri ſperare vitam æternam, quatenus ſibi vnito per amorem; vt non ſolùm ſibi, ſed etiam proximo quiſque ſperet, per eamdem virtutem ſpei, ſicuti per eamdem charitatem diligit Deum, ſeipſum, & proximum. Sic defunctis ſperamus glorioſam reſurrectionem. Quò referunt quidam illud Apoſtoli Actor. c. 23. *De ſpe & reſurrectione mortuorum ego iudicor.* Quibus fauet Syrus: habet enim; *De ſpe reſurrectionis mortuorum ego iudicor.*

Obiicitur; Cùm alteri ſpero beatitudinem, potiùs ex charitate id proficiſci, quàm ex vi tutæ ſpei, præſertim cùm etiam Chriſtus & beati nobis ſperent beatitudinem. Deinde ſi oportet eſſe coniunctum vinculo charitatis illum cui ſperamus; ſequeretur, neque iuſtum peccatori, neque peccatorem iuſto poſſe ſperare vitam æternam.

Reſpondeo ad primum ex Almaino in 3. diſtinct. 26. Sicuti poſſum mihi optare beatitudinem duobus modis: vno tamquam in ſe bonam, quæ pertinet ad charitatem, qua etiam meipſum diligo; altero tamquam mihi commodam, quaſi ex amore concupiſcentiæ, qui pertinet ad virtutem ſpei: ita etiam proximo poſſum optare beatitudinem, vel ſimpliciter vt eſt in ſe bona, quod pertinet ad virtutem charitatis; vel vt eſt commoda ipſi mihi coniuncto, quod pertinet ad virtutem ſpei. Alij hanc diſtinctionem aliter explicant. Dicunt enim, optare beatitudinem proximo, pertinere ad ſpem, ſi eam optem quatenus in meum cedit commodum, ex amore concupiſcentiæ; puta quia pro me eſt oraturus: pertinere autem ad charitatem, ſi ex amore beneuolentiæ erga proximum, optem ei æternam ſalutem. Ita videtur conſiderare Suarez 3. parte q 7. a. 4. Sed prior magis placet, tum quia videtur conformior D Thomæ hoc articulo; tum etiam quia in propoſito, quando ſpei actum à charitatis actu diſtinguimus, debemus amorem beneuolentiæ & concupiſcentiæ conſiderare vt circa Deum verſantur, & vt amores Dei; proximum autem debemus conſiderare ſicut noſipſos.

Ad confirmationem reſpondeo, Beatos habere ſpem de quibuſdam rebus futuris, inter quas eſſe poteſt noſtra beatitudo, quamuis non habeant ſpem virtutem Theologicam, qua fruuntur Dei viſione: Chriſtus verò non ita propriè dici videtur ſperare beatitudinem noſtram, quia ipſe nobis illam præſtabit: ſpes autem reſpicit alterius, & quidem ſuperioris auxilium. Quia tamen diuus Thomas tertia parte q. 18. a. 4. admittit, Chriſtum habuiſſe ſpem aliquorum quæ nondum erat adepta; poterit idem de ipſo, ſecundùm humanam naturam conſiderato, dici quod de beatis dictum eſt: præſertim cùm in Scripturis, Chriſtus dicatur in Deum ſperaſſe. Pſal. 21.

Ad ſecundum reſpondeo, Doctrinam S. Thomæ non habere, quòd illum cui ſperemus, oporteat eſſe coniunctum nobis vinculo charitatis; ſed ſolùm quòd coniunctus eſſe debeat vinculo amoris, quomodo omnis proximus ex lege Dei coniunctus nobis eſſe debet: amor autem latiùs patet quàm charitas, quatenus eſt amicitia & mutua, vt infrà dicemus, q. 23.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm aliquis licitè poſſit ſperare in homine?*

RESPONDEO cum D. Thoma, non licere ſperare in homine, aut in alia creatura tamquam prima cauſſa mouente in beatitudinem, ſed ſolùm tamquam in agente ſecundo & inſtrumentali.

Priorem partem probant omnes illæ Scripturæ, quæ maledicunt & reprehendunt ſperantes in homine, in carne, aut in ſemetipſis, quæ docent in ſolo Deo eſſe ſperandum, 2. Par. 6. Pſ. 43. & 146. Ieremiæ 17. & alibi ſæpè. De quo videre licet Auguſtinum epiſtola 52. Chryſoſtomum homil. 56. in Geneſim, & in Pſ. 117. vbi illud, *Bonum eſt ſperare in Domino quàm ſperare in principibus*, dicit, non accipiendum comparatiuè, quaſi aliquo modo ſit bonum ſperare in principibus; ſed Scripturam pro ſuo more, ad faciliorem rudiorum captum ſignificare, ſimpliciter malum eſſe, ſperare in homine etiam principe.

Poſterior pars probatur, Quia reuerà Sancti poſſunt nobis eſſe auxilio ad conſequendam beatitudinem; poſſumus itaque hoc ab eis petere & ſperare: & vt eſt Iob cap. 5. poſſumus in neceſſitate noſtra ad aliquem Sanctorum nos conuertere: quod conſilium Elipham videtur Iob ſequutus cap. 19. vbi dicit, *Miſereminimei, ſaltem vos amici mei:* in illa enim verba ita ſcribit Auguſtinus: *Angelos videtur poſtulare, vt pro eo deprecentur; aut certè Sanctos, vt pro pœnitente orent.*

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm Spes ſit virtus Theologica?*

RESPONDET affirmatiuè, & probat: Quia virtus Theologica eſt quæ Deum habet pro immediato obiecto, prout excedit cognitionem rationis naturalis; ſpes autem Deum attingit, & tamquam efficientem primam cauſſam, & tamquam vltimum finem ſupernaturalem.

## SECTIO I.

### *Quid virtus Theologica?*

VIRTVTEM Theologicam rectè definieris virtutem, quæ actu ſuo interno immediatè attingit ipſum Deum, prout naturalem cognitionem excedit. Nam quòd D. Thomas 1. 2. q. 62. a. 1. ad virtutem Theologicam requirit, vt ſit à Deo infuſa, & vt ſola diuina reuelatione in Scriptura ſacra nobis reueletur; inde prouenit, quia verſatur circa Deum vt ſupernaturaliter notum: ſpes autem acquiſita de Dei bonitate, non erit virtus Theologica, quidquid de hac ſenſerint Scotus & Gabriel; quia non tendit in Deum modo ſupernaturali: ob eamdem cauſſam neque ſapientia erit virtus Theologica ſecundùm Almainum.

Quæres, Quomodo oporteat virtutem Theologicam versari circa Deum, An ita, vt versetur circa Dei essentiam; an verò sufficiat vt versetur circa Dei bonitatem, veritatem, aut aliud simile attributum Dei?

Respondeo, hoc sufficere: Deus enim est sua bonitas, sua veritas, &c. Poterit itaque spes esse virtus Theologica, etiamsi versetur immediatè circa auxiliatricem Dei misericordiam, vt benè obseruat Lælius.

Quæres Secundò, Cùm duplex sit obiectum; vnum quod vocant obiectum quod, alterum quod vocant obiectum cui; vtrum in virtute Theologica oporteat esse Deum?

Respondeo, Eo ipso quo obiectum quod est Deus; consequi vt etiam obiectum cui quodammodò sit Deus. Si enim supernaturalem Dei veritatem credas; oportet eam credas Deo reuelanti: nemo enim nouit quæ Dei sunt, nisi Spiritus Dei. Si Deum affectu benevolentiæ diligas, oportet illi velis diuinam suam perfectionem. Si Deum speras, oportet Deo confidas, cuius auxilio Dei visionem consequaris. E conuerso, si Deo credis, oportet vt Deum credas: si in Deum munificum speras, oportet vt Deum seu Dei visionem speres: sua enim munificentia dignum nihil præstabit, nisi seipsum exhibeat. Si Deo benè velis per charitatem, oportet ipsi suam velis naturam & perfectionem: vtrumque ergo in virtute Theologica spectandum est.

## SECTIO II.

### *Probatur Spem esse virtutem Theologicam.*

EX iam dictis non erit difficile probare, spem esse virtutem Theologicam: attingit enim Deum immediatè, tam in ratione primi efficientis, quàm in ratione vltimi finis. Confirmatur ex capite sexto ad Hebræos: *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, incedentem vsque ad interiora velaminis.* Anchora spei nostræ firma esse non potest, nisi incedat vsque ad interiora velaminis, id est nisi ipso Deo, qui habitat in sancto Sanctorum in interioribus velaminis, nitatur; spes enim quæ in creatura ponitur, non est tuta & firma anchora, sed, vt benè dixit Philosophus, *est vigilantium somnium*; & timorem deceptionis coniunctum habet; vt meritò Seneca dixerit, spem vnà cum timore eadem catena reuinctam esse, & post spem metum sequi. Accedit auctoritas Apostoli, spem connumerantis virtutibus Theologicis.

Verùm quòd spes non sit virtus Theologica, præter argumenta quæ sunt apud D. Thomam, suadetur Primò, Spes potiùs versatur circa Dei visionem, quàm circa Deum: non est ergo magis virtus Theologica, quàm visio Dei sit Deus.

Verùm ad istud argumentum patet responsio ex dictis suprà art. 2. sect. 1. vbi diximus, spem immediatè attingere Deum, quãdo speramus Dei visionem; eò quòd illa visio speretur tamquam possessio quædam Dei, siue summi boni.

Secundò, Speratur non tantùm Dei visio siue gloria, sed etiam venia & gratia, imò & quæcumque oratione Dominica continentur: hæc enim oratio spem Christianam cõtinet, sicut Symbolum fidem, & Decalogus charitatem. Versatur ergo spes circa illa quæ sunt ad finem, quod est virtutis moralis, cùm Theologicæ potiùs sit, versari circa ipsum finem.

Respondeo cum D. Bonauentura, Spem non versari circa bona creata, nisi ex motiuo summi boni: ideò enim speramus veniam & gratiam, quia conducunt ad supernaturalem beatitudinem.

Tertiò, Obiectum cui in spe, est ipse homo qui amore concupiscentiæ tamquam sibi commodam appetit Dei visionem: dictum autem est suprà, in virtute Theologica Deum esse non solùm obiectum quod, sed etiam obiectum cui; ergo spes non est virtus Theologica.

Respondeo; Iam explicuimus quomodo etiam obiectum cui in spe quodammodò sit ipse Deus; erit itaque virtus Theologica etiamsi obiectum cui speramus, non sit ipse Deus, sed nosipsi: hoc enim in constituenda specie virtutis, in affectibus amoris concupiscentiæ non consideratur.

Dices; Quando ex amore concupiscentiæ nobis Deum speramus, Deum ad nos tamquam ad finem referimus.

Respondeo, Nullo modo; sed nobis tamquam subiecto, vltimum finem nostrum Deum speramus. Si autem vltimus noster finis in spe Deus sit, sequitur quòd quodammodò dum speramus in ipsum Deum, nos & omnia nostra, etiam spem nostram, visionem nostram, imò & Deum vt nostra possessio est, aut futura speratur, referamus.

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm Spes sit virtus distincta ab alijs virtutibus Theologicis?*

REFERT Almainus tres opiniones de hac re. Voluerunt enim quidam, spem sola ratione distingui à fide & charitate, quasi sit fides & charitas aggregatione quadam. Alij voluerunt spem cum fide esse eamdem, eoque solo differre, quòd spes sit particula quædam fidei, eius nimirum propositionis aut similis: Habebo beatitudinem ex gratia & meritis; vt spes sit fides in particulari, fides autem sit in vniuersali. Cuius opinionis etiam meminit D. Thomas in 3. quando agit de certitudine spei. Alij voluerunt actum quidem spei esse distinctum ab actu fidei & charitatis, sed tollebant necessitatem habitus spei: quia dicebant, actum spei necessariò sequi ad illos duos.

Ceterùm fidei est, tres istas virtutes esse distinguendas. Clarissimè enim eas distinguit Apostolus 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas; tria hæc.* Vbi videtur voluisse excludere errorem Caluini, qui in commentario loci, dicit spem nihil esse aliud, quàm fidei perseuerantiam. Si enim ita esset, manssissent quidem fides, spes, charitas; sed non fuissent *tria hæc*: neque enim duo sunt fides & perseuerans fides. quid enim est perseuerare, nisi vnam & eamdem perseuerare? Præterea, contra nostri temporis hæreticos spem à fide distinguit Trident. sess. 6. can. 12. quæ etiam est communis sententia Patrum in dictum Apostoli locum, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, & Augustini Enchiridij c. 8.

Confirmatur ratione. Spes non est nisi bonarum rerum futurarum, & ad eum pertinentium, qui



qui earum spem gerere perhibetur; fides autem est etiam malarum & timendarum rerum, est etiam præsentium, & præteritarum, & alienarum. Ita ferè Augustinus loco citato. Rursum, charitas est amor benevolentiæ, spes autem pertinet ad amorem concupiscentiæ: per charitatem, Deo benè volumus propter se, in spe nobis possessionem tanti boni volumus per visionem Dei. Quamuis ergo spes non sit sine amore, vt benè Augustinus; non est tamen ille amor charitatis: imò charitas est vnum ex illis, quæ sibi peccator per Dei gratiam sperare potest.

Quod verò attinet ad illam opinionem, quæ ita dicit ex fide & charitate sequi actus spei, vt habitus spei sit superuacaneus: partim ea ex dictis iam est refutata, partim ex duobus sequentibus articulis refutabitur: ex ea enim sequitur, spem non esse origine priorem charitate, sed posteriorem.

## ARTICVLVS VII. & VIII.

### *Vtrùm Spes præcedat fidem & charitatem?*

PRIMA CONCLVSIO: Ordine originis certum est, primam harum virtutum esse fidem, secundam spem, tertiam charitatem. Illo enim ordine Scriptura & Concilia recensent; imò Concilium Trident. apertissimè ordinem esse generationis ostendit. Idem docent Patres apertissimè. Glossa in illud Matthæi, *Abraham genuit Isaac*: fides generat spem, spes autem charitatem. Scholastici, inter quos Bonauentura, fidem faciunt similem fundamento, reliquam molem sustentanti in spiritali ædificio; spem parieti erigenti; charitatem tecto consummanti. Confirmatur idem ex certa alia doctrina: Prius potest remanere ablato posteriore; non contrà, posterius sublato priore: atqui manet spes sublata charitate, & fides sublata spe, quamuis id rarius: est ergo spes charitate prior, fide posterior: neque enim sine spe est charitas, aut sine fide spes.

Obiicitur; Spes oritur ex amore, vt docet Augustinus Enchiridij 8. & Ambrosius in 17. Lucæ; ergo est posterior.

Respondeo, Amorem amore priorem esse, amor imperfectus & concupiscentiæ, prior est amore perfecto benevolentiæ aut amicitiæ; ex amore concupiscentiæ oritur spes, charitas autem est amor amicitiæ seu benevolentiæ.

Ad Augustinum respondeo cum D. Thoma quæstione disputata de spe, ipsum loqui de spe quę est ex meritis præcedentibus. Ad Ambrosium verò, quòd velit spem formatam ex charitate oriri. De amico enim magis confidimus, alioquin & ipsam amicitiam sperare possumus.

CONCLVSIO SECVNDA. Ordine dignitatis certum est primam esse charitatem. Probatur ex Apostolo priore ad Corinth. 13. *Maior autem horum est charitas.* Quem locum mirè deprauat Caluinus, ne cogatur fateri charitatem esse perfectiorem fide speciali: dicit enim primò, Apostolum per fidem qua maiorem facit charitatem, non intelligere illam specialem, in qua est summa iustitiæ, sed generalem quæ est Dei & diuinæ voluntatis cognitio, quam per Ecclesiæ ministerium consequimur. Secundò, Apostolum non simpliciter facere charitatem præstantiorem, sed solùm considerando quòd in æternum maneat, euacuata fide & spe; aut quia primas nunc tenet in conseruanda Ecclesia; aut denique ita loqui Apostolum, consideratis effectis quę enumerauerat quando dixit, *Charitas patiens est, benigna est*, &c. alioquin simpliciter loquendo, fidem esse perfectiorem, cùm caussa sit perfectior effectu, fides autem caussa sit charitatis secũdùm illud 1. ad Timoth. 1. *Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.*

Verùm, simpliciter Apostolum maiorem dixisse charitatem, & verè talem esse, alibi contra Caluinum latiùs: nunc illud solùm monuerim, si ideò maior charitas, quia manet (quod etiam apud Chrysostomum reperitur homilia de fide, spe & charitate, & in locum Apostoli) etiam ideò maior erit, quia magis quàm fides aut spes iustificat: iustitia enim manet in sæculum sæculi, vt meritò illi virtuti sit adscribenda, quæ numquam excidit, quæ non est ex parte, quæ non includit imperfectionem obscuritatis, reique non visæ. Spes ergo cedit charitati, quia, vt monet Augustinus, commune habet cum fide, quòd sit rei non visæ. *Quod enim videt quis, quid sperat?*

Deinde quòd Caluinus vrget, charitatem esse effectum fidei, quia de fide non ficta; solutionem suam secum adfert, præcedit enim: *Finis præcepti est charitas.* Est ergo etiam fidei finis; finis autem est quid præstantissimum. Sanè quandocumque effectus est finis suæ caussæ, præstantior est suâ caussâ.

CONCLVSIO TERTIA. Probabilius est quòd fides ordine dignitatis spem præcedat. Est Banesij suprà q. 4. a. 7. & probat, quia spes certitudinem suam accipit à fide, vt propterea dicatur fides fundamentum rerum sperandarum. Fauet D. Thomas infrà, q. 20. a. 3. quando docet infidelitatem esse secundùm se peccatum maius desperatione.

Contrà tamen sentit Valentia, argumentum inde sumens, quòd Apostolus spem medium posuit inter fidem & charitatem.

Item quòd voluntas in hac vita per supernaturales virtutes perfectiùs tendat in Deum, quàm intellectus, eò quòd voluntas quodammodò intret in ipsam rem vtcumque cognitam; cognitio autem terminetur in rem prout est in intellectu, adeoque imperfectè, nisi quando intelligendi principium omnino perfectum & perfectè coniunctum fuerit, vt erit in visione patriæ.

Tertium, quòd fides possit esse sine alia virtute Theologica: spes autem non possit esse sine fide.

Quartum addi potest ex doctrina D. Thomæ, docentis, in his virtutibus Theologicis eam esse priorem origine, quæ est imperfectior: dictum est autem, fidem esse priorem spe origine.

Respondeo ad primum, Apostolum seruasse ordinem generationis; de ordine autem dignitatis solùm dixit, maiorem esse charitatem.

Ad secundum, Imperfectionem spes habet eamdem quam fides; est enim rei nondum apparentis: perfectionem autem suam accipit à fide; est enim in ea participata quædam fidei certitudo, atque ex ea participatione habet spes, quòd in Deum tendat, qua oportet fiducia: itaque per hoc non potest superare fidem. Quo fit, vt multò faciliùs ex fide sequatur spes, quàm ex spe sequatur charitas, quamuis fides sine spe aliquando esse possit. Aliter dici potest, fidem habere coniunctum pium

affectum, per quem saltem compensari poterit quod deest virtutis ex parte intellectus.

Ad tertium, Non est generaliter etiam verum, quamlibet semper virtutem esse digniorem ea quam necessariò supponit: nam dona Spiritus sancti prout sunt in via, præsupponunt fidem, non tamen sunt præstantiora fide.

Ad postremum respondeo, Non semper esse præstantius, quod origine est posterius; sed tum demum, quando magis habet rationem formæ: hîc autem è contrà accidit, quia fides quodammodò sit forma spei, quam firmat & stabilit. secùs est in charitate respectu fidei & spei, ideoque in comparatione spei cum charitate, non autem cum fide, vtitur ista philosophia diuus Thomas.

# QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

## De subiecto Spei.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm Spes sit in voluntate sicut in subiecto?*

RESPONDET D. Thomas, Spem esse in appetitu; quia obiectum eius est bonum: esse autem in appetitu superiori siue rationali, quia obiectum eius non est bonum sensibile, sed diuinum, adeoque bonum secundùm vel potiùs supra rationem.

Sunt hîc aliquot obiectiunculæ, sed faciles, qualis illa; Spes respicit Deum vt veracem in promissis; ergo non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum, ad quem pertinet veritas.

Respondeo, illud non sequi, sed solùm inde consequens esse, quòd fides sit substantia rerum sperandarum, & fundamentum spei. Quòd ergo Deus in promissis non fallat, fide credimus; sed bonum quod promisit, spe expectamus.

### ARTICVLVS II. & III.

*Vtrùm Spes sit in beatis & damnatis?*

CIRCA habentes spem proponit Bonauentura sex dubitationes; An spem habeant angeli boni, animæ beatæ, angeli mali, animæ in limbo, animæ in purgatorio, denique ipse Christus? addi potest septima, An spem habeat peccator fidelis? & octaua, An etiam hæreticus?

PRIMA CONCLVSIO. Spes, vt est virtus Theologica, non est quoad actum in beatis, imò neq; secundùm habitum: habent tamen beati, præcipuè ante diem iudicij, secundarios quosdam actus spei supernaturalis.

Prima pars, quæ negat actum spei manere in patria vt est virtus Theologica, est de fide. Ad Romanos 8. *Spes quæ videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?* Hîc enim apertè dicitur, quando spes videtur, hoc est, quando res sperata possidetur, naturali quadã sequela spem euacuari, vt iam sperari desinat quod habetur. Idem definit Benedictus XI. in Extrauagante Benedictus, videlicet quòd visio Dei, eiusque fructus actum fidei & spei euacuant, prout sunt virtutes Theologicæ.

At dices; Quare beati non possunt dici virtutis Theologicæ actum exercere, quando sperant continuationem suæ beatitudinis?

Respondet quidam ex recentioribus, rationem esse, quòd spes non oriatur ex cognitione clara rei futuræ, sed ex cognitione obscura, qualis est fidei; beati autem perspicuam habeant notitiam de perpetuitate suæ beatitudinis: vnde etiam proueniat, quòd ab ipsis hæc continuatio non apprehendatur vt ardua. Simile est quod alij dicunt, bonum quod mutari non potest, si possideatur, perpetuò eo ipso possideri; beatitudinem autem stabilem & immutabilem esse, aliàs enim non fore beatitudinem. Aliter cum D. Thoma dicere possumus, vitam æternam beatorum participare æternitatem Dei, vt in eorum beatitudine non sit considerare præteritum & futurum, adeoque nihil habeant quod expectent, cùm totum simul possideant.

Secunda pars, Spem vt est virtus Theologica, ne quidem secundùm habitum in beatis manere, non est de fide, neque ita euidenter demonstrari potest sicut de actu: actum enim manere, contradictionem implicat, sicut diximus de actu fidei q. 1. a. 2. suprà: quod enim speratur, nondum comprehenditur. Quod autem videtur, iam comprehenditur; visio enim Dei est ipsius comprehensio & possessio quædam.

An autem habitus quo hîc sperabamus, ibi non relinquatur, quamuis quoad primarium suum actum otiosus, dubitari cuipiam posse videbitur. Quod enim de fidei habitu diximus, non implicare quin maneat in patria; idem omnino de spei habitu dicendum. Sanè re ipsa manere, aut saltem certum non esse quòd non maneat, sententia est quorumdam Theologorum, quibus fauet Durandus lib. 3. dist. 26. q. 3.

At multò probabilior, imò certa est contraria sententia, ne quidem secundùm habitum spem vt est virtus Theologica, in patria manere: vbi enim actus proprius alicuius habitus non solùm nõ est, sed nec possibilis est, frustrà maneret ipse habitus. quę ratio etiam Durand. mouit. Secundò, Prouliue est, Apostolum ita intelligere in priore ad Corinth. c. 13. vt voluerit etiam spem secundùm habitum in patria euacuari. Dicit enim quod ex parte est euacuari. Spes autem est ex parte: includit enim imperfectionem. Deinde quando dicit, nunc tria manere, indicat se loqui etiam de habitibus; illi enim magis propriè manere dicuntur: insinuat autem, ex illis tribus in patria manere solam charitatem, vt communiter interpretes: imò D. Chrysostomus existimat, hoc ipso dici maiorem charitatem, quòd fide & spe excidentibus ipsa numquam excidat.

Obiicies; Virtus temperantiæ manet in patria, vbi tamen non manet actus temperantiæ, nisi conditionatus & reflexus; qualis etiam spei, vt est virtus Theologica, potest ibi dici manere.

Respondeo cum D. Thoma 1. 2. q. 67. art. 4. virtutes Cardinales manere in patria quoad formale suum, videlicet, quoad rectum ordinem rationis, quem beatitudo non tollit, sed fine eius diminutione perficit. Actus itaque virtutum moralium in patria non excluduntur, nisi fortè ratione materię, eò quòd non sint ibi passiones; spes autem secundùm formale suum ibi excluditur: formaliter enim & ex parte sua inuoluit motum in Deum non visum; vnde non magis possibile est ibi esse spem, quàm motum esse simul cum quiete. Consentaneum ergo est, vt Theologica virtus spei non maneat, sicuti temperantiæ, etiamsi reflexus aliquis actus spei ibi cogitari possit: ille enim prouenire potest ex eo quòd perfectio tota quæ in spe est, ibi maneat.

Tertia pars, Habere beatos spei quosdam actus secundarios, patet: quia nobis sperant beatitudinem, sibi gloriam corporis, aut aliquam accidentalem. Hos autem actus non esse virtutis Theologicæ, patet, excepto primo, quem diximus suprà elici ex eadem virtute in viatore, qua sperat sibi beatitudinem. Verùm si hoc sufficeret, sequeretur etiam in desperante manere spem, quia sperat aliis beatitudinem. Sicut ergo in desperante hanc spem de beatitudine aliorum efficit aliquis alius bonus affectus, siue naturalis siue supernaturalis: ita in beatis hunc bonum affectum producit vel charitas, vel amor supernaturalis concupiscentiæ, quo volunt nobis beatitudinem, vt nobis commodam, secundùm illa quæ diximus suprà art. 3. qui amor concupiscentiæ secundùm substantiam non est distinctus habitus à virtute spei, sed in beatis non habet rationem virtutis Theologicæ, propter Dei clarè visi præsentiam.

SECVNDA CONCLVSIO. In Christo viatore non fuit spes, vt virtus est Theologica; multò minùs post resurrectionem. Patet; quia semper vidit Deum, de quo latiùs in tertia parte.

TERTIA CONCLVSIO. Spem, quæ virtus est Theologica, habent omnes iusti, qui Deum clarè non vident; quales erant Patres in limbo, & sunt animę in purgatorio, Angeli in via. De Patribus in limbo patet Sapientiæ 3. *Spes tamen illorum immortalitate plena est.* De animabus purgatorij, probatur; Quia etiam ipsę de sua salute certæ sunt. Impiè enim dixit Lutherus, eas de sua salute desperare: hoc enim non esset purgari, sed inquinari: & ita sentiens disponitur ad negandum purgatorium, quod posteà fecit Lutherus. Si certæ sunt, spe ergo saluæ factæ sunt; nondum enim re, quam adhuc per patientiam expectant.

QVARTA CONCLVSIO. Damnati nec habitum vllum spei retinent, nec actum habent naturalem aut supernaturalem. Probatur; Sicut ad beatitudinem pertinet scire eius perpetuitatem, ita ad perfectam damnationem pertinet scire eius æternitatem. Sciunt ergo damnati, se numquam liberandos, adeoque beatitudinem non possunt vt sibi possibilem apprehendere. Quocirca si quis discedat ad infernum cum errore Origenis, qui putabat omnes pœnas esse purgatorias, & nullam rationalium creaturarum perire perpetuò; de illo errore eo ipso quo damnatur corrigitur: damnati enim agnoscunt omnes illos errores, quorum agnitio magis cedit in ipsorum confusionem, vt patet Sapientiæ cap. 5.

Dices; Per potentiam absolutam potest Deus damnatos liberare: imò re ipsa videtur id aliquando fecisse, quando per Sanctos ad vitam reuocauit impios, qui in statu damnationis discesserant. Neque enim est verisimile, inter tam multos quos Apostoli & alij Sancti de mortuis suscitarunt, nullos fuisse mortuos in infidelitate, aut alio peccato mortali; ergo vt possibilem possunt damnati sperare suam liberationem.

Respondeo, negando sequelam. Quotquot enim suscitati fuerunt ex mortuis in peccato mortali, suspensi fuerunt à diuina sententia absoluta damnationis, quæ ordinariè in malis in ipsa morte profertur, aut immediatè post eam, vt colligitur ex Extrauagante Benedicti suprà citata, & ex illo ad Heb. 9. *Statutũ est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Item ex diuitis epulonis & Lazari exemplo Lucæ 16. & illo Iob 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Reliqui ergo, qui sententiam suam acceperunt, paucorum illorum exemplo nihil sperare possunt. Ita ferè sentit D. Thomas in 4. dist. 45. estque multò probabilius, quàm quod dicit Sotus eadem dist. nullos fuisse suscitatos, nisi qui inuincibili ignorantia Christianæ legis laborantes, in lege naturæ saluari poterant; aut sanè catechumeni, aut Christiani in purgatorio erant: aut quod Banesius dicit, quamuis aliquando absolutè damnati liberentur, non tamen inde remanere spem in damnatis, eò quòd de rarissimè & ex priuilegio tantùm speciali contingentibus non sit spes; & ad miseriæ istius statum pertineat, ne putent sibi damnati id esse possibile.

QVINTA CONCLVSIO. Spes non amittitur per quoduis peccatum mortale; amittitur tamen per desperationem & infidelitatem: vnde fit, vt fidelis etiam in peccato mortali existens, spem retineat; non autè hæreticus. In peccatore spem ponit Tridentinum sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4. quamuis obseruet Lælius, certius esse, fidem in peccatore manere quàm spem.

De præsumptione & desperatione plura infrà; nunc solùm ostendemus, in hæretico non manere spem. Ostenditur autem ex definitione fidei, qua dicitur ipsa hypostasis & substantia rerum sperandarum: ruit itaque spes sublato fidei fundamento. Secundò, Spes quæ sit virtus aut virtutis actus, debet esse per media vera & ordinata: hæreticus autem sperat obtinere beatitudinem, & placere Deo per suam hæresim. Differt enim ab alio peccatore, quòd peccator se peccatorem agnoscat, & subinde speret deleto & emendato peccato, de ipso peccato suo veniam & salutem: hæreticus autem non agnoscit se hæreticum, vt suprà diximus, sed sperat manendo in hæresi saluari; quod meræ præsumptionis est.

Ex his colligitur quid respondendum sit, si quis obiiciat videri in hæretico posse manere spem, eò quòd quamuis non credat, eadem tamen quæ Catholicus, speret. Dicendum enim est, spem non tantùm corrumpi per contrariam desperationem, aut subiecti corruptionem; sed etiam euerso

fundamento suo fide, aut Deo desinente conseruare, aut quando bonum quod speratur non apprehenditur vt possibile & obtinendum per verum Dei auxilium, sed per imaginarium voluntate humana excogitatum: hoc enim est sperare in homine, adeò vt non solùm Pelagiani, qui proprijs viribus sperant saluari; sed etiam Lutherani, qui sine meritis sperant saluari per solam fidem suam specialem, in homine sperare dicendi sint.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm Spes viatorum habeat certitudinem?*

### MEMBRVM I.

#### *Spem esse firmam & certam.*

ALIQVAM esse in spe viatorum certitudinem, omnes admittunt Theologi, estque certum secundùm fidem. Scriptura enim Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta suscipientibus certò promittit peccati remissionem & vitam æternam, si legitimè dispositi susceperint, & in accepta gratia perseuerauerint: Marci vltimo, Ioannis 20. alibi etiam apertè contestatur spei certitudinem ad Hebr. 6. *Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam tamquam anchoram habemus animæ tutam & firmam.* Ibidem cap. 10. *Nolite amittere confidentiam vestram.* Ad Rom. 5. *Spes non confundit.* 2. ad Timoth. cap. 1. *Ob quam causſam etiam hæc patior, sed non confundor; scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare.* Psalmo 26. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.* Accedit Trident. sess. 6. cap. 13. *Nemo de perseuerantiæ munere sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent.* Denique Magister spem definit certam expectationem futuræ beatitudinis, venientem ex Dei gratia & meritis.

Vnum hîc est dubium, An etiam illa quæ Deus non promisit, certò sperare possimus?

Respondeo; Probabile est, virtutem spei etiam se extendere ad illa quæ Deus ex benignitate confert supra promissum; sed talia non sunt tam certò speranda, ac beatitudo & necessaria ad eam quæ Deus promisit. Accidentaria ergo sunt illa, neq; propriè ad spem pertinent prout est virtus Theologica: sic enim nititur diuina promissione, & ex fide diuinarum promissionum oritur, vt sæpè indicat Scriptura.

### MEMBRVM II.

#### *Vnde oriatur hæc Spei certitudo?*

PRIMA opinio est, quam referunt S. Thomas & Bonauentura in 3. d. 26. certitudinem spei esse certitudinem fidei, & non aliter ab ea differre, quàm quòd fidei certitudo sit in vniuersali & absoluta; spei aurem in particulari & conditionata. Verùm reiicitur hęc opinio, quòd spem confundat cum fide.

Secunda opinio est Bonauenturæ, spem habere certitudinem, non solùm illam quam accipit à fide, sed etiam propriam, quæ distinguatur à certitudine fidei, tam ratione obiecti, quàm ratione oppositi. Ratione obiecti quidem; quia certitudo fidei versetur circa totum cõplexum enuntiabile, spei autem certitudo tantùm versetur circa attributũ: quod declarat hoc modo: *Cùm dico*, inquit, *Spero me habiturum vitam æternam, non spero hoc dictum totale, sed vitam æternam.* Ratione autem oppositi; quia certitudo fidei repugnet errori & dubitationi; certitudo autem spei, diffidentiæ & hæsitationi. In responsione autem ad quoddam argumentum dicit idem Bonauentura, spem habere certitudinem ordinis, non euentus; id est, efficaciter & infallibiliter veram spem ordinare ad salutem, quamuis absolutus euentus tantùm probabiliter expectetur; quare in responsione alterius argumenti dicit in spe esse duplicem certitudinem, vnam conditionatam, alteram absolutam: & conditionatam esse omnino infallibilem, absolutã verò esse solùm probabilem: infallibile enim esse, si benè fecero, vitam æternam habebo; quamuis non sit prorsus infallibile quòd eam habebo, quia solùm probabile est, quòd in bonis perseuerabo.

Tertia opinio, quæ est S. Thomæ dicta dist. triplicem ponit certitudinem. Vnam quam habet vt est virtus; quo modo Philosophus virtutem in genere dicit esse certiorem arte: secundam, inquit D. Thomas, spes habet certitudinem ex aliis virtutibus in se redundantem; spes enim oritur ex meritis, merita autem opera sunt etiam aliarum virtutum: tertiam habet certitudinem secundùm D. Thomam diuinæ ordinationis, quæ oritur ex liberalitate diuina nos in finem ordinante.

Quarta sententia est eorum, qui dicunt, spem sola denominatione extrinseca dici certam, vt eius certitudo sit in hoc iudicio intellectus: coronabor si legitimè certauero. Atque hi putant quando spes dicitur certa, non respici ad certitudinem euentus, sed solùm ad certitudinem ordinis. Fauet huic opinioni Almainus.

Quinta est Durandi, certitudinem propriè dictam, quæ fallere non possit, non reperiri in spe, sed pertinere ad intellectum: esse tamen analogicam quamdam certitudinem in parte appetitiua & motiua, adeoque in spe; hanc autem certitudinem posse interdum impediri in actu, etiamsi habitualiter quodammodò maneat. Sicut ergo contingit lapidem à descensu impediri, qui tamẽ non impediatur quo minùs certam suam retineat ad descensum inclinationem: ita fieri, vt spes Christiana non consequatur rem speratam, videlicet beatitudinem, quamuis eius inclinatio in beatitudinem certissima sit.

Pro vera huius difficultatis decisione, DICO PRIMO, Certum videri, spem huius vitæ dicere certitudinem, quæ excludat desperationem, hæsitationem & diffidentiam; non autem talem, quæ omnino excludat timorem de non obtinenda re sperata; spem autem animatum in purgatorio hunc timorem coniunctum non habere. Vnde colligimus, timorem posse consistere cum spe, & spem posse consistere sine timore. De quo plura sequenti membro.

DICO SECVNDO; Ad actum spei requiritur iudicium certum certitudine fidei, quòd Deus omnipotens & misericors sit coronaturus legitimè certantes, & quòd vnicuique hominum, saltem credentium, (est enim saluator omnium, maximè autem fidelium) sufficiens det auxilium, quo legitimè certare possit, nisi ipse prauа sua voluntate ponat impedimentum: item quòd legitimè certantes vel iustificatos in certamine non deserat, nisi libera ipsorum voluntate priùs ab eis deseratur, secundùm illud ad Philippenses 1. *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu.* Ex huius iudicij certitudine oritur in spe certitudo quædam omnimoda, quatenus nititur auxilio omnipotentiæ & misericordiæ diuinæ: ne tamen hæc certitudo omnino absoluta sit in ipsa spe, qualis est certitudo illius iudicij fidei, efficit conditio quæ supponitur in iudicio fidei, cooperatio nimirum liberi arbitrij. Inde enim fit, vt quamdiu illa cooperatio non est liberi arbitrij in bono confirmati, spei sit adiunctus timor. Quando tamen Deus etiam hanc difficultatem, quæ potest considerari ex parte infirmitatis nostræ, quodam modo in se suscipit (habet enim ipse primarias partes per gratiam suam in omni bona electione nostræ voluntatis) præsupposito quasi dissimulanter, quòd vt volumus, ita in posterum volemus Deo adhærere tamquam re facillima (malum enim culpæ, cùm à voluntate nostra libera pendeat, non habet propriè rationem terribilis, neque propriè timetur vt dicit D. Thomas 1. 2. quæst. 41. art. 3.) firmamur simpliciter analogica quadam certitudine in spe vitæ æternæ, & extenditur anima fidelis vltra opinionem propriarum virium, à Dei misericordia infirmitatis suæ stabilitatem expectans, & innitens super dilectum suum secundùm illud
Rom. 14. Apostoli: *Stabit autem, quoniam potens est Deus statuere eum.* Hinc fit vt spes in hac vita non planè assequatur certitudinem fidei quam participat: neque tamen deijcitur vsque ad illam incertitudinem, quam habet iudicium quo absolutè iudicamus, attenta simul nostra infirmitate, & Dei auxilio, nos reipsa perseuraturos & saluandos; illud enim iudicium de euentu, est solùm probabile, & admittit formidinem de oppositio: neque enim est fidei, vt hæretici volunt; spes autem nostra certa est.

Ex eodem consequitur, desperationem consistere cum fide: desperatio enim solùm destruit illud iudicium quod non est fidei, videlicet; beatitudo mihi obueniet.

Sequitur etiam, non malè D. Bonauenturam in spei certitudine considerasse, quòd versetur potiùs circa solum attributum, quàm circa totam enuntiationem. Conditio enim supponitur ex parte sperantis, adeoque ex parte subiecti: beatitudo autem est attributum quod speratur. Supponit itaque spes hominis sperantis voluntatem, qua id velit quod speratur. Dum enim dico me aliquid sperare, dico me sperare illud obtenturum quod volo, non autem voliturum: quia tamen velle à Deo est, à quo etiam perseuerantes velle expectamus (voluit enim non nisi ad suam gratiam pertinere, vt homo à se non recedat) fit vt spei nostræ secundarium & reflexum obiectum sit ipsa fidei, spei, & charitatis perseuerantia, vbi se timor quidam immiscet propter sperantis infirmitatem: circa primarium autem obiectum, tanta & tam sincera est certitudo, vt nullum omnino de se primò illud timorem admittat. Neque enim vllo modo diffidere licet de Dei potentia & misericordia, quibus primariò spes nititur. Anchora ergo spei nostræ firma est, modò firmiter eam teneamus.



### MEMBRVM III.

#### *An certitudo de re sperata possit esse tanta, vt spes non sit dicenda, sed res?*

DICVNT aliqui ex Scholasticis, spei naturam postulare, ne euidenter cognoscatur futurum quod speratur; eoque remouẽt spem à Deo, vtpote cui omne futurum sit euidens. Similiter sentiunt, qui, vt suprà attigi, ex eo statuunt, beatos non sperare continuationem suæ beatitudinis, quòd euidenter eam futuram videant.

E contrà Vasquius disputatione 84. in primam partem putat, eiusmodi cognitionem euidentem spem non impedire; quod probat, quia desperatio esse possit eius quod euidenter scitur non esse futurum: videri itaque, etiam spem esse posse eius quod euidenter videatur futurum: quod enim Apostolus dixit, *Quod enim videt quis, quid sperat?* ad præsentis rei visionem pertinere.

Hæc sententia Vasquij videtur vera, & tenet eam Suarez in tertiam partem q. 15. a. 7. ratio enim ardui satis saluatur in obiecto spei, eo ipso quo est largitatis alienæ, non possibilitatis propriæ, etiamsi euidenter futurum cognoscatur. Confirmatur, quia Christus Dominus euidenter cognoscebat futuram sui corporis gloriam; admittit tamen diuus Thomas, quòd eam sperauerit. Secundò, Animæ in purgatorio certissimò sciunt se fore aliquando beatas, sperant tamen beatitudinem: itaq; summa certitudo de euentu non tollit spem; non enim speratur visio, qua videamus quòd res futura sit, sed visio Dei quæ futura est.

Hinc patet, Spem posse esse tam certam, vt excludat omnem timorem; in hac autem vita, citra priuilegium peculiaris reuelationis, coniunctum habet timorem, qui tamen minuitur, quando per bona opera certam facimus nostram vocationem. 2. Pet. 1.
Spes enim, vt Theologi dicunt, nititur meritis. De qua re nõnulla diximus in materia De gratia.

QVÆ-

# QVÆSTIO DECIMANONA.

## De dono Timoris.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm Deus possit timeri?*

RESPONSIO est affirmatiua, Deum posse timeri, non quidem vt malum, sed vt à quo malum pœnæ per iustam vindictam, & vt per comparationem ad ipsum potest nobis, si à Deo separemur, prouenire malum culpæ. Sic enim legendum in corpore Art. non (pœnæ) vt ferè habent exemplaria: tum quia id patet ex responsione ad tertium, & infrà art. 5. ad secundum; tum etiam, quia alioquin non declararet D. Thomas, quomodo Deus timeri possit timore filiali.

Ex hoc articulo constat, timorem non versari immediatè circa Deum tamquam id quod timetur, cùm nihil in ipso sit mali. Quo pacto in primis multùm differt timor à spe, quæ virtus est Theologica, & immediatè circa ipsum Deum occupatur, vt suprà diximus.

Inquirendum hîc, quid sit timor. Timorem hîc accipimus non pro passione partis sensitiuæ, de qua 1. 2. quæst. 41. diuus Thomas: neque pro timiditate, quæ vitium est oppositum fortitudini, de quo infrà q. 125. quamuis cum timore mundano, de quo hîc art. 3. magnam habeat coniunctionem istud vitium: sed pro timore partis intellectualis, præcipuè vt est donum Spiritus sancti. In genere itaque timor est fuga sensu aut intellectu apprehensi mali futuri imminentis, cui resisti facilè non potest. Theologus verò timorem cõsiderat, prout malum, quod intellectus refugit, peculiarem habet respectum ad Deum. Potest autem is respectus esse quadruplex: vel enim respicitur ad Deum tamquam auctorem mali pœnæ quod timetur; quod quidem quatenus à Deo est, non est malum, sed iustum, adeoque simpliciter bonum: est tamen malum nobis, quatenus nobis adimit aliquod particulare bonum: vel respicitur ad Deum, prout lege sua vetat malum quod timetur, vel tamquam ad terminum ad quem timore mali excitati cõuertimur: vel denique respicitur ad Deum, tamquam ad terminum à quo homo auertitur timore alicuius mali. Duobus primis modis timetur ipse Deus non vt malus, sed vt infligens, aut prohibens malum: posterioribus verò non timetur Deus, sed propter aliquius mali timorem ad Deum conuertimur, vel ab eo auertimur.

Ceterùm & illud hîc notandum, timorem Domini in Scriptura subinde accipi non pro metu futuri mali, sed pro reuerentia, pietate & religione in Deum: quo modo Simeon dicitur vir iustus & timoratus Lucæ 2. Iustus erga homines, timoratus quoad Deum; quia nimirum cautus & sollicitus circa ea quæ pertinent ad cultum diuinum. Eodem nomine idem Lucas in Actis honorat eos qui curarunt sepulturam Stephani. Huc pertinet quòd ipse Deus vocetur timor, Genesis 31. Iurauit Iacob per timorem patris sui. Item quòd Latria significet vehementiam & intensionem timoris.

### ARTICVLVS II.

*Vtrùm Timor conuenienter diuidatur in filialem, initialem, seruilem, & mundanum?*

RESPONDEO cum D. Thoma; Timor vel auertit à Deo, vel conuertit ad Deum: si auertit, mundanus est, quando ex timore amittendi ea quæ mundi sunt Deus offenditur: si conuertit, vel est pœnæ tantùm, qui est timor seruilis, quo ad Deum conuertimur, ne incidamus in plagas quas seruis fugitiuis immittit; vel est culpæ & offensæ tantùm, qui dicitur filialis, filiorum enim est timere offensam patris; vel simul est pœnæ & offensæ, qui dicitur timor initialis.

### ARTICVLVS III.

*Vtrùm Timor mundanus semper sit malus?*

RESPONDET D. Thomas affirmatiuè. Probatur, quia timor in genere moris, similis est amori ex quo oritur: si ergo amor boni quod amittere aut non obtinere timemus, sit malus; etiam timor erit malus: cùm itaque timor mundanus oriatur ex amore mundano, semper ipse erit malus, si amor mundanus sit malus. Malum autem esse amorem mundanum, quo mundo inniramur tamquam fini, quo vti debemus tamquam non vtentes, multò magis tamquam non fruentes; ostendit manifesta peruersio finium. De hoc timore licebit accipere illud Isaiæ cap. 8. *Timorem eius ne timeatis, neque paueatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester.* Item illud 2. Machabæorum 6. *Propter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipiantur*, &c. Et Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, &c. Ex quibus locis colligimus, quàm sit imprudens timor mundanus, qui pro corpore temporaliter conseruando, & corpus & animam perdit in æternum. Meritò ergo timor Dei timorem vincit mundi.

### ARTICVLVS IV.

*Vtrùm Timor seruilis sit bonus?*

RESPONDEO cum D. Thoma, Timorem seruilem secundùm substantiam, solùm dicere timorem pœnæ, atque hactenus non esse malum secundùm substantiam. Eius tamen seruilitatem semper esse malam, si inde dicatur seruilis, quòd bonum à Deo præceptum



ptum faciat solùm, aut præcipuè ad vitandam pœnam ex peruerso amore boni creati: hoc enim non est more liberorum agere, ex amore intrinseco agendi principio; sed more mancipiorum adigi externo terriculamento. Habet ergo seruilitas ista peruersionem finis, quia amori Dei præponit amorem commutabilis boni, quod per pœnam timet amittere.

Notanda hæc sunt contra hæreticos, qui timorem pœnæ ex toto genere tamquam seruilem damnant, cùm is indifferens sit ad ordinatum & inordinatum. Potest itaque timor pœnæ considerari vel solus vt præcisè oritur ex amore boni particularis per pœnam amittendi, non comparato ad amorem Dei aut honestatis; vel cum timore culpæ coniunctus, vt magis culpa timeatur quàm pœna, adeoque amor ex quo oritur iam ordinatus sit; vel denique, potest considerari, vt oritur ex amore inordinato boni particularis per pœnam amittendi; puta quia magis diligitur quàm Deus aut iustitia. Primo modo non meretur vituperium: secundo, meretur laudem: tertio meretur supplicium: estque propriè seruilis cum seruilitate, vt loquuntur, qualis erit, si is qui timet ita sit affectus, vt peccatum, quod ex timore pœnæ vitat, proponat deliberato animo non vitare, si pœna statuta non esset; secùs si mente indeliberata dicat, Non omitterem, nisi essem alioquin puniẽdus. Seruilitas ergo ex hoc affectu metienda est, adeoq; essentiã timoris non ingreditur.

Ceterùm timorem gehennæ non esse malum definit Trident. sess. 6. can. 8. estque tam euidens, ac amare beatitudinem qua priuat gehenna, esse bonum: timor enim est eiusdem moris cum amore ex quo oritur. Deinde etiamsi consideretur solùm gehenna vt priuans bona constitutione naturali; tam erit bonum eam timere, quàm est bonum appetere eiusmodi naturale bonum. Ad hæc Deus excitat ad timorem gehennæ, vt patet cap. 6. sessionis 6. eiusdem Concilij: est ergo bonus; neque enim Deus ad malum excitat. Denique vtilitatem huius timoris variæ similitudines exprimunt: à Clemente Alexandrino [a] dicitur pædagogus legis; à Basilio [b] frenum peccatorum; ab Augustino [c] seta qua filum charitatis introducitur; apud Isaiam [d] semen, quo concepto parturiamus spiritum; apud Psalmistam [e] clauus, qui nos fixos in officio teneat.

[a] Clem. Pædag. l. 1. c. 9.
[b] Basil in Psal. 33.
[c] Aug. tractatu 9. in Epist. Ioan
[d] Isa. 26.
[e] Ps. 118.

Quæres, Si timor gehennæ sit actus bonus, cuius est virtutis? omnis enim actus bonus est virtutis, vt docet S. Thomas suprà q. 17. a. 1.

Respondeo, saltem reductiuè esse virtutis spei: eiusdem enim virtutis est, diligere bonum, & odio habere contrarium. Ita Suarez de pœnitentia disput. 5. sect. 2. n. 10.

Aliter sentit Banesius hîc, articulo 6. Sed verissimum est quod dicit Suarez, si virtutem spei in radice sua accipias, vt sit ordinatus ille amor concupiscentiæ supernaturalis.

### ARTICVLVS V.

*Vtrùm seruilis Timor sit idem in substantia cum filiali?*

RESPONSIO negatiua est. Probat, quia specie differunt, vt & ipsorum obiecta: filialis enim non est timor damni visionis beatificæ, aut alicuius pœnæ, sicut voluit Durandus in 3. distinct. 34. q. 4. Nam si quis Deum timeat solùm, ne priuetur regno cælorum, est timor seruilis: sed filialis timor est timor offensæ & culpæ incurrendæ.

Dices; Culpa non propriè timetur, vt dicit D. Thomas 1. 2. q. 41. a. 3.

Respondeo culpam considerari posse duobus modis: vno vt procedit à libera voluntate; atque ita est obiectum odij, non timoris: & sic Philosophus in Rhetoricis dicit, neminem timere quòd sit futurus iniustus: quem sequitur D. Thomas loco citato. Altero, vt procedit ab alijs caussis, quæ hominem incitant & inclinant ad peccandum; qualis est societas malorum, ignorantia, carnis prana inclinatio & infirmitas, tentatio dæmonis, & similia: atq; ita malum culpæ redditur arduum, & potest timeri. Est autem honestissimus timor filialis, vtpote qui oriatur ex amore beneuolentiæ & charitatis erga Deum, cùm timor seruilis oriatur ex amore concupiscentiæ: aut si dicatur filialis timor oriri posse ex amore concupiscentiæ, quo sibi quis bonum velit; saltem non poterit illud bonum considerari vt oppositum pœnæ, etiam iustę, quod non est simpliciter bonum ipsius hominis, sicut pœna non est simpliciter malum; sed vt oppositum iniustitiæ & culpæ, quod est propriè bonum rationalis naturæ, sicuti malum culpæ propriè est eius malum.

Dices iterùm pro sententia Durandi; Timor hîc diuiditur prout per ipsum conuertimur ad Deum, relinquendo seu fugiendo peccatum, vel ab ipso auertimur committendo peccatum; ideoq; peccare vel peccatum fugere, est actus timoris imperatus, & non ab ipso immediatè elicitus: peccatum ergo non est immediatum obiectum actus eliciti à timore, adeoque timoris filialis obiectum non est malum culpæ, sed potiùs pœna damni æternæ illius separationis à Deo quæ est in damnatis.

Respondeo; Quamuis mundani timoris actus elicitus non sit, sed solùm imperatus, commissio illa peccati quam diximus ex huiusmodi timore fieri; fuga tamen peccati, quam dicimus esse ex timore filiali, potest illius timoris intelligi actus elicitus. Neque obest quidquam quo minùs proximum obiectum timoris dicatur malum culpæ, quod propriè malum est, quando iam induit rationem terribilis, propter occasiones quæ faciunt vt difficile sit illud vitare. Itaque timor filialis potiùs est timor ne à Deo per peccatum excidamus, quàm ne meritas siue damni siue sensus pœnas luamus: hoc enim timore *timet*, inquit Cyrillus libro 2. Stromatum, *quis non Deum, sed à Deo excidere.*

### ARTICVLVS VI.

*Vtrùm Timor seruilis remaneat cum charitate?*

RESPONDET D. Thomas, Timorem, quatenus est seruilis, non manere cum charitate; posse tamẽ substantiam timoris seruilis manere cum charitate, sicuti cum ea manet amor boni particularis proprij non inordinatus, ex quo timor seruilis secundùm substantiam oritur: timorem autem castum includi in charita-

te

te tamquam propriam eius quamdam passionem.

Quæ circa hunc articulum dicenda sunt, satis clarè habet D. Thomas, & patent ex dictis art.4. & 1.2.in materia De Iustificatione.

Illud notandum est, timorem castum hoc articulo videri posse cuipiam non ita accipi, vt sit planè idem cum filiali; sed vt sit timor pœnæ illius,quæ sita est in separatione à Deo: articulo tamen 7. & 9. satis apertè videtur D. Thomas ita loqui de casto timore, vt non differat à filiali.

Obiicies, Qui timet pœnam iustam, videtur esse affectu alieno à iustitia.

Respondeo,Non esse. Benè enim consistit cum amore iustitiæ timor pœnæ, quam iustè propter peccata meremur, secundùm illud Apostoli: *Si malum feceris, time*; quod non diceret, si timere iustam pœnam, esset execrari iustitiam. Rom.13.

Dices Secundò,*Timor non est in charitate*:1.Ioannis 4.

Respondeo; Seruilis timor cum in seruilitate non est in charitate; vel vt alij, timor desperationis quæ excludat fiduciam illam in die iudicij, de qua ibidem Ioannes. Tertullianus in Scorpiaco cap.12.putat Ioannem loqui de timore mundano: sed hoc verisimile non est; loquitur enim non de timore qui pœnam meretur, sed qui pœnam habet, propter cruciatum pungentis conscientiæ, vt interpretatur Augustinus tractatu nono in hanc Epistolam.

## ARTICVLVS VII.

### *Vtrùm Timor sit initium sapientiæ?*

De intellectu huius sententiæ Ps. 110. *Initium sapientiæ timor Domini*, variant Doctores & Interpretes. Vnus intellectus est, significari, quòd timor Domini sit primus effectus sapientiæ. Ita hîc D.Thomas, qui illud explicat tam de timore seruili, quàm de casto & filiali. Similis est sententia Prouerbiorum 1. *Timor Domini principium sapientiæ.*Prouerb.9.*Principium sapientiæ timor Domini.* Ecclesiastici 1. *Initium sapientiæ timor Domini.*

Alter intellectus est Iansenij in caput 1. Prouerbiorum, qui putat illâ sententiâ non significari vnde sapientia in nobis incipiat operari, sed vnde oriatur; vt significetur, tum demum incipere nos sapere,quando incipimus Deum timere, accipiendo timorem Dei pro Theosebia, pietate & religione in Deum. Quæ explicatio melior est, quia Ecclesiastici 1.dicitur, timorem Dei esse radicem sapientiæ, & plenitudinem sapientiæ: quæ commodissimè secundùm posteriorem intellectum dicuntur. Inchoatus enim timor Domini, qualis in timore pœnę considerari potest, inchoata quædam est sapientia: perfectus autem Dei timor, siue pietas perfecta in Deum, consummata sapientia est. Approbat hunc intellectum Bellarminus in illud Psal.110.

Alij sic accipiunt Psalmistæ sententiam, vt *initium*, pro capite ac summa accipiatur; & sensus sit, quidquid summatim habetur de sapientia, ad timorem Domini referendum esse. Ita Genebrardus; & parum videtur differre à secunda interpretatione.

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm Timor initialis differat secundùm substantiam à filiali?*

Respondet D.Thomas,Timorem initialem nihil esse aliud quàm imperfectum quemdam timorem filialem,adeoq; secundùm substantiam & speciem esse eumdem.

Obijcies; Articulo secundo dicit D.Thomas, timorem initialem versari partim circa pœnam, partim circa culpam: non conuenit ergo in obiecto cum filiali, qui tantùm versatur circa culpam, sed mixtus est ex filiali & seruili.

Respondet Banesius, Non velle D. Thomam quòd initialis partim versetur circa pœnam vt obiectum, sed solùm vt concomitans. Quod aliis verbis ita dici potest, duo hæc esse distinguenda. Vnum verum, & ibi assertum à D. Thoma; si quis conuertatur ad Deum,propter timorem pœnæ & culpæ; talem habere timorem initialem,qui medius sit inter filialem & seruilem. Alterum falsum, & hîc negatum à D.Thoma; timorem initialem versari circa pœnam & culpam tamquam duo obiecta: versatur enim circa culpam tantùm; sed admittit simul in eodẽ subiecto multum alterius timoris,qui versetur circa pœnam,eò quòd timens nondum habeat charitatem perfectam, quæ foras mittit timorem pœnæ.

## ARTICVLVS IX.

### *Vtrùm Timor sit donum Spiritus sancti?*

Respondet affirmatiuè.

Queres; Quis timor sit apud Isaiam inter septem dona?

Respondeo, Certum est,non esse mundanum; quia ille non est timor Domini, sed mundi, pellendus & superandus dono timoris: neque est timor seruilis, quia dona Spiritus sancti, de quibus Isaias, præsupponunt charitatem; seruilis autem timor quamuis sit à Spiritu sancto, eoque excusari possit Bonauentura, qui dicit esse donum Spiritus sancti; non est tamen cùm charitate quatenus seruilis, vt suprà dictum est. Dicit itaque S.Thomas, timorem filialem, seu castum, esse donum Spiritus sancti; quod conforme est sancto Augustino.

Aliis videtur, apud Isaiam per timorem Domini intelligendum non illum quo malum aliquod impendens timemus, sed quo sollicitè diuino cultui insistimus, à quo Simeon dictus est timoratus. His fauet, quòd de Christo, aut iusto dicatur, non quòd requiescet super eum spiritus timoris Domini, sicuti dictum erat de Spiritu sapientiæ & reliquis donis; sed quòd replebit eum spiritus timoris Domini: hoc enim videtur accipiendum non de timore alicuius mali, sed de religione in Deum: quem timorem diximus suprà Ecclesiasticum vocare plenitudinem sapientiæ. Neque hæc sententia planè excludit communem: nam, vt notat Iansenius in caput 1. Prouerbiorum, timor ita acceptus, tamquam partem sui includit timorem illum quodammodò spei oppositum, Lucæ 1



situm, & malum aliquod respicientem, præsertim illum qui respicit malum culpæ siue filialem: timorati enim maximè timent à Deo per culpam separari.

## ARTICVLVS X.

### *Vtrùm crescente charitate diminuatur Timor?*

Respondet, Timorem seruilem, qui secundùm substantiam cum charitate manet, minui, maximè quoad actum, ea crescente: tum quia crescente charitate homo minùs attendit ad proprium bonum, cui aduersatur pœna; tum etiam,quia magis confidit de præmio, atque adeò de euasione pœnæ.

Occasione eius quod dicit D. Thomas, timorem crescente charitate minui, maximè quoad actum; notandum est, verius esse, præter actualem timorem pœnæ esse admittendum aliquem habitualem, etiam quatenus bonus est. Hoc enim non solùm hîc ipse D. Thomas indicat, sed apertiùs docet in 3. Addit D. Thomas timorem filialem cum charitate augeri; quod confirmatur illo Psal. 111. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.* Timorem ergo qui pœnam habet, charitas perfecta excludit: timorem verò qui beat & voluntatem ad Dei mandatis parendum inclinat, charitas promouet.

## ARTICVLVS XI.

### *Vtrùm Timor maneat in patria?*

Respondeo cum D. Thoma; In patria timor seruilis ne quidem secundùm substantiam manet: pœna enim ibi non ampliùs respicitur tamquam possibilis; manet tamen timor filialis, quo timetur malum culpæ, aut separatio à Deo tamquam naturæ possibilis.

Dices; Etiam malum pœnæ est possibile secundùm naturam; quare ergo in patria minùs illud timetur, quàm malum culpæ? Neque enim dici potest, effugium culpæ beatis magis esse arduum quàm pœnæ.

Respondeo; Beda in cap. 1. Prouerbiorum videtur dicere, in patria neutrum manere timorem, neque filialem, neque seruilem: sed fortè intelligit quoad anxietatem de periculo venientem. Itaque dicendum est, timorem illum sanctum & castum magis manere in sæculum sæculi, vt est Psal.18. quàm timorem pœnæ. Beati enim magis sunt intenti possibilitati ipsius culpæ quàm pœnæ, eò quòd proprij boni in ipsis amor absorbeatur amore illo diuino. Cum quo benè consistet doctrina D. Augustini lib. 14. de Ciuitate cap.9. vbi nonnihil dubius de hac difficultate; *Si*, inquit, *maneat in beatis timor, non est ille exterrens à malo quod accidere possit, sed tenens in bono quod amitti non potest: estque quodammodò timor securus.* Est itaque timor & tremor quidam naturæ seipsam conferentis cum diuina maiestate, & abhorrentis à separatione ab eadem, tamquam à maximo malo: sicuti horremus inspecta magna profunditate putei aut præcipitij: quomodo fortè in prefatione Canonis dicuntur Angeli seu Potestates Deum tremere; quamuis id magis sonet tremorem reuerentiæ in accessu, quàm timorem de recessu. Simile quid reperitur Iob cap. 9. *Sub quo curuantur qui portant orbem.* & c. 26. *Columnæ cæli contremiscunt & pauent ad nutum eius.*

## ARTICVLVS XII.

### *Vtrùm paupertas spiritus sit beatitudo respondens dono Timoris?*

Responsio est affirmatiua. Probatur; Paupertas spiritus quæ beat, vel est exinanitio superbi & inflati spiritus, vt intelligit Augustinus; vel est abiectio bonorum temporalium, quæ fiat proprio hominis spiritu, per Spiritus sancti instinctum, vt Hieronymus. Vtroque modo prouenit à filiali timore, quo homo se subiicit Deo, eique neglectis aliis totus inhæret, ea fugiens quæ à Deo solent auertere,qualis est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.

# QVÆSTIO VIGESIMA.

## De Desperatione.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm Desperatio sit peccatum?*

Desperationem esse peccatum, multis modis liquidè ostendi potest. Vnus est D. Thomæ: Motus voluntatis conformiter se habens intellectui falso, est malus: desperatio est talis; ergo, &c. Maior probatur; Quod in intellectu est affirmatio & negatio, hoc in voluntate est prosecutio & fuga: & quod in intellectu verum & falsum,hoc in voluntate bonum & malum. Minor probatur; Nam qui desperat, præ se fert quòd Deus in hac vita non recipiat peccatores ad pœnitentiam.

Quæres, Quomodo hæc ratio D. Thomæ sit bona, cùm videatur præsupponere, non esse desperationem sine infidelitate, quod articulo 2.reiicitur.

Respondetur,hoc non supponere: neque enim dicitur, eum qui desperat hanc in intellectu suo habere opinionem, Deus peccatores non recipit ad pœnitentiam; sed in voluntate habere motionem, quæ conformis sit tali erroneæ opinioni, à quocumque ea habeatur.

Probatur secundò ex Scriptura, quæ reprehendit desperantes, vt patet de Cain & Iuda proditore. Ecclesiastici 2. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.* Ad Ephes.4. *Desperantes seipsos tradiderunt impudicitiæ.* Ad hæc, si spe salui facti sumus, vt inquit Apostolus, manifestum est quòd desperando pereamus. Rom.8.

At quæres, Cùm multiplex sit desperatio (est enim desperatio beatitudinis obtinendæ, est desperatio de venia peccati consequenda, & est desperatio de euitanda miseria) quænam hîc intelligenda?

Respondetur, illam esse intelligendam, qua quis desperat de vita æterna, aut venia obtinenda, aut æterna damnatione euitanda.

Dubium hîc est, Sitne verum discrimen, quod tradit diuus Thomas ad 1. inter peccata contra virtutes Theologicas & alia, quòd illa principaliter consistant in auersione à bono incommutabili, ex consequenti verò solùm in conuersione ad bonum commutabile: hæc autem è contrà principaliter consistant in conuersione ad bonum commutabile, & solùm ex consequenti in auersione.

Respondetur, non voluisse dicere D. Thomam, ex auersione tamquam formali ipsius peccati, non esse vtrobique principaliter æstimandam malitiam, sed in his priorem esse conuersionem, in illis auersionem. In his enim ex conuersione venitur quodammodò ad auersionem; ideoque non tam arctè habent coniunctam malitiam, quæ potissimùm, aut etiam solùm spectatur in auersione, sed quasi dumtaxat ex consequenti: in illis autem ex auersione itur ad conuersionem, ita vt quod pessimum est, in eis sit primarium: quod prouenit inde, quia vt virtutes Theologicæ versantur in inhæsione immediatè ad Deum; ita peccata opposita, in desertione quadam istius inhæsionis; ita vt auersio quodammodò eis det speciem: in ipsam enim auersionem tendit, qui, verbi gratia, Deum odit, desperat, aut infidelis est.

Aliud dubium est, de illo cui Deus hîc reuelaret suam reprobationem, an peccaret desperando? Si enim peccet, tenetur ad impossibile: est enim impossibile sperare, quod scitur certissimò non futurum: si non peccet, desperatio non est intrinsecè mala.

Azorius lib.2. cap.vlt. putat esse eamdem rationem peccati desperationis, quæ reliquorum; ita vt non minùs desperando talis sit peccaturus, quàm sit peccaturus ille, cui Deus peccatum suum prædixit; verbi gratia, quam Petrus peccauerit negando, cui Dominus negationem prædixerat. Confirmat, quia quando Deus reuelat alicui suam reprobationem, idem est ac si nuntiaret, Præuideo te in fine vitæ peccaturum, quo præuiso, statui vt condemneris.

Verius videtur quod docet de hac re Banesius infrà q.22. talem posse desperare negatiuè, id est, non teneri sperare, sed non posse desperare positiuè: hoc enim esset auerti ab incommutabili bono, adeoque est intrinsecè malum. Illud tamen monuerim cum D. Thoma q.23. De veritate a.8. ad 2. de potentia ordinaria, non posse Deum absolutè reuelare alicui viatori suam damnationem; sed si fiat talis reuelatio, eam esse accipiendam per modum comminationis, non per modum prophetiæ absolutæ.

Supposito tamen, disputationis & illustrandæ rei gratia, Deum absolutè facere eiusmodi reuelationem; discerno ea quæ tali reprobo licerent, ab illicitis: illicitum ei maneret odium Dei, etiam quatenus est obiectum amoris concupiscentiæ, adeoque non deberet velle damnationem suam absolutè, sed solùm secundùm ordinem iustitiæ, quo Deus permanentes in peccato vult damnare. In summa, absoluitur ab omni præcepto boni actus in spe inclusi, quatenus id pendet ex possibilitate obiecti; sed manet obligatio affectus boni in spe inclusi, quatenus ea oritur ex obiecti bonitate. Itaque tenebitur adhuc Deo benè affici, etiam tamquam suo bono; hic enim affectus est prior actu spei; prius autem non tollitur sublato posteriori. Desperatio ergo non est intrinsecè mala, quando per modum simplicis negationis sumitur, in eo cui res speranda supponitur non esse possibilis: damnati enim non peccant, omittendo actum spei. Atque ita patet responsio ad primam rationem dubitandi.

Ad argumentum Azorij respondetur; Quando Deus absolutè reuelaret alicui suam damnationem, teneretur nihilominùs illa omnia præcepta seruare, præter præceptum sperandi. Ratio est, quia implicat sperari, quod certò tibi persuadeas non futurum: deberet autem talis certò sibi persuadere, se non euasurum damnationem.

Hinc infertur, quodammodò implicare, quòd Deus reuelaret alicui ita suam damnationem, vt diceret, Video te in exitu vitæ à me non expectaturum vitam æternam, & propter prouisum hoc peccatum omissionis spei, statui vt condemneris. De aliis autem peccatis non proinde implicat, quamuis absolutè suaui Dei prouidentiæ repugnet eiusmodi reprobationis reuelatio.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Desperatio sine infidelitate esse possit?*

RESPONDETVR affirmatiuè. Probatur, Quia cum iudicio generali, quo iudicem in Ecclesia esse remissionem peccatorum, possum pati motum desperationis, quòd scilicet mihi in tali statu existenti non sit sperandum de venia. Quod fit propter corruptum iudicium de particulari, quo iudicem mihi in particulari non obuenturum (propter aliquod impedimentum) bonum illud remissionis, à quo Dei misericordia neminem viatorem per fidem ita excludi scio, quin ipsum tamquam sibi possibile sperare queat. Itaque speculatiuè per fidem scio possibilem mihi esse salutem; practicè idem nego, quando despero.

Dices, Potest desperatio contingere, quòd iudicem me non saluandum, etiamsi iudicem posse saluari.

Respondetur, eòdem hæc recidere: ideò enim iudico me non saluandum, quia iudicem practicè, Deum nolle vel non posse peccatis meis ignoscere; adeoq; indulgentiam mihi esse impossibilem.

Quæres, An ergo desperatio tam facilè consistat cum fide, ac peccata propria cõtra charitatem, præcipuè proximi, aut contra virtutes morales?

Respondetur, non æquè facilè fidelem desperare, ac proximo iniuriam facere, aut similia peccata



peccata patrare: nam (vt suprà attigi q.17. a.7.) supposita fide, facillimè oritur spes, eò quòd certitudo spei sit communicata quædam fidei certitudo. Adde, quòd iudicium practicum, quo erroneè iudicat desperans, sibi non esse possibilem iustificationem, facilè etiam corrumpat iudicium speculatiuum, quo sibi adhuc viatori iudicet possibilem conuersionem.

Obiicitur; Chrysostomus homil. de Fide, Spe, & Charitate negat spem posse intercidere salua fide: *Fides & spes*, inquit, *sibi mutua vice ita connexæ sunt, vt altera sine altera stare non possit.*

Respondetur, Vicinum esse infidelitati desperantem, multumque ad eam disponi; ideoque rectè intelligi posse à Chrysostomo dictum, sine spe fidem stare, id est, perseuerare non posse, quamuis esse sine ea, non implicet.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm Desperatio sit maximum peccatorum?*

RESPONDET, Secundùm se odium Dei & infidelitatem esse maius, sed desperationem esse nobis periculosiorem. Reliqua enim peccata ita adducunt damnationis meritum, vt conuersionis possibile reliquant remedium: desperans autem quasi de se sententiam damnationis anticipans, etiam remedium ipsum vt impossibile sibi proponit; ideoque facit, vt etiam de aliorum peccatorum remedio nihil cogitet. Huc pertinet, quòd sicuti spes est ouum, ita desperatio sit scorpius ille, qui cauda sua, id est in exitu vitæ, hominem lædit, quando non sequitur tempus pœnitentiæ; vt vel ideò adumbrata rectè intelligatur, quando Dominus in Euangelio dicit, *Numquid porriget ei scorpionem?* Luc.11.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm Desperatio ex acedia oriatur?*

RESPONDET D. Thomas, Quatenus spes est boni ardui, desperationem oriri ex luxuria, per quam fiat, vt homo non afficiatur cælestibus bonis: quatenus autem est spes rei possibilis, oriri desperationem ex acedia, quæ est tristitia quædam deiectiua spiritus; deiectionem enim nimiam efficere, vt possibile non videatur bonum arduum.

# QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

## De Præsumptione.

DOCTRINA huius quæstionis clara est apud D. Thomam. Vna solùm hîc est examinanda difficultas, An per præsumptionem amittatur non solùm charitas & amicitia Dei, sed etiam fides aut spes?

Præsumptio sumitur multis modis. Primò, Pro coniectura quadam: quæ acceptio familiaris est Iurisperitis, estque actus intellectus, quo iudicamus de aliquo occulto, ex alio apertiore.

Secundò, Sumitur in bonum pro spe valida: Iudith 6. *Ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te.* & cap.9. *Exaudi de tua misericordia præsumentem.* Quod non est mirum: quia etiam spes aliquandò sumitur pro præsumptione, vt apud Augustinum in Psal.144. *Et spes & desperatio timenda est in peccatis. Videte vocem desperantis ad augenda peccata, & videte vocem sperantis ad augenda peccata: & quomodo vtrique voci occurrit prouidentia & misericordia Dei. Audi vocem desperantis: Iam, inquit, damnandus sum, quare non facio quidquid volo? Audi & vocem sperantis; Misericordia Domini magna est, quando me conuertero, dimittet mihi omnia. Quare non facio quidquid volo? Desperat, vt peccet, sperat, vt peccet. Vtrumq; metuendum est.*

Tertiò, Sumitur præsumptio pro vitio opposito magnanimitati, de quo D. Thomas infrà q.130.

Quartò, Hîc sumitur pro peccato contrario virtuti spei, quomodo esse graue peccatum, & per illud solui amicitiam Dei, nisi diminuatur per imperfectionem deliberationis, satis indicat Scriptura, Iudith cap.6. *Præsumentes de se, & de suæ virtute gloriantes, humilias.*

Dico vlteriùs, certum esse, præsumptionẽ posse simul stare cum fide: neque enim magis repugnat fidei quàm desperatio, de qua id suprà assertũ est.

Addo postremò, quamdam præsumptionem posse, quamdã verò non posse consistere cum spei virtute Theologica. Notandum enim est, præsumptionem huic virtuti oppositam, vel esse de propriis viribus, quæ est Pelagiana; vel esse de viribus Dei inordinatè, puta de præmio sine meritis, quæ est Lutherana; vel de præmio improportionato, adeoque de meritis imparibus; vel de facili remissione peccati grauissimi præter modum legibus Dei præscriptum.

Quando quis sperat obtinere beatitudinem viribus propriis, aut sine bonis meritis; tali præsumptione destruitur habitus spei: si quis autem immodicam gloriam speret supra merita sua, puta qualem habet D. Virgo, aut nimis facilè sibi magni criminis remissionem polliceatur; is non amittet habitum spei tali præsumptione; retinet enim formale obiectum spei, diuinæ potentiæ & misericordiæ auxilium.

# QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA.

## De præceptis pertinentibus ad Spem & Timorem.

IN hac quæstione solùm illud occurrit inquisitione dignum, An possit certum aliquod tempus assignari, quo obliget præceptum spei?

Respondeo cum Banesio; Quando quisque in principio vsus rationis fuerit Dei gratia illuminatus circa supernaturalem beatitudinem, debere illum elicere actum spei circa eamdem. Secundò, Teneri ad actum spei sæpè nos ex obligatione alterius præcepti, verbi gratia, quotiescumq; tenebimur agere pœnitentiam, quæ vtilis non est sine spe veniæ. Denique ad eumdem teneri eum qui tentaretur ad desperandum.

# QVÆSTIO VIGESIMATERTIA.

## De Charitate.

### ARTICVLVS I.

### *Vtrùm Charitas sit amicitia?*

#### SECTIO I.

#### *De nomine Charitatis.*

CHARITATIS nomen non improbabiliter quidam deriuant à Græco χάρις, alij à Latino *charus*.

Illud maioris fuerit momenti, etiam à veteribus quæsitum, Quomodo tria hæc nomina distinguantur, charitas, amor, dilectio?

Vbi certum est, pro eodem in Scripturis sacris accipi: quod probat Augustinus 14. de Ciuitate, cap. 7. vbi cùm promiscuè nunc an amaret, nunc an diligeret, esset interrogatus Petrus; notat repetentem id Euangelistam dixisse: *Contristatus est Petrus quia dixit ei tertiò, Amas me?* cùm tamen solùm semel dixisset, *Amas me?* bis autem, *Diligis me?* Idem est iudicium de Græcis vocibus ἀγάπη & φιλία: vtitur enim promiscuè Euangelista eodem loco ἀγαπᾷς & φιλῶ. Ideò autem diligentiùs id inculcat Augustinus, quia tum temporis non deerant, qui arbitrarentur aliud esse dilectionem siue charitatem, atque aliud amorem: dilectionem namq; volebant tantùm in bonum sumi, amorem in malum.

Ioan. 21.

Verùm dilectionem etiam in malum accipi, liquet ex illo Psal. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Imò neque ἀγάπη semper in bonum accipi videtur, vt in epistola Iudæ: *Hi sunt in epulis suis*, Græcè ἀγάπαις, *maculæ*. Græcè tamen non legit Erasmus *suis*, sed, *vestris*; quomodo ἀγάπη posset adhuc in bonam partem accipi. Hoc certum est, ἀγάπην ibi non tam pro charitate accipi, quàm pro epulo, quod pro charitate pauperibus aut fratribus largiri solebant Christiani; de quo videre licet Tertullianum Apologetici c. 39. Clarior itaque erit locus Iudith cap. 9. vbi charitas non videtur in bonum accipi, quando dicitur, *Percuties eum ex labijs charitatis meæ.* præcipuè si attendamus, Græcum textum habere *labia fraudis.* Possumus tamen per *labia charitatis*, ibi intelligere gratiam sermonis. Vix ergo reperitur charitas in malum: vnde & Clemens lib. 2. Pædagog. spectando proprium vsum vocis, reprehendit eos qui epulas carnales ἀγάπας siue charitates vocabant. Illud in confesso est, apud veteres profanos Auctores charitatis nomen non restringi ad virtutem significandam.

Ex recentioribus quidam distinguunt charitatem à dilectione, quòd charitas sit inter solos homines, dilectio etiam ad Deum spectet: quod non solùm est contra omnes Theologos, sed etiam contra ipsum Ciceronem, qui amicitiam definit omnium diuinarum humanarumque rerum cum beneuolentia & charitate summam consensionem. Illud verius, ad bruta & inter bruta amorem esse, charitatem aut amicitiam non esse.

Neque inficias imus, esse & aliud inter has affines voces discrimen. Charitas enim frequentiùs apud nostros pro ipsa virtute vsurpatur, dilectio pro actu. Item amor & dilectio non perinde inuoluunt amicitiam, sicut de charitate docet præsens articulus. Bernardus lib. De natura & dignitate diuini amoris, cap. 2. & 5. amorem distinguit à charitate, quòd charitas sit quidam perfectus & illuminatus amor. *Iam*, inquit, *amor incipit confortari & illuminari, & transire in affectum & nomen maioris virtutis & amplioris dignitatis: amor quippe illuminatus charitas est.* Dilectionem tamen Dei à charitate distingui, nisi fortè quòd alterum Græcum, alterum Latinum sit, negat Hugo de S. Victore lib. 2. De Sacramentis p. 13. cap. 12. eos inde refutans, qui charitatem dicebant non posse vmquam amitti: dilectionem autem, tamquam imperfectiorem, amitti posse. Huc pertinet illud Augustini De doctrina Christiana, capite 5. *Quid est charitas? Dilectio.* Sanè magnam esse dilectionis cum charitate coniunctionem, aliquoties indicat Ioannes in prima Epistola. Dilectio igitur Dei super omnia, charitas est, vel charitatis actus. Origenes Prologo in Cantica annotauit, Scripturam libentiùs nomine charitatis & dilectionis quàm amoris vti; *Et in his*, inquit, *& in pluribus alijs locis inuenies, Scripturam diuinam refugisse amoris vocabulum, & charitatis dilectionisque posuisse. Interdum, licet rarò, proprio tamen vocabulo amorem nominat, & inuitat ad eum atque incitat animas, vt cùm dicit in Prouerbijs de Sapientia: Adama eam, & seruabit te; circumda eam, & exaltabit te; honora eam, & complectetur te. Sed & in eo libello qui dicitur Sapientia Salomonis, ita scriptum est de ipsa Sapientia; Amator factus sum decoris eius. Arbitror autem, quòd vbi nulla lapsus videbatur occasio, ibi tantùm nomen amoris inferant.*



#### SECTIO II.

#### *De amicitia in Charitate.*

NVNC videamus, quomodo in charitate inueniatur ratio amicitiæ. Reperiri enim, etiam ex Scripturis colligitur.

Tradit amicitiæ conditiones Philosophus lib. 8. Ethicorum, Ambrosius lib. 3. Officiorum, cap. vlt. & D. Thomas hîc. quæ probandæ sunt conuenire charitati, vt eam ostendamus esse amicitiam.

Prima est, Quòd sit amor beneuolentiæ. Neque enim ad vinum habet amicitiam, qui vinum amat; neq; omnino ad res inanimatas hominis est amicitia, vtpote quas non alia ratione diligit, quàm quòd sibi eas velit esse commodas. Amore itaque cõcupiscentiæ res illas inanimatas possumus diligere, non autem amore amicitiæ aut beneuolentiæ.

Hæc conditio videbitur cuipiam non conuenire charitati: Deus enim amat nos propter se, *Vniuersa enim propter semetipsum operatus est Dominus*: Prouerb. 16. Amat ergo nos potiùs amore concupiscentiæ quàm beneuolentiæ.

Nihilominùs omnino dicendum est, hanc amicitiæ conditionem conuenire charitati: neque enim, etiam à nobis, ita amicus amore beneuolentiæ diligitur, vt non simul eum diligamus in ordine ad vltimum suum finem, nisi sit ipse Deus, qui quò referatur vlteriùs, non habet. Cùm itaque ipse Deus sit vltimus finis hominis, hoc ipsum pertinebit ad amorem diuinæ in nos beneuolentiæ, si ad se, tamquam ad destinatum finem, nos referat; præsertim cùm inde non ipse Deus meliùs habeat, sed nobis meliùs sit.

Secunda conditio est, Vt sit mutua beneuolentia.

Hanc conditionem non quadrare in charitatem, ex eo arguitur, quòd ipsâ etiam inimicos diligamus.

Verùm ad hoc dicendum est, charitatem principaliter considerandam vt est Dei amor; adeoque non tam laborandum est, vt ostendatur esse amicitia cum aliquo hominum, quos fortè simul propter Deum amamus, quàm cum ipso Deo; quod iam facilè fuerit: neq; enim ita quisquam Deum diligit, vt etiam inimicos propter ipsum vt oportet diligat, quin vicissim ipse à Deo diligatur.

Dices, Deus nos ex charitate diligit antequam ipsum diligamus; ergo est reperire charitatem sine amicitia.

Respondeo, nobis hîc sufficere, quòd charitas quæ est virtus Theologica in homine, sit amicitia quædam hominis ad Deum, vt loquitur D. Thomas in fine corporis.

Tertia conditio est, Communicatio quædam amici ad amicum, in qua fundetur mutua illa beneuolentia.

Hæc videtur deesse charitati, quia serui potiùs inutiles Dei sumus, quàm vtiles amici, qui nihil ei conferimus.

Sed respondeo, hanc conditionem non esse ita intelligendam, quasi citra mutuam beneficentiam non consistat amicitia: consistere enim potest, quando alter beneficus est, alter autem grato animo beneficium refert acceptum, idque retribuit quod potest, puta honorem & obsequium, seque totum amico potentiori offert & deuouet. Imò nec hoc quidem absolutè requiritur, vt amicus aliquid amico conferat; sufficit quòd in aliquo bono communicent; quomodo duo virtute præditi, quorum neuter alteri benefecit, amici sunt. Ea enim in bono, præcipuè honesto, similitudo tantam habet vim conciliandæ amicitiæ, vt propterea veterum quidam amicitiam nihil aliud esse definiuerint, quàm similitudinem, vt testatur Philosophus 8. Ethicorum, capite primo. Dico (*præcipuè honesto*) quia amicitiæ fundatæ in communicatione boni vtilis, aut iucundi, amicitiæ nomen non merentur: in illis enim vix relinquitur purus amor beneuolentiæ. Neque enim tam amicus diligitur, quàm proprium commodum aut voluptas; adeoque est potiùs amor sui & concupiscentiæ, quàm amor amici & beneuolentiæ. Pulchrè ex quodam Pythagorico Clemens lib. 2. Stromatum dicit, eam amicitiam quæ ex virtute & honestate est, ac scientia Deorum, esse dignam Philosopho; illam autem quæ est ex vtilitate, esse vulgarium hominum; illam denique quæ est ex voluptate, esse brutorum animantium.

Ex hac conditione statui potest discrimen inter amicitiam hanc charitatis, & amicitiam in honesto morali fundatam, quam optimam dixerunt Philosophi: hæc enim charitatis amicitia fundatur in bono diuino supernaturalis beatitudinis; illa autem Philosophica fundatur in bono hominis vt homo est, naturæ vires non excedente.

Quartò requirit amicitia, Vt non lateat mutua illa beneuolentia. Quod non videbitur competere in charitatem, quia nescimus, an amore an odio digni simus. Eccles. 9.

Verùm, omnino conuenit. Non enim postulat amicitia omnimodam de illo mutuo amore certitudinem, alioquin inter homines nulla erit amicitia: sed talis sufficit, qualem in materia De gratia diximus hominem habere posse de sua iustitia, ex testimonio Spiritus sancti, contestantis quòd simus filij Dei.

Quintò, Vt alter alterius voluntatem faciat. Ioannis 15. *Amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Matth. 12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater & soror & mater est.* Facere autem eum qui charitatem habet Dei voluntatem, vel ex eo manifestum est, quòd plenitudo legis sit dilectio: è contrà, Deum facere voluntatem timentium se, testatur Psal. 144. Rom. 13.

Sextò, Vt alter alteri sua secreta committat. Conuenit charitati; quia iusti effundunt coram Deo cor suum, & Dominus apud Ioannẽ ostendit, quomodo ipse arcana sua diligentibus se reuelet: *Iam non dicam vos seruos; quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ioan. 15.

Septimò, Vt sit vnitas animorum inter amicos. Hinc enim amicus est alter ego, siue ἕτερος, quasi

ἕτερος ἐγώ, vt docet Cyrillus lib. 2. Stromatum. Philosophus in Magnis moralibus lib. 2. cap. 13. Cicero de amicitia. Illud reperiri in charitate, pa-
Matth. 5. tet ex oratione Dominica, *Fiat voluntas tua.* Credentium etiam Actor. c. 4. dicitur fuisse cor vnum & anima vna in Domino, qui Ioannis 17. rogauerat, vt omnes vnum sint, *sicuti*, inquit, *tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis vnum sint.*

Octauò, Vt sint æquales. Hinc Philosophi dixerunt, amicitiam esse æqualitatem: & Reges eos nobilitant & exaltant, quos volunt habere amicos, vt primi Machabæorum 10. Alexander Ionathan, *Constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuæ, vt amicus voceris Regis.* Rectè enim Dionysius Philosophus cuidam diuiti pauperem amicum suum dicenti respondit, *Si amicus est, tu quomodo dines, ille pauper?*

Hæc amicitiæ conditio prima facie minimè videtur charitati conuenire; nam propter nimiam inæqualitatem negauit Philosophus hominis ad Deum posse esse amicitiam. Conuenire tamen fa-
1. Pet. 2. tebimur, si consideremus, per dona sua Deum nos ita exaltare, vt simus ei regale sacerdotium, diuinæ consortes naturæ. Ex sua autem parte, quo facilius hæc amicitia constaret, humiliando se de æqualitate Dei, eò Filius Dei demissus est, vt per
Heb. 4. omnia similis factus sit nobis absque peccato.

Denique & illud hîc monendum, amicitiam non postulare omnimodam æqualitatem: est enim quoddam genus amicitiæ, quod Philosophus 8. Ethicorum cap. 7. vocat supereminentiæ, vbi alter supereminet: talis est inter parentes & liberos, Principes & subditos. Atque huius etiam generis est amicitia hominis cum Deo per charitatem.

Nona amicitiæ conditio est, Ne sit cum multis. Quæ satis etiam charitati conuenit: ex parte enim nostra vnus diligitur Deus, & reliqua propter ipsum: ex parte autem Dei cessat ratio ob quam amicitia requirit ne sit cum multis. Ratio enim est, quia plures simul perfectè diligi nequeant; & periculum longo tempore oporteat facere, an idoneus sit futurus amicus: Deus verò non ideò minùs vnumquemque amicorum suorum diligit, quia cum pluribus; neque indiget experientia amici, secundùm illud Ioannis 6. *Sciebat ab initio* IESVS, *qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.*

Postrema conditio est, Ne sit diuturna amici absentia. Conuenit charitati; quia per illam conuersatio nostra in cælis est, ad Philippens. 3. Sine charitate autem & scientia Dei supernaturali, rectè de se & sui similibus dicebant Chaldæi, Danielis 2. Deorum conuersationem non esse cum hominibus.

Dubitatio huius loci est, An actus charitatis, quantumuis necessarius, reddat hominem iustum & Dei amicum?

Respondet Vasquius 1. 2. disputat. 55. in fine affirmatiuè, eò quòd actio charitatis talis sit naturæ, vt quantumuis sit omnino necessaria, faciat tamen hominem iustum & sanctum, non quia tunc sit actio moraliter bona & studiosa, talis enim non est, quando non est libera: sed quia suapte natura est amicitia erga Deum, quæ hoc ipso constituit hominem amicum Deo, & proinde iustum & sanctum apud Deum. Formam enim iustificantē non postulare naturâ suâ libertatem, cùm & habitu & vnione hypostatica sine vllo actu iustus quis esse possit. Ita ille. Quæ sententia vel ex eò confirmatur, quòd in beatis, vbi amicitia perficitur, necessitetur operatio charitatis. Crediderim tamen, per potentiam Dei absolutam actum hunc necessarium, quantumuis aliàs intensum, sine libera appretiatione Dei super omnia posse consistere cum Dei inimicitia.

## SECTIO III.

### *Soluuntur obiectiones.*

CONTRA hunc articulum obiicitur Primò: Amor Dei naturalis non est amicitia hominis cum Deo, alioquin posset quis esse iustus sine charitate: videtur itaque neque esse amicitia amor charitatis.

Secundò: Si charitas sit amicitia, non erit simplex virtus; quia etiam amicitia per se videtur habere laudem virtutis.

Ad Primum respondeo; In primis certum est, in homine lapso ad amicitiam cum Deo non sufficere amorem Dei naturalem, id est talem qualem viribus naturæ lapsæ erga Deum, vt finem naturalem, habere potest. Certum etiam est, in quocumque statu hominis destinati ad finem supernaturalem, non consistere eius cum Deo amicitiam, nisi habeat propositum seruandi mandata supernaturalia: sed tota difficultas est, An homo conditus in puris naturalibus, possit Dei esse amicus per solum amorem eius super omnia, vt est finis suus naturalis? Banesius hîc negat, Primò, quia D. Thomas ad 1. videtur sentire, secundùm naturam etiam rationalem, quatenus ex operationibus sensibilibus haberi potest, non esse nobis cum Deo conuersationē; adeoq; deerit amori naturali vltima conditio amicitiæ. Secundò, Quia manendo in solis naturalibus, Deus non reuelat homini sua secreta; adeoque videtur deesse sexta conditio amicitiæ supradicta. Tertiò addi potest, deesse octauam conditionem: est enim nimis magna inæqualitas inter Deum & hominem nondum per gratiam eleuatum, vt sit diuinæ consors naturæ. Quartò, Amicitiæ ratio videtur postulare, vt cùm possit, aliquando tandem se amicus amico videndum sicuri est, & fruendum præsentem exhibeat; quod reduci potest ad vltimam conditionem, Ne sit diuturna amici absentia: hoc autem Deus sine supernaturali operandi modo homini non potest præstare. Propter hæc argumenta probabile est antecedens obiectionis; sed ex dictis liquidum est, consequentiam non valere. Nihilominùs tamen aliqualem amicitiam hominis cum Deo posse constitui, in amore illo naturali status naturæ nudæ admitti potest: quamuis fatendum sit, non tot, neque tam perfectè ibi reperiri conditiones amicitiæ sicut in charitate: neque enim satis apparet, quare Deus non possit dici amicus creaturæ rationalis, vicissim se vt potest & debet diligentis. Fauet D. Thomas 1. parte quæst. 20. art. 2. Molina ibidem, & Ferrariensis libro 1. contra Gentes cap. 91.

Ad Secundam respondeo, Amicitiam non esse virtutem ab alijs distinctam, sed aliquid cum virtute coniunctum: per se enim non habet laudem, sed ratione virtutis & boni in quo fundari contingat. De quo videri potest D. Thomas infrà, art. 3.

ARTI-



# ARTICVLVS II.

## *Vtrùm Charitas sit aliquid creatum in anima?*

## SECTIO I.

### *Referuntur sententiæ, præsertim Magistri.*

MAGISTER lib. 1. dist. 17. docet, Spiritum sanctum non esse solùm illum amorem Patris & Filij, quo se inuicem amant, & nos; sed etiam esse amorem siue charitatem, qua nos diligimus Deum & proximum. Neque tamen voluit Magister, ipsum actum nostræ dilectionis esse Spiritum sanctum; quamuis ita loquatur, vt hoc sentire prima facie videri queat: ab hac enim ridicula opinione vindicat Magistrum D. Thomas tum hoc articulo, tum etiam quæst. disputata de charitate art. 1. vbi eam ridiculam vocat. Et sanè ipse Magister satis indicat, de immediato principio dilectionis, quod sit loco habitualis charitatis, non de ipso actu accipiendum esse quod dicit, Deum esse charitatem, aut dilectionem: indicat, inquam, §. 2. & 6. illis verbis: *Quæ charitas cùm ita est in nobis, vt nos faciat diligere Deum & proximum, tunc Spiritus sanctus dicitur mitti vel dari nobis.* Inde enim constat, quòd Spiritum sanctum dixerit non actum quo diligimus, sed illam charitatem quæ in nobis facit istum actum, & ad eum nos accendit: tali enim locutione ex D. Augustino suam sententiam confirmat. Solùm itaque negauit Magister habitum charitatis creatum, quem suppleri voluit per substantiam ipsam Spiritus sancti, partim inductus nobilitate & singulari præstantia actus dilectionis, partim quibusdam verbis D. Augustini respicientis ad illud 1. Ioannis 4. *Deus charitas est.*

Declarant autem quidam, citati apud Bonauenturam, hanc Magistri opinionem similitudine lucis, luminis, & coloris. Sicuti enim lux consideratur in primo suo fonte, videlicet sole, lumen autem transfusum in corpore diaphano, color denique in perspicuo terminato; ita volunt Spiritum sanctum esse charitatem diuinam, vt à Patre Filioque per modum amoris procedit: esse autem gratiam, quatenus vnitur essentiæ animæ nostræ: denique esse charitatem animæ nostræ, quatenus voluntati nostræ vnitus, mouet ipsam ad diligendum Deum super omnia, & proximum propter Deum. Addebant autem isti, Spiritum sanctum ita proprium esse terminum huius vnionis cum humana voluntate, sicuti Verbum est terminus in vnione hypostatica; adeò vt sicuti, quamuis tota Trinitas faciat vnionem incarnationis, solus tamen Filius carnem assumit; ita, quamuis tota Trinitas faciat vnionem Spiritus sancti cum nostra voluntate, solus tamen Spiritus sanctus nostræ voluntati vniatur, & ideò solus sit charitas: idque Apostolum voluisse quando dixit 2. ad Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.*

Aliorum communis opinio est, admittentium diuisionem charitatis in creatam & increatam, non solùm quoad actum, sed etiam quoad habitum, aut illud quod se habet per modum habitus.

## SECTIO II.

### *Quid hîc tenendum?*

RES tota aliquot assertionibus poterit comprehendi.

PRIMA ASSERTIO. Certum est, Deum posse sine charitatis aliquo habitu creato nos constituere sui amantes, per actuale auxilium gratiæ suę: imò probabile est, Deum id posse, etiam sine creato auxilio distincto ab ipso actu, per solum concursum suum supernaturalem. Atque hinc fit, vt gratia adiuuans diuidi possit in increatam & creatam, siue per modum transeuntis, siue per modum habitus eam consideres. Potest enim Deus supplere per se efficientiam habitus & qualitatis superadditæ potentiæ voluntatis, qua constituitur proportionata supernaturali actioni. Neque hoc potest reuocari in dubium, nisi fortè ab illis, qui existimant habitum ita iuuare potentiam, vt ipse sit tota vis agendi, & potentia per se ipsam nihil conferat. Quod manifestè falsum est in actibus vitalibus & liberis. Addo denique, non solùm de potentia absoluta hæc procedere, sed etiam ordinaria, saltem probabiliter: imò de facto ita fieri, quando Deus per vltimas dispositiones hominem ad se conuertit, sentit Suarez lib. 3. cap. 4. de auxilijs gratiæ. Nobis hîc sufficit, ita posse fieri.

Nota tamen, aliud esse nos constitui Dei amantes, aliud amicos. Amantes Dei constitui possimus, si non sine gratia supernaturali nobis inhærente, saltem sine habitu creato charitatis: ita enim videmus fieri, quando ad primam iustitiam disponimur per actualem Dei amorem qui præcedat habitum charitatis: amici autem Dei non possumus constitui potentia ordinaria, nisi per creatum habitum charitatis; quamuis potentia absoluta etiam sine eo vtcumque possimus Dei considerari amici, vt infrà dicemus.

ASSERTIO SECVNDA. Non potest Deus efficere, etiam potentia absoluta, vt ipsum diligamus sine vitali influxu animæ nostræ & voluntatis. Neque enim potest supplere actus vitales, quorum modus intrinsecus requirit, vt proficiscantur à vita substantiali & principio interno.

ASSERTIO TERTIA. Non possumus Deum diligere sine actuali amore, qui sit qualitas quædam nobis inhærens. Sicuti enim sine albedine nihil est album, ita sine amore nihil amat. Neque fieri potest per vllam potentiam, vt nos amemus illo amore formaliter qui Deus est, sine creato nobis inhærente amore; tum quia Deus nobis inhærere non potest, non amamus autem nisi amor nobis inhæreat; tum etiam, quia, vt dixi, amor noster germen & effectus debet esse nostræ voluntatis, Deus autem effectus rationem non subit.

ASSERTIO QVARTA. Vt conformiter naturæ nostræ per amorem Deo perfectè inhæreamus tamquam vltimo fini, opus est creato habitu charitatis, ita vt sine eo, ne quidem per absolutam Dei potentiam, cum illa conformitate id fieri possit. Patet, quia per habitum charitatis & gratiæ accipit homo quodammodò esse diuinum, vt iam sibi quasi connaturales fiant istæ operationes, alioquin supernaturales. Neque sufficit ad hoc solus habitus gratiæ cum auxilio supernaturali: cùm enim gratia (quā ex sententia D. Thomæ à charitate distinguimus) non inclinet ad operandum, non ea

sufficit vt conformiter naturæ suæ homo possit dicit operari in operibus istis supernaturalibus ; quia tum demum conformiter naturæ operamur, quando ex inclinatione potentiæ aut habitus.

VLTIMA ASSERTIO. Certum est, nos non constitui Dei amicos, nisi infuso habitu creato charitatis, neque potentia ordinaria aliter fieri potest. Hæc nobis contra Magistrum ex communi omnium sententia probanda est. Probatur autem Primò ex Scripturis. Prioris ad Corinth. 13. & ad Coloss. 3. charitas annumeratur & præfertur aliis virtutibus, adeò vt si ideò solùm eam facias virtutem, quòd ea præstet quæ virtus Deo supplente; iam pericliteris admittere, etiam fidem non aliter esse virtutem. Alius locus est admodum idoneus, ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Hîc enim distinguitur charitas infusa ab ipso Spiritu sancto, qui simul in iustificatione nobis datur : quod è diametro pugnat cum sententia Magistri, hæc duo ita confundentis, vt nihil dari, nihil infundi habituale nobis velit, quod sit proprium principium dilectionis, præter ipsum donum increatum Spiritus sancti. Vtrumque ponit Apostolus : Spiritum sanctum dicit dari, contra quosdam, qui negant eum secundùm substantiam suam esse donum; contra quos egimus in prima parte : charitatem dicit in cordibus nostris diffundi, contra opinionem Magistri; sic enim loquendo indicat, charitatem cordibus nostris inhærere, & non esse ipsum Spiritum sanctum, sed Spiritus sancti effectum, donum & fructum, vt dicitur ad Galat. 5. De charitate qua nos Deum diligimus, explicat hunc locum Anselmus, Oecumenius, Primasius, Hugo Victorinus q. 127. in epistolam ad Rom. & ipse Augustinus de spiritu & littera cap. 32. *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos.*

Dices ; Chrysostomus, Theophylactus, & alij, quos sequitur Toletus, charitatem Dei in hac sententia intelligunt eam, qua nos diligit Deus.

Respondeo; Quamuis probabilior sit prior interpretatio, hanc tamen nobis non solùm non obesse, sed etiam nonnihil prodesse, quamuis altera magis. Prodest, inquam; quia, vt fatetur Toletus, non alio sensu charitas qua nos Deus diligit, dicitur diffusa in cordibus nostris, quàm quia in nobis efficit gratiam, charitatem, & omnia dona & virtutes quæ sunt à Spiritu sancto. Probabilior tamen est, vt dixi, Augustini interpretatio, quam sequitur Concilium Arausicanum can. 25. & Tridentinum sess. 6. can. 7. & can. 11. Per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret. Sanè etiam ipse Magister fatetur, locum Apostoli accipiendum esse de charitate Dei, qua nos Deum diligamus ; quamuis putet eamdem esse, qua nos ipse diligit, & qua sui dilectores facit.

Verùm obiicit Toletus, propositum Apostoli aliud postulare : probat enim spem non confundere ; magis autem vrget, si dicatur, ideò spem non confundere, quia Deus nos diligendo nobis donet Spiritum sanctum, qui omnia in nobis charismata operetur; quàm si solùm dicatur, Spiritum sanctum diffundere vnum donum & virtutem charitatis.

Respondeo, Etiamsi sola dicatur hîc infundi nobis per Spiritum sanctum charitas, hoc tamen abundè sufficere, vt spes nos non confundat, quia plenitudo legis est dilectio ; factores autem legis iustificantur ; quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Rom. 13. Rom. 2. Ibid. 8.

Secundò probatur assertio nostra ex Patribus. Augustinus tract. 6. in 1. Ioannis: *Quid est*, inquit, *Ipse Spiritus sanctus interpellat pro Sanctis, nisi ipsa charitas quæ in te per Spiritum sanctum facta est?* Ambrosius lib. 10. epistola 84. secundùm eamdem sententiam loquitur, vt & Hieronymus in cap. 5. ad Galat. Gregorius lib. 1. in Iob cap. 28. Bernardus epistola 11. *Charitas dat charitatem substantia accidentalem.*

Tertiò probatur ratione. Deus disponit omnia suauiter, Sapientiæ 8. ergo quando nos facit suos ex toto corde dilectores, infundit cordibus nostris habitum charitatis; quia sine habitus inclinatione non sumus ad hunc amorem proportionati. Requirit autem suauis dispositio, vt quadam facilitate, ex interiori dispositione proueniente, operemur. Prouenit autem facilitas ista maximè ex habitu charitatis ; nulla enim virtus æquè inclinat in suum actum, ac charitas : est enim charitas essentialiter amor, cuius participatione omnis constat inclinatio. Vnde etiam fit, vt nulla æquè delectabiliter operetur, vt hîc docet D. Thomas. Confirmatur hæc ratio: Quia videmus Deum cuilibet naturali agenti dedisse formam & facultatem naturalem in eo inhærentem & permanentem, per quam propensum & accommodatum sit ad proprium suum opus.

Quæres, An sit fidei charitatem esse aliquid habituale creatum in anima iustificati?

Valentia post Concilium Tridentinum putat esse de fide; Banesius solùm damnat Magistri sententiam tamquam temerariam & errori proximam, non autem tamquam hæreticam. Sanè si negetur dari charitatem, quæ sit qualitas per modum habitus iustis inhærens, existimarim nunc istud ad hæresim pertinere, vt diximus De habitu gratiæ 1. 2. q. 110. art. 2.

## SECTIO III.

### *Solutio argumentorum.*

ARGVMENTA pro opinione Magistri facilè soluuntur. Illud enim 1. Ioan. 4. *Deus charitas est*; intelligitur de charitate increata, qua Deus nos diligit, non qua ipsi Deum diligimus: imò idem est Deum diligere, & Deum esse suam charitatem seu dilectionem : in Deo enim actus non reperitur distinctus ab habitu, imò nec à substantia. Ita locum Ioannis communiter accipiunt Patres & Interpretes, & fauet textus, quando subiungit modum, quo manifestũ fiat, Deum esse charitatem. *In hoc*, inquit, *apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Deum ergo esse charitatem, inde probat, quòd nos ita dilexerit, vt Filium suum mitteret. De quo videre licet Oecumenium.

Sed contrà obiicies, Augustinum illa verba accipere de charitate qua nos diligimus Deum & proximum: octauo enim lib. de Trinit. c. 8. dicit, Deum nobis esse notiorem quàm fratrem, eò quòd fratre nobis sit notior dilectio qua diligimus; Deus autem sit dilectio, vt ait Ioannes. Vbi aperte



aperte videtur dicere Augustinus, quod vult Magister, Deum esse dilectionem illam, qua nos diligimus proximum ; esse autem simul eam qua Deum ipsum diligimus, subiungit : *Videtur*, inquit, *dilectionem Dei tacuisse, quod numquam faceret, nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deum.* & infrà : *Ista contextio satis aperteque declarat, eamdem ipsam fraternam dilectionem, non solùm ex Deo, sed etiam Deum esse, quem videmus tanta auctoritate prædicari.* Ad hæc serm. 13. de verbis Apostoli : *Charitas vsque adeò donum Dei est, vt Deus vocetur.* Item epistola 143. *Ipsa charitas in omnibus donis Dei ita excellit, vt Deus dicta sit.* Rursum de gratia & libero arbitrio c. 19. *Deus dilectio est, & Pelagiani*, inquit, *ipsum etiam Deum ex semetipsis habere se dicunt.*

Respondeo, Augustinum non hoc velle : quòd illa dilectio qua proximum & Deum diligimus, sit formaliter illa dilectio quę substantialiter Deus est : hoc enim non solùm falsum est, sed etiam ita impossibile & inopinabile, vt ne quidem id Magister voluerit, vt suprà monuimus : sic enim charitas increata non solùm esset nobis loco habitualis charitatis, sed esset ipse actus dilectionis; quod apertè implicat. Quid autem voluerit, apertè indicat lib. 15. eiusdem operis de Trinitate, capite 17. vbi in primis dicit, non ita Deum dici charitatem, quo modo dicitur patientia nostra in illo Psalmi; *Quoniam tu es patientia mea.* nusquam enim esse dictum, *Deus patientia est*; sed, *Tu es patientia mea*, sicuti, *Tu es spes mea*; simpliciter autem dictum, *Deus charitas est*, sicuti, *Deus spiritus est.* Deinde docet, quãdo dicitur, *Deus charitas est*, id intelligi de Deo : qui sit ex Deo, eò quòd Apostolus dicat ; *Charitas ex Deo est.* Tertiò dicit, debere intelligi de Spiritu sancto, non de Filio, qui etiam est Deus de Deo : quia Apostolus dicat ; *De Spiritu suo dedit nobis.* Spiritum sanctum ergo vult Augustinus esse charitatem increatam. Origenes Prolog. in Cantic. Patrem & Filium dicit esse charitatem. Verùm licet Pater & Filius sint charitas essentialis, propriè tamen charitatis vox, vt & amoris, in Spiritu sancto intelligitur, qui est amor notionalis. Eumdem autem etiam vult Augustinus dici dilectionem, qua nos Deum & proximum diligimus; quia cùm datus fuerit homini, inquit, accendit eum in dilectionem Dei & proximi : non enim habet homo vnde Deum diligat, nisi ex Deo ; propter quod & paulò pòst dicit, *Nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos.* Rom. 5. Apostolus quoque Paulus, *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Actus itaque dilectionis Dei in nobis, est Spiritus sanctus: quia accensio quædam & diffusio est spirationis diuinæ. Est ergo participata & effecta charitas per charitatem increatam, quæ exemplar & fons est omnis dilectionis creatæ. Quando ergo homo in se Dei aut fratris experitur dilectionem ; Deum in se experitur, adeoque iam quodam sensu Deus ei notior est quàm frater, quia interior, ac sensu & experientiâ certior. Illustrat hanc doctrinam Hugo suprà citatus his verbis : *Hoc quod Augustinus dicit, quòd charitas fraterna, qua diligimus inuicem, Deus est, cõcedimus dicentes quòd Deus charitas facit nos etiam diligere inuicem, sed charitate mediante, sicut nos facit credere, fide mediante. Neque tamen ideò duæ sunt charitates, sicut non duo dicuntur nos illuminare, quando sol & radius nos illuminant.* Hinc etiam patet, quomodo ex eo quòd charitas increata sit Deus, incitemur in Dei amorem, vt nos incitat D. Ioannes : quando enim habemus diuinum hunc amorem, in illo manemus. & ipse in nobis est, Deum habemus, Deus in nobis est. Non repugnat autem, quòd Spiritus sanctus hunc in nobis amorem faciat per habitum charitatis creatum, sicut constat facere per actum creatum.

Similis est responsio ad alia Augustini loca.

Obiici potest ex argumentis quæ sunt apud diuum Thomam, Charitatem videri infinitæ virtutis, quòd animam hominis perducat ad bonum infinitum.

Sed respondeo cum D. Thoma, quia obscurè loquitur, eius mentem explico, Infinitum effectum non arguere perpetuò infinitudinem formę accidentalis, per quam producitur, sed infinitudinem agentis. Quando enim effectus non est infinitus, nisi ratione termini cui vnit, vt fit in proposito; potest contingere vt forma non fit infinita: sed agens semper oportet esse infinitum primum enim agens debet esse proportionatum vltimo fini; quare nulla creatura potest nos per vllam qualitatem Deo vnire, nisi huius vnionis Deus ipse auctor fuerit.

## ARTICVLVS III. IV. & V.

### *Vtrùm Charitas sit virtus specialis & vna?*

PRIMA CONCLVSIO. Charitas est virtus. Docent passim Patres : Chrysostomus homilia de charitate tom. 3. Augustinus De natura & gratia, c. 63. vbi charitatem dicit esse iustitiam qua iusti sumus : iustitiam enim illam esse virtutem animi, quam Deus in nobis efficiat, docet concione 26. in Ps. 118. & apertè distinguit iustitiam habitualem à iustitia sumpta pro opere iustitiæ. Videri etiam potest Hugo Victorinus libello De laude charitatis.

Probatur Conclusio, Quia actus charitatis bonus est; est enim conformis regulæ suæ : imò per charitatem attingimus ipsum Deum, qui magis est regula nostra, quàm ratio humana.

Si quæras, An etiam parua & admodum remissa charitas sit vera virtus?

Omnino dicendum est, Si vera sit & non ficta charitas, non posse non esse virtutem : simpliciter enim virtus est, quæ proximè hominem disponit ad veram beatitudinem ; vera enim virtus sumenda est in ordine ad vltimum finem. Vnde consequitur minimam charitatem potiùs esse virtutem, quàm maximam virtutem acquisitam.

SECVNDA CONCLVSIO. Charitas est specialis virtus. Probat D. Thomas, Quia bonum diuinum habet specialem rationem boni, quatenus est beatitudinis obiectum: habebit ergo etiam specialem rationem virtutis charitas, quæ circa tale bonum versatur.

Dices, Beatitudo est aggregatio omnium bonorum ; ergo charitas solùm erit aggregatum quoddam virtutum.

Respondeo, Esse quidem beatitudinem plenitudinem omnis boni, secundùm illud, *Super omnia bona sua constituet eum.* Matth. 25. Sed eam ipsam plenitudinem & generalitatem omnis boni, adducere specialem

ſpecialem quamdam rationem boni, videlicet ſummi boni, vt charitas non tam verſetur circa bonum commune, quàm circa bonum ſummum, vt rectè D.Thomas q. diſputata De charitate a. 5. ad 4. Poſſet tamen charitas conſiderari, vt verſetur circa bonum commune, & nihilominùs retinere rationem ſpecialis virtutis: ſicuti Metaphyſica habet ſpecialem rationem ſcientiæ, etiamſi verſetur circa ens quatenus omnibus commune. De quo videre licet D.Thom.in 3.diſt.27.q.2.a.4.

Inquirendum hîc eſt, quo ſenſu dicat D.Thomas, charitatem verſari circa bonum diuinum vt eſt obiectum beatitudinis?

Scotus in dicta diſtinct. a. 2. reprehendit eiuſmodi locutionem: dicit enim, rationem obiectiuam charitatis: poſſe tripliciter intelligi, Vno modo propriè, pro ea quæ ſecundùm ſe nata ſit eſſe ratio terminandi actum charitatis, quam dicit eſſe rationem Dei in ſe. Altero, pro ratione præcedente actum, propter quam natus eſt actus elici circa obiectum: quam rationem dicit eſſe ſecundariam, talemque eſſe ſi amicus propter virtutem iam incipiat diligi, quia ſcitur redamare; & hanc in charitate dicit eſſe bonitatem Dei, vt nos diligit, ſeque nobis communicat: quod voluit S. Ioannes quando dicit, *Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*, primæ Epiſtolæ cap.4. Tertio, pro ratione reſultante ex actu charitatis, eumque inſtar quietis cuiuſdam excipiente, qualem in charitatis actu dicit eſſe Deum, vt eſt noſtra beatitudo, eamque vult impropriſſimè eſſe rationem obiectiuam charitatis. Itaque non niſi valdè impropriè dici poſſe, charitatem pro obiecto habere beatitudinem æternam; aut Deum, vt eſt obiectum beatificum, eſſe charitatis obiectum. Ita ferè Scotus.

Verùm quidquid ſit de hac Scoti ſatis obſcura doctrina, non deeſt ſenſus quo commodiſſimè explicari queat, à D. Thoma dictum obiectum charitatis Deum, vt eſt obiectum beatificum. Primò, vt Baneſius explicat, vt nihil voluerit aliud, quàm bonum diuinum, vt eſt abſolutè & ſimpliciter beatificans, quod non ſit niſi beatitudine ſupernaturali, eſſe obiectum charitatis, quando dicitur bonum diuinum ſupernaturale eſſe charitatis obiectum. Secundò, vt Valentia, quaſi velit bonum diuinum eſſe obiectum charitatis, non ſecundùm vnam aliquam perfectionem ſuam, ſed ſecundùm omnem prout eſt in ſeipſo, quomodo etiam attingitur à beatis, ſecundùm illud: *Videbimus eum ſicuti eſt*. Tertiò, vt alij volunt, dici poteſt, D.Thomam reſpexiſſe ad amicitiam cum Deo, quam dixerat eſſe charitatem, vt Deus beatificans non tam ſit obiectum charitatis vt charitas eſt, quàm vt amicitia eſt fundata in communicatione æternæ beatitudinis. Quartò, & omnium optimè, ex ipſo D. Thoma q. diſputata ſuprà citata dixerimus, eum nihil aliud voluiſſe, quàm quòd per charitatem homo reddatur benè diſpoſitus ad vltimum ſuum finem ſeu beatitudinem; adeoque meritò diſtingui ab illis virtutibus, quæ hominem benè diſponunt ad media illius finis. Supponere autem D. Thomam, fidem & ſpem non verſari circa vltimum finem, eo modo quo charitas: fides enim Deum qui eſt vltimus finis reſpicit, vt eſt prima veritas, ſpes vt eſt ſummum bonum nobis, charitas vt eſt ſummum bonum ſibi.

Tertia conclvsio. Charitas eſt ſimpliciter vna virtus non diſtincta in plures ſpecies. Probat eam D.Thomas ex natura amicitiæ, quæ tum demum diſtinguatur, quando aut finis, aut communicatio ipſam fundans variatur. Certum autem eſt, vnicum eſſe in charitate finem, ſcilicet diuinam bonitatem; item eſſe vnicam communicationem beatitudinis æternæ, in qua fundetur amicitia charitatis. Charitatem qua proximum diligimus, eſſe eamdem cum charitate Dei, docet Auguſtinus lib. 8. de Trinitate cap. 8. & ex ipſo Magiſter lib.3. diſt. 27. qui benè monet, geminam dici charitatem, etiamſi vna ſit Dei & proximi, propter duo dilecta. Et confirmatur, Quia proximum diligimus, vt aliquid Dei: hinc enim fit, vt etiam impios & inimicos diligamus ex amicitia quæ nobis eſt cum Deo, qui iubet etiam inimicos diligere, & illi adhuc coniungi poſſunt per charitatem, quàm diu in via ſunt.

An verò præter charitatem hanc proximi, quæ eadem eſt cum charitate Dei, & amorem naturalem Dei & proximi, non ſit aliquis amor ipſius proximi ſupernaturalis, qui non ſit concupiſcentiæ (qualem dari ex ſuprà dictis ſuppono) dubitari poteſt.

Sanè vtrumuis dicatur, nihil oberit concluſioni noſtræ: neque enim erit alia charitas, ſed ſolùm alius amor. Illud certum eſt, quando peccator proximum amat amore aliquo imperfecto propter Deum, quem tamquam iuſtitiæ fontem diligere incipit, nondum eſſe charitatem. At fortè etiam iuſtus, quando proximum diligit non ex amicitia quam habet cum Deo, ſed ex amore ſupernaturalis beneuolentiæ, quem habet immediatè in proximum, non propriè exercet actum charitatis. Si quis tamen velit, huiuſmodi amorem eſſe virtualiter charitatis; non magnopere cum eo contendendum erit: eoque pertinebit quod dixit Thomas q. diſputata De charitate a. 4. in corpore dicit, eſſe charitatem, quandocumque diligitur proximus quia in eo eſt Deus, vel vt in eo ſit Deus, aut omnino ratione Dei. Ibidem in reſponſione ad ſeptimum, quo obiiciebatur, alio honore Deum honorari, alio proximum, ideoque videri etiam alio amore amari; indicat diſcrimen inter honorem proximi, & eius amorem ſupernaturalem, quòd honoremus etiam proprium bonum proximi, amemus autem ſolùm bonum diuinum in ipſo.

Alia dubitatio hîc eſſe poteſt, An præter charitatem Dei infuſam, ſit aliqua in nobis acquiſita? Talem enim nonnulli Theologi admittunt, eamque dicunt eſſe habitum Theologicum, non tamen virtutem Theologicam, eò quòd ad rationem virtutis Theologicæ requiratur infuſio: quam eſſe ſententiam D.Thomæ ſuprà diximus quando agebamus De ſpe.

Affirmatiua pars ſatis probabiliter ſuſtineri poteſt. Verùm de hac re alibi latiùs.

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm Charitas ſit excellentiſſima virtutum?*

Respondetvr, Charitatem eſſe excellentiorem virtutibus moralibus, quia Theologica eſt: fide autem & ſpe, quia Deum



Deum in ſe attingat, ſicut prudentia rationem; fides autem & ſpes Deum attingunt dumtaxat, vt ab eo prouenit nobis cognitio veri, aut adeptio boni.

Probatur hæc reſponſio ex Scripturis ſacris. Eſſe enim charitatem maiorem fide & ſpe, docet apertè Apoſtolus prioris ad Corinth. 12. & 13. Priori enim loco hanc excellentiorem viam appellat; poſteriori autem apertè eam fide & ſpe maiorem facit: *Maior*, inquit, *horum eſt charitas*. Maiorem autem eſſe virtutibus moralibus, docet idem Apoſtolus ad Coloſſ.3. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis*. Huc pertinet, quòd dilecto dicatur plenitudo legis & finis præcepti: eſt enim finis quid perfectiſſimum. Imò Pſal 118. charitas dicitur omnis conſummationis finis, interprete Beda. Deniq; rectiſſimè ab Auguſtino dictum eſt in Pſal. 103. Conc.1. *In omnibus Scripturis ſupereminentiſſimam viam, ſupereminentiſſimum locum charitas obtinet*.

Secundò probatur ex Patribus. Irenæus lib.4. cap.63. *Præcipuum dilectionis munus, quod eſt prætioſius quàm agnitio, glorioſius autem quàm prophetia, omnibus autem reliquis chariſmatibus ſupereminentius*. Origenes homil.2.in Cantica, *Charitas in hoc omnino principalem obtinet locum*. Chryſoſtomus homil.1.de incomprehenſibili Dei natura dicit, charitatem eſſe caput omnium bonorum, radicem, fontem, & parentem. Hieronymus in cap.5.ad Galatas, *Quæ alia inter fructus Spiritus debuit tenere primatum, niſi charitas; ſiquidem & in Lege & in Euangelio ipſa obtinet primatum*? Auguſtinus 15. de Ciuit. cap.18. de charitate agens, *Nullum*, inquit, *eſt iſto dono excellentius*.

Tertiò probatur Ratione. Chryſoſtomus homil. de charitate tomo 3. hac ratione probat charitatem eſſe digniorem virtutibus moralibus, quæ cohibitione affectuum occupantur, quòd diligere nobis cum Deo commune ſit, vnde & per dilectionem inimicorum, Patris cæleſtis imitatores eſſe iubeamur: homilia autem de fide, ſpe & charitate, ideò maiorem dictam putat fide & ſpe, quòd præ illis maneat in patria. Sed potiùs ideò in patria manet, quia maior eſt; & ideò maior eſt, quia non ex parte eſt: non enim includit imperfectionem, neque ſupponit. Adde, quando Apoſtolus dicit, nunc manere charitatem; ſimul dicit, nunc eſſe maiorem: vt procliue ſit intelligere, independenter à ſtatu beatifico eſſe in ſe maiorem etiam prout hîc eſt. Auguſtinus (quod & Chryſoſtomus attigit) vrget in argumentum excellentiæ charitatis, quòd non tantùm donum Dei, ſed Deus dicatur à D. Ioanne. Ita epiſtola 143. Enchiridij autem cap. 117. vrget, quòd à charitate ſimpliciter dicatur quiſque bonus: *Cùm enim quæritur*, inquit, *vtrùm quiſque ſit homo bonus; non quæritur, quid credat, aut quid ſperet; ſed quid amet*. Et in ſententijs à Proſpero collectis, n. 327. *Quanta eſt charitas? quæ ſi deſit, fruſtrà habentur cetera; ſi adſit, habentur omnia*. Denique de Trinitate loco ſuprà citato vrget, quòd ſolùm donum charitatis diuidat inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Hieronymus ſuprà citatus vrget, ſine charitate reliquas non reputari eſſe virtutes, & ex charitate naſci vniuerſa quæ bona ſunt: item quòd omnis lex in ea recapituletur, quòd ſola cor mundum efficiat.

Sentiunt contra doctrinam huius articuli noſtri temporis hæretici, qui non ferunt, charitatem dici maiorem fide; & Apoſtolum hoc apertè dicentem mirè detorquent. Dicunt enim, non ſimpliciter hoc voluiſſe, ſed dixiſſe maiorem, quia ſemper maneat, vel quia primas teneat in conſeruanda Eccleſia, vel quia quoſdam habeat effectus, qui eam videantur fidei præferre, licet omnibus effectibus ſimul conſideratis, fides ſit præſtantior; cùm in illis etiam ipſa charitas reperiatur, & victoria noſtra, quæ vincit mundum, ſit fides, vt inquit Ioannes primæ epiſtolæ cap. 5. Ita ferè Caluinus.

Verùm quomodo potiùs dicendum ſit, charitatem ideò manere quia maior eſt, quàm ideò maiorem eſſe quia maneat; iam antè monuimus. Quòd verò charitas nos vniat proximo, & ita ſeruet vnitatem Eccleſiæ; magnum quidem eſt, ſed maius eſt quòd nos vniat Deo; vniat inquam magis quàm fides aut vlla alia virtus, vt patet ex dictis.

Quomodo autem nobis non obſit quòd charitas dicatur eſſe de fide non ficta, aut ſequi cognitionem, partim diximus q.17.a.8. Hîc addimus, fidem, ſpem & charitatem habere perfectionem à Deo, circa quem verſantur; ſuperare autem charitatem, quia perfectiùs Deum attingat: charitas enim tota diuina eſt, aut potiùs Deus eſt, noſque in Deum transfert: fides autem cum quadam obſcuritate nobis Dei cognitionem præbet: ſpes nobis abſentem ſperat, charitate Deum Deo volumus, ſpe Deum nobis, per fidem autem nobis Dei quærimus cognitionem, vt proficiamus in amorem. 1.Tim.1.

Quòd verò obiicitur, fidem eſſe victoriam quæ vincit mundum; bis peccatur: ſemel, quòd fides illa per charitatem viua ſit intelligenda & operans, non mortua, quæ nihil eſt. Secundò, quòd victoria adimatur dilectioni; hoc enim repugnat Scripturæ, Cantic. 8. *Fortis vt mors dilectio*. & in ipſa epiſtola Ioannis cap. 4. victoria iſta tribuitur charitati; *Vos ex Deo eſtis, & viciſtis eum, quoniam maior qui in vobis eſt quàm qui in mundo*. Hîc enim ſignificatur, nos vincere mundum & malignum, per Deum nos inhabitantem; inhabitare autem per charitatem, ibidem Apoſtolus ſubiungit. 1.Ioan.5.

Sed vrget Caluinus vlteriùs, per fidem nos renaſci, effici filios Dei, obtinere vitam æternam, Chriſtum in nobis habitare.

Reſpondeo, per charitatem nos renaſci & effici Dei filios, 1.Ioannis 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus*. Item per charitatem nos obtinere vitam æternam: quia dicit ibidem Ioannes, *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte*. Denique per charitatem Deum nos inhabitare, ſubiungit idem Apoſtolus cap.4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*.

## ARTICVLVS VII.

### *Vtrùm ſine Charitate poſſit eſſe aliqua vera virtus?*

Respondet D.Thomas, Virtutem ſimpliciter veram, quæ ordinet hominem ad vltimum ſuum finem, non eſſe ſine charitate: virtutem autem veram, ſed imperfectam, quæ

quæ ipsum ordinet ad aliquod particulare bonum, posse esse sine charitate.

Duæ hîc extremę sententiæ à D. Thoma reprobantur. Vna quæ dicit, sine infusa diuinitus charitate posse esse virtutem veram & perfectam, quæ sufficiat homini beando ex solis naturæ viribus: quæ est Pelagiana, satis refutata in 1. 2. in materia De gratia. Altera, virtutes Philosophorum esse vitia: quam damnarunt, saltem tamquam offensiuam, Pius V. & Gregorius XIII. Contra hanc egimus in tractatu De peccatis.

Reprobatur etiam hîc & illa opinio, & quidem propriè, quę in peccatore fideli omnem negat virtutem, etiam imperfectam.

Denique etiam istud reprobatur, si quis dixerit, in puris naturalibus à Deo constitutum hominem non posse habere vllam veram virtutem, quamuis imperfectam, quin subleuetur ad statum gratiæ supernaturalis.

Contra duas istas posteriores opiniones breuiter hîc nobis agendum est.

Conclvsio prima. Fidelis in peccatum lapsus etiamsi charitatem amiserit, potest habere aliquam veram virtutem, quæ tamen imperfecta erit, & simpliciter virtus vera non erit dicenda, quoad in peccato manserit priuatus charitate.

Prior pars declaratur; Virtus enim moralis, & ex infusis fides & spes, non amittunt omnem rationem virtutis in peccatore: reliquas tamen infusas morales fatemur saltem meritoriè cum ipsa charitate expelli. De fide & spe satis suprà id ostendimus: de moralibus acquisitis patet ex definitione virtutis, quam tradit Philosophus, qui nihil sciuit de supernaturali charitate: potest enim sine charitate habitus virtutis moralis esse principium actionis studiosæ.

Posterior pars declaratur; Quia Theologicè loquendo, ea non potest simpliciter dici vera virtus, quæ non facit habentem bonum simpliciter in ordine ad finem vltimum, qui re ipsa nunc supernaturalis est, ad quem nemo potest esse aptus, nisi per charitatem. Philosophicè tamen loquendo, poterunt dici simpliciter veræ virtutes sine charitate: eoque modo poterunt conciliari in speciem pugnantes hac de re sententiæ, etiam inter ipsos Thomistas, vt benè hîc Valentia & Vasquius in 1. 2. disput. 88. obseruarunt. Huc etiam pertinet, quod ex Apostolo Augustinus dicit, sine charitate cetera nihil prodesse, lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, & alibi sæpè. Similiter etiam accipi potest, quod idem Augustinus habet De gratia & libero arbitrio cap. 18. *Quod fit sine charitate, non benè fit.* Quod verò alibi dicit, voluntatem sine charitate totam esse vitiosam cupiditatem, propter amorem vitiosum sui dominantem dictum intelligi potest, non propter omnis virtutis vacuitatem. Eodem pertinebit quod superiori articulo ex Hieronymo produximus, sine charitate reliquas non reputari virtutes.

Conclvsio secvnda. In puris naturalibus constituto homini virtutes illæ morales essent veriores virtutes, quàm sint in peccatore à charitate lapso; non tamen essent virtutes perfectæ.

Prior pars patet; Quia virtus moralis habet proportionem cum fine hominis naturali: itaque ordinaret hominem vtcumque ad verum suum finem vltimum in illo statu.

Posterior probatur; Quia talis virtus imperfectè, & nimis fragiliter, adeoque non satis secundùm statum virtutis, ordinaret hominem ad suum vltimum finem naturalem, propter rebellionem carnis, quam non ita posset in illo statu reprimere, quin sæpè pro fragilitate sua peccaret mortaliter, adeoque excideret à præmio beatitudinis naturalis. Accedit quòd toties interruptum virtutis exercitium physicè perfectam virtutem ingenerare vix potuisset: quomodo quidam volunt ab Augustino dictum esse, virtutes morales etiam in infidelibus esse dona Dei; quòd nimirum actus quibus acquirantur, non contingat frequentari, nisi tentationibus resistatur; quod non fit sine Dei auxilio & protectione. Ita Bellarminus lib. 5. De gratia cap. 11.

Ex his patet responsio ad argumenta Scoti & Durandi, quibus probare nituntur, sine charitate morales veras esse virtutes: quæ apud ipsos videri poterunt.

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm Charitas sit forma virtutum?*

Responsio est affirmatiua ex D. Ambrosio. Variis autem modis explicatur.

Primus & præcipuus est, quòd actus reliquarum virtutum à charitate habeant quòd simpliciter boni sint, id est conducentes ad veram beatitudinem; hoc enim est formaliter officium virtutis, facere habentis opus bonum. Hinc intelligitur, charitatem non solùm esse formam virtutum, quæ ipsam præcedunt, & ad quas ipsa accedit, sed etiam illarum quarum ipsa dicitur mater, radix, & fundamentum.

Secundus modus quo charitas sit forma virtutum, ita poterit explicari: In actibus voluntariis quod est ex parte finis, est formale; forma enim voluntatis, est obiectum eius: charitas autem pro obiecto habet finem omnium virtutum; itaque eius actus erit forma cuiusque virtutis. Ita ferè D. Thomas hîc, & quæst. disputata De charitate articulo tertio.

Tertiò, Charitas est forma virtutum, quia statum eis virtutum præbet: agit enim vt Deo vera pietate seruiant, quæ sine charitatis imperio & dilectione facilè abripiuntur in seruitutem & tributum diaboli, per cupiditatem ad praua allicientem, & à bono abstrahentem. Hoc modo facilè intelligitur, charitatem etiam formam posse dici virtutum moralium acquisitarum; nam de infusis moralibus res extra controuersiam est.

Quartò, est quodammodò exemplaris forma virtutum, vt Banesius obseruat, quatenus ad imitationem charitatis omnes virtutes operantur: est enim charitas rectus amor simpliciter, omnis autem virtus participatio quædam recti amoris. Propriè tamen loquendo, rectè D. Thomas annotauit in responsione ad primum, non essentialiter, neque exemplariter, sed potiùs effectiuè charitatem esse formam virtutum: effectiuè inquam, propter imperium charitatis; illud enim recipiendo, virtutes quodammodò deaurantur, & iam vitam quasi nouam, adeoque formam accipiunt, dum vitæ æternæ promerendæ proportionantur. Alia huc pertinentia vide quæst. 4. articulo tertio suprà.

Mirabitur



Mirabitur hîc quispiam, Quare virtus voluntatis in Theologicis sit forma virtutis intellectus, charitas fidei; cùm in moralibus acquisitis econtrà accidat? Prudentia enim quæ est in intellectu, forma est virtutum existentium in voluntate: à prudentia enim virtutes illæ statum virtutis accipiunt.

Respondet D. Thomas dicta q. disputata a. 3. rationem esse, quòd virtutes morales, obiectum habeant infra hominem, Theologicæ autem supra hominem: illa autem quæ sunt infra hominem, intelligere, homini melius & præstantius sit, quàm velle; eò quòd intellectio fiat, rebus intellectis quasi translatis ad intelligentem, & per modum eius in quo recipiantur iam se habentibus: ideoque ex inferiori conditione, meliorem in proposito, quando inferiores sunt intelligente, sortientibus: voluntatis autem actus sunt quodammodò egressiones ad res ipsas vt in se sunt; econtrà autem accidat in intellectu & voluntate rerum nobiliorum ipso intelligente & volente.

# QVÆSTIO VIGESIMAQVARTA.

## De subiecto Charitatis.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm voluntas sit subiectum Charitatis?*

Respondeo cum D. Thoma, Charitatem esse in appetitu non sensitiuo, sed rationali, quæ est voluntas: quia bonum quod diligit, non est bonum sensu apprehensum, sed diuinum, quod solo intellectu apprehenditur: neque tamen rationem esse regulam charitatis, vt virtutum humanarum, sed Dei sapientiam.

In responsione ad 3. insinuat D. Thomas, charitatem potiùs esse in voluntate vt est appetitus finis, quàm vt est liberum arbitrium, siue vt electiua mediorum, eò quòd obiectum eius sit vltimus finis: est tamen charitas principium liberi & meritorij actus, non tam ratione proprij sui subiecti, quàm ratione status sui subiecti, ideoq; eadem in patria non habet actus meritorios, imò neque liberos circa proprium obiectum.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Charitas per infusionem in nobis caussetur?*

Respondet D. Thomas, Eam neque nobis naturaliter inesse, neque viribus nostris acquiri posse; sed inesse nobis per infusionem sancti Spiritus, qui est amor Patris & Filij, cuius participatio in nobis est ipsa charitas caussata. Hanc responsionem probant eædem auctoritates & rationes, quæ probant charitatem non esse ex nobis, sed diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, vt inquit Apostolus ad Romanos cap. 5. Videri potest de hac re Concilium Araus. can. 25. Mileuitanum can. 4. & Trident. sess. 6. cap. 7. vbi non solùm actualem charitatem videtur dicere esse in nobis ex Dei infusione, sed etiam habitualem, quæ nobis inhæreat.

Sed quæres, Quare infusa intellectui fide, non potest voluntas Deum iam cognitum amare per sympathiam & redundantiam quamdam vnius potentiæ in aliam, sicuti videmus ex rationali appetitu deriuari quodammodò in sensitiuum bonos quosdam affectus, ad res diuinas?

Respondeo; Charitatis habitus necessarius est, etiam suppositâ fide: quia voluntas sibi relicta, sine inclinatione supernaturali, non sequitur iudicium intellectus supernaturale; redundat tamen aliquid ex voluntate charitatis dono instructa, in appetitum inferiorem nullo præditum habitu supernaturali, quia voluntas imperat appetitui sensitiuo, eumque imperitando ad consonos actus habilitat; quale imperium non reperitur intellectus habere in voluntatem.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm Charitas infundatur secundùm capacitatem naturalium?*

Conclvsio est, Non infundi hominibus charitatem secundùm capacitatem naturalium. De hoc articulo quædam diximus 1. p. q. 62. a. 6. & 1. 2. quæst. 112. art. 4. quibus hîc suppositis, breuiter explico, & probo conclusionem.

Tribus modis intelligi potest, charitatem infundi secundùm proportionem naturalium: videlicet vt ea in actu primo sint dispositio ad ipsam, aut in actu secundo; aut vt non sint quidem dispositio, sed Deus pro beneplacito suò instituat eiusmodi ordinem, quo talis proportio seruetur. Primo & secundo modo esset Pelagianum, dicere quòd infundatur Angelis aut hominibus gratia & charitas secundùm proportionem naturalium: tertiò autem modo probabile est hanc proportionem seruari in Angelis. Sed certũ est rursum, secundùm fidem, non seruari in hominibus: passim enim Scripturæ indicant, Deum pro liberrima sua voluntate, hominibus distribuisse sine tali proportione mensuram gratiæ suæ. prioris ad Corinth. 12. *Hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* ad Ephes. 4. *Vnicuique nostrùm data est gratia, secundùm mensuram donationis Christi*, id est, secundùm arbitrium donantis Christi, vt explicat Theophylactus. Secundò, alioqui non contulisset Deus hominibus abie-

ctissimis maximam charitatem, sed sapientibus secundùm carnem, potentibus,& nobilibus; quod eum fecisse negat Apostolus prioris ad Corin.1. Tertiò, alioqui minimus Angelorum haberet maiorem charitatem quàm sanctissimus hominum; cùm tamen certum sit, D. Virginem in charitate superare Angelos. Denique non posset vel ipsos homines D. Virgo charitate omnes anteire, vtpote quæ secundùm naturam inferioris sit sexus.

Illud hîc notandum, quando Trident. sess. 6. cap.7. dicit, nos in nobis iustitiam recipere vnumquemque suam, secundùm propriam cuiusq; dispositionem & cooperationem; non hoc dici, quòd pro quantitate physica præuenientis gratiæ nobis infundatur iustitia aut charitas: sicuti enim nulla infunditur quando non consentimus aut cooperamur; ita neque tanta infunditur, quando magnitudini præuenientis gratiæ non satis respondet consentiendi conatus & promptitudo. Neque tamen vult Concilium, totam proportionem sumendam esse ab influxu liberi arbitrij, considerati in ordine naturæ: quia vt sic, conatus liberi arbitrij non est dispositio ad gratiam, sed accipiendus est actus qui est dispositio, vt supernaturalis, & liberi arbitrij per gratiam adiuti, & ad talem actum secundati: sic enim profert fructum iniustitiæ, aliàs in se sterile.

Notandum Secundò, Quando charitas non tantùm primò infunditur, sed quasi pristina per pœnitentiam recuperatur; habendam esse rationem non solùm dispositionis quæ nunc est, sed etiam charitatis primæ, quæ non tam huic dispositioni, quæ nunc est, quàm suæ quam habuit cùm primò infundebatur (si ad dispositionem hominis infusa est) respondet. Verùm hoc alterius est loci.

Notandum Tertiò, Quamuis Deus infundat charitatem secundùm proportionem nostræ dispositionis; rectè tamen dicitur, eam infundere secundùm beneplacitam sibi mensuram: quia & dispositio nostra aut cooperatio secundùm totam suam latitudinem ex Dei dono est, adeoque ex voluntaria eius distributione descendit: quapropter sicuti quando dicimus, tantam fecit imaginem plastes, quia tantam habebat materiæ molem; similiter etiam dicere possumus, tantam fecisse, quia tantam esse voluit, modò quantitas materiæ in eius fuerit arbitrio: ita etiam dicere possumus, charitatem infundi secundùm proportionem nostræ dispositionis & cooperationis, & nihilominùs infundi ad mensuram beneplaciti Dei distribuentis singulis prout vult.

## ARTICVLVS IV.V.VI.& VII.

### *An Charitas augeatur? An per additionem? An quolibet actu? An in infinitum?*

Conclvsio prima: Charitas viæ potest augeri; imò de essentia eius, vt viæ, est quòd augeri possit. Quòd augeatur in via charitas, colligimus ex c. 1. ad Philippenses: *Oro vt charitas vestra magis ac magis abundet*, &c. 2. ad Thessal. cap. 2. *Supercrescit fides vestra, & abundat charitas.* ad Ephes. 4. *Veritatem autem facientes in veritate, crescamus in illo per omnia*, &c. & infrà: *Augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Accedit Oratio Ecclesiæ, qua petit à Domino fidei, spei, & charitatis augmentum, ex qua istud probat Concilium Trident. sess. 6. cap. 10. Huc etiam faciunt, quæcumque adducuntur pro iustitiæ incremento: nam imperfecta charitas imperfecta iustitia est; perfecta charitas, perfecta iustitia, secundùm D. Augustinum. Eódem pertinet, quod D. Thomas attigit, charitatem viæ esse illam ipsam viam, in qua viator quisque proficere debeat. De quo consulendi sunt interpretes in illud prioris ad Corinth. 12. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* vbi præclarè Anselmus: *Charitas*, inquit, *est via per quam illi gradiuntur, qui tendunt ad regnum cælorum; nam per cæterarum virtutum vias ambulare possunt & illi, qui ad inferiora descendunt.* Denique id docet Augustinus penultimo capite Enchiridij: *Minuetur cupiditas charitate crescente, donec veniat hîc ad tantam magnitudinem, qua maior esse non possit.* Prosper libro Sententiarum, cap. 95. *Crescit semper charitatis facultas, dum vsu maior, & largitate fit ditior.* Fulgentius serm. de charitate: *In charitate debemus, quamdiu in hoc sæculo viuimus, crescere inuicem diligendo, sicut eam iubemur semper debere reddendo.*

Secvnda conclvsio: Habitus charitatis augetur accessu noui gradus.

Difficultas hîc est omnibus qualitatibus communis, Quomodo fiat augmentum charitatis. Quærunt enim, An qualitates intendantur firmiori radicatione in eodem subiecto, aut meliùs disponendo subiectum, aut noui gradus accessu?

Vbi probabilior videtur ea sententia, quæ dicit fieri accessu noui gradus, qui sit eiusdem naturæ cum præexistenti, & cum ipso in vnum tertium maiorem coalescat. Ita sentiunt in 1.d. 17. Scotus, Bonauentura, Gregorius, Gabriel, & alij multi ex antiquioribus, quos ferè sequuntur recentiores. Fonseca lib. 5. Metaphysicorum c. 10. q. 1. sect. 3. Vasquez 1.2. disput. 82. Probant, quòd videatur impossibile, subiectum reddi magis tale, nisi acquirat maiorem formam, qua sit magis tale. Adde quòd nisi verè noui quid accedat ipsi qualitati, sed bona solùm accedat dispositio subiecto, aut mala recedat; consequens erit, omnes beatos parem habere charitatem cum Christo Domino & inter se: ibi enim perfectè dispositum est subiectum, & nulla omnino contrariæ cupiditatis repugnantia.

Itaque quod habet responsio, probatur à sufficienti diuisione, & reiectione aliorum modorum. Cùm enim quatuor ferè sint imaginabiles modi, quibus augmentum in charitate fiat secundùm gradus intensionis; solus ille reperitur verus, quem habet responsio.

Primus modus est, Si sola maneat entitas habitualis quæ priùs fuit, contingat tamen subiectum fieri magis tale, propter recessum contrarij, vel quia inhærentia intenditur.

Verùm intensionem non fieri per solum recessum contrarij, vel ex eo probatur, quòd videamus nonnulla accedentia intendi, quæ non habent contrarium, vt patet in lumine. Adde charitatem Angelorum in via potuisse augeri, sicuti & hominis ante lapsum, vbi tamen nulla erat cupiditas charitati contraria. Neque etiam fieri intensionem qualitatis, intensa inhæsione sine intensione inhærentis, patet; quia alioqui, quando per



per Dei potentiam qualitates inæquales ponerentur sine subiecto, fierent eo ipso æquales, quod non est credibile.

Secundus modus concipiendi augmentum charitatis est, Si ponatur prior gradus destrui, & solus manere posterior, qui sit perfectior.

Verùm iste modus hoc habet incommodi, quòd sic corrumperetur charitas in sui augmento, quæ tamen non tollitur, nisi per peccatum mortale. Deinde continget Deum etiam breuissimo tempore sæpè destruere charitatem. Denique sine demerito, aut contrario, aut corruptione subiecti, vix reperiuntur accidentia, præcipuè perfectiua, perire.

Tertius modus erit, Si ponantur duo gradus manere, & æquiualere vni tertio, sed in vnum tertium non coalescere; sicut duo lumina distincta æquiualent vni tertio intensiori.

Verùm & iste reiicitur: nam quidquid sit de luminibus duorum illuminantium, (quæ vult sic Fonseca in vnum tertium coalescere) quando vnum & idem luminosum nunc magis illuminat quàm priùs vnum subiectum quod continuò illuminauit, non est credibile duo lumina simul reperiri in eodem illo subiecto: ergo cùm Deus vnicus sit, vnde tamquam radius quidam procedit charitas, non poterunt distingui in vna anima duo habitus charitatis.

Solus itaque remanet quartus modus, quem probabiliorem esse diximus, secundùm quem maneat vterque gradus, & prior & posterior; sed ita, vt coalescant in vnum qui sit maior priori, & virtute eum contineat. Hinc patet, non necessariò esse maiorem illum gradum qui posteriùs accedit, sed necessariò esse priori maiorem illum, qui resultat postquam nouus accesserit.

Obiicies, præter dictos modos alium esse quo videatur charitas posse dici augeri, videlicet, ex parte obiecti; verbi gratia, si incipiam inimicum diligere propter Deum, quem antè nõ diligebam.

Respondeo esse controuersum inter Scholasticos, An habitus non solùm intensiuè, sed etiam extensiuè augeantur.

Quidam recentiorum negant: dicunt enim, vnumquemq; habitum esse simplicem, & eo ipso quo reperitur in aliquo subiecto, satis illud disponere ad quodcumque obiectum materiale, in quo reperitur eius formale: itaque non esse cogitandum posteà fieri aliquem accessum ad primam dispositionem respectu huius aut illius obiecti. Addunt, quando hoc simplici habitu non redditur homo facilis & promptus ab initio nisi ad vnum certum obiectum, vt fiat promptus circa alia obiecta, opus esse alio habitu: vnde putant tot esse scientias in Geometria, quot sciuntur conclusiones; vt aggregatione & ordine tantùm sit vna scientia, non autem simpliciter vnus habitus.

Probabilior est sententia, habitus quidem acquisitos secundùm se admittere augmentum extensionis circa noua obiecta materialia: infusos autem non admittere, vt apertè de charitate docet hîc D. Thomas a. 5. Ita tenet Vasquius 1.2. disputatione 80. c. 3. atque huius discriminis sequenti capite talem ferè dat rationem: Habitus acquisiti dant facilè operari: infusi autem quodammodò æquiparantur potentijs, & non tam dant facilè operari, quàm omnino operari; itaque mirum non est, quando circa nouum obiectum noua est difficultas, quamdam fieri accessionem ipsi habitui acquisito illa difficultate sublata; habitum autem infusum ab initio proportionatum constituere hominem toti latitudini sui obiecti sicuti & potentia: vnde non magis augeri charitatem in se, quando plures proximi diliguntur, quàm augeatur potentia videndi, quando plures homines videntur.

Dicendum itaque, actualem quidem charitatem posse augeri secundùm quantitatem extensiuam ad obiectum, non autem habitualem. Qui enim habuerit minimum charitatis habitum, inclinabitur ad omnia omnino charitatis obiecta diligenda. Si tamen citra letalem culpam in vno, non perinde in altero diligendo negligentior fuerit; orietur disparitas quoad teporem & feruorem in actu, non autem diminuetur propriè habitus charitatis. Vnde consequens est, quando charitas augetur circa vnum obiectum, habitum eius verè augeri circa quoduis ipsius obiectum, adeoque si circa proximum augeatur, etiam augeri circa Deum, & contrà.

Conclvsio tertia: Quilibet actus charitatis, etiam remissior, meretur augmentum charitatis. Est D. Thomæ hîc art. 6. ad 1. contra Durandum in primum dist. 17. q. 8. qui fatetur, omnem actum charitatis mereri augmentum præmij essentialis, sed non perinde charitatis; eò quòd non sit dignus, inquit, accipiendis, qui non benè vsus fuerit acceptis.

Verùm contra Durandum rectè pro nostra conclusione hîc argumentabimur ex concessis: Si enim remissior actus charitatis mereatur augmentum præmij essentialis, oportet etiam mereatur augmentum charitatis: præmium enim essentiale secundùm proportionem respondet charitati: Deus enim eum plus diligit, cui plus gloriæ largitur; diligit autem ampliùs eum, qui magis diligit. qui ergo plus præmij refert, maiorem habet charitatem. Accedit quòd alioqui in merito augmenti charitatis obesset, hominem merentem Deo esse gratiorem, quod est contra ea quæ diximus in tractatu De merito: quo enim quis Deo est gratior, eo, ceteris paribus, maioris meriti est eius opus: qui ergo habet charitatis habitum vt 8. & actum vt 5. non minus merebitur augmenti, quàm per similem actum mereretur, qui haberet habitum vt 4. quamuis iste eliceret actum habitu maiorem, ille minorem.

Conclvsio qvarta: Probabilius est, quilibet actu suo augeri charitatem, nec differri augmentum quod meretur actus remissior, sed statim dari. Tenent hanc conclusionem ex Scholasticis complures in 1. dist. 17. Occam, Gabriel, Almainus, Maior, quos sequitur Suarez relectione De reuiuiscentia meritorum disput. 2. sect. 3. num. 34. Henriquez De pœnitentia lib. 1. cap. 33.

Probatur primò; Quia causa meritoria statim operatur quantum potest, nec requirit aliam dispositionem, sed solam capacitatem subiecti & status cum remotione impedimenti. Cùm ergo augmentum charitatis sit præmium pertinens ad hanc vitam, non videtur ratio iusta subesse, ob quam negetur statim dari, & dicatur solùm dari in ingressu gloriæ, vt voluit Scotus: debet enim dari præmiũ istud augmenti charitatis in hac vita, eò quòd præmiũ futuræ vitæ detur ad mensuram charitatis datæ in hac vita. Datur ergo hoc augmen-

mentum statim quando illud iustus meretur; alioqui si contingeret ipsum tunc mori, sine alio intensiori charitatis actu, contingeret perpetuò ipsum carere isto præmio. Accedit secundò, quòd propter meritum gloriæ statim datur intrinsecum ius & proportio ad illam: illud autem ius inuoluit charitatis habitum in simili gradu respondentem gloriæ. Accedit tertiò can. 32. Tridentini de iustificatione, quo videtur insinuari, statim dari illud augmentum charitatis, quando definitur, iustificatum bonis operibus verè mereri augmentum gratiæ; vitam autem æternam, & ipsius vitæ æternæ consecutionem, si in gratia discesserit. Nisi enim existimasset Concilium, hoc differre meritum vitæ & augmenti gratiæ, (eadem est ratio charitatis) quod vitam æternam contingat mereri, etiamsi non statim ea consequatur, non autem augmentum gratiæ: debuisset similem aliquam conditionem apponere, quando loquitur de merito augmenti gratiæ. Quartò, neq; ex parte Dei, neque ex parte hominis merentis obest quidquam, quo minùs statim recipiat istud augmentum quod meretur. Quòd enim dicunt, ex parte Dei illud obesse, quòd ipsum deceat conferre hoc augmentum illi, qui non prius sit vsus toto quod habebat diuino talento, sicuti qui alium docet, non solet noua tradere, priusquam prius tradita discipulus sit assecutus; parum roboris habet. eodem enim argumento cõficeretur, apud Deum iustos non mereri augmentum remissis illis actibus, quod tamen eos mereri etiam aduersarij volunt. Quod verò dicunt, ex parte merentis hîc aliquod esse impedimentum, eò quòd non sit dignus maiora de nouo accipere, qui minoribus prius acceptis non vtitur: solùm arguit, non debere tali in duplum charitatem augeri; sed sicut nihil meretur sibi adiici qui nihil agit, ita aliquid meretur sibi adiici qui aliquid agit. Ad hæc, si non est dignus augmento gratiæ; quomodo dicitur illud mereri? Neque enim rectè dicitur nunc aliquid mereri, qui nunc non est, aut non sit dignus illud accipere: quamuis enim aliquando contingat præmium differri, non tamen differtur propter indignitatem merentis, considerati pro tempore quo illud meretur.

Contra hanc conclusionem obiicitur Primò, Sicuti extra Sacramentum adultus non iustificatur, nisi conetur & curet habere perfectam dispositionem contritionis, aut amoris Dei super omnia, quamuis gratia iustificans non acquiratur sine Dei infusione; ita etiam non videtur iam iustificatus cõsequi charitatis aut gratię illius augmentum, nisi conetur ad actum feruentiorem proportionatum tali augmento, etiamsi ipsum augmentum detur per infusionem.

Secundò, Si actus meritorius durans vno momento, habeat sibi respondens augmentum quod statim addatur; actus similis durans aliquo tempore mox augebit charitatem in infinitum: in quolibet enim tempore sunt infinita momenta.

Tertiò, Si minimus actus continuò augeat habitum, augebitur habitus secundùm totam latitudinem ipsius actus; alioqui enim posset accipi tam exiguus actus, vt nullum faceret incrementum. Incommodum autem videtur, secundùm totam latitudinem actus augeri habitum: quia sic fieret breui tempore incredibile augmentum. Si enim ponas, iustum decies vno die exercere actum charitatis æqualem secundùm gradus intensionis ipsi habitui, qui sit verbi gratia initio vt quatuor; fiet vt ad singulos actus, duplicato habitu, qui manè erat vt quatuor, vesperi sit graduum quatuor millium nonaginta sex.

Quartò, Si quouis actu augetur charitas, numquam actus est tam intensus ac habitus, nisi in primo momento iustificationis; quod videtur mirum & incommodum.

Quintò, Lumen gloriæ non poterit actuali merito proportionari, sed solùm habituali charitati, quæ semper excedit actuale meritum.

Postremò, Habitus acquisitus non augetur actu remissiori, ergo nec infusus: quamuis enim vtrobique non sit eadem efficientia, videtur tamen eadem seruari proportio.

Ad hæc argumenta non improbabilis est responsio. Ad primum enim dici potest, esse iustam causam, quare quilibet actus imperfectioris conuersionis non sufficiat in peccatore ad primam iustitiam accipiendam; sufficiat autem in homine iusto quilibet actus charitatis, etiam remissior, ad augendam iustitiam & charitatem: nimirum quia actus charitatis est à subiecto Deo grato, adeoque verè meritorius est augmenti, tam habitualis charitatis & iustitiæ, quàm essentialis præmij gloriæ cælestis, vt etiam aduersarij fatentur. Solùm itaq; quæstio est, Quando Deus præmium illud reddat? Ad quam soluendam parum momenti attulerit, comparatio actus remissi facti in charitate, & extra charitatem. Quid enim mirum est, in peccatore ad actum remissum conuersionis non infundi charitatem, cùm neque vltima sit ad eam dispositio, neque verum meritum de condigno: quale esse fatentur aduersarij etiam minimum actum charitatis, respectu augmenti in homine iusto?

Ad secundum & tertium patebit responsio ex dictis infrà Dubio 3.

Ad quartum, Nihil incommodi, actum charitatis in homine iusto numquam esse tam intensum, ac est charitas habitualis, considerata cum augmento quod ex ipso actu resultat.

At quærit Banesius, Quare in prima iustificatione non similiter contingat actum superari ab habitu, præsertim cùm (vti alibi diximus) vltima dispositione ad iustitiam, cõsiderata prout iam est hominis iusti, mereatur homo vitam æternam, siue primam gloriam? Mirum enim videtur, si ad meritum augmenti charitatis, non requiratur actus intensior habitu, ibi non simul interuenire huius augmenti meritum.

Ad hoc dici potest, Quando vnicus est actus, qui sit vltima dispositio ad iustificationem, & non concurrit vllum Sacramentum; respondere habitum charitatis, qui infunditur isti dispositioni, pro momento infusionis adæquatè, si non secundùm proportionem Arithmeticã, de qua nihil est certi, saltem secundùm Geometricam. Itaque mirum non est, non posse assignari augmentum in habitu, quod ille actus primò isto momento meretur.

Ad quintum, Nihil istud esse incommodi, non reperiri vnum aliquem actum meritorium in via, cui adæquatè respondeat lumen gloriæ: est enim istud lumen proportionatum toti cumulo bonorum operum, non vni alicui certo operi. Verùm de hoc nonnulla infrà adiiciemus Dubio 4.

Ad postremum respondeo, Quidquid sit de antecedente (verius enim putat Vasquius 1.2. disput.80. etiam per remissiores actus, saltem aliquos, augeri habitum acquisitum) nego sequelam: meritoriè enim aliter fit augmentum, aliter physicè. Quando enim fit meritoriè, multùm influit dignitas operantis: vnde etiam fit, vt non tantùm similis virtutis, sed etiam aliarum sequatur augmentum: imò quod leue est & momentaneum, 2.Cor.4. æternæ gloriæ pondus operetur in nobis. Omnino enim eadem hîc non est statuenda proportio in infusis, quæ est in acquisitis.

Conclvsio qvinta & postrema. Charitatis augmento nullus terminus præfigitur in hac vita. Probat S. Thomas, quia terminus formæ præfigitur, vel ex parte ipsius formæ, vel ex parte agentis, vel ex parte subiecti. Primo modo terminum habet pallor: secundo, ars quam docet imperitus: tertio, ars quam discit incapax. Atqui nullo istorum modorum charitas habet sibi præfixum terminum in hac vita: neque enim ipsa desinit esse charitas, quantumuis multùm augeatur, sicut pallor in albedinem abit vel nigredinem: sed est participatio quædam infinitæ diuinæ charitatis, nullo concluso termino intrinseco; neque Deus efficiens eius, finitæ virtutis est; neque capacitas animæ certa eius portione expletur, cùm potiùs charitas cor nostrum dilatet, & magis reddat idoneum ad vlterius augmentum. Quamuis ergo anima nostra non sit capax infinitæ charitatis, est tamen capax semper maioris & maioris in infinitum. Neque enim audiendi sunt, qui eam ponunt animam naturalem & substantialem disparitatem, vt quædam minoris, aliæ maioris habitualis charitatis capaces sint.

Neque hinc sequitur, quempiam profecturum vsque ad gradum perfectionis B. Virginis, multo minùs ipsius Christi: quia quamuis homo quisq; vlteriùs proficere possit, Deus tamen præscius quousq; cum tali auxilio profecturus esset reipsa, nulli dat gratiam tam vberem, quin Christo & eius Matri dederit vberiorem.

Occurrunt circa hanc quæstionem quædam dubia.

## DVBIVM I.

### *An homo Charitatem suam augeat solùm meritoriè, an etiam effectiuè?*

Commvnis & certa est responsio, non effectiuè, sed meritoriè tantùm augere: imò probabile est, nec gratiam habitualem, nec charitatem per potentiam Dei absoluram, posse produci ab vlla creatura tamquam caussa efficiente principali, licet pro modo creaturæ secundaria, vt De gratia diximus 1.2.q.112. tenetque ita Banesius, quamuis aliter opinetur Valentia. Reipsa tamen datur caussa physica instrumentalis creata ipsius charitatis in Sacramentis. Verùm extra Sacramenta, actus proprij ipsius hominis, numquam sunt caussa efficiens aut physicum instrumentum producendæ in ipso gratiæ aut charitatis; imò secundùm legem Dei ordinariam, extra Sacramentum non potest homo in se augere charitatem nisi meritoriè; efficiens enim eius solus est Deus: neque minùs pendet à Deo infusio augmenti, quàm primi habitus. Effectiuè itaque auget homo habitus, quos effectiuè produxit; meritoriè autem, quos Deus infudit.



## DVBIVM II.

### *An semper augeantur simul Charitas & gratia?*

Sentit Victoria relectione de augmento charitatis num. 12. non semper augeri simul: vult enim actu remisso augeri gratiam, non tamen charitatem.

Verùm hæc doctrina est apertè contra D. Thomam 1.2.q.114.a.8.ad 3. Est etiam contra diuum Augustinum: quando enim dicit, inchoatam charitatem esse inchoatam iustitiam, & perfectam charitatem esse perfectam iustitiam; indicat, si non eadem esse, saltem paribus passibus progredi charitatem & iustitiam siue gratiam iustificantem.

Itaque omnino respondendum est affirmatiuè: neque vllum argumentum obiicitur, quin facilè diluatur. Probatur verò optimo hoc argumento: Fac charitatem esse maiorem; pro gradu illo excedente, homo non erat acceptatus ad regnum, nisi externa quadam deputatione. quale quid si semel dixerimus de augmento; ansam præbebimus sectariis, qui illud dicunt de prima iustitia. Rursum, pone gratiam maiorem; sequetur eum plus à Deo diligi, qui minùs diligat, contra illud Christi Domini, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Accedit quòd Augustinus tractatu vltimo in Ioannem dicat, se non videre qua iustitia illum Deus minùs diligat, à quo plus diligitur, & eum plus à quo minùs diligitur. Neque tamen necessariò idem dicendum est de aliis virtutibus, quòd semper sint charitati æquales quoad intensionem. Quamuis enim demus probabile esse, æquales infundi; quamuis etiam probabile sit, per ipsarum actus charitatem augeri: tamen non est necessarium, vt dicatur æquè augeri charitas atque illa virtus cuius est actus meritorius elicitus: aut sanè si quis hoc dixerit, eò quòd existimet, in actu illo vt sit meritorius, opus esse formali imperio charitatis; non apparet necessarium, vt quæuis alia virtus similiter augeatur. Videmus enim iustos in quibusdam virtutibus magis excellere, ratione cuius de singulis sanctis dici possit; *Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem Excelsi.* Eccli.44.

Dices, S. Thomas 1.2.q.66.a.2. dicit, virtutes omnes in vno & eodem homine, licet inæquales sint secundùm dignitatem obiecti & speciei, æquali tamen proportione crescere; quomodo digiti inæquales, æqualiter in homine crescunt: ergo, quando charitas augetur, secundùm proportionem augentur omnes virtutes.

Respondeo in primis, esse nihilominùs differentiam inter virtutes & gratiam, quòd gratia crescat cum charitate, non tantùm seruata eadem proportione, sed etiam vt sit æqualis quantitate. Secundò dico cum Caietano, ibi solùm velle diuum Thomam, quoad formale quod accipiunt à charitate aut prudentia, esse æquales omnes vnius hominis virtutes, & sumere æquale secundùm proportionem augmentum; quamuis in se spectatæ reuerà sint inæquales etiam secundùm augmenti proportionem. Sunt ergo solùm æquales, vt benè annotauit Valentia, si considerentur ea ratione, qua in obiectis propriis illarum elucet vis prudentiæ aut charitatis: maius autẽ augmentum sumet illa virtus, cõsiderata quatenus respicit obiectum propriũ, in qua se homo magis exercuerit.

Dices iterùm, Gratia habitualis eminenter continet omnes virtutes infusas; ergo, aucta gratia, etiam illæ augentur.

Respondeo, Etiam hoc toto admisso, non sequi quòd æqualiter semper omnes augeantur; ad hoc enim non sufficit, ex vna parte qua augentur simul augeri; sed oporteret ex omni æqualiter: videtur autem non ita esse, quia ad augmentum cuiusque virtutis infusæ, peculiariter conducit exercitium proprij ipsius actus, etiam via sola meriti, quæ hîc locum habet.

Fatemur tamen alteram sententiam esse probabilem, eo præcipuè modo, quo eam explicat Suarez relectione de reuiuiscentia meritorum disput. 2. q. 3. num. 24. vt dicantur reliquæ illæ virtutes non infundi aut augeri per se primò, sed per quamdam concomitantiam ad gratiam, & quasi resultantiam ex illa.

## DVBIVM III.

### *Quam proportionem Deus seruet in augmento Charitatis?*

An quando actus charitatis est vt sex, accipiat habitus augmentum secundùm totam ipsius actus latitudinem ad æqualitatem, ita vt si charitas priùs fuerit solùm vt 4. nunc fiat vt 10.

Respondeo, & Dico primo; De proportione Geometrica illud hîc certumesse, quòd illa sit proportio in tota serie actionum meritoriarum augmenti ad augmentum, quæ est actionis ad actionem, quando sumuntur actiones omnino similes quoad reliqua, excepta intensione; verbi gratia, duæ quæ eliciantur ambæ à charitate, & versentur purè circa ipsum Deum: si enim vnum actum sumas imperatum tantùm à charitate, aut etiam vnum alterius virtutis infusæ, sine vllo imperio charitatis formali, & alterum dilectionis Dei ex charitate elicitæ; actus elicitus, ceteris paribus, plus augebit charitatis habitum, quàm imperatus, aut alterius virtutis.

Dico secvndo, Quodam sensu hoc augmentum fieri secundùm totam latitudinem actus. Pro cuius rei intellectu nota, duobus modis accipi posse, quod dicitur charitatem augeri secundùm totam latitudinem actus: vno, vt solùm significetur singulos gradus, qui sunt in actu, aliquid conferre ad augmentum, & in ipso augmento aliquid sibi habere respondens; quo modo facilè iam intelligas, etiam minimum actum augere habitum. Si enim actus vt sex, augeat habitum ad vnum gradum, actus qui habebit solùm dimidium vnius gradus, augebit ad duodecimam partem illius gradus. Altero modo id potest intelligi, vt ad æqualitatem actus, tot gradus æquales gradibus qui sunt in actu, accedant ipsi habitui. De priori modo intelligenda 2. assertio: de secundo,

Dico tertio: Certum videtur, quando fit augmentum charitatis per actus aliarum virtutum infusarum, aut etiam per actum charitatis proximi, non augeri habitum secundùm totam latitudinē actus ad æqualitatem. Cùm enim maius fiat incrementum per actum charitatis elicitum purè versantem circa ipsum Deum, & non sit verisimile, illud excedere latitudinem graduum qui fuerint in ipso actu, vt mox probabimus; necessariò dicendum est, minus esse augmentum ipso actu in eiusmodi actibus inferioris meriti.

Dico qvarto: Probabilius est, ne quidem actibus ipsis dilectionis Dei, augmentum habitus fieri secundùm latitudinem actus ad æqualitatem. Incredibile enim videtur immoderatū illud augmentum, & parum conforme Scripturis sacris. Matth. enim 25. post multum temporis duplicatum solùm significatur talentorum lucrum. Lucæ 8. semen in terrā bona fert fructum centuplum, sed in patientia. quo significatur, neminem ordinaria via facilè in charitate summum euadere, sed vt Iacobus dicit cap. 1. patientiam demum opus perfectum habere: oportet enim seminare in lacrymis, tolerando labores, tentationes, afflictiones.

Illud tamen hîc obseruandum, etiamsi poneretur augmentum fieri secundùm totam latitudinem actus ad æqualitatem, non tamen illud euasurum tam immensum, ac nonnulli exaggerant: neque enim iustus toties purè eiusmodi actus dilectionis exercet, quoties videtur. Neque verum est, si dilectio durans ad momentum augeat charitatem ad vnum gradum, propterea eamdem, si duret tempore quod habeat mille momenta, auctūrum ad mille gradus: ad meritū enim multum momenti ad fert superata difficultas in opere: est autem maior difficultas de nouo elicere actum charitatis, postpositis omnibus aliis cogitationibus & impedimentis, quàm inchoatam aliquamdiu continuare. Duratio itaque cum libertatis exercitio maior in actu charitatis, facit quidem ad maius meritum, ceteris paribus; sed vt sit proportio eadem meriti ad meritum, quæ est durationis ad durationem, etiam sumendo actus æquè intensos, efficit in primis moralis valor actus, qui pensatur etiam ex difficultate, de qua dixi.

Dixi, *cum libertatis exercitio*. Si enim contingat, voluntatem in amore liberè inchoato perseuerare, veluti naturali modo, sine exercitio libertatis; non valebit continuatio talis perinde ad meritum augmenti: eoque modo intelligi poterunt Doctores, qui nolunt ex continuatione sola augeri charitatem.

Dico qvinto, Quantum augmentum gratię, charitatis aut gloriæ debeatur ex actu perfecto, verbi gratia, vt quatuor; pondere supremi Sanctuarij solus Deus æstimare potest. Nos enim hîc scire non possumus eiusmodi proportionem Arithmeticam, sed tantùm Geometricam, de qua assertione prima diximus: nam vt benè Suarez suprà sect. 3. num. 48. nullum est reuelatum principium, ex quo possit certò id à nobis definiri.

## DVBIVM IV.

### *An Charitas viæ possit esse maior Charitate patriæ?*

Vna sententia dicit, necessariò esse maiorem: imò Conradus 1. 2. q. 67. a. 6. ita hoc certum putat, vt contrarium non sit probabile.

Altera dicit, necessariò esse æqualem: quam ita asseueranter tenet Suarez de purgatorio disp. 47. sect. 2. vt contrarium dicat nec fundamentum habere, nec eonsonare Scripturis dicentibus, quòd vnusquisque referet prout gessit corpore, & 2. Cor. 5.
similia.

Respondeo, & Dico primo: In diuersis saltem fieri potest, vt perfectior intensione sit habitualis charitas viæ quàm patriæ. Est hæc assertio multorum



rum Scholasticorum, quos sequuntur Durandus in 1. d. 17. q. 5. ad 1. Conradus suprà 1. 2. q. 67. a. 6. Azorius, Banesius, & alij.

Probatur; Non enim est verisimile, infantem baptizatum tantam habere charitatem habitualem in cælis, quantam D. Virgo habuit in terris.

Dices, Matth. 11. *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo*: ergo, minima charitas patriæ, maior est maxima charitate viatoris.

Respondent quidam, Non agi ibi de magnitudine Ioannis secundùm charitatem, sed secundùm cognitionem rerum diuinarum, qua ipse quidem superet omnes Prophetas, superetur autem à minimo Angelorum, qui ex puris creaturis soli tunc erant beati. Sanè ad Prophetas fieri comparationem, patet ex Luca cap. 7. Sed non est veteribus conforme, neque verisimile, Dominum loqui de sola magnitudine secundùm donum prophetiæ; sed omnino videtur loqui de magnitudine etiam sanctitatis, adeoque amoris Dei. Dicitur ergo minimus in regno cælorum, quod in beatitudine intelligere possumus (licet alij etiam probabiliter aliter intelligant) esse maior in charitate, quàm sit Ioannes adhuc viator, non propter intensiorem habitum charitatis; fieri enim potest, vt Ioannes tunc habuerit charitatem, ob quam assumptus sit ad ordinem Seraphinorum: sed propter obiecti præsentiam & perfectiorem statum charitatis in cælo, & ex altera parte corpus corruptibile quod hîc aggrauat animam: item quia iam victrix est illa beatorum charitas, viatorum adhuc in prælio est.

Dices Secundò, D. Thomas 1. p. q. 117. art. 2. ad 3. homines aliquos in via esse maiores dicit aliquibus Angelis, non actu, sed virtute; eò quòd habeant charitatem tantæ virtutis, vt possint mereri maiorem beatitudinis gradum, quàm quidam Angeli habeant: sicuti si dicamus semen alicuius magnæ arboris esse maius virtute quàm sit parua aliqua arbuscula, quæ tamen actu sit maior.

Respondeo, D. Thomam seipsum satis explicare in 2. d. 11. art. 4. ad 2. Indicat enim, se nihil aliud velle, quàm Angelorum quemlibet esse quidem simpliciter maiorem secundùm statum qui actu habeatur; esse tamen homines quosdam quibusdam Angelis maiores, si in ipsis spectetur causa illius status, videlicet meritum quod respondet altiori gradui, quàm habeant aliqui Angelorum. Confirmat idem similitudo seminis: neque enim charitas tam est semen charitatis, quàm gloriæ: itaque Ioannis Baptistæ adhuc viatoris gloria in semine maior est, quàm sit actu infimi Angeli gloria: charitatis autem habitus, etiam actu, secundùm se maior est in Ioanne.

Dices Tertiò, Charitas patriæ in Scripturis comparatur cum virili ætate, meridie, & fructu; viæ autem charitas cum pueritia, aurora, & semine.

Respondeo & Dico secvndo: Hæ aut similes comparationes non plus conficere possunt, quàm ratione status ac intensioris, purioris, perfectioris & durabilioris actus, charitatem minimam patrię esse maiorem maximam charitate viæ, non autem ratione habitus præcisè considerati. Quod enim attinet ad intensiorem actum, quamuis Archangelus in 1. dist. 17. existimet, eum arguere intensiorem habitum; benè tamen ostendit Azorius lib. 9. cap. 3. aliunde maiorem intensionem posse prouenire in actu, nimirum ex præsentia Dei amati ex maiori auxilio Dei actuali concurrente, ex Dei fruitione, ex cupiditatis absentia, de qua Augustinus Enchiridij cap. 121. *Quis explicet, quanta charitas erit, vbi cupiditas, quam vel coërcendo superet, nulla erit, quando summa sanitas erit, quando contentio mortis nulla erit?* Denique hoc ipsum confirmari potest ex eo, quòd actus amoris hîc liber, ibi erit necessarius, adeoque maiori impetu resultabit; itaque ratione perfectioris status, simpliciter dici potest charitas patriæ in perfectione excedere quamcumque charitatem viæ.

Dico tertio: Probabile est, habitum charitatis patriæ in se consideratum, quoad intrinsecam & physicam perfectionem in eodem homine numquam excedere charitatem finalem viæ; finalem autem hanc charitatem viæ semper esse maiorem qualibet præcedente, à qua fortè iustus aliquando lapsus fuit.

Prior pars huius assertionis, quæ propriè est huius loci, tenetur à multis Theologis, inter quos Almainus in 3. dist. 31. Suarez relectione de reuiuiscentia meritorum suprà citata sectione 3. numero 50. Scotus in 3. d. 13. ibidem Flauius, & alij Scotistæ communiter. Probant autem hac ratione; Charitas dicitur ab Apostolo simpliciter ma- 1. Cor. 13.
nere in patria, aut numquam excidere: videtur itaque manere, quoad substantiale augmentum, eiusdem rationis, cuius est hîc in via. Atqui hîc in via (vt vrget Almainus) charitas non augetur, nisi vel ratione operis operati in Sacramenti susceptione, vel ratione operantis; adeoque via meriti, quæ cessat in termino, vbi non est ampliùs tempus operandi aut merendi. Vnde consequens est, in primo instanti mortis nec gratiam nec charitatem ampliùs crescere, sed in perfectè purgatis lumen gloriæ mox infundi secundùm charitatis quæ ex via reperitur proportionem, adeoque cum charitate in eadem, qua fuit in exitu, intensione perpetuò durare. Si enim charitas tunc intenderetur, deberet esse maior habituali gratia; adeoque contra ea, quæ suprà diximus, secundùm apertam D. Thomæ doctrinam, non semper æquè esset intensa gratia ac charitas: videtur enim in fine vitæ homo tam esse gratus Deo, quàm est in ipsa beatitudine, eo ipso quo iam acceptus est ad talem gradum beatitudinis.

Secunda itaque ratio hîc esse potest eiusmodi: Physica gratiæ magnitudo respondet acceptationi ad certum gradum gloriæ; acceptatio autem ad certum gradum gloriæ eadem perseuerat in tota æternitate, quæ fuit in fine vitæ: charitas autem semper est æqualis gratiæ in doctrina D. Thomæ; ergo charitas finalis viæ & patrię in eodem homine sunt æquales: quæ enim sunt æqualia vni tertio, etiam inter se sunt æqualia.

Tertia ratio esse potest: Si habitus charitatis fiat intensior eo ipso quo quis fit beatus; vel acquirit illud augmentum natura priùs quàm Deum videat, vel posteriùs. Non priùs, quia sic visio non esset causa huius augmenti, quod tamen, qui contrarium sentiunt, dicere solent. Neque posteriùs: quia visio est proportionata lumini gloriæ; lumen autem est proportionatum gratiæ præcedenti, quæ est viæ, adeoque etiam charitati viæ.

Quarta ratio: Eadem potentia videndi non in-

tensa, in maiori lumine acutiùs videt; ergo ex eodem habitu charitatis, succedente fidei maiori lumine, & clarè applicato obiecto, poterit homo perfectiùs Deum diligere sine intensione ipsius habitus charitatis.

Postrema: Beatitudo consistit in operatione; itaque sufficit in beato operationem amoris esse perfectiorem euacuata fide & spe, quæ ex parte sunt, & manente eiusdem intensionis charitate.

Quæ contra hîc obiici poterant ex veteribus, qui videntur interdum dicere, charitatẽ in patria esse intensiorem, facilè soluuntur ex dictis. Non enim tam dicunt esse intensiorẽ, quàm simpliciter maiorem aut perfectiorem: loquuntur autem ferè de actu, aut statu charitatis, & absentia contrariæ concupiscentiæ, non de gradibus intensionis habitualis. Sic Augustinus loco suprà producto ex Enchiridio, intelligi poterit dicere, maiorem ibi fore charitatem, vbi nulla erit cupiditas. Sic libro De perfectione iustitiæ cap. 8. *Charitas quæ in his tribus maior est, non auferetur, sed augebitur & implebitur, contemplata quod credebat, & quod spectabat adepta. in quæ plenitudine charitatis, præceptum illud implebitur; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente tua*, &c. *Nam cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus.* Hîc manifestum est, potuisse ita loqui Augustinum, etiamsi charitas patriæ solùm consideretur in actu, & vt minùs impedita propter absentiam concupiscentiæ. Item lib. 1. Retractationum c. 7. *Quòd autem dixi, eum ipsum quem cognoscere volumus, hoc est Deum, priùs plenæ charitate diligamus; melius diceretur sincera quàm plena, ne fortè putaretur charitatem Dei non futuram esse maiorem, quando videbimus facie ad faciem. Sic itaque hoc accipiatur, tamquam plena dicta sit, qua maior esse non possit, quamdiu ambulamus per fidem: erit enim plenior, imò plenissima, sed per speciem.* Hactenus Augustinus. Sed quis non videat, in actu charitatis hæc omnia posse saluari, etiamsi nulla esset habitualis charitas. Sicuti enim sine reali sui diminutione, charitas per peccata venialia hîc videtur minui cùm non minuatur, & voluntatis eadem potentia, sine suo augmento intensiùs fertur in amorem rei iam præsentis; ita in patria charitas erit in actu feruentior, expeditior, constantior sine substantiali augmento habitus.

Obiicies, Tractatu vltimo in Ioannem quædam dicere Augustinũ, quæ dictis modis exponi non valeant. Dicit enim, quòd in beatitudine meliores erimus; meliores autem esse non posse, nisi plus diligendo Deum, adeoq; multò tunc ampliorem fore amorem nostrum in Deum: denique, quòd Christus nos minùs amet miseros quàm beatos.

Respondeo, etiam ista dictis modis intelligi. Manifestum enim est, Augustinum loqui de actuali amore, qui amor maior etiam quodammodò nos reddit Deo gratiores, quia quædam Deo displicentia excludit: nam & necessarius amor Dei super omnia ad hoc conducit, vt Deo simus gratiores, vt alibi diximus. quod præcipuè verum erit, quando actualis amor perpetuus est, non minùs confirmatus quàm habitus.

Dixi, *quodammodò*, quia simpliciter loquendo, non ideò beatus gratior est Deo, quia beatifico amore plus amat; sed ideò plus amat, quia perfectiùs videt; perfectiùs autem videt, quia Deo gratior: simpliciter ergo non datur, nisi vsque ad mortem, iustificati, vt insinuat Scriptura Ecclesiastici cap. 18. Apoc. 22. Vrget etiam Augustinus carentiam concupiscentiæ his verbis: *Ibi verò nos amplius diligit, quoniam quod ei displiceat, & quod à nobis auferat, non habebimus.*

Dices, Habitus cognitiuus erit in patria in se perfectior, videlicet ipsum lumen gloriæ; ergo & habitus charitatis.

Respondeo; Sicuti non sequitur, Fides hîc est ex parte, ergo & charitas; ita etiam non sequitur, Cognitio ibi perficitur intensiuè, ergo & habitualis charitas. Quamquam etiam inde sit differẽtia, quòd fides & lumen gloriæ non sint comparabilia secundùm intensionem, sicuti sunt charitas viæ & patriæ.

Posterior assertionis pars latiùs tractatur in tertia parte; nunc tamen hoc solo argumento confirmatur: Quando peccator resurgit, merita mortificata reuiuiscunt secundùm totam suam latitudinem, tamquam remoto impedimento: itaque acceptatur ad gradum gloriæ, qui respondeat non solùm iustitiæ quam nunc vi conuersionis aut susceptæ Sacramenti acquirit; sed ad eum qui resultet ex hac simul & alia reuiuiscente iustitia: itaque non fuit vmquam ad tantum gradum acceptus. & quia acceptatio ad certum gradum gloriæ, habet eiusdem proportionis sibi respondentem gratiam & charitatem, sequitur, numquam fuisse in tanta gratia & charitate.

## DVBIVM V.

### *An possit dari Charitas tam magna, vt Deus non possit creare maiorem?*

RESPONDEO; Est charitas Dei, cui Deus non potest creare æqualem; sed non est charitas hominis aut Angeli tanta creabilis, quin Deus possit creare maiorem: infinita enim creari non potest, finita augeri semper potest.

At quæres, An in quolibet homine & Angelo possit charitas in infinitum augeri; an verò solùm per se, considerata ex parte sua & potestate Dei; verbi gratia, si extra subiectum posset produci.

Respondeo; Quidam Scholastici voluerunt, ex parte sua Deum posse in infinitum charitatem augere; ex parte autem hominis aut Angeli, cui inest, id fieri non posse, eò quòd capacitas creaturæ finita sit: neque tamen crediderim, ex hac sententia consequens esse, vt quibusdam videtur, non posse Deum charitatem in infinitum augere, nisi fortè extra subiectum, sed solùm eum id non posse in homine aut Angelo, qui reipsa creatus sit secundùm ordinem à Deo iam institutum: alioqui non video, quare dici non possit, etiam eo suppositio, quòd hominis aut Angeli capacitas de facto ad eiusmodi augmentum non sufficiat: Deum tamen vt charitatem, ita & creaturam rationalem posse semper in infinitum creare perfectiorem.

Verùm neque illo tantùm sensu Deo possibile dicimus, augere in infinitum charitatẽ, sed id putamus eum facere posse in quolibet etiam infimo subiecto charitatem habente, argumento quo vsi sumus suprà ex D. Thoma, quòd nimirum capacitas cum ipsa charitate quodammodò augeatur. Confirmatur Apocal. vltimo: *Qui iustus est, iustificetur adhuc*, &c. Ecclesiastici 18. *Non impedias orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari.*



Vbi videtur reprobari error Beguardorum & Beguinarum, prout refertur & damnatur capitulo Ad nostrum. Clementina de hæreticis, ex Concilio Viennensi: videlicet quòd homo in vita præsenti tantum ac talem perfectionis gradum possit acquirere, quòd reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit: nam vt dicunt, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inueniri. Deinde quòd ieiunare non oporteat hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis huiusmodi fuerit assecutus.

Ceterùm quod de Christo hîc obiicitur, suprà refutauimus Conclusione 5.

Denique confirmatur nostra responsio ratione: Si enim in hac vita non possit homo semper proficere, contingeret perfectissimos in gratia carere præmio suo, nimirum augmento gratiæ quod merentur.

Obiicies, Augustinum capite pẽultimo Enchiridij dicere, charitatem hîc peruenire ad tantam magnitudinem, qua maior esse non possit.

Obiici etiam possunt verba ex lib. 1. Retractationum paulò antè citata.

Respondeo, Eum in Enchiridio loqui non de quantitate intensionis, sed æstimationis siue apretiationis: sicuti & Dñs Ioan. 15. cuius verbis Augustinus sententiam suam confirmat, *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Nam inter bona quæ pro amico ordinatè expenduntur, vita temporalis maximum est: crescit verò æstimatio charitatis, ex magnitudine boni quod pro amico expenditur. Libro autem 1. Retractationum Augustinus non voluit esse in hac vita charitatem, qua maior in hac vita esse non possit maioritate huic vitæ conueniente; sed qua maior esse hîc non possit, maioritate conueniente futuræ tantùm vitæ: vel dici potest, quòd respiciat ad tertium illum generalem modum, de quo art. sequenti.

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm Charitas in hac vita possit esse perfecta?*

RESPONDET S. Thomas, Charitatem posse quatuor modis intelligi perfectam. Vnus est, vt Deus diligatur quantum est diligibilis: quæ perfectio soli Deo est possibilis, neque potest haberi ab vlla creatura, etiam beata. Secundus est, quo, non quidem quantum est diligibilis, sed quantum ipsa potest, creatura diligit Deum, semper actualiter eius amori insistendo: quæ perfectio non est huius vitæ, sed futuræ. Tertius, quo non quidem semper actu Deus diligitur, eius tamen amori vacatur depositis omnibus impedimentis, quoad licet per huius vitæ infirmitatem: quo modo charitas perfecta est in illis, qui relicto regno statum perfectionis in hac vita amplectuntur. Quartus est communis omnibus iustis, quo habitualiter homo totum cor suum ponit in Deo, vt nihil velit contrarium dilectioni Dei. Primum gradum habet per naturam impeccabilis; secundum, impeccabilis per gratiam; tertium, qui conatur quantum potest etiam venialia vitare; quartum, qui non peccat mortaliter.

De duplici perfectione charitatis, vna patriæ, altera viæ, differit beatus Augustinus in Psal. 38. tractans locum ad Philipp. 3. *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus. Quid est*, inquit, *quotquot perfecti sumus? Iam dudum tu dixeras; non quia tam acceperim, aut iam perfectus sim: sequere ordinem doctorum; vnum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundùm intensionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu: ideò nondum perfectus, quia sequitur ad palmam supernæ vocationis Dei: quam nondum inuenit, ad quam nondum peruenit. Si autem non est perfectus, qui non illuc peruenit; quis nostrùm perfectus est? tamen sequitur & ait, Quotquot enim perfecti hoc sapiamus. Tu non es perfectus ô Apostole, & nos perfecti?* &c. Item lib. De perfectione iustitiæ, cap. 8. *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus: id est, quotquot perfectè currimus, hoc sapiamus quòd nondum perfecti sumus, vt illic perficiamur quo perfectè adhuc currimus.* Eodem modo locum illum ad Philippens. 3. explicat Hieronymus lib. 1. aduersus Pelagianos, cap. 5. ostendens perfectionem nostram in hac vita esse agnitionem propriæ imperfectionis: *Hæc*, inquit, *est hominis vera sapientia, imperfectum esse se nosse, atque, vt ita loquar, cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est.* Hugo Victorinus in Miscellaneis lib. 1. titulo 156. dicit, charitatem esse perfectam duobus modis, constantia & deuotione: constantia, quando fortis est ad toleranda quæuis aduersa; qualis aliquando reperiatur in hac vita: deuotione, quando sic ardet, vt non debeat ampliùs inflammari; quæ tantùm reperiatur in futura vita.

## ARTICVLVS IX.

### *Vtrùm conuenienter distinguantur tres gradus charitatis, incipiens, proficiens, & perfecta?*

RESPONDEO; Potest charitas considerari tribus modis: Primo, vt abiiciens suum contrarium: secundo, vt appropinquans Deo tamquam termino suo: tertio, vt inhærens & fruens Deo, in eoque quiescens. Primo modo tectè dicitur incipiens: secundo, proficiens: tertio, perfecta. Primo comparatur principio, secundo medio, tertio termino.

## ARTICVLVS X.

### *Vtrùm Charitas possit minui?*

RESPONDET S. Thomas, Quòd charitas secundùm quantitatem quam habet in comparatione ad proprium obiectum, neque minuatur neque augeatur: per comparationem autem ad subiectum sumpta eius quantitas, augeri quidem possit, vt dictum est, non autem minui: vel enim minueretur per aliquem actum, vel per solam cessationem ab actu. Per solam cessationem non minuitur nec destruitur, quia hoc est habituum, qui per actus acquiruntur; conseruatio enim cuiusque rei pendet ex sua causa: si minuatur per actum, ille erit peccatum; bono enim actu certum est non minui: neque à Deo minui dici potest, nisi in pœnam peccati.

Si

Si peccato minuatur, vel illud erit mortale, quod dici non potest; quia per mortale omnino tollitur charitas, vt infrà ostenditur: vel erit veniale. Verùm nec illud rectè dixeris: vel enim minueret effectiuè, vel meritoriè. Non effectiuè, quia veniale peccatum non est inordinatio circa finem, circa quem charitas est ordinatio; sed solùm circa media, adeoque non est propriè contrarium charitati, vt eam effectiuè minuat. Neque etiam meritoriè, quia Deus non plus se auertit ab homine, quàm homo se auertat à Deo: circa Deum autem, qui finis est, manet æquè benè affectus ac priùs, qui inciderit in aliquam inordinationem, quæ solùm sit circa media; sicut infirmus non propterea minùs incipit amare sanitatem, etiamsi nonnihil peccet in dietam.

Directè itaque charitas nullo modo minuitur; indirectè tamen dici potest minui, quando ad corruptionem disponitur suæ veniali peccato, siue etiam sola cessatione ab exercitio suorum operum.

Vt hæc doctrina magis illustretur, subiiciemus aliquot Dubitationes.

## DVBITATIO I.

### *An Charitas saltem per absolutam Dei potentiam possit minui?*

RESPONDEO; Sicuti charitas secundùm naturam suam admittit augmentum, ita & diminutionem, eo ipso quo magnitudinis suæ intensionis partes habet; adeoque si vellet Deus, nullo modo implicat, charitatem minui, vt benè Gregorius Ariminensis & alij in primum, dist. 17.

## DVBITATIO II.

### *An Charitas reipsa aliquando minuatur secundùm gradus intensionis, secundùm quos eam augeri suprà diximus?*

RESPONDEO; Vera est communis & diui Thomæ sententia, numquam sic minui charitatem, atque adeò nec minui posse, secundùm ordinariam Dei legem. Si enim minueretur, id fieret per peccatum veniale; non fit autem, quia repugnat peccato veniali, quantumuis multiplicato, tolli charitatem: fieri autem non potest, vt minuat tollendo aliquotam eius partem, puta centesimam, quin multiplicatum tollat totum habitum. Neque rectè dixeris, quod quidam dixerunt, charitatem per venialia non minui per partes æquales, sed proportionales, atque ita in infinitum posse minui, sicuti de continui diuisione dicunt Philosophi: quia si charitas per peccatum veniale minueretur, non id fieret effectiuè, vt satis suprà ostensum: & licet effectiuè fieret, sequeretur idem incommodum; actus enim intemperantiæ, minuens virtutem acquisitam temperantiæ, aliquoties repetitus, generat perfectum habitum intemperantiæ, qui omnino excludat totum habitum virtutis oppositæ. Itaque simile quid eueniret, si charitas effectiuè per venialia minueretur.

Superest ergo, vt meritoriè. Atqui nec illa via vitabitur allegatum incommodum: in punitione enim Deus exactè seruat proportionem Geometricam, vt diximus 1.2. Si ergo hoc peccatum veniale centesimam partem auferat charitatis suo demerito, centies repetitum totam auferet. Si enim Deus puniendo auferret solam charitatem secundùm partes proportionales; sequeretur, eum qui haberet quatuor gradus charitatis, plus puniri pro furto vnius assis, quàm puniretur alius, qui haberet tantùm vnum gradum charitatis pro furto quatuor assium.

Verùm apud Ariminensem quidam aliud hîc habet effugium: dicit enim, vltimum peccatum ex eiusmodi venialibus eo ipso fieri mortale, quo auferet homini modicum illud quod superest charitatis, ad eum ferè modum, quo mortale esset, auferre frustum panis pauperi in extrema necessitate: teneri enim hominem sub mortali conseruare charitatem in eiusmodi angustias redactam.

At neque id dici potest: sic enim numquam posset peccare venialiter, qui valdè exiguam haberet charitatem; imò nec vllus iustus: cùm enim nesciamus an charitatem habeamus, multò minùs scimus quantam Deus infuderit, aut sanè quanta sit relicta post venialium detrimentum. cùm ergo peccando venialiter, semper nos sic exponamus periculo amittendi charitatem; contingeret quolibet peccato nos peccare mortaliter, vtpote qui numquam satis erimus conscij, an hîc & nunc non obliget eiusmodi præceptum conseruandi deficientem charitatem.

Aliud effugium hîc est eorum qui dicunt, fieri non posse moraliter loquendo, quin intercurrat obligatio alicuius præcepti satis magni momenti, vt obliget sub mortali, pendente adhuc sub diminutione venialium habitu charitatis; quod præceptum si seruetur, augebitur charitas, & reparabitur detrimentum: sin verò minùs seruetur, peccabitur mortaliter, adeoque tolletur tota charitas.

Verùm neque istud alicuius est momenti. Cùm enim venialia & frequentissima sint, atque interdum satis grauia, & contingere possit, præcepta affirmatiua vtcumque longo tempore aut non occurrere, aut sanè quoad substantiam operis sic seruari, vt non peccetur mortaliter, neque tamen meritum accedat augmenti charitatis; verisimile est tam paruo gradu posse inueniri charitatem, vt citiùs per venialia absumatur, quàm bono opere augeatur, aut aliquo crimine prorsus interimatur.

Aliud effugium est, numquam per venialia charitatem absumendam, eò quòd Deus, qui omnia videt antequam fiant, sua prouidentia impediat, quo minùs iusti tanto numero grauentur venialium delictorum, quantus sufficiat toti charitati exhauriendæ.

Sed contrà, Non solùm est incommodum, per venialia corrumpi charitatem; sed etiam, nisi Deus sic præuideat, posse corrumpi. Adde hoc esse contra experientiam: ferè enim videmus, eos qui frequentiùs assueuerunt peccare venialiter, non subitò ab illis peccatis retrahi, sed quò diutiùs, eò procliuiùs peccare.

Postremum effugium est, vbi venialia satis fuerint multiplicata, generari prauam quandam dispositionem, per quam si homo vlteriùs peccet, omnino sit peccaturus mortaliter.

Sed contrà, Intelligi non potest, quomodo alterius generis, quale numquam admisit, talis non possit tunc admittere peccatum veniale, quo posito, rursus minuetur charitas; aut si amplius minui non possit, destruetur per solùm veniale.

Deinde



Deinde neque satis ostenditur, quomodo praua illa dispositio non relinquat homini libertatem vt non peccandi, ita etiam solùm venialiter peccandi in illo eodem genere.

## DVBITATIO III.

### *An Charitas dicenda sit minui secundùm quantitatem suam extensiuam, qua se extendit ad plura partialia obiecta?*

DIVVS Thomas in responsione articuli dicit, quantitatem charitatis, quam habet ad obiectum proprium, minui non posse, sicuti nec augeri. Verùm illud alio sensu accipiendum erit, indicato suprà articulo 4. ad 2. vt significetur, ideò ex parte obiecti non contingere accretionem aut decretionem in charitate, quòd semper ipsa versetur circa summum bonum: quantitas enim obiectiua rectè intelligitur essentialis illa charitati quę est secundùm appretiationem siue æstimationem, & semper maxima, eo ipso quo Deus amatur super omnia.

Respondeo itaque, Charitatem habitualem non habere peculiare augmentum aut decrementum, spectata quantitate extensiua respectu obiectorum diligendorum; minima enim charitas habitualis, quantum est de se, extenditur ad omnia diligenda, quæ ex charitate diligenda sunt, & pro gradu suo ad ea diligenda inclinat: quatenus tamen charitas infusa, vt in opus facilè exeat, indiget exercitio, aut vt loquuntur quidam, quasi acquisito habitu amoris circa idem obiectum. Extensiuè eam augeri per exercitium, aut minui per otium, aut distractionem auertentem à talibus, certum est: sed hoc non est substantiam charitatis minui, sed solùm circa pauciora operari. Atq; hoc erit conforme ei quod suprà monuimus, habitus acquisitos admittere augmentum illud secundùm quantitatem extensiuam, tam in se quàm in actibus suis; infusos autem in actibus tantùm. Per venialia peccata poterit hoc modo charitas dici diminui, quatenus ipsa sunt contraria actibus illis, ad quos charitas operando sese extendebat.

## DVBITATIO IV.

### *Quibus modis indirectè Charitas dici queat diminui.*

PRÆTER modum quo iam diminui diximus secundùm quantitatem extensiuam, est ille quem habet D. Thomas, quando vel peccato veniali, vel cessatione ab exercitio operum charitatis, iustus disponitur ad peccandum mortaliter, adeoque ad amittendam charitatem; quod enim prope interitum est, iam senescere & virtute sua minui censetur: proprijssimè autem sic disponitur per actus malos, qui solùm sunt veniales propter imperfectionem operis: imperfectum enim in eodem genere, propriè disponit ad perfectum; & qui spernit modica, paulatim decidet. Efficacior autem est hæc dispositio in peccatis carnis, quæ sunt maioris illecebræ. Eccli. 19.

Per quoduis tamen veniale hactenus poterit hîc intelligi charitas minui, quatenus eo offensus Deus minuit auxilia gratiæ suæ, & præsidia quibus charitatem in nobis fouet & conseruat.

Tertiò dicitur per venialia minui charitas, quia per ea augetur cupiditas, quæ est quasi venenum charitatis, ipsamque languidiorem reddit in opere, quamuis in substantia habitum non minuat: ponit enim impedimentum, quo minùs ignis charitatis prorumpat in feruorem suum.

Quartò, idem explicare possumus cum Archangelo in 1. dist. 17. in hunc modum: Charitas, vt diximus, vim suam exerit etiam in vires inferiores, propter imperium quod in eas habet voluntas; per actus autem peccatorum venialium fouetur & augetur rebellio partis inferioris, vt iam plus negotij faceſſat superiori; quo fit vt multum detrimenti accipiat feruor ille charitatis, qui reperitur in parte sensitiua.

Contra responsionem huius articuli, præter obiectiones D. Thomæ, obiicitur Primò: Venialia efficiunt hominem minùs à Deo dilectum, ergo & gratiam & charitatem minuunt: charitatis enim diminutio sequitur diminutionem gratiæ: minuitur autem gratia, quando homo fit Deo minùs gratus aut dilectus. Antecedens probatur; quia qui neque minùs dilectus est, neque minùs bonus, non potest à iusto Deo magis puniri.

Obiicitur Secundò: Si charitatis feruor aliquousque impediatur per peccatum veniale, ergo illud sæpissimè repetitum, totum feruorem charitatis absumet: atqui toto feruore absumpto, charitas non videtur posse subsistere, ergo veniale non ita minuit feruorem charitatis, vt ipsi charitati in sua substantia nullum inferat detrimentum.

Obiicitur Tertiò, Si actus peccati venialis impediat actum charitatis, apparet quòd pari ratione habitus ex peccatis venialibus generatus, impediet habitum charitatis; non quidem omnino tollendo, sed minuendo.

Obiicitur Quartò: Bernardus sermone 2. De purificatione; *Si quis forsitan proficere dissimulat, & proficisci de virtute in virtutem; nouerit quisquis huiusmodi est, in statione non in processione se esse: imò verò & in regressione; quoniam in via vitæ non progredi, est regredi, cùm nihil adhuc in eodem statu remaneat.* Ita Bernardus. Atqui peccans venialiter in via charitatis non progreditur; ergo regreditur, & minuitur eius charitas.

Obiicitur Quintò: Quodlibet peccatum, etiam veniale, est quædam spiritualis ægritudo; ergo minuit charitatem in qua posita est spiritualis sanitas, sicut corporalis etiam minima ægritudo sanitatem corporalem.

Obiicitur Sextò: Apoc. 2. *Habeo aduersùm te quòd charitatem tuam primam reliquisti.* Hîc videtur agi non de amissione charitatis per peccatum mortale, sed de eius decremento per venialia; præcedit enim, *non defecisti*; & significatur etiam, tum multa pro Christo hunc Præsulem sustinuisse. vnde & Ribera existimat probabilius esse, quòd charitatem adhuc retinuerit.

Respondeo ad Primum, Iustum vt octo qui habet peccata venialia, esse Deo magis gratum & dilectum, quàm sit iustus vt sex, qui nulla fortè ponitur habere venialia: est enim acceptus ad maiorem gradum gloriæ, & præditus maiori sanctitate habituali: si tamen in seipso non puniat quod deliquit venialiter, à Deo corripietur, ne cum hoc mundo damnetur: quæ punitio non est ex inimicitia aut minori amicitia; sed purgatoria & paterna.

Ad Secundum respondeo ex D. Thoma, 1.2. quæst. 85.

quæst.85.a.2.quando aliquid minuitur per aliud, non in substantia sua directè, sed solùm per modum impedimenti in suo actu; non contingere, vt hac ratione totaliter auferatur: sic enim peccatum minuit bonum naturæ, numquam tamen totaliter aufert. Nota tamen, magis propriè habitus prauos minuere naturalem hominis inclinationem ad virtutem, quàm charitatem, eò quòd ipsam naturalem inclinationem quasi in se inficiant & debilitent: recipiuntur enim praui isti habitus, non tam vt simul sint cum inclinatione bona naturæ, quàm vt sint quodammodò loco eius secundùm partem; imò ipsa bona inclinatio naturalis, videlicet potentia voluntatis, in se recipit contrariam istam inclinationem. Non recipitur autem prauus habitus, qui simul cum charitate consistit, loco charitatis, aut in ipsa charitate; sed solùm in eodem est cum ipsa.

Secundò dico, Vel feruor consideratur in solo actu, vel in ipso habitu secundùm radicem. Priori modo, sine eo potest esse habitualis charitas; quia potest esse sine actu: posteriori autem, ne quidem minuitur per peccatum veniale. Neque tamen verum est, per venialia posse ita sopiri ignem habitualis charitatis, vt non aliquando foras sese exerat. Quamuis enim dum actu iustus venialiter peccat, non exerceat opus charitatis; aliàs tamen etiam quodammodò perrupto aggere, siue labefactato impedimento habitualis cupiditatis ingeneratæ per actus veniales, operatur subinde secundùm ordinatam dilectionem. Charitas enim adhuc tenet clauum mentis, & dominatur prauæ concupiscentiæ.

Ad Tertium; Si praua inclinatio habitualis, quam causant venialia, esset in eodem & circa idem cum charitate; meritò videretur eam minuere: nunc autem non est in eodem circa idem, vt benè obseruat D.Tho.q.2. de malo a.2.ad 9.

Ad Quartum respondeo; Qui peccat venialiter, hactenus regreditur; quia ponitur in deteriori dispositione ad profectum, quàm esset sine illo peccato. Qui autem sola omissione profectus non progreditur, hactenus eo ipso regreditur, quando moralis est eiusmodi omissio; aliàs enim non censetur vel subsistere, quia disponitur ad lapsum. Idem voluit D.Leo serm.8. de Passione: *Qui non proficit, deficit; & qui nihil acquirit, nonnihil perdit.*

Ad Quintum; Peccatum veniale potiùs debet comparari cum cibis difficilioris digestionis, quàm cum ægritudine; impediet ergo functionem faciliorem sanitatis spiritualis, sed ipsam sanitatem non minuet. Ita ferè DThom.sup.ad 15.

Ad Sextum respondeo, Illum Episcopum in opere primam charitatem reliquisse, ideoque ei dicitur, *Et prima opera fac.* De feruore ergo operis agitur, non de intensione habitus; quamuis non desint, qui eum dicant à charitate excidisse, ideoque audiuisse, *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam.*

## ARTICVLVS XI.

### *Vtrùm Charitas semel habita possit amitti?*

CHARITATEM siue iustitiam semel habitam non posse vmquam amitti, error fuit Iouiniani, vt testatur contra eum Hieronymus lib.1.cap.2. & lib.2. cap. 1. docebat enim, qui plena fide in Baptismo renati sunt, à diabolo non posse tentari aut subuerti; quicumque autem tentati fuerint, eo ipso ostendi, eos aqua & non Spiritu baptizatos, sicut de Simone Mago legimus.

Pelagianorum affinem quidam putant fuisse errorem; verùm illi videntur potiùs iustum quamdiu iustus est, ab omni etiam veniali peccato, adeoque etiam necessitate peccandi venialiter eximere, quàm à possibilitate decidendi à iustitia aut charitate per mortale.

Verè itaque similis fuit error quorumdam tempore Hugonis de sancto Victore, contra quos accuratè ipse agit lib.2. de Sacramentis p.13.c.11. & 12. vbi omnino conuincit, charitatem posse amitti.

Beguardi etiam & Beguinæ damnati Clementina Ad nostrum, de hæreticis, dicebant, in hac vita posse hominem tantum ac talem perfectionis gradum acquirere, quòd reddatur penitus impeccabilis.

Caluinus lib.3.Institut.cap.2. num. 11.& 40. duo docet; videlicet, solos electos iustificari; & semẽ vitæ per regenerationem cordibus ipsorum insitum, numquam disperire. Volunt itaque nostri temporis sectarij, eum qui à iustitia videtur excidere, numquam verè iustitiam aut charitatem habuisse, atque adeò non verè eam vmquam amitti.

Petrus Martyr tamen in commentario ad 8.caput ad Romanos sentire videtur, posse quidem charitatem verè habitam amitti, sed ante finem vitæ semper recuperari.

Dum ista recognosco, mihi liquet ex libellis in Hollandia editis, Caluinistarum quàm plurimos in Catholicam sententiam iam consentire, & nobiscum fateri, veram charitatem seu iustitiam in hac vita posse amitti, & contrariam persuasionem esse infidam præsumptionem, ceruical incuriæ carnalis, pietati pernicioſissimam; eamque rem ad fidem pertinere, vtpote in Scripturis satis expressam. Videatur libellus Conferentiæ Delfensis editus anno 1613.

PRIMA ASSERTIO: Fidei est, charitatem verè semel habitam posse amitti; adeoque posse fieri, vt qui labitur, verè fuerit iustificatus ante eiusmodi lapsum. Ita definit Trident.can.23. De iustificatione. Testatur Hieronymus, Iouiniani errorem contrarium suo tempore Romę fuisse damnatum, & in quodam Africano Concilio.

Probatur ex Scripturis. Primus locus prioris ad Corinthos 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.*

Contra hunc locum dicit Caluinus, hoc loco nos moneri, non quòd cadere possimus, sed quòd nostræ infirmitatis memores, expediat nos humiliari sub potenti manu Dei, vt monet Petrus epistola 1.cap.5.

Videbitur & illud fortè cuipiam vrgendum, quòd non dicat Apostolus, *Qui stat*, sed, *Qui se existimat stare*: nam etiam ex illis qui se existimant stare, aliquos cadere fatentur aduersarij, non autem ex ijs qui verè stant.

Ad prius Respondeo; Sicut Pelagiani humilitatis causſa dicebant iustos dicere, *Dimitte nobis debita nostra*, cùm peccatum non habeant; ita Caluinus humilitatis gratia dictum iusto putat, vt



vt sibi caueat ne labatur, cùm reuerà labi non possit; quomodo etiam beatis id dici posset. Meliùs hunc locum expendens Hugo Victorinus, ostendit in hac vita non tantùm ex natura iustos non habere ne cadere possint, sed neque ex gratia: in futura autem vita habere quidem quòd cadere non possint, sed non ex natura, verùm ex gratia.

Ad posterius respondeo; Qui omnino certò sibi persuadent se stare, eo ipso cadunt, vt inquit Primasius. Vnde certissimò scimus, nullum sectariorum stare, quia certissimò sibi persuadent se stare. At etiam illum qui verè existimaret se stare, hîc moneri vt videat ne cadat, nullus interpretum vmquam in dubium vocauit: quinimò volunt vtrumque monuisse Apostolum, & eum qui per arrogantiam existimat se stare, reuerà non stare; & rursus eum qui verè staret, posse per arrogantiam labi. Vide Theophylactum & Oecumenium.

Alia plurima nostram assertionem probant in Scripturis. Ad Hebr.6. apertè dicitur, eos qui semel illuminati sunt, interdum prolabi. & c.10. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Matth.24. apertissimè dicitur, non omnes perseuerare qui charitatem habent: *Refrigescet charitas multorum; qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Ezechielis 18. *Cùm auerterit se iustus à iustitia sua*, &c. Lucæ 8. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Ad Galat.5. *Euacuati estis à Christo qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.*

Ad hæc leguntur aliquot Sancti excidisse à charitate: omitto primum hominem, ne fortè dicant eum non habuisse gratiam Christi, quę non sit nisi
Actor.13. 2.Reg.11. perseuerans. Dauid erat vir secundùm cor Dei, & tamen stupro addidit homicidium, & charitatem
1.Cor.13. indubiè amisit, quæ non agit perperàm, quæ ne sua quidem quærit, multo minùs alienam coniugem rapit, quæ plenitudo legis est, dicentis, *Non occides, Non mœchaberis.*

Verùm hîc obiiciebant olim quidam, quod habemus primi Regum 16. *Directus est Spiritus Domini à die illa in Dauid & deinceps.*

Sed respondeo cum Victorino, Spiritum Domini posse intelligi mansisse in Dauid, secundùm alia multa, etiamsi in casu Vriæ secundùm charitatis donum recesserit: nam etiam cum illis manet Spiritus sanctus, quos cadentes custodit ne pereant, etiamsi stantes non custodiat ne cadant:
Psal.36. iustus enim *cùm ceciderit, non collidetur; quia Dominus supponit manum suam.* Ideò, inquit Hugo, Dauid collisus non est, quia cecidit super manum; si manus super eum cecidisset, collisus fuisset.

Obiiciunt & illud Psalmi 50. *Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*; quasi per peccatum suum Dauid non amiserit Spiritum sanctum.

Sed eadem est responsio. Si enim Dauid consideretur hæc dicere, nondum recuperato Spiritu sancto inhabitante, saltem non poterit considerari hæc dicere sine Spiritu sancto, qui omnis salutaris pœnitentiæ inspirator est.

Obiicit quidam nouus scriptor, Dauidis peccatum ex infirmitate admissum, non abstulisse ei iustitiam: eiusmodi enim peccata iustorum, qui numquam omnino deponunt Deum placandi studium, quamuis per ea damnationem mereantur, solere Dñm dissimulare: explicans autem quomodo dissimulet, *Deo*, inquit, *eiusmodi indicia permittimus, qui filios suos custodire nouit, ne in peccatis suis & æterna damnatione obdormiscant: & cum eis non agit tamquam iustus index secundùm iustitiam suam, sed vt misericors pater secundùm gratiam & misericordiam suam, vt ipse declarat, dicens* 2.*Regum* 7. *Si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum*, &c.

Respondeo; Frustrà sese torquent, & in omnem partem vertunt nouatores, vt retia effugiant veritatis: nisi enim dicant nobiscum, Deum electos suos educere è delicto suo, & sua misericordia efficere, vt in statu damnationis & amissæ iustitiæ non diu permaneant, sed iterùm reconcilientur; numquã explicabunt, quomodo Dauid adulterij & homicidij reus, Deo tamquam iustus placuerit, antequam pœnitentis peccatum, indicante Propheta transtulit, & Christus, vt Ecclesiasticus di- Eccli.47.
cit, peccatum eius purgauit; aut quomodo æternę simul damnationis fuerit reus, & ad vitam æternam Deo acceptus.

Apostolus etiam Petrus negando Christum, amisit charitatem: vbi enim charitas est, ibi Spiritus sanctus, per quem illa in cordibus nostris diffusa est. Spiritum sanctum autem tunc Petrus amisit, quia nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu.

Sed contrà opponet nobis hîc quispiam, quod dicit S. Leo serm.9. de Passione Domini, Petrum compellans: *Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem auersam* (forte meliùs alij legunt, *cuersam*) *sed constantiam fuisse turbatam.*

Respondeo, Leonem solùm velle, quòd Petrus nec odio Dei aut Christi, nec infidelitate peccauerit, sed animi inconstantia, quæ tamen peccatum mortale fuit: in eaque lapsum agnoscit Leo, quamuis deiectionem omnimodam non admittat. Vel cũ Guilielmo Paruo in c.8.Cantic. dicit potest, *Floruit* voluisse Leonem, quòd in Petro remanserit quasi *circa an-* cadauer quoddam charitatis, quod cõsiderari pos- *num Domi-* sit in quodam ad Deum intus inaniter manente *ni* 1200. affectu, quem Acquisitum dicimus in scholis. Vel denique, quòd manserit dilectio quædam Dei etiam supernaturalis, sed quæ non pertingeret ad dilectionem Dei super omnia, quæ est charitas. Ceterùm benè monet D.Augustinus tract.66. in Ioannem, illos accusare Christum dicentem Petro, *Ter me es negaturus*, qui peccatum excusant Marci 14.
Petri, quod ipse quàm graue fuerit, lacrymarum vbertate ostendit.

Probatur Secundò testimoniis veterum. Præclarum est Tertulliani de præscriptionibus cap.3. item Iustini quæstione à Gentibus posita 97. vbi Dauidem dicit duobus sceleribus mortiferis se cõtaminasse: addit, septuagies septies quempiam posse per pœnitentiam veniam consequi. Vnde consequens est, etiam toties iustum posse labi. Cyprianus lib.de vnitate Ecclesiæ: *Ideò scriptum est, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam; quòd vtique Dominus non minaretur auferri posse coronam iustitiæ, nisi quia recedente iustitia, recedat necesse est & corona.* Prosper ad Capitula Gallorum cap.2.& 7. Idem passim & alij dicunt.

Probatur Tertiò ratione. Quis enim credat, omnes qui infantes baptizantur, adeoque iustificantur, tota vita retinere quam in Baptismo acceperunt iustitiam & charitatem, etiamsi aliàs

flagitiosissimi euaserint, aut etiam ad hostes fidei defecerint?

Nonnulla à nobis dicta sunt 1.2.q.113.tum de hac ratione, tum de toto argumento.

Verùm obiiciunt illud 1.Ioannis 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare.*

Respondeo; Quamuis non omnes eodem modo Orthodoxi hæc verba Ioannis accipiant; nemo tamen dicit, illis significari, quòd semel adepta charitas non possit amitti. Vna est interpretatio, quòd in sensu composito iustus non possit peccare mortaliter; quia manens in sua regeneratione, non degenerat. Neque potest mortale peccatum consistere cum iustitia: quomodo dixeris, laurum semper virere, quia viret donec prorsus pereat. Ita ferè Hieronymus lib.2. contra Iouinianum, qui rectè vrget, quod Ioannes subiungit; *Filioli custodite vos à simulacris.* Hac enim cautione opus non esset, si voluisset eum qui semel ex Deo natus est, non posse peccare. Eòdem refert Hieronymus, quod præmittit Apostolus cap.2. *Hæc scribo vobis vt non peccetis.* Secundò, obseruant significari, quod regeneratio & semen Dei validum sit antidotum contra peccatum: habent enim iusti magna Dei auxilia ad non peccandum, quæ peccatores non habent: imò ipsamet habitualis charitas & habitualis iustitia vt inclinat ad bona opera, ita etiam à malis reuocat contraria quadam inclinatione. Vide Oecumenium, & ex recentioribus Hesselium. Tertiò, obseruant significari, ex regeneratione aut charitate nullum prouenire peccatum: *Charitas* enim, *non agit perperàm, non cogitat malum.* Augustinus c.21. De gratia Christi: *Cùm peccat homo, non secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat, secundùm quam non est natus ex Deo*, &c. Quartò, Idem Augustinus De natura & gratia c.14. illud *non potest peccare*, ita accipit, quasi dictum sit, *non debet peccare.* Denique sunt qui de prædestinatis locum intelligant, vt illi dicantur non posse peccare vsque in finem: quomodo intellexit Hesselius, & ante ipsum D. Bernardus, cuius hæc sunt verba serm.23. in Cantica: *Vidi hæc, & intellexi illius sententiæ veritatem; Omnis qui natus est ex Deo non peccat; quia generatio cælestis seruat eum. Generatio cælestis, æterna prædestinatio est*, &c. *Hos ergo aduerti quasi nũquam peccasse; quoniam ex si qua deliquisse videntur in tempore, non apparent in æternitate.* Denique Augustinus lib.2. De pecc.meritis cap.7. & 8. exponit de plenè nato ex Deo & perfectè, vt is demum dicatur non posse peccare: in hac autem vita non perfectè nasci ex Deo, eò quòd multum remaneat vetustatis; itaq; spem potiùs & arrham nos hîc habere felicitatis illius, in qua peccare non possimus, quàm hîc peccare non posse.

Obiicitur Secundò, ex cap.8. ad Rom. *Certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo.* qui ergo semel habet charitatem, numquam ab ea separatur.

Respondeo, Commodissimè posse locum istum intelligi de charitate qua Deus nos diligit; vt significetur, non posse electos ab hac Dei charitate omnino excidere: omnia enim quæ separatura videri queant, Deus ita moderatur, vt non separent. Si intelligas de charitate qua nos Deum diligimus; potest accipi dictum in persona electorum, qui finaliter non separantur à Dei charitate. Siquis velit de omnibus intelligere qui charitatem aliquando habent, dicat significatum esse, eam charitatis esse fortitudinem & immobilitatem, vt neque ipsa per se desinat, neque ab vlla creatura, etiam possibili, euerti aut extingui possit, nisi ipse homo eam deserat. Verùm prima responsio, vt dixi, commodissima est, & textui accommodatior, quam sequuntur Toletus & Pererius.

Obiicitur Tertiò ex prioris ad Corinth.13. *Charitas numquam excidit.*

Respondet Hugo Victorinus, charitatem numquam excidere, quia etiam in patria manet, vbi fides & spes non manent: *Non enim dixit Apostolus*, inquit Hugo, *Charitas à nullis excidit, sed, Numquã excidit; quia non in omnibus manet, & tamen semper manet in quibus manet.* Nam si propterea non semper manet, quia non in omnibus manet; ergo nec fides aut spes hîc manet, quia non in omnibus manet: multi enim à fide & spe, quæ in Deum est, recesserunt; nec tamen idcircò minùs verum est, Nunc manent fides, spes, charitas. Ita ferè Hugo.

Obiicitur Quartò, Canticorum 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.*

Respondeo; Sicut diximus ad locum similem ex epistola ad Romanos, quòd significetur, illud esse robur charitatis, vt nullæ eam superare valeant persecutiones, per aquas multas significatæ: qui enim habet charitatem, fundauit domum suam supra petram; veniunt flumina, & in eam impetum faciunt, nec tamen corruit.

Obiiciebant Quintò & illud ex c.17. Prouerbiorum: *Omni tempore diligit qui amicus est.* Sic enim argumentabantur: Qui diligit, amicus est; qui amicus est, semper diligit; ergo qui amicus est, semper amicus est.

Respondet Hugo, Etiamsi amicus semper diligat, & inimicus semper odio habeat, posse nihilominùs quempiam ex amico fieri inimicum, sicuti ex inimico potest fieri amicus. Dicitur autem amicus semper diligere, quia & in prosperis & in aduersis diligit: non enim sunt veri amici qui tantùm diligunt in prosperitate; conuincuntur enim non fuisse amici hominis qui manet, sed prosperitatis & pecuniæ, cum qua transeunt & deficiunt.

Obiicitur Sextò Augustinus lib. De salutaribus documentis cap.7. *Charitas quæ deseri potest, numquam vera fuit.* & illud Psalmi 103. *Qui tegis aquis superiora eius*, dicit charitatem esse fontem proprium bonorum, cui non communicet alienus: alienos autem esse omnes, qui audituri sunt, *Non noui vos.*

Ad prius respondeo, Non teneri nos illud pro salutari documento agnoscere: quia palàm est, librum illum nihil habere Augustino dignum, quamuis ei falsò adscriptus sit. Secundò, dico auctorem solùm velle, quòd non sit vera charitas, quæ propter solam loci mutationem deseritur.

Ad posterius respondeo, Solùm ibi docere Augustinum, eum qui alienus est, non habere charitatem quamdiu alienus est: non autem velle, quòd alienus non possit fieri proximus, aut quòd proximus non possit fieri alienus, vt benè obseruat Hugo. Est ergo alienus, qui secundùm præsentem qualitatem esset auditurus, *Non noui vos.*

Obiicies



Obiicies Septimò ex Caluino suprà citato, eos qui non perseuerant, non habuisse vmquam veram charitatem, sed solùm similem veræ & hypocriticam, aut gustum aliquem charitatis; sicuti damnatis ad supplicium indulgeri solet gustus aliquis vini; aut sicut filiis concubinarum Abraham dabat munera, non autem hereditatem, aut pignus hereditatis.

Respondeo, Hæc non nisi impiè dici posse. Impium enim est dicere, quòd Deus per illusoriam gratiam afficiat temporaliter credentes. Illusoriè non vnxit Saulem bonum præ ceteris; illusoriè non donauit omni gratia & sapientia Salomonem; nisi velis quòd etiam illusoriè ipse Lucifer decore & sapientia plenus in spiritualis Paradisi delicijs creatus fuerit. Verè stellæ de cælo cadunt, quando reprobi de magna iustitia in superbiam elati, cadunt in iudicium diaboli, cuius sunt filij, quando iam pleni sunt iniquitate, qui priùs stabant in plenitudine iustitiæ. Si non fuit vera charitas quæ non perseuerauit; quare non similiter dicis, inquit Hugo, quòd numquam albus fuit, qui aliquando albus esse cessauit? non intelligis, quòd in eo ipso aliquando illud fuisse dicitur, qui aliquando esse illud desiisse memoratur? Sicuti verum odium fuit, quod ad tempus fuit; ita & verus amor fuit, qui ad tempus fuit; sed tunc non verus esse cœpit, quando quod erat esse desiit. Hactenus contra doctrinam Caluini. Sanè, vt suprà monui, eiusmodi argumentis conuicti, iam à suo magistro desciscere incipiunt; & præcipui ipsorum Catholicæ sententiæ, vt & in aliis quibusdam, subscribunt. Quare fateri eos necesse est, reformatores illos, à quibus ipsi sese reformatos iactant, eorumque hactenus in Ecclesiis traditos catechismos, reformatione in ipsis præcipuis fidei dogmatis indiguisse. Hoc expendens, nemo deinceps excusabitur à deserenda prætensa illa reformatione.

Contra pseudomartyris paradoxum, qui retinens cum Caluino solos prædestinatos iustificari, admittit aliquando eos excidere, sed semper iustitiam recuperare, sit

SECVNDA ASSERTIO: Fidei est non omnes iustos esse prædestinatos, adeoque non semper recuperari amissam charitatem ab illis qui verè eam aliquando habuerint. Ita Trident. sess.6. can.17. Aliquos enim à charitate labi, qui numquam eam recuperent, probatur ex Scripturis sacris. Dicunt
Ezech.18. enim ille, *Si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem*, eum in sua iniquitate moriturum. Item si negauerimus Deum, etiam ipsum Deum vicissim nos negaturum. Rursum quòd palmes non faciens fructum, abscinderetur, arescet, & in ignem mittetur. Memorant etiam lapsum diaboli, Saulis, Salomonis, Iudæ proditoris, Simonis Magi, qui non narrantur rediisse ad iustitiam.

Neque refert, non omnino deesse, quod ad exempla ista respondeant. Dicent enim aliam longè rationem diaboli, qui & natura sit inconuertibilis, & alterius conditionis gratiam habuerit; Saulem dicit Caluinus numquam fuisse iustum; de Salomone dicunt, non constare quòd non resipuerit; de Iuda & multò minùs de Simone non satis constare quòd vmquam habuerit veram charitatem: non enim eiusmodi responsio planè euertit nostrum argumentum. Satanæ enim exemplo satis constat, ex natura rei non fieri vt semper amissa charitas recuperetur. Reliquorum verò exemplum ex probabili multorum veterum sententia, quos inde constat nobiscum sensisse, plurimùm valebit. Saulem enim fuisse iustum, præterquam 1.Reg.9.
quòd satis id testetur Scriptura quando dicit eum fuisse electum & bonum, Tertullianus De præscriptionibus apertè docet; *Saul*, inquit, *bonus præ ceteris, liuore postea euertitur.* Salomonem iustum & lapsum fuisse, Scriptura refert; emendatum ex ea non constat: multi pertisse arbitrantur. Iudam proditorem aliquando iustum fuisse, sentit Hieronymus lib.3. contra Pelagianos. De Simone Mago, quòd verè crediderit, nonnulli existimarunt satis Scripturam innuere, quamuis interpretum sententia variet. Constat itaque ex Scriptura, neque ex natura rei fieri vt charitas amissa semper recuperetur, neque vllam esse huius certò recuperandæ ex Dei benignitate promissionem generalem.

## ARTICVLVS XII.

### *Vtrùm Charitas amittatur per vnum actum peccati mortalis?*

RESPONDEO cum D.Thoma, Statim per quemlibet actum peccati mortalis amitti habitum charitatis.

In hac responsione multi refutantur errores.

Primus est in articulo à Pio V. damnato, *Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.*

Secundus est similis quorumdam Scholasticorum, qui dixerunt, dari charitatem informem, sicut datur fides informis, decepti similitudine amoris acquisiti, aut naturalis cum charitate: aut certè non satis distinguentes imperfectum amorem supernaturalem Dei, ab amore charitatis: aut denique omni explosa amore Dei naturali, putantes quemuis amorem creaturæ rationalis aut charitatem esse, aut vitiosam cupiditatem.

Tertius est eorum, qui dicunt, non statim vno actu mortali destrui charitatem, sed opus esse pluribus; fortè considerantes modum quo habitus acquisiti destruuntur, & existimantes habitum charitatis infundi quidem diminutus, sed per peccatum non aliter destrui quàm physicè, vt destruitur per actus contrarios habitus acquisitus.

Quartus huic affinis ex relatu Francisci Victoriæ refertur à Vega lib.14.cap.1. non quouis peccato mortali amitti gratiam aut charitatem, sed tum solùm, cùm quis se effrænem & præcipitem tradiderit vitiis: cui errori satis affine est, quod ex Caluinianis quidam contra suos symmystas hodie defendunt, cum Dei amicitia consistere peccata sanctorum etiam enormia, modò ea infirmitate præoccupati admiserint; amitti autem, aut potiùs non veram fuisse declarari iustitiam, quando quis in criminosa vita, sine cura Deum placandi pergit, & in ea complacet sibi ac delectatur. Vbi aduerte, ferè sectarios istos eiusmodi peccatum requirere quo charitas tollatur, quale requirunt vt ab Ecclesia quis excommunicetur.

Quintus & postremus erit nostri temporis hæreticorum, qui non omni, sed solo infidelitatis peccato iustitiam, adeoque charitatem quæ iustitia est & plenitudo legis, amitti volunt.

Contra hos omnes breuiter probanda est responsio.

Primò ex Scriptura sacra, quæ charitatem vocat plenitudinem legis, eam, dicit non agere perperàm, non cogitare malum: item qui in vno offenderit, factum esse omnium reum; si quis diligit Deum, mandata eius seruaturum.

Secundò ex Conciliis. Florentiuum definit eorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali discedunt, mox in infernum descendere. Trident. sess. 6. c. 27. dicit anathema ei, qui dixerit, nullo alio quàm infidelitatis peccato amitti semel acceptam gratiam. Et c. 15. hanc do-
1. Cor. 6. ctrinam confirmat ex eo, quòd Scriptura à regno Dei, non solùm infideles excludat, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, &c. ceteroſque omnes qui eiusmodi enormia aut letalia admiserint.

Tertiò ex Patribus. Basilius lib. 1. de Baptismo cap. 2. *Obseruandum necessariò, quòd non in multa peccata, sed in vnum est adeò horrendum & inexcusabile iudicium,* &c. Hieronymus in caput 5. ad Galatas: *Neque refert, vno quis peccato à beatitudine excludatur an pluribus, cùm omnia similiter excludant.*

Dvbivm hîc est inter Scholasticos, Quomodo peccatum mortale excludat charitatem, an meritoriè solùm, an effectiuè?

Quòd non solùm meritoriè sed effectiuè, putant nonnulli esse opinionem D. Thomę, eò quòd a. 10 ita loquatur: *Peccatum mortale totaliter corrumpit charitatem, idque effectiuè, quia contrariatur charitati.* Sequuntur hanc sententiam communiter Thomistæ in dictum articulum. Caietanus, Banesius, Valentia & Medina, 1. 2. q. 113. art. 2. Vasquez in eamdem primam 2. disputatione 91. Azorius libro quarto Moralium cap. 24. q. 4.

Aliorum sententia est contraria, quòd solùm meritoriè. Ita Scotus in 2. dist. 37. & in 3. dist. 23. q. 1. Gabriel & Durandus in 1. dist. 17. Conradus 1. 2. q. 71. a. 4. Rada 2. parte, controuersia 19. vbi eam probat multis argumentis.

Prior opinio his ferè rationibus suaderi potest. Prima, peccatũ ita vi & natura sua repugnat charitati, vt etiamsi nullum esset meritum hominis ad Deum, nihilominùs eam excluderet; ergo, per se efficienter eam destruit, non tantùm demeritoriè.

Secunda, Maior est repugnantia inter peccatum mortale & charitatem, quàm inter album & nigrum: opponuntur enim non tam absolutè contrariè, quam relatiuè, sicut æquale & inæquale, ita vt ne quidem per Dei potentiam possint esse simul. Ita Vasquez.

Tertia, Charitas reddit hominem Deo charum, gratum & acceptum; peccatum verò hominem alienat prorsus & auertit à Deo, ac proinde facit eum indignum amicitia & charitate diuina. Ita ferè Azorius.

Pro altera tamen sententia non contemnendum est eiusmodi argumentum. Peccatum non videtur effectiuè magis destruere charitatem, quàm habitus vitiosus eamdem destruat formaliter: atqui certum est, habitum vitiosum non excludere charitatem formaliter, vt patet in ebrioso iam conuerso adhuc luctante cum praui habitus pondere, & mala consuetudine.

Ceterùm, vtraque opinio aliquid habet veri, adeoque mediâ viâ hîc nobis incedendum est.

Dico itaque primo; Charitas non tollitur per peccatum mortale eodem prorsus modo, quo tollitur per illud bonitas actus ordinati: neque enim ita peccatum mortale extinguit charitatem, sicuti, verbi gratia, actus odij Dei excludit contrarium actum amoris Dei super omnia. Videtur hæc esse sententia D. Thomæ 1. 2. dicta q. 85. a. 4. vbi cùm dixisset, per peccatum mortale totaliter tolli bonum virtutis & gratiæ; quasi alium modum indicans subiungit, illud bonum quod est ipse actus ordinatus, tolli per peccatum, vtpote quod sit essentialiter eius priuatio, quo modo loquendi conciliat D. Thomam cum Scoto interpres eius Conradus suprà citatus.

Dico secvndo; Peccatum mortale non eo tantùm modo meritoriè tollit charitatem, quo in Adamo sustulit immortalitatem, aut quo peccatum homicidij tolleret etiam infusum habitum fidei, si Deo placeret, statim, vt meretur, homicidam punire. Certum enim est, peccati maiorem esse repugnantiam ad charitatem, quæ vita est animæ supernaturalis, quàm ad immortalitatem, aut donum fidei: est enim peccatum cum immortalitate in angelo malo, & cum fide in peccatore fideli.

Dico tertio; Quatenus charitas est iustitia & amicitia cum Deo, excluditur formaliter per peccatum mortale habituale, quod formaliter est iniustitia, auersio à Deo, inimicitia Dei: per actuale autẽ effectiuè destruitur, vt dixit D. Thomas. Neque aliud videtur velle Azorius. Sicut ergo peccatum actuale, tamquam essentialis priuatio eius, tollit bonitatem recti ordinis in actu humano formaliter; ita peccatum habituale, siue macula eius, tollit formaliter pulchritudinem iustitiæ & charitatis, qua anima Deo grata & amica est: effectiuè autem eam tollit peccatum actuale, quatenus eiusmodi maculam & priuationem adducit.

Dico qvarto; Quodam sensu peccatum non nisi demeritoriè excludit charitatem; videlicet, quia eam non corrumpit nisi quatenus est quoddam demeritum: demeritum enim adducit indignitatem quamdam iustitiæ & amicitię Dei, ideoque charitatem, quatenus hominem reddit amicitia Dei dignum, morali quadam efficientia corrumpit, quando actualiter consideratur; formaliter autem excludit, quando habitualiter. Peccatum ergo non nisi demeritoriè, destruendo & excludendo charitatem, reuerà in genere moris ex natura sua effectiuè eam destruit & formaliter excludit.

Dico qvinto; Spectando præcisè charitatis habitum secundùm physicam siue realem ipsius substantiam, rectissimè dicitur, eius realem destructionem peccatum non attingere nisi demeritoriè, adeoque non esse physicum agens in destructione ipsius. Probatur, Quia in peccato duo sunt; vnum est formale, quod est morale, & physicè non agit, tum quia morale, tum etiam quia priuatio est: aliud est materiale, quod etiam non agit physicè ad destructionem charitatis; quia alioqui ageret etiam quando idem actus ex inuincibili ignorantia committeretur.

Dico sexto; Simpliciter loquendo non malè dicitur, quòd peccatum mortale charitatem aut gratiam effectiuè corrumpat, & formaliter excludat, quia reipsa per eam homo iustus, est Deo gratus & amicus. Neque obest quòd potentia absoluta Dei possit gratia aut charitas esse simul cum peccato; quia multa contraria, vt calidum & frigidum, album & nigrum, possiunt per Dei potentiam esse simul; tamen rectè dicuntur formaliter sese excludere. Accedit, quòd charitas, vt est amicitia, non possit esse per Dei omnipotentiam cum peccato; quamuis ipsa in se considerata, per absolutam Dei potentiam possit non esse amicitia.



Atque ex his patet, quousque veræ sint dictæ sententiæ, in speciem alioqui pugnantes. Prior enim cum suis argumentis recipi poterit, si charitas accipiatur, vt est iustitia hominis, & amicitia cum Deo: posterior autem, si eadem charitas consideretur vt qualitas quædam realis, animę inhærens secundùm esse physicum.

Dvbitabit hîc quispiam, An peccatum infidelitatis effectiuè corrumpat habitum fidei infusæ, an solùm demeritoriè.

Rem esse dubiam fatetur Vasquez. Azorius autem admittit effectiuè corrumpere.

Probabiliter dici potest, demeritoriè corrumpere, non effectiuè. Eadem est ratio desperationis, respectu spei.

Quare autem peccatum infidelitatis minùs corrumpere dicatur effectiuè fidem, quàm charitatem; ratio est, quia in fide non consideratur ratio amicitiæ cum Deo, sicut in charitate.

Notandum tamen hîc est, quatuor modis posse peccatum cogitari corrumpere habitum infusum. Primo effectiuè, propriè loquendo; quo modo iam diximus charitatem, vt est realis qualitas, non corrumpi per peccatum: quod puto esse verum, etiam extensum ad peccatum odij Dei. Atque hoc modo satis probabile videtur, infidelitate non corrumpi habitum fidei: idemque erit iudicium de reliquis virtutibus infusis.

Secundo potest peccatum dici corrumpere habitũ infusum, quia est actus formaliter secundùm se contrarius proprio ipsius actui, adeoque est proprium impedimentum infusionis talis habitus, & ex consequenti conseruationis, secundùm doctrinam D. Thomæ hoc articulo: atque hoc modo peccatum odij charitatem destruit; infidelitatis verò ac desperationis, fidem & spem.

Tertio peccatum corrumpit habitum infusum, generale impedimentum infusioni eius & conseruationi ponendo; quo modo per omne peccatum mortale corrumpitur charitas, quatenus est inclinatio ad quoduis Dei dilecti mandatum seruandum, qui modus est proprius charitati aut gratiæ. Hoc tertio modo infidelitatis peccatum destruit charitatem, quando secundo modo destruit fidem.

Quarto fit hæc destructio infusæ virtutis via meriti: quo modo certum est per infidelitatem destrui fidem, non tamen peccato odij Dei, etiamsi istud sit maioris demeriti; quia Deus misericorditer nobiscum agens, & suauiter naturis rerum se accommodans, statuit non statim sic peccantt auferre talentum fidei, sed solùm quando propter peccatũ proiicietur in tenebras exteriores.

Potest addi & quintus modus, quo infusæ illæ virtutes, quæ inseparabiles sunt à charitate, per quoduis peccatum mortale corrumpantur, videlicet ex consequenti & indirectè, sicuti durities in aqua congelata destruitur per calefactionem; hoc modo per peccatum infidelitatis destruitur spes: fides autem nullo peccato sic destruitur; quia prima est virtus, & non dependet à posterioribus, saltem in consetuatione. Vnde cautè hîc accipiendum est, quod D. Thomas videtur dicere, idem impedimentum sufficere tollendæ conseruationi infusi habitus, quod sufficit impediendæ infusioni: sicuti eadem nubes quæ impedit ne sol incipiat illuminare aërem, etiam impediret quo minùs pergeret illuminare: hac enim doctrina solùm vult D. Thomas, fidem, quatenus est virtus perfecta, amitti quolibet actu, qui impediret primam eius infusionem, vt patet ex 1. 2. q. 71. art. 4. aut si hoc non satisfaciat, restringatur eius doctrina ad impedimentum directum infusionis, quale est quodlibet peccatum mortale respectu charitatis, non autem respectu fidei, sed solùm peccatum infidelitatis.

# QVÆSTIO VIGESIMAQVINTA.

## De obiecto Charitatis.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm dilectio Charitatis sistat in Deo, an se extendat etiam ad proximos?*

Circa hunc articulum quęritur primò, Quodnam sit obiectum formale charitatis?

Respondeo; Charitas, quia amor est, pro obiecto formali habet aliquid bonum; quia autem est amor beneuolentiæ, quo Deum propter se amamus, rectissimè D. Thomas dicit, bonum diuinum esse obiectum formale charitatis: charitate enim Deo volumus beatificum suum bonum, hoc est ipsam suam bonitatem. Quia verò charitas est amor Dei non naturalis, sed supernaturalis; bonum illud diuinum quod statuitur obiectum formale charitatis, est sumendum quatenus nobis cõmunicatur per vitam gratiæ. Quamuis enim Deo, omne bonum suum sit naturale; quia tamen amor amicitię postulat communicationem in vita, amor amicitiæ supernaturalis postulat communicationem diligentis ad dilectum in vita supernaturali: quia verò consummata vita nostra supernaturalis est in visione clara diuinæ essentiæ, rectè à D. Thoma bonum diuinum, quatenus beatitudinis obiectum est, statuitur obiectum formale charitatis suprà q. 23. a. 4. aut vt loquitur quæstione disputata

tata De charitate a.7. proprium obiectum charitatis,rectè dicitur bonum beatitudinis diuinę. Cùm enim Deus natura sua beatus sit, diuinæ naturæ consortes maximè tum efficiemur,quando in participato eius lumine videbimus eum sicuti est; tunc enim similes ei erimus. Hinc etiam colligitur, quomodo rectè ab eodem D. Thoma dicta q. 23. a.6. dictum sit, charitatem sic attingere ipsum Deum, vt in ipso sistat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat. Nam quamuis reuerà per charitatem feramur in Deum, vt est beatitudinis obiectum; ipsum tamen beatitudinis obiectum, charitatis amore magis Deo volumus, quàm nobis; & mallemus ipsi non esse beati, quàm Deum non esse beatificum.

Vt res illa magis declaretur, Possunt in amore charitatis duo quædam considerari. Vnum est, allubescentia illa pulchritudinis, quæ reperitur in bonitate honestatis supernaturalis: eo ipso enim quo obiicitur voluntati diuinitus adiutæ. ista pulchritudo per lumen supernaturale repręsentata, oritur quædam allubescentia, quæ confirmata fit amor; oritur inquam liberè, quando lumen est obscurum, vt est in fide: necessariò autem, & per modum naturæ resultat, quando lumen clarum est, vt fit in visione beatifica. Alterum est, quòd ex affectu illius pulchritudinis approbemus esse diuinum in se, & mallemus etiam ipsi potiùs non esse, quàm non esset suprema illa bonitatis pulchritudo, adeoque tunc gratulamur & benè volumus Deo omnem suam perfectionem, omnem suam gloriam tamquam amico nostro & auctori nostræ deificationis, in quo nostra perfectio meliùs reperiatur quàm in nobis ipsis, sicut pars naturaliter se periculo exponit pro conseruatione totius, eò quòd in seipsa sit imperfecta, in toto autem perfectionem suam habeat, vt dicit S. Thomas in 3.dist. 29. Ex hoc amore pendet omnis amor charitatis ad creaturas: diuinæ enim gloriæ studiosi, Deo tamquam amico, etiam nosipsos & proximos addicatos volumus, quos beando ostendat diuitias gloriæ suę, adeoque verè bonum effusione sui sese exhibeat agnoscendum. Hac itaque ratione charitas cùm verè attingat Deum vt in se est, nihilominùs eo ipso tendit in Deum vt diffusiuus est suæ bonitatis: neque enim potest bonitas mouere voluntatem sine sui diffusione: nemo enim ita Deum amat in se, vt non simul amet saltem illam diffusionem bonitatis diuinæ, qua communicetur Deus amanti, vel hoc ipso quo diligitur. Communis ergo iste respectus communicationis, non tollit in amore charitatis rationem amoris beneuolentiæ, nihilominùs enim etiam hîc charitas non quærit quæ sua sunt.

Quæri hîc potest secundò, Quodnam sit præcipuum obiectum materiale charitatis?

Certissima est responsio, Esse ipsum Deum, sicut & in reliquis virtutibus Theologicis: per se enim & propter se, charitate diligimus ipsum Deum, reliqua propter Deum. Itaque habet se bonitas illa immensa Dei, supernaturaliter nobis communicanda in charitate, sicut lumen invisum; Deus autem sicut color; nos ipsi & proximus sicut res colorata: sicut enim color respectu corporis colorati est quodammodò ratio sub qua videatur; ita etiam Deus quodammodò ratio est, sub qua per charitatem reliqua diligantur.

Quæritur tertiò, estque hic propriè D. Thomæ articulus, An debeat dici charitas, quæ virtus est Theologica, non sistere in Deo, sed etiam extendi ad proximum diligendum?

Omnino dicendum est, Eadem charitate qua Deus diligitur propter se, proximum diligi propter Deum, de quo nonnulla diximus suprà quæstione 23. art.5. Confirmatur ex iam dictis. Volumus enim Deo proximi beatitudinem, vt quæ cedat in ipsius gloriam. Indicat Ioannes 1. Epistolę cap.2. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Rectè Augustinus lib. 8. de Trinitate cap.7. *Qui diligit Deum, consequens est vt faciat quod præcepit Deus: & in tantum diligit, in quantum facit. Consequens ergo est, vt & proximum diligat, quia hoc præcepit Deus.* Rationem non absimilem adducit Scotus in 3.d.28. Deus, inquit, diligendus vtique est eo modo quo vult diligi: vult autem non à te solo diligi, sed etiam à proximo tuo: debes ergo eodem amore quo Deum diligis, velle tuo proximo ipsius Dei amorem. Benè idem explicat D. Thomas quæst. disputata De charitate a.4. Qui Petrum diligit, omnes qui Petro coniuncti sunt, diligit: itaq; qui Deum diligit, oportet omnes illos diligat, qui ad Deum ordinantur: in illis enim Deum diligit, sicuti in corpore colorem videmus, quando ipsum corpus videmus propter colorem, vna & eadem visione.

Quæres, An ergo non solùm sit vna habitualis charitas, qua Deus diligitur & proximus, sed vnus etiam & idem actus?

Respondetur; Sicuti impossibile est videri corpus, quin eadem visione videatur etiam color; ita impossibile est, amore charitatis proximum diligi, quin eodem actu diligatur Deus, saltem quatenus ratio sub qua diligitur proximus.

Dices, Ergo dilectio proximi non minùs est meritoria quàm dilectio Dei.

Respondeo, Non sequi. Præstantior enim est & maior dilectio, qua Deus diligitur, vt id quod, quàm qua diligitur proximus propter Deum; sicuti clarior est visio, qua ipsum Solem intuemur, illâ quâ in lumine, & propter lumen Solis, aspicimus hæc inferiora.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Charitas sit ex charitate diligenda?*

RESPONDEO cum D. Thoma, Charitatem esse ex charitate diligendam, non vt amicum cui bonum volumus, sed vt illud bonum quod amico volumus. Eadem est ratio de beatitudine & aliis virtutibus.

Notandum hîc Primò, Impossibile esse vt charitatem habeamus, & ipsam charitatem non diligamus; & econtrà, vt ipsam charitatem diligamus, & charitatem non habeamus, vt benè ostendit S. Fulgentius epistola 5. post Augustinum libro 8. de Trinitate c.8. Quo differt charitas à beatitudine: quæ licet habita non possit non diligi, non habita tamen etiam potest diligi, imò & perfectè diligi; nam imperfecto amore charitas quoque non habita fortè diligi poterit.

Notandum Secundò, Veterum nonnullos, inter quos Fulgentius & Anselmus, illud ad Romanos 12. *Charitatem fraternitatis inuicem diligentes*, sic intellexisse, vt Apostolus ibi hortatus sit ad diligendam ipsam charitatem.

Sed



Sed cùm Vaticana conformiùs Græcis legant *charitate*, non *charitatem*, non poterit inde magnum peti argumentum.

Notandũ Tertiò, Rectiùs dici charitatẽ diligi ex charitate, quàm charitate: charitas enim est amor amicitiæ; ad charitatem autem non est nobis amicitia, ex amore tamen amicitiæ charitatem diligimus; quia ex illo amore prouenit, quòd amico charitatem velimus. Neque tamen propriè videtur charitas diligi amore concupiscentiæ: quia charitas maximè dicit amorem finis, amor autem concupiscentiæ tendit in illud quod aliò tamquam in finem refertur.

Non tamen reprehendendus erit, qui hactenus etiam charitatem & reliquas virtutes amore concupiscentiæ nos dixerit amare, quòd eas diligamus tamquam nobis commodas, & beatitudinis obtinendæ instrumenta. Rectissimè autem dixerimus, amore complacentiæ ex charitate diligi charitatem.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm etiam creaturæ irrationales sint ex Charitate diligendæ?*

RESPONDEO, Non diligi eas charitate, quasi eis benè velimus, sicut amico: neque enim libero arbitrio destitutæ, vti aut frui bono possunt; neque nobiscum in rationali vita aut beatitudine communicant: sed ex charitate posse amari, tamquam quæ alteri velimus bona, quatenus eas ex charitate desideramus ad Dei gloriam & proximi vtilitatem conseruari.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm homo debeat seipsum ex Charitate diligere?*

RESPONDET D. Thomas, Cùm charitas sit amicitia, ex ea nos posse duobus modis quippiam diligere. Vno quidem modo vt amicum; altero vt aliquid ad amicum pertinens. Vt amicum, non diligimus nosmetipsos, sed potiùs amicum sicut nos: est enim amicus alter ego, sicuti vnio est quædam vnitas: amor ergo hominis ad seipsum, non est amicitia, sed aliquid maius amicitia, quod forma sit & radix amicitiæ. Itaque diligimus ex charitate nosipsos, tamquam ad Deum quem diligimus pertinentes, adeoque tamquam aliquid amici.

Verè ex charitate seipsum quemque diligere, Scriptura indicat Matth.22. *Diliges proximũ tuum sicut teipsum.* Ibi enim adeò significatur rectus esse quidam ex charitate amor hominis ad seipsum, vt is etiam tamquam forma charitatis ad proximum commendetur. Proximi, dico, non Dei: is enim non sicut nos, sed supra nos diligendus.

Neque refert, quòd generatim hîc tradat diuus Thomas, amorem sui esse formam amicitiæ: hoc enim verum est in amicitia ad creaturam: generatim autem à Philosopho rectè asseritur de omni amicitia; quia quòd sit aliqua hominis ad Deum amicitia, supra naturam est.

Obserua secundò, seipsum hominem diligere ex charitate duobus modis. Vno, qui communis est dilectioni virtutum & creaturarum irrationalium, de quibus secundo & tertio articulo diximus: altero, qui communis est dilectioni proximi, de quo articulo primo. Priore nos ipsi Deo, quasi aliquid ad gloriam eius collaturi, diligendo deuouemus: posteriore peculiariter ideò nosipsos diligimus, quia beatitudinis capaces sumus, adeoque principale quiddam in hac societate ad proximum; quamuis etiam hoc in Dei gloriam cedat: imò eo ipso quo quis Deum diligit, seipsum diligit, quia diligere Deum non potest, quin etiam sibi velit dilectionem Dei: est enim amor spontaneus motus. Vult ergo sibi magnum bonum, quia beatitudo huius vitæ sita est in charitate, vti & semen futuræ: velle autem bonum alicui, est ipsum diligere.

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm debeat corpus suum homo ex Charitate diligere?*

RESPONDET affirmatiuè, corpus nostrum nobis ex charitate esse diligendum, tamquam instrumentum diuini mysterij, & in hoc ipsum nobis à Deo datum. Adde, confors futurum corpus in beatitudine, prioris ad Corinth. 15. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Huc pertinet quòd Apostolus eos reprehendat, qui carnem suam odio habent; ad Ephes. 5. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit.* Ad Colossenses 2. *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Quare & ipse alibi cupit superindui, non exspo- 2.Cor.5. liari.

Duo contrarij errores hîc vitandi sunt: vnus Manichæorum, Priscillianistarum, & Patricianorum, quos refert Alphonsus à Castro libro 4. contra hæreses dixisse, carnem à diabolo esse, ideoque odio habendam, & interficiendam. Contra hos hactenus dictum.

Alius est error nostri temporis hæreticorum, nimiùm relaxans carni habenas; cui non obscurè fauet Caluinus in dictum locum ad Colossenses, quando primos illos monachos carnis domitores, vicinos temporibus Apostolorum, traducit tamquam Apostolicæ istius doctrinæ violatores.

Contra eumdem salubriter à D. Thoma & omnibus Orthodoxis ex Sacris litteris semper inculcatum est, carnem esse secundùm prudentiæ moderationem, & temperantiæ leges coërcendam: hoc ipsum enim pertinet ad eius dilectionem, vt hîc odio habeatur, quatenus id facit vt in vitam æternam eam custodiamus: corpus enim nostrum diligimus propter nos; vt mirum non sit, dilectionem eius debere ad salutem nostram acõmodari.

Vtramque hanc doctrinam de corpore fouendo, & carnis corruptæ motibus castigandis, videre licet apud D. Prosperum lib. 3. De vita contemplatiua cap. 15.

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm peccatores sint ex Charitate diligendi?*

RESPONDET affirmatiuè. Imò eo ipso ex charitate peccatores diligi, quo in eis oderimus quòd peccatores sint, & dilexeri-

mus quòd homines sint beatitudinis capaces. Rectè Prosper sententia 2. *Sic diligendi sunt homines, vt eorum non diligantur errores; quia aliud est amare quòd facti sunt, aliud odisse quod faciunt.* Et ipse Augustinus lib. 14. de Ciuitate cap. 6. *Nec propter vitium oderit hominem; sed oderit vitium, amet hominem.*

Peccatores, vt sunt homines æternæ beatitudinis capaces, esse diligendos, patet: quia Christus
Matth. 9. Dñs adeò dilexit peccatores, vt dixerit; *Non veni vocare iustos, sed peccatores.*

Secundò, Certum est, fratris & proximi nomine etiam peccatorem comprehendi: patet Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus*, &c.

Tertiò, Quando Lucæ 10. Legisperitus dicit, *Et quis est meus proximus?* quidam vereres eum reprehendunt, quasi putauerit se iustum esse, neminem autem esse iusti proximum, nisi qui simul sit iustus. *Lex*, inquit Euthymius, *proximum nominauit eum qui alterius egeret auxilio; ipse verò illum dici opinabatur, qui virtute æqualis esset.*

Vbi obiter aduertimus, vel ea ratione magis proximi nomine intelligendum peccatorem, quòd magis ope nostra indigeat.

Denique si solus iustus sit proximus, cessabit pænè omnis vsus correptionis fraternæ; imò vacillabit in incertum omnis proximi, quem hîc videmus, dilectio: nescimus enim an iustus quisque sit. Verùm sicuti seipsum quisque diligit, etiamsi nesciat an iustus sit; ita & proximum. Neque enim dilectio charitatis solùm in eum fertur qui Deo gratus est, sed in vnumquemque proximum, vt Deo sit gratus. Quòd verò ex charitate odio habeamus in proximo ipsum peccatum, ex priori dilectione prouenit: ex amore enim fratris sequitur odium eius quod ipsi malum est.

## ARTICVLVS VII.

### *Vtrùm peccatores diligant seipsos?*

RESPONDEO; Triplex est in homine amor sui ipsius: vnus naturalis, qui est communis bonis & malis; quamuis in malis multùm peruertatur: alter quo plus diligitur quod in homine præcipuum est, videlicet interior homo; quo modo soli boni seipsos diligunt: tertius quo plus diligitur quod in homine inferius est, videlicet exterior & animalis homo; quo modo se mali diligunt contra charitatem, vsque ad contemptum Dei. Quia verò secundùm principale homo æstimandus est, ita vt Apostolus dicat,
Rom. 7. se non operari illud quod reluctante spiritu caro operatur; seipsos, absolutè loquendo, mali non diligunt: oderunt enim quòd præcipuè sunt, eoque peruersiùs, quòd etiam id non esse præcipuum velint: qui enim diligit iniquitatem,
Psal. 10. odit animam suam; & qui amat animam suam, perdet
Ioan. 12. eam. Hunc peruersum sui amorem à se remouet Paulus Actor. cap. 20. *Nec facio animam meam*, id est temporalem vitam, *pretiosiorem quàm me.* Contra eum etiam agit Iudas: *Odientes & eam, quæ carnalis est maculatam tunicam. Carnalem enim tunicam* (inquit Beda) *corpus nostrum dicit: non autem corpus nostrum odisse debemus, sed maculatum hoc omnimodis debemus odisse; & quantum valemus agere, vt hoc immaculatum reddamus, vt de carnali spirituale mereatur effici.*

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm sit de necessitate Charitatis, vt inimici diligantur?*

## ARTICVLVS IX.

### *Vtrùm sit de necessitate salutis, quòd aliquis signa & effectus dilectionis inimico exhibeat?*

DICO PRIMO, Certum est, in genere aliquod esse Dei præceptum de diligendis inimicis, id est illis qui in nos peccauerint.

Probatur Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos.* Ad Rom. 12. & Prouerbiorum 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; & si sitit, potum da illi.* Exodi 23. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc eum.* Huc pertinet quòd inimicitiæ illæ mutuæ ad Galat. cap. 5. ab Apostolo recenseantur inter opera carnis, contra quæ est lex, & quæ excludunt à regno Dei. Facit huc illud Iob cap. 31. *Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quòd inuenisset eum malum.* vbi certissimo signo comprobat, se inimicos dilexisse. Quod etiam percipi videtur Prouerb. 24. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas*, &c.

DICO SECVNDO; Certum est, etiam in veteri Lege obligasse præceptum de diligendis inimicis. Probatur ex loco Exodi citato.

Dices, Per inimicum ibi intelligi talem, qui cùm Iudæus sit propter generis coniunctionem, debuerit esse amicus; non autem absolutè inimicum. Ita obiicit Maldonatus in caput quintum Matthæi.

Respondeo, Probabilius esse, per inimicum ibi intelligi quemuis inimicum, siue Iudæus fuerit siue alienigena. Quod confirmatur primò ex c. 22. vbi simile officium Dñs iubet præstari fratri, etiam ignoto & non propinquo. Quando itaque extenditur ad inimicos, videtur etiam extendi ad eos qui alterius generis fuerint, præsertim cùm eodem capite præcipiatur, ne aduenis sint molesti. Neque enim est verisimile, qui misericordes esse iubentur in bestias, non etiam iussos misereri aduenæ, quamuis inimici, vbi illius id necessitas postulauerit.

Obiicitur illud Matth. 5. *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Hîc enim videtur antiquis potiùs præceptum esse odium inimicorum, quàm amor.

Respondeo; Obscuri huius loci bipartitum est genus commentariorum: quidam enim admittunt, verè dictum esse in veteris Instrumenti libris, *Odio habebis inimicum tuum:* sed variant designando Vbi.

Quidam eo sunt contenti, quòd de dilectione inimici nullum extet in Lege præceptum, sed dilectionis mandatum semper ad proximum aut fratrem restringatur: inde enim colligunt, permissum saltem esse, odium inimicorum. Hi poterunt tolerari, si non dicant, odium inimicorum fuisse licitum, sed tantùm permissum; id est, positiua lege non fuisse vetitum, sed vel dissimulando,



do, vel etiam expressâ ipsa permissione relictum in iure naturali: quo modo accipere licebit, quod de hac re tradidit Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 21. *Nec quòd in lege dictum est, Oderis inimicum tuum, vox iubentis iusto accipienda est, sed permittentis infirmo.*

Alijs non sufficit hoc, sed putant, in verbis Christi ad ea loca veteris Testamenti respici, quibus Israelitæ iubentur Amalechitas, Moabitas, Ammonitas, & similes gentes quasdam penitus delere & extirpare. Deuteron. 23. *Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ.* Nehemiæ 4. *Peccatum eorum coram facie tua non deleatur.*

Verùm hoc coactius est: neque enim in istas Gentes sæuiebant Iudæi præcisè ratione inimicitiæ, sed potiùs tamquam diuinæ vindictæ executores.

Alij illud, *Odio habebis inimicum tuum*, ita explicant, vt quoad rem ipsam sententia reperiatur in Sacris litteris: verbi gratia, quòd significetur odio habendum inimicum, quatenus est inimicus, hoc est, odio habenda esse eius peccata, ipsamque inimicitiam. Hic sensus videtur esse diui Augustini lib. 19. contra Faustum cap. 24.

Verùm ideò minùs probatur, quia opponitur, saltem tamquam imperfectioni isti doctrinæ, doctrina Christiana: atqui verè Christianum est, ita odisse inimicum: hoc enim est perfectum odium proprium filiorum noui Testamenti, vt verisimile non sit, hac in parte quidquam Christum correxisse, præsertim cùm, vt suprà monuimus, tale odium proficiscatur ex charitate & vera dilectione inimicorum. Si quis tamen cum Augustino dixerit, à Christo non tam perfici quod dictum est, quàm corrigi quod auditum & malè intellectum, minùs erit ipse sensus improbabilis.

Alij, per *inimicum* solùm diabolum intelligunt; & vrgent non dici *inimicos*, sed *inimicum*. verùm sermo 59. inter sermones D. Augustini, cuius auctoritate niruntur, non est Augustini.

Alij denique illud, *Odio habebis*, intelligebant secundùm iuris ordinem & iustitiæ, puniendo, atque adeò abstinendo ab eius conuersatione, propter periculum peruersionis. quo modo præceptum illud intelligetur pertinere ad pædagogiam legis, vt rectè Hieronymus in c. 5. ad Galat. Sicuti enim Deus vtiliter posuit inimicitias inter mulierem & serpentem; ita etiam inter semen mulieris & serpentis, inter filios Dei & diaboli. In hoc commentario illud habemus commodi, quòd non sit opus confugere ad prauum intellectum Pharisæorum, satisq; appareat, quid perfectionis addiderit Christus, ideoque probabilis est. Qui verò negant, verè dictum esse antiquis, *Odium habebis inimicum tuum*; aduertunt, non dixisse hîc Dominum, *Audistis quia dictum est antiquis*, sed, *Audistis quia dictum est*. Est ergo impium dictum illud, non legis, neque intellectus antiquorum, sed recentiorum, qui tunc plebem instruebant legisperitorum, malè legem interpretantium: ex illo enim, *Diliges proximum tuum*, ipsi colligebant per locum Dialecticum, à contrarijs eodem ordine positis, inimicos esse odio habendos. Confirmatur ex c. 10. Lucæ, vbi Dñs ostendit Legisperito de hoc dubitanti, etiam Samaritanum, id
Ioan. 4. est inimicum (Samaritanis enim Iudæi non coïtebantur) proximi nomine comprehendi.

Vbi aduerte, ex eadem voce, *proximi*, & legisperitos collegisse suum errorem, & Dominum eiusdem erroris correctionem: quando enim præcipiebantur proximum diligere, quem solum amicum sibi intelligebant, putabant sibi suggeri inimicos esse odio persequendos: Dominus verò ostendit, etiam inimicos proximi nomine censeri. Est & iste commentarius probabilis, quem sequuntur Iansenius, Hesselius, & alij.

DICO TERTIO; Præceptum de diligendis inimicis non fuit ita clarè explicatum in veteri Lege, sicut in noua: nihil enim est in veteri, nisi de operenda inimico in necessitate, aut de non expetenda vindicta, aut de non gaudendo super ruina eius: in noua autem absolutè & expresè dicitur, diligendos esse inimicos corde, benefaciendum eis opere: *Benefacite illis qui oderunt vos.* Orandum pro eis ore: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*

Disserit hac de re Augustinus q. 53. ex 83. *Non iam erant idonei, quibus diceretur, Diligite inimicos vestros; sed tales erant, quibus tantummodò dici poterat, Diliges proximum tuum, & oderis inimicum tuum: adhuc enim ille proximus quàm latè intelligendus esset, non erat tempus tradere.* Inchoatio ergo quædam facta est sub pedagogo, vt magistro perfectio seruaretur.

DICO QVARTO; Propter maiorem gratiam & exemplum Christi pro inimicis mortui, & Sanctorum qui pro inimicis rogarunt, arctiùs obligat præceptum istud in nouo, quàm in veteri Testamento: Lex enim vetus spiritum magis habebat timoris, Euangelica autem spiritum charitatis, in
Rom. 8. quo filij Dei clamant, Abba Pater; qui sub lege sunt scripta in tabulis lapideis, inimicos lapidant; qui ad Christi legem pertinent, precibus suis à corde se lapidantium lapides remouent. Hoc enim mandatum nouum docuit Christus, qui pro inimicis suis mortuus est, vt & nos pro fratribus nostris animas ponamus, non tantùm conseruandis, sed etiam lucrandis, adeoque etiam pro inimicis, vt desinant esse inimici.

DICO QVINTO; Lex de diligendis inimicis non est merè positiua, sed est iuris naturæ; quamuis sit supernaturalis, quatenus diligendi sunt ex charitate ad beatitudinem supernaturalem: continetur enim illa lege, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Per proximum enim intelligitur quilibet homo hîc viuens, illeque maximè, qui nobiscum aliquid habet negotij: habet autem aliquid negotij nobiscum, contra quem aliquid habemus; ita vt iam peculiari ratione ad nos pertineat, adeoque eo modo à nobis tractandus sit, quo nos tractari vellemus.

DICO POSTREMO; Beneficia & signa dilectionis omnibus communia, sunt etiam inimicis exhibenda sub præcepto: peculiaria autem exhibere inimicis, est quidem consilij, sed non est de necessitate salutis, nisi secundùm præparationem animi, vt scilicet eis subueniatur in articulo necessitatis. Ita D. Thomas, quem sequitur Siluester & alij communiter.

Ex his sequitur, Si oras pro tota communitate, non posse te excipere inimicum: idem dixero de salutatione, eleemosyna, & similibus.

Secundò sequitur, Inimicum salutantem non resalutare, esse ordinariè peccatum; mortale autem, quando existimaretur is notabilis contem-

ptus;

ptus; attenta circumstantia temporis, loci,& personarum, & consuetudine patriæ.

Ceterùm benè monet Banelius, Si videas te non posse abstinere ab odio inimici, nisi animum applices considerandæ illius virtuti; ad eiusmodi considerationem te obligatum iri, & ad similia eódem conducentia, eò quòd non tantùm alterius, sed etiam proprium scandalum auertendum tibi curæ esse oporteat.

Sed quid si inimicus veniam roget, & satisfactionem offerat, tenebórne ei etiam illam satisfactionem remittere, quam licitè poteram coram iudice exigere?

Respondeo, Teneri ex charitate, nisi satisfactio legitimè à iudice taxanda, nihilominùs necessaria sit reparando tuo aut tuorum honori; tunc enim exigi poterit, nisi rursus ex eo oriretur præponderans scandalum, respectu salutis animæ vel corporis. Ita ferè Siluester verbo Charitas quæst.6. Vbi notandum, nos loqui de satisfactione pro iniuria; alia enim erit ratio de damni illati restitutione.

## ARTICVLVS X.

### *An debeamus Angelos ex Charitate diligere?*

Refert Augustinus lib. 19. de Ciuitate cap.3. veteres Academicos voluisse, non tantùm huius orbis incolas homines, sed etiam Angelos, siue vt ipsi appellabant, Deos, homini sapienti tamquam amicos diligendos, vt qui sint nobiscum ciues magnæ vniuersitatis.

Iustinus tamen in suo Dialogo cum Triphone, videtur negare, proximi nomine comprehendi Angelum, agens enim de præcepto dilectionis, *Proximus*, inquit, *hominis aliud nihil est, nisi similis cõditionis atq; rationis particeps animans, id est homo.*

D. Augustinus verò, quem sequitur S. Thomas hîc, & Theologi communiter, dicunt, præcepto quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri. Quæ sententia verissima est & certissima: conueniunt enim nobiscum ea parte qua sumus capaces diuinæ amicitiæ & beatitudinis, ipsamque habent, ad quam aspiramus: pertinent ergo ad ciuitatis Dei sanctam societatem, adeoque ad charitatis obiectum. Vnde & Apoc.cap.19. & 22. Angelus non tantùm Ioannem, sed & omnes qui seruant verba libri istius, conseruos vocat. Ad Hebræos primo, dicuntur Angeli mitti in ministerium propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Vnde intelligimus, non tantùm diligendos vt socios, sed vt administros nostræ salutis. Et Lucæ 15. dicuntur gaudere super vno peccatore pœnitentiam agente: quod gaudium charitatis est, quæ congaudet veritati: sicut enim gaudere de ruina alterius, ad inimicitiam pertinet; ita gaudere de resurrectione, charitatis & amicitiæ est. Amici ergo nobis sunt Angeli, præcipuè cùm per nos eorum ruinæ sint instaurandæ.

## ARTICVLVS XI.

### *Vtrùm debeamus dæmones ex Charitate diligere?*

Respondeo, Dæmones aut damnatos ex charitate non diligimus: neque enim possumus illis velle bonum vitæ æternæ, quod respicit charitas; hoc enim repugnaret charitati Dei, per quam eius iustitiam approbamus: eo tamen modo quo irrationales creaturas, etiam dæmones ex charitate diligimus, quatenus eos in suis naturalibus conseruari volumus, ad Dei gloriam.

Hinc colligimus, beatos non dolere de cruciatibus quos pro peccatis suis in inferno subeunt parentes eorum, & amici secundùm carnem.

## ARTICVLVS XII.

### *Vtrùm conuenienter enumerentur quatuor ex Charitate diligenda, scilicet Deus, proximus, corpus nostrum, & nosipsi?*

Responsio est affirmatiua. Vel enim causam beatitudinis diligimus, vel id quod beatitudinem participat. Vt causam diligimus Deum: vt id quod participat, duobus modis aliquid diligimus; totidem enim participare contingit. Quod namque per quamdam redundantiam beatitudinem participat, secundariò solùm & quasi consecutiuè ex charitate diligimus, videlicet corpus nostrum. Quod verò directè participat, vel nosipsi sumus, vel proximus. *Deus*, inquit Prosper (lib. 3. De vita contemplatiua capite 15.) *præcipit, vt corpora nostra propter nos, proximum sicut nos, & ipsum plus quàm nos diligere debeamus.* Itaque supra nos Deum, prope nos proximum, infra nos corpus nostrum nisi diligamus, neque nosipsos diligimus.

# QVÆSTIO VIGESIMASEXTA.

## De ordine Charitatis.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm in Charitate sit ordo?*

Respondet S. Thomas, In his quæ ex charitate diliguntur, considerandum esse aliquem ordinem, secundùm relationem ad primum principium huius dilectionis, quod est Deus. Probatur Canticorum 2. *Ordinauit in me charitatem.* Quem locum quamuis D. Hieronymus lib. 3. in Zachariam cap. 14. verterit, *Ponite in me charitatem*; lib. tamen 15. in Ezechielem ad illud cap.44. *Et sabbata mea sanctificabunt*, legit, *Ordinate in me charitatem*: quæ diuersitas orta est ex verbo τάξατε, quo



quo vtuntur Septuaginta. Probat autem ibidem Hieronymus ex hac Scriptura nostram responsionem: quod etiam facit in illud Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrẽ plus quàm me*, &c. addens, in omni affectu ordinem necessarium esse. Si enim non ames Deum eo ordine quo debes, iam odisti: imò etiamsi liberum esset amare, supposito tamen quòd ames, oportet ordine suo amare: sicuti liberum est inuitare; at conuiuam inuitatum non est liberum non ponere suo loco. Vide plura apud D. Augustinum lib. 1. De doctrina Christiana capite 27. & lib. 10. de Ciuitate cap. 4. item lib. 15. cap.22. vbi docet, virtutem nihil esse aliud, quàm ordinem amoris. Videndus etiam Prosper lib. 3. De vita contemplatiua suprà citatus, cap. 15.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Deus sit magis diligendus quàm proximus?*

Responsio affirmatiua est de fide, Lucæ 14. & Matth. 10. & 22. *Hoc est maximum & primum mandatum.*

Probatur; Impossibile est, ex charitate proximum magis diligere quàm Deum; ex charitate enim proximum diligimus propter Deum: si autem magis quàm Deum proximum diligeremus, non iam propter Deum, sed pro Deo potiùs diligeretur. Hoc considerantes existimant quidam Scripturam dicere, proximi dilectionem esse totius Legis impletionem, vt Matth. 7. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc enim est Lex & Prophetæ.* Ad Romanos 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Ad Galat 5. *Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Verùm illis locis non dicitur proximi dilectione vniuersa omnino lex contineri; sed solùm legem impleri, illam nimirum quæ est secundæ tabulæ, & ad proximum pertinet, vt patet ex inductione, quam facit Apostolus ad Rom.

Secundò, In omni amicitia is potissimùm & primo loco diligitur, in quo principaliter reperitur illud bonum, super cuius communicatione ipsa fundatur: certum autem est, beatitudinem principaliter in Deo reperiri, in quo est essentialiter, quique caussa est omnis beatitudinis in aliis. Primo ergo loco diligendus Deus.

Dubitatio hîc mouetur, Sitne præcepti, intensiùs diligere Deum quàm proximum? Est enim triplex modus vnum magis quàm alterum diligendi; videlicet obiectiuè, appretiatiuè, & intensiuè.

Obiectiuè magis diligimus eum, cui maius bonum volumus: sic beatus magis diligit proximum se beatiorem, quàm seipsum.

Æstimatiuè siue appretiatiuè magis diligimus, pro cuius vitanda offensione, alterius potiùs indignationem subimus; aut cui malumus non deesse suum bonum, quàm alteri. Quod quia ferè prouenit ex quadam magis dilecti superioritate, & maiori eminentia: quibusdam videtur, quidquid obiectiuè magis diligimus, etiam appretiatiuè nos magis diligere. Vnde & D. Bonauentura in 4. d.16. a.4.q.1.ad 1. videtur intensionem appretiatiuam vocare intensionem ex parte obiecti, siue obiectiuam: quando tamen ratione coniunctionis, quam nobiscum habet proximus, appretiatiuè eum magis diligimus; fieri potest, vt secundùm præsentem iustitiam, obiectiuè eum minùs diligamus, vt videbimus infrà art. 7. è contrà contingit, beatum proximum illum appretiatiuè minùs diligere, quem magis diligit quàm seipsum obiectiuè, vt dicemus art. vltimo. Sanè in futura vita, quoad illos qui à diligente distincti sunt, coincidunt magis dilectus æstimatiuè & obiectiuè.

Denique intensiuè eum magis diligimus, in cuius amorem intensiùs conamur & incumbimus. Hanc intensionem solent vocare intensionem ex parte subiecti: hoc modo parentes solent iuniores filios diligere teneriùs, licet primogenitum æstimatiuè & obiectiuè plus diligant, vtpote qui malint illos quàm istum amittere, cui etiam maiorem volunt esse hereditatem.

His positis, respondeo ad dubitationem, & Dico primo: Certum est, Deum dignum esse, vt omnibus istis modis magis diligatur quàm proximus. Patet ex dictis q. 24. a. 8. vbi diximus, Deum non posse ab vlla creatura tam perfectè diligi, quin perfectiori dilectione sit dignus; quantumcumque enim glorificetur aut diligatur, superualebit adhuc, vt dicitur Ecclesiastici 43.

Dico secundo: Obiectiuè certum est, debere nos sub præcepto Deum magis diligere quàm proximum; quia Deo volumus suam naturalem bonitatem, cui nihil par cogitari potest: proximo autem participationem aliquam istius bonitatis, pro creaturæ modulo.

Dico tertio: Certum est de fide, saltem appretiatiuè, oportere nos Deum sub præcepto magis diligere quàm proximum, Matth. 10. *Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non est me dignus.* Actorum 5. *Oportet magis obedire Deo, quàm hominibus.* & cap.4. *Si iustum est in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate.* Hactenus ea in quibus omnes conueniunt.

Superest punctum difficultatis, An charitatis præcepto satisfaciat, qui intensiùs diligit proximum quàm Deum.

Petrus Soto in Institutione sacerdotum lectione 15. tenet, non satisfacere; & distinctionem illam amoris Dei in appretiatiuum & intensiuum, damnat tamquam minùs consonam Scripturæ, Patribus, & Rationi, & inutilem animarum saluti; imò periculosam. Probat, quia quando Scriptura docet Deum plus diligendum, intelligendum hoc est sicuti in aliis rebus loqui solemus: atqui quando dicimus, rem vnam plus alia diligi, intelligere solemus maiorem perfectionem amoris, quæ in eius intensione sita sit.

Verùm Scriptura ita loquens, quatenus præceptum continet, rectissimè accipitur secundùm appretiationem. Quando enim dicit, *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me*, apertè is sensus est quo significetur, vt Hieronymus ibi annotat, quòd si necessitas venerit, vt amor parentum Dei amori comparetur, & non possit vtrumque seruari; odium in suos, pietas in Deum sit.

Quod verò dicit Soto, non solere nos in aliis aliam perfectionem intelligere, quàm istam intensionis; verum non est. Si enim dixeris, patrem plus amare primogenitum quàm iuniorem, quem fortè intensiùs amat, eò quòd plus diligat primogenitum æstimatiuè & obiectiuè; neque à veritate,

tate, neque à loquendi consuetudine sermo fuerit alienus. Similem sensum ferè admittunt verba Augustini, quæ pro se adducit Soto.

Itaque oppositа sententia, non esse in præcepto intensiorē illum quouis alio amore amorem Dei, est communis reliquorum Doctorum, & videtur verissima. Certum enim in primis est, vt etiam Soto fatetur, nos non teneri ad maximam intensionem nobis possibilem in amore Dei; alioqui mandata Dei graue essent iugum, non suaue. Certum est etiam, non opus esse illo gradu, quem habent qui renuntiant omnibus non necessariis rebus & affectibus, vt vni vacent dilectioni; sic enim consilium cum præcepto confunderetur. Faciamus igitur actum amoris Dei, quo satisfiat præcepto, esse vt sex; proximum autem quoad intensionem diligi vt septem, qui potuisset salua Dei lege solùm diligi amore vt quinque: non apparet eo ipso, quòd abundet charitas in proximum, peccari in Deum. Deinde quando dicit Soto, eum non satisfacere præcepto, qui proximum intensiùs diligit quàm Deum: interrogandus esset, an hoc intelligat de amore proximi præsenti, an præterito, an etiam extendat ad futurum? Si enim de præterito etiam & futuro intelligat, ita vt non potuerit vmquam fuisse, aut futurus esse amor proximi intensior, quàm nunc sit iste amor Dei; redit ad illam sententiam, quæ ita graue facit præceptum dilectionis, vt in hac vita moraliter vix impleri queat, saltem ab illis qui non amplectuntur perfectionem consiliorum Euangelicorum. Difficile enim erit nosse, quàm perfectè dilexeris antehac vmquam proximum tuum: cauere autem ne in posterum perfectiùs diligas, ne præscriptas iam diuini amoris metas excedas; etiam insaniæ quid præ se tulerit.

Superest itaque, ad præsentem dumtaxat respici amorem proximi, & quidem actualem: atqui istum non necessariò esse remissiorem quam sit amor Dei, vel inde patet, quòd alioqui peccaret, qui in proximi quem videt dilectione se exerceret, vt in Dei, quem non videt, dilectionem possit ascendere, si fortè intensior fuerit amor, quo se ad meliorem excitat.

At fortè videbitur cuipiam impossibile, quòd supponimus, fieri, vt ex charitate magis diligatur proximus intensiuè quàm Deus; eò quòd Deus in charitate sit ratio diligendi.

At reuerà nihil impedit, quo minùs ita fiat. Est quidem verum, secundùm æstimationem magis diligi ipsam rationem diligendi: at in proposito fieri potest, vt intensiùs ex parte subiecti diligatur proximus qui videtur, quàm Deus qui non videtur, etiamsi ipse hîc sit ratio diligendi. Sicuti enim manente omnino eodem obiecto formali, intensiorem fieri contingit nostrum amorem in vnum fratrem quàm in alterum, ratione maioris familiaritatis, aut simili de caussa; quamuis interim secundùm æstimationem, neutrum alteri præferamus: ita contingere poterit, conatum & intensionem nostri amoris in proximum, ex familiari conuersatione, & mutuis officiis charitatis, eousque crescere, vt ex parte subiecti non sit tam intensus amor Dei. Si enim vbi ratio formalis perfectiùs reperitur, oporteat ex natura rei necessariò intensiorem esse amorem; etiam oporteret esse parem, vbi reperitur par.

Dices, Habitus charitatis & auxilium Spiritus sancti, magis inclinat hominem ad amandum Deum, quàm proximum; ergo, quando est ex charitate, semper est amor Dei intensior quàm proximi.

Respondeo negando consequentiā; Posita enim inclinatione habitus, & auxilio gratię præueniētis, possumus omnino adhuc cessare ab amore Dei; ergo etiam intensiùs amare proximum, & remissiùs Deum. Neque enim existimandum est, quoties ex charitate Deum diligimus, tam perfectè in hac vita nos ipsum diligere, ac postularet vel illa ipsa mensura charitatis habitualis, quam habemus: vera enim charitas, quantumuis parua, nos inclinat ad Deum totaliter & omnino ex toto corde, tota anima, totis viribus diligendum (quod ex Augustino certum est hîc à iustis iam præstari) alioqui erit charitas nostra hîc imperfecta ex parte Dei: quæ etiam caussa est, quare vel paruus habitus sufficiat, cum auxiliis illius status, ad perfectionem amoris quæ est in patria.

Arbitrantur Banesius, Lælius & alij, quando iustus intensiùs proximum diligit quàm Deum, excessum illum quo amor proximi superat amorem Dei, non esse ex habitu supernaturali charitatis, aut gratiæ auxilio, sed tantùm ex viribus humanæ naturæ, nimirum ex attentione ad rem sensibilem, ex delectatione appetitus sensitiui, qui mouet voluntatem. Sicuti, inquiunt, si quis intensiùs assentiatur conclusioni quàm principiis, eò quòd conclusio aliàs ei per sensum sit notior; eiusmodi maior assensio non erit ex assensu principiorum. Hinc vlteriùs inferunt, licitè quidem iustum intensiùs diligere proximum quàm Deum: verùm ex charitate non posse magis in proximum ferri amore, qui Dei amore secundùm intensionem maior sit, quàm posset ferri amore qui sit maior secundùm æstimationem.

Hæc opinio non placet. Cùm enim vsus charitatis & auxilij gratiæ sit in potestate iusti, quòd magis intensè amet proximum quàm Deum, prouenire poterit ex eo quòd maiori conatu vtatur illis ad amorem proximi quàm Dei; qui maior conatus secundùm latitudinem graduum suorum est à diuino auxilio, non à nobis, quasi ex nobis; sed quod minùs conemur in amore Dei, hoc à nobis est. Nisi ita dicamus, sequetur, maiorem hanc dilectionem proximi non esse magis meritoriam; non enim est meritoria, nisi quatenus à charitate, aut saltem ex gratiæ supernaturali auxilio proficiscitur. Quomodo autem propter Deum proximus diligatur, quando intensiùs diligitur quàm ipse Deus; suprà satis explicuimus: sufficit enim æstimatiuè Deum magis diligi, quæ est maior intensio essentialis.

Ceterùm per iam dicta non negamus, quin aliquando verum esse queat, quòd maior intensio in dilectione proximi oriatur potiùs ex motiuo naturali, quàm supernaturali.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm homo debeat ex Charitate plus Deum diligere quàm seipsum?*

Respondeo affirmatiua est de fide. Scriptura enim monet, Christi discipulum etiam animam suam pro Deo debere odisse, & seipsum abnegare, ne Deum abneget. Marci 8. Lucæ 9.

Sed



Sed difficultas est, An naturaliter inclinetur homo ad plus amandum Deum quàm seipsum?

Bonauentura, & Gabriel in 3. dist. 29. sentiunt, naturaliter magis diligere seipsum. Hic enim illum pro se citans, apertè dicit, in hoc gratiam repugnare naturæ, quòd per gratiam homo Deum plus diligat quàm seipsum: ex eoque infert, aliquando inclinationē naturalem non esse rectam, neque voluntatem ei conformem semper esse rectam; eò quòd tempore persecutionis, inclinatio naturalis sit ad conseruandam vitam, quæ pro Christo profundenda est.

Communior tamen & verior sententia est, quam sequuntur dicta dist. D. Thomas, Scotus, & Durandus; videlicet, secundùm æstimationem teneri vnumquemque ex vi solius legis naturę, Deum plus quàm seipsum diligere: idque conforme esse inclinationi naturali, quæ etiam in homine corrupto non ita omnino sit extincta, quin eius remanserit vestigium.

Probatur Primò, Si homo naturaliter sit inclinatus, vt plus seipsum diligat quàm Deum; ergo auctor naturæ indidit ei aliquam vitiosam inclinationem: neque enim naturalis est inclinatio, quæ non est ab auctore naturæ.

Secundò, Videmus naturaliter partem se obijcere periculo pro conseruatione totius, quasi pars quæque esse suum, quod in toto perfectius habet quàm in seipsa, magis in toto diligat, quàm in se; itaque etiam homo naturaliter magis diliget bonum totius vniuersi, quod est Deus, quàm seipsum.

Tertiò, Gratia perficit naturam, non destruit; ergo nulla est naturalis inclinatio contraria inclinationi gratiæ aut charitatis.

Sed respondet D. Bonauentura, antecedens esse intelligendum de illis, quæ in natura sunt per modum positionis; inclinationem autem ad seipsum amandum plusquam Deum, esse in natura non per modum positionis, sed priuationis, defectus, & corruptionis; ideoque per gratiam potiùs esse tollendam, quàm perficiendam.

Verùm si hæc inclinatio praua sit defectus & vitium naturæ; est ergo contra naturam, atque adeò verè contraria potiùs inclinatio naturalis est; & non nisi modo loquendi, à nobis differet S. Bonauentura.

Quartò, Leo X. in Concilio Lateranensi definit, nullam veritatem naturalem esse fidei contrariam. Idem definiuit Gregorius XIII. qui condemnauit hunc articulum, *Ratio naturalis in rebus religionis, est fidei contraria.* Atqui ex contraria sententia eiusmodi articulus sequitur: ratio enim naturalis dictabit, hominem plus seipsum debere diligere quàm Deum; fides autem, Deum debere super omnia diligi.

Ceterùm quomodo, licet admittenda sit distinctio amoris Dei super omnia, in naturalem & supernaturalem, & ponenda quædam etiam in homine lapso inclinatio ad amandum Deum plusquam seipsum & super omnia; non tamen ponendum sit, reipsa ex solis naturæ viribus hominem à lapsu diligere Deum super omnia; patet ex dictis in materia De gratia.

Ex quo facilè intelligitur, quomodo accipiendum sit, quod dicit Bernardus libro De diligendo Deo; amorem quo Deus propter se aut super omnia diligitur, esse gratuitum.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm homo magis ex Charitate debeat diligere seipsum quàm proximum.*

In qvirendvm hîc, An cum proprio detrimento illorum bonorum spiritualium, quæ reddunt hominem meliorem & Deo gratiorem, possit cōsulere proximo? Item, An idem præstare liceat cum detrimento illorum bonorum spiritualium, quæ non reddunt Deo gratiorem; qualia sunt dona gratiæ gratis datæ?

Notanda erit in primis distinctio bonorum spiritualium, quæ gratum Deo faciunt. Quædam enim ad iustitiam & salutem ita sunt necessaria, vt sine eis iusti aut salui esse non possimus; qualia sunt fides, spes, charitas: alia potiùs conducunt ad maiorem beatitudinēm, quàm omnino ad beatitudinem aut iustitiam sint necessaria, verbi gratia, obseruatio consiliorum Euangelicorum.

Non patitur rei certitudo, hîc in controuersiam venire, An pro temporali proximorum salute prioris generis bona prǒpria prodigere possimus aut negligere. At hoc forsan inquirere operępretium, An pro auertenda damnatione proximi, vel profectu eius spirituali procurando, fas sit dispendium subire proprij profectus; vel sanè, Vtrùm, ne plures è proximis grauissima & plurima in Deum crimina admittant, vnum, quo illa impedias, admittere charitas, si non præcipiat, saltem inclinando suadeat; aut si non suadeat quidem, saltem permittat: omnia enim hæc esse distincta, palàm est.

Sit PRIMA ASSERTIO: Adeò debemus nos ipsos omnino magis quàm proximos diligere, vt semper potiùs reliquorum omnium, quantumuis multa & maxima, crimina debeamus permittere, quàm in nobis ipsis vnum quo Deum letaliter offendamus, admittere.

Est hæc assertio certa secundùm fidem Catholicam. Matth. 16. Marci 8. Lucæ 9. *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Si manus aut pes tuus scandalizat te; proijce eum abs te: melius enim est tibi*, &c. Ad Rom. 3. *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Vbi etiam propter Dei gloriam dicit Apostolus non esse admittendum peccatum, multo ergo minùs propter proximi salutem.

Secundò Probatur ex Patribus. Augustinus libro contra mendacium ostendit, ne quidem propter vtilitatem proximi vmquam esse mentiendum.

Tertiò Ratione. Debemus proximum diligere sicut nos ipsos, vt regula quodammodò amoris nostri, sit amoris in proximum: *Dilector enim*, inquit Augustinus primo de Ciuitate Dei cap. 20. *regulam diligendi proximum, à seipso accipit.* mensuram ergo suam excedit amor in proximum, si maior fuerit quàm in nosipsos.

Secunda ratio, Proximum charitate diligimus, non tantùm propter coniunctionem eius cum Deo, sed etiam, quia proximus noster est, adeoque coniunctus nobiscum in eiusdem beatitudinis communicatione: atqui sicut vnio est vnitatis quædam participatio, ita proximus est alter ego, adeoque imperfectior eius est nobiscum vnitas, quàm vnicuique secum. Priorem ergo quisque

sese in dilectione habebit, quàm proximum.

Tertia ratio, Illa dilectio, sine qua Dei dilectio subsistere nullo modo potest, est ei præferenda, sine qua subsistere magis potest: atqui magis potest Dei dilectio in nobis subsistere, si non diligamus proximum, quàm si non diligamus nos ipsos; non enim implicat, Dei dilectorem nullum habere proximum; implicat autem, nos diligere Deum, & ipsam dilectionem, tamquam bonum quoddam, nobis non velle: non enim est imaginabile, quomodo verè diligat, qui non sponte, adeoque sibi volendo dilectionem, diligit. Cùm ergo velle alicui bonum, sit eum diligere; impossibile est quòd Deum diligamus, quin etiam diligamus nosipsos, volendo nobis bonum dilectionis.

*Sup. q. 25. a. 2.*

Quarta, Sicut vnumquodque pondus potiùs mouet proximum & proprium suum subiectum, quàm annexa & coniuncta; ita amor charitatis (qui pondus nostrum est in Deum) nosipsos principaliùs mouet in Deum, quàm proximos.

Quinta, Gratia perficit naturam: atqui homo naturaliter magis seipsum amat quàm amicum; dicit enim Philosophus 9. Ethicor. cap. 4. amicitiam immoderatam solere dici similem illi quæ cuique secum est.

Sexta, Quoad spiritualem salutem magis diligere proximum ex charitate quàm seipsum secundùm æstimationem; nihil est aliud, quàm ex dilectione Dei abijcere dilectionem Dei; imò quodammodò odisse Deum, & magis diligere proximum quàm Deum: relinquitur enim pro amore proximi amor Dei, quando vt proximus Deum amet, tu Deum non amas.

Contra hanc assertionem objicitur Primò, Apostolus ad Rom. 9. vbi videtur Iudeos plusquam seipsum dilexisse; *Optabam* (inquit) *ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem*. Idem videtur fecisse Moyses Exodi 32. quando in hunc modum orat Dominum, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.*

Respondeo; Probabiliter vtrumque locum accipi eo sensu, vt tam Moyses quàm Paulus, solùm voluerint temporalem vitam prodigere & occidi pro Iudæis, quod sequens articulus docet licere.

Cui intellectui si objicias, eum qui occiditur, non fieri anathema à Christo, sed dissolui vt sit cum Christo.

Respondeo, Illud, *à Christo*, accipiendum esse phrasi Hebraica; vt sit idem, quod propter Christum iam creditum, cuius charitas nos inclinat, & exemplum mouet, vt pro fratribus animam ponamus, & inclinabat Paulum pro Iudæis mortem subire, ex quibus est Christus secundùm carnem, id est, non tantùm pro suis, sed etiam pro Christi cognatis secundùm carnem.

Confirmatur simili modo loquendi Scripturę, *A mandatis tuis intellexi*, id est, propter mandata tua. *Posuit terram fructiferam in salsuginem, à malitia*, id est, propter malitiam, *inhabitantium in ea*. Aut *à Christo* hic idem sit, quod post Christum susceptum: quo modo Genebrardus notat accipi posse illud *à malitia inhabitantium in ea*, vt significata sit salsugo & sterilitas secuta post malitiam habitantium: secundùm quem sensum significauerit Apostolus, se qui ante conuersionem pro Iudaismo occidebat Christianos, nunc Christianum tantum abesse vt persequatur aut odio habeat Iudæos, vt etiam pro illis occidi paratus sit.

Psal. 118. Psal. 106.

Dices iterùm ex Chrysostomo: Si Apostolus explicetur de morte corporis, nihil admodum singulare hîc præstiterit: nam prioris ad Cor. 15. dicit, *Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres:* deseruiscet ergo hic Apostolicus zelus, vt præter quotidiana vota nihil peculiare habeat.

Verùm facilè quisque perspexerit, non adeò magni faciendam esse eiusmodi obiectionem: eximium enim amorem esse, si quis animam suam ponat pro amicis suis, Scriptura testatur; neque opus est, vt eum Apostolus in Corinthios non habuerit, vt in Iudæos fuerit eximius.

Ioan. 15.

Restat vt eumdem sensum comprobemus in loco Exodi: solùm autem est difficultas, Quomodo dicatur Deus eum delere de libro quem scripsit, quem corporaliter occidit: nam potuisse Moysen pro morte deprecari, ne videret mala populi sui, patet ex cap. 11. Numerorum: *Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.*

Ceterùm, cùm duplex sit vita, temporalis corporis, & æterna animę; quid obest, quo minùs cum Hieronymo, Gregorio, & ex recentioribus Pererio in cap. 9. ad Rom. Genebrardo in Psal. 69. & alijs multis dicamus, hîc per librum intelligi illum librum Dei, in quo cogitetur scribere omnes qui ingrediuntur in hanc mortalem vitam, eis vitæ termino præscripto, qui præteriri non poterit: vt deleri de hoc libro nihil sit aliud, quàm vita priuari. Neque obest magnopere, quòd Dominus responderit, *Qui peccauerit mihi, delebo illum de libro meo.* potest enim sensus esse, Non punio, nisi iustè in pœnam peccati: ne opus sit intelligere, quòd Moyses pro populo voluerit eo modo deleri de libro vitæ, quo delentur quisque eo ipso quo in Deum peccat.

Ex his liquet, Paulum aut Moysen nihil contra ordinem charitatis vel optasse, vel postulasse. Hæc quidem probabiliter.

Sed Lectori ingratum non fuerit, si & alias explicationes proposuerimus, in quibus quisque in suo sensu abundare possit. Sanè ea quæ dicat, Paulum pro fratribus voluisse hîc separari à charitate Christi simpliciter; nullum habet colorem. Iam enim paulò antè dixerat, vt benè Hieronymus obseruat epistola ad Algasiam q. 9. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Absit vt fratres separare posse voluerit, qui nihil separare posse iam dixerat. Tolerabilius dixeris, in separatione à Christo Paulum spectasse exteriorem separationem, quale est in anathemate priuari communione ac societate fidelium exteriori, haberi tamquam ethnicum & publicanum, & projici quasi de corpore Christi, spectata exteriori forma Ecclesiæ, qualis consideratur in retibus Sacramentorum, & simili externa cohærentia.

Sed malunt alij, etiam propriè *à Christo* accipientes, anathema quoad corporis mortem intelligere; quibus fauebit, quòd anathematizari 1. Machabæorum 5. accipiatur, pro, internecione deleri: *Applicuit ad eos, & anathematizauit eos.*

Alij considerantes quòd per mortem potiùs dissoluamur vt simus cum Christo, quàm anathema fiamus à Christo; respiciendum putarunt ad tempus quo Paulus zelo gentis suæ, Christi discipulos persequebatur. Verùm cum isto sensu non satis videtur cohærere, quod inter alia vrget, *ex quibus est Christus secundùm carnem:* his enim verbis eò pellicimur, vt votum Pauli separationis à Christo, ex amore, non odio Christi, quamuis pro fratribus conceptum interpretemur. Verum quidem est, fauere isti interpretationi vocem *optabam*; at non ita hoc eumcit ad præteritum referendum fuisse, quin eo ritè expenso, Græcè peritissimi, imò Græcanicæ eloquentiæ antistites, & sanctissimi Patres, ad præsens vocem retulerint. Quibus Erasmi versio fauet, quæ loco *optabam, optarim* reddidit. Vbi cùm via sternitur alteri commentario, vt velleitate quadam aut conditionato voto Apostolus tale optarit anathema, si fieri posset, Deique id leges permitterent; aut vt etiam in æternum beatitudine carere malit potiùs Apostolus, quàm Deum in promissis fallere; aut tamquam fallacem traduci, vt iam non magis fratres, quàm seipsum dilexerit, sed Deum, pro quo malit etiam potiùs non esse, quàm ipse Deus sit infidelis, adeoque non esse Deus credatur. Fauet Chrysostomus.

Qui abhorrentes ab æterno illo anathemate, moderatius votum in præsenti, & quoad spiritualem vitam contemplati sunt; dixerunt ad tempus in hac vita voluisse Apostolum à Christo separari, vt in æternum fratribus benè esset. At sanè charitas non inclinat, vt vel ad tempus Dei amore careamus pro fratribus: imò implicat, propter Deum amari fratres, & Deum non amari vt amentur fratres.

Hoc alij videntes, salua charitate dixerunt Apostolicum votum fuisse, vt ad tempus beatitudine priuaretur. At hoc parum habet verisimilitudinis: neque enim sunt anathema à Christo, qui ad tempus beatitudine priuantur: alioquin & Apostolus ipse propter Philippenses in carne moram trahens, & omnino omnes animæ purgatorij essent anathema à Christo.

Sanè Concilium Laodicense, anathema à Christo longè acerbiùs accepit, quando dixit in quodam Canone, *Quòd si inuenti fuerint Iudaizare, anathema sint à Christo.*

Obiicitur Secundò, sequi ex hac doctrina, debere nos ex charitate magis nosmetipsos diligere, quàm Christum Dominum vt est homo.

Respondeo, Non sequi, nisi fortè Christus consideretur precisè vt proximus noster, ratione communis naturæ. Si enim consideretur vt auctor salutis nostræ, & caussa meritoria nostræ charitatis, magis eum debemus diligere, quàm nosipsos, hoc est, efficientem tamquam nobiliorem caussam, magis quàm materiam aut subiectum charitatis: idque eo magis, quòd effectus hîc perpetuò dependeat ab efficiente; charitas enim in nobis non conseruatur, nisi intuitu meritorum Christi. Sicut ergo Deus (vt articulo secundo dicit D. Thomas) quia caussa est beatitudinis, super omnia diligitur; ita etiam Christus Dominus tamquam communicans in hac caussalitate, etiam vt homo, debet à nobis diligi supra nosipsos.

In reliquis Sanctis hoc verum non est: nullum enim appretiatiuè magis diligimus, quàm nosipsos, quamuis obiectiuè hactenus magis diligamus, verbi gratia, beatam Virginem, quatenus maiora bona ei volumus quàm nobisipsis, quia maiora ei decreta à Deo certò scimus.

Obiicitur Tertiò: Charitas Deus est; ergo quos Deus magis diligit, charitas magis diligit: atqui Deus magis diligit meliores: ergo charitas quæ in nobis est quædam participatio increatæ charitatis, magis participabit de amore melioris, adeoque meliorem, per charitatem quisque magis diliget, quàm seipsum.

Respondeo, Rectè dicere Augustinum Enchiridij cap. 101. non conuenire, vt eadem velit homo quæ Deus. Inclinat ergo charitas, non tam vt eo ordine diligamus quo Deus diligit, quàm quo nos diligere vult: ex eo enim quòd inclinet nos ad Deum diligendum super omnia, prouenit, vt suprà diximus, hoc ipsum, quòd nosipsos nullius creaturæ amore, à charitate Dei separari velimus, adeoq; nos plusquam proximum diligamus.

Secunda assertio. Non inclinat charitas ad committendum peccatum veniale pro spirituali proximi curanda salute, aut auertendo eius peccato mortali. Veniale enim non est ordinatum medium auertendi mortalis, ne quidem proprij: proximus autem diligendus est sicut nosipsi, & charitatis inclinatio ordinata est.

Tertia assertio. Possumus, imò fieri potest, quòd teneamur secundùm inclinationem charitatis, pro salute proximi velle nobis dilationem gloriæ, aut aliquem statum honestum, in quo probabile sit, minùs nos in charitate profecturos. Non tamen ex charitate inclinamur, neque vmquam obligamur ipsum detrimentum in charitate per se appetere pro salute proximi, quamuis licitè illud pati possimus, saltem tunc, quando quod ex vna parte perdere videtur charitas, lucratur ex altera: nam etiam ad nostrum profectum pertinet, curare in necessitate salutem proximi, postposito ingressu religionis, per aliquod vitæ genus honestum.

Probatur; Ita enim affectus fuit Apostolus ad Philippenses 1. *Manere autem in carne, necessarium propter vos.* Et communis sententia Doctorum, etiam propter necessitatem corporalem parentum & necessariorum, saltem ad tempus, permittit differri ingressum Religionis: imò & ingressos egredi ad tempus, in magna necessitate parentum, cum consensu Superiorum, teste D. Thoma. Iuuant hîc quæ ad verba Pauli & Moysis, volentium pro populo suo anathema esse, aut de libro Dei deleri, veterum quidam dixerunt. Chrysostomus enim homil. 16. in epist. ad Romanos, vt suprà monuimus, in eum ferè sensum Apostoli dictum accipit, vt optauerit carere potiùs diuina fruitione, quàm Deus blasphemaretur, & fidelis in promissis esse desineret. Ne ergo Dei gloria per proximorum peccata lædatur, possumus, saltem ad tempus, velle carere diuina fruitione.

Inf. q. 102. a. 4. ad 4.

Quarta assertio. Licet optare vt nosipsi potiùs careamus gratijs gratis datis, quàm proximus careat gratia gratum faciente. Hoc modo Michæas c. 2. optabat potiùs non esse Propheta, quàm periret Iudæorum multitudo per incredulitatem; *Vtinam*, inquit, *non essem vir habens spiritum, & mendacium potiùs loquerer*, hoc est, falsum.

Aliquando tamen, imò magis ordinatè, gratia gratis data, cùm propriè seruiat vtilitati proximorum, ob eumdem finem viris sanctis admodum curæ fuisse legitur: vt Ionæ, qui quiduis agere & pati paratus fuit, ne prophetia sua videretur mendacium; ne videlicet semel in mendacio deprehensus, non posset posteà proximis prophetica gratia consulere.

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm homo magis debeat diligere proximum quàm corpus proprium.*

ASSERTIO PRIMA. Si proximus sit in extrema necessitate spirituali, tenemur ei cum periculo vitæ corporalis succurrere. In hanc assertionem generaliter ita propositam facilè omnes consentiunt. D. Thomas hîc ad tertium, Theologi communiter in tertium, distinctione 27. & 29.

Probatur Primò ex Scripturis: 1. Ioannis 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*. Ioannis 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos*: atqui Christus pro nobis mortuus est. Rursum Matthæi 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: atqui tenemur mori pro salute animæ propriæ; ergo & pro proximi.

Secundò, Sentit nobiscum Augustinus lib. De mendacio cap. 6. *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere*. Item lib. 1. De doctrina Christiana cap. 27. vbi & rationem adfert, *Amplius* (inquit) *aliis homo diligendus est, quàm corpus nostrum: quia propter Deum omnia ista diligenda sunt; & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam viuit, qua fruimur Deo*. Eamdem rationem secutus est D. Thomas.

Quæres, An ergo posset homo pro æterna salute proximi, velle etiam perpetuò carere suo corpore, ita vt non solùm velit occidi, sed numquam resurgere?

Respondeo, Non posse: quia charitas non inclinat nisi secundùm Dei leges, secundùm quas temporalis quidem mors nostri corporis potest esse medium æternæ salutis proximi; mors autem illa perpetua corporis, non est remedium salutis proximi, sed impedimentum propriæ: si enim mortui non resurgũt, tantùm in hac vita in Christo sperantes sumus, & animæ etiam retributio intercideret: gratia enim perficit naturam, & nullũ violentum perpetuum; adeò vt sine corporis resurrectione, nobis perpetuam animæ, quæ naturaliter corpus desiderat, beatitudinem sperare nequeamus, vt videre licet apud Apostolum 1. ad Corinthios 15.

Sed DVBITATIO hîc non parua est, Quando debeat censeri proximus esse in extrema animæ necessitate, vt ei cum vitæ nostræ periculo succurrere teneamur?

Respondeo, & dico Primò: Certum est, non esse proximum, in proposito, tum demum censendum in extrema spirituali necessitate, quando omnino ei est impossibilis salus etiam facienti quod per gratiam potest: quia sic adultus vix vmquam esset in extrema necessitate. Neque enim desertus ab omni homine ita deseritur in hac vita homo à Deo, vt non magis sit in potestate eius vita animę, quàm sit in potestate eius vita corporis in extrema necessitate famis. Quia tamen in medijs quibus Deus proximo in spiritualibus prouidit, etiam tu ipse es, qui eum instruere potes, nunc alioqui sine fide moriturum; quoad te saltem infidelis sic videtur posse esse in sufficienti necessitate, vt si certò eum saluaturus sis, vitam debeas exponere periculo. Idem iudicium de fideli, quem scis esse in eo errore, quòd attritio, etiam sine Sacramento, sufficiat; & nosti quòd solùm attritus sine Sacramento morietur. Item de illo qui etiam sine tali errore sic sciretur moriturus.

Dico Secundò: Certum est, non esse eum à te tractandum quasi esset in extrema necessitate, qui per puram malitiam exponit seipsum certissimo periculo damnationis æternæ, puta quia vadit ad bellum iniustum, aut duellum, aut incurrit in arma tua volens te iniustè opprimere: talem enim potes interficere, aut saltem cum moderamine inculpatæ tutelæ ita lædere, vt possis ipse euadere, etiam si ex tali læsione existimes secuturam inuasoris mortem non tantùm temporalem, sed æternam. Verùm de hac re suo loco.

Dico Tertiò: Vt tenearis vitam pro saluanda proximi anima exponere tamquam extremè tua ope ad hoc indigentis, tria ista moraliter certò tibi constare debent: primò, quòd tunc æternùm pereat, nisi conuertatur aut iuuetur; secundò, non adiutum iri ab alio, qui magis ad illud obligetur; tertiò, propria contritione, aut alia diuinæ gratiæ operatione sine te non conuertendum.

Ex his sequitur, infantem Christianis parentibus natum, moriturum alioquin sine Baptismo, puta quia inter infideles est, aut in ædibus infectis quas omnes fugiunt; teneri vnumquemque Christianum, qui formam Baptismi nouit, cum euidenti propriæ periculo vitæ baptizare, vt docet Nauarrus cap. 24. numero 9. Idem est iudicium de adulto in casibus suprà explicatis quoad quemlibet Christianum, & quoad Sacerdotem in casu necessitatis Sacramenti Pœnitentiæ: qui licet fortè rarior præsumi debeat esse extremæ necessitatis, quando tamen secundùm prædicta præsumeretur, quilibet Sacerdos, etiam Religiosus, deberet ad excipiendam Confessionem talis moribundi accedere, cum certissimo propriæ vitæ periculo.

Quæres, An ergo, si baptizaturo infans elabatur è naui in mare, vt eum eripiat, aut ibi baptizet, debeat se deijcere in mare cum certissimo vitæ periculo?

Respondeo, Moraliter non contingere vt debeat; tum quia fortè in tam subito casu, ipse peccati mortalis sibi conscius, non ita sibi præsens esset, vt per veram contritionem ad mortem se parare possit; tum etiam, quia quo maius esset periculum volentis ita baptizare, eo minor est spes perficiendi Baptismi: probabilis autem apparentia quòd non succedet attentatus à te succursus, aut omnino tollit, aut sanè multùm minuit obligationem succurrendi.

SECVNDA ASSERTIO. Si proximus fuerit in graui necessitate spirituali non extrema, non tenemur succurrere cum periculo vitę proprię; secùs si tota Respublica sit in tali necessitate, aut peculiariter ex officio simus obligati. Prima pars probatur: Quoniam enim nõ est extrema necessitas, sperare potes aliter proximi animam saluandam: atque ita si tuam vitam ei saluandæ non impendas, non censeris æstimare pluris vitam tuam quàm proximi animam. Nota tamen, cum dispendio aliorum bonorum temporalium, oportere succurrere necessitati graui spirituali proximorum: vbi quousque sit progrediendum, prudens iudicabit. Secunda pars probatur: Quia quãdo Respublica est in grani necessitate, facilè contingit, multos priuatos



tos esse in extrema: quare si noueris Rempublicam occultè infici hæresi, oportet etiam cum vitæ periculo obsistas. Tertia est communis doctorum: qui enim ex suscepto munere curam habent animarum, aliter eam habent quàm quilibet alij, de quibus scriptum est Ecclesiastici 17. *Mandauit illis vnicuique de proximo suo*. ex tacito enim & accessorio pacto ad officium peculiare præstandum tenentur in grauiori necessitate cum periculo suæ vitæ; & extra necessitatem grauem in communi sine tali periculo; & extra communem necessitatem non tantùm debent impedire damnationem subditorum, sed etiam eorum promouere salutem vt tempus postulat.

Hinc patet, grauiter eos qui curam habent animarum peccaturos, si subdito, quem credunt esse in statu peccati mortalis, negligant administrare Sacramentum Pœnitentiæ ob metum contagij, eo prætextu quòd non sit in extrema necessitate, & per contritionem probabiliter speretur saluãdus sine Sacramento. Si enim non sit probabile saluandum per contritionem, nisi accedat Sacramentum, quiuis alius sicerdos (vt diximus) teneretur succurrere tamquam extremè indigenti cum vitæ periculo: certum autem est, eum cui ex officio incumbit, citiùs teneri.

Patet secundò, grauiùs illos peccare, qui totum ouile suum in graui necessitate deserunt, propter periculum ex morbo aut persecutione non personali ipsorum Pastorum; concurrit enim etiam tunc ratio secundæ assertionis, rectèque à D. Augustino dictum est Epistola 180. ad Honoratum, *Si ministri desunt, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?*

TERTIA ASSERTIO. In graui necessitate spirituali proximi, licet vnicuique priuato cum propriæ vitæ periculo succurrere; nisi fortè periculum in certitudine ita excedat spem iuuandi, vt imprudenter illud sit subiturus: vbi enim nimiùm deesset spes spiritualis fructus, pertineret ad quãdam istius generis prodigalitatem, vitam exponere euidentissimo periculo: imò esset contra charitatem, quatenus ea se extendit ad dilectionem proprij corporis.

ASSERTIO VLTIMA. Si proximus, etiam priuatus, fuerit in extrema necessitate temporalis vitæ, possumus quidem succurrere, non tamen tenemur cum periculo nostræ vitæ, cessante particulari obligatione ex officio.

Quòd possimus, probatur Ioannis 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam quis ponat pro amicis suis*. Docet etiam Philosophus 9. Ethicor. c. 8. maximæ esse honestatis, mortem oppetere pro amicis; quòd filius patrem potiùs alat aut redimat quàm seipsum. Idem docet Hieronymus in cap. 7. Michææ, vbi probare videtur illorum Pythagoreorum exemplum, quorum alter pro altero obtulit se vadem Dionysio tyranno, quod latiùs prosequitur Lactantius lib. 5. Institutionum cap. 18. Eadem est sententia Augustini, qui lib. 4. Confess. cap. 6. videtur non improbare exemplum Piladis & Orestis, qui narrantur aut finguntur pro inuicem voluisse mori. Idem sentit Auctor libri De amicitia Augustino adscripti cap. 10. Ambrosius lib. 3. Officiorum cap. 12. Vbi commendat illos Pythagoreos. Consentit & D. Thomas in 3. distinct. 29. q. vnica a. 5. ad 3. Franc. Victoria Relect. de homicidio, numero 25.

At contrà obijcies; Sicuti nos ipsos tenemur magis diligere quàm proximos, ita & corpus nostrum quàm corpus proximi; ergo non possumus vitam nostram temporalem ponere pro temporali proximi. Confirmatur ex D. Augustino De mendacio capite sexto: *Si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est diligere sicut seipsum, sed plusquam seipsum: quod sanæ doctrina regulam excedit*.

Respondeo; Qui moritur ne amicus moriatur, non in eo laudatur quòd vitam propriam pro vita proximi ponat, quasi maioris æstimet alienam quàm suam; hoc enim mordinatum est, vt dicit Augustinus, & contra inclinationem recti amoris naturalis, quem non tollit, sed perficit charitas: verùm ideò laudatur, quia pro amico moritur, pluris faciens, sibique magis volens honestatem amicitiæ, quàm vitam corporis, vt dicit D. Thomas suprà, quem sequitur Valentia hîc.

Vt itaque prudenter quis pro amico moriatur; considerandum erit, an moriendo conseruet bonum notabiliter & euidenter maius bono proprię vitæ, cuius dispendium facit, non tantùm in se considerato, sed etiam in adiunctis. Ex quo consequens est, non licere cuipiam se morti obijcere pro amico extra obligationem præcepti, quando amici vita minùs est Reip. necessaria quàm ipsius; quia amicus priuatus est, ipse autem Princeps, aut persona aliàs Reipub. admodum vtilis: item quãdo proles habet, quibus, vt in vita maneat, admodũ expedit: rursum quando non esset satis certus, se esse in gratia; aut sanè si in hac vita diutiùs permanserit, multùm speret in gratia proficere.

Vnde vlteriùs colligitur, rarò accidere, vt Christianus prudenter agat, si pro sola honestate morali humanæ amicitiæ, mortem amici cum sua commutet. Cùm enim spiritualia & supernaturalia bona magis consideranda sint; facilè continget ea præponderare, quæ annexa considerabuntur propriæ vitæ. Facilius autem continget prudenter id fieri, quando mors oppetitur propter bonum charitatis, vel spiritualem salutem proximi, quæ pendet ex eius vita temporali, sine dispendio spirituali proprio: imò id continget subinde esse præcepti, secundùm illud 1. Ioannis 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*.

Alia hîc est obiectio, quam magni facit Franciscus Victoria. Si enim possim meam potiùs quàm amici mortem eligere, & non tenear meam potiùs eligere quàm patris; sequitur, quòd in naufragio possim cum vitæ meæ pernicie cedere tabulam amico, præterito patre; possim eam mihi retinere, relicto patre; & possim quod mihi retineo, cedere amico.

Sed Respondeo, nihil tale secuturum: quamuis enim pater ius non habeat, vt tabulam sibi cedat filius; ius tamen habet, ne se præterito, extraneo cedat; hoc enim in aliis multis locum habet, vt ad quidpiam agendum non tenearis, ordinatè tamen tenearis agere quando agis.

Pro altera assertionis parte, quæ habet, non teneri nos vitæ periculum subire, ne proximus interimatur, nisi fortè ex officio peculiariter simus obligati, facit illud cap. 5. ad Romanos, quo tamquam heroicum, tarum, excellens, & præcepti consuetudine maius commendatur, si quis moriatur

riatur pro iusto & bono: *Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori.* Patet etiam ex dictis: quia ferè semper poterit, si non teneatur, considerare quisque incommoda ex propria morte non minora prouentura, quàm ex morte proximi, quæque magis, aut saltem non minùs, sibi incumbat hîc & nunc auertere.

Neque obest quod dicit Auctor libri de Amicitia suprà citatus, diuinam auctoritatem sanxisse, vt etiam vitam corporis pro amico ponamus: quia in primis Auctor ille non magnæ auctoritatis est. Deinde, longè aliud est, si exactè loquamur, pro fratre aut amico mori, quàm mori pro vita eius temporali: ferè enim intelligitur principalis eius vita, quæ est animæ: homo namque secundùm illud dici intelligitur, quod principaliter in ipso est, vt benè D. Thomas.

Dixi, *nisi fortè ex officio*, &c. propter milites, qui ex iustitia tenentur cum propriæ vitæ periculo vitam innocentium defendere. Vbi rursum benè monet quidam, non esse hoc extendendum ad famulos, quasi similiter ipsi teneantur ex officio vitam pro vita heri exponere.

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm vnus proximus sit magis diligendus quàm alius?*

RESPONDEO cum D. Thoma, Neque quoad effectum, quod omnes concedunt; neque quoad affectum, vbi aliqui immeritò contrarium senserunt, omnes æqualiter esse diligendos: sed eos magis qui principio dilectionis, hoc est Deo, aut diligenti magis fuerint coniuncti.

Confirmatur; Si enim secundùm æstimationem non debeamus affectu vnum proximum magis diligere quàm alterum; fiet vt neque in effectu aut exhibendo opere futurus sit ordo, aut saltem admodum incertus. Vnde enim fit, quòd patrem extraneo in ope exteriùs ferenda præferam, nisi quia interior magis mihi eius cura & amor est? Eadem enim sors quæ me patri coniungit, vt præferendus sit exteriùs, etiam interiùs maiorem ei dilectionem præparat.

Contrà videtur facere Augustinus lib. 1. De doctrina Christiana cap. 28. *Omnes homines æquè diligendi sunt; sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte iunguntur.*

Magister lib. 3. distinct. 29. duas suggerit responsiones. Vna est, Augustinum ad bonum illud respicere, quod proximis optare debemus, eo ipso quo eos diligimus sicut nos ipsos. Charitatem enim omnibus optare debemus vt paria bona mereantur, & cum Apostolo dicere, *Volo omnes homines esse sicut meipsum.* 1.Cor.7. Altera est, pari dilectione, id est eadem dilectione, omnes diligendos esse: quo modo locutus est Augustinus in expositione Epistolæ ad Galatas capite sexto. Tertia addi potest, Augustinum loqui de hominibus, præueniendo considerationem qua nobis peculiariter coniuncti sunt, & ceteris paribus: sicuti quando duo sunt in extrema necessitate, quorum vni tantùm consulere possis; si per sortem dirimas, vtri potiùs succurrendum sit, vtrumque diceris æquè diligere præueniendo sortem, etiam si post sortem illum præferas, cui non tam tu quàm sors magis fauerit. Itaque vult Augustinus, tamquam sortem quamdam posse separari considerationem peculiaris coniunctionis, quæ nobis est cum proximo vno potiùs quàm alio: adeò vt aliquid prius sit, ratione cuius omnes omnino æquè sint diligendi, & non tam per accidens debeat videri quòd alij præter coniunctos diligantur, quàm quòd coniuncti magis quàm alij diligantur. Significauerit ergo Augustinus, primariò quidem & ex parte obiecti charitatem inclinare ad amandum omnes æqualiter, prouenire autem ex parte subiecti, esseque quasi accessorium, quod inclinet ad magis amandum coniunctum quàm externum.

## ARTICVLVS VII.

### *Vtrùm magis debeamus diligere meliores quàm nobis coniunctiores?*

DICTVM est superiori articulo, eos magis esse diligendos, qui Deo aut nobis fuerint coniunctiores. Hîc quæritur, An debeat præferri coniunctio quæ est cum diligente, an ea quæ est cum Deo, vt etiam ordo constet inter coniunctum Deo, & coniunctum nobis, vter magis sit diligendus, An qui nobis coniunctior, an qui melior, adeoque Deo coniunctior?

Respondeo, In hac vita charitatem nos inclinare ad magis (secundùm intensionem) diligendum nobis coniunctiores: secundùm obiectiuam autem quantitatem maior debet esse charitas in meliores, hoc sensu, quòd maiorem gradum beatitudinis eis debeamus velle, quàm nobis coniunctiori, sed minùs sancto. Quod tamen rursum in sensu formali accipiendum est: alioqui possumus nobis coniunctiori optare, vt etiam Deo sit coniunctior: hoc enim secundùm vitæ huius conditionem possibile est, vbi *iustorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem*: Prouerb. 5. Atque ita mediatè possumus ei maiorem beatitudinis gradum optare, quàm illi qui nunc sanctior est; tunc autem, si nostrum votum expleretur, sanctior non esset.

Secundùm appretiationem hactenus etiam nobis propinquiores possumus magis diligere; quia possumus malle quòd ipsi non peccêt aut pereant, quàm quòd meliores eis non peccent aut pereant: possumus enim malle, quòd propinquiores nobis in gratia confirmentur, quando neutri confirmati sunt: vnde etiam subuentionis & curæ spiritualis ordo pullulat in opere. *Si quis* enim *suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit*: 1. Timoth. 5. Denique eos qui nobis honesta amicitia coniuncti sunt diligimus pluribus modis, etiam ex charitate: quamuis enim charitas non eliciat actum honesti illius amoris ordinis naturalis; ad eum tamen imperandum prompta est, vtpote qui subseruiat fini charitatis, quomodo crescit imperium ducis, vbi milites plures accesserint.

Notandum est hîc, Durandum in 3. dist. 29. quæst. 1. docere, quòd charitas desideret omnibus hominibus æqualem beatitudinem, eò quòd, spectatis naturalibus, omnes sint æquè capaces beatitudinis, cùm sint eiusdem speciei & naturæ; non desiderare autem proximo illud bonum cuius est capax,



capax, pertineat ad quamdam æmulationem de
1.Cor.13. qua scriptum sit, *Charitas non æmulatur.*

Verùm hæc Durandi doctrina in eo exorbitat, quòd præ se ferat, charitatem dirigi illa naturali cognitione, qua omnes homines consideramus vt eiusdem capacitatis naturalis, & non potiùs cognitione fidei, qua scimus in domo Patris esse mansiones multas, & Spiritum distribuere vnicuique sicut vult, secundùm mensuram donationis Christi. Desiderat itaque charitas omnes perduci ad illam gratiæ perfectionem, ad quam Dei ordinatione perduci possunt. Quæ ordinatio cùm nos in particulari lateat, desideramus eam esse liberaliorem erga nobis coniunctiores. Neque hoc ad æmulationem vllam pertinet: non enim cuiquam inuidemus rem debitam, sed omnibus optamus gratuitam; vni tamen magis quàm alteri.

Neque etiam hæc vtrorum nostrorum æqualitas diuinæ voluntati præiudicat: neque enim volumus maiorem gloriam vni quàm alteri, vbi scimus Deum velle æqualem; sed desideramus nobis coniuncto maiorem Deum velle, quamdiu magis de his rebus nobis constat, quid nos velle velit Deus, quàm quid ipse velit: nam istud vbi constiterit, maiora volemus eidem cui Deus, adeoque meliori, non autem nobis coniunctiori; quamquam tunc etiam nobis erit quodammodò coniunctior idem qui Deo, quia erit Deus omnia in omnibus.

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm sit magis diligendus ille qui nobis magis est coniunctus secundùm carnalem originem?*

HOC articulo ipsi nobis coniuncti inter se conferuntur, & quæritur, An in dilectione rectè primas obtineant, qui nobis sanguine fuerint coniuncti? Neque enim vna tantùm nobiscum coniunctio est, sed quadruplex ferè statuenda. Vna spiritualis, quando communicamus inuicem spiritualia bona: quo modo catechumenus catechistæ, illuminatus patrino coniunctus est, pœnitens confessario, &c. Secunda est secundùm carnis originem, qualis est cuique cum parentibus, fratribus, & cognatis. Tertia secundùm societatem politicam, qualis est ciuium vel commilitonum inter se, aut cum duce suo ac Principe. Quarta est coniugum, in qua ferè reperitur aliquid trium dictarum: est enim spiritualis propter Sacramentum; carnalis, quia sunt duo in carne vna; politica, quia voluntaria & ex electione, &c.

Hoc articulo quæritur, An secunda illa coniunctio sit præferenda reliquis? Quia tamen peculiarem habet difficultatem collatio parentis cum coniuge, seorsim illa tractatur articulo vndecimo.

Pro huius autem articuli explicatione obseruandum Primò, posse ipsum intelligi de maiori dilectione obiectiuè vel appretiatiuè; & posse comparationes istas sic variari, vt quæratur, Secundùm quæ bona quisque sit præferendus?

Secundò notandum ex Philosophi & D. Thomæ doctrina, quemque præferendum esse secundùm illud bonum, in quo fundata est societas quam cum ipso habes: quapropter ad nuptias volunt potiùs cognatos esse vocandos, quàm alia necessitudine accessoria deuinctos, eò quòd ad cognationis propaginem illæ pertineant.

Notandum tamen Tertiò, quia charitatis amicitia fundatur proximè & per se in communione beatitudinis, ipsam beatitudinem, & quæcumque ad eam necessaria sunt, illis simpliciter secundùm inclinationem charitatis magis optanda esse, qui nobis sunt coniunctiores, ceteris paribus: illud enim bonum generale est, omne complectens bonum. Quocirca quando agitur, quis in eius desiderio sit præferendus; considerandum erit, quis simpliciter coniunctior sit.

Notandum Quartò, quando hîc dicimus, hunc aut illum ex charitate magis esse diligendum, non continuò velle, si quis secùs fecerit, crimen fore letale: imò existimat Banesius, numquam mortale fore desiderare magis vel minùs vni homini beatitudinem quàm alteri, dummodò non deficias in exercitio debito secundùm aliarum virtutum præcepta, orationis, eleemosynæ & beneficentiæ, in quibus charitas ordinem constituit.

Notandum Quintò, etiam in ipsa inclinatione charitatis distinguenda esse tempora: fieri enim potest, vt tempore quo non vrget necessitas, charitas magis te inclinet ad promouendum bonum spirituale filij spiritualis, quàm parentis secundùm carnem, quæ tamen in necessitate magis inclinaret ad subueniendum parenti carnali; extra necessitatem enim charitas ad ibi agendum inclinat, vbi maior erit profectus: in necessitate autem restringitur ad ordinem æstimationis siue appretiationis qui hîc fauet parenti, quia beatitudo est generale bonum, & coniunctio cum parente maior, antiquior, firmior, quàm cum filio spirituali.

His prænotatis, duo tractanda sunt dubia. Vnum est, An aliquando quoad temporalia subsidia, possit amicus præferri parenti, quando vterque esset in extrema necessitate?

Videbitur posse. Fieri enim potest, vt pessimè pater, & optimè de te meritus sit extraneus: fortè enim in te educando curam nullam posuit, qui ingignendo nihil minùs quàm tibi consuluerit: amicus autem cum euidenti vitæ suæ periculo tuam conseruauerit magno labore & impensa. Deinde plus illi debeo in minoribus bonis, qui in maioribus profuit, secundùm Apostolum ad Galat. 6. *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.* & 1. ad Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Faciamus itaque, me in Christo regeneratum & conuersum ab aliquo sacerdote, à patre autem ethnico aut hæretico omnem adhibitam operâ vt me peruerteret; videbor magis debere in necessitate seruare vitam sacerdoti, quàm tali parenti; præsertim cùm salutem nostram impedientes iubeamur in Euangelio parentes odisse.

In contrarium tamen facit Apostolus 1. ad Timoth. 5. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* *Suorum*, id est, eorum qui ad propriam suam familiam pertinent, siue fuerint parentes, siue filij, siue cognati: hos enim prætextu fidei deserere, est negare fidem, quæ docet non esse deserendos: quare etiam reprehenduntur Scribæ & Pharisæi Matth. 15. & Marci 7. quòd religionis causa docerent, deserendos esse parentes. Huc etiam facit, peculiariter in Decalogo demandari honorem de-

ferendum parentibus, quem vel maximè in neceſſariarum rerum ſubminiſtratione omnes intelligunt.

Suffragatur & ratio. Nullus enim proximus ita realiter, perfectè, & ab initio auctor eſt vitæ noſtræ, ſicut ipſi parentes: itaque cùm omne temporale ſubſidium pro fine habeat vitam noſtram, quidquid præſtiterimus parentibus ſubſidiorum temporalium, numquam compenſabimus quod in illo genere, quaſi eminentius ab illis recepimus.

Dicendum igitur, omnino parentes in temporalibus illis ſubſidiis præferendos eſſe quibuſcumque aliis benefactoribus ſpiritualibus: quod etiam ad conſanguineos extendendum, ſalua proportione, & ceteris paribus. Quod ita reſtrinxerim, quia faciliùs poteſt contingere, vt ita mihi quiſpiam ſit in ſpiritualibus aut temporalibus benefactor, quòd teneat illum præferre cognatis in tertio aut etiam ſecundo gradu, vt cum Baneſio Lælius & alij quidam in ſpecie obſeruarunt.

Ad Primum argumentum reſpondeo, Ne quidem tali caſu me teneri parenti præponere benefactorem. Quamuis ita vtrimque res exaggerari fortè poſſit, hinc à parente accepta iniuria, inde ab amico beneficium, vt liceret hunc illi præferre: alioqui ſemper meminiſſe oportebit, vt monet Eccleſiaſticus cap. 7. *Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes.* Sicuti enim corpus quod ſorte quadam nobis contigit, peculiari ratione diligimus: ita & parentes, ex quibus nobis corpus Deus dedit, imò per quos & animam dedit; eoq; magis quàm corpus noſtrum, quò beatitudinis ipſi capaciores ſunt.

Ad Secundum reſpondeo; Quod à ſpirituali benefactore accipimus, maius eſt quàm quod à parente: ſed non æquè accipimus à puro homine regenerationis nouæ excellentiam, ſicut à parentibus generationis ſubſtantiam; hoc enim auctori ſalutis noſtræ ſoli Chriſto & Deo proprium eſt: itaque cetera non ſunt paria. Quamobrem etiam ſi conuertiſſes patrem ab hæreſi, nondum ei reddidiſſes æquale; quod numquam reddi parentibus, rectè dixerunt Philoſophi. Neque ergo abſolutè parenti æquiparandus eſt ille, per quem tu fortè ab hæreſi conuerſus es. Aliud forſan dicendum eſſet de eo, qui per impoſſibile poneretur aliquem iam damnatorum ex inferno liberaſſe.

Alterum dubium hîc eſt, An in ſpirituali neceſſitate, quoad ſpiritualia ſubſidia, poſſis aliquando extraneum, cum quo ſpiritualis tibi conjunctio, præferre parenti proprio?

Reſpondeo, Certum in primis eſſe extra neceſſitatem poſſe te, imò, & debere ſubinde magis curare ſpirituale bonum externorum, quorum eiuſmodi curam ſuſceperis, quàm parentum. Et hoc videntur velle D. Ambroſius li. 1. Officiorum cap. 7. & D. Thomas hîc ad ſecundum.

Certum videtur Secundò, Si Paſtor totam Parochiam ſuam deberet deſerere in neceſſitate ſpirituali vt ſuccurrat parenti; potiùs debere integræ communitati conſulere: bonum enim commune diuinius eſt, & facilè hîc præponderat.

Tertiò tamen dicendum, priuato cuilibet in neceſſitate ſpirituali, etiamſi ipſi ex officio fueris obligatus, præferendum eſſe parentem, vtpote ad quem obligatio antiquior ſit & maior. Neque refert illi extraneo priuato ex officio te obligari: nam (vt ſuprà diximus) bonum diuinæ beatitudinis ita generale eſt, vt non debeat cenſeri ſpeciale certæ alicuius coniunctionis, ſed commune ſpectandum in omni coniunctione, quatenus in ea verſantur officia charitatis: charitas enim propriè bonum iſtud beatitudinis ſpectat, eſtque in neceſſitate ſimpliciter illud magis curandum in eo, cuius nobiſcum coniunctio ſimpliciter maior eſt.

Quartò dico, Non videri peccatum mortale, ſi hîc ordo mutetur poſtpoſito parente, quando ſpiritualiter coniunctus te fortè in fide & moribus probè erudierit, quod parens neglexerat.

## ARTICVLVS IX.

### *Vtrùm ex Charitate homo debeat magis diligere filium quàm patrem?*

RESPONSIO tribus aſſertionibus comprehenditur.

PRIMA, Obiectiuè magis diligendus eſt pater quàm filius.

SECVNDA, Tamquam quid nobis coniunctius, magis diligendus eſt filius quàm pater.

TERTIA, Simpliciter tamen appretiatiuè magis diligendus eſt pater.

Prima probatur; Quia amor quo patrem diligimus, magis accedit ad amorem quo diligimus Deum; vtrumque enim diligimus vt principium noſtrum: vnde & Deum appellamus Patrem. Fauet D. Hieronymus in caput 44. Ezechielis, *Poſt omnium Patrem Deum, carnis quoque pater diligatur, & mater, filius & filia.* Glóſſa ordinaria in caput 2. Canticorum, *Deus diligendus eſt, ſecundò parentes, inde filij.*

Secunda Propoſitio probatur; Quia filius eſt magis aliquid patris, quàm pater filij. Quod enim proficiſcitur ab aliquo, magis propriè eius eſt, quàm contrà ipſe ſit illius; ſicuti dens magis eſt hominis, quàm homo ſit dentis. Cùm ergo vnumquodque magis illud diligat, quod magis ſuum eſt; magis afficietur pater filio, quàm filius patri. Quod etiam experientia conſtare, vel ipſe Philoſophus teſtatur lib. 8. Ethicorum. Sanè bruta animantia pro ſuis prolibus ad necem ſtant, non pro parentibus.

Tertia Propoſitio probatur; Quia obligatio erga parentes antiquior eſt, ideoq; prius exoluenda. Vnde ceteris paribus, ſi pater periclietur de vita ſimul cum filio, potiùs erit ſuccurrendum patri. Quod de patre dico, etiam ad matrem extendendum eſt. Minùs tamen peccaret, qui filium matri, quàm qui patri præferret; quamuis neuter mortaliter, vt communiter Theologi: non enim videtur tanta diſtantia inter patrem & filium, quantam hîc requireret peccatum mortale. Debet tamen quis extra neceſſitatem magis curare res filiorum, & prouidere domui ſuæ, quàm parentum; cùm enim cura illa experientiam requirat, quam potiùs patet habet quàm filius, etiamſi plus patri debeatur, quàm filius, tamen ſecum filij maiorem neceſſitatem, ob quam cetera hîc non ſunt paria. Hinc Apoſtolus poſterioris ad Cor. 12. *Filij non debent parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs.* Rurſus, cùm antiquo dierum omnium prouiſori, vicinior ſit pater, eique tamquam principio, quod dedit filio eſſe, committatur aptiùs à Deo conſeruatio eiuſdem, & viatico ipſe



ipſe indigeat iam minori, vtpote cui eò reſtet minus viæ, quo diutiùs peregrinatus eſt; æquius eſt ipſum theſaurizare filio, quàm filium patri.

Quæres, An non ſolùm ex ordine charitatis, ſed etiam ex ordine naturalis amoris parens præferatur filio?

Reſpondeo, Quamuis quidam Scholaſtici, vt Bonauentura & Gabriel, exiſtimét id fieri tantùm ordine charitatis, non autem amoris naturalis; vtroque fieri dicendùm eſt: nam, vt diximus ſuprà, inclinationes iſtæ non pugnant, ſed ſupernaturalis gratia perficit naturam.

## ARTICVLVS X.

### *Vtrùm homo debeat magis diligere patrem quàm matrem?*

PATREM matri anteferendum eſſe, certum eſt: quòd dignius ſit principium, cui maior cura prolis incumbat, ſiue tempus ſpectes, ſiue curæ qualitatem: pauculis enim annis enutritam à matre, alendi & inſtituendi deinceps tota cura, aut ſanè præcipua, patris eſt. Hæc tamen accipienda ceteris paribus: cùm enim non adeò magnum ſit diſcrimen inter amorem patri & matri debitum; facilè contingit aliquid accedere matri & deeſſe patri, ratione cuius ipſa magis diligatur: vt ſi pater filium neglexerit, quem mater diligenter educauerit.

## ARTICVLVS XI.

### *Vtrùm homo debeat plus diligere vxorem quàm patrem aut matrem?*

RESPONDEO; Si ſpectetur ratio diligendi, parentes eſſe magis diligendos; diliguntur enim ſub ratione principij & eminentioris cuiuſdam boni: ſi autem ſpectetur dilectionis gradus ex parte coniunctionis ad diligentem, magis diligitur vxor, quæ eſt vna caro cum diligente. Atque ita verum erit quod in apocryphis Eſdræ lib. 3. cap. 4. dicitur: *Diligit homo vxorem magis quàm patrem aut matrem.* Et quod Geneſis 2. & Matth. 19. per Adamum Dominus dicit, *Propter quod dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.*

Dices, Et pater & filius, imò & alij conſanguinei ſunt vna caro: dicit enim Laban ad Iacob,

Geneſ. 29. *Os meum es, & caro mea.*

Reſpondeo; Origine ſunt vna caro pater & filius, ſed non ita propriè: ſemen enim non propriè, ſed virtute caro eſt. Vxor autem propter commixtionem coniugalem cum viro fit vna caro, non ſolùm ipſo facto, ſed ſimul iure & poteſtate & diuina inſtitutione, vt iam vxorem tamquam corpus ſuum vir diligere debeat, eiq́ue adhærere & prouidere, relicto patre & matre.

Nota, Sicut ſuprà de liberis dictum eſt, extra neceſſitatem vxorem potiùs alendam quàm parentes, hos tamen in extrema neceſſitate præferendos: æſtimatiuè enim parentes ſecundùm Deum maximè ſunt diligendi. Quod confirmari poteſt ex ordine qui eſt in futura vita: tunc enim parentes, quorum nomen ſemper manet, magis retinent nomen ſuum, quàm quę hîc fuerunt vxores. Fieri enim poteſt, vt vna ſucceſſiuè plurium fuerit vxor, atque ita iniquum ſit, eo loco haberi à ſingulis, quo habetur quæ vna eſt vxor. Nomen ergo ibi mutat vxor, vt iam non vxor, ſed ſoror ſit, vt benè obſeruat Cyrillus lib. 6. Stromatum. Quo non obſeruato, ne plures viri haberent eamdem vxorem, Sadducæi oppugnabant reſurrectionem, & Tertullianus ſecundas nuptias. Ad hæc aliam habere vxorem potes, ſi hæc intereat; alios autem parentes habere non potes: parentum ergo arbitrio vxorem habes, non exitio. Eſt tamen vxor præferenda liberis, vt rectè Caietanus & Baneſius articulo ſequenti. Concauſſa enim eſt dignior effectu. Neque refert, vxorem aſſumi filiorum cauſſa; nam etiam arborem diligimus propter fructum, ipſam tamen magis quàm hunc aut illum fructum, eò quòd ſit principium, & virtute multa. Rectè D. Thomas dicit, vxorem in eodem gradu ponendam cum filiis; ſed quia ipſa virtute omnes eſt, meritò dici præferendam.

## ARTICVLVS XII.

### *Vtrùm homo magis debeat diligere benefactorem quàm beneficiatum?*

RESPONDEO; Si excellentia boni, ratione cuius diligitur, ſpectetur, magis diligitur benefactor; ſecùs ſi ſpectetur conjunctio: benefactor enim eum cui benefecit, tamquam opus quoddam ſuum diligit. Vide D. Thomam, & Philoſophum.

## ARTICVLVS XIII.

### *Vtrùm ordo Charitatis maneat in patria?*

RESPONDEO; Ordo quoad Deum & humanitatem Chriſti ſimpliciter manet. Quoad ipſum diligentem manet hactenus, quòd etiam in patria ſe appretiatiuè magis diligat, quàm proximum meliorem, hoc eſt, malit potiùs proximum meliorem à beatitudine excidere, quàm ſeipſum. Hactenus tamen non manet, quia maiorem gradum gloriæ vult meliori quàm ſibi: eſt enim ſuo gradu contentus, & nouit ſe non amplius poſſe proficere. Quoad proximos verò, neque obiectiuè neque intenſiuè ſeruat eumdem ordinem beatus, quem viator; nam coniuncti minùs boni neutro modo ibi magis diliguntur quàm meliores non coniuncti. Hactenus tamen idem ordo manet, quòd coniunctiores nobis pluribus modis ſimus dilecturi; neque enim beatitudo excludet honeſtas dilectionis cauſſas, ſed coniunctioni quæ nobiſcum eſt, præponderat coniunctio quæ cum Deo eſt, quæ ibi certa eſt & inuariabilis; quamuis hîc (vbi certa & immutabilis eſt coniunctio cognationis ſecundùm carnem, non autem illa, quam iuſti habent cum Deo) coniunctus nobis poſſit magis diligi, quàm poſtulet ordo dilectionis deſumptus ex coniunctione quam ipſe habet cum Deo, præſertim cùm hoc ipſum de noſtris maximè nobis incumbat, vt curemus, Deo eos eſſe coniunctiores.

Dubitarunt quidam, An quando hîc D. Thomas dicit, quòd beatus plus aut intenſiùs diliget ſeipſum quàm proximum quemcumque, etiam Deo coniunctiorem, extendendum ſit ad dilectionem maiorem ſecundùm æſtimationem:

Gabriel

Gabriel enim in 3. dist. 29. existimat, simpliciter loquendo ex mente D. Thomæ, beatum plus diligere meliorem quàm se ipsum. Sed contrarium voluisse S. Thomam, patet ex responsione ad 1. vt meritò illud eò extenderimus, quo etiam significatum sit, beatum seipsum appretiatiuè magis diligere, quàm quemuis proximum. Neque refert, quòd Deus ibi sit tota ratio diligendi: ita enim est tota, vt propter illam rationem sibi beatus magis velit hunc ipsum quo Deum diligit amorem, quàm cuiuis alteri: hoc enim postulat natura amoris Dei super omnia, vt maximè ordinet ipsum amantem in Deum, vt ostendimus suprà, quando agebamus de charitate hominis in seipsum.

# QVÆSTIO VIGESIMASEPTIMA.

## De principali actu Charitatis.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm Charitati sit magis proprium amari quàm amare?*

RESPONDEO, Magis proprium esse amare, quàm amari, aut quàm reddere amore dignum. Amabile enim est omne bonum, secundùm communem rationem boni: sed inclinare ad actum dilectionis, proprium est charitatis, vt quæ sit habitus quidam in hoc genere operatiuus. Amicitia etiam secundùm Philosophum magis sita est in eo quod est amare, quàm in eo quod est amari; charitas autem est amicitia.

### ARTICVLVS II.

*Vtrùm amare, secundùm quod est actus charitatis, sit idem quod beneuolentia?*

RESPONDEO, Beneuolentiam non tam esse ipsum amorem, quàm principium quoddam amoris: addit enim amor ad beneuolentiam vnionem affectus, vt existimemus eum ad nos pertinere, cui benè volumus, ideoque in ipsum moueamur. Benè autem velle alicui possumus, præueniendo considerationem quòd ad nos pertineat; verbi gratia, propter ordinem iustitiæ quem videmus hoc postulare: sicuti bono histrioni benè volumus, quæ beneuolentia non est propriè amor; benè volumus enim ei, non tam vt ei benè sit, quàm vt nobis, qui naturaliter offendimur ipsa inæqualitate conspecta, verbi gratia, ianua aut columna parum accommodata reliqui ædificij proportioni, vt docet S. Augustinus lib. 2. De ordine cap. 11. ad similem enim modum naturaliter offendimur, quando eum videmus minus referre qui plus meretur, etsi non consideretur ad nos pertinere.

### ARTICVLVS III.

*Vtrùm Deus sit propter seipsum ex Charitate diligendus?*

RESPONDEO; Non potest diligi propter aliud tamquam propter finem, quomodo medicinam diligimus propter sanitatem: hoc enim esset vti re fruenda, & peruertere ordinem finium. Est enim Deus vltimus finis; & quando ad alium finem Deus refertur, aliud Deo melius æstimatur. Neque etiam diligitur Deus propter aliud tamquam formam, sicuti diligimus hominem propter virtutem; est enim ipse omnis sua perfectio, & substantia eius est ipsius bonitas. Neque diligitur propter aliud tamquam causam efficientem, quomodo filium diligimus propter patrem: efficientem enim Deus non habet, sed omnium ipse effector est. Potest tamen Deus rectè diligi propter aliud, tamquam dispositionem ad ipsum Deum propter se diligendum, sicut diligimus benefactorem nostrum, ad eius amorem per accepta beneficia dispositi; quamuis in eo non solùm beneficentiam, sed etiam alias virtutes diligamus. Idem est iudicium de speratis per Deum obtinendis bonis, aut auertendis malis.

Hinc colligitur, quomodo liceat aut non liceat Deum diligere aut non diligere propter retributionem æternam aut temporalem. Si enim significetur causa finalis, non licet; secùs si significetur causa inductiua recti finis; cuius indicium erit, si ita animo affecti sumus quando iam Deum diligimus, vt etiam eum diligere velimus, gustata eius bonitate, licet tale non esset aut speraretur beneficium: imò ipsum actum dilectionis Dei licet tamquam finem referre in ipsam beatitudinem, tamquam meritorium eius & ordinatum medium. Neque enim per hoc excludimus, quo minùs etiam nostra formalis ipsa beatitudo ordinetur in Deum tamquam vltimum finem, sed solùm exercemus actum amoris Dei super omnia, vt per eum mereamur Deum, qui est super omnia, videre, & tamquam summum bonum & vltimum finem nostrum glorificare.

Quæres, An nullus sit licitus amor Dei, qui sit propter beneficia temporalia, non tamquam dispositionem, sed tamquam verum motiuum amoris: sicuti quando hominem ideò præcisè diligimus, quia nobis similia beneficia præstet?

Respondeo, Talem dilectionem non fore ex charitate: neque tamen erit vitiosa cupiditas, sed bonus quidam naturalis inchoatus erga Deum affectus, modò potiorem rationem diligendi neque excludat neque postponat. Eiusmodi modum maximè insipientibus & pueris proponendum, alibi consulit Ioannes Gerson, vt Deum considerent tamquam patrem absentem, qui eis mittat quidquid habet in delicijs, & sic amare incipiant.

ARTI-



### ARTICVLVS IV.

*Vtrùm Deus in hac vita possit immediatè amari?*

RESPONDEO cum D. Thoma, Appetitum tendere in res ipsas prout in se sunt; intellectum autem perfici eo ipso quo cognitum est in cognoscente: indeque fieri, vt etiam in hac vita Deum immediatè & in essentia sua diligamus per charitatem, quamuis eius essentiam non cognoscamus nisi in effectibus, notis per sensum, à quo hîc est omnis nostra cognitio. Est quidem verum, quòd fides eo ipso quo est virtus Theologica, immediatè etiam attingat Deum: sed notandum, Deum posse immediatè hîc attingi à nobis duobus modis: Vno propriè, nimirum per essentiam suam; & sic dicimus charitatem attingere immediatè Deum, non autem fidem: non enim immediatè veritas diuinæ essentiæ per fidem in se cognoscitur, sicut ipsa essentialis Dei bonitas per charitatem immediatè amatur: cognitio enim fit recipiendo; quod autem recipitur, pro modulo recipientis recipitur: dilectio autem fit egrediendo, tenditque amor in rem vt ipsa in se est, nullis medijs interceptus. Vnde illud, *Anima potiùs est vbi amat, quàm vbi animat.* Item illud
Matth.6. Euangelij, *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*
Lib. 13. Rursum illud Augustini, *Pondus meum amor meus,*
Conf.c. 9. *eo feror quocumque feror.* Vnde etiam fit, vt rerum se viliorum cognitione, homo non fiat vilior, amore autem fiat: res enim cognita fit quodammodò spiritalior, quando in spiritualem hominis intellectum recipitur: si autem terrena homo diligat, fit terrenus; si abominanda, fit abominabilis:
Oseæ 9. *Facti enim sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Deum ergo hîc per speculum in ænigmate cognoscimus, sed immediatè diligimus: cognoscimus eum propter creaturas, quas tamen non diligimus, nisi propter illum; vt oppositus sit ordo cognitionis & dilectionis. Alter modus quo immediatè potest dici attingi Deus, est, quando attributum Dei, virtualiter ab essentia distinctum, immediatè attingitur; quod alibi diximus sufficere ad virtutem Theologicam. Sic fides veracitate Dei immediatè nititur, quamuis Dei essentiam sine velo non cognoscat. Nunc ergo Deum sicuti est diligimus, sicut in patria, non tamen eum videmus sicuti est: quamuis enim ignoti nullus sit amor, & perfectior soleat esse amor perfectioris boni præsentis quàm absentis; in se tamen diligimus, quod in se habere bonitatem quam diligimus non nisi per aliud, siue arguendo siue credendo cognoscimus: cuius argumentum est desiderium, quod oritur ex re per aliud cognita. Si enim Regis videas imaginem, ipsum præsentem videre desideras; quod non fieret, si solùm in imagine diligeres, sicut in sola imagine cognoscis.

### ARTICVLVS V.

*Vtrùm Deus possit totaliter amari?*

TOTVM & perfectum vocamus, cui nihil deest. Potest ergo totalitas hîc considerari tribus modis; totidem enim aliquid in dilectione deest. Vel enim ex parte obiecti aliquid deest, puta quando res solùm ex parte diligitur, non tota; sed aliquid eius: hoc modo totaliter debet diligi Deus; omnia enim Dei diligi debent, sempiterna eius virtus, diuinitas, &c. Vel deest aliquid ex parte subiecti diligentis; puta quia non diligit ex totis viribus suis, neque omnia sua refert & ordinat ad rei dilectæ amorem: hoc modo Deum esse diligendum Scriptura monet, quando iubet diligere ex toto corde, &c. Vel deest aliquid in amoris & rei amatæ adæquatione; quo modo dicitur non perfectè diligi, quod non diligitur quantum est diligibile: hoc modo nulla creatura totaliter Deum diligere potest; numquam enim sic diligitur, glorificatur, benedicitur aut exaltatur, quin superualeat adhuc maior omni laude & incomprehensus, vt dicit Ecclesiasticus cap. 43.

### ARTICVLVS VI.

*Vtrùm diuinæ dilectionis sit aliquis modus habendus?*

RESPONDET S. Thomas, In dilectione Dei non posse accipi modum sicut in re mensurata, vt sit in ea plus & minus; eò quòd ipsa sit appetitus finis, qui est mensura reliquorum, non res mensurata: esse tamen in dilectione Dei modum, sicut modus reperitur in ipsa mensura, in qua non potest esse excessus: nihil enim potest nimis perfectè assequi finem suum aut mensuram; sed quo perfectiùs attingit regulam suam, eo melius est.

Nota, in charitate Dei non esse seruandum modum quoad æstimationem, aut obiectiuam quantitatem, aut etiam intensionem: est enim Deus simpliciter omnibus anteferendus, infinitum ei bonum volendum, & semper in amoris diuini, quantum fieri potest, intensione proficiendum. In exterioribus tamen actionibus seruandus est modus, sicut in re mensurata. Sunt enim media quibus proficiamus in ea animæ ad Deum coniunctione, de qua scriptum est, *Mihi adhærere Deo bonum est.* Est etiam seruandus modus in hac vita in continuatione internæ dilectionis: sed hoc est per accidens; quia infirmitas nostra modum quem non inuenit ex lege, ponit ex necessitate quæ legem non habet. Vnde in beatis etiam ex hac parte in dilectione Dei modus non est. Hoc voluit S. Thomas 1.2. q.64.a.4. quando docet, per accidens ex parte nostra in virtute Theologica considerari medium, defectum, & excessum.

Vbi iterùm obseruandum est, & sequitur ex dictis, actum dilectionis Dei elicitum ex charitate, non fieri in se vitiosum, etiamsi conatus corporalis, qui præuius reperitur, vitiosus fuerit, quando fortè vltra mediocritatem quam patitur humana infirmitas, producitur dilectio Dei.

### ARTICVLVS VII.

*Vtrùm sit magis meritorium, diligere inimicum quàm amicum?*

RESPONDET S. Thomas distinguendo. Si consideretur bonitas amoris ex coniunctione dilecti ad diligentem; melior adeoque magis meritorius erit amor amici: si verò spectę-

spectetur ex ratione propter quam diligimus; melior & maioris meriti erit dilectio inimici duobus modis. Vno, quia amicus potest ob aliam rationem diligi, inimicus autem puriùs diligitur propter Deum. Altero; quia etiamsi vterque propter Deum diligatur; ostenditur fortior esse dilectio eius, qui etiam non obstante inimicitia, propter Deum diligit inimicum. Vna tamen consideratione, etiam hac ex parte, hactenus poterit melior dici dilectio amici, quòd propter Deum viciniores Deo feruentiùs diligamus: sicuti, etiamsi indicium sit fortioris ignis, quòd ad remotiora suum diffundat calorem; viciniora tamen magis calefacit.

Hinc colligitur absoluta responsio. Cùm enim ex ratione diligendi æstimandum sit maximè amoris meritum magis meritorium, vti & meliorem fore amorem inimici, si comparetur cum amore amici eiusdem intensionis: item è contrà, odium amici peius esse odio inimici. Confirmatur: Quòd amor proximi sit meritorius, non inde habet quòd sit amici (nam etiam ethnici & publicani amicos diligunt) sed quòd sit proximi propter Deum. Signum autem est, proximum perfectiùs amari propter Deum, quando non obstante inimicitia diligitur. E contrario, signum est parui fieri Deum in dilectione proximi, quando nequidem accedente illecebra amicitiæ, is propter Deum diligitur, quem præcipit diligi Deus, vt potiùs pro amico velis Deum habere inimicum, quàm pro inimico non tractes amicum proximum.

Pro responsione ista non parum facit, quòd ipse Deus Matth. 5. multùm eleuet dilectionem amicorum præ dilectione inimicorum: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* quasi dicat, Si solùm propter amicitiam humanam diligitis, non propter Deum; nulla merces expectanda: solùm enim rependitis quod vicissim accipitis. Imò, vos ipsos tantùm diligitis, non aliud in alijs diligentes, quàm vestri amorem. Facit etiam Apostolus, pro priori quidem parte ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Pro posteriori autem prioris ad Timoth. 5. *Siquis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit,* &c.

Verùm posterior pars certior est, quàm vt indigeat vlteriùs probari: prior itaque etiam ex Patribus nobis est confirmanda. Non obscurè enim tenent Augustinus cap. 73. Enchiridij, Chrysostomus homil. de charitate tom. 5. Gregorius lib. 9. Moralium cap. 12. & 13. & homil. 27. in Euangelia: *Vna quippe & summa est probatio charitatis, si & ipse diligatur qui aduersatur.*

Ceterùm quamuis hac de re magnam litem quidam suscitet, vt de qua multùm inter se Scholastici dissideant; existimo tamen neque multùm re ipsa plerosque dissidere, neque dissidere posse in re tam euidenti. Vt enim demus pro vitæ huius infirmitate, vix contingere, vt tanta sit vnius & eiusdem dilectio erga inimicos, quanta est erga amicos; atque ita ferè amicorum dilectionem esse & intensiorem, & ex consequenti meliorem, & fortè etiam maioris meriti, idque voluisse eos qui nobis hîc videtur aduersari: verum erit nihilominùs, sicubi detur reperiri dilectio inimicorum æquè intensa ac amicorum, eam fore maioris meriti, propter maiorem difficultatem, & quia accedit aliquid ad æstimationem Dei, quando propter ipsum etiam inimicum tuum diligis, & propter alias causas suprà allegatas.

Opponit quidam, maiorem illam difficultatem facere quidem vt dilectio inimicorum plus habeat de satisfactione, non autem vt plus habeat de ratione meriti.

Sed respondeo, Difficultatem obiecti non minùs facere ad actus bonitatem & meritum, quàm ad satisfactionem: imò quando ratione pœnalitatis & laboris difficultas facit vt opus sit magis satisfactorium; necessum est vt simul faciat esse magis meritorium. Neque enim erit magis satisfactorium, nisi prompta sit voluntas in subeundo & sustinendo eiusmodi labore & pœna; promptitudo autem animi in operis difficilioris exercitio, indubiè meritum auget. Tenent ex Scholasticis secundùm sensum iam explicatum, inimici dilectionem esse meliorem, S. Thomas, Bonauentura, Argentinensis, Durandus, Gabriel, Almainus in 3. distinct. 30. & fatetur Magister, esse hanc sententiam Augustini.

Notabile est quod apud Almainum reperitur, fieri posse, vt dilectio inimici maioris sit meriti, etiam quando fuerit minùs intensa quàm dilectio amici, modò fiat ex maiori charitate. Vbi aduertimus etiam, quando intensione superatur dilectio inimici à dilectione amici, æstimandum prudenter fore, an hic excessus sit tantus, vt maioris momenti non sit incrementum meriti quod accedit dilectioni inimici ex maiori difficultate & alijs circumstantijs, quæ in meritorum æstimatione pensandæ sunt.

Ceterùm qui contrarium hîc tenent, vt Caietanus, Valentia, & Banesius à Lelio, qui aliàs eum sequi solet, refutatus, obijciunt, semper dilectionem amicorum esse intensiorem, adeoque meliorem & maioris meriti. Sed patet responsio ex dictis.

Obijciunt Secundò, ex cap. 15. Ioannis, *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Respondeo, Non fieri comparationem inter amicum & inimicum, sed inter dilectionem quæ vitam ponit pro dilecto, & eam quæ tantùm alia minora bona.

Obijciunt Tertiò, ad Rom. 5. *Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori?*

Respondeo, Vt demus significari, quòd facilius quis pro amico moriatur quàm pro extraneo etiam iusto, nedum inimico & iniusto; nihilominùs ex eodem contextu patet, commendare eum suam charitatem, qui etiam pro inimicis mortuus fuerit.

Obijciunt postremò, Dilectio amici maiorem conformitatem habet cum lege Dei, quàm dilectio inimici; ergo & maius meritum.

Respondeo, Non aliter habere maiorem conformitatem, quàm si dicas, reddere depositum esse conformius legi, quàm dare mutuum; soluere debitum, quàm dare eleemosynam; non furari, quàm renuntiare omnibus possessis propter Deum. Nemo tamen non videt, illa ipsa maioris esse meriti, si fiant quæ lex liberiora reliquit vt fiant; vt liqueat posteriorem partem nostræ responsionis potiùs huiusmodi argumento confirmari, quàm priorem infirmari.

ARTI-



## ARTICVLVS VIII.

*Vtrùm sit magis meritorium diligere proximum quàm diligere Deum?*

RESPONDEO; Certum est, dilectionem Dei esse magis meritoriam, absolutè loquendo. Nota tamen, posse hanc comparationem pluribus modis fieri. Vno, vt Dei dilectio sumatur, prout tamquam caussa non includit proximi dilectionem; & similiter proximi dilectio, prout tamquam effectus caussam non includit Dei dilectionem. Et hoc modo certum est, præstantiorem esse Dei dilectionem: est enim præstantius, dignius & amabilius eius obiectum; eoque modo non est dilectio proximi actus charitatis, quia non est propter Deum. Secundo modo potest dilectio Dei cõsiderari, vt solius Dei; proximi autem vt est propter Deum: vt proximi dilectio non tantùm includat dilectionem Dei, sicut caussa est in effectu, aut cognitio principij in cognitione conclusionis; sed vt sit ipsa cognitio Dei extensa vsque ad proximũ, tamquam aliquid Dei. Hoc modo dilectio proximi erit perfectior quædam dilectio Dei, adeoque magis meritoria quàm dilectio Dei solius. Tertiò & cõmunissimè accipimus dilectionem Dei, vt terminatur tamquam in id quod diligitur in ipsum Deum, quamuis simul sit caussa dilectionis proximi; & dilectionem proximi vt terminatur in proximum, quamuis simul sit virtute dilectio Dei, quia proximus diligitur propter Deum. Atque hoc modo potissimùm accipienda erit responsio, dilectionem Dei esse maioris meriti præ dilectione proximi, vt qua remunerator perfectiùs attingatur, qui dixit, *Ego diligentes me diligo*. Accedit quòd de dilectione Dei sit primum & maximum mandatum, Matth. 22. Neque tantùm ideò maximum dicitur, quòd maximè obliget ad sui obseruationem; sed etiam quia eius impletio est maioris meriti apud Deum. Ad eumdem enim sensum apud Marcum cap. 12. dicitur dilectio esse maior omnibus holocaustomatis, id est, magis Deo grata & meritoria.

Nota tamen, hanc comparationem intelligendam esse de actibus æquè intensis, & ceteris paribus: posset enim fieri, vt actus perfectus dilectionis proximi superet in ratione meriti aliquem alium actum dilectionis Dei; sicut in vita actiua contingit quempiam plus mereri, quàm alius mereatur in contemplatiua, quamuis hæc secundùm se sit magis meritoria.

Notandum Secundò, Impossibile esse vt eadem numero dilectio dici queat magis meritoria, quatenus terminatur ad proximum propter Deum, quàm vt terminatur ad Deum: nam propter quod vnumquodque, & ipsum magis: sicuti impossibile est, certiorem esse cognitionem conclusionis ex principijs ipso habitu principiorum.

# QVÆSTIO VIGESIMAOCTAVA.

## De Gaudio.

## ARTICVLVS I.

*Vtrùm Gaudium in nobis sit effectus charitatis?*

RESPONSIO est affirmatiua. Probatur; Quia gaudium ex amore procedit, vt patet ex 1.2. Est autẽ gaudium simul cum charitate effectus Spiritus sancti, vt patet ex c. 5. & 14. ad Rom. Est autem mediante amore charitatis effectus Spiritus sancti gaudium spirituale, quod de Deo habetur, quo congaudemus veritati, quo gaudemus tam benè esse Deo. Nam illud gaudium quo gaudemus ex Deo nobis benè esse, non ita principaliter charitatis est, sed procedit etiam ex spe, siue ex amore illo concupiscentiæ, quo nobis beatitudinem volumus: hactenus tamen etiam charitatis est, quatenus ad Dei gloriam pertinet, quòd tanta nobis donet hîc in pignore, in patria verò in ipsa re.

Hinc sequitur, ex gaudio de impleta, aut tristitia de non impleta Dei voluntate, admodum probabiliter posse colligi, hominem esse in gratia.

Notandum hîc est, delectationem esse genus comparatum ad gaudium & delectationem pressiùs acceptam: gaudium enim est delectatio in appetitu rationali; delectatio autem speciatim dicta, erit solùm in appetitu sensitiuo. Vnde sequitur gaudium esse de bono amici & proprio; delectationem autem de proprio tantùm. Sequitur etiam, rectè D. Thomam lib. 1. cõtra Gentes c. 90. dixisse, gaudium esse de bono tam coniuncto realiter, quàm de exteriori, de quo iam voluntas quieta sit: delectationem autem, si propriè sumatur, esse tantùm de bono coniuncto, quia nimirum sensus non habet cognitionem tam generalem & abstractam sicut intellectus. Et quamuis etiam absentia bona, sensitiua imaginatione voluamus; non tamen ipsa imaginata delectant, nisi reali sensus aliqua immutatione, aut intellectus operatione interueniente.

Dices, Si gaudij obiectum latiùs pateat obiecto delectationis (nam de coniuncto & non coniuncto gaudemus, de coniuncto tantùm delectamur) ergo gaudium potiùs est genus quàm species delectationis.

Respondet Siluester Ferrariensis in locum citatum contra Gentes, & ipsum secutus Gabriel Vasquez in 1.2. disp. 14. n. 24. si gaudium conferatur cum illa delectatione, quæ tantùm reperitur in voluntate; gaudium esse genus, & delectationem esse eius speciem: reuerà enim illa delectatio nihil est aliud quàm gaudium quoddam, quod delectationis modum in operatione imitetur.

## ARTICVLVS II.

*Vtrùm Gaudium ſpirituale, quod ex charitate cauſſatur, recipiat admixtionem triſtitiæ?*

RESPONDEO; Quamdiu gaudium noſtrum non eſt plenum, oportet nos in hac vita flere cum flentibus, & dolere quòd non perfectiùs noſipſi & proximi noſtri participemus inhabitantem Spiritum ſanctum. Principale tamen gaudium charitatis, quod eſt de Dei perfectione & bonitate, quæ nihil habet admixtum mali in ſe, non habet admixtam triſtitiam.

## ARTICVLVS III.

*Vtrùm ſpirituale Gaudium, quod ex charitate cauſſatur, poſſit in nobis impleri?*

RESPONDEO, In hac vita non impleri, ſed in futurâ: non tamen eo ſenſu, quaſi vel ibi tantũ ſit de Deo gaudium, quanto dignus eſt; in illud enim gaudiũ potiùs intrãt beati, quàm intret in eos: neq; enim eius plenè capaces ſunt.

## ARTICVLVS IV.

*Vtrùm Gaudium ſit virtus?*

RESPONDET S. Thomas, non eſſe virtutem à charitate diſtinctam: ſed eius actum, effectum & fructum.

# QVÆSTIO VIGESIMANONA.

## De Pace.

PRIMA CONCLVSIO. Pax Pax concordiam includit. Eſt enim vnius pax concordia, non contrà. Concordia enim nihil aliud dicit, quàm diuerſorum appetentium, vnionem appetituum. Verùm iſtud ad pacem non ſufficit: neque enim pax propriè eſt, ſi cum alio conſentias; ſed etiam requiritur, vt tecum ipſe conſentias: homo enim ſibi ipſi diſſentit, partim quia contrarios quodãmodò habet appetitus, rationalem & ſenſitiuum; partim quia etiam vno appetitu, bona aliquando plura appetit, quæ ſimul aſſequi non poteſt. Concordia ergo vnit homines inter ſe, ſed pax præterea vnit diuerſos appetitus vnius & eiuſdem hominis inter ſe, & vnumquemque appetitum ſedatum reddit & tranquillum quam tranquillitatem quia omnia appetunt, rectè dicuntur omnia appetere pacem. De quo videre licet S. Auguſtinum lib. 19. de Ciuitate Dei.

SECVNDA. Cùm charitas noſtros appetitus Deo conformet, & proximos nobis per affectum vniat; manifeſtum eſt, pacem non eſſe virtutem à charitate diſtinctam, ſed effectum charitatis.

# QVÆSTIO TRIGESIMA.

## De Miſericordia.

## ARTICVLVS I.

*Vtrùm malum ſit propriè motiuum ad Miſericordiam?*

CONCLVSIO. Malum inuoluntarium proximi eſt proprium motiuum miſericordiæ. Eſt enim miſericordia (inquit Iſidorus lib. Differentiarum) affectus cordis, quo compellimur vt miſeris ſubueniamus. Similiter loquitur Auguſtinus lib. 9. de Ciuitate, citatus à D. Thoma. Miſeria autem propriè eſt malum inuoluntarium: eſt enim felicitati ſeu beatitudini contraria. Beatitudo autem eſt, habere quod vis, & nihil mali velle. Eſt autem inuoluntarium tribus modis; vel quia eſt contra appetitum naturalem; quo modo morbus eſt malum inuoluntarium; vel quia eſt contra electionem particularem, & ex quodam infortunio; vt ſi in morbum incidat, quia venenum hauſit, quod putabat eſſe ſalutare antidotum: vel denique eſt contra electionem conſtantem totius vitæ decurſus; vt ſi quis incidat in ea mala, quorum etiam cauſſas tota vita ſua diligentiſſimè præcauit, vt minimè illa pati dignus videatur. Primo modo miſeri miſeremur quia miſer eſt, licet ſua culpa: ſecundo magis, quia miſer eſt immeritò & ſine culpa: tertio maximè, quia miſer eſt qui ſemper felix eſſe ſit meritus. Compatimur ergo & merenti pati, & non merenti pati, & merenti non pati; ſed inæquali gradu, tertij magis quàm ſecundi, & ſecundi magis quàm primi.

## ARTICVLVS II.

*Vtrùm defectus ſit ratio miſerendi ex parte miſerentis?*

RESPONSIO eſt affirmatiua. Ratio eſt, Quia miſericordia eſt compaſſio: non compatitur autem, niſi qui aliquo modo alterius defectum reputat vt ſuum, propter coniunctionem quam cum ipſo habet, ſiue realem, qualis eſt inter conſanguineos; ſiue per amorem, qualis



qualis inter amicos. Poſteriori modo etiam Deus noſtri miſeretur quos amat: quamuis de malo noſtro non habeat triſtitiam aut dolorem, qui in hominibus per accidens annexus eſt amori, quo amatur proximus dolens aut afflictus.

## ARTICVLVS III. &IV.

*Vtrùm Miſericordia non ſolùm ſit virtus, ſed maxima virtutum?*

PRIMA CONCLVSIO. Miſericordia eſt virtus, quatenus eſt motus voluntatis, directus ſecundùm regulam rationis, & dirigens motum compaſſionis in appetitu inferiori, quæ non virtus, ſed paſſio eſt. Docet Auguſtinus miſericordiam eſſe virtutem lib. 9. de Ciuitate cap. 5. vbi & Stoicos miſericordiam culpantes cum Peripateticis conciliat, quaſi non tam re ipſa quàm verbis diſſentiant.

SECVNDA CONCLVSIO. Miſericordiam eſſe virtutem diſtinctam à charitate, probabilius eſt. Eſt ſententia D. Thomæ hîc a. 3. ad 3. & ſeq. q a. 1. ad 3. vbi docet, non minùs diſtingui miſericordiam à charitate, quàm iuſtitiam. Confirmatur: Quia miſericordia habet ſpecialem rationem formalem quam reſpiciat, videlicet releuationem miſeriæ.

Dices, Actus miſericordiæ, videlicet eleemoſyna, eſt actus charitatis; ergo virtus miſericordiæ non eſt aliud, quàm virtus charitatis.

Reſpondeo, negando ſequelam. Ideò enim actus miſericordiæ eſt actus charitatis, quæ virtus eſt Theologica, quia (vt docet S. Thomas infrà q. 32. art. 1.) charitas eleemoſynam facit mediante virtute miſericordiæ, quæ & ipſa eſt quodammodò effectus charitatis & virtus moralis, ſecundùm rationis regulam moderans appetitum inferiorem. Quò etiam pertinebit, quòd actus miſericordiæ Scriptura paſſim adſcribat charitati, vt 1. Ioannis 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?*

Confirmari poteſt hæc concluſio ex Apoſtolo ad Coloſſen. 3. vbi videtur de miſericordia & charitate tamquam diſtinctis virtutibus agere. Cùm enim dixiſſet, *ſaduite vos viſcera miſericordiæ*; addit, *ſuper omnia autem hæc charitatem habete.* Videtur eadem ſententia D. Auguſtini ſuprà citati, qui loquitur de miſericordia tamquam virtute ſpeciali & morali.

Neque verum eſt, non apparere quænam ſit ſpecialis difficultas beneficere proximo miſeriam patienti, diſtincta à difficultate quæ generalis eſt in beneficentia charitatis. Eſt enim ſpecialis hæc difficultas in ponenda mediocritate inter paſſiones crudelitatis ſiue nemeſis, qua æſtimamus proximum digna pati, ideoque non miſeremur; & oppoſitam paſſionem, qua pluſquam ratio patitur, affectus impetu abripimur, ad leuandam proximi miſeriam.

Sed dices, Idem ignis qui introducit calorem, etiam expellit frigus; ergo charitas quæ vult proximo bonum, etiam amouet ab eo miſeriam.

Reſpondeo; Miſeriam quatenus malum quoddam eſt, amouet à proximo charitas, abſtrahendo à malo voluntario & inuoluntario; quatenus autem eſt malum inuoluntarium, quale eſt ex propria ſua natura, vt miſeria eſt; amouet miſericordia, idque ſeruato moderamine moralis virtutis, ne aut tardiùs compatiamur iuſtè patienti prætextu iuſtitiæ, aut immoderatiùs inuoluntariè patienti ex nimia commiſeratione.

Hinc infero cum Nauarro in capitulum Quieſcamus, diſt. 42. eleemoſynam eſſe actum virtutis, etiamſi non fiat formaliter propter Deum, modò fiat ad ſubleuandam miſeriam proximi, quod proprium eſt motiuum huius virtutis.

TERTIA CONCLVSIO. Miſericordia eſt maxima virtutum ſecundùm ſe, imò etiam quoad habentem, ſi ipſe non habeat ſuperiorem. In illis autem qui ſuperiorem habent, melior eſt illa virtus, quæ illos ſuperiori, videlicet Deo, coniungit, nimirum charitas. Iterùm tamen in illis virtutibus quæ ad proximum pertinent, generatim potiſſima eſt miſericordia. Supplere enim alterius defectum quatenus tale, eſt ſuperioris & melioris. Ita ferè diuus Thomas. Probatur: Quia virtus illa maxima eſt, quæ magis tollit quemcumque defectum: atqui hoc facit miſericordia in Deo præ aliis virtutibus: omnipotentiam enim ſuam maximè parcendo & miſerando manifeſtat; miſeratio autem miſericordię actus eſt, inquit Iſidorus ſuprà citatus, & *Miſerationes, eius ſuper omnia opera eius.* In Pſal. 144. nobis autem qui proprium habemus defectum, quem per noſipſos tollere nõ poſſumus, illa virtus maxima eſt, quæ maximè Deo nos reddit ſimiles, & miſericordię diuinę participes, quę eſt charitas.

Ad charitatis tamen & iuſtitiæ acquiſitionem plurimùm facit miſericordia, vt meritò dixerit Ambroſius lib. 1. Officiorum cap. 11. *Bona miſericordia, quæ & ipſa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Nihil tam commendat Chriſtianam animam, quàm miſericordia.* & infrà: *Si nudum veſtias, ipſam te induis iuſtitia.* Adde, quòd ex miſericordiæ operibus præſtitis aut neglectis, quaſi in illis ſumma iuſtitiæ eſſet, iudicandos nos monuerit Dominus. Hinc factum rectè monet quidam, vt Scriptura iuſtitiæ & ſanctitatis nomine ſubinde intelligat miſericordiam, vt quæ nos mirificè iuuet ad omne genus virtutum. Hebræorum autem eſt iſte modus loquendi, qui per miſericordem ſolent intelligere ſanctum; & per iuſtitiam, miſericordiam: vt patet ex illo Danielis 4. *Peccata tua eleemoſynis redime.* vbi Chaldęus vertit, *Peccata tua in iuſtitia redime.* Micheæ 7. *Perijt ſanctus de terra.* Hebraicè eſt *miſericors.*

# QVÆSTIO TRIGESIMAPRIMA.

DOCET S. Thomas hac quæſtione, quæ explicatione non indiget, Beneficentiam eſſe actum charitatis, non autem alterius ſpecialis virtutis, omnibus impendendum, maximè coniunctis.

# QVÆSTIO TRIGESIMASECVNDA.

## De Eleemosyna.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm dare Eleemosynam sit actus Charitatis?*

ELEEMOSYNA Græcis idem est quod Latinis misericordia; Theologi tamen hanc virtutem, illam verò eius actum ferè nuncupare solent. Eleemosynam autem esse actum studiosum, laudabilem, atque adeò alicuius virtutis, probatur variis Scripturæ locis, quæ latè prosequitur Cyprianus tractatu De opere & eleemosynis, & Innocentius III. libri De eleemosyna cap. 1. Dicunt enim Scripturæ, eleemosynis delicta purgari, Ecclesiastici 3. Lucæ 11. Dan. 4. Tobiæ 12. Idem docet Augustinus Enchiridij cap. 72. & lib. 1. contra aduersarium Legis & Prophetarum cap. 16. vbi docet ex Euangelio, eleemosynam neglectam esse caussam æterni supplicij; & pauperibus erogatam, esse vitæ æternæ meritum. Irenæus quoque lib. 4. cap. 26. docet exemplo Zacchei, eleemosynâ solutionem fieri præteritæ cupiditatis. Imò aliquando Patres ita loquuntur, quasi eleemosyna esset secundus Baptismus, vt Cyprianus suprà.

Vnde meritò oritur quæstio, An etiam peccatori prosit?

Vbi sententia est quorumdam veterum, eleemosynam etiam sine pœnitentia hominem liberare à gehenna: de quibus videre licet Augustinum lib. 21. de Ciuitate cap. 22. vbi refert, eos pro hoc errore adduxisse locum Iacobi 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Vnde inferebãt per locum à contrarijs eodem ordine positis; ergo iudicium cum misericordia illi, qui fecit misericordiam. Confirmabant ex forma iudicij, quæ in Euangelio refertur, & Oratione Dominica, quæ videtur dimittenti debitoribus suis remissionem polliceri: est enim remittere peccatum debitori eleemosyna quædam, de qua apertè Dñs dixerit, dimittenda nobis à Patre cęlesti peccata, si dimiserimus peccata hominibus. Matth. 25.

Horum argumentis respondet Augustinus eodem libro cap. 27. & Enchiridij 77. Est autem aptissima responsio ex illo Apostoli 1. ad Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* & illo Ecclesiastici 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo*; neque enim diligit proximum sicut seipsum, sed quodammodò plusquam seipsum, qui proximi quidem miseretur, sed animæ suæ non miseretur negligendo charitatem Dei, sine qua Deo placere non potest. Item illud Isaiæ 1. *Quiescite agere peruersè, discite benè facere, quærite iudicium, subuenite oppresso.* Non verò sufficit subuenire oppresso, si quis pergat agere peruersè.

Dicendum itaque est, per eleemosynas impios nisi resipiscant, non euadere æternas pœnas, neque mereri æternam vitam; nihilominùs tamen multùm eis commendandas.

Primò, Quia per eas possunt euadere pœnas temporales, quas in hac vita luerent: nam (vt rectè Cyprianus suprà) etiam impijssimus Nabuchodonosor aduersa illa & infesta, quæ in somnis viderat, euadere potuisset, si peccata sua eleemosynis redemisset; sed quia Danielem non audiit, ideò ista perpessus est.

Secundò, Eleemosyna peccatorem disponit ad pœnitentiam, quando fit ex motione diuinæ gratiæ.

Tertiò, Etiam quando ex solo motiuo naturalis commiserationis erogatur eleemosyna, vtilis est peccatori ad iustificationem, quia prouocat pauperem, vt pro ipso oret Deum. Propter has caussas factum est, vt Ioannes Baptista à Iudæis consultus, tamquam singulare remedium præscripserit eleemosynam Lucæ 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas similiter faciat.* Hinc etiam factum est, vt ipse Dominus tantoperè Pharisęis hypocritis, & pęnè desperatis commendauerit eleemosynam Luc. 11. *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis:* vbi Dominus illis qui intus pleni erant rapina, tamquam peritus medicus, præscribit purgationem & euacuationem per eleemosynam: quomodo etiam Daniel oppressori subditorum Regi suaserat, peccata eleemosynis redimere.

Circa illud Euangelistæ, *quod superest* notandum, non eodem modo ab omnibus accipi. Quidam enim ita accipiunt, quasi significatum sit, non aliud præter eleemosynam superesse remedium: ita venerabilis Beda. Alij putant hunc cõmentarium non esse genuinum, eò quòd Græca vox τὰ ἐνόντα, scilicet facultates quę supersunt aut adsunt, vt sit sensus, Date eleemosynam de eo quod habetis: ita refert idem Beda, & sequitur Ianssenius. Consentit satis quod annotatum reliquit Maldonatus, qui τὰ ἐνόντα positum putat pro χρὴ τὰ ἐνόντα, quod dicitur pro facultatibus vestris, date eleemosynam. Vtrouis modo dicatur, apertum manet quantopere eleemosyna peccatoribus commendata sit: neque minùs eiusmodi commendationem habebit Domini sententia, si exponatur illud, *quod superest*, eo modo quo Toletus accepit, quòd dixisset Dominus, *Quod deforis est calicis & catini mundatis, & quod intus est, rapina plenum manet*, quia videlicet ex rapina & iniquitate potus vester & cibus comparatus est. Itaque abluendo solùm exteriùs, non comparatur tota mundities; sed quod supereſt, id est, quod reliquum est à vasis, nimirum quod in eis est, cibum & potum, date in eleemosynam, de substantia vestra cibando & potando pauperes, & erunt etiam munda quæ intus sunt, non tantùm vasa forinsecus munda (inquam) erunt, quia desinent esse malè parta, reparatione facta per eleemosynam.

Itaque eleemosyna præter charitatem, vel potiùs ante charitatẽ donata, prodest quidem, etiamsi non sufficiat; non enim est promeritoria gratiæ vel salutis; per illam tamen peruenitur ad gratiam & salutem. Cõsentit Basilius in Regulis breuioribus, respõsione 271. vbi eleemosynam dicit per se non sufficere delendis peccatis, sed indigere misericordia Dei, sanguine Christi, & fructibus dignis pœnitentiæ. Auctor operis imperfecti homilia 26. in Matthæum ex Clemente docet, Si infidelis hìc fecerit opus bonum, hìc ei prodesse opus ipsius, non in futuro sæculo; eò quòd naturali motu, non propter Deum operatus, in corpore potiùs quàm in anima mereatur mercedem.

Queres Secundò, Quomodo eleemosyna dicatur actus charitatis, cùm sit actus misericordiæ, quæ virtus moralis est distincta à charitate?

Verùm ad hoc satis patet responsio ex dictis quæst. 30. art. 3. Est ergo eleemosyna actus charitatis, non tantùm imperatus, vt quidam dicunt; neque immediatè tamen elicitus, vt volunt qui misericordiam non distinguunt à charitate; sed elicitus mediante eleemosyna, quæ charitatis quędam soboles est; sicuti dicimus, nepotem genitum abauo. Imperatur tamen eleemosynæ actus sæpè à religionis virtute, quatenus refertur ad placandum Deum; quamuis Scriptura, quando eleemosynam æquiparat sacrificio, subinde solùm significet, quòd non minùs Deo sit grata, quàm sacrificium; vt Ecclesiastici 35. *Qui facit misericordiam, offert sacrificium.* Ad Hebræos 13. *Talibus enim hostijs promeretur Deus.* Oseæ 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium.* Matth. 25. *Quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Sanè quando eleemosyna fit propter Deum, vt sancta societate inhęreatur Deo, spirituale quoddam est sacrificium, vt ideò dixerit Augustinus libro 10. de Ciuitate cap. 5. in verbis citatis ex Osea, sacrificium sacrificio anteponi.

Ceterùm salubriter mouet Nauarrus suprà numero 12. vt qui dant eleemosynam, quàmplurimos bonos fines coniungant, subleuamen proximi, redemptionem peccati, honorem Dei, &c. Res enim magni lucri erit, & minimi negotij.

Aliquando etiam imperatur eleemosyna à virtute iustitiæ, quando adhibetur ad satisfaciendum Deo; quomodo censeri solet inter opera satisfactoria.

Quæres Tertiò, An ergo fieri possit, vt inferior virtus imperet actum superioris? Iustitia namque charitate inferior est: videtur enim non posse id fieri, quia imperare superioris est.

Sed nulla est difficultas. Quamuis enim quando imperans & cui imperatur, diuersa sunt supposita, non contingat inferiorem imperare superiori; virtus tamen eiusdem suppositi potèst imperare actum alterius virtutis, licet superioris, præcipuè in eadem potentia; imò in voluntate nostra mutua quodammodò sunt virtutum imperia: sicuti enim nunc Rex Duci imperat per Comitem, nunc Comiti per Ducem; ita nostra voluntas nunc per inferiorem virtutẽ imperat actũ superioris, nunc per superiorem, actum inferioris, prout contingit actum ad finem cuiusque virtutis assumi tamquam medium. Vbi licebit cum Caietano materialiter actum superioris virtutis considerare vt inferiorem actu inferioris cui subsit, quia forma liter numquam contingat, virtutem inferiorem imperare superiori.

Quæres Quartò, An verum sit quod dicit S. Thomas, exteriorem actum ad illam referri virtutem, ad quam pertinet finem motiuum?

Respondeo cum Banesio, verum esse, si intelligatur de motiuo formali, quod est virtus & finis ipsius actus secundùm se, quod dicere possumus motiuum & finem operis; non autem esse verum de motiuo & fine operantis. Finis operis dat speciem essentialem actui; finis operantis est solùm circumstantia adiciens speciem accidentariam. Quando tamen non est alius finis operis, qui principalior in genere moris considerari queat, vt contingit in actibus indifferentibus; referuntur eiusmodi actus ad illam virtutem, ad quam pertinet finis operantis. Hæc ratio est, quare etiamsi sacerdos sacrificando, & operarius fodiendo fortè intendant sibi cõparare vnde viuant; sacerdotis tamen actio, non obstante eiusmodi minùs principali motiuo, maneat actus religionis; & fossio pertinet ad virtutem prouidentiæ moralis, eò quòd ab ea sortiatur primam speciem in genere moris.

Ex his patet, quomodo secundùm materiam diuersissima opera, ad vnam misericordiæ virtutem pertineant, quatenus conducunt ad subleuandam proximi miseriam, qui finis est misericordiæ.

### ARTICVLVS II.

*Vtrùm conuenienter Eleemosynarum genera distinguantur?*

ELEEMOSYNA alia corporalis, qua leuatur proximi miseria corporalis; alia spiritualis, qua leuatur eius miseria spiritualis. Vtriusque septena capita ad quæ reliqua reuocentur, his vulgatis versiculis comprehenduntur.

*Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,*
*Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.*

Cuius numeri rationem elegantem videre licet apud D. Thomam, qui metro indulget, vt *consulere* intelligatur tam quoad speculatiuum quàm ad practicum intellectum, adeoq; etiam (docere) complectatur.

Diuus Augustinus Enchiridij cap. 72. quædam recensęt misericordiæ opera, quæ ad memorata capita reducenda sunt; quale est fugienti latebras concedere, debilem subuehere, cæcum ducere, ægro mederi, erranti ostendere iter; adde ex Maiore in 4. d. 15. fessum in itinere subleuare, protegere innocentem ab iniuratoribus.

DVBIVM, An sepelire mortuos rectè connumeretur inter opera misericordiæ? Matthæi enim 25. omittitur, & videtur omittendum: neque enim ad hominis miseriam videtur pertinere carere sepulchro. Lucæ 12. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quod faciant. Non sentienti* enim, inquit Augustinus tractatu 44. in Ioannem, *nihil faciunt.* Fauet illud, *Facilis iactura sepulchri*; item, *Cælo tegitur, quem non tegit vrna.*

Verùm ex variis locis Scripturæ constat, sepulturam ad misericordiæ opera pertinere, magnamque apud Deum habere mercedem. Tobiæ 12. *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos*, &c. Certum autem est, Tobiam in mortuorum sepultura, quam occultè exercebat, non spectasse solatium viuorum, ad quod alioquin eam

prodesse docet Augustinus De cura pro mortuis cap. 2. & lib. 1. de Ciuitate cap. 12. Spectauit ergo misericordiam in defunctos. 2. Reg: c. 2. Dauid dicit eos fecisse cum Saul misericordiam, qui eum sepeliuerant. Huc pertinet quòd in Scriptura pro maledicto habeatur, non inferri sepulchris patrum suorum; & pro maiori, sepeliri sepultura asini, aut proijci insepultum, sepultura etiam peregrina carere.

3. Reg. 13. Ierem. 22. 2. Mach. 5.

Pertinet autem sepultura ad misericordiam defunctorum multis modis. Primò, Quia dum certo tumulo conduntur, aliquo adhuc loco censentur apud viuos, & in memoria eorum viuere. Secundò, Quia qui sepulturæ gratiâ conueniunt, item qui monumentum aspiciunt, benè precantur defuncto, lugent, prædicant, & cetera: quibus emolumentis carere, magnum malum esse significauit Ieremias cap. 22. *Non concrepabunt ei, Væ Domine, & væ inclyta: sepultura asini sepelietur.* Tertiò, Honor sepulturæ redundat in animam & coniunctos defuncto. 4. Regum 9. *Sepelite eam, quia filia regis est.* Si enim paternam vestem videres conculcari, doleres; multò ergo magis, si corpus videris proijci. Ita ferè Augustinus lib. 1. de Ciuitate cap. 13. Quartò, Sicut spiritus redit ad Deum, qui fecit eum; ita suo quodâ iure postulat corpus, post diuinâ sententiam, in terram matrem omnium reuerti, & in spe resurrectionis quiescere, vt inde posteà resumatur vnde sumptum erat. Quintò, Nudum vestire, & periclitantem saluare, opus est misericordiæ: itaque & mortuum corpus sepulchro vestire, & communis naturæ consortem à bestiarum & volatilium iniurijs vindicare, vt rectè Ambrosius lib. 1. de Tobia cap. 1.

Ad rationem dubitandi Respondeo, Christum Matth. 25. sepulturæ inter omnia opera misericordiæ non meminisse, quia non est euidentis necessitatis, neque solet eius esse magnus defectus, sicut aliorum operum misericordiæ, præcipuè apud Iudæos, quibus cum agebatur, qui potiùs nimij fuerunt in sepulchris curandis.

Ad illud verò quod ex Luca opponebatur, benè respondit D. Augustinus De cura pro mortuis cap. 6. post mortem tyrannos non habere ampliùs quod faciant, quo minuatur Christiana felicitas, quódve perueniat ad sensum post mortem viuentium, quod denique impediat quo minùs ipsa corpora integerrima resurgant.

Quæres, An sit peccatum mortale, negligere sepulturam?

Respondeo cùm Valentia & Banesio, si absque tuo possis incommodo, & alius non sit qui curet, notabilem negligentiam hîc posse habere crimen.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm Eleemosynæ corporales sint potiores quàm spirituales?*

RESPONDEO cum D. Thoma, Spirituales simpliciter esse potiores, quia nobilius dant, tum quia nobiliori dant, tum quia nobiliori actu dant: dant enim spirituale, dant spiritui, dant spirituali actu: spiritus autem corpore præstantior est. Confirmatur ex Gregorio lib. 22. Moralium cap. 12. *Qui omnino dimittit, & non dat, etiamsi non plenè operatus est, meliorem tamen misericordiæ partem tenuit.* Et Augustino epistola 199. *Si habet ibi magnum locum panis fractus esurienti, quantum locum ibi credenda est habere misericordia, qua homo eripitur diabolo, tamquam leoni rugienti, & quem deuoret inquirenti?* Quòd autem interdum pauper potiùs sit iuuandus quàm secundùm animam; non arguit, meliorem esse eleemosynam corporalem, sed hîc & nunc magis vrgere eius necessitatem.

## ARTICVLVS IV.

### *An Eleemosynæ corporales habeant effectum spiritualem.*

RESPONDET diuus Thomas, secundùm se non habere, sed habere ratione causæ & effectus: secundùm se enim subleuant corporis necessitatem; sed quando illud subleuamen proficiscitur ex charitate Dei aut proximi, seminando temporale, metimus fructum spiritualem. Similiter quando per eleemosynam pauper excitatur, vt pro nobis oret. Quocirca meritò reprehendit eos Gregorius lib. 12. Moralium cap. 25. qui tantùm ob prolongandam vitam temporalem erogabant eleemosynas: quamuis enim ad eam prolongandam, imò etiam ad eam recuperandam (vt patet in Dorcade, Actorum 9.) multùm valeant eleemosynæ; promissionem tamen habet pietas, non tantùm vitæ quæ nunc est, 1. Tim. 4. sed futuræ.

DVBITATIO hîc est; Quomodo prosit eleemosyna corporalis ad effectum spiritualem?

Suppositò ex dictis articulo primo, etiam peccatori ad effectus quosdam spirituales prodesse eleemosynam; hîc generatim inquirimus de modo, quo tam peccatori quàm iusto prosit?

Respondeo & DICO PRIMO, Contra fidem est, si quis dixerit eleemosynis remitti peccata quoad culpam sine pœnitentia. Rectè enim Gregorius parte 3. Pastoralis, admonitione 21. dicit eos qui hoc opinantur, existimare Dei iustitiam venalem, quasi etiam Christum iudicem donis suis possint corrumpere. Verùm de hac re suprà a. 1.

DICO SECVNDO, Eleemosyna non dimittit peccata ex opere operato, sicut Sacramenta. Rectè enim dicit sanctus Thomas in 4. distinctione 15. eleemosynam eius qui est in peccato mortali, non aliter ipsum à peccato illo liberare, quàm disponendo ad recuperandam gratiam, vt & alia bona opera recta intentione facta. Habet tamen peculiarem vim hæc dispositio ad impetrandam à Deo peccatorum veniam, id est eleemosyna ad eleemosynam, misericordia ad misericordiam; quò pertinent illa, *Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis*; & similia. Atque ita accipi potèrunt Patres, qui eleemosynam videntur facere alterum Baptismum. Cyprianus suprà citatus, Ambrosius sermone 3. & in caput 4. 1. ad Timotheum.

DICO TERTIO, In charitate & ex charitate facta eleemosyna, plurimùm valet ad augmentum meriti & satisfactionem pro peccatis. Hinc Scriptura & Sancti passim comparant eleemosynam semini fructus spiritualis. Oseæ 10. *Seminate vobis in iustitia*, id est, per eleemosynas. 2. ad Corinth. 9. *Qui parcè*



*parcè seminat, parcè & metet.* Vide Ambrosium de Nabuthe Iezraëlita cap. 7. Hinc etiam fit, vt passim doceant Theologi, eleemosynam esse maioris virtutis, quàm orationem aut ieiunium. Gabriel in 4. distinctione 16. Durandus distinct. 15.

DICO QVARTO, Extra charitatem eleemosyna non est infallibilis ad gratiam dispositio: est tamen dispositio, si fiat ex motione gratiæ; & plerumque qui assiduas pro Deo faciunt eleemosynas, maximè si ex fragilitate peccent, ad veram contritionem, quæ infallibilis est ad remissionem dispositio, conuertûtur. Prima pars colligitur Danielis 4. *Forsitan ignoscet delictis tuis.* Secunda patet ex materia De gratia. Tertia probatur ex illo Ecclesiastici 3. *Ignem ardentem exstinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Græcè est, *expiat peccata*, vt significetur, hac aqua infernalem ignem extingui. Psalmo 111. *Iucundus homo qui miseretur & commodat, quia in æternum non commouebitur.*

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm dare Eleemosynam sit in præcepto?*

RESPONDET sanctus Thomas affirmatiuè. Probatur, Quia sine ea interdum non potest conseruari amor ad proximum: si enim habeas substantiam huius mundi tibi & tuis superfluam, & videris fratrem tuum talem pati necessitatem, vt nisi iuues, periturus sit; charitas in te non manet, nisi iuues. Est hæc responsio diui Thomæ de fide: est enim fidei, aliquando eleemosynam esse in præcepto: alioquin enim nemo damnaretur propter eius neglectum: damnari autem multos patet Matth. 25. Iacobi 2. Probatur Secundò, Præcepti est, diligere proximum sicut nos ipsos; illud autem non præstamus sine eleemosynis, eo communicato quod nobis superest, & proximo deest. Tertiò, Charitas non amittitur nisi violato præcepto; amittitur autem neglecta eleemosyna: Prouerbiorum 21. 1. Ioannis 3. Quartò, Ecclesiasticus cap. 29. apertè huius præcepti meminit, *Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam ne dimittas eum vacuum: perde pecuniam propter fratrem.* Hac breui sententia ostenditur eleemosyna esse præcepti diuini & naturalis: diuini quidem, quia præceptum hoc morale, quod etiam in noua lege obligat, sæpè in Scripturis diuinis inculcatur: naturalis autem, tum quia ius naturæ dictat, etiamsi scriptum non esset, in necessitate subueniendum proximo, sicut in necessaria inopia nobis subuentum vellemus; tum etiam quia res ipsa loquitur, pecuniam esse rem multò viliorem, quàm sit frater, vt meritò propter ipsum illius esse faciendam iacturam moneat Ecclesiasticus. Adhæc, Apostolus præcepit, eum qui furabatur, operari manibus, vt habeat vnde tribuat patienti necessitatem. *Præceptum* (inquit in eum locum Hieronymus) *Apostoli non implet, qui ad hoc tantùm laborat, vt ipse non indigeat, & à ceteris retrahit manum.*

Obijcitur, Daniel cap. 4. vocat consilium: *Consilium*, inquit, *meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime.*

Respondeo; Nihil impedit, eleemosynam esse consilium hominis, Dei autem non tam consilium, quàm præceptum: nam potest inferior superiori consulere, vt Dei præceptum seruet: quomodo hîc consuluisse Danielem Regi dicere possumus. Vel considerare possumus Danielem Regi perplexo consulentem, quomodo Dei minas euadat; veluti si quis consulat reo, modumque demonstret, quo possit iudicem placare. Consilium verò hîc est suggestio quædam remedij, quod, an simul sit in præcepto, an non, ibi non dicitur: significatur enim Regi potiùs consuli quàm pauperibus, quando eleemosyna ei consulitur ita Deo grata, vt facta ipsum ex irato reddat placatum; quia omissa, ex placato fortè redderet iratum. Ipsum autem Deum in eumdem finem mandasse quod Daniel hîc consulit, patet ex Isaia cap. 1. *Subuenite oppresso. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*: & ex Euangelio, *Date, & dabitur vobis.*

At quæres, Si præceptum sit dare eleemosynam, vbi in Decalogo continetur?

Variè de hac re sentiunt Doctores. Quidam enim dixerunt, contineri in præcepto *Non occides*, propter illud Ambrosij, *Pasce fame morientem; si non pauisti, occidisti.*

Alij dixerunt contineri in præcepto *Non furaberis*, eò quòd videatur ad furtum pertinere, non largiri egenis quod eis debetur. Ita ferè Albertus in 4. d. 15.

Sed vtramque sententiam refutat D. Thomas, quòd præceptum eleemosynæ sit affirmatiuum, hæc autem assignata sit negatiua.

Tertia sententia est D. Thomæ, quam sequitur Bellarminus, Eleemosynam præcipi quarto præcepto, quod est de honorandis parentibus, vt per honorem omnis subuentio intelligatur, & per parentes omnis proximus. Hæc sententia probabilis est: certum enim est, honorem in Scriptura extendi ad largitionem, 1. ad Timotheum 5. *Viduas honora.* Item: *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Matthæi etiam 15. & Marci 7. opponitur honori parentum, nihil eis dare, aut non facere eis quidquam. Deniq; Tobias c. 1. dicitur decem talentis honoratus fuisse à Rege.

Parentum etiam nomine omnes proximos intelligi, quatenus omnes ab vno primo parente originem ducimus, post Bonauenturam notat Nauarrus cap. 14. numero 3. Confirmat hanc sententiam diuus Thomas ex Apostolo prioris ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Hîc enim Apostolus dicit, pietatem habere promissionem vitæ. Primum autem mandatum est in promissione de honorandis parentibus, vt dicit idem Apostolus ad Ephes. 6. Pietas ergo, misericordia & eleemosyna quia pietatis opus est, quarto præcepto mandata est. Hesselius tamen loco ad Timotheum non putat Apostolum respicere ad promissionem annexam quarto præcepto, sed generatim vel ad promissa legis, quibus vita promittitur obedientibus, vel ad promissionem illam Euangelicam, *Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & reliqua adijcientur vobis.* Diuus Chrysostomus pietatem etiam latiùs in sententia Apostolica accipit, quàm vt tota pertinere queat ad quartum præceptum. Ambrosius tamen hactenus D. Thomæ fauet, quòd per pietatem hîc misericordiam intellexerit.

Quarta sententia est, Præceptum de danda eleemosyna generalius esse, quàm vt vno aliquo præ-

cepto Decalogi contineatur; sed contineri tota secunda tabula, potissimùm autem quarto præcepto, quod ibi primum & solum affirmatiuum est.

Hæc sententia maximè placet. Quando enim Ecclesiastici 17. dicitur, *Mandauit illis vnicuique de proximo suo:* manifestum est, sermonem esse de Decalogo quoad secundam tabulam, quia tota comprehenditur, vt Scriptura docet, hoc vno præcepto, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: aut illo, *Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. Ex violato enim præcepto de danda eleemosyna, contingit violari singula præcepta secundæ tabulæ. Quartum enim violatur apertè, quando non tribuimus necessitatem patienti quod Deus nobis concessit: is enim honor est proximis communis parentelæ illo casu debitus. Quintum, quando fame morientem non pascimus: inferimus enim interpretatiuè miseriam quando eam non tollimus, cùm possimus & debeamus. Neque tamen omittens eleemosynam peccat, vt dicemus infrà, contra iustitiam, sed contra legem charitatis; neque incurrit obligationem restituendi, neque irregularitatem, neque censuras latas contra occidentes, vt post Alexandrum Alensem & Adrianum notat Nauarrus suprà citatus in capitulum Quiescamus. Contra 6. & 9. peccat, qui pauperem finit opprimi violatione tori. Contra 7. & 10. qui finit eum opprimi in rerum suarum iniusta ablatione. Contra 8. qui finit opprimi falso testimonio. Discurrit ergo eleemosyna per omnia præcepta secundæ tabulæ, sicut dilectio proximi. In hac enim vita ferè diligendo miseremur, quando ijdem quibus benè volumus, miseri sunt.

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm debeat quis dare Eleemosynam de necessario?*

ELEEMOSYNÆ præceptum duplici ex capite cessat obligare; aut quia non eget proximus, aut quia non habes vnde tribuas necessitatem patienti. Vtrumque autem contingit varijs modis. Dicitur enim indigere proximus, quia est in extrema, graui, aut communi necessitate. Diceris etiam non habere quod tribuas, vel quia omnino non habes, vel quia quod habes tibi necessarium est ad vitam, vel ad statum.

Extrema hîc vitæ necessitas in proximo eris, quando eò deuenerit angustiæ, vt nisi tunc succurras, periculum ei sit moraliter certum amittendæ vitæ. Vnde colligitur, extremam necessitatem hîc etiam illam intelligi, quæ quasi extrema est. Neque enim requiritur vt proximus sit in articulo statim secuturæ mortis; sed sufficit euidentia adesse signa eiusmodi articuli secuturi, nisi ei subueniatur: quando enim subuentio differtur in mortis articulum, ferè fit impossibilis. Neque tamen sufficit, vel quod mendici (quorum sæpè fides suspecta est) dicant se esse in extrema necessitate: quia testantur in propria causa; vel qualiacumque leuia eius necessitatis signa apparere; sed, vt post diuum Thomam Nauarrus, debent esse euidentia: neque etiam sufficit quòd pauper proferat schedulam parochi aut confessarij eiusdem necessitatem testantis; quia fortè non testantur de visu, quod in teste requiritur; neque constat an alius non iuuerit. tamen sufficiet si vnus aut alter fide dignus de visu testetur, modò simul constet aliunde non iri subuentum. Grauis necessitas proximi est, quãdo notabile malum, minus tamen morte, certò imminet, aut etiam ipsa mors; non tamen certitudine morali, sed quadam non improbabili coniectura. Si certò aliquod notabile malum minus morte immineat; est extrema secundùm quid, & equiparatur graui necessitati. Si non improbabili coniectura immineat ipsa mors, aut periculum vitæ; est grauis propriè & absolutè. Si verò aliud notabile malum, minus morte, solùm coniectura non improbabili immineat, est grauis secundùm quid.

Communis necessitas est quam patiuntur communiter pauperes.

Bona autem quibus pauperibus succurrimus, vel sunt necessaria vitæ nostræ, vel personæ, vel superflua. Necessaria vitæ, sine quibus ipse in necessitatem extremam aut quasi extremam deueniret. Necessaria personæ, sine quibus statui tuo congruenter viuere non posses. Vbi obseruat Petrus Nauarra, etiam illa contineri quæ probabiliter fuerint necessaria ad statum ad quem licitè aspiras. Superflua sunt, quæ neque vitæ, neque personæ ad status conditionem sunt necessaria.

### DVBITATIO I.

### *Vtrùm de necessarijs vitæ tuæ tenearis fratri succurrere extremam necessitatem patienti?*

RESPONDEO, Neque teneri, neque posse quempiam, vt alicui extraneo sic laboranti succurrat, impendere necessaria vitæ suæ & filiorum; nisi fortè qui periclitatur, sit persona valdè necessaria Ecclesiæ vel Reipublicæ. Ita diuus Thomas.

Vbi notandum est, tibi necessaria ex iusta causa (secundùm restrictiones, quibus diximus amicum pro amico posse mortem subire) te posse alteri, etiam priuato similiter laboranti cedere, non tamen necessaria filijs tuis.

Notandum Secundò, Si certissimò sis moriturus nisi retineas, non debere te sub mortali dare personæ necessariæ Reipublicæ aut Ecclesiæ; imò fortè posse in necessitate pari, præferre parentes, vxorem & filios, quamuis non fratres. Id enim problematicè posse disputari, sentit Dominicus Sotus lib. 4. de iustitia & iure quæstione 7. articulo primo circa finem.

Non obest huic doctrinæ, quòd 3. Regum 17. neque Elias petendo, neque mulier Sareptana dando necessaria propriæ vitæ & filij peccauerint: sperabat enim illa, & futurum nouerat Propheta, quòd non auferret filiis mater, quod Eliæ dabat, sed magis conferret, vt obseruat Cyprianus de opere & eleemosyna.

Quæres, An qui non habet superflua vitæ, teneatur habere voluntatem subueniendi & facere eleemosynam mentalem, vbi videt alium pauperem extremè indigere.

Respondet Nauarrus, Pauperes perinde obligari ad præceptum de eleemosyna facienda quoad actum interiorem, ac diuites quoad exteriorem.

Verùm probabilius est, sufficere quòd talis pauper



per in præparatione animi ita affectus sit, vt largiri vellet, si haberet, atque ita vt non inuideat alteri, neque improbet misericordiam à diuite ei factam aut faciendam. Non videtur autem obligari ad positiuè volendum isti egeno eleemosynam, siue quæ nunc per alium datur, siue quæ daretur per ipsum si haberet: tale enim affirmatiuum præceptum hîc non obligat nisi habentem quod largiatur. Momentum enim obligationis non pendet ex sola egestate aliena, sed etiam ex facultate tua: potes ergo non velle subuenire, quia impossibile est, quamuis non possis nolle subuenire si possibile esset, quia præceptum tunc esset: quamuis enim quando subuenire non potes, possis velle subuenire; indigentia tamen pauperis non est respectu tuæ volitionis, sed respectu subuentionis; quam quidem, dum fit, humanam & voluntariam esse vult Deus, qui hilarem datorem diligit: sed votum eius pauperi non prodest, tibi autem soli prodest; atque ita tunc non est in præcepto, quando præcipitur formaliter quod pauperi prosit.

### DVBITATIO II.

### *Vtrùm quicumque habet non necessaria propriæ vitæ, teneatur succurrere proximo in extrema necessitate?*

DICO PRIMO, De superfluis personæ non dubium est quin succurrendum sit extremè egenti sub peccato mortali. Hanc assertionem omnes admittunt, neque potest vllo colore in dubium reuocari. Non tamen est necessarium, in locis distitis quærere pauperes, qui extremè indigeant; sufficit enim illis elargiri, qui occurrunt. Imò quamuis non sit in vitam pauperum studiosè inquirendum, ad eum effectum vt laudabiliter eis detur eleemosyna; licebit tamen sedulò inquirere, an verè sit extremè indigens, quoad effectum, vt ei obligeris subuenire: non enim continuò teneris ei credere.

DICO SECVNDO, De superfluis vitæ, etiamsi personæ sint necessaria, præcepti est sub mortali succurrere extremè indigenti. Est communis omnium vt testatur Nauarrus: tamen S. Antoninus 2. parte, titulo 1. cap. 24. numero 5. putauit diuum Thomam sensisse, non esse tibi mortale, in extrema necessitate negare pauperi subsidium ex bonis tibi necessariis ad statum proprium, etiamsi non fuerint tibi necessaria ad vitam. Verùm sanctus Thomas hoc non dixit. Quando enim in fine huius articuli sexti dicit, laudabiliter eum facturum, qui vt proximo etiam priuato extremè indigenti subueniat, prætermitteret id quod ad status sui decentiam pertinere videretur: non voluit retractare id quod docuerat in 4. disp. 15. quæst. 2. articulo 1. his verbis: *Præceptum legis obligat, quod etiam necessitati extraneorum absolutè prius subueniatur quam propriæ necessitati, vel propinquorum conditionatæ*. Vbi apertè dicit, esse præcepti dare eleemosynam extremè indigenti de necessario ad statum. Imò idem hîc intendit: quando enim vtitur illo generali modo loquendi, vt laudabiliter eum facere dicat; non negauit ex præcepto debere: nam etiam qui opus præceptum implet, laudabiliter facit. Secundò, respiciebat ad diminutionem status; quia aliquando inordinatè minuitur, quando id non postulat satis vrgens proximi necessitas. Declarat ergo hîc inordinatum ad minimè cẽsendum, sed laudabile, quando proximus extremè indiget. Neq; refert quòd generatim dixerat, de necessarijs ad statum dare eleemosynam non esse præcepti, sed tantùm cõsilij: intelligendum enim id esse extra necessitatem extremam, si de egente priuato agatur; aut grauem, si de Republica, aut extra ingressum Religionis, aut casum quo facilè resarciri potest eiusmodi diminutio, vt non sequatur maximum inconueniens, puta magnum damnum aut periculum animæ vel corporis, manifestum est ex subiectis exceptionibus apud ipsum D. Thomam.

Probatur nostra assertio: Proximum debemus diligere sicut nos ipsos; natura autemnostra non concedit conuerti in augmentum, quod necessarium est ad nutrimentum; illud ergo sine quo proximus viuere non potest, subtrahendum est statui nostro; quo non tam subsistimus quàm ampliamur. Est argumentum S. Thomæ in 4. suprà. Confirmatur ex c. 3. Lucæ, vbi Ioannes dicit, *Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat*. Duas enim tunicas, id est, vestimentum necessitati vitæ superfluum habet diues, cui pro statu prouisum est: iubetur ergo vnam dare non habenti.

Sed quæres, Quid si frater extremè indigeat escis, diues autem non habeat escas nisi vitæ necessarias, sed habeat duas tunicas.

Respondeo; Vnam illarum in escam pauperis vendere debebit. Neque enim solus pistor habet escas, sed quicumque eas emere potest.

Quæres Secundò, Quid si nunc dando de superfluo vitæ, non status, incursurus sim probabile periculum extremæ necessitatis paullò pòst secuturæ; tenebórne dare extremè indigenti?

Respondeo; Non teneberis, modò rursum hîc caueas, ne sollicitudo nimia in crastinum sit præiudicium fratris.

Quæres Tertiò, An tenear pretiosam, qua vtor secundùm statum, vestem, diuendere, si aliam non habeam, & ex eius pretio viliores duas, mihi vnam, alteram pauperi extremè indigenti comparare?

Respondeo cum Nauarro contra Siluestrum, teneri.

Quæres Quartò, An pauperibus qui ad mendicandum in publicis locis expositi, vel ex nuditate, vel ex morbo, extremæ necessitatis euidentia signa ostendunt, sub præcepto debeam succurrere, si habeam superfluum vitæ?

Respondeo, Rarius euenire vt tenearis, quia ferè ad mouendum spectatores, istiusmodi necessitas exaggerari, aliquando etiam simulari ab eis solet; vel sanè ab aliis iuuandi facilius præsumuntur. Alias rationes refert Nauarrus.

### DVBITATIO III.

### *An extremè indigenti quando subueniendo in eamdem necessitatem non incideremus, teneamur non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia succurrere?*

RESPONDEO; Quamuis quidam existimarint, nos teneri ex iustitia, non quidem commutatiua, sed alia quadam, quam subsidiariam vocant, vt Caietanus infrà q. 118. a. 4. Arragonius hîc & infrà quæstione 66. articulo 7. Petrus Nauarra lib. 3. De restitutione cap. 1. num. 343. longè tamen probabilior est communis sententia, non

non esse hîc obligationem iustitiæ, sed charitatis: quam sequitur Nauarrus cap.24.num.7.Sotus de Iustitia & Iure quæst.7. Neque enim habet vsus piorum, vt qui neglexerit in extrema necessitate dare eleemosynam, obligetur ad restitutionem; sed certum est, solam charitatem aut virtutem misericordiæ habere vim obligandi iure naturæ, remota omni obligatione alterius virtutis, à qua interdum contingit imperari eleemosynam. Qualis est iustitia qua Deo satisfacimus, aut qua restituimus pauperibus ex iuris positiui præcripto per maleficium acquisita, quorum dominus ignoratur. Ad hæc, vbi debitum iustitiæ est in vna parte, ibi etiam ius est exigendi in altera: atqui pauperes in necessitate præteriti, aut eorum filij, non habent eiusmodi ius exigendi restitutionem.

Dices, Cogi possunt ad eleemosynam in necessitate largiendam diuites; ergo tenentur ex iustitia.

Respondeo in primis; Antecedens nonnullam habet difficultatem: quando enim superior rogando obtinere posset, priùs deberet rogare quàm præcipiendo cogere, vt insinuat Nauarrus in citatum cap. Quiescamus. quod signum est, non præiacere hîc obligationem iustitiæ: vnde etiam per pauperes non potest pro eiusmodi coactione institui actio. Deinde sequela non est firma: esto enim, liceat pauperibus implorare officium iudicis, vt cogat diuites ad eleemosynam, quod tenet Glossa in capitulum Sicut, dist. 47. quam sequitur Parnorm.in capitulum Si quis.De furtis; Couarruuias lib. 3. variarum Resolutionum cap. 14. num.5. & alij multi: inde tamen consequens non est, quòd tenebantur ad eleemosynam ex iustitia: quia superior potest subditos cogere, vt seruent illam legem naturæ & charitatis, quam seruari tanti interest Reipub. Neque enim rectè dixit Sotus lib. 5. de Iustitia quæst.3. art.4. neminem cogi posse ad illud præstandum, ad quod ex iustitia non tenebatur, vt benè contra eum Petrus Nauarra suprà num. 374. Confirmatur ex cap. Apostolicam. De simonia, & Glossa ibidem: vbi statuitur, clericos, qui nihil possunt petere pro exequijs, & benedictionibus nubentium, & similibus, posse tamen implorare iudicem, vt cogat laicos seruare consuetudinem piam & laudabilem aliquid certi erogandi.

Obijcies iterùm, D. Thomam infrà quæst.118. art.4.ad 2. docere hîc subesse obligationem debiti legalis. Ita enim intelligit illud Basilij homil. ad diuites auaros; *Est panis famelici quem tu tenes.*

Respondeo; Legale debitum intelligit S Thomas (vt patet ex quæstione 80.) ad quod reddendum aliquis lege tenetur, non tantùm ex inclinatione honestatis. Ad eiusmodi ergo legale debitum sufficit obligatio charitatis. Confirmatur: Quia alioquin sanctus Thomas esset sibi contrarius: nam Quodlibeto 6. a.12. dicit, diuitem non dantem eleemosynam ex patrimonio suo, non vsurpare sibi tamquam proprium quod alienum est, vt faciunt clerici malè distribuentes pauperibus bona Ecclesiastica eis debita; sed solùm peccare abusu rei suæ, eam non erogando quando oportet.

Obijcies Tertiò; Debitum iustitiæ simul & charitatis maius est quàm debitum charitatis solùm: si ergo extremè egenti non debeatur panis diuitis ex iustitia; sequetur quòd Petrus cui Paulus debitor dedit panem deferendum ad Ioannem cui debebatur, non possit eum retinere, posito quòd ipse simul cum creditore incidit in extremam necessitatem.

Respondeo, Non sequi. Imò nec creditor posset Petro eripere panem, quamuis sit ei debitus, imò (vt etiam hoc ponamus) fortè sit in eius dominio: nisi ponatur Petrus ipsi prior eripuisse, non poterit ei eripere. Possessor enim panis eo ipso quo est in extrema necessitate, ius habet eò vtendi, ita vt sine iustitia inuito eripi non possit: neque tenetur domino eum restituere; quia in extrema necessitate omnia, quoad ius hîc & nunc vtendi, sunt communia; & rei occupatio quæ citra iniuriam alterius præcessit, loco diuisionis est.

Obijcitur Quartò, Patres sæpè dicunt, in extrema necessitate non dantes eleemosynam, res alienas detinere & inuadere, esse raptores, & similia. Fauet Scriptura Ecclesiastici 4. *Eleemosynam pauperis ne defraudes.* & infrà, *Redde debitum tuum.*

Respondeo, Alienum eos vocare, quod aliis est debitum non debito iustitiæ particularis, sed charitatis. Simili tropo dicuntur iidem diuites occidere pauperes, quo hîc dicuntur raptores: non dando enim quod debent, quando id ad vitam pauperis est necessarium, rapiendo censentur occidere.

Obijcitur Quintò, Introducta est rerum diuisio, sine præiudicio extremè indigentis, cui res tua ex iure naturæ debebatur: ergo sicuti illi qui tibi rem aliquam commodauit, teneris ex iustitia repetenti restituere, ita hunc panem ex iustitia teneris reddere pauperi, cui iure gentium in ipsa diuisione reseruatus est.

Respondeo; Rerum diuisio reliquit pauperi ius aliquod, quod ei ex iure naturæ competebat ad hanc rem sibi necessariam, non quatenus illud ius considerari potest vt positiuum, quale est commodantis in rem commodatam; sed solùm quatenus est negatiuum: ita vt sine iniuria non possit pauper prohiberi, quo minùs petat à diuite panem, aut quo minùs negatum pro subleuanda necessitate auferat: diuisio autem iure gentium introducta effecit, vt ex iustitia non teneatur diues dare, sed solùm ex misericordia.

## DVBITATIO IV.

*An præceptum Eleemosynæ non obliget sub mortali extra necessitatem extremam?*

Eo iam constituto, quòd in extrema necessitate ex superfluis eleemosyna sit præcepti; hîc inquirimus, quid sentiendum sit de graui aut communi necessitate: variè enim Doctores opinantur.

Quidam dicunt, nõ fore mortale, etiamsi diues qui habuerit superflua personæ pauperes neglexerit in communi aut etiam graui necessitate, modò ea non sit extrema. Ita tenet Gabriel in 4.distinct.16.quæst.4.concluf.5. Docet enim, eum qui habet superflua, in extrema necessitate peccare mortaliter, nisi eroget; in graui, venialiter; in communi, non peccare. Probat: Quia alioquin vix vllus diuitum saluaretur. Secundò, quia nihil oporteat damnare culpæ mortalis, nisi sit euidens ratio, vel sacræ Scripturæ auctoritas.

Aliorum sententia in alio est extremo, non solùm in graui, sed etiam in communi necessitate sub mortali præceptam esse diuitibus ex suis superfluis



superfluis eleemosynam. Ita tenet Banesius, Dominicus Sotus Deliberatione in causa pauperum capite 8. & alij citati à Banesio. Fundamentum est, quia superflua eo ipso quo talia, debeantur pauperibus.

Aliorum denique vt moderatior, ita & verior est opinio, Diuites teneri in graui necessitate ex superfluis status, sub mortali ad eleemosynam; in communi autem, non nisi sub veniali. Pro qua sententia sit

PRIMA PROPOSITIO. Verissimum est, non tantùm in extrema, sed etiam graui necessitate proximi, eleemosynam sub mortali esse præceptam ex superfluo personæ. Est diui Thomæ multis locis, quæ cap.2. opusculi De eleemosyna producit Caietanus contra quosdam qui D.Thomæ impegerant sententiam contrariam. Tenet idem Siluester verbo Eleemosyna, quæst.1. concl.5. Idem etiam habet Couarruuias lib.3.variarum Resolutionum cap 14 Richardus & Paludanus in 4.distinctione 15. Petrus Nauarra lib.3. De restitutione cap.1.n.358. qui exempla grauis necessitatis adfert, grauem infirmitatem, notabilem infamiam, amissionem status, captiuitatem iniustam.

Notandum cum Couarruuia, magis aut minùs certam fore nostram assertionem, prout necessitas grauis, magis aut minùs accesserit ad extremam. Idem euenietex diuerso gradu superfluorum.

Probatur eadem propositio. Primò, Certum est, præceptum eleemosynæ oriri ex necessitate proximi, & tua facultate, vt Lucæ 3.& alibi sæpè indicat Scriptura: grauis autem hîc est necessitas, & facultas proportionata; si enim superfluum vitæ sit medium proportionatum subleuandæ necessitati extremæ, superfluum status erit proportionatum necessitati graui: non ergo apparet, quomodo supposito præcepto eleemosynæ toties in Scripturis fundato & commendato, ex natura rei hîc non relinquatur grauis obligatio sub peccato mortali. Quocircà aduertenda hîc erit diligenter proportio tibi necessarij ad statum, & necessitatis grauis proximi, vt etiam de necessario ad statum non tenearis succurrere sub mortali in graui necessitate: probabiliter enim sentit Victoria, Sotus, & Canus, quos sequitur & citat Banesius, quibus accedit Valentia, posse contingere infra latitudinem necessitatis grauis & necessarij ad statum, vt propter maximam aliquam proximi necessitatem, quamuis non sit extrema, tenearis etiam de illis ei succurrere, quæ aliquo modo tibi ad statum sunt necessaria, præsertim quando ea expensa facilè recuperari possunt, vt diuus Thomas monet, & sine magno incommodo potes illis carere.

Contra hanc propositionem obijciunt, Rarissimè aut numquam contingere, vt alicui occurrat pauper in graui, non tamen extrema necessitate constitutus, quem ipse aliter adiutum iri sperare nequeat; aut sanè vix vmquam contingere, vt quis habeat superfluum status, cùm possit quilibet cogitare de statu augendo, imò status cum diuitiis crescat; vt meritò dicat Nauarrus, se numquam deprehendisse casum, quo locum habeat ista propositio.

Respondeo; Propter hoc argumentum, & similia quæ adducit Nauarrus, manebit probabilis sententia Gabrielis. Dico tamen, posse contingere vt scias illo loco non esse alium qui succurret, eò quòd nororium sit, te solùm habere superfluum personæ. Quòd verò dicatur, rariùs contingere vt quis habeat eiusmodi superfluum: esto, simpliciter loquendo verum sit; nobis tamen sufficit aliquando ita contingere, præsertim in Ecclesiasticis, qui potiùs debent pauperes iuuare, quàm augere statum, vel consanguineos & amicos ditare. Deinde facilè continget, ea quæ aliquo modo ad statum possunt dici necessaria, in valdè grauem proximi necessitatem subleuandam, sub mortali esse expendenda, vt ex plurium Theologorum sententia diximus.

SECVNDA PROPOSITIO. Probabilius est, in communi necessitate pauperum, non teneri diuites sub mortali, vlli in particulari determinatè, aut etiam in confuso alicui dare eleemosynam. Tenet Couarruuias, Petrus Nauarra, & alij. Possunt enim sua superflua destinare ædificandis templis aut altaribus, aut in similes laudabiles vsus: vt eleemosyna in communem necessitatem pauperum ex his bonis numquam absolutè necessaria sit, sed totum disiunctum, in quo pars quædam etiam sit ipsa eleemosyna. Hoc tamen verum est, eiusmodi diuitem qui numquam dare vellet in communi necessitate eleemosynam, non tantùm inhumanum fore in pauperes, sed quodammodò crudelem in seipsum, cùm nullum sit efficacius remedium redimendis peccatis, quàm eleemosyna. Deinde malo suo exemplo causa erit, cur plures ab eleemosyna abstinebunt; atque ita graui damno afficiendo communitatem pauperum, & quosdam fortè etiam in grauem necessitatem conijciendo, peccabit mortaliter: & propter eiusmodi causas, non sine omni probabilitate, teneri poterit altera sententia, quòd etiam in communi necessitate sub mortali de superfluo diues teneatur pauperi alicui in confuso interdum erogare, quamuis non in particulari huic aut illi.

## DVBITATIO V.

*An sit præcepti, donare absolutè pauperi extremè indigenti: an verò sufficiat ei succurrere vendendo credito, mutuando, aut simili alio contractu oneroso?*

NON esse opus donare absolutè, sed sufficere mutuare, est sententia Adriani Quodlibeto 1. articulo 2. & in 4. tractatu De restitutione. Nauarri Enchiridij cap 24. numero 5. & cap.17. num.61. Item in capitulum Quiescamus.dist.42. n.23. Couarruuiæ in Regulam Peccatum, parte 2.§.1. num.3.

Non sufficere docet Sotus lib. 4. de Iustitia quæst. 7. Banesius & Valentia hîc, Petrus Nauarra lib.3. De restitutione cap.1.num.365. Ioannes Medina tractatu De eleemosyna, Angelus, & Siluester verbo Furtum.

Pro resolutione duo nobis notanda principia. Vnum, neminem teneri subleuare necessitatem talem proximi, in qualem ipse incideret subleuando. Secundum, diuiti qui habet superflua status, aut sanè talia superflua vitæ, vt ex illis etiam grauem, non solùm extremam proximi necessitatem subleuare secundùm suprà dicta teneretur; non sufficere quòd ponat pauperem extra extremam necessitatem, sed teneri eum ponere extra grauem, & tam abundanter ei succurrere, vt nõ sit reliqua

reliqua tanta necessitas, quæ sub mortali obliget ad isto tempore ei succurrendum.

Ex his principijs infertur responsio, quæ constat tribus assertionibus.

PRIMA ASSERTIO. Si pauper ita sit in extrema necessitate accipiendi, verbi gratia, panem, vt etiam sit in graui necessitate accipiendi eum gratis; teneris eum gratis dare. Patet, Quia alioquin non eximis eum à necessitate, sed soium ex maiori necessitate transfers in minorem, quæ tamen absolutè adhuc grauis sit. De tali necessitate pauperum intelligenda est posterior sententia, quę satis communis est, & bono nititur fundamento: mutuum enim dare, aut credito vendere, non est propriè eleemosynam dare. Itaque propriè dicta eleemosyna numquam erit in præcepto, si semper sufficiat mutuum dare. Sanè quando Scriptura vel præcipit vel commendat eleemosynam, vix aliam intelligit quàm gratuitam donationem. Patet hoc ex cap. 12. Ecclesiastici: *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam; & si non ab ipso, certè à Domino.* Et cap. 14. *Secundùm vires tuas exporrigens da pauperi. Non defraudaris à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Nónne alijs relinques dolores & labores tuos in diuisione sortis? Da, & accipe, & iustifica animam tuam.* Et cap 29. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum.* Psal. 111. *Dispersit, dedit pauperibus* Est quidem verum, illum qui mutuo dat pauperi, aliquam misericordiam præstare, secundùm illud Ecclesiastici 29. *Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo:* sed ad liberaliorem misericordiam nos hortatur Scriptura, quando mandat aut commendat eleemosynam, ad illam nimirum, qua non tam proximo quàm ipsi Deo fœneremur: ipse enim retribuet, quod pauperi non rettribututo datú fuerit, secundùm illud Prouerbiorum cap. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis; & vicissitudinem suam reddet ei.* Adhæc posterioris ad Corinth. 8. dicitur per eleemosynam vnius abundantia supplere inopiam alterius; quod non fit nisi liberali donatione: neque enim desinit esse inops, qui nihil acquirit nisi tantumdem debendo. Imò eo fit quodammodò pauperior, quòd priùs quidem non habebat, sed tibi nihil debebat: nunc autem & non habeat vt priùs, quia consumpsit; & tibi obæratus est, à quo, loco eleemosynæ mutuum accepit.

SECVNDA ASSERTIO. Sufficit dare mutuum, quando non habes quo proximo in extrema necessitate succurras, nisi necessariè personæ siue statui tuo, ita vt illa gratis largienda, in grauem incideres necessitatem, etiamsi tibi restituendo proximus incideri in similem; gratis tamen debetes dare, si recideret in extremam. Patet, Quia nemo tenetur se in eamdem necessitatem conijcere, vt ab ea proximum liberet. Itaque generatim, quando pauper restituendo probabiliter recideret in talem necessitatem, vt tu consideratus cum superfluis tuis tenereris ei etiam tunc succurrere; teneris ei nunc sine obligatione restituendi donare. Si autem mutuando tantùm, tua non sit tanta futura abundantia, neque ipsius tanta inopia, vt tua abundantia ipsius inopiam supplere sub mortali deberet; non peccas mortaliter, etiamsi aliter non succurras quàm per mutuum.

TERTIA ASSERTIO. Si proximus solùm sit in necessitate accipiendi mutuum, non peccabis mortaliter dando mutuum, etiamsi habueris superflua personæ, quia ipse petit sibi gratis dari. Eoque sensu poterit sustineri opinio prior, quæ negat opus esse gratuita donatione, & nititur non improbandis argumentis, quale est istud: Extra necessitatem constituto non teneris subuenire: constituitur autem proximus per mutuum extra necessitatem; ergo postquam mutuasti, ad nihil teneris amplius. Confirmatur, Si aliquis alius per mutuum leuasset eius inopiam, non teneris ad quidquam: mirum ergo est, quòd nunc vbi mutuum præstitisti, ad amplius tenearis. Secundò, tequeretur per alteram sententiam, sufficere quòd quis hîc & nunc sit in extrema necessitate, vt tenearis ei de superfluo vitæ succurrere liberali donatione; quod non est verum: quia alioquin, vt benè Nauarrus, pauper deberet diuiti, qui secundùm locum & tempus incideret in talem necessitatem, gratis succurrere.

## DVBITATIO VI.

### *Possit ne pauper in extrema vel etiam graui necessitate clàm subripere, aut inuito domino auferre quo necessitatem leuet?*

RESPONDEO, Non posse surripere, nisi priùs petierit si dominus præsens sit, & rogatus petierit daturus; si tamen surripiat antequam petat, modò sit in extrema necessitate, non peccat absumendo. Probabile tamen est, si venerit ad pinguiorem fortunam, quòd tenebitur restituere. In extrema autem necessitate, quando dominus tenebatur gratis dare, si rogatus non dederit, poterit egenus surripere, neque tenebitur restituere. Quandocumque autem dominus tenebatur quidem mutuare, sed non donare; auferens ipso inuito etiamsi rogatus fuerit, tenetur postmodum restituere; quamuis fieri possit, vt auferendo & consumendo nunc non peccauerit. Hactenus de extrema necessitate, in qua facilè Doctores consentiunt, licere pauperi auferre superflua diuitis etiam inuiti, neque id furtum fore, eò quòd saltem quoad vsum in extrema necessitate omnia sint communia, hactenus vt prohiberi non possit pauper à rationabiliter inuito, quin ex superfluis alterius inopiam suam subleuet.

Notat tamen Sotus lib. 5. de Iustitia quæst. 3. articulo 4. propter iura quædam ciuilia, quæ hoc requirunt, debere pauperem antequam surripiat, indicare magistratui suam inopiam, quando id commodè fieri potest: tenetur etiam diuiti à quo vult auferre, si speret daturum, priùs indicare. Quamuis enim nõ sit rationabiliter inuitus quoad substantiam ablationis, est tamen quoad modum inordinatum. Itaque talis furtum committeret auferendo, non tamen committeret iniustitiam consumendo; quia etiam furto sublata potest in tali necessitate absumere.

Maior est difficultas, quando solùm est grauis, non extrema necessitas, An liceat pauperi auferre quo videt alium abundare, se autem indigere? Quidam enim dicunt, id non licere: ita Couarr. in Regulam Peccatum 2. parte. §. 1. numero 3. Sotus lib. 5. de Iustitia suprà, Caietanus infrà quæst. 66. art. 7. Alij dicunt, licere: vt Angelus, & Siluester verbo Furtum, quos sequitur Nauarrus cap. 17. numero 5.



Respondeo; In graui necessitate, etiamsi ea non fuerit extrema, probabile est licere pauperi auferre illud quo indiget à diuite, qui per hanc ablationem non incidet in grauem vllam necessitatem, aut notabile status detrimentum: quod maximè vsu venit in necessitate famis, quæ & grauiter vrget, & minori detrimento restauratur. Contingit tamen casus, vbi ex necessarijs ad statum admodum extensè consideratis teneatur diues succurrere pauperi in graui necessitate, quæ non sit extrema, in quo fortè non licet pauperi inuito auferre. Neque enim omnino generaliter verum videtur, extra necessitatem extremam, quod quandocumque diues tenetur dare, pauper eo non dante possit sibi surripere: quod tamquam regulariter verum videtur sentire Siluester & alij plures. Est enim rationi consentaneum, paulò maiorem esse inopiam, vt possis auferre inuito, quàm vt dominus teneatur dare. Est tamen è contrà casus, vbi tu possis auferre, & dominus tibi in particulari non tenebatur dare; quia fortè plures estis in eadem necessitate admodum graui, & ipse vni tantùm succurrere potest.

Obijciunt capitulum Siquis, De furtis: *Siquis propter necessitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus; pœniteat. hebdomadas tres: & si reddiderit, non cogatur ieiunare.* Hîc (inquit Couarr.) non agitur de necessitate extrema, in qua non committeretur furtum, sed de alia graui, in qua sine furto significatur rem alterius ditioris pauperem non posse auferre.

Respondeo ex Glossa & diuo Thoma infrà quæst. 66. art. 7. capitulum loqui de necessitate neque extrema, neque ita graui, vt licuerit auferre; sed modica, vt minuat quidem peccatum furti, non tamen auferat. Verisimile enim est, respici ad illud Prouerbiorum 6. *Non grandis est culpa cùm quis furatus fuerit: furatur enim vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum.* Itaque propter culpam aliqualem dicitur furatus. Quia autem restituere tenebatur, & satis hoc graue ei erat, vbi non grauior subfuisset culpa; statuit Canon, vt ipsa restitutio quasi in partem satisfactionis aut pœnitentiæ ei reputetur; vt vbi reddiderit, non cogatur ieiunare. Petrus Nauarra putat illum de quo Canon, non peccare auferendo, sed solùm non restituendo. Verùm quod diximus, solidius videtur. Nisi enim etiam auferendo peccaret, non diceretur auferendo furatus: licita enim alienæ rei ablatio non est furtum, vt docent communiter Summistæ verbo Furtum, & Philosophus 2. Ethicorum: furtum enim intrinsicè malum est. Deinde quamuis per vocis abusum, furtum accipi possit pro clandestina ablatione, etiam iusta, vt patet 4. Regum 11. & 2. Paralipomenon 22. *Furata est eum de medio filiorũ regis*; non tamen videtur hîc ita accipi: quia simpliciter iubetur ita furatus tres hebdomadas pœnitere, non tantùm in casu non restitutionis; quamuis in casu restitutionis tunc factæ, laxetur ei ieiunium.

Objciunt Secundò auctoritatem D. Thomæ Quodlibeto 8. art. 12. vbi docet, si non appareant euidentia signa extremæ necessitatis, non teneri diuitem pauperi dare eleemosynam; ergo multo minùs licet pauperi surripere.

Respondeo; Diuum Thomam ibi appellare extremam necessitatem, quam vocat dicta quæstione 66. euidentem & vrgentem, eamque distinguit, non contra grauem simpliciter, de qua nostra responsio; sed contra grauem secundùm quid, aut communem: tantùm enim ponit duas necessitates, vnam extremam, & alteram communem, sub extrema comprehendens omnes quæ ad ipsam accedunt.

Objcitur Postremò, Si liceat pauperi in necessitate graui surripere, omnia implebuntur furtis & rapinis. Facilè enim quisque prætendet suam necessitatem grauem, & alterius bona esse superflua: imò etiam qui mendicando poterunt necessitatem euadere, prætextu grauioris detrimenti in honore suo aut statu, clanculùm potiùs per furta sibi consulent, quàm mendicitatis infamiam subeant.

Respondeo, Hæc incommoda ex nostra sententia non sequi. Primò, Quia requirimus valdè grauem necessitatem, antequam permittamus rem auferri inuito aut inscio domino. Secundo, Quia non facilè potest quis de alio præsumere quòd habeat superflua status, secundùm ea quæ suprà diximus. Tertiò, Quando potest quis mendicando à pluribus necessitatem suam subleuare; non habet iustam necessitatem, totum quo indiget surripiendi ab vno. Quod enim de medicationis dedecore opponitur, quamuis tanti faciat Banesius sub finem articuli sequentis, vt existimet virum honestum, cui magnum dedecus esset mendicare, posse clanculùm surripere in extrema necessitate, ne cogatur publicè mendicare: rectiùs tamen videtur contrarium sentire post Titelmannum in Psal. 36. Nauarrus in sæpè citatum capit. Quiescamus, numero 34. Idque multò magis verum erit, quando non est extrema necessitas, præsertim cùm pudor ille in necessitate mendicandi non videatur sanctus aut Christianus; sed si Nauarro credimus, potiùs vana superbia. Est tamen verum, vt benè monet D. Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 30. & refertur capit. Considerandæ, dist. 88. in delectu pauperum quibus eroges, habendam esse rationem verecundiæ, quę ingenuos prodit natales.

## ARTICVLVS VII.

### *Vtrùm possit fieri Eleemosyna de iniustè acquisitis?*

RESPONDEO; Si iniustè acquisita sint à restitutione libera, quale est acquisitum per meretricium: aut si sint restitutioni quidem obnoxia, non tamen ei reddenda qui dedit, eò quòd ipse etiam contra iustitiam ea dederit, vt contingit in eo quod Simoniacè datur & accipitur; poterit de ipsis fieri eleemosyna. Eadem est ratio, si reddenda quidem sint illi qui dedit, sed is non reperiatur: tunc enim si per iniustitiam sint acquisita, danda sunt necessariò in pium vsum, aut eleemosynam: si autem licitè sint à te acquisita, saltem ea poteris in pauperes elargiri; quando autem restitutioni sunt obnoxia quæ fortè illicitè habes acquisita, & extat cui debentur; non potes ea pauperibus elargiri, nisi in extrema necessitate, & nisi fortè sint pecuniæ tuis permixtæ, & largiendo non reddaris impotentior ad restituen-

dum; aut generatim, nisi sine præiudicio creditoris fieret de ijs eleemosyna: quomodo excusabimus vsurarios dantes eleemosynam de vsuris, si habeant vnde restituant vsuras aliunde. E contrà etiam de licitè quæsito non facienda est eleemosyna, quando id cederet in præiudicium creditoris.

Vnde colligimus, quando de illicitè acquisitis non potest fieri eleemosyna, potiùs id ex eo prouenire, quòd data pauperibus, ea nõ haberet is cui debentur, quàm ex eo quòd illi ablata sint qui ea debebat retinere; aut is ea acceperit, qui accipere non debebat.

De meretricio lucro litem mouet Bartholomæus Camerarius Dialogo de eleemosyna. Putat enim, lucrum istud non posse conferri in vsum pauperum etiam extra altare pro satisfactione peccatorum; Quia, inquit, si de suo aliquo modo meretrix dat, non tamen de suo, id est de munere quod à Deo habet, dat: & eleemosyna quę de Dei bonis non fit, quorum dispensatores nos sumus, nihil valet; eò quòd doceat Auctor libri Augustino inscripti De salutaribus documentis cap. 31. de suo quemq; dare debere, id est de eo quod sibi à Deo datum est, non autem de dato diaboli. Addit, eos qui eiusmodi eleemosynas probant, malè intellexisse D. Thomam. Huc pertinere putat, quòd peccatrici ex turpi lucro comparato vnguento Christum vngenti, non tam vnguentum quàm fides profuisse dicta sit.

Verùm apertissima D. Thomæ sententia est, non quidem de meretricio fieri posse oblationem ad altare, rectè tamen fieri eleemosynam. Hactenus enim de suo & à Deo sibi dato faciet hanc eleemosynam peccatrix, quòd eius acquisitio non fuerit iniusta, quamuis ex opere illicito. Confirmatur; Quia etiamsi Magdalenæ vnguentum fuerit ex tali lucro comparatum (vt nimis facilè supponit aduersarius) sine errore tamen potuisset quis dicere, cui de pauperibus sincera cura fuisset, *Potuit hoc vnguentum venumdari multo, & dari pauperibus.*

Contra illam Responsionis partem, qua de illicitè acquisitis restitutioni certæ personę obnoxijs, negamus dandam eleemosynam, opponi potest illud Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; quo Dominus iubet nos dando eleemosynam imitari illum seruum, qui ex alieno liberalis fuit. Item quod cap. 11. eiusdem Euangelij Dominus Pharisæos, quorum interiora erant plena rapina & iniquitate, hortetur ad eleemosynas.

Sed Respondeo, Si mammona iniquitatis ibi velis intelligere diuitias ex alieno per iniustitiam quæsitas (quod necessarium fortè non est, cùm alius possit esse sensus:) dici poterit, hoc accipiendum de illis tantùm quæ pauperibus dari possunt sine præiudicio eius cui ex iustitia debentur, secundùm ea quæ suprà diximus. Neq; enim villici iniquitatem, sed prudentiam imitandam Dominus proponit. Quòd verò Dominus plenis iniquitate & rapina Pharisæis dicat, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. quamuis à D. Basilio in Regulis breuioribus respons. 27. ita acceptum videri queat, quasi dictum sit, Omnia quæ rapinâ & auaritiâ peccastis, mundabitis per eleemosynam; non tamen id excluſa necessaria restitutione intelligendum fuerit: debebant enim dicere cum Zacchæo, cuius etiam meminit Basilius, *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si quid aliquem defraudani, reddo quadruplum.*

Contra id quod D. Thomas dicit aliquando Simoniacè acquisita danda esse in eleemosynam; videtur facere Gregorius lib. 7. epistola 110. Sed solùm vult, non posse ideò committi Simoniam, vt pretium detur pauperibus. Item per modum eleemosynæ non comparare sibi meritum, qui sic dederit; quia dat quasi ex necessitate, non vt hilaris dator & liberalis; neque enim de suo dat.

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm ille qui est in alterius potestate constitutus, possit facere Eleemosynam.*

RESPONDET D. Thomas, Non posse de eo, secundùm quod est sub potestate alterius; posse autem de eo, secundùm quod sui iuris est. Vxor ergo secundùm præscriptum mariti dabit eleemosynam; neque dicet, Facio de meo quod volo, vt docet Augustinus epistola 199. cùm & ipsa non sit sua, sed capitis sui, id est, viri sui.

Sunt tamen aliquot modi & casus, quibus eleemosyna illis licita est, qui sunt sub potestate alterius constituti.

Primus est, Quando pauper fuerit in extrema necessitate: tunc enim de alieno liceret ei subuenire, multò magis de proprio, quamuis subsit alterius arbitrio.

Secundus, Quando accedit mariti, patris, domini aut Abbatis saltem tacitus & meritò præsumptus consensus: non tamen sufficit ad præsumendum hunc consensum, quòd maritus consenserit in votum castitatis simplex vxoris, & ipse etiam continentiam simili voto promiserit, vt patet ex D. Augustino citato.

Tertius, Quando per eleemosynam consulendum est saluti auari mariti: hoc enim potest vxor etiam inuito marito pro arcta societate quam cum eo habet; sicut & medicos cum magno sumptu adhibere potest in infirmitate eius corporali, quantumuis reluctetur. Ita fecit Abigail vxor Nabal. 1.Reg. 25.

Quartus, Quando res quæ datur modica est, vt panis, ita vt non inferat notabile damnum: quomodo etiam famulos qui aliquam habent potestatem dispensandi rem familiarem, aut in vtilitatem domini tractandi, existimat Siluester, inscio domino posse eleemosynam facere. Banesius vxori permittit dispensationem vigesimæ partis annui prouentus inscio viro.

Quintus, Quando consuetudo ipsis licitam facit certi modi aut generis eleemosynam: quomodo inconsulto viro consuetudo habet, vt eroget vxor de esculentis & poculentis suo arbitrio. Neque id mirum: eiusmodi enim res censentur annexæ curæ culinariæ, quæ solet matribus familias incumbere: neque enim in eiusmodi vxor tam subdita est, quàm socia marito, vt etiam Philosophus in Oeconomicis docuit. Quia tamen consuetudo nihil potest contra ius naturæ, si excesserit rectæ rationis limites, non suffragante consuetudine, peccabit largiendo contra voluntatem mariti.

ARTI-



## ARTICVLVS IX.

### *Vtrùm propinquioribus sit magis Eleemosyna danda?*

ARTICVLVS iste satis patet ex dictis De ordine charitatis.

Occasione tamen primi argumenti quęritur, An etiam malis sit danda eleemosyna?

Respondeo ex sancto Thoma, esse dandam malis spectatis quatenus homines sunt, non autem quatenus mali sunt. Idem dixit Gregorius 3. parte Pastoralis, admonitione 21. *Qui indigenti etiam peccatori panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, tribuit, nimirum non peccatorem, sed iustum pauperem nutrit, quia in illo non culpam, sed naturam diligit.* Siquis ergo malis in extrema necessitate neget eleemosynam, peccabit mortaliter, etiamsi essent Turcæ aut alij infideles, nisi fortè iure illos occidere posset: qui casus in bello facilè contingit. Antequam enim hostis captus donatus est vita, licet ei vitæ necessaria negare; secùs quando vita iam donatus est. In necessitate autem communi, quando solùm cibus petitur, sine inquisitione curiosa dandus est omnibus, vt sæpè monuit Chrysostomus, & est conforme doctrinæ Christianæ: *Omni petenti te tribue. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Luc. 6. Rom. 12. Consuli potest capitulum Quiescamus, dist. 42. & cap. Quam pio 1. q. 2. & capitulum Quoniam multos 11. q. 3. Vbi tamen excipitur casus quo daretur excommunicatis eleemosyna in sustentationem superbiæ. Similiter excipitur ab eleemosyna ille peccator, qui per securitatem cibi negligeret iustitiam. De quo videre licet August. ep. 48. & cap. Non omnis 5. q. 5.

Cęterùm an rigor ille sit commendabilis, quo nonnulli voluerunt aliquando omnes pauperes astringere ad Confessionem sacramentalem faciendam, antequam permittantur mendicare; videre licet tractatum apud Dominicum Soto, Deliberatione in causa pauperum cap. 10. vbi non mulcùm videtur eum probare. Verùm de hac re prudentia Christiana, inspectis circumstantiis, iudicabit, ne prætextu salutis neglectæ animæ, occidatur pauper in corpore; aut ne occasione corporalis subuentionis negligamus subuenire in anima, vbi fortè non minor est inopia. Sanè quando communis tantùm est necessitas eorum, qui ad publica nosocomia diuertunt; rectè iubetur initio confiteri, alioqui non recipiendi aut dimittendi.

Obiicitur contra doctrinam huius articuli, Non videri malis dandam eleemosynam, Primò, ex illo Euangelij Lucæ 16. *Vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Inde enim apparet, solis iustis, qui futuri sunt in tabernaculis illis in quæ susci pi speramus, dandas eleemosynas.

Accedit Ecclesiasticus cap. 12. *Benefac humili, & non dederis impio; prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit.*

Denique sanctus Hieronymus ad Damasum, & habetur 16. quæst. 1. capitulo finali, dicit in pauperibus non tam paupertatem quàm religionem esse attendendam.

Ad primum Respondeo, Non hoc voluisse Dominum, omnes illos pauperes quibus benefecerimus, & qui nos recipient in tabernacula æterna, futuros beatos: sed hoc voluit, propter pauperes quibus benè fecerimus, nos in cælum recipiendos non secùs ac villicus ille iniquitatis à debitoribus sui domini quibus multa donarat, receptus est. Vel dici potest, pauperes hìc considerari vt bonos, diuites vt iniquos; non quòd omnes pauperes boni, aut omnes diuites iniqui sint; sed quòd hi difficiliùs, illi faciliùs iustificentur.

Ad secundum & tertium Respondeo, Eiusmodi auctoritatem non concludere, in communi eleemosyna planè reiiciendos esse malos, si verè pauperes fuerint; sed potiùs in notabili beneficentia aut distributione præferendos esse bonos. Denique seruandum esse illud ad Galat. 6. *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.*

## ARTICVLVS X.

### *Vtrùm Eleemosyna sit abundanter facienda?*

RESPONDEO, Multum dare respectu eius quod habes, vt vidua obtulit in gazophylacium, laudabile est, modò seruetur, quod suprà dictum de inordinatè seipso non exuendo rebus necessariis; sicuti etiam multùm dare respectu accipientis hactenus quatenus eius inopia perfectè subleuatur, non autem vt superfluè ei detur: præstat enim in plures diuidere, quàm vni nimium dare. Luc. 21.

Quæres, An etiam potiùs expediat plures imperfectè iuuare, quàm pauciores perfectè.

Respondeo, Potiùs quàm communis iste modus plùribus elargiendi aboleretur, retinendum eum esse præ altero, propter plurima quæ secum adfert commoda, quæ videre licet apud Dominicum Sotum Deliberatione in causa pauperum. Si tamen eo saluo possis aliquibus, quamuis pauciores, prodesse efficaciùs; fieri poterit, vt istud satius sit: quamuis enim ex genere bonum commune sit præstantius; fieri tamen potest, vt iste excessus aliunde compensetur etiam cumfœnore,

# QVÆSTIO TRIGESIMATERTIA.

## De Correptione fraterna.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm fraterna Correptio sit actus charitatis?*

POST corporalem eleemosynam agit D. Thomas de spirituali, qualis est correptio fraterna, qua ditior in spiritualibus bonis, alterius spiritualem defectum auferre nititur.

Ad vocem correptionis quod attinet, illam inter corripere & corrigere differentiam significauit diuus Augustinus libro primo de Ciuitate capite 9. quòd corripiamus vt corrigamus. Verùm sicuti medicinam dicere solemus etiam illam, quæ propter infirmi intemperantiam non

medetur; ita Gregorius parte 2.Pastoralis cap 6. & eum secuti Scholastici, omnem correptionem vocant correctionem, eò quòd sit in correctionem: fraternam autem dicunt, vel à fine, quia in bonum fratris delinquentis adhibetur, non propter aliquem tertium; vel sanè ab efficiente, quia non fit à iudice, sed à fratre.

D.Thomas in 4.dist.19. quæst.2.art.1. distinguit inter correctionem & correptionem, quòd illa sit Prælati & actus iustitiæ, hæc fratris & actus charitatis. Quæ distinctio inde videtur prouenire (vt conijcit Sotus De tegendo secreto, membro 2. quæst.1.) quòd Prælati cùm habeant vim coactiuam, non tam expectent vt se emendent delinquentes, quàm ipsi eos corrigant puniendo, vt legi quam agendo contempserunt, patiendo satisfaciant, adeoque iam meliores & regulæ suæ magis conformes euadant.

Quidam hæretici nostri temporis corripere apud Matthæum cap. 18. dicunt nihil esse aliud, quàm corripere demonstratione & conclusione argumentorũ: Græcè enim esse ἔλεγξον, quod melius vertatur argue, quàm corripe. Chrysostomus tamẽ hîc potiùs audiendus, melior Græcus, melior Doctor, qui in correptione peccatorum cõmemorationem & exaggerationem intelligit. Sanè apud Luc.c.17. *increpa* loco *corripe* scriptum reperitur. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum*: & etiam apud Matth. vox Syra increpationem significat.

Responsio D. Thomæ ad articulum est, fraternam correptionem, id est quæ ordinatur ad bonum delinquentis, esse actum charitatis magis quàm eleemosyna corporalis; quamuis correctio quæ est in bonum potiùs aliorum quàm delinquentis, sit actus iustitiæ. Confirmatur ex illo ad Hebr.12. Apoc.3.& Prouerb.3. *Quem enim diligit Dominus, corripit.*

Quæres, An correptio verè sit actus misericordiæ. Cùm enim versatur circa proximi peccatum, non videtur versari circa malum eius inuoluntarium, quod suprà diximus esse obiectum misericordiæ.

Sed Respondeo, Correptionem esse actum proximè elicitum à charitate, si consideretur vt tollit defectum gratiæ & charitatis à proximo quatenus est talis: est autem mediatè solùm à charitate, & proximè à misericordia, quatenus tollit miseriam spiritualem & defectum quemdam quodammodò inuoluntarium ipsius proximi. Defectum ergo proximi tollit misericordia, defectum charitatis & gratiæ charitas. Quomodo autem peccatum possit subire rationem mali inuoluntarij, partim patet ex 1.2. quando dictum est, quomodo vnum peccatum possit esse pœna alterius; partim ex eo quòd non omnia peccata committantur ex malitia, sed quædam ex ignorantia & passione seu infirmitate, de quibus solis, an proximus sit corripiendus, infrà dicemus. Denique quomodo vtiliter corripiantur etiam illi qui probè norunt malum esse quod faciunt, Chrysostomus ostendit homil. 30. in epistolam ad Hebræos exemplo infirmi qui à frigidæ aquæ potu cohibendus est, non quòd ignoret sibi noxiam, sed quòd vincatur passione, nisi à te sano abstineatur.

Quæres Secundò, Quomodo potest esse correptio actus misericordiæ, cùm remissioni peccati ac indulgentiæ quæ est actus misericordiæ, opponatur.

Respondeo; Habet quidem correptio plus iustitiæ quàm remissio peccati; vt propterea habeat Glossa Rabani in caput 18. Matthæi, *Peccantem zelo iustitiæ corrigamus.* Est tamen verè actus misericordiæ potiùs quàm iustitiæ, quia est præparatio quędam ad remissionem mediante pœnitentia, vt patet apud Lucam, *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum.* Quid enim increpando & corripiendo intendere debeamus, postquam increpandum fratrem monuerat, subiungit, *Et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Correptio ergo quæ increpat vt dimittat, non potest non esse actus misericordię, quandoquidem dimittere ei peccatum qui in nos peccauerit, sit opus misericordiæ. Confirmatur ex Psalmo 140. *Corripiet me iustus in misericordia.* Apertè idem dicitur capitulo Tria sunt, dist.45.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Correptio fraterna sit in præcepto?*

MAIORIS methodi caussa in tres dubitationes materiam huius articuli diuidemus.

### DVBITATIO I.

*An sit vllum præceptum legis naturæ, quo sub mortali obligemur fratrem corripere?*

RESPONDEO; Dicendum, certum esse de fide, quod præceptum legis naturæ, quo sub mortali obligamur corripere, comprehendatur generali præcepto charitatis & eleemosynæ. Ita Dominicus Soto De ratione tegendi secreti, suprà. Probatur; Dictum est suprà, eleemosynam spiritualẽ esse corporali potiorem; erit ergo maior obligatio succurrẽdi animæ proximi, quàm corpori, vt rectè monet D. Gregorius hom.6. in Euangelia, & Chrysostomus homil.3. in 1. ad Corinth. Secundò, Si tenemur lege naturæ, proximi bonum errantem reducere, multo magis ipsum proximum errantem. Tertiò, Cùm homo natura sua sit animal ciuile, opus est hominum multitudinem coalescere in vnum quasi corpus: atqui in vno corpore membra sese mutuò corrigunt; si enim pes labatur, corripitur ab oculo.

Hoc præceptum naturale pluribus locis indicat Scriptura, 1.ad Thessal.5. *Corripite inquietos.* 2.ad Thess.3. *Corripite vt fratrem.* Ecclesiastici 7. *Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.* & Prouerb.27. *Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus.* Ecclesiastici 19. *Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat: Non feci: aut si fecerit, ne iterùm addat facere,* &c. Item cap.11. *Priusquam interroges ne vituperes quemquam, & cùm interrogaueris, corripe iustè.* Denique illustris est locus in Euangelio Lucę 17. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum.* Et maximè Matth.18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Neque enim illi audiendi sunt, qui vel nullum hîc volunt contineri præceptum, vel solùm de ordine correptionis, si fiat, non autem de ipsa correptione, vt fiat: vti nec illi, qui præceptum quidem hîc correptionem



nem dicunt, sed solis Prælatis: certum enim satis est, non contineri his verbis solum consilium. Si enim tempore veteris Legis, etiam quoad correptionem, Deus vnicuique mandauit de proximo suo, vt satis patet ex locis citatis: quomodo consequens est, vt in noua Lege, in qua spiritualis salutis maior est cura, consilio nos tantùm moneri, non autem præcepto vrgeri putemus, quando de fratre perdito lucrando agitur per correptionem? Similiter si tunc vnicuique Deus mandauit de proximo suo, quomodo nunc solis Prælatis? Denique non solùm ordinem correptionis, sed ipsam correptionem hîc præcipi, eadem necessitas postulat fratris, qui non solùm perit dum fortè inordinatè præcipis, sed etiam quando omnino non corripis.

Si quis hîc Patrum testimonia desiderat, consulat Augustinum tract.7. in Ioannem, & serm.16. De verbis Domini; Gregorium lib.26. Moralium c.5. Accedit Innocentius III. capitulo Nouit, De iudiciis. Ioannes VIII. capitulo Facientis, dist.86.

Obiicitur, Nemo peccat in eo quod vitare non potest; non est ergo præceptum de correptione fraterna. Probatur sequela: Quia sicuti nemo necessariò peccat, ita nemo necessitatem habet moriendi in peccato: poterit ergo sine te euadere peccatum, qui sine te non euaderet necessitatem inedia moriendi.

Respondeo; Vt dissimulemus, difficilius esse quempiam à peccato resurgere, quàm non peccare; (magis enim postquam peccauit premitur consuetudine, & destituitur gratiæ auxilio) & demus posse resurgere; non inde sequitur, quòd sine te resurget. Vt enim alibi monuimus, tu ipse es in illis auxiliis, quibus Deus voluit fratri possibile esse resurgere. Subtrahimus ergo ei medium à Deo ordinatum, quando non corripimus.

Dices, Si proximus habeat cibum, sed comedere nolit, non teneor alium ei suppeditare; ergo si Dei gratiâ possit sine mea correptione resurgere, non teneor eum corripere vt resurgat.

Respondeo, Sicuti illum teneris monere vt cibis suis vtatur, ita hunc vt Dei gratia vtatur.

Obiicitur Secundò, Vel Deus despexit fratrem, vel non despexit. Si despexerit, frustrà corrigo: quia dicit Ecclesiastes cap.7. *quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Si non despexerit, sine me ipsum corriget Deus.

Respondeo, Præsumendum facilè esse, nisi constet contrarium, quòd Deus peccatorem non despiciat, ita vt in pœnam præcedentium delictorum non sit ei daturus pœnitentiam per efficacem gratiam & altiorem misericordiam: sed potiùs præsumendum, quòd tibi velit Deus ad meritum cedere proximi conuersionem; vt dum conuertis peccatorem, operias multitudinem tuorum peccatorum, vt dicit Iacobus cap.5.

Verùm de hac re ex professo tractata plura videri poterunt apud D. Augustinum lib. De correptione & gratia.

Obiicitur Tertiò, Ipse peccator non tenetur statim reconciliari; ergo neque alius tenetur eum corripere.

Respondet Banesius, Non sequi; eò quòd quisque sit dominus bonorum suorum spiritualium, bonorum autem fratris custos solùm.

Aliter respondeo; Quamuis peccator non teneatur confiteri nisi semel in anno, tenetur tamen pœnitere tempore & loco. Neque disputo, an sub nouo peccato obliget ipsum præceptum virtutis pœnitentiæ, antequam obliget præceptum Sacramenti: in proposito enim nobis sufficit, quòd incumbat ei pœnitere eo ipso quo cecidit, vt tibi ex fraternæ charitatis officio incumbat, tempore & loco monitionem correptionis tuę interponere, si videas eo medio opus esse. Nondum ergo fortè præceptum pœnitendi vrget fratrem, sed te vrget præceptum corripiendi, ipsumque præparandi, ne quod alioqui times futurum, quando præceptum pœnitendi vrgebit, ipse suo officio desit. Neque adeò mirum videri debebit, te obligari priùs ad correptionem; cùm ipsa medium sit ad pœnitentiam, & tu ditior fis in hoc genere. Occurret ergo tempus monendi, ne desit suo officio frater tempore quo tenebitur pœnitere: occurret, inquam, citiùs quàm illud ipsum pœnitendi tempus, præsertim cùm fortè etiam ad abstinendum, aut ad proposítum abstinendi, & suo tempore pœnitendi, aut etiam ad hoc vt se peccasse agnoscat, correptio sit necessaria. Quæ omnia certum est non posse æquè differri ac ipsam contritionem aut confessionem.

### DVBITATIO II.

*An quilibet proximus sit ex præcepto Corripiendus quando peccauerit?*

RATIO dubitandi est, quia proximi nomen ad quemlibet hominem extenditur, vt suprà diximus: præceptum autem correptionis non videtur eò vsque extendendum, tum quia Euangelium solius fratris corripiendi legem ponit; frater autem non videtur esse quilibet homo, quia Deuteronomij 23. distinguitur contra alienum; *Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno*: tum quia pœna non se corrigentis fratris statuitur, vt sit sicut ethnicus, id est, sine vlla correptione & monitione. Imò Origenes putauit hîc, non esse fratrem, sed solùm nominari fratrem eum, qui mortali peccato amitteret spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater. Matth.18. Tract.6. in Matth.

Respondeo; Quamuis Christus eo loco potissimùm velit nos docere, quomodo debeamus cum fratribus fidelibus agere, neque possit cum ethnicis per omnia seruari ordo iste Euangelicus in correptione, vt rectè monet Theophylactus; generali tamen præcepto correptionis, prout ex naturali lege dilectionis pullulat, quemlibet proximum, cui dilectionem debemus, comprehendit. Nam quod Origenes dicit, fratrem non esse qui mortaliter peccauerit, manifesti erroris est, vt infrà ostendemus. Quamuis ergo faciliùs corripiendi sint fideles quàm infideles, eò quòd ad ipsos maximè bonum operari debeamus, & fortè rarior sit spes emendationis in istis; neque tamen infideles prorsus ab hac lege exempti sunt: quin potiùs naturæ lex & infidelibus ipsis inter se correptionis regulas ponit, sicut & dilectionis. Dub.seq. Galat 6.

### DVBITATIO III.

*An de quolibet peccato sit præcepta fratris Correptio?*

VIDETVR ex præcepto Euangelico non esse: Primùm, ex verbo *peccauerit.* Græcè enim

ἁμαρτίαν potiùs significat, errore, ignorantia, aut infirmitate peccare, quàm destinata malitia : non habet ergo locum fraterna correptio in peccatis ex mera malitia.

Secundò, Euangelium restringit peccatum corripiendum ad peccatum in te commissum ; ergo quæ frater admiserit in Deum, in seipsum, aut etiam in alios proximos præter te, non erunt à te corripienda.

Tertiò, Quando frater dicitur, videtur significari non peccasse nisi venialiter; vt inde collegit Origenes.

Quartò, de solis mortalibus accipiendum esse Euangelicum præceptum, ex eo quod subiungitur, apparet, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Non enim corrigendo lucrareris, nisi peccando periisset, vt obseruat Augustinus serm. 16. De verbis Domini.

Quintò, Ex eodem textu videtur frater non corripiendus de peccato, quod ipse iam per pœnitentiam emendauit; neque enim lucrandus supereſt, qui iam emendatus est.

Sextò, Non nisi de illis quę coram te, id est te vidente peccauerit, videtur à te corripiendus; tum quia nonnulli veterum sic intelligere videntur illud *in te*; tum etiam, quia Sapiens monet, tum demum correptionem esse instituendam, quando certò de crimine cõstiterit Ecclesiastici 11. *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam; & cum interrogaueris, corripe iustè.*

Septimò, Magistratus quædam peccata tolerat, puta vsuram & fornicationem; ergo eadem non tenemur, imò non possumus corripere, vt quibus sublatis sequerentur alia grauiora, ob quæ vitanda publicè hæc tolerantur.

Respondeo, & Dico primo, De peccatis ex ignorantia & infirmitate ideò magis commendatur correptio, quia in illis facilior est spes emendationis, quàm in peccatis ex malitia : eaque potuit esse caussa quare tam Græcè quàm Syriacè textus potiùs locutus videatur de illo qui peccauerit ex ignorantia aut infirmitate. Fieri tamen potest, vt etiam eius speretur emendatio, qui ex malitia peccauit, qui tunc corripiendus esset. Secundò, Fieri potest, vt qui ex malitia peccauit, ex ignauia quadam & negligentia, aut ignorantia, aut infirmitate, aut humano pudore, nonnihil iam in affectu correctus, adhuc maneat in peccato, non reconcilians se Deo aut proximo offenso, qui omnino esset per correptionis aculeum excitandus.

Dico secvndo, Præceptum correptionis non solùm extendit se ad peccata quæ in corripientem fuerint admissa, sed etiam quæ in alios, siue Deum, siue proximos, siue ipsum peccantem. Probatur; Quia correptio non tam est instituenda vt reparetur læsio aut offensa, quàm ne frater qui peccauit, pereat: perit autem quocumque peccato mortali. Deinde etiamsi in correptione spectanda esset offensæ reparatio, peccata in Deum sunt offensæ maioris, vt patet 1. Reg. 2. *Si in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Itaque vel maximè de illis corripiendus erit frater. Tertiò, Peccata in Deum, quæ coram nobis aut nobis conscijs admittuntur, etiam in nos redundant; sicut in filium peccatur, si eo vidente pater afficiatur iniuria. Quomodo D. Augustinus Euangelij verba extendit ad peccata in Deum nobis videntibus admissa, non quòd *in te*, in Euangelio idem sit, quod *coram te, & te solo sciente*; sed quòd redundet in te peccatum in Patrem cælestem admissum coram te. Ideò ergo Christus, quod generalius erat, explicat de solo peccato in nos admisso, cuius etiã à nobis venia danda sit, vt patet apud Lucam : quia solemus magis offendi, & concitatiores esse ad inordinatè traducendum fratrem, quando in nos peccauerit. Cohibet ergo nos, vbi maximè opus erat. Secundò, Illud *in te* idoneum est ad significandum peccati qualitatem, de quo corripiẽdus sit hoc ordine frater. Debet enim esse occultum : nam publicè peccantes coram omnibus redarguendi essent, vt dicit Apostolus prioris ad Timoth. cap. 5. Debet etiam esse tibi, qui correpturus es, benè exploratum, quale magis esse solet peccatũ in te quàm in alios admissum. Tertiò, Spes emẽdationis in eiusmodi peccato maior erit hactenus, quòd meritò mouebitur frater, quando te etiam ab ipso offensum, videbit non de vindicta, sed de emendatione ipsius ac salute esse sollicitum. Illa enim est perfectio Christiana, nulli malum pro malo reddere, sed benefacere etiam osoribus suis. Quartò, Facilè reliqua peccata comprehenduntur illo modo loquendi : si enim etiam quando te lædendo periit, curare iuberis vulnus proximi; multò magis si perierit impingendo in alium : magis enim tunc tibi erit proximus minùs aduersus; opitulationi ergo vicinior eris. Remotiora itaque dum præcipit Christus, viciniora includit.

Dico tertio, Error est Origenis, sola venialia cadere sub correptionem Euangelicam. Certum enim est, Dominum agere de peccato quo perierat frater, & ratione cuius, si in eo contumax fuerit, possit haberi sicut ethnicus & publicanus, adeoque excommunicari; idque non tantùm coram Ecclesia, vt vult Origenes, sed etiam coram Deo : Ecclesia enim non excommunicat, nisi quem presumit peccasse coram Deo mortaliter, vt patet in Concilio Aurelianensi 5. can. 2.

Neque verum est, eum qui in crimen aliquod inciderit, eo ipso vel fidem amittere, vel ius omne fraternitatis inter fideles. Quamuis enim non ita perfectè sit Dei filius, est tamen adhuc filius Ecclesiæ propter fidem & fidei Sacramentum : nam & Apostolus 2. ad Thessal. 3. meminit fratris ambulantis inordinatè, & 1. ad Corinth. 5. *Si is qui frater nominatur, est fornicator*, &c.

Neque est quòd Origenes obiiciat, nominari fratrem, sed verè non esse : nominari enim in Scriptura frequentiùs accipitur pro verè nominari, *Vt filij Dei nominemur & simus. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* & alibi sæpè. Omitto quòd Oecumenius non malè monuit, *nominatur*, posse coniungi cum *fornicator*, vt sensus sit, Si frater sit nominatus (id est famosus) fornicator.

Cap. 17.

1. Ioan. 3. Lucæ 1.

Dico qvarto, Quamuis Magistratus secularis non teneatur sub mortali, tollere consueta venialia peccata, nisi turbent aut multùm incommodent Reip. Prælati tamen Religiosorum, quibus ex officio incumbit, suos ad maiorem perfectionem promouere, tenentur etiam sub mortali, corripere illos abusus, qui in singulis quidem sunt tantùm veniales, in communitate tamen multùm eneruant disciplinam; quam ita notabiliter negligere, in Prælatis non est leue peccatum.

Dico



Dico qvinto, Veniale erit peccatum, si cùm possis fratrem corripiendo liberare à consuetudine, verbi gratia, venialiter mentiendi, negligas corripere : erit tamen minus culpæ in hac omissione, quàm in fratris mendacio. Nullum autem erit peccatum, si veniale ex genere suo semel admissum non corripias : impossibile enim est, omnia talia vitare. Quando tamen coniiceret peccatum veniale fratrem in euidens periculum peccandi mortaliter, maximè si idem disponat ex genere suo ad mortale; teneris ex præcepto corripere, vt rectè Sotus suprà membro secundo, q. 2. concl. 3. & Gabriel lect. 74. in Canonem Missæ.

Dices, Quodlibet veniale peccatum est maius malum, quàm fames aut similis necessitas corporis; ergo, si sub mortali tenear tollere famem, etiam tenebor corrigere peccatum veniale.

Respondeo, negando consequentiam. Obligatio enim eleemosynæ non tam est spectanda ex magnitudine mali, quàm ex necessitate proximi, & tua facultate. Certum autem est, peccantis venialiter neque tantam esse necessitatem, neque tantam tibi esse eius curandi facultatem, cùm fortè non minùs ipse indigeas tali monitore, vt dici tibi possit, Medice cura teipsum : aut vno veniali emendato, vel aliud simile, vel grauius, vel fortè plura contingit admitti; aut denique, quia huiusmodi alicuius incommodi facilè subest periculum quo excuseris.

Dico sexto, Non licet proximum corripere de peccato, quod eum constat iam emendasse per pœnitentiam. Tali enim ignoscendum est, eò magis, quòd correptionem tuam præuenerit. Post correptionem enim, si pœnitentiam egerit, iubet Dominus apud Lucam c. 17. illi dimittere : multò magis ex Christi lege dimissurus es, si etiam ante correptionem pœnituerit, siue in te peccauerit siue in alios : agendum enim tibi potiùs vt ab offensis dimittatur ei, quàm vt superflua correptione ipse offendatur. Vt enim peccatum præteritum sit materia legitima correptionis, debet quodammodò pendere in futurum. Præteritum quidem oportet esse, quia nemo increpandus est de eo quod nondum admisit corde, ore, aut opere : si enim propositum eius constat, maximè de eo corripiendus est : si tamen ita sit præteritum, vt iam animus planè correctus sit, neque periculum sit ne adiiciat iterùm; neque per modum remedij, neque per modum antidoti, correptionis amarum pharmacum adhibendum est fratri : quia sine te neque iam periit, neque periturus est, adeoque non est quem corripiendo lucreris. Ita ferè Dominicus Soto suprà; vbi citat Glossam in capitulum Si peccauerit 2. quæst. 1. quæ dicere videtur, quòd corripere peccata tam præterita quàm futura, sit præceptum Prælatis : priuato autem præceptum quidem esse, corripere peccatum proximi futurum; consilium autem, etiam corripere præteritum. Quam Glossam vt ex parte excusemus, intelligemus per futurum peccatum illud, quod quidem animo saltem admissum est, vt hactenus in præteritum abiisse videri queat : sed manet adhuc eius complacentia, & perficiendi aut iterandi propositum aut periculum : nisi enim tale sit peccatum quod proximus admisit, non tenemur corripere; imò eius correptio ne quidem erit in consilio, sed illicita, quidquid sit de intellectu Glossæ.

Dico septimo, Debet peccatum, de quo corripis, certò tibi constare : grauiter enim offendi solent, qui de peccato quod non admiserunt, corripiuntur. Intelligenda est hæc assertio de correptione, quæ fit cum increpatione & comminatione : quando enim probabiliter, aut etiam dubiè intellexisti amici delictum; corripere potes solùm monendo. Hoc enim dicit Ecclesiasticus cap. 19. *Corripe amicum : sæpè enim fit commissio, vt non omni verbo credas.* Hîc ergo maximè cauendum, ne obiiciatur ei crimen tamquam certum. Videbitur autem ei eiusmodi admonitio maximè adhibenda in peccatis, ad quæ proximus videtur propendere, & sese iam parare : vel sanè, quando peccatum est graue magnique incommodi, & periculum nullum offensæ, sed magna spes emendationis; quod inter familiares citiùs euenire potest.

Dico postremo, Etiam de iis criminibus proximus est tibi corripiendus, quæ Magistratus publicè tolerat. Magistratus enim fornicationem, verbi gratia, in hoc Reipub. membro tolerat, ne Reipub. corpus, cuius ei proxima cura incumbit, in aliis melioribus membris stupro polluatur aut adulterio. Quò pertinet illud Augustini lib. 2 De ordine cap. 4. *Auser meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus.* Quare si tibi, cui priuata fratris tui cura incumbit; ita vsu veniat, vt ipsum qui de fornicatione eripiendus sit, hac ratione putes in adulterium præcipitandum; consilio charitatis mitigabitur præceptum correptionis, quod ordinariè alioquin obligabit. Est & aliud hîc considerandum. Magistratus enim publica illa dissimulatione solùm præstat securitatem de non inferenda vi aut pœna sui fori; sed non præstat securitatem contra castigationem paternam, aut monitionem ac correptionem fraternam, quæ eiusdẽ pœnè rationis sunt cum ipsa synderesi peccantis; adeoque ei tamquam subsidia quędam proportionata omnino relinquenda sunt. Ne ergo huiusmodi peccatores non tantùm non impediantur coërtione, sed etiam salutaribus destituantur pœnitentiæ præsidiis : rectè à concionatoribus publicè; à parentibus & amicis, & quouis ad hoc idoneo proximo, tempore & loco priuatim, grauiter corripiuntur.

At, inquies, sequentur incommoda si te audierint, quæ permittendo volebat euitare Magistratus.

Respondeo in primis, Quò plures corriguntur, eò pauciora erunt huiusmodi incommoda. Neq; enim sicut Magistratus manum cohibet non animum, dum lege prohibet; ita corripiẽs solùm exterius peccatum impedit, sed ad veram pœnitentiam fratrem conatur perducere; vt iam periculum de ipso correcto non sit futurum ne illa admittat, quæ vitare volebat permittendo Magistratus. Deinde, esto, sequantur aliqua ex illis incommodis; non idcircò magis teneris non corripere, ceteris paribus, quàm mulier teneatur in peccato fornicationis perseuerare, vt in aliis vitentur adulteria. Bonum enim publicum mihi quidem incumbit curare, sed non immediatè, neque aliter quàm curando vt mecum ij sint boni ciues, quorum mihi cura incumbit. Aliud est de Magistratu qui à Deo gladium accepit, non vt exerceat vindictam quantam potest, sed quantam permittit aut postulat vtilitas Reipublicæ. Non enim in hoc sæculo omnis pœna infligenda, sed omnis culpa corrigenda est.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm Correptio fraterna pertineat solùm ad Prælatos?*

PRO responsione sit PRIMA ASSERTIO. Omnes omnino homines, tam infideles quàm fideles, tenentur naturæ lege, tempore & loco proximum suum corripere correptione illa fraternæ charitatis, quæ destinatur in commodum eius qui corripitur. Præceptum enim de diligendo proximo omnes obligat: neque ratio est, quare ad eleemosynam corporalem omnes obligentur, non autem ad hanc spiritualem. Docet id D. Augustinus lib.1.de Ciuitate,capite 9. Chrysostomus homil.30. in Epistolam ad Hebræos: *Nolite rectoribus cuncta tribuere. Potestis enim & vos mutuò vos adificare.*

SECVNDA ASSERTIO. Priuatus quisque non tenetur ad correptionem iudicialem, quæ sit in bonum publicum; neque tenetur ad fraternam ex iustitia, sed solùm ex charitate. Ita D.Thomas.

TERTIA ASSERTIO. Ad iudicialem correptionem & punitionem coactiuam, tenentur ex iustitia Prælati. Debent enim ex officio Reipublicæ consulere.

QVARTA ASSERTIO. Prælatus multò arctiùs tenetur ex charitate ad correptionem fraternam, quàm priuatus. Prælatis enim dictum est: *Vos* Matth.5. *estis sal terræ. Vos estis lux mundi.* & apud Ezech. cap.3.& 33. dicitur speculatori, *Si dicente me ad impium, Morte morieris, nõ annuntiueris ei ut auertatur à via sua impia; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Ad hæc videmus naturalem rerum ordinem hoc postulare, vt vbi inferiora indigent aliqua directione aut motione, eam accipiant à superioribus, vt patet in cælorum motibus, Angelorum hierarchiis: idem ergo in Prælatis vsu veniet, qui & ipsi Angelis & cælis in Scriptura sacra assimilantur. Accedit quòd Prælatus sit custos iustitiæ, qui ex officio teneatur meliores facere subditos, vt rectè Philosophus 5. Ethicorum. Denique obligatur quisque ex lege naturæ, filios plus diligere, quàm fratres, illisque potiùs in eleemosynis corporalibus subuenire: ergo Prælatus, qui est pater spiritualis, in eleemosyna spirituali correptionis potiùs tenebitur quàm extraneus quispiam, aut frater collateralis; præcipuè cùm Prælati in hoc genere & ditiores sint, & maiori cum fructu versari ordinariè possint.

QVINTA ASSERTIO. Prælatus tenetur ex charitate inquirere in subditorum vitam, vt ipsos in eorum bonum paternè ex charitate corripiat. Tenet Sotus de secreto, suprà q.3. & Valentia hîc.

Caietanus tamen hîc articulo 2. existimat, spectando solam obligationem charitatis, non teneri Prælatum inquirere in vitia subditorum vt corrigat; ea enim, inquit, obligatio incumbit Prælato, non vt tali, sed vt homini: certum autẽ est ex Augustino serm. 16. De verbis Domini, non debere passim homines inquirere quod corrigant. Deinde vt magis ad spiritualem hanc eleemosynam Prælati teneantur, tamquam ditiores & potentiores verbo & auctoritate, ideoque teneantur, si cum aliis simul deprehendant, potiùs ipsi corripere; non tamen apparet, quomodo magis teneantur inquirere quos corrigant, quàm diuites quos corporaliter pascant.

Contra hanc opinionem Caietani facit, quòd in Prælato tres qualitates, non tantùm duas considerare oporteat. Non enim solùm considerandus est vt Prælatus seu iudex, & vt frater secundùm communem naturam aut fidem; sed etiam vt spiritualis pater. Quare magis ad nostram sententiam accedens Banesius dicit, Prælatum vt est frater, neque posse neque debere inquirere: vt est spiritualis pater, posse quidem, sed non debere: vt autem est iudex, & posse & debere. Verùm quòd non tantùm possit vt est pater spiritualis, sed etiam debeat, vt habet nostra assertio, probatur: Quod enim debetur determinatæ personæ, (inquit S. Thomas hac q.art. 2. ad 4.) siue spirituale sit siue temporale, non oportet nos tum demum reddere, quando ea persona occurrerit; sed oportet adhibeamus solicitudinem ad eam inquirendam. Confirmatur: Quia ideò Prælati dicuntur speculatores apud Ezechielem: & rectè Gregorius libro secundo epistola 52. *Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit?*

Ad argumentum Caietani, patet ex dictis responsio: neque enim assertio nostra considerat Prælatum vt priuatam personam, sed vt patrem spiritualem.

Ad alterum respondeo, Disparitatem esse, quòd Prælatus certos & determinatos habeat subditos, quibus hanc eleemosynam ipse debeat. Accedit quòd in spirituali eleemosyna magis sit necessaria huiusmodi inquisitio; eò quòd magis soleant homines occultare delicta, quàm egestatem; adeò vt ipsa occultatio delicti, subinde peccatum quoddam sit: quod nisi per inquisitionem Prælati corrigatur, contingit omnia reliqua incorrecta manere.

Ceterùm hîc rectè monent Caietanus & Valentia, cauendum Prælato, ne fiat multa suspicione præceps & odiosus; néve contrà committat, vt per incuriam suam inualescant occulta delicta. Ad quam rem conferet plurimùm, si habeatur vir prudens, experientia & indole sagaciori perspicax, vt magis videantur ei occurrere defectus subditorum, quàm curiosa anxietate inquiri.

Cauendum tamen, ne quem Prælatus infamet sine indiciis in particulari in ipsum inquirendo.

At quæres, An cum periculo vitæ teneatur Prælatus corripere?

Respondeo, In extrema necessitate spirituali teneri quemlibet ad correptionem, etiam cum periculo vitæ: in alia autem graui, præsertim quando frater ex ignorantia peccat, teneri priuatum cum aliquo damno externorum bonorum, non autem cum periculo vitæ, aut valdè graui damno in fama aut fortunis, vt docet Sotus suprà q.2. concluſ.6. Prælatus tamen qui curam habet animarum, sæpè etiam in graui solùm necessitate tenetur cum periculo vitæ. Verùm hæc ferè pendent ex illis, quæ diximus De ordine charitatis.

Ceterùm quod de Prælato dicimus, eum magis obligari ad corripiendum, capitulum Duo ista 23. q. 4. ex Augustino desumptum, extendit ad patresfamilias, maritos, parentes, iudices, reges, secundùm disciplinã cuiq; aptam & accommodatam. Neq; tamen tenentur Reges importunè corripiendo, periculum amittendi regni subire, vt accidit



2.Reg.3. vt accidit Isboseth, qui intempestiua Ducis castigatione patrium regnum amisit: sed possunt prudenter opportunitatem expectare, vt Dauid
3.Reg.2. & Salomon fecerunt in caussa Semei.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm quis teneatur corripere Prælatum suum?*

RESPONDEO, & DICO PRIMO. Subditi non possunt Prælatum suum corripere correptione coactiua, quæ est actus iustitiæ.

Peccauit in hac doctrina Ioannes Wicleff, quando docuit, subditos posse propter peccata Prælatorum suorum, ad libitum suum priuare eos decimis: quod damnauit Concilium Constantiense in art.eius 18.

DICO SECVNDO. Non solùm possunt, sed tenentur subditi suos Prælatos strictiùs quàm alios corripere, quando circumstantiæ quibus id prudenter fiat, concurrerint. Patet, Quia Prælato tamquam parenti præ reliquis maior debetur dilectio. Secundò, Quia maius est periculum Reip. si non corrigatur: Periculum enim est, vt inquit Gregorius lib.10.ep.36. *ne totum corpus incipiat morbus inuadere, si languor non fuerit curatus in capite.* Tertiò, Quia Prælatus versatur in maiori periculo, vt dicit Augustinus in Regula. Quartò, Quia Prælati magis solent carere necessaria correptione.

DICO TERTIO. Rariùs concurrunt omnes circumstantiæ necessariæ, vt prudenter subditus corripiat Prælatum suum, quàm vt frater quemuis alium. Debent enim plures circumstantiæ in correptione Prælati concurrere.

In primis enim magna habenda est ratio famæ & pudoris, ne Cham reuelando turpitudinem patris, referat maledictionem. Quare non poterit publicè coram omnibus argui, aut in faciem ei resisti; nisi quando doceret hæresim, aut publicè populum scandalizaret: quo modo Christus Dominus publicè maiores Iudæorum reprehendit, Lucæ 11. qui tollebant clauem scientiæ, nec ipsi intrabant, nec alios sinebant intrare.

Neque tamen æquè licebit cuilibet è populo Christiano, sine spe correctionis eiusmodi Prælatos corripere, sicuti licebat Christo, qui non tam subditus quàm iudex eorum erat quos arIoan.9. guebat, & in iudicium venerat in hunc mundum. Peccant enim qui Prælatos, quantumuis id meritos, corripiunt publicè, quando ex eo non speratur salus multitudinis: hoc enim non est scandalum tollere, sed nouum serere. Quapropter meritò Clementina Religiosi, De priuilegiis, valdè districtè inhibetur Religiosis, ne in sermonibus suis, Ecclesiarum Prælatis detrahant: quod renouauit Leo X. in Concilio Lateranensi sess. 11. Cõstitutione quæ incipit, Supernę maiestatis, &c.

Secundò, Oportet vt qui vadit correptum Prælatum suum, spectatæ sit virtutis & prudentiæ: 2.Reg.6. Heb.12. *Si* enim *bestia tetigerit montem, lapidabitur*; & percussit Dominus Ozam, quando temerè tangebat Arcam.

Excipiunt tamen casum, quo quis iniquè vexaNum.22. retur à Prælato: ei enim permittunt, vt cum asina Balaam dicat, *Cur percutis me ecce iam tertiò?* &c. Ita Dominicus Soto.

Tertiò, Oportet Prælatus, etiam quando priuatim corripitur, non nisi mansuetè & reuerenter moneatur, vt hîc D. Thomas. Apostolus enim se- 1.Tim.3. niorem increpare prohibuit. Videre licet præter epistolam Dionysij à D. Thoma citatam, 2. epistolam Anacleti: qui dicit, Apostolos statuisse ne quis facilè turbet Prælatum, sed priùs familiari colloquio moneat. Similia habet Euaristus posteriori sua epistola ad Ægyptios, Gregorius lib. 5. Moralium c.10. & 3. parte Pastoralis, monitione 5. vbi vtitur exemplo Dauidis, dolentis quòd abscidisset oram vestimenti Regis Saul.

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm peccator debeat corripere delinquentem?*

DICO PRIMO. Non desinit peccator obligari ad correptionem fraternam, modò seruet has circumstantias.

Prima est, Ne cõstet ipsum correptorem maioribus criminibus esse obnoxium; ne dici ei possit, *Quid antẽ vides festucam in oculo fratris tui, trabem* Luc.6. *autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Hoc enim esset agere hypocritam: simulat enim se ea esse sanctitate, vt medicũ agere possit, cùm ipse medicina indigeat. Secundò, simulat se curare salutẽ proximi, cùm vel inde aliud spectare cõuincatur, quòd propriæ salutis sit negligentissimus: neque enim magis fratris debebat, quàm propria corrigere delicta, præsertim cùm ea habeat sibi notiora. Tertiò, corripere est eius qui meliùs videt: atqui meliùs videt qui festucã habet in oculo, quàm qui trabem: ne ergo cęcus ducat cæcutientem, qui minora habet peccata, potiùs corripere debebat.

Secunda circumstantia est, Ne publicè corripiat, qui publicè ipse est peccator: plus enim nocebit quàm proderit, vt docet Chrysostomus homil.24. in Matth. *Erit enim talis* (vt alibi Seneca de Philosophis recta monentibus, diuersa facientibus) *in proprium suum conuitium & opprobrium diſertus. Legem enim sibi indicit virtutum omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcit.*

Tertia, Ne superbiat ex indigna illa elatione contra proximum, sed gemendo corripiat. Rectè Augustinus De serm. Domini in monte lib. 2. *Si inuenerimus nos in eodem vitio esse, non obiurgemus, sed congemiscamus vt non alium solùm ad pœnitendum, sed æqualiter cõnandum inuitemus.*

His positis probatur assertio. Eleemosyna spiritualis fraternæ correptionis, in peccatore est quædam dispositio ad pœnitentiam; ergo non est ab ea omnino repellendus. Sicuti enim qui alterum iudicat, seipsum condemnat, dum eadem agit quæ iudicat; ita qui alium corripit in iisdem seipsum reprehendit, vt dicat illi conscientia, *Tu* 2.Reg.12. *es ille vir*, & ipse respondeat, *Peccaui Domino*; vt audire mereatur, *Dominus transtulit peccatum tuum.* Secundò, Peccatum non admit homini ita iudicium rationis, quin proximo consulere possit; neque ergo in peccatore cessat vel finis, vel facultas correptionis.

DICO SECVNDO. Non peccat de nouo mortaliter iudex, si scandalum absit, in peccato mortali iudicando, & iudicialiter corrigendo subditum. Correctio enim ista non habet peculiarem ex parte sua sanctitatem, ratione cuius sine nouo

peccato

peccato non possit fieri in peccato, sicut administratio Sacramentorum. Est D. Thomę infrà quęstione 60. articulo 2. ad 3. quamuis in 4. distinctione 19. aliter docuerat. Sequitur Nauarrus in Rubricam de iudiciis num. 43. qui tamen putat peccare venialiter, nisi humiliter iudicet.

DICO TERTIO. Qui propter peccata sua non est vtilis ad corripiendum fratrem, non tenetur sub nouo mortali pœnitere, ad eum finem vt sit correptioni idoneus: sicut nemo tenetur sub mortali conquirere diuitias, vt possit largiri eleemosynam corporalem; aut acquirere scientiam, vt possit eleemosynam spiritualem facere docendo & consulendo. Ita Sotus, Banesius & Valentia, contra Richardum & Nauarrum. Excipe tamen Prælatos & peccatorem scandalosum: tenentur enim isti, saltem exteriùs, cessare à scandalo, vt proximos corrigant. Item excipiendus est casus necessitatis: quando enim proximus est in extrema necessitate spirituali, tenetur peccator, si hac ratione se correcturum speret, abstinere ideircò, saltem exteriùs, à peccato: si enim cum vitæ dispendio deberet tunc succurrere, quantò magis cum dispendio noxiæ voluptatis?

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm quis debeat à Correptione cessare propter timorem, ne proximus fiat deterior?*

RESPONDEO; Quando finis præcepti cessat contrariè, non tantùm negatiuè, cessat obligatio: imò in præceptis legis naturæ cessat obligatio, quando negatiuè cessat finis proximus & internus actui. Quare cùm præceptum de corripiendo proximo sit legis naturæ, non solùm cessat eius obligatio, quando proximus ex correptione fieret deterior, sed etiam quando non fieret melior: finis enim eius est, emendatio & pœnitentia fratris: quia autem correctionis iudicialis finis, non tam est salus delinquẽtis, quàm Reipublicæ & communis iustitiæ obseruatio, & aliorum exemplum; etiamsi putetur peccator futurus deterior, tenetur nihilominùs iudex corrigere. Prior pars probatur Prouerbiorum 9. *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Neque tamen cùm ab eius correptione desistimus, in ipso odio quod declinamus, nostrum vitamus malum, sed ipsius: alioquin non lucra Dei, sed nostra quæremus, inquit Gregorius lib. 20. Moralium cap. 19.

Notandum, non tunc demum nos obligari ad correptionem, quando speramus veram emendationem continuò secuturam: sufficit enim initio speremus, quòd ab exteriori peccato cessabit, saltem ex pudore aut timore humano, vt docet Chrysostomus hom. 30. in Epistolam ad Hebręos.

Ex hac doctrina sequitur Primò, Nimis afflictos non esse corripiendos in ipsa afflictione: est enim periculum, ne impatientia fiant deteriores, aut tristitia absorbeantur; & consolatione tunc opus est: consolator autem increpando dolorem augebit, vt monet Gregorius in illud Iob cap. 16. *Consolatores onerosi omnes vos estis.*

Sequitur Secundò, Mites & subditos statim esse corripiendos, potentes autem & proteruos non nisi opportunè, & priùs generatim in concione publica: sicut medici corpora multùm oppleta noxiis humoribus præparare solent ad purgationem, vt monet idem Gregorius lib. 13. Moral. cap. 3. & 4.

Sequitur Tertiò, quod notatum reliquit Caietanus, Peccare parentes, aut patresfamilias, qui licet experientia edocti, filios aut domesticos suos esse incorrigibiles, nihilominùs non desinunt eos importunè corripere.

Ceterùm totum fraternæ correptionis artificium optimè tradit Gregorius 3. parte Pastoralis, per 36. monitiones.

Posterior responsionis pars confirmatur ex 1. Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant.* Prælatus enim arguit, non solùm vt pœniteat qui peccauit, sed vt ceteri timorem habeant. Vbi aduertendum est, vt Prælatus rectè corripiat eum qui futurus est deterior, oportere vt eiusmodi correptio multitudini prosit: si enim obesset etiam multitudini, imò etiamsi solùm non prodesset; non rectè fieret, quando fratri qui corripitur obest.

Contra doctrinam articuli obiicitur: Deus etiam illos corripit quos nouit non emendandos, sicut & Christus Pharisæos; ergo etiam nobis id licebit.

Respondeo; Non sequi: Quia Deus non corripit reprobos tamquam frater, sed tamquam iudex. Deinde, cùm Deus vt generalis prouisor suauiter omnia disponit, non vult cuiquam mortalium omnino suam deesse correptionem; sed omnes corripit, siue per stimulum conscientiæ naturaliter aut supernaturaliter, siue aliis modis sibi notis, vt bonis id cedat in auxilium, reprobis in testimonium, secundùm illud Sapientiæ 12. *Eos qui exerrant, paribus* (id est paulatim, seu per partes) *corripis.*

DVBIVM circa hunc articulum occurrit, An quando initio exacerbandus & deterior futurus est frater, sed postmodum ex eadem correptione emendandus, sit adhibenda correptio?

Videtur enim non esse, Quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

Secundò, Numquam satis certum est, quòd post exacerbationem ad mentem redibit: casus ergo de quo quæritur, numquam incidet.

Tertiò, Aliàs sequitur, quòd erit mihi corripiendus, etiamsi nouero propter peccatum, quod ex impatientia admittet, capite plectendum, modò sub manu iudicis credam, vt sæpè fit, seriò conuertendum.

Nihilominùs videtur verior responsio, talem esse corripiendum. Quam tenet diuus Thomas in 4. distinct. 19. quæst. 2. art. 2. Adrianus eodem libro, tractatu De fraterna correptione, Banesius, Valentia & alij. Dominus enim, quando frater primò monitus te non audit, quid vlteriùs agendum sit, præscribit, supponens etiam tunc corripiendum esse, quando non putatur ad primam monitionem statim emendandus: poterit ergo priuata monitio adhiberi, quando profutura speratur, etiamsi non statim frater sit emendandus, sed occasione eius nonnihil initio tumultuaturus. Declarat rem istam Chrysostomus suprà citatus homil. 30. in Epistolam Pauli ad Hebræos, similitudine medici: neque enim curat cùm infirmum secat, quòd valdè contra ipsum vociferetur, modò postmodum secuturam speret ex hac sectione sanitatem.

Excipiendi tamen hìc sunt aliquot casus. Primus, Si peccatum, quo ad tempus deterior euadit correptus, vergat in alterius damnum; vt si eum cui irascebatur, sit occisurus: aut cedat in magnam Dei irreuerentiam; vt si blasphematurus sit Deum: aut si ex eo oriretur magnum scandalum: potiùs enim Dei honor spectandus, & bonorum auertenda pernicies, quàm curandum, vt tanto dispendio mali fiant boni; ius enim innocentis potius est. Quare in actu blasphemiæ, etiam incorrigibilis, sine omni spe correctionis est increpandus: non erit enim tam fraterna correptio, quàm diuini honoris vindicatio, qui postulat vt blasphemo contradicatur.

Secundus casus, Si non sit certius subsecuturam emendationem, quàm grauius peccatum intercursurum. Ita Banesius: quod verum erit cum limitatione Adriani; nisi existimes eum sine tua correptione, vel multò plura peccata admissurum, vel etiam in peccato mortali moriturum.

Superest responsio ad argumenta. Ad Primum respondeo, Quod boni sequitur ex correptione, hoc corripiens intendit, & hoc per se sequitur, quia correptio natura sua spiritualis est medicina: quod autem mali interuenit, hoc non intendit corripiens, sed solùm permittit & sequitur per accidens, non tam ex correptione, quàm occasione bonæ correptionis, ex malitia correpti. Vnde nescitur, corripientem non facere aut procurare malum vt eueniat bonum, quod faceret qui fratrem in peccatum aliquod induceret, vt in eo deprehensus salubriter erubesceret; sed solùm permittit minus malum, vt euitentur maiora; temporaneum, vt vitetur æternum, & eueniant æterna bona.

Ad Secundum, Propter istud argumentum Banesius existimat, casum istum potiùs esse metaphysicum, quàm moralem; sed immeritò: quia, vt dicit Augustinus epistola 87. solet fieri & frequenter accidit, vt ad horam contristetur cùm reprehenditur, & resistat & contendat; & tamen posteà considerat in silentio, & deinceps non faciat illud in quo iustè reprehenditur. Augustinus ergo sæpè accidere dicit, quod Banesius vix vmquam accidere putat.

Ad Tertium respondeo, Non sequi: Quia planè per accidens est respectu monitionis tuæ, quòd talis corrigatur. Neque enim correctio speratur ex tua correptione, sed ex terrore mortis à iudice infligendæ. Itaque erit huiusmodi correptio contra consilium charitatis, & ita corripiens faciet malum vt eueniat bonum. Imò videbitur intendere peccatum illud, quod puniendo, iudex correctionis causam fratri præbeat.

Alia hìc est DVBITATIO, An sit corripiendus, qui ex ignorantia inuincibili externum actum peccati exercet sine peccato?

Respondeo; Iudex, item ille cui ex officio incumbet, potest corripere, etiamsi nulla sit spes emendationis, quando Reip. intererit, huiusmodi peccata non relinqui inemendata: priuatus autem, si nulla sit spes emendationis, non debet corripere, quæcumque sit ignorantia iuris aut facti: si verò speretur emendatio, & fuerit ignorantia aliqua iuris, siue naturalis, siue diuini positiui, siue humani, aut fortè etiam facti, sed contra legem Dei positiuam aut naturalem; tenetur quilibet fratrem suum monere: si verò sit ignorantia facti contra legem humanam, etiamsi spectetur emendatio, non est præcepti sub mortali monere, nisi ratione magnæ alicuius in Deum irreuerentię, aut scandali, vel damni in proximum. Consuli potest Adrianus de Confessione dub. 7. Sotus in 4. distinct. 18. q. 2. a. 4. Banesius hìc art. 2. Graffius libro 2. Decision. c. 68.

Sequitur hinc, non peccare eum mortaliter, qui non monet alterum obligatum ad Horas Canonicas, officij sui, etiamsi videat eum aliquo die, ex inuincibili inaduertentia Horas non legere, & sciat lecturum si moneatur: secùs est de eo qui semper Horas omitteret; lex enim humana non est censenda cum tanto onere obligationem suam exerere.

Sequitur Secundò, peccaturum eum mortaliter, qui non moneret illum quem scit fornicari, quia putat simplicem fornicationem non esse peccatum mortale; modò sua monitione nouerit emendandum, nisi fortè eum excuset rationabilis verecundia, aut quid simile.

Sequitur Tertiò, non esse illum necessariò monendum, qui ex ignorantia inuincibili duxit consanguineam, aut affinem in gradu prohibito, aut falsò existimat se validam dispensationem super huiusmodi impedimento impetrasse, si timeatur eam nihilominùs non dimissurus, aut scandalum magnum oriturum. De quo consuli potest capitulum Quia circa, De cõsanguinitate & affinitate.

## ARTICVLVS VII.

### *Vtrùm in Correptione fraterna, debeat ex necessitate præcepti admonitio secreta præcedere denuntiationem?*

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm testium inductio debeat præcedere publicam denuntiationem?*

HIS articulis tractat D. Thomas de ordine correptionis Euangelicæ, quem præ se ferunt verba Christi Matth. capite 18. De quo sit

DVBITATIO PRIMA, An ordo iste sit iuris naturæ, an verò iuris merè positiui, per Christum legislatorem noui Testamenti introducti?

Esse enim aliquod præceptum de ordine correptionis fraternæ, vt quàm minimo suo incommodo emendetur frater, omnino certissimum est secundùm omnes Theologos, excepto quodam Bernardino apud Banesium. Imò hunc ordinem apud Matthęum, tamquam regula quadam Euangelica nobis esse mãdatum, dicit Innocentius III. capitulo Nouit, De iudiciis. Idem sentiunt communiter Patres; Chrysostomus homil. 61. in Matthæum, Theophylactus & Euthymius in illum locum, Hilarius can. 18. in Matth. *Eum ordinem continendæ charitatis nobis Dominus imposuit, quem ipse in conseruando Israel tenuerat.*

At difficultas est, An iure positiuo tantùm præceptus sit hic ordo, an etiam naturali?

Vbi in primis suppono, non quæri, An Christus potestate sua legislatoria vsus sit, quando præceptum istud nobis imposuit; hoc enim facilè

cilè concedendum est: neque inde sequitur,ordinem hunc non esse iuris naturæ; nam etiam in danda lege Decalogi, Deus vsus est potestate legislatoris,manet tamen Decalogus legis naturæ.

Hoc ergo quæritur, An potestate sua legislatoria, Christus aliquid hîc addiderit legi naturæ, quod illa non continebat, sicut Decalogo accessit determinatio colendi Sabbati.

Respondeo; Certum est,Christum nihil addidisse positiui iuri naturæ, quando regulam istam posuit de ordine correptionis fraternæ. Est enim communis sententia, in lege Euangelica nullam esse factam additionem ad legem naturæ per legem aliquam merè positiuam, nisi in illis quæ pertinent ad Sacramenta,vbi etiã sacrificium Eucharistiæ intelligendum est. Tenet ita D.Thomas 1.2.q.108.art.2.& Quodlibeto 4.art.13. Sotus de secreto,memb.2.q.1. Banesius & Valentia hîc, Ludouicus Carbo lib.18.De legibus disputatione 4.Lelius in suaTheologia morali De charitate cap. 11. vbi testatur esse communem. Superest ergo, vt ille ordo correptionis lateat in legibus iuris naturę, sicut dilectio inimicorum,& alia nonnulla, quæ in luce Euangelica à sole iustitiæ magis illustrantur, quamuis reuerà sint iuris naturæ.

Non esse tamen hunc ordinem secundùm præscriptum legis naturę,argui potest Primò, Quando enim peccatum fratris est omnino occultum, vt tu solus noueris;non apparet quomodo seruari poterit iste ordo: si enim te non audierit priuatè monentem, quomodo adhibebis vnum aut duos testes, nemine huius criminis conscio ? si enim aliis indices, iam infamas proximum tuum, & paruo fructu; quia testes illi esse non poterunt, nisi fortè tuæ criminationis contra te pro proximo: inutiles enim tibi erunt pro te testes criminis contra proximum, quem de eis ignoto incusas.

Respondeo; Durandus in 4. dist. 19. q.4.putauit, illo casu sistendum esse in primo gradu correptionis Adrianus in 4.tract.De correptione fraterna, vtitur distinctione: tenet enim cum Durando, casu quo peccatum omnino transactum sit, ita vt non continuandum, puta rei alienæ detentione,& similibus modis, aut iterandum : si autem sit peccatum suum occultum frater continuaturus, aut iterùm admissurus; existimat posse aperiri testibus & Prælato.

Verùm omnino dicendum est, siue peccatum fratris sit tertio noxium siue non sit; siue continuandum aut iterandum, siue non; modò constet quòd se non emendauerit per pœnitentiam, debere à te corripi secundùm ordinem hunc Euangelicum, etsi tibi soli notum fuerit. Ita tenet Sotus suprà. Neque hoc est diffamare fratrem, sed cum aliquo detrimento in minori bono famæ, maius eius bonum in conscientia curare: quomodo medicus pro conseruatione totius corporis abscindit membrum minùs necessarium. Imò vix vllum erit istud detrimentum; quia apud prudentes, quales adhibendi erunt, ferè tantumdem recuperabit frater pœnitendo, quantum amisit peccando.

Ad incommoda dico, Quæ vtilitas huiusmodi testium futura sit,infrà dicemus.Si autem de criminatione ipsa coram iudice, qui peccauit, putetur proteruè tecum expostulaturus; iam non teneberis testibus adhibitis corripere, quia spes non est emendationis.Quamuis nec illud tantum fuerit incommodum : neque enim conuincet te falsum dixisse,neque fraternè corripiens aut denuntians, tenetur ad talionem,si fortè in probatione defecerit : hæc enim inter eum & accusatorem est differentia, quòd accusator vt talis, non teneatur monere, sed nomen suum dare, ipse puniendus, si in probatione defecerit : corripientis autem fraternè, è contrà sit monere, non autem subire periculum talionis. De quo videre licet capitulum Super his, De accusationibus.

Arguitur Secundò,In quibusdam Religionibus, vbi studium est perfectionis,moris est ante priuatam monitionem denuntiare fratres: ergo ordo iste neque præcepti est, neque consilij; alioqui enim non negligeretur à studiosis perfectionis.

Respondeo,negando consequentiam: Quia in Religionibus, vbi ista est consuetudo, censentur Regulares renuntiasse iuri suo quoad læsionem famæ, quæ contingit prætermisso hoc ordine, eo ipso quo tale institutum suscipiunt. An autem eiusmodi consuetudo ad maiorem faciat spiritualem profectum, disputant quidam Doctores. De venialibus satis certum est, carere reprehensione: nam ita tenet D.Thomas, Gabriel, Sotus,& alij. Verius etiam est, de mortalibus hanc praxim esse laudabilem in Religionibus,vbi sine aliis incommodis faciliùs seruari potest, quia verè conducit ad humilitatis exercitium, maiorem profectum spiritualem, & cautelam recidiuæ.

Arguitur Tertiò,Crimen hæresis iubent Inquisitores publicis edictis denuntiari sine prędia monitione; ergo ordo hic non est legis naturæ.

Respondeo, Edicta illa in præsumptione fundari, quia præsumuntur hæretici,& ferè sunt incorrigibiles, & moniti solent cautiùs venena sua spargere. Quare si certò constet, priuata monitione hæreticum emendandum, erit monendus, non obstante lege humana, quæ intelligenda est salua lege naturę. Quia tamen illæ monitiones vix fiunt sine periculo Reipub.rectè generaliter cauent leges innocentibus. Simile est iudicium de aliis criminibus tertio perniciosis, vt machinatione homicidij,& similibus. Ex eodem capite prouenit, quòd etiam monitus non sit denuntiandus, si denuntiatus putetur admissurus deteriora in perniciem innocentum, vt monuit Adrianus.

Arguitur Quartò, Non sufficit semel tantùm priuatim monuisse fratrem, vt coram aliis arguas : fieri enim potest, vt secunda aut tertia monitione priuata speres emendandum.

Respondeo; Sententia Christi Domini est, comandum ante omnia, vt emendetur frater priuata admonitione,etiam aliquoties repetita,prout circumstantiæ postulabunt, spes emendationis suadebit, & vnctio docebit. Ita Dominicus Soto suprà q. 4. Siluester verbo Correptio q. 5. Petrus Nauarra lib.2.De restitut.cap.4.n.264.

Arguitur Quintò, Si tanta hîc sit habenda cura, vt quàm minimè lædatur frater; post priuatam monitionem inter ipsum & me, tenebor priùs vnico adhibito teste monere quàm duobus : imò antequam Prælato nuntiem, tenebor sæpiùs in testium numero gradatim ascendere, si hoc leuiùs sit fratri futurum, quàm vt diffametur apud Prælatum.

Respondeo, admittendo priorem sequelam.

Si



Si enim speres, vno teste adhibito corrigendum fratrem, teneris adhibere tantùm vnum : vult enim Dominus vnum aut duos adhiberi, prout videbitur necessarium. Alioquin in hoc secundo gradu istam latitudinem obseruauit D. Hieronymus, vt priùs vno teste adhibito moneatur : nam etiam tunc in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Ipse enim corripiens etiam testis est : ideoque dicitur, *Adhibe tecum adhuc vnum.* Obseruant id passim Doctores & interpretes, quamuis Maldonatus in secundo gradu plures testes requirat,vt quadret illud Deuteronomij quod adducitur, *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Sed non videtur otiosum, quòd sub disiunctione Dominus dicat, *Adhibe tecum adhuc vnum vel duos.* Deut.17.

Ad posteriorem sequelam Respondeo,eam negando : ordinariè enim istud non est necessarium. Si enim grauius sit fratri,malè audire apud Prælatum, quàm apud decem testes: considerandum est, grauius etiam esse tot adhibere testes corrigenti, quàm semel defungi indicando Prælato. Aliquousque ergo charitas consulet hîc famæ delinquentis, at præcepto non erit nimiùm onerandа anxiè conscientia corripientis.

Sextò arguitur : Ioseph fratres patri denuntiauit ante monitionem.

Respondet S.Thomas,Credendum quòd monuerit, quamuis non sit scriptum; deinde fratrum peccatum non fuisse occultum : erant enim plures accusandi, inter quos de peccato constabat. Addit Dominicus Soto,fortè zelo non secundùm scientiam iuuenem inordinatè in hac accusatione processisse. In quo secutus est sententiam quorumdam Hebræorum, quorum mentionem facit Lyranus, qui aliam multò probabiliorem responsionem habet, videlicet, non speraſſe Iosephum vllam emendationem per suam priuatam monitionem, quia oderant & tamquam iuniorem despiciebant eum fratres, & magis fuissent exacerbati.Illud etiam rectè monet Pererius,Ioseph non diffamasse fratres apud vulgus,aut accusasse apud externum iudicem; sed solùm detulisse ad benignum & prudentem patrem,quos per se corripere non valebat.

Addo denique, Patresfamilias peculiare ius habere cognoscendi per eiusmodi denuntiationem peccata filiorum, vt dicemus De iustitia & iure tractatu 7.cap.1.dub.4.

Postremò arguitur,prioris ad Tim.5. *Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant :* non est ergo frater priuatim primò monendus.

Respondeo, Apostolum loqui de peccante publicè, vt docet Augustinus serm. 16. De verbis Domini. In publicè autem peccante cessat causa priuatæ monitionis: neque enim adeò in famę ipsius conseruatione nobis laborandum est, quam constat publicè ipsum prodegisse.

Quæres, Quando censebitur peccatum fratris publicum, vt liceat prætermisso primo gradu priuatæ monitionis eum mox corripere publicè coram aliis?

Tractant hac de re suprà citatus Sotus membro 2.q.6.dub.3. Couarruuias in epitome 4.Decretalium,parte 2.cap.6.num.13. Nauarrus c.24. num.14. Valentia hîc.

Respondeo, Salua lege naturali in Euangelio declarata, poterit ille sine prævia monitione coram aliqua communitate argui, cuius peccatum innotuit maiori parti illius communitatis.

Quæres, Quid si possim priuatim monendo corrigere eum qui publicè peccauit; teneòrne nihilominùs arguere publicè,aut Prælato denũtiare?

Respondeo, Eo casu fratrem non esse denuntiandum necessariò, neque arguendum coram pluribus,nisi scandalum quod passi sunt,aliter reparari non possit; aut nisi eo publicè reprehenso, etiam illi sint corrigendi, qui ipsius exemplo deliquerunt.Rectè tamen talis denũtiabitur Prælato inquirenti: habet enim ius inquirendi & iudicandi de publicis. Ita Siluest.verbo Correctio,dub.5.

Dvbitatio secvnda,An possim secundo loco antequam testes adhibeam, fratrem nondum correctum priuata monitione denuntiare Prælato tamquam priuatę personę,ad minimo detrimento corrigendum, vt ipse Prælatus sit hîc loco testis ?

Annuunt ex Theologis D.Thomas,Richardus, Gabriel, Adrianus, Sotus, Siluester, Graffius,& alij. Negant autem Hugo Victorinus in Regulam D.Augustini,Banesius,& Valentia.

Oritur maximè hæc quæstio ex verbis Augustini epistola 109.in Regula:*Sed antequam alijs demonstretur, per quas conuincenda est si negauerit; prius Præpositæ debet ostendi, si admonita neglexerit corrigi, ne fortè possit secretiùs correpta innotescere ceteris.* Qui enim tenent partem affirmantem, existimant Augustinum hîc præscribere, sororem delinquentem & monitione priuata non correctam, priùs esse ostendendam Præpositæ, tamquam priuatæ personæ, quàm adhibeantur ad eius correctionem alię. Valentia autem putat, Prępositæ denuntiandam hîc dici sororem, non antequam coram vna aut altera corripiatur, sed antequam prodatur pluribus, quæ illam obseruent ad conuincendum in iudicio. Prior tamen explicatio Augustini videtur genuina.

Neque tamen Religiosarum ista Regula in certo genere peccati,ad omnes omnino Christianos, & omnia peccata, & quemuis Prælatum extendenda est: potest enim peculiaris subesse ratio,vt magis in monasterio pro Regula huiusmodi denuntiatio constitui possit, quàm alibi. Fortè enim leuiori incommodo, secundo loco adhibetur ibi denuntiatio potiùs quàm testes, quibus peccatum occultum aperiendum esset. Nam(vt benè Hugo Victorinus) si qui sint conscij;illi essent etiam ex mente Augustini adhibendi in correctionem antequam veniatur ad Præpositum. Quando ergo similiter secundùm Christianam prudentiam iudicari poterit, minùs lædendam proximi famam, si omissis testibus aliis Prælatus tamquam frater secundo loco adhibeatur; poterit frater denuntiari antequam corripiatur coram testibus. Quod in Regula Augustini locum habet,propter discretionem Prælati, & damnum quod incurreret, si aliis proderetur frater, qui secretiùs per Prælatum sine tanta infamia corrigi fortè poterit. Aliquando enim coram testibus minùs speratur emendatio, & magis timetur confusio, quàm coram Prælato, præcipuè quando peccatum occultum fuerit soli corripienti notum, & frater qui Deliquit,cœperit negare, vt benè Graffius lib. 2. decis.cap.68.n.14.

Dvbitatio tertia, Quem vsum habeant qui ex norma Euangelica adhibentur in correptione testes ?

Respondeo; Quatuor ferè de causſis adhibentur, etiam quando ſoli corripienti peccatum erat notum.

Primò, Vt teſtentur eſſe peccatum quod frater admiſit: quod eſt eſſe teſtem iuris potiùs quàm facti. Ita Maldonatus.

Secundò, Adhibentur vt ipſi obſeruent & verè cognoſcant fratrem peccaſſe, adeoque in ſecundo gradu terreant, vtpote futuri teſtes in tertio gradu, quando dicetur Eccleſiæ. Hanc rationem attigit Auguſtinus in Regula.

Tertiò, Adhibentur quò Prælato & aliis conſtare poſſit proteruia correpti, & correpientem officio ſuo functum. Neque per ipſum ſtetiſſe, quo minùs, ſalua fama ſua, ſecretiùs correptus fuerit, quem fortè ob proterutam cogetur magis infamare, quando dicit Eccleſiæ. Ita ferè Chryſoſtomus in illum locum, & Euthymius.

Quartò, quòd ſemper locum habet, Adhibentur, vt ſimul corripiant, & auctoritate moueant, & ſalutarem pudorem iniiciant. Ita Hieronymus, quem ſequitur Petrus Nauarra lib. 2. De reſtitutione, cap.4. num.264. & inſinuatur illis verbis Domini: *Quòd ſi non audierit eos*, &c. vbi Græcè amplius eſt quàm in primo gradu: ibi enim ἀκούσῃ, hìc παρακούσῃ, vt non tam audire, quàm obedire debuiſſe, aucta iam auctoritate correptionis, ſignificetur. Illud autem hìc eruditus quidam monet, teſtes non nimiùm anxiè hìc nos debere propriè intelligere; ſed generatim poſſe etiam comprehendi arbitros, & qui interſunt rei gerendæ, quales hìc ſunt monitores adhibiti; quamuis, vt diximus, alia ratione etiam hi propriè teſtes ſint.

Dvbitatio qvarta, An frater correptus & emendatus debeat vlteriùs corripi aut denuntiari, quò vitetur periculum, quod fortè adhuc ſubeſt recidiuę?

Respondeo, & Dico primo, Propter commune periculum recidiuæ non licet fratrem iam emendatum, & notabiliter non deficientem, in vitandis relapſus occaſionibus, moleſtia vlterioris correptionis aut denuntiationis afficere. Ita ferè Adrianus tract. De correptione fraterna, Sotus ſuprà memb.2.q.4.Nauarrus cap.24.n.14.quamuis contrarium videatur tenere Richardus in 4. d.19.a.3.q.1.

Probatur: Quia Euangelium ſignificat eſſe deſiſtendum, correpto iam fratre, *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Secundò, non licebat fratris famam lædere, niſi quia erat in periculo & neceſſitate maioris mali, à quo aliter non poterat eripi: ſicuti, ne pereat vita, licet ægro membrum abſcindere, non autem quando nullum eſt huiuſmodi periculum.

Hinc infertur, Eos peccare, qui fratres iam emendatos eo ſolo prætextu denuntiant, vt in poſterum magis cauere diſcant à ſuperiore obiurgati. Excipio tamen caſum, quo frater in eum finem famę, quam habet apud Superiorem, renuntiaſſet, vt in quibuſdam Religionibus fieri iam ſuprà diximus.

Dico secvndo, Quando frater iam per tuam monitionem, aut etiam ſpontanea pœnitentia correctus notabiliter deficit in vitandis occaſionibus eiuſdem peccati; poterit per te priuatim moneri, non tamen teſtibus aperiri, multò minùs Prælato, niſi aliter non ſperes emendandum: tunc enim id liceret, ſi profuturum ſperares, & euidens ſatis ſit occaſio peccandi, in qua frater perichtatur, adeò vt plenè nondum cenſearis eum lucratus, quem in tanto reliquiſti pereundi periculo. Qui enim amat periculum, peribit in eo. Ita D. Thomas in 4 d.29.q.2.a.2.

Dvbitatio qvinta, An liceat Prælato iudicialiter procedere contra fraternè tantùm denuntiatum?

Respondeo, & Dico primo, Quando crimen eſt noxium Reip. & poteſt ſufficienter idoneis teſtibus in iudicio probari, ita vt licitum eſſet denuntianti inſtituere accuſationem; poterit, imò debebit iudex iudicialiter procedere, vbi iam correptionem fraternam ſecundùm omnes gradus ſuos nihil viderit profuiſſe. Tenet Dominicus Sotus. Ratio eſt, Quia ex huiuſmodi notitia vrgente Reip. periculo oportet iudicem procedere ad notitiam publicam, ne deſit officio. Neq; deeſt hìc planè accuſator: quia vt dicit Nauarrus in Rubricam De iudiciis n. 82. fictione iuris inter alia, accuſatoris loco haberi poteſt rebellio denuntiati, qua denuntiantem ſecretò, & amicè corripientem non vult audire. Deinde quando proceditur ad auertendum magnum periculum Reipublicæ potiùs quàm ad punitionem delicti, non debet videri mirum, non haberi tantam rationem illius legis quæ dicit, neminem damnandum ſine accuſatore vero aut ficto, cùm & alias patiatur ex Doctorum ſententia ea lex moderationes, de quibus in materia De iudiciis: ex quibus vna eſt, vt tunc ceſſet, quando agitur ad euitanda & impedienda mala futura, præſertim animarum, & tollendam eorum occaſionem.

Dico secvndo, In crimine hæreſis certum eſt, denuntiantem fraternè poſſe fieri teſtem iudicialem, quando iudex, apud quem denuntiauit, deſperata correctione fraterna, tranſit ad iudicialem.

Sed quærit Sotus, An etiam in aliis criminibus id locum habere poſſit?

Respondeo, Licet quando agitur potiùs de punitione, quàm emendatione, aut impediendis malis adhuc pendentibus, non ita expediat denuntiatorem fieri teſtem; nihil tamen eſt quod impediat. Neque enim idem erit accuſator & teſtis, quia fraternè denuntians non eſt accuſator; imò eſt teſtis, vt inſinuatur in Euangelio, *Adhibe tecum adhuc vnum vel duos*; & apertè dicitur capitulo In omni. De teſtibus. Non ergo ex accuſatore fit teſtis; ſed ex teſte fraternæ correptionis fit teſtis iudicialis, ſicut Prælatus ex patre fit iudex.

Dico tertio, Quando delictum occultum ſolùm delinquenti nocet, probabilius eſt, non licere Prælato, cui tamquam fratri à fraterno correptore ex charitate denuntiatum eſt, illud trahere, fruſtrata correptione fraterna, ad iudiciale tribunal, etiamſi teſtes ſuppetant, per quos conuinci poſſit, & per huiuſmodi correptionē frater ſperetur emendandus. Eſt Baneſij contra Sotum.

Probatur: Quia iudiciaria animaduerſio non eſt medium proportionatum procurando bono fratris, ſed Reip. Quocircà illæſa Rep. non videtur tam dura adhibenda correptio. Adhibenda inquam non eſt, tum quia durior eſt fratri pro delicti modo; tum quia in propoſito deſinit eſſe medium procurandi publici boni. Suppono enim, peccatum eſſe huiuſmodi, vt in nullo Remp. lędat, neque



neque ratione ſui, neque ratione notitiæ; id eſt, neque quia admiſſum, neq; quia cognitum. Itaq; ſicuti morbus non nocet, ita remedium nō iuuat.

Ex quo patet reſponſio ſi quis obiiciat, licere benefacere Reip. vt beneficium illud redunder in emolumentum amici, qui fortè pars eſt Reipub.

Dico qvarto. Quamuis ex hoc ſolo capite, quod per iudicialem proceſſum ſperetur emendatio, non teneatur, imò ſubinde nec poſſit Prælatus iudicialiter procedere: probabilius tamen eſt, poſſe contingere, quando aliàs licitus eſſet huiuſmodi proceſſus, vt fiat Prælato neceſſarius, propter præceptum charitatis quando ex eo ſcitur pendere fratris ſalus & emendatio.

Obiiciet quiſpiam contra iam dicta, Chriſtum præcipere, vt procedatur in fratris correptione, vſque ad excommunicationem: excommunicari autem neminem poſſe, niſi cuius crimen iudicialiter probatum fuerit: ergo ſemper, fratre non correcto per monitionem fraternam, tranſeundum eſſe ad forum iudiciale.

Respondeo, Chriſtum Dominum hoc ſolùm velle, vt vbi notoriè conſtiterit fratrem pertinaciter etiam Eccleſiam contemnere, eum habeas pro incommunicabili, cum quo nullam vmquam ineas vitæ ſocietatem, vtpote cuius emendationem non ſperes conuerſatione, ſed potiùs hac confuſione, & à quo ipſe potiùs peruerti timeas.

Vbi liquet, quamuis his verbis rectè fundata intelligatur poteſtas & vſus eccleſiaſticę excōmunicationis; tam generaliter tamen iis excommunicationem prędici, vt iuris poſitiui proceſſum aut iudicialem ſtrepitum non requirat, ſed abſoluatur etiam in illis ſolis ſiſtendo, quæ ex iure naturæ aliàs ſuggeruntur.

Dvbitatio sexta. An quando Prælatus aduertit, contra charitatem omiſſa monitione quempiam accuſari, aut ad ſe deferri, poſſit iudicialiter procedere, antequam curet ſuppleri correptionem fraternam?

Respondeo; Ex charitate tenetur iudex curare ſuppleri quod hìc neglectum eſt, & hac ratione tentare emendationem proximi: quæ ſi ſucceſſerit, tenebitur abſtinere à iudiciali proceſſu, ſi poſſit ſine ſcandalo; ſin minùs, tenetur ex iuſtitia procedere, quamuis grauiſſimè peccent inordinati iſti delatores.

An autem teneatur accuſator priùs monere, tractat Petrus Nauarra lib.2. De reſtit. cap. 4. numero 250. Ex cuius ſententia dicendum erit, quamuis ex iuſtitia non teneatur monere; teneri tamen ex charitate, quando ideò ſolùm accuſat, ne peccatum maneat impunitum: ſecùs, ſi accuſationē ſine alterius prędudicio omittere non poſſit.

Dvbitatio septima. An liceat Prælato denuntiare fratris crimen in Confeſſione, vt eum corripiat?

Respondeo, In ſe hoc non eſſe illicitum: quia hac ratione ſecretiùs reuelatur peccatum fratris, & magis conſulitur eius famæ, dum magis cauetur omne periculum infamiæ. Cauendum tamen eſt, ne id fiat cum aliquo periculo ſcandali, vel odioſam reddendi Confeſſionem. Quandoquidem verò huiuſmodi periculum ordinariè videbitur ſubeſſe, & pluris id faciendum ſit, quàm maiùs illud ſecretum quod procuratur hac via; communiter potiùs expediret extra Cōfeſſionem aperire, ne ea odioſa reddatur; cuius apud carnales ea eſt moleſtia, eaq; apud omnes lapſos neceſſitas, vt onere nullo acceſſorio facilè ſit grauanda.

# QVÆSTIO TRIGESIMAQVARTA.

## De Odio.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm quis Deum poſſit habere Odio?*

Hac quæſtione incipit ſanctus Thomas agere de vitiis charitati oppoſitis, in quibus prędpuū eſt odium. Quia autem vnum oppoſitorum dicatur tot modis quot alterum; ſicut amor alius eſt amicitię, alius concupiſcentiæ; ita & odium aliud eſt inimicitiæ, aliud abominationis. Odium inimicitiæ, quo eius quem odimus, malum diligimus. Odium abominationis eſt, quo eius quem diligimus, malum odimus. In vtroque ergo odio eſt amor quidam; in odio inimicitię eſt odium perſonę & amor mali quatenus eius eſt: in odio abominationis eſt amor perſonæ & odium mali quatenus eius eſt. Quia autem peius eſt odiſſe perſonam quàm malum eius; nam perſona ſecundùm ſe non poteſt eſſe odibilis, malum autem etiam pœnæ ſecundùm ſe, poteſt iuſtè eſſe odibile, ſi iniuſtè infligatur; patet, in genere moris peius eſſe odium inimicitię quàm abominationis.

Respondet D. Thomas, Deum non poſſe odio haberi, ſi ſpectetur ſecundùm eſſentiam, aut ſecundùm illos effectus qui ne prauæ quidem voluntati poſſunt eſſe contrarij, vt eſſe, viuere, intelligere: poſſe tamen ab improbis odio haberi vt eſt auctor eorum effectuum, qui prauę eorum voluntati diſplicent, puta iuſtæ pœnæ & coërtionis.

Hinc conſequens eſt Primò, Beatos qui clarè intuentur Dei eſſentiam, per nullam potentiam, quamdiu Deum clarè vident, poſſe ipſum odiſſe; quamuis poſſint per abſolutam potentiam ſuſpendi ab actuali Dei amore, Deo ſubtrahente concurſum ſuum. Impoſſibile enim eſt per omnem potentiam, voluntatem moueri ſine intellectu: intellectus autem Deum clarè videntis, nihil poteſt in ipſo apprehendere mali: malum enim eſt defectus boni; videt autem plenitudinem omnis boni in Deo, qui eſt ipſa bonitas, ipſa lux, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.

Conſequitur Secundò, Malos Deum odiſſe, non quòd Deus mali quid habeat, ſed quòd ipſi mali ſint, quibus bonus Deus diſformis eſt coërcendo & iuſtè puniendo. De his Apocal. cap. 16. *Blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem*

*super has plagas.* Item Psal. 49. *Tu verò odisti disciplinam.* Ioannis 15. *Oderunt & me & Patrem meum.* Quocircà Augustinus li. 1. Retractationum cap. 19. retractat quod dixerat, Nullius ferè conscientiam posse Deum odisse: *Multi enim,* inquit, *sunt, de quibus scriptum est, Superbia eorum qui te oderunt.*

Consequitur Tertiò, Impossibile esse Deum posse haberi odio propter effectus qui nihil molestiæ inferunt, aut voluptatis auferunt; sed bonis ac malis simul grati sunt. De quo vide Augustinum lib. 10. Confessionum cap. 23. & libro 13. de Trinitate cap. 3.

Consequitur Quartò, Odium quo mali oderunt Deum, habere originem ex amore quo seipsos inordinatè diligunt: ex amore enim sui, primò communibus peccatis impingunt in odium Dei participatum, deinde concipiunt odium abominationis contra iustas Dei plagas, & ex illo odio veniunt tandem in odium inimicitiæ, potissimùm iam damnati post mortem in inferno, aut desperatissimæ vitæ: propter plagas enim ita oderunt Deum, vt iam velint ei malè tamquam inimico.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Odium Dei sit maximũ peccatum?*

RESPONDET S. Thomas, Odium Dei esse maximum peccatum, eò quòd peccati defectus positus sit in auersione à Deo; auersio autem odium quoddam sit, ita vt odium Dei per se sit auersio à Deo, reliqua autem peccata participatione quadam auertant à Deo, quia fortè tendant in bonum commutabile, cui annexa sit auersio à Deo, aut, quod eòdem recidit, quia Deum contemnimus, & malum ei volumus, eo ipso quo nolumus implere quod præcipit. Est enim hoc interpretatiuum quoddam malum præcipientis. Aliam dat rationẽ Almainus in 3. distinct. 27. quòd peccator non velit Deum esse talem, quo maius esse nihil cogitari potest, quia vellet eum ignorare peccatum suum, atque ita non esse omniscium; aut non punire, atque ita non esse perfectè iustum. Secundò, Charitas Dei est maxima virtutum, vt patet ex dictis; ergo, odium est maximum vitium & peccatum. Quando enim vitium oppositum euertit secundùm se substantiam & rationem formalem optimæ virtutis, non potest illud non esse maximum vitium; quamuis aliquando contingat inter peccata contra eamdem virtutem, illud esse maius, quod secundùm se & formaliter magis euertit rationem formalem ipsius virtutis, quàm quod solùm euertit perfectionem quamdam virtutis, cum qua tamen perfectione virtus melior sit, quàm sine illa. Quod notandum est, vt videamus, quare potiùs sequatur: Amor Dei est optimus; ergo, odium Dei est pessimum: quam, Dilectio inimici melior est dilectione amici; ergo, odium inimici peius est quàm odium amici. Tertiò, Qui Deum odit, rem summè diligendam odit; hoc autem est pessimum: cùm enim omne peccatum sit odisse amanda, aut diligere odienda; manifestum est, quòd peius sit odisse summè diligendum, quàm diligere summè odiendum: in omni enim odiendo quod diligitur, est aliquid boni; quia malum non subsistit per se, sed est bonum vitiatum: in summè autem diligendo, nihil est mali. Quartò, Omne peccatum est quidam recessus à Deo; recessus autem perfectior, quando etiam pedes amputantur quibus rediri poterat. Ille autem qui odit Deum, non tantùm ab ipso recedit, sed quodammodò pedes, quibus ad Deum redire poterat, sibi abscindit, cùm formaliter excludit omnem bonum erga Deum affectum, sine cuius adminiculo, tamquam animæ quibusdam pedibus, ad Deum non reditur. Quintò, Odium Dei ita malum est in genere moris, vt nulla circumstantia addita, nulla ablata, desinat esse malum; adeò vt etiam malum esset, præueniendo omnem prohibitionem, & peccaret qui amenti, alioquin non peccaturo, daret occasionem odij Dei, supposito quòd eius sit capax. Vnde etiam Parisienses meritò damnarunt articulum, qui habebat, Deum posse præcipere odium sui. Quæ omnia arguunt insignem malitiam huius odij.

Obiicies, Visioni Dei quæ est summum bonum, non opponitur odium Dei, sed potiùs error; ergo, odium Dei non est summum malum.

Respondeo cum Gabriele Vasques in 1.2. disput. 11. cap. 8. Si intelligas in genere naturæ, verum est consequens, & rectè infertur; non autem rectè infertur, si intelligas in genere moris, vt hìc intelligimus: quia oppositio non rectè sumitur, quando genus mutatur.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm omne Odiũ proximi sit peccatum?*

RESPONDET S. Thomas, Odium fratris semper esse peccatum, eò quòd odium peccati in fratre, & eius quod pertinet ad effectum diuinæ iustitiæ, non sit odium fratris, sed ex amore eius odium vitij ipsius, quod omnino licitum est. Odium ergo inimicitię in proximum semper est malum; odium autem abominationis, vt illud articulo primo descripsimus ex amore proprio, in Deum quidem semper est malum, in proximum non item; quia contingit interdum proximum nobis in amore Dei aduersari, & ad Dei odium velle pertrahere, aut sanè seipsum secundùm animæ bona odisse; quam inordinationem possumus in ipso abominari: hoc enim non est aliud, quàm ex recto amore odisse in proximo odium Dei, sui ipsius, & proximi.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm Odium proximi sit grauissimum peccatorum quæ in proximum committuntur?*

RESPONDEO cum D. Thoma, quoad affectum & simpliciter loquendo, odium proximi est grauissimum peccatum in proximum, quamuis peiora sint exteriora peccata, quàm interius odium, si spectes nocumentum quod proximo infertur: illud tamen nocumentum iterùm non est culpabile, nisi quatenus ex odio proficiscitur. Omnia ergo alia peccata in proximum non sunt aliud, quàm participatum quoddam eius odium & limitatum: verbi gratia, fur malè vult proximo quoad res eius, sed non quoad vitam. Qui autem odio inimicitię simpliciter malè vult proximo, nihil omnino boni ei derelinquit: pessimum ergo est illud odij peccatum.

ARTI-



## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm Odium sit vitium capitale?*

RESPONSIO est negatiua, eò quòd capitale vitium debeat esse caput, aut principium ac initium quoddam in destructione virtutis; odium autem potiùs consummatio sit illius destructionis.

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm Odium oriatur ex inuidia?*

RESPONDET D. Thomas affirmatiuè. Sicut enim delectabile allicit ad amorem, ita tristitia de bono proximi facit vt nobis bonum illud sit odiosum.

# QVÆSTIONES XXXV. XXXVI. XXXVII. & XXXVIII.

## De Acedia, Inuidia, Discordia, & Contentione.

### ASSERTIO I.

CVM Acedia sit tristitia quędam de bono diuino, certum est, semper esse malam. Erit autem peccatum mortale ex genere suo, & multorum aliorum causa, quando consideratur vt perfecta tristitia in parte rationali de bono diuino necessario. Probatur: Quia est peccatum valdè affine odio Dei. Sicut enim tristari de bono diuino quatenus est in ipso Deo, est peccatum odij; ita tristari de eodem quatenus in nobis est, erit peccatum acediæ. Est etiam quasi spiritualis quædam animæ enecatio per abominationem escæ spiritualis: anima enim viuit & pascitur verbo diuino, quod per acediæ tædium abominamur.

Notandum tamen hìc Primò cum Nauarro, Rapìus contingere, vt animo deliberato & aduertente admittatur acedia; atque inde fieri, vt subinde non sit peccatum mortale.

Nota Secundò, Acediam superari resistendo, luxuriam fugiendo, vt ex Cassiano docet sanctus Thomas, & D. Bernardus serm. 3. de Ascensione.

Tertiò notandum, Acediam circa bonum diuinum esse speciale vitium, non autem acediam aut tristitiam de bono cuiusque virtutis; eò quòd vnumquodque vitium tædiosum faciat bonum virtutis oppositæ. Ecclesiastici capite 37. *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia, & cum muliere de ea quæ æmulatur: cum timido de bello,* &c. Ratio diuersitatis est, quòd bonum diuinum, de quo gaudet charitas opposita acediæ, est quoddam speciale bonum; cum plenitudine tamen bonitatis, cuius amor quotiescumque exercitus, absolutè virtus est. Fuga autem eius, absolutè vitium. Inferiorum autem bonorum amor non absolutè virtus est, sed quatenus conformis amori summi boni. Fuga ergo boni inferioris non continuò erit in vitio, sed tum demum, quando virtus quæ circa illud moderatur affectum, eam vetuerit.

Notandum Quartò, Si quem etiam animo deliberato tædeat boni supererogationis, quod sibi per votum non fecit necessarium, sed ad quod fortè ab eo cogitur, qui eius curam habet, non continuò fore peccatum mortale eiusmodi acediam.

Notandum Quintò, Acediam ex mente D. Thomæ censeri prohibitam, quatenus est peccatum mortale, præcepto de colendo Sabbato. Conformis est Gregorius lib. 5. Moral. cap. 22.

### ASSERTIO II.

INVIDIA est peccatum mortale. Probatur: Quia contrariatur charitati, quæ est vita animæ; inuidia enim tristitia est de illo bono proximi, de quo gaudet charitas: amor enim gaudium gignit de bono amici, & reputans omnia communia, non æmulatur. Hinc charitas gignit misericordiam, quæ est tristitia quædam de malo proximi: inuidia autem de eodem malo exultationem gignit, sobolem misericordiæ contrariam. Confirmatur Iob 5. *Parvulum occidit inuidia.* vbi significatur inuidiam esse indicium pusilli animi, puerilis insciticæ coniunctæ cum stulta superbia. Ad Rom. 1. de inuidis dicit inter alia vitia Apostolus, quòd digni sint morte. Idem repetit clarissimè ad Galatas 5. Idem docet Cyprianus lib. De zelo & liuore, vbi etiam dicit, inuidiam esse radicem omnium malorum, vt meritò Gregorius & D. Thomas eam in vitiis capitalibus ponant. Similiter docet Prosper lib. 3. De vita contemplatiua cap. 9.

Differt autem inuidia à zelo, quòd zelus aliquando in bonum accipiatur, inuidia numquam; teste Hieronymo in cap. 5. ad Galatas.

Differt autem ab odio, quòd odium sit nolitio boni, vt proximo bonum est; inuidia autem de eodem bono, quatenus eo videtur nos superare & obscurare: vnde non est inter multùm inæquales.

A nemesi autem siue indignatione, quòd ea sit dolor de bono alterius, quia eo videtur indignus; quæ tamen Christianis etiam in vitio est, quamuis non philosophis, qui non legerunt illud Ps. 36. *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua.* Bona enim illa quæ indignis obueniunt, bona non sunt, secundùm illud Christi Domini Lucæ 16. *Si in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis?* Deinde, vt alibi diximus ex Clemente, ille ordo est diuinæ remunerationis, vt pro sterliter quibusdam bonis operibus, terrenam accipiant peccatores mercedem, quam eis inuidere non debemus Deo datore. Denique Dei iudicio hæc remittenda sunt, qui fortè iratus, in maius iudicium ea concedit, pœnas exacturus pro abusu.

ASSERTIO III.

DISCORDIA qua quis scienter & ex intentione dissentit proximo circa bonum diuinum, aut ipsius proximi, vbi oportebat consentire, est peccatum mortale, aliquando vtriusque, aliquando alterius tantùm partis dissentientiū: est enim contraria charitati, cuius effectus est concordia. Quare Prouerbiorum 6. dicitur Deus detestari eum, qui seminat inter fratres discordias, & ad Galat. 5. censentur dissensiones inter opera carnis, quæ excludunt à regno Dei.

ASSERTIO IV.

CONTENTIO, quæ in voce est quod discordia in corde, est peccatum mortale, quando discordia quæ ei respondet est mortalis; vt si quis sciens & volens oppugnet veritatem fidei, aut rectam in moribus doctrinam, aut sanè aliàs contentione sua inordinata grauiùs offendat proximum.

# QVÆSTIO TRIGESIMANONA.

## De Schismate.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm Schisma sit speciale peccatum?*

SCHISMA scissionem significat: vnde mox clarum est, schisma opponi charitati, quæ vinculum est pacis & vnitatis. Est autem schisma discessio, qua quis sese ex intentione separat ab vnitate Ecclesiæ, retenta tamen Christiani nominis professione.

Diuiditur in coniunctum hæresi, & non coniunctum. Potest enim schisma esse salua fide: quomodo fuit in Core, Dathan, & Abiron, qui innaserunt sacerdotium contra Moysen & Aaron. Num.16. Item Eustachianorum & Melitianorum, apud Theodoretum lib. 3. hist. cap. 4. Sine hæresi enim posse esse schisma, docet Augustinus De fide & symbolo cap. 10. Hieronymus in caput 3. ad Titum. Rectè tamen contra Cresconium docet Augustinus, omne schisma habere aliquam sententiarum diuersitatem, vt non rectè dixerit Cresconius, schisma esse separationē eadem sequentium.

Schismatis autem cum hæresi coniuncti typus quidam fuit in rege Ieroboam, teste D. Prospero De promissionibus & predictionibus Dei, parte 2. cap. 28. Exemplum verò fuit in Donatistis, qui quamuis initio tantùm viderentur schismatici; in progressu tamen schisma hæresim peperit: ferè enim inueteratum schisma in hæresim abire solet, vt docet Hieronymus suprà, & Augustinus lib. 2. contra Cresconium c. 7. Schisma ergo quodammodò magis commune est ad hæresim.

Diuidi potest secundò ex parte termini à quo, in illud quo receditur à Pontifice summo, & quo immediatè procedituri ab inferioribus Pastoribus, quale fuit Donatistarum, qui recedebant à Cæciliano Episcopo Carthaginensi, appellantes pro suo Maiorino ad Melchiadem Papam, vt videre licet apud Augustinum hæresi 68. Hoc posteriori modo etiam Papa esset schismaticus, si (quod tamen non continget) communionem abiiceret rectè sentientium & conuersantium Episcoporum, & fidelium; quamuis frequentiùs oriatur schisma, quando à Papa receditur, qui ad vnitatem maximè redigit Ecclesiæ membra. Vnde generatim dicit Cyprianus epistola 55. non aliunde nasci hæreses aut schismata, quàm inde quòd non obtēperetur sacerdoti Dei, id est summo Pontifici.

Ad articulum itaque responsio est, Schisma peculiare esse peccatum contra charitatem. Primò, proximi: dicit enim Gregorius libro 18. Moralium cap. 15 *Qui de Deo recta sentiens à sanctæ Ecclesiæ vnitate diuisus est; constat quia proximum non amat, quem habere socium recusat.* Secundò, etiam Dei & Christi, cuius tunicam & Ecclesiam scindit. Tertiò, ipsius schismatici: omni enim fraternitatis emolumento se priuat, & etiam illa quæ videtur habere, sibi inutilia reddit, vt cuius ne martyrium quidem præmium habeat, sed sit pœna supplicij, vt docet Augustinus libro 1. contra Donatistas cap. 9.

### ARTICVLVS II.

*An Schisma sit grauius peccatum infidelitate?*

RESPONDEO, Ex obiecto quidem infidelitatem esse grauiorem, quamuis schisma interdum grauius sit propter maiorem contemptum aut periculum: quomodo illud exaggerat D. Augustinus lib. 2. contra Donatistas cap. 6. vbi obseruat, idololatriam gladio fuisse punitam; schisma autem hiatu terræ & cælesti igne. Item Chrysostomus homilia 11. in Epistolam ad Ephesios, vbi schismaticos æquiparat Christi crucifixoribus, & dicit, non esse peccatum minus hæresi: imò cuiusdam Sancti dictum laudat, ne quidem sanguinem martyrij posse delere hoc peccatum. *Quid enim prodest*, inquit, *pro Christo sanguinem prodigere, si eius vastas Ecclesiam, pro qua ipse sanguinem fudit?* Originem autem schismatis rectè monet Chrysostomus esse ambitionem, & amorem imperij aut gerendi magistratus.

### ARTICVLVS III.

*Vtrùm Schismatici habeant aliquam potestatem?*

RESPONDET S. Thomas, Habere potestatē Ordinis, non tamen licere eis vsum: potestatem autem iurisdictionis non habere.

ARTI-



### ARTICVLVS IV.

*Vtrùm Schisma sufficiat ad excommunicandum?*

RESPONDET, Conueniens esse, vt qui seipsos separant, per excommunicationem separentur; & qui nolunt obedire sacerdoti, coërceantur per iudicem sæcularem.

Disputat Turrecremata li. 4. de Ecclesia, parte 1. cap. 14. An aliqui sint habendi & puniendi tamquam schismatici, tantùm eo nomine, quia quando duo electi sunt Pontifices qui inter se contendunt, fortè illi adhærent, qui verè non est Pontifex, credentes verè esse.

Respondet, esse, si ignorantia ista ipsorum sit affectata, crassa, aut supina; secùs si fuerit probabilis vel inuincibilis, vtpote si diligenter inquisitam veritatem non potuerint inuenire, & probabiliter existiment, hunc esse verum Papam; parati vero Papæ, vbi constiterit quisnam sit, adhærere.

# QVÆSTIO QVADRAGESIMA.

## De Bello.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm Bellare semper sit peccatum?*

PRIMA opinio est, Bellum adeò natura sua & ex obiecto esse malum, vt nullo vmquam tempore licuerit aut licere possit. Ita senserunt Manichęi, vt testatur Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 74. & sequentibus, hoc nomine reprehendentes Sanctos veteris Testamenti, quòd fortes fuerint in bello, castra verterint exterorum, vnde eos commendauit Apostolus ad Hebræos 11.

Secunda est, Licuisse quidem bellum in veteri Testamento, sed in nouo non licere; aut, quia cùm in se sit illicitum, veteribus solùm fuerit permissum; aut sanè, quia cùm licitum in se sit, pro mansuetudine Christiana interdictum sit in noua Lege. Ita Oecolampadius, teste Castro, verbo Bellum; Cornelius Agrippa De vanitate scientiarum cap. 79. qui fatetur suam sententiam esse contra Augustinum, Bernardum, & Ius Canonicum; Ioannes Wicleff, vt testatur Thomas Waldensis de Sacramentalibus titulo 24. cap. 169. Erasmus peculiari opusculo seu declamatione de bello, & in annotatione ad cap. 3. & 22. Lucæ: Ioannes Ferus in c. 26. Matthæi. Anabaptistæ, vt testatur Melanchthon in Loco de Magistratu. Verùm isti ne Iudicibus quidem gladium relinquunt. In eodem errore est Beatus Rhenanus in Annotationibus ad Tertullianum De corona militis.

Tertia sententia est Lutheri in articulo 34. Si non omne bellum, saltem bellum contra Turcas esse illicitum; quem errorem quia videbat se Germanis persuadere non posse, tetractauit libro De visitatione Saxonica.

Quarta sententia est de fide, Bellum siue in Turcas, siue in alios, aliquando etiam Christianis esse licitum & necessarium. Probatur Primò ex Scripturis. Omissis locis veteris Testamenti, quibus narrantur Sancti prælia Domini gessisse, Deo non tantùm permittente, sed etiam iubente: quia Manichęi non recipiunt vetus Testamentum, & alij aduersarij fatentur, saltem diuino permissu licuisse veteribus illis bella; sed Christianis, vt polygamiam & libellum repudij, esse interdicta. Lucæ 3. Ioannes Baptista, & Actorum 10. Petrus, catechizantes milites, non eis militiam dissuaserunt tamquam illicitam; sed ille contentos esse voluit stipendiis suis, neminem concutere, neminī calumniam inferre. Vtitur hoc argumento Augustinus suprà contra Faustum, & epistola 5. ad Marcellinum. Accedit quòd Cornelius Centurio plurimùm commendetur in Actibus Apostolorum; & ipse Dominus fidem commendauit alterius Centurionis, Matthæi 8. Sanè pater fidei nostrę Abraham ante Legem bella gessit, nec vllo colore bellum ad legalia tam antiquata reiicitur.

Secundò, probatur ex Patribus; vbi in primis obseruandū est, Tertull. non improbasse in Christianis omnē militiam, sed obnoxiam idololatriæ aut alicui nequitiæ, qualis ferè erat eo tēpore, quo deleta Rep. Iudęorum, in qua etiā Deo duce bella gesta sunt, nondum imperabant Christiani, sed vincebant paulatim in Romano Imperio diabolum, non rebellione contra magistratum crudelem, sed martyrij tolerantia. *Puta*, inquit Tertullianus c. 11. De corona militis, *licere militiam vsque ad causam coronæ*, id est, vsque ad habitum aliquem idololatriæ, vt ibi Pamelius; qui ex pluribus locis ostendit, Tertullianum immeritò à quibusdam (in quibus fuit Franciscus Victoria Relectione de iure belli) censeri in hoc errore, qui omne bellum in Christiano damnat. Tertulliano consentit Ambrosius lib. 1. De officiis c. 40. & in illud Lucę 3. *Contenti estote stipendijs vestris*; Chrysostomus homilia 21. in Acta; Augustinus suprà, & epistola 50. ad Bonifacium comitem; Gregorius lib. 1. epistola 72. Bernardus sermone ad milites templi cap. 3. *Si percutere in gladio omnino fas non est Christiano; cur ergo præco Saluatoris contentos fore suis stipendijs militibus indixit, & non potius omnem militiam interdixit?*

Tertiò probatur Ratione. Bellum vel est defensiuum, vel offensiuum. Si defensiuum; manifestum est, licere: quia etiam priuato vim vi repellere licet, multò magis Reip. quando autem est offensiuum, etiam contingit esse licitum: quando enim aliter Reipub. damna reparari aut vitari non possunt, nisi suscepto bello; æquum est, vt non minùs liceat Reipublicæ bello rem tentare, quàm liceat priuato via iuris intentare actionem iniuriarum.

Vnde infertur, Bellum aliquando Principi, etiam offensiuum, esse non tantùm melius quàm eius omissionem, sed etiam in præcepto: tantum abest vt semper pugnet cum consiliis Euangelicis.

Meritò autem Lutheri opinionem à Germanis, nimiùm alioqui ei credulis, non fuisse receptam, vel inde patet: si enim bellum à Turcis illatum defendere non liceat, eò quòd sit flagellum Dei, eadem ratione neq; famem licebit arcere, neque morbum: imò, vt rectè Roffensis, neque carnis fomitem licebit reprimere. Rursus bellum à Turcis illatum sæpè effectus est nostræ socordiæ: & nescimus an Deus velit nos solùm oppugnari, an etiam expugnari: fortè enim pro religione certantes iuuabit, quos punit vt à vitiorum somno excitet.

Obiiciunt illud Matthæi 26. *Qui acceperit gladium, gladio peribit* Hoc loco, inquit Tertull. lib. De idololatria c. 19. *Omnem militem Dominus in Petro exarmando discinxit.* & cap. 11. De corona militis: *Licebit in gladio conuersari, Domino pronuntiante, gladio periturum, qui gladio fuerit vsus?*

Respondeo; Dominus vsurpationem gladij in vindictam damnat in eo qui ad hoc auctoritatem non habet, non autem legitimum gladij vsum; siue in magistratu quem approbat Apostolus ad Rom. 13. siue in militibus legitimi magistratus executoribus, siue in priuato cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt videre licet apud Hilarium can. 32. in Matth.

Ad Tertull. Resp. Priori quidem loco damnare ipsum eos, qui militiæ Christi per Baptismum adscripti, cum periculo illiciti actus, nomen militiæ sęculari dabant sub ducibus idololatris, etiamsi tantùm gregarij, aut (vt ipse loquitur) caligati fuissent, quibus non erat necessitas immolationum vel capitalium iudiciorum; sed non damnare simpliciter omnem militiam: & in Petro discinctum intelligere solùm illum militem, qui cum periculo praui actus gladium habuerit, docent verba subiecta, *Nullus habitus licitus est apud nos illicito actui adscriptus.* Posteriori loco de sententia Tertulliani, satis coniicimus ex illis quæ suprà obseruauimus, quamuis in his verbis nonnihil videatur studio dissuadendæ militiæ excessisse: neq; enim Dominus omnem vsum gladij interdixit, quem monuerat comparandum, & permisit apud suos reperiri; sed solum, vt ex Hilario diximus, abusum vetuit: quocirca neque post inconsultum illum Petri abusum abiici mandat, sed conuerti in locum suum.

Obiiciunt Secundò ad Rom. 12. *Non vos defendentes charissimi.*

Respondeo, Græcè esse ἐκδικοῦντες, id est, *vlciscentes*, vt vertit Hieronymus Apologia aduersus Ruffinum; in qua significatione aliquando interpres noster accipit, defendere, vt patet Iudith cap. 1.

Obiiciunt Tertiò Anabaptistæ, ex cap. 10. posterioris ad Corinthios, *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt.*

Respondeo, Velle Apostolum, militiam propriam Christianis non esse carnalem, neque fidem gladio potiùs quàm verbo Dei propagandam, contra quam de secta sua dicebat Mahumet.

Obiiciunt Quartò contra bellum defensiuum ex cap. 5. Matthæi: *Ego autem dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram.*

Respondeo. Si hunc locum ita accipere vellmus, vt aliquid præcepti contineat; dicere licebit, Dominum voluisse, nos debere potiùs esse paratos ad nouam ferendam iniuriam, quàm ad resistendum animo vlciscendi exardescere. Verisimilius tamen est, continere perfectionis consilium, vt patienter iniurias illatas toleremus potiùs quàm nosipsos defendamus. Verùm illud ipsum consilium aliquas rursùm habet exceptiones. Quando enim deterior futurus esset proximus qui te læsit, monet Gregorius opus misericordiæ futurum, si eum repuleris. Deinde nemo non videt non posse magistratum, qui à Deo gladium accepit ad defensionem & laudem bonorum, ac vindictam malorum, non resistere malo, quando illud vergit in Reip. oppressionem; quin potiùs tunc ex officio bellum ei necessariò suscipiendum esse.

Obiiciunt Quintò quædam ex Conciliis & Pontificibus. Canone enim 11. Nicæno, grauis ei iniungitur pœnitentia, qui militiam repetierit.

Verùm agitur de militia repetita sub tyrannide Licinij, cum implicita negatione fidei: illi enim de quibus agitur, propter fidem Christianam deposuerant militiæ cingulum; quod repetentes, censebantur parati fuisse negare fidem.

Rursus Leo epistola 92. cap. 10. ad Rusticum, & refertur capitulo Contrarium, De pœnitentia d. 5. dicit, Contrarium esse Ecclesiasticis regulis, post pœnitentię actionẽ redire ad militiam sęcularem.

Verùm agit Leo de illis, quos iam experti sunt, se in militia viuere non posse, sine euidenti periculo peccandi: ita explicat Glossa in capitulum Si quis, dist. 50. talibus enim, qui peccatum de quo pœnitent, in militia commiserunt, solet iniungi, ne ad militiam redeant, vt patet capitulo Falsis, De pœnitentia dist. 5.

Aliorum, quæ Erasmus obiicit, solutio patet ex dictis.

Obiici Sextò potest, Nicephorum Imperatorem legem sanxisse, vt milites qui in bello occubuissent, instar Martyrum colerentur: sed reclamatum ei fuisse ab Episcopis, propter canonem sancti Basilij, epistola ad Amphilochium, iubentem triennio Communionis expertem esse, qui hostem in bello occidisset, vt refert Baronius ad annum Domini 964. tom. 10.

Respondeo, Milites etiamsi in bello propter fidei defensionem occumbant, non esse Martyres; quia in mortem pro fide incidunt, potiùs intendentes occidere, quàm pro fide mortem sufferre. Cum pietate itaque dormitionem accipiunt, in re licita & meritoria; sed auream, sine martyrij aureola, à Deo referunt. Basilius verò non damnat bellum quod inter pœnæ mala recenset homilia *Quòd Deus non est auctor malorum.* quamuis iustè abstineat aliquamdiu à Communione eum qui sanguinis humani effusione minùs aptus diuinis rebus effectus fuerit; sicuti & Dauid à templi ædificatione fuit impeditus.

Obiicit denique Erasmus dicto opusculo de bello, cuius verba annotasse iuuerit, quamuis vis argumentorum superioribus solutionibus pænè sublata sit. *Posteaquam Christus iussit recondi gladium, non decet pugnare Christianos, nisi pulcherrimum illud prælium cum teterrimis hostibus*



*bus Ecclesiæ, cum studio pecuniæ, cum iracundia, cum ambitione, cum metu mortis: hi sunt Philisthæi nostri, hi Nabuchodonosor, hi Moabitæ & Ammonitæ: hic qui vicerit, cum nemine mortalium belligerari velit. Obiiciunt Decreta Patrum, in quibus bellum approbari videtur. Sunt quidem eiusmodi quædam, sed apud recentiores Christi vigore iam relanguescente, sed ea perpauca, cum sint innumera apud probatæ sanctitatis Scriptores, quæ à bello deterreant.* Hæc inquam Erasmi obiectio iam è dictis diluta manet: non sunt ex recentioribus Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Gregorius, suprà citati.

## DVBIVM I.

### *Penes quem sit legitima auctoritas indicendi Bellum?*

CITRA controuersiam est, Principem Reipub. perfectæ, qui superiorem in temporalibus non agnoscit, habere auctoritatem indicendi bellum. Est Augustini libro 22. contra Faustum capite 75. *Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes Principem sit.* Augustinum sequuntur omnes Scholastici cum D. Thoma hîc, Siluester verbo Bellum, 1. q. 1. Couarruuias in Regulam Peccatum 2. p. §. 9. numero 1. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. num. 269. Nauarrus in Rubricam de iudiciis n. 104. Turrecremata in cap. Quid culpatur 23. q. 2. Molina de Iustitia tom. 1. tract. 2. disp. 100.

Dicitur perfecta Respublica, quæ non est pars alterius Reipublicæ: perfectum enim & totum idem est. Eiusmodi autem Principes sunt Imperator, Reges Hispaniarum & Galliæ, Duces Brabantiæ, & similes.

Quæres, An etiam Papa?

Respondeo; Non solùm Papa, sed quiuis Prælatus Ecclesiasticus, quando simul est supremus Princeps, potest ratione principatus sui indicere bellum; quomodo, vt Princeps Romani populi, legitur Papa aliquando suos ad arma conuocasse, 23. q. 8. capitulo Igitur. Potest præterea Papa pro suæ potestatis plenitudine, quam indirectè habet in temporalia, prout ad spiritualia ordinantur, & in omnes potestates laicas, vel bellum mouere, vel mouendi aliis facultatem concedere ex iusta causa, vt docet Molina suprà tom. 1. tract. 2. de Iustitia disp. 100. post Panormitanum in capitulum Sicut 3. de iureiurando.

At quæres, Vnde habeant potestatem inconsulto Imperatore indicendi bellum, Reges & Duces quidam ipsi inferiores?

Respondet Couarruuias in Regulam Peccatum, parte 2. §. 9. vel ditiones suas sine ope Imperatoris occupasse, vel priuilegio per Pontificem esse exemptos à iurisdictione Imperatoria, aut sanè consuetudine legitimè præscripta.

Quæres Secundò, An etiam in bello defensiuo opus sit eiusmodi auctoritate principali?

Respondeo, Non esse: ius enim se defendendi habet etiam quisque particularis, multò magis Respub. quamuis imperfecta, & eius Princeps. Actus autem supremæ iustitiæ vindicatiuę, qualis est indictio belli offensiui, conuenit supremæ potestati; nisi fortè quatenus offensiuum necessarium est iustæ defensioni: aut quando Princeps negligit vlcisci Reip. iniurias, aut inferior præscripta consuetudine obtinuit vt possit pro iniuriis sibi illatis indicere bellum. Ita Franciscus Victoria; quod tamen rectè Caietanus & Molina restringunt, vt opus sit bona fide in eam possessionem venisse, non autem per vim & potentiam contra iustitiam. Excipiunt & illum casum, quando Princeps inferior non potest proprios subditos continere in officio, nisi eis bellum indicat: quod tamen restringendum est ad limites effectuum, ad quos huius inferioris Principis potestas se extendit; de quo consulere licet Panormitanum suprà.

Certum est præterea, Respub perfectas habere hanc potestatem indicendi belli etiam offensiui per se, quando non habent Principem: quando autem habent, residet hæc potestas penes Principem à Repub. ei translata. Vnde consequitur, duo regna eiusdem Regis, non posse inuito Rege inter se suscipere bellum, vt rectè Molina, quidquid de eo dixerit Victoria.

Rectè etiam monent Doctores, quando pars alia alterius Reipub. læsit hanc Remp. non posse Remp. læsam indicere bellum alteri, sed debere tamquam actorem sequi forum rei, & ante omnia Remp. cuius pars est quæ læsit, requirere, vt iustitiam administret; quam si negauerit, poterit læsa non tantùm in partem quæ læsit, sed etiam in totam Remp. bellum mouere.

Certum est Postremò, inconsulto Papa posse Reges bellum indicere; quando tamen Pontifex iudicaret Ecclesiæ interesse, vt suam auctoritatem interponat, tenentur ipsum audire.

At quæres, An teneantur ad restitutionem qui bellum intulerunt alioqui iustum, sed sine legitima auctoritate?

Nauarrus in Rubrica de iudiciis num. 105. generatim dicit, teneri: sed melius distinguit Molina disputatione 111. hoc modo: Si negata, inquit, fuerit auctoritas solùm ad seruandam disciplinam militarem, non tenentur: si autem ideò negata, quia noluit Princeps tantum damni, aut omnino vllum hosti inferri; tenentur de tanto, aut de toto: si autem finis negatæ potestatis sit, ne hostes lacessiti maiora damna inferant; de sic illatis tenentur Reip. non hostibus.

Notandum tamen præsumptam Principis voluntatem hîc sufficere, non solùm ad retinendum quod hosti ademptum est, sed etiam ad iustè inuadendum & diripiendum: imò ea præsumptio interdum locum habebit, vt vult Molina, quando Princeps propter alias causas, etiam rogatus, nollet concedere eiusmodi inuasionem, modò aliunde suppetant argumenta voluntatis Principis.

## DVBIVM II.

### *Quæ sit iusta causa Belli?*

ALIA conditio iusti belli est iusta causa, de qua sit

PRIMA ASSERTIO. Diuersitas Religionis, amplificatio Imperij, gloria Principis, aut aliud ipsius commodum proprium, nõ sunt iustę causę belli. Fides enim debet esse voluntaria, non coacta per arma: lucra autem Principis priuata aliàs indebita in titulis honoris aut potentia, non debent tantis impendiis Reip. & dispendiis procurari quanta solent esse ex bello: deinde eiusmodi amplifi-

amplificatio sæpè non fit sine iniuria partis; quando autē sine eius iniuria fieret, quia fortè ipsa prior læsit; expendendum esset an tanti interfit Reip. sic augeri potentiam Principis, vt iustum sit subire incommoda quę verisimiliter ex bello imminent.

SECVNDA ASSERTIO. Vnica & sola caussa iusti belli inferendi, est iniuria Reipub. nimirum impedienda, resarcienda, aut vindicanda. Ita Augustinus lib. 22. contra Faustum, & q. 10. super Iosue, D. Thomas & Victoria.

Nota tamen, quando iniuria est illata solùm materialiter, puta per ignorantiam inuincibilem, non esse iustam caussam belli, nisi damnificator sit factus ditior, & nolit ex eo quod sibi per iniustitiam illam accessit, reparare quod Reip. damnificatæ decessit: neque enim tenetur ratione acceptionis, aut rei acceptæ: imò etiam quando inde factus est ditior, non poterit in progressu belli interfici, nisi cessaret ignorantia inuincibilis, & ipse non cessaret ab iniuria.

Nota Secundò, Quando per ignorantiam inuincibilem alia Respub. occuparet regionem debitam huic principi, aut Reipublicę; posse verum dominum non tantùm mouere bellum nolenti cedere, sed etiam interficere detentores, quatenus opus est ad regionem recuperandam: vlteriùs autem nihil posse tentare, adeoque nec expensas repetere. Neque refert quòd Israelitæ hoc moderamen excesserint in Chananæos & Amorrhæos, quia duplici titulo eos bello infestabant: vno quòd terra eorum, donatione diuina Israeli esset translata; altero quòd à Deo vindices essent constituti completæ malitiæ illarum gentium: & hoc posteriori titulo, maior illa cædes quàm necessaria erat ad occupandam terram, facilè iustificatur.

ASSERTIO TERTIA. Non quælibet iniuria est iusta caussa belli, sed oportet vt tam notabilis sit, vt æquum sit propter illam quæ futura sunt belli incómoda subire & inferre. Probatur, Quia alioqui ex leui caussa suscipiens bellum Princeps, & aduersæ & sitæ Reip. iniuriam facit. Aduersæ quidem; quia sicut non quodlibet crimen morte puniendum est in priuato, ita non quælibet iniuria à Rep. illata est punienda bello, in quo tot hominum cædes admitti solent: propriæ autem; quia prout euentus belli varij sunt, ita ferè contingit vtriusque partis detrimento bellum geri.

Vt autem iudicemus, An iniuria ad bellum sufficiat, non parum conducent exempla, potissimùm ex Scripturis deprompta. Talis ergo erit in primis inoxij transitus negatio, Numerorum 21. aut similium, quæ iure gentium debentur omnibus, de quo videri potest capitul. Notandum 23. quæst. 2. ex Augustino q. 44. super Numeros. Sicut enim quilibet priuatus potest transire per agrum tuum, si habeat seruitutem viæ publicæ: ita quælibet gens potest ex æquitate & iure communis societatis humanæ transire per vias publicas regni alterius. Quamuis autem priuato non liceat hanc iniuriam vindicare, licet tamen Principi.

Secundò, Detentæ res Principis, inuasa ciuitas, etiam parua, propter periculum amittendi maiores. Ita Banesius.

Tertiò, Suppetiæ latæ inimicis. Sic Dauid 2. Regum 8. percussit Syriam Damasci, quæ suppetias tulerat Adarezer regi Soba.

Quartò, Publica Principis contumelia, 2. Regum 10.

Quintò, Rebellio subditorum, eodem 2. Regum cap. 20.

Sextò, Hæresis subditorum, Gregorius lib. 1. epistola 72.

Septimò, Defensio malefactorum, ne iustas pœnas luant, Iudicum 20.

Octauò, Violatum fœdus, 4. Reg. 3.

Nonò, Negatus locus Prædicatoribus Euangelij. Victoria Relectione de Indis. sectione 3. numero 12.

Decimò, Imploratum auxilium ab eo qui iustam caussam tuetur; quo titulo putat Molina etiam regna infidelium posse occupari.

Vndecimò, Innocentium, etiam consentientium, dęmonibus facta immolatio.

Addit Victoria 2. parte dictę Relectionis de Indis, caussam iustam nostris fore apud Indos, qui negauerint peregrinationem, commorationem, nauigationem, piscationem gemmarum, aut commercia. Sed putat rectiùs Molina, non esse has iustas caussas belli, eò quòd iure gentium talia non debeantur omnibus.

Sanè nemo dixerit, esse iniustū Decretum, quo Princeps vel Respublica vetat, ne tales exteri ad mercatum aut habitationem in Regione admittantur, nisi vtile hoc ipsum Decretum non sit ciuibus. Et quando tale Decretum esset contra vtilitatem ciuium, non potest tamen esse exteris iusta caussa belli, quo non ciuium sed suam caussam agant.

Quærunt nonnulli, Vtrùm sit sufficiens caussa belli brutalitas & hebitudo mentis, quæ in Barbaris reperitur, quaque insufficientes sunt vt seipsos benè regant in politica & rationali vita? Videtur enim esse opus charitatis tales bello subiicere, vt patiantur se bonis legibus gubernari.

Respondeo, Quamuis hoc quibusdam probabile videatur, longè tamen verius esse, non esse hanc iustam belli caussam; imò hoc esset prætextu charitatis magnam tyrannidem exercere. quid enim est aliud, quàm multos occidere vt reliquos erudias? quàm facere malum vt eueniat bonum? Erudire itaque tales, & pro eorum eruditione occidi, charitas suadet, non autem occidere, vt fit, quando hac de caussa bellum eis infertur.

Nota, punitionem bellicam metiendam esse ex qualitate rei ablatæ, & culpa auferentis aut detinentis, eoque fieri, vt iustè inferatur damnum maius, quàm sit res ablata, modò seruetur proportio congrua ad culpam.

## DVBIVM III.

### *Quantum debeat quisque ad Bellum concurrentium ponere diligentiæ & prouidentiæ in examinanda & expendenda iustitia Belli?*

ASSERTIO PRIMA. Tenetur Princeps, antequam bellum indicat, diligenter examinare, an sufficientes & iustæ sint caussæ; & vbi iustas repererit, tenetur ab aduersario petere satisfactionem antequam bellum indicat; eamque si offeratur, acceptare: quod etiam verum erit indicto, sed non inchoato bello. Prior pars patet: Quia Princeps hîc est iudex, & bellum indicendo profert



fert sententiam: oportet ergo caussam ritè examinet per viros prudentes & intelligentes, in quibus affectus iudicium non excæcet, auditis etiam rationibus aduersariorum. Posterior patet etiam Deuter. 20. & ex eo quod scitè admodum scribit Augustinus ad Bonifacium, *Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas.* Imò hoc adeò verum est, vt si ponas (quod tamen vix contingere dicunt) post inchoatum bellum, imò etiam durante actuali pugna, partem aduersam offerre ea omnia quæ in satisfactionem & iustam vindictam Princeps poterat bellando consequi, ita vt reipsa sine vlteriori difficultate omnia certò præstanda sint; deberet non solùm ex charitate, sed etiam iustitia à bello desistere: pro iniuria enim præterita tanta offertur satisfactio, quanta de rigore exigi poterat, vt suppono, & ab vlteriore iniuria eo ipso cessatur. Iusta ergo caussa belli in posterum non superest; nam rectissimè dixeris, nullum esse iustum bellum, nisi necessarium.

Obiicit quidā in casu quādo ad vindictā bellum infertur, superesse iustā caussam belli: sicuti enim potest salua iustitia procedere iudex ad vindictam, etiamsi satisfactio offeratur; ita videtur Princeps in proposito posse pergere in bello salua iustitia.

Sed Respondeo, Esse disparitatem, quia vindicta, quæ per bellum fit, inuoluit ex parte etiam innocentes, ratione cuius non potest esse iustum bellū, nisi quod necessitas excusat. Quia tamen vix oblatio talis fieri solet, præcipuè quando ex aduersariis aliqui nece puniendi essent; rectè dicitur, ex iustitia post inchoatum bellum, Principem non teneri acceptare conditiones quæ offerri solent; tenebitur tamen ex charitate, maximè quando actuale prælium non durat, imò aliquando etiam eo durante, à bello desistere, acceptando conditiones pacis, quando tales concurrent circumstantiæ, quæ hîc & nunc, secundùm inclinationem charitatis, belli potiùs finem postulare videbuntur. Ita ferè Molina.

ASSERTIO SECVNDA. *Si* post diligens examen adhuc maneat vtrimque æquè dubia iustitia belli, & alter sit in bonæ fidei possessione; non potest ei Princeps mouere bellum, sed rationibus negotium transigendum est: melior enim est conditio possidentis, & reo potiùs quàm actori fauendum, quando partium iura obscura sunt, secundùm Regulas Iuris: si autem non fuerit in tali possessione, nisi velit æqualiter secum diuidere, aut inæqualitatem compensare; potest inferre bellum.

At quid si ille qui est in possessione bonæ fidei, re iam meliùs expensa, deprehendat, verisimilius esse ad alium pertinere regnum, qui pro eo instat & bellum minatur?

Respondeo; Eo casu debebit cum altero componere, & offerre diuisionem secundùm proportionem remanentis adhuc dubij ad arbitrium prudentium: quamuis in simili casu priuatus, qui haberet iudicem, posset expectare sententiam. Si tamen in neutram partem se resoluere posset, aut aliàs deposito quod habuit in alteram partem iudicio, maneret verè dubius, etsi pro aduersario fortè haberet rationes probabiliores, non teneretur pro rata dubij maiorem partem cedere aduersario: nam etiam in bello dubio melior est conditio possidentis.

TERTIA ASSERTIO. Milites externi, saltem gregarij & minores, qui non adhibentur in consilium belli suscipiendi, possunt Principi, cuius pridem militiæ sunt inscripti aut ex pacto adstricti, militare, etiamsi speculatiuè dubitent de iustitia belli, nisi nouerint ipsum Principem practicè esse dubium. Est Augustini lib. 22. contra Faustum cap. 75. vbi tales excusat, quia ipsos innocentes faciat ordo seruiendi, quamdiu quod eis iubetur non esse contra præceptum Dei certum est, vel vtrùm sit, certum non est. Est etiam communis Doctorum, Victoriæ Relectione de iure belli, Driedonis De libertate Christiana lib. 1. Gabrielis & Maioris in 4. d. 15.

Molina tamen disp. 113. monet, si magis inclinentur in eam partem, quæ habet, bellum esse iniustum, teneri eos recedere, si commodè possint, vbi tempus expleuerint quo se obligauerant; eamque vult esse differentiam inter impliciter subditos Principi, & externos qui ei militant, quòd etiam tunc subditi non teneantur, etiamsi possint, relinquere militiam: quamuis ex sententia Caietani in aliis ferè æquiparentur dum militant: nam sicut in discessu, ita in accessu nonnullum est discrimen, de quo sit

QVARTA ASSERTIO. Externi, qui de nouo merè voluntariè inscribuntur militiæ, peccant si dubitent de iustitia belli; subditi autem minores, qui non adhibentur in consilium, etsi speculatiuè dubitent de belli iustitia, modò non iudicent esse iniustum, possunt militiæ nomen dare, & committere se iudicio Principis & Concilij, nisi tam aperta sint indicia & rumores de iniustitia, vt etiam communes milites oporteat rem examinare.

Prima pars probatur, Quia in dubio melior est conditio possidentis: debent ergo partem, contra quam bellum suscipitur, vtramque relinquere in possessione vitæ & bonorum suorum, quæ solent per bella auferri.

Ex quo fundamento patet secunda pars. Cùm enim Princeps sit in possessione subditi; excusat in dubio subditum ciuicæ pacis ordo, secundùm quem debet potiùs fauere suæ Reip. & Principi, quale nihil pro se habent externi.

Vnde colligitur, Si posteà deprehendatur bellum fuisse iniustum, extraneos qui in bello dubio iuuerunt, teneri ad restitutionem, deficiente Principe, omnium damnorum quæ intulerunt, vel quę sine ipsis illata non fuissent; subditi autem solùm tenebuntur in quantum facti sunt ditiores.

Tertia pars probatur: Quia alioqui milites qui Christum crucifixerunt, essent innocentes, si ordo seruiendi etiam in manifesta iniquitate excusaret. Vnde meritò Augustinus suprà, tunc non vult militem obedire, quando certò constiterit, esse contra Deum quod præcipitur.

Quæres, Quando subditus non solùm speculatiuè, sed etiam practicè dubitat, an bellare sibi sit iustum, possitne nihilominùs Principi suo militare?

Respondeo, Posse, si iubeat Princeps: non enim dubitabat, an accedente præcepto Principis sibi liceret, sed simpliciter. Si tamen etiam tunc practicè dubiam habeat conscientiam, ligatur conscientia sua erronea ne militare possit; sed tenetur eam deponere, secundùm quæ alibi hac de re diximus. Si tamen stante eiusmodi conscientia militet, etiamsi ex parte rei deprehendatur posteà bellum fuisse iniustum, non tenebitur ratione acceptionis, sed solùm ratione rei acceptæ qua-

quatenus factus ditior: nam, vt rectè Molina contra Victoriam disp. 113. iniustitia quæ prouenit ex conscientia erronea, qua putat quis se iniustè facere quod facit iustè, non inducit obligationem rei restituendæ ex parte acceptionis, sed solùm ex parte rei acceptæ.

Ex dictis patet, siue quis subditus sit, siue externus, grauissimè eum peccare, si paratus sit alicui Principi in quouis bello, quod ipse elegerit, seruire, nihil omnino curando de iustitia belli. Quo loco etiam censendi sunt parati seruire vtriuis parti, quando ex altera manifesta est iniustitia; aut priùs requirenti, aut melius stipendium promittenti, nihil omnino curando de iustitia causæ: nam etiam isti grauiter peccant, si actum aliquem eliciant; nam solo habitu nemo peccat: imò tenentur ad restitutionem, quando constiterit de belli iniustitia, etiamsi Princeps, quia fortè propter inuincibilem ignorantiam non peccauit, non teneretur ratione acceptionis.

## DVBIVM IV.

### *An detur Bellum vtrimque iustum?*

NOTANDVM, bellum tribus modis esse iustum, formaliter tantùm, materialiter tantùm, & vtroque modo simul.

Primo modo iustum est, quando secundùm dicta, prudenter practicè quis iudicat, sibi esse licitum, etiamsi ex parte rei sit occulta quædam iniustitia, quæ ipsum lateat.

Secundo modo, quando quis inuadit quod sibi debetur, sed putat sibi non deberi.

Tertio, quando & in conscientia gerentis, & etiam ex parte rei iustum est.

Primo modo bellum potest esse vtrimque iustum, & frequenter contingit.

Secundo autem & tertio numquam est vtrimque iustum. Quamuis enim probabilis sententia, aut ignorantia inuincibilis efficiat, vt vtrique parti licitum & iustum sit bellum; numquam tamen eueniet, quin ex vna saltem parte reipsa iniustum sit. Aliquando autem vtrimque contingit, ex parte rei esse iniustum; sicuti dum alter dicit alteri, Hæc res mea est, & non tua; fieri potest, vt probabiliter asserat vterque: fieri etiam potest, vt vterque dicat falsum; at fieri non potest, vt vterque dicat verum.

Bellum ergo vtrimque iustum non est nisi ex ignorantia, vt communiter obseruant Doctores, Victoria De iure belli, num. 32. Couarruuias in Regulam Peccatum, parte 2. §. 10. num. vltimo.

Notant tamen quidam & alium modum, quo bellum possit esse vtrimque iustum, quando nimirum non est vtrimque circa vnum & idem. Verùm tale bellum non est propriè bellum; sicuti non pugnant propositiones quæ non accipiuntur secundùm idem. Non erit ergo bellum vtrimq; iustum, etiamsi miles iustæ partis possit occidere innocentem, quando aliter hostilis ciuitas capi non potest, & ipse innocens seruato moderamine tutelæ sese defendere possit, vt benè hîc Valentia.

Neque etiam contra hanc doctrinam erit instantia, in duobus iustè capitis damnatis, qui ex iudicis sententia duellum ineunt ea lege, vt victor dimittatur: quia hic non tam est partium pugna, quàm vnius & eiusdem iudicis quasi manuum in sortem collisio.

## DVBIVM V.

### *Qua intentione oporteat Bellum gerere?*

QVIA sæpè contingit, eos qui bella gerunt, alioqui iusta non iustè exequi; rectè monet D. Thomas, vt licitè bellum geratur, præter auctoritatem indicentis, & iustam caussam, etiam opus esse recta intentione. Cùm enim bellum non solùm ex se bonitatem non habeat, sed multum mali annexum, ratione cuius non sit facilè appetendum; debet assumi peculiari bono fine, videlicet pacis studio, vt mali coërceantur, & boni subleuentur, vt ex Augustino S. Thomas.

Tres ergo fines belli: stabilienda pax Reipublicæ, recuperatio amissorum, & iusta vindicta. In eo rursum sat conueniunt Doctores, quando aliàs iustum est bellum, etsi illicitè geratur, propter sinistram intentionem non induci obligationem restitutionis. Rectè tamen monent, teneri Principem Reip. suæ restituere, quando propter vanam gloriam, temerè alioqui iustum bellum aggrediendo, caussa fuerit notabilis alicuius damni suis ciuibus ab hostibus illati, quod euitasset, si recto dumtaxat fine negotia belli direxisset: imò tenebitur propriè restituere Princeps Reip. damna ex bello secuta, quando ea etiam præuisa ab eo fuerint, & tanta fuerint, vt propterea à bello abstinere debuerit, vt docet Molina disputatione 101. & 107.

Quæres, Quid si bona intentione quærat Princeps occasionem iusti belli contra gentem aliquam, præsertim infidelem, an peccet?

Respondeo, Ordinariè tanta esse belli incommoda temporalia & spiritualia, vt facilè contingat, peccare mortaliter non solùm illum qui quærit, sed etiam eum qui non vitat occasiones iusti belli.

Admittit tamen Molina, licere Principi quærere contra barbaram aliquam & infidelem gentem iustam occasionem belli, quando certò exploratum haberet, istud cessurum in magnum Ecclesiæ & Christianæ Reip. adeoque ipsius gentis debellandæ commodum spirituale: imò tunc etiam permittit Principi, vt in compensationem operæ suæ secundariò intendat imperium & dominium istius gentis, & temporalia sua emolumenta.

## DVBIVM VI.

### *Quis modus seruandus in Belli executione, progressu, & victoria?*

ASSERTIO PRIMA. Non licet Christiano Principi contra Christianos, cum quibus alioqui iustum habet bellum, in auxilium vocare infideles, præcipuè bellum cum Christianis iam actu habentes. Est communis Doctorum, Caietani & Banesij hîc, Siluestri verbo Bellum 1. q. 8. Antonini 3. parte tit. 4. cap. 2. Lyrani 1. Reg. 28. Est quidem verum, licere Christiano Principi iuuare infideles in bello iusto contra alios infideles; quomodo Machabæi Romanos iuuare pacti sunt, & alios quosdam iuuisse leguntur. Verum etiam est, non esse ex se illicitum aduocare infideles contra fideles, cum quibus ipsi priùs non habebant bellum: neque enim in auxiliatore fides requiritur, cùm etiam bestiis in prælio vtamur; sed propter scandala & pericula quæ solent inde imminere communi fidei Christianæ, meritò etiam tunc id detestabile censetur.

SE-



SECVNDA ASSERTIO. Ex iustitia debet Princeps militibus stipendia: interceßit enim inter eos contractus conducti & locati.

Ex quo sequitur, Teneri Principem ad restitutionem damnorum, quæ milites, postquam ex sua parte contractum impleuerunt, defectu stipendij necessitate iusta inferunt Reip. Secùs dicendum de ijs quę malitia sua, occasione deficientis stipendij superaddunt, vt solent in seditionibus: ad hæc enim integrè non tenetur Princeps, sed pro latitudine culpæ, neque enim horum est efficax caussa, sicut priorum.

Sequitur Secundò, Licere militi occultam facere compensationem, si absque scandalo possit, neque alia via speret solutionem. Ita Molina disputat. 116. Neque tamen hoc eis licet ex bonis innocentium membrorum Reip. quæ non sunt eis caussa deficientis solutionis.

Notandum, Quamuis possit Princeps militem ad placitum dimittere, quando Resp. eo non indiget; militem tamen non posse deserere militiam sine ducis aut Principis facultate sub pœna capitis, L. Non omnes. ff. De re militari.

TERTIA ASSERTIO. Militi hæc incumbunt, neminem, præsertim pauperem, concutere; ditioribus non struere calumniam, quærendo prætextum spolij pro stipendiis; pactam operam etiam cum vitæ periculo præstare. Patet Lucæ 3. & ex communi Doctorum.

Hinc sequitur, Militem, quamdiu est spes præualendi aut subsistendi, non posse relinquere stationem, licet certum immineat mortis periculum: alioqui peccaturum mortaliter, cum obligatione restituendi ea damna, quæ Resp. ex eius fuga accepit, & iustè poterit ob hanc fugam plecti capite, vt constitutum est L. 3. ad Legem Iuliam maiestatis, vbi crimine læsæ maiestatis declarantur teneri, qui in bellis cesserint, aut arcem non tenuerint, aut hostibus castra concesserint.

Dixi *quamdiu spes est subsistendi*: quia quando non est vlla spes, fugere potest esse actus fortitudinis reuocantis temeritatem ad medium rationis. Spem autem intelligo, non quòd particularis ipse miles euadet mortem, sed quòd ipso fortiter pugnante, etiamsi occumbat, exercitus tamen subsistet, aut etiam præualebit.

Sequitur Secundò, Non solùm peccare mortaliter, sed teneri ad restitutionem duces, qui in delectu plures milites computant Principi, quàm verè habeant. Ad restitutionem inquam non solùm eius quod ampliùs hîc accipiunt, sed etiam damnorum quæ inde accipit Resp. quando putantur milites belli vsibus sufficere, qui eiusmodi fraude imminuti non sufficiunt.

Grauissimè etiam peccant, & tamquam cooperatores damni ad restitutionem tenentur, qui in delectu subornantur.

Non dissimile est iudicium de illis ducibus, qui donaria ampla à ciuitatibus & pagis accipiunt, ne apud eos hospitentur milites.

Sequitur Tertiò, Cum obligatione restituendi eos peccare milites, qui à suis hospitibus plus exigunt quàm sibi constitutum est, etiamsi duces connitentur, & stipendia non soluantur, vt rectè Caietanus verbo Bellum, Driedo lib. 1. De libertate Christiana cap. 2. Molina disp. 118.

Eadem est ratio illorum militum, qui à metatore plura acipiunt chirographa, & ab illis quorum hospitium prætereunt, pretium extorquent.

Excusantur tamen milites grauantes hospitia sua,

Primò, Si fuerint in extrema famis necessitate.

Secundò, Si defensioni hospitum sint necessarij, & stipendia non accipiant: quo casu tamen hospitibus Princeps impensas compensabit.

Tertiò, Si in pœnam delicti id iustè constituat Princeps.

Quartò, Si illa solùm accipiant quæ consuetudine legitima eis debentur; sicut in quibusdam locis in præsidio accipiunt ligna, sal, & in transitu necessarium & communem victum.

QVARTA ASSERTIO. Pro hostibus, etiam quoad direptionem bonorum, habendi non sunt peregrini, mercatores, exteri, hospites, & quicumque non sunt pars Reip. hostilis, quamuis in terra eius inueniantur. Ita Victoria De iure belli, numero 36. Caietanus suprà, & patet ex capitulo Innouamus, De treuga & pace. & Panormitano ibidem. Vbi meritò eodem iure censentur Ecclesiastici, qui verè etiam non sunt pars populi hostilis, vt benè Caietanus. His adiunguntur oratores siue legati, capitulo Paternarum 24. q. 3. Quod verò legatis hîc iure gentium competit, ex Principis voluntate competet etiam illis, quibus publica fide concessus est saluus conductus. Quinam autem ex Repub. hostili spoliari quidem possint, non autem occidi, infrà dicemus.

QVINTA ASSERTIO. Mobilia quæ hostes ab amicis occupauerant, exceptis quibusdam quæ habent ius postliminij vsu & consuetudine confirmatum, fiunt militum recuperantium, si modò ea hostes iam in tuta sua loca asportauerant. Non censebuntur autem asportasse, quamdiu dominus persequitur; alioqui terrâ prædantes censebuntur in loca tuta asportasse, quando res vna nocte apud ipsos fuerit.

Pro intellectu huius assertionis notandum est, Manendo in solo iure naturæ, res omnes adhuc extantes ius habere postliminij, & extractas ab hostibus restituendas esse domino suo. Deduci tamen poterunt expensę, & compensatto extraordinariæ & voluntariæ industriæ, si fuerint ereptæ ex locis hostium tutis: aliàs quando nondum sunt loco tuto, tenentur milites, etiam cum vitæ periculo pro rei magnitudine, gratis eripere, si sint ciuium: si verò sint extraneorum, non tenentur; & si eripiant, habent actionē negotiorum actoris.

Vnde patet, quando res extrahendæ nondum sunt loco tuto, decerioris cōditionis esse externos; qui tamen melioris sunt conditionis, quando res sunt extractæ è loco tuto; quia semper & quælibet eis restituuntur, salua existimatione negotij acti. Ciuibus autem solæ illæ restituuntur, quæ gaudent priuilegio postliminij: & hæ quidem sine onere compensandæ extractionis, vbi solùm debito officio functi fuerint milites; aliæ autem, etsi non iure naturæ, ex consuetudine tamen retinente ius Cæsareum, fiunt militum recuperantium.

Vbi obseruandum, ius illud Cæsareum niti falso fundamento: putabant enim meritò Romani, gentes quibus ipsi ex libidine dominandi bellum inferebant, licitè sibi debellare & facere prædas suas, ita vt iam desinerent esse prioris domini: quia verò etiam ex parte sua iustum esse bellum putabant, censebant excepto iure postliminij, eas

fieri militum extrahentium, quasi bello vtrimque iusto (sicuti fit in ludis puerilibus) is dominus & rex fieret, qui superasset.

Ad hoc fundamentum ius illud respicere docet Couarruuias in Regul. Peccatum, parte 2. §. 11. & manifestum est ex L. Hostes, ff. De captiuis. vbi dicitur, à latrunculis captum postliminio non egere, eò quòd seruus ipsorum non sit factus; ab hostibus autem captum, verè ipsorum seruum esse factum, & postliminio statum pristinum recuperare. Esse autem falsum illud fundamentum, patet ex dictis: quia nullum est bellum vtrimque iustum, & debent Christiani in bello supponere iniustitiam ex parte hostili. Vnde sequitur, prædarum dominium non transire ad hostes, sed manere penes priores dominos: quia tamen horum spoliorum concessio indulta militibus, alia ratione iustam habet causam (quòd nimirum Reip. expediat hoc pacto animum addi militibus) vera manet assertio, non tam vigore iuris Cæsarei, quàm consuetudine vim legis obtinente: consuetudo enim potest esse iusta, quæ aliam iustam rationem habet, etsi primum motiuum dum cœpit introduci, non fuerit iustum. Accedit quòd nonnullæ aliæ rationes, quas leges secundariò considerant, iustæ sint: verbi gratia, vt in postliminio negligatur ille, qui res suas turpiter in bello amiserit; sicut miles præsumitur amittere arma, vt patet ex L.2. eodem titulo, vbi latiùs videre licet, in quibus ex iure sit postliminium, & in quibus præda.

Sexta assertio. Non potest Princeps cum aduersariis componere, inuitis & neglectis subditis, quibus damna intulerunt: & si composuerit, ipse ad ea resarcienda tenetur, nisi è Republica fuerit omnino componi: tunc enim irrationabiliter subditi censebuntur inuiti, & habere Respubius ad ipsorum bona. Ita ferè Molina disp. 123. post Siluestrum verbo Bellum 1. q. 12. Antoninum suprà cap. 2. §. 11. Adrianum De restitutione, Gabrielem & Maiorem in 4.d.15.

Neque tamen leuantur aduersarij qui euidenter iniustè vexarunt Remp. & ad compositionem coëgerunt, onere restituendi in conscientia: quia remissio extorta & non satis libera non excusat.

Dico *euidenter iniustè*, quia si dubia tempore compositionis fuisset belli iustitia, talis remissio subsisteret etiam in conscientia.

Notandum hîc discrimen ciuium & Clericorum; neque etiam potest Princeps sine Prælatorum consensu remittere damna Ecclesiæ, etsi istud esset in rem Ecclesiæ; quamuis tunc Prælati debeant consentire: subditorum enim Principi ea cura incumbit, vt possit etiam ipsis inuitis, eorum vtilitatem curare; inuitis autem Prælatis non potest esse actor negotiorum Ecclesiæ.

Septima assertio. Mobilia hostibus erepta in bello iusto, iure gentium fiunt capientium, etsi excedant compensationem damnorum & iustam vindictam; sunt tamen secundùm peculiares leges cuiusque populi diuidenda Principi, ducibus aut militibus.

Dico *iure Gentium*, quia manendo in iure naturæ, non posset amplius ex rebus siue mobilibus siue immobilibus hostium occupari, quàm quod sufficiat ad iustam damni compensationem, & iniuriæ vindictam. Quare initio belli non posset propter oppidum aliquod direptum, totum regnum hostile diripi; in progressu tamen crescente damno, iniuria, & impensis, poterit amplius eis auferri, ita tamen vt consuetudine præscripta Christianus à Christiano in bello captus, non fiat seruus, sed redimatur, non propriè pretio eius persoluto, sed moderata aliqua multa, quasi in præmium capientis.

Octava assertio. Quãuis per se non sit illicitum tradere hostile aliquod oppidum, etiam Christianorum, in prædam militibus; non facilè tamen id faciendum, propter varia flagitia quæ solent à militibus admitti, quæ etiam, quando necessitas extremam huiusmodi suadet vindictam, tenentur duces quoad possunt impedire. Ita ferè Siluester suprà q. 10. quem sequitur Victoria num.52.

Nona assertio. Immobilia hostibus pulsis occupata, non sunt militis occupantis, sed solius Principis; in cuius erit arbitrio, vbi publica vtilitas postulauerit, hostiles arces demoliri, aut etiam ciuitates. De quo videre licet Couarruuiam suprà, §.11.n.6.

At dubitabis; An possit Princeps loca hosti erepta, iure belli in perpetuum sibi retinere?

Respondeo; Si hostes sint Christiani, ipsorum regnum non continuò potest in perpetuum à victore retineri; sed post satisfactionem & iustæ vindictæ modum, est restituendum prioribus Principibus, aut eorum heredibus. Aliter dicendum de locis Turcæ, perpetui inimici Christiani nominis: Turcæ enim numquam satisfacere possunt de iniuriis illatis, vt recte Victoria numero 42.

Hinc patet, etiam hæreticorum loca, quia & ipsi Christiano nomine censentur, tum quoad seruitutem tum quoad propositum, in perpetuum non retineri à victore solo iure belli, si aliàs satisfecerint, & debitam cautionem dederint. An autem alio titulo possint hæretici suis dominiis priuari, diximus in tractatu De infidelitate suprà.

Notandum tamen, etiam ex Christianorum hostium ciuitatibus & agris posse victorem turò retineri, quantum postulat iusta compensatio damnorum, impensarum, & iniuriæ: item licere victis, secundùm idem moderamen imponere tributa & vectigalia; quod Israelitæ Deo mandante fecisse leguntur Deut. 20.

Denique etiam Christianis hostibus erepta poterit sibi victor retinere dominia, si delicti, & iniuriæ, & damnorum atrocitas ita postulet, potissimùm quando aliter pax Reipublicæ non speratur.

Illud rectè hîc nonnulli monent, debere victorem tractare Remp. deuictam non quasi illius sit hostis, sed sicut decet iudicem æquum, cuius partes sustinet, vt non eam ampliùs affligat, quàm exigant benè expensa hinc inde rationum momenta, & Christiana modestia permittat.

Decima assertio. Occupata ciuitate hostili, si pauci sint nocentes, illos licebit occidere; si multi, oportet parcere multitudini, quando id satis tutum est, quamuis etiam tunc nocentes occidendo non peccaret victor contra iustitiam: si aliter pax & securitas non speretur, noxiæ multitudinis etiam magna pars poterit occidi. Molina disp.122. Victoria num.47. Ratio est, Quia multitudinis occisio est contra bonum commune, qui finis est belli. Ne tamen rursus parcatur nocentibus contra commune bonum, iniuriæ licentia eis eripienda est. Inter nocentes autem, quando de nece agitur, non sunt habendi, qui probabili ignorantia decepti, bellum iniquum inchoarunt & gesserunt; ita vt non peccauerint.



Assertio vndecima. Innocentes, etsi ex parte hostium sint, numquam licet occidere nisi per accidens; puta quando aliter ciuitas, quam omnino capere expedit, capi non potest. Esto, ab hostibus quidam à nostra parte occisi sint, aut innocentes hi obsides relicti sint, & fidem fallant hostes, aut futuri aliquando timeantur nocentes. Ita Driedo lib.1. De libertate Christiana, Victoria num.35.38.& 43.

Innocentes autem quoad bellum præsumuntur in primis Ecclesiastici, tum quia arma aut consilia belli non tractant, tum quia pars populi non sunt; sicuti nec peregrini, & similes, de quibus suprà.

Ex partibus autem populi innocentes sunt pueri, mulieres, agricolæ, imò vniuersa gens togata & pacifica, nisi contrarium constiterit, vt recètè Victoria num.36. Cùm enim fundamentum iusti belli sit iniuria; soli illi in bello ex intentione occidi possunt, à quibus iniuria illata fuerit: iniuria autem non est ab innocente. Vnde patet, infantes aut mulieres paganorum in bello occidi non debere, nisi constet eas in culpa esse. Nam quòd Israelitæ secùs fecisse leguntur; Dei potiùs iussu, quàm ordinariæ legis iustitia fecerunt. Ceterùm de non occidendis infantibus propter peccata parentum, quædam diximus ad 1.2.q.81.a.2.

Assertio vndecima. Licet innocentes qui sunt pars Reipub. hostilis, spoliare bonis externis, non excedendo quantitatem quæ licitè ab hostibus accipi poterat. Ita post Victoriam & Caietanum Molina disput.121. Neque obstat capitulum Innouamus, De treuga & pace, quod verat spoliari agricolas. Ius enim illud quatenus positiuum est, fortè non est receptum, aut consuetudine contraria abrogatum, vt insinuat Caietanus: vel locú habebit ex vtriusque partis consensu; quia ex iure naturæ securitati agriculturæ meritò prospicitur ab vtraque parte, quia fames vtriusq; partis esset internecio: vel denique intelligitur capitulum de casu, quo parcendo eiusmodi innocentibus, commodè bellum geri posset; tunc enim eos spoliari non liceret, vt docent Siluester & Victoria.

Poterit hæc assertio extendi ad eos etiam innocentes, qui non sunt pars Reip. hostilis, modò ipsorum bonis vsuri sint hostes: tunc enim licebit illa auferre aut destruere, cum onere tamen restituendi, nisi destinata fuerint à possessoribus ad hostes: quo casu desinerent esse innocentes.

Illud est hîc obseruandum, eos qui causa fuerint iniusti belli, teneri innocentibus de damnis acceptis.

Probatur hæc assertio, tum ex vsu repræsaliarum aut pignorationum, de quibus nonnulla subiiciemus; tum ex eo, quòd liceat victæ Reip. imponere tributum, quod pendant etiam innocentes, imò & posteri.

Assertio decimatertia. Potest Princeps interdum cõcedere repræsalias siue pignorationes.

Vocant autem repræsalias, quando Princeps permittit suis, vt tantum auferant eis etiam innocentibus, si opus sit, qui membra sint alterius Reipublicæ, quantum iidem vel alij eiusdem Reipub. damni intulerint ipsi Principi aut subditis.

Vt hæ iustæ sint extra bellum, & contra innocentes, oportet moneatur Respublica sub qua sunt qui damnum intulerunt, vt curet restitui: neque enim repræsaliæ sunt concedendæ, nisi contra Remp. in hoc deficientem. Concedunt tamen Molina & Lælius detentionem mercium aut mercatorum, quando cum periculo damnificati essent suspecti de fuga, interim dum res defertur ad alteram Remp. potissimùm quãdo ipsius Reip. suę consensu, aut Principis, damnum datum esset.

Secundò, Requiritur auctoritas eadem quæ in bello indicendo, vt monet Lælius. Minor tamen causa sufficit quàm ad bellum, quamuis reuerà non facilè sint concedendæ propter multa quæ sequuntur incommoda, pericula, & occasiones rapinarum: vt propter illa non immeritò Gregorius X. in Concilio Viennensi, capitulo Etsi, De iniuriis, in 6. eas dicat graues esse legibus, & æquitati naturali contrarias. Iniquitas tamen tollitur ex vna parte, quãdo aliter damnum sarciri cõmodiùs non poterat; ex altera, quando qui causa fuerunt pignorationis, innocentibus dãna resarciunt.

Tertiò, Non possunt contra Ecclesiasticas personas concedi per idem capitulum Etsi; vbi hoc prohibetur sub pœna excommunicationis, particularibus; & sub pœna interdicti, cõmunitatibus.

Repræsalias non esse licitas contendit quidam eruditus. Primò, Eò quòd modus iste compensationis reuerà sit natura sua iniustus, quando innocens luit peccatum alterius.

Secundò, Quòd iure ciuili sit prohibitus, maximè Authent. Vt non fiant pignorationes, coll.5.

Tertiò, Quòd aprè reprobatus sit per ius Canonicum d. capitulo Etsi.

Sed non esse repræsalias contra legem naturę, colligi potest ex capitulo Dominus 23.q.2. *Iusta bella solent definiri, quæ vlciscuntur iniurias, si gens vel ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniuriam est ablatum.* Ex hoc enim capitulo ita argumentor: Quando causa satis magna est, licet ob neglectam in suos vindictam, Remp. bello lacessere, adeoque eius ciues innocentes fortunis exuere: ergo licebit saltem repræsaliis vti, quando causa non quidem bello, sed ipsis repræsaliis in casu simili proportionata fuerit. Posito autem quòd repræsaliæ non sint contra ius naturæ, & quòd apud Christianos sint in vsu; facilè dixerimus, contrarias leges esse abrogatas: quamuis Authentica Iustiniani agat solùm contra pignorationes, quæ fiunt sine Principis auctoritate per violẽtiam, & cõtra ciues alterius loci eidem Principi subiecti. quomodo etiam accipere licebit dictum cap. Etsi, suprà citatum, quia videtur respicere ad dictam Authenticam & similes leges, quando dicit repræsalias esse graues legibus, & ciuili constitutione prohibitas.

Assertio decimaqvarta. Innocentes qui verè partes sunt Reipub. hostilis, modò non sint Christiani, possunt per bellum iustum capti in seruitutem redigi. Victoria numero 42. Molina disput.120. Probant; Quia etiam libertas est quodammodò in bonis fortunæ, quibus potest tota Respub. hostilis in membris suis spoliari, quando grauitas culpæ, damni & iniuriæ hoc exigit. Valentia tamen mauult totam rationem assertionis reiicere in ius gentium.

Obiicies; Innocentem puniri, iniustitiæ est manifestæ;

nifestæ; neque moralis coniunctio quæ est inter hos innocentes & Rempub.quæ meritò punitur, sufficit vt & ipsi meritò in seruitutem trahantur, alioqui filius portaret iniquitatem patris contra Scripturam Ezech. 18.

Respondeo;Propter hoc argumentum quidam putat contrarium esse tenendum, nisi in casu quando bellum est diuturnum contra aliquam gentem, & expedit quouis modo vires eius infringi; quomodo euenit Christianis contra Turcas,quorum innocentes rectè in seruitutem trahuntur: quia vt est Deuteronomij cap.20.possent bellantium contra nos augere numerum. Sed dicendum ad argumentum, Coniunctionem istam quæ est membrorum ad Remp.sufficere ad communicationẽ in pœna quæ consistat in priuatione bonorum fortunæ, sicuti & propter delictũ patris filius in seruitutẽ cadit,cap. Cùm multæ 15.q.8.

Excipio Christianos,quia Christiano Christianus non fit seruus per bellum, vt habet legitimè præscripta & valdè laudabilis consuetudo; imò est quorumdam opinio, Christianos etiam apud infideles in bello iusto, non fieri eorum verè seruos. Ita tenet post Couarruiam & Angelum, Arragonius infrà q.62. Ratio est fauor fidei, præsumpta voluntas superiorum Christianorum, & quòd iniqua aliorum Christianorum captiuitas hoc modo iustè compensetur. Verùm, an ita se res habeat,opportuniùs alibi examinabimus.

Sanè Nauarrus infrà citandus,Molina tract. 2. disp.32. & Rebellus lib.1. De præludiis iustitiæ q.9.contrarium tenent, idq; videtur probabilius, &communibus principiis de seruitute eorum qui iusto bello capti occidi poterant,conformius.

Quæritur,Vtrùm Christianus militans in fidelibus contra Christianos, per bellum possit Christianis fieri seruus?

Respondeo posse fieri. Patet cap. Ita quorumdam,& capitulo Ad liberandam, De Iudæis.

## DVBIVM VII.

### *Sitne licitum seruis iusto Bello captis fugere?*

PARTEM negantem tenet Siluester verbo Seruitus quæst.3. Turrecremata in capitulum Ius gentium d.1. Molina tractatu 2. disput.37. quẽ sequitur Lælius 2. parte Theologiæ moralis, cap.De seruis. Nauarrus Enchiridij cap.17. numero 104.qui putat etiam Christianum in bello iusto ab infidelibus captum non posse fugere: imò citat Couarruuias quemdam, qui existimet etiam in bello iniusto à Turca captum Christianum non posse fugere.

Verùm vt istud manifestè erroneum est,ita probabilius est, seruitutem quæ est ex bello,permittere fugam, vt seruo non minùs liceat fugere, quàm si non effectus seruus tantùm detineretur captiuus. Ita tenet Couarruuias libro 1. variarum Resolutionum c.2.num. 10. & in Regulam Peccatum, parte 2. §.11. n.6. Banesius hîc dubio 13. Valentia puncto 3. Probatur ex §. Item ea quæ ex hostibus, Institut. De rerum diuisione,vbi dicitur eiusmodi seruos recipere pristinum statum,si euaserint heri sui potestatẽ,& ad suos reuersi fuerint. Confirmatur ex L. Nihil interest, ff. De captiuis.

Sed obiicit Molina,Iura ista procedere quando bellum ex parte captiui non fuit apertè iniustum, & ex parte capientis apertè iustum; imò non habere locum in foro conscientiæ, nisi ex parte captiui fuerit bellum saltem formaliter iustum.

At sanè hæc voluntariè videntur dici,quia vtraque lex planè generalis est, & fundatur in æquitate naturali: si enim bello iusto equum ab hoste capias, tuus quidem est: at si euaserit ad dominum priorem, indubiè fit rursus ipsius. Quare deterioris conditionis erit homo, cùm suus non sit futurus, si ad suos euaserit.

Iterùm obiicies; Debet se & sua victori, qui ei liberaliter vitam donauit cùm posset occidere. Ita Turrecremata.

Sed respondeo, Verè esse seruum eius à quo sic superatus est, hactenus vt ei debeat fideliter seruire quamdiu seruit; sed quia fortunâ belli in eius potestatem venit, potest experiri fortunam, an elabi possit. Neque refert quòd moderata coërtione possit dominus impedire ne fugiat,& à fuga retrahere: idem enim potest etiam iudex in captum ratione criminis capitalis, qui tamen licitè effringeret. Neque est ibi bellum vtrimque iustum: quia dominus non habet ius vt seruus sua sponte maneat, quando opportuna est fuga: sed habet ius ipsum retinendi, adhibita diligenti & competenti custodia, & cauendo ne fuga sit opportuna. Itaque dum vterque pro suo iure agit, non est pugna, quia neuter oppugnat ius alterius. Obseruandum hîc est,quod argumentum supponit, non esse perpetuò verum, eum posse post victoriam occidi, qui potest in seruitutem rapi: quia etiam innocentes, qui occidi non possunt, posse in seruitutẽ redigi, superiùs diximus,& saltem quando bellum est diuturnum, & timetur quòd augebunt hostium vires si dimittantur. Conforme id est Christianorũ praxi cõtra Turcas.

Obiicies tertiò ex Molina; Si ita est, ergo è Lusitania fugiens mancipiũ in regnũ Castellę, fiet vel sui iuris,vel eius qui illud ibi de nouo capiet,cùm tamen lex regni & consuetudo contrariũ habeat.

Respondeo, Non sequi: Christiani enim meritò sibi mutuò eam præstant operam, vt Mahumetana illa mancipia ad priorem dominum reducant, quando repererint adhuc intra limites Christianæ ditionis. Neque enim etiam apud suos tunc adhuc possunt dici postliminiò rediisse.Neque opus hîc est cum Couarruuia scrupulosiùs inquirere, quando præcisè recuperent libertatem, & an possint fugere dominos suos, animo hærendi in illis partibus, & non redeundi ad suos: imperfectè enim recuperarunt libertatem, quamdiu hostium limites non euaserunt, sed solùm manus dominorum, ita vt iustè & ab aliis negotium dominorum in hoc gerentibus, in priorem seruitutem retrahantur: perfectè autem iure gentium, quando postliminiò redierint ad suos.

Obiicies quartò; Seruitus illa est quasi per sententiam inflicta pœna, & quidem talis naturæ, vt eam per se debeat reus subire, sicuti exilium.

Respondeo; Sententia hîc nulla est, sed lex generalis disponens de talibus, quòd verè serui sint quamdiu fuerint in domini potestate: liberi autem fiant, si euaserint, siue dolo, siue casu. Et hoc æquius est, vt melioris sint conditionis quàm alij serui, qui seipsos vendiderunt, vel à parentibus venditi legitimè sunt, aut ob flagitium seruituti per sententiam mancipati sunt, aut è serua non bello capta, sed iusto alio titulo seruiente progeniti. Neque debet videri mirum, hîc tantum valere ius gentium, aut ciuile, aut consuetudinem; cùm



cùm seruitus non sit iuris naturę, sed iure gentium introducta.

Obiicies Postremò, Legem 1. Codice De seruis fugitiuis: vbi generaliter dicitur, manifestè sui furtum facere quemcumque seruum fugitiuum.

Respondeo,Hoc esse contra Molinam,qui putat sine furto seruum fugere, quando à parte sua belli in quo captus fuerit,probabiliter fuerit iustum, etiamsi verè iniustum. Itaque sicuti lex ista necessariò patitur instantiam in casu illo Molinæ, ita etiam ex æquitate,quam respexerunt Leges ex Institutionibus & ff. suprà citatæ, poterit pati generatim in seruitute ex bello.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Clericis & Episcopis sit licitum pugnare?*

RESPONDET negatiuè; estque sententia communis certissima, vt patet apud Gratianum 23.q.8. Probatur ex illo 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus.* Si enim qui Imperatori militant, negotiari prohibeantur, ne à militia sua impediantur: quanto magis qui Deo militant, sæculo militare non debent; quia militia sæcularis non tantùm inquietat & impedit officium Ecclesiasticæ personæ, sed per se repugnat lenitati quam postulat altaris ministerium, in quo recolitur Passio Domini, qui pro inimicis mortuus est; vt meritò ministri altaris potiùs candidati sint patientiæ ad martyrium,& proprium profundendum sanguinem, quàm militiæ, ad effundendum alienum. Secundò, Dauid non potuit ædificare templum; quia multum sanguinem fuderat. Tertiò, Occidere hominẽ, alioqui iustè,in templo, est sacrilegium propter indecentiam loci; ergo & militare, alioqui iustè, sacrilegium erit sacerdoti, propter indecentiam personæ. Quartò, Clericus bellator non solùm fit irregularis, sed pro ipso mortuo in bello & oblatio & oratio interdicitur capitulo Quicumque clericus, 23. quæst. 8. suprà citata. Quintò, Idem passim docent Patres. Nazianzenus oratione 2. de pace; Ambrosius oratione in Auxentium quæ extat lib. 5. epistolarum, *Arma Episcopi lacryma sunt, & orationes.* Hieronymus, vel potiùs Origenes,in Leuiticum,relatus dist.36. capitulo Si quis, dicit, Pontificem ad bella non ire. Chrysostomus epistola ad Innocentium Papam improperat suis aduersariis Episcopis, quòd loco Diaconorum haberent præcedentes sẽ milites. Bernardus lib.4. ad Eugenium docet, sacerdotis nutu non manu materialem gladium esse exerendum.

Notandum tamen Primò, Clericis licitum esse hortari laicos ad bellum pro defensione oppressorum & Ecclesiæ. Patet caussa suprà citata 23. quæst.8. capitulo Omni timore, & cap. Hortatu. item ex Augustino epist. 50. ad Bonifacium Comitem, & Gregorio lib.12 epist. 21. Itaque in genere poterunt hortari ad fortiter pugnandum, sicut olim sacerdotes sacris buccinis ad bella Domini incitabant Israelitas; idque non solùm ante prælium, sed etiam in ipso prælio. In particulari tamen non licet hortari ad occidendum aut mutilandum.

Item possunt Clerici qui dominium temporalem habent cum auctoritate indicendi bellum, non solùm indicere bellum, sed ad illud gerendum suo nomine aliquem ducem aduocare, inducere,constituere,vt communiter Doctores colligunt ex simili, quia capitulo Episcopus, Ne Clerici vel Monachi in 6. declaratur, Clericos sine metu irregularitatis posse caussas sanguinis aliis delegare. Non possunt tamen ipsi duces esse in bello, etiamsi personaliter non sint pugnaturi.

Tertiò, Possunt Clerici interesse bello de consensu Superiorum, saltem præsumpto, vt exhortentur & absoluant, aliaque spiritualia solatia militibus exhibeant. Si tamen vt pugnaturi adsint, extra casus mox excipiendos, peccabunt mortaliter, etsi non pugnauerint. Non tamen incurrent irregularitatem, si bellum sit iustum, & neminem manu sua occidant aut mutilent, aut mutilari aut occidi particulari hortatu faciant, etiamsi verberent, & ab aliis quidam occidantur. Ita ferè Molina disp.110.

Quartò, Possunt Clerici ex consensu ducis, saltem probabiliter præsumpto, aliquid de spoliis sibi sumere. Quod tamen ferè propter scandalum omittere expediret.

Notandum Secundò, Aliquot casibus licitum esse Clericis pugnare. Primo, si Papa dispenset. Cautè enim legendus est Gratianus initio dictæ q.8. vbi dicit, Clericos ne quidem auctoritate Papæ arma capere posse. Vt enim verum dicat, oportet benigniùs intelligere; nimirum vt voluerit, quando Clerici habent consensum Papæ ad mouendum alicui bellum, illum non debere intelligi vt propriis manibus pugnent. Verùm non adeò laborandum est de auctoritate Gratiani.

Sanè quamuis rationi admodum sit consentaneum, Clericos ab armis abstinere; est tamen solius iuris positiui, vt omnino abstineant à bello per se exercendo, vt habet communior opinio, quam sequuntur Banesius & Molina; adeoque in eo potest Pontifex dispensare: si tamen dispenset sine iusta caussa, peccat Clericus: nihilominùs dispensatione tali vsus, non incurrit irregularitatem, vt docet Molina disput.108.

Secundo, Si aliter Clerici non possint vitam tueri quàm propriis manibus pugnando.

Tertio,Si Clericis pugnantibus ciuitas sit liberanda à certissima alioqui futura expugnatione. Quo casu putat Caietanus, Clericos teneri ad pugnam, cuius rei extat exemplum Eunomij Episcopi apud Theodoretum libro 5.historiæ,capite 37.

Quarto,Si victoria,à qua salus communis pendet, pendeat à pugna Clericorum.

Quinto, Quando sine notabili suo periculo posset Clericus pugnando eripere innocentem, suam opem implorantem à nece iniqua.

Notandum Tertiò, Quando bellum dicitur Clericis interdictum, per Clericos comprehendi quidem illos qui solùm habent primam tonsuram, vt docet Siluester verbo Clericus 1. Non erit tamen peccatum mortale Clerico nondum maioribus Ordinibus initiato, nisi habeat Beneficium,ratione cuius teneatur vitare irregularitatem. Erit autem veniale, quamdiu gaudet priuilegio fori, etiamsi beneficio non gaudeat. Si autem neutro; non erit nunc per consuetudinem vllum peccatum, vt docet Couarruuias in Clemen-

mentinam Si furiosus, parte 2.§. 3. num. 2. Et Molina disputatione 108. Quamuis qui primi consuetudinem introduxerunt, sine peccato non fuerint; quia inuenerunt Clericos arctiùs seruitio diuino mancipatos.

Notandum Postremò, Quando Clericus tenetur sub peccato mortali concurrere ad mutilationem aut occisionem alicuius, modò neque ex officio susceptо ea necessitas ipsi incumbat, sicut in Principibus, iudicibus, & militibus contingit: neque ipse causſam dederit sua culpa huic necessitati; non erit irregularis. Quod extendo ad casum defensionis suæ vitæ, cum debito moderamine, etiamsi ad eam non teneatur sub peccato. Imò extendit Suarez disput.46. De censuris, ad quamcumque licitam occisionem à priuato factam, non ex officio susceptо, etiamsi necessitati huic causſam dederit sua culpa; modò eiusmodi necessitatem euenturam sufficienti cautela adhibita, probabiliter timere non potuerit, & fugâ, etiam cum dispendio honoris, elabi non potuerit. Verùm accuratior de hac re tractatus, alterius loci est.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm licitum sit in Bellis vti insidijs?*

RESPONDEO, In bello iusto licere vti insidiis, modò non non admisceatur mendacium, neque violetur fides quæ data fuerit hosti. Probatur: Iosue 8. Dominus præcipit vti insidiis contra vrbem Hai. Iacob diuino instinctu fraudulenter, & quasi per insidias debitam sibi primogeniti intercepit benedictionem. Dauid Achis regem ambiguo sermone decepit, 1. Regum 27. Iudith Holofernem.

Gen.27.

Iudith 11.

Ratio manifesta est; neque enim hostis ius habet, vt cognitione consiliorum nostrorum sese muniat: possumus ergo id conantem fallere. Hinc & aduocatus, quando fouet iustam causſam, potest aduersarium fallere, vt dicit Glossa in capitulum Dominus 32. q.2. Consentit Augustinus q.10. in Iosue, vnde desumptum est illud capitulum Dominus. Hieronymus in 2. ad Galatas, ex quo capitulum Vtilem 22. q. 2. Fauet capitulum In mandatis, dist. 43. & Lex 1. ff. De dolo malo.

Dixi *modò non admisceatur mendacium*: quia illud numquam licitum, vt docet Augustinus contra mendacium cap.15.

Addidi *neque violetur fides*: quia ea etiam hosti seruanda est, vt habemus 23. q. 1. capitulo Noli. ex Augustino ad Bonifacium epistola 205. Quapropter & punita fuit domus Saul, quòd Gabaonitis non seruasset fidem 2. Regum capite 21.

Non tamen hosti seruanda fides, si eam ipse prior violauerit: tunc enim conditio, sub qua promissa est, cessat, vt omnes fatentur, & habetur capitulo Peruenit 2. De iureiurando. *Nec tu ei, etiamsi promissum tuum iuramento vel fidei obligatione interposita conditione firmasses, aliquatenus teneris, si constat, eum conditioni minimè paruisse.* Item si Princeps qui iustum gerit bellum, aliquid hosti promiserit, metu cadente in constantem virum, quo apertè iniustè ipse aut Respublica grauetur, non tenetur nisi iuramento firmauerit. Verùm de hac re plura, quando de iuramento.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm liceat diebus Festis Bellare?*

RESPONDEO cum D. Thoma affirmatiuè, si sit necessitas; imò tunc esse præcepti, ne tentemus Deum: non esse autem licitum extra necessitatē. Licere in necessitate nūc quando Festa sunt iuris Ecclesiastici, patet argumento à minori; quia licuit etiam Sabbato quod erat iuris diuini. Quod tamen Iosephus lib. 14. Antiquitatum cap. 8. monet intelligendum esse quoad defensionem.

1. Mac. 2

Extendenda est responsio ad casum quo die Festo daretur occasio meliùs pugnandi, vt communiter Doctores, & colligunt Caietanus & Molina ex cap. Licet, De Feriis. Ex quo generatim constat ea seruilia opera licere diebus Festis, quibus intenditur rei tempore perituræ. Si tamen ea Festa non sint de maioribus anni solemnitatibus, in quibus tamen etiam licet bellare, quando necessitas postulat; imò etiam sola se offerente commoditate, quando bellum iustum est; quia ipsius belli onus satis magna est necessitas, vt meritò semper liceat, quando opportunum fuerit tentare belli successum, qui pacem restituat. Nam omnis belli successus paci debet militare. Confirmatur hæc sententia, ex eo quòd constet, belli meditationes diebus Festis licere, quando aliàs licitæ fuerint: puta si non sint admodum periculosæ, sed periculum paruum & rarum quod in ipsis est, verbi gratia, in hastiludiis, compensetur vtilitate, quæ inde ad vsum belli dimanet: neque enim bella plus habent seruilis operis, quàm hæc ipsa hastiludia. Verum quidem est, bella mentem distrahere multùm à diuinis, & ipsa effusione sanguinis aliquid decedere sanctificationi & sanctæ lætitiæ Festi, vt propterea in Festis non sumantur supplicia de sontibus. Quod etiam Iudæis vetitum fuit, vt patet Ioannis 8. *Nobis non licet interficere quemquam.* & Actorum 12. Herodes post Pascha voluit occidere Petrum, quia in diebus Azymorum religio vetabat. Verùm ista incommoda facilè compensantur necessitate & vtilitate promouendi belli: si enim priuatorum necessitas excusset opus die Festo, quanto magis publica?

Confirmatur ex cap. Si nulla 23. q. 8. desumpto ex Nicolao Papa ad Consulta Bulgarorum: *Si nulla vrget necessitas, non solùm in Quadragesimali tempore, sed omni est à prælijs abstinendum. Si autem ineuitabilis vrget importunitas, nec Quadragesimalis tempore est bellorum præparationi parcendum.* Hactenus Canon. Originale autem Nicolai adiicit in huius comprobationem, quòd muri Iericho die Sabbati conciderint & expugnati sint, Iosue cap.6.

Obiicies capitulum Treugas, De treuga & pace: vbi constituitur, treugas esse seruandas ab occasu solis Feria 4. vsque ad ortum solis Feriæ 2. Item ab Aduentu vsque ad Octauas Epiphaniæ, & à Septuagesima vsque ad Octauas Paschæ.

Respondeo, Capitulum illud non esse vsu receptum, vt docet ibi Glossa. Deinde potest intelligi, vt solùm vetet bellum offensiuum extra necessitatem: nam in necessitate, etiam in Quadragesima oportere bellare, habemus ex dicto cap. Si nulla.



nulla. Vbi ratio patet: quia alioqui tentaremus Deum. quæ ratio etiam habet locum in Festis, vt meritò ea hîc vsus sit D. Thomas.

Quæres, An milites excusentur, propter bellum die Festo omittentes Sacrum?

Respondeo, Si commodè non possint audire, etiamsi bellum gerant offensiuum, modò licitè propter maiorem opportunitatem, etiamsi non sit necessitas, neque milites neque duces peccare omittendo: si verò commodè præcepto Ecclesiæ satisfacere possint, peccabunt.

Queres Secundò, An auditо Sacro pugnare die Festo sine necessitate aut maiori commoditate sit mortale?

Respondet Molina, Non esse. Addit, esse probabile, in militibus vix esse peccatum, eò quòd ipsi pugnando non tam à rebus Dei, quàm à peccatis retrahi soleant.

# QVÆSTIO QVADRAGESIMAPRIMA.

## De Rixa.

DOCET D. Thomas, rixam esse bellum quoddam, seu potiùs pugnam priuatorum inter se: consistere enim in facto, sicut contentio est in verbis. Cùm autem dictum sit, ad bellum offensiuum opus esse publica auctoritate, non autem ad defensiuum; patet hîc rixam esse mortale peccatum ex genere suo in inuasore: in defensore aliquando est mortale, si notabiliter procedat ex odio, aut ardore vindictæ; aliquando veniale, si leuiter; aliquando nullum, quando seruat moderamen inculpatæ tutelæ.

Conformiter huic doctrinæ, prouocatus punitur in foro externo, si animo tranquillo percussit ex interuallo; non æquè puniendus, si continuò vt fuit lacessitus, quasi ex repentina ira, vt obseruat Lælius. Et ratio huius discriminis in promptu est clara & manifesta: ptiori enim casu præsumitur degenerare in inuasorem.

## De Duello.

RIXÆ affine est duellum, de quo hîc quæritur, An aliquo casu sit licitum?

Est autem duellum rixa seu pugna paucorum; & si propriè sumas, duorum priuata ex pacto & dicto; quamuis veteres omne bellum, duellum dixerint: Tertullianus de spectaculis, Varro lib.6. De lingua Latina.

Ex natura duelli in primis manifestum est, vtrimque illicitum esse, quando sine publica auctoritate liberè susciptur: quia quodammodò vtrimque est inuasiuum, quamuis ex parte prouocantis magis.

Potest autem considerari octo ferè de causſis susципi. Pro ostentatione, pro defensione honoris, pro defensione bonorum temporalium, pro voluptate spectaculi, pro vindicta, pro obiecti criminis purgatione, pro dirimendo bello, pro euadenda certò alioqui imminente morte.

DICO PRIMO. Tribus ferè casibus duellum fit alteri parti licitum. Primo, Quando Princeps, qui iustum bellum gerit, probabiliter timet succumbere, nisi bellum mutet in duellum; quo casu non solùm licebit tunc acceptare, sed etiam offerre & prouocare, vt docet Caietanus infrà quæstione 95. art. 8. Malitia enim duelli quam habet præ bello, etiam quando fit Principis auctoritate, hîc locum non habet. Est enim in eo sita, quòd pars etiam iustam habens causſam, seipsam in magno periculo constituat succumbendi. Solent enim duella institui paribus viribus: & multis modis euenire potest, vt etiam ille qui fortior videbatur, subitò succumbat. In proposito autem pars iusta non iniicit se maiori periculo quàm in quo se reperit; sed potiùs eximit maiori, & eligit minus periculum.

Secundo, Quando duo essent iustè condemnati ad mortem, possent, si à iudice cogerentur, certare duello ea lege, vt victor viuat. Vterque enim executor erit sententiæ in alterum. Existimo tamen, quòd neque tenebuntur ad eiusmodi executionem, neque sine peccato & periculo censuratum iudex mandabit: quia sine necessitate occupare reos, quando iam vel morituri sunt, vel in eiusmodi periculum mortis venturi, actu parum tempestiuo & conducibili ad hinc emigrandum cum pœnitentia congrua, videtur inordinatum. Nam & militia pœnitentibus olim interdicebatur propter eiusmodi causſam.

Tertio, Quando aliter mortem aut mutilationem priuatus quisque iniustè inuasus euadere non potest, nisi susceptо aut oblato duello. Ex parte enim inuasi solùm est defensio inculpata: imò non purè ex dicto pugnam susципit. Offerre tamen duellum non poterit, imò nec acceptare, si aliter possit inuasorem, etiam occidendo, impedire; tum quia per duellum tunc cooperaretur malitiæ alterius, tum quia seipsum exponeret frustrà maiori periculo mortis, vt benè Nauarra.

Dubitabit hîc quispiam, An etiam contra inuasorem rerum possit quis susципere duellum, præcipuè quando illud inuasor offert, & aliter damnum vitari non potest?

Respondeo, Ordinariè id non licere, non quòd iniuria fiat inuasori, qui licitè eo casu posset occidi, seruato moderamine defensionis; sed quia vitam suam inuasus exponit periculo inconsultiùs, pro bonis fortunæ conseruandis. Posset tamen ita certus esse de victoria, & ita possent esse magni momenti res auferendæ, vt liceret ei susципere, aut etiam offerre duellum sine quo perirent.

DICO SECVNDO. Vnus est casus, quo problematicè possit disputari, An duellum sit licitum: quando nimirum accusator innocentis illud offert ipsi innocenti, & iudex cogit, alioqui innocentem capitis damnaturus. Quod olim frequens fuisse colligitur ex capitulo Monomachiam 2. q.4. & capitulo Henricus, De Clericis pugnantibus in duello. Item de purgatione vulgari, capi-

tulo 1. & 2. Et quidem iudices ita mandantes, grauissimè peccare, omnes consentiunt, & patet ex dictis capitulis, præsertim capitulo Henricus; vbi dicitur esse praua consuetudo.

Coacto tamen innocenti pro defensione vitæ id licere, docet Lyranus in c. 17. 1. Regum. Imò etiam extendit (quamuis non satis probabiliter) ad defensionem bonorum. Angelus verbo Duellum, num. 2. idem sentit cum Lyrano; sed benè restringit defensionem bonorum ad casum, quo ex duello non immineat periculum mortis. Caietanus verbo Duellum, & infrà q. 95. art. 8. cum Lyrano tenet, quando auertenda est occisio aut mutilatio. Quod etiam sentit Nauarrus cap. 15. num. 9. & Petrus Nauarra lib. 2. De restitutione cap. 3. num. 289.

Argumentum pro hac parte affirmante est apud Caietanum & alios, quòd hoc casu accusator reum inuadat gladio iudicis, sicut Vriam dicitur Dauid occidisse gladio filiorum Ammon, & Christum Iudæi gladio linguæ; ita vt habeat innocens contra istum, iustum bellum defensiuum, quando aliter euadere non potest.

Non licere tamen isto casu reo duellum contra accusatorem, docuit Antoninus 3. parte, titulo 4. cap. vltimo, Siluester verbo Duellum, & alij apud ipsos citati.

Argumentum eorum est, Si isto casu propter defensionem vitæ aut membrorum liceret suscipere duellum, etiam liceret sacerdoti suscipere; nam in eo sacerdos est par laico: atqui fatentur qui sunt alterius opinionis, vt testatur Antoninus, sacerdoti non licere; ergo neque aliis licet. Confirmatur: In proposito reus aggreditur occidere, si possit, accusatorem non damnatum, imò nec probatum nocentem; itaque peccat in proximum: in seipsum autem peccat, quia exponit propriam vitam periculo, alterum inuadendo, quod non licet. Neque refert quòd sit coactus: quia non est coactus coactione absoluta, sed conditionata, quæ consistit cum voluntario: in Deum autem peccat, quem tentat duellum suscipiendo, vt dicitur dicto capitulo Monomachiam.

Accedit quòd facilè respondeatur ad argumentum cõtrarię opinionis: ius enim defensionis, quo possumus vim vi repellere, eousq; sese non extendit, vt calumniam occisione calumniatoris repellamus; sed potiùs veritatis manifestatione aliqua licita. Neque refert, ex ea calumnia sequi innocenti vitæ periculum: neque enim calumniator eo loco est quoad efficaciam nocumenti istius, quo esset, si manu sua mortem intentaret: nam alioqui si innocens tantùm esset notabili pecunia mulctandus, nisi suscepto duello crimen aut ciuile debitum purgaret; liceret suscipere duellum, sicuti licet occidere inuasorem fortunarum. Liceret inquam, nisi obstaret periculum quod subit innocens. Neque enim eodem loco habendæ sunt mors in nos imminens per iniquam sententiam iudicis, & quæ imminet ex ipsa inuasione aduersarij: huius enim aduersarius est caussa efficax, non illius, sed potiùs malitia iudicis.

Ceterùm quamuis vtraque sententia sit probabilis, magis tamen videtur inclinandum in posteriorem, non propter tentationem Dei, quam facilè admiserim ibi non subesse, quia solùm habet locum quando aliud supereſt remedium, vt patet capitulo Quæritur 22. q. 4. & cap. Si nulla 23. q. 8. Neq; etiam propter periculum in quod se iniicit innocens; quia ponit se in minori periculo, vt suppono, quàm sit fine duello. Sed quia illum conatur occidere ex illegitimo mandato iudicis per duellum, quem extra duellum propter accusationem talem non posset occidere.

Hinc itaque pendebit resolutio, An liceat eum qui me falsò accusatũ vadit, aut contra me falsum testimonium dicet, aut alicui mandat vt me occidat, manu præuenire?

Hoc enim quamuis nonnulli admittant, & suo loco examinandum sit; non tamen videtur satis tutum, quia fortè ius naturę, quod concedit vim vi repellere, non concedet vi repellere calumniam & falsam accusationem; quia nimis frequens esset huius licentiæ abusus, & ex genere suo nimis periculosa est Reip. bono, cui bonum partis debet subordinari.

DICO TERTIO. Certum est, duellum esse illicitum, quando suscipitur ad solam ostentationem virium, aut peritiæ rei militaris, vt patet ex capitulo 1. de Torneamentis. Est communis.

Quia verò in proposito eadem est ratio partialis certaminis quæ certaminis singularis siue duelli, consequens est, ducibus non licere inter se committere duodecim hinc & duodecim inde, sicut fecerunt 2. Reg. 2. Abner & Ioab.

Verum tamen videtur quod docet Nauarrus capite 15. num. 28. posse milites suscipere duellum, quo recusato, hostilis exercitus fieret animosior, quia hoc non est ad solam ostentationem, sed ad verè promouendum iustum bellum. Quo modo excusari poterit duellum Dauidis cum Goliath: quamuis hac excusatione non indigeat, quia certus erat Dauid diuina reuelatione, quòd esset superaturus gigantem, atque cessabat omnis deformitas duelli: licitè enim poterat, etiam proposito à Rege præmio, occidi blasphemus hostis. In seipsum autem non fuit temerarius, neque Deum tentauit, quem facti sui habebat auctorem. Ex parte etiam Reipub. magna vrgebat ratio; quia hoc vno cæso, victurus erat exercitum hostilem, adeò vt hoc rerum statu, & tali spe, etiam ordinariè liceret bellum duello commutare.

Item illicitum est, ad solam honoris defensionem suscipere duellum, vt docet Nauarrus suprà, & alij passim. Probatur, Quia etiam eo concesso quòd pro honoris defensione liceat inuasorem occidere (de quo alibi:) honor tamen non amittitur præcisè recusato duello; imò nec inuaditur oblato duello, quando non est coniuncta contumelia aut alia læsio honoris, quæ vbi coniuncta esset, nihilominùs non liceret acceptare duellum, sed pura defensione esset vtendum, relicto detestabili & diabolico remedio, ab Ecclesia damnato; in cuius vsu apud prudentes magnum est dedecus.

Quocircà parum religiosum est statutum, quod refert Petrus Nauarra esse in quibusdam militaribus Religionibus, ad quas sit ille inhabilis, qui prouocatus abnuerit singulare certamen: quod fortè supereſt ex reliquiis prauæ quæ olim fuit consuetudinis, cum qua diu Canones quasi cum lege quadam luctati sunt.

Quæres, An pro Dei honore licitum sit duellum suscipere, puta quia infidelis offert singulare certamen pro idolo?

Respon-



Respondeo, sine instinctu peculiari Dei, qualem habuit Dauid, non licere, quia est tentare Deum.

Similiter illicitum est duellum pro sola vindicta, quæ soli publicæ personæ licita est, idque via iuris. Adeoque duellum ne quidem Principi erit hac in caussa licitum, nisi in casu suprà posito, quo necessitas iusta cogeret resoluere bellum in duellum.

Multò minùs licebit duellum pro voluptate spectaculi. Crudele enim & inordinatum est, voluptatis illud infimum bonum (si tamen bonum) redimere iactura vitæ, cui potiùs seruire debebat.

Denique illicitum est pro spontanea criminis purgatione. Neque enim Canones hîc recipiunt dictum illud Ciceronis pro Ligario, *Nunc certè melior ea caussa iudicanda est, quam etiam dij adiuuerint.* Est enim Dei tentatio, & sæpè contingit occumbere innocentem, aliis peccatis id exigentibus, vt patet capitulo Significantibus, De purgatione vulgari.

DICO QVARTO. Quando his modis certò illicitis duellum committitur, grauissimè peccatur contra ius diuinum & naturale, *Non occides*, quo quisque tenetur vitam suam non temerè exponere periculo: item contra illud Deuteronomij 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum*: contra ius Canonicum locis suprà citatis. Quibus adde Concilium Trident. sess. 25. can. 19. Contra ius ciuile, L. vnica, Codice De gladiatoribus, & incurrunt grauissimas pœnas ipsi pugnantes, ipsi Principes qui locum ad duellum in ditione sua inter Christianos concedunt; patrini, consilium dantes, suasores, sacerdotes qui pugnantibus adferunt reliquias, præcipuè si alioqui pugnaturi non erant, aut benedictionem impendunt, vt patet apud Angelum, Siluestrum & alios. Item spectatores, quamuis ex loco occulto, & non ex intentione casu spectantes, non inuoluantur: incurrunt inquam pœnam excommunicationis, perpetuæ maledictionis, infamiæ, priuationis bonorum, & alias per dictum canonem Tridentinum. Quas pœnas Gregorius XIII. extendit ad duellum non solemne, ad locorum dominos permittentes, aut quantum in se fuerit non prohibentes, aut quomodocumque iuuantes, etiamsi aliàs fortè impediti actu non commiserint pugnam.

Pius V. excommunicationis pœnam extenderat ad ludos, quibus ad spectaculum quibusdam locis tauri agitantur. Sed Gregorius XIII. relaxauit.

Notandum, has pœnas non incurrere, imò nec peccare Principem qui subditos sibi regulos permittit bellum (quod alioqui magna hominum cæde & regni vexatione inter se gererent) commutare in duellum, modò solùm permittat, sicut permittuntur vsuræ & fornicationes. Neque enim potest inducere aut concedere tamquam licitum, multò minùs vt sua auctoritate fiat.

QVÆSTIO QVADRAGESIMA SECVNDA, De Seditione, facilis est.

# QVÆSTIO QVADRAGESIMATERTIA.

## De Scandalo.

TRIA de scandalo cum D. Thoma tractabimus, naturam & deformitatem eius, subiectum, & quomodo vitandum.

### De natura & malitia Scandali.

ARTICVLVS I. II. III. & IV.

*Quid sit Scandalum, & an sit peccatum, speciale, mortale?*

SCANDALVM vox Græca, significat omne offendiculum in via. Quia verò effectum caussæ nomine, & contrà nuncupare solemus; ipsa scandali actiua obiectio, ipsa etiam impactio in offendiculum, & denique ipsa ruina, scandali nomen acceperunt.

Hinc diuisio scandali in actiuum & passiuum: vt actiuum intelligatur in eo quòd offendiculum ponatur à scandalizante; passiuum in eo, quòd impingatur in offendiculum à scandalizato.

Passiuum diuidunt in datum & acceptum. Acceptum vocant passiuum sine morali actiuo, quod est scandalum Pharisæorum. Datum vocant illud passiuum, cui respondet morale actiuum, & est scandalum pusillorum. Non ergo scandalum datum ita accipiendum est, quasi qui scandalizatur non acceptet voluntariè peccati occasionem; sed quia quòd occasionem capiat peccandi, verè non tantùm ipsius culpa, sed scandalizantis accidat: quia opus tale est, vt natum sit scandalum parere; in scandalo autem accepto tale non est.

Scandalum verò actiuum potest distingui in formale, quo explicitè intenditur ruina proximi; & virtuale seu interpretatiuum, quo ruina proximi solùm implicitè intenditur, eo ipso quo opus est scandalosum, id est, non omnino rectum, aut habens speciem mali, sit cum notitia proximi, & aliquo periculo ruinæ eius.

Vnde colligimus, reperiri aliquod scandalum actiuum sine passiuo: neque enim ad actiuum scandalum requiritur actualis proximi inde secuta ruina, sed sufficit periculum.

De scandalo actiuo propositum hîc est agere, quod cum D. Hieronymo in caput 15. Matthæi, & D. Thoma definire possumus, *Dictum vel factum minùs rectum, prabens occasionem ruinæ.* Vbi omittitur tertia particula, quæ est in definitione peccati (concupitum) quia solo actu interno nemo proximum scandalizat. Interior tamen actus contrahit culpam scandali, quatenus habet obiectum dictum vel factum scandalosum.

Dicitur potiùs *minùs rectum*, quàm malum, vt significetur sæpè actiuum scandalum, quando actio vnius tantùm circumstantiæ defectu minùs recta est, aut solùm speciem habet mali, eoque solùm

solùm nomine prohibita est, secundùm illud 1.ad Thessal. 5. *Ab omni specie mali abstinete vos.*

Dicitur *præbens occasionem ruinæ*; quia efficax caussa siue inductiuum perfectum ad spiritualem ruinam, est potiùs voluntas eius qui scandalizatur. Sequitur autem illa occasio ruinæ ex imperfectione rectitudinis in actu scandaloso, puta quia quamuis fortè in se rectus sit, non tamen sit cum omnibus debitis circumstantiis. Significatur etiam hac parte, scandalo actiuo, quod hîc definitur, respondere scandalum passiuum datum; est enim scandalum non quidem caussa propriè, sed occasio ruinæ, non tamen accepta solùm, sed data: alioqui lex esset scandalum, quia est occasio peccati; ideò tamen non esse malam, docet Apostolus ad Rom.7. In eumdem sensum Tertullianus libro De velandis virginibus cap.3. scandalum definit, malæ rei exemplum ædificans ad delictum: *Bonæ enim res*, ait, *neminem scandalizant, nisi malam mentem.*

Aduertendum hîc est, quamuis scandalo actiuo respondeat passiuum, opus tamen scandalosum coram infirmis factum, culpam scandali habiturum, etiamsi fortè per accidens contingat neminem scandalizari: sufficit enim periculum, vt suprà diximus.

## DVBITATIO I.

### *In quo sita sit deformitas Scandali, & an sit mortale peccatum?*

PROPRIA deformitas scandali in eo sita est, quòd proximum suum quis à regula sua faciat deficere. Hoc ipso namq; scandalizans à regula sua deficit. Dei enim voluntas, quæ est regula nostra, est, vt proximum nostrum conuertamus quantum in nobis fuerit; multò magis ne peruertamus. Vnde patet, scandalum ex genere suo esse peccatum mortale, contrarium charitati proximi & misericordiæ, quatenus inclinat ad correctionem fraternam. Sicut enim corripiendo lapsum fratrem lucramur, ita scandalizans illum perdit, pro quo Christus mortuus est, quando stantem & in via Dei ambulantem propellit in ruinam.

Probatur ex Scripturis: Matth.18. scandalizatori dicitur meliùs futurũ si mola asinaria prægrauatus demergatur. Quo insigniter grauitas huius peccati exaggeratur, & ostenditur quàm malè sibi consulat qui coram aliis peccat. Sicut enim qui conuerti fecerit peccatorem, operit multitudinem peccatorum; ita qui labi fecerit pusillum, peccati pondere ad ima deprimitur, vt qui etiam alieno ponderi alligatus, difficiliùs enatare valeat. Quò pertinet quod ibidem subiungitur, *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Quando enim propter peccatum væ dicitur, ferè significatur in Scripturis esse mortale.

Notandum autẽ quòd dicatur, *venit*, vt intelligamus, non solùm formaliter intentum scandalum esse peccatum mortale, sed etiam virtuale, vt notat Antoninus 2.parte tit.7. §.4. Prioris ad Corinth.8. idem indicat Apostolus, *Percutientes conscientiam fratrum infirmam, in Christum peccatis.* & ad Rom.14. *Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundùm charitatem ambulas*, id est, contra charitatem. Si scandalum est contra charitatem quæ vita est animæ, ergo est mortale. Vbi & notandum, Apostolum agere de opere indifferenti, quod solùm habeat speciem mali, vt intelligamus in scandalo esse specialem quamdam deformitatem, quę ex opere aliàs indifferenti, imò etiam recto, valeat facere malum. Potest enim contingere, vt peccatum scandali solùm sit, & pro materiali habeat opus aliàs rectum, quod tamen in definitione dicitur minùs rectum, non propter malitiam quam scandalo tribuit, sed quam à scandalo accipit: vel sanè si minùs rectum dicatur propter inordinationem præiacentem, ea interdum non erit vera inordinatio, sed solùm apparens; fit autem vera, quando quod speciem habebat mali, alioqui non malum, induit speciem scandali.

Tres ergo defectus rectitudinis in opere scandaloso inueniuntur. Vnus proprius actui eius qui scandalizat, qui tamen aliquãdo potiùs apparens quàm verus est defectus, estque materia offendiculi, quam præbet scandalizans. Secundus est proprius scandalizato, sed quodammodò participatur à scandalizante, verbi gratia, infidelitas eorum, qui propter eorum qui præsunt defectus, deficiunt à fide. Dicitur enim capitulo Hi quoscumque 1.d.1. ex Hieronymo in caput 3. Michææ, reos illos esse infidelitatis eorum qui scandalizantur, qui promouent malæ vitæ lacerdotes. Tertius defectus est proprius ipsi scandalo, & consideratur formaliter in eo quòd detur spiritualis ruinæ occasio, quæ ex charitate debebat caueri. Vnde patet, primum & secundum defectum non ponere scandalum in certa specie, sed tertium. Patet etiam, quomodo quando scandalizati in diuersa specie peccata cadunt, vnum nihilominùs esse queat peccatum scandali in eo qui scãdalizat.

Notandum verò, tunc certò scandalum esse mortale, quando intenditur ruina in mortale: esse autem ordinariè veniale, quando per opus indifferens aut veniale, virtute aut formaliter intenditur peccatum proximi veniale. Si quis autem vexando, irridendo, sic vt peccet mortaliter, velit alium inducere in peccatum veniale; putat Antoninus scandali peccatum fore mortale. Puto tunc non esse ibi duo mortalia, si non sit periculum quòd inde proximo erit occasio peccati mortalis. Si enim probabiliter timeret prorupturum in blasphemiam mortalem; peccaret mortaliter nouo peccato scandali, etiam quando vel omnino non sequeretur blasphemia, vel solùm venialis. Deniq; potest excusari à nouo mortali, quod accedat ratione scandali, qui moraliter loquendo satis videtur cauisse, ne quis sui peccati conscius fieret, qui inde scandalizandus probabiliter timeatur, etiamsi contrarium eueniat, decepto ignorantia leuiter culpabili: ex tali enim euentu non sunt metienda peccata, vt 1.2. q.73. diximus. Aliàs enim bis peccabit mortaliter, qui non circumspectissimè peccauerit, ne quis peccato suo, incidente aliquo casu scandalizari possit.

Aduertendum porrò ex dictis, scandalum duobus modis præberi; via exempli in simili peccato, & via alienationis in dissimili. Vtriusque exemplum est in filiis Heli: vnus enim alium scandalizare potuit ad sacrificiorum abusum; populum autem alienabant à sacrificio Domini per istum abusum. Vtrouis modo fiat, scandala sunt grauiora, quo persona est dignior quæ scandalizat: pastor enim infamis & oues faciliùs in præcipitium ducit, & errantes abouili quod infamat, magis alienat. Vnde fit, vt scandalum in Prælato sit



sit quandoque mortale, quod in alio tantùm esset veniale.

## DVBITATIO II.

### *An Scandalum sit speciale peccatum?*

SVPPOSITO quòd sit speciale peccatum scandali, quando formaliter intenditur; item quòd saltem in infinitum aggrauari possit circumstantia scandali, quando solùm virtualiter intenditur, in quibus duobus facilè conueniunt Doctores: satis anceps inter eos est disputatio, quando ruina proximi solùm intenditur virtualiter, aut fit aliquid tale quod natura sua aptum est præbere occasionem ruinæ, An tale scandalum sit peccatum speciale?

Non esse, tenent Antoninus suprà, Caietanus hîc articulo 3. & verbo Scandalum, Palud. & Durandus in 4.d. 38. Couarruuias in Reg.Peccatum 1.p.num.4. Banesius hîc a.4. Videtur consentire Læsius, & Graffius: putauerunt autem hi Auctores, huic sententiæ fauere D.Thomam a.3. hîc. Sed quamuis obscurè loquatur, illis tamen adiunctis quæ dixit a.1.ad 4. clarissimè loquitur, & contrarium sentit, videlicet scandalum actiuum etiam tunc esse speciale peccatum, quando scandalizans est alteri caussa peccandi per se, etiamsi hoc non intendat, modò ex conditione operis nata sit sequi eiusmodi proximi ruina. Quo ergo art.3. dicit, solùm illud esse speciale peccatum scandali, quod est scandalum per se, non autem scandalum per accidens, omnino verum est: sed quodnam scandalum per accidens sit, quodnam per se, ex art.1. petendum. Sanè etiam a.6. speciem scãdali actiui restringit ad formalem intentionem ruinæ proximi, sed ita latè eam explicat, vt etiam includat scandalum quod virtute tantùm datur, quando fit opus scandalosum sine alia intentione scandalizandi. Itaque hæc sententia probabilior est, eamque sequitur Siluester verbo Scandalum q. 2. Nauarrus cap. 6. num. 19. Valentia hîc punct. 2.

Probatur Primò. In aliis peccatis sufficit ad speciem propriam interpretatiua intentio, verbi gratia, si quis solùm intendens satisfacere libidini suæ fornicetur in loco sacro, accedit species sacrilegij: ergo si publicè cum scandalo aliorum peccet, etsi hoc non intendat, accedit species scandali. Fatetur Caietanus, se ad hoc argumentum respondere nõ posse; retinetur tamen in altera sententia propter argumentum secundo loco soluendum.

Probatur Secundò. Peccatum scandali, etiam quando solùm virtualiter intenditur ruina proximi, reperitur sine alio peccato, vt obseruauimus suprà ex Apostolo: ergo sufficit ad dandam speciem peccati opus scandalosum, etiam sine intentione scandalizandi. Neque rectè aduersarij hîc discrimen assignant, quasi operi aliàs indifferenti virtualiter solùm intentum scandalum possit dare speciem scandali, non autem operi aliàs malo.

Probatur Tertiò. Quia alioqui rarissimum erit peccatum scandali, & solis dæmonibus familiare; quod tamen hominum conditione spectata, etiam satis in iis esse obuium, & ex communi fragilitate necessariò consequens, ostendunt illa verba Domini, *Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala.* Ea enim scandala intelligi quæ per homines veniunt, subiecta verba declarant, *Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.*

Dices, Hinc consequens esse, contra ea quæ 1.2. diximus, peccatum externum semper adiicere nouam malitiam interiori.

Respondeo, Non sequi: potest enim peccatum etiam exteriùs admitti sine hominum conscientia, aut saltem sine eorum scitu, qui inde sint scandalizandi: neq; enim in omnes cadit scandalum, vt infrà dicemus. Adde, quorumdam aliqua esse peccata, quibus nemo scandalizetur.

Obiicies Secundò: Saltem fornicatio semper erit duplex peccatum propter scandalum complicis: præter intemperantiam enim erit spirituale quoddam homicidium proximi, qui inducitur ad peccandum.

Verùm nec illud sequitur, quamuis magni hoc argumentum faciat Caietanus. Sicut enim occisio propriæ animæ non ponit distinctam speciem deformitatem, quia communis est omni mortali; ita neque distinctam peccati speciem adducit in fornicatione ruina complicis, quia cùm circumstantia sit generalis in toto isto genere, eius deformitas includitur in substantiali deformitate fornicationis. Si quis tamen complicis ruinam formaliter intenderet, accederet deformitas scandali, quia talis intentionis deformitas non includitur communiter in deformitate fornicationis. An verò eiusmodi peccata eò fiant leuiora, quòd per accidens sine complicis peccato admittantur, vtpote propter probabilem ignorantiam iuris vel facti, ebrietatem, vel amentiam, aut quòd non quidem sine peccato eius fiant, sed tali ad quod non inducitur per alterum; non difficile erit discernere. Si enim aliàs non erant committenda, nonnihil extenuabunt, non ita tamen quin relinquant mortalem culpam. Sanè si vir mulierem non paratam induxit, circumstantia fatenda est: idem dixero, si mulier virum etiam paratum induxit.

Quare autem inducat obligationem potiùs in muliere fatendi quòd induxerit complicem paratum, quàm in viro; ratio est, quòd vir confitens fornicationem, satis fateatur se complicem induxisse, eò quòd hoc ordinarium sit, mulieres à viris induci: econtrà autem propter verecundiam naturalẽ maiorem illius sexus res sese habeat in feminis, adeò vt probrosum eis sit, si vltrò appetant virum, vt patet 1. Reg.20. & Ezech. 16.

Obiicitur Tertiò: Si quis furetur à Paulo, cuius exemplo alius furetur à Petro, sequitur ex dictis, eum qui exemplo suo alterum ædificauit ad furtum, non solùm peccare in Paulũ, & in eum quem scandalizat, sed etiam iniustitiam committere cum obligatione restituendi in ipsum Petrum, etiamsi non intendat iniustitiam in ipsum Petrum.

Respondeo; Talis, deficiente eo qui suo exemplo furatus est, non tenetur Petro restituere, neque contra eum peccauit propriè peccato iniustitiæ, sed solùm contra charitatem, si præuidebat, ex furto suo secundum illud furtum secuturum: quamuis enim inficiatur actus eius quodammodò huius furti iniustitia; inficitur tamen, non quia illius furti caussa est efficax; sed quia caussam efficacem in altero non impediuit, quam ex charitate tenebatur impedire: imò etiamsi furando quis intenderet exemplum præbere, vt alter

Petro

Petro quid surripiat ; non tenebitur Petro de eiusmodi furto, quia intentio illa præbendi malum exemplum in corde latens, non influit in iniustitiam ab altero commissam, vt benè obseruat Sanchez lib.1. c. 6. in Decalogum. Cuius tamen circa hanc dubitationem opinio non per omnia placet: dicit enim,speciale peccatum scandali tunc demum contingere, quando occasionem ruinæ eo affectu & animo quis præbet, vt alter in peccatum incidat; eò quòd tunc demum specialis sit peccati finis, & specialis virtus opposita : item quòd correctio fraterna,cui scandalum opponitur, non specificetur, nisi ab intento bono spirituali proximi. Fatetur tamen, eum qui incitat prauo suo exemplo ad furandum, non eo animo vt incitatus iacturam boni spiritualis patiatur furando, esse reum peccati cuiusdam scandali generici, in eo nimirum siti, quòd scandalizans ad furtum participet malitiam furti; quem rectitudinis defectum superiori dubitatione secundo loco posuimus. Itaque vult eum qui exemplo sui furti incitat ad furtum, esse duplicis furti reum, adeoque semper hoc scandalum genericum, tamquam distinctum peccatum, debere in Confessione exprimi ; scandali tamen specialis peccatum nullum incurrere, nisi ruinam in peccatum furti, adeoque damnum illud proximi spirituale formaliter intendat.

Hæc, inquam, opinio in hoc non placet, quòd scandali specialis culpam tunc demum agnoscat, quando fuerit intentio illa ruinæ spiritualis explicita : nam fundamentum de fine speciali & correctione fraterna, quo nititur, infirmum est ; quia (vt ex iis quæ 1.2. diximus, liquet) longè faciliùs censemur intendere finem inhonestum,quàm honestum ; eò quòd bonum constet integra causa, malum autem singulis defectibus. Vt enim censeat intendere finem peccati, sufficit, quòd non obstante inhibitione illud non satis vitem ; non sufficit autem honestatem non fugisse, sed oportet eam sim prosecutus, vt dicat secundùm virtutem operari. Hoc ipsum conuincit quod auctor iste fatetur. Si enim, verbi gratia, ordinando malæ vitæ sacerdotem Episcopus reus fiat infidelitatis eorum qui scandalizantur, etiamsi non intendat eorum ruinam spiritualem; eò quòd nimirum satis censeatur intendisse illud vitium infidelitatis, quando satis præuisum non cauit, vt patet ex D. Hieronymo superiori dubitatione allegato, quare non similiter satis censetur intendisse eorum ruinam, qui scandalizati decidunt? Imò vix est intelligibile, quomodo peccatum infidelitatis satis intenderit, vt iam infidelitatis culpam ipse incurrerit & ruinam in peccatum, quæ æquè præuisa æquè caueri debebat, neque magis excusa aut præcauta est, non satis intenderit, vt species æquè hîc sit scandali, atque est ipsius infidelitatis.

## DVBITATIO III.

### *An semper sit peccatum Scandali, facere quod habet speciem mali?*

OPVS quod habet speciem mali, hîc intelligimus,quod secundùm suam speciem non est malum, sed solet fieri malo fine,eoque habet offendiculum, quòd sic fieri præsumatur, etiam quando bono fine fit. Itaque vt non sit peccatum scandali, non satis est benè fieri ; sed oportet sic benè fiat, vt malè fieri à nemine meritò præsumi possit.

Respondeo itaque, Quamdiu non exuit quodammodò speciem mali, non fieri illud opus sine scandalo : exuit autem, quando excusat necessitas, quomodo Dauid comedit panes propositionis, discipuli vellicarunt spicas, & Machabæi pugnarunt,in Sabbato.

Secundò, Quando aliunde constiterit operantem intendere bonum finem, quomodo Naaman Syrus sine scandalo officiosus fuit suo regi adeundo templum Remmon, & ibi geniculando ; quia cùm publicè coleret verum Deum, satis constabat, ipsum ministerio illo non fuisse officiosum idolo.

Tertiò, Propter vtilitatem operantis, quando alioqui damnum ei emergeret, aut lucrum cessaret temporale aut spirituale, ad quod vitandum possit vti iure suo : quomodo excusatur Christianus vendens agnum Iudæo immolaturo, mulier in publicum egrediens audiendi sacri gratia, etiamsi cognouerit eam quorumdam malitiam, vt ipsam ad concupiscendum sint visuri. Imò non improbabiliter quidam excusant à mortali mulierem, quæ ne det occasionem viris, quos nouit sese ad turpitudinem amaturos, non vult se priuare libertate egrediendi domo, standi ad ostium domus vel fenestram, aut discurrendi per ciuitatem. Non est tamen à mortali excusanda,quæ data opera sine necessitate se ei conspiciendam offert, à quo se turpiter nouit adamandam, etiamsi eiusmodi amorem non intenderet.

Notandum tamen, in eiusmodi diiudicandis, in consideratione debere venire, quàm latè pateat consuetudo abusus, quæ sit certitudo aut incertitudo futuri abusus, quantum sit periculum scandali pusillorum, an nihilominùs peccatum admittatur,etiamsi per indifferẽtem tuum actum occasionem nullam præbueris, an scandalum ex infirmitate, an malitia patientis ? denique quanta & quomodo malo proportionata, & quàm euidens necessitas aut vtilitas, & contraria intentio. Ex his enim ferè tota pendet scandali in talibus æstimatio.

Notandum Secundò, Non fore continuò peccatum mortale, si nonnihil in istorum æstimatione prudentiæ desideretur, sed subinde solùm veniale, quale fuit Apostoli Petri reprehensi à Paulo ad Galat. 3. Sanè multum in hac re prudentis iudicio est deferẽdum, qui iudicabit quantum bonum quanto malo occasionato excusando sufficiat ; quàm sit occasio quæ præbetur propinqua,quàm remota;quàm sit paratus ad malum vsum qui abuterur; quæ sit spes eum diuertendi, & similia.

## DVBITATIO VI.

### *An is semper peccatum Scandali incurrat, qui proximum inducit ad id faciendum, quod nouerit eum non facturum sine peccato?*

RESPONDEO & DICO PRIMO. Determinatè ad illud inducere quod sine peccato præstari non potest, semper est peccatum scandali. Ab eo tamen excusatur, qui suadet vt potiùs minus peccatum committat quàm maius ; quia practicè verum est quod suadetur, verbi gratia, potiùs furtum esse committendum quàm homicidium. Patet ex capitulo Si quid veriùs 23. q.2. & capitulo Nerui.d.13.Consuli etiam potest Adrianus Quodlibeto 1.a.3. Non licet tamen suadere minus malum, quando aliter proximum potes auertere à maiori. Item non licet ei qui solo habitu determinatus est ad peccatum maius, præueniendo conatum suadere vt nunc faciat hoc aut illud minus, quo videtur impediendus à maiori: verbi gratia,illi qui solet adulterium committere, quod fortè cras est commissurus, non liceret hodie, quando nihil de adulterio cogitat, suadere fornicationem, etiamsi per eam à crastino adulterio esset impediendus : liceret tamen suadere, vt quando fornicaturus esset, potiùs cognosceret proprium vxorem, ob solam voluptatem,quod est veniale peccatum, vt patet ex dicto capitulo Nerui. Imò etiam de minori mortali potiùs eligendo, quando maius admissurus esset,præmoneri posset; modò simul moneatur, quòd vtrumque oporteret vitare. Denique non licet suadere vt potiùs minus malum faciat, quando minus illud malum vergit in detrimentum tertij in particulari. An autem hoc suadens teneretur tertio, alibi dicemus.



DICO SECVNDO ; Licet mihi aliquando petere à proximo, vt illud faciat quod sine peccato facere potest, etiamsi nouerim, non facturum sine peccato, modò habeam iustam petendi causam.

Vbi duo considerandа sunt: vnum ex parte eius qui petit,alterũ ex parte eius à quo petitur. Si enim ius speciale habeat petendi qui petit, quale habet subditus petendi Sacramenta à Parocho, multùm minuitur de malo scandali: similiter si is à quo petit,non sit multùm inducendus,quia sese exponit & exhibet paratum: neutrũ tamen sufficit sine alia iusta causa, imò nec vtrumque simul. Præberet enim sine causa proximo occasionem actualis peccati, quamuis minor causa excuset, quando alterum concurrit ; & adhuc minor, quando vtrumque, ceteris paribus.Imò fieri potest, vt qui ius habet speciale petendi, petendo à parato sine alia causa, non nisi venialiter peccet.

Quæ autem iusta hîc censeri possit causa, præsertim vt etiam à non parato, & sine speciali iure petere possis,prudens iudicabit : illud certum est, iustam esse extremam necessitatem. Cui addere generatim licebit eam commoditatem, quæ tanta sit, vt non tenearis ea carere ad peccatum alterius auertendum.

DICO TERTIO;Sunt quędam peccata,sine quibus si nouerim proximum non facturum quod peto, etiamsi facere possit sine peccato, semper teneor desistere à petendo.

Ad eiusmodi autem peccata discernenda, ex variis auctoribus hæc occurrunt. In primis generale illud ex D.Thoma hîc q.78.a.4.& q.13.de malo a.4.ad 17. licere quidem vti malitia alterius, non autem in eam consentire: eum autem dicit consentire, cui malitia placet. Verùm hæc regula parum hîc conducit : quærimus enim, Quando non liceat vti peccato proximi, etiam quod displiceat? Siluester verbo Maleficium dicit, fidem & reuerentiam quam Deo debemus,obstare quo minùs liceat vti maleficio malefici ad hoc parati, & quòd omnis societas dæmoniorum, & amor eorũ, tamquã benefactorum,qui naturaliter sequitur acceptũ beneficiũ, nobis sint interdicta. Quod si recipiamus; iam ratio discriminis elucet, quare liceat iuramentum exigere à iuraturo per idolum potiùs quàm vti maleficio magi ad hoc parati : quia nimirum societas liceat cum homine, non cum dæmone : erit ergo intrinsecè malum, accipere beneficium aliquod à dæmone virtute pacti quod cum ipso habeat magus, quatenus accipiens non omnino immunis est à cooperatione, participatione & societate operis intrinsecè mali, vt dicit idem Siluester, verbo Infidelitas. Quod magis placet, quàm quod quidam hîc vrgent, quasi ex solo iure positiuo hoc illicitum esset, quia prohibitum, vel iure diuino, Leuit. 19. vt Adrianus Quolibeto 3. vel Ecclesiastico,capitulo Non obseruetis 26.q.7.

Poterit & illa regula hîc addi : Non licere tibi vti alterius,aliàs parati,malitia in proprium commodum ad quod ius habes, si ex eiusmodi peccato sequatur detrimentum tertij innocentis, ad quod inferendum ius fortè non habes. Quomodo non liceret tibi ab vsurario petere mutuum, quando id fieret magno damno creditorum eius, qui fortè inciderent in maiorem necessitatem quàm sit tua. De hac re consule Adrianum dicto Quodlibeto 3.q.2.

# De subiecto Scandali.

## ARTICVLVS V.&VI.

### *An Scandalum passiuum & actiuum cadat in viros perfectos?*

RESPONDEO & DICO PRIMO; Scandalum passiuum non cadit in viros perfectos. Cùm enim perfectè inhæreant Deo per amorem, qui fortis est vt mors ; nulla creatura facilè eos à Deo separat, sed immobiles fiunt à bono, sicut & ipse Deus. Vt enim Deo non adhærent propter homines, ita nec Deum relinquunt propter homines. Indicat Scriptura Psalmo 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Matth.18. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis.* Significatur enim, eum qui scandalizatur, esse paruum,ait Hieronymus.

DICO SECVNDO; Actiuum scandalum non potest reperiri in viris perfectis, id est, illis qui pro modo huius vitæ reiiciunt impedimenta omnia perfectæ charitatis. Probatur; Quia dum sibi inuigilant, etiam à proximi scandalo cauent : peccata enim ex surreptione, quæ etiam perfectis accidere solent,non scandalizant; tum quia ferè occulta esse solent, tum etiam quia tam sunt leuia, vt meritò non censeantur præbere offendiculum.

# De vitando Scandalo.

## ARTICVLVS VII.

### *Vtrùm bona spiritualia sint propter Scandalum dimittenda?*

RESPONDET S.Thomas, Necessaria ad salutem numquam esse dimittenda: non necessaria autem, non esse dimittenda propter scandalum Pharisaicum ; propter scandalum autem pusillorum, occultanda interdum esse & differenda. Quæ doctrina vt explicetur,

Dico primo; Quæ necessaria sunt ad salutem necessitate medij, non sunt dimittenda vnquam propter scandalum: verbi gratia, moriturus est infans sine Baptismo, teneris eum baptizare, etiamsi inde timeas futurum scandalum, puta quia locum suspectum ingredi debeas. Scandalum enim tali casu non erit datum, sed acceptum. Ita Banesius & Lælius.

Dico secvndo; Contingit aliquando, præceptum naturale affirmatiuum hîc & nunc non obligare, propter concursum negatiui præcepti naturalis de vitando scandalo pusillorum: verbi gratia, præceptum de puniendis sontibus. De quo videri potest capitulum Duo mala. d. 13. Adrianus Quodlibeto 1. articulo tertio. Valentia hîc puncto 4.

Dico tertio; Præcepta negatiua iuris naturæ prohibentia aliquid intrinsecè malum, numquam prætextu vitandi scandali violari possunt. Vnde sequitur, ne veniaIiter quidem esse mentiendum, vt vitetur scandalum: neque enim sunt facienda mala vt eueniant bona. Possunt tamen in aliis tolerari minora peccata, etiam contra legem naturæ negatiuam, vt euitentur maiora. capitulo Denique d. 4. aut sanè ad vitandum scandalum, instituenda mitiùs peccatorum correptio, capitulo Comessationes d. 43.

Dico qvarto; Frequenter contingit præceptum legis humanæ cedere præcepto naturali de vitando scandalo, ita vt propter scandalum sit omittendum, quod lex humana præcipit. Vnde capitulo Aliquantos dist. 51. tolerantur contra Canones promòti in gradu Ecclesiastico, qui fuerant aduocati, milites, curiales & histriones; quia sine scandalo amoueri non poterant. Simile est capitulo, De Syracusanæ d. 28.

Dico qvinto; Spirituale bonum quod solùm est in consilio, subinde differendum est ad tempus, ne scandalum oriatur. Scandalum tamen pusillorum vix postulabit omnino eiusmodi bona omitti: sed quando id requirere videbitur, degenerabit in scandalum Pharisæorum.

Vnde sequitur, ne parentes turbentur, ad tempus quidem rectè differri ingressum Religionis, non autem omnino omitti. Videri potest Valentia. Vnde generatim

Dico postremo; Propter scandalum Pharisæorum numquam sunt omittenda bona spiritualia, quando alioqui iusta causa subest ea non diutiùs differendi. Nam sine omni causa, etiam ex malitia peccaturo, nõ permittit charitas offerri peccati occasionem, vt benè docet Castro De hæreticorum punitione lib. 1. c. 20. Huc pertinet illud Matth. 15. *Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Item Regula iuris: *Vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Veritas inquam vitæ, iustitiæ, & disciplinæ. Si enim loquaris de scandalo Pharisæorum, nil horum propter scandalum est relinquendum: si autem de scandalo pusillorum, dicit Glossa, non quidem veritatem vitæ esse relinquendam, sed aliquando veritatẽ iustitiæ, quæ pertinet ad iudicem, & veritatem disciplinæ, quæ ad Prælatum, vt nimirum aliquando propter scandalum non puniant illum, quem iustitia & disciplina puniri postularent.

Ex his sequitur Primò, Propter scandalum pusillorum, debere omitti quidquid sine peccato omittere possumus, salua suauitate diuinarum legum, vt rectè Gregorius homil. 7. in Ezechielem, Innocentius III. capite secundo De noui operis nuntiatione.

Sequitur Secundò, Eos peccare, qui propter scandalum Pharisaicum ommittunt præcepta etiam positiua legis humanæ.

Infertur Postremò, Non satis accuratam esse quorumdam hîc doctrinam, quasi propter scandalum omnia ea & sola possent omitti, quæ vel non sunt iuris naturæ, vel sunt dispensabilia.

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm propter Scandalum sint temporalia dimittenda?*

Respondeo cum D. Thoma; Quæ nostra non sunt, sed tantùm curæ nostræ commissa, non debemus dimittere propter scandalum: quia ea tueri est de necessitate salutis; nisi fortè etiam dominus tacitè consentiret, quod ex incommodi magnitudine, & rei dimittendæ quantitate venit æstimandum, quæ ratio multò faciliùs sufficiet ad solam dilationem recuperationis. Nostra verò propria, si modò iis carere possumus, propter pusillorum scandalum debemus dimittere; vel sanè monendo aut aliter scandalum tollere, non autem propter scandalum Pharisæorum: imò propter istud dimittere, subinde foret contra charitatem proximi, & potest esse peccatum scandali, eò quòd non satis amoueamus à proximo occasionem peccati, imò ipse proximus, cui ne scandalizetur, nimiùm indulgetur, aliquo modo scandalizabit, ita vt ei indulgendo peccemus contra charitatem, quam nobis ipsis debemus, secundùm illud Matthæi 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te,* &c. Eòdem pertinet cap. Illud 24. quæst. 3. & cap. Vxor 28. quæst. 1.

# QVÆSTIO QVADRAGESIMAQVARTA.

## De præceptis Charitatis.

Quamvis hæc quæstio, suppositis iis quę sparsim à nobis dicta sunt, satis explicetur à D. Thoma; circa eam tamen duplex examinanda est dubitatio. Vna

An præcepta dilectionis Dei & proximi sint præcepta specialia ab aliis præceptis distincta? Sunt enim qui existiment non esse; sed immeritò: cùm enim charitas sit virtus specialis, specialem habet actum; qui cùm sit necessarius ad salutem, omnino præceptus est. Imò charitatis sunt duo maxima mandata nobis in Euangelica lege commendata. Est quidem verum, causalitate quadam ea esse generalia, & ad omnia



omnia præcepta se extendere, vt propterea Dominus dicat, *In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet & Prophetæ.* Matth. 22. Est etiam verum, præceptum seruandi Dei mandata quæcumque, esse præceptum charitatis, secundùm illud, *Si diligitis me, mãdata mea seruate*; eò quòd imperium charitatis generale sit ad omnem effectum implendæ legis Dei: sed inde consequens non est, non esse de affectu charitatis Dei & proximi speciale præceptum; præceptum inquam quod disponat de actu elicito charitatis. Tantum ergo abest vt nullum sit speciale præceptum de affectu charitatis, vt etiam duplex omnino statuendum sit; vnum de Dei, alterum de proximi dilectione. Neque enim de Dei dilectione potest esse primum & maximum mandatum, si nullum sit aliud quod contra speciale illud distingui queat. Si enim sit vnum tantùm, quomodo primum, quomodo maximum? Deinde, quomodo ab iis reliqua dependent, si cum reliquis eadem sint? Ioan. 14.

Secunda dubitatio est: Vtrùm salte proximo nõ sufficiat exhibere opus externum dilectionis, sed præceptũ sit affectu interno etiam ipsum diligere? Variè de hoc dubio sentiunt Doctores.

Vna est sententia, In particulari non teneri quemquam, diligere actu interno hunc aut illum proximum, nisi necessitas aliqua fuerit huius actus, aut in amouendo odio, aut in exhibendo opere externo: in genere tamen aliquando proximum ex præcepto esse diligendum, Prælatos etiam in particulari teneri suos diligere. Ita ferè Banesius art. 2.

Alia sententia est, quæ asserit simpliciter, Non solùm effectu, sed etiam affectu interno præceptum esse diligere proximum. Ita Andreas Vega lib. 11. in Trident. c. 16. vbi refert tertiam quamdam opinionem, Dilectionẽ Dei iussam esse viatoribus actu, non autem affectu: proximorum autem dilectionem, mandatam esse potiùs quoad affectum, quàm quoad actum. Verùm hoc vel eo facilè refutatur argumento, quòd beneficentia in proximis, simul cum beneuolentia ex qua oritur, in diuinis præceptis coniuncta censeri debeat.

Quartam insinuat ibidem, quam dicit accedere ad sententiam Protestantium, Præceptũ diligendi Deum, ad affectum dumtaxat interiorem referri; præceptum verò diligendi proximum, ad officia tantùm exteriora. Quam opinionem ex eo refutat, quòd sicuti peccata interioris concupiscentiæ prohibentur contra proximum duobus postremis præceptis; ita primo secundæ tabulæ præcepto, honor interior, & amor parentum, & pius in eos affectus præcipitur.

Nauarra Enchiridij cap. 14. num. 8. fatetur dilectionem proximi internam esse sub præcepto; & dicit, virtute illius præcepti, Primò, Nos obligari neminem in particulari, nisi iam damnatum, excludere ab amore, quo in genere proximum ex charitate diligimus. Secundò, Vt saltem naturali amore petentem veniam inimicum diligamus, eique specialia amoris signa ostendamus. Tertiò, Vt quando necessitas est beneficentiæ, id ex amore erga proximum, saltem ex naturali externi operis, ei impendamus, ad quod ex charitate tenemur. Vbi tamen quando fuerit spirituale beneficium, facilè contingat virtute includi amorem charitatis. De hoc dubio satis difficili

Dico primo; Verius videri, præceptum de diligendo proximo, quod in Scriptura toties inculcatur, accipiendum esse non de sola exhibitione operis, sed etiam de affectu internæ dilectionis. Primò, Quia dilectio sonat potiùs affectum quàm effectũ. Secundò, Quia bona spiritualia, quę proximo maximè debemus velle ex præcepto, per amorẽ ei non exhibemus, sed ei potiùs à Deo exhiberi optamus. Tertiò, Quòd non respiciat hoc præceptũ solum actũ externum, probatur à simili: Quando enim viri iubentur diligere vxores suas, aut Prælati subditos, plus iubentur quàm externa officia exhibere quando necesse fuerit. Confirmatur 1. Petri cap. 1. *In fraternitatis amore simplici ex corde inuicem diligite attentiùs.* Deinde iubemur parati esse, quando necessitas postularet, pro salute spirituali proximi ponere vitam nostram corporalem; quam animi præparationem non habebimus sine aliquo affectu dilectionis erga proximum. Quomodo enim pro proximo, quem non diligimus, parati erimus corpus nostrum morti obiicere, quod diligimus, nutrimus & fouemus? Sequitur hanc sententiam D. Thomas suprà q. 25 articulo 9. vbi dicit, dilectionem interiorem ad inimicum in communi, esse de necessitate præcepti absolutè; in speciali autem, non absolutè, sed secundùm præparationem animi. Apertiùs idem dicit Quodlibeto 4. art. 24. ad 1. Dicit enim, præceptum illud, *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*, pertinere ad interiorem actum. Idem sentit Augustinus lib. 1. De doctrina Christiana c. 28. vbi dicit, *omnes homines affectu diligi debere; effectu autem cùm non possint omnes diligi, eos esse diligendos, quos sors quædam nobis coniunxerit.*

Dico secvndo; Saltem in genere oportet aliquando habere affectum dilectionis erga proximum, nisi fortè temporis breuitas, defectus opportunitatis, aut distractio nos excusauerit.

Probatur, Quia hoc est præceptum nouum Christi, plurimùm ab ipso commendatum Ioannis 13. & 15. Interiorem dilectionem hîc commendari, aut saltem includi, patet, quia Christus præcipit, vt nos mutuò diligamus, sicut ipse dilexit nos: certum autem est, quòd ipse dilexerit nos etiam interiori affectu. Quare omnino dicendum est, debere proximos diligi, in genere saltem, præparatorio quodam affectu, qui interdum renouetur.

Probabile tamen est, eum non peccaturum mortaliter, qui tunc saltem affectũ dilectionis proximi habuerit, quando illum postulat vel necessitas exteriùs subueniendi, vel deponendi contrarium odium, aut quid simile. Existimo tamen non semper sufficere amorem naturalem, sed opus esse aliquousq; supernaturali, quando necessitas proximi fuerit supernaturalis, in defectu subsidij supernaturalis ordinis: econtrà tamen supernaturalis dilectio sufficiet etiam in iis quæ ordinis sunt naturalis, quia supernaturalis dilectio eminenter continet naturalem, sicut beatitudo supernaturalis continet beatitudinem naturalem.

Dices, Proximus non subleuatur affectu, sed opere; ergo sufficit, hoc sine illo exhibere.

Respondeo, non sequi. Tenemur enim non tantùm subleuare, sed subleuare ex animo. Imò lex naturæ non præcipit vmquam actum externum sine interno respondente: interior autem respondens exteriori beneficentiæ, est beneuolentiæ. Non nego tamen, quando de corporali elee-

mosyna agitur, posse contingere, vt proximi necessitas solo externo opere ita subleuetur, vt desinat obligare præceptum. Verùm hoc non est propriè implere præceptum, sed efficere vt desinat esse articulus quo obliget: neque in proposito sufficiet eiusmodi euasio, quia saltem in spirituali necessitate id locum non habebit. Deinde etiamsi difficile sit assignare tempus quo præceptum hoc affirmatiuum obliget; non tamen est dicendum, propterea non obligare, Scriptura sacra tam apertè illud significante, cùm & alia eiusmodi sint præcepta, quæ quando præcisè obligent, haud facilè assignatur.

Obiicies Secundò Bernardum serm. 50 in Cantica: *Est charitas in actu, est & in affectu; & de illa quidem quæ operis est, puta datam esse legem hominibus, mandatumque formatum; nam in affectu, quis ita habeat vt mandatur? ergo illa mandatur ad meritum, ista in præmium datur.*

Respondeo, Bernardum non negare, præceptum esse proximi amorem internum; sed videtur fauere opinioni, quam dicimus esse probabilem, quòd illi præcepto satisfaciat, qui quando necessitas proximi postulauerit, exhibitioni operis internum coniunxerit affectum. *An*, inquit, *non satis tibi esse iudices ad implendum istud de proximi dilectione mandatum, si istud perfectè obserues in quo omni homini rectè de lege naturæ præscribitur, Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris? & item illud: Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis? Neque hoc dico, vt sine affectione simus, & corde arido solas moueamus manus ad opera.* Ita Bernardus. Vbi pro nostra est sententia, eamque confirmat ex eo, quòd Apostolus damnet homines sine affectione, & quòd Ioannes dicat, *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Veritate*, inquit, *idem est ac vitiosæ veritatis impulsu*, qui non est sine interno amore.

Reliquæ duæ sequentes Quæstiones 45. & 46. explicatione non indigent.

FINIS.

INDEX

# INDEX ET ORDO COMMENTARII DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

## QVÆSTIO I.
### De obiecto Fidei. pag. 1.


ARTICVLVS 1. *Vtrum obiectum fidei sit veritas prima?* 2
SECTIO 1. *Varij modi quibus obiectū fidei accipi queat.* 2
2 *De materiali obiecto fidei.* 2
3 *De obiecto formali.* 3
4 *De credibilitate summa quæ in obiectis fidei consideratur.* 3
5 *An fieri nequeat aliquid pertinere ad obiectum fidei, quin propositum sit per Ecclesiam.* 3
6 *An fides aliquo modo resoluatur in auctoritatem Ecclesiæ.* 5
7 *De resolutione fidei in auctoritatem primæ veritatis.* 6
8 *Obiectiones & earum solutio.* 7
ARTIC. II. *Vtrùm obiectum fidei sit aliquid complexum per modum enuntiabilis.* 8
ARTIC. III. *Vtrum fidei possit subesse falsum.* 9
DVBIVM 1. *An per potentiam absolutam Deus possit fallere vel mentiri.* 9
2 *An fides infusa posset assentiri ad assensum falsum.* 11
ARTIC. IV. *Vtrum obiectum fidei possit esse aliquid visum.* 12
ARTIC. V. *Vtrum ea quæ sunt fidei, possint esse scita.* 12
DVB. 1. *An vera sit doctrina D. Thomæ, vnum & idem ab eodem non posse esse simul fide diuina creditū, & visum aut scitū.* 12
SECTIO 1. *Opinio D. Thomæ cum suis argumentis.* 12
2 *Aliæ opiniones & ipsarum argumenta.* 12
3 *Verior sententia cum suis probationibus.* 13
4 *Soluuntur obiectiones pro contraria opinione.* 13
DVB. 2. *Quomodo non visum pertineat ad obiectum fidei.* 14
3 *An liber & non sine pio affectu sit assensus fidei diuinæ.* 14
4 *Sine verum quod dicit D. Thomas art. 4. ad secundum, creditum fide diuina non esse euidentis veritatis; esse tamen debere euidentis credibilitatis.* 15
SECTIO 1. *Quod fide diuina creditur, debere esse euidentis credibilitatis.* 15
2 *Vnde oriatur hæc euidentia credibilitatis.* 16
3 *Esse euidens, fidem Catholicam Romanam esse credibilem, & quæ sunt huius euidentiæ signa.* 16
*De miraculis.* 16
*De oraculo & reliquis argumentis.* 20
ARTIC. VI. *Vtrum credibilia sint per certos articulos distinguenda.* 21
ARTIC. VII. *Vtrum articuli fidei secundùm successionem temporum creuerint.* 21
ARTIC. VIII. *Vtrum conuenienter enumerentur.* 21
ARTIC. IX. *Vtrum conuenienter in Symbolo ponantur.* 21
ARTIC. X. *Vtrum ad Summum Pontificem pertineat fidei Symbolum ordinare.* 25


## TRACTATVS
### De summo Pontifice. 25


DISPVTATIO 1. *An conueniens fuerit, vnum aliquem in terris relinqui Christi vicarium, qui sit caput visibile Ecclesiæ.* 25
2 *An Christus præfecerit Petrum toti Ecclesiæ.* 26
3 *An ex Christi instituto Petrus aliquem habeat in summo Pontificatu successorem, & quisnam sit ille.* 32
DVB. 1. *An Petrus Romæ Episcopatum tenens ibidem sit mortuus.* 33
2 *An Romanus Episcopatus per Petrum euectus sit in summum Pontificatum.* 33
3 *Quo iure vrbis, orbis sit Pontifex.* 35
4 *A quo accipiat potestatem suam nouus Pontifex.* 36
DISPVT. 4. *An Romanus Pontifex habeat potestatem immediatè in omnia membra Ecclesiæ militantis.* 36
DVB. 1. *An Papa habeat potestatem in singulos Episcopos.* 36
2 *An Papa habeat iurisdictionem in singulos fideles immediatè.* 38
3 *An Romanus Pontifex sit superior Concilio vniuersali omnium Episcoporum Christiani orbis.* 39
DISPVT. 5. *An Romanus Pontifex possit errare in decidendis fidei quæstionibus.* 42

6 *An Pontifex in legibus ferendis, & in alijs definitionibus suis, item in canonizatione Sanctorum, & qualificatione propositionum possit errare.* 44
7 *An Pontifex vt particularis persona possit esse hæreticus; & an eo ipso excidat Pontificatu.* 46
8 *An Papa habeat aliquam potestatem temporalem.* 48

TRACTATVS
De Ecclesia. 51

DISPVT. 1. *In quo consistat essentia Ecclesiæ.* 51
2 *De Ecclesiæ origine, duratione, ac vnitate.* 57
3 *An Ecclesia sit visibilis.* 60

TRACTATVS
De Conciliis. 61

DISPVT. 1. *Quid Concilium, & quomodo in eo procedendum.* 61
DVB. 1. *Quid sit Concilium.* 61
2 *Quotuplex sit Concilium.* 61
3 *Ad quid conducant Concilia.* 61
4 *Quinam vocandi & admittendi sint ad Concilium vniuersale, & qui ex illis vocem decisiuam habeant.* 62
5 *Quæ caussæ tractandæ sint in Concilijs.* 62
DISP. 2. *Cuius sit conuocare Concilium eiq; præsidere.* 62
3 *Quanta auctoritas Conciliorum.* 63
DVB. 1. *Vtrum Concilium generale sit infallibilis auctoritatis antequam confirmetur à Pontifice.* 63
2 *An sua vel superiorum Conciliorum vniuersalium decreta Concilium generale reuocare possit.* 64
*Relectio de Concilijs Oecumenicis.* 64
CAPVT 1. *De definitione Concilij generalis.* 64
2 *De vtilitate Concilij generalis.* 66
3 *De necessitate Concilij generalis.* 68
4 *De conuocatione Concilij.* 71
5 *De præsidentia in Concilio.* 74

TRACTATVS
De Traditionibus. 80

QVÆSTIO VNICA. *Sitne recipiendum aliquod Dei verbum non scriptum.* 80
DVB. 1. *Quid & quotuplex traditio.* 80
2 *An sit aliqua traditio diuina.* 81
3 *Quomodo discerni queant traditiones diuinæ aut Apostolicæ.* 82
DVB. POSTREMVM. *An traditio diuina sit paris auctoritatis cum Scriptura diuina.* 83

QVÆSTIO II.
De interiori actu Fidei. 83

ARTIC. 1. *Vtrum credere sit cum assensione cogitare.* 83
ARTIC. II. *Vtrum conuenienter distinguantur actus fidei per hoc quod est credere Deo, Deum, & in Deum.* 84
DVB. 1. *An peccatores credant in Deum.* 84
2 *An sicuti dicimur non solùm credere Deum, sed etiam in Deum, ita dici possimus non solùm credere Ecclesiam, sed etiam in Ecclesiam.* 84
3 *An rectè dicat S. Thomas in responsione ad 3. infideles non verè credere Deum.* 85
DVB. POSTREMVM. *Quomodo vno & eodem actu dicat S. Thomas in responsione ad primum, nos credere Deo, Deū, & in Deum.* 85
ARTIC. III. *Vtrum credere aliquid supra rationem naturalem, sit necessarium ad salutem.* 85
ARTIC. IV. *Vtrum credere ea quæ naturali ratione probari possunt, sit necessarium.* 88
ARTIC. V. *Vtrum homo teneatur ad credendum aliquid explicitè.* 88
ART. VI. *Vtrum omnes æqualiter teneantur ad habendam fidem explicitam.* 88
DVB. *Qui superiores quid teneantur explicitè credere.* 89
ARTIC. VII. *Vtrum explicitè credere mysterium incarnationis Christi, sit de necessitate salutis apud omnes.* 90
ARTIC. VIII. *Vtrum explicitè credere Trinitatem, sit de necessitate salutis.* 96
ART. IX. *Vtrum credere sit meritorium.* 97
DVB. 1. *An qui credunt Deo, satis in eo sui sint arbitrij, vt apud Deum fides merito suo non careat.* 97
2. *An credere Deo satis honestum sit & Deo gratum, vt queat esse meritorium.* 97
3 *An actus internus fidei ita sit bonus vt non possit fieri malus.* 98
4 *An credere sit actus supernaturalis.* 99
5 *An aliquando contingat actum fidei imperari à charitate.* 99
ARTIC. X. *Vtrum ratio inductiua ad ea quæ sunt fidei, minuat meritum fidei.* 99

QVÆSTIO III.
De externo Fidei actu. 100

ART. I. *Vtrum Confessio sit actus fidei.* 100
ART. II. *Vtrum confessio fidei sit necessaria ad salutem.* 101
MEMBRVM 1. *De obligatione non negandi exteriùs fidem per verba.* 101
2 *De præcepto confessionis fidei vt verbo facienda est.* 102
3 *De confessione per alia signa.* 106

QVÆ-



QVÆSTIO IV.
De Fidei virtute. 109

ART. 1. *Vtrum sit competens fidei hæc definitio: Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* 109
ART. II. *Vtrum fides sit in intellectu sicut in subiecto.* 111
ART. III. *Vtrum charitas sit forma fidei.* 112
ART. IV. *Vtrum fides informis possit fieri formata, vel è conuerso.* 113
ART. V. *Vtrum fides sit virtus.* 113
DVB. 1. *An salutē fides formata sit virtus.* 114
2 *An fides informis sit virtus.* 114
3 *An fides informis sit virtus intellectualis.* 115
ART. VI. *Vtrum fides sit vna virtus.* 115
ART. VII. *Vtrum fides sit prima inter virtutes.* 116
ART. VIII. *Vtrum fides sit certior scientiâ & alijs virtutibus intellectualibus.* 117

QVÆSTIO V.
De habentibus Fidem. 119

ART. 1. *Vtrum Angelus aut homo in prima sua conditione habuerit fidem.* 119
ART. II. *Vtrum in dæmonibus sit fides.* 120
DVB. 1. *An in hominibus damnatis fides maneat quam hinc decedentes fortè habebant.* 121
2 *An fides sit in beatis.* 122
3 *An animæ in Purgatorio detineant fidem.* 123
ART. III. *Vtrum qui discredit vnum articulum fidei, possit habere fidem informem de alijs articulis.* 123
ART. IV. *Vtrum fides possit maior esse in vno quàm in altero.* 125

QVÆSTIO VI.
De caussa Fidei. 127

ARTIC. 1. *Vtrum fides sit homini infusa à Deo.* 127
ART. II. *Vtrum fides informis sit donum Dei.* 128

QVÆSTIO VII.
De effectibus Fidei. 128

ART. 1. *Vtrum timor sit effectus fidei.* 128
ART. II. *Vtrum purificatio cordis sit effectus fidei.* 129

QVÆSTIO VIII.
De dono Intellectus. 129

QVÆSTIO IX.
De dono Scientiæ. 129

QVÆSTIO X.
De Infidelitate in genere. 131

ART. 1. *Vtrum infidelitas sit peccatum.* 131
ART. II. *Vtrum infidelitas sit in intellectu sicut in subiecto.* 132
ART. III. *Vtrum infidelitas sit maximum peccatorum.* 133
ART. IV. *Vtrum omnis actio infidelium sit peccatum.* 133
ART. V. *Vtrum sint plures infidelitatis species.* 136
ART. VI. *Vtrum infidelitas Gentilium seu Paganorum sit ceteris grauior.* 137
ART. VII. *Vtrum sit cum infidelibus publicè disputandum.* 138
ART. VIII. *Vtrum infideles sint compellendi ad fidem.* 139
ART. IX. *Vtrum cum infidelibus possit communicari.* 141
ART. X. *Vtrum infideles possint habere prælationem seu dominium super fideles.* 142
ART. XI. *Vtrum infidelium ritus sint tolerandi.* 143
ART. XII. *An pueri Indæorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi.* 143

QVÆSTIO XI.
De Hæresi. 144

ARTIC. 1. *Vtrum hæresis sit infidelitatis species.* 144
ART. II. *Vtrum hæresis sit propriè circa ea quæ sunt fidei* 144
MEMBRVM 1. *De nomine hæresis.* 144
2 *Quòd ad hæresim requiratur error, & qualis.* 145
3 *Ad hæresim requiri professionem Christianismi.* 146
4 *An præter errorem in fide hæresis requirat pertinaciam, & qualem.* 146
5 *De propositione hæretica & reliquis damnabilibus.* 147
ART. III. *Vtrum heretici sint tolerandi.* 148
MEMB. 1. *De pœna mortis iustè hæreticis inferenda à Magistratu ciuili.* 148
2 *De Ecclesiastica hæreticorum pœna.* 150
3 *De punitione hæresis per ablationem bonorum temporalium.* 151
4 *De libris hæreticorum non tolerandis.* 151
ART. IV. *Vtrum reuertentes ab hæresi ab Ecclesia sint recipiendi.* 152

QVÆSTIO XII.
De Apostasia. 153

ART. 1. *Vtrum apostasia pertineat ad infidelitatem.* 153
ART. II. *Vtrum Princeps propter apostasiam*

*à fide amittat dominium in subditos, ita vt ei obedire non teneantur.* 153
SECTIO 1. *De nomine & diuersitate apostasiæ.* 153
2 *Quomodo se habeat apostasia ad tres species infidelitatis, hæresim, Iudaismum, & Paganismum.* 154
3 *De pœna apostatarum.* 153

QVÆSTIO XIII. & XIV.
De Blasphemia. 154

SECT. 1. *Quid sit Blasphemia.* 154
2 *De grauitate peccati blasphemiæ.* 155
3 *De blasphemia spiritus.* 155

QVÆSTIO XVII.
De Spe. 156

ART. 1. *Vtrum spes sit virtus.* 156
ART. II. *Vtrum beatitudo æterna sit obiectum proprium spei.* 157
SECT. 1. *De obiecto materiali spei.* 157
2 *De formali obiecto spei.* 157
3 *Argumenta contra doctrinam articuli proponuntur & soluuntur.* 158
ART. III. *Vtrum aliquis possit alteri vitam æternam sperare.* 159
ART. IV. *Vtrum aliquis licitè possit sperare in homine.* 159
ART. V. *Vtrũ spes sit virtus Theologica.* 159
SECT. 1. *Quid virtus Theologica.* 159
2 *Probatur spem esse virtutem Theologicam.* 160
ART. VI. *Vtrum spes sit virtus distincta ab alijs virtutibus Theologicis.* 160
ART. VII. & VIII. *Vtrum spes præcedat fidem & charitatem.* 161

QVÆSTIO XVIII.
De subiecto Spei. 162

ARTIC. 1. *Vtrum spes sit in voluntate sicut in subiecto.* 162
ART. II. & III. *Vtrum spes sit in beatis & damnatis.* 162
ART. IV. *Vtrum spes viatorum habeat certitudinem.* 164
MEMB. 1. *Spem esse firmam & certam.* 164
2 *Vnde oriatur hæc spei certitudo.* 164
3 *An certitudo de re sperata possit esse tanta, vt spes non sit dicenda, sed res.* 165

QVÆSTIO XIX.
De dono Timoris. 166

ARTIC. 1. *Vtrum Deus possit timeri.* 166
ART. II. *Vtrum timor conuenienter diuidatur in filialem, initialem, seruilem, & mundanum.* 166
ART. III. *Vtrum timor mundanus semper sit malus.* 166
ART. IV. *Vtrum timor seruilis sit bonus.* 166
ART. V. *Vtrum seruilis timor sit idem in substantia cum filiali.* 167
ART. VI. *Vtrum timor seruilis remaneat cum charitate.* 167
ARTIC. VII. *Vtrum timor sit initium sapientiæ.* 168
ART. VIII. *Vtrum timor initialis differat secundùm substantiam à filiali.* 168
ART. IX. *Vtrum timor sit donum Spiritus sancti.* 168
ART. X. *Vtrum crescente charitate diminuatur timor.* 169
ART. XI. *Vtrum timor maneat in patria.* 169
ART. XII. *Vtrum paupertas spiritus sit beatitudo respondens dono timoris.* 169

QVÆSTIO XX.
De Desperatione. 169

ART. 1. *Vtrum desperatio sit peccatum.* 169
ART. II. *Vtrum desperatio sine infidelitate esse possit.* 170
ART. III. *Vtrum desperatio sit maximum peccatorum.* 171
ART. IV. *Vtrum desperatio ex acedia oriatur.* 171

QVÆSTIO XXI.
De Præsumptione. 171

QVÆSTIO XXII.
De præceptis pertinentibus ad Spem & Timorem. 172

QVÆSTIO XXIII.
De Charitate. 172

ART. 1. *Vtrum charitas sit amicitia.* 172
SECT. 1. *De nomine charitatis.* 172
2 *De amicitia in charitate.* 173
3 *Soluuntur obiectiones.* 174
ART. II. *Vtrum charitas sit aliquid creatum in anima.* 175
SECT. 1. *Referuntur sententiæ, præsertim Magistri.* 175
2 *Quid hîc tenendum.* 175
3 *Solutio argumentorum.* 176
ART. III. IV. & V. *Vtrum charitas sit virtus specialis & vna.* 177
ART. VI. *Vtrum charitas sit excellentissima virtutum.* 178
ART. VII. *Vtrum sine charitate possit esse aliqua vera virtus.* 179
ART. VIII. *Vtrum charitas sit forma virtutum.* 180

QVÆ-



QVÆSTIO XXIV.
De subiecto Charitatis. 181

ARTIC. 1. *Vtrum voluntas sit subiectum charitatis.* 181
ART. II. *Vtrum charitas per infusionem in nobis causetur.* 181
ART. III. *Vtrum charitas infundatur secundùm capacitatem naturalium.* 181
ART. IV. V. VI. & VII. *An charitas augeatur, an per additionem, an quolibet actu, an in infinitum.* 182
DVB. 1. *An homo charitatem suam augeat solùm meritoriè, an etiam effectiuè.* 185
2 *An semper augeantur simul charitas & gratia.* 185
3 *Quam proportionem Deus seruet in augmento charitatis.* 186
4 *An charitas viæ possit esse maior charitate patriæ.* 186
5 *An possit dari charitas tam magna vt Deus non possit creare maiorem.* 188
ART. VIII. *Vtrum charitas in hac vita possit esse perfecta.* 189
ART. IX. *Vtrum conuenienter distinguantur tres gradus charitatis, incipiens, proficiens, & perfecta.* 189
ART. X. *Vtrum charitas possit minui.* 189
DVB. 1. *An charitas saltem per absolutam Dei potentiam possit minui.* 190
2 *An charitas reipsa aliquando minuatur secundùm gradus intentionis, secundùm quos eam augeri suprà diximus.* 190
3 *An charitas possit minui secundùm quantitatem suam extensiuam, qua se extendit ad plura partialia obiecta.* 191
4 *Quibus modis indirectè charitas dici queat diminui.* 191
ART. XI. *Vtrum charitas semel habita possit amitti.* 192
ART. XII. *Vtrum charitas amittatur per vnum actum peccati mortalis.* 195

QVÆSTIO XXV.
De obiecto Charitatis. 197

ART. 1. *Vtrum dilectio charitatis sistat in Deo, an se extendat etiam ad proximos.* 197
ART. II. *Vtrum charitas sit ex charitate diligenda.* 198
ART. III. *Vtrum etiam creaturæ irrationales sint ex charitate diligendæ.* 199
ART. IV. *Vtrum homo debeat seipsum ex charitate diligere.* 199
ART. V. *Vtrum debeat corpus suum homo ex charitate diligere.* 199
ART. VI. *Vtrum peccatores sint ex charitate diligendi.* 199
ART. VII. *Vtrum peccatores diligant seipsos.* 200
ART. VIII. *Vtrum sit de necessitate charitatis vt inimici diligantur.* 200
ART. IX. *Vtrum sit de necessitate salutis quod aliquis signa & effectus dilectionis inimico exhibeat.* 200
ART. X. *An debeamus Angelos ex charitate diligere.* 202
ART. XI. *Vtrum debeamus dæmones ex charitate diligere.* 202
AR. XII. *Vtrũ conuenienter enumeretur quatuor ex charitate diligenda, scilicet Deus, proximus, corpus nostrum, & nosipsi.* 202

QVÆSTIO XXVI.
De ordine Charitatis. 202

ARTIC. 1. *Vtrum in charitate sit ordo.* 202
ART. II. *Vtrum Deus sit magis diligendus quàm proximus.* 203
ART. III. *Vtrum homo debeat ex charitate plus Deum diligere quàm seipsum.* 204
ART. IV. *Vtrum homo magis ex charitate debeat diligere seipsum quàm proximũ.* 205
ART. V. *Vtrum homo magis debeat diligere proximum quàm corpus proprium.* 208
ART. VI. *Vtrum vnus proximus sit magis diligendus quàm alius.* 210
ART. VII. *Vtrum magis debeamus diligere meliores quàm coniunctiores.* 211
ART. VIII. *Vtrum magis sit diligendus ille qui nobis est coniunctus secundùm carnalem originem.* 211
ART. IX. *Vtrum ex charitate homo debeat magis diligere filium quàm patrem.* 212
ART. X. *Vtrum homo debeat magis diligere patrem quàm matrem.* 213
ART. XI. *Vtrum homo debeat plus diligere vxorem quàm patrem aut matrem.* 213
ART. XII. *Vtrum homo debeat magis diligere benefactorem quàm beneficiatum.* 213
ART. XIII. *Vtrum ordo charitatis maneat in patria.* 213

QVÆSTIO XXVII.
De principali actu Charitatis. 214

ART. 1. *Vtrum charitati sit magis proprium amari quàm amare.* 214
ART. II. *Vtrum amare secundùm quod est actus charitatis, sit idem quod beneuolentia.* 214
ART. III. *Vtrum Deus sit propter seipsum ex charitate diligendus.* 214
ART. IV. *Vtrum Deus in hac vita possit immediatè amari.* 215
ART. V. *Vtrũ Deus possit totaliter amari.* 215

ART.

ART.VI. *Vtrum diuinæ dilectionis sit aliquis modus habendus.* 215
ART.VII. *Vtrum sit magis meritorium, diligere inimicum quàm amicum.* 215
ART.VIII. *Vtrum sit magis meritorium, diligere proximum quàm diligere Deum.* 217

QVÆSTIO XXVIII.
De Gaudio. 217

ARTIC.I. *Vtrum gaudium in nobis sit effectus charitatis.* 217
ART.II. *Vtrum gaudium spirituale, quod ex charitate causſatur, recipiat admixtionem tristitiæ.* 218
ART.III. *Vtrum spirituale gaudium, quod ex charitate causſatur, possit in nobis impleri.* 218
ART.IV. *Vtrum gaudium sit virtus.* 218

QVÆSTIO XXIX.
De Pace. 218

QVÆSTIO XXX.
De Misericordia. 218

ARTIC.I. *Vtrum malum sit propriè motiuum ad misericordiam.* 218
ART.II. *Vtrum defectus sit ratio miserendi, ex parte miserentis.* 218
ART.III. & IV. *Vtrum misericordia non solùm sit virtus, sed maxima virtutum.* 219

QVÆSTIO XXXI. 219

QVÆSTIO XXXII.
De Eleemosyna. 220

ART. I. *Vtrum dare eleemosynam sit actus charitatis.* 220
ART. II. *Vtrum conuenienter eleemosynarum genera distinguantur.* 221
ART.III. *Vtrum eleemosynæ corporales sint potiores quàm spirituales.* 222
ART.IV. *An eleemosynæ corporales habeant effectum spiritualem.* 222
ART.V. *Vtrum dare eleemosynam sit in præcepto.* 223
ART. VI. *Vtrum debeat quis dare eleemosynam de necessario.* 224
DVBITATIO I. *Vtrum de necessarijs vitæ tuæ tenearis fratri succurrere extremam necessitatem patienti.* 224
2 *Vtrum quicumque habet non necessaria propriæ vitæ, teneatur succurrere proximo in extrema necessitate.* 225
3 *An extremè indigenti, quando subueniendo in eamdem necessitatem non incideremus, teneamur non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia succurrere.* 225
4 *An præceptum eleemosynæ non obliget sub mortali extra necessitatem extremam.* 226
5 *An sit præcepti, donare absolutè pauperi extremè indigenti: an verò sufficiat, ei succurrere vendendo credito, mutuando, aut simili alio contractu oneroso.* 227
6 *Possitne pauper in extrema vel etiam graui necessitate clàm subripere, aut inuito domino auferre, quo necessitatem leuet.* 228
ART.VII. *Vtrum possit fieri eleemosyna de iniustis acquisitis.* 229
ARTIC.VIII. *Vtrum ille qui est in alterius potestate constitutus, possit facere eleemosynam.* 230
ART.IX. *Vtrum propinquioribus sit magis eleemosyna danda.* 231
ART. X. *Vtrum eleemosyna sit abundanter facienda.* 231

QVÆSTIO XXXIII.
De Correptione fraterna. 231

ART. I. *Vtrum fraterna correptio sit actus charitatis.* 231
ART.II. *Vtrum correptio fraterna sit in præcepto.* 232
DVBIT. I. *An sit vllum præceptum legis naturæ, quo sub mortali obligemur fratrem corripere.* 232
2 *An quilibet proximus sit ex præcepto corripiendus quando peccauerit.* 233
3 *An de quolibet peccato sit præcepta fratris correptio.* 233
ART.III. *Vtrum correptio fraterna pertineat solùm ad Prælatos.* 236
ART. IV. *Vtrum quis teneatur corripere Prælatum suum.* 237
ART. V. *Vtrum peccator debeat corripere delinquentem.* 237
ART. VI. *Vtrum quis debeat à correptione cessare propter timorem ne proximus fiat deterior.* 238
ART.VII. *Vtrum in correptione fraterna debeat ex necessitate præcepti admonitio secreta præcedere denuntiationem.* 239
ART. VIII. *Vtrum testium inductio debeat præcedere publicam denuntiationem.* 239

QVÆSTIO XXXIV.
De Odio. 243

ART. I. *Vtrum quis Deum possit habere odio* 243
ART. II. *Vtrum odium Dei sit maximum peccatum.* 244
ART.



ART. III. *Vtrum omne odium proximi sit peccatum.* 244
ART. IV. *Vtrum odium proximi sit grauissimum peccatorum quæ in proximum committuntur.* 244
ART.V. *Vtrum odium sit vitium capitale.* 245
ARTIC.VI. *Vtrum odium oriatur ex inuidia.* 245

QVÆSTIONES XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII.
De Acœdia, Inuidia, Discordia & Contentione. 245

ASSERTIO I. 245 ASSERTIO 2. 245
ASSERTIO 3. 246 ASSERTIO 4. 246

QVÆSTIO XXXIX.
De Schismate. 246

ART. I. *Vtrum schisma sit speciale peccatum.* 246
ARTIC. II. *An schisma sit grauius peccatum infidelitate.* 246
ART. III. *Vtrum schismatici habeant aliquam potestatem.* 246
ART. IV. *Vtrum schisma sufficiat ad excommunicandum.* 247

QVÆSTIO XL.
De Bello. 247

ART.I. *Vtrum bellare semper sit peccatum.* 247
DVB.I. *Penes quem sit legitima auctoritas indicendi bellum.* 249
2 *Quæ sit iusta causſa belli.* 249
3 *Quantum debeat quisque ad bellum concurrentium ponere diligentiæ & prouidentiæ in examinanda & expendenda iustitia belli.* 250
4 *An detur bellum vtrimque iustum.* 252
5 *Qua intentione oporteat bellũ gerere.* 252
6 *Quis modus seruandus in belli executione, progressu & victoria.* 252
7 *Sitne licitum seruis iusto bello captis fugere.* 256
ART. II. *Vtrum Clericis & Episcopis sit licitum pugnare.* 257
ART.III. *Vtrum licitum sit in bellis vti insidijs.* 258
ART. IV. *Vtrum liceat diebus Festis bellare.* 258

QVÆSTIO XLII.
De Rixa. 259 De Duello. 259

QVÆSTIO XLIII.
De Scandalo. 261

De natura & malitia Scandali. 261

ART. I. II. III. & IV. *Quid sit scandalum, & an sit peccatum speciale, mortale.* 261
DVB.I. *In quo sita sit deformitas scandali, & an sit mortale peccatum.* 262
2 *An scandalum sit speciale peccatum.* 263
3 *An semper sit peccatum scandali, facere quod habet speciem mali.* 264
4 *An is semper peccatum scandali incurrat, qui proximum inducit ad id faciendum, quod nouerit eum non facturum sine peccato.* 264

De subiecto Scandali. 265
ART.V. & VI. *An scandalum passiuum & actiuum cadat in viros perfectos.* 265

De vitando Scandalo. 265
ART.VII. *Vtrum bona spiritualia sint propter scandalum dimittenda.* 265
ART.VIII. *Vtrum propter scandalum sint temporalia dimittenda.* 266

QVÆSTIO XLIV.
De Præceptis Charitatis. 266

## APPROBATIO.

HVNC R^mi D.D. IOANNIS MALDERI, Antuerpiensis Episcopi, DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS, & oppositis vitiis aliisq; annexis Tractatum, omnibus S. Theologiæ studiosis perutilem censeo, vt qui & eruditam contineat XLIV. Quæstionum D. Thomæ Aquinatis de eadem materia explicationem, & solidam exortarum hac tempestate hæreseon circa eamdem materiam confutationem.

*Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apostolicus & Archiducalis librorum Censor.*

# IOANNIS MALDERI
## EPISCOPI ANTVERPIENSIS
# DE
# IVSTITIA
# ET
# RELIGIONE
# COMMENTARIVS

Ad Secundam Secundæ D. THOMAE,
à Quæst. LVII. vsque ad Quæst. CI.

THEOLOGIA *quæ diuina est Sapientia, vel ipso Sapiente teste, Iustitiam docet, quamuis enim de Iustitia & Iure à Iurisconsultis potiùs videatur expectanda tractatio, meritò tamen eam Theologi etiam instituunt, vtpote quæ hominum conscientiæ dirigendæ omnino sit necessaria; cuius paci cum Deo licitum ab illicito discernens consulit Theologia. Sanè de hoc argumento D. Thomas, & eum secuti Theologi complures, multa quæ apud Iurisperitos intacta, aut minùs explicata erant, ad normam diuinæ doctrinæ ea methodo ex fundamentis & principijs proprijs tradiderunt, vt vel hoc ipsorum exemplo, commodiùs, breuiùs, perspicaciùs & absolutiùs, quantum praxi Theologicæ sufficiat, istud subsidij conscientiarum directores petere iam posse ex Theologica institutione, satis compertum sit.* Sap.8.

*Quæstiones autem D. Thomæ breuitatis gratia contrahemus in aliquot* TRACTATVS.

# TRACTATVS PRIMVS

## De Iustitia, Iure, & Dominio in genere.

### CAPVT PRIMVM

### De Iustitiæ acceptionibus, definitione & diuisione.

*D. Thomas quæst. 58.*

### DVBIVM PRIMVM.

*Quot modis Iustitia accipiatur & dividatur.*

IVSTITIA æqualitatem dicit, æqualitas autem est in illis quæ ad aliud dicuntur. Duo ergo includit Iustitia, respectum ad alterum, & æqualitatem: quorum illud cum opposito sibi vitio commune habet. Quòd ergo virtus sit, habet ab æqualitate; æquitatis enim cum virtute tam obuia est affinitas, quàm iniquitatis cum vitio, de quo Scriptura, *Peccatum est iniquitas*. 1. Ioan. 3.

Quamuis autem similitudo eò maior sit, quò magis ad identitatem accedit; æqualitas tamen in illis, quorum vnum consideratur vt aliquid alterius, ita vt alterum non vicissim dicatur esse ipsius, multum amittit de sui ratione. Hinc in acceptionibus Iustitiæ discernendis meritò habetur ratio, quomodo inter sese comparentur illi inter quos dicitur esse Iustitia; est autem is respectus ferè triplex, partis ad partem, totius ad partem, & partis ad totum. Totum autem tam latè hîc accipimus, vt omne illud sit, cuius aliquid est alterum, non econuersò; quomodo filius est aliquid patris, seruus domini, creatura creatoris, ciuis reipublicę. Itaq; partis ad totum Iustitia, si quidem totum intelligatur, vel respublica, cuius bono leges seruiunt, vel creator seu Deus qui lex æterna est, erit Iustitia quam legalem vocant: particularis autem Iustitia erit, quando particulari personæ redditur quod æquum est. *Diuisio Iustitiæ.*

Sumunt & aliter diuisionem Iustitiæ: considerato enim quòd alter ad quem respicit Iustitia, vel est alter solùm secundùm quid, vel simpliciter; diuidunt itidem Iustitiam in eam quæ simpliciter est Iustitia, & eam quæ secundùm quid. Igitur inter duos ciues erit Iustitia simpliciter; inter patrem autem & filium, Iustitia secundùm quid, quia filius est aliquid patris, neque sunt perfectè alter & alter.

Hinc colligitur, Iustitiam legalem hac ex parte esse Iustitiam secundùm quid; & particularem Iustitiam, aliam esse Iustitiam simpliciter, aliam secundùm quid, prout particularis persona in qua æqualitas constituenda, aliquando perfectè, aliquando verò imperfectè solùm est altera. Sicut autem legalis Iustitia ordinat partem ad totum, ita est quædam species Iustitiæ, quæ ordinat totius emolumenta ad partem, eique secundùm dignitatem distribuit; estque hæc Iustitia particularis, quia respicit partem tamquam terminum ad quem, à quo potiùs species sumenda est, vocaturque distributiua; alia est partis ad partem, quæ dicitur commutatiua. *Iustitia particularis.*

### DVBIVM II.

*An Iustitia legalis sit particularis virtus?*

VNA est opinio, Iustitiam legalem non esse particularem aliquam virtutem, sed aggregatum quoddam ex omnibus virtutibus. Particularis enim quisquam tum demum nihil legibus debet, quando Deo & reipublicæ per vniuersa virtutum officia legitimè sese subditum exhibet. 1. Sententia.

Alia opinio particularē quidem virtutem facit Iustitiam hanc legalē, sed non distinguit à pietate. 2.

Tertia non distinguit ab obedientia. 3.

Quarta ab his omnibus distinctam particularem virtutem esse ponit Iustitiam hanc legalem seu generalem, dicitque in eo consistere, quòd reipub. seruetur Ius illud altum quod vocant, quod habet in bona ciuium suorum. 4.

PRIMA ASSERTIO: Iustitia legalis ex mente Philosophi, verè secundùm rem nihil est aliud, quàm complexio omnium virtutum, lib. 5. Ethic. cap. 1. & 2. Dicit enim Iustitiam legalem in eo sitam esse, quòd quis legibus pareat. item inducit illud quasi vetus verbum, *Iustitia vna aliæ virtutes continet omnes*; & clarissimè infrà, *Hæc Iustitia non virtutis pars est, sed virtus vniuersa*. Voluit tamen ratione distingui Iustitiam legalem à virtute, in fine illius capitis 1. vt nimirum temperantia, verbi gratia, virtus sit, quatenus hominem benè in se disponit; sit autem pars quædam legalis Iustitiæ, quatenus eum benè disponit in ordine ad rempublicam, cuius interest ciues habere temperantes. *Iustitia legalis complexio virtutum.*

Non dissimilis Iustitiæ consideratio est apud Theologos, qui gratiam habitualem aut charitatem vocant Iustitiam, quòd nimirum regulæ nostræ diuinæ legi per eam conformemur & pareamus. Sanè Scriptura sacra Iustitiæ nomen frequentissimè hoc modo vsurpat; Genes. 15. 1. Reg. 26. Iob 29. Psal. 17. Matth. 5. & 6. Rom. 6. 2. Timoth. 4. & alibi.

SECVNDA ASSERTIO: Iustitia legalis etiam ex mente Philosophi formalem rationem habet



habet diuersam à singulis virtutibus. Indicat hoc eius verba: *Quid autem interfit inter virtutem & hanc Iustitiam, ex ijs quæ diximus perspicuum est; est enim eadem illa quidem, sed eius essentia non est eadem. Verùm quà cum altero rationem habet, Iustitia est; quà talis quidam habitus est, absolutè virtus est.* Sequitur hanc sententiam D. Thomas quæst. 58. art. 6. estque satis communis apud Theologos, ex quibus Arragonius dicta quæst. art. 5. dicit, Iustitiam illam legalem non esse speciem infimam, sed tamquam genus complecti legalem speciatim dictam, & ἐπείκειαν. Quod vt verū sit, oportet secundùm ea intelligere, quæ habet D. Thomas infrà quæst. 120. art. 2. vbi distinguit Iustitiam legalem in eam, quæ vel verba vel mentem legislatoris sequitur; & in eam, quæ sequitur verba legis tantùm: prioris dicit ἐπείκειαν esse partem, posteriorem verò diuidi contra ἐπείκειαν.

TERTIA ASSERTIO: Iustitia legalis non est formaliter idem quod pietas. Est D. Thomæ quæst. 101. art. 3. ad 3. Iustitia enim legalis respicit formaliter bonum commune, vt tale; est enim Iustitia partis ad totum: pietas autem quamuis generalis admodum sit, non tamen respicit bonum totius vt tale, sed rationem principij effectiui conseruantis aut gubernantis; est enim pietas in patriam & parentes: Iustitia autem legalis respicit generatim Dei & reipublicæ leges.

QVARTA ASSERTIO: Quamuis Iustitia legalis multùm accedat ad virtutem obedientiæ, non est tamen formaliter eadem virtus cum obedientia. Prior pars vel ex ipsis Philosophi verbis patet, qui Iustitiam hanc in eo ponit, quòd legibus quis pareat. Altera tamen probatur: Quia etiam in principe est Iustitia legalis, non tantùm respectu sui superioris, sed simpliciter: neq; solùm effectiuè, quomodo etiam vniuersalis obedientia in eo considerari queat, quia curat vt subditi seruent leges; sed formaliter: obedientiam enim ciuium materialiter curat, quatenus ea ad hoc conducit, vt pars vnaquæque aptetur bono vniuersi, iustaq; commensuratione respondeat. Itaq; obedientia & hæc Iustitia materiæ generalitate conueniunt, sed formali ratione differunt. Obedientia enim idem opus superiori exhibet vt præceptum, quod Iustitia legalis exhibet vt debitum; quæ facilè videmus esse distincta, etiamsi frequenter contingat & debitum oriri ex præcepto, & præceptum ex debito.

### DVBIVM III.

*Quid sit Iustitia?*

VLPIANVS L. Iustitia. ff. De Iustitia & Iure definit hoc modo: *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Quam definitionem ita S. Thomas interpretatus est, quasi hic sit sensus: Iustitia est habitus, secundùm quem aliquis constanti & perpetua voluntate ius suum vnicuique tribuit. Voluntas enim & actum & habitum significare poterat, sed constās volūtas vix sine habitu poterat intelligi. *Perpetua voluntas tribuendi*, idem est quod voluntas perpetuò tribuendi, vt *constans* ad habitum pertineat, qui semper sibi par est, immobilis aut motu difficilis; *perpetua* autem ad obiectum transferatur. *Quid Iustitia.*

Voluntas ergo perpetuò cuique ius suum tribuendi non erit Iustitia, nisi sit in habitum confirmata: constans etiam voluntas ius suum semel alicui tribuendi, nondum erit Iustitia, sed oportet sit voluntas perpetuò & vnicuique tribuendi.

Ius cuiusque intelligimus, quod simpliciter loquendo, aut, vt alij dicunt, stricta obligatione proximo debetur. Neque enim liberalitas, gratitudo, misericordia, charitas aut virtus vlla Theologica, quæ non ius proximi, sed Deum habet pro obiecto, hac definitione comprehenduntur. Ius suum cuique tribuit, qui quod ratione Iuris debetur, habenti relinquit, & non habenti vt habeat, quatenus sibi incumbit, ad æqualitatem procurat. Tribuere enim ius hîc non est concedere & creare in aliquo nouum ius, sed potiùs non contrauenire & satisfacere iuri priùs habito.

Vnde colligas, Non solius iudicis Iustitiam hîc definiri; neq; tamen definiri religionē, pietatem, aut obseruantiam: quia hæ virtutes sunt ad illos, quibus æquale reddi non potest, quamuis D. August. l. 19. de Ciuit. c. 21. ita extēdat hanc definitionem, vt etiam virtutes istas complectatur. Eadem pænè erit ratio de Iustitia legali. Cùm enim in ea pars reddat debitum toti, facilè excludi intelligitur eo ipso quo numquā reddit ad æqualitatem; ita enim soluit, vt numquā persoluat, quod & de charitatis debito ex Apostolo docent Theologi.

Denique, vt generatim semel dicamus, ad Iustitiam hîc definitam tria ferè concurrunt. Vnum, vt is cui ius suum tribuitur, perfectè alius sit: secundò, vt simpliciter ei debitum sit: tertiò, vt ad æqualitatem ei reddatur. *Quæ Iustitia hîc definita sit.*

Vnde inprimis generatim colligo, Hanc definitionem non conuenire Iustitiæ simpliciter, & Iustitiæ secundùm quid, vniuocè, sed solùm analogicè; simpliciter autem conuenire soli Iustitiæ commutatiuæ.

Colligitur secundò, Iustitiam quæ est inter dominum & seruum, patrem & filium, hîc non comprehendi, vt quæ non sit perfectè ad alterum, cùm seruus sit in rebus domini, & filius sit aliquid patris: formaliter tamen hoc intelligendum est; sunt enim quædam, verbi gratia, vita, membrorum integritas, quæ ex propriè dicta Iustitia debet relinquere dominus seruo, pater filio, tamquam alteri personæ; & quidam etiam contractus inter eos consistere possunt, qui ex Iustitia commutatiua vtrimque seruandi sint.

Colligitur tertiò, Non nisi analogicè contineri hîc Iustitiam distributiuam: quod enim illa tribuit, non est Ius strictæ obligationis.

Colligitur quartò, Iustitiam vindicatiuam propriè etiam & directè hac definitione non cōprehendi; comprehenditur tamen reductiuè. Sicuti enim in vnoquoque homine iustum est cuique tribuere quod ei debetur, ita iudicis est, eo quemque priuare bono, quo debet carere, quodque ob iniuriam & inæqualitatem quam posuit, quasi nimium habet secundùm leges, vt Philosophus considerat 5. Ethic. cap. 4. & quod eiusdem moris est, illud infligere mali, quo puniri meritus est. Hinc D. Thomas quæst. 108. art. 2. ad 1. docet punitionem peccatorum, prout pertinet ad publicam Iustitiam, esse actum Iustitiæ commutatiuæ & 3. parte quæst. 85. art. 3. dicit, vindicatiuam Iustitiam contineri sub commutatiua. Quamuis autem Iustitia vindicatiua vtatur modo quodam Iustitiæ commutatiuæ, præsertim in pœna talionis; reuerà tamen videtur potiùs esse

pars quædam Iustitiæ legalis, quatenus ea architectonicè est in principe: sic enim in ea licet considerare aliquid quod respondeat appetitui cõcupiscibili, quo directè curetur, vt subditi leges seruent; & aliquid quod respondeat parti irascibili, quo caput multitudinis commune bonum turbantes, in ordinem redigat iusta animaduersione. Hactenus tamen etiam in particulari homine erit Iustitia vindicatiua, quòd eam quisque vindictam à iudice desiderare possit, quam bonum commune postulat, & grauitas delicti patitur, ne excedatur in pœna. Vnde differentia quædam colligitur iudicis & priuati, quoad modum Iustitiæ commutatiuæ in Iustitia vindicatiua: quia ex Iustitia iudex, quando ita postulat bonum reipublicæ, tenetur punire fontes digno supplicio; priuatus autem ex Iustitia solùm tenetur non velle vt vltra cõdignum quis puniatur. Vnde sequitur, quando princeps aliter consulere potest bono reipublicæ, quàm puniendo fontes (quod Deus semper potest) ex Iustitia etiam ipsum ad illud non teneri, sicuti nec Deus. Indicauit hanc vindicatiuã Iustitiam Apostolus 2. ad Thess. 1. *Si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant.*

*Quando princeps nõ teneatur punire fontes.*

Hoc obseruandum in hac Iustitia vindicatiua, potiùs Iustum quàm Ius in ea reddi: neque enim reus ius habet vt puniatur, quia neminem sibi habet obnoxium; sed ipse obnoxius est, & iustum est ipsum puniri: alius tamen ius habere potest, vt hic puniatur. Itaque si puniatur, fit Iustitia ei qui puniri merebatur; si non puniatur, non fit ei iniuria; si puniatur, reparatur iniuria facta læso, & sic fortè ei ius suum redditur. Sed neque hæc consideratio in Deo vindictam exercente locum habebit, cui rectè dicit Anselmus Prosol. cap. 10. *Cùm punis malos, iustum est, quia illorum meritis consonat; cùm verò parcis malis, iustum est, non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuæ condecens est.*

*Hominis ad seipsum non est Iustitia.*

Colligitur quintò, Hominis ad seipsum non esse Iustitiam, adeoque quomodo ea distinguatur à reliquis virtutibus cardinalibus, & vniuersim omnibus moralibus: aliis enim virtutibus seipsum homo in se benè ordinat, & Iustitiam quamdam metaphoricam seruat, vt pars inferior superiori seruiat; per Iustitiam autem seipsum & suas actiones componit in ordine ad alterum, vt suum vnicuique tribuat: vnde Philosophus Iustitiam vocat alienum bonum. Hinc etiam fit, vt Iustitia non versetur circa passiones, aut circa medium rationis, sed circa medium rei: reliquæ enim virtutes non habent ex parte rei certum medium, sed illud expectant à rationis dictamine: verbi gratia, temperantia non habet in particulari certam quantitatem cibi aut potus; sed illam sibi præfigendam expectat à ratione, considerata persona & reliquis circumstantijs: at Iustitia non respicit personas, neque ita per circumstantias euagatur, vt incerta sit quantitas rei præstandæ, donec iudicio rationis æstimetur; sed ex parte rei æqualitatem quamdam anticipatam habet, quam ratio sequatur: vt qui operam præstiterit vt decem, recipiat mercedem vt decem, siue pauper fuerit siue dives. Fieri tamen potest, vt ex habitu Iustitiæ passiones suas quis moderetur, si illæ inclinabant, verbi gratia, ira aut metus, ne cui quod suum est reddatur.

*Iustitia versatur circa medium rei.*

## DVBIVM IV.

### *An Iustitia particularis rectè diuidatur in Distributiuam & Commutatiuam?*

RESPONDEO affirmatiuè ex Philosopho 5. Ethic. 2. D. Thoma quæst. 61. art. 1. Probatur ex definitione Iustitiæ, quæ saltem analogicè conuenit etiam distributiuæ. Si enim Iustitia sit, quæ cuique quod suum est tribuit, duplex erit Iustitia. Vel enim tribuit pars parti quod suum est, vel distribuit totius communitatis nomine quispiam aliquid alteri vt suum sit: quia attẽta proportione eius cum reliquis membris, hoc ei ex iusta distributione de bonis communibus obuenire debeat. Priori modo resultat commutatiua, posteriori distributiua.

Secundò, Idem ex Iuris diuisione confirmari potest. Ius enim quod cuique suum tribuit, Iustitia, vel proprium eius est; ita vt iam, quando res tribuenda est, eius habeat dominium, aut tale ius ad eam, quod æquiparari possit dominio; vel tale est, vt ipsa distributione demum ita ei proprium fiat, cùm anteà solùm remissius quoddam ius ad illud habeat tamquam pars ad bonum comunitatis. Perfectum illud Ius parit Iustitiam commutatiuam, alterum autem remissius distributiuam.

Tertiò, Idem licebit colligere ex æqualitatis distinctione. Quando enim cuique ius suum tribuitur ad æqualitatem, vel æqualitas illa est tantùm inter id quod ipse præstitit, & quod accipit; vocaturque æqualitas seu proportio Arithmetica: vel sanè æqualitas in eo sita est, vt ea sit proportio accepti à Petro ad acceptum à Paulo, quæ est præstiti à Petro ad præstitum à Paulo, quam vocant æqualitatem Geometricam. Priotem seruat commutatiua, posteriorem distributiua Iustitia. Cùm enim hæc quod ex communi bono tribuit non inueniat appropriatum huic potiùs quàm illi; vt iustè appropriet, curare debet, ne huic parti dando habeat plus qui minùs dignus est, aut minus habeat qui dignior est. Qua circumspectione quia vtitur collator, etiam quando vnus solùm dignus est beneficio Ecclesiastico, patet etiam tunc eiusmodi collationem ex Iustitia distributiua fieri.

*Æqualitas Arithmetica & Geometrica.*

Quartò, Idem confirmabitur ex peculiari difficultate quæ est in seruanda æqualitate illa Geometrica. Plura enim simul consideranda sunt, quàm si solùm inuenienda esset æqualitas Arithmetica; sicuti facilius & simplicius est numerare, quàm ad numeros Musicos canere. Sicutiergo Musica aut Geometria, quæ magis compositum habent obiectum, differunt specie ab Arithmetica, cuius obiectum est simplicius; ita distributiua Iustitia differet specie à commutatiua.

Circa hanc diuisionem notandum est, Non sufficere ad Iustitiam distributiuam, quòd ex bonis communitatis particularibus aliquibus quidpiam distribuatur. Fieri enim potest, vt stricto Iure id eis debeatur, puta ratione conducti & locati: quomodo militibus respublica distribuit stipendia pro meritorum diuersitate. Neque tamen ibi Iustitia est distributiua, sed commutatiua. Si enim seruetur proportio Geometrica, seruatur tamen propter se solùm Arithmetica, quamuis inde consequatur ibi etiam altera. Ius ergo quod reddit Iustitia distributiua, natura sua tale est (quia



(quia ex communi bono venit) vt antequam huius esse decernatur, adeoque illi tribuendum sit, videndum sit quam ipse proportionem habeat cum alijs eiusdem communitatis partibus, ne fortè dignior inueniatur cui fieret iniuria opposita Iustitiæ distributiuæ. Quando tamen quod tribuitur diuidi non potest, puta officium aut beneficium, ex æquè dignis quibus nemo alius est dignior, eligens alterum collator, non committit iniustitiam aut acceptionem personarum.

Notandum Secundò, & patet ex dictis, Non rectè quosdam dixisse, Iustitiam distributiuam semper oriri ex commutatiua, quasi violari non posset distributiua, quin violetur commutatiua; neque obligari quis possit ad distribuendum aliqua ex Iustitia distributiua, quin obligetur ad idem ex commutatiua; imò vt benè ostendit Suarez opusculo de Iustitia Dei, hoc est tollere hanc diuisionem Iustitiæ in commutatiuam & distributiuam.

Notandum Tertiò, Aliquando in eamdem materiam concurrere vtramque Iustitiam: vt si quis accipiat à republica centum, distribuenda decem certis pauperibus secundùm proportionem meritorum & paupertatis cuiusque, is tenebitur ita distribuere ex vtraque Iustitia; ex commutatiua quidem, quia ad certam & aliquotam partem totius summæ singulis illis pauperibus quæsitum est Ius strictum, dominio æquiparabile; ex distributiua autem, quatenus ipse censetur hîc manus reipublicæ, ex cuius ærario tali proportione pauperes isti Ius quoddam remotius habebant tantundem percipiendi.

## CAPVT II.

### *De Iuris acceptionibus, definitione, & diuisione.*

*D. Thomas quæst. 57.*

QVOMODO Iustitia, ita & Ius non vno modo dicitur. Aliquando enim sumitur, vt idem sit quod Iustum legale, vt nimirum respondeat Iustitiæ quæ omnem virtutem complectitur, sitque idem quod legitimum, seu legi conforme. 2. Machab. 9. *Iustum est subditum esse Deo.* Strictiùs aliàs accipitur, vt opponatur iniuriæ quæ committitur in proximum per aliquam inæqualitatem; quod Ius quia legibus & sententijs iudicum præscribitur, ipsæ leges & sententiæ, etiam iniquæ, Iuris nomine appellantur. Vlpianus Digest. de Iustitia & Iure L. 1. Ius vocat artem boni & æqui. vbi Ius pro notitia Iuris sumitur, vt Ius sit collectio præceptorum naturalium & positiuorum. Nos hîc de Iure agimus vt opponitur iniuriæ; sic enim est obiectum Iustitiæ.

*Ius variè accipitur.*

## DVBIVM I.

### *An Ius siue Iustum dici possit sine conformitate ad rectam rationem, & sine bona dispositione operantis?*

D. THOMAS quæst. 57. art. 1. duo hac de re dicit in speciem contraria. Vnum est, Rectum quod est in opere Iustitiæ præter comparationem ad agentem, constitui per comparationem ad aliud. Alterum est, Iustum aliquid dici, etiam non considerato qualiter ab agente fiat. Priori dicto videtur velle, Iustum non dici, nisi quod iustè exequimur & recta intentione: posteriori idem videtur negare.

Sed respondeo vtrumque esse verum: Si enim consideres Iustum vt præcisè distinctiuum virtutis Iustitiæ à reliquis virtutibus, non inuoluit rectam intentionem operantis: non enim sumitur in ordine ad subiectum, sed in ordine ad alterum; sicuti relatiuum quatenus tale, solùm dicit respectum ad terminum. Si autem consideres vt obiectum Iustitiæ, non tantùm quatenus Iustitia est, sed etiam quatenus virtus est, inuoluit & conformitatem ad rectam rationem. Simile ferè est in relatiuis accidentibus, quæ vt accidentia, respiciunt subiectum; vt relatiua, terminum.

Hinc patet, quare potiùs opus iustum dici queat quod non sit recta intentione, quàm temperatum, forte, aut prudẽs; nimirum, quia tres istæ virtutes medium rationis respiciunt, Iustum autem seu Ius solùm dicat medium rei: hinc enim fit, vt Ius etiam non rectè redditum, tollat deformitatem quam ex suo genere Iustitia, quatenus benè hominem ad alterum disponit, tollere debet. At verò dum ab excessu in cibo aut potu abstinetur ex auaritia, non tollitur generica illa deformitas, quam ex genere suo temperantia, quatenus est virtus hominem in seipso benè disponens, tollere debet.

## DVBIVM II.

### *Quid sit Ius quod dicitur esse obiectum Iustitiæ?*

*Quid Ius?*

RESPONDEO; Ius est facultas ad rem quampiam obtinendam, vel ad functionem aliquam, aut quasi functionem quæ sine iniuria non violetur. Vel, vt distinctiùs alij, Ius est facultas quædam aliquid faciendi, obtinendi, retinendi, vtendi, accipiendi, aut pro voluntate sua se ad aliquam rem habendi, cui si fine legitima causa contraueniatur, iniuria fit eam habenti. Facultas aliquid faciendi, verbi gratia, incedendi via publica: facultas obtinẽdi, puta beneficiũ, officium, &c. retinendi, verbi gratia, possessionem agri proprij: vtendi re sua: accipiendi etiam quod gratis datur, qualem habẽt pauperes ad eleëmosynam & quisque ad rem ex liberali donatione aut testamento sibi relinquendam: facultas pro voluntate sua se ad aliquam rem habendi, verbi gratia, vt pauper possit petere eleëmosynam.

Dicitur in definitione, futuram iniuriam quando sine legitima causa contraueniat. Primò, Quia facultas liberi arbitrij, qua quis potest alteri iniuriam inferre, non est Ius, vt quæ semper impediri possit sine ipsius iniuria. Secundò, Quia potest sine iniuria Iuri cuiuspiam contraueniri, propter maius reipublicæ bonum, aut alia legitima de causa.

*Iuris obiectum.*

Hæc quidem legitima Iuris descriptio: sed Notandum, illud Ius non esse propriè obiectum Iustitiæ, sed potiùs quod ratione eiusmodi Iuris debetur quatenus tale, quod debitum nomine Iuris in definitione Iustitiæ intelligimus. Neque enim reddimus aut auferimus Ius hîc definitum proximo, quando iustè aut iniustè cum eo agimus; sed quod secundùm illud Ius ei debetur:

adeò vt etiam dum quis Iure suo per iniuriam spoliatur, fingatur semper aliud Ius habere ad illud Ius retinendum quo non spoliatur: implicat enim, per iniuriam ita alicui Ius auferri, vt simul retinendi Ius non retineat.

Notandum Secundò, Ex eo quòd Iustitia sit ad alterum, consequés esse, Iustitiam, & Ius quod eius est obiectum, in diuersis hominibus esse considerandа. Ex quo consequens est, non esse actum Iustitiæ, si quis rem suam sibi vendicet, aut Ius suum exactius sibi reddi curet.

## DVBIVM III.

### *Quomodo Ius sit diuidendum?*

*Diuiditur Ius.*

DIXIMVS Ius esse potestatem quamdam legitimam. Inde oritur duplex modus Ius diuidendi. Vel enim diuiditur hæc facultas vt est legitima, id est, lege concessa; vel vt est facultas seu potestas. Priori modo diuidendum est Ius secundùm legis diuisiones. Primò itaque diuidetur in naturale & positiuum. Positiuum autem in diuinum & humanum. Denique humanum in Ius gentium, ciuile, & canonicum.

*Ius naturale.*

Ius naturale definit Philosophus, Quod vbique gentium idem valet, non quia ita decretum sit, vel non decretum: Ius enim naturale oritur ex natura rationali & conditione naturali operum; res autem eædem sunt apud omnes.

*Positiuum.*

Positiuum autem seu legitimum, Quod ab initio hoc an illo modo fiat, nihil refert; cùm verò constitutum fuerit, tunc demum refert.

Vbi Notādum, Quę Iure naturę prohibita sunt, prohibita esse quia mala; quæ autem Iure positiuo, contrà mala esse, quia prohibita: item necessitatem boni in Iure positiuo oriri ex præcepto, in naturali autem contrà ex necessitate oriri præceptum.

Notandum Secundò, Ius naturale etiam complecti nonnulla quæ ordinis sunt supernaturalis, quando contra positiuum distinguitur; illa nimirum, quorum obligatio non oritur præcisè ex natura rei & ipsius hominis, sed ex natura rei & hominis, præsuppositа positiua Dei ordinatione, qua hominem ad statum gratiæ elevat: atque ita Iuris naturæ est, credere, sperare, amare supernaturaliter. Vnde poterit hîc distingui Ius naturale in Ius naturale simpliciter, & Ius connaturale gratiæ, quod aliqui vocant Ius naturale diuinum.

*Ius naturale diuiditur.*

Notandum Tertiò, Et aliter posse ea diuidi quæ Iuris naturæ sunt, in mutabilia & non mutabilia. Mutabilia erunt, quæ adæquatè in se non includunt causſam, ob quam necessariò vel amplectenda sint vel fugienda; vt depositum reddere, duas vxores habere: naturaliter enim illud bonum, istud malum, eò quòd plerumque coniunctæ sint circumstantiæ, cum quibus alterum necessarium, alterum perniciosum natura sua sit, sicut dextera manus plerumque fortior est. Possunt tamen circumstantiæ concurrere, quibus illud fiat illicitum, vt si furiosus depositum deposcat; & istud licitum, vt factum est in Patriarchis. Neque tamen omnino hîc est similis mutatio, qualis in lege positiua. Quando enim mutatur Ius naturale, non mutatur lex naturalis, sicuti quando mutatur Ius positiuum, mutatur lex positiua: numquam enim fuit præceptum, reddere depositum tali furioso.

*Ius diuinum.*

Ius positiuum diuinum est, quod Deus præter Ius naturale, aut Christus condidit, siue angelico, siue humano ministerio, siue per se.

*Ius humanum.*

Ius humanum, quod homines potestate à Deo accepta tulerunt.

*Ius gentium.*

Ius gentium est Ius positiuum, omnium aut multarum gentium consensu in societatis humanæ vtilitatem constitutum. Quomodo autem Ius gentium positiuum sit, diximus 1. 2. quæst. 95. art. 4.

*Ius ciuile.*

Ius ciuile est, quod conditum est per Magistratum ciuilem. Neque enim hîc tam latè accipitur, vt contineat omne Ius quo ciues vtuntur, sicuti accepit Philosophus 5. Ethic. capite 7. quando Ius ciuile diuidit in naturale & legitimum.

*Ius Canonicum.*

Canonicum, quod conditum est per Magistratum Ecclesiasticum. Latè enim hîc accipimus, vt non tantùm complectatur Ius Pontificium, pertinens ad regimen vniuersalis Ecclesiæ, sicut aliquando accipitur.

Altero autem modo, vt est potestas seu facultas, Ius diuiditur in Ius in re & Ius ad rem. Qua distinctione vsus est Pontifex Clementina vnica De sequestratione possessionum.

*Ius in re.*

Ius in re, est Ius circa rem aliquam, ad quod res ipsa deuincta est, paritque actionem realem.

*Ius adrē.*

Ius ad rem, est Ius circa rem aliquam, ad quod res ipsa nondum est deuincta, paritque actionem personalem.

Iuris in re perfectissima quædam species est Dominium, de quo sequenti capite. Nihil enim nobis magis est deuinctum, quàm cuius habemus dominium.

Ex his colligitur, Ius ad rem interdum esse circa rem nondum existentem, non autem Ius in re.

Secundò, Ius ad rem oriri mox facta venditione; Ius autem in re non sequi nisi facta traditione. Vnde si vnam rem duo emant, & posteriori tradatur, solus posterior habet Ius in re; prior autem solùm habet Ius ad rem, & actionem personalem in venditorem.

Tertiò, Eriam creditorem habere circa pignus Ius in re, quamuis non tam perfectum, vt propterea aliqui malint vocare Ius in rem.

Postremò sequitur, Ius ad rem esse debilius, & faciliùs amitti quàm Ius in re, vt obseruat Glossa in Clementinam vnicam De Clericis coniugatis.

*Alia diuisio Aequale.*

Præter has Iuris diuisiones diuidi potest Ius, vt aliud sit æquale, aliud inæquale. Æquale, quod est inter æquales, & quod perfectè æquale vtrimque reddit; quale est ciuium inter se. *Inæquale.* Inæquale, quod est inter inæquales, neque æquale vtrimque reddi potest; quale est inter patrem & filium, dominum & seruum, quoad illa in quibus seruituti subiectus est: nam quoad alia, potest esse inter eos Ius æquale: Et quamuis creatura in omnibus Dei seruituti obnoxia sit, poterit tamen homo, supposito Dei pacto, ex Iustitia apud Deum mereri vitam æternam, sed non ex rigida Iustitia; adeoque Ius quoddam poterit habere ad eiusmodi à Deo accipiendam mercedem, sed non rigidum & exactum.

CA-



# CAPVT III.

## *De Dominio, Titulo dominij, & Possessione.*

## DVBIVM I.

### *Quid sit Dominium?*

*Dominium*

RESPONDEO; Dominium est Ius in re ad quemlibet eius vsum, nisi lege prohibeatur. Ita communiter DD. Neque tamen in hoc sequendi Iurisperiti, quòd restringant definitionem ad dominium rei corporalis: redituum enim dominium etiam hîc comprehendi certum est, vt alia omittamus.

Genus dominij, est Ius in re: omne enim dominium est Ius in re, non contrà. Nam etiam creditor, vt suprà dixi, habet Ius in re, in pignore; non tamen habet dominium. Essentialiter autem dominium esse Ius in re, non tantùm causſaliter, vt voluit Molina. Patet, Quia verè nihil aliud est esse alicuius rei dominum, quàm potestatem habere legitimam, ea tamquam propria vtendi. Potestas itaque ipsa seu Ius, dominium ipsum est.

*Obijcitur.* Sed obijcit Molina Primò, Non æquè rectè dixeris, Quia Petrus habet potestatem disponendi de hac re, est eius dominus; sicuti dicis: Quia Petrus est dominus huius rei, plenam habet de ea disponendi potestatem: ergo prius natura est esse dominum, quàm habere hanc potestatem.

2. Secundò, Potes amico concedere potestatem ad omnem vsum rei tuæ, retento tibi dominio: ergo hæc potestas non est dominium.

3. Tertiò, In emphyteusi manifestum est retineri dominium abdicata potestate vtendi; est ergo dominium distinctum ab hac potestate.

*Resp. ad Obiectiones.* Respondeo ad Primum, Istius modi loquendi non illam esse rationem, quòd dominium sit aliquid prius Iure quomodolibet vtendi; sed potiùs illam, quòd actualis illius vsus legitimi causſa sit dominium, sicut habitus aut potentia sui actus: quomodo dicimus, hominem posse intelligere aut videre, quia intellectum habeat aut visum, etiamsi intellectus aut visus nihil sit aliud, quàm intelligendi aut videndi potentia.

Ad Secundum respondeo; Qui in amicum transfert omnem potestatem independenter à se vtendi re sua, adeoque quomodolibet de ea disponendi, abdicat se eius dominio; quod retinere potest, si dumtaxat nomine suo vtendi, aut etiam alienandi quasi procuratori, mandatario, aut negotiorum gestori amico faciat potestatem.

Ad Tertium respondeo; Dominium directum, quod retinet qui rem dat in emphyteusim, non est dominium hîc definitum, vt infrà patebit.

Dico, *ad quemlibet eius vsum*, latè sumendo vsum, vt comprehendat omnem dispositionem de re, atque etiam abusum, alienationem, destructionem. Abusum inquam, hoc est vsum quo res consumitur: quo modo & Imperatoriæ leges, & Canones voce ista vtuntur; quamuis propter illam locutionem multa contra Ioannem XXII. scripserit Ockam in Opere 90. dierū.

Ius enim vsuarij & vsufructuarij hoc differt à dominio, quòd tantùm sit Ius vtendi & fruendi re, salua substantia. Eadem parte excludimus Ius dominij directi, de quo infrà: item Ius hypothecæ; non enim potest creditor hypothecam aut pignus vendere.

Dico, *nisi lege prohibeatur*. Quia leges iustis de causſis interdicunt quibusdam vsum rerum, quarum eis relinquunt dominium. Sic infans nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium. Sic primogenitus primogenituræ suæ siue maioratus plenè dominus est, etiamsi maioratus bona lege vinculata sint, vt loquuntur, ita vt alienari nequeant. Galat. 4.

## DVBIVM II.

### *Quid Vsus, Vsusfructus, & reliqua imperfecta Dominia.*

*Dominium directum. Dominium vtile.*

PRÆTER dominium iam definitum, sunt alia quædam quæ dominij nomine censentur, quamuis reuerà sint solùm pars illius pleni dominij. Eiusmodi est dominium directum, & dominium vtile. Dominium directum hîc vocamus nudæ proprietatis siue vsu fructu: dominum vtile est Ius vtendi sine proprietate eiusmodi, vt impediat quò minùs proprietarius plenum rei dominium habeat. Tale dominium habet emphyteuta, libellarius, id est, qui bona habet in emphyteusim ab emphyteuta, item superficiarius, saltem perpetuus, feudatarius, atque etiam vsufructuarius.

*Vsus fructus.*

Vsusfructus est Ius vtendi fruendi, salua rei substantia. Dicitur *Ius vtendi*: neque enim per vsumfructum hîc intelligimus ipsum actū vtendi aut fruendi, sed Ius. Distingunt enim vsumfacti ab vsu, vt hîc accipitur siue Iure ad factum.

Secunda pars, *vtendi fruendi*, excludit Ius hypothecę, & nudi vsus. Qui enim hypothecam habet aut pignus, non potest eo vti; qui vsum habet rei, non continuò habet ius ad fructus eius: at qui vsumfructum habet, ita habet ius ad fructus rei, vt eo ipsi quo illos colligit faciat suos, quamuis antequam colligantur, sint obnoxij domino directo, adeò vt ei cedant si contingat mori vsufructuarium.

Dicitur, *salua rei substantia*, quia vsufructuarius non potest rem destruere aut alienare, sed tenetur ita frui & vti, vt salua maneat domino. Vnde etiam patet, quare vsumfructum statuant in rebus alienis, non in proprijs. Hinc etiam fit, vt vsusfructus in illis rebus constitui non possit quarum vsus est abusus, id est, quæ ipso vsu absumuntur. Vbi tamen remedium inuentum dicit Iustinianus, vt per cautionem de sarciēda semper & integra seruanda sorte etiam in pecunia, non quidem vsusfructus, sed quasi vsusfructus constituatur. Ex eadem causſa euenit, vt quando vsufructuarius proprietatem rei acquisierit, quę dicitur consolidatio, vel quando vsumfructum proprietarius, vsusfructus finiatur.

*Vsusfructus quibus modis extinguatur.*

Ne autem inutiles sint proprietates, varijs præterea modis extinguitur vsusfructus. Primò morte vsufructuarij naturali vel ciuili. Ciuilis mors quæ vsumfructum extinguat est, vel maxima diminutione capitis, vel media. Maximam dicebāt, quando quis ciuitate simul & libertate exuebatur; puta, capitis damnatus, aut ad bestias, aut ad metalla: mediam, quando libertas quidem retinebatur, sed ciuitas amittebatur; quod in deportatis & perpetuò proscriptis locum habebat.

Secundò, Extinguitur vsusfructus præscriptione decem annorum inter præsentes,& viginti inter absentes.

Tertiò, Si ædes perierint incendio,terræ motu, vel etiam vitio suo; ne areæ quidem vsusfructus debetur.

Quartò, Si pater fiat hæreticus, amittit vsumfructum in bonis aduentitijs filij nondum emancipati.

Ab efficiente caussa vsusfructus diuiditur in legalem & conuentionalem. Legalis est qui lege constituitur. Conuentionalis, qui priuata dispositione,verbi gratia,testamentaria.

*Vsus.* Vsus est Ius vtendi re aliena,salua eius substantia. Omnia quæ vsusfructus in sui ratione includit, etiam vsus includit,eo excepto, quòd minus Iuris sit in vsu, quàm in vsufructu: extendit enim se dumtaxat ad nudum rei vsum, non ad fructus; imò & in ipsum vsum multo restrictius est Ius vsuatij: neq; enim potest alteri vsum concedere, locare, vendere, quod potest vsufructuarius, vt dicitur Institut. De vsu & habitatione. vbi aduertit Molina, domus habitationem esse ius quoddam medium inter vsum & vsumfructum. Sanè maius esse vsu,manifestum est. Quia qui habitationem habet,potest alteri locare,neque tamen proinde minus vsufructu ostenditur: nam quòd sola morte finiatur habitatio, vsusfructus autem alijs modis, aliud quidem, non tamen minus in habitatione Ius ostendit.

DICO, *re aliena*, quia in re propria Iurisperiti non considerant domini formalem vsum, sed vocant vsum caussalem, qui nimirum caussetur à dominio cui coniungitur.

## DVBIVM III.

### *Quid sit Dominium altum, item Dominium iurisdictionis?*

*Diuiditur dominium. Bassum. Altum.* PRÆTER dominium quod ciuis quisque habet in res suas, quod bassum seu propinquum dicunt, est aliud reipublicæ & principis in easdem res, quod altum seu remotum dicitur, neque impedit dominij propinqui perfectionem: sunt enim diuersi ordinis & subordinata, sicuti quòd cælum sit caussa generationis, non impedit perfectionem caussæ particularis. Neque tamen quoad omnia dominium altum perfectius est, sed quodammodò se mutuò excedunt. Propinquum enim in eo superat, quòd expeditius sit ad vsum; altum verò præstantius est virtute & efficacia: in necessitate enim ei cedit propinquum. Dominij alti ius reddit Iustitia legalis, propinqui particularis.

*Personarũ.* Distinguunt etiam dominium in personarum, & rerum. Personarum vocant iurisdictionis quod habet superior Ecclesiasticus aut ciuilis in homines liberos. *Rerum.* Rerum dominium in possessiones habetur, siue personæ sint, vt mancipia, siue iumenta, siue res inanimatæ. Dominium iurisdictionis non est in commodum domini sicut dominium rerum.

*Diuiditur dominium personarũ.* Diuiditur dominium iurisdictionis in sæculare & Ecclesiasticum, quamuis iurisdictio Ecclesiastica ideò minùs dominij nomine soleat appellari, quia magis est in vtilitatem subditorum, quàm ciuilis.

Diuidunt etiam dominium iurisdictionis in altum, verbi gratia Imperatoris; & medium verbi gratia Ducis Imperatori subiecti; & infimum, quale erit verbi gratia Comitis, subiecti tam Imperatori quàm Duci.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm in rebus vsu consumptibilibus Dominium distinguatur ab vsu, seu Iure vtendi?*

AGITATA fuit hæc quæstio tempore Ioannis XXII. occasione Ordinis Minorum,qui profitentur, se neque in communi neque in particulari habere alicuius rei dominium. Quod refutare volens Ioannes XXII. dicebat,saltem in rebus vsu consumptibilibus,puta cibo & potu,non posse id esse verum, eò quòd in talibus vsus, quem constat habere Minores, à dominio non possit separari: quod multis argumentis confirmat in sua hac de re Extrauaganti, quæ incipit, Ad conditorem. De verborum significatione, & duabus sequentibus. *Opinio Ioannis XXII.*

Altera sententia est huic contraria, etiam in talibus rebus vsum posse distingui à dominio; cui multi alij Pontifices fauẽt. Michael enim Generalis Minorum,in Epistola ad Ludouicum Imperatorem, enumerat nouem, videlicet Gregorium IX. Innocentium IV. Alexandrum IV. Clementem IV. Gregorium IV. Martinum itidem IV. Nicolaum III. Bonifacium IIX. & Clementem V. Videri potest Nicolaus III. capit. Exijt. De verborum significatione lib. 6. & Clementina Exiui. eodem tit. *Aliorum sententia.*

Sit vnica ASSERTIO, In rebus quæ vnico actu absumuntur, Ius vtendi independens, quem vocant vsum Iuris, non distinguitur à dominio; Ius autem vtendi à voluntate alterius dependens, ita distinguitur à dominio, vt ille alter possit sibi seruare proprietatem seu dominium, concesso vsu facti alteri,qui non fiat rei dominus.

Probatur, Quia eiusmodi vsum habent illi qui renuntiarunt omni proprietati seu dominio, vt Minores de Obseruantia & Capucini,qui ne quidem in communi bona illa possident, vt patet ex Trident. Can. 3. de Regularibus sess. 25. Confirmatur, Quia perfectior ille est gradus paupertatis, quando ne quidem in communi aliquid possidetur, vt docuisse Innocentium V. qui fuit Ordinis S. Dominici, ideoque in hac re maioris fidei, fatetur ipsemet Ioannes XXII. in Extrauag. Quia quorumdam. tit. suprà citato.

Secundò, Eiusmodi vsum facti, sine vsu Iuris & dominio,habent singuli Religiosi,etiam in alijs familijs: de essentia enim paupertatis votiuæ est, ne ciborum aut aliarum rerum vsum habeant omnino independentem à voluntate superioris. Habebant & fideles illi, de quibus Actorum 4. Lucas, *nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Cùm enim quædam etiam vsu consumptibilia possiderent, verbi gratia, cibum, quem vel maximè inter se communicabant,non tamen eum dicebant esse suum, quia omni dominio se exuerant.

Tertiò, Conuiuæ habent vsum facti ciborum appositorum, quorum tamen dominium manet apud hospitem. Transeuntes vineam poterant comedere vuas, Deuter. 23. quarum tamen proprietas erat apud dominum vineæ. Extremè indigus



digus potest alterius panem absumere,non tamen ei necessariò concedendum est eius dominium, vt diximus in materia De eleëmosyna.

Quartò, Vsus facti est aliquid minus quàm Ius vsuarij, in rebus istis consumptibilibus vsu. Qui enim habent solum vsum facti, potest sine iniuria à domino prohiberi, vtpote à quo semper dependeat in eiusmodi vsu.

*Obiect. pro prima sententia.* Obijcitur Inprimis auctoritas Ioannis XXII. in dicta Extrauag. Ad conditorem.

Respondeo, Pontificem lacessitum à Guilielmo Ockamo maximè intendisse, quòd Franciscani non habeant merum vsum facti, sed etiam Iuris, adeoque habere dominium. Quod vt probet, assumit, in rebus vsu consumptibilibus nec Ius vtendi, nec legitimum vsum facti posse separari à proprietate seu dominio. In quo si errauit, non errauit in re quæ ad fidem pertineat: quare potiùs credendum est Nicolao III. & alijs Pontificibus suprà citatis.

At inquies, In Extrauaganti Quia quorumdam, idem Ioannes statuit,vt quisquis contra definita, ordinata, seu facta per dictam Extrauagantem Ad conditorem, verbo vel scripto scienter aliquid approbauerit, tamquam contumax & rebellis Romanæ Ecclesiæ ab omnibus habeatur.

Respondeo, Rem de qua hìc agitur non esse ex definitis,ordinatis,aut factis in Extrauag. Ad conditorem: solùm enim ea definitur & statuitur, rerum vsu consumptibilium Franciscanis oblatarum dominium in posterum non esse Romanæ Ecclesiæ aut Pontificis, & alia quædam eódem pertinentia.

Obijcitur Secundò, Vsus est salua rei substantia: his rebus non vtimur salua substantia; ergo,&c. Confirmatur: L. 2. ff. De vsufructu earum rerum quæ vsu consumuntur,statuitur: Si legetur alicui vsus pecuniæ vel alterius rei vsu consumptibilis, etiam,ipsam pecuniam legari,quia nemo possit vti his rebus,nisi eas consumendo.

Respondeo; Vsus facti dependens à voluntate domini, non est salua rei substantia, sed vsus ille independẽs,de quo suprà. Posteriori modo de vsu loquitur lex citata, tum quia testator post mortẽ, non potest censeri dominium sibi pecuniæ reseruasse,tum quia absolutè supponitur donasse.

Obijcitur Tertiò, Ex hac doctrina sequi, vsuram fore licitam, vt docet D. Thomas quæst. 78. art. 1. Poterit enim mutuans, diuendito priùs vsu pecuniæ,posteà aliquid vltra sortem exigere quasi pretium dominij.

Respondeo; Si quis vsum pecuniæ suæ dependentem à voluntate sua minoris vendiderit quàm ipsa pecunia valeat, potest posteà pro dominio ipso pecuniæ, tantum accipere sine vsura, quantum pretio pecuniæ deerat: vsus enim ille facti simul cum dominio adæquat valorem pecuniæ, adeò vt si mutuatarius sortem reddiderit, nihil possit exigi vlteriùs pro concesso dominio.

Obijcitur Postremò, Sequitur ex ista opinione, eleëmosynas Franciscanorum esse sine domino. Si enim dicas esse penes Papam earum dominium, id Ioannes XXII. excluſit, quando apertè renuntiauit. Neque dici potest,manere proprietatem apud priores dominos; tum quia absolutè donarunt, tum etiam quia fratres possunt eiusmodi donis pro suo arbitrio quomodolibet vti, non secùs ac si ipsi vel communitas ipsorum plenum eorum dominium haberet.

*Penes quem dominium rerum Minoritarum.* Respondeo;Ioannes abdicatis à Sede Apostolica dominium eiusmodi rerum ad Minoritas pertinentium, excepris Ecclesijs, oratorijs, officinis,habitationibus,vasis, libris, aut vestimentis sacris, vt patet in ipsa Extrauaganti: sed alij Pontifices rursus admiserunt, vt habetur in priuilegijs Minorum, verbo Paupertas. Hodie ego quidquid absolutè donatur Minoribus, transit in dominium Ecclesiæ, & sedis Romanæ, adeò vt sine iniuria possit eo Ordinem priuare Pontifex. Censetur autem absolutè donari, quamdiu aliud non exprimitur, neque facto vllo significatur, vt dicit Nicolaus III. in dicta Extrauaganti Exijt. Si autem hoc velit donator, dominium sibi retinet, concesso fratribus solo vsu. Neque tamen alius potest violentè auferre quod eiusmodi Minoribus fuerit donatum, vt rectè Nauarrus de reditibus Ecclesiasticis monito 15 Quia qui nomine alterius rem aliquam possidet, non potest sine iniuria ea per tertium priuari, vt patet in seruo & depositario.

Dices, Videri mirum, Religiosum, panem quem dentibus terit, nomine alterius possidere.

Respondet rectè Nauarrus suprà monito 12. non esse id magis mirum in Religioso quàm in seruo.

## DVBIVM V.

### *Quid sit Titulus?*

*Titulus.* TITVLVS est radix, fundamentum seu ratio fundandi, vnde manat relatio Iuris aut dominij. Verbi gratia, possidet quis regnum titulo electionis, successionis, emptionis, iure belli aut legitimæ præscriptionis. Neque tamen solus titulus ad dominium sufficit, sed præterea ordinariè requiritur traditio & apprehensio rei.

*Verus. Præsumptus.* Titulus alius verus, alius præsumptus. Verus, si à vero domino emam: Præsumptus, si à fure; quem tamen non improbabili ratione præsumo esse verum dominum Præsumptus quamuis non sufficiat ad dominium, multos tamen habet effectus, qui locum non habent in eo qui rem sine titulo possidet, quorum vnus illustris est, quòd sufficiat ad rem bona fide præscribendam, adeoque ad pariendum verum titulum. Imò aliquandò contingit ipsum præsumptum titulum esse verum, non quidem in se, sed quia præsumitur à lege vel legislatore. Publica enim præsumptio in quibusdam dat verum titulum, vt quando colonus post terminum conductionis maner domino tacente, Ius præsumit titulum reconductionis, ff. Locati & conducti. L. Item quæritur.

## DVBIVM VI.

### *Quid Possessio?*

*Possessio.* POSSESSIONEM à positione sedium deriuat Labeo, ff. De acquirenda possessione. L. 1. Id enim quisque possidere dicitur, cui insidet; & initio quam quisque occupasset terram, eius fiebat dominus: vt vel inde constet, quantum momenti conferat possessio ad dominij acquisitionem.

Definitur autem Possessio, detentio rei, corporis, animi, & Iuris adminiculo. Detentio etiam apprehensionem includit, quæ est inchoata quædam

dam detentio, ſicuti detentio eſt inſiſtentia quædam in re apprehenſa. Corporis adminiculo rem poſſidemus, quando eam corporaliter apprehendimus contactu, ingreſſu, conſpectu, vel ſimili modo; vel partem eius, vel aliquid vice eius, conſuetudine probatum: vt ſi particula terræ offeratur Eccleſiæ, quando fundus offertur, cenſetur Eccleſia poni in poſſeſſionē fundi. C. Ex litteris. De conſuetudine. Vbi Panorm. plures alios modos adfert, quibus artificio Iuris dominium transferatur ſine corporali traditione. Apprehendimus autem vel per nos, vel alium qui noſtras in eo vices ſuppleat; vel quia noſter eſt, puta ſeruus, vel quia ſe in hoc pro noſtro gerit: poſſumus enim animo ſimul & corpore alieno quidpiam poſſidere.

Animi adminiculo indiget poſſeſſio, quia debet fieri animo tamquam rem ſuam poſſidendi. Quare ſi theſaurus in fundo tuo lateat, & ignores, fundum poſſides, non theſaurum. Hinc amens aut puer poſſeſſionem ſibi acquirere non poteſt, quia affectionem tenendi non habet, ff. ſuprà, §. Adipiſcimur. Domino tamen poſſeſſionem ſeruus acquirere poteſt, etiamſi ipſe ſeruus ignorans poſſideat: cenſetur enim domini voluntate poſſidere. Ceterùm quamuis poſſeſſio non niſi animo ſimul & corpore acquiratur, ſolo tamen animo retineri poteſt & amitti.

Additur, Iuris adminiculo, quia Ius aliquando impedit, quo minùs corporalis apprehenſio rei etiam animo tamquam ſuam poſſidendi ſufficiat, vt quis eam poſſidere dici queat: verbi gratia, ſi laicus ita detineat locum religioſum. Vbi nota, hac particula non excludi poſſeſſionem iniuſtam.

## DVBIVM VII.

### *Quotuplex ſit Poſſeſſio?*

*Triplex Poſſeſſio.*

POSSESSIO triplex eſt, Naturalis, Ciuilis, & Ciuiliſſima. Naturalis & Ciuilis requirunt intentionem retinendi & poſſidendi rem vt ſuam: Naturalis requirit vt corpore teneatur, ſi ſit res corporea: Ciuilis hoc non requirit, ſed ſufficit præceſſiſſe in rebus illis, in quibus Iura requirunt, & continuatum eſſe animum poſſidendi, ſaltem habitū. Verùm quia res quædam ſunt, quæ ex Iuris diſpoſitione poſſidentur, etiamſi nulla corporea apprehenſio aut intentio apprehendendi vt ſuam in poſſeſſore præceſſerit, vt contingit in maioratibus, qui cenſentur poſſideri à ſucceſſore, eo ipſo quo moritur prior poſſeſſor.

Præter dictas poſſeſſionis ſpecies, eſt hæc tertia, quam vocant Ciuiliſſimam, vtpote maximè recedentem à Naturali.

Notandum hîc eſt, Quamuis poſſeſſio Naturalis & Ciuilis ſint duæ, coaleſcere tamen in vnam totam & perfectam. Neque enim qui vtroque modo poſſidet, dici ſolet habere duas formales poſſeſſiones, ſed vnam tantùm: ſicuti res ipſa quæ poſſidetur vna eſt, quæ & ipſa ſolet vocari poſſeſſio, quia poſſeſſionis eſt obiectum, L. Interdum. ff. De verborum ſignificatione. Itaque poſſeſſio quæ verè naturalis eſt, ſi per Ius ciuile abſque corporis inſiſtentia probetur, & admittatur ad ciuiles effectus, dicetur ciuilis, qualitate quadam Iuris ciuilis ei præbentis auctoritatem. Ita Couarruuias ad regulam Poſſeſſor, initio partis 2. §. 5.

Si quis rem poſſideat nomine alterius, vt commodatarius, non dicitur is poſſeſſor, ne quidem naturalis, ſed per eum poſſidet rem naturaliter dominus qui commodauit. Hæc ratio eſt, quare emphyteuta non poſſit proprietatem rei emphyteuticæ præſcribere, quia numquam eſt rei poſſeſſor; poteſt tamen præſcribere Ius Emphyteutæ, quia illius eſt poſſeſſor. Hic tamen modus loquendi in Iure non eſt perpetuus: quia aliquando vſufructuarius dicitur rem naturaliter poſſidere, vt L. Naturaliter. ff. De acquirenda poſſeſſione.

Diuidi etiam poteſt poſſeſſio in Clandeſtinam & Publicam. Clandeſtinè enim quidam ſubinde poſſeſſionem ingrediuntur, ne reſciſcat is quem ſibi controuerſiam facturum timent: quæ clandeſtina poſſeſſio minoris vigoris eſt, vt patet L. Clàm poſſidere. ff. De acquirenda vel amittenda poſſeſſione. Imò minoris eſt vigoris quàm ſit poſſeſſio per vim, vt indicatur ibidem L. Etſi. & L. Quod meo.

## DVBIVM VIII.

### *Quomodo acquiratur Poſſeſſio & amittatur?*

POSSESSIO acquiritur apprehenſione vera, vel ficta, vel Iuris diſpoſitione. Aliquando enim Ius declarat, eum eſſe in poſſeſſione, qui rem neque verè neque fictè apprehendit; aliquando autem artificio quodam efficitam requirit apprehenſionem: denique caſus eſt, vbi non ſufficit ficta, ſed requiritur vera; verbi gratia, vt venias in dominium ferarum quæ nullius erant. Itaque varij modi ſunt quibus poſſeſſio acquiratur. *Quibus modis acquiratur poſſeſſio.*

Primus eſt vera apprehenſio aut inſiſtentia per manum aut pedem. Vbi nihil peculiare, niſi quòd ſubinde non nihil fictionis habeat admixtum iſte modus. Quando enim manu res tenetur, aut pede teritur, ſecundùm aliquam ſui partem fictione Iuris cenſetur tota apprehēdi, ſi modò apprehēdentis & poſſeſſionem tradentis intentio reſpondeat.

Notandum & illud, Actum fictum non ſolere ſufficere, ſed opus eſſe vero, quando poſſeſſio capitur non interueniente voluntate prioris poſſeſſoris.

Secundus modus eſt per viſum, quo quaſi manu quadam rem apprehendimus. Quare ſi antiquus poſſeſſor tibi rem demonſtret animo tradēdi, & tu acceptes, transfertur poſſeſſio. L. Quod meo. ff. De acquirenda poſſeſſione.

Tertius, Si quis donet alteri ſcripturam, quâ conſtet de rei à ſe poſſeſſæ titulo, animo transferendi poſſeſſionem: ſecùs ſi tantùm donet inſtrumentum contractus, venditionis cum ipſo initæ; hoc enim ad tradendam poſſeſſionem Iure communi non ſufficit, niſi aliter lege Regni ſit conſtitutum.

Quartus, Quando antiquus poſſeſſor tradit claues domus in conſpectu ſitæ, intendens tradere poſſeſſionem eorum quæ in ea ſunt, transfert eorum poſſeſſionem, §. Item ſi quis merces, Inſtitut. De rerum diuiſione.

Quintus, Si antiquus poſſeſſor agrum vendat vel donet, reſeruato ſibi vſufructu, cenſetur emptor aut donatarius acquiſiuiſſe poſſeſſionem atrij; vſusfructus enim non eſt niſi rei alienæ.

Sextus, Si vendendo agrum, conductionem ſtipuletur.

Septimus,



Septimus, Si vendat rem ſuam depoſitario.

Octauus, Si nomine emptoris, rei apponatur cuſtodia.

Nonus, Si de voluntate vendentis emptor rem tamquam ſuam ſignauerit.

Decimus, Si venditor tradat rem per clauſulam conſtituti, id eſt, coram tabelliōne conſtituat ſe poſſidere nomine emptoris.

*Quibus modis amittatur poſſeſſio.*

Amittitur autem poſſeſſio varijs modis. Communis eſt mobilibus & immobilibus, ſi poſſeſſor animum poſſidendi deponat, quod non cenſetur poſſe facere, vbi in amentiam inciderit: neque cenſetur feciſſe, quando ſub conditione fecit quæ ſecuta non eſt, vt ſi cedat ea conditione, vt alius habeat & non aliter. L. Si me. ff. De acquirenda rerum poſſeſſione. Pupilli etiam voluntas non ſufficit ſine conſenſu tutoris, L. Poſſeſſionem, ibidem. Item amittit poſſeſſionem, ſi rem ſciat ab alio occuparam, & negligat.

*Immobilia quando deſinant poſſideri.*

Immobilia autem deſinunt poſſideri, Primò id fiebat olim, ſi mortuum quis in agrum ſuum intuliſſet: locum enim religioſum aut ſacrum poſſidere nemo poteſt. Idem nunc dixerimus, ſi permiſerit fundum ſuum Deo conſecrari.

Secundò, Si longo tempore quis abſit, neque per aliud poſſideat, neque proteſtatus ſit, ſe nolle amittere poſſeſſionem.

Tertiò, Si mare aut flumen aſſiduè inundet.

Quartò, Si te ſciente alius per iniuriam agrum tuum occupet, quem, verbi gratia, à colono tuo emit: ſi potentiam occupantis veritus, repetere negligas, amittis poſſeſſionem, quamuis dominium retineas. Plura hac de re videre licet ff. De acquirenda vel amittenda poſſeſſione.

*Quando mobilia.*

Rei mobilis poſſeſſio amittitur per furtum alterius, per fraudem depoſitarij contrectantis eam vt ſuam, & eo animo loco mouentis, ff. eodem, L. 3. Item per amiſſionem, etiamſi nullus inueniat. Per fugam animalium ſine animo redeundi: non tamen ſeruorum, ne ipſi videantur dominos poſſe priuare poſſeſſione. L. Pomponius, ibidem. Videri etiam poteſt L. Poſſideri. §. Nerua. Item L. Si rem mobilem, eodem titulo.

## DVBIVM IX.

### *Quid emolumenti ac priuilegij ſecum ferat poſſeſſio?*

*Priuilegia Poſſeſſorū.*

RESPONDEO Primò; Poſſeſſor bonæ fidei poteſt rem præſcribere; ſine poſſeſſione autem non poteſt, vt dicitur de Regulis Iuris in 6.

Secundò, Si controuerſia oriatur, non tenetur poſſeſſor probare rem eſſe ſuam, ſed alter qui controuerſiam facit. Inſtitut. De Interdictis. §. Retinendæ.

Tertiò, Si probatio actoris ſit obſcura, iudicatur pro poſſeſſore. Inſtitut. ibidem.

Quartò, Cuilibet licet ædificatum in fundo à ſe poſſeſſo tamquam rem propriam deſtruere, etiamſi ab alio factum ſit, L. Adeò quidem. ff. De acquirendo rerum dominio.

Quintò, Poteſt poſſeſſor armis poſſeſſionem ſuam defendere: imò etiam ſibi ereptam armis recuperare, modò id faciat ex continenti, non ex interuallo, L. Quod eſt. ff. De vi & vi armata.

# CAPVT IV.

## *De ſubiecto Dominij.*

## DVBIVM I.

### *An rationalis natura ſit ſubiectum Dominij.*

*Sola rationalis creatura dominij capax.*

RESPONDEO; Omnis & ſola rationalis natura, dominij capax eſt: eſt enim dominij capacitas adæquata proprietas libertatis. Quòd omnis, patet; Quia dominium & poteſtatem habet proprij actus, eo ipſo quo liberi eſt arbitrij. Quòd ſola, ſimiliter oſtenditur: quod enim ne proprij quidem actus dominium habere poſſit, non apparet quomodo aliarum rerum dominium habere poſſit. Confir. Primò, Quia rationis expertia non ſunt capacia Iuris, vti nec iniuriæ: neque enim qui brutum occiderit, ei iniuriam facit, ſed fortè domino eius. Secundò, Quia vſus quem reſpicit dominium, non quadrat in rationis expertia: neque enim medijs vtuntur, cùm finis rationem non cognoſcant: vſus enim ordinationem in finem inuoluit. Confir. etiam ex litteris Sacris, quæ indicant ex imagine & ſimilitudine Dei hominem habere, quòd dominij ſit capax: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, vt præſit piſcibus maris*, &c. Gen. 1.

*Obiect.*

Dices, Etiam ſol ibidem dicitur præeſſe diei, & luna nocti: item luna dicitur dominari humidis, cælum regere ac dominari in hæc inferiora.

*Reſp.*

Reſpondeo; Conradus Tract. 1 de contractibus quæſt. 6. putat etiam cælos habere dominium in hæc inferiora, leonem in animalia greſſibilia: verùm iſtud dominium non niſi metaphoricum intelligendum eſt.

*Dominium Dei.*

Dominium Dei in vniuerſam creaturam multis modis excedit dominium humanum. Primò, Quia omnino eſt independens: ſecundò, Quia incommunicabile alteri, ſicuti titulus creationis in quo fundatur: tertiò, Quia abdicari non poteſt: quartò, Nullis legibus reſtringitur, niſi fortè liberali ipſius Dei promiſſo; inde enim fit vt creaturam rationalem annihilare non poſſit.

*Angelorū.*

Angelorum dominium videtur indicare Scriptura, quando eos dominos vocat & principes, Danielis 10. & alibi.

Quæres, Quarum rerum ſunt domini?

Reſpondet Soto lib. 4. quæſt. 1. art. 2. eſſe tantùm dominos ſuarum actionum & habituum ſupernaturalium. Aragonius tamen tract. De dominio dicit, habere dominium horum inferiorum, etiam ipſorum hominum, quos tamquam clientes regunt & diligunt. Ceterùm quamuis Angelorum dominium nobis ignotum ſit, probabilior tamen videtur ſententia Soti, vt ab hominibus domini vocentur, ſicut domini vocantur præfecti, qui nomine Regis rempublicam adminiſtrant, etiamſi non ſint domini terræ. quo modo & Ioſeph vocabatur dominus Ægypti.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm pueri & amentes capaces ſint Dominij?*

*Pueri capaces dominij.*

RESPONDEO affirmatiuè. Quamuis enim dominium requirat liberum arbitrium; ad habi-

habituale tamen dominium non est necessarius actualis vsus liberi arbitrij, sed sufficit potentia. Confir. ex Apostolo ad Galatas 4. Vbi dicit paruulum heredem seruo similem, omnium tamen esse dominum. Secundò, Ex Iure naturæ rerum dominia non tam huic aut illi personæ, quàm toti humanæ naturæ competunt; vnde ante rerum diuisionem nullus omnino hominum excluſus reperitur à dominio quod hominibus Deus concessit. Tertiò, Capaces sunt iniurię, quamuis enim Philosophus l. 1. Magnorum moral. rectè obseruet, infantes nemini iniuriam posse facere; certum tamen est pati posse, quam facere non possunt. Quartò, Sunt imago Dei, creati propter se, non sicut bruta propter alios homines. Postremò, Verè sunt heredes.

*An etiam perpetuò amentes.*

De perpetuò tamen amentibus rem non tam certam habere videtur Franciscus Victoria, Relect. 5. numero 22. Videtur tamen propter rationes iam dictas certissima.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm peccator habeat Dominium?*

*Hæreticorum quorundam error.*

Abeo qui iustus non est & charitatem Dei non habet, nihil iustè posse fieri, nihil iustè possideri, ita vt rerum externarum dominium quilibet eo ipso amittat quo charitatem amittit, quorumdam hæreticorum error fuit, quem potissimùm asserebant de dominio iurisdictionis, maximè Ecclesiasticæ. Vnde illæ voces Wiclef damnatæ in Concilio Constantiensi, *Si Papa sit præscitus & malus, & per consequès membrum diaboli, non habet potestatem super fideles, nisi fortè à Cæsare. Nullus est dominus ciuilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* Vbi aduertimus, Wiclefum non tantùm charitatem, sed prædestinationem Dei fundamentum dominij posuisse, quod manifestius euadit ex articulo Ioannis Hus sectatoris eius: *Non oportet credere, quòd iste quicumque est particularis Romanus Pontifex, sit caput cuiuscumque particularis Ecclesiæ, nisi Deus eum prædestinauerit.*

Alius hîc est error, qui non quidem charitatem, sed veram & supernaturalem fidem requirit vt quis dominium habeat. Hunc errorem Banesius tribuit Hostiensi in c. Quod super his, De voto & voti redemptione.

*Sententia Conradi.*

Denique sensit Conradus De contractibus tract. 1. quæst. 2. peccatores aliquod quidem dominium retinere, amittere tamē illud gratificum, vt vocat, quo iusti possident omnia quæ in cælo & in terra sunt. Ex illo enim dominio vult iustos habere ius assumendi omnes creaturas ad suum vsum secundùm leges charitatis: quò pertinere vult illud Apostoli, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Item illud: *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Rursum, quòd omnia nobis cum Christo Deum dicat donasse. & alibi: *Omnia vestræ sunt, vos autem Christi.* & iterùm: *Qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.*

Rom.8.
2.Cor.6.
1.Cor.3.
1.Tim.6.

*Excusatur Conradus cõtra Banesium.*

Hanc sententiam Conradi reprehendit Banesius, quasi accedat ad hæresim Wiclefi; quod sanè verum non est. Fatetur enim Conradus, dominium ciuile non fundari in charitate, & illud suum gratificum quod in charitate fundat, vult alterius esse generis, quo peculiariter, tamquam Dei amicus, iustus dominus sit & heres omnium, eò quòd omnia Dei sint, & amicorum omnia sint communia. Quæ opinio non grauiorem videtur mereri censuram, si rectè secundùm quādam accommodationem intelligatur, præsertim cùm illi faueant Scripturæ. Nam quod Banesius dicit, inutile esse hoc dominium, cùm nemo sciat vtrùm sit in charitate; parui momenti est, cùm etiam ipsius charitatis homo sit dominus, secundùm Banesium. Deinde, etiamsi omnino certò non sciat quis se esse iustum; fieri tamen potest vt sciat certitudine quadam morali, vt alibi diximus.

Itaque sine præiudicio huius sententiæ contra Wiclefum dicendum est, cum peccato mortali consistere dominium tam proprietatis quàm iurisdictionis, tam ciuile quàm Ecclesiasticum. Ita definit Constantiense, quando supradictos damnat articulos: & confirmatur, Quia Scriptura impios & peccatores passim vocat reges, dominos, vt Saulem, Manassem, &c. & Apostolus Petrus etiam dyscolis præpositis nos vult obedire. Denique maxima esset confusio, si rerum dominia non essent nobis certiùs nota quàm sit charitas.

1.Pet.2.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm filiusfamilias, qui adhuc est in potestate patris, habeat Dominium?*

*Filius in bonis patris non habet dominium.*

Respondeo; In bonis paternis aut matris, viuente vtroque parente, filius non habet dominium proprietatis, aut vsum fructum, sed planè in illis dependet à parentibus: quamuis enim creditor sit suæ legitimæ, non tamen dominus.

*Quale in profectitijs.*

In bonis profectitijs non habet quidem proprietatem aut vsumfructum, sed hoc habet, quòd publicatis alijs bonis patris, illa non publicentur: Siluester verbo Peculium 1. quæst. 3. Item quòd extrahere ex illis possit æstimationem operarum suarum, etiamsi de eo non sit protestatus: Petrus Nauarra lib. 3. De restitut. c. 1. n. 72.

*Quale in aduentitijs.*

In aduentitijs habet proprietatem, pater vsumfructum: fortè tamen non poterit horum alienationem à patre factam filius reuocare, quando in patris potestate existit; illam enim dicunt communem esse sententiam Decisiones Rotæ, part. 2. decisione 47.

*In peculio castrensi habet filius dominium.*

In peculio denique castrensi & quasi castrensi, filius plenum habet dominium & vsum tamquam paterfamilias, ita vt liberè de eo disponere possit donatione inter viuos, mortis caussa, testamento, modò tamen sit pubes, id est 14. annorum.

Castrense peculium est, quod à parentibus vel cognatis in militia agenti donatum est, vel quod ipse filiusfamilias in militia acquisiuit, & quod nisi militaret acquisiturus non fuisset, ita L. 11. C. De castrensi peculio. Similiter L. 1. ff. titul. De castrensi peculio militum, quæ restringit peculium castrense ad res mobiles, ita tamen vt velit etiam prædia ex castrensi peculio empta contineri.

Quasi castrense peculium est, quod filius tamquam artis suæ aut operæ publicum stipendium, aut sanè ex publico munere lucratur. Hoc enim sufficere, quamuis non sit stipendium publicum, rectè tenet Nauarra. Idem etiam est dicendum de acquisitis ex beneficio Ecclesiastico secundùm eumdem L. 3. De restitutione, suprà, numero 72.

Imò



Imò de omnibus quæ quomodocumque veniunt in dominium filiorum, qui iam Clerici sunt, & fori priuilegio gaudent, vt patet ex Authent. Presbyteros, C. De Episcopis & Clericis. Videri potest Molina, tract. 2. disp. 138.

*Aduentitia bona.*

Aduentitia bona dicuntur, quæ seorsim ab exercitio domestico filius lucratur suo labore aut industria, vel accipit donatione ab aliqua priuata persona, non intuitu patris.

Dico *priuata persona*; quia si Augustus aut Augusta Rex aut Regina donet, induit naturam peculij quasi castrensis, vt docet ex Iure Siluester suprà quæst. 1. Item si donetur ea conditione, vt pater non habeat vsumfructum, potest filius liberè de dono disponere. Ita potè Nauarrum Petrus Nauarra suprà. Quod etiam videbitur posse dici de ordinarijs filij lucris, si non alatur à patre, sed seruiat, verbi gratia, in extera regione.

*Profectitia bona.*

Profectitia bona dicuntur, quæ proficiscuntur ex subsstantia vel rebus patris, vel intuitu patris filio donantur.

## DVBIVM V.

### *An vxor habeat alicuius rei Dominium?*

*Vxor quorum habeat dominium.*

Respondeo, Quorumdam bonorum vxorem habere liberam dispositionē & plenum dominium. Talia sunt parapherna, quę præter dotem à suis accepit; item ea quæ supersunt ex certa summa quam maritus donauit in hunc aut illum vsum, vt videlicet certo tempore totam familiam eo sustentet, aut partem: quod enim supererit honestæ sustentationi, erit in pleno dominio vxoris.

In alijs quibusdam vxor ita habet dominium, vt marito cedat vsusfructus; qualia sunt moribus nostris quæ durante matrimonio inter se acquisierunt, pro dimidia parte: nisi aliter aut stipulatum sit, aut lex municipalis habeat. item dos, & fructus patrimonij vxoris.

Nota tamen, maritum non esse vsufructuarium patrimonij vxoris matrimonio inito, aut etiam consummato, sed ferè opus esse vt simul habitent: hic enim vsusfructus marito cedit ad sustentandum onus matrimonij. Consuli potest Petrus Nauarra De restitut. suprà citatus.

Nota secundò, Non posse vxorem sine marito consentire reuocationi donationis factæ ex caussa dotis, quia maritus habet titulum onerosum.

Nota tertiò, Vxorem adulteram posse priuari dote: fortè tamen ante sententiam non amittet. Decisio Rotæ 605. parte 1.

## DVBIVM VI.

### *An seruus habeat Dominium?*

*Serui aliquarum rerum habent dominium.*

Respondeo, Aliquarum rerum imperfectum saltem & dependens à domino seruum habere dominium in quibusdā casibus, omnes consentiunt. Sunt tamen aliqui Doctores, qui putent, in illis pleriſq; casibus absolutū dominium seruos acquirere, ita vt sine iniuria dominus non possit eis auferre, & ipsi re eiusmodi fraudati possent vti compensatione occulta. Cui sententię videntur aduersari Leges, quę dicunt, seruos nihil posse suum habere, sed ex quacumque caussa acquisierint, domino acquirere. Instit. Per quas personas nobis acquirimus. Item ff. De peculio, L. Nec seruus. vbi dicitur, seruum nec debere posse, nec ei quidquam deberi.

Verùm ad has & similes Leges duobus modis respondent: vel enim dicunt esse intelligendas regulariter, & quando aliunde contrarium non constat; vel consuetudine esse mitigatas.

Casus autem in quibus seruus peculiare aliquid possidere possit, ferè sunt isti:

*Quibus modis id sibi acquirat.*

Primò, Quando aliquid ei ea lege donatur, ne domino cedat. si enim dominus nō cō radicat, potest id transire absolutè in peculium serui, ita vt ex eo se redimere queat. L. Vix certis. ff. De Iudicijs.

Secundò, Si de victu sibi debito parcè viuendo seruus aliquid detraxerint, sine vllo domini incommodo, sibi id acquirunt, vt rectè Petrus Nauarra. Eadem erit ratio, si aliquid lucrati fuerint, quando à domini obsequijs vacant.

Tertiò, Si dominus consentiat vt seruus habeat peculium, cui etiam accedet quidquid ex eo aut aliàs sua pecunia seruus lucrabitur.

Quartò, Si aliquid seruo donetur non intuitu domini. Cùm enim detur propter seruij industriam aut operam extraordinariam, tacitè videtur dari ea lege vt non fiat domini, sed integrè & perfectè maneat serui.

Postremò, Si aliquid detur seruo in compensationem iniuriæ illatæ.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm Religiosi habeant Dominium aliquarum rerum.*

Qværi hîc in primis potest, An saltem spiritualium bonorum Religiosi habeant dominium?

*Religiosi rerum spiritualium habent dominium.*

In communi quemuis Ordinem, imò & in particulari quemuis Religiosum habere dominium aut quasi dominium bonorum spiritualium, communis est sententia DD. Cùm enim quilibet certorum eiusmodi bonorum dominus sit, vt infrà dicemus, & Religiosi voto suo sese eiusmodi dominio non abdicent, extra controuersiam est, tale dominium penes ipsos remanere.

Ad bona spiritualia hîc etiam pertinebunt illa Iura, quæ Religiosi habent in Beneficia sua regularia, ad eligendum, ad accipienda alimenta, ad manendum in tali vel tali monasterio. Itaque Religiosi Beneficiarij, Abbates, Priores, Præpositi, Commendatores, & similes, non quidem habent dominium fructuum suorum Beneficiorum, sicut de Clericis sæcularibus infrà dicemus; habent tamen Ius liberè bona eorum adiministrandi in suos proprios vsus decentes, & alios pios, nisi peculiari Statuto impediantur, ita vt non dependeant in hoc à voluntate Superiorum. Molina tamen tract. 2. disp. 141. putat contra Nauarrum, Commendatores coniugatos habere dominium non tantùm patrimonij sui, sed etiam fructuum suarum Commendarum, & in eo deficere à statu Religioso quoad votum paupertatis; & ad Motum proprium Pij V. qui in contrarium facit, respondet, Non esse receptum, vel non esse intelligendum de eiusmodi Commendatarijs.

Quæritur secundò, An communitas Religiosorum habeat dominium bonorū immobilium?

Respondeo; Certum est habere, exceptis Capucinis, & Minoribus de Obseruantia. Ita Trident. sess. 25. c. 3. de Regularibus. Cōfirmatur; Quia hoc non repugnat voto paupertatis; singuli enim non habent proprium, adeoq; à vitio proprietatis immunes sunt, etiamsi omnes aliquid habeāt cōmune: & fortè huius paupertatis formā Ecclesia primitiua

mitiua ex Iudæis exhibuit; habebant enim omnia communia, nec suum quisq; aliquid esse dicebat.

*Opinio Nauarri.* Nauarrus tamen commentario 1. de Regularibus, n. 31. bona monasteriorum dicit quoad proprietatem esse solius Christi; quoad administrationem autem, Prælatorum; quoad vsum denique facti, particularium Religiosorum.

*Reprobatur.* Verùm hæc Nauarri opinio non probatur, tum propter auctoritatem Concilij, quæ non potest exponi de solo iure administrandi, quia apertè dat facultatem possidendi, idque tamquam reditus proprios, vt posteà loquitur; tum etiam propter auctoritatem Pontificum, qui satis apertè dixerunt, exceptis Minoribus, reliquos Regulares in commun habere rerum suarum dominium: imò Ioannes XXII. idem etiam de ipsis Minoribus dicendum contendebat. Accedit, quòd Monachus quæ acquirit, dicatur monasterio acquirere. Ita Nicolaus III. c. Exijt. De verborum significatione in 6. §. Ad hæc.

Denique si monasterium non habeat suarum rerum dominium, talium rerum dominium erit incertum, vt æquè opus sit illud sibi sumere Sedem Apostolicam, ac fecit in rebus Minorum.

Tertiò videndum, Quibus modis licitè aut illicitè contingat aliquod peculium concedi particularibus Religiosis.

*Religiosi sunt dominij incapaces.* DICO PRIMO, Votiuæ paupertati ita repugnat, aliquid proprium singularē monachum independenter à Superiore possidere, vt ne Papa quidem in eo dispẽsare possit; imò omnis eiusmodi dominij per votum solemne paupertatis Religiosus sit incapax. c. Monachi, & c. Cùm ad monasterium. De statu Monachorum. c. Non dicatis 12. q. 1. Hoc itaque discrimen est Monachi & serui, quòd seruus volente domino dominij sit capax; Monachus autem etiam volente Prælato non sit capax.

*Dominium Monachi & serui in quo differat.* Extendenda est ista Assertio etiam ad vsumfructum, vsum, aut administrationem à Superiore independentem; nam etiam illi qui tale Ius habent, proprium aliquid habere censentur.

DICO SECVNDO, Sunt aliqui modi, quibus sine vitio proprietatis, & aliàs etiam licitè, perfectè Religiosis particularibus conceditur aliquarum rerum vsus aut administratio dependenter à voluntate Superioris.

*Perfectè Religiosi.* Dico *perfectè Religiosis*; quia sunt quidam Religiosi militares & Beneficiati, qui non videtur perfectè vouere paupertatē: singulariter enim in domibus suis degunt, & reditus quosdam vitales percipiunt, de quibus etiam regulariter habent facultatem liberè disponēdi, aut in pias causas alienandi, de quibus hic non agimus, sed solùm de illis, qui absolutè solemniter vouent paupertatem; nam voto simplici obstricti capaces sunt dominij.

*Possunt habere dispositionem de aliqua re.* Vnus itaque modus, quo Religiosis liceat habere nonnullam dispositionem de re quapiam, erit, *Si parentes relinquant reditum vitalem ipsi Religioso aut Moniali, poterit eiusmodi reditus* dispensari in Religiosi vsum per Officialem publicum monasterij dependenter à voluntate Superioris; tunc enim ipse Superior censetur de eo disponere, quem expedit interdum in communes vsus monasterij inde expendere, vt magis eliminet speciem proprietatis. Ita Petrus Nauarra l. 3. de Restitut. cap. 1. n. 173.

Secundus modus, Potest fieri vt monasterium præbeat Religioso solum victum ea lege & cõditione, vt pro vestitu sibi sumat quę proprio labore aut industria, aut donatione alterius comparare poterit, ita tamen vt etiam illud dispositioni Superioris subsit, & ad nutum reuocabile sit, & superflua nouam hîc dispositionem Superioris expectēt. Approbat hunc modum Azorius l. 12. c. 9. ex sententia Ioannis Andreæ & Panormitani.

Tertius, Quando ex Romani Pontificis dispensatione pensio aliqua Religioso cõceditur, potest quod ex ea supersit, in pios vsus pro suo arbitrio expendere, etiãsi in facultate Pontificis id minimè exprimatur; videtur enim tacitè subintelligendũ.

Quartus, Quãdo Religiosus Beneficium habet. Tunc enim debet cõsiderari, quid secundùm consuetudinem Beneficiatus sæcularis in tali Beneficio sibi acquireret, & quid Ecclesiæ vel Beneficio. Quod enim acquireret Ecclesię, id etiam Regularis similiter Ecclesiæ acquirit. c. Statutum 18. q. 1. Quod autem sibi acquireret sęcularis, hoc Monachus monasterio acquirit quoad dominiũ, sic tamẽ vt ipse in suos & alios pios vsus habeat administrationẽ, secundùm modũ in Ordine receptũ.

DICO TERTIO, Præter modos quibus vitium proprietatis etiam Iure veteri incurritur, Concilium Trident. nouo Iure modos quosdam introduxit, quibus licebat Religioso priùs de rebus quibusdam disponere, nunc non licet. Constitutio autem habet hæc puncta:

*Constitutio Concilij Trident.* Primò, Vetat ne Religiosus possideat vlla bona, etiam mobilia, etiam nomine conuentus, quouis modo acquisita, sed statim ea vult incorporari Conuentui, & Superiori tradi. Vbi aduerto, non prohiberi quo minùs ex concessione Superioris mobilia quædam teneat: censentur enim Superiori tradita, quando eius consensu tenentur.

Secundò, Vetat ne Superiores concedant bona stabilia alicui Regulari, etiam ad vsumfructum, vsum, aut administrationem, aut commendam.

Tertiò, Vult omnem administrationem bonorum monasterij pertinere ad solos Officiales amouibiles ad nutum Superiorum.

Quartò, Concessionem mobilium quam facere possint Religiosis Superiores, vult esse talem, vt nihil superflui eis permittatur, aut necessarium denegetur.

Per hanc Constitutionem quædam quæ priùs licebant, nunc non licent.

Primò, Non licet Monialibus concessu Superiorum tenere reditus vitales, sibi à parentibus relictos, etiamsi nihil superfluj inde sint percepturæ: sunt enim hi reditus inter bona stabilia.

Secundò, Non potest nunc Prælatus, quod olim erat frequens, concedere alicui Religioso aliqua monasterij bona immobilia, ea lege, vt inde certam pensionem reddat monasterio, & sibi necessaria desumat, & reliquum pro suo arbitrio expendat in pios vsus.

Tertiò, Non licet Prælatis permittere, vt aliqua femina Religionem profiteatur, & ex suo viuat, etiamsi ex votiua paupertate illud nutu Superioris ab ea auferri posse intelligatur, adeoque in eo purgetur vitium proprietatis.

Quartò, Non licet consensu Superiorum Religioso nunc habere certam pecuniæ quantitatem in singulos menses, ea lege & conditione, vt quod ex frugalitate ipsius supererit, pro arbitrio eroget in pios vsus. Ita tenent communiter DD. contra Nauarrum Commẽtario 2. De Regularibus, n. 18. qui



qui putat Concil. Trident. non indicere Ius nouum, sed tantùm renouare antiquum, quod reperitur cap. Monachi, & cap. Ad monasterium. suprà citatis. Videri potest hac de re Petrus Nauarra suprà n. 174. qui citat Cordubam: Azorius lib. 12. cap. 9.

Nota tamen, Posse Sedem Apostolicam in hoc dispensare: attamen tantum abest vt facilè dispenset, vt etiam strictiora quædam mandauerit. Nam anno 1594. vt refert idem Azorius, Clemens VIII. per Constitutionem, quæ incipit, Religiosæ congregationes, vniuersim inhibet omnibus Religiosis omnem donationem ex bonis monasterij aut quomodocumque à se acquisitis, nisi ex vnamini consensu Capituli generalis, aut generalis Congregationis.

Quousque autem in hac re, quatenus merè est Iuris positiui, & non tangit substantialem paupertatem, valeant consuetudo & necessitas, ex illis quæ in tractatu De Legibus diximus, colligi potest.

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm Clerici non Religiosi sint capaces Dominij?*

*Triplicia bona Beneficiatorum.* TRIPLICIA sunt bona Beneficiatorum, Patrimonialia, Quasi patrimonialia, & merè Ecclesiastica.

*Patrimonialia.* Patrimonialia aut merè sæcularia voco, quæ possident ciuili titulo, non pertinente ad statum Ecclesiasticum; puta successione hereditaria, testamento, legato, opificio, dono consanguineorum aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, sed solo intuitu personæ.

*Quasi patrimonialia.* Quasi patrimonialia, quæ acquirunt quidem ratione Clericatus, sed non ratione beneficij: qualia sunt stipendia Missarum, concionis, cantus Ecclesiastici, auditarum confessionum, & similium officiorum.

*Merè Ecclesiastica.* Merè Ecclesiastica sunt, quæ recipiuntur ex Beneficio Ecclesiastico perpetuo, puta Canonicatu, Decanatu, Præpositura, &c.

*Patrimonialium habent dominium.* Bonorum primi generis certum est plenum Clericos habere dominium, & tam liberè posse disponere, ac si laici essent. De quo est apertus textus, cap. Quia nos, De testamentis, quod est Alexandri III. Imò dispositio Clerici in quibusdam quoad hæc bona est priuilegiata, puta quòd aduentitia ei reputentur tamquam castrensia, & quòd testamentum eius non infirmetur præteritione filiorum vel parentum, vt annotat Panormitan. in dictum cap. Quia nos. Neq; tamen hoc in dubium vocare conuenit, decere Clericos etiam ex patrimonio suo liberaliores esse in pauperes, eò quòd ipsos deceat maior charitas.

*Item Quasi patrimonialium.* De secundi generis bonis, quamuis non eadem certitudine, verum tamen est, etiam ipsorum Clericos non solùm dominos esse, sed liberam habere dispositionem. Dominos esse, quamuis id negauerit Innocentius in citatum cap. De testamentis, communis est sententia, vt allegatis auctoribus ostendit Nauarrus De reditibus Ecclesiasticis, monito 19. Liberam habere dispositionem. Probatur, Quia qui ea ipsis tribuunt, dant tamquam mercedem laboris vel operis personalis, aut in sustentationem, sine vllo onere tacito aut expresso superflua dandi pauperibus.

*Accidentia qualo habeant.* Quæres, An eadem sit ratio accidentium quæ Beneficiatus acquirit ratione particularis laboris aut operis, ad quod nihilominùs ratione Beneficij tenetur; verbi gratia, quod Pastor accipit dum confessiones excipit, ad quas ex officio tenetur.

Item quæri potest, An sit eadem ratio etiam eius quod sibi subtrahit ex debita sustentatione Beneficiatus, parciùs viuendo quàm poterat?

Respondeo, Instar patrimonialium, adeoque non peculiariter obnoxia pauperibus aut pijs caussis eiusmodi omnia censeri. Vnde consequitur, Beneficiatum liberè posse disponere, etiam in vsus non pios, de eo quod sibi obuenit ratione talium, adeoque etiam de eo quod ex parsimonia supereſt de quantitate congruæ sustentationis, etiam secundùm maximam latitudinem iustæ æstimationis.

Dices, D. Thomas videtur contrarium sentire: in solutione enim ad 2. art. 7. quæst. 185. *Et ideò*, inquit, *si de eo quod vsui Episcopi vel alicuius Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis vel alijs dare, non peccat, dummodò illud faciat moderatè, id est; vt non indigeant, non autem vt ditiores inde fiant.* Confirmatur, Quia reuerà hæc bona sunt sacra sicut cetera.

Respondeo D. Thomam dicere, quòd peccet in isto casu, ditando ex eo quod sibi subtraxit, amicos; eò quòd rectè improbetur, si quis etiam ex patrimonio ita studeat in superfluis augere amicos, vt non præstet quod meritò conferendum est inopibus, vt auctoritas habet Ambrosij, quam allegat. Itaergo locutus fuerit D. Thomas, quia ferè peccatum, saltem veniale, est, ex parsimonia tali, neglectis pauperibus, ditare amicos.

Ad confirmationem dico, Hęc bona esse sacra, sed exuere quodammodò onus primæuum, quando extrahuntur per parsimoniam ex Clerici alimentis, sicuti etiam quando titulo oneroso veniunt ad manus laicorum.

*Quale merè Ecclesiasticorũ.* Restant itaque merè Ecclesiastica alia, quæ supersunt honestæ sustentationi, de quibus inquirendum est, An ne eorum Beneficiatus ita fiat dominus, vt liberè de illis disponere possit sicuti de patrimonialibus?

*Bona stabilia Clericorum sine legitima caussa inualidè à Pontifice alienãtur.* Vbi in primis quæstionem nullam suscipimus de bonis stabilibus Beneficiorum. Certum enim est, eorum dominium non esse penes Beneficiatum, sed sicuti templa ipsa sunt Cleri simul & populi, ita hæc Beneficiorum stabilia bona, specialiter Clericis donata, pertinent ad communitatem Clericorum, administratio autem ad Prælatos, præsertim Romanum Pontificem, neque possunt sine Superioris legitima auctoritate alienari. Imò & legitima caussa, vt validè fiat alienatio, requiritur, vt probabilis fert multorum opinio, adeò vt etiamsi Papa sine legitima caussa hæc bona alienet, siue in vsum priuatæ personæ, siue etiam in vsum alterius Ecclesiæ, eiusmodi persona aut Ecclesia teneatur ad restitutionem. Sanè Paulus IV. Constit. quæ incipit, Iniunctum nobis, alienationes etiam Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum auctoritate factas, quæ in damnum fuissent Ecclesiæ, ita irritas habet, vt fructus ex eiusmodi bonis Ecclesiæ perceptos restitui velit. Imò Pius IV. Constit. quæ incipit, Apostolicæ seruitutis, apertè declarat, eiusmodi alienationes

nequaquam tenuisse, nec tenere, nec titulum aliquem per eas emptoribus, &c. quæsitum esse.

Aduertendum etiam est in his bonis, quòd à fidelibus non sint donata Ecclesiæ aut Clero in quemuis vsum, sed ad Dei cultum. Vnde consequens est, non posse Ecclesiam aut corpus Cleri hæc bona pro libito alienare, eumque teneri ad restitutionem, cui forte in alienos vsus concessa fuerint. A qua restrictione hæc bona dici patrimonium Christi 12. quæst. 2. pluribus capitulis, quòd nimirum nemo alius eorum omnino liberam habeat tamquam de patrimonio suo dispositionem, verius est, quàm ex eo, vt Nauarrus Apologia de reditibus Ecclesiasticis volnit, quòd proprietas ipsorum non spectet ad mortales, sed ad solum Christum Dominum: quamuis Suarez aduersus sectam Anglicanam lib. 4. c. 19. dicat, Nauarri sententiam esse satis piam & probabilem, & esse quæstionem hanc potiùs de nomine quàm de re. Argumento vtitur pro Nauarro ferè eiusmodi: Si quis hominum esset dominus prædiorum Ecclesiæ, is maximè esset Pontifex Romanus, vtpote penes quem suprema potestas est de eis disponendi; atqui Papa eorum non est dominus, ne quidem specialiter pertinentium ad Ecclesiam Romanam, c. Non licet 12. quæst. 2. neque enim potest pro suo arbitrio hæc bona alienare, sed tantùm vt fidelis & prudens dispensator; ergo neque tota Vniuersalis Ecclesia habet proprium eorum dominium quæ Romanæ Ecclesiæ donata sunt, neque particulares Ecclesiæ eorum quæ sibi sunt donata; quia tam vniuersalis Ecclesia, quàm particulares, pendent in administratione horum bonorum à Pontifice.

*Bona Ecclesia dicuntur patrimonium Christi.*

Sed, vt hoc obiter dicamus, non videtur tali argumento sententia Nauarri sufficienter stabiliri: fieri enim potest, vt Ecclesia instar pupilli bonorum istorum dominium habeat; tutor tamen & curator eius in ijs administrandis sit Romanus Pontifex.

His igitur omissis, Quærimus de fructibus Beneficiorum, potissimùm illis, qui superfunt æstimatæ debitæ sustentationi, An eorum Clerici verè fiant domini, & quousque.

Pro difficultatis huius resolutione aduertendum Primò, Ecclesiastica bona olim fuisse indiuisa, ita vt deberentur pluribus vsibus spectantibus ad Dei cultum, nimirum mensæ Episcopali, fabricæ, & reliquo Clero, adeò vt tum temporis eadem pænè fuerit ratio fructuum Ecclesijs oblatorum agrorú, quæ nunc est bonorum stabilium; nimirum vt neque Episcopus, neque particulares Clerici eorum habuerint dominium, sed solùm Ius in commune inde viuendi.

*Ecclesiastica bona olim indiuisa.*

Aduertendum Secundò, Cùm pauperũ Ecclesiæ Præpositi, præcipuè Episcopi, qui erant communium istorum bonorum dispensatores, vt patet cap. Episcopus, & cap. Præcipimus 12. quæst. 1. curam ab initio semper gesserint, vt colligitur ex illo ad Galatas 2. *Tantum vt pauperum memores essemus*, factum esse vt peculiariter viderentur ea bona etiam pauperibus destinata, eo ipso quo Ecclesiæ offerebantur. Rectè tamen existimat Sotus lib. 10. quæst. 4. art. 3. pauperes ad illa non habuisse propriè Ius positiuum, tamquam sibi ex Iustitia debita, adeoque si ipsis portio sua inde posteà partitò obtigit, hoc ex sola charitate factum fuisse. Quod optima ratione probat, Quia decimæ Clero debeantur, non pauperibus.

Aduertendum Tertiò, Sicut in diuisione bonorum Ecclesiasticorum pauperes suam habuerunt partem non ex Iustitia, sed charitate, ita etiam superflua bona clericorum ex constitutione Ecclesiastica nunc obnoxia manere pauperibus non ex Iustitia, sed charitate; & pauperibus deficientibus, obnoxia nihilominùs manere pijs caussis, ita vt mortaliter peccetur si in alios vsus vel à viuis expendantur, vel à morientibus relinquantur testamento. Tribus itaque Responsio nostra constabit Assertionibus.

PRIMA ASSERTIO: Ante diuisionem singuli Clerici non erant domini aliquorum bonorum merè Ecclesiasticorũ sibi superfluorum. Probatur; Quia mens distribuentis Ecclesiæ aut superioris erat, vt illud vnusquisque solùm acciperet, quo sibi opus erat; itaque reliquum manebat quasi non distributum, & ex Iustitia obnoxium, si non pauperibus, saltem Ecclesiæ aut fabricæ, quam mirum in modum Episcoporum & Cleri frugalitas promouere poterat, nisi simul curam pauperum habuissent, qui viua Dei sunt templa. At sanè illa ipsa pietas rursum prouocabat sæculi potentes, ad magnas in vsum diuini cultus fabricas excitandas & dotandas.

*Ante diuisionem non erant Clerici domini bonorum.*

SECVNDA ASSERTIO: Post diuisionem bonorum Ecclesiasticorum, & erectos Beneficiorum titulos, probabilius est fructuum suorum Beneficiorum Clericos fieri dominos. Non exiguum pro hac re argumentum desumitur ex cap. vnico, De Clericis non residẽtibus in 6. quod ita habet: *Qui verò aliter de distributionibus ipsis quidquã receperit, rerum sic acceptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas.* Et similiter in Concilio Trident. sess. 22. cap. 3. vbi statuitur, quòd qui personaliter non impleuerint incumbens sibi seruitium illius diei, distributionem amittant, nec eius quoquomodo dominium acquirant.

*Post diuisionẽ sunt domini fructuum beneficiorũ.*

Et ne opponas, hæc tantùm procedere de distributionibus, atque adeò de illis solis posse hinc desumi argumentum à contrario sensu, de quibus etiam diuersa sententia assertionem admittit; notandus est locus sessione 24. eiusdem Concilij c. 12. Vbi statuitur, vt prouisi de Canonicatibus faciant fidei professionem, alioqui non faciant fructus suos. Igitur à contrario sensu voluit Concilium, aliàs dominium acquirere Clericos, & facere fructus suos, quod etiam infrà ibidem diserte dicit, vbi de absentibus vltra tres menses ita loquitur: *Primo anno priuetur vnusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ ac residentiæ fecit suos.*

Pro sententia altera nihilominùs opponuntur non leuia argumenta. Primum sumitur ex natura ministerij spiritualis: Clerici sustentationem accipiunt à populo, mercedem autem laborum exspectant à Domino: cùm enim spiritualia munia obeant, non licet ea pretio æstimare, vt hîc stipendij nomen possit obtendi: quid quid ergo sustentationi supereſt, vel Ecclesiæ debetur, vel pauperibus: imò quando patrimoniũ habent vnde sustententur, non debent Ecclesiæ bonis sustentari. Quæ omnia confirmantur ex cap. Quoniam 16. quæst. 1. quod sumptum est ex Hieronymo ad Damasum: *Quidquid habent Clerici, pauperum est.* Et infrà: *Qui bonis parentum & opibus sustentari*

*Obiectiones pro contraria sententia.*



*tari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profectò committunt.* Idem docet Prosper l. 2. De vita cõtemplatiua, c. 9. & aliquot sequentibus.

2. Secundum est ex vocabulo Clerici. Dicit enim idem Hieron. ad Nepotianum: *Clericus qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primùm vocabulum suum.* Et infrà: *Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit, Pars mea Dominus; nihil extra Dominum habere potest.*

3. Tertium sumitur ex significatione tonsuræ clericalis, 12. quæst. 1. cap. Duo sunt. *Ratio capitis est temporalium omnium depositio. Clerici enim victu & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia.*

Et ne dicas, hæc procedere solùm ante diuisionem, quæ facta videtur tempore Simplicij Papæ circa annum 470. facta iam diuisione, anno nimirum 494. Gelasius Papa in Epistola ad Episcopos Siciliæ, quartum suppeditat argumentum. Vult enim Episcopum etiam de sua parte debere alere peregrinos & captiuos; significans, vt rectè Baronius, quartam illam pauperibus affignatam distribuendam fuisse in pauperes propriæ diœcesis. Itaque etiam post diuisionem, opulentiores Sacerdotes non sunt domini suæ portionis, sed distributores.

*Vsque ando ipso bonum Ecclesia facta*

4.

5. Quintum, Decimæ dantur Clero, vt superflua cedant pauperibus. Neque enim verisimile est, ipsas taxari pro sola sustentatione Cleri: esset enim eiusmodi sustentatio nimis exuberãs, quia decimæ sufficiunt alendæ duodecimæ parti populi, vt patet exemplo Leuitarum: Clerus autem nunc vix est centesima populi pars. Confirmatur ex Clemente Constitutionum Apostolicarum l. 8. c. 30. *Decima offeratur ad alendos reliquos Clericos, & virgines, ac viduas, & pauperes.* item ex D. Augustino sermone 219. de tempore, vbi decimas dicit esse tributa animarum egentium.

6. Sextum ex D. Bernardo Epistola 42. vbi dicit, esse pauperum quod Clericis est superfluum; & pauperes ita inducit expostulantes: *Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod manifestè expenditis.*

7. Septimum, Non apparet quomodo Ecclesia per diuisionem potuerit bona illa, quæ relicta erant sic in pios vsus, vt nihil ex eis sine iniustitia in alienos vsus posset expendi, quasi mutata natura subijcere ita dominio Clericorum, vt iam citra iniustitiam in quoslibet vsus expendere ea valeant: videntur enim primæuum suum onus secum trahere; res enim transit cum suo onere.

8. Octauum, Clerici de his fructibus prohibentur testari: quæ inhibitio videtur indicare, quòd non sint eorum veri domini, præsertim cùm in eadem significetur, quòd etiam in vita non possint eiusmodi fructus donare ad libitum, sed in eleëmosynam, vt patet c. Ad hæc, De testamentis. Neque refert, quòd contraria consuetudine eiusmodi prohibitio nunc sit antiquata; quia saltem adhuc multis locis viget in Episcopis, imò vt dicit Nauarrus, etiam in Summo Pontifice: & nihilominùs quod hic volumus, satis indicatur eo ipso quo talis prohibitio Iure constituitur.

9. Nonum, Canones dicunt, Clericos horum bonorum solùm esse procuratores, c. Quod autem 23. quæst. 7.

10. Decimum, Hæc bona sæpè vocantur patrimonium Christi 12. quæst. 2.

Hæc argumenta indubiè sententiam Nauarri reddunt probabilem: conabimur tamen ad singula respondere.

*Resp. ad argumenta sententiæ oppositæ. Ad 1.*

Ad Primum: Quando Clericus pro spirituali ministerio sustentationem accipit, ea ipsa sustentatio rectè dicitur stipendium ministerij; imò stipendium vocatur vel eo ipso Canone qui obijcitur. Patrimonium etiam Clerici non facit vt suis stipendijs militare debeat, sed potest nihilominùs qui altari seruit, de altari viuere. De quo videre licet Couarruiam De testamentis cap. 1. num. 2.

Ad capitulum Quoniam, respondeo, Pauperum esse etiam nunc post diuisionem, (quamuis Hieronymus ante eam id scripserit) quidquid possident Clerici; quia pauperibus obnoxium est, vt infrà dicemus. Non vult autem Hieronymus eos Clericos Ecclesiæ stipendijs ali, qui parentum opibus sustentari possunt; vel quia quasi patrimonij titulo promoti, non erant inscripti Ecclesiæ, neque ei seruiebant, vt indicat Glossa; vel quia ante diuisionem quod Clericus habebat vltra sustentationem (quam hîc aliunde habere supponitur) reputatur ei superfluum, adeoque prius obnoxium pauperibus quàm ipsi, ita vt eo ipso in vsus alienos & illicitos accipere præsumatur, quo sibi superfluum sumit, quod necessitati pauperum iam erat destinatum; vel denique cum D. Thoma quæst. 185. art. 7. dici potest, Hieronymum loqui in casu quo pauperes sunt in magna necessitate, extra hunc autem posse Clericum patrimonio diuitem viuere ex bonis Ecclesiæ cui seruit.

Ad D. Prosperum dicendum videtur, Non aliud ipsum velle, quàm quia consuetudo tunc erat, vt Clerici à communi dispẽsatore necessaria acciperent; ij non accipiant, qui aliunde sibi necessaria reseruassent: quod sanè æquum erat, si consideremus, plerosque tunc Clericos pro maiori in Dei ministerio perfectione, consueuisse parentibus aut pauperibus patrimonium suum relinquere, quando ministerijs sacris se mancipabant; vnde par pietas requirebat, vt communis dispensator prouentus Ecclesiastici daret pauperibus, quod supererat necessitati Clericorum, adeoque non nisi pauperes Clericos aleret, cùm reliqui ideò sua viderentur reseruasse, ne pauperibus decederet, quod ipsis tribueretur.

*Ad 2.*

Ad Secundum respondeo; Nisi Hieronymi verba rectè intelligantur, non poterunt Clerici vlla bona, etiam patrimonialia, possidere, sed omnino incapaces erunt proprietatis; quod Ecclesia damnauit in illo 10. articulo Wiclefi, *Contra Scripturam est, quòd Ecclesiastici habeant possessiones.* Eò itaque Hieronymi verba pertinent, vt Clerici contenti viuere de altari, non inhient patrimonijs aũt lucris mundanis.

*Ad 3.*

Ad Tertium, Et iam illud capitulũ est S. Hieronymi, & solùm vult, conueniens esse, vt Clerici sine proprietate viuant, & hoc significare tonsuram: ex conuenienti autem debitum quoddam tunc temporis facere potuit consuetudo.

*Ad 4.*

Ad Quartum respondeo, Quamuis de Episcopis maior sit dubitatio, an ex Iustitia non teneantur de suis superfluis alere pauperes; Gelasium tamen non intelligendum esse de obligatione Iustitiæ, probabilior enim est opinio Soti, maiori quidem obligatione teneri Episcopos ad iuuandum pauperes ex mensa sua Episcopali, non

tamen ex Iustitia, ita vt si negligant, teneantur ad restitutionem.

*Ad 5.* Ad Quintum, Quamuis minor nunc sit proportio Sacerdotum, maior tamen est sacerdotij, maior est sacrificij, maior est numeri Ecclesiarum & templorum. Denique neque decimæ penduntur ea integritate, quâ in lege Moysaica, neq; deest obligatio, vt verba Augustini indicant, quâ Clerici sibi superflua ex illis in pauperes & pios vsus dare teneantur.

*Ad 6.* Ad Sextum respondeo, Esse pauperum quoad debitum, non quoad dominium; quoad debitum inquam charitatis, non Iustitiæ.

*Ad 7.* Ad Septimum respondeo, Reditus Ecclesiasticos, verbi gratia, decimas & similes prouentus, vnde successu temporis erecta sunt Beneficia, ex restrictione donatorum numquam habuisse illud oneris annexum, vt pauperes inde ex Iustitia debuerint ali: sed cùm hoc sperarêt fidelês à Clero, simpliciter ea Ecclesijs obtulerunt. Ex modo autem administrandi, quem Ecclesia aliquâdiu seruauit, factum est, vt superflua sine iniustitia pauperibus à singularibus Clericis, aut etiam distributore, cui iniuncta erat pauperum cura, non negarentur: quem modum ita potuit ipsa Ecclesia postmodum immutare, vt quisque Beneficiatus faceret fructus suos.

*Ad 8.* Ad Octauum, Etiamsi Clerici beneficiati prohibeantur testamento disponere de suorum fructuum residuo, non inde sequitur, verè eos non esse dominos eiusmodi residui: potuit enim Ecclesia hoc sibi reseruare, quando eos post diuisionem dominos esse voluit, & ad omnem vsum potestatem fecit, nisi lege prohibeantur. Ab hac ergò dispositione sine præiudicio dominij lege prohibentur. Eadem est ratio de bonis immobilibus, quæ ex fructibus istis emerint; retinêt enim eamdem naturam: imò quando ex pecunia Ecclesiæ nomine suo sibi comparat Clericus prædium, eius dominus non fit, sed Ecclesia, vt dicit cap. Placuit 12.q.2.& apertiùs Glossa ad verbum Suo.

*Ad 9.* Ad Nonum respondeo, Augustin. illo cap. dicere Episcopum dispensatorem bonorum *Ecclesiæ: vnde non sequitur, quòd post diuisionem, propriorum prouentuum sui Episcopatus non sit verè dominus.

*Ad 10.* Ad Postremum respondeo; Bona Ecclesijs oblata sunt patrimonium Christi, aut bona Dei, etiam illa quorum dominium est Sacerdotum: quia Sacerdotum non fiunt, nisi intuitu diuini ministerij; alioqui ad ius pertinere Sacerdotum, dicitur eadem caussa 12. q. 2.c. Nulli. quo modo etiam in sacrificijs Deo oblatis certa portio fiebat Sacerdotum.

*Superflua ex charitate debentur pauperibus.*

TERTIA ASSERTIO: Ex charitatis obligatione sub mortali tenentur Clerici ad superflua quæ habent ex bonis merè Ecclesiasticis, quæ diximus non æquiparari patrimonialibus, relinquendum pauperibus, aut aliàs in pios vsus.

Hæc assertio omnino certissima est, ita vt contraria nullo modo sit probabilis, aut vllam securitatem in praxi habere possit. Probatur, Quia nemo contrarium sentit, & vt minimum Canones & auctoritates suprà productæ id volunt, & septemdecim rationes, quas pro sua sententia adducit Nauarrus De reditibus Ecclesiasticis, monito 21. Accedit nouissima constitutio in Conc. Trident. sess. 25. c. 1. Vbi & Episcopi & Cardinales, & quiuis Clerici omnino prohibentur consanguineos suos aut familiares ex reditibus Ecclesiasticis augere; permittuntur tamen paupertatis intuitu eisdem ex his reditibus subuenire. Verba Concilij ita habent: *Omnino eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiares ve suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, ijs vt pauperibus distribuant, eas autem non distrahant neque dissipent illorum caussa.*

*Consanguinei vel familiares non sunt ditandi prouentibus Ecclesiasticis.*

Petrus Lorcas Cistercienſis ad huius partis quæst. 32. art. 9. putat Concilium hîc nihil præcipere de fructibus & portione quæ singulis Clericis & Prælatis designata est; sed loqui de bonis quæ sunt in dominio ipsius Ecclesiæ, qualia sunt immobilia, & ius ad reditus annuos. Probat hanc esse mentem Concilij, Primò, Quia remittit ad antiquos Apostolorum Canones, in quibus esse sermonem de bonis immobilibus, patet ex Can. 37. *Sed non eorum* (cognatorum) *prætextu vendât quæ sunt Ecclesiæ.* Probat item Secundò ex voce, *distrahant*; distrahere enim non diceretur Clericus proprios fructus, sed bona Ecclesiæ. Concludit, videri Concilium voluisse illis verbis extirpare dumtaxat abusum, quo multi Ecclesiarum bona aut gratis dabant, aut vili vendebant consanguineis, aut in emphyteusim vel feudum cum detrimento Ecclesiæ dabant.

Verùm huic explicationi magnopere repugnat, quòd apertè Canon debeat de illis rebus Ecclesiæ intelligi, quas possint clerici consanguineis suis & familiaribus, si pauperes ij sint, distribuere vt pauperibus, certum enim est, non posse distribuere eis res Ecclesiæ immobiles. Deinde quam verisimilitudinem habet, etiam simplici Clerico beneficiato hîc inhiberi ne vendat immobilia Ecclesiæ consanguineis suis, cùm certum sit, non esse penes tales vllam facultatem eiusmodi bona vendendi?

Quæres, An sit irrita alienatio horum prouentuum aliter à Beneficiario facta? Videtur enim esse ex cap. Episcopus 12. quæst. 2. Vbi ita habemus: *Si quid de Ecclesia non in Ecclesiæ caussa aut necessitate præsumpserit, quod distraxit aut donauit, irritum habeatur.*

Respondeo; Caiet. quæst. 185. art. 7. Driedo, Ledesma, & alij nonnulli, quamuis existiment Episcopos horum redituum esse dominos; arbitrantur tamen, de superfluis eos ex Iustitia teneri pauperibus: quod Petrus Soto De vita Sacerdotum lectione 3. extendere videtur ad quoscumque Beneficiarios, qui habeant reditus manifestè excedentes honestam sustentationem.

*Alienatio illicita non irrita.*

Verius tamen videtur, ante diuisionem quidem ex Iustitia hæc pauperibus fuisse debita, nunc autem solùm ex charitate, adeoque sine obligatione ad restitutionem, aut irritatione alienationis aliter factæ; siue de Episcopis loquamur, siue de alijs Clericis, siue de decimis, siue de alijs reditibus.

Cap. Episcopus vel intelligendum erit, vbi nondum facta est diuisio, vel vbi Episcopus de bonis Ecclesiæ, quorum dumtaxat habeat administrationem, secùs quidpiam alienauerit. Si quis tamen de Ecclesiasticis bonis disponat in fauorem filiorum suorum illegitimorum, irritam facit eiusmodi dispositionem Constitutio Pij V. quæ incipit, Quæ ordini Ecclesiastico. Ceterùm de fructibus beneficiorum cessis ante mortem Beneficiati, non tamen exactis, videre licet Constitutionem Iulij III. 7. Decretalium edito per Petrum Matthæum tit. 16. cap. 3. quæ tamen non per omnia videtur vsu recepta.



Quæres secundò, An quoad hæc superflua Clericorum ita priuilegiati sint pauperes, vt in alios pios vsus non sint expendenda, nisi pauperibus deficientibus?

Respondeo; Quando magna est necessitas pauperum, aut captiuorum, præsertim illius loci aut prouinciæ, intuitu cuius accipiuntur reditus, illis præteritis non licet vel ipsi Ecclesiæ thesaurizare, aut facultates augere, vt docet S. Thomas suprà quæst. 185. art. 7. itaque tunc neque Clericus poterit aliós pios vsus pauperum necessitati præponere; aliàs licebit.

*Profani vsus qui.*

Quæres tertiò, Qui sint profani vsus, in quos non liceat expendere superflua ex bonis Ecclesiasticis?

Respondeo; Quidquid piæ caussæ nomine non censetur, quale est, maiorâtum pro consanguineis instituere, excedere in supellectili, in conuiuijs, equis, item in largitionibus aliàs liberalibus, etiamsi isti actus virtutis essent in laico, nisi induant rationem eleëmosynæ. Conuiuia moderata secundùm morem similium proborum licita sunt, quia in statu computantur; sicuti etiam largitiones, quæ ex debito gratitudinis fiunt famulis.

*Quousque consanguineis prouideri possit.*

Quæres quartò, Vtrùm non liceat ex eiusmodi bonis Clerico consanguineos vel familiares augere eousque, vt sibi secundùm status sui beneficij qualitatem dedecori non sint?

Respondeo; Probabile est, posse Clericum non tantùm dare consanguineis quæ eis sunt ad statum necessaria, sed etiam ea quæ nonnihil eorum statum excedunt; sed quæ eos decet habere, ne ipsi in dignitate Ecclesiastica dedecori sint: hoc enim non est dare eis superflua sui status, sed supplere defectum status ipsius Clerici.

*An possint augere statum.*

Cauendum tamen hîc, ne putet Clericus sibi statum augendum esse propter solam affluentiam temporalis prouentus, quem beneficium habet: sic enim nihil vmquam pauperibus obnoxium posset supereſſe.

Nobilis etiam qui patrimonium habet quod nobilitati respondet, non debet statum, quatenus nobilitati respondet, exclusis pauperibus, quibus alioqui aliquid superesset, ex solo Christi patrimonio sustentare; sed æstimabit statum qui beneficio respondet, & quanti intersit Ecclesiæ, habere nobilem Prælatum, & quod supereſt, cedet pauperibus. Idem ferè dixero de eminenter erudito.

Quæres quintò, Vtrùm sufficiat eadem quantitas ad mortale, si Clericus in profanos vsus expendat reditus Ecclesiasticos quorum est dominus, quæ sufficit ad mortale furtum?

*Quando peccet mortaliter.*

Respondeo, Clericum peccare mortaliter, prodigendo sua bona Ecclesiastica ad profanos vsus notabili quantitate, in genere profusionis considerata, quæ longè maior considerari debet, quàm in genere furti. Sed hoc valdè periculosum est & frequens, Clericum non tantùm peccare mortaliter, hæc bona in profanos vsus expendendo, sed ea retinendo, cum proposito ea conuertendi in alios vsus quàm in pios.

## CAPVT V.

### *De obiecto Dominij.*

### DVBIVM I.

### *An cœli cadant sub hominum Dominium?*

*Hominum dominium.*

RESPONDEO; Hominum dominium maximè est in res externas sublunares, quarum omnium ante peccatum hominem dominium habuisse, docet S. Thomas 1. parte quæst. 96. art. 2. Confirmatur ex Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, &c. Existimant quidam, etiam cælos subesse dominio generis humani, eò quòd creati sint in ministerium cunctis gentibus quę sub cælo sunt, vt dicitur Deuteronomij 4. Sed verius videtur, potiùs commoditatum quæ ex cælis ad nos proueniunt, quàm ipsorum cælorum dominium nobis esse adscribendum.

### DVBIVM II.

### *An homo cadat sub Dominium hominis?*

*Quo iure seruitus introducta.*

RESPONSIO est affirmatiua, etiam licitè hominem ab homine possideri. Patet ex Sacris litteris, quæ multa habent iudicialia de seruis. Apostolus etiam voluit seruos obedire dominis suis, ad Ephesios 6. ad Colosſ. 3. Neque tamen seruitus est introducta Iure diuino aut naturali, sed humano positiuo, partim Iure gentium, partim ciuili. Imò dicitur esse contra naturam, Institut. De Iure personarum §. 1. &. ff. De statu hominum. L. Libertas. quia est contra naturalem hominum inter se paritatem. Vt enim homo dominetur inferioribus se animãtibus, secundùm naturam est; vt verò homini despoticè dominetur, cõtra naturam est: quia cùm pares sint, vnus non est propter alterum. Politicè tamen, in bonũ ipsius, sapientior dominus est secundùm naturam aliorum non æquè sapientium, vt rectè Philosophus 1. Polit. cap. 3. Denique peccatum quod est contra naturam, seruitutem sua iniustitia iustam fecit. An autem primùm hoc fecerit particulare illud, quod in patrem Cham admisit, si propter dictum Ambrosij cap. 5. de Elia & Ieiunio, qui videtur hoc velle, inquiras, Respondeo; Vt non satis constet, an per hoc peccatum fuerit introducta primùm seruitus; quia tamen Scriptura in pœnam illius primùm meminit seruitutis, ita Ambrosius est locutus, quem imitatur, & hunc ferè in modum explicat Auguſt. de Ciuitate lib. 19. cap. 15. quod immeritò reprehendit Commentarius ille breuior, falsò D. Hieronymo adscriptus, cùm sit Pelagianus, in caput 6. ad Ephesios.

*Seruitus ex peccato.*

*Modi quibus fit quis seruus.*

Fit autem quis seruus alterius, Primò, Iure belli, ff. De statu hominum. L. Et seruorum.

Secundò, Natiuitate, si ex ancilla nascatur, etiamsi pater sit liber, & proles legitima. L. Partum. C. De rei vindicatione.

*Conditiones requisitæ se vendenti.*

Tertiò, Si seipsum vendiderit. Hîc tamen oportet aliquot conditiones concurrere, videlicet, vt se vendens sit maior 20. annis, & sciat se liberum esse cùm venditur: vt quando permittit se ab alio vendi; id faciat vt de pretio participet, & reipsa de eo participet; & qui ipsum vendit, non ignoret esse liberum: & denique vt emptor putet eum

esse seruum, de quo videre licet. ff. tit. Quibus ad libertatem proclamare non licet.

Quartò, Si pater in graui necessitate filium in sua potestate existentem vendiderit, qui tamen se poterit redimere, restituto pretio. C. De patribus qui filios distraxerunt, L. 2.

Quintò, Ratione delicti: quo solo modo Christianus Christiano poterit esse seruus, verbi gratia, si merces prohibitas Saracenis detulerit, & in nauibus ipsorum piraticis curam gubernationis susceperit, capita quorumdam, De Iudæis.

## DVBIVM III.

### *An vita hominis cadat sub hominis Dominium?*

*Vita non est homo dominus.*

SOLVS Deus est Dominus vitæ hominis & membrorum; hoc enim Scriptura indicat Sapientiæ cap. 12. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?* & cap. 16. *Tu es Domine qui vitæ & mortis habes potestatem.* Deut. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam.* Patres idem docent, vt Hieronymus in cap. 1. Ionæ; Philosophi agnouerunt, Pythagoras citatus à Cicerone lib. De senectute. Lex ciuilis expressit, L. Liber homo. ff. Ad legem Aquiliam. Ratio dictat: ideò enim nullo casu potest homo seipsum occidere, quin violet legem Iustitiæ, nisi Dei auctoritate. Hinc solus Christus Dominus, qui simul erat Deus, habuit potestatem ponendi animam suam, & iterùm sumendi eam. Ideò brachio mutilatus, nullam posset compensationem admittere in alio genere, si ipsum brachium ei posset restitui. Accedit quòd vita & viuens sint eiusdem domini: itaque cùm puræ creaturæ repugnet esse dominum suiipsius, etiam homini repugnat esse dominum propriæ vitæ. Hinc etiam Exodi 21. punitur dominus occidens seruum suum. Neque refert, quòd pœnæ non subiaceat, quando vno aut altero die seruus superuiuit; respicit enim lex incertitudinem rei, & quòd possit fieri, vt non sit mortuus ex verberibus domini: de quo videre licet D. Thomam 1.2. quæst. 105. art. 4. ad 3. Simile quid reperitur canone 5. Concil. Elibertini, & habetur dist. 50. c. Si qua femina. vbi & alia Iura huc pertinentia citat Glossa.

*Obiect.* Obijcitur, Homo potest pro defensione rerum suarum vitam periculo exponere.

Secundò, Respublica non solùm potest in bello iusto ciuium capita certissimis obijcere periculis, sed vitæ ac necis in maleficos habet potestatem.

Tertiò, non satis apparet cui faciat iniuriam, qui seipsum occidit.

Denique coniuges mutui corporis ab Apostolo dicuntur habere potestatem; ergo dominium.

*Resp.* Respondeo ad Primum; Quamuis homo non sit dominus suæ vitæ, sed custos, non tamen tenetur ad talem eius custodiam, vt iusta de caussa non liceat ei ex auctoris naturæ, adeoq; Domini, consensu ipsam exponere periculo. Quomodo autem iusta sit caussa, defensio rerum externarum, alibi diximus. Sanè considerari possunt eiusmodi bona, vt necessaria ad honestè viuendum, adeoque ista defensio, pro qua periclitatur vita, erit officium virtutis, & pertinebit ad bona animæ, pro quibus licet iacturam facere boni corporis, adeoque etiam vitæ corporalis.

Ad Secundum respondeo; Sicut potest homo pro defensione capitis obijcere brachium periculo, ita Ius naturæ postulat, vt corpus Reipublicæ pro sui conseruatione exponere possit periculo aliqua sua membra. In maleficos autem Respublica non habet neq; exercet potestatem dominij, sed iudicij, & vindictæ, & conseruationis sui, ad eum ferè modum, quo potest quilibet putridum membrum, quod reliquum corpus tabefaceret, abscindere. Hæc enim potestas in membrum sequitur ex iure custodiæ totius, vt non sit opus restringere potestatem gladij sæcularis ad occidendum illos tantùm maleficos, quos speciatim occidendos declarauerit Dominus vitæ humanæ in Scripturis sacris, vt aliqui voluerunt: imò ex hoc ipso quòd non tam homines quàm maleficos occidendi Respublica habeat potestatem, ciuium custodiam ei incumbere colligimus, non autem competere vitæ humanæ dominium; alioqui pro libito etiam innocentes occidere posset, sicut sua quisque animalia.

*Respublica non habet dominium in maleficos, quamuis eos necet tradat.*

Ad Tertium, Qui se occidit, Deo tamquam Domino, & Reipublicæ tam quam custodi, & dominium altum in commoda ex vtilitate personæ ipsius habenti, facit iniuriam, & alijs quibus fortè vita sua obligata erat.

Ad Quartum, Potestas latiùs patet quàm dominium, vt manifestum sit, etsi coniuges mutui corporis ad actum coniugij habeant potestatem, non propterea habere dominium. Ante coniugium potestatem habebat vir continendi, aut corpus suum alteri per coniugium tradendi; post coniugium hanc potestatem & libertatem amittit, & coniugi fit debitor: non ergo ante coniugium significat Apostolus quemquam corporis sui habere dominium, aut illud post coniugium ad coniugem pertinere; sed solùm Ius tale esse coniugis, vt coniunx vnus continere possit si velit alter, quo nolente non possit, etiamsi ipse velit.

*An coniuges, habeat mutui corporis dominium.*

Si quæras, An ergo nullius boni interni ad corpus spectantis, homo sit dominus?

Respondet Aragonius, Illorum bonorum quæ natura sua non ordinantur ad vitæ conseruationem, non videri homini negandum dominium, vt pulchritudinis, & similium.

## DVBIVM IV.

### *An bona spiritualia cadant sub hominis Dominium?*

RESPONDEO; Quorumdam bonorum spiritualium homo habet quasi dominium, ita vt etiam in illis dies esse possit, secundùm illud Apostoli 2. Cor. 8. *Propter vos egenus factus est, cùm esset dives, vt illius inopia vos diuites essetis.* Ita tenet Sotus, Canus, Aragon, Bannes, Læius, & alij. actuum enim liberorum homo dominus est eo ipso quo liber: consentaneum autem est, vt etiam habituum, quos per hos actus acquirit, sit dominus; quia etiam seruus, vt sup. diximus, eius sit dominus, quod ex peculio suo sibi comparat.

*Quorum actuum & habituum sit dominus.*

Quia verò etiam supernaturales actus liberi sunt, ij quoque ex Dei dono nostri sunt dominij, adeoque etiam virtutes & habitualis gratia, quatenus ab actibus nostris liberis pendet: priori enim Dei dono, quasi vno talento, plura talenta ista lucramur. Donum tamen prophetiæ minùs censebitur nostri esse dominij, quia non pendet certa

*Donum prophetiæ.*



certa lege à libera nostra dispositione; sed magis in eo habet se homo passiuè, vt Lælius obseruat: quia tamen & illud Dei donum est, quod Prophetis subiectum dicit Apostolus 1. Cor. 14. propter liberum eius in Prophetis vsum; non omnino videtur in eo & similibus donis deesse ratio, propter quam eius homo quasi dominus dici queat.

## DVBIVM V.

### *An homo sit dominus suæ famæ & honoris?*

*Homo dominus honoris & famæ.*

CAIETANVS quæst. 73. art. 2. & in Summa verbo Detractio, videtur velle, non propriè dominium, sed vsum tantùm habere quemque suæ famæ, sicut & vitæ. Cùm enim fama sit bonum quoddam medium inter vitam & res externas, existimat ipse, non cum istis, sed cum vita debere censeri.

Verùm communis sententia, & indubiè verior, facit quemque dominum honoris sui & famæ. Ita D. Thomas eadem quæst. 73. art. 4. Antoninus 2. parte, tit. 2. cap. 1. Adrianus quæst. penultima De restitutione: Sotus lib. 4. quæst. 2. art. 3. & De secreto, membro 1. quæst. 3. Couarruuias Variarum resolut. lib. 1. cap. 2. Bannesius, Valentia, Arragon hîc, Nauarrus, Enchiridij c. 18. n. 46. & in cap. Inter verba, conclusione 6. corollario 44.

Probatur, Quia honor & fama sunt partus quidam virtutis, cuius diximus hominem esse dominum. Neque pro Caietani opinione argumentum vllum adducitur alicuius momenti: quòd enim Ecclesiasticus cap. 41. monet, vt curam habeamus de bono nomine; non aliò pertinet, quàm vt omni cura excolamus virtutem, cuius fructus est bonum nomen apud Deum & homines. Fama etiam ita præstans & necessarium est bonum, vt eius prodigalitas ex genere suo videatur esse peccatum mortale, cùm rerum externarum prodigalitas solùm sit venialis.

# CAPVT VI.

## *De prima rerum diuisione, & acquisitione Dominij earum quæ nullius vmquam fuerunt, neque in commune à societate aliqua humana possidentur.*

## DVBIVM I.

### *An conueniens fuerit inter homines diuidi rerum Dominia?*

*Ante lapsũ omnia fuissent communia.*

ASSERTIO PRIMA: Ante lapsum humani generis satis commodè mansissent indiuisa rerum dominia, partim quia rectitudo voluntatis pacem facilè conseruasset in communi rerum vsu; partim quia vel nullo, vel saltem non laborioso cultu terra indiguisset; partim etiam quia nemo superflui quid appetijsset, & necessaria quisque proximo facilè concessisset. Obseruant DD. communionem rerum ita illum statum decuisse, vt tamen vxorum communio etiam tunc omnino contra naturam fuisset.

SECVNDA ASSERTIO: Post lapsum non tantùm licita, sed maximè conueniens, imò & necessaria fuit rerum diuisio.

*Diuisionẽ rerum licitam esse, fidei est.*

Licitam esse etiam inter Christianos, fidei est: Ecclesia enim damnauit eos, qui vel omnes fideles, vel saltem Clericos voluerunt necessariò omnia habere communia, & particularia non habere dominia, vt patet apud Augustinum de Apostolicis, Hæresi 40. & de Pelagio ex Concilio Palæstino, quod refert idem Augustinus Epistola 106. de Ioanne Wiclef in Concilio Constantiensi.

*Post lapsũ necessaria rerum diuisio.*

Non solùm vtilem, sed necessariã esse nunc diuisionem, probo ex incommodis quæ alioqui sequerentur, plerisque detrectantibus onus agriculturæ, & inhiantibus, etiam cum detrimento aliorum, superfluis sibi ex communi agro emolumentis comparandis, aut saltem de vno & eodem agro instar pastorum Abrahæ & Lot facilè contentionem suscipientibus.

*Obiectio.* At inquies, Si ita sit, quomodo ergo cap. Dilectissimis 12. quæst. 1. dicitur communis vita omnibus esse necessaria, & non nisi per iniquitatem homines inter se dicere, Hoc aut illud meum est, & sic rerum factam esse diuisionem.

*Resp.* Respondeo, Clementem illo c. scribere ad fideles ex Iudæis, qui communem vitam exemplo Apostolorum erant amplexi; & propterea non dicit simpliciter, illam omnibus esse necessariam, sed æmulis Apostolicæ disciplinæ. Per iniquitatem autem rectè diuisio facta dicitur, non quòd iniquè ipsa sit introducta, sed quòd occasione peccati. Vnde intelligimus, immeritò hanc epistolam Clementis reprehendisse Centuriatores Magdeburgenses. Obiter tamen ex Turriano lib. 5. cap. 2. pro Epistolis Pontificum annotandum, illud quod in hoc Canone additum reperitur, *In omnibus autem sunt sine dubio & coniuges.* quamuis piè interpretari conetur Glossa, non esse genuinum, sed malignè assutum ab aliquo Platonicæ vxorum communitatis fautore, quod & Gregoriana annotatio monet. In autographo ita non fuisse, docent impressa & manuscripta. Et quomodò esse potuit, cùm testetur Tertull. in Apolog. cap. 38. Christianis suo tempore omnia indiscreta fuisse, præter vxores?

*Obiect. 2.* Dices Secundò, Si Religiosi Apostolicæ vitæ imitatores omnia possint habere communia, ergo non rectè dicitur nunc impossibilis esse vita communis.

*Resp.* Respondeo, Nos non dicere, simpliciter esse impossibilem, sed moraliter impossibilem in Republica perfecta, suppositâ hominum iniquitate: neque enim credibile est, Vtopiam Thomæ Mori in Morauia Anabaptistas assecutos esse, vt hi faciant quod ille finxit; quamuis aliquousque communis vitę tota ipsorum Respublica dicatur imaginem habere. In familijs autem Religiosorum ideò magis possibilis est communis vita, quòd dum Superiori perfectè obeditur, facilè excludantur incommoda, ob quæ necessariam diximus nunc esse diuisionem. Accedit quòd perfecta Respub. varijs constare debeat hominum generibus, agricolis, custodibus seu militibus, & legum prudentibus, vt Philosophus docet. Similia habet Ecclesiasticus cap. 8. Hos autem omnes ita studijs & officijs disiunctos, impossibile esset sine bonorum diuisione viuere, vt hodie sunt hominum mores: qui enim vix legibus coërceri valent vt abstineant ab alienis, non facilè seruarent modum in communibus.

DV-

## DVBIVM II.

### *Quo Iure introducta sit rerum diuisio?*

*Rerum diuisio non est introducta Iure naturæ,*

RESPONDEO & DICO PRIMO, Rerum externarum diuisio non est introducta Iure naturæ. Probatur ex cap. Quo Iure, dist. 8. quod desumptum est ex Augustini tract. 6. in Ioannem. Quamuis enim Iure naturæ distincta sint dominia famæ, honoris, actuum liberorum, & similium quæ etiam in statu innocentiæ fuissent diuisa; communio tamen rerum externarum hactenus rectè esse dicitur Iuris naturæ, quòd manendo in solo Iure naturæ, res eiusmodi relictæ sint hominibus communes. Si tamen homo mansisset in statu in quo conditus est, etiam quodammodò positiuè communitas rerum fuisset Iuris naturæ. Supposita hominum iniquitate, verum est, Ius naturæ inclinare ad diuisionem, quatenus paci hominum conducit: quia tamen simul inclinat ad tollenda ea vitia, propter quæ nunc diuisio est necessaria, nondum habemus modum quo determinatè satis ostendatur diuisio esse Iuris naturæ.

*Neque diuisio Iure positiuo,*

DICO SECVNDO, Diuisio ista non est introducta diuino Iure positiuo. Tale enim neque Scriptura vllum habet, vt dicitur dicto cap. Quo Iure; neque traditio vlla est de eiusmodi Dei lege: meminit enim Scriptura Deum tam in creatione quàm post diluuium hominem dominum constituisse; sed distinctorum dominiorum, vt hoc Petri, illud Pauli sit, non meminit, quamuis post aliunde introductam diuisionem, populo Israel proprietatem Deus dederit terræ promissionis.

*sed Iure humano.*

DICO TERTIO, Bonorum diuisio humano Iure, partim Iure gentium, partim ciuili facta est. Quòd Iure gentium, dicitur ff. De Iustitia & Iure, L. Ex hoc. Quòd partim Iure ciuili, Institut. De rerum diuisione, §. Singulorũ. Iure enim gentium factum est, vt homines cùm viderent diuisione rerum multis incommodis, in quæ per peccatum incurrebant, se posse obuiare; in eam communi consensu conspirauerunt primùm, vt regna haberent diuisa & Reges, & sub illis ciues sua dominia distincta, in quorum distinctione Ius ciuile subseruijt; vocem enim illam veterum Iurisperitorum, *Regis esse omnia*, rectè sic interpretatur Seneca, Iure ciuili omnia Regem imperio possidere, singulos dominio.

*Obiect.*

Dices, Qui furtum admittit, contra Ius naturæ peccat; quod non videtur fieri posse, si solo humano Iure hoc meum, illud tuum sit.

*Resp.*

Respondeo; Quamuis quidam eruditus magni faciat hoc argumentum, nullius tamen est roboris: Ius enim naturæ nos obligat ad vnicuique tribuendum quod suum est, etiamsi ipsius sit, sola voluntate hominum, quorum arbitrio distinctio dominiorum est relicta: alioqui etiam quod hæc vxor huius sit, non ex electione, sed ex Iure erit naturali; quià contra Ius naturæ sit adulterium.

*Communia omnibus.*

Notandum hîc, Iure gentium quædam debere esse communia omnium, qualia sunt splendor solis, aër, fluuij, mare cum littoribus suis; quædam publica, quædam vniuersitatis, vt theatra, & similia. Addebant quædam esse nullius, vt loca sacra. Ita ferè Institut. suprà.

## DVBIVM III.

### *Quomodo comparetur ferarum Dominium?*

*Feræ Iure gentium fiunt capientis.*

DICO PRIMO, Fera Iure gentium fit occupantis. Cùm enim dominatus in feras ab auctore naturæ homini tributus sit; non potuerunt circa acquisitionem ferarum commodiùs homines quidquam statuere, quàm vt quæ aliter diuidi non poterant, ei cederent, qui feritatis remedium ipsa captura inueniret. Ita Institut. De rerum diuisione, §. Feræ.

*Feræ non sunt fructus fundi.*

DICO SECVNDO, Non interest quoad feras, bestias, & volucres, vtrùm in suo fundo quis capiat, an in alieno, neque enim sunt fructus fundi; potest tamen dominus fundi prohibere, ne quis venandi caussa ingrediatur, ita vt sine eius iniuria nemo ibi sit venaturus, etiamsi damnum nullum inferat: nam si damnum dederit, puta segetes conculcauerit, tenebitur sarcire, esto etiam permittente domino sit venatus. Monet Nauarrus, tacitè videri dominum prohibere, si prædium sit muro aut sepe cinctum. Si verò venator domino fundi nullum inferat damnum, etiamsi iniuriam faciat, ad nihil tenetur, nisi aliud habeat consuetudo.

*Venator ad damna agris illata obligatur.*

Sed quid si dominus fundi certò erat ipsemet feram capturus, tenebórne eo ipso ei de fera à me intercepta?

Sanè si prohibuerit venari, volunt DD. me teneri ratione interesse quod iniustè dominus patitur. Aliquando etiam lege constituitur, vt in alieno fundo capta inuito eius domino fera, ipsi reddatur: quæ tamen non erit reddenda ante sententiam Iudicis, si ita constitutum sit in pœnam veriti ingressus, vt rectè Couarruuias in regulam Peccatum, parte 2. §. 8. Secùs erit dicendum, si lex absolutè priuet dominio eiusmodi venatorem: tunc enim ante sententiam testituet.

*Quando fera naturalem libertatem recipiat.*

DICO TERTIO, Quidquid ferarum ceperis, eousque tuum erit, donec tua custodia coërcetur: cum verò euaserit, & in libertatem naturalem se receperit, tuum esse desinit, & rursus occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cùm vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, vt difficilis sit eius persecutio. Ita Institut. suprà.

In Pandectis tamen de acquirendo rerum dominio L. 4. excipitur fera, quæ mansuefacta emitti ac reuerti soleat: ea enim, quamdiu animum reuertendi habuerit, id est, quamdiu nondum deseruit consuetudinem reuertendi, prioris domini manet, & conditionem subit domestici animalis; ita vt etiam pars eius è lupi faucibus extracta, domino sit restituenda. Nauarrus c. 17. numero 128. dicit, animum redeundi censeri amisisse, cùm ad dies & horas consuetas bis redire desinit, quod idem sufficere putat Siluester verbo Inuentum. Verùm præcisè nimis & anxiè id dictum esse rectè monet Molina disp. 41. qui maluit totum prudentis iudicio relinqui, & posse contingere, vt non censeatur amissa, etiamsi mense integro non reuertatur, eò quòd facilè recuperari queat.

DV-



## DVBIVM IV.

### *An à te vulnerata fera, etiam fiat alterius capientis?*

INSTITVT. suprà §. Illud quæsitum, capientis fieri dicitur, eò quòd multa accidere soleant, vt eam non capias. Et hoc ferè sequuntur DD. Quando tamen ita vulnerasses, vt moraliter certò eras capturus, ex æquitate saltem & epijkia, in foro conscientiæ tua erit, non capientis, nisi tu persequi desieris. præsumptio enim Legis tunc locum non habebit.

## DVBIVM V.

### *An tua erit fera, quæ meo laqueo capta est, si eam inde abstuleris?*

MVLTI DD. fauent extrahenti, propter L. In laqueum. ff. De acquirendo rerum dominio. Existimo tamen, non tantùm ex æquitate, sed etiam ex illa ipsa Lege benè intellecta, aliter dicendum esse.

*Fera tuo laqueo capta, quando tua.*

DICO itaque PRIMO, Si fera non poterat iam elabi antequam certò eam eras tibi extracturus, non fiet eius qui eam abstulerit è laqueo, quem in priuato fundo, vel proprio, vel cum domini consensu tetenderas; sed qui eam inde dimiserit, aut abstulerit, tenebitur tibi de valore feræ: nam etiamsi fortè eius non comparaueras dominium, quia nondum manu apprehenderas, de quo infrà; Ius tamen ad rem in eam habebas, ratione cuius actio tibi dabitur in factum extrahentis aut dimittentis.

*Quando extrahitis.*

DICO SECVNDO, Si verò in fundo publico, aut priuato, sed alieno, sine domini consensu laqueum posueris, in quem fera, puta aper, incidit, sed ita vt diutiùs luctando euadere potuerit; qui superueniens eam extraxerit, faciet suam, quamuis ex æquitate fortè tibi aliquid inde debebitur, æstimandum pro magnitudine caussæ, quam vt caperetur dedisti.

DICO TERTIO, Si fera è laqueo tuo, quem fortè loco publico posuisti, elabi non poterat, tibi debetur, non extrahenti. Si laqueus in fundo alterius contra eius prohibitionem à te fuerit positus, dominus fundi ad nihil tibi tenebitur, si eo laxato feram dimiserit; tenebitur tamen extraneus si id fecerit; potest enim dominus à fundo suo laqueum amouere: si verò dominus fundi eam sibi extraxerit, ex Iure communi tibi reddet, deducto damno quod fortè vel in fundo, vel in libertate ei dedisti ponendo laqueum: nisi aliter habeat lex loci, aut consuetudo, aut meritò censearis ei remittere, ne tecum agat iniuriarum.

Quæres, An fera quæ laqueo tuo ita induta est, vt luctando exuere se non possit, aut fortè iam in eo suffocata est, in tuo dominio censeatur, antequam eam inde extrahendo apprehenderis?

Respondeo, Probabilius esse quòd sic, quia L. In laqueum, generatim dicit, quòd aper in potestatem meam venit, meum esse. Quòd autem in potestatem meam Lex voluerit venisse aprum, quando incidit in laqueum meum inexplicabilè, indicat verbis sequentibus, quando addit, eum qui dimisisset è laqueo aprum in naturalem suam laxitatẽ, facto suo facere vt desinat aper esse meus. Ita sentit Molina disp. 42. Confirmatur; Quia fera laqueo sic induta, amisit naturalem libertatem, & in hominis venisse videtur dominium vtique eius qui laqueo libertatem ademit, & quasi artificiali manu apprehensam & captiuam tenet.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm venatio possit prohiberi in locis publici Iuris?*

CVM fera Iure gentium fiat occupantis, & Ius gentium ne quidem à Principibus tolli queat, multis Iurisconsultis visum est, non posse Principem interdicere venationem, aucupium, aut piscationem in locis publici Iuris. Nam quòd quisque in proprio fundo ea prohibere possit, ex diuisione facta consequitur, quæ diuisio non habet locum in locis publicis, non minùs cuilibet ad ingressum parentibus, quàm si nulla facta esset rerum diuisio.

*Verior sententia.*

Aliorum tamen sententia contraria est, quam ferè Theologi sequuntur, eiusmodi prohibitionem Principi iustà de caussa esse licitam. Quæ sanè melior est sententia. Quòd enim feræ Iure gentium fiant occupantis, ideò est, quia ipsæ per se diuidi non poterant, cùm non sint in potestate hominum: atqui Ius eas occupandi his aut illis locis indubiè constituere homines possunt; loca enim ad venandum in ipsorum sunt potestate, vt distribui possint, quamuis ipsę feræ in eorum potestate non sint: itaque non minùs in potestate hominum erit, in publicis locis consensu suo facere, vt huic aut illi soli liceat in eis venari, quàm sit in potestate ipsorum, in eiusmodi locis certæ alicui personæ seruitutem aliquam concedere.

*Princeps potest interdicere venationẽ certo tempore,*

DICO itaque PRIMO, Certum est, Principem posse interdicere venationem certis anni temporibus, puta tempore niuis, aut fœturæ: posset enim sic etiam prohibere, ne quis proprium agrum ante tempus demetat, aut vindemiet. Item certum est, posse Principem prohibere venationem certis instrumentis aut modis, puta sclopetis, infectione aquæ, &c. interest enim Reipublicæ, non nimis vastari aut turbari feras.

*Et sibi ad eam certa loca reseruare.*

DICO SECVNDO, Cùm populi consensu etiam certum est, posse Principem certa loca publici iuris sibi reseruare, in quibus solus venetur. Neque enim eiusmodi loca ita obnoxia sunt ciuibus, vt non possint Principi cedere Ius suum. Neque verum est, quòd etiam peregrinis ita obnoxia sint, vt Respublica eis interdicere non valeat, quo minùs ibi venentur; sunt ergo Reipublicæ: vt mirum non sit, suo consensu eam posse Principi in illis venationem appropriare.

DICO TERTIO, Etiam inuito populo, quibusdam positis, posset Princeps sibi, soli vendicare certis locis publicis venationem, aucupium aut piscationem certi generis aut modi, aut etiam simpliciter: quamuis inhumanum foret, adimere subditis omne genus eiusmodi voluptatis. Conditio autem iustæ prohibitionis erit, vt Princeps ademptam eiusmodi libertatem populo compenset, verbi gratia, minora exigendo tributa. Vbi etiam æquum fuerit eò respici, an hæc venationis vendicatio Principi æquè sit vtilis, & populo non magis grauis, quàm erat tributum quod remittitur. Ad hæc cauebit Princeps, ne sibi soli reseruando venationem, damnum inferat populo in priuatis agris, multiplicatis feris. Neque satis est

quòd

quòd velit illud damnum posteà sarcire; tum quia vtrumque cauendum est, & ne per iniuriam proximus damnum patiatur, & ne damni negligatur restitutio; tum etiam quia eiusmodi restitutio non carebit difficultate, cùm facilè contingat, eos plus damni passos esse, qui minus sentiunt commodi ex compensatione Principis, verbi gratia, remisso aliquo vectigali.

*Sic etiam inferiores domini, sed ex Principis concessione.*

DICO QVARTO, Inferiores domini temporales possunt ex Principis concessione, iusta aliqua ex caussa sibi reseruare venationem in locis publicis: propria tamen auctoritate, inuito populo, nihil eiusmodi de nouo vendicare sibi possunt, sicuti nec tributa noua indicere. Poterunt tamen ad tempus interdum, quando bono publico expedit, non quidem lege, sed edicto venationem interdicere, vt docet Couarruuias suprà citatus.

Dico *de nouo*, quia legitimi temporis præscriptione poterunt etiam inferiores domini ius venandi feciſse sum; nisi per tyrannidem inchoasse, aut mala fide, subditis obmurmurantibus, per potentiam incusso metu, continuasse possessionem reperiantur, aut fortè possessio ortum habuerit à concessione populi solùm ad tempus.

## DVBIVM VII.

### *Quomodo puniri possit, aut teneatur ad restitutionem, qui contra legitimam prohibitionem fuerit venatus.*

NON posse in vita aut etiam corpore puniri, nisi fortè leuiter, vbi sæpiùs fuerit deprehensus, communis est sententia: neque tamen id intellexero de illis, qui veneno flumen infecerint, quos grauiter posse puniri, indubitatum est.

*Venator quomodo non teneatur restituere.*

Ad restitutionem quod attinet, illud à Couarruuia ex communi sententia relatum, non teneri venatorem restituere feram, quam contra legis prohibitionem in fundo alieno ceperit, nisi in casibus quos suprà excepimus, quando lex non solùm venationem prohiberet, sed incapacem dominij sic comparandi venatorem redderet, aut sanè domino fundi animal adiudicaret.

Hinc patet, Clericum qui contra Canones venatus feram ceperit, eam facere suam: idem iudicium de eo, qui die festo contra inhibitionem Ecclesiæ venaretur, verbi gratia, die Paschatis.

Verùm quid dicendum, si eo loco venatus quis fuerit, vbi Principi aut alicui alteri ius venandi peculiariter est reseruatum?

Sanè hîc aliquam debere restitutionem, admiserim, non tamen totius feræ quæ capta est (nisi fortè certò erat eam Princeps capturus) sed alicuius minoris pretij, quo æstimabitur damnũ venatione illatum: quod idem etiam considerandum erit, vt iudicemus, an quantitas in hac iniustitia sufficiat ad peccatum mortale. Neque enim mortaliter peccabit, qui feram tanti valoris cepit, vt ad mortale furtum alias sufficeret; sed qui damnum intulerit contra Iustitiam, quod prudens ad eam quantitatem æstimaret, quæ ad mortale in furto sufficiat.

Vnde vlteriùs infero, Quando damnum infra eiusmodi quantitatem illatum fuerit, sub mortali venatorem ad restitutionem vllam non teneri: ad quam tamen tenebitur, quoties damnum attigit eiusmodi quantitatem, etiamsi quod cepit non attingat.

## DVBIVM VIII.

### *Venæ metallicæ primùm inuentæ cuius Dominio accenseantur, domini fundi, inuentoris, an Principis?*

*Venæ quo Iure sint domini fundi.*

RESPONDEO & DICO PRIMO, Mando in solo Iure gentium, venæ istæ, etiam antequam inueniantur, pertinent ad dominum fundi, adeoque non debent censeri in bonis quæ domino carent; sunt enim pars fundi naturaliter ei agnata, aut fructus: pars, si non renascantur ibi metalla aut marmora excisa; fructus, si renascantur. Vnde colligitur, quando renascuntur, cedere vsufructuario.

DICO SECVNDO, Iure tamen ciuili communi, vel particularium regnorum, metallicæ istæ venæ regulariter censentur esse nullius, antequam inueniantur. & in hoc differunt à lapicidinis, fodinis carbonarijs, & similibus. Ius enim considerat venas illas tanti esse pretij, vt meritò non debeant censeri tamquam accessorium vilis alicuius agelli; sed cùm sint quasi matrix metalli admodum necessarij publico vsui, & rariùs ac difficiliùs eas reperiri compertum sit, censetur meritò Respublica ita restringere priuata dominia, vt eiusmodi venæ eximantur.

DICO TERTIO, Ius tamen effodiendi ad inquirendum eiusmodi venas ita pertinet ad dominum fundi, vt nemo priuatus ipso inuito effodere possit: potest tamen Princeps, aut etiam quiuis auctoritate Principis, modò resarciatur damnum quod fundo infertur. Resarciatur inquam habenti Ius ad fructus qui impediuntur, si illi soli nunc impediantur, aut si in posterum impediendi sint, etiam illis qui damnum essent percepturi.

DICO QVARTO, Vbi inuenta fuerit vena metalli, ea est inuentoris vel Principis, in solidum vel diuisim, vt habuerit lex regni, aut consuetudo: æquitas tamen postulat, vt etiam domini fundi habeatur ratio, præsertim si eam certò ipse erat reperturus.

# CAPVT VII.

### *De acquirendo priuatis Dominio rerum, quas homines vel ciues in commune possident, vel quæ priuati alicuius fuerunt, sed domini amiserunt.*

## DVBIVM I.

### *An prohiberi possit lignatio in siluis communibus, aut pastio in pascuo communi?*

DICO PRIMO, Sicut prohiberi potest à Republica venatio illa, quæ multùm vastat feras, ita etiam in communibus siluis ea lignatio, & in compascuis ea pastio, quæ siluas aut pascua nimiùm vastaret; puta quando surgentia & tenera adhuc ligna succiderentur, aut radicitus euellerentur, aut vernantia pascua intempestiua pastione inutilia redderentur.

DICO SECVNDO, Debet seruari proportio in his compascuis aut communibus siluis, etiam



etiam ab ipsis oppidorum dominis, ne sibi plus inde sumant, quàm par sit.

*An teneatur restituere.*

DICO TERTIO, Qui contra prohibitionem hîc fecerit, si membrum sit oppidi, cuius est commune pascuum, ordinariè quidem ad mulctam tenetur post sententiam iudicis; non tamen ad restitutionem, nisi damnum magnum esset, & constaret communitatem velle restitui.

*Quibus cessibus non obligetur.*

DICO QVARTO, Si paueris in pascuo vicini oppidi, aut lignatus fueris in silua, teneris restituere. Excipiendi hi casus. Primus, Quando censentur oppida sibi mutuò meritò id remittere, eò quòd hinc inde idem faciant. Secundus, Si quis viator necessitate compulsus, equum in vicinis pratis pascit: quod enim non est licitum in lege, necessitas facit licitum. De Regulis Iuris, C. Quod non est. Tertius, Si animal amissum sit sine tua culpa, & alienum depascitur, & velis potiùs cedere animal, quàm restituere damnum, L.1.ff. Si quadrupes pauperiem fecerit.

*Cui pœna subijciuntur.*

DICO QVINTO, Pœna contra eiusmodi lignatores, etiam in siluis alicui proprijs, debet esse moderata aliqua & leuior pecuniaria, nulla ratione corporalis, sicut aliorum qui furta admittunt: non enim solent hi notari infamia furum, quamuis reuerà furtum sit quod admittunt.

## DVBIVM II.

### *Thesaurus inuentus ad quem pertineat?*

*Thesaurus quid.*

THESAVRVS aliquando accipitur vt significet quod lucri, metus vel custodiæ caussa θησαυρον, hoc est in futurum, à domino depositum est: quo modo certum habet dominũ, cui indubiè sit restituendus ab inuentore. Sed aliter hîc accipimus, vt accipitur L. Numquam. ff. De acquirendo rerum dominio. Vbi ita definitur: *Thesaurus est vetus quædam depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat. Pecuniæ* nomine hîc intelligimus quæcumq; mobilia, ex L. Nemo, C. De thesauris, de hoc itaque thesauro quæritur, cuius fiat, quando inuenitur?

*In proprio fundo.*

Respondeo, & DICO PRIMO, Si quis thesaurum in proprio suo fundo inueniat, fit inuentoris, nisi fortè inuenerit arte aliqua legibus odiosa, de quo infrà. Patet ex citata L. Nemo, &§. Thesauros, Institut. De rerum diuisione: sequitur Glossa in cap. Si quid 14 quæst. 5.

At si emptor in domo recèns empta, dum fabros induxit, inueniat thesaurum, eritne venditoris, an emptoris?

Respondet L. A tutore. ff. De rei vindicatione, fore emptoris. Addo, licere communi pretio tibi emere domum, in qua nôris latere thesaurum, vt eum tuum facias; neque enim thesaurus fuit in bonis venditoris. Ita communiter DD. & confirmant ex parabola Euangelica Matth. 13.

*Si duo domini fundi.*

DICO SECVNDO, Si duo sint domini fundi, vnus qui habet dominium directum, alter qui vtile, & hic inuenerit thesaurum, retenta sibi, tamquam inuentori, medietate, reliquam medietatem æqualiter diuidet cum domino directo. ita Molina tract. 56. ex communi sententia.

At quid si inuito emphyteuta dominus directus fundum effoderit, & thesaurum inuenerit?

Sanè videtur nihilominùs dicta distributio locum habere, vt quarta solùm pars emphyteutæ cedat, nisi fortè in fundo damnum acceperit, quod ipsi resarciri debeat.

*In fundo dotali.*

DICO TERTIO, Si in fundo dotali thesaurum inuenit maritus, aut quicumque vsufructuarius, in fundo cuius tantùm habet vsumfructum; media pars erit vxoris aut proprietarij: imò nihil ex eo accedet marito, præter vsumfructum, sed totus erit vxoris, illo casu quo totus cederet domino fundi. Ita communiter DD.

*In loco publico.*

DICO QVARTO, Si fortuito casu inueniatur thesaurus in tali loco sacro, aut publico, qui dicitur esse nullius, totus erit inuentoris; secùs si in loco publico qui ad ciuitatem pertineat, ad Cæsarem, aut fiscum: tunc enim cum illis erit diuidendus. Ita Institut. suprà.

*In fundo alterius.*

DICO QVINTO, Si de industria inuito domino in fundo alterius queras thesaurum, medietas statim est domino fundi tradenda, altera autem medietas à te seruari poterit vsque ad sententiam iudicis, qui te compellet secundùm leges etiam illam domino fundi restituere, vt patet dicta L. Nemo, C. De thesauris. Non dissimile videtur iudicium, si vbi noueris esse thesaurum, alio prætextu à domino impetraris facultatem fodiendi.

*Magica arte inuentus.*

DICO SEXTO, Potest Princeps loco debitorum sibi vectigalium ærario suo applicare thesauros inuentos, aut maiorem eorum partem: cùm enim domino careant, satis rationi est consentaneum, vt applicentur communibus Reipublicæ vsibus.

DICO POSTREMO, Magica arte inuentus thesaurus non est inuentoris, sed Principis sibi illud sumet, quod ad inuentorem alioqui pertineret; non tamen tenetur inuentor ante iudicis sententiam Principi tradere, quia est lex pœnalis. Patet C. De thesauris, suprà.

## DVBIVM III.

### *Quomodo comparetur Dominium rerum à priore domino abiectarum & derelictarum?*

*Quæ pro derelictis non habentur.*

CVM ea quæ domino carent, Iure gentium fiant occupãtis, & dominium amittatur animo rem non ampliùs habendi pro sua; dubium non est, quin bona abiecta & derelicta fiant occupantis, quod etiam Iura dicunt, Institut. De rerum diuisione, §. Hoc ampliùs, & sequenti. & ff. Pro derelicto, per totum. Illud tamen hîc cauendum, ne pro abiectis habeantur, aut derelictis, quæ talia non sunt, verbi gratia, bona vacantia & incerta.

*Bona vacantia.*

Vacantia vocant bona eorum qui intestati discedunt, & neminem habent, qui secundùm leges ab intestato ei succedat.

*Bona incerta, vt sunt inuenta.*

Incerta, quæ longissimo tempore possideri non desierunt, tamen ignoratur dominus: cuiusmodi sunt communiter inuenta, & agri quorum propter bella, famem, aut pestem domini ignorantur. Quomodo autem præsumi debeat, dominum res suas abiecisse aut dereliquisse, potiùs iudicio prudentis relinquendum est, quàm coniecturis æstimandum, quas tradit Gabriel in 4. dist. 15. q. 3. Nauarrus Enchirid. c. 17. n 170.

*Bona naufragorum.*

Non debent etiam pro derelictis haberi bona naufragorum, aut quæ in tempestate leuandæ nauis caussa eijciuntur. Institut. suprà, §. Alia sanè. Imò qui Christianorum naufragorum bona vsurparint,

parint, excommunicantur per Bullam Cœnæ, & à Paulo III. grauissimæ in eos pœnæ statuuntur lib. 7. Decretalium, tit. De nautis & naufragium patientibus. Potest tamen res eiusmodi recuperans æstimare operam suam, & periculum vitæ quod subijt; non tamen periculum pereundi in quo res fuit. Quamuis enim certò erat peritura nisi tu extraxisses, non tamen potes eam tibi ideò retinere, nisi ideò iam dominus significauerit, se eam donare occupanti, aut opera tua eius pretium adæquet, & eam nolit dominus restituere.

Res etiam per vim fluminis abreptæ non habentur pro derelictis, nisi adeò parui sint pretij, & adeò longè dominus absit, denique adeò magna industria adhibenda fuerit in eis recuperandis, vt meritò censeatur eas dominus proijcere potiùs, quàm omnia illa subeat dispendia.

Si agellus simul cum vinea & arboribus vi fluminis à fundo tuo auellatur, & fundo alterius coniungatur, tuus manet: si tamen arbores in alterius fundo radices egerint, accedunt domino fundi, Institut suprà, §. Præterea. Quod verò insensibiliter per alluuionem tuo agro accreuerit, Iure gentium tibi acquiritur.

## CAPVT VIII.

### *De translatione Dominij, priori domino inuito, potissimùm per Præscriptionem.*

QVAMVIS nihil æquè conueniens sit æquitati naturali, quàm voluntatem domini rem suam in alium transferentis ratam haberi, Institut. De rerum diuisione, §. Per traditionem: lege tamen effici potest, vt etiam iusta sit dominij translatio inuito domino, puta per bellum iustum, per sententiam in pœnam criminis, aut sanè per legem, quo modo bonis suis priuantur hæretici; vel denique etiam sine culpa prioris domini, per legitimam præscriptionem: qui modus solus hîc erit explicandus, quia de alijs alibi commodiùs tractatur, puta in materia de Bello, de Iudicijs, de Hæresi.

### DVBIVM I.

### *Quid sit Præscriptio?*

*Præscriptio varie accipitur.*

PRÆSCRIPTIO apud antiquos Iureconsultos idem est quod Exceptio. Est autem Exceptio, qua reus se opponit actori, non negato eius fundamento, sed allegata caussa propter quam nihilominùs eius petitio non debeat admitti. Ita accipitur ff. tit. De exceptionibus & præscriptionibus.

Secundò accipitur præscriptio pro specie peculiari exceptionis, videlicet pro exceptione peremptoria, quando reus allegat se fuisse in possessione rei, Iuris, aut libertatis, tempore legibus definito. Ita accipitur C. De præscriptione longi temporis, & alibi in Iure ciuili sæpè. Crediderim autem quasi antonomasticè hanc exceptionem dictam præscriptionem, quòd quàm plurimum actori concedatur: omnibus enim quę allegat non obstantibus, solo quasi temporis lapsu reus actionem elidere conatur, vt non tam non esse, quàm senio quasi emarcuisse Ius actoris ostendat.

Ex hac secunda acceptione trahitur vox præscriptionis ad acquisitionem dominij ipsius rei, quam præscribendo nostram facimus: quo modo in Iure canonico & apud recentiores Iureconsultos passim accipitur. Neque differt ab vsucapione, quamuis vsucapio ad acceptionem præscriptionis pro exceptione non sit extendenda. Vnde natum est quod Couarruuias dicit in Regulam Possessor 1. parte, præscriptionem esse exceptionem, vsucapionem autem esse ipsam dominij acquisitionem per vsum & possessionem.

Quòd verò vsucapionem ponant in rebus tantùm mobilibus, præscriptionem in immobilibus; à recentioribus refutatur, tamquam Iuri minùs conforme. Vide Molinam disp. 60.

Vsucapio itaque siue præscriptio definitur L. 3. ff. De vsucapionibus, vt sit acquisitio dominij per continuationem possessionis, tempore lege definito, cum modo & conditionibus lege statutis. *Quid præscriptio.*

### DVBIVM II.

### *An ad Præscriptionem requiratur possessio?*

REQVIRI dicitur De regulis Iuris in sexto, Regula 3. & patet ex definitione præscriptionis: sed inquirendum, qualis debeat esse possessio.

Vbi in primis certum est, non sufficere, imò nec requiri naturalem: sufficit autem & requiritur ciuilis, quamuis efficacior sit ciuilis naturali coniuncta. Ita ferè Couarruuias, ad Regulam Possessor, initio 2. partis, numero 7. *Qualis possessio requiratur ad præscriptionem.*

Secundò requiritur, vt suo nomine proprio possideat, qui suo vult præscribere: neque enim tutor possidens bona pupilli præscribere ea potest, neq; colonus aut conductor. L. 1. C. Communia de vsucapionibus. Emphyteuta tamen Ius emphyteuticum præscribere potest. Quamuis enim agrum possideat nomine alieno, Ius tamen emphyteuticum suo nomine possidet.

Tertiò requiritur, vt qui possidendo præscribit, sit dominij capax, alioqui sibi non præscribet, etiamsi rei tamquam suæ insistat. Hinc Religiosus sibi nihil præscribit, sed monasterio, etiamsi vitio proprietatis possideat tamquam suum. Hinc etiam laicus Ius decimarum non præscribit, quantumuis longo tempore eas tamquam suas detineat; quia illius Iuris incapax est eo ipso quo laicus, cùm Ius illud sit Ecclesiasticum, de quo videre licet c. Caussam, De præscriptionibus.

Quartò, necessarium est, vt possessio toto illo tempore quod Iure requiritur, fuerit continuata, vt patet ex definitione. Vbi nota, duplicem esse interruptionem possessionis, naturalem & ciuilem. Naturalis est per loci inundationem, & prodest quibusuis quorum interest. Ciuilis quandoque fit per litem contestatam, quandoque per solam citationem, & non prodest omnibus quorum interest, sed interrumpenti, ita vt contra alios possit currere præscriptio. Glossa in Regulam Sine possessione, De regulis Iuris in 6.

Quintò, Si quis per se possidendo præscribat, debet ei possessio esse cognita. Per seruum tamen, aut filium, etiam ignorans, potest quis possidere & præscribere. Glossa modò citata. Imò in præscriptione Iurium incorporalium possessio præscribentis debet esse coniuncta cum scientia & patientia eius contra quem præscribitur, aut illius qui Iura illa tradere potest. Couarruuias suprà, numero



numero 8. Qui tamè quasdam ponit exceptiones, vtpote quando agitur de præscribenda libertate, aduersus olim constitutam seruitutem; item in præscribenda seruitute cum titulo, aut in præscriptione temporis immemorabilis.

### DVBIVM III.

### *An titulus sit ad Præscriptionem necessarius?*

*Tituli probatio quando requiratur.*

ASSERTIO PRIMA: Præscriptio minor tricennali, requirit vt præscribens possit probare, se certo aliquo titulo probabili rem possedisse & possidere cœpisse, verbi gratia, emptionis: non tamen requirit vt is titulus fuerit verus, sed existimatus titulus sufficit, vt præscriptio verum titulum suppediret, Glossa in cap. Dilectio. 16. quæst. 3. & in 2. Regulam Iuris in 6.

*Quando nõ requiratur.*

ASSERTIO SECVNDA: In præscriptione triginta vel quadraginta annorum non requiritur tituli probatio, sed sufficit bona fides: excipe nisi quando Ius est contrarium, aut aliunde oritur præsumptio malæ fidei.

ASSERTIO TERTIA: In præscriptione temporis immemorabilis, etiam vbi contra præscribentem est Iuris communis præsumptio, non requiritur tituli probatio.

ASSERTIO QVARTA: In centenaria præscriptione contra Romanam Ecclesiam, aut quadragenaria contra aliam Ecclesiam, non requiritur tituli probatio, nisi sit contra præscribentem Iuris communis præsumptio: tunc enim ea requiritur, aut saltem vt eius loco probet immemorabilis temporis quasi possessionem. Couarruuias suprà §. 5.

### DVBIVM IV.

### *Qualis bona fides ad Præscriptionem requiratur?*

QVANDO res non est mea, triplici ratione cogitari possum eam bona fide possidere vt meam. Primò si existimem esse meam. Secundò, quia quamuis dubius hæream, & non existimem esse meam, non tamen habeo conscientiam quòd sit aliena. Tertiò, quia existimo me eam licitè possidere, quamuis non certò sciam esse meam. Sit

*Præscriptio bona fide inchoanda.*

PRIMA ASSERTIO: Vt currat possessori præscriptio, oportet ea fide rem apprehenderit quando eam possidere cœpit, vt existimarit esse suam; ad continuandam autem præscriptionem talis bona fides in progressu non requiritur, sed sufficit secundi generis, vt nimirum quamuis dubitet an res sit sua, non tamen habeat conscientiam quòd sit aliena, cùm diligenter inquisierit veritatem. Est communis DD. Prior pars colligitur ex cap. Dilectio 16. quæst. 3. & cap. Vigilanti, cap. Si diligenti, Extrau. De præscriptionibus. Posterior patet ex cap. finali ibidem, & cap. Si virgo 34. quæst. 1. & 2. Ratio autem assertionis est, quia plus requiritur vt quis bona fide censeatur rem incipere possidere, quàm vt possidere pergat. Cùm enim in dubio melior sit conditio possidentis, potest rem sibi quisque possessor bona fide seruare, quamdiu non habet conscientiam rei alienæ: verùm vt incipiat eam sibi sumere bona fide, necessum est vt existimet esse suam. Alterutro autem modo necessariam esse bonam fidem in quacumque præscriptione, omnino certissimum est: nam quòd ciuiles leges eam non requirebant in tricennali siue longissimi temporis præscriptione, per Canones correctum est, eaque correctio etiam in foro seruanda est.

Dubitant tamen quidam, vtrùm sine fide bona præscribi non possit contra actionem personalem, eò quòd videatur ita præscribens neque iniustus esse possessor, cùm non sit possessor; neque peccare, quando debitum non soluit, quod non exigitur.

Verior tamen est sententia, etiam in illis opus esse bona fide, & Iure canonico ciuile esse correctum: ita sentit Lælius secutus Couarruuiam. Hactenus de bona fide primo & secundo modo.

At magnum est dubium, an etiam tertio modo bona fides requiratur ad præscriptionẽ; videlicet, an etiam illi possessori currat præscriptio, qui non habet quidem conscientiam rei alienæ, sed quia dubitat an sit sua, putat sibi non licere eam retinere, & nihilominùs retinet?

Probabilior est opinio quæ negat, de quo sit

*Error Iuris impedit præscriptionem.*

SECVNDA ASSERTIO: Possessor in proposito existimans sibi non licere rem secundùm leges retinere, etiamsi in eo erret, & verè retinere possit, propter illum errorem retinendo non præscribit. Ita habet apertè L. Si fur. ff. De vsurpationibus & vsucapionibus. Quæ Lex meritò hîc obtinet, quia præscriptio inuentum est Iuris positiui. Neque deest æquitas: meritò enim lex ei non suffragatur, qui minùs eam videtur reuereri. Itaque hîc habemus ignorantiam quæ tollat bonam fidem, & inutilem faciat ad præscribendum. Nunc videndum quæ ignorantia hîc ponat bonam fidem, de quo sit

*Ignorantia facti non impedit.*

TERTIA ASSERTIO: Bona fides, quæ oritur ex ignorantia inuincibili aut probabili facti, sufficit ad præscribendum; secùs, si oriatur ex ignorantia etiam inuincibili & inculpabili Iuris, nisi Ius illud sit in se valdè ambiguum, & etiam apud peritos controuersum. Prima pars huius assertionis receptissima est apud omnes, & ex ea sequitur, si inuincibiliter ignorem venditorem furatum esse rem quam mihi vendit, posse me præscribere; secùs, si crassa sit ignorantia mea: quia si diligentiam debitam adhibuissem, facilè deprehendissem furto sublatam. Secunda pars patet ex L. Numquam, ff. eod. Tali enim bonæ fidei, quæ est ignorantia Iuris, lex non suffragatur quoad præscriptionem; suffragatur tamen ad alios effectus, verbi gratia, vt talis possessor interim faciat fructus suos. Nauarrus de præscriptionibus, consilio 2. Tertia pars est Nauarri ibidem, Couarruuiæ, & aliorum, quos refert & sequitur Molina disp. 64.

Verùm cùm aliquando contingat heredem bona fide possidere quod defuncti us mala fide acquisiuit, meritò hîc inquirendum est, An eiusmodi bona fides ad præscriptionem sufficiat heredi, de quo sit

*Quando heredi sua bona fides sufficit in ijs quæ prædecessor mala fide possedit.*

QVARTA ASSERTIO: Vt computet præscriptionem, etiam solo tempore quo ipse possedit, heredi vniuersali non sufficit sua bona fides, si prædecessor immediatus mala fide possedit; in particulari autem herede sufficit. Est communis DD. Panorm. cap. Si diligenti, De præscriptionibus, numero 29. Molinæ disp. 65. Couarruuiæ in Regulam Possessor, 2. part. §. 9. qui benè refutateos, qui hîc faciunt distinctionem Iuris

canonici & ciuilis, quasi non perinde vera sit prior assertionis pars iure canonico, ac ciuili. Facit huc L. Cùm heres ff. De diuersis tẽporalibus præscriptionibus; item L. Si mala fide, C. Communia, De vsucapionibus. Ratio est, Quia heres vniuersalis personã defuncti repræsentat, adeò vt non magis possit rem præscribere, quàm defunctus si superuixisset: atque ita fictione Iuris hic idem est, ac si is qui mala fide possessionem inchoauit, per alium possessionem continuet. Idem, inquam, est quoad præscriptionem, quidquid sit de amissione possessionis quibusdam casibus, de quo consulendus Couarruuias.

Est tamen probabile, in præscriptione tricennaria & longioris temporis, quando requiritur titulus, sufficere bonam fidem heredis vniuersalis, etiamsi mala fide defunctus possederit; modò heres non vtatur accessione temporis.

Notandum & illud, ab assertione excipiendum hîc esse heredem, qui aliunde quàm à defuncto iustum titulum habuerit: item heredem eius qui non verè habuit malam fidem, sed solùm secundùm præsumptionem & fictionem Iuris. Quapropter etiam restringimus assertionem ad heredem immediatum; quia heres heredis potuit præscribere, cùm is quem repræsentat non habuerit verè malam fidem, sed solùm fictione & præsumptione Iuris.

## DVBIVM V.

### *Quantum temporis requirat Præscriptio?*

AD præscriptionem non sufficit rem bona fide possideri, sed oportet sic possideatur tempore lege definito.

*Præscriptio rei mobilis.* DICO itaque PRIMO, Ad præscriptionem cuiuscumque rei mobilis sufficit inter præsentes possessio bonæ fidei triennalis cum titulo. Couarruuias suprà §. 2. numero 5. Molina Disputatione 68. Lælius De præscription. numero 3. & est textus apertus Institut. De vsucapionibus, in principio. Extendenda autem est assertio etiam ad res Ecclesiæ, etiam Romanæ, vt patet Authentica Quas actiones, C. De sacrosanctis Eccles. s.

*Immobilia præscriptio.* DICO SECVNDO, Rei immobilis præscriptio contra priuatos cum titulo & bona fide absoluitur decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes, tricennio autem sine titulo, etiam inter absentes. Ita de decem & viginti annis Institut. De vsucapionibus. de triginta autem L. Sicut in rem, & L. Si quis emptionis, C. De præscript. triginta vel quadraginta annorum. Videre etiam licet clarissimè hæc tradita apud Gratianum 16. quæst. 3. cap. Placuit. *Præsentes* hîc dicuntur ex L. vltima, C. De longi temporis præscriptione, qui domicilium habent in eadem prouincia, id est, inquit Molina, tractu qui subsit vni iudici supremo sub Rege, siue interim in ea prouincia sita sit res præscribenda, siue non.

At quæres, Quid si contra quem præscribo, partim præsens, partim absens fuerit?

Respondeo, Tunc sufficere duplicari illud tempus quo absens fuit, L. Quòd si quis, C. eodem.

*Contra pupillos non præscribitur.* Notandum hîc, Contra pupillos non dari præscriptionem, nec mobilium nec immobilium: contra minores autem vigintiquinque annis datur, sed solùm tricennalis.

Notandum secundò, Cùm sine titulo contra priuatum valeat tricennalis præscriptio rei immobilis, etiam mobilium valere; & quia quoad res mobiles hîc non est priuilegium Ecclesiæ, etiam valebit contra eam.

*Datur præscriptio contra Ecclesiam Romanam.* DICO TERTIO, Res immobilis contra Ecclesiam Romanam præscribitur spatio centum annorum; contra alias verò Ecclesias valet quadragenaria præscriptio. De Ecclesia Romana patet cap. Ad audientiam, & cap. Cùm vobis, De præscriptionibus: item cap. Nemo 16. quæst. 3. & Authentica Quas actiones, C. De sacrosanctis Ecclesijs. De alijs Ecclesijs patet assertio cap. Ad aures, De præscriptionibus, vbi etiam Ecclesiæ contra Ecclesiam exigitur quadragenaria præscriptio, & cap. De quarta, dicitur non sufficere tricennalis, quamuis cap. Illud autem, vbi rursus statuitur quadragenaria hæc præscriptio, dicatur, quoldam Canones admittere tricennalem. Ecclesiæ æquiparantur loca pia, legata, & donationes ad pias causas, monasteria, & hospitalia. Olim omnes Ecclesiæ & pia instituta centenariæ præscriptionis priuilegio gaudebant, vt patet Authentica Vt inter, C. De sacrosanctis Ecclesijs: verùm illud posteà proprium factum est Romanæ Ecclesiæ, vt diximus.

*Contra res Principis.* DICO QVARTO, Res Principis præscribuntur varijs modis. Bona enim fisco incorporata non præscribuntur nisi quadraginta annis; debita Principi in recognitionem supremæ potestatis numquam præscribuntur: potest tamen quis præscribere contra Principem, vt ei definat esse subditus, non tamen contra summum Pontificem. Principatui reseruata Iura, verbi gratia, indicendi tributum, instituendi tabelliones, & similia, sine titulo præscribuntur tempore immemoriali; cum titulo, obnoxia sunt quadragenariæ præscriptioni; denique coronæ annexa spatio centum annorum præscribuntur.

*Contra Beneficium Ecclesiasticum.* DICO QVINTO, Beneficium Ecclesiasticum præscribitur decennio inter præsentes, vicennio inter absentes interueniente titulo; nam sine titulo prætenso Canonicæ institutionis non potest in Beneficij possessione præsumi bona fides. Trium annorum possessio sine ingressu Simoniaco, munit Beneficiatum contra cuiusuis impetitionem. Imò vt probabilis habet opinio, reddit possessorem bonæ fidei posteà in conscientia securum, etiam quando constiterit collationem non fuisse validam. Ita tenet Emanuel Sà, post Nauarrum De præbendis, consilio 30. qui pro se citat antiquum Iurisconsultum Guillelmum De monte Serrato.

*Et contra Ius patronatus.* DICO SEXTO, Ius patronatus tempore ordinario potest præscribi aduersus priuatum decennio inter præsentes, vicennio inter absentes; nullo tamen tempore à laico aduersus Ecclesiam certò liberam: si enim certò non sit libera, Parochiani in Ecclesia parochiali Ius patronatus præscribunt cum titulo quadraginta annis, sine titulo, tempore immemoriali. Est communis apud Couarruuiam & alios.

*Homo libet non sit seruus præscriptione, seruus tamen sit liber.* DICO SEPTIMO, Contra hominem liberum, vt seruus tibi fiat, nullo tempore præscribere potes: econtrà tamen seruus contra dominum libertatem præscribit vicennio, etiam sine titulo. In seruitutibus alijs, tam mixtis quàm merè realibus, ferè obtinet temporis ordinarium.

DICO OCTAVO, Debita tam mobilium quàm



*Debita quomodo præscribantur.* immobilium debitor contra creditorem triginta annis præscribit, nisi creditor habuerit in bonis debitoris hypothecam: tunc enim opus est quadraginta annis. Si tamen hypotheca mea tacito meo reditu vendita sit tertio, poterit is contra me ordinario tempore præscribere.

*Fisco debita.* Fisco debita ratione non soluti vectigalis, præscribuntur quinquennio; debita verò ratione alterius delicti, non præscribuntur ab eo qui deliquit, sed ab eius successore quinquennio; qui nec ipse tamen præscribet, si actio sit ex crimine hæresis.

*Legata.* Denique legata & fidei commissa non nisi tricennali subiacent præscriptioni. Fusiùs hæc Couarruuias & Molina.

Ceterùm generatim in omni præscriptione videndum est, vt tempus computetur non interruptum, neque impeditum per bella, cap. Ex transmissa, De præscriptionibus. Con. Hispal. 2. cap 1. quomodo etiam tempore schismatis contra Rom. Ecclesiam non currere præscriptionem, dicitur c. Cùm vobis, suprà citato. Potest tamen heres quem vocant suum, quando defunctus fuit in bona fide, vti accessione temporis, vt quasi continuet possessionẽ prædecessoris quem repræsentat. Vtitur etiam possessor accessione prioris temporis, quãdo præscriptio solùm dormiuit propter bellum, mortalitatem, vacationem Prælaturæ, aut quia is, contra quem præscribitur, non potuit agere; secùs quando verè præscriptio est interrupta. Hactenus de tempore præscriptionis.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm sit tutus in conscientia, qui post legitimam præscriptionem, agnito errore, rem detinet?*

*Sententia prior.* ANCEPS ista apud DD. est controuersia. Quidam enim cùm omnino existiment præscriptione non transferri dominium, sed solùm auferri actionem priori domino in foro exteriori; putant in foro animæ præscribentem non fore tutum, etiam absoluta legitimè præscriptione, si nouerit certò rem fuisse alienam. Ita ferè Summa, Rosella.

*Sententia 2.* Alij distinctionem quamdam adhibent satis scrupulosam: dicunt enim præscriptione verè transferri dominium, quando prior dominus negligentia suæ rei peccaaie mortaliter; aliàs non transferri, sed ei esse restituendam. Ita Adrianus in 4. De restitutione.

*Sententia 3.* Alij dicunt, præscribentem rem non posse retinere quando ex caussa lucratiua, id est, titulo gratioso fuit cõparata, puta quia accepit dono: posse autem si titulo oneroso acceperit, puta emptionis, &c. Refert hanc opinionem Panormitanus, in cap. Vigilanti, De præscriptionibus.

*Sententia 4.* Alij etiam, eo concesso quòd dominium transferatur in præscribentem, negant eum posse rem retinere, vbi conscientiam habuerit, quòd verè fuerit aliena quando præscribebat: aut saltem volunt, non posse absque animæ læsione eam contra priorem dominum defendere.

*Sententia 5.* Alij, quos citat Couarruuias, dominium directum dicunt præscriptione non transferri, sed manere apud priorem dominum: qui tamen rursum in eo variant, quòd quidam dicant, præscribentem habere solùm dominium vtile; alij autem ei concedãt etiam dominium directum, quod dicunt simul cum ipso retinere priorem dominum.

*Sententia 6.* Alius quispiam dixerit, Iure quidem ciuili transferri dominia per præscriptionem, sed hoc Iure Pontificio esse correctum.

*Sententia verior.* Ceterùm communior & verior est sententia, Tutum esse in conscientia eum qui præscripsit cum titulo, bona fide, tempore à lege constituto, etiamsi dum iam perfecta præscriptione intelligit rem fuisse alienam, eam sibi retineat. Tenet ita D. Thomas Quodlibeto 12. art. 25. Glossa in c. Vigilanti, De præscript. Panormitanus ibidem, qui dicit esse communiorem Canonistarum: Siluester & Caietan. verbo Præscriptio: Conradus De contractibus quæst. 15. conclus. 3 & 4. Couarruuias ad regulam Possessor, 3. parte, §. 2. & recentiores tam Theologi quàm Iureconsulti communiter. Sit itaque

PRIMA ASSERTIO: Certum est, leges ciuiles non tantùm adimere actionem veteri domino contra quem præscribitur, sed verè dominium rei concedere possessori legitimè præscribenti. Patet L. 3. ff. De vsucapionibus: vbi dicitur vsucapio esse adiectio, vel vt alij legunt, adeptio dominij.

*Caussa cur præscriptio concessa.* SECVNDA ASSERTIO: Iustitia legis vsucapione transferentis dominium, neque solùm, neque præcipuè fundatur in negligentia puniendã prioris domini, sed quatuor eius ferè sunt caussæ. Prima, vt certa sint rerum dominia; L. 1. ff. De vsucapionibus, Institut. eodem §. 1. Secunda, Vt lites & contentiones in Republica vitentur, & aliquando finiantur, ff. Pro suo, L. vltima. Tertia, Vt quisq; moneatur rem suam non negligere, c. Vigilanti, De præscriptionibus. Quarta, Vt negligentiæ veteris domini aliqua ex parte puniatur. Ita colligunt ex dicto cap. Vigilanti; eoque pertinet, quòd Panorm. in Rubricam De præscriptionibus, præscriptionem describat, Ius quoddam ex tempore congruenti, auctoritate legum vim capiens, pœnam negligentibus inferens, & finem litibus imponens. Imò quatuor istæ caussæ ad vnam reuocantur, quam in reliquis intendant leges; nimirum, Vt finis sit litium quæ oriuntur dum incerta sunt dominia. Hoc enim ita expedit Reipub. vt meritò propterea iustificetur præscriptio.

Confirmatur Assertio; Quia Lex de præscriptione non est pœnalis, alioqui præscriptio statim lapso tempore non adimeret dominium priori domino, sed expectanda esset sententia iudicis; quod tamen nec illi volunt qui dicunt adimere, quando negligentia fuerit mortaliter culpabilis: quod ideò minùs solidum est, quia, vt rectè Molina, si quando leges videntur respicere ad negligentiam, non debent censeri eam velle punire vt culpam habet Theologicam, sed solùm vt ciuilem quemdam defectum, ex quo lites oriri soleant.

TERTIA ASSERTIO: Procedit in iudicio animæ præscriptio etiam possidenti ex caussa lucratiua. Est communis Panorm. & Molinæ suprà; Iura enim simpliciter loquuntur de possessore bonæ fidei.

QVARTA ASSERTIO: Qui legitimè præscripsit, potest salua conscientia in iudicio exigere contra priorem dominum, rem suam repetentem: qui enim vtitur Iure suo, nemini facit iniuriam.

QVINTA ASSERTIO: Quamuis prior dominus, contra quem res præscripta est, ex multorum sententia, quæ hîc aliquousque vera censeri poterit, adhuc retineat quasi natiuam, vt loquuntur, actionem, ratione cuius agere possit pro rei vendicatione, si reperiatur apud tertium, causſam ab eo qui præscripsit non habentem, quia fortè pro derelicto possidet; verius tamen est, ipsa præscriptione eum non solùm amisisse dominium vtile, sed etiam directum, vt fusè contra multos Iureconsultos ostendit Couarruuias. Cùm enim certum sit secundùm leges, eum fieri dominum qui præscripsit; satis etiam certum sit, idem dominium non posse in solidum penes duos esse, L. Si vt certo. ff. Commodati: consequens est, priorem desinere esse dominum, & à posteriore posse excludi tamquam à re aliena; imò non posse contra ipsum præscribere cum conscientia præcedentis præscriptionis, tamquam vitiante bonam fidem, quod multo euidentiùs verum erit, quando priorem dominum solùm conducto aut commodato rem iterùm possidere contigerit.

*In conſcientia tutus eſt qui præſcripſit.*

Ex his constat, in conscientia tutum manere qui præscripsit. Quod confirmatur; Quia Ius Canonicum, cuius finis est salus animæ, cap. Cùm contingat, De iureiurando, probat præscriptionis leges cap. De quarta, & alijs varijs capitulis, Extrau. De præscriptionibus. Accedit quòd lex ciuilis aliàs iusta, obliget in conscientia; iustam autem esse legem, quæ tribuit præscribenti dominium rei præscriptæ propter commune bonum, iam satis ostendimus.

Verùm contrà obijcitur Primò sæpè citatum cap. Vigilanti, vbi videtur derogari legi ciuili, statuenti Ius præscriptionis. Postquam enim Pontifex dixisset, Ephesinum legislatorem præscriptionem introduxisse, subiunxit: *Nobis autem tam in rebus cognitis quàm in latentibus placuit non habere vigorem.*

Respondeo, Pontificem solùm velle, siue conscio & negligente ptiore domino, siue inscio quis mala fide rem alterius possideat, non posse ipsum præscribere, etiamsi leges in tricennali & quadragenaria ptæscriptione bonam fidem olim non requisierint. Corrigit ergo legislatorem Ephesinum, non quoad præscriptionem simpliciter, sed quoad tricennalem & quadragenariam, quatenus eam etiam mala fide vigorem habere volebat.

Obijciunt & Regulam 48. De regulis Iuris in 6. quæ ita habet: *Locupletari quis non debet cum alterius iniuria aut iactura.*

Respondeo, *aut* disiunctiuam poni pro & copulatiua. Deinde Regulam habere exceptionem in præscriptionibus; vtrumque enim ibi dicit Glossa.

Denique verissimus sensus est, neminem debere locupletari cum iactura alteri per iniuriam illata; diximus autem quomodo præscribens iniuriam non inferat.

Tertiò obijcitur, Nemo, inquit, sua re priuandus sine sua culpa.

Respondeo verum id esse, nisi alia subsit iusta causſa, per regulam Sine culpa, De regulis Iuris in 6. hîc autem subest, videlicet fauor publicæ vtilitatis.

Quartò obijci potest argumentum à simili: Etiamsi iudex ei rem adiudicet, pro quo falsi testes deposuerunt, non tamen ei confert rei dominium: ergo etiamsi lex ei faueat qui præscripsit, non tamen verè facit eum dominum.

Respondeo negando consequentiam: Quia iudex non tribuit Ius illud, sed solùm declarat ex prescriptione falsa; lex autem Ius prescribenti tribuit ex vera causſa publici boni.

Quintò obijcitur, Bonum illud publicum satis obtinetur, si solùm negetur actio antiquo possessori, & nouus possessor relinquatur suæ conscientiæ.

Respondeo, Assumptum non esse verum; bonum enim publicum, quod leges præscriptionis intendunt, est, ne incerta sint rerum dominia, quod non obtineretur. Addo ex Couarruuia, etiamsi litium finis immediatè tantùm concernat forum exterius, sufficere quòd propter istam rationem iusta sit lex præscriptionis: omnis enim lex iusta conscientiam obligat, nisi fortè iusta solùm sit propter præsumptionem, quod hîc verum non esse (quamuis etiam illud aduersarij vrgeant) ex dictis satis ostenditur.

Sextò obijcitur, Causſa quare præscribens legitimè possideat, est bona fides; ergo illa cessante, etiam post præscriptionem cessat legitima possessio.

Respondeo, Post præscriptionem non cessare bonam fidem, sed potiùs fieri meliorem, etiam in eo qui tunc rescisit rem fuisse alienam; nouit enim iam certò rem esse suam vigore legis: neque solùm eo excusatur, quòd non habeat conscientiam rei alienæ, vt priùs.

## DVBIVM VII.

### *Quænam præscribi non possint?*

*Dnima nõ præſcribuntur à laice.*

PRIMO, Non possunt à laicis præscribi decimæ: quia ciuiliter eas possidere numquam censentur. Eadem ratione præscribere non possunt ecclesias, loca religiosa, Ius primitiarum, oblationum, aut alia spiritualia Iura, vt notat Siluester.

Secundò, Non possunt præscribi quæ Principi debentur in recognitionem supremæ potestatis. Similiter contra Superiorem non præscribit subditus nomine suo obedientiam, visitationem, & procurationem, quæ ratione visitationis debetur. cap. Cùm non liceat, & cap. Accedentes, De præscriptionibus.

Dico *nomine suo*; quia nomine alterius, cui de subiectione respondet, prescribere potest. Quamuis enim subditus contra Prælatum non præscribat, Prælatus tamen subditos pro se præscribere potest contra eum qui olim Prælatus fuit, cui præscriptioni cooperari subditi qui præscribuntur possunt, quando antiquo Prælato obedientiam negant, & nouo præstant. Consulatur cap. Cùm ex officij, De præscriptionibus.

*Res furto ſublata non præſcribuntur longo, ſed longiſſimo tẽpore.*

Tertiò, Præscriptione longi tẽporis, id est, trium, decem, aut viginti annorum, non potest præscribi res furto sublata; sed benè longissimo tempore, triginta videlicet annorum, & vltrà. Institut. De vsucapione, §. Furtiuæ, & ibi Glossa. C. De vsucapione pro emptore, L.6. & 7. Eadem est ratio de re aliter vitiosa, puta quia vi possessa est.

Quartò, Res indiuisa non potest præscribi, quocumque tempore ab vno herede contra alios coheredes: neque enim tam suo, quàm communi nomine possidet.

Quin-



Quintò, Loca publica aut partes eorum vsucapi non possunt. ff. De vsucapione, L. Præscriptio.

Sextò, Successor vniuersalis bona fide non præscribit rem mala fide possessam à prædecessore, vt suprà diximus.

Septimò, Homo liber non vsucapitur. L. vltima, C. De longi temporis præscriptione.

Octauò, Limites indubitati prouinciarum, Episcopatuum vel Parochiarum non præscribuntur, cap. Super eo, De Parochijs. Eadem erit ratio Ducatuum, Comitatuum, vt monet Lælius. Prædiorum tamen limites præscriptioni sunt obnoxij, cap. Quia iudicante, De præscript.

Nonò, Contra neruum Ecclesiasticæ disciplinæ non præscribitur, verbi gratia, quòd tempore interdicti pulsari possint campanæ, cap. Cùm inter, De consuetudine.

Decimò, Res fisci non præscribuntur nisi quadraginta annis.

Vndecimò, Bona dotalia, bona maioratus, fidei commissum, legatum, accepta ab eo qui contra leges alienauit, non admittunt præscriptionem nisi longissimi temporis: aduentitia etiam bona filij per patrem alienata non præscribuntur contra filium, quamdiu exisſit in potestate patris. Plura videre licet in Glossa ad dictum cap. Cùm non liceat.

## DVBIVM VIII.

### *Quibus concedatur reſtitutio in integrum contra Præſcriptionem?*

*Minoribus 25. annis conceditur reſtitutio contra præſcriptionẽ, etiam longiſſimi temporis.*

DICO PRIMO, Minoribus qui nondum expleuerunt vigesimumquintum annum, etiamsi non ignorauerint contra se præscribi, conceditur restitutio in integrum contra præscriptionem etiam longissimi temporis, modò eam petierint saltem ante lapsum quadriennij, inchoandi ab anno vigesimosexto suæ ætatis. L. vnica, C. Si aduersus vsucapionem: & L. vltima, C. De temporibus in integrum restitutionis. Idem priuilegium habet Ecclesia, cap. 1. & 2. De restitutione in integrum, in 6. & Glossa ibidem; estque communis sententia, imò Ecclesiæ subducitur in præscriptione tempus quo vixit Prælatus qui malè alienauit, vt notat Lælius.

*Item maioribus 25. annis, ſed iuſtu ex cauſſis.*

DICO SECVNDO, Maiores viginti quinque annis in integrum restituuntur contra præscriptionem longi temporis, si fuerint occupati tempore præscriptionis contra hostes Reipublicæ, aut in simili publica causſa, vel captiui: imò ex qualibet iusta causſa, L. 1. ff. Ex quibus causſis maiores, &c.

Verùm in quæstionem vertitur, An etiam hi sint restituendi contra præscriptionem longissimi temporis?

*Etiam contra præſcriptionem longiſſimi temporis.*

Respondeo, Quamuis Couarruuias id neget, est tamen probabile, aliquando restituendos esse, licet non tam facilè ac minores. Restituendi inquam erunt, quando Reipublicæ causſa aut aliàs iustè impediti, per absentiam suam ignorarunt inuincibiliter, contra se præscribi. Dicta enim L. vltima, De temporibus in integrum restitutionis, videtur dicere, durante eiusmodi causſa non magis debere eis præscriptionem obesse, quàm minoribus: requiritur tamen vt plenè possint probare suam ignorantiam inuincibilem, iustam aut probabilem, vt ex illa sola iustam causſam habeant petendæ restitutionis in integrum: imò Decisio Rotæ 387. 1. parte, vult, debere ignorantiam istam esse ex omni parte excusabilem, circa quam nulla interuenerit negligentia, adeoque probabiliter opus esse vt ignorauerint non solùm alterum possidere, sed etiam ad se rem aut Ius ad illam pertinere.

*Quando petendæ reſtitutio in integrum.*

Nota tamen, numquam concedi illi restitutionem in integrum, qui finit labi quadriennium post absolutam præscriptionem.

Sed controuersia est, An quadriennium illud currat etiam ignoranti?

Affirmat Couarruuias, negant alij, & volunt solùm à die scientiæ computandum esse. Quorum sententia, quæ probabilis est, si recipiatur, iam aperietur via qua etiam fiat restitutio in integrum contra prescriptionem centenariam, de quo vide Decisionem Rotæ 42. 3. parte.

An autem ei sit concedenda restitutio in integrum, qui scienter permisit labi tempus præscriptionis, si in Reipublicæ causſa abfuerit, aut aliàs iusta in eo causſa consideranda veniat, disputatum videre liceat apud Couarruuiam.

# CAPVT IX.

## *De Promiſſione præuia Donationi, qua transfertur dominium volente priore domino.*

## DVBIVM I.

### *Quid ſit Promiſſio?*

*Promiſſio.*

PROMISSIO simplex definiri potest, deliberata & spontanea fidei obligatio, qua quis se alteri animo exteriùs ad hoc significato obligat ad rem bonam & possibilem præstandam. Promissio simplex aut nuda dicitur, sicuti & pactum, quando non roboratur ex eo quòd res promissa sit aliàs debita, nec onus imponitur, nec apponitur iuramentum, neque vestitur stipulatione aut traditione rei, vt videre licet apud Siluestrum verbo Pactum, quæst. 2. Est enim in proposito eadem ratio pacti simplicis & promissionis, nisi fortè per nudam promissionem etiam illam intelligas, quæ non est acceptata à promissario, quam pollicitationem vocant, vt patet L. 3. ff. De pollicitationibus; promissio enim acceptata est pactum quoddam.

*Qualis deliberatio ad eam requiratur.*

Dico *deliberata*; quia indeliberata promissio non est valida; cùm ne quidem sub veniali obliget, etiamsi Deo fuerit facta: deliberatio autem talis requiritur quæ sufficiat ad peccatum mortale, adeoque opus erit vt promissor conferat actum promissionis cum suo opposito, atque ita aperiatur via liberæ voluntati, vt eam amplecti possit aut repudiare, vtrimque ostensa aliqua ratione boni quam eligat.

*Promiſſio metu extorta, irrita eſt.*

Dico *spontanea*; quia promissio simplex non habet vigorem, si metu etiam leui aut fraude extorqueatur: est enim in illis pactis & quasi contractibus, quæ natura sua plenam postulant libertatem, saltem per iniuriam ad hoc ipsum metu aut fraude non imminutam. Imò hoc ipsum natura nudæ promissionis apertè pre se fert: cùm enim supponatur aliunde esse indebitum quod promitti-

tur, non nisi per iniuriam ad id promittendum metu quis adigi potest. Existimant tamen nonnulli, simplicem promissionem non eo ipso esse nullius valoris, quo fit ex metu, sed posse irritari ab eo qui iniuriam passus est. Verius tamen crediderim, eo ipso esse irritam, quamuis conualescat, quando promissor læsus in integrum restitutionem sibi debitam omnino liberè remittit, saltem adiuncta huius remissionis exteriori significatione.

*Propositum non sufficit ad promissionem.*

Dico *fidei obligatio*; quia ad promissionem non sufficit propositum faciendi, aut significatio illius propositi, multo minùs significatio futuri beneficij, etiam in gratiam alterius; sed opus est, vt verbis aut signis vim obligandi habentibus promissor se promissario ad rem præstandam obliget: quod fallit incautos, qui dum sibi spem fieri vident, mox promissum interpretantur. Vnde non erit promissio si dicat, Faciam si voluero, L. Sub hac, ff. De obligationibus & actionibus: erit autem, si dicat, Faciam cùm volam; quia priori verborum forma nullo modo obligat fidem suam, posteriori autem obligat quidem, sed tempus sibi liberum seruat. Quare ex hac forma etiam heres promissoris tenebitur, etiamsi promissor moriatur antequam declaret se velle; ex priori autem non tenetur, nisi declarauerit se velle. De quo videre licet Nauarr. in cap. Hæc autem verba, De pœnitentia, dist. 1.

*Solo animo non fit promissio.*

Dico *animo exterius ad hoc significato*; quia vt coram homine non sufficit animus solus, ita neque sufficit sola exterior promissio. Si enim animo alio quàm tuam fidelitatem obligandi dicas te facturum, aut etiam promittere, verbi gratia, ciuilitatis aut etiam iactantiæ caussa; non est vera eiusmodi promissio. ff. De ædilitio edicto, L. Sciendum. Fieri tamen potest, vt qui verbis simulat se promittere, teneatur ad euitandum aut resarciendum damnum, quod promissarius dum ei fidit incurrit. Ceterùm humanæ & maximæ Christianæ sinceritati debetur, vt non in corde & corde, sed veritatem quisque loquatur cum proximo suo, vt vbi os patet, ibi & cor dilatetur (2. Cor. 6.) Denique vt etiam exterius tantùm facta promissa seruentur; nam reuerà exterior promissio saltem animum quodammodò promittentem promittit, nisi promissarius secùs accipiat.

*Debet esse re bona.*

Dico *ad rem bonam præstandam*; quia nemo potest ex virtute fidelitatis obligari ad peccandum. Cùm enim sit obligatus ad non faciendum ex præcepto alterius virtutis; non potest fieri vt imponatur ei obligatio ad idem faciendum, ex inclinatione fidelitatis; quia bonum bono non est contrarium.

*Ad promissionem validam non requiritur vt fiat sine peccato.*

Duo tamen hîc notanda sunt. Vnum est, non requiri ad promissionem validam, vt ipsa fiat sine peccato, verbi gratia, vt non fiat contra prudentiam; si enim deliberatè promittas, etiamsi secundùm prudentiæ leges debebas non promittere, teneris. Alterum est, fieri interdum, vt actus qui esset vitiosus, si fieret sine promissione, fiat honestus & licitus, quando fit quia promissus est, etiamsi promissio ipsa illicitè facta sit: excessus enim contra mediocritatem rationis aliquando cessat, supposita promissione. Contingit enim vt prodigè promissio sit facta, prodigè tamen non præstetur quod promissum est. Vbi tamen videndum, An aliunde non maneat illicita prodiga donatio, verbi gratia, quia donator se suosque priuaturus sit rebus necessarijs; tunc enim promissio non obligabit.

Postremò requiritur possibilitas rei præstandæ, quia nemo potest ad impossibile obligari, vt habet Regula Iuris.

## DVBIVM II.

### *An aliquam obligationem inducat Promissio interna?*

*Sententia quorumdā.*

SOTVS lib. 4. quæst. 5. art. 1. & lib. 7. q. 2. art. 1. Arragonius quæst. 88. art. 3. docent, probabile esse, obligare etiam solo animo factam homini promissionem: obligare inquam, manendo in solo Iure naturæ, sic promittentem, vt eam promissario manifestet.

Pro qua opinione eiusmodi produci potest argumentum: Promissio merè interna, si accedat iuramentum etiam merè internum, obligat; ergo etiam ipsa non iurata. Probatur consequentia, Quia iurata ista promissio non tantùm obligat, ne Deus in falsum testem adducatur, sed etiam quia promissario verum Ius ex ea natum est, quod remittere possit promissionem relaxando.

*Verior sententia.*

Verior nihilominùs est contraria sententia, ne quidem manendo in solo Iure naturæ, vllam obligationem inducere promissionem solo animo homini factam, quamuis vota Deo solo animo nuncupata teneant. Ita tenet S. Thomas quæst. 88. a. 1. Et quidem Iure positiuo non obligare merè mentalia eiusmodi promissa, satis patet ex L. 1. ff. De verborum obligationibus. Certum etiam est, quando promissio requirit repromissionem, vt cõtingit in matrimonij promissione, non posse sola mente hominem immediatè homini obligari. In quo peccauit Wiclef, qui dixit, matrimonium posse celebrari solo actu interiori, vt testatur Wal-denſis De Sacramentis cap. 132.

*Promissio interna inualida.*

*Error Wiclef.*

Quare autem etiam Iure naturali generatim interna promissa sint inualida & inefficacia ad obligandum, veram existimo hanc rationem, quòd promissio quæ fit homini, vt ei Ius pariat & promissorem teneat obligatum, debeat fieri cum quadam ordinatione congrua societati hominum inter se: est enim promittere, inquit S. Thomas, actus rationis, cuius est ordinare. Itaque sicuti homini nihil iubemus sola mente, hominem non oramus sola mente, sed solùm iubere & orare proponimus; ita neque propriè promittimus, sed solùm promittere proponimus. Sicuti enim iubendo & orando proximum ordinamus ad aliquid nobis præstandum, ita promittendo nosipsos ordinamus ad aliquid ei præstandum. Adde, sicuti in tuum dominium non transit res mea, nisi traditione; ita vt Ius habeas ad acceptandum rem à me promissam, æquum est vt illud tibi quasi tradam: non trado autem, nisi verbis aut alijs signis voluntatem meam exterrùs indicem.

Hinc patet, etiamsi promissarius sine mea significatione, fortè per reuelationem diuinam, sciret & acceptaret promissionem meam internam, nihilominùs per illam me non obligatum iri.

*Respõdetur ad argumẽtum pro altera opinione.*

Ad argumentum pro altera opinione respondeo, Quando per iuramentum Deus testis & fidei iussor adhibetur, fieri posse vt obliget mentalis promissio, primariò quidem respectu Dei, accessoriè autem & consecutiuè etiam respectu hominis, cui aliquid præstare iurasti. Ita ferè Molina disp. 266. Sanches tamen infrà citandus rectè moner, etiam eiusmodi iuramentum non obligare, si non Deo, sed homini fieri intelligatur.



*Promissio externa nemine præsente non obligat.*

Ex dictis colligitur, manendo in Iure naturæ nullam oriri obligationem, si quis etiam exteriùs promittat nemine præsente, aut promittat verbis præsenti surdoaut infanti; quamuis Iure positiuo cautum sit in fauorem infantis, non opus esse acceptatione eius, vt ei facta promissio reuocari nequeat.

*Obiect.*

At inquies, Si promissio interna nõ obliget, quia non est acceptata, obliget saltem quoties secundùm Iura non requiritur acceptatio, de quo infrà.

*Resp.*

Respondeo vt infrà dicemus, Leges non tam volunt, pollicitationem in quibusdam casibus obligare sine acceptatione, quàm promissorem non posse reuocare quod pollicitus est, sed debere liberum relinquere promissario, vt si velit acceptet promissionem sibi factam: promissio autem interna nondum ita facta est vt acceptari possit, multo minùs vt ius eam acceptandi homini vllum creatum sit.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm obliget Promissio merè externa, facta sine animo promittendi aut se obligandi?*

RESPONDEO, Sine intentione sese obligandi, saltem tacita & interpretatiua, neminem posse aliquid promittere, aut sese exteriùs promittendo obligare; quia intendens promittere, & non apponens explicitè intentionem contrariam qua velit non obligari, censetur intendere se obligare. Si tamen qui non vult promittere, velit videri promittere, fieri potest vt in foro externo à iudice cogendus sit ad promissum præstandum, aut, vt suprà insinuauimus, teneatur promissario de damno.

*Ignorans promissionẽ obligare.*

Quæres, Si quis ignoret promissionem habere vim obligandi, vtrùm talis obligetur, si promittat sine intentione se obligandi?

Respondet Sanches l. 1. de matrim. disp. 9. non obligari, etiamsi non habuerit voluntatem positiuam se non obligandi. Aduerte tamen, talem non habere voluntatem promittendi propriè loquendo; quia probabilius est, quamuis obligatio sit effectus tantùm promissionis, voluntatem tamen se obligandi, essentialiter contineri in promissione; non quòd promittere non valeat, nisi qui formaliter nunc intendat se obligare, sed quòd saltem virtute & implicitè se velit obligare, quicumque vult promittere. Vnde etiam fit, vt qui ignorat hanc naturam promissionis, etiam tunc verè promittat & obligetur, quando intendit promittere sicut alij promittunt: non enim potest se tueri ignorantiâ, quia scientiam aliorum vult esse pro sua. Ex eodem capite prouenit, quòd non obligetur qui tantùm ioco promittit. ff. De obligationibus & actionibus, L. 3.

*Ioco promittens.*

Quæres secundò, Quid si qui promittit & habet animum se non obligandi, eodem animo apponat iuramentum, quo coram promissario iuret se idem facturum, cum animo quidem iurandi, sed sine animo se obligandi?

Respondet Sanches, estque multorum opinio, ne talem quidem ex vi promissionis aut iuramento teneri: iuramentum enim vt tale, non obligare, nisi iuxta iurantis intentionem.

Sed verius est, teneri; quia quòd homo teneatur ad aliquid faciendum ex reuerentia Dei, non pendet ex intentione qua ipse velit aut non velit teneri ad illud ex Dei reuerentia; nam etiamsi non velit propter Dei reuerentiam ad hoc teneri, nihilominùs verè tenebitur. Tenet nostram sententiam Suarez de Religione tom. 2. lib. 2. de iuramento cap. 7. Itaque etiamsi non solùm homini, sed nec Deo intendat sic iurans obligari, verè obligatur Deo: nam Deo obligari, quando solùm intenderet homini non obligari, nihil est mirum; obligatio enim Religionis subsistere potest in iuramento, etiamsi expungatur obligatio. Iustitiæ vel fidelitatis. Addo, etiamsi sic iurans ne quidem promittere intenderet, fore tamen obligatum, quatenus in assertionem quamdam, adeoque in materiam debitam cadit iuramentum.

## DVBIVM IV.

### *An Promissio obliget ante acceptationem promissarij?*

*Iure ciuili non obligat.*

DICO PRIMO, Certum est, ante acceptationem Iure ciuili non obligare, L. 1. ff. De pollicitationibus.

At controuersia est, An etiam manendo in solo Iure naturæ, promissio non sit inefficax ad obligandum ante acceptationem promissarij? Sunt enim qui id negent, vt Couarru. in cap. Quamuis pactum, parte 2. §. 2. & alij. Contraria tamen sententia, quam cum multis sequitur Sanches disp. 6. videtur melior. Vnde

*Neq; etiam Iure naturæ.*

DICO SECVNDO, Etiam Iure naturæ non habet vllam obligationem promissio ante acceptationẽ promissarij. Probatur, Quia ea est natura promissionis, vt ipsâ me obligem facere voluntatem alterius; sicut præcipiendo & orando hoc agimus, vt alius faciat voluntatem nostram, vt suprà ex D. Thoma obseruauimus. Sicut ergo subditum non vrget obedientia, quando nihil exigit Superior; ita promissorem non vrget fidelitas, nisi promissarius promissa acceptauerit.

Probatur secundò, Promissio non tantùm est de re grata in se, sed opus est promissario gratum sit, quod ei à promissore præsteturr: ergo sicuti Deo promittere cum obligatione per votum non possumus rem quam ignoramus an ei gratior sit futura quàm oppositum, ita neque homini obligabimur promissione eius, de quo adhuc dubitemus an ei grata futura sit eius à nobis exhibitio; incertum autem id manet, antequam declarauerit, quod ferè fieri solet acceptando: ergo antequam acceptet, non obligabimur.

Probatur tertiò, Dictum est quòd promissor non obligetur, nisi ex animo se obligandi: atqui non habet animum aliter se obligandi, quàm sub conditione, si promissarius acceptauerit, vt colligitur ex L. Qui absenti, ff. De acquirenda possessione.

Obijcies, Promissio Deo facta obligat, non expectata Dei acceptatione; ergo non est de natura promissionis in genere, vt non obliget antequam acceptetur.

Respondeo, negando consequentiam. Quia, scitur, Deo, cui omnia nota sunt antequam fiant, semper esse acceptum melius bonum; neque promissori potest esse dubium quin Deo placeat etiam

etiam ab ipso fieri quod melius est: secùs est de homine promissario, vt patet ex dictis.

Obijcies secundò, In promissione onerosa, vbi repromissio est necessaria, expectanda est acceptatio promissarij: verùm istud non videtur necessarium, quando promissio est merè lucrosa; nemo enim præsumitur nolle sibi benè fieri, sicuti nec velle sibi malè fieri: itaque videtur promissio potiùs obligare donec eam repudiet, quàm tum demum, quando eam acceptat.

Respondeo, Sicut in promissione onerosa obligatio non præuenit repromissionem, ita in promissione liberali non præuenit acceptationem. Imò hactenus quælibet promissio onerosa considerabitur, quòd simul atque promissor obligatur promissario ex fidelitate aut iustitia, promissarius vicissim peculiariter ei obligatur ex gratitudine: nam beneficium accipere, est libertatem vendere.

Objcitur tertiò, Sunt quædam promissiones, etiam hominibus factæ, quæ obligent ante acceptationem; ergo quòd aliæ non obligent, non est ex natura promissionis. Antecedens probatur; Quia leges prohibent pœnitentia reuocari promissiones ciuitati aut Reipublicæ factas, præsertim ruinæ instaurandæ gratia, vt patet ff. De pollicitationibus, L.4.

Respondeo, Istiusmodi constitutionem solùm adimere promissori libertatem reuocandi promissionem, quam ex lege naturæ habebat, vt Respublica tempus habeat, si voluerit, acceptandi. Itaque hac Lege non habemus casum, quo promissio obliget ante acceptationem, sed solùm quò promissor suspensus manere debeat, ánne obligandus sit acceptatione promissarij. Idem quoque dici poterit de promissione ad pias causas, quam dicunt multi DD. idem habere priuilegium; quamuis verius esse contrarium, non malè ostendat Sanches disp. 6. numero 18. quando promissio non fit Deo.

*An tabellio publicus possit pro altero acceptare.*

Tabellio tamen publicus videtur pro donatario & promissario absente, in promissione & donatione non onerosa non secùs acceptare, ac si promissarius aut donatarius ipsemet acceptasset. Ita enim sentiunt Couarruu. Molina, & alij multi eruditi ab ipsis citati: quamuis nec alij desint quibus aliter visum sit, quique illud quod de tabellione diximus, solùm in iudicio locum habere velint; quæ sententia etiam est probabilis.

DICO TERTIO, Etiamsi promissor vellet obligari ante acceptationem promissarij, verè tamen non obligaretur, sed reuocare posset; nisi fortè aliud lege regni constituatur, vt in regno Castellæ constitutum esse dicit Molina. Sequitur ex dictis; ad obligationé enim non solùm hic requiritur voluntas promissoris, sed etiam promissarij; talis igitur vellet obligari per rem quæ non obligat. Aliter tamen dicendum erit, si iuret aut vouerat non reuocare.

## DVBIVM V.

### *Qualis acceptatio sit necessaria, vt promissio reuocari non possit?*

ILLVD in primis certum est, debere acceptationem fieri durante adhuc voluntate promissoris: si illa enim per pœnitentiam retractata sit, nihil operatur communiter sera ista acceptatio. Quando tamen litteras dederat ad promissarium de promissione, quæ post mortem promissoris ad eum deferantur, vtilis erit acceptatio. Similiter si dederis procuratorium ad tuo nomine aliquid promittendum, non impositio vllo onere promissario, valida erat promissio à procuratore mutationis ignaro facta, etiamsi antequam ipse munere suo fungatur, animum mutaueris. Si te promittere quispiam nuntiet promissario sine tuo mandato, non valet ad eiusmodi significationem facta acceptatio, sed opus est vt tu ipse significes, vel per te ipsum, vel per proprium instrumentum, puta procuratorem, epistolam, vel internuntium, Molina disp. 264. At quid si nuntiare mandaueris, & ante mandati executionem reuocaueris? Sanè tunc manifestum est, expirante mandato non plus operari huius nuntium, quàm alterius, qui sine mandato nuntiaret. Si tamen non esset solùm nuntius, sed haberet à te mandatum pro te pollicendi, ratum erit quod pro te egerit, ignarus mutatæ tuæ voluntatis; secùs si conscius fuerit.

Illud magis hîc dubium videri queat, an acceptatio non debeat innotescere promissori, antequam obligationem inducat, & promissionem reddat irreuocabilem?

Respondeo, Sufficere quòd fiat acceptatio coram promissoris nuntio; per ipsum enim satis iam cẽsetur coram illo facta acceptatio. Quãdo tamen promissio est onerosa, potest promissor eam reuocare ante notitiam acceptationis; æquum enim est, tali casu tamdiu ipsum manere liberum, quamdiu liber manet promissarius repromittens; is autem liber manet & reuocare potest, donec acceptatio eius promissori innotuerit.

Quæri & illud potest, An heredes promissarij validè acceptare possint, si contingat eum mori ante acceptationem?

Respondeo, De rigore Iuris non posse. Vnde sequitur, si mandatarij negligentia acciderit, vt tempestiuè ante mortem non sit significata promissio, ipsum teneri heredibus promissarij de damno.

Quæritur Postremò, An quando promissarius præsens tacet, censeatur silentio suo acceptare?

Respondeo, Censeri, nisi sit onerosa promissio.

At quid si dicat promissarius, Si volueris, Si ita tibi placuerit? Probabiliter docet Molina, promissoré nõ teneri, saltẽ sub mortali, vtpote cuius arbitrio res relinquitur, imperfecta illa acceptatione.

## DVBIVM VI.

### *Quinam possint pro absente promissionem aut donationem acceptare?*

QVOD quis pro alio stipulari possit, ex variis caussis prouenit. Vel enim habet ad hoc generalem vel specialem commissionem, vel vnum cum ipso censetur, quia aliquid eius est; quo modo filius familias pro patre, & seruus pro domino stipulatur, & princeps pro subdito: vel sub cura eius tamquam sibi insufficiens est promissarius; quomodo curator pro furioso, tutor pro pupillo: vel etiamsi persona promissarij ad eum non pertineat, caussa tamen ad ipsum pertinet, vt si ipsius interfit promissum impleri; quo modo creditor pro debitore stipulatur.

Notarijs etiam tamquam in hoc commissarijs Reipublicæ ea potestas competit, vt sup. diximus. In



In fauorem caussæ piæ quilibet potest stipulari, ea tamen semper cautione adhibita, vt verba promissoria ad stipulantem dirigi intelligantur, aut sanè intelligi possint: non enim valet stipulatio, si Petro absenti fiat promissio, sed debet fieri hac vel simili forma: Promitto tibi; aut, Promitto me Petro daturum centum.

## DVBIVM VII.

### *An Promissio facta ob turpem caussam obliget?*

*Ante opus præstitum non obligat.*

DICO PRIMO, Certum est secundùm omnes; non obligare antequam promissarius opus turpe executus fuerit: cuius euidens ratio patet ex dictis dubitatione prima: cùm enim promissio hîc sit respectiua, quæ in promissore non pariat obligationem nisi vicissim obligetur promissarius ad onus quod ei promissor imponit, obligari autem nemo possit ad peccandum; manifestum est, non tantùm illicitè, sed etiam inualidè fieri eiusmodi promissionem.

*Opere præstito obligat.*

DICO SECVNDO, Opere præstito, manendo in solo Iure naturæ, ex tali promissione oritur obligatio naturalis. Quod etiam verum videtur, quando opus fuerit contra Iustitiam. Prior pars est cõmunis DD. Couarruuiæ in Regulam Peccatum, parte 2. §. 2. Sori lib 4. quæst. 7. art 1. Confirmatur ex L. Idem ff. De condictione ob turpem caussam: *Meretrix turpiter facit quòd sit meretrix, sed non turpiter accipit cùm sit meretrix.* Ratio à priori est, Quia patrato maleficio, promissionis materia legitima est. Neque est quòd obligationem eius extinguat; transijt enim iam in absolutam: & vitiosa non fuit promissio, nisi quatenus conditionata; opus enim exigebatur à promissario, tamquam conditio promissionis: patrato autem opere, mendacij argui poterit promissor, nisi etiam quod ipse promisit, præstiterit. Indicatur Genesis 38. Accedit quòd opera promissori præstita in se considerari possit vt digna eiusmodi mercede, sepositа eius malitia; quomodo valorem auri considerate licet in emptione calicis, non considerata eius consecratione, quæ venalis esse non potest.

Posterior pars plus habet difficultatis. Dicunt enim nonnulli, quandocumque delictum, pro quo merces est promissa, est iniuriosum tertio, ipsam remunerationem ad nouam ipsius iniuriam pertinere. At sanè non apparet quænam hæc sit iniuria: vel enim est in honore, vel in rebus quæ pecunia æstimari solent. Posterius dici non potest; nemo enim dixerit, ideò læso pecuniam esse dandam, quia aliquid datum sit illi qui nocuit. Prius etiam non rectè dicitur; quia ex eo sequeretur contra priorem assertionis partem, numquam licere aliquid dare pro opera in maleficio præstita: cùm enim omne peccatum sit contra Dei honorem, si eiusmodi remuneratio cedat in læsi ignominiam, etiam Dei honor lædetur quando meretrici aliquid dabitur.

*Coram iudice non habet actionẽ promissarium.*

DICO TERTIO, Apud iudicem qui maleficium patratum pœna exteriori punire solet, actionem non habebit contra promissorem pro mercede iniquitatis promissarius. Ita Couarruu. suprà numero 6. & patet ex L. Mercalem, C. De condictione ob turpem caussam. Ex qua itidem pater, quando vtriusque partis versatur turpitudo, etiamsi non concedatur actio exigendi promissum, neque tamen concedi promissori repetitionem eius quod soluit; quia nimirum in pari turpitudinis caussa lex fauet possessori. Hinc publicæ meretrici à Republica toleratę actio concedebatur ad meretricium, non item alteri mulieri, præsertim coniugatæ.

Ceterùm non defuerunt DD. qui ex auctoritate eiusmodi legum negantium actionem pro maleficio à se interdicto, existimarint statui posse, etiam in conscientia promissorem non obligari, quando delictum venit humana lege exteriùs puniendum: citiùs tamen concesserim, propter auctoritatem horum DD. sententiam istam esse probabilem, quàm propter auctoritatem legum quas respiciunt. Familiare enim est legibus, subinde negare actionem ciuilem, vbi tamen verè naturalis obligatio subest; idque vel in hoc ipso casu quí tractatur, manifestè deprehendas: quando enim vtriusque turpitudo versatur, quod datum fuerit vt merces, lex repeti negat; quod datum non fuerit, peti negat. Vbi tamen in conscientia certum est, si quod datum est tamquam promissa merces, retineri possit, dominium esse translatum, adeoque nullam inæqualitatem constitutam; sed inæqualitatem fore si datum non sit, ideoque exigi posse, & solui debere.

*Corrumpẽs iudicem quãdo obligetur promissione.*

Hinc sequitur eum qui iudicem corrupit ad sententiam iniquam proferendam promisso munere, ad illud exoluendum post obtentam iniustam sententiam, manendo in lege naturæ; in conscientia teneri: non teneri autem eum, qui promisso munere tamquam mercede, obtinuit sententiam iustam. Posterior enim ista promissio est de pretio eius quod vendi non potest, ideoque semper inepta est ad obligandum: prior autem est de pretio rei quæ vendi potest, aut saltem pecunia æstimari, nimirum de pretio operæ, quam non sine periculo honoris sui & status præstet iudex corruptus in gratiam promissoris.

## DVBIVM VIII.

### *An simplex Promissio obliget sub mortali?*

*Prima sententia. Sub veniali tantùm obligat.*

VARIE sentiunt DD. Quidam dicunt, solùm sub veniali ex genere suo obligare, eò quòd fidelitas ad veritatis virtutem pertineat, quæ non obliget nisi sub veniali; inde enim fieri, quòd mendacium ex genere suo solùm sit veniale: itaque violationem promissi, nisi sit proximo pernicioſa, aut aliàs notabiliter noxia, puta quia magnum damnum occasione eiusmodi fraudis incurrat, nolunt esse peccatum mortale, sed in se solùm esse fraudem venialis culpæ, etiamsi materia magni sit momenti. Ita ferè Caiet. q. 88. art. 1. & quæst. 113. & in Summa, verbo Perfidia.

2. Alij dicunt, rem istam dependere ab intentione promissoris, adeò vt si velit tantùm obligari sub veniali, etiam quando grauis est materia, non obligetur sub mortali. Quod confirmant per simile in legislatore: quamuis enim materia sit grauis, potest tamen legislator solùm sub veniali præcipere. Ita ferè Molina tract. 2. disp. 262.

3. Alij denique simpliciter admittunt promissionem simplicem obligare sub mortali, nisi sit materia leuis. Hanc tenet Henriques lib. 13. c. 17. & pro ea viginti tres DD. adducit. Sequitur eam Sanches lib. 1. de Matrim. disp. 5. estq; cõmunior.

Ante-

Antequam respondeamus, illud notandum, Satis certum esse, promissionem obligare sub mortali, quando perfidia est proximo notabiliter noxia; & solùm sub veniali, quando deceptio est in leui materia, aut quando promissor solùm intendebat ex quadam honestate politica se obligare, & promissarius non aliter accipit.

Verùm illud potissimùm hìc indagandum, An quando simpliciter intendit promittere, & promissionem naturæ suæ relinquere, obligetur sub mortali: & an ordinariè debeat promissarius, & quiuis alius, præsumere eo animo promissionem esse factam, vt solùm velit promissor ex quadam honestate adstringi, adeoque solùm sub veniali: denique an eiusmodi praxis commendanda sit & satis sincera, si quis non maiorem suis promissis inesse velit vim obligandi?

*Quando obliget sub peccato mortali.*

DICO PRIMO, Nisi promissor actu vel virtute restringat animum ad se obligandum, solùm ex honestate quadam politica aut morali, oritur ex promissione debitum quoddam Iustitiæ, cui sub mortali, quando materia est grauis, teneatur satisfacere, etiamsi promissarius nullum aliud sit passurus incommodum ex infidelitate, nisi quòd carebit re promissa. Virtute autem censetur promissor solùm velle ex honestate obligari, quando ex priori quasi præconcepta huius securitatis opinione, faciliùs promittit quàm facturus esset, si eo modo promissiones non posse accipi sciret; aut quando eo modo intendit se obligare, quo in communibus istis promissionibus homines se obligare intendere soleant, existimans non nisi ex honestate morali solere.

Dico ex promissione tali oriri quoddam debitum Iustitiæ: cùm enim Iustitia vnicuique Ius suum tribuat seu debitum, verè autem & simpliciter debeatur cuique à te quod ei simpliciter promisisti; manifestum satis est, promissorem ex Iustitia obligari. Quia tamen, quando liberalis & non onerosa est promissio, propter originem eius, & ex eo quòd promissor vicissim sibi debitum gratitudinis acquirat, Ius illud promissarij fit quodammodò debilius; contingit non esse tam exactam Iustitiæ obligationem ex liberali promisso, vt ex pacto oneroso. Vnde etiam maior materia requiritur vt fallèdo promissor peccet mortaliter quàm requiratur ad furtum mortale, aut fraudem alterius rigidè debiti ex contractu. Sanè Sanchius dicta disp. 5. requirit, vt sit quadruplo maius quàm in furto. Neque id mirum; quia & in alijs quibusdam debitum illud ex promisso degenerat à perfecto debito ex Iustitia, verbi gratia, quòd promissor fallens non teneatur ad interesse lucri cessantis, quòd non impediat hæc ratio debiti, quo minùs verè gratis res exhiberi censeatur, quando impletur promissum; quòd faciliùs & pluribus ex causis, non tantùm ad tempus, sed etiam omnino liberetur promissor.

*Quæ quantitas obliget ad mortale.*

*Promissio in spiritualis quomodo obliget.*

Quæres, Si promisero Deum orare pro aliquo, vt bona ei concedat æterna, an semper futurum sit mortale, fallere eiusmodi promissum?

Respondeo, Etiam in talibus paruam materiam posse considerari, quæ non sufficiat hìc ad peccatum mortale. Vnde meritò hìc recedimus à Nauarro, qui putauit, si promiseris liberaliter celebrare pro aliquo vnú Sacrum, sub mortali te obligatum iri. In spiritualibus enim, vt recentiorum nonnulli obseruarunt, non adeò magnum illud promissarij damnum censebitur. Itaque conferendum erit spirituale cum spirituali, vt æstimetur, paruáne sit an magna materia; alioqui si quis consulat alteri peccatum veniale, mox peccabit mortaliter. Alia tamen est ratio voti, quod multo strictiùs obligat, vt suo loco dicemus; quamuis & ibi pars aliqua valdè exigua operis promissi sine mortali omitti queat.

DICO SECVNDO, Si dubites quo animo promiseris, an obligandi te absolutè, an solùm ex honestate morali, & scias promissarium acceptasse tamquam absolutè promissum, eò quòd exteriùs signa dederis te seriò admodum promittere, vt si promiseris scripto, si caussam expresseris, verius videtur te sub mortali obligari.

Neque obest, quòd in dubio iudicandum sit pro possessore; quia, vt rectè Sanches disp. 9. numero 13. præsumptio & possessio est pro animo se obligandi, vbi constat de promissione, & dubitatur de animo se obligandi. Secùs dicendum erit, si ex modo promittendi, aut consuetudine communi colligi poterat minor obligatio; ex his enim etiam alij iudicium formare debebunt de tua intentione, quando aliunde ea non constiterit.

DICO TERTIO, Non est commendabilis mentis illa restrictio ad minorem obligationem, quando exteriùs non datur simul vllum indicium, quo ea colligi queat. Imò grauem virum ne quidem cum eiusmodi indicio decet facilè vsurpare istum modum promittendi, sicuti neque multùm ea asseuerare, quæ perspecta satis non habuerit.

*Obiect. 1.*

Contra dicta obijcitur Primò, Fallere fidem in promissis, dumtaxat est mendacium quoddam facti, atque ita solùm erit contra veritatem, non contra Iustitiam; virtus autem veritatis solùm obligat sub veniali ex genere suo.

*Resp.*

Respondeo, Sicut promittere se facturum plus est quàm dicere se facturum, vt patet ex suprà dictis; ita fallere fidem in promissis, plus est quàm non præstare veritatem in dictis: non est ergo mendacium solùm, sed est defraudatio Iuris quod proximo competit, perfida quadam, adeoque iniusta infidelitate. Verax dicit quod sentit, & facit quod dicit se facturum, etiamsi proximo non oppignoret fidem suam; quod dum facit, vlteriùs se obligat, adeò vt iam proximus habeat Ius in fidem ipsius, quo fiat vt ex veritate itum sit in Iustitiam. Hinc Philosophus 4. Ethicorum cap. 7. indicat distinguendam virtutem quæ in pactis seruat fidem, à veracitate.

*Obiect. 2.*

Obijcies Secundò, Si ex iustitia obliget promissio, ergo pariet obligationem restituendi, & actionem in foro exteriori.

*An promissio pariat actionem foro exteriori.*

*Resp.*

Respondeo, Quoad obligationem restituendi admitto; quoad actionem in foro exteriori, Dico, Iure Digestorum promissio nuda sine stipulatione non parit actionem in foro externo, Iure tamen Codicis stipulatio non videtur necessaria, propter L. Si quis argentum, C. De donationibus; Iure denique canonico certum est concedi actionem ex sola promissione acceptata sine stipulatione, cap. 1. & 3. De pactis, & cap. Quicumque episcopi 12. qua st. 2. vbi consulendæ sunt Glossæ. Non tamen sine caussæ expressione, Siluestet verbo Pactum, q. 3. quamuis in foro conscientiæ etiam illius conditionis necessitas, tamquam in præsumptione fundata, cesset; præsumit enim Ius





Ius errorem in promissis, quando caussa non apponitur, nisi facilè ipsa præsumatur. Itaque non sequitur, Non dat actionem in foro externo, ergo non obligat: in foro enim externo subinde negatur actio, etiamsi verè, vt ita fiat, naturaliter & in conscientia obligemur, vt patet in decepto citra dimidium iusti pretij, L. 2. C. De rescindenda venditione.

*Paupertas promissoris.*

Quintò, Si promissor in paupertatem incideret, aut valdè ei difficilis facta sit promissio.

*Ob ingratitudinem promissarij.*

Sextò, Si promissarius insignem aliquam ingratitudinem contra promissorem ostenderit; nam etiam donationes sic reuocantur, C. De reuocandis donationibus, L. vlt.

*Et ob mutationem notabilem subsecutã.*

Denique, Si ea sit facta mutatio, qua existente noluisset promittere, ita vt ipsius intentio ad eiusmodi casum sese non extenderit, neque actu, neque virtute, neque interpretatiuè, hæc enim est quasi quædam ὑπόκρισις in lege, quam sibi quisque promittendo imponit.

Vbi rectè monet Molina, hìc cauendum esse, ne putemus dici omnem illum à promissionis obligatione liberari, qui nunc eam in re promissa experitur difficultatem, vt si eam perspectam habuisset, numquam promisisset. Dicit enim, duobus modis istud contingere: Vno quia hoc in re promissa verè erat, sed non videbatur à promissore, minùs promissæ rei naturam penetrante; altero, quia reuerà hoc in re promissa non erat. Prior modus non tollit obligationem, sed posterior: hic enim ostendit, promissioni tacitam infuisse conditionẽ, qua talis casus exciperetur. Propter priorem modum non liberatur, qui eas nunc experitur in Religione molestias, vt si ipsas præuidisset, non vouisset vitam religiosam; propter posteriorem liberatur ab obligatione, qui promisit hanc ducere vxorem, si post sponsalia fornicetur, cap. Quemadmodum, De iureiurando. Fauet Regula Iuris 81. in 6. *In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

## DVBIVM IX.

### *Quibus modis Promissio quæ verè obligabat, desinat obligare?*

*Non sumte partis promissarij.*

CERTVM est, quando stipulatio accessit, & ex sua parte non satisfacit pactis promissarius, desinere obligare.

Hìc solùm illud dubium esse possit, quando censeatur obligatio prorsus interimi, & quando solùm sopiri, ita vt conualescat, altero iam volente implere quod repromisit, aut pro sua parte implente?

De quo dicendum videtur, tunc omnino distingui, quando ita grauis & inutilis est promissori eiusmodi dilatio, vt non censeatur tali casu se voluisse obligare. Neque tunc satis erit ad obligationis conseruationem, repromissorem iustam habere necessitatem suæ moræ; quamuis tunc æquum sit, moram non tam facilè ei obesse.

Secundò potest omnino extingui, eò quòd indignus fiat repromissor per istam suam infidelitatem, cui fides seruetur. quod manifestum est locum non habere, quando iustas habet suæ moræ caussas.

Tertiò potest hìc considerari via compensationis: secundùm illam autem videtur solùm sopiri obligatio, si probabile sit, alterum posteà aliter affectum, tem promissam præstiturum.

Quæres, An desinã obligari Petro, cui promisi centum, si ipse mihi non soluat rem similis valoris, quam non quidem repromisit, sed sine intuitu huius mei promissi, antè vel pòst promisit? Nauarrus enim cap. 18. n. 7. sentit, non desinere.

Respondeo tamen, verius videri contrarium: sunt enim debita eiusdem ordinis, vt meritò in illis compensatio admittatur. omitto etiam ingratitudinis titulum hìc concurrere, de quo infrà. Ita ferè Molina disp. 272.

*Non subsistente causa.*

Secundò desinet obligare promissio, Quando caussa, ob quam facta est, non inuenitur esse, præcessisse, aut subsecuta esse; quo modo promissor existimabat; vt si quis officium, quod promittẽdo intendebat, non fuerit consecutus, quia mortuus interea fuit, non tenentur heredes eius pecuniam promissam soluere, L. 11. ff. De pollicitationibus.

*Relaxatione.*

Tertiò desinit promissio obligare, Quando eam relaxat promissarius, aut legitima potestate superior, vel aliquis à promissario potestatem relaxandi habens; quomodo Pontifex etiam vota relaxat, tamquam Dei in hoc vicarius, vel, vt alij volunt, tamquam arbiter voluntatis subditi, sicut pater filiæ votum irritat.

*Si promissum sit factum impossibile vel illicitum.*

Quartò, Si res promissa facta sit impossibilis aut illicita, vt quia interim lege vetita est. Vbi tamen obserua, si promissor fuerit in mora, quia antequam fieret res impossibilis aut illicita, aduenerat tempus, quo debebat promissum præstare, & non præstitit; teneri, etiam quando res est impossibilis aut illicita, compensare hanc noxam.

## DVBIVM X.

### *Quomodo Promissio irrita sit Iure positiuo?*

*Quæ promissiones Iure irritantur.*

IN quibusdam lex positiua promissionem rescindit. Sic L. Si vnus, §. Illud multa, ff. De pactis, statuitur, pactum non valere, si quis promiserit alteri, ne futurum dolum præstet. Vult enim lex, pactum de futuro dolo non valere, sed solùm de præterito; prius enim pactum præbet occasionem peccandi, non posterius. Imò generatim dicit Authentica, Pacta, C. De pactis, pacta quæ contra leges, vel constitutiones, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere. item L. Cùm lex, ff. De fideiussoribus, statuitur, vt fideiussio pro illegitimo contractu nulla sit. Quare autem iuramentum obliget appositum promissioni, quæ solo Iure positiuo nudè considerato non obligaret, quando nimirum non est contra bonos mores naturales, sed tantùm ciuiles, dicemus infrà.

*Contra libertatem matrimonij.*

Irritæ etiam sunt promissiones, quæ sunt contra libertatem matrimonij. Panorm. in cap. 1. Qui matrimonium accusare possunt: verbi gratia, quando spõsus promittit se non aliò migraturum.

*Contra libertatem canonicæ prouisionis.*

Item contra libertatem & puritatem canonicæ prouisionis in beneficijs Ecclesiasticis. Nam cap. Detestandà, De concessione præbendæ, &c. in 6. irritatur promissio, quæ priùs valebat, qua collator promittit alicui de Beneficio Ecclesiastico, cùm poruerit, vel cùm facultas sese obtulerit prouidere, de quo videre licet eumdem Panormit. in cap. Accedens, Extrau. eodem. Eadem promissio inhibetur cap. Nulla, De concessione præbendæ, eò quòd etiam Gentilium leges damnent pactum de futura successione.

*Contra libertatem testandi.*

Item contra libertatē testandi. Neq; enim valet promissio quòd non reuocabis testamentum, aut quòd dabis tantum, si reuoces, L. Stipulatio hoc modo, ff. De verborum obligationibus: vbi irrita dicitur promissio, qua spondeas dare tantum, si heredem me non feceris.

## CAPVT X.

### *De translatione Dominij per Donationem.*

### DVBIVM I.

### *Quid sit Donatio?*

*Donatio quid.*

DONATIO est datio liberalis. Vel, vt alij, est largitio illimitata, ex mera liberalitate facta. ff. De donationibus, L. 1. Vbi ad donationem puram, simplicem & liberalem tria requiruntur. Primum, vt det quis ea mente, vt statim velit accipientis fieri. Secundum, vt non velit vllo casu donum ad se reuerti. Tertium, vt propter nullam aliam causſam donet, quàm vt liberalitatem & munificentiam exerceat.

*Requisita ad donationem.*

At quæres, An ergo si donauero ex gratitudine, non erit propriè donatio?

*Donatio ex gratitudine non est donatio liberalis.*

Respondeo, Verius videri, non venire hanc donationem nomine donationis liberalis, quando ea stricte accipitur, vti accipienda est quando aliquibus interdicitur, aut quando propter ingratitudinem donatarij dicitur posse reuocari. Patet L. Aquilius, & L. Si pater. ff. eodem; & tenet Panorm. in Rubricam De donationibus.

Quæres secundò, An desinat esse donatio, si dem quia rogor?

*Donatio rogatis est donatio.*

Respondeo, Non desinere; secùs si exigar, aut petitio libertatem minuat. Nauarrus commentario in Extrauag. Ab ipso, De datis & promissis pro Iustitia, numero 35.

Quæres tertiò, Verùm non sit donatio, si donem præcipuè vt gratum sentiam accipientem?

*Donatio vt gratus sentiatur accipiens, non est pura.*

Respondeo, Non esse donationem puram; secùs si solùm minùs principaliter tale quid intendas: ad liberalem enim donationem sufficit, quòd principaliter intendatur liberalitas, ita vt non fiat æquè vel magis propter aliam causſam. Idem Nauarrus numero sequenti. Hinc D. Thomas in 1. dist. 18. art. 2. donationem ob timorem dicit esse potiùs redemptionem quàm donationem.

Quæres quartò, An remissio debiti sit donatio?

*Debitum æmittens donat.*

Respondeo, Quamuis remissio non sit omnino propriè donatio, vt propterea dicat Glossa communiter recepta in cap. Statutum, §. Si quid autem, De rescriptis in 6. facilius remitti multa, quàm donari pauca; nihil tamen obstat, quò minùs hæc condonatio donationis naturam habere consideretur. Ita consideratur L. Si donatio, C. De donationibus. Qui enim debitum remittit, dare intelligitur, inquit Glossa in c. Veniens, 1. De testibus & attestationibus, & ibi Panormitanus.

Quæres quintò, Rem mihi donatam si tibi postmodum dederit & tradiderit donator, cuius erit, mea, an tua?

*Res duobus donata, illius est cui tradita.*

Respondeo; Erit eius cui non solùm donata, sed etiam tradita, quamuis fuerit in donatione posterior, sed actio sua manebit alteri in donatorem: ad vitandas enim lites cùm res vna facilius duobus donari possit, quàm tradi, Lex statuit, ad dominij translationem opus esse traditione. Institut. De donationibus, §. Perficiuntur.

Quæres postremò, An hæc sit donatio, si dicam alicui, Tolle tibi hanc pecuniam?

Respondet Panorm. in cap. In causſis, De electione, præsumi potiùs mutuum vel depositum, quia nemo præsumitur suum iactare.

### DVBIVM II.

### *Quotuplex sit Donatio?*

*Donatio inter viuos.*

DONATIO iam descripta liberalis est: at in genere diuiditur donatio in donationem inter viuos, quando rem quam tibi dono, malo te habere quàm me; & in donationem mortis causſa, quando eam malo me habere quàm te, sed magis te quàm heredem meum, Institut. De donationibus, §. 1. & aliquot sequentibus. ff. De mortis causſa donationibus, L. 1. Donatio inter viuos irreuocabilis est; donatio mortis causſa æquatur legato, & ante mortem reuocari potest.

*Donatio mortis causſa.*

Iterùm donatio inter viuos alia est simplex, alia modalis, quæ fit propter causſam inter positam. Vide Siluestrum verbo Donatio. Donatio simplex, alia absoluta, alia conditionata, quando sub conditione aliquid promittitur. Demonstratiua donatio omnibus his communis est, sic dicta, quòd demonstretur donatarius aut donum.

*Simplex. Modalis. Absoluta. Conditionata Demõstratiua.*

Potest etiam donatio diuidi, vt alia sit propria, alia impropria: de quibus L. 1. ff. De donationibus. Propria est ferè illa liberalis, de qua diximus, qua statim neque ex alia causſa, neque propter aliam causſam præter liberalitatem ipsius donatoris, res fiat donatarij.

*Propria. Impropria.*

### DVBIVM III.

### *Quinam possint donare?*

RESPONDEO, Illi soli & omnes donare possunt, qui potestatem habent alienandi. Vnde colligitur, non sufficere dominium aut potestatem administrandi. Itaque amens & furiosus sua donare non poterit, 15. quæst. 1. cap. Merito. Neque satis est quòd non habeat curatorem, quamuis tunc donare possit, quando lucida fortè durant interualla, Lælius ex Bartolo.

*Amens donare non potest.*

Prodigus etiam, qui iam habet curatorem à prætore datum, donare non potest. Eadem est ratio, si ei fuerit interdicta rerum suarum administratio, etiamsi magistratus curatorem nondum dederit; secùs si nondum sit interdicta, neque curatorem habeat. Imò monet Lælius, validè adhuc prodigum posse alienare, etiamsi veritum sit per præconem, ne quis cum ipso contrahat; modò ei adhuc non sit facta inhibitio, aut adempta administratio, aut non sit per sententiam declaratus prodigus.

*Nec etiam prodigus.*

Impubes quoque, id est masculus ante decimumquartum, & femina ante duodecimum ætatis annum donare non potest, ne quidem ex bonis castrensibus, non defectu dominij, sed administrationis. Vnde patet, ne quidem ad pias causſas eius testamentum aut donationem valere, quamuis id non comprehendatur lege finali C. De testamento militis; vbi etiam tribunus impubes impeditur extraneis aliquid legare: nam pia causſa non est reijcienda ad extraneos. Valebit tamen

*Nec impubes.*



tamen ad pias causſas, si Princeps dispenset, quando malitia supplet ætatem. Molina disp. 135.

*Neque filiusfamilias.*

Filiusfamilias etiam post decimumquartum annum donare valide nihil possunt, nisi de bonis castrensibus aut quasi castrensibus, quamuis etiam de illis donatione facta immodica, possint petere restitutionem in integrum. Hoc verum manebit, etiamsi administrationem peculij habeant; non enim ideò habent potestatem alienandi.

*Excipitur ille qui in dignitate aliqua est constitutus.*

Exceptio tamen est in filio in dignitate constituto, in filio Senatoris, Comitis, aut alterius in dignitate constituti: is enim si habet à patre administrationē, validè donat, nisi constet de contraria patris voluntate. Ita ferè colligitur ex L. 7. ff. De donationibus. Vbi additur, eum qui à patre habuerit facultatem donandi, non propterea habere potestatem donandi mortis causſa: imò sine speciali & expresso patris consensu, de aduentitijs non posse filium donare mortis causſa; docet Iulius Clarus lib. 4. Sententiarum, quæst. 6. num 6. eò quòd consensus patris requiratur non tantùm ratione præiudicij, quod pateretur in vsufructu, sed ad solemnitatem actus, ita vt paterna auctoritas debeat concurrere ad integrandam personam filij. Vnde numero sequenti infert, vt filius patri donet mortis causſa, non sufficere consensum patris, sed opus esse iudicis.

*Minor vigintiquinque annis non potest donare absque curatoris cõsensu.*

Pubes minor vigintiquinque annis non potest donare sub curatore, sine eius consensu expresso, tacito, aut debito: & quia debet eum curator more aliorum eiusdem conditionis alere & tractare, poterit eorum quæ sibi à curatore mittuntur, vigesimam partem validè donare, vt docet Lælius ex Lopez. De bonis tamen castrensibus aut quasi castrensibus eamdem habet libertatem quam filiusfamilias; imò probabile est, neque ipsum facilè peccare mortaliter, etiam citra consensum in reliquis immodicè largiendo, neque inualidam fore donationem, aut donatarium teneri ad restitutionem, donec curator repetat, aut donator restituatur in integrum.

Verùm quid dicendum erit, si minor iam pubes iuramento confirmauerit suam donationem?

Respondeo, Validam fore; sed poterit curator, si immodica sit, petere relaxationem iuramenti.

Iterùm quæres, Quid si inuito curatore minor ingrediens Religionem, omnia sua donet Monasterio, dempta legitima, quæ fortè debeatur ascendentibus vel descendentibus?

Respondeo, Validam fore donationem, quamuis sit reuocabilis casu quo non teneat professio, modò seruentur quę de hac re constituit Tridentinum sess. 25. cap. 16.

*Neque vxor validè donat.*

Vxor ne bona quidem propria, quorum ipsa dominium, sed maritus vsumfructum habet, donare potest, etiamsi intenderet soluto matrimonio donata deducere in fortem. Ceterùm quousque & de quibus bonis vxor validè & licitè donet, ex alibi dictis, quando de eleēmosyna & subiecto dominij, satis liquet.

*Necrei læsæ maiestatis. Quatenus queant Ecclesiastici.*

Rei læsæ maiestatis donare prohibentur L. 31. ff. De donationibus.

*Donare nõ possunt Religiosi, aut eorum Superiores.*

Ecclesiastici, licet validè, illicitè tamen donant ex bonis merè Ecclesiasticis in vsus non pios, nisi hoc faciant secundùm dicta suprà cap. 4.

Regularium Superiores non possunt validè quidquam ex bonis Monasterij donare in vsus non pios, etiam ex consensu Monasterij, multo minùs subditi Regulares, qui ne quidem ad pias causſas largiri possunt sine consensu Superioris. De hac re videnda est cõstitutio Clementis VIII. quę incipit, Religiosæ congregationes, apud Azorium lib. 12. cap. 9.

*Religiosus per frugalitatem collecta donare non potest.*

An autem licitum sit Religioso dare in vsus non pios, quod per suam frugalitatem reliquum habuerit ex viatico sibi à Superiore dato de bonis Monasterij, dubitat Lælius. Sed Respondeo, Nisi fuerit exiguum quid, quale fortè in ludi honesti recreationem insumere poterat, spectata consuetudine rationabiliter in similibus dissimulanda, probabilius est id fore illicitum; imò donatarium debere restituere tamquam inualidè donatum.

*Religiosus donare possit acquisita ex Beneficio.*

Tolerabilius aliter dici poterit de eo, quod ex Beneficio, verbi gratia, pastorali, Religiosus acquirit. Quamuis enim etiam illud non sibi acquirat, cùm dominij incapax sit, sed Beneficio aut Monasterio; potest tamen Superior, præsertim Papa, censeri concedere Religioso de his bonis aliquid moderatum donandi inter viuos potestatem: quæ tamen ad nutum reuocari possit: quia ex parte fidelium qui ea donant, non magis sunt astricta pijs causſis, quàm sint quando rector Beneficij est Clericus sæcularis. Verùm neque in talibus præsumendum existimo, consensum Superioris se extendere ad vsus prophanos, ita vt semper peccaturi sint Religiosi contra Iustitiam aut Religionem, quando in largitione simili peccaret sæcularis Clericus saltem contra charitatem.

### DVBIVM IV.

### *An coniunx valide donet coniungi, aut pater filio non emancipato?*

*Donatio inter coniuges inualida.*

INTER coniuges donatio non valet, L. 1. ff. De donationibus inter virum & vxorem. Ratio legis est, ne hac ratione contingat coniugem rebus suis nimiùm exspoliari, quando amore coniugis immoderatas fecerit largitiones. Secundò, ne sic cura remittatur educandi liberos. Denique, ne fortè non donante eo qui possit, matrimonia dissipentur, nè ve concordia pretio conciliari videatur, & melioris damno deterior diteſcat. ita ibidem, L. 1. 2. & 3. Hinc fit, vt talis donatio nec initio transferat dominium, nec pòst, si diuortium intercesserit, aut donatarius ante donatorem diem suam obierit, vel donator suam donationem reuocauerit. Ita L. A marito, C. eodem. Rectè tamen notat Sanches, donatarium posse accipere & retinere quod datur, quamuis non possit alienare, quia suspensa est donatio, & non est transflatum dominium, donec modis infrà dicendis confirmetur.

*Item filio nondum emancipio à matre facta.*

Huius legis & aliæ complures in Iure & Interpretibus reperiuntur ampliationes & limitationes. Primò ampliatur & extenditur etiam ad filium in patris potestate constitutum, ita vt mater validè ei non donet, quia patri quæritur; secùs si in castra proficiscenti filio dederit, quia tunc filio quæritur. ff. eodem, L. 3. imò vniuersim hac lege cassatur donatio facta coniugi per interpositas personas.

*Item coniugum ante consummatum matrimonium.*

Secundò extenditur etiam ad coniuges ante consummatum matrimonium, quidquid quidam dixerint apud Sanchium; imò si ante matrimonium donatio quidem facta est, sed non consummata, & consummatur post matrimonium, do-

natio ſuſpenſa eſt tamquam inter coniuges. Vnde ſubtiliter L. Si ſponſus, ff. eodem, definit, Si dederit ſponſus Titio rem tradendam ſponſæ, & Titius eam tradat poſt nuptias, donationem non fore validam, ſi Titius erat procurator ſponſi; fore autem, ſi erat procurator ſponſæ.

*Item militum facta focarijs.*

Tertiò extenditur ad focarias militum. Quamuis enim non ſint verè vxores, & concubinæ donationem fieri leges permittant; in fauorem tamen militum, ne fictis adulationibus à focarijs ſuis ſpolientur, Imperator ratam eſſe donationem noluit, L. 3. C. eodem.

Quartò extenditur ad coniuges qui diu ſeparati habitarunt. Ita Sanchius ex Lopez. Si tamen diuortium interceſſerit, validè donabit maritus mulieri cauſſa reconciliationis. L. Vir mulieri. ff. eodem.

*Limitationes. Qui contractus inter coniuges ſunt liciti. In matrimonio inualido, valida donatio.*

Limitationes autem ferè ſunt iſtæ. Declarant in primis leges, non interdici alios contractus inter virum & vxorem, puta venditionis, permutationis, & ſimiles. L. Quod autem, §. Si vxor. ff. eodem.

Secundò, Si matrimonium quidem contractum fuerit, ſed inualidè; quia contra legem, donatio inter putatitios coniuges erit valida quoad hoc interdictum, L. Hæc ratio, §. Videamus. ff. eodem. Vbi tamen ex alio capite irritatur, ne videlicet melior ſit conditio eorum qui deliquerunt. De quo conſuli poteſt Sanchius lib. 6. diſp. 2.

*Itē donatio donantem non reddens pauperiorē.*

Tertiò excipitur ea donatio quæ donantem non reddit pauperiorem, aut quæ non reddit accipientem ditiorem; ff. eodem. L. Si ſponſus, §. Cōceſſa. verbi gratia, ſi cauſſa ſepulturæ fiat donatio, aut ad oblationem Dei: ſi maritus heres inſtitutus, donationis cauſſa repudiet hereditatem, vt vxor ab inteſtato ſuccedat; ſi vxori remittat pecuniam, quam à ſe mutuò acceperat erogandam in ſuum cognatum. Ibidem § vltimo. Item ſi dederit vir vxori in vnguenta, & ipſa inſumpſerit. L. Quod autem, ff. eodem. Si portorium pro ea in itinere ſoluerit, L. Si quis, ibidem. Si manumiſſionis cauſſa vxori ſeruum dederit, L. Maritus, C. eodem.

Valida etiam eſt renuntiatio medietatis lucrorum competentis coniugi quoad lucra futura; imò etiam quoad præterita validam vult eſſe donationem vxoris Sanchius diſp. 5.

*Donatio mortu cauſſa.*

Quartò excipitur donatio cauſſa mortis facta, cum traditione vera vel ficta, ſecundùm Iuris ordinem. ff. eodem, L. Sed interim. imò generatim omnis donatio, qua aliquid donatur in tempus ſoluti matrimonij, vt tùm fiat donatarij, quando donator vita functus fuerit: omnis enim donatio inter coniuges, niſi reuocata fuerit ante mortem, aut diuortium interceſſerit, poſt mortem donatoris, ſi adhuc ſuperſtes fuerit donatarius, ei conualeſcit, imò retrotrahitur quoad fructus à donatario perceptos, L. Ex verbis, C. eodem. niſi propter exceſſum quantitatis fuerit inualida, L. Donationes quas parentes, C. eodem. Quod etiam extenditur ad mortem per extremum ſupplicium. L. Res vxoris, C. eodem. Item ad ciuilem mortem per deportationem. L. Sed ſi mos, ff. eodem. Reuocata tamen præſumitur, ſi poſt donationem maritus rem donatam pignori dederit. ff. eodem. L. Cùm hîc; niſi alium animum expreſſerit.

*Facta marito ad refectionem ædium incenſarum.*

Quintò excipitur donatio vxoris facta marito ad refectionem incenſarum ædium. L. Quòd ſi vir, ff. eodem. Item gratia adipiſcendæ dignitatis. L. Quod adipiſcendæ, ibidem.

Sextò, Validè dat vxor marito rem emptam ex pretio quod dono à marito ipſa acceperat. L. finali, ff. eodem.

Septimò, Quod maritus vxori in ſingulos menſes vel annos proprij vſus gratia conceſſerit. L. Sicut ceſſat, C. eodem.

*Inter Auguſtos coniuges.*

Octaua exceptio eſt in donatione quæ eſt inter Auguſtos coniuges. L. Donationes quas Diuus; C. eodem. Quod etiam ad alios ſupremos principes extendit Sanchius diſp. 3.

*Si iuramēto confir. mata fuerit.*

Nona exceptio eſt, quando coniunx donans iuramento donationem confirmauerit; tunc enim non ſolùm non poteſt eam reuocare ante mortem, ſed ſtatim transfertur dominium in donatarium, vt contra quoſdam docet Iulius Clarus lib. 4. Sententiarum, quæſt. 9. De donatione, & Sanches diſp. 11. Idem tamen diſp. 13. monet, ceſſare hanc exceptionem, quando iuramentum aliud præceſſit de non donando, & tradit generalem Regulam benè notandam: Quando actus contra prius iuramentum geſtus non indiget iuramenti vinculo ad ſui confirmationem & valorem, non obſtare prius iuramentum contrarium eius valori, ſed poſſe eſſe validum & cum iuramento, & ſine eo: quando verò actus contra prius iuramentum eſt iure inualidus, aliunde robur non habiturus quàm ex iuramento quod apponitur, nec ex ipſo iuramento robur habiturum.

*Donatio facta cauſſa remunerationis.*

Decimò excipitur donatio facta cauſſa remunerationis. Non enim eſt pura donatio, ſed habet naturam permutationis aut compenſationis. Eſt communior, eamque ſequitur Sanchius. Cenſetur autem condonare in remunerationem maritus, quando fatetur ſe dotem accepiſſe, quam non accepit. Item quando donatarius coniunx eſt multo iunior, poteſt alter donare in compenſationem ætatis, eritque donatio remuneratoria, vt docet Sanches & Iulius Clarus.

*Donatio patrijs in filium non emancipatum.*

Hactenus de coniugibus. Nunc de donatione patris facta filio nondum emancipato, de qua non diſſimilia Iure ſancita ſunt. Nam C. eodem, L. Donationes, etiam iſta intra legitimam quantitatem ſine inſinuatione in actis, aut cum ea ſupra eiuſmodi quantitatem, ſilentio donatoris, quamuis non ab initio valida, robur accipit, ita vt in morte patris donatoris retrotraahatur ad tempus quo primùm perfecta eſt cum traditione.

*Quæ valida ſint.*

Quædam tamen donationes patris in filium non emancipatum ſtatim valent. Primò, Si detur ad nuptias, aut proficiſcenti ad bellum, aut profeſſuro aliquam diſciplinam; aut ſi condonet pater vſumfructum quem habet in bonis filij, aut aliquid donet in remunerationem præſtiti obſequij.

Secundò, Si iuramentum in confirmationem donationis apponatur, ſtatim valet, etiamſi non fiat traditio.

Quomodo verò donationes ob cauſſam, & donationes ſimplices parentum in filios adducendæ ſint aut non ſint ad partitionem, quando donatarij cum alijs fratribus pro legitima concurrere volunt, tractat Molina diſp. 237. & aliquot ſequentibus.

D V-



## DVBIVM V.

### *Quantum liceat donare?*

*Donatio vltra 300. ſolidos inualida abſque inſinuatione.*

VLTRA trecentos ſolidos validè non poſſe donari ſine inſinuatione, Iure cautum erat L. Sancimus, C. De donationibus; ita tamen vt ſic facta donatio valida eſſet vſque ad trecentos ſolidos: poſteà tamen quod de trecentis dictum erat, voluit Imperator extenſum vſque ad quingentos, L. pænultima, ibid. Conficiunt autem hi quingenti ſolidi ſcuta Hiſpanica ſeptingenta, vt ſupputat Iulius Clarus; vel ſeptingenta quinquaginta, vt alij. Sunt qui annotent, ex ſolidis ſeptuaginta duobus confici libram auri: ita Additiones eiuſdem Iulij Clari.

*Inſinuatio Iudici facienda.*

Inſinuatio quam Lex hîc requirit, debet fieri apud Iudicem loci, per donatorem aut eius procuratorem, quem Molina putat poſſe eſſe etiam ipſum donatarium: neque neceſſarium eſt, vt Iudex vllum decretum interponat, ſed ſufficit vt cognoſcat; quia non eſt cauſſa contentioſa, ſed ita Lex ſtatuit in fauorem promiſſoris & bonum Reipublicæ, vt fraudibus hac ratione obuietur, & impetus nimiæ largitionis frangatur. Itaque poterit Iudex (& debebit, ſi dubitet) inquirere an voluntaria omnino ſit donatio, quis ſtatus donatoris, quæ cauſſa donandi.

Si quis tamen citra inſinuationem dono acceperit, poteſt ſibi retinere non ſolùm quod eſt infra quingentos ſolidos, ſed etiam non tenetur reſtituere quod eſt vltra, antequam id exigat donator, aut eius heredes, vt ſentit Molina: quia Lex non aliter recepta eſt, & fortè legiſlator non plus intendit.

*Donatio omnium bonorū nulla.*

Illud etiam hîc obſeruandum, Si quis alicui donet omnia ſua bona, præſentia & futura, donatione non valere, ne quidem pro vlla parte, etiamſi fiat cum inſinuatione; imò etiamſi quingentos ſolidos certò ſciatur non excedere. Ratio eſt, Quia eiuſmodi donatio verè continet ſtipulationē Iure interdictam per L. 61. ff. De verborum obligationibus, quæ ita habet: *Stipulatio hoc modo concepta, Si heredem meum feceris, tantum dare ſpondes? inutilis eſt, quia contra bonos mores eſt hæc ſtipulatio.* Qui enim omnia ſua, etiam futura, donat, alium à donatario heredem habere non poteſt. Facit ad idem L. Hereditas, C. De pactis conuentis. Si tamen in pias cauſſas fiat, valida erit eiuſmodi donatio; quia deſinet eſſe contra bonos mores, & Ius ciuile non poteſt præiudicare pijs cauſſis, aut bono ſpirituali donatorum. Tenet Couarru. De teſtamentis, parte 2. numero 6. eſtque ſatis communis, vt patet apud Iulium Clarum quæſt. 20. & infrà latiùs declarabitur.

*Ad pias cauſſas validō.*

*Donatio omnium bonorum præſentiū valida.*

Quæres, An etiam irrita donatio omnium bonorum præſentium?

Reſpondeo, Iure communi non eſſe irritam, niſi aliud quid obſtet, verbi gratia, quòd ſit inofficioſa. L. Si quis argentum. §. Sed etſi quis, C. De donationibus, tenet Iulius Clarus q. 19. & alij. Eadem eſt ratio, ſi dicat ſimpliciter ſe donare omnia bona ſua; non enim comprehenduntur futura: eſt communis, vt teſtatur Iulius: imò putat idem Clarus, quando donat omnia bona mobilia & immobilia, non comprehendi Iura & actiones.

*Etiam futurorum, ſi donator ſibi vſumfructū ſeruet.*

Quæres iterùm, Quid ſi donans omnia bona præſentia & futura, vſumfructum ſibi ſeruet?

Reſpondeo, Validam fore donationem, quia aliquid reſeruat de quo teſtari poſſit, nimirum ipſos fructus; hi enim exempti intelliguntur, eo ipſo quo vſusfructus reſeruatur. Ita poſt Couarruuiam Molina diſp. 280. Si tamen quod reſeruatur tam ſit modicum, vt pro nullo meritò reputetur, comparatione totius vniuerſitatis bonorum quæ donātur, non erit valida donatio. Idem dixero, ſi vſusfructus reſeruatus ſuſtentationi donatoris, qui aliunde non ſuſtentabitur, non ſufficiat.

*Aut ſi mortis cauſſa facta fit.*

Quæres tertiò, An valida ſaltem ſit mortis cauſſa facta donatio omnium, etiam futurorū bonorum?

Reſpondeo eſſe, quia ſemper eſt reuocabilis, quoad vixerit donator; atque ita non adimit facultatem teſtandi.

*Item ſi iuramento confirmata.*

Quæres quartò, An donatio omnium bonorum, etiam futurorum, appoſito iuramento fiat valida?

Reſpondeo affirmatiuè, quia eiuſmodi donatio eſt ſolùm contra bonos mores ciuiles, non naturales. Tenet Molina ſuprà.

Hactenus de donatione omnium bonorum: nunc proſequamur ampliationes & limitationes Legis, quæ in donatione excedente quingentos ſolidos requirit inſinuationem.

*Ampliationes Legis de donatione excedente 500. ſolidos.*

In primis ea extenditur ad remiſſionem debiti liquidi, non odioſi. Ita Lælius ex communi: & Confirmatur; Quia remiſſio eſt quædam donatio, vt ſuprà diximus. At quid ſi ex diuerſis cauſſis debeas mihi bis quingentos ſolidos, nimirum ex vtraque quingentos, valebítne mea remiſſio mille ſolidorum ſine inſinuatione? Lælius putat valere. Sed verius eſt contrarium, quia cenſetur vna donatio, eo ipſo quo ſimul hæc remittuntur, vt patet ex dicta L. Sancimus. Ita Molina. Confirmatur; Si quis enim Ius ſuum ad vtrumque illud debitum alicui tertio donaret, indigeret inſinuatione.

Secundò extenditur ad donationem reditus, cuius capitale ſuperat quingentos ſolidos.

Tertiò extenditur etiam ad donationem qua aliquid annuum cuipiam donatur, etiamſi illud ſingulis annis non excedat quingentos ſolidos, ſed duobus aut tribus, modò ea donatio non finiatur morte vtriuſuis, donatoris & donatarij, ſed vel onus eius tranſeat ad illius heredes, vel emolumentum ad huius heredes. Patet ex dicta L. Sancimus.

Quartò ad donationē factam pluribus, qui ſinguli non accipiant vltra quingentos ſolidos, modò tota ſumma illum valorem excedat. Eadem eſt ratio, quando vni aut etiam pluribus ſimul donantur res plures, quæ ſingulę non excedant, omnes tamen ſimul ſumptæ excedant: ſufficit enim eodem tempore fieri donationem. Vnde patet, fruſtrà in fraudem legis tabelliones in ſuis inſtrumentis multiplicare donationes.

Quintò extenditur ad caſum quo donator renuntiaret beneficio inſinuationis. Eſt communis ſententia, tum quia renuntiatio nihil valet contra diſpoſitionem legis, ſolemnitatem aliquam proforma inducentis vt actus ſit validus; tum etiam, quia alioqui lex fieret inutilis: qui enim circumuenitur fraude aut dolo vt donet, etiam facilè adigetur vt renuntiet inſinuationi. Similiter enim eodem impetu quo excedit donando, quem lex intendit refrænare, facilè etiam præcipitaret renuntiationem inſinuationis. Denique inſinuatio eſt inuenta propter vtilitatem publicam, cuius intereſt,

*Finis inſinuationis.*

est, ne quis rem suam profundat. Hactenus de ampliatione.

*Limitationes dicta Legis.*

Limitatio autem in primis huius Legis erit, quando iuramentum apponitur: tunc enim donatio rata erit in vtroque foro. Est communis nunc sententia, quamuis olim ex Iureconsultis nonnulli contradixerint. Confirmatur à simili; Quia fundi dotalis alienatio est irrita Iure ciuili: si tamen vxor eam iuramento confirmet, fit valida per cap. Cùm contingat, De iureiurando, & c. Licet mulieres, in 6. eodem titulo. Eiusmodi enim iuramentum non vergit in dispendium salutis æternæ, & cadit in actum licitum; imò in eum qui ex se naturalem vim habeat obligandi, quam etiam exerit citra excessum: impeditur autem vltra excessum, lege irritante, & requirente formulam insinuationis. At sanè lex eadem non efficit, ne suppleat diuinæ maiestatis reuerentia, quando formula iurisiurandi accedit, quod ex Imperatoria lege, forma insinuationis faceret. Vnde patet, non requiri, vt putauit Iulius Clarus; quamuis non sine formidine de oppositio, quod donator apponens iuramentum differè renuntiet beneficio insinuationis: renuntiat enim eoipso quo iuramentum donationi apponit; imò etiamsi in foro exteriori adhuc maneret irrita donatio donec accederet insinuatio, teneretur insinuationem facere virtute iuramenti.

Secundò, Locum non habet insinuatio, quando donatio diuersis temporibus & vicibus facta, simul ascendit vltra quingentos solidos. Patet L. Sancimus, C. De donationibus, §. Si quis autem. Non enim procedit, nisi de donationibus simul cumulatis.

Tertiò, Locum non habet, quando Imperator donat: indignantur enim Imperiales donationes sub obseruatione monumentorum fieri, sed formam habent propriam maiestatem, L. eadem.

Quartò, A priuatis in Principem cessantibus actis fit donatio, ibidem. §. Item.

Quintò, Excipitur donatio pro redemptione captiuorum. L. pænult. C. De donationibus.

Sextò, Donatio rerum mobilium aut se mouentium, à ducibus facta militibus, ibid.

Septimò, Donatio ad reparandas ędes incensas aut caducas.

Octauò, Donatio ante nuptias facta minori vigintiquinque annis, & patri destitutæ. L. Minoribus, C. De donationibus ante nuptias.

Nonò, Donatio facta remunerationis caussa: remunerationes enim donationes legibus non censentur. L. Hoc Iure, §. Labeo, ff. De donationibus.

Decimò, Donatio mortis caussa. L. finali, C. De donationibus caussa mortis.

Vndecimò, Donatio confirmata ab Imperatore aut supremo Principe; is enim potest in lege dispensare. Ita Lælius.

Duodecimò, Non indiget insinuatione renuntiatio Iuris, quod acquireres si acceptares, quando acceptatio tibi libera est: eiusmodi enim renuntiatio non est donatio, sed quædã non acceptatio.

Postremò excipienda est donatio quælibet in pias caussas. Ita Siluester verbo Donatio 1. numero 4. qui dicit esse sententiam DD. sui temporis, & sequuntur recentiores communiter. Probatur; Quia Imperator videtur tacitè in hoc consensisse. Cùm enim priùs L. Sancimus, donationes vltra trecentos solidos sine gestis irritas esse statuerat, pijs tamen caussis indulget vsque ad quingentos solidos: itaque quando posteà L. pænult. omnes vult valere vsque ad quingentos, meritò censetur consentire, vt in pias caussas valeat etiam vltra quingentos. Deinde etiamsi fortè aliud voluerint Imperatores, inualida tamen meritò censetur hæc constitutio: quia secundùm Ius naturæ, in pijs caussis eiusmodi, *omnium rerum donatarum immensitas, optima mensura est*, quod etiam Imperator fatetur Authentica De non alienandis aut permutandis rebus Ecclesiasticis, §. Sinimus. Adhæc, finis legis cessat contrariè, quando datur ad pias caussas: Lex enim intendit vitiosam nimia prodigalitate donationem cohibere, & reducere ad mediocritatem, vbi vel omnino non peccetur, vel minùs. Quando autem ad pias caussas fit donatio, eò plus habet virtutis, quò maior est: Deo enim redditur, à quo omnia etiam Imperatores acceperunt, & cui numquam satis offerri potest.

## DVBIVM VI.

### *An Donatio facta ob caussam, irrita sit, si caussa verè non subsit?*

*Defectus caussæ minus principalis non irritat.*

RESPONDEO, Irritam esse. est communis, Iulij Clari quæst. 25. Molinæ disp. 209. Limitandum tamen id est ad caussam principalem. Si enim sit caussa minùs principalis, aut tantùm occasio, eius defectus non reddit irritam donationẽ, multo minùs si tantùm coloris gratiâ adhibetur: imò in dubio an caussa sit addita tamquam caussa, præsumitur donatio absoluta, neque statur in foro externo affirmationi donatoris posteà declarantis se donasse ob caussam. Item si Iure sint coniunctim expressæ caussæ, quæ tamen simul subsistere non possint, habentur pro non appositis, & donatio est absoluta. Decisio Rotæ 125. parte 1.

Extenditur hæc Responsio etiam ad dispositionem testamentariam, ita vt posterius testamentum irritum futurum sit, si in eo caussæ principalis error fuerit admissus, vt docet Molina suprà.

*Donatio mixtè voluntaria.*

Ratio autem Responsionis nostræ ea est, quòd donatio liberalis irrita fiat eo ipso quo mixtè solùm est voluntaria: est autẽ summum mixtè solùm voluntaria, quando eiusmodi error admiscetur. Item quòd sine consensu donatoris hîc oriri non possit obligatio, verè autẽ non sit ipsius cõsensus, nisi mediante quodãmodò eiusmodi caussa; sicuti paries non videtur, nisi per colorem. Itaque consensus, adeoque etiam donatio resoluitur quodammodò in conditionatam. L. Demonstratio falsa, §. Quod autem, ff. De conditionibus & demõstrationibus. Est enim cõditio quasi actu exercito & implicitè inuoluta: qui enim dicit, Do tibi, quia es primogenitus meus, quamuis non dicat, Do si es primogenitus, si tamen primogenitura caussa principalis sit donationis, posterior formula quodammodò in priori continetur; non contineretur autem, quando primogenitura non esset caussa principalis, posset enim donatio subsistere subsistente caussa principali.

Dices, *Si quis principaliter hanc ducat propter diuitias quas eam putat habere, verum est matrimonium, etiamsi eas non habeat; ergo caussalis donatio non resoluitur dicto modo in conditionalem.*

Respondeo, negando consequentiam. Quando enim substantia contractus aliam habet caussam suam propriam & internam principalem quę in ipso præsumi debeat, vt fit in matrimonio & alijs contractibus stricti Iuris, quicumque simpliciter in eiusmodi contractum consentit, non apponendo conditionem, censetur is principaliter ob aliam illam caussam quæ contractui est substantialis, contrahere, & ab illa quam exprimit solùm occasionem accipere.

*Quanam sit differentia inter donationem & promissionem.*

Atque hactenus satis conueniunt promissio & donatio: est tamen insigne hîc inter eas discrimen, quòd ad cõfirmandam donationem facilius inueniatur remedium ex subsequente approbatione donatoris, agnito iam errore, aut sanè ex interpretatiua & meritò præsumpta tali eius voluntate, qua fiat, vt etiamsi minùs validè donatarius initio fortè acceperat, possit tamen retinere postquam accepit. Quæ donatoris voluntas vt præsumatur, considerandæ erunt circumstantiæ, tam ex parte ipsius donatoris & donatarij, quàm ex parte rei donatæ: facilius enim præsumetur nolle sibi restitui homo generosus; facilius item id præsumetur, quando non nimis longè abest donatarius à vera caussa donationis, aut quando plures aliæ concurrunt, ob quas meritò velit donare, denique quando donum fuerit exiguum. Hac ratione eos qui mentita paupertate modicum quid accipiunt à pluribus, excusant communiter DD. à restitutione, quamuis & illa eos inuet, quòd ferè incerti sint eiusmodi donatores.

*Cui restituendum, quando irrita est donatio.*

Verùm illud hîc controuersum est, posito quòd constiterit non solùm irritam fuisse donationem, sed etiam velle donatorem fieri restitutionem, cui facienda erit; an illi in quo verè reperiatur caussa ob quam dedit, an verò ipsi donatori?

Respondeo, Omissis varijs sententijs, regulariter, imò generatim, propriè loquendo, esse restituendum donatori, si is notus fuerit, nisi præsumi possit per cassum hunc donatarium, velle donatorem restitutionẽ fieri ei in quo verè caussa subsit; quod in eleëmosynis minoris momenti facilè præsumi posset. Rectè autem præsumitur, quando caussa sita est in individua aliqua qualitate: verbi gratia, Per errorem putat Titius te esse cognatum suum Sempronium, si propter cognationem tibi leget tantum, reddes non Titij heredibus ab intestato, sed Sempronio. Ira tenet Molina disp. 210. quamuis fateatur, ex rigore positiui Iuris esse restituendum heredibus.

## DVBIVM VII.

### *An error in demonstratione vitiet Donationem?*

*Quando valida donatio cum errore in demonstratione.*

EST, verbi gratia, ager septem iugerum, donator autem dicit, Do tibi hunc agrum qui est quinq; iugerum. Quæritur quousq; stet donatio?

Respondeo; Quandocumque constat de quo donatario, & de qua re donanda donator loquatur, valida erit donatio, etiamsi erretur in demonstratione, siue doni, siue donatarij, modò demonstratio in qua error committitur, non contineat caussam donationis, aut conditionem veram, aut Iure præsumptam, sed solùm vice nominis fungatur. Paret L. Demonstratio falsa, L. Nominatim, L. Quibus diebus, §. Qui doralem, ff. De conditionibus & demonstrationibus.



At quid si res non existat; vt si dicat, Dono centum quæ debet Petrus, & nihil debeat Petrus?

Respondeo, Donationem non valere: secùs si Petrus non quidem centum, sed quinquaginta debeat; valebit enim ad quinquaginta.

## DVBIVM VIII.

### *Quomodo valida aut inualida sit Donatio facta sub conditione?*

*Conditio quid.*

CONDITIO secundùm Panormitanum in Rubricam De conditionibus appositis, est quædam adiectio, posita vel subintellecta in dispositione, ipsam suspendens & resoluens. Vt verò generatim dicamus quomodo conditio vitiet aut suspendat dispositionem, obseruandum est, quatuor ferè modis conditiones sese habere, considerari posse. Vel enim eo ipso quo apponuntur, vitiant dispositionem; vel vitiantur & habentur pro non appositis, ita vt neque omnino irritent dispositionem, neque suspendant; vel neque vitiant neque vitiantur, sed suspendunt; vel denique cogitari possunt neque vitiare, neque vitiari, neque suspendere.

*Conditiones se quatuor modis habere possunt.*

*Alia diuisio in Potestatiuam, Casualem, & Mixtã.*

Antequam de singulis dicamus, & alia diuisio conditionis notanda est, in Potestatiuam, quæ pendet tota à voluntate & potestate promissarij; & Casualem, quæ nullo modo ab eius voluntate pendet; & Mixtam, quæ partim pendet, partim non pendet ab eius voluntate.

### *De Conditionibus vitiantibus dispositionem.*

*Conditiones irritantes dispositionem. Impossibilis reipsa.*

CONDITIONES quæ omnino nullam reddunt dispositionem, ferè sunt istæ:

Primò, Donatio inter viuos irrita est, si conditio apposita sit impossibilis reipsa siue ipso facto, aut simpliciter, aut promissario, aut eo modo quo apponitur: imò hoc extenditur etiam ad omnes contractus, vt patet L. Non solùm, ff. De obligationibus & actionibus, & probat latè Sanchius lib. 5. disp 3. numero 1.

*In matrimonio habetur pro non apposita.*

Excipitur tamen contractus matrimonij, de quo infrà. Ratio est, quia appositio conditionis impossibilis, est signum dissensus, nisi fortè putetur esse possibilis. Verùm ex alio capite etiam tunc irritat dispositionem. Si enim seriò sit apposita, suspendit dispositionem, & quidem eo modo, vt numquam desinere possit eiusmodi suspensio, adeoque euentus conditionis non sit expectabilis. Sanè quando ioco apponi intelligitur, & consensus absolutus præberi, conditio pro non adiecta habetur. In matrimonio etiam statuit cap. finale, De conditionibus appositis, conditionem impossibilem haberi pro non apposita; quod Sanchius tum demum locum habere putat, quando vterq; contrahentium nouerit conditionis impossibilitatem, & hanc legis dispositionem.

*Impossibilis Iure.*

Secundò, Irritam facit donationem conditio Iure impossibilis, quia turpis & contra legem; si conditionem intelligas de re quasi futura, quomodo propriè conditionẽ intelligi dicit L. Nominatim, ff. De conditionibus. Ratio, quia animus donatoris tendit in rem impossibilem: donando enim vult donatarium obligare ad actum illicitum; impossibile autem est, quempiam obligari ad idem faciendum, ad quod omittendum obligatur.

In matrimonio tamen etiam eiusmodi conditio

habebitur pro non adiecta, saltem in dubio an seriò apposita sit, & quando pro turpi ab vtroque contrahente agnoscitur, non ignaro Iuris pro non apposita talem habentis.

Si conditio turpis præterita aut præsens sit, quamuis ferè cum peccato apponatur, verè tamen donationem nec vitiat, nec vitiatur.

Si inter viuos donetur quid virgini, ea conditione ne nubat, est irrita donatio, etiamsi non nupserit. Sanchius lib. 1. disp. 34. Imò etiam erit irrita, si iubeatur arbitratu Titij nubere, secùs si tantùm consilio. Non erit tamen irrita conditio quæ vetat viduam nubere, per Ius Codicis, de quo infrà: quamuis si virgini legatum sit sub conditione non nubendi, non amittat legatum, etiam cùm secundo nupserit.

### *De Conditionibus quæ vitiantur, sed non vitiant.*

*Pro non appositis habentur, Necessaria.*

TALES quoad effectum sunt omnes de rebus omnino necessarijs, tam præteritis & præsentibus quàm futuris; habentur enim pro non adiectis, imò relinquunt donationem absolutam. L. Si pupillus, ff. De donationibus. Qui sub conditione stipulatur quæ omnino extitura est, purè videtur stipulari. Item Iure positiuo tales multæ sunt fauore matrimonij & vltimæ voluntatis, & odio litium; ideoque in donatione causa mortis, legato aut testamento, conditio Iure aut reipsa impossibilis, habetur pro non adiecta. Cùm enim testator iam defunctus, suam voluntatem explicare aut corrigere, & reuocare ad debitum modum nequeat, censetur inualidè potiùs malle appositum quod fieri non potest, quàm nolle fieri quod voluisse certum est. Ita ff. De conditionibus & demonstrat. L. Obtinuit, L. Non dubitamus. item ff. De conditionibus institutionum, L. Conditiones, & L. Filius.

*In vltima voluntate impossibilis conditio habetur pro nò adiecta.*

Illud tamen locum non habebit, quando constat testatorem conditionem, quæ reuerà est impossibilis, habuisse pro possibili, vt docet Molina disp. 206. ex L. Seruo manumisso, ff. De conditione indebiti.

*Impossibilis quoad modum.*

Aliquando etiam conditio quo ad modum est impossibilis, tamen quoad substantiam est possibilis; & tunc solùm quoad modum habebitur pro non adiecta. Si enim testator monumentum triduo excitatum voluerit, sufficiet primo quo fieri poterit tempore excitari. L. Si quis ita institutus, ff. De conditionibus institutionum. Exceptionem etiam patitur, quando conditio nimiùm perplexis verbis expressa fuerit, L. Si Titius, ff. eodem.

*Conditio qua legataria à matrimonio prohibetur.*

In fauorem matrimonij pro non adiecta conditio habebatur in vltima voluntate, qua legatarius matrimonium contrahere vetaretur, L. 63. ff. De conditionibus & demonstrat. Vbi id ampliatur ad casum, quo dictum sit, Si Titio nupserit; modò Titius eius nuptijs indignus sit. Extendit etiam Sanchius lib. 1. disp. 34. ad casum quo testator diserte dixisset, Si nupserit, nihil lego; aut, Nisi filios habuerit, lego: item si dixerit, Patri hoc lego, nisi filia virgo nupserit. Item extenditur ad hanc conditionem, Lego ei tantum, si continenter vixerit; excluditur enim matrimonium: secùs quando dicitur, Lego si castè vixerit.

Limitatur ramen vt locum habeat conditio, Primò si testator pro conditione apponat nuptias Titij, & is dignus sit legatariæ nuptijs. Secundò limitandum ad casum quo secundę nuptię à viro vxori prohiberentur, donec proles sunt impuberes, L. Sed si hoc, §. Cùm vir vxori, ff. De conditionibus & demonstr. Limitandum Tertiò erit quando fauor matrimonij concurret cum fauore libertatis: si enim seruus legatus sit mulieri quoad nupserit, dum ipsa nubit, liber erit, L. Titio, ff. eodem. Quartò & Postremò, Iure Codicis limitatum hoc est ad primas nuptias. Authentica Cui relictum, C. De indicta viduitate. Quamuis enim Ius Digestorum vetet indici sterilitatem, Ius tamen Codicis permittit indici viduitatem.

*Conditio iuramenti habetur pro nò adiecta.*

Si testator aliquid tibi relinquat, ea conditione vt iures te aliquid daturum aut facturum, iuramenti conditio habetur pro non adiecta: sufficit enim dare aut facere, L. Hæc scriptura, ff. eodem. Si tamen aliqua alternata conditio cum iureiurando ponatur, quæ ad iurandum vrgeat; vt si iubeatur legatarius iurare se aliquid facturum, aut nisi iuret decem millia dare; ea habebitur simul cum iurisiurandi conditione pro non adiecta: defungetur enim faciendo quod iurare iussus est, etiamsi neque iuraverit, neque decem millia dederit, idque propter iurisiurandi reuerentiam, ne vel eius contemptus ad legata capessenda prosit, vel religio obsit. L. Quæ sub conditione, De conditionibus institutionum.

Si dicat, Lego, nisi Religionem ingrediaris, animo retrahendi à Religione, habebitur pro non adiecta, obtinebit tamen si alia iusta de causa fuerit apposita.

*Conditio à Religione retrahens quando habeatur pro non adiecta.*

Si dicat, Lego centum, si nuptias contraxeris, habebit illa centum monasterium, quod legatarius ingressus fuerit: Authentica De sanctissimis episcopis, Authentica Nisi rogati, C. Ad Senatusconsultum Trebellianum. Est enim idem fauor matrimonij spiritualis qui carnalis, quando eadem ratio vtrobique militat, & præsumitur testator noluisse excludere maius bonum, quando non exprimit.

Si dicat, Lego centum si Religionem ingressus fueris, ducenta autem si matrimonium contraxeris; dubitant DD. an habebit ducenta, etiamsi monasterium fuerit ingressus, omissis nuptijs. Ait Panormitanus; negant Couarruuias, Molina, Sanches, & alij. Verius videtur, nisi testator aliqua iusta de causa ita disposuisse probabiliter præsumi queat, ducenta habiturum: plerumque autem præsumi posse, rectè considerarunt Couarruuias & reliqui negatiuæ opinionis auctores. Vnde ipsorum opinio absolutè videtur verior, quam egregiè probat Sanches. Erit autem extra omnem controuersiam, si ita expresserit: Lego Titiæ centum, & ei qui eam duxerit, alia centum.

Postremò, Conditio humanitati contraria, vt pote, Si reliquias meas in mare proieceris, habetur in testamento pro non adiecta, L. Quidam, ff. De conditionibus institutionum.

### *De Conditionibus quæ neque vitiant neque vitiantur, sed suspendunt.*

*Conditio qua ex natura rei, non suspendit dispositiuè.*

HÆC ordinaria est legitimarum conditionum natura, vt suspendant dispositionem. Vnde consequens est, non fieri dispositionem conditionatam, quando solùm exprimitur ea conditio, quæ tacitè semper ex natura rei inest: verbi gratia, Dono, si acceperis. Patet ex L. Conditiones extrinsecus, & L. Aliquando, ff. De conditionibus & demonstrationibus.



Limitandum tamen hoc est ex communi sententia, vt non procedat, quando conditio non exprimitur eo modo quo inerat. Si enim legatum sit alicui tãtum si volet, intelligitur esse cõditionale, & exigi vt voluntatem suam declaret, adeò vt si simpliciter legatum sit, etiamsi legatarius moriatur antequam declaret se velle, legatum transeat ad eius heredes; non autem si legatum sit, si volet.

Si donator dicat, Do Petro centum, si hoc aut illud fecerit; non sufficiet Petrum hoc quomodolibet fecisse, sed debebit fecisse non casu aliquo, sed conscius huius conditionis, vt videri queat paruisse. L. 2. ff. eod. Si tamen per promissarium non stet quò minùs conditionem impleat, non suspenditur donatio. Ibidem L. Multa. L. Iure ciuili.

Si conditio talis sit, vt impleri non possit nisi totâ vitâ donatarij, verbi gratia, si negatiua sit, puta quòd Capitolium non ascendet; ne is totâ vitâ careat re donata, Mutius inuenit cautionis remedium, vnde Cautio Mutiana dicta est. Itaque si cautionem præster ei cuius interest de implenda conditione, suspensio donationis ei relaxatur. Ibidem L. Mutianæ. L. Is cui. Talis erit conditio non nubendi tam in viduo quàm in vidua, aut etiam in impotentibus ad generandum, vt videre licet apud Sanchium, lib. 1. disp. 34. numero 30.

*Cautio Mutiana.*

Quæres, Quando oporteat donatarium conditionem implere?

*Quando implenda conditio potestatiua. Quando casualis.*

Respondeo, Si conditio sit potestatiua, hoc est, planè pendeat ex voluntate donatarij, primo quoque tempore eam implere debebit. L. Hæc conditio, ibid. Si merè casualis, ipsius euentus erit expectãdus, ita vt futura sit irrita donatio, nisi euenerit conditio. Excipe tamen, si donator nescierit factum, quod tamquam futurum in conditione posuit. Ita eadem Lege. Si tamen sciuerit factum, & nihilominùs conditionem apponat; intelligitur iterùm velle fieri. Ibidem, L. Si iam facta. Si mixta sit conditio, & per eum stet in cuius fauorem apposita est quò minùs impleatur, valida est donatio.

*Quando mixta.*

### *De Conditionibus quæ neque vitiant neque vitiantur, neque suspendunt.*

TALES nullas esse quæ futurum respiciant, satis manifestum est, nisi fortè quæ Mutianæ cautionis remedio nituntur: nam quæ ideò cessat, quia non vult is in cuius fauorem apposita est, iam vitiata censeri potest. Sunt tamen verè tales, quæ impletæ quando fit donatio, eam non vitiant: vt quando Titio iam pubere, donantur ipsi centum si sit pubes. Erit etiam eiusmodi conditio, quando viduæ legatur quidpiam nisi nupserit, aut virgini legatur aliquid nisi nupserit, & casu quo virgo nupserit, substituitur pia causa. Fieri enim potest, vt neutro casu suspendatur legatum, sed fiat viduæ aut virginis donec nubat; quando autem vidua nubit, fiet heredis ab intestato; quando autem nubet virgo quia ita expressum est, cedet in vsum pium.

Quanti autem referat, an hoc modo sit accipienda conditio, vel inde patet, quòd hoc modo intellecta, non tam sit cõditio sub qua habeat rem donatarius, quàm sine qua sit amissurus, ita vt conditioni contrauenienti, non omnino careat legato, sed solùm postquam contrauenit, adeoque non restituet fructus, neque tenebitur ad Cautionem Mutianam. Verùm, eiusmodi conditio multùm accedit ad modum, de quo nunc dicendum.

## DVBIVM IX.

### *Quomodo valida sit Donatio facta sub modo?*

*Dispositio sub modo.*

ALIQVANDO contingit dispositionem fieri sine vlla quidem propriè dicta conditione, sed apposita quadam lege, & præscripto modo, quam vocant dispositionem sub modo.

*Differt modalis à conditionali.*

Differt autem modalis eiusmodi donatio à conditionali, quòd in hac, quando conditio est futura, donatio suspendatur; in illa autem non suspendatur, quamuis aliquando modo non impleto postmodum concidat, & quando concidit, aliquando inualidetur cum retrotractione, aliquando non; de qua validitate nonnihil hìc dicendum.

In eo satis conueniunt DD. donatarium non amittere donum, quando donatio facta est solùm causa eum iuuandi, aut alliciendi ad eiusmodi rem perficiendam; non autem animo absolutè obligandi.

*Quando onus impositum non est principalis causa donationis, eo non impleto, valida est donatio.*

Secundò docent communiter, non amittere quando onus impositum per modum, non est principalis causa donationis, sed solùm minùs principalis, nisi apertè ita voluerit donator. Argumentum ex cap. Verùm, De conditionibus appositis. Vbi Ecclesia dicitur non amittere donum, etiamsi non impleat onus sub quo donatum est, nisi hoc in donatione fuerit expressum: cuius rationem dicit esse Panormitanus, quòd donans Ecclesiæ sub modo, videatur principaliter donare propter Deum, & pro remedio suorum peccatorum, ita vt modus quem apponit, non sit causa finalis donationis.

Monet tamen idem Panormitanus post Glossam receptam cap. vlt. 16. quæst. 6. etiam quando ita pactum fuerit, vt non impleto modo donatio resoluatur, non sufficere ad eius reuocationem quòd Prælatus non seruet modum, quamuis in acquirendorum amissione sufficiat Prælatum non præstare conditionem.

Excipit etiam casum, quo necessitatis cuiusdam subleuandæ causa, Ecclesia contra appositæ conditionis modum, donatam possessionem alienasset, quòd sanæ mentis donator non censeatur legem posuisse necessitari quæ legem non habet.

Tertiò, Quando modus appositus solùm respicit vtilitatem donatarij, præsumitur etiam eo non impleto voluisse donatorem ei donum manere. L. Titio centum, ff. De conditionibus & demonstrat.

Quartò, Si modus appositus fuerit in emolumentum tertij, & per eum steterit, quò minùs donatarius impleuerit, habetur pro impleto. L. 1. C. De his quæ sub modo.

Quintò, Modus impossibilis aut illicitus habetur pro non adiecto, etiam in donatione inter viuos, vt docet Molina disp. 208. cùm tamen conditio impossibilis eam vitiet, vt suprà diximus. Ratio est, quòd modus non suspendat donationem sicut conditio.

*Quando nè impleti modi reneatur restituere fructus.*

Verùm nunc restat videndum, quando non implens modum donatarius, non solùm amittat donum

donum in posterum, sed etiam fructus iam perceptos. Vbi generatim facilè deciditur, ad fructus restituendos teneri, quando donatoris ea voluntas esse scitur, vt non impleto modo, ita rescindatur dispositio donationis, quasi numquam facta fuisset: non teneri autem, quando lex à donatore imposita solùm habet, rem amittendam in posterum esse nisi onus præstetur. Imò aliquando non sufficit restituere rem cum fructibus, sed potest donator petere tantum sibi superaddi, quanti sua intererat, onus à donatario acceptatum impleri: quod locum habebit, quando ita vtrimque inter se conuenerunt, imò etiam quando donator se ita velle declarasset; donatarius enim rem acceptando, censetur legem acceptare. Quare si donator noluerit rem fieri donatarij, nisi priùs impleto onere, & donatarius eo neglecto rem occupet, tenebitur præter ipsam rem restituere etiam fructus perceptos, & quanti intererat donatoris, ab initio onus impleri; nisi fortè nunc velit onus impleri ad arbitrium donatoris. Hoc tamen casu modus ferè degenerabit in conditionem, quia suspendit donationem.

Existimat Molina suprà, ordinariè etiam fructus esse restituendos, quando donator statuit eo ipso rem esse amittendam, quo contraueniretur modo, ideoque opus hîc semper esse cautione quasi Mutiana, nisi fortè in maioratibus, quorum liberior videtur esse conditio: si tamen hac cautione non præstita moriatur donatarius, non amittunt eius heredes donum.

## DVBIVM X.

### *Quibus casibus Donatio possit reuocari?*

AGIMVS de donatione perfecta, nam quæ adhuc subsistit intra limites promissionis acceptatæ, reuocatur sicut promissio, de qua suprà diximus. Itaque primò reuocatur donatio propter ingratitudinem donatarij in donatorem, L. vltima, C. De reuocandis donationibus, & cap. vlt. De donationibus. Rationem dat Lex, *Ne sit cuiquam licentia & alienas res capere, & frugalitatem irridere donatoris.*

*Reuocatur donatio ob ingratitudinem donatarij.*

*Quæ ingratitudo sufficiat ad reuocationem donationis.*

Neque tamen quæuis ingratitudo sufficit, sed quatuor quæ singulæ sufficiant, dicto cap. exprimuntur: Si fortè donatarius in donatorem impias manus iniecerit, aut ei atroces iniurias, seu graue rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit. Quintam addit dicta Lex finalis, Si conuentiones, donationi verbo vel scripto à donatore impositas, minimè implere voluerit. Addunt quidam sextam, Quando donatarius non alit donatorem iam inopem factum, si donatio magna fuit, adeoque conditio tam donatoris quàm donatarij ita fieri postulet, & donator petat. Imò dicunt non pauci DD. sufficere quamcumque ingratitudinē dictis parem aut maiorem. Ita tenet Iulius Clarus, & alij quos ipse citat quæst. 21. imò dicit esse communem. Verùm istud reijcit Molina, & probat solas quinque priores recipiendas esse, eò quòd L. finalis citata statuat, ex his tantummodò causis donationes euerti, & quia pœnæ non sunt extendendæ per argumenta à pari aut maiori ratione. Quæ sententia vera est. Cùm enim donatio natura sua sit irreuocabilis, non reuocabitur in pœnam ingratitudinis, nisi casibus in Iure expressis.

Reuocatur ergo donatio, Si donatarius in donatorem impias manus iniecerit; secùs si solùm attentauerit, aut ignorauerit esse donatorem, aut manus iustè iniecerit, quia ab eo inuasus. Secunda etiam causa atrocium iniuriarum quando sufficiat, ex qualitate personarum, & alijs circumstantijs ponderandum erit. Tertiam non sufficit attentasse. Quartam sufficit. Quinta hoc habet peculiare, quòd propter non impletam conuentionem, etiam heredes donatoris possint conuenire donatarium aut ipsius heredes.

Vt autem ratione ingratitudinis agatur contra donatarium propter quatuor causas priores, opus est vt hoc fiat à donatore, viuente adhuc donatario: ad pœnam enim non agitur contra eos qui non peccarunt, sed benè ad reciprocum onus. Vt tamen heres donatoris contra ingratum donatarium reuocationis Ius habeat, sufficit donatorem ingratitudinē ignorasse, aut tempus non habuisse ad reuocandum, aut cœpisse quidem agere ad reuocationē, sed non perfecisse, aut minatum fuisse reuocationē, & probabiliter aliunde impeditum fuisse. Quatenus verò hîc pœna consideratur, omninò etiam dicendum est, locum non habere hanc reuocationem ante sententiam Iudicis: requirit enim L. supradicta, vt causæ illæ sint in iudicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ.

Extendenda porrò est hæc reuocatio etiam ad casum, quo donator apposita clausula se obstrinxisset ad non reuocandam donationē, etiam in euentum ingratitudinis, nisi hanc ipsam clausulam iurato esset pactus: nam aliàs etiam iuratam donationē licebit propter ingratitudinē reuocare; nam etiam iuratæ donationi ex Iuris dispositione tacitè inest conditio excipiens ingratitudinem, quæ conditio amoueri non potest simplici renuntiatione facultatis reuocandi ob ingratitudinem; renuntiationē enim pro nulla habent leges, tamquam quæ præbeat occasionem delinquendi. Quia tamen Ius permittit non reuocare, etiamsi donatarius fuerit ingratus, contingit iuramentum cadere in actum licitum, quando non reuocare iurat donator, adeoque obligare.

*Donatio vtra potest etiam reuocari propter ingratitudinem.*

Extenditur etiam hæc reuocatio ad fructus rei donatæ perceptos à lite contestata, non autem ad priùs perceptos. ita Molina disp. 281.

Limitatur tamen communiter reuocatio ob ingratitudinē, vt locum non habeat quando donatio fuit ob causam, aut remuneratoria: hæc enim non est pura liberalitas quam spectare videtur Iuris dispositio, vt patet dicto cap. finali. *Limitatur.*

Limitatur etiam, vt locum non habeat, quando donatio facta est Ecclesiæ, etsi non solùm Prælatus aut Capitulum, sed simul Capitulum & Prælatus sint ingrati: tum quia talis donatio præcipuè censetur facta Deo, & intuitu beneficiorum à Deo acceptorum & accipiendorum, adeò vt reuocanda non veniat secundùm Ripam apud Iulium Clarum, etiam quando donator apposuerit pactum, quod posset ob ingratitudinem reuocari. Quintus tamen modus ingratitudinis hîc extendendus erit secundùm ea quæ diximus superiori dubitatione.

Tertiò limitatur, vt locum non habeat in Beneficio Ecclesiastico. Neque enim illud propter ingratitudinē collator potest reuocare: quod mirum non est, quia collatio non est donatio ex liberalitate,



tate, sed ex officio ad eam tenetur collator, quamuis gratia intercedat ratione determinationis ad hanc personam, præcipuè quando alij erant æquè digni.

*Reuocatur secundò donatio ob quòd donatori filij nascantur.*

Reuocatur secundò donatio eò quòd donatori filij nascantur. Si enim liberos non habeat quando donat, & posteà ei nascantur, reuocatur donatio tota facta extraneo, etiam liberto. L. Si vmquam C. De reuocandis donationibus, & ibi Interpretes. Omnes enim communiter Legem extendunt ad alios extraneos, quamuis de solis libertis loquatur. Ita Iulius Clarus quæst. 22. Molina disp. 282. qui videtur extendere etiam ad donationem factam ascendentibus.

At quærunt, Quantam oporteat esse donationem, quæ reuocetur propter superuenientes liberos.

*Quanta debeat esse donatio, vt propter prolis reuocari possit.*

Omissis varijs sententijs, verius videtur, sufficere eam esse tanti momenti, vt meritò præsumatur donator eam non fuisse facturus, si de liberis cogitasset. Quocirca rem iudicis arbitrio committendam vult Iulius Clarus. Molina tamen Iudicis arbitrio dicit non esse opus, quando donationem constat non relinquere filijs legitimam illam portionē, quæ ex paternis bonis secundùm leges ipsis debetur. Si autem notabilis fuerit & legitimam non lædat; arbitrio iudicis locus erit. Si verò tam exigua fuerit, vt meritò administrationis potestatem excedere non censeatur, qualis erit quando diuersis temporibus modica donantur diuersis, non erit locus reuocationi; neque enim eam præsumitur donator non facturus, etiamsi de liberis cogitasset.

Roget quispiam, An L. Si vmquam, locum habeat, quando donator tempore donationis videtur de liberis cogitasse.

Respondeo; Si apertè constet cogitasse, locum non habet; præsumitur tamen non cogitasse, quando apertè non constat, quæ præsumptio simul cum fauore liberorum iustam dat causam generali legi, quæ statuat generatim reuocari donationem, quando liberi nascuntur, ita vt in conscientia ea obliget, & seruanda sit etiam ante sententiam iudicis, quotiescumque non constiterit donatorem de liberis cogitasse. Non ergo præsumetur de liberis cogitasse, etiamsi tempore donationis nuptias celebrabat, aut iam coniugatus erat, & spem prolis habebat, vt obseruat Iulius.

*Extenditur L. Si vmquam.*

Extendenda etiam est Legis hæc dispositio, vt locum habeat quando in donatione donator renuntiat beneficio huius reuocationis. Quamuis enim tunc non reuocetur tota, neque etiam ex parte, ipso donatore viuente, nisi fortè in necessitate liberorum; reuocatur tamen post eius mortem vsque ad legitimam liberorum, etiamsi donatio, imò & renuntiatio, beneficio Legis Si vmquam, fuerit iurata; quia iuramentum non est vinculum iniquitatis.

Extenditur præterea ad casum, quo filius post donationem natus, statim moritur. Res enim donata, eo ipso quo filius est natus, redit etiam sine traditione in dominium donatoris aut filij nati. Si tamen donator post mortem filij eam relinquat donatario, iterùm censetur eam donare. Ita Additiones Iulij Clari, quæ extendunt huius Legis Si vmquam, dispositionem, etiam ad renuntiationem post Ius quæsitum.

Extendenda etiam videtur ad casum, quo filio posthumus nasceretur: extincto enim filio, quod domasset pater, posthumo nepoti reddetur: nepos enim descendens nomine filij censetur, quamuis non transuersalis. Panorm. in cap. In præsentia, De probationibus, numero 30.

*Limitatur.*

Limitationes tamen aliquot admittendæ sunt huius Legis. Prima erit, quando filij nascuntur illegitimi; imò neque sufficiet eos legitimari: sufficiet tamen legitimari per subsequens matrimonium, si non erant nati quando donatio fiebat. Nam si nati erant, nec ista legitimatio proderit ad rescissionem donationis: neque enim præsumitur de liberis non cogitasse, quos iam habebat.

Secunda, Quando donatio facta est Ecclesiæ; tunc enim non rescinditur tota, sed solùm vsque ad legitimam filiorū; Ecclesia enim æquiparatur filio: quando autem vni filio donatio facta est, & alij posteà nascuntur, solùm rescinditur vsque ad legitimam superuenientium, Couarruuias lib. 1. Variarum resolution. cap. 19. numero 6.

*Obiect.*

Sed dices; Cap. vltim. 17. quæst. 4. dicitur, donationem Ecclesiæ factam totam rescindi propter superuenientes liberos: de eiusmodi enim casu ibidem dicit Aug. *In potestate habebat Episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli.*

*Resp.*

Respondeo, Iudicare Aug. Iure ciuili posse Episcopum eo casu retinere quod est præter legitimā superuenientium liberorum, sed non Iure poli, id est, æquitate naturali vel lege scripta in conscientia cuiusque, quæ etiam consilia complectitur, sicuti lex Euangelica, quæ præter præcepta, sua etiam habet consilia, vtpote quæ sit lex libertatis, vt docet D. Thomas 1.2.q.108. art.4. Ita Canonem illum explicat Glossa ibidem, & in c. Si quis irascitur 13.q.2. quam sequitur Turrecremata, Molina disp. 228. Couar. suprà numero 11. & alij.

Tertia limitatio erit in donatione propter bona merita, imò generatim in donatione ob causam, si talis sit, vt respectu donatoris patris non sit merè liberalis. Si enim extraneam dotet vt nubat extraneo, quamuis sit ob causam ex parte accipientis mariti, est tamen merè liberalis ex parte donantis, itaque subiacebit dispositioni L. Si vmquam, saltem vsque ad legitimam: non subiacebit autem, si ex parte donantis fuerit ob causam, etiam solius gratitudinis. Ita Molina suprà.

*Reuocatur etiam donatio inofficiosa.*

Tertiò reuocatur donatio inofficiosa, id est, facta à patre contra officium patris, quatenus lædit legitimam debitam filijs, vt paret pluribus Legibus, C. De inofficiosis donationibus. Fit autem inofficiosa donatio duobus modis: aliquando re tantùm, aliquando re & consilio simul. Quando pater non intendit læsionē filiorum, non reuocatur, nisi vsque ad debitum bonorum subsidium, id est, vsque ad legitimam filiorum. Quando autem re & consilio simul est inofficiosa, reuocatur tota, si facta sit extraneo, nisi aliquid filio sit relictum; tunc enim solùm ei suppletur legitima: si autem facta sit vni filiorum, reuocatur iterùm, solùm vsque ad debitum subsidium bonorum, L. Si liqueat, C. eodem. Ita ex communi sententia Iulius Clarus quæst. 24. Vacillat tamen in hac re Molina, & videtur concedere, etiam consilio inofficiosam factam extraneo non reuocari nisi vsque ad legitimam, saltem ante sententiam iudicis.

*Donatio inofficiosa ad tertiam.*

Notandum, Non esse hæc extendenda ad contractus onerosos, etiamsi in fraudem filiorum facti

facti essent, nisi fortè qui cum patre contraxit, fuisse conscius fraudis; tunc enim querelæ inofficiosi locum facit Iulius Clarus vsq; ad legitimam.

Notandum Secundò, Inofficiosam donationem etiam ad pias causas reuocari, saltem vsque ad legitimam. Argumentum cap. Si quis insciturr 13. quæst. 2. Item non confirmari iuramento, vt habet communis opinio.

Notandum Tertiò, etiam respectu ascendentium querelam dari inofficiosæ donationis ex L. Si filius, C. eodem.

Quartò, Donatio causa mortis reuocatur tribus modis: Pœnitudine, euasione periculi, si contingat donatorem euadere periculum mortis in quo donauit. L. 16. ff. De mortis causa donationibus; & morte donatarij ante donatorem, vt patet ex definitione huius donationis.

*Donatio mortis causa tribus modis reuocatur.*

Rescinditur etiam secuto crimine & supplicio. L. Si aliquis, ff. eodem.

Denique, Sic posse mortis causa donationem fieri vt nullo casu repetere liceat, ne quidem si conualuerit donator, apertè dicit L. Si alienam, ff. eodem. Quomodo autem id fiat, accuratè tractatum videre licet apud Couarruuiam De testamentis, 2. parte à numero 12. vsque ad 15.

## CAPVT XI.

### *De translatione Dominij per Testamentum.*

### DVBIVM I.

### *Quid Testamentum?*

INTER eos modos quibus voluntate domini transfertur dominium, admodum celebris est ille, qui est per testamentum, quod est vltima hominis voluntas; quamuis vltima voluntas latiùs pateat: complectitur enim prætereà codicillum, legatum, fidei commissum, & donationem causa mortis. Est autem vltima voluntas, voluntatis nostræ iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit. Ita intelligunt DD. nonnulli hæc verba Iurisconsulti L. 1. ff. Qui testamenta facere possunt: ibi enim secundùm etymologiam definitur testamentum: conuenit autem etymologia cuiuis vltimæ voluntati, vt testamentum nihil sit aliud, quàm mentis quædam testatio, vt dicitur Institut. De testamentis, in principio: quamuis alij hoc rideant, & dicant dictum esse quasi testamen, eò quòd testator voluntatem suam testetur.

*Quid vltima voluntas.*

Nonnulli tamen Iurisconsulti eam definitionem ita accipere conati sunt, vt soli testamento conueniat, & intelligunt per *iustam sententiam*, perfectam, quæ includat institutionem heredis. Verùm istud genuinum non est, quia *iusta* idem est quod legitima, seu Iuri consentanea: quare alij, vt ex generis definitione testamenti definitionem compleant, ita eam reddunt: Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit, cum heredis institutione directa. Cuius loco dicere possumus, Testamentum esse voluntatem vltimam, qua directè instituitur heres, secluso quocumque priuilegio.

*Quid testamentum.*

*Alia testamenti definitio.*

Genus testamenti est vltima voluntas, ideoque non nisi in mortuis confirmatur, & non valet dum viuit qui testatus est, vt dicit Apostolus ad Hebræos cap. 9. quia nimirum per mortem constat, post hanc non fuisse aliam testatoris voluntatem.

*Testamentum non valet, nisi post testatoris mortem.*

Testamentum adeò requirit heredis institutionem, vt sine ea expressa, nullum sit. §. Ante heredis, Institut. De legatis.

*Requiritur vt heres quispiam instituatur.*

Codicillus, legatum, & donatio causa mortis excluduntur, quia illis non instituitur directè heres, sed codicillo aliquid circa testamentum explicatur, muratur, additur, diminuitur, per legatum, & donationem causa mortis, heres non instituitur, sed grauatur. Additur tamen, *secluso quocumque priuilegio*, quia militis codicillus ex priuilegio heredem directè instituit. Fidei commissum excludi tur, quòd illo heres solùm indirectè instituatur.

*Cur codicillus, legatum, donatio mortis causa, & fidei commissum à testamenti definitione excludantur.*

### DVBIVM II.

### *Quotuplex sit Testamentum?*

PRÆTER antiquatam illam diuisionem testamenti, quæ reperitur Institut. De testamentis §. 1. diuidi potest testamentum Primò ratione formæ in scriptum & nuncupatiuum. Scriptum illud vocant, in quo interueniunt solemnitates requisitæ in L. Hac consultissima, C. De testamentis. Nuncupatiuum autem, quod conficitur per nuncupationem sine scriptis, iuxta formam quæ est eadem L. §. Per nuncupationem. Vbi obseruta, non desinere esse nuncupatiuum, etiamsi fuerit in scripturam redactum; imò nisi constet testatorem voluisse in scriptis testari, etiamsi defuerit in scripto testamento aliqua solemnitatum, potuerit valere tamquam nuncupatiuum, vt docet Iulius Clarus De testamentis quæst. 4.

*Prima diuisio ratione formæ.*

*Quid testamentum scriptum.*

*Quid nuncupatiuum.*

Secundò diuiditur ex fine. Aliud enim est ad pias causas, aliud ad profanas.

*Secunda diuisio ex fine.*

Tertiò, Ex obiecto in testamentum inter liberos, & inter extraneos.

*Tertia, ratione obiecti.*

Quartò, Ex efficiente. Aliud enim est militis, aliud pagani, aliud cæci, aliud videntis.

*Quarta, ex causa efficiente.*

### DVBIVM III.

### *Quis possit Testamentum condere?*

NON omnibus permissum est facere testamentum. Intestabiles enim sunt in primis impuberes: ij enim, etiam pubertati proximi, ne quidem ad pias causas testari possunt; fauor enim piæ causæ non supplet defectum voluntatis & intellectus. Ita Iulius Clarus quæst. 5. qui dicit hanc esse communè. Quamuis autem tutor multa nomine pupilli possit, testari tamen non potest, L. Illa institutio. L. Captatorias, ff. De hered. instituendis. Quòd verò ante decimum quartum annum expletum, ita vt saltem inchoatus sit vltimus dies, masculus; aut ante duodecimum femina, etiamsi malitia suppleat ætatem, testari nequeat nisi ex dispensatione principis, ex communi sententia docet Molina disp. 136. & patet L. 5. ff. Qui testamenta facere possunt.

*Nō possunt testari qui sunt impuberes.*

Dices, Lex ista fundatur in præsumptione; ergo in conscientia non obligat, quando de veritate constat.

Respondeo, Non ita fundari in præsumptione, quin perpetuam sui rationem & stabilitatem habeat:



beat: pro fundamento enim non habet solam præsumptionē defectus discretionis in impubere, sed simul amotionem difficultatum, quæ orirentur si contra generalem illam præsumptionem exceptio admitteretur. Vnde quod olim tribunis pupillis fuit concessum, vt si doli capaces essent, testari valerent, nunc sublatum est, quando generatim ætas Lege definita est.

Secundò, Testari non potest furiosus aut mente captus, nisi fortè lucida habeat interualla; in illis enim testari poterit, Instit. Quibus non est permissum facere testamentum, §. Furiosi, L. 2. ff. De testamētis. Censentur autem carere iudicio rationis sufficienti ad testandum, quando carent sufficienti ad peccandum mortaliter, vt post alios tradit Lælius. Quare vt infirmetur testamentum ex hac parte, oportebit furorem probari in eo qui solebat esse mentis compos; & in eo qui sciebatur esse turbatæ mentis, ad confirmandum testamentum, per idoneos testes oportebit probari, eiusmodi lucidum tunc fuisse interuallum; nam in dubio non præsumetur. Neque sufficit in vno aliquo lucido interuallo testamentum inchoatum, in alio perfici, sed totum debet perfici in vno & eodem, L. Furiosum, C. Qui testamenta facere possunt. Non potest etiam furiosus testamentum quod mente sanus, aut in inducijs fecit, reuocare: imò valebit, etiamsi instrumentum laceret, L. finali, ff. De iniusto, rupto, irrito facto testamento.

*Quatenus testari possit furiosus.*

*Non potest testari, qui furiosus fuit & mutus natus est.*

Tertiò, Testamentum facere non potest, qui à natiuitate perfectè fuerit surdus simul & mutus, Instit. eodem, §. Item surdus; & apertiùs L. Discretis, C. Qui testamenta facere possunt. Qui autem surdus tantùm fuerit, aut tantùm mutus, siue naturâ siue superueniente infortunio, poterit testari: hic litteris, si fortè eas norit; ille voce, vt ibidem dicit Iustinianus. Ceterùm ad pias causas, vbi testamentum etiam nuncu factum valet, poterit testari qui mutus simul fuerit & surdus. Imò si miles sit, etiam ad causas non pias. Molina disp. 136.

*Surdus qui solum mutus, aut solum surdus.*

*Ad pias causas quicumque valet.*

Quartò, Prodigus & cui administratio bonorum interdicta est, non potest testari, ne quidem ad pias causas: valet tamen eius testamentum quod fortè priùs fecit, Institut. suprà.

*Non potest testari prodigus.*

Quintò, Serui testamentum inualidum est, neque conualescit, etiamsi posteà manumittatur: imò inualidum erit, si testator putet se esse seruum, etiamsi verè sit liber factus, L. Qui in testamento, ff. De testamentis. Hic tamen excipe testamentum ad pias causas.

*Non valet testamentum serui nisi ad causas pias.*

Sextò, Filiusfamilias non habet testamenti factionem actiuam ex peculio aduentitio, ne quidem cōsensu patris, L. Qui in potestate, ff. eodem. Institut. suprà, §. 1. Valere tamen eius testamentum factum permissu patris ad pias causas, est probabilius, vt docet Iulius Clarus, quæst. 5. ex cap. Licet, De sepulturis in 6. Legata tamen in eodem testamento ad causas non pias non valebunt, vt monet Lælius. Neque improbabile est, ex clausula codicillari filijfamilias testamentum sustineri, quamuis fortè contrarium sit probabilius, vt admonent Additiones ad Clarum: qui tamen sentit valere tamquam donationem causa mortis, quando donatarius præsens acceptat, aut consentire censetur, ita quæst. 6. De donatione.

*Neque filijfamilias, nisi ex consensu patris ad pias causas.*

In eo DD. communiter conueniunt, quòd filiusfamilias si fiat Clericus per primam tonsuram, aut vt certiùs alij, per Ordines saltem minores, quamuis adhuc maneat in patria potestate, possit testari, etiam sine consensu patris de bonis aduentitijs etiam ante Clericatum acquisitis; estque apertus textus, Authentica, Presbyteros, C. De Episc. & Clericis. Debent tamen eiusmodi Clerici ascendentibus aut descendentibus relinquere legitimam; quoad alia æquiparantur ipsorum aduentitia quasi castrensibus, de quo videre licet Panorm. in cap. Quia nos, De testamentis. Non tamen absoluuntur à solemnitatibus Iuris communis, Institut. De militari testamento, §. Sciendum tamen. Filiusfamilias miles testari potest de eo quod in castris acquisiuit, quod extenditur etiam ad veteranum siue dimissum à militia. Institut. eodem.

*Si factus fuerit Clericus, validè testatur, etiam inuleto parente.*

*De quibus testari queat filiusfamilias miles existens.*

Ceterùm quæstio non exigua est, Quæ vera sit ratio, ob quam filiusfamilias etiam permissu patris testari nequeat? Neque enim dici potest, esse patris interesse, quia procedit interdictum etiam in illis bonis in quibus pater vsumfructum non habet; deinde hoc interesse purgaretur per consensum patris, vt benè obseruat Iulius Clarus quæst. 18.

Vera ratio videtur, quòd Iura nolint ex arbitrio alieno pendere testamenta. Itaque permittunt filio contrahere sine consensu patris, & donare causa mortis cum patris consensu; testari autem ne quidem cum patris consensu. Ita Couarruuias in Rubricam De testamentis, 3. parte, numero 7.

Septimò, Religiosus testari non potest. Quod extenditur Primò etiam ad testamentum in pias causas, tum quia Religiosi bona non habent, propter votum paupertatis; tum quia voluntatem propriam non habent, adeoque nec vltimam, propter votum obedientiæ.

*Non potest testari Religiosus.*

2. Extenditur etiam ad reuocationem testamenti ante professionem facti. Religiosus enim mundo mortuus, non potest testamentum reuocare, sicuti nec condere, vt docet ex communiori sententia Molina disp. 140. Regula enim apud Iurisperitos recepta est, eum non posse reuocare testamentum, qui non potest condere.

*Neque testamentum anteà factū reuocare.*

3. Extenditur etiam ad Abbates & reliquos Superiores Religiosos.

4. Ad volentem testari ratione consuetudinis, quia consuetudo eiusmodi non est rationabilis, si generatim hoc permittat Religiosis. Vnde hic fallit Regula Iurisperitorum, Quod quæritur per priuilegium, quæri posse per consuetudinem & præscriptionem.

5. Extenditur etiam ad illum qui administrationem perpetuam aliquorum bonorum habet, & sua industria quædam acquisiuit, quorum vsus ei fortè concessus fuit in vita. Nisi enim per dispensationem ad testandum ei administratio prorogetur, testari non poterit.

Limitandum tamen hîc Primò, vt excipiatur testamentum Nouitij nondum professi. Patet ex Authentica Nunc autem, C. De Episc. & Clericis, cap. Si qua mulier 19. quæst. 3.

*Excipitur tamē testamentum Nouitij.*

Sed quærunt, An testamentum priùs factum irritum fiat professione Religionis?

Respondeo, Non fieri, nisi Nouitius dixerit, seipsum & sua se offerre monasterio: tunc enim esset reuocatum, non tantùm quoad institutionem heredis, sed etiam quoad legata, Molina

*Testamentum non irritatur professione Religionis.*

disp. 139. Ratio est, quia quamuis monasterium Ius habeat ad bona Religiosi iam professi, ita vt ab intestato ei succedat, si capax sit possessionis bonorum in communi, & non renuntiauerit in hac parte suo Iuri; non habet tamen Ius ad illa de quibus ipse aliter ante professionem disposuit, nisi dispositionem ante professionem retractet. Neque enim Iure expressum est, vt monasterium ita habeatur loco filij, vt sicuti natiuitate filij testamentum rumpitur, ita ingressu monasterij. Habet tamen monasterium vsum istorum bonorum vsque ad mortem Religiosi, imò etiam proprietatem, si institutus moriatur ante Religiosum, nisi aliud in testamento fuerit expressum, Molina disp. 140. legitima tamen descendentium statim à professione extrahenda est, eisque tradenda, legitima autem ascendentium post mortem naturalem Religiosi.

*Religiosus potest testari ad causas pias, ex dispensatione Pontificis Rom.*

Secunda Limitatio est ex dispensatione: Pontifice enim dispensante potest Religiosus testari ad pias causas: non tamen sufficit consensus Abbatis; solus enim Pontifex dispensat: neque solet cum Religiosis simplicibus qui in conuentibus perfectæ communitatis viuunt, sed cum Beneficiatijs, aut qui aliàs extra monasterium viuere permissi sunt. An verò etiam ad causas non pias hanc testandi facultatem eis Pontifex tribuere possit, nonnullam habet difficultatem. Verius existimo, posse id Pontificem ex caussa rationabili, quamuis non præsumatur ita concedere, nisi disertè exprimat; solere etiam Prælati consensum exigi, quando cum Religioso, vt testetur, Pontifex dispensat, docet Couarruuias suprà cap. 2. n. 10.

*Etiam ad res profanas.*

*Eremitæ possunt testari.*

Tertia, Eremitæ testari possunt. Sic D. Paulus B. Antonio reliquit pallium. Gratianus post cap. Perlatum 19. quæst. 3.

*Religiosus ità intestatus potest filijs suis, si habeat, bona sua distribuere.*

*Item qui habet prolē vnicam, sed legitimam.*

Quarta, Religiosus intestatus si liberos habeat, potest inter eos bona sua diuidere, ita vt nullius lædat legitimam; & quod eis non dederit, monasterio comperat, cap. Si qua mulier 19. quæst. 3. Authentica Nunc autem, C. De Episcopis & Clericis. Quod etiam intellige de eo qui vnicam habet prolem, modò legitima sit aut legitimata, aut naturalis eo loco vbi naturalis succedit. Nauarrus in cap. Non dicatis 12. quæst. 1. numero 47.

*Commendatarij possunt validè testari.*

Quinta, Commendatarij, etiamsi suo modo sint Religiosi, **quia tamē** non perfectè, præcipuè quoad paupertatē, testari possunt, potissimùm illi qui etiam castitatis voto non tenētur, quamuis paulò rigidiùs de his loquatur Nauarrus in dictum c. & quæst. 3. De reditibus Ecclesiasticis, monito 12.

*Beneficiatus de fructibus Beneficij testari non potest, nisi solum ad causas pias, idq; consuetudine, aut dispensatione Pontif.*

Octauò, Beneficiati de fructibus Beneficiorum suorū, qui non transeunt in qualitatem quasi patrimonialiū, sed manent merè Ecclesiastici, testari non possunt de Iure communi, ita vt inualida sit eiusmodi institutio. Quando autem ex consuetudine, aut Pontificia dispensatione testantur, non tamen licet eis testari nisi in causas pias, quamuis validè testentur etiam ad causas non pias.

Tria hîc dicuntur, breuiter hîc probanda; nonnulla enim de ijs dicta sunt suprà cap. 4.

Primum, De Iure communi Beneficiatos non habere potestatem testandi. Patet ex cap. Episcopi 12. quæst. 1. cap. Relatum 2. De testamentis, & alijs multis Canonibus, quos vel mille proferri posse dicit Nauarrus De reditibus Ecclesiasticis q. 3. monito 1. Vbi addit, neminem omnino DD. tenere contrarium.

Secundum, Vndecumque habeant facultatem testandi Clerici, non ea posse vti, nisi ad causas pias. Probatur; Quia consuetudo testandi non potest Beneficiarijs nouam potestatem concedere in fructus Beneficiorum, sed solùm liberiorem vsum potestatis quàm priùs habebant: atqui ex primæua conditione potestas hæc grauata est quadam restrictione ad pios vsus. Huc pertinet quod Nauarrus obseruat, nusquam gentium Clericos habere tam liberam de his bonis testamenti factionem ex consuetudine, quàm habeant bonorum patrimonialium. Imò verissimum est quod idem Nauarrus sentit, nullam consuetudinem efficere posse, vt generatim liceat eiusmodi bona Ecclesiastica testamento aut alia donatione, siue inter viuos siue mortis caussa, conuertere in vsus non pios: imò idem dicendum videtur de lege Ecclesiastica; secùs de dispensatione in particulari casu: quamuis vt ea licitè fiat, aut fortè etiam validè, remotiùs saltem aliqua caussa pia subesse debeat, eoipso quo iusta & rationabilis subesse debet, Molina disp. 147. conclusione 13. Hinc patet, legem prohibentem testari de bonis merè Ecclesiasticis, non esse tantùm merè positiuam, sed habere aliquid Iuris naturæ, ratione cuius & summum Pontificem obliget coactiuè.

*Validum testamenti, quamuis illicitum.*

Tertium, Valere nihilominùs aliter facta testamenta. Probatur; Quia Clerici sunt verè domini eiusmodi bonorum, vt alibi ostendimus; itaque validè de illis disponunt, donec Lex ipsorum dispositionem irritet. Atqui nulla Lex est irritans liberalem dispositionem factam in causas non pias, siue inter viuos, siue vltimæ voluntatis; ergo validum erit de his Clerici testamentum, (vbi consuetudine, aut priuilegio, aut vigore dispensationis simpliciter ei conceditur testari) etiam in caussas non pias, quamuis impium, & mortali culpæ obnoxium. Vnde consequens est, heredes in stitutos non peccare, adeundo eiusmodi hereditatem: vtuntur enim Iure suo, neque ipsi comprehenduntur Legibus eiusmodi testamenta prohibentibus.

Sequitur secundò, Quamuis Clericus habens eiusmodi bona, de industria discedendo ab intestato, vbi consuetudo est intestatis Clericis succedere laicos heredes ab intestato, peccet mortaliter, & non possit absolui, quamdiu est in tali proposito, nisi paupertas heredum eiusmodi sublenamen meritò censeri queat postulare; ipsos tamen heredes ab intestato, quamuis diuites, non peccare adeundo hereditatem. Hæc locum habebunt, vbi non obligabit Bulla Pij IV. vndecima, quæ incipit, Graue nobis; nam ista Clericorum testamenta de reditibus suorum Beneficiorum facta, etiam in pios vsus, sine facultate speciali à Sede Apostolica obtenta, non solùm reprehendit, sed irritat: aut Pauli III. cōstitutio quinquagesima tertia, quæ incipit, Romanus Pontifex, vbi voluit, pia loca non nisi decimam partem ex eiusmodi testamentis sine licentia Sedis Apostolicæ factis posse capere: vel Pij V. constitutio septuagesima prima, Sacrosanctum, vbi facultas testandi de his bonis quibusdam concessa reuocatur.

Circa intestabilitatem hanc Beneficiatorum vltra ea quæ tam hîc quàm suprà cap. 4. diximus, quædam breuiter per modum ampliationis & limitationis addenda sunt.

Et quidem per modum ampliationis, Primò, Quando Episcopus aut Clericus habet facultatem testandi à Pontifice, virtute illius posse ipsum toties condere & mutare testamentum, quoties voluerit; neque tantùm intelligendam esse dispensationem de vna vice, vt quidam voluerunt.



Secundò, Quando dubium est an bona quæ per testamentum Clericus relinquit, sint merè Ecclesiastica, puta quia præter Beneficium etiam patrimonium habuit; inspecta proportione patrimonij & prouentus Ecclesiastici, pars vna censebitur de bonis Ecclesiæ parta, pars altera de patrimonio: præsumitur enim ex vtroque peculium auxisse, vt neque eo casu libera sit in solidum testamenti factio. Ita ferè Panormitan. in cap. Relatum 2. De testamentis.

Per modum autem limitationis dico licere Clericis testari etiam ad vsus non pios, quando id fieret per modum iustæ remunerationis, siue consanguineis, siue famulis, siue alijs benè meritis: illud enim excipitur dicto cap. Relatum, etiam pro eo tempore quo in vigore erat prohibitio testandi, vel ad pias causas; de meritis tamen non statur confessioni testatoris, sed aliter debent probari. Additiones Iulij Clari ad cap. 27.

Secundò, Etiamsi Papa dicat se dare facultatem disponendi de bonis Ecclesiasticis ad quoscumque vsus, non intelligi tamen alios quàm pios vsus, nisi disertè addat, etiam in profanos, Molina disp. 147. ex Nauarro, qui tamen nonnihil hoc mitigat.

Tertiò, Etiamsi Pontifex concedat facultatem testandi Clerico aut Episcopo in diuites cognatos sine pietatis intuitu, hoc non erit accipiendum nisi quoad forum exterius. Hactenus de Clericis beneficiatis.

*Damnatus ad mortem vitarium ciuil.*

Nonò, Testari non potest damnatus ad mortem naturalem vel ciuilem, vtpote damnatus ad metalla, deportatus, & interdictus aqua & igni: imò etiam antè factum eius testamentum eo ipso fiebat nullum, L. Eius qui, ff. De testamentis. Excipe tamen si appellauerit, & pendente appellatione mortuus sit; L. Qui à latronibus, ff. eod. Ita quidem res habet de Iure communi, etiam post Iura Authenticorum, quamuis de hoc quidam dubitauerint, vt testatur Molina. Consuetudo tamen, vt docet Iulius Clarus quæst. 21. est in contrarium: vbique enim ea ferè obtinet, vt quando damnati bona non publicantur, condere valeat testamentum, & firmum maneat priùs conditum; imò si non condat, heredes ab intestato habeat successores.

*Vsque publicum vsurarius.*

Decimò, Sunt quædam crimina, quorum patrator fiat intestabilis: nam publicus vsurarius testari non permittitur, nisi restituat vsuras, aut cautionem det de illis restituendis, cap. Quamquam, §. finali, De vsuris, in 6. Quod extendendum est etiam ad codicillos, Glossa ibidem. Item infamis ob libellum famosum à se editum, testari non potest. L. Is cui. ff. De testamentis. Intestabilis etiam est reus criminis læsæ maiestatis, sed non nisi post sententiam saltem declaratoriam. L. Quisquis, C. Ad Legem Iuliam maiestatis. Item qui hostiliter fuit infectatus Cardinalem, cap. Felicis, De pœnis, in 6.

*Infamis ob libellum famosum.*

*Reus læsæ maiestatis.*

## DVBIVM IV.

### *Quis possit institui heres?*

GENERATIM hîc monere possumus, decem illos, quos superiori dubitatione diximus esse intestabiles, ad tria ferè genera reuocari. Vel enim testari non possunt; quia vsum plenum rationis, aut facultatem sufficienter voluntatem exteriùs exprimendi non habent, aut non habere præsumuntur; & tales indubiè habent testamenti factionem passiuam. Vel testari non possunt, quia quamuis habeant mentis vsum & expressionem, ipsorum tamen voluntas est in potestate alterius, sicut serui, filijfamilias, Religiosi, prodigi, & ex parte etiam Beneficiati: & tales etiam possunt regulariter heredes instituì, quamuis serui domino, & Religiosi monasterio quærant. Vel denique testari non possunt, quia in pœnam delicti suis bonis priuantur: & tales ordinariè etiam priuantur testamenti factione passiua, sed non nisi post sententiam saltem declaratoriam.

*Quinam incapaces legati vel hereditatis.*

Speciatim autem testamento capere hereditatem aut legatum prohibentur hostium ciuitates; L. Omnibus, ff. Ad senatusconsultum Trebellianum. Communitas Iudæorum, L. 1. C. De Iudæis. Collegium illicitum aut non approbatum, L. Collegium, C. De hered. instituendis. Denique professi Ordinis Minorum, Clementin. Exiui, De verborum significatione, §. Quia igitur. Deberetur tamen his æstimatio, si aliqua sit clausula, vel omni meliori modo.

Controuertunt, An idem sit dicendum, si heres instituatur Conuentus Minorum, aut ipsorum Ecclesia, vt videre licet in Additionibus Iulij Clari cap. 27.

Verior videtur eorum sententia, qui etiam sic testamenti factionem negant, quia illud videtur velle Clementina, & sequitur Iulius Clarus. Eodem loco, quoad propositum habendi, erunt particulares professi Societatis Iesu, vt docet Molina disp. 154.

Seruus etiam non habet testamenti factionem passiuam, quando eam dominus non habet, quia domino quærit; aliàs habet, L. Non minùs, ff. De heredib. instituendis: nisi fortè suspectus sit de adulterio cum domina, tunc enim ab ea institui non potest, L. His verbis, §. Interdum, ff. eodem.

Hæreticus & apostata ne quidem à milite instituì possunt. Si Episcopus aut Clericus eos, aut quosuis alios non Catholicos etiam consanguineos heredes instituerit, anathemate etiam post mortem feritur, cap. Si quis Episcopus, & cap. Iri eos, De hæreticis. Quod etiam ad legata est extendendum, vt patet posteriori capitulo.

Qui deportantur, ab extraneo heredes scribi non possunt, L. 1. C. De heredibus instituendis. Alimenta tamen hi & similes per legatum accipere non prohibentur.

*Filij illegitimi. Naturales. Spurij.*

Superest dicamus quousque filij illegitimi capere possint testamento parentum. Filij illegitimi vel naturales sunt, vel spurij. Naturales Iure canonico sunt, quando tempore conceptionis aut natiuitatis poterat inter parentes esse validum matrimonium: reliqui sunt spurij.

Dubitabit tamen quispiam de nato ex raptore & rapta tempore detentionis, quando secundùm decretum Tridentini sess. 24. cap. 6. nullum inter

eos potest consistere matrimonium, An eiusmodi filius naturalis sit dicendus, an spurius.

Existimo naturalem dicendum, quia est impedimentum quod sine dispensatione per mutationem circumstantiarum tolli potest arbitrio partium: imò non est propriè impedimentum consensus matrimonialis, sed defectus saltem præsumptus, qui non magis efficiet spurium quàm verus, quando virgo violentè stupratur.

Notandum, Si impedimentum occultum sit alteri eorum qui in facie Ecclesiæ contraxerunt, filium fore legitimum, & pro tali habendum quoad successionem vtriusque parentis post detectum errorem. Quod extendit Molina disp. 165. ad filios in infidelitate à Iudæis aut paganis generatos in præsumpto secundùm ipsorum sectam matrimonio, quamuis verè irrito.

*Quando naturalis possit institui heres.*

Naturales itaque hoc modo, ex testamento capiunt Iure communi Authenticarum. Naturalis potest institui à patre heres ex asse, quando non sunt legitimi descendentes aut ascendentes: quando autem sunt legitimi descendentes, solùm in vna vncia, id est duodecima parte, etiam cum matre; & mater sola superstes in media vncia, id est vigesimaquarta parte. Quando autem deficiunt descendentes, sed supersunt legitimi ascendentes, habent ascendentes legitimam suam, id est tertium bonorum: reliquos duos trientes, si velit, poterit pater relinquere naturalibus. Si verò pater discedat intestatus, neque relinquat vxorem aut descendentes legitimos aut legitimatos per subsequès matrimonium, naturales succedunt in duabus vncijs, id est in sexta parte bonorum; reliquæ quinque partes cedent legitimis heredibus ab intestato. Si vel vxor, vel legitimi sint descendentes, ij excludent naturales, saluis alimentis, quæ etiam eis debentur, vbi pater in testamento omnino ipsos præteriuisset.

*Nepotes naturales.*

Quæ de filijs naturalibus dixi, etiam extenduntur ad nepotes naturales, siue sint ex filio legitimo, siue naturali: ascendentes item naturales eodem modo succedunt filijs, quo filij sibi. Hæc de successione patris: matri enim Iure communi naturales succedunt æquè ac legitimi, & vicissim mater eis succedit integrè, quando sine descendentibus decedunt.

*Spurij non succedunt, sed sola accipiunt alimenta.*

Spurij verò, si sint ex coitu damnato & punibili lege humana, ne matri quidem succedunt ex testamento aut ab intestato: imò neque vllis ascendentibus succedere possunt, neque ascendentes ipsis, sed sola accipiunt alimenta, reliquis resciſſis. Auus tamen instituere potest heredem, deficiente legitima prole, nepotem, filij sui spurij, naturalem aut legitimum filium; censetur enim institutio fieri intuitu nepotis potiùs quàm filij. Ab extraneo etiam potest spurius heres instituj. Iulius Clarus, quæst. 31. Item potest pater quempiam ea conditione heredem scribere, vt ipsius instituti alia bona habeat spurius: imò institutus à patre poterit spurium ipsius postea instituere, seclusa omni fraude conuentionis. Si enim institutus fidem accommodauit, quòd hereditatem eamdem tradet spurio, occupabit eam fiscus. Iulius Clarus supra. Fratres denique vterini, licet spurij, sibi mutuò succedent. Hæc de spurijs procedunt non legitimatis: nam spurius legitimatus venire potest in testamentum patris, sicut legitimus; modò ante mortem patris, aut saltem volente patre legitimatus sit, aut sub conditione legitimationis institutus. Idem Clarus suprà. Additiones tamen eius monent, non posse legitimatum portione sua excedere legitimum, quando cum eo succedit.

*Spurius legitimatus quomodo succedat.*

Quæres, Quid alimentorum nomine veniat intelligendum, quando illegitimo ea dicuntur relinquenda? *Quid alimentorum nomine intelligatur.*

Respondeo, Intelligendum competentem secundùm statum patris & reliquas circumstantias sustentationem in cibo, potu, vestitu, habitatione, sepultura, exequijs. Quamuis autem Ius accipiendi alimenta non tranſeat ad heredes spurij, præbendi tamen eadem onus transit ad heredes patris. Hæc ferè secundùm Ius commune: in praxi tamen etiam Iura locorum propria, & consuetudo consulenda erunt.

## DVBIVM V.

### *An testamentum destitutum solemnitate Iuris, sit nullum & irritum etiam in conscientia?*

*Iurisciuili septē testes requiruntur.*

IVRE ciuili septem testes & Notarius, aut octauus testis eius loco, & alia quædam solemnia in testamentis adhiberi debent, de quibus L. Hac consultissima, C. Qui testamentum facere possunt, & alibi.

Hìc quærimus, Vtrùm quando hæ solemnitates desunt, præsertim testium numerus, aut aliquid simile, testamentum inualidum fiat, ita vt per illud dominium hereditatis non deueniat ad institutum?

*1. Sententia.*

Celebris hæc est controuersia apud Theologos & Iureconsultos. Inualidum fieri sentit Couarruuias ad Regulam Peccatum, parte 2. §. 3. num. 9. & 10. & in c. Cùm esses, De testamentis, à numero 6. Sotus De Iustitia, quæst. 5. art. 3. Iulius Clarus quæst. 89.

*2. Sententia probatior.*

Validum fieri saltem in conscientia, docet Panormitanus in dictum cap. Cùm esses; Nauarrus De testamentis, consil. 01. Siluester verbo Hereditas 3. quæst. 7. Molina disp. 81. quod etiam tenuit olim Plinius lib. 2. epistola ad Annianum & lib. 5. epistola ad Caluitium; estque hodie multorum sententia.

*Argumēta pro priori sententia.*

Pro Couarruuiæ opinione nihilominùs non contemnenda proferri possunt argumenta. Vnicum suggerit Iulius Clarus ex L. 1. ff. De iniusto, rupto, irrito facto testamento: at reuerà illud minoris ideò est momenti, quia solùm dicit L. citata, testamentum, vbi solemnia Iuris defuerint, censeri non Iure factum; nullius autem esse momenti, cùm filius præteritus fuerit, qui erat in patris potestate.

Itaque primum pro ea opinione argumentum sit, Quòd lex ciuilis, modò sit iusta, obliget in conscientia: iustam autem constat esse legem, quæ nullius esse roboris statuit testamenta minùs solemnia, eò quòd hac ratione obuiàm eatur infinitis fraudibus, & bono publico consulatur.

Secundum, Iudex etiamsi nouerit, & heres ab intestato fateatur, Petrum verè à testatore heredem institutum, sed sine solemnitate Iuris, hereditatem adiudicare tenetur in conscientia heredibus ab intestato; itaque Petrus non poterit contraniti, alioqui leges incertæ erunt quoad animarum tutelam.

Tertium,



Tertium, Testium solemnitas & numerus non est tantùm forma probatoria, sed substantialis validi testamenti, vt contendit Couarruuias ex Bartolo & alijs.

Quartum, Testamentum impuberis non valet, etiamsi qui præsumitur in Lege illud irritante non subsit defectus intellectus, vt diximus suprà dub. 3. ergo similiter non valebit testamentum minùs solemne, etiamsi fortè non subsit fraus vlla aut defectus veræ voluntatis defuncti, quem in talibus videtur Lex præsumere.

Quintum, Lex irritans testamentum non solemne, non videtur fundata in præsumptione: non enim videtur præsumere quòd omne eiusmodi testamentum sit fraudulentum, quia leges non solent præsumere nisi quæ vt plurimùm eueniunt. Rariùs autem euenit eiusmodi fraudem subesse; itaque forum conscientiæ sequitur hìc forum externum, sicut in alijs quæ non fundantur in præsumptione.

Sextum, Leges non solùm dicunt se non assistere testamento minùs solemni, sed dicunt non valere. ff. Qui testamenta facere possunt, L. Si quæramus. Item dicunt Iure deficere, L. Si vnus, C. De testamentis. Item dicunt pro infecto haberi, & ex eo non tenere voluntatem defuncti, L. Hac consultissima, suprà citata. Denique apertè dicunt nullum esse §. Ex eo, Institut. Quibus modis testamenta infirmentur.

Postremum, Contractus destituti solemnitate Iuris irritantur, ergo & testamenta.

*Argumēta pro posteriore sententia.*

Pro altera tamen sententia optima etiam sunt argumenta; in primis L. vltima, C. De fidei commissis, heres cogitur ad præstandum legatum sine solemnitate constitutum, vel iurare eam non fuisse voluntatem defuncti. Ex quo contra Couarruuiam benè colligit Molina, testium solemnitatem solùm esse formam probatoriam, non autem substantialem validi testamenti.

Similiter L. Etsi inutiliter, ibid. negatur repetitio ei, qui agnoscens minùs solemnem voluntatem fidei commissario soluit; eò quòd ex conscientia relicti videatur soluisse. Itaque solemnitatis defectus non tollit obligationem in conscientia. Quod confirmari potest ex communiore sententia DD. etiam à parte Couarruuiæ stantium, quæ admittit, ex testamento minùs solemni oriri obligationem naturalem. Ita Iulius Clarus quæst. 90. Testatur enim eam esse communem opinionem, & ipse eamdem amplectitur quoad legata, quamuis non quoad hereditatem.

*Testamēta minùs solemnia, vtia sunt in conscientia.*

Secundò, *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*, Deuter. 17. & 19. Testimonium duorum aut trium sufficit in causa criminali; ergo etiam in ciuili testamentorum. Neque euaseris, si Scripturæ testimonium vel ita merè positiuum Ius continere dixeris, vt ad nouum Testamentum non pertineat; vel, vt Couarruuias voluit, hoc solùm eo haberi, vnius neminem testimonio occidendum esse: quia vtrumque excluditur doctrinâ Christi Domini Matth. 18. *Adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* & Ioan. 8. *In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.* Accedit cap. Cùm esses, De testamentis: vbi Pontifex hanc sententiam eodem argumento confirmat. Sanè si leges vltimam voluntatem sine tanto testium numero non solùm non sufficienter probari, sed etiam irritam omnino esse voluissent, nimis recessissent ab æquitate naturali.

Ceterùm, quamuis vtraque sententia sit probabilis, posterior tamen videtur probabilior, adeò vt etiam vbi leges in suo vigore essent, nihilominùs rata sint in conscientia testamenta minùs solemnia: idque satis videntur conuincere argumenta pro ea producta, eò magis, quòd ad oppositа argumenta, quæ pro contraria opinione adduximus, non difficilis sit responsio.

*Resp. ad argumenta prioris sententia.*

Ad primum enim dici potest, nos non negare, quin Lex iusta sit, & in conscientia obliget, quæ minùs solemnia testamenta inualida esse declarat, ad valorem nimirum testimonij in foro externo. Imò etiam concesserim, quamuis id Panormitanus negare videatur, iustas posse considerari causas, ob quas Lex omnino irritas pronuntiet minùs solemnes voluntates: variis tamen ijsque firmis argumentis constare, eousque leges his testamentis non resistere, sed tantùm non assistere.

Ad secundum, Quamuis heres ab intestato peccet sese opponendo heredi verè sed minùs solemniter instituto, iudex tamen non potest instituto adiudicare, aut heredi ab intestato adimere hereditatem, nisi secundùm Iuris præscriptum: heres enim ab intestato instar possessoris considerari potest, donec probetur institutio facta. Si tamen ipse eam factam fateatur, probabilius est, debere iudicem ipsam adiudicare instituto.

Ad tertium Respondeo, In testamento possunt duo considerari, ipsa dispositio, & dispositionis testimonium. Si dispositio per se consideretur, inuoluit quidem in substantia sua exteriorem declarationem, sed testium septenarius numerus in ea non inuoluitur tamquam forma substantialis: si tamen consideretur vt dispositio cum testimonio quod in foro exteriori sufficiat, sic manifestum est, solemnitatem testium esse formam substantialem.

Ad quartum Respondeo negando sequelam, & dico rationem diuersitatis esse, quòd Lex impuberis testamento resistat, testamento autem minùs solemni solùm non assistat.

Ad quintum, Lex de solemnitate testium non est fundata in sola præsumptione, sed in optima ratione, vt hoc modo desperent impostores se alienæ hereditati posse insidiari, quando tot cautelis prospectum est: itaque eâ Lex etiam in conscientia obtinet, quia in conscientia non debet censeri legitimè probatum publicè, quod secundùm legis præscriptum probatum non fuerit, saltem præueniendo Canones, aut alias leges hunc rigorem mitigantes.

Ad sextum Respondeo, Has omnes Leges non aliud probare, quàm voluntatem non solemnem ad testimonium Iuris perhibendum, instar legitimi instrumenti non valere, deficere, pro infecta haberi, irritam esse & nullam, quãuis Lex postremo loco citata, quæ nullum esse dicit imperfectum testamentum, non omnino pertineat ad propositum: quia non tam agit de testamento cui solemnitas desit, quàm de eo quod cœpit testator, sed imperfectum reliquit.

Ad septimum Respondeo negando cõsequentiam. Quando enim Iura declarant aliquem contractum sine certa solemnitate esse irritum, non habemus causam illum accipiendi solùm quoad vim probatiuam in foro exteriori, sicuti de testa-

mentis minùs solemnibus ex alijs Iuribus indicia habemus, quando pro infectis habentur, quo ad probationem tantùm illud esse accipiendum.

Alterius quæstionis erit, An contractuum eiusmodi cassatio naturalem obligationem tum demum extinguat, quando à iudice rescinduntur, quasi non aliter Lex irritans sit recepta: in quibusdam enim hoc locũ habere, probabiliter dici poterit ex vtentium consuetudine. Sanè in collatione Beneficiorum & similibus, manifestum est, locum non habere: de quo videri potest Bannes disp. 5. De dominio.

## DVBIVM VI.

### *An omne testamẽtum sit nunc validum, quod fit coram Parocho & duobus testibus, aut coram quatuor testibus sine Parocho?*

A RIGORE illo legum, quo septem testes cum Notario ad testamentum requiruntur, variè recessum est, & quousque in vtroque Iure recessum sit, non satis clarè à DD. explicatur.

Leo Iunior, qui post Iustinianum Nouellas edidit, (quæ tamen receptæ non sunt) in communibus testamentis quinq; solùm testes requisiuit: in paganorum verò testamentis tres voluit sufficere.

In ipso etiam Corpore Iuris ciuilis priuilegia sua hîc habet testamentum militis, Institut. De militari testamento, §. 1. C. & ff. eod. L. 1. Sanè ab omni pænè solemnitate eorum absoluitur militiæ factum testamentum: quod extenditur etiam ad non milites, qui sunt in castris in terra hostili.

Item testamentum inter liberos valet cum duobus testibus, siue masculis siue feminis. L. Hac consultissima, C. De testamentis. Molina disp. 128. quod de liberis dicitur, extendit etiam ad alios descendentes.

Item testamentum ruri degentium, vbi pauci sunt litterati, permittit Lex fieri præsentibus quinque testibus, etiamsi non subscribant, L. finali, C. De testamentis.

Solutum quoque est à solemnitate testium testamentum factum coram Principe, L. Omnium, C. De testamentis. Iulius Clarus q. 561. Molina disp. 129.

Habet quoque priuilegium suum, testamentum ad pias causas: sufficiunt enim ad illud duo testes, qui requiruntur Iure gentium. Est communis sententia, quam sequitur Clarus quæst. 6. numero 1. & confirmatur ex cap. Relatum 1. De testamentis. Vbi apertè illud habet Summarium, *In codicillo etiam vltra quinque testes Iura non requirunt*. L. vltima, C. De codicillis.

*Alexandri III. constitutio de testamento coram Parocho & duobus testibus.*

Postmodum cap. Cùm esses, De testamentis, Alexander III. scribens Episcopo Hostiensi, reprehendit rigorem legum, tamquam alienum à diuina lege & vniuersali consuetudine Ecclesiæ, & sub anathematis interminatione prohibet rescindi testamentum quod parochianus fecerit coram Parocho suo & duobus testibus.

Verùm de hac constitutione aliqua exorta sunt Interpretum dubia, videlicet, An hac derogetur generatim Iuri ciuili, ita vt vbique locorum in omni testamento sufficiant cum Parocho duo testes? An, quia Pontifex scribit Episcopo Hostiensi, Hostiensis autem ciuitas est in ditione temporali Pontificis, solùm hæc constitutio procedat in terris temporali dominio Papæ subiectis? Ad hæc, An exauctorando legem ciuilem, & solùm declarando Parochum cum duobus testibus sufficere, Pontifex non efficiat, vt vbique res testamentaria reuocata sit ad Ius gentium, & duo testes sufficere valeant, etiam sine Parocho? Denique, An saltem vbique non possint Clerici, qui gaudent priuilegio fori, testari sola hac solemnitate canonica?

Panormitanus quatuor refert expositiones. Vnam, quòd capitulum tantùm procedat in testamento ad pias causas: secundam, quòd Papa vniuersim hîc deroget legibus: tertiam, quòd tantùm obtineat in locis temporali dominio Ecclesiæ subiectis: quartam, quòd tantùm obtineat in foro Ecclesiastico, in suo vigore manentibus legibus quoad forum sæculare.

Ex his sola tertia explicatio videtur vera, quam sequuntur Ioannes Andreæ, Molina, & alij.

Prima enim voluntariè restringit capitulum, quod generaliter loquitur: secunda nimis extendit. Neque enim est verisimile, vno verbo, sine maiori solemnitate, Pontificem voluisse tam celebrem legem tot Imperatorum abrogare de materia, ciuili in qua non solet, imò fortè nec potest, secundùm ea quæ alibi diximus, Papa, vt talis, derogare legibus ciuilibus; quod etiam monet Glossa eiusdem capituli: idem confirmat Viglius, ex Maximiliani I. constitutione De Notarijs.

Quarta explicatio iterùm ex parte nimiùm arctat materiam Decretalis: nam & casus Pontificis, & potestas constituentis in ditione sua temporali, & ratio constitutionis, & denique ipsa constitutio concernens quosuis parochianos, est generalior.

Illud itaque certum hîc est, canonem Cùm esses, obtinere in vtroque foro, tam ciuili quàm Ecclesiastico, in terris temporali iurisdictioni Ecclesiæ subiectis, extra illas autem non obtinere in foro ciuili.

Sed dubium, An saltem in Ecclesiastico? Ait Iulius Clarus q. 57. distinguit Molina disp. 133. Vel enim, inquit, testator quoad testamẽti solemnitatem subditus erat magistratui ciuili, vel ab eo erat exemptus: priori casu negat etiam in foro Ecclesiastico procedendum secundùm c. Cùm esses: posteriori autem affirmat ita Iuris canonici solemnitatem sufficere, vt ei oporteat stare in vtroque foro, tam ciuili quàm Ecclesiastico.

Dubitat tamen idem Molina, An Clericus eo ipso quo gaudet priuilegio fori, relicta solemnitate legali possit testari cum canonica solemnitate huius capituli.

Sanè nisi aliud habeat consuetudo, apparet probabilius quòd possit.

*Femina esse testis non potest.*

Dubitant DD. An femina possit esse testis Iure canonico? nam quòd ciuili non possit, constat.

Respondeo, Vt solemne sit testamentum, Iure canonico requiritur Parochus cum duobus testibus idoneis: ita enim loquitur capitulum. Vbi probabilius existimo cum Couarruuia, excludi feminas. In eo omnes conueniunt, quando Parochus non adest, sufficere quatuor testes idoneos. Couarruuias, Iulius Clarus, & alij ab ipsis citati.

Quæres, Quid si duo tantùm adsunt testes sine Parocho, non poterit valere testamentum Iure canonico?

Respon-



*Duo testes sine Parocho non sufficiunt.*

Respondeo, In neutro foro externo futurum validum, nisi sit ad pias causas, Iulius Clarus quæst. 57. qui dicit esse communiorem, quamuis contrariam videatur Baldus asseruisse.

*Testamentum tempore pestis.*

Quæres, An tempore pestis, testamentum vt sit probatorium in foro externo, indigeat solemnitate testium?

Respondet idem Iulius Clarus q. eadem 57. tunc loco septem testium sufficere quinque, si testator verè sit peste correptus, & plures accedere ægrè vellent. Et hæc est communis opinio, vt testatur Decius apud eumdem Clarum: qui tamen fatetur, non deesse qui teneant, quòd tunc duo sufficiant. Quod sanè probabile est, modò idonei sint: est enim valdè æquum, in eiusmodi necessitate testamentum valere, si habeat numerum testium qui requiritur Iure gentium. Sanè Molina in Lusitaniæ regno tres testes tunc sufficere concedit, disp. 127. Confirmatur; Quia Imperator L. vltima, C. De testamentis, ad Dei humanitatem, vt dicit, respiciens, laxauit solemnitatem ruri degentium, vt suprà diximus. Eadem certè hîc humanitas & epikia postulat, vt si non statuatur minor iusta probatio sufficere, vt factum est in testamento militis, saltem ea sufficiat quæ Iure gentium sufficit, & admittitur in pijs causis: ceterùm à communi opinione & loci consuetudine in praxi non erit recedendum.

## DVBIVM VII.

### *Quot testes oporteat esse, vt testamentum saltem in conscientia sit validum?*

NAVARRI opinio est, De testamentis, consilio 1. quòd qui possidet bona sibi verè & spontè coram Deo relicta, siue scripto siue verbo tantùm, siue coram testibus, siue sine illis, possit ea salua conscientia liberè retinere, licet possint ei tolli per iudicem in foro exteriori. Molina etiam

*Iure naturæ non requiruntur testes vt sit validum.*

disp. 134. videtur sentire, Iure naturæ ad dispositionem testamentariam non opus esse testibus vt sit valida in conscientia, sed solùm vt probetur in foro exteriori; ideò enim ad pias causas validum fore dicit testamentum sine testibus, imò solo nutu factum; quamuis vt in foro probetur, etiam Iure canonico saltem duo testes requirantur.

Hæc Molinæ opinio videtur quidem vera, attamen difficultate non caret, quando sine duobus testibus conditum est testamentum non priuilegiatum, vtrùm Iure positiuo aut Iure gentium non debeat censeri irritum; aut si ab initio irritum non sit, saltem verè irritum non fiat per sententiam iudicis pro herede ab intestato? Rursum eo posito, An heres ab intestato licitè possit agere ad eiusmodi testamenti rescissionem?

*Non Iure positiuo.*

Ad Primum quod attinet, non videtur irritari Iure gentium, aut positiuo; quia alioqui non esset ratum testamentum ad pias causas, scriptum manu testatoris sine vllis testibus, nisi fortè Iure ciuili aut Ecclesiastico, vt ratum sit, constitutum reperiatur: cùm tamẽ nullo positiuo Iure ita constituẽte ratum id esse etiam in foro externo, communis sententia habeat, in praxi curiæ Romanæ iam recepta, vt patet Rotæ Decisione 75. parte 2.

Ad Secundum, Verius existimo, testamenta minùs solemnia verè semel rata, non irritari quoad conscientiam, quando in foro externo heredi-

*Heres ab intestato nõ potest agere contra institutionem minùs solemnem.*

tas adiudicatur venientibus ab intestato; quamuis hi quando bona fide agunt, rem relictam legitimo tempore præscribant: sententia enim ideò fauet heredibus ab intestato, quia institutio non probatur.

Hinc consequẽs est Responsio ad Tertium, Heredem ab intestato mortaliter peccare, quando agit ad rescissionem institutionis, quam certissimè nouerit verè factam ex voluntate testatoris, etiamsi solemnitas testium, imò & ipsi testes omnino defuerint.

Sequitur secundò, Tutorem nomine pupilli succedentis ab intestato non debere agere contra vocatum vera sed minùs solemni voluntate defuncti, nisi fortè ad auertendum damnum suum malit vti sententia contraria tamquam probabili: si tamen id nolit, & cogatur per iudicem sarcire pupillo damnum, poterit quàm optimo modo, etiam occulta compensatione, seipsum seruare indemnem.

## DVBIVM VIII.

### *Quas ob causas alias, testamentum Iure nullum fiat & irritum?*

*Irritum est testamentũ inuoluntarium saltẽ mixtè.*

IRRITVM in primis est, quando non plenè fuit voluntarium, sed mixtè saltem inuoluntarium, siue id fiat errore, siue vi, siue metu iniustè illato, ita vt testator in animo ita maneat affectus, vt ad alios malit sua bona deuolui, non obstante aliter facta dispositione. Vt enim quis titulo merè gratuito alteri ius conferat, oportet id faciat etiam sine mixto inuoluntario. Consulenda L. 1. C. Si quis aliquem testari prohibuerit.

At quid si testator dum conderet testamentum, fuit ex parte inuoluntarius, sed postmodum solamente apud se mauult firmum manere quod fecit, aut saltem deponit voluntatem contrariam?

Respondeo; Quamuis hoc non excuset à peccato eum qui importunius extorsit dispositionem; excusabit tamen à restitutione hereditatis: quia validum erit testamentum, nisi mendacia & fraudes interfuerint contra tertium ad quem hereditas erat ventura.

*Irritũ etiã illud, quod vocant captatorium.*

Secundò, Irritum est testamentum captatorium, id est, quod disertis verbis, aut formaliter alterius committitur voluntati; vt si testator dicat, Instituo illum quem Petrus nominabit: eiusmodi enim testamenta leges irritant, L. Captatorias, L. Illa institutio, ff. De heredibus instituendis. Secùs si solùm implicitè in alterius voluntate ponatur vt hic heres fiat, si Petrus tali die Capitolium ascenderit: expressa enim nocent, non expressa non nocent, ff. De Regulis Iuris, L. Expressa, ff. De heredibus instituendis, L. Si quis.

Limitatur secundò, Quando se mutuò duo instituunt heredes, ex amoris affectu, vt patet dicta L. Captatorias; non tamen debent conditionem de futuro apponere, Instituo hunc, si me ipse instituet; sed possunt de præterito, Si me ipse instituit, L. Ille autem, ff. De hered. instituendis.

Limitatur tertiò, Quando aliquid ad piam causam relinquitur liberæ alicuius voluntati. cap. Cùm tibi, De testamentis, L. Id quod pauperibus, C. De Episcopis & Clericis.

Limitatur quartò, Ne irritum sit testamentum quo quis instituitur, si velit, L. Verba hæc, ff. De conditionibus institutionum.

*Et in quo nō instituitur heres.*

Tertiò, Irritum est testamentum in quo heres non instituitur ; basis enim & fundamentum testamenti, est heredis institutio. imò vt suprà diximus, testamentum non est aliud quàm heredis institutio. Verùm etiamsi ita accipiatur, vt etiam legata comprehendat, etiam illa concidunt, quando nemo instituitur heres, quasi debita sine debitore. Quod tamen fallit in legatis ad pias causſas : hæc enim subsistent, etiamsi nullus sit institutus heres; multò magis si pauperes in genere pro heredibus sint expressi, aut si alicui dicat testator, Committo res meas tuæ dispositioni : videtur enim illum quodammodò heredem nominare, sed in vsus pios. Neque enim ei committit, vt heredem aliquem sibi nominet, quo modo captatorium esset testamẽtum; sed hereditatis suæ dispensationem ipsi credit, quæ commissio ita generalis argumẽto est, quòd velit discedere testatus ad pias causſas, quomodo quidã intelligunt citatum cap. Cùm tibi, vt videre licet apud Panorm.

Aliquando etiam tacita heredis institutio sufficit, vt si dicat testator, Si Petrus heres meus esse nolit, substituo ei Paulum; verè Petrus instituitur, si non erat talis ipse heres ab intestato, qui necessariò vel institui, vel exheredari Iure debebat vt docet Iulius Clarus quæst. 35. Debet etiam in causſa prophana heres ita certò exprimi, vt non relinquatur dubius : sufficit tamen eum designari per relationem ad aliam certam scedulam, in qua nominatim exprimatur, post mortem testatoris reuelandus. Ita ex communiori sententia Couarruuias in cap. Cùm tibi, De testamentis, numero 5. Clarus quæst. 36. quamuis quoad heredem vniuersalem quidam istud negent. Oportet etiam testator proprio ore heredem nominet in testamento nuncupatiuo, L. Heredes palàm, ff. De testamentis.

Quæres, Si sufficiat quòd nominet ad alterius interrogationem annuendo?

De hoc agit accuratè Iulius Clarus quæst. 37. Communior opinio habet, sufficere quando testator non ita morbo grauatur, quin præsumatur satis attendere & meminisse quid interrogetur, & distinctè respondere possit: neque interrogans est suspectæ fidei, neque interrogatio est contra priùs declaratam satis testatoris voluntatem. Addo vix suspicione fraudis carere huiusmodi modum interrogandi, quando adhibetur sine vlla necessitate, nisi ante interrogationem ita velle se testator insinuauerit, ideoque hoc modo conditum testamentum non infringet aliud, in quo proprio motu heredem testator priùs nuncuparit.

Non valebit etiam testamentum quod tabellio aut alius quispiam sine testatoris vlla informatione conceperit, etiamsi interrogatus, an ita testari velit, dicat se velle : quam dicit esse communem sententiam Iulius Clarus.

*Item imperfectum.*

Quartò, Irritum est testamentum quod inchoauit quidem testator, sed imperfectum reliquit. §. Ex eo, Instit. Quibus modis testamenta infirmentur. Imperfectum autem reliquisse censendus est, quando alia dicturus erat, etiamsi iam institutionem & legata quædam fecisset. Limitandum tamen istud est, vt locum non habeat, quando imperfecto testamento ij instituuntur, qui venirent ab intestato, & priori perfecto vocati erant extranei. Ita Acurtius in dictum § Ex eo.

Quæres, An testamentum imperfectum sit irritum, etiamsi fuerit factum ad pias causſas?

Molina tract. 2. disp. 134. secutus Bartolum, Panormit. & Couarr. existimat fore validum, eò quòd ad pias causſas solùm requiratur quod sufficit ad validitatem, stando in solo Iure naturali. Huic sententiæ aduersatur Iulius Clarus §. Testamentum, quæst. 7. dicit enim, fauorem piæ causſæ supplere quidem defectum solemnitatis, sed non defectum voluntatis; esse autem in proposito defectum voluntatis, eò quòd soleant testatores multa mutare in ipso actu conficiendi testamenti. Quoad forum saltem externum probabilior videtur sententia Clari; sed maximè probabile est, distinguendum hîc esse. Si enim dispositio quæ iam facta est ad pias causſas, impugnari nequeat, eò quòd verisimiliter fuisset mutata in progressu, aut grauata onere nondum expresso sed exprimendo, habenda erit rata. Si verò eo modo impugnari verisimiliter possit propter nondum satis expressam voluntatem, erit habenda irrita.

*Et inofficiosum.*

Quintò, Irritum est testamentum inofficiosum quoad heredis institutionem, quando omnino præteritus qui velit nolit testator, debebat succedere, saltem vsque ad legitimam : nam si aliquid ei relictum sit, non quidem irritum est testamentum, sed supplenda erit legitima. Est autem legitima tertia pars bonorum, quando quatuor aut pauciores sunt liberi, dimidia autem quando plures, æqualiter inter eos diuidenda. Authentica, Vnde si pater, C. De inofficioso testamento; quamuis antiquiori Iure solùm erat quarta pars. Quando desunt descendentes, ascendentium legitima est tertia pars bonorum: idemque de ea iudicium, quod de legitima descendentium. Limitandum tamen hoc est, vt locum non habeat actio inofficiosi, quando filius emancipatus nominatim exheredatur, & causſa exprimitur, suoque tempore probatur.

*Legitima quid.*

*Legitima ascendentiũ.*

*Limitatur.*

Quæres, Quando neque sunt ascendentes neque descendentes, an transuersales possint habere querelam inofficiosi testamenti.

Respondeo non habere, potest tamen frater præteritus agere ad rescissionem institutionis extranei infamis infamia Iuris aut facti. Molina disp. 159.

*Propter quãdã crimina heres amittit hereditatem.*

Postremò rescinditur testamentum hactenus vt heres hereditatem amittat.

Primò si occiderit testatorem, aut negligentia vel culpa ipsius extinctus sit, L. 3. ff. De his quæ vt indignis auferuntur.

Secundò, Si heres interfectores testatoris non curet legitimè puniri auctoritate publica. C. De his quibus vt indignis hereditates auferuntur, L. 1. Excusatur tamen heres minor viginti quinque annis, C. eod. L. Minoribus. Item quia auctor cædis non reperitur, ibid. L. Si ideò, & L. Confratrem.

Tertiò, Si fornicetur cum vxore testatoris. Molina disp. 178.

Quartò, Si aliter ipsum testari prohibuerit. L. 1. & 2 C. Si quis aliquem testari prohibuerit.

Quintò, Si testamentum accusando falsi, institerit vsque ad vltimam sententiam : tunc enim ei fit inutile, etiamsi verum fuisse pronuntietur. L. 2. C. De his quibus vt indignus auferuntur.

Sextò, Si hereditatem pactus est dare spurio testatoris, aut alicui qui non potest accipere testamento. L. In fraudem, ff. suprà.

Septi-



Septimò, Si insignem ingratitudinem in testatorem ostenderit, vel captum relinquendo mori in carcere, vel in amentiam lapsum negligendo. Ita ferè Molina suprà.

## DVBIVM IX.

### *Quas ob causſas liceat exheredare ascendentes vel descendentes.*

*Causſa ingratitudinis quæ ad exheredationem sufficiunt.*

In Authentica Vt cùm, De appellationibus, statuit Iustinianus, non licere ascendentibus filios suos exheredare aut præterire nisi causſa ingratitudinis, quam teneantur in suo testamento nominatim describere. Decernit præterea, iustas ingratitudinis causſas quatuordecim solùm posse prætexi. Vnde habemus Iure communi has quatuordecim causſas solas ad exheredationem sufficere.

Prima, Si quis parentibus suis manus intulerit.

Secunda, Si atrocem & indecentem contumeliam ingesserit.

Tertia, Si de criminibus publico ipsos iudicio postulauerit, quæ contra Principem aut Rempublicam ciuilem vel Ecclesiasticam non sint. Addo *Ecclesiasticam*, vt hæresis exempta intelligatur.

Quarta, Si cum veneficis vt veneficus conuersetur.

Quinta, Si vitæ parentum suorum vel veneficio vel alio modo insidiari conatus fuerit.

Sexta, Si cum nouerca sua aut patris concubina rem habuerit.

Septima, Si calumniator contra parentes exiterit, & delatione sua grauia eos dispendia sustinere fecerit.

Octaua, Si parentem captiuum requisitus in fidem suam recipere, aut pro eo, si masculus sit, fideiubere noluerit; filia enim à fideiussione excusetur, fortè quòd contra creditores non adeò sese posset tueri.

Nona, Si parentem testamentum facere prohibuerit.

Decima, Si inuitis parentibus inter arenatios, venatores, aut mimos se recenseat, nisi parentes eiusdem professionis fuerint.

Vndecima, Si filia volentibus parentibus eam marito cum dote competenti tradere, delegerit vitam turpem : secùs si parentum culpa in corpus suum peccauerit, aut sine eorum consensu, marito sese, libero tamen, coniunxerit, quia iam viginti quinque annorum erat, & nuptias eius parentes neglexerunt.

*Filia sine parentum consensu nubẽs quãdo exheredari possit.*

In qua causſa obiter nota, vt filia sine parentum consensu nubens ex Iure Cæsareo exheredari possit, tria requiri, vt obseruat Sanches, lib. 4. disp. 24. Vnum est, vt parentes eam velint matrimonio collocare, & dotem secundùm vires suæ substantiæ tradere : alterum, vt filia illi matrimonio repugnet, & simul vitam luxuriosam eligat : tertium, vt sit minor vigintiquinque annis. Idem tamen Sanches disp. sequenti sustinet, probabilius esse, Iure canonico in fauorem libertatis matrimonij esse correctas leges, quibus liceat filiam exheredare, quòd inuitis parentibus nupsisset, de quo latiùs in materia De matrimonio.

Duodecima est, Si parentem furiosum filius curare neglexerit; imò etiam in amentia mortuo succederet extraneus, qui filij ingratitudinem suppleuerit, si modò post eius monitionem & attestationem heredes nihilominùs neglexerint.

Decima tertia est, Si captiuum parentem filius non festinauerit redimere. Imò etiamsi intestatus moriatur parens, tradenda est ingrati filij portio Ecclesiæ in redemptionem captiuorum.

Postrema, Si parens sit catholicus, & filius hæreticus, aut non communicans cum Ecclesia catholica.

*Ascendentes quando à descendẽtibus exheredari possint.*

Causſæ autem ob quas ascendentes à descendentibus exheredari queunt, octo ibidem recensentur.

Prima est, Si parens liberos ad interitum tradiderit, excepta causſa quæ ad crimen perduellionis tendit, vbi etiam hæresis continetur.

Secunda est, Si parens veneficijs aut aliter vitæ filiorum sit insidiatus.

Tertia, Si cum nuru concubuerit, aut concubina filij.

Quarta, Si testamentum filij impediuerit.

Quinta, Si parens parenti mortem aut amentiam veneno aut alio modo machinatus fuerit, machinator exheres esse poterit.

Sexta, Si in amentiam lapsum filium parens neglexerit.

Septima, Si in captiuitate eum neglexerit.

Octaua, Si filius sit Catholicus, & parens hæreticus.

Circa has tamen causſas obseruandum Primò, quod commune pœnis, habere in eis locum, vt per eas nemo exheres sit ante sententiam iudicis.

Secundò, Causſas quæ sufficiunt ad exheredandum, etiam sufficere ad neganda alimenta, non tamen vitæ necessaria; item ad filiæ negandam dotem.

*Filius exheredatus rediens in gratiam.*

Tertiò, Si post conditum à patre testamentum, quo filius est legitimè exheredatus, redeat cum eo in gratiam, manere nihilominùs exheredatum, nisi pater testamentum reuocet. Conceditur tamen filio hoc casu querela inofficiosi testamenti. Molina disp. 176. Neque tenetur pater post pœnitẽtiam filij exheredationem reuocare. Aboletur tamen ingratitudo, adeoque exheredatio, si filius Religionem ingrediatur, vt patet ex Nouella 132. prout eam citat Gratianus 19. quæst. 3. c. vltimo, & rectè ipsum citare, quamuis aliter quidam sint suspicati, ostendit Gregoriana editio.

*Exheredatio aboletur ingressu Religionis.*

## DVBIVM X.

### *An testamentum semper possit reuocari?*

*Semper reuocabile est ante mortẽ testatoris.*

Testamentum natura sua semper esse reuocabile voluntate testatoris, non tantùm Scriptura indicat ad Hebræos 9. quando dicit, primùm in mortuis confirmari, & non valere dum vixerit qui testatus est; sed Iure gentium & ciuili apud omnes obtinuit: volunt enim ambulatoriam esse voluntatem testatoris vsque ad supremum vitæ exitum. Idque Imperatores declararunt extendendum esse etiam ad testamenta facta coram sua maiestate, L. Omnium, C. De testamentis.

*Etiam ab eo qui post mortem resurgeret.*

Extendendum item ad illum qui statim post mortem per miraculum fortè resurgeret. Imò tunc testamentum ipso facto ruptum iri, docet Iulius Clarus, quæst. 86. non secùs ac si testatori nasceretur posthumus. Petrus Nauarra lib. 1. De restitutione cap. 2. numero 4. docet, redituum non quidem restitui vxori, aut monasterio si Religiosus

ligiosus fuerit, aut beneficio suo; restituenda tamen ei esse temporalia sua bona, non quòd Ius ad illa non fuerit per mortem extinctum, aut testamentum semel morte confirmatum non omnino sit validum; sed quòd ei tacitè insit conditio, vt tali casu bona ad testatorem redeant. Quando enim testabatur, malebat ea se habere quàm suum heredem. Si autem intestatus discesserit, sibi ipse est proximus.

*Appositum testamento iuramentū reddit irrenocabile.*

Quando appositum fuerit iuramentum de non reuocando, non licebit testamentum reuocare. Iuramentum enim cadens in actum licitum, obligat. Si tamen reuocetur, rata, quamuis periura, erit reuocatio: sed si fuerit ab herede priùs instituto acceptata dispositio iurata, aget vel ipse vel heres eius contra heredes testatoris, vt satisfiat Iuri, quod ei ex iuramento, quæsitum est; nisi fortè interceserit dolus aut metus: quamuis tunc super iuramento esset petenda dispensatio, antequam testamentum reuocetur.

*Reuocatio rata quamuis illicita & periura.*

Quòd rata sit reuocatio testamenti sic iurati, per conditionem noui, saltem quando in nouo expresè apponitur reuocatio iuramenti, docet Iulius Clarus, quæst. 94. & dicit esse communiorem Canonistarum & Legistarum. Quòd sit periura, multi ex Iurisperitis negarunt, fortè quòd existimarint eiusmodi iuramentum non obligare tamquam legibus contrarium, per quas non liceat cuiquam sibi legem inducere, quò minùs dispositionem suam in tempus mortis collatam, ante mortem quomodocumque reuocare possit. Sed omnino contrarium dicendum est. Ita idem Iulius Clarus, & est communis sententia. Quamuis enim lege statutum sit, testamentum posse mutari, licet tamen non mutare: itaque iuramentum cadit in id quod licitum est, quando quis iurat, quòd non mutabit.

## DVBIVM XI.

### *An mutari possit vltima voluntas per rescriptum Principis, aut dispensationem Pontificis?*

*Relictum ad pias causas.*

RESPONDEO; Quando vltima voluntas pia est, & non potest eo modo executioni mandari quo testator voluit, non propterea redit legatum ad heredem aut grauatum, sed Episcopus aut Sedis Apostolicæ Legatus cum executoribus potest aliud opus æquè aut magis pium substituere. Panormitanus in cap. Nos quidem, De testamentis.

*Ad vsum profanum.*

Si autem legatum sit ciuitati relictum ad vsum profanum, puta ad ludum aut spectaculum in memoriam defuncti, & spectacula eiusmodi prohibeantur; poterunt defuncti voluntatem primores oppidi cum heredibus in aliud, quo memoria defuncti celebretur, commutare. L. Legatum, ff. De vsu & vsufructu. An autem Episcopus se misscere possit relictis ad causas non pias, proponit Panormit. suprà, & in cap. Si heredes, ibidem: & resoluit affirmatiuè, quia omnis voluntas testatoris quodam sensu dicitur pia, & pium est succurrere oppressis personis; defunctus autem opprimitur, quando non fit eius voluntas.

Quando verò ad certum opus pium aliquid relictum est, quod potest executioni mandari eo modo quo voluit defunctus, & res est integra; voluerunt quidam, Episcopum posse cum assensu executorum illud conuertere in alium vsum æquè aut magis pium, præcipuè si is sit magis reipublicæ & religioni Christianæ necessarius, & aliunde sine maxima difficultate subueniri non possit. Ita ferè Couarruuias in cap. Tua nobis, De testamentis, numero 7. adducens L. pænultimam De operibus publicis, quæ sanè nihil illam sententiam iuuat, vt contra Couarruuiam obseruat Molina.

*Quando opus pium impleri potest, solum Papæ committit.*

Itaque longè probabilius est, etiam tunc, sicut in profanis summi Principis, ita in pijs summi Pontificis opus esse auctoritate vt eiusmodi mutatio fiat, adeò vt neque Episcopus neque Apostolicæ Sedis Legatus alterare possit, vt docet Graffius Decisionum lib. 2. cap. 52. Molina tract. 2. disp. 249. Panormitan. in dictum cap. Tua nobis. indicat Tridentinum sess. 22. cap. 6. Episcopis enim tamquam Apostolicæ Sedis delegatis, committit cognitionem surreptionis impetratæ commutationis, supponens, vt apparet, eam à sola Sede Apostolica fieri. Item Clementina Quia contingit, De religiosis domibus: vbi Glossa benè notanda, verbo Sedis Apostolicæ, monet, hunc casum mutandæ piæ largitionis à fidelibus factæ in vita vel morte ad certum vsum, esse addendum ad illos casus, quos contra Legatum suum Sedes Apostolica sibi reseruat, & habetur ad cap. Quod translationem, De officio Legati: quales sunt, si agatur de maioribus Ecclesiæ causis, vel de fide, aut exemptione vel depositione Episcoporum, & similes, in quibus nihil potest Legatus ex generali demandatione, sed opus est expressa.

Adde, non esse à Pontifice concedendam facilè eiusmodi dispensationem, nisi euidens sit maior illa necessitas, & defectus alterius subsidij. Indicat Trident. suprà, quando dicit: *Non nisi ex iusta & necessaria causa fieri debent. Æquum enim est, ne sint cassa suprema voluntatis iudicia*, vt dicit Constantinus L. 1. C. De sacrosanctis Ecclesijs. imò ex Iure gentium primus ille fons legum Romanarum XII. tabulę suppeditant vnam eiusmodi legem: *Vti legassit quisque de re sua, ita Ius esto.* Quam confirmans Iustinianus, Nouella De nuptijs, addit, *Nullo valente citra illius voluntatem, nec si sacram impetret formam, nec si quidpiam aliud omnium, aliquid aliter disponere in rebus alienis.* Consonat cap. Vltima voluntas 13. quæst. 2.

Denique vt à Pontifice eiusmodi dispensatio impetrata fuerit, non poterit mandari executioni, nisi priùs Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, summariè & extraiudicialiter cognoscat, nihil in precibus tacita veritate vel suggesta falsitate fuisse narratum. Ita Trident. suprà.

## DVBIVM XII.

### *Quinam succedant ab intestato?*

*Intestatus quis dicatur.*

INTESTATVM hîc intelligimus, qui vel testamentum non fecit, vel inualidè testatus est; puta quia reuocauit testamentum nullo alio surrogato, vel quia testamentum eius erat inofficiosum, vel quia ipse capite diminutus est, aut aliter amisit testamenti factionem, vel quia heres nullus exstitit, aut mortuus est ante testatorem, vel institutus sub conditione, eam neglexit; vel quia hereditatem repudiauit.

*Ab intestato succedunt descendentes.*

Itaque intestato succedunt descendentes, si vlli sint: filij quidem & filiæ per capita & portiones æquales, nepotes autem per stipitem repræsentantes suum parentem. Excludunt itaque descendentes etiam patrem defuncti, etiamsi tempore mortis fuisset in patris potestate.

*His deficientibus ascendentes succedunt.*

Quando deficiunt descendentes, veniunt ab intestato ascendentes; pater & mater excludunt reliquos; in defectum horum, aui ex vtriusque parentis latere veniunt. Si auus solus ex vna parte supersit, ex altera autem auus & auia, mediam partem habet qui solus superstes est ab vna parte, ita vt in sex vncijs succedat, reliqui autem duo solùm succedunt singuli in tribus vncijs, id est, quarta parte hereditatis. Quando aui deessent, iretur ad proauos, simili semper proportione, prælaris propinquioribus.

*Fratres & eorum filij quando succedunt.*

Quando verò & ascendentes & descendentes deficerent, veniunt fratres ex vtroque parente, & excludunt ex altero tantùm, id est, fratres consanguineos ex parte tantùm, & vterinos ex matre tantùm. Imò ijdem excluduntur per filios fratris vtrimque coniuncti, & hi stipitem repræsentantes cum patruis concurrunt. Si verò etiam desint fratres vtrimque coniuncti, aut eorum descendentes, succedunt fratres ex altera tantùm parte coniuncti, exclusis omnibus collateralibus: similiter succedent per stipitem eorum filij. Quando tamen fratres consanguinei succedunt cum vterinis, hi præferuntur in bonis ex parte matris; illi in bonis ex parte patris; in reliquis succedunt æqualiter.

*Quando collaterales.*

Etiam fratribus & eorum filijs omnino deficientibus, successio deuoluitur ad propinquiores collaterales, vsque ad decimum gradum, idque per capita; ita tamen, vt in illis non habeatur ratio, an ex vtroque parente defunctum contingant, an tantùm ex altero, sicut in fratribus haberi diximus. Vnde sequitur, Quando patrui succedunt, non præferri fratrem patris ex eodem patre & matre alteri patruo, cuius pater defuncti fuerit frater solùm consanguineus aut vterinus, sed æqualiter hos venire.

*Quando nepotes.*

At quando soli nepotes ex fratribus succedunt, impari numero, ita vt vnus frater tres, alius duos tantùm filios reliquerit, controuersum est, an per capita æqualiter succedant, an solùm per stipitem? Molina putat verius esse quòd per capita, disp. 164.

*Quando coniunx. Sine dote susceptā quando & quomodo succedat.*

Deficientibus transuersalibus vsque ad decimum gradum, succedit coniunx, nisi fuerit inter eos diuortium: imò si vir vxorem sine dote susceperit, & ipsa non habeat vnde commodè viuat, modò liberi non sint plures quàm tres, succedit vxor in quarta parte bonorum. Si plures fuerint liberi, cum illis succeder per capita, ita tamen, vt quando hîc vel ibi portio vxoris excederet centum libras auri, contenta sit eiusmodi centum libris, & semper dominium maneat liberis saluum, matri quæ dicta sunt solùm valentibus ad vsumfructum.

*Quando fiscus.*

Si etiam coniunx & alij dicti heredes omnes deficiant, succedit fiscus: nisi sint peregrini, qui in hospitali decedunt; illorum enim bona per Episcopum erunt distribuenda in pias causas. Hæc de Iure communi, & ferè habentur in Authentica De heredibus ab intestato venientibus.



## DVBIVM XIII.

### *Quid Falcidia, & Trebellianica?*

*Falcidia.*

FALCIDIA est remedium quoddam, ita dictum ab inuentore, quo alijs heredibus per legata grauatis consulitur, fictiti per legitimam ascendentibus & descendentibus. Possunt enim quartam partem bonorū heredes instituti beneficio huius remedij sibi sumere, etiamsi legata tanta essent, vt vel nihil vel minus quarta parte ad ipsos fuerit deuenturum: supplere enim possunt vsque ad quartam partem, & inter legatarios quod reliquum fuerit, proportione legatorum seruata, distribuere, Institut. De lege Falcidia, C. & ff. Ad Legem Falcidiam.

*Trebellianica.*

Trebellianica etiam est quarta pars, beneficio Senatusconsulti Trebelliani, deducenda ab herede ex fideicommisso, adeò vt si tota hereditas sit fideicommissum, quartam partem sibi retineat totius hereditatis, in qua in solidum fuerit institutus, & similiter quartam retinebit partem illius in qua fortè sola fuerit institutus. Si tamen non totum quod ei tamquam heredi relictum est, sit fideicommissum, sed aliquid certi sibi habeat, eo contentus erit; nisi fortè quarta parte totius ex eo & fideicommisso, quo grauatur, cōflati minus sit: tunc enim hoc vsque ad hanc quartam ex fideicommissosupplebit. Potest tamen testator prohibere, ne detrahatur à fideicommissis Trebellianica, sicut & ne à legatis Falcidia: nam de hac Iure id definitum, & illa huic æquiparatur.

## DVBIVM XIV.

### *Quibus modis possit aliquis heredi substitui?*

*Substitutio quid.*

SVBSTITVTIO est vnius in alterius locum ad rem aliquam in vltima voluntate facta vocatio.

Dum dico, *vnius in alterius*, non excludo pluralem numerum; nam & vnus in plurium, & plures in vnius locum substitui possunt, Institut. De vulgari substitut.

Substitutio in hereditatem alia est directa, quando sine ministerio instituti succedit substitutus: alia indirecta aut obliqua, quādo institutus hereditatem aut eius partem iubetur alteri dare.

*Sex species substitutionis.*

Diuiditur autē substitutio in sex species. Prima est substitutio Vulgaris, qua quiuis, etiam è vulgo, à Iure non prohibitus, à quouis testatore substitui potest: ita dicta, quòd vulgò vsurpari soleat.

Secunda dicitur Pupillaris, qua testator pupillo, quem habet in sua potestate, non relapsurum in alterius potestatem per suam mortem, si ante pubertatem moriatur, aliquem substituit.

Tertia dicitur Exemplaris, sic dicta quòd fiat ad exemplum & similitudinem Pupillaris. Est autem ea, qua pater instituit heredem filium amentem, surdum simul & mutum, prodigum, & cui bonorum administratio est interdicta; & substituit ei alium quempiam sibi placentem.

Quarta est Fideicommissaria, qua heres grauatur vt hereditatem aut certam eius partem restituat alteri, quem vocant fideicommissarium.

Quinta est Reciproca, quando aliqui vicissim sibi substituuntur. Hanc Breuiloquam quidam vocant, sed displicet hoc Viglio, Institut. De vulgari substitutione.

Sexta

Sexta est Compendiosa, quæ compendio quodam plures simplices substitutiones, quales sunt quatuor primæ, aut etiam omnes, respiciendo diuersa tempora, comprehendit expressas verbis saltem generalibus; vt si dicat testator: Filium meum instituo heredem, & quocumque tempore mortuus fuerit, substituo ei Petrum. Si enim filius decedat impubes, manifestum est, hîc continere Pupillarem; si amens, erit Exemplaris; si sanæ mentis & actiuè testabilis, erit Fideicommissaria; si filius moriatur ante patrem, erit substitutio Vulgaris. Hactenus de testamentis.

## CAPVT XII.

### *De translatione Dominij per ludum & sponsiones.*

### DVBIVM I.

### *An Ludi & Sponsiones ex natura sua sint illicita?*

*Sponsio licita est.*

CONTRACTVM qui in ludo est aut sponsione de rei alicuius veritate aut euentu, natura sua nihil habere illiciti, communis est opinio DD. quos sequitur Couarruuias in Regulam Peccatum, §.4. num. 2. Nam quod ad sponsionem attinet, si æquale vtrimque sit periculum cui sese concertantes exponunt, aut inæqualitati periculi respondeat inæqualitas eius quod spondetur, manifestum est esse licitam. Sanè periculum quando de futuro aliquo contingenti sponsio suscipitur, facilè potest vtrimque esse æquale: quando autem de re præterita aut præsenti debet aliquo modo vtrique spondentium esse dubia vt licita sit, non tamen tenebitur ad restitutionem lucri, qui tempore sponsionis certum sibi esse persuadebat, quod postmodum deprehendit non adeò certò debuisse se persuasum habere, eò quòd facilè aliter se habere potuerit. Imò quando nulla fraude alterum ad sponsionem pellexit, existimo eum qui certus fuit se lucraturum, ideoque contra liberalitatem sordido lucro venialiter peccauit, non teneri ad restitutionem.

*Contractus qui in ludo fit, licitus.*

De contractu qui in ludo fit, facilè etiam ostenditur, manendo in solo Iure naturæ, licitum esse, etiamsi ludus ex fortuito pendeat euentu, qualis est tesserarum & chartarum: non enim plus habet deformitatis quàm sponsiones, de quibus iam diximus. Imò hoc etiam extenderim ad ludum qui fieret præcipuè ob lucrum, hactenus vt etiam ille à mortali culpa excusetur. Quamuis enim aliquid illiberale præ se ferat, eoque à veniali non sit immunis; nihil tamen in eo apparet, quod vel contra Iustitiam sit, vel contra charitatis præcepta sub mortali obligantia.

*Ludus ob lucrum.*

Sunt nihilominùs plurima propter quæ ludi illi cum pacto lucri aut iacturæ aut omnino non sint adhibendi, aut circùspectè admodum & parcè, & vt rectè quidam dixit, tamquam sal & condimentum quoddam vitæ humanæ. Talia enumerantur apud S. Antoninum, 2. part. tit. 1. c. 23. §. 6. Amissio temporis, blasphemia, contumelia, patrimonij dilapidatio, Ecclesiæ inobedientia, furtum, comessatio, homicidium, inuidia, egestas, vana iactantia, mendacium, neglectus rerum diuinarum, odium, participatio sceleris alieni, contentio, rapina, scandalum, desperabunda quædam tristitia, vsura, Christiani nominis viruperium. Quibus adde periuria, varias iniuriarum formas, noctis cum die commutationem, neglectum familiæ, omnisque serij & necessarij negotij, crimen falsi, fraudes varias, & similia.

*Fructus ludi cum pacto lucri.*

### DVBIVM II.

### *Quinam Ludi, & quibus sint interdicti Iure canonico aut ciuili?*

*Ludum alearum Iure vetitus.*

IN primis Iure ciuili interdictus est ludus alearum, ff. De aleatoribus, L. 2. & sequenti. C. De alearum lusu, Authentica Alearum lusus. Sub alearum lusu intelligitur omnis ludus, in quo magis valet fortuna quàm industria, ita vt illo lusu etiam comprehendatur ludus taxillorum, tesserarum, talorum, item chartarum, qui tunc non erat inuentus: imò extendi videtur ad omnem lusum, quo vires non exercentur, hactenus vt eo non liceat in pecuniam ludere, L. Solent, ff. De aleatoribus. Aretinus tamen tractatu De maleficijs, secutus Glossam receptam, putat non prohiberi ludum quo exerceatur tantùm hominis ingenium, qualis est ludus schacorum. Idem tenet Iulius Clarus lib. 5. Sententiarum, §. Ludus.

Excipitur tamen lusus familiæ in pecuniam conuiuio insumendam, ff. eod. L. Quod in conuiuio: qua ratione etiam Clericos excusari posse existimat Aug. Ariminensis in Additionibus ad Aretinum supra; quamuis non defuerint qui hoc negarent. Nemini tamen & in ludum licitum licebat expendere plus quàm vnum solidum qui aureus est, vt alibi diximus, quales septuaginta duo constituunt libram auri. Ita patet dicta Authentica Alearum lusus.

Sed quæro, An hoc intelligatur de singulis commissionibus, an verò de continuato lusu; nam Aretinus posteriori modo intelligendum contendit ex ratione Legis; quæ cauere vult, ne victus casum grauem sustineat: sustinere autem posset, si liceret singulis vicibus vnum solidum periculo committere. Verius tamen videtur quod alijs placet, priori modo intelligendum esse; hoc enim Lex magis videtur præ se ferre.

*Clericis prohibetur ludere alea.*

Iure canonico Clericis prohibetur ludere ad aleas & taxillos, aut eiusmodi ludis interesse. cap. pænult. De vita & honestate Clericorum. Imò aleator Clericus à promotione ad dignitatem prohibetur, cap. Inter dilectos, De excessibus Prælatorum. Non tamen est dicendus aleator, qui semel aut iterùm lusit ad aleas, sed qui consuetudinem ita ludendi habuerit: sicuti nec mercator est, qui semel aliquid mercatus fuerit. Item 35. dist. cap. 1. suspenditur ab officio, aut priuatur Beneficio Episcopus, Presbyter aut Diaconus, qui aleator esse pergat: ita enim verbum *damnatur* intelligunt ibi DD. & fauet vox Græca καθαιρέσθω, quæ depositionem sonat in originali Canone Apostolorum, vnde cap. desumptum est: quamuis Bernardus Diaz in Practica sua criminali canonica, cap. 64. eiusmodi expositionem reprehendat, sed immeritò. Sanè Gentianus Heruetus, vbi vetus interpres dixerat *damnetur*, vertit *deponatur*.

*Aleator quia dicatur.*

In his canonicis pœnis illud obseruandum, vt Clericus aleator deponatur, opus esse præuia monitione; neque enim deponendus, si se emendauerit: vt verò ei negetur vlterior promotio, sufficit esse aleatorem, neque opus est monitione.



*Quomodo Clerici aleas vacantes peccent.*

Obseruandum secundò, Quamuis quoad pœnas, antiqui Canones de ludis, quatenus Clericos concernunt, & leges simul & Canones absolutè, quatenus laicos concernunt, non sint in vsu; tamen quoad reatum peccati, Clericos his Canonicis constitutionibus non ita esse liberos, quin vacantes aleæ & taxillis, saltem in notabilis quantitatis pecuniam lucri caussa ludentes, incursuri sint culpam mortalem, quia Trident. sess. 22. c. 1. de reformatione, eiusmodi constitutiones obseruari mandat, & in vsum reuocari, vbi in desuetudinem abijsse compertæ fuerint, Episcopis districtè præcipit.

### DVBIVM III.

### *Quæ conditiones iusti lucri per Ludum?*

*Videns se victurum.*

LVDI lucrum aliquando ita iustum est, vt repetitioni nullo modo sit obnoxium, adeò vt nec hlij eius qui fuerit in ludo victus, legitimam à victore petere possint, quando nimirum ludus fuit licitus, & legitimam quantitatem non excessit; victor enim in ludo licito censetur habere ex contractu oneroso: secùs quoad repetitionem legitimæ dicendum de ludo illicito; quia quidquid habetur ex maleficio, dicitur ex titulo lucratiuo. ff. De doli exceptione, L. Apud Celsum, §. De auctoris dolo.

Istud nonnulli hîc quærunt, Vtrùm quando qui certò videt se victurum, hoc agit vt duplicetur sponsio, faciat duplicatum lucrum suum?

Couarruuias non improbabiliter concedit, maximè quòd soleant collusores talia sibi mutuo donare.

*Quando lucrum restitutioni obnoxium.*

Restitutioni autem obnoxium est lucrum, etiam ante sententiam, Primò, Si victor aut etiam collusor victus non habebat proprium, quod validè per lusum alienare poterat. Si enim victor non habebat, tenetur restituere, quia non seruauit æqualitatem; validè enim non potuit deponere aut promittere, fecitque fraudem, non secùs ac si adulterina moneta apposita vicisset. Si verò victus non habebat potestatem alienandi, inualida est alienatio. Admittunt tamen DD. eos qui sunt in potestate alterius, Religiosos & filiosfamilias, pupillos, &c. modicum quid in ludum honestum posse impendere, nisi constiterit de contraria Superioris aut parentis voluntate.

Non improbabile est, posse vigesimam partem alimentorum quæ annuè suppeditantur, totius anni decursu insumere. Quod de filiofamilias asserunt in specie Soto, Bannes, Valentia, & alij. Cui nonnulli addunt etiam illud, quod fortè per ludum fuerit lucratus.

Secundò, Si victor vsus sit falsis aleis, aut instrumẽtis: teneretur enim crimine stellionatus, vt docet Aretinus, & in eius Supplemento Aug. Ariminensis: imò præter restitutionem esset extraordinariè à Iudice puniendus.

Tertiò, Si leges ludi non seruauerint. Couarru. post D. Thomam quæst. 22. art. 7. ad 2.

Quartò, Si coëgerit victor collusorem ad ludendum, puta prouocando minis, conuitijs, opprobrijs, aut eiusmodi importunis precibus, quibus alter non fuerit ausus reniti. Ita D. Thomam intelligunt Caietanus, Sotus, Couarruuias & Castro, & defendunt contra Adrianum, qui existimat D. Thomam illam tenere opinionem, quòd omnis attractus, etiam leuis, impediat translationem dominij; quamuis Molina Adriani censuram existimet veram, cuius & illa moderatio est, pro magnitudine iniuriæ sufficere subinde prudentis arbitrio victorem qui attraxerit partem lucri restituere.

Verùm communis opinio simpliciter attrahentem obligat ad restituendum, eaque videtur verior, vt latitudo iniuriæ in culpa quidem efficiat diuersitatem, non autem variet onus restituendi. Imò hoc etiam extenderim ad illum, qui iam victus importuniùs agit vt iterùm ludatur.

Quintò, Si imperitia simulata alterum induxerit ad ludendum.

Sextò, Si cum vno collusorum contra tertium conspirauerit.

Septimò, Si plus vna commissione ab vno lucratus est, quàm ille vnus potuit ab ipso lucrari. Ita Bannes.

Octauò, Si per legem contractus ludi irritetur: quo modo Carolus V. apud Hispanos irritauit omnem ludum, quo creditò luditur. Non est tamen irritus, etiamsi cautio aut alius contractus interueniens irritetur, quod notandum est, quia Iure communi eiusmodi cautio est irrita.

*Repetitio in foro externo quando concedatur.*

Repetitioni autem in foro externo locus erit pro victo aut eius herede, etiamsi validè aliàs lucrum ad victorem translatum sit, Primò, Quando ludus Iure erat prohibitus: imò tunc quando ex parte victi non fit repetitio, repetit fiscus, non obstante præscriptione, nisi illa fuerit quadraginta annorum, ex L. Alearum vsus, C. De alearum lusu: quãuis eadem Lege satis indicetur, verè fuisse translatum dominium, & opus esse rescissione Iudicis, quando dicit, *Competentibus actionibus repetatur*. Actio enim est in iudicio, pactio extra iudicium, vt ex Acursio notat Castro. Vnde sequitur, non teneri victorem restituere victo priuatim repetenti. Est tamen probabilius, quòd victus, si nondum soluerit, possit retinere, quotiescumque in iudicio posset solutum repetere: est enim Regula Iuris, ei competere exceptionem, cui actio datur, L. Inuitus. ff. De regulis Iuris. Ita Couarru. quamuis aliter Castro, De lege pœnali, lib. 2. cap. 2.

Secundò, Quando lucrum excessit pretium lege taxatum; repetitio enim erit, si ludus aliàs fuerit licitus, non totius lucri, sed eius quod est supra vnum solidum in singulis commissionibus.

Non erit tamen repetitioni vmquam locus, si victus iurauit non vti hoc beneficio Legis, Alearum vsus, neque potest petere relaxationem iuramenti à Superiore, inuito victore, nisi vis aut fraus interuenerit.

Denique non erit repetitioni locus, vbi contraria consuetudine lex eam concedens abrogata videtur: esse autem abrogatam hodie etiam in ciuitatibus quæ legibus Imperij vtuntur, testatur Castro suprà.

# TRACTATVS SECVNDVS
## De Restitutione.
## CAPVT VNICVM.
### DVBIVM PRIMVM.
### *Quid sit Restitutio?*

*Restitutio in integrū.*

PVD Iurisperitos celebris est restitutio in integrum, qua minores, vel Ecclesia restituuntur, prioris status vel Iuris integratione. Verùm non omnino similiter hîc accipimus restitutionem: illa enim restitutione in integrum cõsideratur restitui persona, aut quasi persona; hac autem nostra restitutione res potiùs aliqua personæ restituitur, quamuis in reipsa non adeò magna sit distantia. In illa Ius & status reparantur, in hac & supposito statu & Iure reparatur damnum, quod in Iure ac statu suo quis passus est ablata aut destructa sua re, quam redhibitionem Leges appellant ff. De ædilitio edicto, L. Redhibere. *Est*, inquit, *redhibere, facere vt rursum habeat quis quod habuerit.*

*Restitutio quid.*

Possumus itaq; restitutionem ita definire, vt sit Redditio qua facimus vt quis iterùm habeat rem quam ab ipso acceptam habuerimus, vel damnum recuperet quod intulerimus. Eòdem pænè recidit, si dicamus cum Petro Nauarra, esse actum Iustitię, quo damnum proximo datum resarcitur. Damnum enim etiam recuperat, quando res ab eo accepta redditur.

### DVBIVM II.
### *An Restitutio sit actus exterior Iustitiæ commutatiuæ?*

*Est actus Iustitiæ cõmutatiua.*

AFFIRMATIVA responsio communis est & certa: æqualitas enim, quæ seruatur in restitutione, est arithmetica, quam diximus suprà tract. 1. cap. 1. dub. 4. seruare Iustitiam commutatiuam. Si ergo per restitutionem aliquando reparetur Iustitia distributiua læsa, hoc ideò est, quia in ipsa etiam læsa sit commutatiua: numquam enim oritur obligatio restituendi, nisi quia læsa est Iustitia commutatiua; conseruare autem & reparare æqualitatem, & tollere inæqualitatem, omnino eiusdem virtutis est. Ad hæc, restitutione fit vt rursus habeat qui habuerit, vt suprà diximus: atqui certum est, ciues bona communia quæ eis ex distributiua Iustitia debebantur, numquam sibi propria habuisse; itaque restitutio non est Iustitiæ distributiuæ, quæ ex communibus facit propria, sed illius quæ proprium Ius suum & strictè debitum cuique tribuit.

Præterea ex sola Iustitia distributiua læsa non oriri obligationem restituendi, argumento est, quòd non teneatur, si quis sua bona velit distribuere ciuibus ad vllam restitutionem, etiamsi non seruauerit leges Iustitiæ distributiuæ. Quòd ergo is qui bona communia malè distribuit, teneatur ad restitutionem, non est quia læsit distributiuam, sed quia violauit commutatiuam Iustitiam, ex qua qui nomine alterius distribuendum aliquid accepit, tenetur, si secùs distribuerit, ei aut alijs ad arbitrium eius restituere. Vbi iterùm aduertimus, quòd si obligatio restituendi oriretur ex læsa distributiua Iustitia, deberet restitutio directè potiùs fieri particularibus qui fortè præteriti sunt, quàm comunitati, quæ distribuendi munus ei cõmisit qui infideliter dispensauit. Denique, si ex læsa distributiua obliget restitutio, debebit etiam restituere qui ex eiusmodi læsione plus accepit, quàm merita postulabant. Sanè in Beneficijs aliter rem se habere palàm est.

*Ex Iustitia distributiua læsa non oritur obligatio restituendi.*

In contraria tamen sententia est Petrus Nauarra, sed argumenta eius facilè soluuntur ex dictis.

### DVBIVM III.
### *Quomodo differat Restitutio à solutione & satisfactione?*

*Restitutio differt à solutione.*

A SOLVTIONE differt restitutio, quia solutio est eius quod creditor non habuit. Secundò, Solutio non præsupponit læsionem: nihil enim creditori ademptum est, quando suo tempore fit solutio. Nihil, inquam, ademptum est, quia voluntariè loco rei patitur sibi substitui Ius ad pretium. Quod addo, ne rei inuentæ restitutio videatur cuipiam potiùs esse solutio. Verùm de hoc discrimine restitutionis & solutionis, videre licet Couarruuiam initio 2. partis in Regulam Peccatum.

*Et à satisfactione.*

A restitutione differt satisfactio, quòd hæc sit compensatio iniuriæ, quæ in personam aliquam redundauerit, consistentis potiùs in actione quàm in re: restitutio autem quando iniuriam compensat, potiùs eam compensat in effectu ex iniuria secuto, videlicet in damno quod in rebus suis passus est cui iniuria illata. Verum nihilominùs est, aliquando satisfactionem largiùs accipi, vt etiam restitutionem complectatur.

Ex hoc generali & primario restitutionis discrimine multa sequuntur alia, Vtpote quòd restitutio non semper præsupponat peccatum, saltem eius pro quo fit, sicut satisfactio: Secundò, quòd satisfactio etiam Deo fiat, non restitutio: Tertiò, quòd satisfactionis pro defuncto susceptæ neglectus multùm obsit defuncto, non autem restitutionis, de quo videre licet Sotum De Iustitia lib. 4 quæst. 6. art. 1. Quartò, quòd satisfactio, saltem Deo, fiat etiam per actum merè internum, restitutio autem requirat actum externum. Denique, quòd onus restituendi transeat ad heredes, non autem satisfaciendi.



*Ex culpa lata tenetur quis ad restitutionē.*

### DVBIVM IV.
### *Vnde oriatur obligatio Restituendi?*

DTHOMAS quæst. 62. articulo 6. ex communi sententia duplicem ponit radicem obligationis restituendi: omnis enim eiusmodi obligatio vel oritur ratione rei acceptæ, vel ratione acceptionis. Oritur ratione acceptionis, in eo qui per iniuriam rem proximo abstulit, etiamsi eam sibi non sumpserit, puta quia destruxit.

*Obligatio restituendi ratione acceptionis.*

*Ratione rei acceptæ.*

Ratione rei acceptæ oritur in eo apud quem res ablata reperitur, aut aliquid eius, etiamsi eam ipse non abstulerit.

*Obiect. 1.*

Verùm ad duo ista capita non reuocari omnem restitutionem, suadetur, & obijcitur Primò, Mutuò quis accepit pecuniam, quæ statim ei à fure auferrur: is mutuatarius tenetur restituere mutuatori, non tamen ratione acceptionis, quia illa fuit iusta; neque ratione rei acceptæ, quia apud ipsum ea non exstat: ergo est tertia radix restitutionis ex contractu.

*Resp.*

Respondeo, talem mutuatarium non tam restituere quàm soluere.

*Obiect. 2.*

Obijcies secundò, Si mutuatarius non restituat, ergo rectiùs etiam soluere quàm restituere dicetur, qui solùm tenetur ratione rei acceptæ.

*Resp.*

Respondeo, Quamuis ita visum sit Nauarræ lib. 2. cap. 1. numero 3. verè tamen illud non sequi, quia solutio est, vt diximus suprà, quando ius proximi non fuit læsum. fieri autem potest, vt fuerit quidem læsum, sed non à te, apud quem res, in qua læsum est, fortè reperitur. Hanc itaque ei tunc restitues non ratione tuæ acceptionis, quam iniustam non fuisse suppono; sed ratione rei acceptæ: neque dixerit quisquam, hanc potiùs esse solutionem quàm restitutionem. Deinde, quando inuenta ab inuentore domino restituuntur, quis dixerit esse potiùs solutionem quàm restitutionem, aut non esse hîc restitutionem ratione rei acceptæ? Communis itaque sententia tenenda est.

### DVBIVM V.
### *Qualis culpa requiratur, vt quis teneatur Restituere ratione damni dati?*

PER culpam hîc ex vsu Iurisperitorum intelligimus omissionem alicuius diligentiæ, vnde proximo damnum sequitur. Est autem hæc culpa vel *latissima*, quando est dolus verus & apertus: vel *latior*, quando est præsumptus dolus (est autem dolus omnis calliditas, fallacia, & machinatio ad decipiendum aliquem adhibita, L. 1. ff. De dolo malo:) vel *lata*, quando non adhibetur ea diligentia quam passim homines eiusdem sortis adhibere solent: *leuis*, quando non adhibetur diligentia quam diligentiores adhibere solent: *leuissima*, quando ea non adhibetur quam adhibere solent diligentissimi. Ita ferè Siluester verbo Culpa q. 1. Adrianus Quodlib. 4. Certum est, culpam latam sufficere vt teneatris de damno dato. Patet ex c. vltimo De iniurijs. Quando tamen non esset in damno dando admissum peccatum mortale, non oriretur obligatio restituendi, ne quidem sub veniali in foro conscientiæ, nisi fortè ideò solùm non fuisset mortale, quia exigua erat materia; tunc enim negare non volumus, sub veniali eum qui damnum dederit, teneri.

*Quando sufficit culpa leuissima.*

Sunt qui obseruent, aliquando contingere quòd culpa non sit lata, peccatum tamen mortale, quia damnum præuideatur. Sed rectiùs dixerimus, tunc etiam culpam fieri latam, quia communiter plus cautelæ adhibetur contra noxam præuisam.

Aliquando tamen ad obligationem restitutionis videtur non requiri culpa lata, sed sufficit etiam leuissima, non quidem ex Iure naturæ, sed suppositis legibus humanis; puta quando habes rem alterius ex cõtractu, qui tantùm in tuam vtilitatem cedet, verbi gratia commodatò: si contractus cedat in vtilitatem vtriusque, teneris ex graui & leui, sed non ex leuissima. Probabile tamen est, in conscientia numquam teneri ex leui, nisi post sententiam Iudicis, quando expressè aliter conuentum non fuerit. Communior nihilominùs & verior opinio est, leges illas ciuiles, quæ ex culpa leui in casibus dictis volunt fieri restitutionem, in conscientia etiam ante sententiam Iudicis obligare, quia non sunt pœnales. Deinde eiusmodi legibus positis, censetur dispositio earum transire in conditionem eiusmodi contractuum, ita vt qui commodatò dat, tali de conditione, vt rem eius diligentissimè custodias. Illud tamen fatendum est, non fore hîc omnino propriè dictam restitutionem: prouenit enim debitum illud, quo commodatarius tenetur sub mortali rei pretium sarcire, non ex rei acceptione, aut ratione rei acceptæ, sed ratione impliciti contractus. Itaque propriè dicta restitutio non obligat sub mortali ratione acceptionis (vbi etiam damnificationem comprehendo) nisi ex lata culpa ciuili, & mortali Theologica, damnum intuleris. Quod contra quosdam etiam extenderim ad eum qui operā dat rei illicitæ. Item extendendum est tam ad damnum quod commissione infertur, quàm quod omissione. Denique si damnum datum sit ex ignorantia concomitante, quæ facit non voluntarium, similiter etiam à restitutione liberabitur qui dedit.

*Damnum ex ignorantia.*

*Obiect.*

Dices, cap. finale De iniurijs, tum demum excusat damnificantem à restitutione, quando vt non accideret damnum, de contingentibus nihil omisit.

*Resp.*

Respondeo; Quamuis Panormitanus ex illo cap. putet, restitutionem deberi etiam ex culpa leuissima; verius tamen est, Pontificem solùm esse intelligendum de culpa lata: censetur enim de contingentibus nihil omisisse, qui nihil omiserit quod suæ professionis homines communiter facere solent; vel vt Nauarra, qui nihil omiserit eorum quæ vir prudens prouidere & cauere debebat. Eòdem ferè recidit quod alij dicunt, velle Pontificem, quando culpa facit actionem voluntariam qua damnum infertur, non excusari damnificantem. Similiter in casu cap. Consuluisti 2. quæst. 5. culpa lata intelligenda est: negligentia enim in se parua censetur magna, quando periculum magnum & frequens esse noscitur, quale est in oppressione teneriorum infantum.

Verùm supposito quòd in foro exteriori subinde tenebitur restituere ex lata culpa præsumpta, qui in conscientia non tenetur; quæstioni locus erit, An quando Petrus ex culpa leui damnum dedit Ioanni, in quo Iudex latam culpam præsumit, & per errorem existimat illud Paulum dedisse, quem ideò cogit restituere, Petrus in conscientia debeat Paulum seruare indemnem?

Respondeo, Non debere; quia de euentu non præuiso non tenetur: si autem præuisus fuisset, non fuisset culpa leuis.

At quid si ex lata culpa teneatur Petrus Ioanni, & Iudex loco eius simili errore compellat Paulum innocentem?

Respondeo; Tunc Petrus tenebitur Paulo innocenti refundere quod Ioanni ipse verè debebat: vlteriùs autem nihil pro molestijs quas passus est, nisi eiusmodi Pauli vexationem probabiliter sciebat, aut scire debebat ex suo facto euenturam. Imò hoc etiam locum habere putat Nauarra l. 2. cap. 1. num. 78. quando Petrus haberet animum simul damnum inferendi Paulo: quia ne tunc quidem existimat Petrum teneri de vexatione Pauli innocentis, nisi præsciuerit aut præscire debuerit, eam per factum suum Paulo obuenturam, eò quòd eiusmodi vexationis causa non fuerit.

### DVBIVM VI.

### *An Restitutio sit necessaria ad salutem?*

TRES hîc sunt sententiæ: Vna erronea, restitutionem non esse ad salutem necessariam, quam nonnulli inter Græcorum errores recensent.

Altera improbabilis quorumdam Scholasticorum, esse necessariam non tantùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij. Citantur pro hac sententia Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 2. & Angelus verbo Executor, numero 23. Sed videntur posse excusari, quòd solùm senserint tardiùs è purgatorio liberari, pro quibus vel tardè vel omnino numquam negligentes heredes restituunt; non autem sentiant numquam liberari, etiamsi numquam fiat restitutio.

*Restitutio necessaria necessitate præcepti.*

Tertia est communis, Esse quidem necessariam restitutionem necessitate præcepti, sed non necessitate medij, nisi fortè in voto, quomodo & reliqua omnia præcepta facilè dici poterunt necessaria in voto, quod tamen in charitate continetur, quæ est plenitudo legis.

Prior pars probatur Ezechielis 33. *Si dixero impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum, vita viuet.* Ad Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita.* Isaiæ 3. *Rapina pauperis in domo vestra.* Tobiæ 2. *Reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere.* Augustin. epistola 54. *Si res aliena propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur.* De quo plura videre licet apud Gratianum 14. q. 6. & in Regula Peccatum, de Regulis Iuris in 6. & ibi apud Couarruuiam initio; vbi ostendit necessariam esse restitutionem lege naturali, diuina, & humana. Sotus lib. 4. De Iustitia quæst. 6. art. 2. dicit contrarium non tam hæresim esse quàm phreneſim.

Obijcies, Lucæ 11. Dominus Pharisæis plenis rapina & iniquitate solam præcipit eleëmosynam; ergo restitutio non est necessaria. *Obiect.*

Respondeo, Quosdam recentiores intelligere, Dominum verba illa, *quod superest date eleëmosynam*, per Ironiam dixisse. Verùm hæc interpretatio est improbabilis. Alij vim faciunt in illo *quod superest*, quasi Dominus intellexisset, quod superest post restitutas rapinas, dandum esse in eleëmosynam. Sanè sicuti non suadentur eleëmosynæ ex eo quod naturæ donatoris necessarium est, ita neque ex eò quod certis personis, siue ex maleficio, siue ex contractu ipse debet; sed pro singulari contra peccata remedio commendatur eleëmosyna, de eo quòd facultates præter ista suppeditauerint. In qua commendatione etiam restitutio hactenus comprehendi rectè intelligitur, quòd qui iubetur dare in quibus nihil debet, multo magis iubeatur reddere si quid debet. Extirpatur ergo cupiditas quæ radix est omnium malorum, maximè illius sceleris quod in detentione rei alienæ Scriptura positum esse sæpè testatur. Ita hanc Domini doctrinam intellexit Zachæus, quando dixit: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Verùm de hac re latiùs, quando de eleëmosyna suprà. *Resp.*

Posterior pars Probatur; Quia si restitutio fuerit impossibilis, non est necessaria: esset autem nihilominùs necessaria, si esset de necessitate medij; est ergo necessaria ex præcepto, quod non obligat ad impossibilia. Sicut enim non est danda eleëmosyna de obnoxijs restitutioni, ita non est tibi restituendum quo omnino in vitæ necessitatibus indiges.

Obijcit Angelus cap. In litteris, De raptoribus; vbi Pontifex dicit: *Heredes eius moneas & compellas, vt his quibus ille per incendium vel alio modo damna contra Iustitiam irrogauerit, iuxta facultates suas condignè satisfaciant, vt sic à peccato valeat liberari.* Hîc significatur hominem etiam post mortem, quando ei impossibilis est restitutio, manere peccato obnoxium, donec reipsa ab heredibus restituatur. *Obiect.*

Respondeo, Legendum fortè esse in plurali, *valeant*, vt ipsi heredes intelligantur. Ita enim notauit Ioannes Andreæ, & ex eo editio Gregoriana, alioqui ab iniquitate, id est effectu iniquitatis coram hominibus etiam liberatur, pro quo iam defuncto fit restitutio. Fortè etiam dici potest, eò respicere Pontificem, quòd ille de quo agitur, precibus fidelium iuuandus fuerit, si heredes eius Ecclesias quas incenderat reparassent. Vel denique fortè fauit Pontifex, vt particularis Doctor, eorum opinioni, qui putarunt non quidem perpetuò in inferno, sed temporaliter diutiùs in purgatorio animas defunctorum detineri, quando heredes debita non soluunt: quamuis neque istud dici debeat, nisi solutio ad alia remedia, vtpote preces pro defuncto, prouocet, vt docet D. Thomas Quodlibet. 6. art. 13. Siluester verbo Testamentum 2. numero 9. & alij passim. *Resp.*

TRA-



# TRACTATVS TERTIVS

## De iniurijs in corpus proximi per homicidium, mutilationem, verberationem, adulterium, & stuprum, & necessaria restitutione.

## CAPVT PRIMVM

### De Homicidio voluntario.

### DVBIVM PRIMVM.

### *Vtrùm occidere quæcumque viuentia ad esum sit licitum? D. Thomas quæst. 64. art. 1.*

*Manichæorum error.*

PERÆ pretium non erat de re satis certa dubitare, nisi is fuisset error Manichæorum, vt neque herbis neque brutis animam aut vitam putauerint adimendam, vtpote quam existimabant Dei quamdam esse particulam: contra quos agit D. Aug. l. 6. contra Faustum c. 4. & alibi: Epiphan. hær. 66. Sed apertissimè huic errori repugnat Scriptura veteris Testaméti, quam tamen Manichęi non admittunt. In hac enim tam ante quàm post peccatū herba omnis & vniuersa ligna dătur hominibus in escam, & post diluuium etiam animalia bruta. Verùm quia ista contemnunt Manichæi, maioris momenti hîc fuerit, quòd etiam electi Christi Apostoli non solùm spicas legisse, sed etiam piscati esse, miraculo id comprobante Christo, & ipso mandante, ex captura mensam instruxisse legantur. Ex hoc enim colligitur, cucurbitarum homicidia, vt loquitur Augustinus secundùm superstitionem Manichæorum, ad suos auditores non reiecisse; neque id mirum, cùm in eum vsum hæc à Deo creata sint, & anima brutis instar salis addita, quo in vsum hominum cibus conseruetur, quod Cleanthes Philosophus dixisse fertur apud Clementem lib. 7. Stromatum. Quare & omne quod in macellum venit, comedere permisit Apostolus, & monuit non tam cibo nos immundos fieri, quàm vana superstitione cibum inquinari. Manichæis non multùm in hoc dispares fuerunt Ægyptij, qui plantis numen tribuebant: in quorum stultitiam lusit Iuuenalis Satyra 15.

*Ægyptiorū error.*

*Porrum & cepe nefas violare & frangere morsu.*

Et infrà:

*O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina.*

Tria tamen hîc quæri possunt. Vnum, An etiam ante diluuium licitus fuerit carnium esus? Secundum, An qui crudeliter enecat bruta animalia, aliquod peccatum committat? Tertium, An aliqua necessitas excusare possit esum humanæ carnis?

Ad Primum, Negatiuam partem videtur tenere Chrysost. homil. 27. in Genesim, Hieron. lib. 1. contra Iouinianum; ex quo cap. Ab exordio, dist. 35. & Glossa ibid. D. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 6. ad 2. Abulensis in cap. 9. Genesis quæst. 1. Lyra ibid. & Carthus. in cap. 4. Genes.

Aientem tamen partem, post peccatum semper licuisse carnium esum, tenet Victoria Relect. De temperantia, Dominicus Soto lib. 5. De Iustitia, quæst. 1. art. 7. Bannes & Arragonius hîc quæst. 64. art. 1. Caiet. in dictum cap. 9. Genesis. Imò ex his nonnulli, præsertim Caietanus, non tantùm licitum tunc fuisse carnium esum, sed etiam in vsu fuisse tam bonis quàm malis existimarunt, quòd alioqui de gregis sui primogenitis & adipibus non aptè diceretur Abel sacrificasse, vt qui ea obtulisset, quorum nullus erat vsus, si solùm pelles & lac ex gregibus capiebant.

*Esus carnium post peccatum non fuit illicitus.*

Verius est, esum carnium, post peccatum saltem, numquam fuisse homini prohibitum aut illicitum, sed quia erat minùs necessarius, partim quia homines erant robustiores, partim quia reliqua nutrimenta erant maioris virtutis, carnibus abstinuisse tunc temporis, saltem probos & veros Dei cultores, idque maximè præeuntibus primis parentibus, quos non est verisimile victum simpliciorem, quem in paradiso habuerant, è quo propter intemperantem contra Dei legem esum eiecti erant, cum carnium esu commutasse. Indulsit tamen Deus, & benignitate quadam concessum indicauit esum carniū post diluuium, quando iam magis erat necessarius. Hac tamen iterùm indulgentia rectè ad carnem spiritui mancipandam, aut Deo pro peccatis satisfaciendum, ad cælestem paradisum aspirantes, non vtimur.

*Crudelitas in bruta illicita.*

Ad Secundum respondeo affirmatiuè: est enim similitudo quædam iniustitiæ, vt rectè docet Hesselius cap. 149. in Decalogum, & assuefit ista crudelitate homo vt etiam in hominem faciliùs crudelis sit. Quò respicientem laudat Plutarchus (De vtilitate ex inimicis capienda) Pythagoram, cùm omnium mitium animantium cædem interdiceret, vt in brutis animalibus nos consuefaceret à crudelitate temperare. Denique est abusus quidam potestatis & dominij quod homini concessum

sum est in bestias. Confirmatur Prou. 11. *Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Deuteron. 25. *Non alligabis os bouis trituranti.* & alibi in veteri Testamento plura constituta sunt ad reprimendam in animalia crudelitatem. Neque refert, quòd allegoricus sensus in eiusmodi magis intentus fuerit quàm litteralis, vt propterea Apostolus dixerit, *Numquid de bobus cura est Deo?* Nam iumentorum etiam rationem habere Dominum, ex pœnitentia Niniuitarum constat: vbi tacitè etiam Ionæ obijcit, multo maiorem habendam esse rationem iumentorum, quàm cucurbitarum, quarum vnam agrè ferebat Ionas periisse, ne quis Manichæus nos à brutis animantibus etiam ad plantis parcendum trahat. Huc pertinentia videre licet toto c. 39. Iob, & Psal. 146.

Illud tamen monuerim, non videri hanc in bruta crudelitatem per se esse plus quàm veniale peccatum.

*Esus carnis humanæ an licitus.*

Ad Tertium non perindè facilis est responsio. Quamuis enim certum sit, in necessitate quauis, quæ extrema non sit, illud non licere, atque etiam in ipsa extrema necessitate neminem ad hoc teneri aut compelli posse; item ad esum non licere hominem etiam dignum morte occidere: quæstio tamen est satis anceps, An aliter iam occisi caro licitè possit in extrema necessitate famis sine peccato sumi in cibum?

Affirmantem partem tenet Caietanus q. 148. art. 2. Toletus De peccatis mortalibus cap. 60. qui idem sentit de bibendo humano sanguine; & videtur extendere ad casum, infirmitatis quæ hoc requireret, & grauis necessitatis indicat Nauarrus cap. 23. num. 122. & vult eamdem esse rationem eius qui alteri præberet eiusmodi cibum. Argumentum huius sententiæ inde petitur, quòd liceat in medicamentis vti humana carne, adipe, & sanguine. Sanchius lib 1. in Decalogum c. 18. n. 12. censet hanc sententiam esse probabiliorem, eò quòd non sit intrinsecè malum, vesci carnibus humanis: & quamuis eius prohibitio sit Iuris naturæ, non tamen nouum esse, Iuris naturæ prohibitionem desinere obligare in vitæ discrimine, ideoque hanc sententiam etiam extendit ad casum quo ab extrinseco immineret vitæ periculum; puta si sub pœna mortis à quopiam iubearis eiusmodi carnibus vesci.

Negantem tamen tenet Azorius lib. 7. cap. 22. qui etiam negat licere bestijs deuorandam humanam carnem obijcere. Victoria Relect. De temperantia, numero 6. Valentia De temperantia, disp. 9. quæst. 3. puncto 1. qui dicit esse intrinsecè malum, humanam carnem comedere, & confirmat hoc argumento, Quòd alimentum debeat esse minùs nobile eo quod alitur, vt naturalis ordo seruetur.

*Lege naturæ illicitus.*

Pro hac opinione in primis facit, quòd non vesci carne humana, videatur esse legis naturæ, adeoque præcepti negatiui, quod semper pro omni tempore obliget.

Si dixeris etiam esse legis naturæ, quòd frater matrimonio non iungatur suæ sorori, tamen propter necessitatem hoc in mundi exordio licuisse: contrà longè alia videtur ratio comestionis carnis humanæ, quàm coniunctionis huius in primo gradu. D. Thomas enim quæst. 142. art 4. ad 3. & passim alij DD. comparant bestialem illam comestionem cum vitio bestialitatis in genere luxuriæ, ita vt non magis vmquam sit licita hæc comestio, quàm ista copula. Sicuti enim inter reliqua animantia nullum est homini adiutorium simile sibi, sed in escam ei data sunt sicut olera virentia; ita ex humana carne ecòtrà nihil ei Iuris cibi assumendi: sed vel ius sepulturæ competit occiso; vel si ea in pœnam priuari possit, bestijs deuorandus relinqui, aut fortè etiam obijci poterit: quo modo Nicanoris linguam frustatim concisam, auibus comedendam obijci mandauit Iudas Machabeus. 2. Mach. 15.

*Medicamentum ex carne humana illicitum.*

Fortè etiam ex carne eius multùm alterata aut adipe medicamentum aliquod in humaniorem vsum fieri poterit, cibus autem vt inde fiat, nulla humanitas permiserit.

Accedit quòd resurrectioni communi vis inferatur brutâ istâ comestione, quam Dominus in nouissimo die sit vindicaturus, quando suam vnicuique carnem restituet: ideò enim Genesis 9 dicit, *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarũ bestiarum, & de manu hominis*, &c. vt exponit Tertullianus De resurrectione carnis cap. 28. & 39. Vbi aduerte, eodem loco quo cibum Dominus etiam vsque ad animantia supermensus est, ipsum non solùm non permisisse quidquam in humanam carnem, sed grauissimo interdicto & comminatione ei cauisse. Et vt Dominus non cauerit, ita natura abhorret ab eiusmodi cibo, vt semper omnes horruerint, si quid tale etiam in extrema necessitate accidisse audiuissent; tantum abest vt quis in eiusmodi casu tale quid vmquam consuluisse legatur, nisi fortè qui extremæ mox barbariei ab omnibus fuerit insimulatus.

Vnus Valerius Maximus nos hîc docuerit, quid sola naturæ face præeunte, hac de re veteres senserint: cùm enim lib. 7. cap. 6. Numantinorum, qui humanorum corporum in famis necessitate dapibus vsi essent, meminisset, censuram addidit his verbis: *Nulla est in his necessitatis excusatio; nam quibus mori licuit, sic viuere necesse non fuit.*

Ad hæc, si aliquando extrema necessitas id licitum faciat, quare non similiter licebit morte alioqui dignos & sepultura indignos publica auctoritate in crudelem hanc annonam necare? à quo etiam aduersæ sententiæ auctores videntur abhorrere.

Deinde, si hic modus licitus est, quare non etiam in præcepto erit, saltem illi qui ita sit Reipublicæ necessarius, vt omni modo licito vitam tueri debeat, præsertim cùm & illud addubitari hîc possit, An quando vtrumque præceptorum quæ concurrere videntur naturale est, & planè à natura omnibus impositum, certæque & explicatæ obligationis vnum alteri ita cedere possit, vt quod maioris obligationis esse constiterit, quale hîc esse dicent vitæ conseruandæ, liberum tibi sit obseruare quod dicunt, quando in extrema illa necessitate neminem obligant quidem, sed tantùm admittunt ad escam illam inhumanam?

At fortè ne quid hîc dissimulemus, & in alijs secùs illud habere deprehenderimus: possum enim; sed non teneor, defendendo inuasorem occidere. Vtraque ergo sententia probabilis est.

DV-



## DVBIVM II.

### *Vtrùm liceat occidere peccatores?*

*D. Thomas art. 2.*

*Qui occidendi.*

Hic inquirimus, An publica saltem auctoritate liceat peccatores occidere?

Respondeo, Licere aliquos occidere, nimirum illos qui peccatis suis Rempublicam turbant: illi enim non solùm merentur mortem, sed Respublica eam postulat, ceteri ad pœnitentiam sunt reseruandi.

*Obijcitur.*

Dices, Dominus absolutè in Decalogo dicit, *Non occides*; ergo non licet occidere, nisi eos qui alijs Scripturæ locis dicuntur posse occidi.

*Opinio Scoti.*

Respondeo, Propter eiusmodi argumentum Scotus in 4. dist. 15. quæst. 3. existimauit, solos illos peccatores posse occidi, de quibus id in Scriptura expressum fuerit, quales sunt blasphemi, adulteri, homicidæ, &c. Quamquam de adulteris dicat id reuocatum Ioannis 8. *Nemo te condemnauit mulier? nec ego te condemnabo.*

*Reijcitur sententia Scoti.*

Sed hæc sententia, tamquam minùs sanæ fidei consentanea, ab omnibus reijcitur, Primò, Quia ij ipsi quos Dominus in lege statuit esse occidendos, non excipiuntur à præcepto *Non occides*, quasi alioqui eorum occisio ibi intelligeretur prohibita. Quamuis enim verba sint generalia, restringenda tamen sunt non solùm ad hominis cædem, quod ex Hebræo satis patet; sed ad hominis cædem formalem, quod homicidium dicimus. Homicidium autem non est, nisi quando quasi pars creaturæ rationalis, partem per violentiam, vt sibi subordinatam, aut suæ potestati obnoxiam, malè tractat, ad ordinem brutorum (quę cùm humani sint dominij occidere licet) hominem detrudendo. Illud autem non fit, quando vel Dei iussu innocens, vel Reipubl. auctoritate nocens qui ipsam turbat, occiditur, vel inuasus violentiam non alteri infert, sed à se propulsat.

*Anabaptistarũ error.*

Secundò reijcitur sententia Scoti, Quia ex ea sequitur error Anabaptistarum, qui dicunt, verum Christum in Ecclesia sua non permittere magistratui gladij vsum. Cùm enim particulares leges de occidendis adulteris, blasphemis & homicidis, & similes, sint iudiciales; non habent vigorem in nouo Testamento, quamuis eas seruare liceat, quousque lex naturalis id permittit. Itaque non secundùm illas, sed secundùm quod recta ratio dictat, nunc erunt occidendi malefici.

Tertiò reijcitur, Quia vtraque Lex est Iuris naturæ, tam quæ dicit *Non occides*, quàm quæ generatim mandat eos occidi malefícos, qui Rempublicam turbant; non ergo opus est Dei lege positiua qua iubeatur magistratus hunc aut illum malefactorem, verbi gratia, furem occidere: neque enim frustrà gladium portat, neque vna lex alteram limitat: qui enim contra Iustitiam prohibet hominem occidi, non vetat secundùm Iustitiæ leges occidi maleficum.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm priuata auctoritate liceat occidere maleficum.*

*D. Thomas art. 3.*

Respondeo cum D. Thoma, Non licere; præcidere enim membrum putridum à Reipublicæ corpore, pertinet ad Rempublicam aut eum qui curam Reipub. habet, adeoque ad magistratum: ad illum siquidem pertinet discernere, an quis sit occidendus pro communi salute, & æstimare quid subtrahendum sit partibus pro salute totius.

*Diffidatus à quolibet occiditur.*

Contingit tamen aliquando per pœnam, quam vocant diffidationis, à quolibet de populo Christiano posse quépiam licitè occidi, vt patet c. 1. De homicidio in 6. Quod etiam ad Clericum diffidatum extendunt, cùm eo ipso censeatur degradatus. Verùm in hoc casu manifestum est, esse quidem priuatum qui occidit, sed auctoritatem qua occidit, esse publicam.

*Obseruãda in diffidatione.*

Cetcrùm quænam seruanda sint in diffidatione & diffidati occisione, paucis hîc inserendum.

Primò, Licet diffidare soli supremo Principi: Dominicus Soto lib. 5. quæst. 1. art. 3.

Secundò, Opus est vt reus aliter commodè comprehendi nequeat, de crimine satis sit conuictus, & in posterum adhuc sit nocturus Reipublicæ. Quamuis enim non peccetur contra Iustitiam, si in vindictam tantùm criminis priùs admissi hæc pœna irrogetur; peccatur tamen contra charitatem, nisi quando exemplum istud impunitatis Reipublicæ est nocturum, aut reo conceditur spatium pœnitendi & confitendi, & non occiditur à Clerico, aut in territorio alterius ipso inuito. Nauarra lib. 2. cap. 3. numero 219.

*Occisor diffidati quando peccet.*

Tertiò, Qui occidit diffidatum per sententiam iniquam, peccat, nisi iniustitiam sententiæ inuincibiliter ignoret. Peccat item si diffidatus sit pater eius, quamuis multi contrà senserint; aut iam in potestate Iudicis erat, aut fidem publicam ad tempus impetrauerat, aut diffidata est mulier prægnans; proles enim quæ simul occideretur, & etiam secundùm animã periret, diffidari non potuit, Graffius l. 2. c. 61. Qui etiam docet, non posse occidi prægnantem, quando fœtus nondum esset animatus: & patet per L. Prægnantis, ff. De pœnis. Quod extendendum etiam est ad prægnantem ex illicito concubitu, & ad eam quæ prægnans non apparet, sed talis esse scitur ab occisore. Tenet Iulius Clarus, §. Homicidium, numero 61. puniendum esse vt homicidam qui bannitum occiderit post fidem ei à se datam de non offendendo: quod verum erit etiamsi fides data sit ante bannum, modò ob eamdem causam sit bannitus, de qua promisit pacem seruare; secùs si pax de alia causa bannum præcesserit.

Alium casum quo liceat priuato quempiam interficere, habet ibidem Clarus numero 74. quando nimirum ministri aut familia Officialis reum ex decreto Iudicis volunt apprehendere, qui ita resistat vt apprehendi nequeat.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm licitum sit priuata auctoritate occidere tyrannum?*

*Tyrannus duplex.*

Respondeo; Vel tyrannus est tantùm per abusum potestatis, vel etiam per vsurpatam potestatem. Priori modo non potest priuata auctoritate interfici; posteriori potest, nisi constet Rempubl. id nolle, aut probabilem habeat titulum vsurpati regni, aut maiora mala timeantur eo occiso quàm tolerato; aut Superiorem habeat, cuius iudicio standum erit extra actum saltem aggressionis; aut eo interfecto, filius à quo nihil

melius speretur, esset successurus; aut nisi pactum aliquod Resp. cum eo de ipsius regimine tolerando iniuerit. Dixi, *extra actum saltem aggressionis*: quia eum qui per tyrannidem Remp. occupat, licet in ipso aggressu iure defensionis occidere, etiamsi habeat Superiorem, ad quem alioqui esset recurrendum.

*Tyrannus per abusum potestatis occidi non debet.*

Tyrannum priori modo non esse à priuato occidendum, voluit Concilium Constantiense sess. 15. vbi postquam retulit eiusmodi articulum, *Quilibet tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vasallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumq; præstito iramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato Iudicis cuiuscumque*; subiungit Synodus, eumdem articulum damnare se tamquam erroneum in fide & moribus; hæreticũ, scandalosum, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria vias dantem. Declarat denique eiusmodi doctrinam pernitiosissimam, asserẽtes esse hæreticos, & pro talibus puniendos.

Neque audiendus est quidam recentior, eluans huius decisionis auctoritatem. Prælati enim deputati, & repræsentantes Concilium, eiusmodi sententiam, quæ adscribitur cuidam Ioanni Paruo, damnarunt; & quoad vltimas illas sessiones Concilium recipitur & allegatur ab omnibus Catholicis. Vide Bellarminum lib. 1. De Concilijs cap. 7. Castro contra hæreses, verbo Tyrannus. Sanè ita cordi fuit Constantiensibus Patribus refutatio huius erroris, vt in Concilio editus sit peculiaris contra ipsum liber, quemadmodum ex Gersone testatur idem Castro.

Dices Secundò, Concilium non velle cuilibet priuato interdicere interfectionem veri Regis per tyrannidem Remp. opprimentẽ; licere enim etiam illum parentem cuilibet priuato iure defensionis occidere, qui abutens patria potestate, filium proprium necare attentaret: sed solùm voluisse contra Hussitas putantes quocumque crimine admisso Principes iure principatus excidere, & contra Ioannem Paruum excusantem cædem Ludouici Aurelianensis à Ioanne Burgundo Lutetiæ factam, non licere subdito continuò Principem de tyrannide infamatum occidere.

Respondeo, Damnationem Concilij certum est esse generaliorem, quàm vt restringenda sit ad casum Hussitarum vel Ludouici Aurelianensis: nam etiam Ioannes Paruus generaliùs illum errorem asseruit, & generalioribus terminis à Parisiensibus damnatus est, vt videre licet apud Gersonem Alphabeto 14. Vbi aduerte, etiam rationes damnationis, qui à Parisiensibus (qui etiam in Concilio idem vrserunt) adferuntur, quadrare proposito nostro: valdè enim periculosa erit Regibus sententia contraria, in quos tamquam vnctos Domini Scriptura manum mitti vetat; cui multò conformior erit doctrina, quæ loco regulæ ponit, quod aduersarij per exceptiones saluare conantur. Accedit quòd dum alterutrum necessum est, expediat in euentu quodam raro Remp. iniustè multa pati à rectore hostilitatem aut tyrannidem exercente, quàm perpetuò periclitari veros Principes, ne fortè iudicio priuati cuiuspiam depraùato ad eum modum excesserint, vt iam licitè ab eo queant tamquam tyranni è medio tolli. Nam (vt est apud Gersonem) non expedit mortes Principum committere apparentijs probabilium opinionum. Ad hæc vel ciuis es, vel extraneus Reip. oppressæ. Si ciuis, naturali Principi debes quod patri, quem non posse te pro defensione proximi occidere, dicemus dub. 15. Si externus, minor coniunctio facit vt iniquior futura sit cædes, vt patet ex ijs quæ eadem dubitatione ex communi sententia dicentur.

Ad obiectam similitudinem parentis filium necantis Respondeo, similitudinem deficere, Primò, Quia est de actuali inuasione innocentis vt mortem euadat: neque enim posses eiusmodi patrem occisorem filiorum à cæde nefaria iam vacantem ex insidijs occidere. Secundò, sanctior & diuinior est regia quàm paterna potestas, vt in hanc minùs liceat priuato: est enim bonum commune diuinius, vt docet Philosophus.

Confirmatur ex Apostolo ad Roman. 13. vbi etiam eiusmodi tyrannis nos vult esse subiectos, secundùm interpretationem D. August. proposit. 73. in Epistolam ad Romanos: *Ex tyrannis enim bonus subditus laudem habet, vel eos lucrando, vel patienter tolerando, non autem eos occidendo*, Subditi enim non est iudicare superiorem, aliàs omnia cædibus replerentur, cùm malè affectis, quorum in Republica sæpè magnus est numerus, Iustitia facilè tyrannis appareret.

Si tamen legitimus alioqui Princeps ita tyrannicè ageret, vt omnino esset intolerabilis; posset legitimè is exauctorari, declarari Reipublicę hostis, & diffidari; & tum demum liceret priuato manus ei iam publicè diffidato inferre. Itaque non erit satis, vt possit à quolibet occidi aut etiam regno pelli, quòd sit exauctoratus; tantum abest vt non exauctoratus occidi possit.

*Tyrannus per usurpationem potestatis à medio tollit.*

Tyrannum posteriori modo licitè occidi à quouis priuato (nisi fortè peculiari ratione aliqua ex dictis, vel iuramẽto, aut simili impediatur, propter quam etiam diffidatum occidere non posset) euidens est. Vel enim est Reipublicæ pars quæ opprimitur; atque ita licet ei tamquam parti saltem de expresso consensu totius Reipublicæ, quæ Ius vindictæ habet, de oppressore eius vindictam sumere: vel est externus, quo casu poterit saltem illud per modum defensionis; nam licet occidere inuasorem proximi innocentis, multò magis Reipub. Ita Iahel occidit Siseram, & Iudith Holofernem: sic Aod Iudic. 3. occidit Eglon, Regem Moabitarum qui opprimebat Israel.

*Legatus nũ potest occidere tyrannum.*

Neque refert quòd sub specie legationis hic ad tyrannum accesserit, legato autem non sit licitum occidere tyrannum, quamdiu legatione ad ipsum fungitur, propter tacitum fœdus quod Iure gentium est inter eos, quia iam legationem absoluerat, & redijt quasi extra commissionem aliquid secreti indicaturus. Cæterùm ne huius quæsiti nostri decisio iam tradita vllum vel Reipub. vel veriùs Principibus creet periculum, omnino cauendum est, ne priuatus quispiam sibi, etiam via defensionis, licitũ putet eum occidere, qui Reip. gubernacula occupauit per tyrannidem, & per tyrannidem ciues opprimit, nisi omnino certò sibi constet, Primò, quòd tyrannicè regnum occupauerit & administret. Secundò, quòd restrictiones prædictæ locum non habeant. Tertiò, quòd omnino Resp. velit, vt per necem tyranni, tyrannide ipsa liberetur. Si enim quæ Remp. ita insigniter tangunt, priuatus quisque suo iudicio decidere præsumat, magnis & multis ea temeritas obnoxia foret incommodis & periculis.



## DVBIVM V.

### *Vtrùm liceat marito occidere vxorẽ & adulterum, in adulterio deprehensos?*

RESPONDEO; Iure ciuili licet marito adulterum occidere; vxorem autem verius videtur, quòd Iure Cęsareo communi non liceat occidere: denique in conscientia certum est hodie non licere, quantumuis in adulterio deprehendat, vel adulterum vel adulteram ex incontinenti occidere.

De Iure communi licuisse olim adulterum cum vxore in adulterio deprehensum marito occidere, patet L. Marito, ff. Ad L. Iuliam De adulterijs: vbi tamen istud restringitur ad adulterum vilem in domo ipsius mariti deprehensum, ita vt occidere nequeat in domo soceri aut alibi. Item L. Gracchus, C. eod. vbi etiam per filios marito occidere adulterum conceditur.

Secunda pars, quòd Iure ciuili non liceat marito vxorem in adulterio deprehensam occidere, patet, Quia Suetonius in Augusto testatur ipsum eiusmodi licentiam sustulisse. Error autem quorumdam recentiorum, qui hoc Iure Cæsareo licitum existimant, prouenit ex c. Inter hæc 33. q. 2. vbi indicatur, mundanis legibus id licere. Sed benè monet Glossa, hoc licere secundùm legem Lombardam, non Romanam. Idem docet Aretinus De maleficijs, & Additiones eius. Sanè L. Marito citata iubetur maritus occiso adultero vxorem sine mora dimittere.

*In cõscientia nunquam licitũ fuit.*

Illud notandum, numquam in conscientia tutum fuisse, qui vel adulterum vel vxorem in adulterio deprehensam in ipso flagitio occiderit, quando capi poterat: verius enim videtur, Leges quæ hoc permiserunt, solùm efficere, vt maritus homicidij reus non sit in foro externo.

Illud interim certum est, si alicubi consuetudo habeat, vt vxor adultera iam audita & iudicata tradatur marito à Iudice, eiusque arbitrio permittatur occidere vel parcere, ita vt si ipse velit, constituatur executor sententiæ, posse tunc licitè ipsum occidere adulteram, quamuis immeritò hoc quidam negauerint, eò quòd necessitas occidendi ei non imponatur; sufficit enim potestatem concedi: hoc namque casu cessant incommoda, quæ sunt in nece illa improuisa in facto deprehensæ, quorum illud vnum est, quòd sine necessitate periculo exponatur salus animæ eius quæ ita occiditur; item quòd iniustum videatur, parte non audita, concedere generalem facultatem occidendi reum. Quæ ratio etiam conuincit, Iudici non licere propriam vxorem, mox vt in adulterio deprehenderit, interimere: audiri enim debet, quia fortè metum iustum aut ignorantiam allegare poterit, & in propria causa iudex ipse esse non poterit, quando Superiorem habet.

Quæres, Quid si etiam ipse maritus adulter sit, vtrùm tunc sibi traditam à Iudice vxorem possit pro adulterio interficere?

Respondet Sanchius lib. 10. disp. 8. quæst. 3. affirmatiuè, eò quòd in hac pœna dispares sint cõiuges. Quæ ratio mihi nõ videtur vsq; adeò solida, nisi in foro sæculi, vbi sunt dispares. Sanè in foro animæ pares sunt, vt patet cap. Intelleximus De adulterijs, vbi in hac materia loquens Innocentius III. dicit matrimonij ius in vtroque læsum consistere, & paria delicta mutua compensatione tolli.

*Neque modo licitum.*

Tertia pars responsionis, In conscientia maritum non esse tutum occidendo vel adulterum, vel vxorem in adulterio deprehensam, patet ex dicto cap. Inter hæc, & D. August. De adulterinis coniugijs lib. 2. c. 15. qui vocat eiusmodi occisionem rem nefariam. Ex quo colligimus, hoc rectè à nobis extensum esse ad tempus quo nondum lege Ecclesiastica Ius sæculare in hoc erat correctum. Neque obsistit hîc cap. Interfectores 33. quæst. 2. quod ita habet: *Interfectores suarum coniugum sine iudicio, cùm non addis adulterarum, vel aliquid huiusmodi: quid aliud habendi sunt quàm homicidæ?* Neque enim hoc vult, vt benè Glossa ibidem, homicidij crimine vacare maritos, quando adulteras occidunt; sed saltem tunc non vacare, quando vxores occidunt quæ adulteræ non sunt; tunc enim esse homicidas habendos, neque minori illa pœna puniendos, qua secundùm leges puniuntur, qui adulteras vxores occiderint.

Multo faciliùs respondetur ad cap. Admonere, eadem quæst. vbi solùm exaggerat Pontifex vxoricidium, eò quòd ipsa vxor non fuerit inuenta cum alio viro: imò non obscurè improbat modum illum ex iracundiæ impetu subitò occidendi, antequam res examinata fuerit.

Cæterùm nostra opinio est D. Thomæ in 4. dist. 37. quæst. 2. art. 1. ad 2. & communis, vt fatetur Iulius Clarus §. Homicidium, quamuis ipse dissentiat, eò quòd pro incommodo habeat, apud Christianos vigere aliquam legem, quæ, vt ipse loquitur, nutriat peccatum mortale. Verùm non magis hęc Lex fouet peccatum, quàm Lex de prostibulis aut mensis vsurariorũ, quas Resp. tolerat.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm liceat patri occidere adulterum filiæ & ipsam filiam in adulterio deprehensam?*

*Quomodo licitum.*

RESPONDEO, Lege ciuili hoc impunè licere, quamuis in conscientia idem hîc dicendum videatur, quod iam de marito & vxore diximus. Patet ff. Ad L. Iuliam De adulterijs, L. Patri, & aliquot sequentib.

Aretinus de maleficijs, & Iulius Clarus lib. 5. §. Homicidium, aliquot hîc ponunt limitationes & ampliationes.

Prima limitatio est, vt patri non liceat manus inferre adultero, aut filiæ, nisi in ipso flagitio, aut quasi in ipso deprehensis.

Secunda, Opus esse vt deprehendat in propria domo, id est, in domo suæ habitationis, vel in domo generi.

Tertia, Vt neque filiam sine adultero, neque adulterum sine filia voluntariè occidat: si enim alter effugerit sine ipsius voluntate, non tenebitur L. Cornelia De sicarijs; secùs si ipsius voluntate.

Quarta, Vt filiam habeat in potestate: si enim emancipata sit, aut in aui potestate, patri non licet occidere.

Quinta, Vt verè ipse sit pater, saltem naturalis tantùm, aut legitimus tantùm: matri enim leges hoc non concedunt, multo minùs fratribus.

Sexta, Ne filia iam sit vidua: requiritur enim vt nupta sit, quare nec sufficiet esse desponsatam; quia

quia etiam sponsus non posset cum ea fornicantem impunè occidere.

Septima, Vt statim deprehensos occidat, quasi ex eodem iræ impetu: si enim hodie pepercerit filiæ, non sufficeret cras occidere.

Octana, Ne filia sit prægnans: fortè tamen in foro exteriori etiam tunc pater non esset homicida, quamuis coram Deo esset duplex homicida, saltem quando fœtus esset animatus. Sanè etiam illud vnum incommodum erit, ob quod rectè dixerimus, numquam in conscientia licuisse filiam aut vxorem in ipsa deprehensione nefarij actus interficere.

Nona, Ne filia aut pater sint viles personæ.

Decima, Non licere patri in raptu filiæ, quod in adulterio tantùm Iura concedunt.

Vndecima, Per alios quibus mandet probabiliter non licere, eò quòd non constet iræ impetum durare donec mandatarius exequatur. Ita ferè Additiones Aretini: sed ipse Aretinus cum Claro videntur contrarium tenere, præcipuè quando mandatarius esset filius mandantis.

Denique videtur Lex permittens filiæ occisionem, abrogata per Authenticam Sed hodie, C. Ad L. Iuliam De adulterijs, vbi dicitur, adulteram verberatam debere biennium degere in monasterio.

Ampliant autem, vt procedat, etiamsi adulter sit Iudex aut de magistratu; quamuis de hoc quidam dubitent: item etiamsi sit Clericus. Sanè c. Si verò, De sententia excommunicationis, non compellitur ad Sedem Apostolicam venire, qui in Clericum cum vxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inuentum manus iniecerit violentas: sed aliud est non peccasse, aliud propter iustum dolorem non excommunicari. Vnde facile fuerit hîc generatim colligere, tales occisores adulterorum impunè à potestate sæculi toleratos, non esse in foro externo ab Ecclesia eo modo puniendos, quo alij occisores punirentur, sed rationem habendam casus tam acerbi, & iusti doloris. Ideoque in foro quidem conscientiæ interno, salutaris eis erit iniungenda pœnitentia, publica tamen pœnitentia non æquè, nisi id ædificatio Ecclesiæ fortè requirat. Denique expedit ita Ecclesiasticum Superiorem hîc agere, vt & adulterium, & tale homicidium ostendat Ecclesiam detestari.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm liceat occidere eum qui te inuadit vt occidat?*

*D. Thomas art. 7.*

*Opinio 1.* VNA hîc est quorumdam opinio, Non licere; fortè quòd parùm conforme doctrinæ Christianæ, quæ vult nos pro fratribus animas ponere, videatur, cùm inuasor sit in actuali peccato, adeoque periturus secundùm animam, si nunc à te occidatur. Citantur pro hac opinione Augustinus de Ancona, De potestate Ecclesiæ quæst. 52. Gerson tract. De Eucharista, quibus addit Nauarra Abulensem in cap. 5. Matthæi; Villa Diego tract. De irregularitate.

*Opinio altera.* Alij in aliud extremum declinantes, dicunt non solùm posse nos pro vitæ propriæ defensione inuasorem occidere, sed ad hoc teneri, tamquam medium licitum & necessarium conseruãdæ propriæ vitæ; quasi homicida sui futurus sit, & peccaturus contra præceptum *Non occides*, qui hoc casu occidere noluerit. Pro communi & omnino vera sententia sit

*Verior sententia, licere, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, seruato moderamine.*

PRIMA ASSERTIO, Licitum est pro vitæ propriæ defensione iniustum inuasorem occidere, seruato moderamine inculpatæ tutelæ. Est comunissima apud Theologos & Iureconsultos, omnium gentium more & consuetudine recepta, vt inter alios testatur Iulius Clarus suprà num. 24.

Probatur Primò, Quia licebat in veteri Lege impunè occidere furem nocturnum, vt patet Exod. 22. & ex D. August. quæst. 84. in Exodum, qui ideò vult licuisse furem nocturnum occidere, quia discerni nequeat an ad furandum tantùm, an etiam ad occidendum venerit. Quando ergo venit quis ad occidendum, si aliter arceri non potest, occidi poterit. Vnde confirmat Legem illam sæcularem, qua fur etiam diurnus sese armis defendens occidi poterat; eò quòd iam amplius sit quàm fur, quod habet Lex XII. tabularũ, & Lex 4. ff. Ad L. Aquiliam. Et ne quis dicat, per huiusmodi Leges occisionem quidem impunè permitti, non tamen tamquam licitam concedi; rectè additur dicta Lege, rationem naturalem permittere, vt quis aduersus periculum sese defendat.

Secundò, Iure Canonico satis idem expressum est: nam cap. Significasti 2. De homicidio, dicitur, vim vi repellere, Leges omniaque Iura permittere; idque approbat Pontifex, quando fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad propulsandum iniuriam. Similia sunt cap. Si verò, De sententia excommunicationis, Clementina vnica De homicidio, declaratur, qui ita occiderit, mortem aliter vitare non valens, non esse irregularem; esset autem irregularis, si esset homicida.

Tertiò, Iure ciuili, ff. De Iustitia & Iure L. 3. *Quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, Iure fecisse existimatur.*

*Moderamẽ inculpatæ tutelæ quomodo seruandum.*

Cetertùm quod de moderamine inculpatæ tutelæ in assertione addimus, non tantùm Pontifex dicto cap. Significasti, sed etiam L. 1. C. Vnde vi, necessarium iudicat; quapropter videndum, quando censeatur illud moderamen seruari: non enim videntur hoc Iureconsulti tam strictè accepisse, vt reuerà accipiendum est, & accipitur communiter secundùm Theologos & Canonistas. Secundùm Iureconsultos enim videtur moderamen inculpatæ tutelæ satis seruari, quando inuasus reuerberat ex incontinenti, etiamsi reuerberatio illa non sit necessaria ad tuitionem: fortè quia considerant saltem ad honoris defensionem necessariam esse, aut prouenire ex iusto dolore & passione, quæ deliberationem impediat. Vnde admittunt non puniendum, etiamsi fugiendo poterat euadere quem occidit, & fuga non fuisset ei dedecori. Ita Clarus §. Homicidium, numero 32.

*Defensio eodem genere fieri debet.*

Canones autem hoc moderamen non extendũt nisi ad meram tuitionem verè inuasi, adeò vt inuasus non plus sciens & volens mali inferat, quàm defensio requirat: imò nec quouis modo DD. hanc defensionem vitæ instituí permittunt, sed in eodem genere in quo fit inuasio, vt vis vi repellatur, adeò vt per vim eum propulsare non liceat, qui per calumniam tantùm letales insidias apud Iudicem struit. Quamuis enim de hoc secùs quidam senserint, inter quos Bannesius, eò quòd gladio



gladio Iudicis eiusmodi calumniator innocentem inuadat, quomodo Iudæi Christum occiderunt gladio linguæ, & Dauid Vriam gladio filiorum Ammon: verior tamen est opposita communis sententia, quam tenet Sotus, & probabiliorem tandem existimat Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. numero 360. Quamuis valdè probabile existimet, licere talem calumniatorem occidere occultè: publicè enim occidendo innocens non euaderet periculum mortis, sed potiùs augeret. Verùm nec istud concesserim: inuasus enim iudicio, debet iudicio experiri; vt vi inuasus, potest armis experiri.

Illud nihilominùs ridiculum fuerit, si quis ijsdem armis astringat inuasum, quasi ense inuasus, hasta sese defendere nequeat, quin potiùs cum Nauarro ad moraliter armis iam inuasum doctrinam extenderimus, vt si cubili incluſa vxor à marito iam excitato pugione ad id parato certissimò sit occidenda, ei liceat dormientem manu præuenire. Victoria tamen apud Ludouicum Lopez 1. parte Instructorij cap. 62. de hoc casu dicitur dixisse, quòd ante factum eum non vellet approbare, neque post factum improbare.

Extendere etiam licebit, vt is hîc inuasus censeatur, & seruare moderamen inculpatæ tutelæ, cui cùm ex officio vel alia necessitate incumbat reum capere, in eas redigitur angustias per iniustam rei defensionem, vt vel eum debeat dimittere, vel occidere, vel sanè ab ipso occidi; tunc enim poterit occidere: quo modo videtur intelligenda L. Furem, Ad L. Corneliam De sicarijs, quæ tum demum furem nocturnum impunè occisum statuit, quando ei sine periculo parci non potuit.

Extendit hanc doctrinam Iulius Clarus etiam ad inuasorem Clericum, estque communis. Ad Imperatorem tamen aut Papam non audet extendere, quamuis indicet posse extendi ad inferiores magistratus; quod verum erit, salua secunda assertione quam subiungemus.

Rectè tamen illud notauerimus, moderamen tutelæ non seruari, quando iniuria tanta non est, in se considerata & ratione materiæ, vt cum tanto nocumento proximi iustè potuerit propulsari: non enim vtcumque baculo inuasus, mox poteris inuasorem gladio confodere. Ita Baiardus §. Homicidium, numero 111.

Verius etiam videtur, si dominus vocet famulos, iussurus vt te occidant, non tibi licere dominum nece præuenire, quidquid nonnulli dixerint: famulum tamen qui iussus iam accederet, aut in insidijs positus reperiretur, liceret præuenire; imò etiamsi solùm se pararet, modò aliud non sit effugium.

Si quis tamen tibi minetur mortem verbis solis, non licet eum occidere, quidquid dixerint quidam Iureconsulti apud Iulium Clarum suprà numero 33. Est apud Baiardum eiusmodi casus, quo liceat iam prostratum inuasorem occidere, quando nimirum, nisi præuenias, in eũs auxilium venturus est amicus eius, à quo ipse sis occidendus.

*Obiect. 1.* Verùm contra hanc assertionem obijcitur auctoritas D. Augustini. Epistola enim 154. ad Publicolam, ex qua desumptum est cap. De occidendis 23. quæst. 1. ita habet: *De occidendis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro se hoc faciat, sed pro alijs, vel pro ciuitate, vbi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si eius congruit personæ; qui verò repelluntur aliquo terrore ne malefaciant, etiam ipsis aliquid fortasse præstatur.*

*Resp.* Respondeo, Augustinum non aliud velle, quàm eo ipso quo vides alium cõsilium capere vt te occidat, non licere tibi cõtinuò inire consiliũ ipsum occidendi; hoc enim pertineret ad vindictam: sed benè admittit defensionem inculpatæ tutelæ, quæ in mera consistit repulsione: imò eam tantum abesse à vindicta insinuat, vt etiam aliquid boni per eam inuasori, qui impeditur à malo, præsteturque; itaque permittit Augustinus inuasorem repelli sine consilio occidendi. Sanè seipsum occidit, qui repelli se non patitur sine interfectione, quando inuasus non aliud quàm huiusmodi innoxiam depulsionem intendit.

*Obiect. 2.* Objcitur Secundò idem Augustinus De lib. arb. lib. 1. c. 5. vbi dicit, eos non esse à peccato liberos, qui pro ijs rebus quas contemni oportet (quales sunt quas etiam inuiti amittimus, adeoque vita corporis) humana cæde polluti sunt.

*Resp.* Respondeo, Augustinus hoc non asserit, sed dicit se nescire: loquitur enim disputando. Fortè tunc dubitauit, An in casu quo licitum est per leges humanas se defendendo inuasorem occidere, consultius tamen secundùm Legem Dei est parcere, & pro eo mori: non sit aliqua occulta Dei Lex, ob quam quod rectius fit, sine peccato omitti non possit.

*Obiect. 3.* Objcitur Tertiò, quod suprà insinuauimus, Quando proximi spiritualis salus periclitatur, oportere nos animam eius nostro corpori præferre secundùm ordinem charitatis: atqui inuasoris salutem spiritualem periclitari manifestum est.

*Resp.* Respondeo, Eiusmodi inuasorem qui ex malitia te inuadit, non esse in extrema necessitate satis inuoluntaria, vt ex misericordia, quæ respicit proximi malum inuoluntarium, tenearis ei parcere cum vitæ tuæ detrimento: hæc enim extremitas non est necessitatis, sed voluntariæ malitiæ. Adde, quòd multa hîc incerta sint, quæ tamquam certa videntur ab arguente supponi: quale est illud, quòd sine pœnitentia morietur inuasor, si ita eum læseris vt te occidere non valeat; imò fortè ita habitus & à malo maiori impeditus, à te aliquid spiritualis boni accipit, & suæ salutis monetur, vt colligitur ex D. Augustino ad Publicolam suprà citato.

Ad hæc, vt nunc te occiso superuiuat, nescis an hoc ei ad peiora non proficiet: hoc enim exemplo & alios forsan interficiet, aut sanè bonus quisque iniuriæ nequissimorum exponetur, & multi occidentur, quibus nec secundùm animam id expediet.

Tertiò, Cùm nescias an sis odio an amore dignus, fortè non imprudenter existimabis salutem propriam spiritualem periclitari, si nunc occidaris, præsertim cùm ad actum contritionis tempus non suppetat, & ita distractum te videas, vt subitò ad illum non sufficias.

Quartò, Si infantem baptizatum, qui certò nunc occisus saluabitur, non perinde certò, si superuiuat, vellet te præsente occidere latro quispiam, posses defendendo infantem, si opus sit, latronem interficere; ergo idem posses si te inuadat, etiamsi confidas te esse in gratia. Quamuis enim

enim fortè tenearis proximum defendere, in tui autem defensione liceat tibi iuri tuo cedere; ius tamen non minus, imò maius, habes ad defensionem tui quàm proximi.

Quinrò, Si hoc modo procedere oporteat, ergo si quis dicat se manus sibi illaturum, nisi hoc aut illud dederis, verbi gratia, filiam in matrimonium, teneberis illicò cõcedere. Rectè pro nostra sententia scribit D. Augustinus epistola 54. ad Macedonium: *Quamus pro instituto Episcopali quoad fieri potest, a licentia occidendi recedens, cùm homo*, inquit, *ab homine occiditur, multùm distat, vtrùm fiat nocendi cupiditate, vel iniustè aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone; an vleiscendi, vel obediendi ordine, sicut à Iudice, sicut à carnifice; an euadendi vel subueniendi necessitate, sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite. Et aliquando qui caussa mortis fuit, potiùs in culpa est, quàm ille qui occidit.* Et infrà: *Quid si alius homine liberato, vel ne alius liberetur sibiipse mortem inferat? non propter istas alienarum mortium caussas sceleri consentiendum est?*

*Obiect.4.* Objcitur Quartò D. Anselmus in illud ad Rom. 12. *Non vos defendentes charissimi, sed date locum irae.* Id est, inquit, Sinite iram persecutoris in vobis expleri: ille enim dat locum iræ, qui aduersarium permittit facere quod vult.

*Resp.* Respondeo; Quamuis Gerson in expositi. 5. præcepti citet Anselmum quasi nobis contrarium, contrarius tamen verè non est, sed solùm vult (quod Scripturam tam isto loco, quàm Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextrã maxillam tuam, præbe ei & alteram*, velle, libenter damus) iniuriam non debere iniuriã propulsari, quod fit, quando semet ipsum priuatus vindicat; sed potiùs sine vlla propulsatione patienter iniuriam esse tolerandam. Vbi prius est præcepti, posterius consilij, nisi circumstantiæ aliud postulent: nam & ipse Dominus & Apostolus percussi in maxillam, non ab omni defensione abstinuerunt. In præparatione tamen animi etiam hoc non solùm semper consultum est, sed etiam præceptum.

SECVNDA ASSERTIO. Persona publica multùm Reipublicæ necessaria, tenetur se contra inuasorem viliorem defendere, eum, si opus sit, occidendo. Ita Dominicus Soto, lib. 5. quæst. 1. art. 8. Toletus lib. 5. cap. 6.

TERTIA ASSERTIO. Persona priuata non admodum vtilis Reipublicæ, ex charitate saltem, quamuis non ex Iustitia, teneretur potiùs mori, quàm se defendendo occidere iniustum inuasorem, qui omnino sciatur Reipublicæ esse necessarius; nisi fortè inuasus probabiliter sibi metuat ex hac subitanea nece periculum animæ. Ita Soto & Toletus suprà. Quare actu inuasus iniustè à Principe, non potest se defendendo ipsum occidere, quando ex eius occisione, vt ferè sit, magnæ turbæ consequerentur. Sunt tamen Doctores, quibus durus videtur hic sermo: & licet fateantur heroicum fore, permittere potiùs te occidi, quàm occidas eo casu te inuadentem Principem; dicunt tamen, non te obligari ad eiusmodi duram conditionem. Ita Emmanuel Rodriguez Summæ suæ cap. 135. Omnino certum est, in hoc casu charitatem inclinare, vt potiùs occidaris, quàm ita Resp. turbetur.

## DVBIVM VIII.

### *An inuasus possit ex intentione occidere inuasorem?*

SENTENTIA est D. Thomæ hîc articulo 7. Illicitum esse, quòd homo priuatus intendat aliquem occidere vt seipsum defendat. In quo modo loquendi obscuriori variant Thomistarum explicationes. Sotus enim suprà citatus putat, intendere occidere, hîc nihil esse aliud, quàm inuadere inuasorem. Caietan. putat, occisionem inuasoris numquam esse medium necessarium defensionis, sed esse effectum per accidens, qui numquam possit intendi; qualis est debilitatio ægri, quam medicus præuidet ex medicamento secuturam, non tamen intendit. Bannes dicit, occisionem inuasoris debere esse nec directè nec indirectè voluntariam. Non directè, vt patet: non indirectè, quia non tenetur inuasus eiusmodi effectum euitare.

Alijs aliter hîc loquendum videtur: dicunt enim inuasum licitè intendere, aut potiùs eligere occisionem inuasoris vt medium necessarium suę defensionis. Ita Lopez suprà cap. 62.

Ceterùm quæstio hæc de nomine est: solùm enim voluit D. Thomas, quod suprà diximus etiam voluisse Augustinum, inuasum debere se defendere, sine consilio aut voluntate occidendi; aut vt Canones loquuntur, sine meditatione odij: nisi enim ipse inuasus sit publica persona, solam potest velle defensionem; mors autem pertinet ad vindictam. Neque refert, quòd defensionem videat non futuram sine inuasoris nece: sufficit enim quòd nihil aliud velit quàm eius repulsionem; & sibi inuasor debet imputare, quòd malitia sua repelli nequeat sine occisione.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm qui sua culpa est inuasus, possit se defendere?*

RESPONDEO; Etiam quando inuasus sua culpa inuasorem prouocauit, potest eum iniustè & præter Iuris ordinem inuadentem occidere, quando aliàs seruat moderamen inculpatæ tutelæ.

Contra hanc responsionem sentit Nauarrus cap. 15. numero 7. quem ex Iureconsultis sequitur Baiardus in Additionibus ad Iulium Clarum, §. Homicidium, numero 78. & citat L. Quoniam multa facinora, C. Ad legem Iuliam De vi: quamuis hîc videatur solùm loqui de foro externo, in quo præsumitur talis non interficere ad necessariam suam defensionem. Sed nobiscum tenet Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. numero 362.

Probatur, Quia licet inuasus sua culpa det caussam inuasioni, suppono tamen quòd iniustè inuadatur, maximè ita vt occidendus sit; itaque ius habet sese tuendi, & iniuriam propulsandi. Quod liquidò verum erit, vbi aliquamdiu offensio præcessit, propter quam nunc inuaditur: item quando talis est & taliter ab ipso instituta actio offensiua, vt neque ex substantia, neque ex circumstantijs morale periculum habuerit huius rixæ, aut necessitatis vel interficiendi vel occumbendi.

*Adulter in flagitio deprehensus potest se defendere.*

Ex quo colligunt, adulterum etiam in flagitio deprehensum, posse sese contra maritum defendere ne occidatur: imò posse occidere, si necesse sit, inuasorem. Tenebitur tamen semper eiusmodi adulter fugere si possit; quia iustus dolor mariti efficit, quò minùs sit ei fuga probrosa, aut saltè eiusmodi probrum debet sibi imputare potiùs quàm se defendendo eiusmodi iniuria lacessitum occidere. Aliud dicendum, quando adulter inuaditur ob adulterium aliquamdiu præteritum, vt obseruat Suarez De censuris, disp. 46. sect. 1. numero 6. Non poterit etiam maritum se defendendo occidere, quando adulterium ita incaute aggressus est, vt ipsa aggressio etiam contraxerit malitiam homicidij: tunc enim inuasor habebitur.

Verùm ponamus aliquem, qui rixam quidem inchoauit, sed videt illum quem ipse inuasit, ardentiùs in se insurgere, & omnino excedere moderamen inculpatæ tutelæ; poteritne iste, si fugere non possit, vitam suam defendendo alterum occidere?

Respondeo, Eiusmodi casu inuasum aliquando fieri inuasorem, & contrà. Itaque tunc prior inuasor habebit ius se defendendi, imò poterit tertius aliquis tunc ipsum tamquam innocentem iuuare, quod asserit Lopez de illo qui inuaserat, sed iam visus est à pugna se retrahere, parte 1. cap. 62.

## DVBIVM X.

### *An qui per sententiam aut statutum à quolibet potest occidi, possit nihilominùs pro defensione vitæ suæ, in necessitate ineuitabili, occidere priuatum aggressorem?*

VIDETVR quòd non possit; quia quilibet priuatus constitutus est executor iustæ sententiæ necis in ipsum: certum autem est, quòd reus lictorem iustæ sententiæ executorem non possit occidere.

*1. Sententia.* Tres sunt sententiæ. Vna distinguit: si enim statutum dicat, Licitum sit bannitum occidere; dicit tunc non licere ei se defendere: secùs si solùm dicat, quòd impunè offendi possit. Secunda dicit, in

*2. 3. casu verior.* neutro casu posse se defendere. Tertia dicit, in vtroque posse: & hæc videtur verior, eamque tenet Iulius Clarus §. Homicidium, num. 71. Statutum enim non esset satis conforme Iuri naturali, si adimeret ei omnem defensionem: propriæ enim vitæ & salutis defensio est de Iure naturæ. Æquiparatur ergo quilibet priuatus respectu huius diffidati ministro Iustitiæ quoad offensionem, sed ipse diffidatus non æquiparatur reo, qui à lictoribus ad supplicium ducitur, quoad defensionem. Fauet huic doctrinæ Dominicus Soto lib. 5. q 1. art. 7. vbi docet, etiam militem qui scit aduersarium, à quo inuaditur, habere iustam caussam belli, posse se defendere, & inuasorem occidere, si aliter mortem ipse vitare non valeat.

*Diffidatus aggressorem occidere potest.*

## DVBIVM XI.

### *Vtrùm vitandæ mutilationis gratia liceat inuasorem occidere?*

RESPONDEO; Quæ de morte vitanda dicta sunt, etiam extenduntur ad mutilationem, vt benè post Siluestrum & Couarruuiam Petrus Nauarra suprà numero 368. Sicut enim non solùm iniustè occidens, sed etiam mutilans incurrit irregularitatem; ita eam euitat, adeoque etiam



peccatum, non solùm qui propriæ mortis vitandæ gratia, sed etiam qui mutilationis euadendæ caussa occiderit. Est communior DD. sententia.

Idem extendendum ad casum quo quis ab inuasore iniustè in seruitutem abriperetur, vt patet cap. Quia te, dist. 50.

## DVBIVM XII.

### *Vtrùm liceat occidere innocentem, quando iniustè te inuadit ex ignorantia, aut quando sine eius occisione effugere non potes?*

*Innocentem iniustè inuadentem occidere licet.*

RESPONDEO, & DICO PRIMO, Probabilius est, licere cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere iniustè inuadentem, etiamsi ipse inuasor inuadendo non peccet, puta quia ebrius est, aut furiosus, aut infans, aut ex ignorantia inculpata putat inuasum esse diffidatum quem liceat occidere. Est Soti lib. 5. suprà citato. Petri Nauarræ lib. 2. cap. 3. numero 148. Rectè tamen monet Baiardus suprà, numero 78. numquam licere ebrium aut furiosum inuasorem interficere, quando potes fugere; quia talem fugere non probrosum, sed potiùs non fugere.

Dices, Tu fortè moraliter certus es quòd ebrius aut alius sic inuadens sit in peccato mortali, & tu in gratia, atque ita eum & secundùm animam occidis pro tua vita corporali.

Respondeo; Non est certum inuaso, quòd ita inuasorem lædet vt pœnitendi tempus non sit habiturus, præcipuè cùm ex intentione non infligat vulnus letale: certum etiam ei non est, quòd pœnitebit, etiamsi spatium habuerit. Stabilem habens amentiam, non speratur conuertendus: si inducias & interualla interdum habeat, ea licebit tibi ei sperare post vulnus, præcipuè cùm breui tempore possit fieri conuersio ad Deum.

DICO SECVNDO. Si infantem non baptizatum tua fuga sis occisurus, teneris potiùs mori, quàm efficere tua fuga vt hic alioqui baptizandus in æternum corpore & anima pereat: charitatis enim is ordo est in præcepto, quo corpus nostrum postponimus animæ proximi.

DICO TERTIO. Quando adultus, aut infans baptizatus, aut non baptizandus esset occidendus per tuam fugam, probabile est, quòd vt vites mortem proximi innocentis, non tenearis fugam vitæ tuæ necessariam omittere. Est tamen probabilius, illud non licere, quando innocens, verbi gratia, eadem via publica pergeret, & cedere tibi non posset, adeò vt si pergas, certò eum sis occisurus. Rectè enim Petrus Nauarra suprà numero 135. eiusmodi innocentem æquiparat ei qui iam reipsa tabulam in naufragio occupasset: secùs dicendum, si incautiùs iaceat in viæ angustiis, & te impediat qui ius habeas illac transeundi, cùm ipse non habeat ius ita angustias illas occupandi; aut saltè quando probabiliter speras, tentato transitu te non occisurum.

DICO QVARTO. Si inuasor tibi obijciat innocentem tamquam clypeum suum, vt post eum latitans, impunè te interimat, & fugere non possis; non teneris mortem subire, sed potes & innocenti & inuasori inferre, cum moderamine te defendendo.

*Obiect. Matth. 13.* Dices, Hoc est euellere zizania, simul eradicando triticum, quod Dominus prohibet in parabola.

Respondeo, Prohibitionem procedere, quando per modum vindictæ zizania euelluntur; quo modo messores Angeli ea euellent.

Vnde colligitur, Hoc casu plus licere priuato in defensionem sui, quàm liceat magistratui in vindictam: magistratus enim in solam vindictam non posset eo casu occidendo nocentem, innocentem occidere, sed solùm quando futura adhuc damna satis magna ex omissa nece nocentis timentur. Ex quo vlteriùs sequitur, Quòd ex intentione ne quidem magistratus posset vmquam eiusmodi innocētem occidere: item Quòd quando ab hostibus nihil ampliùs timetur mali, nec reipsa nec impunitatis exemplo, non liceat innocentes, qui fortè ad mœnia exponuntur pro expugnatione ciuitatis hostilis, interimere.

## DVBIVM XIII.

### *Vtrùm liceat occidere furem pro defensione rei suæ?*

1. *Opinio.* MVLTORVM opinio est, Clerico aut Religioso illud non licere, sed tantùm laico. Ita Panorm. in cap. Suscepimus, De homicidio; quem alij sequentes, concedunt moderatam solùm Clerico pro rerum suarum defensione percussionem, non autem occisionem.

2. Alij dixerunt, neque Clerico licere, neque laico. Ita Couarruu. 3. parte in Clementinam Si furiosus, De homicidio, §. vnico, numero 6. Reiecta enim distinctione Clerici & laici, existimat, furem, qui iam cum re tua fugit, nec te inuadit, sed rem tuam auferet, nisi eum eminùs telo confícias, non licere tibi interficere.

*Verior sententia.* Tertia sententia est communis, tam laico quàm Clerico etiam tunc licere furem interficere: quæ sanè sententia probabilis est. Hîc tamen non displicet limitatio quam apponit Suarez De censuris, disp. 46. Requirit enim vt temporale nocumentum iam actu & iniustè inferatur: secundò vt sit irreparabile, vel non sine tanta difficultate & periculo, vt vel ob eam causam possit satis graue dispendium reputari: tertiò vt defensio sit moderata & pura: quartò vt defensio habere effectum non possit sine nece raptoris.

*Furem nocturnũ occidere licet.* Pro explicatione itaque totius quæstionis DICO PRIMO. Certum est, licere furem nocturnum occidere, quando iam rem tuam aufert, & nescis an tutum sit tibi, alia via eius recuparationem tentare, eò quòd ignores, an solùm ad furandum, an etiam ad occidendum saltem potiùs quàm rapinam amittat, venerit. Hinc L. Furem, ff. Ad legem Corneliam De sicariis, tum demum impunè dicitur occidi fur nocturnus, quando ei parcere sine tuo periculo non potuisti. Vt ergo licitè occidatur, inspicienda erit necessitas: si enim sine re tua aufugiat, aut clamore vt fugiat efficere possis, aut comprehendere ipsum valeas, occidere non potes. Idem dicendum si eum dignoscas, & spes sit in iudicio recuperandi.

DICO SECVNDO. Quando idem metus, eademque ignorantia, an tutò aliter recuperare rem tuam possis, locum habet circa diurnum furem, etiam illum licebit interficere, vt docet Sotus lib. 5. quæst. 1. art. 8. Nam quoad rem ipsam non est magna differentia hîc inter furem nocturnum & diurnum; quamuis in nocturni occisione faciliùs præsumatur innoxia defensio in foro externo.

DICO TERTIO. Certum est, eum qui ita inuadit res, vt simul inuadat personam res suas defendentem, aut ipsum rapere nitentem, licere se suaque defendendo occidere, seruato moderamine inculpatæ tutelæ: & in eo etiam Couarru. consentit.

*Pro defensione rei parua occidere furem non licet.* DICO QVARTO. Quando res quæ inuaditur parui momenti est, non licet pro eius defensione furem occidere. Ita passim Theologi. Limitandum tamen, quando qui rem paruam sustulit, ne reddat, incipit ferro inuadere repetentem; qui casus est in L. Si ex plagis, §. Tabernarius, ff. Ad legem Aquiliam. Nocturnũ etiam furem quidam hîc excipiunt; verùm neque is ob rem modicam, quando aliud scitur non ablaturus, occidi potest. Denique fieri potest, vt res modica, magni momenti sit respectu possessoris, quod hîc considerandum monent Additiones Iulij Clari: quæ fortè causa est, quare non exprimant DD. certam quantitatem, ob quam liceat inuasorem occidere. Annotationes tamen ad Aretinum De maleficiis monent, non debere esse minoris valoris quàm duorum aureorum.

DICO QVINTO. Qui facilè in iudicio rem suam recuperare potest, non poterit pro eius defensione furem occidere. Eadem erit ratio de eo qui potest clamando furem terrere.

DICO SEXTO. Si fur rem tuam irrecuperabiliter erat ablaturus, nisi à te occidatur, licebit eum occidere. Idem dicendum, si iam cum re tua aufugiat; secùs quando iam aliò transportauit: tunc enim per Iudicem eam repetes. Quòd si tamen copiam nullam Iudicis habeas, Iureconsulti permittunt, vt eam recuperes etiam vi, si opus fuerit. Ita Baiardus suprà numero 81. & alij ab ipso citati.

Cæterùm pro rerum defensione licitam hanc occisionem, probat cap. Olim, De restitutione spoliatorum; vbi Innocentius III. eos pro inculpatis habet, qui seruato moderamine inculpatæ tutelæ possessionem suam per vim ab alio occupatam vi defenderant. Sanè sic ex communi & recepta diximus suprà, bellum defensiuum etiam priuatis esse licitum.

Secunda Probatio est ex cap. Dilecto, De sententia excommunicationis, in 6. vbi Innocentius IV. ita rescribit, *Cùm omnes leges omniaque iura, vim vi repellere, cunctisque sese defensare permittant; licuit vtique ipsi Decano, si prædictus Ballius eum bonis suis mundanis iniuriosè spoliare, vel ea violenter occupare præsumpserit, contra illius violentiam iniuriamque se tueri*, &c.

*Obiect.* Dices cum Glossa, Licere quidem bona temporalia defendere, sed pro eis non licere ita sæuire, vt inuasorem interimas.

*Resp.* Respondeo, Hoc sine fundamento dici: neque enim verisimile est, armis inuadentem, qui sine nece propulsari non potest, non licere propulsare, cùm simpliciter defensio permittatur; nisi fortè aliqualem defensionem rei mediocritas postulet, tam acrem autem non perinde permittat. At quando res satis magni momenti est, vt erat in casu Pontificis, non exceditur modus, si gladio defendatur.

Tertiò Probatur ex cap. Interfecisti, De homicidio, quod ita habet: *Si sine odij meditatione te tuaque liberando huiusmodi diaboli membra interfecisti, (secundùm indulgentiam dico, propter imaginem Dei) si aliquid ieiunare volueris, bonum est tibi,*



*tibi*, &c. Hîc liberum eum relinquit Canon à pœnitentia, qui sua bona liberando furem aut latronem occiderit.

*Obiect.* Dices, Illud *te tuaque* debet copulatim accipi, non copulatiuè, vt tum demum excusetur qui occidit, quando aliter se simul cum bonis liberare non poterit: atque ita hic erit textus pro opposita sententia, quæ permittit tum demum occidere inuasorem rei, quando simul personæ inuasor fuerit.

*Resp.* Respondeo, Illum non esse sensum, sed alternatiuè debere illud accipi, vt Couarruuias docet, vt sensus sit, *te vel tua*; aut quod eòdem recidit, copulatiuè, vt coniungantur propositiones, non tantùm termini, & dicatur, Si te liberando occidisti, non peccasti; & similiter, si tua liberando: quomodo accepit Petrus Nauarra suprà, numero 406. Patet hoc ex casu prioris partis, adeoque initio capituli quod ita habet: *Interfecisti furem aut latronem, vbi comprehendi poterat absque occisione.* Posterioris ergo partis casus erit, vbi pro liberatione personæ occisus fuerit latro qui comprehendi poterat, vel fur pro liberatione rerum: ex principio enim colligitur intentio disponentis, L. finali, ff. De heredibus instituendis. Ita esse accipiendum, confirmatur; Quia in materia fauorabili oportet ampliare. Secundò ex simili, quod est in cap. Verùm, De iureiurando: vbi Cælestinus III. dicit, à iuramento esse absoluendum, qui inuitus pro vita & rebus seruandis iurauerit. Probatur denique ratione; Non teneor ex Iustitia aut charitate res meas, quas in vsum honestum custodiendi ius habeo, amittere, vt iniqui inuasoris vita, cuius mihi solùm in necessitate cura incumbit, conseruetur: non enim est in necessitate, sed in iniqua voluntate; & nemini fraus sua aut vis debet patrocinari.

Obijciunt D. Augustinum lib. 1. De libero arbitrio cap. 5. Verùm ad illum locum respondimus suprà Dubio 7.

*Obiect.2.* Obijciunt Secundò cap. Suscepimus, De homicidio: vbi pœnitentia eis iniungitur, qui occiderant latrones nocturnos pro rerum defensione.

*Resp.* Respondeo, Eos non seruasse moderamen inculpatæ tutelæ. Primò, Quia rebus recuperatis, ligauerant latrones, quod illicitum erat Monachis: Secundò, Quia qui ligatos, quando se exuere vinculis conabantur, occidit, potuit sibi fuga consulere.

*Obiect.3.* Obijcitur Tertiò: Teneor ex charitate plus diligere vitam proximi quàm res meas temporales. Verùm responsio patet ex quarta probatione.

*Obiect.4.* Obijcitur Quartò Augustinus quæst. 84. in Exodum, qui etiam refertur Canone 3. De homicidio: vbi quando rationem reddit, quare licuerit potiùs nocturnum quàm diurnum furem occidere, ita scribit: *Poterat quippe discerni, quòd ad furandum, non ad occidendum venisset; & ideò non deberet occidi.* Et infrà insinuat, tunc demum licere occidere, quando plus fuerit quàm fur.

*Resp.* Respondent Sotus & Nauarra, ibi D. Augustinum vehementer insinuare, quòd lege diuina Exodi, & Lege XII. Tabularũ non sit licitũ priuato eum occidere in rerum suarum defensionem, qui non fuerit plus quàm fur. Quos si sequamur, dicemus hoc fieri propter præsumptionem; quòd quando fur tantùm est, & dignoscitur, aliter res recuperari queat. Nam etiam lex diuina iudicialis est, & respicit forum externum, in quo locus est præsumptioni: cum quo benè consistit, quando certò constiterit te non posse recuperare, licere potiùs fugientem occidere, quàm rei tuæ iacturam facias, etiamsi ob eiusmodi furtum non esset à iudice occidendus.

*Obiect.5.* Obijcitur Quintò Clementina vnica De homicidio, vbi dicitur esse irregularis, qui pro rerum suarum defensione quempiam occiderit: solùm enim illum ab irregularitate excusat, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat inuasorem.

*Resp.* Respondent multi, non sequi quòd peccauerit, etiamsi incurrat irregularitatem. Verùm hęc responsio non probatur. Quamuis enim qui ex voluntariè susceptο officio iustè occidit, fiat irregularis; qui tamen præter intentionem priuatim occidit, non fit irregularis, si fuerit sine culpa, vt habet probabilior opinio, de quo alibi. Nego itaque talem esse irregularem, aut hoc in Clementina insinuari. Quamuis enim illâ solùm eximatur, qui pro vitæ defensione inuasorem occiderit; tamen à contrario sensu non habet locum argumentum in materia odiosa pœnarum & censurarum. Neque etiam hîc locum habet argumentum quod vocant à speciali, quasi ideò reliqui defensionis casus intelligantur inclusi, quia iste solus specialiter excipitur; exceptio enim statui non potest, nisi vbi regula generalis est: atqui nusquam in Iure pro generali regula traditum est, eum omnem fieri irregularem, qui alium occiderit in suam defensionem.

*Clerici & Religiosi pro defensione rerum suarum occidere possunt.* DICO SEPTIMO. Non solùm laicis, sed etiam & Clericis & Religiosis licet pro defensione rerum, quando necessitas ita postularet, occidere inuasores. De Clericis patet ex cap. Dilecto, De sententia excommunicationis, in 6. De Religiosis contrarium sentit S. Antoninus 3. parte, tit. 4. cap. 3. §. 2. eò quòd Iure defensionis non magis quàm proprietatis gaudere videantur. Verùm eiusmodi argumentum facilè diluitur: habet enim quisque ius non solùm ea defendendi quæ propria possidet, sed etiam ea quæ possidet in communi, imò & ea quorum sibi vsus concessus est; neque enim sine iniuria potest ab eorum vsu impediri. Adde quòd & pro vitę proprię & membrorum tuitione non liceret occidere, si requiratur vt rei quam defendimus simus domini. Illud tamen admitti potest, quò persona minùs indiget, aut magis debet contemnere res mundanas, eò minùs facilè debere venire ad occisionem inuasoris pro earum defensione; minùs enim fortè congruit personæ eius. Cuius rei rationem habendam, epistola ad Publicolam suprà citata indicauit Augustinus: nam & pro hostium propulsatione non æquè decet mox concurrere Sacerdotes ac ciues.

DICO POSTREMO. Quæ de rerum defensione dicta sunt, multo magis locum habebunt in defensione filię aut vxoris contra raptores & alios vim inferentes.

## DVBIVM XIV.

### *Vtrùm liceat quempiam interficere pro defensione pudicitiæ & honoris?*

*Pro defensione pudicitiæ occidere licet.* RESPONDEO & DICO PRIMO. Pro pudicitia licet inuasorem occidere. Est communis,

munis, vt testatur P. Nauarra suprà, numero 393. Tenet Henriquez lib. 14.ca.10. Siluester, Sotus, Nauarrus, Caietanus, & Mercado ab ipso citati. Confirmatur ex L. 1. ff. Ad legem Corneliam De sicarijs. Probatur; Quia pudicitiæ bonum superat facultates externas: imò quatenus non eripitur sine periculo peccandi, eius amissio peior est quàm vitæ, adeò vt sic inuasa mulier eligere potiùs possit occidi quàm violari; quanto magis poterit ipsa se defendendo inuasorem occidere? Hinc ille Trebonius adolescens laudatus, qui interfecit Tribunum sibi vim inferentem, apud Ciceronem Oratione pro Milone: eadem enim hîc vtriusque sexus ratio.

*Pro defensione honoris rariùs.*

DICO SECVNDO. Aliquo casu pro defensione honoris licere inuasorem occidere, probabilior & communis habet sententia.

DICO TERTIO. Rarò admodum casus iste occurrit quo liceat pro honore occidere. Quamuis enim honor sit magnum bonum, sæpè tamen euenit, vt aliter quàm occidendo illum qui adimere nititur, retineri possit. Secundò, Sæpè contingit, non esse rerum honorem qui magni fit à mundanis hominibus. Tertiò, Facilè contingit, occisione inuasoris non recuperari honorem; neque enim honorem secum aufert, sicut auferuntur res externæ. Quartò, Sicuti teneor non defendere rem meam occidendo inuasorem, quando ex eius nece Respublica magnum detrimentum acciperet; ita aliquando non licebit eum occidere, qui aliquid molitur contra honorem tuum; quia eiusmodi modus occidendi repleret Rempublicam cædibus iniustis & homicidiis. Denique vel potes idoneis testibus probare, quòd hic te iniustè ibat diffamatum, & quòd aliter eum impedire non poteras quàm occidendo, vel non potes. Si potes, non es in necessitate occidendi; quia in iudicio honorem recuperabis: si non potes, teipsum maioris infamiæ periculo exponis, imò & mortis; quia forsan quamuis occultum fore speres, prodetur homicidium tuum. Statuamus itaque casus aliquot, quibus pro honore possis aut non possis occidere.

*Quando licet pro honore occidere.*

Primus, quo possis, erit, quando inuadit te iniustè aliquis vt occidat, mutilet, aut notabiliter verberet, & fugiendo aut non impediendo eiusmodi iniuriam incurres grauem infamiam, tamquam ineptus & degener miles, nobilis & defensor Reipublicæ; potes subsistere, & inuasorem ab iniuria prohibere; & si aliter prohibere non possis, occidere.

Secundus, Miles, vel aliquis alius, cui ignominiosum esset, & in honore valdè noxium, aliter facere, potest ex incontinenti eum reuerberare, qui se ignominiosè prior percusserit, & quasi insultans adhuc coràm subsistit, etiamsi vlteriùs non inuadat: & si ex huiusmodi repercussione rixa oriatur, non tenetur fugere; sed potest, si opus sit, cum moderamine inculpatæ tutelæ aduersarium occidere. Hæc tamen non perinde procedunt, quando inuasor fuerit superior ipsius offensi, modò superioritas in eiusmodi offensione considerari debeat. De quo videre licet S. Antoninum suprà citatum. Item non procedunt in Clerico aut Religioso, quibus fugere non est indecorum.

*Fuga Clericis non indecora.*

Si tamen ipsi sese defenderint, aliàs seruato moderamine inculpatæ tutelæ, dubium est an peccent contra iustitiam, an solùm contra charitatem.

Verius est, non peccare contra iustitiam: quia ius habent iniuriosam offensionem à se propulsandi, neque lædunt moderamen tutelæ in illis quæ iustitia specialis conscribit, sed in his quæ charitas præscribit: atque ita poterunt conciliari cũ Theologis Iureconsulti, qui dicunt, tales seruare moderamen inculpatæ tutelæ, vt Iulius Clarus suprà numero 32. Hinc patet, contra iustitiam eum peccare, qui cùm fugere possit, occidit inuasorem, cui sua iniustitia causam inuadendi dedit: ex iustitia enim fugere tenetur.

*Quando non liceat pro defensione honoris occidere.*

Cetèrùm casus quo non possis pro defensione honoris in uasorem occidere, & ille fuerit, quando solùm per verba aut signa contumeliam infert. Diximus enim suprà, cui vis non infertur, non posse vi iniuriam propulsare: erit ergò verbalis iniuria verbi solùm amolienda.

Secundus erit, Si ad duellum prouoceris, non licebit tibi Iud suscipere contra inuasorem, etiamsi apud vulgares ex eiusmodi recusatione honori tuo aliquid deceder. De quo satis diximus suprà, quando de Rixa agebamus.

Tertius, Si post quam alapam impegit quæ tibi ignominiosa est, se se in fugam conuertat offensor, non licebit eum persequi, & tantum referire, quantum postulare videtur honoris reparatio: habet enim potiùs speciem vindictæ quàm defensionis. Ita Lopez cap. 62. & alij.

Deniq; generatim hîc dicendum, quando honor grauiter non læditur, vel citra occisionem defendi potest, non licere occidere. Sanè apud Christianos non deberet vsq; adeò extendi ad licentiam humanæ cædis, honoris defensio, eo argumento, quòd honor rebus præstet, pro quarũ defensione liceat occidere; fallit enim hoc argumentum sæpè in particulari casu: quia non licet tibi, etiam pro rebus defendendis, occidere, quando non occidendo indemnis esse potes, vt latiùs suprà ostendimus: multo autem certius est, hîc & nunc te indemnem non posse esse in rebus sine occisione inuasoris, quàm quòd non possis esse indemnis in honore tuo, licet non occidas hunc baculo tibi minantem, vel alapa inuadentem. Res moralis, qualis est honor, facilè mutationem admittit. Est & mundanus quidam honor non fundatus in virtute, quem si præ vita proximi contemnas, valdè tibi id erit honorificum.

## DVBIVM XV.

### *An pro defensione proximi liceat iniustum inuasorem occidere.*

DVo hîc examinanda, quando liceat, aut non liceat: item quando tenearis, quando non tenearis proximum defendendo iniustum eius inuasorem occidere. Certum enim est, aliquando non licere; alĩ quando licere quidem, sed non incumbere ex præcepto, aliquando autem ex præcepto esse necessarium.

*Quando non liceat pro defensione proximi occidere.*

Non licet Primò, si pater tuus sit qui iniustè inuadit. neque enim teneris cum tanta iactura tua, qualis est amissio parentis, imò nec potes cum eiusmodi violatione pietatis, externo succurrere. Eadem erit ratio de alio valdè coniuncto, & generatim quo casu non possem meipsum defendere, si essem loco inuasi, cum circumstantijs formaliter eisdem, nec potero ipsum defendere.

Secundò, Si non possis defendere extraneum nisi cum propriæ vitæ magno discrimine, quæ vel Reipublicæ vel tibi coniunctis obnoxia est & necessaria.

*Quando liceat.*

Licet autem ordinariè hæc defensio, sed non est necessaria ex præcepto: Primò, quando qui inuaditur, non quidem ex coniunctissimis est, sed tamen, aliqua ratione tibi coniunctus, puta quia socius itineris, amicus, vicinus, conciuis: hæc enim omnia etiam in foro externo defensorem innocentis excusant, etiamsi inuasorem occiderit, vt docet Aretinus De maleficijs, verbo Et dictus Titius se defendendo, &c.

Secundò, Cuilibet de populo licet defendere innocentem offensum, secundùm communem DD. quos citat Aretinus suprà. Aliqui tamẽ, quando offensus peculiariter non est coniunctus defensori, requirũt vt eius imploraueri auxilium, saltem generatim inuocando auxilium audientium. Et pro maiori securitate in foro exteriori, consulit idem Aretinus, vt defensor curet defensionem sibi mandari ab offenso; quia tunc secundùm omnes defendendo excusatur: quando autem defendit peculiariter coniunctum, non opus est vt fuerit inuocatus, quia ipsius inter erat: quem enim non vocat clamor, impellit amor, & ipsa coniunctio aduocat: ipse enim læditur in amico suo, non minùs quàm in re sua. Verùm quicumque sit, modò sit innocens, & iniustè opprimatur, licebit tibi eum tamquam in bello iusto iuuare, & aduersarium, si opus sit, occidere; quomodo Moyses occidit Ægyptium: quiliber enim homo proximus noster est.

*Exod. 2.*

Tertiò, Extendunt hæc etiam ad casum, quo inuaderetur iniustè inimicus defensoris: Quia, inquiunt, per iniuriam quæ fit inimico meo, offenditur Respublica. Ita ex Baldo Augustinus Ariminensis in Additionibus ad Aretinum suprà: quod multo magis verum erit in Theologia, vbi quodam sensu etiam inimicus proximus est.

Quartò, Extendendum etiam est ad casum quo innocens nollet defendi cum occisione sui inuasoris: cùm enim non sit dominus vitæ suæ, possum eam, etiam ipso inuito, velle custodire, tamquam mandatarius Domini, qui vnicuique mandauit de proximo suo. Hoc rectè à Nauarro annotatum in cap. Non in inferenda 23. q. 3. numero 24. non teneri me defendere, etsi aliàs tenerer, quando inuasus seriò diceret se nolle defendi, sed velle potiùs mori quàm occidatur inuasor in peccato mortali.

*Quando præcepta hæc defensio.*

Denique non solùm licet, sed etiam præceptum est hęc defensio, Primò, Quando persona defendenda esset maximè necessaria Reipub. vel Princeps, vel proprius pater defendentis aut similiter coniunctus, puta mater, filius, vxor. Ita Suarez De censuris, disp. 46. sect. 3. Aretinus suprà.

Ceterùm quousque vel in his vel in alijs coniunctionibus, & quanto cum periculo & incommodo obliget quempiam defensio sibi coniunctorum, pensatis circũstantijs prudens iudicabit.

*Quando quis teneatur inuasorem occidere.*

Secundò, Quando potest quis sine vllo suo incommodo, indecentia, horrore, aut periculo à morte liberare innocentem, occidendo inuasorem, tenetur ex charitate, vt docet Petrus Nauarra. Verùm ex hoc capite vix vmquam contingit, seclusa omni alia obligatione, priuatum teneri ad eiusmodi alterius priuati, præsertim extranei, defensionem: per se enim satis incommodum est, debere hominẽ occidere, & tantam facere iacturam lenitatis pro defensione vitæ alterius, quantam pro defensione propriæ facere non tenearis. Quousque autem cum facultatum suarum iactura teneatur quis proximi vitam defendere, patet ex dictis De charitate & eleëmosyna suprà.

*A Iudice condemnatum non tenemur redimere.*

Illud hîc addendum ex Nauarro in cap. Non in inferenda, suprà; nos non teneri iustè à Iudice condemnatum pecunia redimere, etiamsi Iudex permiserit, & sine notabili detrimento possimus. Cùm enim iusta sit condemnatio, quam etiam ipse, quamuis fugere aut se redimere possit, non tenetur subterfugere, non tenemur pro iustitia diuertenda facere, quod fortè pro iniuria auertenda facere deberemus.

Tertiò, Quando ex officio, promisso, aut contractu obligatur quis ad custodiam proximi. Aretinus suprà, numero 35.

Inter hos casus ea est differentia, quòd quando ex iustitia obligabatur quis defendere, teneatur ad restitutionem, si non defenderit, non autem quando ex sola pietate aut charitate.

Verùm contra iam dicta duobus modis opponitur: Vno, quo arguatur numquam esse licitum, vnum occidere pro defensione alterius; Altero, quo idem arguatur semper esse præcepti, quando licitum est.

Prioris generis argumentum est: Faciamus eos qui inter se rixantur, æquè tibi esse coniunctos; non erit itaq; ratio, ob quam possis vnum in alterius defensionem occidere: nam quòd vnus iniuriam faciat, alter patiatur, non est priuatæ personæ ad æqualitatem reducere, sed publicæ potestatis.

Respondeo, Ne iniuria proximo fiat, possum eum iuuare & defendere, quamuis non possim factam vindicare. Nam si Moyses vindicauit quando occidit Ægyptium, hoc fecit Dei auctoritate, volentis hæc esse rudimenta quædam futuræ per ipsum liberationis fratrum suorum, &, vt Ambrosius loquitur, *tentamenta bellicæ fortitudinis.*

Posterioris generis argumentum est: Quòd proximo in extrema necessitate oporteat succurrere ex præcepto, atque ita saltem, quoties periclitabitur, tenebimur eum innocentem contra inuasorem vitæ defendere.

Verùm ad illud supradicta suppeditant responsionem. Sicuti enim teneor vitam meam, sumendo alimentum quod ad manum est, conseruare, non tamen occidendo inuasorem; ita quando sine alterius occisione, aut alio graui damno possum, teneor vel ex sola charitate seruare vitam proximi, non autem quando non possum nisi occidendo alium proximum eius inuasorem. Si enim charitas ad inimicum inuadentem ita se extendat in eo qui inuaditur, vt ipsum non teneatur occidere; multo magis istud in me effecerit.

*Obijcitur Ambrosius.*

Est tamen locus Ambrosij qui hîc obijciatur, lib. 1. Officiorum, cap. 30. & citatur cap. Non satis, dist. 86. Inter alia enim dicit, esse grandem culpam, si non adiues fidelem in afflictione sua, tempore periculi quo rapitur ad mortem.

Et eodem lib. cap. 36. & citatur cap. Non in inferenda, suprà citato: *Qui non repellit à socio iniuriam si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit.* Quod confirmat exemplo Moysis, & aliquot alijs Scripturis. Prouerb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Iob 29. *Oculus videns, testimonium reddebat mihi, eò quòd liberassem pauperem vociferantem.*

Verum ad hæc dicere possumus, non hoc voluisse Ambrosium aut Scripturas quas adducit, promiscuè quemque obligari ad defendendum alterum innocentem, etiam cum nece inuasoris; sed in genere ad defensionem obligari. Quæ autem impotentia aut incommoditas excuset ab obligatione, qualem incommoditatem esse putamus, quando occidendus esset inuasor, non explicat Ambrosius. Verùm quid tunc cuiquecogitandum sit, subiungit suprà dicto loco Sapiens: *Si dixeris, Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua.*

Eadem responsio poterit accommodari, si quis objiciat cap. Quantæ, De sententia excommunicationis; vbi dicit Innocentius III. *Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cùm possunt, manifesto facinori desinunt obuiare.*

Ceterùm quæ de vitæ defensione diximus, salua proportione etiam habent locum, quando proximus est defendendus in honore, membrorum integritate, & rebus.

## DVBIVM XVI.

### *Vtrùm liceat Medico vel prægnanti cum periculo partus, vel partui cum periculo matris succurrere?*

*Mater viua non secanda vt proles possit baptizari.*

RESPONDEO, nullo modo licere adhuc viuentem & innocentem matrem secare, vt proles viua extrahi & baptizari possit, etiamsi ipsa in hoc iam desperatæ salutis consentiat; quinimò in hoc consentiendo, mortaliter peccat, & animam propriam occidit. Tenet Nauarrus, consilio 1. De homicidio voluntario; estque communis. Probatur, Quia occidere innocentem, est intrinsecè malum, & non sunt facienda mala vt eueniant bona.

*Quamuis mortis rea.*

Extendenda hæc responsio & ad casum quo mater esset rea mortis: in prægnantem enim non fiet executio, vt patet ex suprà dictis Dub. 3. Imò neque circa iam damnatam ad mortem id licere docet ex Soto Lopez, propter periculum quod infanti ex eiusmodi excisione imminet. Deinde vt ipsa ad eiusmodi genus mortis damnetur, humanitas non permittit.

Item si quis mulieri medicatam potionem porrexerit, vt conceptionem promoueat, & ipsa inde moriatur, punitur pœna relegationis in foro externo, per L. 3. ff. Ad L. Corneliam De sicarijs. *Ex Senatusconsulto relegari iussa est ea, quæ non quidem malo animo, sed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ acceperat, decesserit.* In foro autem conscientiæ æstimabitur culpa pro circumstantiarum concursu: videndum enim, an dolus an negligentia, & quanta interuenerit.

*Conceptionem prolis impediens peccat mortaliter.*

Quod attinet ad alteram partem dubitationis, pro eius resolutione suppono Primò, Qui seminationem impedit, aut expellit semen susceptum, aut aliter conceptionem prolis auertit, ex copula siue licita siue illicita, peccare mortaliter. Ita ex communi docet Sanchius lib. 9. disp. 20. & alij multi quos ipse citat: est enim participatum quoddam peccatum contra naturam, de quo egregius est locus Tertulliani, Apolog. cap. 9. *Homicidij festinatio est, prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem diffurbet.*

*Præceptum abortum grauius peccat.*

Suppono Secundò, Fœtu nondum formato abortum procurantem aut causantem, grauiùs peccare; non tamen ordinaria pœna homicidij puniri: verè autem esse homicidam, qui fœtum iam animato, abortus causa fuerit. de quo videre licet cap. Si aliquis, de homicidio, & cap. Aliquando 32. q. 2. Grauissimas etiam in hoc crimen pœnas statuit Sixtus V. Bulla quæ incipit, Effrenatam perditissimorum. Vult enim hoc scelus spatrantes ordinariæ pœnæ homicidij, & ipso facto excommunicationi subiacere. De qua re accuratè Graffius, lib. 2. cap. 62. & Vitalduss in Candelabro aureo. Sed mitigauit istas pœnas nonnihil Gregorius XIV. vt testatur Henriquez & Emmanuel Sà verbo Homicidium.

Suppono Tertiò, Quoties licet matri medicamento, quod infanti fortè erit noxium, vti, etiam licet alteri ei hoc porrigere, consulere, &c. quamuis quidam apud Cordubam aliter senserint, sed sine fundamento: imò faciliùs dabitur casus, vbi mater possit ab huiusmodi medicamento abstinere recedendo à iure suo, teneatur nihilominùs Medicus ei, quantum in se est, proponere.

*Medicina directè ejiciens fœtum adhuc informem, illicita.*

His positis, Dico Primo, Etiamsi fœtus nondum fuerit formatus aut animatus, non licet tamen prægnanti remedium aut medicinam suadere aut porrigere, quæ directè faciat ad abortum, qualis est verbi gratia, vehemens agitatio, aut certi generis venenum; sed benè licet ei tunc eiusmodi remedium adhibere, quod directè tendat in periculosi morbi depulsionem, qualis est verbi gratia, apertio venę; etiamsi inde timeatur periculum fœtui, quando aliter matri succurri non potest. Habenda tamen ratio proportionis periculi, quod est in morbo matris, & quod incumbit fœtui ex remedio. Est hæc communis sententia. Quamuis enim Sanches putet Petrum Nauarram aliter sentire, reuerà tamen consentit.

*Tempus animæ infusæ.*

An verò fœtus sit animatus anima rationali, ex Medicorum & obstetricum iudicio etit decidendum: nam tempus animationis secundùm veriorem Medicorum sententiam habet suam latitudinem, sicut & tempus natiuitatis. Sicuti enim quidam nascuntur septimo mense, alij etiam vndecimo; ita etiam masculum contingeret animari interdum conceptionis die 30. interdum etiam die demum 45. feminam autem interdum die 35. interdum 50. Sanè, si massa iam erat organizata aut formata, certum est animatam fuisse, vt videre licet 32. q. 2. cap. Sicuti, cap. Quod verò, & ca. Moyses. quamuis postremum illud capitulum sumptum sit ex libro Quæstionum Veteris & Noui Testamenti, qui non est Augustini, quamuis ei inscribatur; & consulenda hîc erit lectio Septuaginta Interpretum Exodi 21. de percutiente mulierem prægnantem. Neque excusabit homicidam, quòd fœtus fortè monstrosus deprehendatur, modò verè hominem fuisse constiterit, per ea quæ tradit Baiardus q. 68.

Quan-



Quando dubium est an fœtus fuerit animatus, in foro conscientiæ habebitur pro animato, quia cum dubia conscientia operans, aut exponens se periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter: in foro autem externo habebitur pro non animato, vt docet Nauarrus De homicidio, consilio 45. quia cùm partiũ iura ambigua sunt, potiùs reo fauendum est quàm actori: & quia quisque est in possessione suæ immunitatis, quando agitur ad pœnam, in dubio melior erit conditio possidentis.

DICO SECVNDO. Si fœtus fuerit animatus, & ex remedio quod vnicum pro vita matris putatur superesse, certò sciatur occidendus, qui alioqui viuus edendus admodum probabiliter speratur; non licet eiusmodi remedium adhibere, etiamsi directè non in infantis occisionem, sed in matris faciat salutem: imò, etiamsi vterque esset moriturus, remedio non adhibito, eoque adhibito mater sola seruari posset, non liceret adhibere aliquid quo directè potiùs infantis mors procuretur, quàm matris sanitas.

At Quæres, Quid si æquè directè per se faciat ad matris sanitatem & prolis necem?

Lopez cap. 63. post Almainum & Adrianum quos citat, satis probabiliter docet, tunc licere adhibere: cùm enim fœtus pendeat à matre, non cõtrà; & ipsa pereunte, ille, vt suppono, non possit saluari; æquius est vt matri succurratur, quæ antiquius ius habet, quãdo vtriq; succurri non potest.

## DVBIVM XVII.

### *Sine homini aliquando licitum, seipsum occidere?*
### *D. Thomas art. 5.*

*Donatistarum error.*

DONATISTÆ quidam dicebant, licere seipsum interficere; imò eos martyres fieri, qui pro peccatis sese occidissent, aut occidi curassent. Vnde multi ex ipsis, Circumcelliones dicti, per varias mortes, præcipitiorum, aquarum & ignium seipsos necabant, vt testatur D. Augustinus hæresi 69. & Castro, verbo Martyrium. In eodem errore deprehensi sunt nostro sæculo Iapones, vt testatur Petrus Nauarra, apud quos vsitatum in gentilitate est supplicium, vt reus, si ita iusserit Rex, ventrem sibi aperiat. In eodem errore fuit Seneca, & ex Stoicis alij, quorum popularis erat similitudo, quòd non plus peccem mortem mihi inferendo, quàm si in domo conductitia habitans, paulum ante diem pensionis exeam.

*Iaponum.*

*Stoicorum.*

*Occisio sui ipsius illicita.*

Omnino tamen dicendum, sine Dei iussione aut permissione non licere vmquam homini se occidere: imò, vt benè monet quidam, deberet hęc iussio esse aperta & clara, alioqui pro tentatione dæmonis habenda est, qui solet ad eiusmodi scelus hominem incitare.

Probatur hæc responsio Primò, Quia occiso suipsius est contra præceptũ *Non occides*, vt patet ex sensu huius præcepti, quem dedimus sup. Dub. 2. & D. Augustino lib. 1. De ciuitate Dei, cap. 20. qui illud probat, non solùm quia regulam diligendi proximum à seipso dilector accepit, sed etiam ex verbis præcepti, quę absoluta sunt: non enim dicit lex, *Non occides proximum*, sicut dicit, *Non dices aduersus proximum tuum falsum testimonium*; sed simpliciter, *Non occides.*

Secundò, Vt docet idem Augustinus lib. De patientia cap. 13. *Qui se occidit, non tantùm homicida, sed parricida, imò plusquam parricida est*, quia nemo sit homini seipso propinquior.

*Seipsum occidens contra iustitiã peccat.*

Tertiò, Occidere seipsum est contra iustitiam, charitatem, patientiam, fortitudinem, & prudentiam. Contra iustitiam quidem, quia qui se occidit, rem alienam destruit inuito domino, Deo nimirum prohibente, qui sibi vitæ & mortis reseruauit potestatem, & solus est Dominus vitæ nostræ: imò si inuita Republica sese occidat, etiam contra iustitiam in ipsam peccat, quia inuitæ Reipublicæ membrum suum amputat. Contra charitatẽ, quia, vt rectè D. Thom. ad 1. est contra charitatem quam quisque sibi debet. Contra Patientiam, quia, vt benè ait Augustinus suprà, in eum quadrat illud Ecclesiastici 2. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.* Contra fortitudinem esse docet idem Augustinus lib. 1. De ciuit. cap. 22. Est enim potiùs infirmi animi quàm fortis, sibi potiùs manus inferre, quàm huius vitæ aduersa fortiter tolerare. Denique est contra prudentiam, qui enim seipsum occidit, non vitat miserias, sed auget. Si enim innocentem se occidit, tanto fit nocentior, quanto innocentiorem occidit: si nocentem, non expiat præcedentem culpam, sed cum Iuda proditore auget. Adimit etiam sibi tempus, quo ad dignos fructus pœnitentiæ indigebat: nouo ergo scelere, quamuis propter suum scelus, se occidit; neque enim sui Iudex est, neque in seipsum iudicialem capitis sententiam pronuntiare potest, neque in seipsum executor iustitiæ auctoritate vlla humana fieri potest, natura reclamante, quæ multo magis abhorret ab huiusmodi hominis in seipsum executione, quàm in patrem aut matrem, aut alium coniunctissimum: est enim cuique creaturæ ab Auctore naturæ insita inclinatio, qua sese ab interitu conseruet, ita vt eiusmodi crimen hominis in seipsum, omnem bestialitatem superet, vtpote quòd sit contra naturam, quam cum omni ente habet communem.

*Contra charitatem.*

*Contra patientiam.*

*Contra fortitudinem.*

*Contra prudentiam.*

Quartò, Caussæ ob quas sese innocens interficiat, facilè refutantur. Vel enim facit ne castitas sua violetur, vel ne pro violata pudorem patiatur, vel ne ad peccatum pertrahatur, vel vt citiùs ad immortalem vitam perueniat: quomodo ille Cleombrotus lecto Platonis Phædone de animæ immortalitate seipsum præcipitio interemit, vt post Ciceronem refert Augustinus suprà.

Primam caussam certum est non debere recipi, quamuis videantur de hac dubitasse quidam veterum, vt D. Hieronymus in cap. 1. Ionæ, & recitatur cap. Non est nostrum 23. quæst. 5. *In persecutionibus*, inquit, *non licet propria perire manu, absque eo vbi castitas periclitatur.* Hieronymo videtur assentire Ambrosius: commendat enim Pelagiam, quæ seipsam, ne castitas periclitaretur, interemit, lib. 3. De virginibus, & lib. 2. epistola 7. Verùm Ambrosius indicat diuino instinctu Pelagiam hoc fecisse, quando Deo plenam commemorat. Potiùs itaque cum Hieronymo facit Eusebius lib. 8. Historiæ cap. 12. qui nulla insinuata diuina inspiratione, narrat duas cum matre virgines fluuio, & duas alias mari sese, ne castitatem perderent, perdidisse.

*Pro castitate seruanda non licet se occidere.*

Nihilominùs pro castitate seruanda non debere virginem Christianam sibi vitam adimere, rectè ostendit Augustinus lib. 1. De ciuit. cap. 18. Si enim inuita violetur, castitas non eripitur, sed duplicatur ad coronam. Neque enim polluit libido,

si aliena sit: rectè etenim de talibus vsurpatur, quod de Tarquinij filio & Lucretia dictum est, *Duo fuerunt, & adulterum vnus admisit*. Itaque sanctarum virginum exempla, per Dei auctoritatem quæ manus persecutorum castitatem vel exteriùs violaturas præuenerunt, excusanda potiùs & miranda sunt, quàm imitanda. D. Hieronymus fortè plus voluit, attamen dici potest hoc solùm voluisse, castitate periclitante sibi mortem innoxiè accelerasse virgines præsumi à nobis debere, eò quòd Dei auctoritas ex peculiari instinctu ibi non defuisse meritò præsumatur. Imò quando inuincibiliter virgo ignoraret, sibi non licere eiusmodi præuentionem, eo ipso quo communi instinctu sine clara reuelatione à Deo ad martyrium impelleretur, conferretur Deus quodammodò potestatem ei facere seipsam occidendi.

*Neque ad euadendum dedecus.*

Secunda causa, Ne cum dedecore viuas, qualis in Lucretia fuit, hîc non sufficit. Quamuis enim fama externa temporali vitæ videri possit anteponenda; cauendum tamen, ne hîc fallamur: nam vt rectè Augustinus sup. cap. 19. *Habes intus gloriam castitatis testimonium conscientiæ, habes coram oculis Dei tui, nec requiris amplius, vbi quod rectè facias, non amplius habes, ne desies ab auctoritate legis diuinæ, cùm malè desitas offensionem suspicionis humanæ.*

Nota.

*Neque ad vitandum peccatum.*

Tertia causa, Ne in peccatum pertraharis, non faciet vt iustè te interficias: voluntas enim, vt diximus 1.2. à nulla creatura cogi potest: non est autem peccatum, nisi sit voluntarium. Fateor, si quisquam esset, qui posset à nobis gratiam auferre aut vitam æternam, licitum fore ad eiusmodi damnum vitandum, si hac ratione vitari posset, nobismet ipsis mortem inferre.

*Neque vt citius ad immortalē vitam perueniat.*

Quarta causa non erit idonea, quia non tantùm secundùm Christianos, sed etiam secundùm Philosophos, adeoque ipsum Platonem, imò & secundùm Poëtas, malè ipsis est post mortem,

*—— qui sibi letum*
*Insontes peperêre manu, lucemque perosi,*
*Proiecêre animas. ——*

& communiter illud proloquium receperunt, Non esse fas cuiquam sine iussu summi Imperatoris ex huius vitæ statione discedere.

*Obijcitur Sampsonis factum.*

Obijci tamen hîc quædam possunt. Primò exemplum Sampsonis, quem refert Sacra historia Iudicum 16. seipsum occidisse; qui si in morte peccasset, non censeretur ab Apostolo ad Hebræos cap. 11. inter Sanctos.

*Resp.*

Sed respondeo Primò, Instinctu, adeoque auctoritate Dei, cuius beneficio & vires ei ad eiusmodi facinus redierant, ita fecisse. Est responsio hæc Innocentij III. cap. Gaudemus, De diuortiis, & Augustini suprà lib. 1. De ciuit. cap. 21. vbi dicit, Sampsonem aliter non excusari. Non desunt tamen, qui aliter excusent, idque satis probabiliter, quòd nimirum Sampson seipsum solum in mortem tradiderit indirectè, hostes populi Dei directè occidendo; quo modo & Eleazarus 1. Machabæorum 6. se sub Elephanto, quem occidit, oppressit, &, vt dicit Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 40. *heredem virtutis suæ pacem reliquit*. Dicunt enim licere ciui patriam defendere, & in magnum eius bonum hostes opprimere, etiamsi simul se opprimendum præuiderit. Ita Lopez cap. 65.

*Eleazarus excusatur.*

*Obijcitur exemplum Razia.*

Obijcitur Secundò, Saltem Razias 2. Machab. 14. seipsum non per accidens vt Sampson interemit, qui tamen videtur à Scriptura commendari, quòd elegerit nobiliter mori potiùs, quàm subditus fieri peccatoribus.

*Resp.*

Respondeo, Hoc argumento vtentes Donatistas refutat Augustinus Epistola 61. quæ est ad Dulcitium; refutat autem, negando factum illud in Scriptura laudari. *Scriptum*, inquit, *est, quòd voluerit viriliter & nobiliter mori; sed numquid ideò sapienter & nobiliter scilicet ne libertatem sui generis captiuus amitteret*. Verùm alij Raziam defendunt, & dicunt Spiritus sancti instinctu sibi mortem consciuisse, aut inuincibili ignorantia tali casu id sibi licitum existimasse. Hos sequitur Victoria Relect. De homicidio, & satis accedit Serrarius in illum locum 2. Machabæorum, vbi ad singula D. Augustini puncta contra Raziam obiecta respondere nititur.

## DVBIVM XVIII.

### *Sitne licitum vel Indici condemnare reum ad bibendum venenū, vel condemnato bibere?*

Non hîc inquirimus, An permissu magistratus licitum sit veneno sibi mortem conscisceré ei, qui causas allegasset, propter quas mors sibi expetenda esset; quod ferunt Marsilienses olim in vsu fuisse: quamuis enim illud à Valerio Maximo laudatum, satis tamen ex dictis reprobatum est. Sed quærimus, An ad hanc pœnam iusta sententia, aut hominis in seipsum executio sese extendat?

Pro affirmatiua parte opinatur Franciscus Victoria, Relect. De homicidio, numero 30. quem secuti sunt Aragonius & Toletus. Licebit autem in hunc modum pro ea argumentari: Quod apud complures etiam sapientes in vsu fuit, non est verisimile repugnare legi naturæ: atqui apud multos in vsu fuit istud per veneni potionem supplicium; apud Athenienses enim Socrates, & alij multi sapientes veneno hausto sententiæ paruerunt.

*Pro sententia Victoriæ & aliorum argumentum 1.*

Secundò, Bibere, inquit Aragon, de se non est letalis actio, etiamsi per accidens letalem esse contingat, quando potui venenum admixtum fuerit; ergo ea licebit reo, sicut & aliæ quæ per se non sunt letales.

*2.*

Contraria tamen sententia videtur verior, quam tenet Caietanus hîc quæst. 69. art. 4. Sotus lib. 5. quæst. 6. art. vlt. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. numero 81. Probatur autem hac ratione: Veneni sumptio ideò homini lege naturæ interdicta est, quia est occisio suiipsius: atqui illâ deformitatem non exuit cogente alio homine aut iubente, sicuti nec scissio ventris aut alia similis sui occisio; ergo nullo casu licebit venenum sumere, licet fortè possit ad hoc coactus permittere vt sibi applicetur, merè passiuè se gerendo.

*Verior sententia.*

Ad prius argumentum oppositum respondeo, Non ita clarè hoc esse Iuris naturæ, quin potuerint in eo caligare Philosophi, qui & in aliis similibus pluribus errarunt: nam & Græci Marsiliensium illam quam diximus veneni sumendi consuetudinem habuisse leguntur, qua tamen nemo dixerit non violari legem naturæ. Sanè vsus populi Christiani satis ostendit, ab hoc genere supplicij, tamquam à nouo peccato abstinēdum esse.

*Resp. ad 1. argumentū 1. sententiæ.*

Ad posterius respondeo, Actionem non debere considerari tantùm in genere, sed videndum esse quam per se efficaciam habeat in indiuiduo.

*Ad 2.*

D V-



## DVBIVM XIX.

### *Quibus modis liceat aut non liceat propriæ morti cooperari, aut eius periculum subire?*

Res ista nonnullam habet difficultatem, vsum autem frequentissimum. Generatim hoc verum est, non licere vmquam homini actionem illam physicā, quæ directè & per se in indiuiduo cōsiderata, tendit ad suum ipsius interitum.

*Non licet directè cooperari propriæ morti.*

Secundò, Verum est, in morali concursu ad propriam cuiusque mortem, per actionem quæ per se non faciat ad eam inferendam, aut per omissionem actionis per se necessariæ ad vitam conseruandam, considerandum esse, an causam quis iustam habeat ita agendi aut omittendi: quando enim habet, non censebitur se occidere; secùs quando non habet.

*Indirectè ex causa licet.*

Ex his duobus multa in particulari colligi possunt. Primò, Non esse sui occisorē, qui damnatus ad mortem scalas patibuli ascendit, aut sese ad excipiendum letalem ictum disponit.

Secundò, In naufragio licere permittere vt proximus occupet tabulam, quam ei præripere, & vitam tuam saluare potuisses; imò etiam à te occupatam poteris ei concedere, desiliendo in mare: quamuis posterius illud post Sotum neget Lopez cap. 65. existimans hoc esse positiuè operari ad propriam mortem. Sed vt docet Toletus lib. 5. cap. 6. verius est non esse, quando sic niteris tuam aut proximi vitam conseruare. Si enim miles occupasset eiusmodi tabulam, & videret ea Principem extremè indigere, indubiè posset ipse fluctibus se committere, & Principi tabulam cedere; non potest autem vt Princeps saluetur, ipse se occidere, aut positiuè ad hoc cooparari. Deinde si nauis incendio pereat, possum desilire in mare, quantumuis ibi nihilominùs periturus: itaque desilire in mare, non ita est seipsum occidere, quin iusta de causa fieri possit. Imò quando nauis ab hoste esset occupanda, & qui insunt occidendi; possunt ei ignem injicere, & ipsi in mare desilire: censebuntur enim non tam sibi inferre quàm fugere mortem cum graui Reipublicæ incommodo subeundam.

Tertiò colligitur, Licere vxori cum euidenti periculo mortis assistere marito peste laboranti, etiamsi opera eius non esset necessaria: excusatur enim quòd hac ratione fidem suam erga maritum testatam esse cupiat, vtilemque adferat consolationem.

Quartò colligitur, Militiam & nauigationem non reddi illicitam, propter coniunctum mortis periculum.

Quintò, Non licere sumere venenum vt experiaris theriacam qua priùs munitus fueris, nisi euidens necessitas fuerit capiendi eiusmodi experimenti, aut satis certus fueris, non subesse in eo periculum: quæ quia moraliter vix contingunt, veriùs simpliciter negat Lopez illud licere, c. 63.

Sextò colligitur, Licere ei qui iustè fuerit damnatus ad mortem per inediam, abstinere à cibo occultè sibi oblato, vt docet Maior in 4 dist. 15. quæst. 22. Sotus lib. 5. quæst. 6. art 4. Valentia disp. 5 quæst. 14. puncto 4. Tolerus & Petrus Nauarra suprà numero 77. quamuis contrarium sentiat Couarruuias lib. 1. Variar. resolut. cap. 2. numero 10. & alij quidam.

## DVBIVM XX.

### *Vtrùm quis possit vitandæ mortis caussa seipsum mutilare? D. Thomas quæst. 65. art. 1.*

Mvtilare hîc sumimus, vt idem sit quod truncare; quamuis ea quæ dicemus, etiam mutilationi, prout contra truncationem à quibusdam distinguitur, possint accommodari. Dicunt enim, mutilare esse idem quod debilitare membrum, truncare autem idem quod abscindere. Ita Siluester verbo Homicidium 3. quæst. 3.

*Sine necessitate seipsum mutilans peccat mortaliter.*

Itaque Respondeo; Peccatum mortale committit, qui sine necessitate seipsum mutilat aut truncat, aut per alium mutilari curat, cap. Significauit, De corpore vitiatis, cap. Si quis abscidit, & cap. Qui partem, dist. 55. & cap. Maritum, dist. 33. Confirmatur ratione; Quia nemo est dominus membrorum suorum.

Limita tamen Primò, Nisi membrum quod abscinditur sit aridum: tunc enim nisi notabilis inde deformitas, quæ ad necessariam functionem esset impedimento, aut aliud incommodum oriretur, liceret amputare. Sanè id fieri sine irregularitate, ostendit Suarez De censuris disp. 44. sect. 2.

Limita Secundò, Nisi salus totius corporis membri abscissionem requirat. Neque discrimen hîc facio, an illa dependentia salutis totius à membri detruncatione ex naturali caussa proueniat, puta quia cancer membrum inuasit, aut vipera momordit; an ex violentia, aut voluntate alterius; aut alia caussa extrinseca, puta quia tyrannus te occidet, nisi manū tibi amputes: nam etiam tunc licere existimo cum Petro Nauarra lib. 2. cap. 3. num. 98. Emanuele Sà, & alijs. Æquum enim est, vt vniuersim liceat pro salute totius, quo perdito & pars periret, partem abscindere. Sic Clitus, iubente Iosepho; sibi manum læuam abscidit, vt saltem vnam retinere posset. Iosephus De bello Iud. lib. 3. cap. 27.

*Obiect. 1.*

Dices, Ergo liceret seipsum interficere pro bono Reipublicæ.

*Resp.*

At manifestum est, hoc non sequi; quia manus quæ abscinditur, seipsam non abscindit, sed totus homo; quomodo & Iudex qui vices gerit totius communitatis, potest noxium Reipub. membrum è medio tollere. De innocente autem pro bono communi occidendo, aut non occidendo, sequenti Dubio dicemus.

*Obiect. 2.*

Dices Secundò, Si pro salute corporis liceat se mutilare, idem multo magis licebit pro salute animæ, verbi gratia, licebit se castrare pro seruanda castitate, eritq; immeritò reprehensus Origenes, quem testatur ad ann. CCXXX. historia Ecclesiastica id fecisse, quamuis discipuli eius, vt refert Baronius, dicant pharmaco fecisse, non abscissione: videbitur etiam ad aliquam hęc doctrina facere excusationem Valesiorum, quos hæresi 58. Epiphanius narrat non permisisse suis esum carnium, antequam se castrassent.

*Resp.*

Respondeo, Nihil tale hinc consequens fore, quia salus animæ spiritualis non pendet à membri abscissione corporali, quod animæ Deus non dedisset, si ruina eius esset habere; sed membra scandalizantia, quę in Euangelio iubemur abscindere, sunt coniuncti nobis, qui nos à Deo separare nituntur: & quando laudantur eunuchi qui se-

ipsos

ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, ſpiritualis commendatur caſtratio, per coërtionem prauæ cogitationis, & votum perpetuæ continentiæ, non autem membri exſectio: nam membris exſectis, præſertim in virili ætate, concupiſcentiæ irritamentum nihilominùs manet. Imò ſi credimus Ghryſoſtomo in cap.19. Matthæi, & Baſilio lib.De virginitate, maior in eunuchis ſubinde eſt concupiſcentia: quod etiam indicat Eccleſiaſticus, cap.20. *Concupiſcentia ſpadonis deuirginauit iuuenculam.* & cap.30. *Sicut ſpado complectens virginem*, &c. Adhęc, etiamſi poſſet homo ſe caſtrãdo, aut pharmacum ſterilitatis ſumendo, priuare ſeſe ſimul potentia generandi, & omni motu libidinis, hoc tamen non licet; quia ſicuti membrorum, ita neque facultatum & potentiarum eiuſmodi naturalium ſumus domini. Quare Democritus ille phyſicus peccauit, qui ſe excæcauit, vt minùs diſtractus, mentis oculis Philoſophiæ intenderet: inimicus enim conditionis diuinæ ſtultè in ſe extinxit, quod in alijs conſiderare voluit.

*Obiect. 3.* Dices Tertiò, Si licitum ſit ſe mutilare pro ſalute corporis, ergo ad medium eiuſmodi licitum & neceſſarium, quiſque ingruente eiuſmodi caſu obligabitur, & per Superioris præceptum cogi poterit.

*Reſp.* Reſpondeo, neutrum ſequi. Non prius; Quia nemo tenetur cum tanta difficultate, non omnino certo remedio, vitam conſeruare; & vt quidam dixit, vix tanto eſt digna dolore ſalus. Quare exiſtimo, regulariter grauiſſimum cruciatum, qualis eſt in depoſitione tibiæ, non teneri hominem ſufferre, etiamſi foret certum remedium euadendi mortem. Non poſterius, quamuis de hoc aliqui dubitent; quia leges aut præcepta humana non obligant cum tanta difficultate: præcipiente tamen Superiore, imò etiam ſine eius præcepto ad hoc tenebitur, qui bono communi valdè eſſet neceſſarius; aliàs non tenetur, etiamſi Religioſo Superior, aut ſeruo dominus mandauerit.

Quæres, An Iudex in pœnam delicti poſſit reo præcipere, vt ſibimetipſi manum amputet, & vtrùm ei reus teneatur obedire?

*Iudex non poteſt reo præcipere vt ſe mutilet.* Ad prius reſpondeo, Verius videri non licere hoc Iudici. Ad poſterius, Si Iudex præcipiat, poteſt quidem reus, vt ſic euadat, ſibi manum amputare, ſed non tenetur; quia neque legitimè præcipitur, neque tam duro remedio tenetur conſeruare vitam, vt patet ex dictis.

Vna hîc eſt obiectio, ab exemplo D. Marci, quem ferunt pollicem ſibi abſcidiſſe, ne Sacerdos ordinaretur. Gloſſa in c. Si quis abſcidit, diſt. 55.

Reſpondeo, Marcum illum non eſſe Euangeliſtam, ſed Anachoretam, vt oſtendit Baronius circa annum XLV. Anachoretam autem probabile eſt potuiſſe hîc laborare ignorantia inuincibili, qua ſibi id licere putauerit. Hoc ſi non placuerit, dicamus cum Gloſſa citata, illud non eſſe in exemplum trahendum: quia qui Spiritum ſanctum habẽt impulſorem, communi legi non cenſentur.

## DVBIVM XXI.

### *Vtrùm liceat pro bono publico innocentem occidere, aut tradere tyranno occidendum?*

VERBI gratia, interminatur tyrannus exitium ciuitati, niſi tradat aut occidat innocentem, An liceat magiſtratui eum tradere aut occidere?

*Innocentem pro bono publico occidere non licet.* Quòd non liceat occidere, ſatis conſentiunt DD. eſt enim intrinſecè malum, occidere innocentẽ, directè eius occiſionem intendendo, aut tamquam medium eligendo: ſecùs quando ſolùm conſecutiuè occiditur, vt fit in oppugnatione ciuitatis, quando hoſtes adhuc nocituri Reipublicæ, obijciunt tormentis obſidentium innocentes.

*Obiect.* Dices, Innocens cum diſpendio vitæ ſuæ tenetur Rempublicam conſeruare; ergo & Reſpublica poteſt ſe ſeruare cum diſpendio vitæ ipſius.

*Reſp.* Reſpondeo, Si tyrannus vellet quòd innocens ſeipſum occideret, certum eſt quòd pro conſeruatione ciuitatis id non poſſet. Similiter non poterit eum occidere ciuitas, ſed ſicut ipſe defendendo ciuitatem tenetur vitæ, ſi opus ſit, pro ea extremum periculum, adeoque diſpendium, ſubire; ita vt hoc faciat, poteſt eum Reſpublica in magna neceſſitate cogere: quia talis defenſio eſt medium per ſe ordinatũ ad conſeruandam Rempublicam; occiſio autem ciuis innocentis, non eſt medium conſeruandi ciuitatem, niſi ex malitia tyranni, ſed potiùs vita & conſeruatio ciuis innocentis, vt benè docet D. Thomas hac quæſt. 64. art. 6.

Neque poteſt hîc nobis obijci factum Iehu & Samaritanorum, 4. Reg. 10. qui occiderunt ſic 70. filios Achab: quia vel Dei interceſſit mandatum, quem conſtat per Iehu voluiſſe delere domum Achab; vel ſanè peccarunt Samaritani ſi mundano timore ipſius Iehu, non autem reſpiciendo ad Dei voluntatem, de qua eos poſteà ipſe monuit, occiderint filios Regis.

*An liceat innocentem tyranno occidendum tradere.* Maiorem difficultatem habet altera pars dubitationis: recentiorum enim non pauci exiſtimant, tali caſu licere ciuitati innocentem tyranno tradere. Ita tenere videtur Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. numero 120. quamuis potiùs occupetur in euertendis quibuſdam fundamentis aliter ſentientium, quàm ſtabiliendis ſuis: imò tandem numero 125. ſatis indicat, ſe diſputando ſolùm fuiſſe locutum. Tenet etiam Lopez cap. 60. ſed cum formidine de oppoſito. Valentia De homicidio, puncto 2. dicit eſſe probabiliorem.

Oppoſitam ſententiam tenet Silueſter verbo Homicidium 1. quæſt. 2. Docet enim ex ſententia D. Thomæ, ſine vlla exceptione occiſionem innocentis non eſſe ordinabilem ad commune bonum. Sequitur idem apertiùs Toletus lib. 5. cap. 6. qui admittit quidem, teneri innocentem ſeſe offerre tyranno vt Rempublicam liberet; negat tamen licere Reipublicæ tradere. Similiter Sotus lib. 5. quæſt. 1. art. 7.

Probabilis indubiè eſt vtraque opinio, & quidem pro priori ita licebit argumentari:

*Argumenta pro parte affirmatiua 1.* Tradere innocentem tyranno, qui certiſſimò eum occidet, non eſt innocentem occidere: aliàs enim ne quidem ipſi innocenti liceret ſe tradere, cùm tamen auctores aduerſæ opinionis non ſolùm dicant hoc ei licere, ſed etiam ad hoc teneri: itaque etiamſi D. Thomas rectè dixerit, occiſionem innocentis non eſſe medium ordinabile ad bonum commune, non tamen propterea præiudicat huic opinioni, quæ non dicit licere occidere, ſed ſolùm tradere.

2. Secundò, Poteſt Magiſtratus cogere ciuem ſuum, vt ſeruet legem charitatis, præcipuè quando intereſt euidenter Reipublicæ: quod enim dicunt, non poſſe quempiam cogi ad illa quæ non debet ex Iuſtitia, manifeſtè falſum eſt. Videmus enim diuites iuſtè cogi, vt vendant ſibi ſuperflua frumenta pauperioribus, ad quod tamen ex iuſtitia non tenentur: ſimiliter ad dandam eleëmoſynam in caritate annonæ, ad vitandos ſumptus in conuiuia aut immodicas impenſas funerum, quod apud Romanos vſitatiſſimum fuit. Cùm ergo ciuis innocens teneatur ſe offerre tyranno, poterit vt id præſtet compelli: imò ſi nolit acquieſcere, iam eo ipſo fiet nocens, & poterit non ſolùm tradi, ſed etiam occidi ab ipſa Republica, ſeſe de inofficioſo membro vindicante.

3. Terriò, Si vnicum panem, ex quo vita eius pendet, habeat ciuis, poteſt cogi vt eum cedat in extrema famis neceſſitate Principi, parenti patriæ.

4. Quartò, Si tyrannus, alioqui occiſurus, velit vt te mutiles, licet tibi teipſum mutilare, vt ſuprà diximus; ergo & Reipublicæ licebit ſe priuare hoc ſuo membro in ſimili neceſſitate.

*Argumenta pro parte negatiua 1.* Pro poſteriori autem ita argumentor: In Republica benè conſtituta tale quid ſubinde petitum legimus, factum tamen non legimus. Nicanoris 2. Machab. 14. iſtæ ſunt minæ: *Niſi iudam mihi vinctum tradideritis, iſtud Dei templum in planitiem deducam*, &c. attamen eiuſmodi proditione populus ſibi non conſuluit, aut templo. Athenienſes etiam ſolius Demoſthenis traditione ciuitatem obſidione aliquando liberare potuerunt; ſed intellexerunt, non niſi magnum quoddam Reipublicę bonum à tyrannis ad exitium poſtulari. Quin & Pilati facinus in Chriſtum Dominum ex hac doctrina patrocinium inueniet, ſi licebat innocentem tradere voluntati Iudæorum, quando vidit quòd aliter nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret.

2. Secundò, Tradere innocentem tyranno, qui certò eum ſit occiſurus, eſt actio moraliter ſaltem deſtinata ad necem innocentis, ſicut tradere beſtijs deuoraturis; neque poteſt licitè fieri, niſi fortè volente ipſo innocente pro proximo mori; ipſe enim poteſt iuri innocentiæ ſuæ renuntiare, propter bonum charitatis, & aliquando debet: verùm ad hoc cogi non poteſt, ſicuti poteſt ad panem cedendum Principi, de quo ſuprà; quia in res externas Reſpublica hoc Iuris habet, vt neceſſitati communi ſeruire debeant, ſed immediatè in vitam innocentis eiuſmodi ius non habet.

3. Tertiò, Innocens habet ius ſe defendendi contra tyrannum; ergo & contra quoſcumque, etiam aliàs innocentes, qui ad hoc cooperantur vt ipſum ſuperet tyrannus & occidat: ergo etiam contra Rempublicam ſe tradentem ius habet defenſionis, quamuis ex charitate teneatur eo non vti: ergo Reſpublica non habet ius ipſum tradendi; quia nemo vtens iure ſuo facit alteri iniuriam, & non datur bellum vtrimque iuſtum.

4. Quartò, Si Princeps inuadat innocentem, etiamſi inuaſus fortè teneatur potiùs mori quàm occidere Principem, non tamen licet alicui tertio, cui nota ſit eius innocentia, iuuare in eiuſmodi oppreſſione Principem, tradendo ei innocentem occidendum, niſi fortè cùm fugere poſſit, videat quòd velit Principem occidere.

5. Quintum ſuppeditat D. Thomas dicta q. 64. art. 2. ad 3. Docet enim, non licere hominem occidere, quamdiu per peccatum non decidit à dignitate humana, prout ſcilicet eſt naturaliter liber, & propter ſeipſum exiſtit: quando autem peccauit, tum demum incidere quodammodò in ſeruitutem beſtiarum, vt de ipſo ordinetur ſecundùm quod eſt vtile alijs. Itaque in caſu noſtro Reſpublica non habet poteſtatem ordinandi vitam huius innocentis ſecundùm quod vtile fuerit alijs ciuibus.

*Reſpon. ad 1. argumẽti 1. ſententiæ.* Problematica eſt iſta quæſtio: ſi quis tamen velit ſequi opinionem poſteriorem, dicat ad primum oppoſitæ ſententiæ argumentum, Tradere innocentem tyranno, eſt cooperari ad occiſionem, quando non eſt rationabilis cauſſa id faciendi: eſt autem rationabilis, cur ipſe innocens ſeſe offerat, nimirum vt ponat animam pro fratribus; ſed non eſt rationabilis, ob quam Reſpublica inuitum tradat: itaque tradendo cenſebitur cooperari tyranno.

2. Ad Secundum, Etiamſi verum ſit, teneri innocentem hoc caſu ſe offerre tyranno, & mortem ſubire ne tota Reſpublica pereat; verum nihilominùs non eſt, ad hoc cogi poſſe per Rempublicam: non quia ex ſola charitate teneatur, aut non ex Iuſtitia, ſed quia vita innocentis non ſubeſt diſpoſitioni Reipublicæ. Neque enim eam Deus auctor naturæ ei ſubiecit, ſed ſimpliciter dixit: *Inſontem & iuſtum non occides.* Exod. 23. Deus ergo, qui vitæ noſtræ Dominus eſt, poteſt hoc lege charitatis præcipere; ſed Reſpublica neque poteſt præcipere, neq; poteſt ad implendum à Deo præceptum cogere: poteſtas enim quam à Deo habet, ordinata eſt ad conſeruandã vitam ciuium innocẽtium. Si propter malitiam tyranni hæc vita, quæ erat medium ordinatum ad Reipublicæ conſeruationem, fiat impedimentum ſalutis publicæ, ordinata poteſtas ipſius Reipub. hîc ſeſe ſiſtet: ſi enim procedat, non Dei in hoc erit miniſtra, ſed tyrãni. Neq; credibile eſt, Deum dediſſe Reipub. poteſtatem eoipſo aliquem occidendi, quò ſe iniuſtè occidendum non præbeat. Deinde quàm debile ſit hoc aduerſæ partis fundamentum ſuper iſta obligatione innocentis, vel inde patet, quòd illud locum non habeat in infante, qui ſimiliter ad mortem poſtularetur à tyranno: is enim nondum obligatur ſe tradere, cùm præcepti non ſit capax per ætatem. Sanè ſi tali caſu ius habeat Reſpublica tradendi vitam adulti, haberet etiam tradendi vitam infantis; ſicuti non minùs poteſt infanti cibum ſubtrahere, quo fortè in extrema famis neceſſitate caput Reipublicæ ſaluaretur, quàm adulto.

3. Ad Tertium, Hoc mirum non eſſe, quia Reſpublica, vt ſuprà dixi, in panem ius habet, eumque in ciue ſuo poſſidet; in vitam autem ciuis ius non habet, ſed vt anima Principis Dei, ita & ciuis eſt, nec altum nec propinquum in eam Reſpublica habet dominium.

4. Ad Quartum, Nego conſequentiam: quia in toto politico partes ſuppoſita ſunt diſtincta, & habent ſua iura diſtincta; ideoque niſi membrum Reipublicæ in ſe ſit corruptum aut corruptiuum, non licebit ei qui curam habet communitatis, illud abſcindere, aut vt abſcindatur cooperari. Poſſet tamen permittere, vt tyrannus vnum innocentem potiùs è medio tollat, quàm omnes ciues: poteſt inquam ſinere auferri, quem non poteſt offerre. Item poteſt excludere ciuitate innocentem, & non tueri contra tyrannum, ſed non poteſt nolentem tradere occidendum. Si enim obſides petat inno-

innocentes, quos speretur non occisurus, licebit mittere, quo modo Simon misit Tryphoni duos filios Ionathæ, 1. Machabæorum 13. tamquam obsides pro patre dimittendo, quos cum patre perfidus tyrannus occidit.

## CAPVT II.

### *De Homicidio casuali.*

### DVBIVM I.

### *Vtrùm Homicidium casuale sit peccatum? D. Thomas quæst. 64. art. 8.*

HACTENVS diximus de Homicidio ex proposito aut consulto admisso, nunc dicendum de eo quod sine occidendi animo casu aliquo admittitur, de quo meritò dubitatur, An sit peccatum, cùm non videatur esse voluntarium. Sanè quando merè casuale est, adeoque omnino inuoluntarium, non est peccatum: cap. Lator, De homicidio. Nam, vt Glossa in cap. finale, eodem, nemo tenetur diuinare.

*Homicidiũ merè casuale non est peccatum.*

Sed contingit quod casuale videtur, & hactenus est, quia actu & per se non est volitum, esse per accidens & interpretatiuè volitum; si nimirum non sit factum quod pro eo impediendo & præcauendo debebat fieri: nam qui remouet prohibens, censetur causam dare: censetur autem prohibens remouere, qui non ponit ipsum prohibens cùm deberet ponere. Itaq; tunc verè admittitur peccæum homicidij, quamuis non tam perfectè; peccatum enim interpretatiuè voluntarium pertinet ad speciem directè voluntarij: directè tamen volitum censebitur homicidium etiam tunc, quando proxima causa eius quæ natura sua sit sufficiens ad mortem, ex intentione exercetur.

### DVBIVM II.

### *Quomodo discerni queat Homicidium merè casuale seu inculpabile ab interpretatiuè voluntario, in eo qui dat operam rei licitæ?*

VTILIS hæc consideratio, quia iniustitiam & mortalem culpam cum effectu occisionis hîc ferè sequitur irregularitas in masculo baptizato, depositio in Clericis, & in omnibus obligatio restituendi. Quamuis autem formaliter loquendo & propriè, non multùm hîc conducat distinctio, an operi honesto vacabatur, an illicito; quia tamen ea distinctio in hac materia vsitata est, & quoad irregularitatem nonnullum vsum habet, in sequentem Dubitationem reiecimus illa, quæ peculiariter videbantur mouenda de vacante operi illicito.

*In occisione casuali culpa ex negligentia est metienda.*

Generaliter autem hîc dicere possumus, in occisione casuali, an culpa, & quanta sit, metiendum esse ex negligentia, quæ vel nulla, vel leuissima, vel leuis, vel lata, vel latissima interuenerit. Sanè quando nulla interuenit, occisio esse potest, non homicidium, nisi fortè merè casuale, & nullo modo culpabile: quando autem latissima culpa aut negligentia interuenerit, non est homicidium casuale, sed omnino voluntarium, vt patet ex dictis de restitutione in genere Dub. 5. quando leuis aut leuissima, poterit esse peccatum veniale, sed non denominabitur simpliciter homicidiũ. Debet ergo vt quis sit homicida casualis, adeoque homicidium casuale mortaliter culpabile, negligentia mortalis & grauis, siue culpa lata interuenisse in amoliendo periculo necis humanæ; sine ea enim non erit homicidium. Debet etiam abesse culpa latissima, quia alioqui non esset casuale. Itaque videndum quanta diligentia in cauendo homicidio communiter à circumspectis & prudentibus adhiberi soleat in eiusmodi contingentia: qui enim eam non adhibuerit, etiamsi aliàs operam det rei licitæ, incurret reatum homicidij. Et hæc quidem in genere: in particulari autem praxis dirigi poterit per eiusmodi regulas.

*Regulæ ad cognoscendum homicidij reatũ.*

1. Prima: Peccat mortaliter, qui aliquod opus etiam licitum exercet, cui adiunctum est periculum homicidij, nisi vel illud periculum inuincibiliter ignoret, vel non aduertat, vel opus tale omittere non possit, vel sufficientem pro ratione cogniti periculi cautionem adhibuerit, qua eiusmodi periculum elidat. Consulendũ est cap. Presbyterum, cap. Lator, cap. Ad audiẽtiam, cap. Dilectus, cap. Ex litteris, & aliquot sequentia, De homicidio.

2. Secunda: Quando opus non nisi admodum remotè habet eiusmodi periculum adiunctum, excusabitur non solùm qui ignorat illud subesse, aut non aduertit, sed etiam qui aduerterit posse subesse, modò secundùm moralem prudentiam iudicare potuerit, hîc & nunc non subesse, & ex altera parte iusta fuerit operandi causa. Exemplum erit in eo qui lapidem proiecerit in locum quem rarò homines transeunt, eoque quempiam occidit: item in Medico, qui potionem præbet prægnanti, vnde aliqualiter possit periculum infanti timeri.

3. Tertia: Quando opus habuit adiunctum periculum homicidij, ijsque adhibitis quæ sunt adhibita, non fuisset peccatum mortale non secuto homicidio, neque erit mortale eo casualiter secuto.

4. Quarta: Parum refert ad culpæ æstimationem, an sit admissa negligentia in omissione, an in commissione: verbi gratia, an ægro mortis causam dederis nimia agitatione, an nimio neglectu remedij necessarij. Facilius tamen contingit inculpabilis inaduertentia in omissione, quàm in commissione: multa enim omittimus, quæ singula non perinde facilè aduertimus, cùm præter vnum vix aliud simul agamus. Hinc cap. Quæsitum, De pœnitẽtijs & remissionibus, maior iniungitur pœnitentia opprimentibus infantes in lecto, quàm negligentibus in cunis. Quò etiam pertinet quod docet Couarruuias De homicidio 2. parte, §. 4. numero 9. eam culpam quæ leuis esset in committendo, fuisse grauem esse in committendo.

5. Quinta: Leuis culpa erit, quando periculum suberat parui vulneris, quæ magna foret si periculum mortis inde erat timendum. Patet ex dictis: quia prudentes solent maiora mala maiori cura præcauere.

6. Sexta: Contingit in foro externo puniri quem vt homicidam pœna corporali aut irregularitatis, aut compelli ad restitutionem, propter præsumptam culpam latam, cùm reuerà solùm fuerit leuis, aut etiam nulla: eoque casu forum conscientiæ, in quo non est locus præsumptioni, discrepabit à foro externo. Quomodo autem talis se exteriùs gerere debeat, alibi diximus.

DV-



### DVBIVM III.

### *Quando quis dat operam rei illicitæ, vtrùm semper ei imputetur Homicidium quod casu inde secutum fuerit.*

*Opinio Canonistarum.*

PVTANT quidam simpliciter, semper ei imputari. Est communis Canonistarum, imò & antiquiorum Scholasticorum. Fauet D. Thomas hîc art. 8. statuens hoc modo admisso homicidio incurri irregularitatem: quorum nonnulli eam adferunt causam, quòd effectus qui sequitur ex actione aliàs mala, semper imputetur ad culpam, etiamsi omnis fuerit adhibita cautela ne sequeretur. Verùm quidquid sit de irregularitate, qua potuit Ecclesia punire quodcumque delictum mortale, ex quo etiam sine negligentia secutà sit hominis occisio; non est probabile, homicidium ad culpam præsertim mortalem, ei imputari, qui de contingentibus nihil omisit quo illud præcauere, etiamsi ex aliquo alio eius peccato casu secutum fuerit. Diximus enim 1.2. ex mente D. Thomæ, circumstantiam quæ inuincibiliter ignoratur, non addere nouam malitiam.

*Verior sententia.*

Itaq; verior opinio est, etiamsi opus cui incumbis, non solùm sit illicitum, sed etiam in ordine ad homicidium, periculosum ex genere suo, modò eam moralem adhibueris diligentiam, vt secundùm prudentis iudicium satis excluseris omne tale periculum, non te maculatum iri reatu homicidij, quod fortuitò inde secutum fuerit; quamuis in foro externo, quando propter periculum homicidij tibi opus fuit illicitum, non facilè præsumaris satis eiusmodi euentum præcauisse. Et sic accipiendi etunt Canones, qui videntur eiusmodi casualem occisionem tamquam homicidium punire, vt videre licet cap. Tua nos, & cap. Sicut, De homicidio. Est hæc communior hodie opinio Theologorum, & insignium Iureconsultorum, Couarruuiæ Relect. De homicidio 2. parte, §. 4. numero 10. Castro De lege pœnali, lib. 2. cap. 14. Toleti lib. 5. cap. 7. Suarez De censuris, disp. 45. sect. 6.

Itaque ad incurrendam irregularitatem non sufficit quòd dabatur opera rei illicitæ, quamuis generatim ita asseruerit Glossa in cap. Dilectus, & in cap. Sicut, suprà De homicidio: cuius rei probabile argumentum à contrario sensu petitur ex cap. vltimo De homicidio, in 6. vbi dicitur: *Si mandas verberare, & mandatarius occidit, te esse irregularem; quia quando mandabas, hoc euenire posse debuisti cogitare.* Ergo, quando cogitare non debuisti, vt fit in opere illicito, sed non periculoso, non eris irregularis. Ac neque requiritur vera negligentia in cauendo homicidio, sed sufficit quòd præsumatur negligentia grauis & culpa mortalis, vt fias irregularis: semper autem Ius præsumit, quando opus propter periculum homicidij erat tibi illicitum, etiamsi solùm propter prohibitionem humanam, vt patet ex casu dicti cap. Tua nos: vbi Monachus de rigore dicitur factus irregularis, qui exercendo Chirurgicam sibi prohibitam, inciderat apostema cuiusdam mulieris, omni diligentia adhibita secundùm artis præscriptum, ex qua sectione per imprudentiam mulieris, mors secuta fuerat, quia nimirum propter periculum homicidij Monachis & Clericis eiusmodi sectio interdicta est per cap. Sententiam, Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotijs sese immisceant. Quare si ob aliam tantùm causam Clerico aut Monacho eiusmodi sectio esset interdicta, non fieret tali casu irregularis, sicuti nec laicus Chirurgus cui magistratus, in pœnam periurij verbi gratia, omne exercitium artis interdixisset; secùs si propter imperitiam.

Ad incurrendum verò peccatum mortale coram Deo, non sufficit quòd ex tuo opere tibi illicito secuta sit occisio, etiamsi illud intuitu talis periculi tibi fuerit inhibitum; sed requiritur, ne cautela sufficienti moraliter eiusmodi periculum censeri potuerit excluſum, quod facilè fit quando remotius est.

Quæres, An sit reus homicidij, qui volens occidere Petrum, cauit morali prudentia ne ibi esset Paulus, contigit tamen loco Petri per errorem Paulum occidere?

*Ex errore vnum pro altero occidens homicida est.*

Respondeo, omnino esse: quia quamuis occisio Pauli sit ei merè casualis, occisio tamen hominis non est casualis, sed satis voluntaria. Directa enim intentio occidendi hominem sufficit ad reale homicidium, etiamsi fuerit error in persona: neque enim amouetur ab hoc homine, qui directè telo petitur, per diligentiã periculũ necis.

At quid si non hominem petat, sed in incertum quasi aërem verberans tela iaciat, persuasus satisque prudenter existimans, neminem eo loci latere præter solum fortè Petrum qui occidi possit, & Petro non satis prouidentem, occidere contingat Paulum, cui satis prouidisse videtur?

Respondeo, Probabile fore, tali casu culpam quidem interioris peccati homicidij non defuturam circa occisionem Petri, sine exteriori tamen opere; & econtrà, homicidium Pauli fore sine interiori exterius tantùm, adeoque verè non fore homicidium culpabile, sed merè casuale. Ratio est; Quia circa neutrum homicidium directè attentatur; indirectè autem attentatum censeri non potest, nisi vbi de cõtingentibus aliquid omissum est. Itaque in hoc casu homicidij deformitas ignorata fuit, in præcedenti autem non fuit ignorata.

### DVBIVM IV.

### *Vtrùm teneatur is qui leue vulnus per iniuriam inflixit, de morte secuta negligentiã Chirurgi aut vulnerati?*

*Vulnerans quando non censeatur occidendi periculum fecisse præcauisse.*

RESPONDEO; Quando quis cum illa cautela percussit, vt certitudine morali omne periculum occisionis excluserit, non tenetur, neq; reus est tamquam homicida; sed solùm vt percussor, etiamsi mors secuta fuerit ex vulnere ob meram negligentiam aut malitiam vulnerati aut Chirurgi, aut cuiuscumque alterius: erit autem reus mentalis saltem homicidij, si ita periculum occisionis non excluserit, etiamsi vulnus per se non fuerit letale. Non censetur autem periculum satis excluisse, Primò, Si periculoso loco vulnerauit, verbi gratia in capite, vt patet cap. Presbyterum, De homicidio. Secundò, Si in ea ciuitate vulnerauit, vbi sciebat nullũ Chirurgum haberi posse. Tertiò, Quando vulnus eiusmodi fuerit, vt occasione eius læsus facilè incidere potuerit in febres letales. Quartò, Qui periculoso instrumento percussit. Nauarrus consilio 37. Quintò, Qui vulnerat non letaliter, sed ita vt vulneratus non possit fugere alios à quibus eum præuidere potuit occasione sui vulneris occidendum. Panorm. in cap. Significasti 2. de Homicidio.

Notanda autem hîc nonnulla differentia inter forum ciuile, Eccleſiaſticum, & internum. Vt in ciuili vulnerans abſoluatur ab homicidio, ſufficit probare quòd vulneratus ſua culpa triduo, verbi gratia, foris ambulãs mortis ſibi cauſſa fuerit, cùm vulnus non eſſet letale. In foro autem Eccleſiaſtico talis nihilominùs erit irregularis, ſi non cauerit ſufficienter, ne ex percuſſione ſua mors ſequi poſſit, & ea verè fuerit ſecuta, quamuis non niſi intercedente alterius malitia aut negligentia. In foro autem conſcientiæ interno erit reus homicidij, ſiue mors fuerit ſecuta ſiue non, modò tam incautè percuſſerit, vt non tam mors inde ſequens caſualis fuiſſet, quàm caſuale eſt vulnus non eſſe letale. Si tamen verè vulnus non fuit letale, & mors alterius defectu ſecuta fuerit, culpabilis de negligentia, quæ effectum aliter non habuit, in conſcientia non erit tractandus tamquam exterior homicida, quoad onus reſtituendi.

## DVBIVM V.

### *An tibi imputandum ſit, ſi mancipium tuum, fera, iumentum, aut filius hominem occiderit?*

*Si animal prohibere potueris, teneris de noxa.*

RESPONDEO; Si animal tuum noxiam fecerit, cùm prohibere potueris, teneris de noxia etiam homicidij, neque ſufficit ipſum animal noxæ dedere, ſed teneris Lege Aquilia, de toto damno. Si autem occiderit quando tu minimè poteras impedire, quia fortè ignorabas bouem eſſe cornupetam; optio tibi datur, an animal velis in compenſationem damni dare, an verò ipſe aliter damnum ſarcire; alioqui tunc homicidij reus non eris. Patent hæc ex cap.21.Exodi, & cap. Si culpa, De iniurijs & damno dato. Vbi tamen nonnulla eſt diſtinctio, quando animal ferum fuerit, eò quòd talia cùm nocere ſoleant, diligentiùs debeant cuſtodiri. At L.1.ff. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, accuratior eſt diſtinctio. Si enim contra naturam, & ſine hominis culpa nocuit, competit actio vt noxa dedatur: ſi contra naturam, & hominis culpâ, competit actio Legis Aquiliæ, ſcilicet de toto damno: ſi naturæ ductu ſine hominis culpa, nulla datur actio; vtpote ſi fugit vrſus, & infantem occidit.

*Quid ſi ſeruus nocuerit.*

De ſeruo ſtatuit L. Si ſeruus, ff. De noxalibus actionibus, quòd ſi domino ſciente ipſe occidit, dominus videatur occidiſſe: illa tamen domini ſcientia poſteà eodem titulo, L. In delictis, explicatur, vt non ſit niſi eius qui prohibere poteſt. Si ergo ignorante aut inuito domino nocuiſſet ſeruus, *ſumma ratione*, inquit Iuſtinianus in Inſtitutionibus, eodem, §.1 *permiſſum eſt noxæ*, id eſt, ipſius corporis quod nocuit, *deditione fungi*: namque erat iniquum, nequitiam eorum vltra ipſorum corpora dominis damnoſam eſſe.

Quæres, Quid ſi ſeruus pluribus noxam dederit, domino non ſciente, cui eum dominus dedet?

Reſpondeo ex L. Si quis, ff.eod. ſi ex illis ſeruum aliquis occupauerit, ei relinquetur; aliàs is præferendus erit, qui prior ad ſententiam peruenerit.

Quæres Secundò, An ante ſententiam debeat noxæ dedi ſeruus aut animal?

Reſpondeo; Verius eſt non debere, non quia lex pœnalis eſt, vt nonnulli dixerunt, ſed quia ex ſola lege poſitiua oriatur hæc obligatio, eaque non videatur diſponere, niſi vt poſt ſententiam dedatur. Argumentum dicta L. Si quis, & ſequenti: item citata L.1. Si quadrupes, &c. §. Et cùm etiam. Ibi enim dicitur, ſi ante litem conteſtatam deceſſerit animal, extingui actionem.

Hinc ſequitur, Dominum poſſe abſcondere animal aut ſeruum, ne capiatur ante ſententiam, vt docet Nauarra lib.2. cap.2. numero 35. Manendo enim in ſolo Iure naturæ, non magis dominus debet animal noxæ dedere, quàm debeat læſo tradere ſtatuam, quæ merè fortuito ſuo caſu ipſum læſerit.

Obijcies dictum cap. Si culpa, quo dicitur, quòd tenearis ad ſatisfactionem, niſi velis, animalia dando paſſis damnum, liberare te ipſum.

Sed reſpondeo, Pontificem hoc non dicturum fuiſſe, niſi Lex ciuilis ita diſponeret; itaque non intendit vlteriùs obligare quàm ipſa Lex.

Quæres Tertiò, Quid ſi ex duobus dominis, vno ſciente, altero ignorante, ſeruus deliquerit?

Reſpondeo; Innocentia ſocij nocenti ſocio non prodeſt, & viciſſim nocentia ſocij innocenti ſocio prodeſt, L. Si ex duobus, ff. ſuprà, De noxalibus actionibus. Si ſocio ſciente, & non impediente ſeruus nocuerit; ſeruus quidem dedetur noxæ, ſed iniquum fuerit, eum cuius culpâ ſeruus nocuit, conſequi aliquid à ſocio.

Quæres Quartò, Quid ſi animal quod noxiam commiſit quando meum erat, iam deſierit eſſe meum?

Reſpondeo, Læſum eo caſu in me non habiturum actionem, quia noxa caput ſequitur. L.1. ſuprà citata, ff. Si quadrupes, &c. Hæc de animalibus & ſeruis.

*Filij pro ſuis delictis conueniri poſſunt.*

De filijs olim erat eadem ratio, at §. Sed veteres, Inſtitut De noxalibus actionibus, illud corrigitur tamquam aſperum & inhumanum, iam tum vſu exauctoratum. Non tenetur ergo pater filium aut filiam noxæ tradere: in filij enim, & præſertim filiæ corpore aut pudore, ipſe pater periclitaretur, ſed ipſi filijſamilias pro ſuis delictis poſſunt conuenire.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm tenearis de morte tertij, ſecuta ex tuo maleficio in alium?*

*Cùm ex maleficio tuo ſequitur mors tertij, quando pecces.*

RESPONDEO; Vel maleficium tale eſt, vt ex eo nata ſit ſequi, aut plerumque ſequatur occiſio tertij; & tunc certum eſt, te reatum homicidij & ſimul obligationem reſtituendi contrahere, niſi fortè inuincibiliter ignoraueris tale eſſe. Vel omnino per accidens ex hoc tuo in iſtum maleficio ſequitur mors tertij; & tunc variè ad hoc potes eſſe diſpoſitus: vel enim ſcis aut ſperas ſecuturam, & intendis; vel ſcis quidem, ſed non intendis; vel neque ſcis neque intendis. Si poſtremo iſto modo fueris diſpoſitus, & de contingentibus nihil omiſeris ad mortem tertij præcauendam, non es reus eiuſmodi occiſionis. Verbi gratia, occidiſti Paulum cum quo Petrus habebat ſimultates: imponitur per falſos teſtes iſtud homicidium Petro, & à Iudice capitis damnatur, non es homicida Petri ſed tantùm Pauli, ſi nihil ſcieueris de illis ſimultatibus, aut occaſione iſta danda necis Petri per tuum homicidium. Eſt communis hæc omnium ſententia. Si ſecundo modo fueris diſpoſitus, quia probabiliter præuidebas ſecuturam mortem Petri, quam tamen non intendis; verius eſt te mortaliter quidem, quia non cauiſti, ſed ſolùm contra charitatem in Petrum peccaſſe: quamuis contrarium dicat Nauarra lib.2. cap.1. prope finem. Imò etiamſi primo modo fueris diſpoſitus, vt intenderis hac ratione mortem Petri, quamuis certum ſit quòd mortaliter pecces contra charitatem debitam Petro, & probabile quòd etiam contra iuſtitiam, adeoque

*An tantùm contra charitatem.*

ſecundo homicidio maculeris; probabilius tamen eſt, te peccare etiam tunc ſolùm contra charitatem, quod attinet ad opus externum occiſionis Petri; niſi in eo opere aliquid conferas, quod per ſe faciat ad diuertendam ſuſpicionem homicidij in caput Petri: verbi gratia, ſi gladio Petri occideris, eumque cruentatum familiæ Officialis inſpiciẽdum reliqueris. Hinc ſequitur, Etiamſi quis furando theſaurum Petri, intendat eius mortem per mœrorem, non tamen fore irregularem morte ſecuta.

Contra iam dicta ſentit Lopez cap. 63. pro quo ita licebit argumentari:

Contingit eo ſolo iniuriam fieri proximo, quòd fiat aliquid animo nocendi, vt patet L.2. §.9.ff. De aqua, & aquæ pluuiæ arcendæ. vbi dicitur iniuriam facere, qui auertit flumen vt vicino noceat, non autem ſi faciat ne ſibi noceat. Deinde, qui occidit illum cum quo Petrus habet ſimultates, non minùs videtur operari in particulari vt ſuſpectus homicidij reddatur Petrus, quàm ſi eius gladio occidiſſet.

Reſpondeo ad Primum cum Soto, lib.4. q.6. art.3. Quando vtrùm iure tuo vtaris, ex animo quo operaris pendet, contingit ex animo tuo pendere, vtrùm proximo facias iniuriam nec ne: atque ita eſt in auertente fluuium; habet enim quiſque ius auertendi fluuium ne ſibi noceat, non habet autem ius auertendi vt alteri noceat. Animus itaque nocendi proximo in caſu Legis primariò influit in externum opus diuertendi fluuium; in propoſito autem noſtro, animus nocendi Petro non niſi acceſſorius eſt, & minùs proportionatus tali actui externo quo occidis Paulum, neq; ex eo pendet quòd iure tuo vtaris.

Ad Poſterius dicendum, non eſſe æquale indicium quòd Paulum occideris, ex eo quòd ſimultates cum ipſo habebas, ac ex eo quòd gladio tuo occiſus ſit: illud enim poſterius indicium eſt coniunctum cum facto. Deinde inimicitias illas Petri cum Paulo non ponit, neque procurat occiſor, ſed inuenit; gladium autem cruentatum ponit.

# CAPVT III.

## *De reſtitutione Homicidæ.*

## DVBIVM I.

### *Debeátne aliquid reſtitui pro vita, membro, aut cicatrice?*

*Duplex damnum infert homicida.*

DVPLEX damnum per iniuſtitiam infert occiſor, mutilator, vulnerator: vnum perſonale in vita, membro, vulnere, cicatrice, aut deformitate; alterum in rebus, quarum acquiſitio vel conſeruatio pendebat ex vita aut corpore integro & illæſo. De hoc in ſequentibus dicemus.

*Prima opinio.*

Hîc autem quærimus, An præcisè aliquid pro damno illo perſonali reſtituendum ſit, quando in rebus vel nullum eſt illatum, vel iam reparatum. Eſt enim ea multorum opinio, quòd pro his debeatur reſtitutio, aut ſanè, quod in eodem genere reſtitui non poteſt, in alio nihilominùs, quoad fieri poteſt, compenſandum eſſe ad arbitrium boni viri: pro vita quidem occiſi heredibus, ipſi autem mutilato aut læſo, pro mutilatione aut vulnere. Huius ſententiæ eſt Sotus lib.4. De Iuſtitia, q.6. art.3. ad 3. Adrianus in 4. De reſti. q. vlt. Scotus ibid. diſt.15. q.3. Richardus art.5. q.2. Gabriel quæſt.15. Silueſter verbo Reſtitutio 3. §.2. Aragonius hic q.62. art.2. qui dicit eſſe communem, & videtur fauere D. Thomas ibid. ad 1. Lopez cap.71. non ſolùm dicit eſſe communem, ſed oppoſitam eſſe falſam & parùm tutam.

*Altera ſententia, pro damno perſonali nihil perſoluendum eſſe.*

Altera opinio huic contraria indicatur à Magiſtro lib.4. diſt.15. §. vltimo. Tenent multi recentiorum, Bannes, & Victoria ab ipſo citatus, Nauarrus Enchiridij cap.15. numero 22. Nauarra lib.4. cap.1. numero 80. & alij: eſtque hodie communior, & videtur verior, quia Scriptura ſacra Exod.21. vult læſo reſtitui operas eius & impenſas in Medicos, nulla facta mentione vlterioris reſtitutionis pro damno perſonali. Senſit itaque, pro eo nihil eſſe reſtituendum, vt ex eo loco collegit Gloſſa in cap.1. De iniurijs, quam approbat ibi Panormitanus.

Dices cum Richardo, loqui Scripturam de caſu quo ita vulnus per Medicos ſanatum fuerit, vt nulla manſerit cicatrix.

Reſpondeo, Scripturam generatim loqui de omni caſu quo læſus ſurrexerit & ambulauerit foris ſuper baculum ſuum, quod fieri ſolet remanente adhuc cicatrice.

Dices Secundò, Eodem capite Exodi iubetur dominus excuſſum ſeruo oculum aut dentem compenſare libertate.

At Reſpondeo, hoc in pœnam conſtitui, non in propriè dictam reſtitutionem: quamuis in ipſa punitione videatur etiam reſpici ad commodum quod ſeruo erat ex oculo aut dente, & propterea fortè hæc membra exprimantur, quòd in eis non tam appareat vtilitas ex ſeruo, quàm ipſi ſeruo proueniens.

Secundò, Reſponſioni noſtræ fauent Leges, quæ dicunt corpus liberum nullam recipere æſtimationem, ideoque cicatrices & deformitates non venire æſtimandas. Ita L. vlt. ff. De his qui effuderint vel deiecerint, & aliæ quas citat Gloſſa ſuprà citata. Neque verum eſt quod Lælius & alij ex aduerſarijs dicunt, propter has Leges in foro quidem exteriori non deberi reſtitutionem, deberi tamen in foro conſcientiæ: quomodo enim æſtimatio debebitur vel in conſcientia, quæ fieri non poteſt? Deinde, quæ ratio erit, quare hîc conſcientia non ſequatur forum exterius, cùm ipſum non procedat ex præſumptione, ſed æſtimationis impoſſibilitate; præcipuè cùm talia æſtimare vel maximè videatur ad forum exterius pertinere?

Tertiò, Non eſt obligatio Iuſtitiæ commutatiuæ, niſi vbi poteſt ſeruari proportio arithmetica,

tica, id est, æqualitas rei ad rem: atqui in restitutione pro vita, membro, aut cicatrice non seruatur proportio arithmetica; neque enim potest quod ablatum est per hominem, restitui in se vel in æquivalenti: ergo eiusmodi restitutio non est ex obligatione Iustitiæ commutatiuæ. Quod enim Scotus vult, vt pro Religione aut Republica vitam exponat homicida, ad iniuriæ reparationem aut satisfactionem respectu Reipub. aut Dei pertinere poterit, non autem ad restitutionem quæ fiat occiso aut filijs eius.

*Obiect.1.* Obijcies Primò, Si cui deberes pecuniam infinitam, ita vt secundùm æqualitatem reddere non posses, maneres nihilominùs obligatus ad mille tradenda quæ fortè soluere poteris: ergo licet vita non habeat proportionem ad centum aut mille aureos, eos nihilominùs teneberis in compensationem homicidij numerare, vt aliquousque saltem restituas.

*Resp.* Respondeo, istud non sequi: quia in casu antecedentis æqualitas seruatur inter partem debiti, & id quod præstatur; in nostro autem casu nihil tale locum habet, sed toto genere suo alterius ordinis est vita quàm pecunia, ideoque hanc secundùm partem compensationem non admittit, sicuti pro re minima spirituali non valeret pretium maximum pecuniarium.

*Obiect.2.* Obijcies Secundò, Parentibus, à quibus vitam accepimus, non possumus reddere æquivalens, pro vita tamen accepta debemus eis omne genus officij; ergo pro vita alicui adempta debebimus eius heredibus quod præstare poterimus, etiamsi æquivalens reddere nequeamus; similiter læso pro membro aut cicatrice.

*Resp.* Respondeo, neque nos omne debitum negare in consequente, neque in antecedente satis probari debitum illud restituendi ex iustitia, sed potiùs ex pietate.

*Obiect.3.* Obijcies Tertiò L.1. ff. De his qui effuderint vel deiecerint, vbi dicit Prætor: *Si eo ictu homo liber periisse dicetur*, 50. *aureorum iudicium dabo.*

*Resp.* Respondeo, Hanc non esse æstimationem ad restituendum, sed condemnationem ad pœnam, vt ibidem dicit Iureconsultus. Cùm enim casuale sit homicidium de quo agitur, homicida non punitur pœna ordinaria, quia casuale est; neque tamen à pœna liber est, quia homicidium est; neque ad duplum condēnatur, vt fit in seruis & animalibus, quia hominis liberi vita inæstimabilis est.

*Obiect.4.* Obijcies Quartò, Si mancipium occidas, imò si canem, teneris pro vita eius; ergo multo magis si dominum eius occideris, aut alium quemuis hominem liberum. Ita ferè Scotus & sequaces.

*Resp.* Respondeo, De cane mirum non est, quia eius vita propriè est in dominio hominis: de mancipio autem ita statuit Lex, quia vt dicitur Exod.21. *est pecunia domini*; non quòd serui vita sit in dominio hominis (hoc enim verum non est, quia ad imaginem Dei conditus, quoad vitam suam in solius Dei est dominio; quod etiam gentiles lumine naturæ cognoscentes, puniebant dominos qui seruos occidissent:) sed quia ius habet dominus, vt tota vita sua seruus sibi in illa parte vitalium operationum seruiat, quæ operarum & seruitij nomine censeri solent. Quo etiam fit, vt Interpretes dicant, de seruo Hebræo, qui erat anno Iubilæi dimittendus, non procedere mitigationem Legis circa dominos occidentes seruos.

*Obiect.5.* Obijcies Quintò, Saltem pro iniuria aliquid præter damna realia restituet occisor.

*Resp.* Respondeo, Pro iniuria satisfaciet, sed non propriè restituet. Si honorem læsit, restituet vt aliàs honor restitui solet. Pro iniuria tam publicè quàm priuatim, vt tam ipsa quàm accusatio remittatur, pecuniam exigi posse docet Couarruuias lib.2. Variarum resolution. cap.10. numero 7. Vbi & illud addit, post remissionem quoad odium & rancorem in animæ iudicio non censeri remissum ius accusandi, & iniuriam deferendi ad exteriorem Iudicem. Verùm de damno vitæ non propterea conueniri potest homicida; de reali autem in sequentibus dicemus.

*Pro iniuria exigi potest pecunia.*

## DVBIVM II.

### *Vtrùm Homicida teneatur ad expensas in Medicos & exequias?*

*Occisor tenetur ad expensas in Medicos.* RESPONDEO, De impendijs in Medicos certum est teneri, vtpote quorum caussam dedit: quare & lex Moysaica obligat percussorem ad eiusmodi expensas, Exod. 21. Idem apertè dicit L. Qua actione, ff. Ad Legem Aquiliam. Consentit communis DD.

*Quandò teneatur ad expensas funeris.* At maior est difficultas de expensis funeris & exequiarum: tenent enim quidam, ad eas homicidam obligari. Ita Nauarrus cap. 15. numero 22. qui dicit ante se neminem hoc expressisse. At sanè ratio Nauarri non conuincit, aliter ad eiusmodi expensas teneri homicidam, quàm prout earum fuerit caussa. Itaque si non plures factæ sint expensæ quàm futuræ erant, si non occisus, sed in die suo mortuus fuisset, harum ratione non grauabitur homicida. Quòd enim citiùs fiant, non videtur cedere in grauamen heredum, ad quos præcipitatur hereditas cum omni reali interesse: hereditati enim hoc computabitur in lucri cessantis æstimatione. Consulendus Petrus Nauarra lib.4. cap.1. numero 73.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm Homicida teneatur ad damna realia?*

*Homicida tenetur ad damna realia.* HOMICIDAM, mutilatorem, aut percussorem teneri occiso aut eius heredibus, mutilato vel læso, de lucro cessante & damno emergente, certissima doctrina est, quæ probari potest Exodi 21. vbi percussor damnatur non solùm ad impensas in Medicos, sed etiam ad operas, vt patet ex Glossa ad cap.1. De iniurijs, cui conformes sunt Interpretes illius loci, Lyra, Dionysius, & alij. Quamuis autem textus solùm videatur loqui de percussore, monet tamen Lyranus, etiam agere de occisore, eo nimirum casu, quo homicidium præsumitur non tam ex vulnere quàm negligentia curationis secutum. Verùm ex eo nihilominùs propositum nostrum generalius sequitur per argumentum à minori.

Probatur Secundò L. Ex hac, ff. Si quadrupes. *Ratio habeatur*, inquit, *non deformitatis, sed operarum amissarum, quasque amissurus quis esset inutilis factus*. Argumentum item erit ex L. Qui occidit, ff. Ad Legem Aquiliam, & cap. finali De iniurijs, vbi dicitur, videri damnum dedisse, qui occasionem damni dederit.

Probatur Tertiò ratione. Qui enim furatus fuerit instrumentum artis, quo operarius victum quærere solebat, restituet non solùm valorem instrumenti, sed damnum quod intulit: itaque etiamsi pro vita, membro, aut deformitate nihil dandum erit, dabitur tamen reliquum damni, tamquam pro coniuncto instrumento, per iniuriam sublato: mirum enim erit, quòd ad interesse teneretur qui securim fabro excussisset, non autem qui manum abscidisset.

Hinc sequitur, Quia mulier ex percussione mutilata aut deformata, maiori dote indiget vt nubat, percussorem teneri ad huius damni æstimationem. Ita Couarruuias lib. 2. Variarum resolut. cap.10. numero 7. Vbi & illud notat, damna realia posse etiam illum exigere, qui iniuriam remisisset, aut pro ea pecuniam accepisset.

*Quæ deluctu impeditu obseruanda.* Ceterùm quamuis de damnis restituendis satis inter se conueniant DD. de lucris tamen impeditis compensandis nonnulla supereſt difficultas. Videndum enim, sintne integrè restituenda, sicut damna; an verò solùm quanti valebat spes eorum: secundò, quamdiu præsumi debeat victurus fuisse, aut impediendus ab eiusmodi lucris: tertiò, an in his lucris nihil debeat detrahi pro æstimatione eius quo læsus laborem lubens redemisset: quartò & postremò, in quibus æstimanda sint hæc lucra, an in omnibus, an in solis illis qui artificio aliquo victum quærebant.

*Sufficit restituere quantum valebat spes lucri.* Ad Primum respondeo, Sufficere quòd restituatur quanti valebat spes lucri, deductis expensis consueris & necessarijs; non autem illis quas vel prodigè vel merè liberaliter facturus erat. Est communior opinio, Petri Nauarræ suprà numero 71. Soti lib.4. quæst.6. art.3. ad 3. quamuis videatur dissentire Nauarrus cap. 15. numero 24. Scotus in 4. dist. 15. quæst. 3. & ex eo Adrianus, De restitutione, sub finem.

*Anni vita hominis quousque cōputandi.* Ad Secundum respondeo, Non placere hîc quod quidam dixerunt, vt Graffius lib. 2. cap. 66. quemlibet debere præsumi victurum vsque ad centum annos, eò quòd L. vlt. C. De sacrosanctis Ecclesijs, Imperator dicat, longissimum tempus vitæ humanæ præsumi centum annorū: aut quod alij voluerunt ex L. Computationi, ff. Ad Legem Falcidiam, eum qui minor fuerit triginta annis, præsumi adhuc victurum triginta annis: si autem fuerit triginta annorum aut ampliùs, præsumi victurum vsque ad sexagesimum annum. Quæ sententia tolerabilior erit, si & illud ex eadem Lege addatur, eum qui excesserit sexagesimum annum, præsumi adhuc quinque annis victurum. Sic enim illud incommodi tollitur, quòd operæ non essent restituendæ pro occiso, qui excessisset annum sexagesimum. Verùm aliud nihilominùs manet incommodum: sequitur enim, quòd minùs pendet qui occiderit hominem quinquaginta octo annorum, quàm qui sexaginta vnius: hic enim soluet operas quinque annorum, iste solùm duorum.

*Quamdiu aliquis præsumatur victurus prudens iudicabit.* Rectiùs ergo rem istam totam prudentis iudicio remiserimus, qui consideratis circumstantijs, ad eum ferè modum iudicabit, quo de reditibus vitalibus solet. Ita Pet. Nauarra. Nam quod nonnulli dicunt, vniuersim lucrum ad vitam quinquaginta aureis iure taxatum esse, non placet; tum quia, vt suprà diximus, Lex quæ homicidæ quinquaginta aureos iniungit, eos statuit in pœnam, non in compensationem damni: quinimò iniqua foret, si id faceret: hoc enim non esset aliud quàm cuiuis pedi vnam crepidam aptare, cùm maxima sit varietas in quantitate lucrorum.

At Quæres, Quid si occisus nihilominùs à Iudice aut latrone erat occidendus, à quo nullum heredes sperare poterant compensatum iri interesse?

*Quousque prosit homicida, quòd occisus aliunde erat occidēdus.* Respondeo, Non iuuabit homicidam quòd à Iudice debebat occidi qui occisus est, nisi certò aut admodum probabiliter fuerit occidendus: tunc autem si occisio erat iusta futura, non tenebitur ad compensanda damna realia, quia reuerà eorum non ita est efficax caussa, quin personæ ipsius vitio nihilominùs euenissent, non secùs ac si iam moribundum, aut incurabili morbo laborantem occidisset, aut naufragio iam pereuntem. Secùs si erat à latrone aut aliàs iniustè occidendus: quia fortuna ea est heredum, quòd in te, præueniendo tuo homicidio alterius maleficium, conuertas ipsorum actionem, à quo potiùs restitutionem sperent.

*Pro æstimatione laborū nihil detrahēdum.* Ad Tertium, Sententia est Maioris, detrahi posse æstimationem laboris: verùm communis hoc non permittit, quia sic ferè inutilis esset hæc restituendi obligatio: labor enim in communibus operarijs tanti æstimatur, quanti ipsa merces; hæc enim cōdignitatem & æqualitatem dicit ad ipsum laborem: itaque si eius deducenda sit æstimatio, nihil supererit restituendum. Deinde nomine operarum, quas Lex diuina & humana restitui iubet, non venit intelligendum lucrum quod restet subducta æstimatione laboris, sicut in mercatu lucrum dicitur quod vltra sortem & impendia in operas & similia supereſt; sed verè secundùm latitudinem suam tota laboris merces.

Vnde sequitur, Etiamsi certum esset, quòd bona portione lucri libenter operarius laborem redemisset, non tamen eam portionem posse ei aut ipsius heredibus detrahi, quando restituit percussor. Verùm vt hæc deductio fiat, opus est absoluto & libero consensu partis læsæ, subsequente ipsam læsionem; sicuti cuiuis operario quem impediuisses à diurno suo opere, etiamsi non occupasses, sed otiosum detinuisses, tenereris in solidum de denario diurno, etiamsi ipse maluisset aliqua parte mercedis laborem redimere, quod ferè ordinariè præsumi potest.

*Quibus fit restituendū pro lucris.* Ad Quartum respondet Baiardus §. Homicidium, numero 69. In illis solis æstimari, qui exercebant aliquam artem. Rosella tamen verbo Restitutio 3. vult nihilominùs etiam tunc æstimari interesse arbitrio boni viri. Quod in conscientia videtur æquius: nam altera sententia conducet in foro exteriori, vbi multū præsumptioni tribuitur.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm heredes Homicidæ teneantur pro ipso restituere?*

*Heredes ad damna realia tenētur, non ad pœnas pro iniuria.* CERTVM est secundùm omnes, teneri heredes pro viribus hereditatis ad sarcienda realia damna, quæ defunctus dedit per homicidium, cap. vlt. De sepulturis, cap. In litteris, De raptoribus. Ad pœnas autem, aut mulctas pro iniuria, non tenentur, nisi fortè ante mortem eius lis fuerit contestata. L. Ex iudiciorum, ff. De accusat. Hinc sequitur, Si fiscus succedat, etiam ipsum teneri ad damna ista realia, L. Non possunt, & L. In summa, ff. De iure fisci.

*Vltra vires hereditatis non tenetur*

At Quæres, Vtrùm teneantur vltra vires hereditatis, si non fecerint inuentarium. Glossa in cap. In litteris, suprà citatum, videtur eos tunc obligare; sed Iulius Clarus lib. 5. quæst. 51. dicit esse communem, etiam tunc non obligari: & hoc sequitur Panorm. in idem cap. In litteris; qui tamen etiam vltra vires hereditatis, non confecto inuentario, obligat heredem, cui defunctus iam pœnitens eiusmodi satisfactionem iniunxisset. Cetera cùm benignius sit agendum cum heredibus quàm cum ipso homicida, & ipse non debeat in extremam aut grauem conijci necessitatem vt restituat, multo minùs heredes, qui tantùm ratione rei acceptæ, aut ex delicto alterius tenentur, erunt conijciendi, vt benè Arragonius.

## DVBIVM V.

### *An excusentur à restitutione heredes Homicidæ, qui luit pœnam capitis?*

*Sententia quorundã.*

NON satis hac de re consentiunt DD. quidam enim dicunt, tunc à restitutione esse liberos. Ita Scotus dist. 15. quamuis subobscurè loquatur; Gabriel ibid. quæst 15 Rosella verbo Restitutio 3. Bannes hîc quæst. 62. art. 2. quos sequitur Emanuel verbo Homicidium, in casu quo heres occisi egisset ad pœnam talionis. Facit pro hac opinione textus in Exodo c. 21. qui non statuit vllam restitutionem, quando pœnam talionis homicida luit.

*Verior sententia, teneri heredes etiamsi homicida capite plectatur.*

Altera tamen sententia verior est, de rigore deberi etiam tunc restitutionẽ damnorum realium. Ita Couarruuias lib. 2. Variarum resolut. cap. 10. numero 7. Nauarrus cap. 15. numero 25. Petrus Nauarra lib 4. cap. 1. numero 91. Lopez 1. parte, cap. 72. Probatur; Si fur, qui rem tuam abstulit, in vindictam criminis suspendio tollatur, tibi nihilominùs res ablata redderur: ergo etiamsi in vindictam sceleris, & vt ceteri audientes timorem habeant, tollatur è medio homicida, incumbet nihilominùs eius heredibus damnorũ restitutio: restituendo enim homicida non satisfacit pro iniuria quam Respublica punit, etiam quando occisus talis esset vt nulla secundùm superiùs dicta deberetur restitutio. Itaque quando punitus, aut eius heres restituit, non punitur bis in idipsum. Imò videtur hoc extendendũ, vt etiam locum habeat, quando agente herede occisi talionis pœna secuta esset. Diximus enim suprà, debere offensis restitutionem damnorum, etiamsi pro iniuria pecuniam accepissent. Item videtur hoc onus etiam ad fiscum transire, quamuis Iulius Clarus suprà §. Homicidium, numero 23. queratur hoc malè in praxi seruari. Denique etiamsi homicida aut percussor esset absolutus ab inquisitione, potest offensus, aut eius heres, contra ipsum ciuiliter agere ad damna & interesse, vt docent communiter iureconsulti, quos citat Baiardus sup. num. 70.

Limitanda tamen hæc sententia, vt locum non habeat, vbi eiusmodi rigorem vsus exauctorauerit. Ibi enim saltem antequam heredes occisi eam exigant, non erunt obligandi heredes homicidæ qui capite luit, ad damnorum restitutionem: censentur enim heredes occisi, cùm ille sit mos ingenuorum, pœnam talionis homicidæ non solùm pro vindicta publica acceptare, sed pro satisfactione & restitutione sibi priuatim debita.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm teneatur ad restitutionem qui in defensione moderamen excessit?*

*Qui excessit moderamẽ non fugiendo, non tenetur restituere.*

CERTVM est Primò, Qui non aliter excessit moderamen inculpatæ tutelæ, quàm quia non fugit cùm debuerit ex charitate aut religione, non teneri ad restitutionem, etiamsi substiterit, & inuasorem occiderit; quia licet moraliter peccauerit, non tamen contra iustitiam.

*Neque qui tantùm veniabiliter peccauit extendendo.*

Certum est Secundò, Eum qui tantùm veniabiliter peccauit contra iustitiam, quomodocumque excedendo in sua defensione, non teneri in conscientia ad restitutionem. Cùm enim damnorum materia grauis sit, vt suppono, fieri non potest, vt sufficientẽ ipse eorũ causſam dederit, ita vt ad restitutionẽ sit obligandus, nisi mortaliter peccauerit, secũdùm ea quæ diximus sup. Tract. 2. disp. 5.

*Prouocatus liber est à restitutione.*

Certum est Tertiò, Quando Petrus te prouocauit, etiamsi defendendo excesseris moderamen, à restitutione te fore liberum; quia prouocando censetur restitutionem remisisse. Idem in vtroque locum habebit, si duo se mutuò prouocauerint. Ita Bannes, & alij.

*Inuaso excedit interdum dulgetur.*

Probabile etiam est, Quotiescumque inuasus excedit moderamen tutelæ non ita atrociter, quin etiamsi contra iustitiam mortaliter peccet, iusto dolori aliquid indulgendum videatur, non eum cogendum esse, vt integrè damna restituat, sicuti qui dolo aut culpa latissima proximum extra defensionem occidisset, sed ex æquitate aliquid minuendum esse, considerata enormitate inuasionis, ratione cuius non solus inuasus, sed ipse sese inuasor quasi occidisse, causſamque necis dedisse ex parte considerari potest, atque adeò in ferendis damnis cum inuaso debere conferre. Ita videtur docere Siluester verbo Restitutio 3. quæst. 2. numero 2. Angelus verbò Restitutio 1. §. Homicida, Vbi nota, non poni huius doctrinæ fundamentum in eo, quòd inuasus minùs peccet; istud enim solidum non est, quia pœna quidem respondet culpæ, restitutio autem respondet damno dato: nam etiam quando eius obligatio culpam supponit, quantitas nihilominùs ex culpa non spectatur, quod benè obseruarunt Nauarrus & Nauarra. Sed pro fundamento est, quòd occisus causſam dederit, vt indicat Siluester, & nuper explicuimus; vel vt Angelus, considerandum quòd difficillimum sit iustum temperare dolorem; vt dubium videri queat, an passio & indeliberatio non reddiderint culpam leuem, de qua non teneatur. Pro qualitate ergo dubij ad arbitrium boni viri restituet. Ceterùm quando manifestè atrox est defensio, vt si pro re minima inuasor occidatur, integrè restituet, non secùs ac si ipse inuasisset.

*Fundamentum huius sententiæ.*

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm Homicida teneatur ex iustitia orare & satisfacere pro anima occisi?*

DVPLICI titulo videri possit teneri: Vno, quòd hac ratione compenset damnum personale vitæ; æquissimum enim censent DD. qui obligant homicidam ad huius damni compensationem, vt eam faciat per orationes & satisfactiones, quæ prosint animæ defuncti. Ita Scotus dist. 15. quæst. 3. Altero, quòd videatur homicida verè causſam dare, quare in Purgatorio pro suis peccatis longiores & acerbiores pœnas luat occisus, quas, si diutiùs eum hîc viuere permisisset, omnino statuerat per opera satisfactoria redimere. Itaque videbitur de hoc damno non minùs teneri, quàm de temporalibus damnis. Ita tamquam probabile docuit P. Nauarra lib. 4. c. 1. n. 99.



*Homicida non tenetur ex iustitia ad compensationẽ per orationes.*

Respondeo quoad primum titulum: Quamuis salutare sit homicidæ, vel eiusmodi pietatis officia per se vel alios occiso sponte impendere, vel loco satisfactionis in Sacramento iniuncta ad arbitrium Sacerdotis subire; ad eiusmodi tamen compensationem ex iustitia non teneri. Diximus enim suprà, iustitiam non obligare ad restitutionem per compẽsationem rei incommensurabilis, qualis est inferioris aut superioris ordinis: neque enim habet praxis piorum, aut sensus Doctorum, vt qui non potest soluere debitum pecuniarium, teneatur ex iustitia, laudãdo aut orando compensare. Itaque hæc compensatio tum demum ex iustitia debebitur, quando ita Iudex iniunxerit, aut cum heredibus occisi conuentum fuerit, vt pro satisfactione iniuriæ, curet homicida orationes & eleemosynas pro occisi anima.

*Nisi Iudex iniunxerit.*

De altero titulo maior est difficultas: attamen verius est, nec illum sufficere ad obligationem iustitiæ; occultius enim est illud si quod subsit ius satisfaciendi in hoc sæculo, quàm vt ex eius æstimatione ex iustitia teneri queat, qui occidendo à satisfactione pro peccatis impediuerit. Ita videtur sentire Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 3. ad 3.

## DVBIVM VIII.

### *Quibus Homicida restituet?*

*Restituendum heredibus necessarijs occisi.*

EX damnis realibus quæ restituit homicida, quędam directè illata sunt defuncto, vt damnum ipsi emergens, aut lucrum cessans: & hæc restituenda sunt heredibus veris quibuscumque, sine necessarijs, siue extraneis, qui plenè succedũt in ius defuncti. Alia non inferuntur directè defuncto, sed alijs qui commodum ex ipso percipiebant, aut percepturi erant; quales sunt filius, parens, vxor, famuli, creditores, pauperes, &c. Est autem inter hos differentia, quòd quidam ita coniuncti sint defuncto, vt vnum censeantur cum ipso, vt parentes, coniunx, proles: & his satis inter DD. conuenit, debere restituere homicidam sua damna, verbi gratia, alimenta, si ab occiso alebantur. Ita Sotus suprà; quamuis non tam accuratè vocet hos omnes heredes necessarios, quia coniunx non est inter heredes necessarios, quando cum dote susceptа fuerit, & commodè habet vnde viuat, vt diximus sup. De testamentis Dub. 12. Attamen tolerari poterit modus loquendi Soti; cùm eodem casu probabile sit, homicidam vxori non teneri de alimentis, sicuti nec parenti, quando neque heres est occisi, neque ab eo alebatur, & aliunde viuere potest. Ratio autem principalis huius doctrinæ est, Quia eiusmodi vnio quæ est inter coniuges, inter parentem & prolem, facit vt vnus censeatur lædi quando alter læditur; læditur enim quasi in parte sua.

*Heredes necessarij quos dicãtur.*

*Si occisus remiserit, nã tenetur.*

Quæres, Quid si remiserit occisus eiusmodi restitutionem?

Respondeo, tunc homicidam excusari, quia iniuria cessat in alimentorum impedimento: volenti enim non fit iniuria, & coniunctis hîc non quæritur ius, nisi interueniente iniuria in defunctum. Ita Bannes quæst. 62. art. 2. dub. 6. ad 1.

*Non tenentur fratribus,*

At difficultas est de alijs, fratribus, cognatis, famulis, pauperibus, creditoribus, quos fortè occisus alebat.

Verùm probabilius est, nisi intenderit his nocere, ad nullam eis restitutionem teneri. De fratribus & cognatis patet, quia non sunt heredes necessarij, neque censentur vnùm cum defuncto: itaque etiamsi eos alebat defunctus, & ei ab intestato succedant, agereque possint de iniuria, & pecuniam pro ea accipere; nihil tamen accipient in compensationem alimentorum quæ à defuncto accipiebant. Ita Sotus & Bannes sup. Lopez c. 71. & alij. De Pauperibus res satis est manifesta: est enim homicida causſa solùm per accidens & remota, quare eis non detur eiusmodi eleemosyna; qualis etiam ille est, qui per ludum illicitum aliquem in pauperes liberalem exuit fortunis omnibus, vt iam eleemosynas largiri nõ possit. De creditoribus, quamuis Lælius contradicat, certum est, peculiariter eis non esse obnoxium occisorẽ, quia vel erat spes solutionis, vel non erat: si erat, eamdem satis conseruat homicida, integrè restituendo heredibus omne interesse; si non erat, nihil eis ademit Ita ferè communiter DD. Paret etiam de famulis, quia isti alebãtur intuitu seruitij & status: heres autem necessarius fortè non indiget tali famulitio, aut si indigeat, & alebantur ei famuli ab occiso, comprehendentur etiam ipsi in sustentatione, ad quam tenetur homicida. Ita ferè Bannes.

*Non tenentur pauperibus,*

*Neque creditoribus,*

*Neque famulis.*

# CAPVT IV.

## *De iniuria per Stuprum & Adulterium, & eius restitutione.*

## DVBIVM I.

### *An Stuprum addat fornicationi specialem deformitatem?*

*D. Thomas quæst. 154. art. 6.*

*Stuprum variè sumitur.*

IN stupro multæ sunt deformitates, ratione quarum ad diuersa luxuriæ vitia nomen deriuatum est: est enim violentia, virginitatis deflloratio, damnatus etiam Lege ciuili concubitus, iniuria parentum aut tutorum. Hinc fit vt stuprum aliquando accipiatur pro omni concubitu Legibus punibili; Gen. 39. Num. 5. Causſa 28. q. 1. cap. Idololatria, L. In cõcubitu, ff. De concubinis; L. Inter liberas, ff. Ad Legem Iuliam De adulterijs. Aliquando autem pro quocumque violento concubitu, nec virginitatis nec sexus habita ratione, vt tradit Valla; quo modo etiam corruptæ stupruм infertur. Aliquando strictiùs quidem accipitur, vt non nisi virginis sit, sed non restringitur ad virginem inuitam, 36. quæst. 1. cap. Lex illa, §. Cùm ergo hæc. Denique strictissimè & proprijssimè stuprum nihil est aliud quàm defloratio virginis inuitæ. De hoc quærimus, Vtrùm simplici fornicationi addat nouam speciem.

*1. Sententia.*

Tres sunt sententiæ: Vna dicit, eoipso quo virgo est quæ violatur, siue ipsa & patet consentiat siue non, semper addit nouam speciem peccati, eò quòd virginitas quæ aufertur, sit specialis virtus, vt docet D. Thomas quæst. 152. art. 3.

*2.*

Secundò, Quia natura virgines clausſtro virginitatis obsignans, quasi dote quadam matrimo-

nio aptiores reddit, adeò vt non minùs contra finem naturæ peculiaris iniuſtitia ſit ſtuprum, etiam virgine conſentiente, quàm adulterium vtroque coniuge conſentiente.

Tertiò, Stupri ſpecies communiter ſtatuitur diſtincta in genere luxuriæ à ſimplici fornicatione, & raptu: atqui raptus erit quando virgo eſt inuita; itaque ſtuprum ſpeciem addit ad fornicationem, etiam quando virgo non eſt inuita. Hanc ſententiam videtur ſequi D. Thomas 1 54. art. 7. quando dicit, ſtuprum ſine raptu inueniri; Magiſter lib. 4. diſt. 41. & alij plures, Roſella verbo Luxuria, initio, Caietanus verbo Stuprum.

2. Sententia. Altera ſententia vt non requirit ad ſtupri peculiarem ſpeciem diſſenſum virginis, ita dicit non ſufficere defloration em virginitatis, ſed requirit vt ſaltem fiat parentibus inuitis, in quorum adhuc poteſtate ſit virgo. Probat; Quia manifeſta fit iniuria patri, non ſolùm quia in honore & facultatibus lædit ur, ſed maximè quia vt alendi onus, ita ius habet virginem ſuam cuſtodiendi, & ſuo tempore viro tradendi, & caſtam exhibendi. Vnde etiam ſine magna cauſſa non poteſt filia inuitis parentibus nubere, quin peccet mortaliter, quaſi propter hanc iniuriam, quæ tamen ibi minor eſt quàm in ſtupro. Hanc ſententiam tenere videtur Angelus verbo Stuprum, in principio; Silueſter verbo Luxuria, q. 1. §. Stuprum.

3. Sententiæ. Tertia ſententia dicit, ſtuprum non addere nouam ſpeciem quando non ſit virgine inuita, itaq; etiam ſi fiat inuitis parentibus, in quorum adhuc virgo ſit poteſtate, eſſe ſolùm ſimplicem fornicationem. Huius ſententiæ ſunt plurimi recentiores: Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4. §. De ſimplici; Vaſquez 1. 2. diſp. 112. numero 1. & 3. Sanches De matrimonio lib. 7. diſt. 14.

*Virgine eiuſq; patre conſentiente ſtuprum non mutat ſpeciem.* Prima Conclvsio. Stuprum neque addit nouam ſpeciem, neque intra eamdem mortaliter aggrauat, quando vitium virgini infertur, & ipſa & patre aut tutore conſentiente. Probatur; Quia in quo ſita ſit peculiaris iſta deformitas, hactenus nemo ſatis explicuit, neque explicari poteſt. Quod enim dicunt auctores primæ ſententiæ, virginitatis virtuti opponi, parum ſoliditatis habet; quia primus concubitus in viro virgine, etiam virginitati vt virtuti æquæ repugnat: vix tamen aliquis dixerit, in eo ſpeciem nouam fornicationi addere. Dicendum itaque eſt, quatuor modis aliquid cogitari poſſe oppoſitum virginitati. Primo, ſecundùm materiale: quo modo oppoſita eſt fractio clauſtri virginalis extra copulam, quam facillimè accidere docet D. Auguſtinus lib. 1. De ciuitate, cap. 18. hoc modo certum eſt, virginitatis virtutem non amitti. Secundo, ſecundùm formale ſuum, vt habet propoſitum numquam admittendi actum carnalem licitum aut illicitum: quo modo præcisè non opponitur ei vitioſus actus, quia & per propoſitum actum coniugalē virginitas ſic amittitur. Tertio, ſecundùm formale caſtitatis: quo modo, opponitur ei deformitas cōcubitus illiciti, ac illa communis eſt fornicationi ſimplici. Quarto, ſecundùm formale proprium, quo diſtinguitur à caſtitate, ſicut magnificentia à liberalitate. Verùm iſto modo præcisè virginitati nullum eſt vitium oppoſitum, ſicuti nec magnificentiæ vt diſtinguitur à liberalitate.

*Quatuor modis aliquid opponitur virginitati.*

*Ad 2.* Ad Secundum argumentum primæ opinionis facilis etiam eſt reſponſio. Solum enim ſequitur, grauiùs in ſeipſam peccare virginem, quando primo concubitu repugulum pudoris amouet: longè aliud eſt in adulterio, in quod vterque coniunx conſentiat; quia vir, verbi gratia, non poteſt ſuo conſenſu efficere, vt alter iure vxorem ſuam cognoſcat, aut vt congreſſus ille non ſit vſurpatio iuris alieni; medium enim ibi non datur: neque enim poteſt efficere, vt adulter non ſit iuris alieni vſurpator, niſi communicando aut cedendo ei ius ſuum, quod repugnat indiſſolubili vinculo matrimonij. Omitto quod alij addunt, etiam repugnare bono prolis & Sacramento, quæ duo alia ſunt matrimonij bona.

*Ad 3. Raptus diſtinguitur à ſtupro.* Ad Tertium reſpondeo, Stuprum meritò diſtingui contra raptum & ceteras ſpecies luxuriæ, quia raptus non eſt ſolius virginis, ſed etiam alterius feminæ. Secundò, Raptus propriè contingit etiam virgine conſentiente quando à domo patris, in cuius adhuc eſt poteſtate, iniuſtè contra voluntatem ipſius abripitur; ſtuprum autem propriè non eſt virgine conſentiente. Tertiò, Raptus virginis poſſet eſſe ſine ſtupro: fieri enim poteſt, vt ipſa contra voluntatem & ſuam & patris abripiatur, poſteà tamen conſentiat in copulam ſiue licitam ſiue illicitam. Rectiùs ergo dixit D. Thomas, ſtuprum inueniri ſine raptu, quàm Sanchius, qui dicit ſtuprum ſemper includere raptum, ſicut ſpecies includit genus.

*Virgine cōſentente, ſed parente inuito, ſubinde additur circumſtantia mortalis in eadem ſpecie.* Secvnda Conclvsio. Stuprum parente inuito, ſed virgine conſentiente, ſubinde addet fornicationi circumſtantiam mortaliter aggrauantem, quamuis relinquat in eadem ſpecie luxuriæ. Hæc propoſitio maiorem habet difficultatem quàm præcedens; vera tamen videtur, quia iniuſtitia aut iniuria quæ fortè in parentem coniuncta eſt, & mortaliter aggrauat, potiùs eſt circumſtantia fornicationis, quàm eſſentialis differentia conſtituens ſtuprum. Adde, quòd nec iniuſtitia ſemper admittatur, quando inuitis parentibus virgo ſui corporis poteſtatem facit, cuius quoad vſum iſtum eſt domina.

Verùm illud inquirendum, Quare iniuſtitia, qua inuito patre virgo violatur, non trahatur ad hanc ſpeciem luxuriæ, ſicut iniuria qua virgo inuita violatur.

Dico, *ad hanc ſpeciem*; quia ad ſpeciē raptus, vt diximus, videtur ſufficere. Ratio diuerſitatis eſt, quòd raptus non tam dicat corporis virginei abuſum, quàm ablationē iniurioſam ad vſum. Itaq; in eo primò ſpectatur iniuria quæ fit ei cui mulier auferitur: in ablatione enim luxurioſa hoc attenditur, quòd tanta ſit luxuria, vt non obſtante iure alterius, directè hoc impediente, mulier abducatur. Raptor enim quodammodò rumpit clauſtra domus, in qua mulier cuſtoditur, cuius cuſtodia non pertinet propriè ad ius mulieris, ſed patris vel tutoris; ſtuprator autem violat clauſtrum virginitatis, quod cuſtodiendi proprium ius eſt ipſius virginis. Itaque propriè hæc ſpecies non reperietur, niſi vbi virgini inuitę vitium infertur: cuſtos quidem virgineæ voluntatis, & contra violentiam omnem tutor eius eſt pater, ſed cuſtos eſt, hoc agens, vt ipſamet cuſtodiat ſuam virginitatem; quam ſi proſtituat, iniuria quidem fit patri, tam ab ipſa quàm à complice fornicario: ſed ſicuti ipſa ſibi iniuriam non facit peccando in corpus ſuum, ita nec ipſi facit fornicator qui peccat cum conſentiente. Itaque quamuis contra caſti-



caſtitatem peccet, per iniuriam tamen non magis clauſtrum virginale violat, quàm ſi inuitis parentibus matrimonium ſine iuſta cauſſa ineant. Quamuis enim abutatur ſine vi, tamen & iniuria eius abutitur, in cuius poteſtate & cuſtodia propriè & proximè res erat: iniuria autem in parentem magis extranea eſt, quàm vt huic luxuriæ ſpeciem præbeat ſtupri; qualis eſt & illa, ſi vt ad virginem vitiandam perueniat, ſegetes patris conculcet, aut agri ſepimentum diruat: imò addo, ſi & oſtium quo virgo cuſtoditur confringat; quamuis hoc poſtremum ad raptus ſpeciem ſufficiat. Itaque confractio oſtij domus paternæ, habebit ſe per accidens in ſtupro, ſicuti conculcatio ſegetum, & diſſipatio ſepimenti in raptu. Hæc quidem probabiliter; nam certè altera ſententia ſua probabilitate non caret, ſufficere ad ſpeciem ſtupri quòd pater inuitus ſit: quamuis & illud tunc ſimul conſiderari queat, ſeductam cenſeri virginem, quando cum tanto ſuo detrimento contra parentis voluntatem, ſtupratoris libidini conſentit; atque hactenus inuitam cenſeri, quòd ſeducta voluntas quodammodò inuoluntaria voluntas ſit.

*Stuprum inuite illatum conſtituit nouam ſpeciem.* Tertia Conclvsio. Stuprum virgini inuitę illatum, ſine dubio eſt noua ſpecies in genere luxuriæ. Patet ex dictis: ſit enim iniuria virgini peculiaris, contra ius quod ipſa habet virginitatem ſuam tantiq; momenti integritatem conſeruandi.

Ex dictis ſequitur, feminam cum viro copulam habentem, numquam admittere propriè dictum peccatum ſtupri: ſi enim non conſentit, non peccat, ſi conſentit, non eſt ſtuprum. Vnde ſequitur vlteriùs, non eſſe virginitatis iacturam neceſſariò ei exprimendam in confeſſione, tamquam circumſtantiam quæ mutet ſpeciem.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm parentibus aliquid reſtituendum ſit, quando virgo conſenſit in Stuprum.*

*Stuprator tenetur ſubplere dotem.* Respondeo; Probabile eſt in foro conſcientiæ ante ſententiam, eiuſmodi corruptorem ex iuſtitia teneri patri virginis, qui eam adhuc habet in ſua poteſtate, reparare ſupplemētum dotis, atque etiam honorem & famam quoad poterit, ſi euulgato ſtupro læſa fuerint; huius enim læſionis per iniuſtitiam veram cauſſam dedit: ſi verò nulla fuerit infamia ſecuta, ad nihil tenetur, vt docet Lopez 1. parte cap. 76. niſi ex charitate, ad placandum patrem, vt indicauit S. Antoninus 2. parte tit. 5. cap. 6.

Dico, *probabile eſſe*; quia contrarium tenet Sanchius cum multis aliis; ſed pleraque ipſorum argumenta fortè non aliud probare deprehendentur, quàm non teneri patri aut cognatis, quando virgo non eſt in patria poteſtate.

*Secus ante ſententiam, ſi vir ſpe ducendæ conſenſit.* Attamen quando omnino liberè & ſimpliciter virgo conſenſit ſine vlla deceptione, videtur verius, quòd ante ſententiam ſtuprator in conſcientia non teneatur ex iuſtitia neque ad honorem patri reparandum, neque ad ſupplementum dotis. Ratio eſt, Quia ad damnum iſtud non minùs, imò principaliùs & efficaciùs concurrit ipſa virgo, quàm ſtuprator: non apparet autem, quomodo ipſa ex iuſtitia commutatiua teneatur patri iſtud ſarcire, cùm ſolùm peccauerit in ius paternum, non magis contra iuſtitiam commutatiuam, quàm ipſe pater, quando fortè deeſt officio, in procurandis filiæ debitis alimentis. Itaque hoc caſu non magis tenebitur corruptor, quàm ſi à quopiam rei ſuæ prodigo pecuniam accepiſſet. Sanè quòd per filiam pater hîc poſſidet, eiuſdem filiæ voluntate amittere poſſet, illæſa iuſtitia commutatiua. Ita præter Sanchium tenet Toletus lib. 5. cap. 11. Sotus lib. 4. q. 7. art. 1. ad 2. §. At vice verſa; Veracruce 3. parte Speculi, art. 19. in fine: conſentit Salonius quoad damnum dotis, quamuis non quoad damnum honoris. Verùm non loquitur conſequenter.

Illud magis placet, quod concluſione 4. idem Salonius tradit, poſſe præſumi implicitum pactum in conſenſu virginis ad recipiendam partem dotis, quando corruptor fuerit admodum dues, & ipſa paupercula, vt meritò hoc in conſcientia Confeſſarij ſequi debeant, & declarare, ex iuſtitia ad eiuſmodi partem dotis vitiatorem obligari, non quidem per modum reſtitutionis, ſed quaſi ex contractu. Ceterùm idem operabitur remiſſio damni, etiam poſteà facta per feminam, quod eius conſenſus in foro conſcientiæ: in foro tamen contentioſo, euulgato ſtupro, condemnabitur ſtuprator, & poſt ſententiam tamquam ad iuſtam pœnam obligabitur etiam in conſcientia ad aliquid compenſandum patri, aut etiam filiæ, quæ decepta in dubio ſaltem præſumetur, etiamſi liberè conſenſerit, per ea quæ habet Panormitanus in ca. 1. De adulterijs & ſtupro. Diſertè hanc præſumptionem exprimit L. vnica, C. De raptu virginum: *Niſi*, inquit, *eam ſollicitauerit, niſi odioſis actibus circumuenerit, non facit eam velle in tantum dedecus ſeſe prodere.*

## DVBIVM III.

### *Quid reſtituet qui per vim violauit?*

*Pœna ſtupratorum.* Respondeo; In ſtupratores violentos pœna capitis Iure ciuili ſtatuta eſt. Inſtitut. De publicis iudiciis, §. Sin autem, cui additur tranſlatio omnium bonorum ad puellam, ſi ipſa ingenua fuerit, dicta L. vnica, C. De raptu virginum. Idemque extenditur ad bona ſodalium, comitum, auxiliatorum.

Iure item Eccleſiaſtico tenetur ſtuprator aut raptor virgini ad honeſtam dotem, quod ex imitatione Legis diuinæ ſtatuitur cap. 1. De adulteriis, quod etiam obſeruari vult Trident. ſeſſ. 24. De reformat. matrim. cap. 6. ſiue raptor eam duxerit, ſiue non. Et hæc quidem in foro contentioſo poſt ſententiam locum habebunt, in foro autem conſcientiæ tenetur ſtuprator præcisè ad damna quæ intulit, & ad ſatisfactionem pro iniuria.

*Ad quid teneantur in foro conſcientiæ.*

Vnde ſequitur, Ante ſententiam non teneri ad integram dotem, aut puellam ducendam. Couarruuias in 4. Decretal. 2. parte cap. 6. §. 8. numero 15. Salonius quæſt. 62. art. 2. controuerſia 5. concluſ. 5.

Sequitur Secundò, Etiamſi ante ſtuprum non ſit pollicitus matrimonium, & poſt ſtuprum offerat, nihilominùs teneri ſturatorem in conſcientia ſarcire omnia damna, ſi ipſa aut parentes has nuptias repudient: non enim alteriùs maleficium debet præiudicare libertati innocentis. Hoc tamen caſu putauit Couarruuias ſuprà, non eſſe damnandum ſtupratorem abſolutè ad totam dotem,

dotem, qua corrupta indiget, sed solùm ad illam quam virgines accipere consueuerunt, si ipse qui matrimonium offert, satis sit idoneus & æqualis quoad nobilitatem,& diuitias, & similia. Verius tamen videtur, ne tunc quidem innocenti posse hanc legem poni.

Quæ de violento stupratore dicimus, licebit extendere etiam ad illum qui violentè illecebras luxuriæ mouit, etiamsi in copula habuerit consensum; non tamen ad illum qui personæ vim non intulit, sed tantùm ostio domus, vt ex Bartolo Baiardus suprà, numero 36. Item extenduntur ad casum quo sine violatione virginitatis imprægnata esset, vt fieri posse tradit D. Thomas Quodlibeto 6. art. 18. quia saltem in partu violaretur, & infamiam subit. Ita diserte Bernardus Diaz cap. 77. Practicæ criminalis Canonicæ.

At quæret quis, Quomodo dos æstimanda erit? an solùm secundùm qualitatem virginis, an etiam stupratoris qui fortè ditior fuerit?

*Quomodo dos æstimãda.*

Respondeo, vtriusque conditionem & qualitatem debere considerari. Ita Baiardus suprà, numero 17. quod verum est in æstimatione fori contentiosi ad pœnam, aut in æstimatione ex tacito quasi contractu: nam præcisè ex obligatione restitutionis sufficit eousque supplere dotem, vt tam decenter nubat, ac nuptura erat.

Illud denique hîc notandum, etiamsi in ordine ad restituenda damna, aut mulctam pecuniariam subeundam, facilè Iura præsumant inuitam fuisse corruptam; in ordine tamen ad pœnam capitis, aut aliam ordinariam violenti stupratoris, non præsumunt violentiam, nec creditur virgini nec parentibus, vt tradunt Clarus & Baiardus suprà. Puellæ tamen de virginitate creditur, vt communiter DD. ita vt præsumatur virgo, nisi pars probet contrarium: imò & parentibus hoc creditur secùndùm Legem diuinam, quando signa virginitatis protulerint. Clamando tamen virgo facit indicium violentiæ, & non clamando, si fuerit in ciuitate, facit indicium consensus; sicut & quando post factum diu tacuerit. In agro autem oppressa præsumitur clamasse. Ita Deuteronomij 22.

## DVBIVM IV.

### *Quidnam restituet qui virginem seduxit sine promissione nuptiarum?*

Diximvs de restitutione violenti stupratoris: supponimus etiam ex dictis, quando stuprator non minùs ab ea est seductus quàm ipsam seduxit, in conscientia saltem ipsi virgini nihil debere. Hîc quærimus, quid debeat quando citra vim verbis aut alio modo seduxit, sine promissione tamen nuptiarum?

*Qui falsis promissis induxit, tenetur ac si vim intulisset.*

Dico itaque PRIMO. Si virginem stuprator decipit falsis promissis, quæ implere non potest, aut non vult, tenetur restituere, non secùs ac si vim intulisset: satisfaciet tamen dando quod promisit, quando solo promisso induxit. Limitandum etiam, nisi probabile sit, impossibilitatem promissorum satis virginem aduertisse: tunc enim non est decepta. Idem iudicium, si aduertit, aut aduertere facilè potuerit, fictè promitti.

*Item qui fraude.*

Dico SECVNDO. Tenebitur etiam in solidum, si fraude, dolo, vel falso aliquo præ-

textu induxerit; cuiusmodi casus proponitur apud Gratianum 36.q.1.

Dico TERTIO. Restituet qui minis feminam ad consensum adegit. Idem dixero cum Sanches, si ignorantem cognouit; metus enim & ignorantia causant inuoluntarium.

*Item minus.*

Dico QVARTO. Qui precibus importunis aut frequenti sollicitatione animum virginis labefactauit, tenetur de damno ex stupro: secùs si preces non fuerint frequentes aut importunæ. Eadem planè ratio erit de muneribus. Ita Sallonius suprà q. 3. Nauarrus cap. 16. numero 16. fauet Glossa in cap. Scienti, De regulis Iuris, in 6. item L. vnica, C. De raptu virginum.

*Item qui precibus importunis.*

Notandum tamen, rarò preces importunas ac munera sufficere, quando minæ, fraus aut dolus non accedunt, nisi tanta sit importunitas, à qua se aliter virgo expedire nequiuerit, vt videri queat redemisse vexationem probabili commutatione. Neque tamen verum est, numquam solam eiusmodi importunitatem inducere restituendi obligationem, vt putat Petr. Nauarra lib. 2. cap. 3. num. 444. aliquando enim contingit, eiusmodi importunitatem quodammodò æquualere violentiæ, vt alij annotarunt.

## DVBIVM V.

### *Quid restituet qui promissis nuptiis virginem ad peccandum induxit?*

Dico PRIMO. Si verè promisit, & promissio candidè credita fuerit, indeque secutus consensus, teneri ad ducendam, etiamsi fortè inferioris ipsa fuerit conditionis: nisi excusetur aliquo ex infrà dicendis.

*Ducere tenetur qui verè promisit.*

Dico SECVNDO. Si animo ficto promisit, & ipsa non sit admodum inferioris conditionis, tenetur ducere. Ita Lopez cap. 76. Si autem femina fuerit longè inferioris conditionis, non tenetur, nisi ipsa imparitatem ignorauerit, aut ipse non solùm promissione externa fefellerit, sed eam etiam iuramento, quantumuis sine animo iurandi, firmauerit, ita vt ex animo iurare crederetur. Imparitatis enim indicium pro fictione eliditur contrario indicio iuramenti, & verba in contractibus Do vt des, solida sunt facienda, vt benè post alios Lopez suprà.

*Quando teneatur qui fictè promisit.*

Dico TERTIO. Potentior ficta promissione nuptiarum virginem decipiens, tenetur deceptæ de damno saltem illato, etiamsi ipsa inæqualitatem non ignoraverit: quamuis enim hæc eius scientia faciat ne sit decepta quoad nuptias, non tamen efficit quin decepta sit quoad dotem, si nec illa suppleatur à potentiore, à quo tanto magis eam sperare potuit, quanto minùs nuptias.

Dico QVARTO. Quidam sunt casus quibus non tenetur ad matrimonium, qui eo promisso siue verè siue fictè virginem corrupit.

*Quando non tenetur corruptor deceptam ducere.*

Primus, Quando graue scandalum ex eo nasceretur. Nauarrus suprà numero 17.

Secundus, Quando ipse in Sacris est, aut aliàs habet votum continentiæ, aut aliam vxorem, etiamsi tempore promissionis fuerit solutus; aut denique aliud habet quodcumque impedimentum dirimens: promissio enim Iure impossibilis non obligat.

Tertius, Quando verbis ita ambiguis promisit, vt



vt non difficile fuerit fucum deprehendere; tunc enim verè non fuit decepta.

Quartus, Si pater puellæ aut ipsa nolit. Imò tunc defungitur oblato matrimonio: purgat enim conditionẽ, qua pacta impetrauerat corporis alieni vsuram. Imò hoc etiam procedet, quando fictè promiserat, nisi fortè iam per fictionem se conatus excusare, postmodum repudietur tamquam impostor: tunc enim propter iniuriam fictionis probabiliter dicemus adhuc teneri.

Quintus, Si putabat virginem esse, & deprehendit aut intellexit fuisse priùs corruptam. Imò tunc ne quidem ad damna tenebitur, si ipsa se virginem esse mentita fuerit, quando de nuptijs stipulabatur: secùs si ipse aliunde putauerit.

Sextus, Si ipsa fornicaretur postmodum cum alio: frangenti enim fidem non est seruanda fides; frangit autem fidem, quia conditio talis implicitè pacta est, vt sese seruet ipsius matrimonio, quinimò etiam in matrimonio posteà seruandam fidem suspectam reddit.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm voto simplici continentiæ aut ingrediendi Religionem astrictus, teneatur eam ducere, quam promisso coniugio violauit?*

*Sententia quorũdam negatiua.*

Vna hîc est sententia, quæ negat posse ducere, quam secutus est Nauarrus lib. 4. consil. 1. Qui Clerici vel vouentes, nixus cap. Rursus, eodem. At reuerà neque istud cap. neque alia quæ Nauarrus adfert, id conuincunt. Capitulum enim non versatur in casu nostro vbi virgo deflorata est ab eo qui vouit, sed solùm in eo, vbi qui vouit castitatẽ, iurauit quamdam ducere vxorem.

*Verior affirmatiua.*

Altera itaque sententia, quæ dicit, non solùm posse, sed debere ducere, magis placet, eamque tenet Sanches lib. 1. disp. 45. Vera ratio est, Quia votum eatenus ei censetur factum impossibile, quatenus sine alterius iniuria impleri non potest: hinc enim iam coniugatus deberet reddere debitum, quamuis non posset petere. Quare sicut obnoxius alijs debitis, priùs ea soluere debet, quàm secundùm votum suum Religionem ingrediatur; ita etiam in proposito, qui vouit, potiùs vxorem ducere debet quam violauit, imò debet etiam consummare matrimonium si ipsa velit; quia solo contractu sine consummatione non repararet damnum quod ei intulit, neque impleret promissum; promisit enim eam habere vxorem.

*Obiect.*

Dices, Debitor non tenetur tota vita manere in sæculo, si aliter non possit soluere creditoribus: ergo sufficit pro viribus eam dotare, atque ita honorem & damna reparare, aut saltem cõtrahere sine cõsummatione, & posteà ingredi Religionem.

*Resp.*

Respondeo, Distinguendum esse inter debita: si enim debitum natura sua tale est, vt soluendo extingui possit, quale est pecuniarium, verum est antecedens secundùm moderationem suo loco addendã: quando autem debitum est de re insolubili, durante vita vtriusque contrahentium, quale est debitum hanc habendi coniugem, tenetur qui vouit Religionem, etiam tota vita, nisi consentiat coniunx, aut moriatur, abstinere ab ingressu Religionis.

Notandum tamen ex Sanches suprà, secùs iudicandum fore, si virgo sciuerit eum cum quo fornicatur, promissis nuptijs, voto simplici castitatis perpetuæ vel Religionis obstrictum esse; tunc enim eam non tenetur ducere, si velit Religionem ingredi: imò ducendo peccabit, quamuis ratum futurum sit matrimonium: virgo enim hoc casu seipsam decipit, & simpliciter in copulam consensisse censetur, cùm sciat rem quæ promittitur Iure esse impossibilem. Redit enim doctrina suprà tradita Dub. 4. De promissione impossibili, quam pro tali agnoscit promissaria, adeoque tamquam in sponsalibus sine copula redit dispositio cap. Rursus, suprà citati. Crediderim tamen, quòd ratione promissi teneatur ad supplementum dotis; quia hoc implicitè in nuptijs continetur, & eatenus ei possibilis & licita est promissionis impletio.

*Si ipsa fuerit voti ipsius conscia, non tenebitur ducere.*

## DVBIVM VII.

### *An stuprator excusetur à restitutione, si corrupta æquè benè nupserit ac si virgo fuisset?*

Respondeo, Verius videri, tunc non teneri. Qui enim caussam damni dedit, quod fortè secutum non est, non tenetur de damno; vt si ignem domui alicuius inieceris, qui casu, vel beneficio alterius extinctus fuerit: restitutio enim locum non habet, vbi non est secuta inæqualitas, cuius ipsa propriè est restitutio. Si tamen antequam nubat femina, aliquid à corruptore acceperit, sibi retinebit; quia censebitur ea lege accepisse, vt in se susciperit periculum damni. Ob eamdem caussam, quando pendente adhuc periculo aliquid fuerit promissum, & ab ipsa acceptatum, poterit illud exigere etiam cessante periculo. Rursus si ipsa durius à marito habeatur iam nupta, tenebitur stuprator ad arbitrium boni viri, vt docet Nauarra.

Dices, Periculum damni est pretio æstimabile; ergo semper aliquid erit restituendum eius intuitu.

*Obiect.*

Respondeo; Quando non interessit pactum de æstimatione periculi, periculum non reputatur pro damno, adeoque non inducit restitutionem, sed solùm periculum restitutionis; sufficit enim damna compensari.

*Resp.*

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm adulter non secuto partu, immunis sit à restitutione.*

Respondeo & Dico PRIMO. Ad restitutionem pro damnis realibus tunc non teneri, quia nulla secuta esse suppono.

Dico SECVNDO. Ad restitutionem damni quod in persona vxoris intulit marito, eam adulterando & deteriorem faciendo, non tenetur: quia, vt suprà diximus quando de homicidio, damna personalia in membrorum aut corporis vitio inæstimabilia sunt. Consentiunt communiter DD. Videri potest Lopez 1. parte cap. 90.

Dico TERTIO. Pro iniuria tenetur eiusmodi adulter marito in conscientia ante omnem sententiam satisfacere, si ipse rescisat adulterium; si tamen non resciuerit, & vxori iniriam vi, fraude, & dolo non fecit, excusabitur à satisfactione, quæ non potest fieri ignoranti marito, & non debetur adulteræ: nam si etiam feminæ iniuriam fecerit, indubiè ipsi pro ea obnoxius erit.

Dico

DICO QVARTO. Maritus adulteræ non potest ratione iniuriæ per adulterium acceptæ pacisci de pretio aliquo sibi persoluendo secundùm Leges ciuiles, ne videatur leno suæ vxoris. Ita L. Transigere, C. De transactionibus, L. Miles, ff. Ad Legem Iuliam De adulterijs, item L. De crimine, C. eod. Priuatim tamen & secretò, cessante lenocinij vitio, & omni scandalo, non videtur eiusmodi pactum fore illicitum: neque enim Iura hisce transactionibus adimunt vim obligandi naturalem, sed actionem ex eis negant in foro contentioso. Ita Sanches lib.11.disp.8. num. 22.

## DVBIVM IX.

### *Quid restituet adulter, si proles ex adulterio nata sit?*

RESPONDEO & DICO PRIMO. Certum est, post primum triennium teneri adulterum ad alimenta spurij, quemadmodum pater aliàs teneri solet. Neque enim qui deliquit, melioris debet esse conditionis.

*Adulter tenetur de damno.*

DICO SECVNDO. Si suasit adulteræ vt supponeret spurium tamquam legitimum, tenetur marito & legitimis de damno quod eis ex hac suppositione sequitur, simul cum adultera, & in defectum ipsius in solidum. Quamuis enim quando consilium noxium cedit in vtilitatem eius qui consilium accipit, is teneatur ante suasorem; & quando cedit in vtilitatem suadentis, ipse suadens teneatur ante persuasum; quando tamen fuerit in vtilitatem vtriusque, simul conferent ad damna sarcienda.

DICO TERTIO. Etiamsi non suaserit vt partum marito supponeret vxor, si tamen ipsa facit, tenetur adulter ad eadem damna sarcienda. Est hoc contra Sotum lib. 4. quæst. 7. art. 2. Sed aliorum communis sententia, quamuis Lopez media via conatus sit incedere, vt hoc casu neque omnino liber sit adulter, neque tantum restituat quantum deberet si suppositionem suasisset, sed ad arbitrium prudentis, considerata quantitate certitudinis, quòd proles ex ipso sit, & possibilitate aborsus per quem omne damnum cessasset. Verùm de certitudine infrà dicemus. Possibilitas autem abortus solùm inducit spem euadendi restitutionis onus, non ipsam euasionem, vt in simili diximus suprà Dub.7.

*Adulter etiã adultera tenetur sarcire damna.*

At quid si adulter sperabat eam non supposituram spurium cum iniuria aliorum, quia sciebat ex paraphernis aut aliunde posse seruare maritum & legitimos indènes, ipsa tamen hoc non præstiterit? Respondeo, Verius videri, etiam tunc teneri. Ita Salonius quæst.62.art.6. Probatur; Quia adulter dabat operam rei illicitæ, ex qua eiusmodi damna nata sunt sequi: sicuti qui mandauit solùm verberare, tenetur de occiso, quia hoc euenire posse debuit cogitare, cap. vlt. De homicidio, in 6. Culpa enim & mora astringunt ad casus qui sequuntur. cap. vnico, De commodato.

Dices, Saltem non tenebitur nisi deficiente adultera, quæ sola executa est suppositionem, ex qua propriè & proximè damnum sequitur.

Respondeo; Quando mulier habet vnde damna sarcire possit, cum ipsa, non autem deficiente solùm ipsa, teneri adulterum; quia ex adulterio natura sua sequitur proles, satisque eam marito ipse supponit, quando ex ei cohabitante vxore generat: ex coniugio enim nata proles præsumitur, quæ in coniugio nascitur. Itaque seruare debet maritum indemnem contra eiusmodi præsumptionem tam ipse quàm adultera: & si contigerit adulteram totum restituisse, tenebitur ei adulter in parte sua subuenire, vt benè Salonius.

*Castes quo pendere totum, soluens adulter teneatur.*

Adfert casum Azorius, quo solus adulter teneatur induxit & ad adulterium prouocauit. Hoc verum videtur, quia inducèdo ad adulterium, videtur in se suscepisse eiusmodi damna: tenetur tamen ipsa deficiente adultero, tamquà voluntariè operata, & influens in damnificationem: neque enim præiudicare debet veris heredibus res inter alios acta.

Quæres Secundò, Quid si nulla sit proles legitima, & pro legitimo supponatur spurius.

Respondeo; Restitutio facienda erit substituto per testamentum, si quis fuerit: alioqui illi quem maritus heredem erat nominaturus, quod facilè vxor expiscari poterit, aut denique proximis heredibus ab intestato. Ita ferè consulit Castro lib.2. De L. finali cap.11.

*Dubitam an sit sua proles, non tenetur.*

Queres Tertiò, An teneatur de dictis damnis, si moraliter certus non sit adulter, esse suã prolem? Respondeo; Si probabilem habet rationem dubitandi, non tenetur. Imò non tenetur adulteræ in hoc credere, si habeat argumenta in contrarium, vt monet Salonius quæst.62.art.6. & Graffius lib.2.cap.131.numero 36. qui desumit argumentum ex cap. Dominus, De secundis nuptijs.

Hinc sequitur, Verum non esse quod Lopez & alij quidam ab eo citati voluerunt, pro quantitate dubij plus minúsve debere adulterum restituere, quando certus non est esse suam prolem.

Quæres Quartò, Quomodo adulter restituet, quando damna inferentur demum post mortem suam?

Respondeo; Si per heredes suos restituere non possit, æstimabit nunc probabile periculum eiusmodi damnorum, deducta spe lucri, quod fortè patri putatiuo à spurio accederet.

## DVBIVM X.

### *Quomodo adultera restituet quando prolem marito supponit?*

DIFFICVLTAS tota est, an cum infamia sua ad hanc restitutionem teneatur: nam quòd non teneatur cum vitæ periculo, puta quia à marito esset occidenda, facilè admittunt DD. sicuti etiam in eo conueniunt, quòd quando sine vlla reuelatione sui peccati potest curare indemnitatem marito aut legitimis heredibus, ad hoc proviribus teneatur. Item quando probabiliter timetur non secutura restitutio, etiamsi peccatũ suum ipsa filio vel marito reuelauerit, non teneri ad inutilem eiusmodi reuelationem, passim DD. consentiunt. Itaque Respondeo &

*Adultera non tenetur se prodere vt restituere possit.*

DICO PRIMO. Regulare est, non teneri adulteram sese prodere, etiamsi aliter cauere non possit damna mariti, & legitimorum heredum. Probatur ex cap. Officij, De pœnitentijs & remissionibus; vbi dicit Innocentius III. *Mulieri quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamuis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda.* Secundò, Quia fama est altioris ordinis, quàm bona fortunæ; melius enim est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: atqui bona inferioris ordinis non sunt ex obligatione iustitiæ restituenda, quando ex restitutione deberet subire restituens damna superioris ordinis. Ita docet Caietanus quæst.62.art.6. & alij multi.



*Obiect.1.* Obijcitur Primò, Ex cap. Officij, nihil probari: quia vt Glossa ibidem dicit, ideò mulier non obligatur ad sese prodendum, quia sibi non crederetur, obstante præsumptione de natalibus eius qui in coniugio nascitur, & prodita periclitaretur de vita.

*Resp.* Respondeo, Quando alterum horum subest, indubiè mulierem excusari quò minùs suum adulterium reuelet; sed etiam ob solam infamiam vitandam posse celare; eoque extendi mentem Pontificis, multi sentiunt, & probabilis opinio est.

*Obiect.2.* Obijcitur Secundò ex Glossa sequenti, quæ dicit, pœnitentiam quidem dandam, sed eam fore inutilem.

*Resp.* Verùm istud meritò reijcit Panormitanus tamquam nimis durum; addo tamquam improbabile, quia pœnitentiam dare est pro verè pœnitente admittere, adeoque absoluere, nisi ex more satisfactionem præmittere oporteat.

*Obiect.3.* Obijcitur Tertiò, Damnificatione iniqua adhuc pendente, tenetur quisque potiùs infamiam subire, quàm proximo damnum inferat etiam in rebus inferioris ordinis.

*Resp.* Respondeo, Eiusmodi damnificationem tunc non fore iniquam, quando eam cum tanto detrimento tuo in bono superioris ordinis non auertis.

*Obiect.4.* Obijcitur Quartò ex Soto, Etiamsi fama præstet diuitijs, multum tamen diuitiarum potest æquiparari paruæ famæ; sicut multum argenti, æqualis pretij est cum minori quantitate auri: ergo si modica futura sit famæ læsio, aut mulier non sit adeò integræ famæ, & læsio in fortunis per suppositum spurium magna foret, tenebitur cum infamia rem aperire.

*Resp.* Respondeo, Famam, quantumuis exilem, non esse cõmensurabilem pecunię, quantumuis maximæ, vt functionem accipere possit in commutatione debita ex iustitia, sicut aurum & argentum: quamuis hoc non negauerimus, quãdo verè fama mulieris non lęderetur, vel quia priùs adępta erat, vel quia modicum pro nihilo etiam hìc reputari possit, obligationem restituendi ad prudentis arbitrium subsistere. Ita Nauarrus ex mente Caietani, quem benè defendit contra Sotum c.17. n.89.

At quærat quis, An non possit ingruere casus, quo etiam cum vitæ discrimine teneatur adultera sese prodere?

Respondeo, Non paucos DD. vnum admittere, si nimirum agatur de successione regni, in qua spurius noxius, legitimus verò futurus esset admodum vtilis: tunc enim quò auertatur spurius, dicunt etiam cum vitæ periculo ipsam debere aperire occultum adulterium. Verùm vt hoc probabile sit quando moralis certitudo de omnibus illis subesset; nondum tamen habemus casum, vbi cum periculo vitæ teneatur adultera ex iustitia commutatiua auertere damnum heredis legitimi, sed solùm vbi ex charitate aut legali iustitia teneatur auertere damnum Reipublicæ. Ad restitutionẽ verò quantumuis magnæ hereditatis, etiam regni, ex iustitia numquam directè tenebitur cum certo periculo vitæ; imò nec famæ, etiamsi legitimus heres esset ex alia matre: nam si ipsius sit filius, meritò censetur voluntariè damnum remittere, ne in matre cùm ipsa diffametur, præsertim si aliàs honesta & illustris ipsa fuerit.

*An spurio suadendum vt Monasterium ingrediatur.*

Denique existimo verius cum Azorio 3. parte lib.5. cap.6. non dari casum, quo ad impediendam iniquam successionem teneatur adultera cum certo vitæ periculo sese prodere. Quamuis enim quæ ferè incerta esse solent, certa moraliter esse supponantur de malo futuro regimine spurij, & bono legitimi, vt summum tamen fortè effecerint, vt ad sese prodendum charitas adulteram inclinet cum vitæ periculo, quæ inclinatio potest esse sine necessitate præcepti.

Secundò quæri potest, An rectè mater suadeat spurio, vt monasterium aliquod ingrediatur, quòd in bonis Professi non succedant?

Respondeo, Multos DD. illud consilium probare; neque improbum fuerit, si ipse idoneus sit ad vitam monasticam, Monasterio non futurus oneri, aut inutilis, spemque præbeat diuinæ suæ talis vocationis: neque enim importuniùs vrgendus est. Denique si Pontificum sanctiones non obsistant: nam Sixtus V. quædam de spurijs arcendis à Monasterijs statuit, quę vbi in vsu essent, omnino consuli deberent; sed mitigata sunt per Gregorium XIV. Sanè satius id fuerit, quàm quod Alciatus Iureconsultus commendauit, vt referunt Couarruuias, Salonius, Graffius, & alij, vt mater indicet filijs vnum aliquem ex ipsis esse spurium, quem se indicaturum minetur, nisi singuli sibi mutuò remittant, quod fortè defectu natalium esset restituendum: talis enim remissio re postmodum comperta non esset firma, vtpote metu extorta; neque declaratio matris obesset spurio, qui in neutro foro teneretur credere, & hereditatem abdicare sine alijs indicijs. Multo minùs ea commendanda praxis, quam Salonius habet, vt mater spurium vituperet apud maritum, eoque efficiat, vt ipso neglecto alijs meliùs prouideatur: similia enim plus solent habere odiosi exitus, quàm prosperi successus.

*Spurius non tenetur credere matri dicẽti ipsum esse spurium.*

Postremò quæri potest, Quando teneatur spurius matri credere dicenti se esse spurium. Respondeo, Ordinariè non teneri credere, etiamsi in mortis articulo id reuelet; imò etiamsi iuramento confirmet. Addunt nonnulli, etiam Confessario cõsultum esse, vt dissuadeat ei ne credat: alleganti enim suam turpitudinem non creditur. Deinde suspecta facilè est inconstantia illius sexus: facilè enim solent eum odisse mulieres, quem non amant, & exoso impotentiùs & vehementiùs auersari. Si tamen eiusmodi fuerint argumenta conceptus adulterini, vt in conscientia conuincatur, puta quia paterfamilias tempore conceptus abfuisse satis ostenditur, aut vt habet L. Filium, ff. De his qui sui vel alieni iuris sunt, interueniente infirmitate, aut alia de caussa abstinuisse tunc ab vxore, vel ea valetudine fuisse, vt generare non potuerit; non iam quærendum est an teneatur credere, quia assensus in euidentibus non est liber, sed supposito quòd argumenta id conuincant, tenetur abstinere hereditate, & seruare legitimos indemnes. Si tamen abstinere noluerit, in foro quidem exteriori pro ipso præsumetur, vt ex communi docet Glossa in cap. Officij, De pœnitentijs & remissionibus: in conscientia verò liber non erit, nisi fortè quando bona fide hereditatem iam possedisset tempore ad præscriptionem lege definito.

# TRACTATVS QVARTVS

## De iniuria Furti, Rapinæ, aut aliàs damni illati in fortunis, eiúsque restitutione.

*D. Thomas quæst. 66.*

### CAPVT PRIMVM.

### Quam & quantam restitutionem postulent Rapina & Furtum.

#### DVBIVM PRIMVM.

*Quid Furtum? D. Thomas art. 3.*

*Varie acceptiones furti.*

FVRTVM varijs modis accipitur. Apud Canonistas accipitur subinde pro quauis vsurpatione, vt testatur Baiardus §. Furtum. Quo modo complectitur etiam iniustitiam quæ est in contractibus iniquis, quando is cui fit iniuria, non ignorat iniustitiam, sed mauult eam pati quàm non contrahere; vt nihil aliud sit furtum, quàm ablatio rei alienæ, siue planè inuoluntarius sit dominus, siue solùm mixtè, siue clàm fiat, siue domino sciente; siue aliquid lucri accedat furi, siue non. In eadem generalitate accipitur ferè furtum in Decalogo.

Legistæ strictiùs accipiunt: dicunt enim esse *contrectationem rei fraudulosam, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus possessionisve.* Ita L. 1. ff. De furtis: quo modo non erit furtum, si quis neget depositum, nisi intercipiendi caussa occultauerit. Quæ definitio furtum distinguit ab iniustitia in contractibus, & mera damnificatione iniusta in fortunis: nam si genus furti his etiam commune assignare voluerimus, dicemus esse ablationem iniustam rei alienæ inuito domino. Siluester tamen monet, hac Legis definitione contineri etiam rapinam, latrocinium, & prædam. Et sanè cùm dictio *fraudulosa* potiùs iniustam quàm occultam defraudationem indicet, vt propterea omissa sit mentio rei alienæ; satis apparet, ad occultam fraudem definitionem non restringi. Itaque clarissimè propriè dictum furtum ita definiemus, vt sit *iniusta & occulta acceptio rei alienæ inuito domino.*

*Furtum propriè quid?*

Dico, *iniusta*; quia si legitimè in pœnam auferatur, non est furtum: quamuis eiusmodi ablationem excludere soleant, eò quòd tunc dominus non sit rationabiliter inuitus. Sed præstat exprimere hanc particulam: quia malum pœnæ ex natura sua est inuoluntarium, adeoque obscurior maneret definitio. Si quis ioco rem alterius abstulerit, fur quidem non erit, sed tenebitur tamquam de lusu pernicioso. L. In furti, ff. De furtis.

Dico, *occulta*; vt excludatur rapina.

Dico, *acceptio*; quia qui rem alterius destruit, non propriè committit furtum, puta quia domum comburit: & ita excluditur damnificatio iniusta, quæ contrectationem non habet aut acceptionem, licet in conscientia, ad quam Theologi respiciunt, eadem pænè sit ratio furti, quæ damni sic illati. Res etiam debet esse quæ auferitur spectans ad fortunas. Si enim vxor auferatur, aut filia, raptus erit, non furtum; si filius vt in seruitutem trahatur, plagiatus: si tamen seruus auferatur vt distrahatur, furtum erit, nam pecunia domini est. Quare etiam sui furtum seruum posse committere Leges dicunt; secùs si ancilla auferatur luxuriæ tantùm caussa: quamuis qui ita abduxerit, etiam de damno teneatur. *Raptus.* *Plagium.*

Sunt qui ad rem mobilem restringant, vt Siluester verbo Furtum ex §. Quod autè dictum est. Institut. De vsucapionibus. Verùm istud non placet; quia etiam agri furtum aut rapina cõmitti potest, quamuis non ita propriè, Institut. De vi bonorum raptorum, vbi inuasio dicitur esse, quando res est immobilis. Neque etiam rectè idem restringit ad rem corpoream, quidquid sit de iuris vocabulis; in nostro enim instituto non expedit multiplicare voces: quamuis enim alia actione in foro pro re immobili aut incorporea fortasse quis sit conueniendus, in conscientia tamen eodem modo de his omnibus compellandus est.

Oportet etiam rem esse alienam cuius furtum committatur, quamuis possit quis subinde propriæ rei furtum committere, vt si directus dominus emphyteutæ aut vsufructuario aut vsuario rem iniustè auferat. Verùm hunc manifestum est in re propria vsurpare aliquid alieni, vel vsumfructum, vel vsum. Similiter & rei communis inter socios potest ab vno furtum committi, quando sibi proprium facit quod commune erat. L. Si socius, ff. eodem.

*Furtum formaliter.*

Hinc sequitur, Si quis rem propriam auferat, existimans esse alienam, formalè coram Deo furtum committere, sicuti materiale committit qui aufert rem alienam, existimans esse propriam, vnde & actione furti non tenetur. Institut. De vi bonorum raptorum, §. Ita tamen. *Furtum materiale tantùm.*

Postremò dico, *inuito domino*; quamuis illam partem D. Thomas omiserit, fortè quia alienam accipi non exstimauit, quando domino consentiente acciperetur; quod verum esse, ex dictis constat: si enim quando vsum concedit dominus, etiam proprietatem vsurpes, non quidem vsus, sed proprietatis furtum committis.



*Obiect.* Obijcies contra hanc definitionem, etiam detentionem rei alienæ ad furtum pertinere, quæ tamen non sit acceptio.

*Resp.* Respondeo, In detentione qua fur retinet rem furtiuam esse malitiam furti, quæ in eo consistit, quòd fraudetur dominus iure suo: est ergo continua quædam fraudatio. In detentione autem qua depositarius aut commodatarius rem detinet inuito domino, Theologi acceptionem nouam considerant, & furtum esse admittunt: Iùreconsulti autem, nisi res occultandi aut furtiui lucri gratia contrectetur, aut loco moueatur, actionem furti non concedunt, diuersæ præsumptioni locum relinquentes.

#### DVBIVM II.

*Vtrùm Furtum & Rapina differant specie? D. Thomas art. 4.*

RESPONDEO affirmatiuè: quia species peccati in furto & rapina sumuntur ex ratione inuoluntarij considerati in domino rei; atqui alia est ratio inuoluntarij per violentiam, quæ est in rapina; alia per ignorantiam, quæ est in furto. Ita D. Thomas.

*Obiect. 1.* Dices, Occultum & apertum non mutant speciem in alijs peccatis; ergo neque in furto.

*Resp.* Respondeo, Non sequi: quia in furto inuoluntarium pertinet ad obiectum specificum; est enim noua improbitas, si res non obstante præsentis domini dissensu, per vim auferatur: in furto enim quasi virtualis solùm est dissensus, & abest omnis violentia; in rapina formalem dissensum violentia comprimit.

Hinc sequitur Primò, Si quis actualiter ita animo affectus sit, vt quod occultè aufert, etiam violentè esset ablaturus, & auferre proponat etiamsi dominus supereueniret & prohibere conaretur; nouam speciem peccati admisisse, quam oporteat in confessione aperire.

Sequitur Secundò, Si quis existimet dominum ignorare quando rem aufert, reuerà tamen dominus videat, fieri posse, vt solùm furtum admittat, non rapinam: quia si fortè nosset dominum scire & reniti, non auferret; nunc autem putat fortè eum qui non renititur, non esse dominum aut rei curatorem, is enim in proposito domino æquiparatur. Si tamen eiusmodi error consideretur ex parte domini, qui fortè quando videt furem venientem fugit, quia plus esse putabat quàm furem, quodque violentè rem suam erat ablaturus, non erit rapina sed simplex furtum, si clàm dumtaxat auferre intendebat, neque studio procurauit eiusmodi metum aut errorem.

*Furtū manifestum & occultū non differunt specie.*

Sequitur Tertiò, Furtum manifestum & non manifestum non differre specie, de qua furti differentia videre licet L. Furtorum, ff. De furtis. Furtum enim manifestum non est quod violentè admittitur, sed quod quomodocumque factum manifestè reprehenditur, & punitur pœna quadrupli, cùm non manifestum tantùm puniatur in duplum.

*Obiect. 2.* Dices Secundò, Si quis domino sciente rem auferat, & coram præsente, sine violentia tamen; non committit rapinam quia deest violentia: neque tamen videtur committere furtum, quia quòd dominus sit inuoluntarius, non prouenit ex ignorantia.

*Resp.* Respondet Salonius, esse furtum, eò quòd in definitione furti occulta acceptio sit quæuis quæ non sit domino consentiente.

Sed aliter dico, tam furtum quàm rapinam fieri domino rei simpliciter inuito; hoc enim differunt ab vsura & similibus. Dicitur autem furtum fieri domino per ignorantiã inuoluntario, nõ quòd consentiret si sciret, sed quòd palàm contradiceret, aut etiam quantum posset impediret, nisi nesciret, secundùm illud Euangelij: *Si sciret pater familias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domũ suam.* Similiter rapina fit domino inuito per violentiam, non quòd consentiret auferri si vis non fieret, sed quòd contradiceret & impediret, nisi per vim ipse impediretur. Quando ergo dominus præsens est, si caussa ob quam minùs impedit rei ablationem, sit potentia initasoris, aut sua impotentia, est rapina: si autem non omittat impedire propter potentiam inuasoris, aut suam impotentiam, & nihilominùs inuito res aufertur, censetur non impedire per inaduertentiam aut alicuius rei ignorantiam: si enim velit impedire, & neque defectus sit in executiua potentia, neque in voluntate, oportet defectum esse ex parte intellectus, adeoque ignorantiam aliquam; atque ita erit furti species. Itaque si non impedit quia non vult, non est inuitus: si non impedit quia non nouit quid agatur, etiam si velit, est furtum: si denique neque voluntas impediendi defit, neque facti scientia, sed alterius obsit potentia, aut propria impotentia, est rapina. Vnde colligitur, si infirmo reclamanti res auferatur, rapinam fore. Luc. 12. *Furtũ aliter fit inuito domino quàm rapina.*

#### DVBIVM III.

*Vtrùm Furtum sit peccatum mortale? D. Thomas art. 6.*

*Furtum leuius peccatum quàm alia contra Decalogum*

DICO PRIMO. Furtum ex genere suo leuius est peccatis alijs quæ sunt contra Decalogum. Ita Arragonius hìc. Probatur, non solùm quia posteriori loco tam actus quàm concupiscentia eius prohibetur, sed quia ex obiecto est leuissimum, cùm versetur circa bona fortunæ, quæ infimo loco meritò censentur. Quare & Scriptura Prouerb. 6. videtur illud extenuare, præsertim comparatione adulterij. Quamuis autem simplicem fornicationem putauerit Martinus De magistris leuiorem esse furto, certissimum tamen est, etiam illam ex genere suo esse grauiorem: qui enim fornicatur, in corpus suum peccat; fur autem solùm in fortunas proximi.

*Obiect. 1.* Dices, Fornicatio est solùm contra temperantiam, furtum autem contra iustitiam, quæ est virtus præstantior.

*2.* Deinde, In Decalogo post furti inhibitionem prohibetur falsum testimonium; ergo cùm secundùm D. Thomam ibi seruetur ordo grauitatis, furtum erit grauius.

*3.* Tertiò, Fornicatio apud gentiles minùs habita fuit pro peccato quàm furtum.

*4.* Denique, Chrysostomus Homilia 53. in Matth. *Peior*, inquit, *rapina multo est quàm cades.* Et Homil. 17. videtur dicere, furtum grauius esse periurio.

*Resp. ad 1.* Respondeo ad Primum, Quocumque tandem sensu à D. Thoma assertum sit, maius esse peccatũ quod digniori virtuti opponitur, de quo in 1.2. etiam fornicationẽ hactenus esse cõtra iustitiam, quia natura sua cedit in iniuriam prolis, vt ad nostrũ propositũ obseruat ipse D.Thom. q.154.a.3.

*Ad 2.* Ad Secundum respondeo ex eodem D. Thoma 1.2.quæst.100.art.6. peccatum oris esse leuius peccato operis, & ideò falsum testimonium prohiberi post furtum; alioqui falsum testari contra proximum, vt rem suam amittat, minus quidem peccatum erit quàm eam auferre, sed ad speciem furti pertinebit.

*Ad 3.* Ad Tertium, Hoc ex ignorantia & libidine excæcante accidisse, eò quòd læsio prolis nondum existentis non ita consideretur, sicuti illa læsio quę fit per furtum.

*Ad 4.* Ad Chrysost. respondeo, Priori loco ipsum agere de illa rapina, qua paulatim pauperes enecantur: posteriori autem non vult periurio furtum esse grauius, sed furto exterminato, vix locum fore periurio.

*Furtum ex genere suo est peccatum mortale.* DICO SECVNDO. Nihilominùs certissimum est, furtum esse ex genere suo peccatum mortale. Est certissima secundùm Scripturam sacram, Ecclesiastici 34. *Qui aufert in sudore panem*, id est, in sudore partum, *quasi qui occidit proximum suum*. Similiter occidere & furari coniunguntur Ieremiæ 7. Zachariæ 5. *Omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur.* Vbi Septuaginta legunt: *Omnis fur vsque ad mortem iudicabitur.* Imò adeò est furtum peccatum mortale contra charitatem proximi & Decalogum, vt omne peccatum contra secundam tabulam, Zachariam nomine furti comprehendisse Interpretes annotarint. Vnde & apertè dicit Apostolus 1. Cor. 6. *Neque fures regnum Dei possidebunt.* Ita alibi socij furum reprehenduntur; & monemur ne quis patiatur vt fur. Accedit auctoritas Canonum, 14.quæst.6.cap.vlt. & cap. Fures, De furtis: vbi ex Concilio Triburiensi statuitur, pro fure in flagranti crimine occiso non esse orandum.

*Veniale ex indeliberatione actus.* DICO TERTIO. Furtum potest esse veniale ex indeliberatione actus; hoc enim in quouis peccato locum habet. Est quidem verùm, magis in furto mentali, quàm in exteriori locum habere: in hoc tamen etiam vsu veniet, si quis animo non satis deliberato alienum in notabili quantitate ex præcipiti quadam consuetudine, aut vehementiore tentatione impulsus abstulerit.

*Ex materia leuitate.* DICO QVARTO. Ex materiæ leuitate potest interdum furtum esse solùm veniale peccatum. Est cõmunior DD. quamuis Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 3. notab. 5. videatur contrarium sentire, videlicet furtum rei paruæ satis deliberatum, quod fiat animo possidendi rem alienam, esse peccatum mortale: quæ sententia suadetur Primò, Quia concupiscentia rei magnæ alienæ minùs nocet proximo quando manus cohibetur, quàm actuale furtum rei paruæ; ergo cùm illa concupiscentia sit mortalis, etiam erit mortale furtum rei paruæ.

*Obiect. 1.*

*2.* Suadetur Secundò ex cap. vltimo, 14.q.6. vbi D. Hieronymus dicit, furem non solùm in maioribus, sed etiam in minoribus iudicari: non enim id quod furto sublatum est, sed mentem furantis attendi.

*Resp. ad 1.* Verùm ad prius respondeo, Ex solo actualiter secuto proximi detrimento non esse æstimandam malitiam furti, sed ex affectu magnæ iniuriæ in mente furtum diiudicandum: nam radix iniuriæ, imò etiam omnis mali, est cupiditas.

*Ad 2.* Ad Secundum respondeo, Non aliud voluisse D. Hieronymum, quàm reuerà furti speciem, etiam in paruę rei furto reperiri, & furẽ etiam posse dici & iudicari, qui parua furatur. Ita Nauarrus in dictum cap. & videtur probabilior commentarius. Non improbabiliter tamen alij dicunt, verba D. Hieronymi procedere, quando animus non deest furandi maiora, sed res ipsa maior deest: est enim in seruos dictum, qui minora ideò rapiant, quia maiora impunè non possunt, tanto magis peccantes, quò minùs alliciebat ad sui ablationem quod exiguum erat. Huc etiam pertinere videtur quod D. Thomas hîc ad 3. dicit, eum qui rem paruam aufert animo furandi & inferendi nocumentum proximo, peccare mortaliter. Salonius enim putat D. Thomam non aliud velle, quàm auferentem rem modicam, peccare mortaliter, si eam auferat animo maiorem auferendi, atque ita proximo nocendi. Fortè tamen respicit D. Thomas ad exempla in argumento proposita, acus & pennæ, in quarum ablatione nocumentum subinde non est paruum, quamuis ipsæ res sint modicæ. Vel denique dici potest, D. Thomam ad vtrumque respicere, & ad animum furandi maiora, & nocendi in re parua.

*De quantitate furti mortalis varie sentitur.* His constitutis præcipua superest difficultas, Quomodo discerni queat, vtrùm particulare hoc furtum ratione paruæ materiæ excusetur à mortali: variæ enim hac de re sunt DD. sententiæ. Antiquiores Scholastici rem istam relinquunt iudicio prudentis, & in particulari non decidunt; sed recentiores, Dominicus Soto, & qui post ipsum scripserunt, cœperunt in particulari definire: & ipse quidem Soto lib. 5. quæst. 3. art. 3. dicit esse *Soti sententia.* quamdam quantitatem, quam auferre à quolibet fit mortale, qualis est, inquit, verbi gratia duorum aut trium aureorum ducatorum; in ablatione autem minoris summæ vult respici ad qualitatem domini: tantam enim posse esse eius pauperrtatem, vt & vnum aut alterum argenteum ei auferre sit mortale. Denique etiam in ablatione minimæ rei posse committi furtum mortale vel propter damnum quod dominus patitur, vel propter maiorem concupiscentiam qua res parua auferetur.

*Nauarri sententia.* Nauarrus suprà in cap. finale 14.quæst.6. existimat Sotum quantitatem furti notabilis non determinasse, sed solùm exempli gratia expressisse duos aut tres ducatos.

Existimat Secundò, Eum qui parum furatur, animo tamen furandi multa, peccare mortaliter; venialiter autem, si solùm habeat animum furandi illud exiguum, etiamsi existimet id fieri domino inuito, vtpote qui contradiceret si sciret. Cum qua sententia vt conciliemus D. Thomam, qui excusat paruum furtum à mortali, quia præsumi possit non esse contra voluntatem domini; dicendum esset, in verbis Thomæ considerandum non tam quid immeritò nolit dominus, quem conueniebat modicum pro nullo reputare, quàm quid meritò præsumat auferens.

Existimat Tertiò Nauarrus, Quando ex re parua ablata magnum domino infertur detrimentum, esse peccatum mortale, auferre, si damnum secuturum præsciuerit aut præscire debuerit qui aufert: non esse tamen furtum mortale, vt



le, vt viderur Soto sensisse, sed damnificationem quamdam à furto distinctam.

Quartò existimat idem Nauarrus, Fore quidem peccatum mortale, non tamen furtum mortale, si quis abstulerit rem paruam, vnde sciat dominum multùm se cruciaturum.

Quintò vult idem Doctor, quod omnino notandum & examinandum est, Quando quantitas furto ablata non est tanta vt sufficiat ad furtũ mortale si diuiti auferretur, fieri quidem posse vt ablata pauperi sufficiat ad mortale peccatum, qui inde molestia aut incommodo afficietur; non tamen sufficere vmquam ad furtum mortale, ita vt quantitas quæ ad mortale furtum sufficiat, eadem sit respectu diuitis & pauperis.

Sextò, In determinando valore qui ad furtum notabile sufficiat, monet respiciendum esse ad pecuniæ in ea regione abundantiam: tandemque dicit (quod etiam expressiùs habet in Enchiridio cap. 17. num. 4.) valorem medij regalis aut argentei sufficere ad mortale furtum, quando res quæ aufertur in se tanti valet; aut ad peccatum mortale damni illati, quando tanti æstimari poterit saltem damnum quod sequitur.

3. Tertia opinio notabilem dicit esse quantitatem medium aureum; id est, sex aut septem regales.

4. Quarta duos regales, vt refert Salonius, ex eo quòd quibusdam Synodalibus statutis cautum sit, ne excommunicatio feratur pro debito pecuniario, nisi saltem fuerit duorum argenteorum.

5. Quinta est ipsius Salonij, qui putat secundùm æstimationem Hispaniæ, notabilem summam infimam constitui ex vno regali siue argenteo.

6. Refert tamen & Sextam aliorum, qui sesquiregalem requirant.

7. Non desunt qui centum aureos requirant, seclusis alijs incommodis. Vnde apparet, quanta diuersitas, vt vni medius regalis sufficiat, vbi alter centum aureos requirat.

*Varia considerandа in æstimatione furti mortalis.* Vt hanc difficultatem superemus, notandum est, in æstimanda quantitate furti notabilis, plura debere in considerationem venire; in quibus in primis est quantitas & valor rei quæ aufertur, qui æstimandus erit secundùm commodum quod res ipsa solet & nata est adferre in suo vsu, & incommodum quod per se infert eius priuatio. Si enim incommodum illud tantum sit, vt sufficiat ad culpam mortalem eius grauitas (quæ ex æquiualentibus conijci potest) quando per iniuriam alicui inuito infertur, etiam quantitas rei sufficiet ad furtum mortale: verbi gratia, si vnus argenteus sufficiat ad victum vnius diei, non quidem tam grauiter peccat qui eum furatur, quàm ille qui vno integro die priuaret quem omni cibo: est tamen illud furtum tale in genere furti, qualis in suo genere est iniustitia priuans integro die cibo & potu. Erit ergo notabile furtum, sicut & altera notabilis esset proximo iniuria & vexatio: notabile autem furtum eo ipso nouimus peccatum esse mortale, quo scimus furtum ex genere suo esse mortale: rectissimè autem ex similitudine personalis iniuriæ in afflictione per famem aut simili, mensuramus quantitatem furti, quia res fortunæ, circa quas furtum versatur, habent pro fine & mensura humanas eiusmodi commoditates. Itaque ex parte materiæ tale furtum satis graue erit vt sit mortale, nisi fortè fiat veniale propter aliquam aliam causam, verbi gratia, quòd dominus non sit satis inuoluntarius, vel quòd res non sit satis aliena: quomodo excusari à mortali posset quod filius committeret in parentem, præsertim diuitem, qui magis in modo fortè est inuoluntarius, etiamsi aliàs haberet quantitatem sufficientem ad furtum mortale; nondum enim fortè habet adeò notabilem, vt pater satis inuoluntarius præsumi queat. *Nota de furtis filiorum.*

Neque obstat illud Prouerb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est*: quia Sapiens loquitur de eo qui suffuratur multum, ita vt ad inopiam redigat, quæ non minùs quàm mors affligat: Hebræa enim habent, *Qui spoliat & deprædatur.* Vel eò spectat hæc Sapientis monitio, ne filij existiment sibi furta licere in parentes. Si enim satis magna sint, & contra parentum voluntatem, non est in parentum potestate efficere, vt furta sint & mortalia non sint, quamuis aliquousque efficere queant, vt absolutè furta non reputentur. Sicuti autem hîc contingit in notabili quantitate nõ esse peccatum mortale, ita econtrario propter nocumentum sequens, contingit in re parua esse peccatum mortale; aliquando solùm contra charitatem, quando nimirum præuidet quis ex paruo furto magnum mœrorem domini; aliquando contra iustitiam quidem, sed non in specie furti, vtpote si sartori acus, scribæ penna auferatur, vbi aliam habere non possit, & detrimentum inde tantum subeat, quod meritò notabilis rei ablationi comparetur. Numquam autem in specie furti erit mortale, nisi quantitas fuerit notabilis, etiamsi damnum quod sequitur fuerit notabile, vt benè ostendit Nauarrus in dictum cap. finale, quamuis aliter senserit Sotus. Verùm vel ex ipsa definitione furti constat, damnificationem hanc furtum non esse; neque pro ea dabitur in foro actio furti, neque pro furto tali manifesto damnabitur in quadruplum lucri diurni, quod fortè fur abstulit, sed solùm valoris instrumenti: neque talis paruæ rei suffurator erit excommunicatus, quando in furem excommunicatio statuta fuerit. Idem dicendum de eo qui animo plus auferendi minus aufert, ideoque mortaliter peccat: quamuis enim hîc sit peccatum furti, est tamen interiùs sine exteriori notabili. *Ablatio rei parua, vnde sequitur nocumentũ magnũ, est mortalis.*

Verùm istud hîc dubium superest, An sicut quantitas, quæ respondebat vnius diei consumptioni, sufficit ad furtum mortale, ita etiam requiratur?

Sanè absolutè nonnihil posse esse minorem, omnino dicendum videtur; fortè tamen nõ sufficient duo eius trientes, sufficere autem quod eos superarit, æstimari poterit: verbi gratia, si victus diurnus æstimetur ad sex, quatuor non sufficiunt, sed quasi quinque, id est, vnus argenteus.

Fauet huic doctrinæ iuramentum militum Romanorum apud Agellium lib. 16. cap. 4. *Si quid ibi inueneris sustuleriſve quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit*, &c.

Alterum non minùs intricatum quæri potest, An sicuti dum filius à patre furatur, maior quantitas ad peccatum mortale requiritur, ita etiam quando aliquid à prædiuite quopiam auferetur, qui nullum inde sentiat nocumentum, aut sanè multo minus quàm si à paupere idem auferatur?

*Furti mortalis quantitas eadem respectu pauperis & diuitis.*

Dicendum est, quando respectu pauperis, seclusa omni consideratione incommodi sequentis, quantitas absolutè satis magna est ad furtum mortale, non apparere quare respectu diuitis non sufficiat ad notabile, adeoque mortale furtum: nisi hîc rationabilis succurrat præsumptio diminutiin diuite inuoluntarij, quæ præsumptio fortè secundùm moralem quamdam æquitatem efficere poterit, vt vbi à pauperrimo vnum argenteum auferre erat furtum mortale, à ditissimo auferendo mortaliter non peccetur, nisi saltem quasi duo argentei auferantur. Atque hæc consideratio locum maximè habebit in illis rebus, quarum neglectiorem custodiam diuites habent, vt ciborum, potus, & similium, quæque iuuant fures, & latent dominos, vt dicit Poëta. Si tamen etiam ditissimus sciretur sibi velle restitutionem fieri, obligaret ea sub mortali, quando quantitas vel infimo modo esset notabilis. Qui ergo diuiti rem notabilem abstulit, etiamsi diues detrimentum non senserit, peccabit mortaliter, nisi inuoluntarij imperfectio in domino peccatum minuat in fure, quod alioquin satis magnum facit quantitas ablata. Neque enim rectè dixerimus, eum qui pauperi gallinam abstulerit, quæ notabile furtum constituere valeat, peccare mortaliter; si autem diuiti auferret, eo ipso quo diues est dominus, tam à crimine quàm à restitutionis sub mortali obligatione liberum fore: si enim à nocumento ita pendeat furti malitia, quare vel sola concupiscentia furti, quæ nihil reipsa aufert, est mortalis? quare vel centum aurei respectu Regis notabili furto sufficient. In charitatem plus peccari poterit, quando in pauperem furtum admittitur: at contra iustitiam commutatiuam, si præcisè furtum spectes, æquè peccatur in diuitem; spectat enim iustitia ista æqualitatem rei ad rem. Deinde non ideò furtum non est ablatio tua, aut notabile non est, quia non sentit is cui aufers, cùm & communis ærarij expilatio grauioris criminis peculatus teneatur, neque in fortuna furis computari debeat, quòd diuitem non lædat quando rem eius aufert; verùm hoc fortuna reliqua diuitis est, quam ei non aufert. Quid enim, an diues libertatem amittet plus dandi, aut pauper ab eo accipiendi, quia huic furari libet? aut parum ei auferri censebitur, quo vel militi stipendium, vel pauperi vnius diei victum suppeditare poterat? Si innoxium furtum iudicemus, ex quo hîc & nunc reipsa fortè non sequuntur incommoda, propter quæ prohibitum videtur, eadem ratione & fornicationes diuitum excusabimus, ex quibus fortè non sequitur incommodum educationis in prole. Ad hæc in lege diuina non minor iniungitur restitutio ei qui à diuite ouem verbi gratia sustulisset, quàm qui à paupere; quamuis magis hîc peccare aliquoties significetur.

*Auferens à paupere, plus contra charitatem peccat.*

## DVBIVM IV.

*Vtrùm peccent mortaliter, aut saltem sub mortali teneantur restituere, qui multis minutis furtis magnam tandem quantitatem acquirunt?*

DISTINCTIONES quædam hîc adhibentur: Vel enim qui ita diteſcit, intendebat minutis illis furtis ditescere, vel nihil tale cogitabat. Rursum vel minuta illa furta committuntur in vnam & eamdem personam, vel diuersas: item vel breui admodum tempore sese consequuntur, vel solùm longo demum interuallo. Item vel quæritur, An singula furta minuta tunc fiant mortalia, vel an vltimum tantùm, quando iam notabilis quantitas completur; vel an nullum ex illis, sed omne crimen sit in voluntate retinendi. Vbi rursum dubites, An qui proposuit restituere tempore & loco opportuno, minutis alijs furtis, etiam sine proposito restituendi, superadditis, iterùm non peccet mortaliter, donec noua iterùm quantitas ad notabilem magnitudinem excrescat? Item, An qui absque vllo restituendi proposito pergit post notabilem aggestam quantitatem in minutis furtis, toties peccet mortaliter? Quale quid etiam de illo quæri potest, qui intentione diteſcendi ea committit ab initio. Denique videndum, quousque sub mortali obliget restiturio, an integrè & in solidum, an dumtaxat quoad excessum qui fecit mortale.

Respondeo & DICO PRIMO. Qui ideò minuta furta diuersis vicibus committit, vt rem suam tandem inde notabiliter augeat, singulis vicibus peccat mortaliter. Probatur ex dictis; Quia singulis vicibus aufert rem paruam animo furandi magnam, imò formaliter intendit auferre hanc rem alienam modicam, tamquam partem magnę, quam quasi membratim sic extrahit è rebus alienis. Cùm itaque imperium peccatum sit mortale, etiam actus imperatus mortale erit.

*Qui minutis furtis intendit diteſcere, in singulis peccat mortaliter.*

Quæres, An ergo sub mortali teneatur restituere illud exiguum, si fortè post vnum aut alterum eiusmodi furtum pœniteat, antequam quid magni furatus sit?

Respondeo, Solùm teneri sub veniali: retinere enim rem alienam in quantitate modica, sine animo mortaliter malo, non est nisi veniale; imò etiam antequam animum corrigat, non tenetur sub mortali restituere, quàm diu quantitas est modica; quia obligatio restituendi sub mortali non sequitur quantitatem quæ est in animo, sed quæ est in re ablata.

At quæres, Quid si à diuersis modica diuersis temporibus ita is furripuerit, vt ipsi non senserint vllum inde grauamen?

Respondeo, Quòd diuersis ademerit, nō excusat à restitutione: non enim tenetur restituere quia læsionem senserit qui fraudatus est, sed quia notabilem ipse rem detinet alienam. Si tamen valdè longa sint interualla, quibus consilio auaritiæ mortali eiusmodi furta minuta admisit, quamuis ob animum enormiter furtiuum indubiè peccet mortaliter, dubitari posset an teneatur ad restitutionem, quia temporis tractus videtur impedire, quò minùs in illam quantitatem furta coëant.

Omnino tamen dixerim, etiam talem ad restituendum sub mortali teneri; quia quod tempus diuidit, intentio coniungit. Illud nihilominùs admiserim, quòd furtum in plures fraudatos, & in maiora distrahitur interualla, eò maiorem requiri quantitatem, vt sub mortali fur teneatur restituere: quia fraudati censentur minùs inuiti, quò minùs sensibiliter res fuerit surrepta.

Confirmari hæc possunt ex Scriptura sacra, quæ stellionatus crimen in falsis ponderibus abominatur. Leuit. 19. Deuteron. 25. Prouerb. 11. Michææ 6. Huc pertinet quod notat Graffius li. 2. cap. 93. non esse immunes à restitutione eos venditores, qui aliquid vltra pretium à lege præfixum accipiunt à varijs emptoribus, animo inde diteſcendi.



*Qui non tenetur, vbi peruenerit ad quantitatem notabilem, tenetur sub mortali ad restitutionem.*

DICO SECVNDO. Qui diuersis modicis furtis, sine animo inde diteſcendi, peruenit ad quantitatem notabilem, tenetur, vbi id aduerterit, sub mortali restituere. Verius tamen videtur, quòd non peccet mortaliter vllo particulari furto, etiamsi eo iam videat se complere notabilem quantitatem, sed sola detentione totius notabilis quantitatis: singulorum enim furtorum materia exigua est, sed magna detentionis. Itaque complens notabilem materiam, idque aduertens, non quidem præcisè auferendo, sed volendo simul cum præiacente detinere, peccabit mortaliter. Neque fortè, qui dixerunt talem auferendo peccare mortaliter, aliud voluerunt, quàm auferendo verbi gratia decimo furto, simul habere animum detinendi, quod diuersis vicibus subfatum, iam notabilem effecit quantitatem.

*Quando possit excusari à restitutione.*

Poterit tamen iste à restitutione excusari, Primò, si longa fuerint interualla inter monora illa furta, ita Graffius suprà. Secùs si à diuersis furatus sit quasi continuato tempore.

Secundò poterit excusari, Si illi à quibus sustulit, tenebantur eum alere, & aliter viueren on potuit.

Tertiò, Si meritò præsumere poterat, fraudatos non fuisse inuitos, aut restitutionem remittere. Inter quos modos ea est diuersitas, quòd duo posteriores etiam in eo habeant locum, qui intendit per minuta maiorem quantitatem.

Quartò, Excusabitur non solùm à peccato mortali, sed etiam à restitutione, faciendo sub mortali minuti furti, quod fortè adiunxit post notabilem quantitatem minutim priùs surrepta, & restituendi propositum conceptum: excusabitur inquam, donec iterùm moles furtiua excreuerit. Quod etiam extendendum est, quoad restitutionem, ad illum qui furatur modica animo diteſcendi: nam quoad peccatum mortale talis perinde excusari non poterit, nisi fortè à nouo, si consideres multis minutis furtis quasi vnam quantitatem magnam extrahere.

Verùm contra hanc assertionem difficultas est, Quî fieri possit vt ratione acceptionis teneatur sub mortali, qui accipiendo non peccauit mortaliter.

*Obiect. 1.* Respondeo, Hoc fieri, quia in ablationibus materia furti in minuta diuisa in ordine ad restitutionem iam simul sumitur, & consideratur vt magna.

*Obiect. 1.* Dices, Fieri potest, vt fur non detineat, sed proiecerit quæ minutis furtis abstulit, aut aliter apud ipsum petierint; itaque tunc non videbitur obligatus sub mortali ad vllam restitutionem, quia neque ablatio fuit mortalis, vt suppono, neque detentio vlla est re iam abiecta aut destructa.

*Resp.* Respondeo, Fur qui proiicit aut consumit rem furtiuam, moraliter ab ea dominum abstinet, adeoque eam à domino suo abstinet & detinet; quæ moralis detentio oritur quidem ex ablatione, sed licet ista ob diuisam materiam fuerit solùm venialis, illa ob coniunctam fit mortalis.

*Obiect. 2.* Dices iterùm, Restitutio respondet læsioni; atqui fieri potest vt nemo ex defraudatis notabiliter sit læsus: quis enim dixerit, ideò Petrum notabiliter iam incipere lędi, quia simile paruum furtum admittitur contra Paulum?

*Resp.* Respondeo, Patet ex dictis, in furti propriè dicti æstimatione non tam esse considerandam accessoriam læsionem, quàm intrinsecam, quæ pendeat ex rei valore; nec diuitias aut numerum defraudatorum excusare furem, quando satis notabilis fuerit quantitas sublata. Itaque neque hîc mirum fuerit, restitutionis obligationem arctam oriri ex multiplicatis furtis: consideranda enim tota materia tamquam vnum furtum, & omnes defraudati tamquam vnus potentior.

*Obiect. 3.* Dices Tertiò, Saltem illo casu sufficiet restituere excessum istum, quo quantitas ex non notabili facta est notabilis: verbi gratia, si quatuor non erant quantitas notabilis sed quinque, sufficiet sub mortali restituere vnum quando quinq; sublata fuerint.

*Resp.* Respondeo; Petrus Nauarra lib. 3. cap. 1. nu. mero 60. & seqq. docet non teneri eum sub mortali ad vlteriorem restitutionem, sed solùm sub veniali. Argumentum ipsius est, quòd debitum minoris quantitatis non obliget sub mortali. Alij, vt Medina, & Corduba apud Nauarrū, dicunt talem non excusari à mortali soluendo vnum, sed debere ita soluere illam summam quam debebat sub mortali, vt moraliter dici possit restituisse; id est, vt tam parum restet soluendum, vt hoc respectu summæ totius pro nihilo reputari queat: atque ita eum qui quinque debebat, dicunt non satisfacere, neque extinguere arctam obligationem, soluendo vnum, sed soluendo quatuor aut quatuor cum dimidio.

Dicendum videtur, Nauarræ sententiam posse teneri hactenus, vt is semper desinat obligari ad restitutionem sub mortali, qui de summa, ad quam quasi in vnam conflatam siue vni siue multis tenebatur, eousque restituit, vt de ea tota non superſit nisi modica quantitas restituenda, quæ ad furtum mortale non sufficiat. Quare abotetur hac sententia si quis à centum diuersis furripuerit centum asses, & putauerit sufficere si restituat viginti, auferendo vicies quintam partem ex quinque assibus, qui notabilem summam infimam constituunt: sed regulariter opus erit, vt saltem restituat. 96. nisi fortè ita diuersis temporibus hæc furta acciderint, vt sic partiri liceat, & non debeant secundùm dicta in vnam massam computari.

## DVBIVM V.

*An peccent mortaliter, & sub mortali teneantur, qui singuli exiguum damnum intulerunt, sed omnes simul satis magnum?*

RESPONDEO, Etiam hîc distinctione opus esse. Vel enim omnes simul conspirant consilio ad eiusmodi damnum inferendum; vel non conspirant quidem, sed suo exemplo vident alios peccare; vel neque conspirant neque exemplo nocent, aduertunt tamen per suum furtum, si ad aliorum furta accedat, notabile futurum damnum; vel denique de alijs nihil omnino sciunt, sed mero casu eiusmodi damna concurrunt.

*Si conspirauerint, tenentur de omnes.*

Primo casu peccant omnes mortaliter, & singuli tenētur in solidum ad totum damnum, sicut

de cooperantibus dicemus sequenti capite: reuerà enim cooperantur ad totum, non solùm exequuntur secundùm partem. Ita communiter DD. quos sequitur Sotus lib. 4. q. 7. num. 3. qui benè hoc extendit contra Graffium lib. 2. cap. 127. & alios, vt verum sit etiam quando singuli non fuissent causſa sine qua non; sufficit enim, verè fuisse cooperatos. Fauet resolutio quam refert & sequitur Baiardus num. 38. quæ habet, Si statutum dicat, quòd furtum committens valoris decem scutorum sit capite plectendus; si tres aliquam rem ittius valoris surripuerint & diuiserint, etiamsi singuli non habuerint nisi tria circiter scuta, omnes fore reos capitis.

Nota, Si ex his pluribus aliquis fuerit reliquis auctor huius damni inferendi, ipsum ante alios in solidum teneri, vt benè obseruat Azorius 3. parte lib. 5. cap. 13.

*Videns exemplo suo alios furari, non tenetur.*

Secundo casu, quando vident exemplo suo alios furari & notabile damnum inferre, verius videtur non peccare hoc ipso mortaliter contra iustitiam, neque sub mortali teneri, quando saltem exemplo suo non intenderunt eiusmodi damnum: nam quando intenderent, mortaliter peccarent, non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, saltem interiori affectu. Crediderim tamen, non obligatum iri ad damna suo exemplo secuta ex iustitia & sub mortali, quia remotè solùm & non satis efficaciter causſam dederunt: sola enim cogitatio furti faciendi non facit furem. L. 1. ff. De furtis, de quo videnda quæ diximus suprà cap. 2. De homicidio, Dub. vltimo. Secùs tamen dixerim, si exemplum æquualeat adhortationi aut animationi; tunc enim tenerentur singuli in solidum; eoque modo accipi poterit opinio Lopez cap. 93. parte priore.

*Neq; quando non est alius concausſa.*

Tertio casu, quando non sunt alijs concausſa, non peccant singuli mortaliter, neque tenentur singuli sub mortali totum damnum restituere, sed sub veniali tantùm illud exiguum quod singuli intulerunt, etiamsi aduertant alijs simul furantibus notabile damnum inferri. Ita indicat Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. Contrarium tamen sentit Couarruuias lib. 1. Variarum resolut. cap. 3. num. 12. Tenet enim, peccare tales mortaliter; quamuis eos non obliget, nisi ad id quod acceperunt. Verùm neque mortaliter peccare ostendo; Quia, vt suprà diximus, etiam ille non peccat modico furto mortaliter, qui videt iunctum præcedentibus excrescere in notabilem quantitatem, si notabilem non intendit. Neque etiam teneri eos ad restitutionem sub mortali, probatur; Quia singuli non detinent nisi quid exiguum, quod restituere sub mortali non tenentur.

*Neque quãdo de aliis nihil scit.*

Quarto casu certum est neque mortaliter peccare, neque teneri ad restitutionem sub mortali: sequitur à maiori ex dictis. Verumtamen hoc notandum est, Quando notabile damnum, multorum minutis furtis illatum est, posse Episcopum sub pœna excommunicationis præcipere, vt restituant quod singuli abstulerunt, etiamsi sub mortali aliàs non tenebantur. Potest enim Superior ex iusta causſa rem etiam indifferentem sub mortali præcipere, multo magis eam ad quam subditus saltem sub veniali tenebatur: atque ita excommunicatio non inferetur pro veniali, sed pro mortali contra præceptum Superioris in ipsa omissione restitutionis admisso. Ita passim notant recentiores post Dominicum Soto.

## DVBIVM VI.

### *Anne furtum aut peccatum mortale committat, qui sibi occultè rem suam, aut sibi debitam vindicat?*

Hæc dubitatio procedit, quando res certò est tua: est enim extra controuersiam, quòd mortaliter pecces auferendo, stante dubio an sit tua; in dubio enim melior est conditio possidentis.

*Circumstantiæ quibus licet rem propriã auferre.*

Dico primo. Rem suam apud alium detentam cuique priuato licebit auferre, quando istæ circumstantiæ concurrerint. Prima, Ne titulo locati, commodati, aut pignoris ab alio illo detineatur: qui enim tunc præmaturè rẽ suam auferret, committeret furtum vsurpando sibi, & adimendo alteri rei detentionem aut possessionem, quæ ad ius pertinebat alterius. Vnde sequitur, hoc casu ad restitutionem teneri. Limita tamen, vt hoc locum non habeat, quando ideò à conductore, iusto possessore aut detentore dominus rem aufert, quia de fuga cum ea ineunda suspectus est, aut alia defraudatione.

Secunda, Vt commodè rem tibi furto sublatam per Iudicem recuperare non possis: si enim possis, ipsi quodammodò Iudici iniuriam facis, iudicium siue officium eius vsurpando; imò hac ratione exemplum datur res alienas auferendi. Instit. De vi bonorum raptorum, §. Ita tamen, vbi ne id fiat, cauetur sub pœna cadendi dominio rei propriæ, sic recuperatæ. Hoc tamen casu vsurpans non teneris restituere, imò quando inde neque scandalizas quemquam, neque turbas Rempublicam, verius est licere clàm auferre, etsi absque peculiari incommodo per Magistratum possis; neque inuadis munus Iudicis, qui ad pacem publicam tuendam constitutus est. Ita Valentia, & fauet consuetudo.

Tertia, Si fur rem tuam tibi verisimiliter erat aliquando redditurus, teneris ex iustitia, quando abstulisti ei significare, tibi de ea satisfactum esse; imò etiamsi existimes redditurum non fuisse, teneris ex charitate ei significare, vt conscientiam rei alienæ deponere valeat, aut ne fortè in laqueum hoc ei sit, quòd se restitutioni existimet obnoxium. Addo etiam, ex iustitia teneri te furi relinquere facultatem, coram Iudice aut aliis ostendendi se tibi nihil debere, vbi iam rem tuam recuperasti, quod indicat Siluester verbo Furtum, quæst. 12.

Dico secvndo. Non solùm occultè, sed etiam aperta vi licet domino rem suam è domo furis auferre, si aliter per Magistratum recuperare non possit: & hoc faciat solùm furem turbando, non Rempub. omneque scandalum absit aut periculum maioris incommodi proprij, vel furis: neque enim potest ipsum furem inuadere, sed rem suam, aut rem seu domum furis, quatenus detinet rem suam, & impedit quò minùs recuperet.

Dico tertio. Creditor sibi compensans liquidum debitum ex bonis debitoris, non tenetur ad restitutionem, modò efficiat ne debitor pergat existimare se debere quod compensatum est. Imò etiam à peccato liber erit, qui occulta compensatione in liquido debito vsus fuerit, quando aliter non poterat debitum obtinere sine maiori incommodo, puta sine magnis expensis, molestijs, aut inuidia. Neque obest cap. Bona fides, De deposito, quod videtur quidem confirmare nostram assertionem in compensationibus alijs, sed prohibet ne contra depositorem debitorum eiusmodi compensatio fiat in re deposita: nam vt Petrus Nauarra docet lib. 3. cap. 1. numero 390. solùm loquitur Pontifex in ordine ad forum exterius, aut in casu quo debitum aliunde poterat recuperari. Denique æquum est, vt ægriùs in deposito Iudex compensationem admittat, ne fortè qui bona fide deposuit, re sua fraudetur alterius perfidiâ.

*Quãdo qui iurauit soluere, possit vti compensatione.*

Quæres, An qui iurauit soluere, possit vti compensatione?

Tractat hanc quæstionem Panormitanus in c. Ad nostram 1. De iureiurando, & satis perplexè respondet. Verùm respondeo, Ex circumstantijs expendendum esse, an qui iurauit soluere, hoc iuret etiam pro auertendo metu compensationis, an verò solùm pro auertendo metu fraudis: priori enim casu non posset compensare, posset autem posteriori. Si enim qui iurauit soluere, legitima causſa impeditus, nihilominùs excusetur, etiam excusabitur per compensationem. In priori casu procedit dictum cap. Ad nostram. qui enim mutuum accipiens iurat pignoris fructus non repetere antequam sortem reddiderit, non potest sortem cum eis compensare, sed debes post sortem solutam eos exigere. Verùm de compensatione alia addemus infrà, quando De excusantibus à restitutione.

Dico qvartò. Si quis rem suam aut sibi debitam extrahens furti accersatur, potest negare coram Iudice, se eam abstulisse, si licitè abstulerit, quia Iudex interrogat de illicita ablatione, imò & iuramento idipsum affirmare poterit: quin etiam verisimile est, quamuis in modo rem suam auferendo peccauerit, posse similiter in iudicio negare; neque enim interrogatur de suæ, sed alienæ rei ablatione.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm fur continuò peccet donec restituat?*

*D. Thomas quæst. 62. art. 8.*

Tria hîc dicenda sunt. Primum, Quomodo fur detinendo peccatum suum continuet. Secundum, Quomodo contingat peccatum eius abrumpi. Tertium, Quomodo contingat ita interrumpi, vt de nouo peccet, & peccatum numero distinctum admittat.

Ad Primum quòd attinet, videri posset furem peccatum suum actuale, quod auferendo admisit, non continuare detinendo, tum quia non restituendo solùm videtur manere in habituali reatu ablationis, tum etiam quia si actuale peccatum maneat, illud videatur potiùs esse omissionis quàm commissionis.

*Detẽtio rei alienæ est peccatum mortale.*

Verùm omnino dicendum est, esse hîc peccatum actuale, non solùm habituale, vt benè ex communi sententia Arragonius: nam peccatum habituale furti manet etiam in eo qui restituit, sed Deo nondum reconciliatus est. Nemo autem negarit eum magis manere in peccato, qui etiam in mora restituendi manet; neque enim potest peccatum detentionis æquè in eo esse qui restituit: aut ergo detentio illa peccatum non est, aut est plus quàm habituale peccatum furti. Conducet hæc obseruatio ad intelligẽdum D. Thomam hoc articulo, quando dicit, ideò statim esse restituendum, quia ne quidem ad momentum licet manere in peccato; id est, in detentione rei alienæ. Si enim illa detentio solùm esset peccatum habituale; non esset vera doctrina B. Thomæ: neque enim singulis momentis peccat peccator, nisi statim per contritionem Deo reconcilietur, vt suo loco dicẽdum est. Est ergo detentio peccatum actuale.

Dicendum videtur Secundò, Detentionem esse plus quàm omissionem restitutionis. Sicuti enim restituere actus est, ita & retinere aut possidere alienum, instar actus omnino considerandum est, vt non tam priuatiuè, quàm positiuè & contrariè opponantur retinere & restituere. Quia tamen actus est moralis, non physicus, patet, quomodo etiam in fure dormiente actus iste quodammodò contineatur, quamuis tunc peccatum formaliter non admittat, sed tantùm in causſa. Vnde etiam fit, vt in augmento culpæ, quod est ex duratione retentionis, eiusmodi moræ, quæ potiùs naturalis quàm voluntaria est, non habeatur ratio. Patet etiam, quòmodo fur post consumptionem rei aut destructionem dici queat eam retinere, & quasi continuare commissionem furti, donec animo saltem restituat. Quamuis enim ponas non esse factum ditiorem; plus tamen habet quàm oporteat, & habet alteri debitum, adeoque alienum. Fur ergo actuale furtum quodammodò exercet quoad restituat, quia re sua dominum actualiter fraudat: & quamuis hæc mora per se non generet nouam culpam, extendit tamen & auget idem quod præcessit peccatum.

*Modi quibus peccatũ detentionis abrumpitur.*

Ad Secundum quod attinet, Contingit abrumpi peccatum furtiuæ detentionis, quando iam fur seriò proponit rem tempore & loco restituere, adeoque eam non tam sibi vlteriùs vsurpat, quàm domino custodit. Abrumpitur etiam quando contingit dominum aliò profectum esse, vt ei restitui non possit: tunc enim exterior detentio, quamuis à fure sit volita, non tamen secundùm se est furtiua aut fraudulosa, quia non eum impedit à re sua, qui eam capere non potest: interior tamen detinendi animus, præcipuè si sit cum ea reflexione, Detinerem etiamsi dominus adesset, furti reatu non vacabit. Itaque poterit hîc esse formale furtum, sed materiale non erit. Item abrumpitur quotiescumque dominus non est rationabiliter inuitus pro illo tempore, & ideò differtur restitutio. Si dominus mortuus sit, nullique heredes, eadem erit ratio quæ absentis, nisi quòd ex Lege positiua res ea reddenda sit pauperibus: atque ita quamuis fortè abrumpatur morte domini peccatum furti, aliud tamen succedit valdè simile, quo contra iustitiam insolutum maneat debitum pauperum: qui tamen si considerentur vt substituti per Rempub. ipsi domino, non satis apparet, quomodo vel hîc furti ratio desit.

Ceterùm vt explicemus quomodo continuè aut interruptè peccet, qui non restituit, notandum est, Non retinere alienum, ita esse præcepti negatiui, vt ad semper obliget formaliter considerantem: consideratur autem alienum formaliter, quando dominus rationabiliter est inuitus. Itaque si quid intercedat, ratione cuius retinere rem alterius non sit furi hîc & nunc peccatum, illud non

non tam efficit vt præceptum illud negatiuum desinat obligare, quàm vt detentio non fiat inuito domino: Quia verò dominus non desinit ita esse inuitus, quin tempore & loco rem suam velit sibi restitui, fit vt restitutionis præceptum obliget per modum affirmatiui, quamuis præceptum non detinendi rem alienam reuerà sit negatiuum.

Hinc colligimus, Nisi formaliter fur detinere desinat, aut alienum formaliter esse desinat quod detinet, continuè peccare detinendo: desinit autem formaliter detinere, proponendo restituere; & desinit res aliena quodammodò esse, quando non inuito domino retinetur: non retinetur autem inuito domino, quando irrationabiliter & inordinatè inuitus est, vt ex Scoto benè Siluester verbo Restitutio 5.num.3.

Ad Tertium adeoque præcipuum accuratiùs respondendum est, magnus enim eius resolutionis est vsus: itaque quærimus, Quando fur non restituens nouum incurrat peccatum distinctum, secundùm numerum in confessione explicandum? Cùm enim numerus peccatorum in confessione explicandus sit, etiam nouum istud peccatum erit explicandum, quando fortè minùs peccasset fur interrupto malo animo, quàm si in vno & eodem perseuerasset. *Quando non restituès incurrat nouum peccatum?*

Dico primo. Multiplicat peccata fur, quando interrumpit ptiùs animum furtiuum firmo restituendi proposito, si iterùm proponat retinere, aut sanè occurrente opportunitate non restituat. Ita Arragonius hîc, Nauarra lib.4. ca.4. numero 14.

Dico secvndo. Si fuerit aliquamdiu restitutio impossibilis, & vbi denùò fit possibilis, fur iterùm proponat non restituere, admittit nouum peccatum. Idem dicendum, si aliquamdiu dominus non fuerit rationabiliter inuitus, vt differatur restitutio iustas ob causas, quibus nunc cessantibus renouet fur propositum non restituendi.

Dico tertio. Si solùm per naturalem quietem vel in aduertentiam fuerit interruptus animus actualis retentionis rei alienæ, hoc non sufficit vt fur postmodum renouans eiusmodi animum censeatur admittere distinctum numero peccatum: vt enim actualiter censeatur quis suo possidere nomine, sufficit quòd animo sic tenendi rem apprehenderit, eumque animum non retractarit. Deinde non est necesse, vt is qui idem & moraliter vnum peccatum censeatur continuasse, continuò peccauerit actu: actus enim solùm physicè interruptus, potest moraliter censeri vnus.

*De vsu rei furtiuæ.*

Dico qvarto. Quando fur vtitur re furtiua, quæ vsu non fit deterior, puta annulo aureo, aut re ita iam detrita, vt non ipsa sed pretium eius restituendum sit, non incurrit nouum, neque auget vetus peccatum: si autem eam quæ in se est restituenda, vsu suo ex vtili reddat domino inutilem, certum est augere peccatum, nisi fortè non aduertat; imò non est improbabile, nouum admittere. Probabilius tamen existimo, augmentum potiùs hîc admittendum quàm multiplicationem esse.

Dices, Quoties raptor abutitur muliere rapta, nouum peccatum admittit: ergo & fur quoties vtitur re furrepta.

Respondeo, Non sequi: quia cognoscere mulierem extra coniugium est intrinsecè malum.

Dico qvinto. Fur non multiplicat peccata, quoties aduertit dominum indigere re sua, aut quoties dominus exigit, & non restituit; multo minùs quoties renouat propositum non restituendi, aut videt esse opportunitatem restituendi. Salonius quidem existimat, quoties renouat propositum retinendi, peccare de nouo, imò etiam quoties aduertit se detinere alienum. Verùm non satis videtur distinguere nouum eiusmodi peccati veteris augmentum, & numero aliud peccatum. Illud probabilius est quod Arragonius dicit, de nouo peccaturum, si animo dicat, Etiamsi retinere perpetuò non proposuissem, nunc omnino propono.

Ex dictis colligitur, quomodo se gerere debeat confessarius erga furem, quoad exigendum numerum peccati circa debitum restitutionis, & quoad negandam absolutionem defectu restitutionis. Si enim solùm continuauerit peccatum retentionis iniuriosæ sine morali abruptione, non de numero, sed de tempore quo retinuit inquiret. Absoluere autem eum non poterit, qui probabiliter putatur non habere verum restituendi propositum: non putatur autem habere tale, qui aliquoties delusit promittendo restitutionem, & nihil præstitit. Secùs si putaretur in priori confessione verum habuisse propositum & ex humana fragilitate posteà illud mutasse, nunc autem verè pœnitere existimetur, & restitutionem facturus.

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm fur teneatur restituere, etiamsi res furtiua apud se perierit sine sua culpa.*

Dico primo. Nisi res erat peritura apud dominum certò & sine iure eam recupandi, tenetur de eius pretio fur, etiamsi apud se sine vlla sua negligentia perierit, modò suam apud dominum moram nondum purgauerit. Est communis D. Thomæ quæst. 62. art. 6. Siluestri verbo Restitut. 7. quæst. 5. §. Tertium; Couarruu. in reg. Peccatum, 2. parte §. 6. numero 1. Patet ex L. In re furtiua, ff. De condictione furtiua. *Si res non erat certò apud dominum perit sine iure recuperandi, tenetur.*

Dixi, *nisi certò erat apud dominum peritura*; quia quando hoc est dubium, certum est teneri furem: periculum enim quod effectum non habet coniunctum, non potest tamquam damnum computari extra contractum, multo minùs quando id pro nocente fieret in præiudicium innocentis.

Dixi, *sine iure eam recuperandi*; quia si res apud dominum peritura erat per iniquam direptionem vel destructionem, certum est nihilominùs teneri furem, apud quem perijt, ratione suæ acceptionis: quod etiam verum esse puto, quando propter potentiam eius qui abripuisset, si apud dominum mansisset, actio domino fuisset inutilis: non enim te liberat restitutione quòd ei te substituetis qui non restituisset; sufficit enim quòd ei te substitueris qui restituere debuisset.

Dixi, *modò non purgauerit suam moram*; quia qui est in mora, tenetur de casu: fur autem qui domino rem non obtulit est in mora, ita vt si ea perierit, nihilominùs duret condictio æstimationis eius, vt expresè habetur dicta L. In re furtiua. *Si certò erat peritura sine iure recuperandi, non tenetur*

Dico secvndo. Quando res certò erat peritura apud dominum contra ipsius voluntatẽ, non suboriente domino vllo iure recuperandi, puta



puta per casuale incendium aut naufragium, non tenetur fur restituere, si ipsa simili casu, eodem tempore & loco apud se perierit. Imò idem dicendum tunc videtur, etiamsi culpâ vel malitiâ ipsius furis perierit. Ratio est, Quia fur reuera tunc non fuit efficax caussa alicuius damni, aut tam exigui vt reputari non debeat; non secùs ac si bouem iam morientem mactasset. Si tamen res iam incendio sit erepta per furem, & durante adhuc incendio, vel casu vel culpa ipsius perierit, tenetur: quia res erepta incendio, domino erat vtilis futura, neque erat vitio interitus illius ampliùs obnoxia.

Vnde colligimus, Eum qui in vtilitatem domini rem incendio subtrahit, non teneri, si casu apud se pereat; furem autem qui extrahit vt sibi seruet, teneri.

Colligimus Secundò, Si quis rem naufragio amissam abstulerit, existimans bona fide, habendam esse pro derelicta, non teneri de casu quo apud se perierit; secùs si furtiuo animo abstulerit. Idem dicendum quando post tempus, quo erat apud dominum peritura, res supereſt: tenetur enim de ea fur, etiamsi casu pereat; multo magis si sua culpa. Imò etiam hoc extendendum ad casum, quo nihil quidem rei furtiuæ supereſſet, sed tamen ex eius consumptione fur esset factus ditior: tunc enim quasi in parte pretij sui res exstaret hactenus saltem, vt domino actionem personalem pareret in furem: imò saltem ex æquitate Iuris Canonici dominum semper habere in furis bona ius tacitæ hypothecæ contra heredes furis & quemcumque alium possessorem, Iurisconsultorum communis sententia habet, vt docet Baiardus §. Furtum, numero 36.

Dixi, *contra ipsius voluntatem*; quia furem à restitutione non excusabit, quòd dominus prodigè rem suam erat consumpturus, aut quòd negligentiâ ipsius domini vestis erat à tineis absumenda; ipsi enim censetur res valere, quamdiu eius subiacet arbitrio.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm fur teneatur ad summam rei quæ fuit tempore detentionis æstimationem?*

*Res facta melior, reddita vi est*

Dico primo. Si res apud furem exstet iam melior in valore intrinseco, quàm fuit cùm auferretur, restituenda est in statu quem nunc habet, etsi apud dominum tam bona futura non fuisset. Idem dicendum erit, si dominus eam tam diu non erat conseruaturus, & iam pretium eius extrinsecum auctum sit: cùm enim res sit domini, & fur semper sit in mora, oportet eam restituat vt nunc est; ad hoc enim tenetur ratione rei acceptæ.

Sed quæres, An tunc fur poterit aliquid subducere pro expensis & extraordinaria sua industria quam fortè adhibuit?

Respondeo, In foro externo furem amittere has expensas & æstimationem industriæ; sed quia pœnale est, non obligat in conscientia ante sententiam Iudicis. Itaq; poterit subducere expensas vtiles, vt patet apud Siluestrum verbo Expensæ. Et quamuis Mercado apud Nauarram id neget de industria, videtur tamen ipsius etiam eadem ratio, vt benè ipse Nauarra.

Dico secvndo. Si res facta sit apud furem deterior in valore intrinseco, nisi certissimò eamdem diminutionem apud dominum vel naturali necessitate; vel casu, vel per vim maiorem sine iure recuperandi, secundùm prædicta superiori Dubio, fuerit habitura, tenebitur fur ad æstimationem rei vt erat quando auferebatur, cum omni interesse quod ex ablatione dominus habuit. In huius tamen interesse æstimatione, eius poterit haberi ratio, quòd spes tanti non sit facienda ac res. *Sires sit facta deterior in valore intrinseco, supplebit fur æstimationem.*

Dico tertio. Si non erat certum quòd dominus rem non erat venditurus, quando maximum eius erat pretium extrinsecum, tenebitur fur apud quem perijt, ad æstimationem summam quam habuit tempore detentionis. Et hoc videtur voluisse L. In re furtiua, ff. De condictione furtiua; quamuis fortè generaliter damnet furem ad summam æstimationem, quia semper præsumitur vt liberum domino, ita incertum fuisse an tunc vendidisset. In conscientia tamen secùs dicendum, quando constaret quòd reuerà dominus non erat tunc venditurus; tunc enim non est efficaciter per furtum factus pauperior in excessu illius pretij: eamque sententiam sequitur Couarruuias in Regulam Peccatum 2. parte, §. 6. num. 2. Siluester verbo Furtum quæst 16. Nauarra lib. 4. cap. 1. numero 30. quamuis aliter senserit Nauarrus, Enchiridij cap. 17. numero 26.

Dico qvarto. Etiamsi certum esset quòd in valore intrinseco res apud dominum neglectu ipsius aut inconsideratione erat futura deterior, nihilominùs tunc eam tenebitur restituere, saltem secundùm valorem quem habuit quando auferebatur. Ratio est; Quia reuerà tanto pauperior est dominus effectus per furtum, quanti res tunc valebat; etiamsi erat eam neglecturus: neque enim negligentia illa furi potest prodesse, vt suprà ostendimus.

Dixi, *saltem secundùm valorem quem habuit quando auferebatur*; quia si apud furem facta sit melior, quæ apud dominum certò erat futura deterior, & nunc apud furem perijt, probabile est quòd sufficiat restituere secundùm valorem qui erat in surreptione; in illo enim excessu, neque auferendo neque detinendo fur damnum dedit. Ratione tamen rei acceptæ tenetur ad eam vt est; quamuis ratione iniustæ acceptionis aut detentionis, postquam res perijt, solùm teneatur damni quod reipsa dedit. Quæ res notanda est tamquam fundamentum totius doctrinæ. Ratione enim rei acceptæ fur semper tenetur ad totã rem vt exstat, aut quãto per eam factus est ditior; ratione autem acceptionis tenetur ad sarcienda integra damna. *Ratione rei acceptæ tenetur fur ad rem vt exstat, ratione autem acceptionis ad damna sarcienda.*

Vnde sequitur, Si res in valore intrinseco apud furem aucta, quæ melior apud dominum non euasisset in meliori illo statu à fure diuendita sit, furem teneri etiam ad illud augmentum; ratione enim rei acceptæ tenetur de illo pretij excessu quo factus est ditior. Si autẽ ipse fur rem seruauit donec augeretur pretium extrinsecum, quousque dominus non seruasset; probabile est sufficere quòd restituat damnum à se domino illatum, vt excessus ille pretij rei à se distractæ reputentur potiùs fructus industriæ ipsius furis, quàm rei prouentus.

Verius tamen ctedo, etiam excessum illum pretij domino esse restituendum: cùm enim res maneat domini, pretium etiam extrinsecum eius domino

domino creuit, & industria furis non est versata circa augendum pretium, sed circa rei alienę conseruationem, quæ secundùm latitudinem pretij sui in fortunis domini est. Si augmentum illud domino re apud se manente perijsset, quia citiùs eam distraxisset, eiusmodi iactura non veniet in considerationem, quia est ex domini de sua re disponentis voluntate, vt in simili notauimus Dubio præcedenti.

## DVBIVM X.

### *Vtrùm fur teneatur restituere fructus rei furtiuæ?*

*Fructus rei restituendi.* RESPONDEO; Fur, & quiuis possessor malæ fidei, tenetur restituere non solùm rem ipsam, sed & fructus ipsius, (secùs de fructibus meræ suæ industriæ,) imò & illos quos non percepit, sed dominus vel ex re, vel ex industria sua circa illam percepisset. Licebit tamen furi deducere impensas, laborem, industriam, quæ vtiliter à se adhibita fuerint; nisi fortè sine illis, aut cum minoribus dominus idem erat præsturus. Patent hæc ex cap. Conquerente, & cap. Grauis, De restitutione spoliatorũ, *Reddi faciatis*, inquit Cælestinus posteriori capitulo, *non tantùm fructus à nouo & violento possessore perceptos, sed quos, si eis possidere fuisset licitum, possessores veteres præcepissent.*

Dico, *possessor malæ fidei*; quia bonæ fidei solùm tenetur de fructibus existantibus, & quanto factus est ditior.

*Non autem fructus industriæ.* Dixi, *fructus rei*, non *industriæ*; quia si fur sua industria, verbi gratia, negotiando aliquid lucratus fuerit pecunia furtiua, lucrum illud, quia potiùs est industriæ quàm pecuniæ fructus, erit furis: qui tamen si dominus etiam erat negotiaturus, tenebitur de interesse.

Verùm hîc aduertendum, aliquando multum quidem industriæ adhiberi vt fructus sequatur, qui tamen est fructus verè ipsius rei; vt si ager antè sterilis magna industria redigatur ad vtilem culturam: hoc casu fructus erunt domino restituendi, quia verè sunt fructus rei; industria autem furis erit æstimanda, vt deducatur.

At quid si res à domino non erat elocanda, & fortè elocetur à fure?

*Pretium elocationis restituendũ.* Respondeo; Nihilominùs pretium elocationis erit domino restituendum, quia verè est fructus rei: si tamen res talis sit quæ elocari non solet, verbi gratia, si pecuniæ elocentur ad ostentationem, credo quòd potiùs reputabitur fructus extraordinariæ industriæ: & ad hanc speciem videtur Nauarrus extendisse elocationem torquis aurei. Verùm eiusmodi elocatio satis videtur idonea vt fructus rei dici queat.

Dixi, etiam illos fructus esse restituendos, quos dominus percepisset, etiamsi fur non perceperit; in his enim dominum læsit, damnoq; affecit.

Si quæras, An hoc etiam extendendum sit ad fructus melioramenti, quod res apud dominum non habuisset, sed apud furem habuit, adeò vt etiam illos teneatur fur præstare, etiamsi non receperit?

Respondeo; Si loquamur de melioramento quod ordinaria cura habetur, probabilius est teneri: si autem de extraordinario, probabile est non teneri; idque consonum erit dictis superiori Dubio, propositione 4.

Dices, Verè in fructibus illius melioramenti domino damnum fecit, quando rem existantem iam meliorem non restituit?

Respondeo; Damnum non fecit, quia in detentione rei iactura eius commodi non consideratur inferri petitori, aut domino, quod nec ipse habuisset, neque communiter ex re haberi solet: itaque si melioramentum fuerit extraordinarium, ad fructus quos fur inde percipere potuisset & non percepit, non tenebitur secundùm æquitatem in conscientia spectandam, quamuis in rigore fori externi teneretur, vt docet Panorm. in dictum cap. Grauis, numero 14.

# CAPVT II.

## *De Cooperantibus ad Furtum vel damnum.*

## DVBIVM I.

### *Quinam cooperari censendi sunt ad Furtum vel damnum?*

RESPONDEO ex D. Thoma quæst. 63. art. 7. ad nouem capita eos reuocari: sunt enim sex modi cooperandi positiuè aut directè: Vel enim cõcurrit quis cum fure ex parte acceptionis, eam mandando, consulendo, consentiendo, vel laudando; Vel ex parte accipiẽtis, eum receptando vel iuuando; Vel ex parte rei acceptæ, in ea participando. Tres autem sunt modi concurrendi indirectè: Vnus, Quando non impeditur acceptio, quia omittitur eius prohibitio vel dissuasio. Secundus, Quando non præstatur auxilium quo impediatur furtum vel damnum. Tertius, Quando res furtiua occultatur.

*Cooperan. di directè 6. modi.*

*Indirectè 3.*

In omnibus his modis peccari mortaliter, satis docet Scriptura Psalm. 49. *Si videbas furem, currebas cum eo.* Isaiæ 1. *Principes tui socij furum.* Ad Rom. 1. *Non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Prouerb. 29. *Qui cum fure participat, odit animam suam.*

*Cooperantes peccant, & tenentur ad restitutionẽ.*

Tenentur autem hi omnes ad restitutionem ratione acceptionis, etiamsi nihil acceperint aut retinuerint; adeoque etiam occultans tenebitur re postmodum amissa, vt benè Salonius. Est tamen nonnulla inter hos differentia; quia quinque, videlicet mandans, consentiens, receptans, participans, & non obstans, simpliciter tenentur, quia simpliciter sunt causa efficax damni; reliqui quatuor sæpè non sunt ita causa efficax damni, vt docet D. Thomas.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm qui positiuè concurrunt, non teneantur quando non fuerint causa sine qua non?*

*Opinio Silvestri.* EST ea quorumdam sententia, illos cooperatores esse immunes à restitutione, sine quorum concursu nihilominùs damnum fuisset secutum. Siluester enim verbo Restitutio 3. quæst. 6. numero 3. alios quosdam secutus docet, iubentem, consulentem, consentientem, laudantem, & receptantem teneri ad restitutionem totius damni, si aliàs illatum non fuisset, etiamsi ad ipsos nihil



nihil peruenerit, neque per se quidquam damni intulerint: si autem aliàs illatum fuisset, sed non tam graue, existimat quemlibet horum obligatum ici dumtaxat ad damni illum excessum, non autem in solidum: denique si nihilominùs æquale damnum fuisset acceptum, arbitratur omnino eos liberari, nisi fortè de rapina aliquid ad ipsos peruenerit.

*Arg. 1.* Pro hac sententia duo sunt argumenta. Vnum ex L. Vulgaris, ff. De furtis, §. Si duo; vbi dicitur: *Si plures furati sunt tignum quod singuli tollere non potuerint, omnes eos furti in solidum teneri, quamuis id contrectare nec tollere solus posset.* Hinc enim inferunt à contrario sensu, Si singuli auferre poterant, non teneri in solidum singulos.

*2.* Alterum est ex D. Thoma in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. ad 3. vbi dicit, consentientem tum demum teneri, quando probabiliter credit quòd fuerit causa efficax, & quòd aliàs iniusta ablatio commissa non fuisset.

Verùm Respondeo & DICO PRIMO. Si per causam sine qua non, intelligas eam sine qua in materiali suo indiuiduo non fuisset secutum damnum; certum est, etiam illum qui sic concurrit ad damnum, vt non ita fuerit causa sine qua non, nihilominùs teneri ad restitutionem. Si enim Paulus verè concurrerit ad damnum, quod nihilominùs fur intulisset, quia eo non concurrente concurrisset Petrus, indubiè tenetur Paulus. Excusabunt tamen hîc concurrentem cum fure, quæ ipsum furem excusarent, puta quòd nihilominùs per ineluctabilem casum sine iure recuperandi dominus rem amisisset.

*Quo modo cooperans debeat esse causa sine qua non.* DICO SECVNDO. Si per causam sine qua non, intelligas eam sine qua secundùm speciem consideratam, id est, sine qua, vel simili, non fuisset damnum illatum, aut non ita citò & expeditè, rectè dicitur hos concurrentes cum fure non teneri illati damni, nisi fuerint furti vel noxæ causa sine qua non: verbi gratia, qui suasit furtum, non tenebitur si fur sine alicuius suasu æquè erat furaturus; secùs si alter suasurus erat, & non sine suasu hic furaturus, vt habet superior assertio. Ita tenet Azorius 3. parte lib. 4. c. 19. Et hoc sensu vera est sententia Siluestri: nihil enim aliud dicit, quàm non teneri concurrentem cum fure, quando non est efficax causa damni, aut quando verè in damnum non influit: non influit autem, si noxiæ actionis secundùm substantiam & circumstantias consideratæ, ipse consideratus in se & suo genere, causa non sit: indicio autem est causam non esse, si nihilominùs eodem modo erat euentura, etiamsi imperfectionem causæ hîc non compleuisset, neque aliud ei simile concurrisset.

*Obiect. 1.* Dices, Signum istud fallax est, quia duo ignes æquè distantes possunt producere eumdem calorem; atque ita verum erit, hunc ignem esse efficacem causam istius caloris, etiamsi non sit causa sine qua non.

*Resp.* Respondeo, Non ideò signum esse fallax in proposito: neque enim agimus de causis physicè influentibus, quia in illis non omnis causa efficax est causa sine qua non; sed de causis moraliter confluentibus, quæ non censentur efficaciter concurrisse, quando non sunt dicto modo causa sine qua non.

*Obiect. 2.* Dices Secundò, Si quis volenti furari hodie, consulat vt differat in crastinum, is causa est sine qua non ipsius furti quod tali die sequitur, nequo tamen est causa efficax.

*Resp.* Respondeo, Propterea ad causam sine qua non hîc nos requirere, vt sine ea supplente causæ imperfectionem non fuisset secutus effectus: in casu autem obiectionis non suppletur imperfectio, sed potiùs nonnihil impeditur & differtur perfectio.

*Si tuo suasu fur securiùs auferat, probabile est te teneri.* DICO TERTIO. Si fur sine tuo suasu erat quidem rem ablaturus, sed tamen securiùs, alacriùs abstulit, & maiori fiducia tuo consilio munitus, probabilius est, te damni illati teneri.

Dico, *probabilius est*; nam & alterum probabile est. Probatur tamen nostra assertio; quia sic suadens est causa efficax, & sine qua non, indiuidui huius furti alacrioris.

Dices, Solùm est causa maioris alacritatis, & ipsa alacritas non est causa sine qua non ipsius damni, ergo suasor non tenebitur.

Respondeo; Qui animum addit, supplet causam damni, quia animus est causa damni efficax, & sine qua non. Itaque sicuti qui ignem simul cum alio iniiceret ad incendendas ædes, de incendio teneretur; ita etiam tenebitur qui accendit furis animum: nam alacritas illa verè est causa sine qua non huius alacrioris indiuiduæ noxiæ, per quam reipsa damnum datur.

*Si tuo suasu plus auferat, probabiliter teneris de toto.* DICO QVARTO. Si fur non tam multum aut non totum erat ablaturus, sed solùm partem, nisi plus aut totum suasisses, probabile est teneri, te non solùm de parte quam propter te abstulit, sed etiam in solidum de toto. Verius tamen videtur, solùm teneri te de eo quod propter te plus abstulit, si animum non addideris vt securiùs, alacriùs & pertinaciùs eam auferat partem, quam sine te auferre statuerat. Probatur; Quàuis enim qui suadet auferre totum ei qui solùm erat ablaturus partem videatur eoipso confirmare priorem animum auferendi partem; fieri tamen potest, vt verè non plus animetur fur eiusmodi consilio ad auferendam partem, atque ita verè non erit illius ablationis causa.

*Respondetur ad argumenta prioris sententiæ.* Ad argumenta pro opinione Siluestri respondeo. Ad Primum cum Salonio q. 62. art. 7. illa Lege singulos teneri in solidum, non ideò quòd sint causa sine qua non, sed quia concurrerunt effectiuè & verè ad damnum: quia, vt suprà diximus in physicis concausis efficacia consistit, etiam si non fuerint causa sine qua non.

*Ad 2.* Ad Secundum respondeo, D. Thomam esse locutum secundùm sensum secundæ Propositionis, vt causa sine qua non coincidit cum causa verè influente aut efficaci, atque ideò art. 7. hîc non requirit ad obligationem restituendi, vt consulens fuerit causa sine qua non, sed solùm vt probabiliter æstimari possit, quòd consilio ipsius fuerit iniusta acceptio secuta.

## DVBIVM III.

### *Quomodo singuli positiuè concurrentes ad furtum teneantur?*

### *De Iubente.*

*Iussor ante reliquos mediatè solùm concurrentes tenetur.* EX illis qui non immediatè per se furtum exequuntur, sed alio mediante executore concurrunt, facilè primas habet iussor: modus enim ille monendi ad liberè efficiendum est efficacissi-

mus. Vbi enim consulens solùm ducit & inducit, laudans allicit, iussor quasi iniecto quodam vinculo trahit. Quæ ratio est, vt etiam in foro exteriori aliquando plus teneatur, quàm executor. Fieri enim potest in minoribus delictis, vt filius vel seruus mandatarius crediderit obediendo se non delinquere: quo casu contra mandantem erit actio, non contra mandatarium. L. Liber homo, ff. Ad Legem Aquiliam. In atrocioribus tamen & grauioribus, qualis est omnis iniuria personalis, semper mandatarius tenetur, quamuis mandatum nonnihil facere queat ad mitigandam pœnam. Itaque in solidum tenetur iussor de toto damno quod mandauit inferri.

*Iussor tenetur de toto damno, etsi solùm implicitè iusserit.*

Quod etiam extendendum est ad illum qui implicitè solùm iussisset, puta dicendo seruis suis, gratum id sibi fore, aut se cum tali pacem habere non posse: quomodo Henricus II. Angliæ rex S. Thomam Cantuariensem fecit occidi.

Item ad eum qui diu antè mandauit, nisi fortè mandauerit fieri intra certum tempus, quod iam sine executione lapsum est.

Item ad nuntium qui sciens detulit litteras, quibus maleficium mandabatur.

Item ad illum, qui vt mandauit furtum quod secutum est, ita posteà mandauit restitutionem quæ secuta non est.

*Excusatur qui mandatum reuocauit.*

Non tamen est extendendum, vt locum habeat etiam in eo qui mandatum iam reuocauit, & ipsam reuocationem mandatario significauit ante executionem. Si tamen sint duo mandatarij subordinati, & primus iam iniunxerit secundo, non sufficit mandasse reuocationem primo: si enim secúdus exequatur, tenetur primus iussor etiamsi mandatum apud primum mandatarium reuocarit. Sufficit tamen tacitè reuocasse, puta quia conscio mandatario iussor offensæ redijt in gratiam cum offendendo.

*Et cuius mandatum non influxit in actu.*

Secundò Limitandum est, vt locum non habeat, quando verè mandatum non influxit in maleficium, puta quia fur hîc & nunc ita erat resolutus furari, vt ne quidem animosiùs aut securiùs propter tuum mandatum furatus sit. Ita Graffius lib. 2. ca. 127. Imò quando dubium est vtrùm influxerit, non oritur obligatio, vt docet Siluester verbo Restitutio 3. q. 6. Idem dixero, quando mandatarius mandatum non acceptauit, & nihilominùs posteà executus est. Nota tamen cum Salonio, quamuis hac ratione de inefficaci consilio non tenearis, futurum tamen vt tenearis tamquam non obstans, si mandatarius, vt ferè solet, sit subditus tuus.

*Ratihabitio non obligat ad restitutionem.*

Tertiò, Non est extendendum ad ratihabitionem: qui enim ratum habet furtum ab alio factum, non tenetur restituere sicut mandans, quamuis id putauerit Siluester suprà ex Palude, etiam contra hunc illud addens, quòd ratihabitio tua noxæ nomine tuo factæ te obliget, quamuis per ipsam non impedias quò minùs alter restituat.

Verùm quod diximus, alij tenent communiter, & ad cap. Ratihabitio De Regulis Iuris in 6. quo nititur Siluester, respondent, Ratihabitionẽ æquipollere mandato, & retrotrahi in contractibus. Item si quis ratam habeat percussionem Clerici à suo amico factam ad sibi complacendum, incurrere excommunicationem per cap. Cùm quis, De sententia excommunicationis in 6. modò tamen percussio facta sit suo nomine, & eam ratam habeat tamquam suo nomine factam. Ita Aretinus Tract. De maleficijs, tit. De mandatore delicti, numero 34. In illis autem in quibus spectatur initium, vt dicit Glossa ad dictam Regulam, ratihabitionem non æquiparari mandato; in obligatione autem restitutionis consideratur efficiens caussa damni, qualis non est ratihabitio, sed iussio. Itaque ratihabitio æquiparabitur mandato quoad valorem contractus, & quoad delicti culpam & pœnam, sed non quoad efficientiam, quæ prioritatem requirit, & vnde dependet restitutionis obligatio.

## *De Consulente.*

*Consulens est reuocans consilium, manet obligatus.*

CONSVLENS hîc habet multa communia cum iubente, quædã tamen sunt ei propria. Vnum est quòd non liberetur à restitutione, etiamsi consilium suum reuocauerit, modò nihilominùs fur ex illo damnum inferat, & persuasus vtilitate, noluerit auscultare quando monitor iam ex legibus honestatis contrarium suadebat.

Quod tamen non est extendendum ad illum qui falsò dixit furtum esse licitum: sufficit enim is re adhuc integra retractet, & dicat esse illicitũ. Neque etiam ad illum qui furtum in suam propriam vtilitatem tantùm suasit, aut precibus impetrauit; eo enim ipso quo retractat, impedit quò minùs suo nomine fieri censeri queat; non tenetur autem quando non fit suo nomine, quia vt aliter fiat, non egit. Si tamen quando sibi per furtum alterius consulere vult, ita suggerat, quibus fur persuadeatur furtum etiam sibi admodum vtile, facile & tutum futurum, ne tum quidem à restitutione excusabitur, quando suum consilium retractauerit, nisi eiusmodi opinionem reipsa animo furis eximat, sicut reipsa indidit.

Est tamen in quo consultor meliori loco sit quàm iussor. Si enim solùm in genere dixeris quomodo furtum cautè committi & impunè possit, etiamsi quis inde furandi occasionem acceperit, non teneris, vt docet Graffius, adducens illud apud Iureconsultos tritum: *Multa in genere licent, quæ in specie non licerent.* l. 2. c. 64. num. 6. Azorius 3. parte lib. 4. c. 11. putat consulentem non teneri, si antè factum, consilium suum retractauerit, eò quòd furtum tunc non censeatur factum consilio ipsius; sed sufficit quòd consilium, etiam retractatum, verè influat tamquam caussa in ipsum furtum.

*Obiect. 1.* Obijcies, Quamuis post factum non sufficiat reuocare consilium, videtur tamen sufficere quòd retractetur re adhuc integra; videtur enim, omne damnum satis sarcire, qui animum quem malo consilio infecit, iam bono afficit.

*Resp.* Respondeo; Propter hoc argumentum Salonius q. 62. a. 7. concluf. 6. contrarium putat: sed dicendum est, non sufficienter hîc compensari, quia malo consilio animus reipsa fuit infectus, bono autem reipsa non fuit affectus, quamuis afficere tentauerit consilio retractator: sicuti si furioso semel arma dederis, quæ postmodum etipere coneris, sed sine successu. Illud tamen Salonio dederim, si semel opinionem priorem retractando furi exemeris, etiamsi posteà ex memoria prioris consilij furtum attentauerit, immunem te fore: huius enim furti caussa non es, nisi



nisi admodum remotè, & per accidens; & ita in simili docet Graffius suprà num. 5. Secundò, Vera poterit esse Saloni sententia, aut saltem multùm probabilis, si dissuadere semel à me persuaso non potens, adeam offendendum, eumque moneam vt sibi caueat. Aretinus suprà numero 45.

*Obiect. 2.* Obijcies Secundò §. Interdum, Institut. De obligationibus quæ ex delicto nascuntur; vbi ita dicitur: *Certè qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantùm consilium dedit, atque hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti.*

*Resp.* Respondeo, Hoc solum velle §. quòd consulens in furto (sicut & in atrocioribus criminibus aliàs euenire solet) non veniat puniendus pœna ordinaria furis, cum quo consistit quòd teneatur ad restitutionem, quæ pœna non est. Ita Graffius numero 2. & Salonius suprà, qui tamen aliam etiam habet solutionem, quòd in isto §. agatur de eo qui consilio suo verè non fuit caussa furti, quia nec iuuit, nec inflammauit, nec accelerauit voluntatem furandi, nec aliquo modo influxit, ita vt ne quidem per consilium opem vllam contulerit. Verùm prior solutio est solidior.

Si quæras, Virùm teneatur suasor, quando sicuti suasit furari, ita etiam suasit restituere?

Respondeo, Teneri donec reipsa fur restituat; reipsa enim damnum dedit, oportet vt reipsa restituat: neque sufficit suadere restitutionem, sed opus esset persuadere sicuti furtum persuasit.

Quæstio hîc est de suasore, Anne ex consilio suo teneatur, si volenti inferre maius damnum, suaserit minus; verbi gratia volenti auferre statuam auream, suasit potiùs auferre argenteam deauratam.

*Quomodo liceat suadere minus furtum.*

Respondeo & DICO PRIMO. Si omnibus alijs tentatis viis, nullus superfit alius modus auertendi maius furtum quàm consulendo vt potiùs minus admittatur, & illud minus in eumdem committendum sit in quem erat committendum maius, non tenetur ad vllam restitutionem læso suasor furti minoris, sed potiùs ipse læsus ex gratitudine aliquid debet suasori, vtpote qui vtiliter eius negotium gesserit. Ita passim DD. Salonius suprà controuersia 7.

DICO SECVNDO. Si fur inueniens simul rem Petri quæ valeat centum, & rem Pauli quæ valeat solùm quinquaginta, certò sit ablaturus alteram, sed dubitet vtram auferre velit, si tu impedire eum nequeas aliter, potes sine obligatione restituendi suadere vt potiùs rem Pauli auferat, si modò de ea æquè auferenda cogitabat atque de Petri: suadere inquam id potes, in genere inculcando, auferendum potiùs illud quod minus est, & hoc esse minus. Ita Salonius suprà. Ratio est, Quia Paulo non facis iniuriam docendo furem à maiori furto potiùs esse abstinendum, aut hanc rem esse minoris pretij: neque enim ipse fur tali iudicio propriè disponitur ad iniuriam inferendam, sed malitia sua abundè infert noxiam concluſionem, Paulum re sua esse priuandum. Cauendum itaque hoc casu, ne suasor apertè dicat, Auser hanc rem Pauli, quale quid in casu prioris concluſionis dicere potuit.

DICO TERTIO. Si tuæ curæ res maior Petri & minor Pauli commissa sit, potes sine obligatione restituendi, raptori apertè suadere, vt potiùs auferat rem Pauli minorem, quando vtramque seruare non potes. Imò potes ei vt potiùs quod minus est auferat, pretium aliquod dare, quod meritò à Petro repetas. Hæc tamen accipienda sunt quando de vtraque re raptor cogitaret, & certus erat alteram auferre: si enim maiorem rem Petri redemeris, obijciendo raptori minorem Pauli de qua non cogitabat, teneris Paulo, nisi restituat ei Petrus.

Vnde generatim DICO QVARTO. Si fur non cogitet de minori re Pauli, & suadeas ei vt potiùs illam auferat quàm maiorem Petri quam auferre aggreditur, teneris Paulo. Ita Sotus lib. 4. q. 7. artic. 3. sub finem.

Est etiam alia hîc quæstio de consulente, An sicuti qui suasit furari tenetur restituere, ita etiam qui suasit non restituere post furtum admissum?

*Dissuadẽs restitutionem quomodo teneatur.*

Respondeo; Si dolo aut culpa lata persuaseris furi ne restituat quod abstulit Petro cui alioqui restituisset, teneris ipse restituere. Qui enim sua culpa efficax caussa est quare damnum non resarciatur, est caussa damni. Ita passim DD. Rosella verbo Restitutio 2. numero 5. Angelus verbo Restitutio vltimo, numero 5.

Denique hîc quæri potest, Quando teneatur suasor ipsi persuaso de noxio consilio per quod fortè in damnum incidit?

*Quomodo teneatur malus suasor persuaso.*

Respondeo, Teneri quando dolo aut lata culpa consilio suo nocuit, si erat ex officio, professione, scientia, aut experientia idoneus consiliarius, aut ratione stipendij tenebatur ad consilium, aut pro idoneo se vendicando eum qui consilium petebat decepit: aliàs autem solùm tenebitur de dolo, non autem de culpa lata, etiamsi se ingesserit; debet enim imprudentiæ suæ persuasus hoc adscribere, quòd eiusmodi damnum nimis facilè credendo homini imperito incurrerit. Ita docet Nauarra lib. 3. cap. 3. num. 21. Probatur ex cap. Nullus, De regulis Iuris in 6. *Nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non sit, obligatur.* fit autem fraudulentum, non solùm quando formalis dolus suadentis intercedit, sed quando suasor qui meritò habebatur idoneus, culpam latam admittit.

Verùm illud ex Glossa dicti capituli addubitare hîc liceat, Vtrùm suasor delicti, quo damnum reale incurrit ipse delinquens, teneatur de consilio? verbi gratia, dubitanti num velit fœnerari, an mercari, suasisti fœnerari, & contigit amitti sortem?

Respondeo, Eiusmodi suasorem non teneri de sorte, nisi per dolum egerit, puta quia mutuatarius erat suus debitor. Si tamen suasor sciat esse illicitum quod suadet, & persuasus putet esse licitum, quia dolo malo persuadetur ei tamquam licitum, tenebitur suasor de damno, quod accipit inde persuasus, non secùs ac si suasisset in contractu aut quasi contractu, & num in maleficio. Argumentum pro hac re est ex cap. Tanta, distinct. 86. vbi persuaso parcitur, & suasores excommunicantur.

## *De Consentiente.*

*Consentiẽs quando teneatur ad restitutionem.*

RECTE Salonius & alij docent, consentientem, quando est consentiens tantùm, etiamsi mortaliter peccet, & pœnam incurrat (secun-

dùm Apostolum ad Rom. 1. & cap. Notum 1. q.6.) non teneri tamen ad restitutionem nisi simul fuerit caussa damni, aut pro tali meritò habeatur.

Vnde infertur Primò, Si consensus sit illius qui damnum impediendi nullam habebat auctoritatem aut potestatem, nec per se, nec cum alijs, talem ex nudo consensu non posse teneri: verbi gratia, si iniustæ electioni consentiat, qui nullum habet ius eligendi, suffragandi, aut confirmandi.

Colligitur Secundò, Canonicum quidem peccare mortaliter, qui postremo loco suffragium dat pro indigno, non tamen teneri ad restitutionem, si palàm datis aliorum suffragiis, sine vlla spe eos à proposito dimouendi, videat rem esse conclamatam & confectam pro indigno; nisi fortè electio celeriùs, efficaciùs aut confidentiùs sit executioni mandanda, propter ipsius assensum. Excipio etiam cum Graffio, nisi iniquæ conclusioni subscribat, ita vt nomine suo mandetur executioni.

Colligitur Tertiò, Si occulta sint præcedentium suffragia, in casu proposito, teneri etiam vltimo loco suffragantem, multo magis eos qui priores suffragantur, etiamsi certò sciant reliquos consentire. Neque excusat quempiam, quòd ideò suffragium præcipitet, quia non habeat tempus deliberandi.

Colligitur Quartò, Quando quis habens ius suffragij præsens tacet, teneri ad restitutionem, si poterat impedire iniustitiam suo suffragio: quamuis enim Panormitanus in cap. Irrita erit, De his quæ fiunt à Prælatis, non plus dicat, quàm talem haberi pro consentiente quoad peccatum & pœnam; Graffius tamen lib. 2. cap. 127. numero 17. rectè extendit ad obligationem restituendi in solidum, quamuis illos qui se absentant, quando deberent cum alijs suffragium ferre, ita dicat peccatum mortale incurrere, vt immunes sint à restitutione.

## *De Laudante.*

SIC VTI consulens tenetur quando reuerà animum addidit quò alacriùs commissum est furtum, ita & laudans furem tamquam strenuum si auferre audeat, aut ridens vt meticulosum nisi auferat. Eadem erit ratio, vt benè Palude, si quempiam vituperando hoc agas, vt fur ei noceat: eiusmodi enim omnia pertinent ad incitamentum quoddam furti.

## *De Receptante.*

TENETVR qui ita receptat rem furtiuam vel furem, vt per hoc impediatur non solùm punitio, sed etiam restitutio, aut vt sæpiùs, enormiùs, aut securiùs ideò contingant furta: secùs si furem solùm abscondat, ne à magistratu occidatur, modò tamen similis refugij spe caueat fouere, ne sequentium furtorum hac ratione caussa sit. Multo magis excusabitur, qui furem abscondit, ne contra Iuris ordinem à priuatis occidatur. *Receptans quando excusetur.*

Huc reducere licebit, Aduocatos & alios, qui conscij iniustitiæ admissæ, furem ita coràm Iudice defendunt & excusant, vt impediatur restitutio, vt benè Petrus Nauarra. De hac re videre licet c.1. 14 q. 6. desumptum ex epistola 54. Augustini ad Macedonium, & cap. Qui aliorum 24. q.3.

Item huc pertinebunt qui sarcinas eorum custodiunt, quos latrones esse sciuerint, si hac ratione refugium eis tutum præbeant: cap. Sicut dignum, De homicidio.

## *De Participante.*

NON hîc agimus de eo qui in acceptione furtiua particeps est, de quo in superioribus satis est dictum, sed de eo qui particeps est in re furtiua, quem certum est teneri de eo quod ad se peruenerit, aut quo factus est locupletior ratione rei acceptæ, etsi bona fide existimauerit non esse furtiuam: quando autem scit esse furtiuam, tenetur ratione acceptionis etiam de re quam accepit non exstante, etsi in nullo per eam factus sit ditior; non tamen tenetur in solidum de toto cuius dumtaxat partem accepit, nisi futura eius participatio animum furi addiderit ad committendum aut audendum furtum; tunc enim plus est quàm participans in re accepta, cùm etiam participet in tota acceptione. Si tamen credat pecuniam quidem esse furtiuam, sed ita furis pecunijs permixtam, vt iam in furis dominium transierit, non tenebitur nisi participando reddat furem impotentem ad restituendum; secùs si certò sciat nummos esse alienos. L. Si alieni, ff. De solutionibus. *Participans quando obligetur.*

Hinc sequitur, Etiam emptorem rei furtiuæ teneri ad restitutionem, etiam si in publica auctione emerit, & statutum habeat sic empta fieri ementis, modò sciuerit esse furtiuam, vt docet Siluester verbo Restitutio 3.q.7.

## DVBIVM IV.

### *Quando teneantur qui indirectè aut priuatiuè ad aliorum furta concurruni?*

TRIBVS modis indirectè diximus ad damnum concurri, tacendo, non obsistendo, & non manifestando; quos vulgaris versiculus sic indicat:

——*mutus, non obstans, non manifestans.*

Mutus hîc est, qui tacet cùm loquendo impedire posset, puta reprehendendo, dissuadendo, prohibendo, deprecando, clamando. Non obstans, qui suo auxilio potuit impedire, & noluit. Non manifestans, quo prodente furem, damnum fuisset auersum aut restitutum. *Mutus. Non obstans. Non manifestans.*

Vt isti teneantur, duo requiruntur communiter à D D. Vnum est, vt ex culpa graui aliquid omiserint, quod facere tenebantur, ad impediendum proximi damnum ex iustitia: ratione scilicet acceptionis vel suæ vel alterius nemo tenetur restituere, nisi violauerit iustitiam commutatiuam. Alterum, vt impedire potuerint sine proprio (quod notabile iudicari queat pro re sublata) detrimento, in vita, honore aut fortunis. *Requisita vt hi teneantur.*

Priorem tamen conditionem non requiri, contra communè contendit Caietanus verbo Restitutio, cap. 1. Dicit enim etiam illos ad restitutionem teneri, quibus non quidem ex officio incumbebat loqui, obstare, aut manifestare, sed ex occurrenti articulo necessitatis manifestè tenebantur, & poterant absque suo damno & periculo: verbi gratia, nosti furem inuasurum domum alterius, & posses sine tuo incommodo impedire; nisi impedias, inquit Caietanus, teneris ad reparanda damna, non secùs ac teneris de homicidio, quando similiter poteras impedire, & non impediuisti. *Opinio Caietani.*



*Verior sententia.* Verissimum nihilominùs est quod diximus, tam in homicidio quàm in furto, eum non teneri ad restitutionem damnorum, qui ex iustitia non tenebatur impedire. Ita D. Thomas hîc quæst. 62. art. 7. ad 3 Siluester verbo Restitutio, quæst. 6. & alij passim.

*Obiect. 1.* Dices, Hinc sequi, eum, qui priuato alicui peculiariter non obligato ex officio, ad impediendum damnum dissuaserit impedire, non teneri de damno: si enim non impediens non tenebatur, multo minùs qui suaserit non impedire.

2. Secundò sequetur, Priuatum qui à Iudice legitimè interrogatus non manifestaret furem, non teneri ad restituendum.

3. Tertiò sequetur, Nec eum teneri qui accepit à fure pretium ne eum manifestet, nisi fortè ad manifestandum conductus, aut aliter ex iustitia fuerit obligatus.

4. Quartò, Qui non impedit furtum quando tenetur, verè est caussa furti, etiamsi solùm teneba-tur ex charitate.

5. Quintò, Cap. Quantæ, De sententia excommunicationis: *Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cùm possint, desinunt manifesto facinori obuiare.*

6. Sextò, Cap. Sicut De homicidio: *Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.*

*Resp. ad 1.* Ad Primum, Admitto sequelam, modò suasor iste non vtatur fraude aut dolo, ita vt relinquat suasum in sua libertate.

*Ad 2.* Ad Secundum respondeo cum Siluestro suprà, Non sequi: quia testis ille iam quasi ex officio tenetur manifestare furem: de quo plura suo loco.

*Ad 3.* Ad Tertium, Talem teneri non præcisè quia non manifestat, sed quia se furi obligat ad securitatem quamdam ipsi præstandam, adeoque consentit in furtum, & furem animat. Est tamen etiam probabile, non teneri, vt docet & tenet Graffius. Sed verius est, ex iustitia teneri non committere vt fur pacto silentio suo securiùs auferat aut retineat, adeoque obnoxium fieri restitutioni, vt diximus.

*Ad 4.* Ad Quartum respondeo, Quando quis moraliter caussa damni cèsetur solùm quia non impediit cùm ex charitate teneretur, imperfectè satis est caussa damni: quando autem ex iustitia tenebatur, est caussa damni magis perfectè, quia propriè ei incumbebat ex officio impedire, quomodo nauclerus absens est caussa submersionis nauis sibi commissæ. Itaque priori modo caussa damni non tenetur, sed posteriori: quando enim ita est, caussa damni, propriè loquendo dicitur damnum, eius culpa aut negligentia accidisse, vt meritò restituat, secundùm cap. vlt. De iniurijs. Priori autem modo omittens non dicitur caussa damni; vt si nauclerus huius nauis videat aliam vicinam sibi non commissam perire, non dicetur caussa submersionis, etiamsi saluare potuisset.

*Ad 5.* Ad Quintum respondeo, Commodè cum Glossa nos posse textui illum accipere de illis, qui ratione potestatis ex officio tenentur impedire.

*Ad 6.* Ad Sextum, Qui non impedit, cùm sine suo incommodo possit, facinus manifestum contra proximum, non caret scrupulo quòd occultè communicet peccato alieno, sed non contra iustitiam cum obligatione restituendi, nisi ex officio tenebatur impedire.

Ex his colligitur Primò, Non teneri ad restitutionem custodem communis siluæ, quando permittit auferri ligna ijs quibus iniustè id fuerat prohibitum, aut vt addit Salonius, quia aliàs vitam tolerare non possunt.

Colligitur Secundò, Eum teneri, qui quando videt furem, promittit se non prodituram, etiamsi aliter non cooperetur, neque ex officio aut contractu teneatur ad custodiam: suppono enim hac securitate animum ad furtum confirmatum fuisse.

Colligitur Tertiò, Etiam illum custodem obligari, qui non indicat patri furta filiorum, quæ nouit eius esse quantitatis, vt verè mortalia sint in genere furti: secùs dicendum de minoribus, in quibus parens magis secundùm modum, quàm secundùm substantiam inuitus est. Ita Petrus Nauarra.

Colligitur Quartò, Si custos loci publici permittat inde furem auferre ligna, accepto suæ corruptelæ pretio; vtrumque quidem teneri ad restitutionem, sed ante furem teneri custodem, tamquam præcipuum auctorem damni. Imò hoc Nauarra extendit etiam ad illum custodem, cui sponte fur pretium obtulisset.

Colligitur Quintò, Probabiliter eiusmodi custodem pretio corruptum teneri Reipubl. etiam ad mulctam quam fur accusatus soluisset: teneri inquam ante sententiam Iudicis, saltem pro æstimatione spei quam habere poterat fiscus ad eiusmodi mulctam; spem enim istam custos compensabit non per modum mulctæ, sed per modum debitæ restitutionis damni æstimati. Ita Siluester verbo Pœna, quæst. 28. & Salonius, qui etiam hoc extendit ad custodem, qui sine pretio gratis furi pepercit. Graffius tamen lib. 2. c. 127. numero 28. hos excusat à restitutione pœnæ, quod etiam videtur placuisse Siluestro verbo Restitutio 3. quæst. 5. & hæc sententia videtur probabilior, neminem ita ex officio teneri prodere præuaricatores, vt si non prodat, teneatur eoipso ad mulctam eis constitutam: hoc enim verè non sequitur ex dictis, nisi supponas officiales istos teneri ex iustitia ditare Rempublicam eiusmodi mulctis, quod verum non est; solùm enim tenentur impedire ipsa delicta & damna quæ inde sequuntur. *Custos non prodens non tenetur fisco ad mulctam.*

Dices ex D. Thoma quæst. 67. art. 4. ad 3. Communitati inferri nocumentum per ipsam impunitatem. *Obiect.*

Respondeo, Hoc nocumentum etiam habere locum quando capitalis esset pœna, tamen illo casu ratione pœnæ, custodem dissimulantem non teneri, diserte fatetur Siluester priori loco, & recipitur ab omnibus. Illud tamen fateor, ratione huius nocumenti posse aliquam pœnam iustam constitui in Iudicem inferiorem, qui non puniret conuictum secundùm Leges; aut in custodem, qui non deferret manifestum transgressorem: verùm ad eam non tenebuntur ante sententiam Iudicis. *Resp.*

Colligitur Sextò, Dominos territorij teneri de rapina in eo commissa, quam tenebantur ex officio impedire, & potuerunt sine notabili incom-

modo suo aut aliorum,quo excusari queant: teneri inquam,non quidem criminaliter, sed ciuiliter. Siluester verbo Rapina, quæst. 2. & alij communiter. Graffius illud extendit etiam ad patresfamilias, vt teneantur de furtis famulorum, non tantùm mancipiorum, si ea sciuerint & non impedierint. Idem videtur dicere Siluester verbo Dominium, quæst. 6. qui tamen fatetur, hoc non obtinere in foro externo, quando damna accidunt impertinenter ad domini ministerium. In conscientia certum est esse peccatum mortale, sed obligatio restituendi videtur dubia; imò verius videtur non teneri, nisi quando familia deliquit in illo officio aut ministerio, in quo dominus præfectus est: ei enim imputatur, quòd non magis idoneos assumpserit. Si tamen sit domini hoc officium publicum, sufficit tradere eos qui deliquerunt: si autem fuerit priuatum, erit in arbitrio offensi, agere contra dominum aut famulum. Hinc patet, duces teneri de damnis militum, vt benè Panormitanus in cap. Licet, De restitutione spoliatorum.

*Patresfamilias quãdo teneantur de furtis famulorum.*

Colligitur Septimò, quid dicendum sit de seruo, filio, aut subdito, non reuelante maleficium committendum contra dominum, patrem, Principem, Episcopum, aut Parochum proprium: quamuis enim hi peculiariter ad hoc teneantur, vt docent Siluester & Panorm. suprà, imò in crimine læsæ maiestatis etiam teneatur qui tacuit quando maleficium non fuerit secutum; in restitutionis tamen obligatione respicere oportet, ex qua virtute nascebatur obligatio auertendi damni per maleficij manifestationem: nisi enim ex iustitia nascebatur, etiamsi oriebatur ex pietate, religione, aut alia virtute, non obligabitur ad restitutionem qui dissimulauit.

*Custos potest se occultare vt furem deprehendat.*

Sed roget hîc quispiam, An liceat custodi sese occultare, & exspectare donec in ipso furto deprehendat quem potuisset impedire? Respondeo; Si hoc faciat vt semel deprehensus non audeat in posterum nocere, & exemplo eius alij caueant, certum est quòd non teneatur domino de damno secuto, quia id compensatur impedimento damni secuturi. Imò neque videtur peccare, si ideò non moneat tempestiuè ante furtum reipsa admissum, vt deprehensus efficaciùs corrigatur, & in posterum abstineat. Ita Nauarrus cap. 17. numero 123.

## DVBIVM V.

### *Vtrùm nouem hi Furis cooperatores semper teneantur in solidum?*

Svpposito quòd teneantur, meritò quæritur, An singuli teneantur ad totum damnum, saltem quando principalis non restituit? In cuius rei decisione non tam oportet aduertere ad damnum quod datum est, quàm ad illud cuius ipsi fuerunt causa efficax, aut quod debebant, & satis commodè poterant impedire.

Secundò aduertendum, An qui in parte solùm damnum dederunt vno modo, verbi gratia, participando, vel etiam principaliter exequendo; alio modo non influxerint in totius damni effectum, animando verbi gratia, laudando, receptando, consentiendo.

Hinc facilè colligitur, Gregarium militem in direptione, quæ fit per totam cohortem, solùm teneri ad partem damni quam intulit: ipsum autem ducem, cuius erat prohibere, teneri in solidum, quia consensit aut non obstitit: atq; ita in reliquis.

## DVBIVM VI.

### *Quo ordine teneantur restituere plures qui ad damnum concurrerunt?*

Difficvltas hîc Primò est, Anne certo ordine teneãtur? Non enim desunt DD. qui ordinem negent, & velint ex omnibus illis vnum quasi restituentem conflari, sicut ex omnibus simul vna quasi totalis causa damnificans constituta est. Pro hac sententia, tamquam valdè probabili, diligenter disputat Petrus Nauarra lib. 3. cap. 4. numero 101. & seq. & videtur esse Scoti in 4. dist. 15. quæst. 2. §. De quarto. Verùm non est solida: si enim illius concursus proportio spectetur, sufficiet eum qui verbi gratia consuluit damnum, si opus sit etiam suadere restitutionem, quando eam executor facturus videretur, aut quando eam facturus non esset, restituere læsum alia via in integrum contra noxam consilij sui, vt eo ordine concurrat ad restitutionem quo concurrit ad damnum: atque ita contrà quàm diximus Dub. 3. sequetur quòd suasor immunis euadet à restitutione, si vel furi suaserit vt rem domino reddat, vel consilium domino dederit quomodo rem suam possit recuperare, etiamsi restituturo aut recuperatio non sequatur, quod indubiè verum non est. Cùm itaque non æquè principales, sed quasi subordinati sint in dãnificatione, erunt similiter subordinati in restitutione. Atque hæc est aperta sententia D. Thomæ quæst. 62. art. 7. ad 2. neque contradicit articulo 6. ad 3. quamuis eius suspicionem ingerat Nauarra, quia loquitur de ijs, qui simul in eodem gradu sunt, & simul rei ablationem sunt executi: illos autem ita debere secundùm proportionem restituere, & ei qui ex ipsis fortè integrè restituerit refundere, indubitatum est, vt infrà dicemus.

*Sententia Scoti reijcitur.*

*Sententia D. Thomæ.*

Maior est difficultas, quis iste sit ordo.

*Debitor rei iniustæ ante omnes tenetur,*

Dico primo. Certum est, teneri ante omnes detentorem rei exstantis iniustum, aut malæ fidei. Exstantis inquam siue in se, siue in fructu aut emolumento suo quo factus est locupletior: obligatio enim quæ oritur ex ipsa re, est antiquissima & perfectissima, & in interitu postrema, adeò vt ne quidem apud bonæ fidei possessorem extinguatur. Ita ex D. Thoma quæst. 62. art. 6. ad 1. docet Siluester verbo Restitutio 3. quæst. 6. numero 7. qui benè concludit, quòd restitutionem semper illum esse principalem qui rem habet, quamuis non quoad perpetrationem delicti.

*Discrimen inter iustum & iniustum detentorem.*

Vnde sequitur, hunc detentorem non absolui à restitutione, etiamsi iussor aut executor principalis restituerint; debebit enim ipsis subuenire rem exhibendo. Vbi nota discrimen inter iustum & iniustum rei alienæ detentorem: qui enim bona fide rem furtiuam emisset, quamuis teneatur domino de re exstante, si ita dominus velit, nolens à fure pretium eius accipere, non tamen tenetur iussori aut executori, aut etiam alijs qui ex delicto tenentur, si restituerint, refundere, sicuti tenetur malæ fidei detentor. Imò si ipse domino restituerit, tenentur ei refundere, qui tenebantur ratione acceptionis. Item si rem bona fide consumpsit, & non est inde factus locupletior, ad nihil tenetur; qui autem mala fide absumpsit, etiamsi non sit inde factus ditior, nihilominùs tenetur.



At quæri potest, An etiam ante iussorem & executorem, sicuti quando res exstabat?

Vbi omninò affirmatiua pars placet, tum quia absumendo, & secundò peccando non liberatur à restitutionis principalitate, cùm potiùs videatur aggrauandus, quia iam facit vt in se rem ipsam domino restitui fiat impossibile, quod nullus aliorum fecit. Deinde voluntatis suæ arbitrio ac vsui rem præ reliquis subiecit.

At quid si citra culpam detentoris perierit?

Tunc sanè probabile est, ipsum teneri solùm post iussorem & executorem: quamuis enim respectu domini teneatur de casu, quia respectu eius erat in mora; respectu tamen iussoris & executoris neque erat in mora, neq; tenetur de casu.

*Iussor tenetur post detentorem.*

Dico secvndo: Certum est, iussorem esse principalem respectu reliquorum post detentorem, ita vt teneatur etiam ante executorem. Ita idem Siluester. Iussori in hoc æquiparatur qui coëgit, dolo vel fraude induxit: item qui suo nomine executus fuerit, aut suo nomine & in gratiam sui rogauit vel suasit fieri.

*Deinde executor.*

Vnde colligitur, inter hos secundùm iudicium prudentis debere diuidi proportione quadam onus conferendi in restitutione, quasi in vno & eodem hoc gradu, quando contingeret plures verè concurrere, non secùs atque tenentur eodem gradu plures consultores.

Dico tertio. Certum est, post detentorem & iussorem principalem in restitutione esse executorem. Si plures executi sunt communi consilio & conspiratione; respectu sociorum quisque tenetur principaliùs ad damni partem quam per se intulit, & ad reliquum damnum in defectu ipsorum.

De ordine reliquorum non perinde certa est doctrina: omissis sententijs varijs,

*Reliqui positiuè cooperantes censentur eiusdem gradus*

Dico qvarto. Probabilius est, omnes reliquos positiuè cõcurrentes debere censeri quasi eiusdem gradus, quia retrà non sunt inter se subordinati. Vnde in ipsis obtinebit sententia Scoti, vt quisque ad æstimationem prudentis, deficiente detentore, (vbi etiam participans ferè comprehenditur; saltem vt factus ditior, & secundùm alia suprà notata) iussore, & executore, teneatur pro rata portionis quæ se contingit plus aut minus, prout efficaciùs aut remissiùs causam dederunt.

*Priuatiuè cooperantes quo ordine teneantur restituere.*

Dico qvinto. Probabilius est, eos qui priuatiuè solùm concurrunt, vt mutus, non obstans, non manifestans, & ordinem habere inter se, & sub positiuè concurrentibus, ita vt nihil teneantur cõpensare positiuè concurrentibus, si isti vt debebãt, ante eos restituerint, & solùm teneantur in defectum ipsorum. Hoc manifestum est: si enim ideò iustitiam læserunt; quia non impediuerunt cùm ex iustitia debebant; iustitiæ satisfacient, si curẽt vt illi restituant, quos auferre, aut ad ablationem operari permiserunt; ergo etiam defungentur, si aliunde id curatum fuerit; desinet enim esse inæqualitas.

Inter ipsos autem primo loco tenetur non obstans; quando ex officio tenebatur obstare: quia sicuti censetur causam dare, qui non ponit impedimentum quod tenetur, ita efficaciùs causam dare, qui efficacius tenebatur ponere impedimentum: est autem impedimentum efficacius, facto resistere & obstare furi quàm verbo, aut manifestare alijs qui verbo vel facto impediant. Ceteris tamen paribus, cum non obstante in eodem gradu erit superior fũris, qui potuit verbo prohibere, & ex iustitia tenebatur, & non prohibuit: imò is semper tenebitur, ceteris paribus, ante defensorem offensi, qui furi non obstitit.

Itaque secundo loco tenebitur mutus: cùm enim per se poterat & debebat impedire, efficacior fuit causa damni, quàm qui manifestando tenebatur per alium impedire; proinde non manifestans tenebitur postremo loco.

Illud tamen prætermittendum hîc non est, quando sunt ita plures, vt quorumdam officium impediendi verbo, vel facto, vel manifestatione sit alijs subordinatum, teneri eos ante alios, quorum immediatior erat in particulari cura impediendi.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm vno restituente ex pluribus in solidum obligatis, reliqui sint liberi?*

Qvando vnus plenè restituit, certum est reliquos nihil debere ei qui plenam restitutionem accepit. Sed quærimus, An debeant refundere illi, qui solus restituit, quod solus non debebat?

*Si teneãtur eodem gradu, refundet ei qui totum restituit.*

Respondeo, Quandò solùm vertitur quæstio inter illos qui eodem gradu tenentur, adeoque omnes æquè sunt principales, & damnificatio non fuit lucrosa, verbi gratia quia domum simul iusserunt incendere, tenetur reliqui suas portiones ei refundere, qui fortè solus omne damnum sarciuerit. Si autem damnum intulerint simul, sed ita vt aliquid inde lucri accesserit, illi quibus lucrum accessit, siue consumpserint siue non, tenebuntur de lucro illo ante alios; ita vt de eo restituto, etiamsi proportionem excedat, nihil eis compensandum sit à reliquis: imò nisi complices hoc donauerint, æqualiter, ceteris paribus, nihilominùs cum eis concurrent insuper in supplementum restitutionis.

*Quid si diuerso gradu teneantur?*

Quando autem agitur de illis qui diuerso gradu tenentur, subordinatus nihil restituit magis principali, sed contrà.

Excipio, nisi fortè inter se pacti essent ad restitutionem conferre certa proportione; verbi gratia, quando notum ablata sunt, vt iussor quinque, executor tria, suasor vnum restituat: tunc enim si iussor totum restituat, ex pacto tenebuntur ei reliqui duo suam portionem refundere. Neque eiusmodi pactum iniquum est, quia ex æquitate aliqua videntur subinde ad collationem teneri subordinati, & minùs principales damni auctores.

Dico, *subinde*; quia si iussus omnino dependebat à iussore; iniquum esset eum cum hoc in collationem venire, & noua esset iniuria, si & is tud iuberetur.

Excipio Secundò casum, quo restituisset executor qui ex re iam consumpta fortè fuit factus ditior; sed auferre coactus fuit per vim à iussore: tunc enim iussor in solidum restituens, intuitu istius iniuriæ meritò videtur donare ei quem coëgit portionem quæ ad ipsum deuenit, & quam respectu iussoris satis bona fide videtur consumpsisse.

## DVBIVM VIII.

*Vtrùm reliqui maneant liberi, quando offensus vni ex offensoribus damnum remittit?*

RESPONDEO; Si in gratiam vnius ex secundarijs remittat totum damnum, etiam principales non amplius teneri, est manifestum. Si autem alicui in particulari totum, remittat quod ratione huius damni fuisset ad onus ipsius, consequens est, eos qui erant huic subordinati, & quibus restituentibus ipse debuisset refundere, liberos fore.

*Remissio vni facta non liberat alios qui eodem gradu tenentur.*

Consequens est Secundò, Eos qui simul cum ipso cui remittitur, debebant in eodem gradu concurrere, non liberari in quoquam, neque grauari hac remissione, adeò vt si quatuor sint qui æqualiter debeant restituere duodecim ablata, & vni ex ipsis fiat remissio, vnusque alius deficiat, reliqui duo non sint præstituri nouem, sed solùm octo, sex pro se, & duo pro duobus trientibus debitoris deficientis.

Consequens est Tertiò, Si ille cui remittitur totum quod debet, sit in gradu huius obligationis posterior, reliquos priores non liberari, imò in solidum teneri: verbi gratia, si ille qui consilium dedit, impetret remissionem, nihilominùs in solidum tenebitur iussor aut executor.

Consequens est ex dictis Postremò, Si læsus non solùm remittat alicui ex obnoxijs restitutioni suum onus, sed in eum transferat totam actionem repetendi ab alijs debitum quam ipse habet, hunc posse magis principales conuenire de toto damno, sed à minùs principalibus nihil posse exigere.

At quæres, An læsus non possit offensori principali remittere ius quod habet contra eum agendi in foro exteriori, non liberatis minùs principalibus.

Respondent Salonius & Lælius, posse: verùm hoc non est absolutè remittere.

## CAPVT III.

### *De obnoxijs restitutioni ratione rei acceptæ.*

### DVBIVM I.

*Vtrùm teneatur restituere, qui rem alienam aut fructus eius, bona fide existimans esse suam, consumpsit vel alienauit.*

RESPONDETVR, Hunc non teneri, nisi quanto factus est inde locupletior. Quod extendendum etiã est ad eum, cuius negligentia res perijt. Cùm enim non teneatur ratione acceptionis, res domino suo perit, & propter ignorantiam de custodia non tenebatur. Locupletior autem inde factus non solùm censebitur, quando inde aliquid facultatibus eius accessit, sed etiam quando propterea minus decessit, æstimato sumptu quem ordinariè secundùm pristinum suum statum facere solebat. Quod addo, ne quis putet, ditiorem debere censeri factum in eo quod plus consumpsit alias non consumpturus, quia statum videbatur sibi auxisse, rem bona fide occupando.

*Tenetur in quantum locupletior factus.*

Hinc sequitur, etiam ad fructuum restitutionem teneri, si aliquid ipsorum extiterit, quando bona fides cessat; non tamen tenetur de illis quos per negligentiam non percepit, etiamsi dominus erat percepturus; neque de fructibus meræ industriæ, etiam factus inde locupletior, modò sint consumpti, vt docet Panorm. in cap. Grauis, De restit. spoliatorum, numero 6. Tenetur tamen de mixtis, vt sunt segetes, lana, & similia, etiamsi aliter in foro externo quibusdam locis iudicari soleat. Non tenetur etiam de illis fructibus quos per triennium præscripsit, vt docet Couarruuias lib.1. Variarum resolut. cap. 3. numero 7. etiamsi collecti sint postquam iam de rei vero dominio dubium erat exortum, quo tamen bonæ fidei possessio non est interrupta: nam etiam aduersus Iudicis officium hîc sufficit præscriptio triennalis in fructibus industrialibus exstantibus, & contra rei vindicationem in naturalibus: fructus autem exstare non censentur, nisi secundùm illud quod supereſt deductis expensis, vt benè Siluester verbo Fructus.

*Possessor bonæ fidei dubitans poteſt rem restituere.*

Ceterùm qui postquam bona fide cœpit possidere, nunc fortè dubitat sitne res aliena, potest eam retinere, modò diligentiam adhibeat vt veritatem cognoscat, qua nondum comperta retinere pergat: attamen si vendat, emptori indicabit illud vitium aut dubium, vt iterùm teneatur etiam emptor ille bonam fidem munire diligenti veritatis inquisitione. Ita Couarruuias in Reg. Peccatum 3. parte initio, numero 4.

Si quis ab initio quando rem occupat, dubitet an sit aliena, bonæ fidei possessor non est: ideoq; cum eo pro ratione dubij etiam post diligens examen remanentis, rem diuidet cuius an sit dubitat, vbi bonæ fidei possessor totam detineret.

### DVBIVM II.

*Vtrùm si emeris bona fide rem furtiuam à fure, possis comparente domino rescindere contractum, & eam restituere furi vt sic recuperes pretium?*

RESPONDEO & DICO PRIMO. Si gratis à fure rem accepisti, teneris reddere domino; neque potes furi, nisi omnino certus quòd domino restituet. Ita Petrus Nauar. lib. 3. cap. 4. numero 194. & alij communiter.

*Emptor bonæ fidei potest furi rem restituere.*

DICO SECVNDO. Si bona fide emisti à fure, & restituendo neque à fure, neque à domino pretium es recuperaturus, poteris restituere furi, vt ab eo pretium recupères, etiamsi probabiliter timeas, quòd domino eam non restituet. Ita tenet Siluester verbo Restitutio 3. q.7. Nauarrus, Nauarra, Bannes, Arragonius, Lælius, & multi recentiores: quamuis aliter senserit Sotus lib.4.q.7. art. 2.& alij quidam tum demum communiorem sententiam admittant, quando scitur quidem rem esse alienam, sed ignoratur dominus.

Probatur assertio; Si tu haberes pecuniam tuam, & dominus rem suam, non tenereris facere iacturam pecuniæ tuæ vt dominus rem suam seruaret: ergo quando neque tu pecuniam tuam habes, neque dominus rem suam, non teneris præterita recuperatione tuæ pecuniæ efficere, vt dominus rem suam recuperet; in pari enim causſa & innocentia nemo tenetur nocere sibi vt alteri profit.

Secun-



Secundò, Cognito rei emptæ vitio, potes rescindere contractum; rescisso contractu, pretium iam tuum possidet fur, qui titulum eius nullum habet: potes ergo pretium illud recuperare ponendo rem furtiuam eo loco quo inuenisti. Confirmatur; Si bos proximi tui simul cum tuo erat eo loco vnde à prædonibus erat abducendus, potes eódem reducere bouem proximi, si quando cœperis abigere, aduertisti quòd cornupeta esset, & tuum in via erat occisurus.

Hinc patet, Si à fure nihilominùs facilè eras pretium recuperaturus, omnino te debere domino rem suam reddere. Argumentum ex L. Bona fides, ff. Depositi. Oportet etiam ita emptor rem restituat furi, vt apud furem non sit occultior, quàm apud se erat, ne incidat in culpam furtum occultantis.

*Emptor malè fidei tenetur ponius carere pretio, quã dominus re sua.*

DICO TERTIO. Probabilius est, si mala fide sciens aut dubitans rem furtiuam, animo eam tibi retinendi emeris, teneri te eam domino restituere, facta potiùs iactura pretij quàm dominus careret re sua. Probatur; Quia non solùm teneris ratione rei acceptæ, sed etiam acceptionis, adeò vt obligeris, etiamsi apud te res perierit, secundùm supradicta. Itaque mirum non est quòd de re tenearis, cuius tibi perierit pretium.

Dices, Si rescindam contractum, non teneor ampliùs ratione acceptionis: atqui ius habeo rescindendi contractum, saltem consentiente venditore, etiam inuito domino; ergo rescisso contractu, & reposita re eo loco quo eam inueni, nullam facio domino iniuriam, neque ad vllam teneor restitutionem.

Respondeo; Propter hoc argumentum sententia contraria non est improbabilis, eamque post Alexandrum Alensem tenet Siluester suprà, & ex recentioribus Lælius De restit. numero 26. Dicit enim, talem peccare reddendo furi præterito domino, sed non contra iustitiam.

Dico tamen, per commutationem illam primam inter furem & hunc conscium furti emptorem, injici ipsi emptori obligationem rem illam custodiendi domino suo; itaque tenetur eam seruare domino, & per opportunitatem restituere: non seruat autem domino si reddat furi, qui non reddet domino. Vnde colligitur, si is qui initiò rem bona fide emit aliquamdiu retineat sciens esse alienam, cùm habeat opportunitatem vero domino sine proprio detrimento restituendi, non posse talem, quando iam à domino vrgetur, rem reddere furi, quia detinendo mala fide, contraxit onus domino reddendi quamdiu res extat; & simpliciter, etiamsi desineret extare, contraxit, quasi ratione acceptionis debitum restituendi vero domino. Accedit quod suprà diximus, eum ex sociis furis, qualem esse hunc emptorem euidens est, teneri primo loco apud quem res exstiterit.

*Dominus ordinariè non tenetur emptori bonæ fidei pretium restituere.*

Quæres, An dominus non teneatur emptori bonæ fidei pretium refundere?

Respondeo, Ordinariè non teneri. L. Inciuilem, C. De furtis. Tenebitur tamen in vtroq; foro, quando emptor exiguo pretio rem è manibus furis extraxerit, vt domino restituat, qui aliàs non erat recuperaturus. Ita Couarruuias ad Reg. Peccatum, 3. parte, initio, numero 5. Requirit tamen Baiardus §. Furtum, numero 110. vt emptor palàm fuerit protestatus, se pro domino redimere, & non potuerit simul furem cum præda capere. Verùm quod de protestatione dicitur, solùm requiritur quoad forum exterius, vt benè monet Siluester verbo Restitutio 3.q.7.numero 4. qui non solùm præceptum, sed etiam interesse suum permittit repetere eiusmodi emptori, tamquam qui vtiliter domini negotium gesserit.

Quæres Secundò, Si Respub. alicui emptori rei furtiuæ concedat priuilegium, vt rem non teneatur domino restituere, nisi refundenti pretium, vtrùm obliget dominum in conscientia ad reddendum pretium?

Respondeo, Si statutum se extendat etiam ad emptorem malæ fidei, non obligare: imò, etiamsi dominus soluisset pretium, poterit tamquam indebitè solutum recuperare. De emptore tamen bonæ fidei eiusmodi lex statui potest: vt autem iusta habeatur, vult Lælius considerari non solùm auctoritatem ferentis, sed approbationem, vsum, antiquitatem, & temporis spatium quod domino concedetur, vt rem suam adipiscatur, & causſam, verbi gratia, vt occurratur eiusmodi fraudi: posset enim quis impostor colludere cum fure, eique tradere rem suam vendendam Petro, cum quo posteà agat rei vindicatione, quasi à se furto sublatæ. Imò etiam de iure communi, si dominus emptori bonæ fidei semel pretium refuderit, repetere illud non potest. L. Seruus cuiusdam, ff. De condictione indebiti; vbi ea quæ hîc diximus de emptore rei furtiuæ, satis significantur etiam posse extendi ad illum qui in pignus accepit rem furtiuam. Baiardus suprà numero 116. extendit etiam ad illum qui rem furtiuam in solutum accepisset; & numero. 119. ad illum, qui emisset à filiofamilias quod patri surripuit; & numero 126. ad illum, qui in publica auctione emisset.

*Obiect.1.*

Contra ea quæ hac dubitatione diximus, quædam obijci possunt, & in primis quò suadeatur, semper furi rem esse restituendam, est argumentum ex cap. In litteris, De restit. spoliatorum; vbi dicitur etiam prædo esse restituendus secundùm Iuris rigorem, ex ff. De vi & vi armata, L.1.§. Qui à me, &c.

*Resp.*

Responderi potest in primis cum Glossa, excipiendum esse casum quo dominus eodem tempore peteret cum prædone: verùm hoc videtur esse correctum per Authenticam Si quis, §. Sed iam cautum est, C. Depositi; vbi generatim statuitur, depositum esse reddendum ei qui deposuit, non obstante quouis extrinsecus interdicente. Aliter respondet Petrus Nauarra, agi de eo qui iustè prædatus est in bello iusto. Verùm istud nec verisimile est: magis placet agi de prædone qui nondum esset prædo iuridicè conuictus, aut in facto deprehensus quoad forum externum; cui conuicto aut deprehenso quoad conscientiam par erit, qui certò scitur esse prædo: vt hinc habeamus, quando aliquo modo dubium est, an verè res sit furtiua, venditori potiùs esse restituendam, quàm alteri qui se dominum facit. Ius ergo accipiendum est in casu quo Iudex cogniturus est, an hic verè sit dominus, & ille prædo: quod confirmari potest ex cap. Ad decimas, eodem, in 6.

*Obiect.2.*

Secundò hîc obijci potest, quò suadeatur, sema-

semper potiùs domino restituendum esse quàm furi, ex Soto suprà: Si fur non posset inueniri qui pretium redderet, non liceret emptori rem diuendere vt suum pretium recuperet, sed amisso precio teneretur eam domino cedere: atqui non minuit ius domini quòd fortè fur ad manum sit; ergo etiam tunc sine ambagibus domino est restituenda. Nam quod dicitur ex recepta sententia, non teneri bonæ fidei possessorem cum suo detrimento restituere; de illo detrimento aut periculo accipiendum est, quod restitutioni extrinsecum est, & ab alio timetur: detrimentum autem quod hîc vult vitare emptor, restitutioni est intrinsecum, & prouenit ex incauta eius emptione, adeoque sibi debet imputare, quòd non sit mercatus cautiùs aut peritiùs, si inculpatus fuit suæ fortunæ; si negligens, suæ culpæ ascribat.

*Resp.* Respondeo; Si fur non compareret, non posset se indemnem seruare rescissione contractus: vendendo enim iam confirmat contractum, adeoque sese onerat, tamquam ex conscientia contractatorem rei alienæ.

Quod attinet ad discrimen illud detrimenti intrinseci & extrinseci ipsi restitutioni, credo hactenus esse verum, quòd restitutioni obnoxius ab ea non excusetur per detrimentum quod naturaliter inest restitutioni; hoc enim vel est carentia ipsius rei restituendæ, vel ad eam reducitur: at verum non est, non excusare illud detrimentum, quod ex vitio quodam rei nascitur, quale est respectu huius emptoris, rem occultè fuisse furtiuam tempore emptionis, ratione cuius etiam domino non comparente ius erat emptori rescindendi contractum; itaque si dominus non sit deteriori iure, quia fur comparet, neque emptor erit deteriori iure quia dominus comparet.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm emptor bonæ fidei, si rem furtiuam distraxerit, teneatur domino de pretio.*

*Tenetur solùm in quantum factus ditior.* Respondeo; Non tenebitur domino de pretio, nisi fortè pluris vendiderit quàm emerat: tunc enim tenebitur ad illud quo factus est ditior, si verè istud fuerit pretium rei, non autem quasi fructus industriæ, vt suprà diximus. Tenebitur tamen emptori restituere pretium si is velit rescindere contractum, quando intelligit rem esse alienam, & dominus pro restitutione vrget. Si tamen venditore inconsulto statim restituerit domino, atque ita verè caussa fuerit quare venditor bonæ fidei non potuerit p etium recuperare à fure, retinebit venditor iste bonæ fidei pretium quod ab emptore illo acceperat. Ita communiter DD. & consentit D. Thomas, q. 77. a. 2.

*Obiect. 1.* Dices Primò, Videtur sufficere, quòd venditor emptori cedat sua actione quam habet in furem.

*Resp.* Respondeo; Hoc sufficere voluit Nauarrus cap. 17. numero 8. sed verè non sufficit, vt alij communiter; quando enim ex vitio rei occulto damnum pateretur emptor, etiamsi venditor vitium ignorauerit, tenebitur de eo monitus emptorem seruare indemnem, vt disertè docet D. Thomas.

Dicet Nauarrus, hoc obtinere quando vitium fuit rei intrinsecum, non autem quando est extrinsecum, sicut in proposito.

Sed respondeo, Rationem intrinseci aut extrinseci hîc non inducere disparitatem: in vtroq; enim manet vera ratio, ob quam emptor habeat ius rescindendi contractum, & venditor teneatur ei de euictione secundùm Leges, quia nimirum occultum rei vitium sufficit, vt emptor meritò sit inuitus & inuoluntarius.

*Obiect. 2.* Dices Secundò, Venditor numquam potuit pretium facere suum; itaque quamdiu apud ipsum exstat pretium, semper tenebitur ratione rei acceptæ; pretium enim in locum rei successit, & eius naturam induit: imò videtur ille pretio etiam factus ditior; nam pretium quod furi dedit, si perijt, domino suo perijt, neque enim in dominium furis transiuit.

*Resp.* Respondeo; Propter hoc argumentum Bannesius & Arragoniusq 62. a. 6. obligant venditorem bonæ fidei ad restituendum pretium rei furtiuæ vero domino cui res sublata est, quando emptor qui rem abduxit reperiri non potest. Sed immeritò: si enim penes venditorem mansit dominium pecuniæ quam furi dedit, etiam penes emptorem secundum mansisse videbitur dominium pretij; itaque ei, non domino rei illud esset restituendum. Imò verius est, pretium transiisse in dominium venditoris, neque debere eum illud restituere, nisi emptor rescindat cõtractum. Quando enim emptor ignorat rem esse furtiuam, validus est contractus emptionis; quamuis enim in dominium eius res vendita non transeat, transit tamen in dominium venditoris pretium rei, & pro eo tenetur emptori de rei euictione, vt docet Molina tract. 2. disp. 327. & patet ex L. Si in emptione, §. Item si & emptor, ff. De contrahenda emptione.

*Obiect. 3.* Dices Terriò, Ergo venditor non tenebitur domino restituere pretium, etiamsi rem à fure dono accepisset.

*Resp.* Respondeo; Omnino tenebitur ratione rei acceptæ, quia re aliena factus est ditior. Quod etiam extendo ad illum qui pro re sibi à fure donata, aliam commutando nactus esset, eamque vendidisset; nam & pretium illud obnoxium erit domino comparenti: liber tamen erit à restitutione, qui fortè dono accepit pretium rei furtiuæ, quod venditor bonæ fidei iam fecerat suum, & bona fide ei donauit: ipse enim non est factus ditior re furtiua, sed ea quæ verè erat donatoris.

# CAPVT IV.

## *Cui sit facienda restitutio?*

## DVBIVM I.

### *Vtrùm debitor ille liberetur, qui satisfecerit creditori sui creditoris, ipso inscio & inuito?*

*Quando liberetur in foro externo.* In vtroque foro liberatur, Primò, Si res debita est creditori creditoris obligata, aut secundus debitor debet ex eadem caussa qua primus: verbi gratia, conduxi à te domum quam tu conduxeras à Petro, soluendo Petro defungor. Ita Siluester verbo Solutio, q. 4. ex Bartolo, & patet L. Vtrùm præsente, ff. De pecunia cõstituta.

Secundò, Si creditor meus mei caussa sit factus debitor Petro, vtpote à quo in negotio meo mutuum accepit, soluendo Petro satisfacio negotiorum gestori. L. Si liber homo, ff. De negotiis gestis.

*Quando in foro conscientiæ.* In foro autem conscientiæ, quamuis non in foro exteriori, liberatur, etiamsi caussa huius & illius debiti omnino fuerit diuersa & separata, modò debitum fuerit personale; & absit fraus soluentis, & damnum eius pro quo soluitur. Imò vult Nauarra, tunc ne quidem contra charitatem peccare vtriusque debitorem. Verùm quidquid sit de peccato, quod pendet ex circumstantijs & iusta ratione ita contraueniendi voluntati creditoris, facilè ostenditur non peccari contra iustitiam, quando non anteuertitur tempus pensionis, sed compensatione quadam extingui debitum quo obligor Paulo, quando Petro eius creditori tantumdem persoluo, qui mihi quodammodò cedit actionem, quam habet in Paulum: imò etiam in foro exteriori Paulum remouebo exceptione doli mali, si Petro creditori eius numeratam pecuniam ratam non habeat, per L. Si opera, ff. De doli exceptione. Quæ fortè caussa, quare Glossa Institut. Quibus tollitur obligatio, initio, absolutè dicat, obligationem tolli, quando satisfacio creditori creditoris mei: & fauet textus ibidem.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm bona seu debita incerta sint pauperibus restituenda.*

*Incerta bona.* Incerta voco, quorum dominus aut creditor incertus aut ignotus est, ita vt ne quidem post diligentem pro rei magnitudine & apparentia inueniendi inquisitionem inuenta sit persona particularis, aut communitas cui res debebatur, siue priùs fuerit cognitus dominus, siue non: nam in illis quæ communitati aut maiori eius parti debentur, non erunt bona iudicanda incerta, etiamsi in particulari ignores, quid cuique debeatur; restitues enim communitati, & superiori distributionem reliquies. Quinimò si tunc, aut ante debitam inquisitionem præcipitanter res fuerit data pauperibus, postmodum integrè qui donationem istam inordinatè accelerauit, dominos seruare tenetur indemnes, &, si opus sit, de suo sarcire quod ademit, quia pro incertis distribuit, quæ incerta non erant. Ita communiter DD. Imò addit Bannesius, quando facta inquisitione dubium remanserit de paucis, puta duobus aut tribus, ad quem ex iis res pertineat, oportere pro ratione dubij in illos rem diuidere. Item si pluribus ex aliqua communitate ablatum scias, non licebit aliò restitutionem diuertere, sed illi communitati erit restituendum. Si tamen res tam foret exigua, vt parum admodum ex ea partita ad singulos dominos veniret, non necessariò erit illi communitati restituenda, sed tamquam de re incerta aliter disponi poterit, secundùm doctrinam sequentem. Denique si dominus quidem absit sine spe redeundi, res quæ ei propter absentiam restitui fortè non potest, erit danda non pauperibus sed ipsius heredibus, vt monet Salonius q. 62. a. 5. controuersia 6.

Vbi nonnulli non improbabiliter putant, non solùm propinquitatis maioris, sed etiam indigentiæ & paupertatis in heredibus rationem posse haberi.

Quando ergo res verè incerta fuerit, circa eius restitutionem

*Res incerta maleficio parta pauperibus danda.* Dico primo. Si per vsuram aut aliud maleficium parta fuerit, iure positiuo debet dari pauperibus. Patet per cap. Cùm tu, De vsuris. vbi Alexander III. vult vt vsurarij restituant pauperibus vsuras, quando mutuatarij aut eorum heredes non supersunt; quam constitutionem communiter extendunt DD. ad parta iniustè per aliud quodcumque delictum, puta furtum, rapinam, stellionatum, aliámve fraudem in contractibus, & damnum quodcumque iniustè illatum; & suffragatur piorum consuetudo.

*Pauper sibi applicare potest.* Pauperes autem extendunt, vt comprehendatur etiam ipse debitor, si verè fuerit pauper, non tantùm secundùm locum aut tempus, sed simpliciter: quamuis hoc non videatur approbare Glossa dicti cap. ad verbum In facultatibus. vbi dicit, in compulsione ad hanc restitutionem in foro conscientiæ non esse habendam rationem, ne restituens egeat, quod etiam secutus est Panormitanus. Sed omnino tenendum, talem posse sibi bona incerta tamquam pauperi applicare. Ita ex communi Salonius suprà: quod puto verum, etiam sine consilio Episcopi, Parochi, aut Confessarij; quamuis eorum consilium adhiberi expediat, præcipuè quando aliquo modo debitoris paupertas aut incertitudo domini esset dubia, & res maioris momenti; alioqui non esse necessarium, docet Scotus in 4. dist. 15. q. 2. artic. 4. membro 4. & probat; Quia vbi Ius positiuum nihil disponit, standum est Iuri naturæ, quod non requirit vt per alium aut alterius consilio quis hîc restituat. Scotum sequuntur alij multi contra Palude, eadem dist. q. 2. & Hostiensem in dictum cap. Cùm tu. Rectè Richardus eadem distinct. artic. 5. monet Ius scriptum non exigere, vt per Episcopum fiat huiusmodi restitutio, sed ficubi ea fuerit consuetudo, ei standum esse; Lopez verò priori parte cap. 137. vult Episcopos non posse generaliter statuere, vt sibi deferatur bonorum incertorum distributio, neque consuetudinem contrariam fore rationi consentaneam; quamuis modos quosdam subiungat, quibus ea excusari queat. Sanè ex Iure scripto per dictum cap. Cùm tu, incumbit Episcopo tamquam patri pauperum, quando defectus esset in hac restitutione, auctoritatem suam interponere. Item quando qui restituere debet suspectus est, quòd non fideliter eam faciet, volunt Canones intercedere conscientiã & arbitrium Episcopi, c. Cùm sic. De Iudæis; & c. Quamquam, De vsuris, in 6.

Ceterùm per pauperes hîc intelligendi sunt quibus necessaria ad statum desunt: neque enim necessarium est dare paupertoribus, sed sufficit restituere verè pauperibus. Item quæuis pia opera etiam pauperum nomine comprehenduntur. Siluester verbo Restitutio 8. numero 3. Neque necessum est pauperibus aut piis locis illius ciuitatis, in qua vel ex qua parta sunt, sed sufficit aliis restituere, vt monet idem Siluester.

Notandum, Per Ius positiuum in confuso pauperes vel opera pia subfitui in locum ignoti domini, vt intelligamus hîc non constitui pœnam, sed restitutionem, quæ supposita dispositione Iuris, quasi ex lege naturæ debeatur.

Dico

*Incerta solo Iure positiuo restituenda.*

DICO SECVNDO. Verius videtur, dictam restituendi obligationem oriri ex solo Iure positiuo, adeoque incerta etiam ex delicto acquisita, manendo in solo Iure naturæ, non debere restitui, sed posse retineri à possessore, aut debitore, quamuis ex æquitate quadam congruat dari pauperibus, aut in pios vsus. Ita Sotus, Nauarra, Bannesius, & alij.

Probatur; Quia congruentia illa quam habet D. Thomas quæst. 62. art. 5. ad 2. quando dominus fuerit ignotus, oportere debitorem restituere prout potuerit, videlicet dando in eleëmosynam pro salute ipsius, siue viuus sit siue mortuus, non potest conuinci ex obligationem iustitiæ: quando enim temporale debitum solui non potest, non est ex iustitia necessarium illud compensare per aliquod bonum spirituale superioris ordinis, vt in superioribus ostendimus; quamuis in pœnam delicti, quod fortè in contrahendo debito intercesserit, eiusmodi compensatio constitui possit per Legem positiuam. Secundò, Alioqui compositiones cum Pontifice non possent fieri super incertis istis, vt ea liceat etiam illi retinere, qui per maleficia acquisierit, quas tamen esse licitas infrà ostendemus.

*Ex consuetudine pauperibus deberi verius videtur.*

DICO TERTIO. Bona seu debita incerta acquisita aut contracta sine iniustitia, neque Iure naturæ, neque positiuo scripto debent restitui: ex consuetudine tamen, quæ hîc vim legis habeat, verius videtur, deberi pauperibus aut pijs vsibus, nisi inuenta sint; de quibus seorsum agendum sequenti Dubio.

Sentit Petrus Nauarra, posse hæc retineri: estque sententia probabilis, quia fortè consuetudo quæ in contrarium allegatur, non habet vim legis; quia vt diximus in tractatu De legibus, quando consuetudo seruat aliquid tamquam consilium, non inducit legem.

Attamen quia hæc verè debita & aliena sunt, & Respublica per consuetudinem videtur verè substituisse ignotis dominis, in remedium animarum ipsorum & subsidium pietatis, causas pias, verius est ex iustitia hæc deberi causis pijs, etiamsi substitutio solùm facta sit ex pietate. Confirmatur; Quia quando proprius dominus ignotus est, videtur emergere casus quo sibi Respublica in prima diuisione seruauerit de rei domino dispositionem. Et hæc est sententia communis D. Thomæ quæst. 62. art. 5. Palude in 4. dist. 15. quæst. 2. Scoti eadem dist. quæst. 2. art. 4. num. 4. Richardi ibid. art. 5. ad 2. nullam enim faciunt distinctionem quoad propositum, siue debitum sit ex delicto, siue ex contractu: imò Siluester verbo Restitutio 8. numero 2. docet, consilij esse illa quæ à tempore acquisitionis tuæ non habuerunt dominum, puta quia turpiter data & accepta sunt, ita vt dans priuetur dominio, & accipiens non acquiras, te dare pauperibus, nisi sint fructus Beneficij simoniacè accepti, qui sunt restituendi propriæ Ecclesiæ, vel Cameræ Apostolicæ: illa autem incerta quæ post tempus acquisitionis tuæ aliquando habuerunt dominum, quamuis fortè modò non habeant, quia sine herede decessit, ex præcepto danda esse in eleëmosynas.

*Compositio cum Pontifice super bonis incertis iusta est.*

DICO QVARTO. Compositio super bonis & debitis incertis cum Pontifice iusta est & legitima, vereque exonerat in conscientia. Probatur; Quia bona illa sunt subiecta dispositioni Reipublicæ, quæ tamquam superflua aut Christo Domino debita, qui heres & Dominus vniuersorum est, aut tamquam ita optent domini qui ignorantur, meritò ea relinquit pauperibus & pijs vsibus: pietati autem in pauperes, & reliquis pijs causis superintendit supremus Pontifex; itaq; cum ipso tamquam horum curatore, de illis transigere licebit. Monet tamen Sotus lib 4. quæst. 7. art. 2. ad 3. quem sequitur Bannes, videndum esse ne tam modicum præstetur, vt inde neque subleuentur, quibus accedere aliquid oporteat ex hac restitutione, neque satis ab iniquis lucris compescantur, qui restitutioni sunt obnoxij, quod euenire timendum est, quando ex ducentis quinquaginta vix duobus restituuis liberantur.

Probabile tamen est, eum qui composuit, etiam tunc desinere obligari ad restituendum ex iustitia, vt tenet Corduba; quamuis eum refutare conetur Lopez 1. parte, cap. 132. & certum sit grauiter peccare: imò non teneri restituere, videtur certissimò sequi ex eo quod suprà diximus, Iure tantùm positiuo hæc incerta deberi pauperibus aut pijs vsibus; Papa enim Ius illud positiuum potest censeri in compositione relaxare, tamquam supremus dispensator & piarum causarum curator.

Quæres, An compositio eiusmodi de soluenda minori quantitate liceat Papæ, quando certum est quòd debitor possit totum soluere?

Respondeo cum Antonino 2. parte tit. 2. cap. 6. Non licere de notabiliter minori, nisi quando subest rationabilis causa.

Quæres Secundò, An liceat cum Episcopo transigere super incertis.

*Quando Episcopus possit transigere super incertis.*

Respondeo; Quando incerta habentur aut debentur ex delicto, non potest res transigi cum Episcopo, quia ex Iure communi in quo non dispensat Episcopus, debentur pauperibus: si autem ex contractu licito sint quæsita, maior est difficultas. Sed verius est, ne tunc quidem id licere de notabiliter minori quantitate, nisi paupertas & impotentia debitoris, quoad reddendum totum debitum, probabiliter præsumi possint. Ita ex Antonino Siluester verbo Restitutio 8. numero 8. Excipit etiam casum Lopez, quo quis Episcopus legitimè eiusmodi facultatem præscripti sset.

Quæres Tertiò, An liceat etiam cum Principe super his incertis componere.

*Non est tutum componere cum Principe.*

Respondeo, Non esse id tutum, nisi fortè de inuentis, de quibus infrà; quæ enim semel obnoxia sunt piis causis, non possunt auctoritate seculari, inconsulto supremo eorum curatore, in alios vsus conuerti. Addit aliam rationem Lopez, quòd proprium Pontificis sit cauere conscientijs fidelium. Super debitis tamen certo creditori licet transigere cum Principe, quando is propter delictum mereretur puniri; quo modo qui ab hostibus Reipublicæ multa iniustè lucratus esset, componere posset non solùm cum Pontifice, sed etiam cum Principe.

Quæres Quartò, An etiam sit tutus in conscientia, non restituendo residuum, qui composuit admodum paruo, non cum Pontifice, sed cum eius Commissario. Videtur enim non esse tutus, quia Commissarius Papæ non ita infallibiliter est recti iudicij, sicut ipse Papa, vt diximus in tract. De Pontifice.

Respondeo, Tutum esse; quia validè per delegatum Papa in Canonibus dispensat, & de talibus disponit.



disponit. Nam quoad illud quod facti est, verbi gratia, vtrùm in particulari iste iustâ habeat causam, ob quam dando quinque loco quinquaginta quæ debet, liberetur, etiam Papa falli potest, quamuis non erret, generatim statuendo certam quantitatem minorem, qua quis incertorum debitor, à maiori soluenda certo respectu liberetur.

Sed quid si Diploma dicat, Qui debet 20. aureos, defungatur soluendo quinque; an virtute eiusdem Diplomatis liber erit qui debet viginti millia, soluendo quinque millia?

Respondet Lopez, Non fore liberum soluendo quinque millia, sed super summa quæ excedit 20. aureos, debere componere cum Papę delegato.

At quæret circa dicta hoc Dubio quispiam, Quid Iuris sit, si alicui dedi, puta Confessario, vt pauperibus restituat, & ille non dederit, tenebórne secundò restituere?

Respondeo, Si citra delictum debebas, & creditores erant incerti, te de casu non teneri; imò etiamsi ex delicto debebas, probabile est si bona fide egisti, huic committendo te liberatum iri quoad secundò dandum pauperibus. Secùs dicendum si dominus posteà compareat: illi enim verius est te debere nihilominùs restituere. Ratio est, Quia pauperibus res debebatur ex Lege positiua, contra quam non es in mora: domino autem, si ex maleficio debes, semper es in mora, quia Ius positiuum ab eo te non liberat, nisi quamdiu ignotus est.

*Qui pauperibus dedit, non tenetur comparenti domino.*

Secundò quæritur, Si pauperibus dederim quando incerta erant bona, anne liber sim etiam domino comparente?

Respondeo affirmatiuè: imò & ipsi pauperes liberi sunt à restitutione, si nihil rei apud ipsos exsterit, etiamsi fortè nonnihil paupertatem suam subleuauerint eius consumptione: secùs si pretium notabile adhuc apud ipsos exstaret, multo magis si res ipsa; nam ea semper domino comparenti restituenda est: in pauperes enim non est translatum dominium bonorum incertorum, nisi cum isto onere. Si compositio facta sit cum Papa, dominus posteà repertus petet residuum quod Papa remiserat, non tamen illud quod post compositionem sine suo lucro compositus bona fide absumpsit, etiamsi per delictum fuerint hæc bona primò acquisita: secùs dicendum de ijs quæ ante compositionem sic consumpsisset. Ita ferè Corduba apud Lopez.

Tertiò quæritur, Vtrùm ad nihil teneat domino comparenti, si mihimetipsi tamquam pauperi legitimè applicuerim bona incerta, citra delictum occupata?

Respondeo, Non teneri, nisi de re exstante, & quanto factus es ditior. Ita Toletus lib. 5. cap. 18. numero 5.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm inuenta, quorum dominus quidem aliquis est, sed diligenter inquisitus non reperitur, sint pauperibus loco ipsius domini restituenda?*

PLVS difficultatis habet ista dubitatio quàm præcedens: certius enim est, etiam ex contractu debita, quorum creditor inueniri non potest, pauperibus esse soluenda, quàm inuenta eis esse tradenda: cùm enim neque ex Iure naturæ strictè hæc pauperibus debeantur, neque ex Iure positiuo, aut generali consuetudine, videntur ea posse haberi pro adespotis, & retineri ab inuentore. Quæ quidem sententia probabilis est, & placuit Petro Nauarræ & alijs quos ipse citat: neque displicuit Dominico Soto lib. 5. quæst. 3. art. 3. ad 2. Eamdem sequuntur Salonius, & Emanuel Sá verbo Thesaurus, qui addit, vbi Lex dicit inuenta esse applicanda Principi, non obligare ante sententiam Iudicis. Confirmatur; Quia inuenta ex parte sua magis accedunt ad derelicta, quàm incerta bona quæ ex delicto aut contractu possidentur; & faciliùs præsumitur in eis domini negligentia, & melior est fides & conditio eius cui fors fauerit vt inueniret, quàm eius qui defraudauit accipiendo, aut sub stipulatione, vt sine fraude redderet, accepit. Deinde, vt benè obseruat quidam, inuentio dat titulum, vt patet in thesauris, gemmis, & alijs quæ numquam habuerunt dominum; delictum autem defraudans quempiam rei sua, aut contractus quo te alicui obligas, non dat tibi titulum vt tibi res debeatur, sed potiùs contra te quo debeas.

*Inuentæ quorum dominus non reperitur, possunt haberi pro adespotis.*

*Sententia veterum.*

Veterum Scholasticorum sententia fuit, hæc tradenda esse ad manum eius qui curam habet Reipublicæ: quem morem admodum fuisse antiquum, patet ex L. Falsus, §. Qui alienum, ff. De furtis. Ita tenet Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. §. Ad argumenta; quamuis non apertè excludat pauperes, sed indicet, ante inquisitionem domini rem deferendam ad Magistratum, & domino post publicationem non inuento, iudicio Magistratus de ea esse disponendum. Richardus eadem dist. art. 5. quæst. 7. vult tradi Magistratui postquam inuentor diligenter inquisitum dominum non inuenerit. Palude eadem dist. quæst. 2. *Quando perditum*, inquit, *inuenitur, reddatur iustitiæ*, id est Magistratui. Idem docet Siluester verbo Inuentum.

*Tutius vt pauperibus erogentur.*

Ex qua sententia illud retinendum videtur, vt res ab inuentore post diligens examen non reperto domino, applicetur vero pauperi, siue ipsi inuentori, si pauper verè sit, siue alteri; nisi consuetudo aut lex regni statuat deferendam esse ad Magistratum. Imò tutum videtur inuentori eam retinere, si necessaria sibi sit ad supplendum quæ desunt ad decentem statum: alioqui si etiam ipsi in superfluis futura sit, communis sensus videtur habere, vt ex iustitia debeat eam egentibus cedere, quibus Respublica tali casu censetur eam velle applicari, præcipuè accedente huius voluntatis interprete piorum consuetudine. Fateor tamen, quòd ad longum tempus possit eam retinere, eaque sine eius detrimento vti, quando aliquo modo sperari posset dominum fortè adhuc reperiendum: faciliùs enim dominus eam reperiet apud primum inuentorem, qui curauit publicari. Imò valdè probabile est, saltem quando inuenta non sunt ex se mouentibus, sed inanimata, posse ea retineri ab inuentore: quando autem sunt ex se mouentibus, æquius est ea dari mediante Magistratus auctoritate in publicos aut pios vsus; & ita dicit Salonius quæst. 66. art. 5. controuersia 1. disponi per leges Castellæ. Ratio est, Quia animalia quæ se mouent, non tam censentur derelicta à dominis, quàm dereliquisse dominos.

Quæres, Quid si inuentum fuerit ex bonis Ecclesiæ, sed nescitur cuius, poteritne similiter inuentor sibi retinere?

Respondeo, Non posse, sed Prælato exhibendum erit: quod enim semel fuit Ecclesiæ, non debet in alios vsus conuerti. Ita Salonius suprà.

Quæres Secundò, Quid si Religiosus inueniat? Respondeo; In casu quo fit inuentoris, fiet monasterij, aut si nec illud in communi habeat dominium, fiet eius cuius sunt reliqua similia illius Monasterij.

Quæres Tertiò, An inuentori qui restituit dandum sit præmium?

Respondeo, Si quid fuerit propositum præmij per legem, aut promissum per dominum, ex iustitia esse soluendum, sicuti & illud quo æstimabitur quod industriæ, laboris, aut simile in re occupanda aut conseruanda inuentor impenderit. Si alias aliquid oblatum fuerit, licitè retinebit, tamquam ex grato, liberali, aut hilari animo recuperatoris profectum; tutus tamen non erit si dominus dederit ad redimendam vexationem, quia extorsit, aliter non redditurus. Ita ferè Molina tract. 2. disp. 83.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm etiam illi domino sit restituendum, aut creditori soluendum, qui vel sibi vel alijs re obtenta nocebit.*

RESPONDEO; *Aliquando licebit non restituere, aut restitutionem ex hac caussa differre; aliquando ex charitate differenda quidem erit restitutio, non tamen ex iustitia; aliquando etiam contra iustitiam peccabit, qui ex iustitia videbitur restituere, & tenebitur de damno.

*Quando contra charitatem tãtùm peccet.*

DICO itaque PRIMO. Si creditor solùm sit peccaturus contra charitatem, non peccabis contra iustitiam, sed solùm contra charitatem, rem qua abusurus est ei nunc restituendo; imò si sine alio tuo ipsius vel tertij incommodo negare aut differre non poteras, non peccasti. Ordinariè tamen licet tunc differre: quia vt benè Scotus dicta quæst. 2. art. 4. memb. 4. non retines domino rationabiliter inuito, & vt D. Thomas quæst. 62. art. 5. ad 1. restitutio obligat in vtilitatem creditoris, in proposito autem non est ei vtile.

Excipe tamen casum, quo creditor esset sub alterius tutela, qui nollet ei restitui, quando sciretur prodigè consumpturus: tunc enim restituens peccaret contra iustitiam, etiamsi creditor solùm esset peccaturus contra charitatem; quia restituens quodammodò dilapidaret rem alienam, & læderet ius tutoris, cuius est de ea disponere.

*Quando contra iustitiam.*

DICO SECVNDO. Si creditor sit restituta sibi re abusurus contra iustitiam, inferendo damnum alteri, teneris ex iustitia restitutionem differre, nisi differendo tantum damnum ipse subire deberes, vt meritò propter illud euitandum excuseris à præcauendo damno proximi. Hinc cap. Ne quis 22. quæst. 2. dicitur, non esse restituendum furioso gladium depositum, quo se vel alium esset occisurus: quod verum est, etiamsi depositarius iurasset se redditurum quandocumque fuerit requisitus; non enim quando promittebat cogitabat furentem posse repetere: verba enim generalia non extenduntur ad illa de quibus non est dictum aut cogitatum, vt dicit & varijs textibus probat Glossa ibidem.

Quod dixi, *ex iustitia teneri differre*, quidam negant: Quia, inquiunt, debitor ille ex iustitia non tenebitur defendere proximum, quem videt lædendum, sed solùm ex charitate.

Verior nihilominùs est nostra assertio, quam post Sotum & alios tenet Salonius in dictum art. D. Thomæ, & Sanchius in Decalogum lib. 1. cap. 7. numero 19. talem restituendo peccare contra iustitiam, & teneri tertio damnificato, siue creditor ex furore, siue ex ira aut cupiditate sit nociturus, modò id certò præsciat debitor. Confirmatur; Quia etiam in foro exteriori ille esset reus furti, qui sic ad furtum concurreret, restituendo verbi gratia scalas depositas: nam L. Si pignore, §. Qui ferramenta, ff. De furtis, furti actione tenetur, qui sciens furi commodauerit scalas aut ferramenta.

Ad argumentum contrariæ sententiæ respondeo, Talem non solùm omittere defensionem, sed offensori quodammodò opem ferre, quod ex iustitia omittere debebat: si tamen sineret solum dominum rem suam auferre, solùm peccaret contra charitatem.

Quæres, Quid si nihilominùs creditor damnum erat daturus, verbi gratia, si ensem depositum non restituam, alio gladio erat interfecturus?

Respondeo, Siue domi repositio, siue ab alio depositario accepto gladio sit abusurus, adeò vt tu negando depositum, non sis impediturus necem proximi, non peccabis restituendo depositum: neque enim potes dici opem ferre ad proximi necem, quam vides te non posse impedire.

Quæres Secundò, An peccem si creditori soluam pecuniam qua abuteretur intemperanter viuendo, verbi gratia se inebriando, quando non spero eum, negando debitum, auocari posse à consuetudine se inebriandi, imò nec interiorem affectum in eo reprimere potero.

*Abusurus re sua, an sit restituendum.*

Respondeo, Verius videri, eo casu te non peccaturum statim restituendo: verè enim damnum spirituale creditor non euadet, etiamsi restitutionem distuleris. Neque tamen placet quod quidam dicunt, quoties creditor non est abusurus re sua contra iustitiam, teneri debitorem statim reddere, si ab ipso monitus creditor nolit consentire in dilationem. Vnde illud etiam extendunt ad casum, quo tertio inde damnum spirituale immineret citra iniuriam, vt puta quia sine dolo & fraude ad peccandum sollicitabitur. Hoc inquam non placet: si enim cum aliqua iactura famæ ipsius possim fratrem delinquentem corripiendo impedire à peccato ne adijciat iterùm, non apparet quare cum eo detrimento, quod est in aliquali dilatione restitutionis rei externæ, adeoq; inferioris ordinis quàm sit fama, non possim impedire eius peccatũ, & alterius quod inde prouenier; hęc enim non tam sunt damna fortunæ quàm lucra charitatis: si tamen sæpiùs petendo vel sic peccata multiplicabit, dandum erit quò peccetur semel, ne eo negato sæpiùs peccetur in malum finem petendo.

*Nocitura quomodo neganda.*

Quæres Tertiò, Vtrùm teneat subire indignationem grauem creditoris, negando ei rem suam quam à me flagitat, quando ea vel sibi vel alteri nocitura est.

Respondeo; Quando tantùm sibi nocitura est in illis quorum est dominus, non teneris; si autem notabiliter nocitura sit alijs, aut Reipublicæ, teneris cum hoc tuo incommodo negare debitum, præcipuè quando incommodum quod per iniuriam alteri creditor inferet, est longè maius quàm hæc



hæc eius inimicitia. Argumentum ex L. Si quis furno, ff. Ad Legem Aquiliam, & cap. Licet, De Regularibus. Consulendi DD. in cap. Officij, De pœnitentijs & remissionibus. Quando autem sibi creditor nocitura est in ijs quorum non est dominus, puta in membris aut vita, peccas contra iustitiam, si ex leui metu gladium verbi gratia depositum restituas, non tamen teneris ad restitutionem, si damna secuta talia sunt, quæ sibi illata læsus remittere poterat; exigendo enim remisisse censetur.

Quæres Quartò, Vtrùm quando damnum quod sibi, si neget solutionem vel restitutionem, debitor timet, minus est quàm quod ex restitutione à creditore imminet tertio, teneatur neglecto proprio damno nihilominùs restituere?

Respondeo; Si notabiliter minus sit, & in genere inferiori, tenetur illud debitor subire; secùs si esset in superiori genere, aut in eodem, notabile tamen, aut sanè non notabiliter minus.

Quæres Quintò, An quando iuridicè aut quasi iuridicè creditor rem suam repetit, semper teneat illi reddere, quando solùm ipsi, non tertio inde imminet damnum temporale aut spirituale in bonis quorum habet dominium.

Respondet Salonius quæst. 62. art. 5. controuers. 1. affirmatiuè, & probat; Quia creditor tunc vtitur iure suo: vtenti autem iure suo, ex iustitia restituendum est. Quod confirmat exemplo occulti peccatoris, qui publicè à Parocho petit Communionem.

Nihilominùs etiam tunc existimo verius esse quòd non teneatur debitor restituere, quia potest creditori negari quod secundùm se ex iure debetur, quando exigit vt abutatur. Neque refert quòd publicè exigat, nisi quatenus fortè debitori id incõmodius est tunc negare. Verùm hoc non injcit ei necessitatem, sed facit fortè potestatem reddendi liberiorem, non obstante incommodo quod charitas in proximo diuertere suadebat.

Ad argumentum oppositum respondeo; Occulto peccatori publicè petenti Sacerdos debet dare Communionem; non quòd ius habeat sic petendi, sed quòd ius habeat ne publicè cum infamia sua manifestetur ius ad petitionem Eucharistiæ ipsum amisisse, quod occultè, verè tamen, amisit.

Quæres Postremò, Quid si proximo creditor pecunia sibi debita sit nocitura in bono spirituali, verbi gratia sollicitaturus ad secum peccandum?

Respondeo; Teneor differre restitutionem, quia potior est conditio innocentis, neque potest innocenti creditor præiudicare. Quod credo verum, etiamsi citra iniuriam sine fraude & dolo sit sollicitaturus.

## CAPVT V.

### *Cuius expensis debeat fieri restitutio?*

## DVBIVM VNICVM.

### *Vtrùm creditoris, an verò debitoris expensis fiat restitutio?*

MAGNI hîc refert, vtrùm restituens debeat solùm ratione rei acceptæ, an verò ratione delicti, an denique ratione contractus. Refert etiam, vtrùm expensarum quæ fiunt ipse causam det an creditor? Denique, in vtrius commodum contractus aut quasi contractus cedat, quando ex contractu debetur.

*Si debitũ sit ratione rei accepte, expensas ferat dominus.*

Respondeo & DICO PRIMO. Quando debes ratione solius rei acceptę, verbi gratia quia inueniſti rem alterius, certum est, omnem restitutionis sumptum incúbere domino. Cùm enim bonæ fidei possessor impensam deducat quam fecit in re cõseruanda, vt patet L. Si quid possessor, ff. De hereditatis petitione; multo magis quam fecit in curanda eius restitutione, in hac enim magis gessit negotium domini. In hoc conueniunt omnes, Nauar. cap. 17. numero 42. estque euidens hîc ratio: dominus enim non habet obnoxium bonæ fidei detentorem nisi ratione rei; qua restituta, cessat omnis inter eos inæqualitas: oriretur autem noua inæqualitas, si præter rem etiam sumptum præstare deberet, qui sola re erat factus locupletior.

Excipe tamen casum, quo mala fide longiùs rem trãstulit possessor, aut inconsulto domino eò misit quò nollet dominus: cauebit enim ne domino fraudi sit, quod non ex fide gestum est; aliàs quando bona fide egit, sufficit eo loco restituere, vbi res exstat, monito domino vt de re sua disponat.

*Si ex delicto, debitor.*

DICO SECVNDO. Quando debes ex delicto citra cõtractum, feres omnes expensas restitutionis; si tamen creditor locum mutauerit, eas subduces quas ipse facturus erat in rei suæ translatione. Prior pars Probatur; Quia quando debes ratione acceptionis iniustæ, teneris non solùm rem ipsam restituere, sed etiam dominũ eius seruare indemnem, adeoque omne damnum sarcire aut auertere quod sequitur ex ipsa ablatione: non seruas autem indemnem, si solùm rem ipsam reddas, sed sumptu domini fiat redditio.

Hinc infertur, Etiamsi sumptus superet principale, teneri te nihilominùs ad restitutionem, si ex delicto debeas: poteris tamen differre nonnihil, si speres minori sumptu paulò pòst restituere, puta si dominus qui longiùs abest, rediturus sit. Item excusaberis, si per hos sumptus conijcereris in necessitatem à restitutione excusantem, de qua infrà.

*Obiect.*

Dices, Glossa in cap. Cùm tu, De vsuris, dicit, vsurarium mutuatario absenti teneri quidem mittere vsuras, sed sumptibus absentis; & vtitur argumento ex L. Operæ enim, De operis libertorum. Siluester etiam verbo Restitutio 4. in fine, videtur distinctionem facere inter possessorem malæ fidei ex contractu, & ex delicto; quòd hic possit deducere solas illas expensas, quas dominus in rei suæ translatione fecisset; ille autem, quando dominus migrauit, possit omnes expensas, quas facit in missione, deducere. Similiter ferè sentit Panormitanus in dictum cap. Cùm tu.

*Resp.*

Respondeo, Quidquid sit de Glossæ Panormitani aut Siluestri sententia, verius esse quod Couarruuias docet in Regulam Peccatum, parte 1. numero 7. etiam vsurarium debere ferre sumptus, quando restituit vsuras, neque vllum quoad hoc eius esse etiam discrimen à fure. Neque iuuat contrariam opinionem opposita L. Operæ enim; quia non loquitur de debitore malæ fidei ex delicto, deinde loquitur in casu, quando patronus aut dominus vagus esset: tunc autem nihilominùs

incumberet vsurario, sicut & furi, sumptu suo consulere dominum, quo loco rem velit exhiberi, & ibidem cum domini indemnitate exhibere.

*Si ex cõtractu, ille in cuius cedit vtilitatem.*

DICO TERTIO. Si rem in se eamdem numero tradere debeas ex contractu aut quasi contractu qui cedat in tuam solius vtilitatem, feres expensas: si verò cedat in solius creditoris vtilitatem, ipse feret, vtrobique tamen restitutio fiet periculo creditoris: nisi enim intercedat negligentia debitoris, tes domino suo perit.

Hinc sequitur, Commodatarium suo sumptu debere restituere, nisi dominus locum mutasset, eáque ratione fuisset caussa expensarum, quę maiores fient in rei tansłatione: fortè enim cum hoc onere commodatò non accepisset.

Sequitur Secundò, Donatarium suo sumptu debere curare rem sibi deferri, nisi & de sumptu disposuerit donator.

Sequitur Tertiò, Depositoris sumptu depositum esse reddendum, si depositarius gratis rem custodiuit; secùs si pretium non solùm curæ suæ, sed etiam pro sumptu illo recepit.

DICO QVARTO. Si contractus non requirit vt res eadem numero tradatur, qui accepit vnam rem, pro qua similem, vel aliam, vel pretium debet, nisi aliter cautum sit, soluet expensas quæ necessariæ sunt vt ibi reddat vbi accepit. Panormitanus in cap. Significante, De pignoribus. & Siluester verb. Obligatio, numero 9. & verbo Solutio, q. 5. dicunt, si solutio fiat respectu alicuius rei, quomodo emphyteuta soluit directo domino, debitorē debere ire ad creditorem, si sint eiusdem fori; si fuerint autem diuersi fori, satis esse quòd significet domi suæ se paratum esse satisfacere, si quis recipiat: si verò solutio non fiat respectu alicuius rei, debere debitorem ire ad creditorem, quando ex solutione sibi vult aliquid acquirere, aut commodum referre, verbi gratia si remissio partis ei fiet soluenti ante certum tempus: si autem velit soluendo debitor euadere, ne incidat in pœnam, aut ne sit in mora, locum habere distinctionem datam, vt non teneatur adire creditorem, nisi fuerint eiusdem fori; secùs si velit purgare moram commissam, tunc enim semper tenetur adire creditorem.

Hæc tamen intelligenda sunt cum eo moderamine, vt semper ferat expensas siue debitor, siue creditor, quarum in restitutione facienda ipse fuerit caussa notabili suo recessu à loco habitationis, vbi erat tempore contractus.

## CAPVT VI.

### *De ordine in restitutione seruando ex parte rerum restituendarum & creditorum, quando omnibus satisfieri non potest.*

### DVBIVM I.

### *Sitne restituendum ante omnia quod debetur ratione rei acceptæ?*

*Debitum ratione rei acceptæ ante omnia restituendū.*

CERTVM est, semper domino qui certò agnoscitur, eam esse restituendam, etiam postpositis illis qui bona debitoris habent sibi hypothecata, modò res ipsa in specie retinetur, & manserit aliena, siue ex delicto, siue ex contractu aut quasi contractu possideatur, siue inuenta sit, imò etiamsi alijs creditoribus esset iam tradita, reddere eam deberent domino. Quinimò hoc etiam extendendum est ad casum, quo dominus fuerit ignotus: si enim tunc secundùm supradicta res danda sit in pios vsus, non poterit ex ea solui creditoribus possidentis, nisi eo casu quo diximus, sibi vel omnino vel partim posse rem applicare; secùs dicendum si sit ex functionem recipientibus, quæ in specie non debentur. Ita ferè Nauarra ex communi, lib. 4. cap. vlt. num. 7. post Siluestrum verbo Restitutio 6. §. 5. Extenditur etiam vt locum habeat quando res vendita aut alio contractu fuit alienata, sed propter coactionem & metum, ff. Quod metus caussa, L. Metum. §. Cùm autem, & Siluester suprà. Tertiò extenditur etiam ad res ritè venditas, non habita fide de pretio, prout requiritur vt transeant in dominium emptoris, L. Iulianus, §. Offerri, ff. De actionibus empti & venditi.

### DVBIVM II.

### *Vtrùm certi creditores sint præferendi incertis?*

*Creditores certi incertis præferendi.*

AFFIRMANT omnes. Ratio est; Quia incerta non debentur pijs caussis, nisi ex Iure positiuo, certa autem debent restitui ex Iure naturæ: cessat autem obligatio legis positiuæ, quando esset contra legem naturæ, neque videntur Legumlatores hîc voluisse præiudicare ijs quibus ex lege naturæ debebatur. Ita Petrus Nauarra. Alij dicunt rationem esse, quòd restitutio ordinetur ad humana damna instauranda; restitutio autem incertorum, quæ sit ad pias caussas, possit sine humano damno omitti. Ita Caietanus verbo Restitutio, cap. 8. Paulò aliter etiam dicere possumus, incerta sibi posse debitorem applicare, quando ipse pauper est; quia tunc applicat in pium vsum, vt suprà diximus. Itaque in proposito, quando tam multa debet certis personis, vt pro debitis incertis soluendis post ea persoluta non sufficeret, censebitur illud bonorum incertorum, in quo debitor manet pro viribus facta restitutione, eo ipso applicare in pios vsus, quo sibi iam per restitutionem facto pauperi applicat. Nam quando per restitutionem certorum fit impotens, nihil debet pauperibus, quorum iam ipse vnus est: quando autem restituisset incerta ante certa, peccat, & non liberatur.

Vnde infertur, Non liberari eos à solutione certorum, qui cum Pontifice componunt super incertis, & tantum soluunt, vt se reddant impotentes ad soluendum debita certa. Meritò tamen Caietanus hîc ex doctrina superioris Dubij casum excipit, quo bona incerta exstarent in propria specie: super illis enim possent heredes vsurariorum componere cum Pontifice, etiamsi hereditas non sit soluendo certis debitis.

*Obiect.*

Dices, Qui non sufficit soluendis omnibus debitis, verè pauper est; ergo in casu nostro numquam tenetur incerta bona in specie aliena dare in pios vsus, sed sibi potest retinere.

*Resp.*

Respondeo; Tenetur dare pauperibus non obstante concursu creditorum certorum, vt diximus: non tenetur autem dare alijs pauperibus, non obstante sua propria paupertate, vt suprà diximus.



diximus. Si verò contingat paupertatem debitoris esse quidem tantam, vt sibi possit applicare bona hæc incerta etiam in specie exstantia, non tamen tantam vt excusetur quò minùs restituat creditoribus certis, poterit etiam inde his fieri restitutio, vt quæ iam transierint in dominium pauperis debitoris.

### DVBIVM III.

### *Vtrùm ex debitis certis ea priùs soluenda sint, quæ licitè sunt contracta?*

1. *Sententia.*

SVNT quatuor sententiæ. Vna præfert licitè contracta, nisi gratis sint contracta, verbi gratia liberali promissione; aut res ex delicto parta exstet in propria specie, aut denique per illa contracta debitor factus sit impotens ad soluenda priora debita ex delicto. Ita ferè Caietanus verbo Restitutio, cap. 8.

Probatur; In debitis licitè contractis est obligatio non tantùm iustitiæ, sed etiam fidelitatis.

Secundò, Debita ex contractu esse soluenda nemo dubitat; vtrùm autem vsuræ restituendæ sint, non desunt qui dubitent.

Tertiò, Detentio vsurarum non ita est contra voluntatem domini, sicut detentio debiti ex contractu.

Quartò, Non sunt, inquit Caietanus, accipienda aliena inuito domino, vt restituantur aliàs malè accepta aliena; qui autem retinet alienum inuito domino, accipit illud eo inuito.

2. *Sententia.*

Secunda sententia dicit, præferenda esse debita ex maleficio, nisi in debitis ex contractu interuenerit hypotheca. Ita tenet Salonius quæst. 62. art. 8. & probat hoc modo: Quando non potes simul recedere ab omnibus peccatis, sed necessum est vt successiuè recedas, oportet recedere priùs ab eo quod grauius fuerit; restitutio autem est quasi quidam recessus à peccato: oportet ergo priùs restituere debita, quæ per maiorem iniuriam contracta sunt, adeoque primò rapinam, secundò furtum, tertiò vsuram, postremò quæ ex contractu debentur, id est, sine delicto.

Probatur Secundò: Quod melius est, priùs & potiùs est eligendum, quando vtrumque fieri non potest: atqui melius est soluere debita ex delicto quàm ex contractu; quia melius est iniuriam illatam sarcire, & simul nouam euitare, quàm tantùm euitare nouam.

3. *Sententia.*

Tertia sententia conflata ex his duabus est Ludouici Lopez priori parte cap. 111. Quæ mala fide ablata sunt citra contractum, puta per furtum, esse restituenda ante debita ex licito contractu: quæ autem debentur ratione illiciti contractus, quales sunt vsuræ, esse restituenda post debita ex contractu licito. Ratio eius esse potuit, quòd creditor magis nolit detentionem rei furtiuæ, quàm dilationem debiti ex licito contractu etiam oneroso; minùs tamen sit inuoluntarius, quando detinentur vsuræ, quàm quando differtur debitum ex licito contractu. Ab hac sententia non videtur alienus Toletus lib. 5. cap. 25. Consentit etiam Rosella verbo Restitutio 16. numero 4.

4. & *verior sententia.*

Quarta sententia, quæ probabilior est, dicit ex hoc quòd debita proueniant ex delicto aut contractu licito, nullum inter se ordinem habere. Ita tenet Siluester verbo Restitutio 6. quæst. 5. in fine numeri 5. Angelus verbo Restitutio 2. num. 18. Petrus Nauarra lib. 4. cap. 5. numero 41. Probatur; Quia neque Iure naturali, vt patebit ex solutione argumentorum; neque positiuo communi, vt fatentur aduersarij, & benè vrget Siluester; neque peculiari, vt suppono, eiusmodi priuilegium competit creditori vni contra alterum; neque magis vnum debitum expressam vel tacitam habet hypothecam quàm alterum: itaque iniuria fiet postposito, non secùs ac si rem duobus debitam vnus solus auferat. Supereſt respondeamus ad argumenta in contrarium obiecta.

*Respons. ad 1. argumentum sententiæ 1.*

Ad Primum sententiæ primæ respondeo; Fidelitatis obligatio accedens ad obligationem iustitiæ, potest efficere vt debitor ex parte sua, quoad eius fieri potest, sine damno alterius magis huic obligetur; sed neutiquam efficere potest, vt magis obligetur cum præiudicio tertij, alioqui debitor semper posset præferre illum quem veller, dirimendo nimirum paritatem adiuncto nouo promisso.

*Ad 2.*

Ad Secundum respondeo; Si tam probabilis esset eorum error, qui dicunt vsuras non esse restituendas, vt verè dubium facere possit, vtrùm sint restituendæ, posset tunc earum restitutio postponi: quando enim dubium est, vtrùm huic restitutio debeatur, libenter fatemur eum creditoribus illis, de quibus non est dubium, esse postponendum; sed error ille ita exploratus est, vt rem non faciat vllo modo dubiam.

*Ad 3.*

Ad Tertium respondeo; Magis & minùs inuitos esse creditores, non potest inter eos ponere ordinem, ita vt cum præiudicio & damno minùs inuiti totum soluatur magis inuito, quousq; extendunt se vires debitoris. Deinde qui rationabiliter minùs nolit quàm tu vt differatur restitutio, fortè rationabiliter magis nolet fieri impossibilem per impotentiam quam incurrat debitor tibi soluendo: itaque quandocumque imminutio inuoluntarij in creditore non excusaret debitorem, si illi soli deberet, per se quoque non deijcit creditorem ab ordine suo, quem aliunde habet cum alijs creditoribus. Sanè non excusat hæc diminutio inuoluntarij in mutuatario vsurarium, quia quòd minùs inuoluntarius sit, potiùs ex eo prouenit, quòd necessitatem suam mutuo leuauit, & non speret restitutionem, quàm quòd vsuram aliàs remittere cogitaret. Fateor tamen, quoad vsuras postponendas debitis ex legitimo contractu oneroso, sententiam esse admodum probabilem, & omnino concesserim, magis peccari contra charitatem, quando non restituitur illi qui magis inuitus est. Neque displicet quod dicit Petrus Nauarra, ei gratificandum fore, assignando eo loco solutionem, vnde commodior erit & facilior.

*Ad 4.*

Ad Quartum respondeo, Argumentum illud petere principium: præsupponit enim quod quæritur, rationabiliter inuitum esse creditorem ex contractu, quando cum eo venit creditor ex delicto; nisi enim hoc ponatur, debitor inter eos diuidens quod habet, non potest dici accipere eo ipso alienum inuito domino.

*Respons. ad 1. argum. sententiæ 2.*

Ad Primum secundæ sententiæ respondeo; A peccato & iniuria receditur propriè per pœnitentiam, satisfactionem, & veniæ petitionem, à damnificatione autem per restitutionē; priùs ergo tibi placandus quem grauiùs offendisti: sed sæpè contingit ei cui minor est illata iniuria, multò maius illatum esse damnum, cuius propterea in re-

stitutione maior erit ratio habenda, potiùs quàm eius qui maiorem quidem iniuriam, sed minus damnum passus fuerit.

*Ad 2.* Ad Secundum similiter dici potest: Partem enim dando illi qui maiorem iniuriam passus est, quæ respondet damno quod passus est secundùm proportionem Geometricam, & satisfactionem quæ respondeat iniuriæ secundùm proportionem Arithmeticam, fit planè quod optimum fieri potest.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm venditori de re adhuc exstante apud eum qui creditò emit, aut nondum soluit, sit soluendum ante alios creditores?*

CERTVM est ex dictis, Quando res vendita manſit in dominio venditoris, ipsum posse eam sibi vindicare vbicumque reperiatur, siue apud debitorem, siue apud alium, nisi soluatur sibi pretium: & quoad istud præfertur omnibus creditoribus, etiam hypothecam habentibus, imò etiam impensis funeris ipsius debitoris, saltem aliquousque, vt infrà dicemus Dub.7.

Certum est Secundò, Quando venditor accepit pignus aut fideiussorem, non retinere in mercem etiam apud emptorem exstantem ius tacitæ hypothecæ.

Difficultas tota est, quando sine pignore & fideiussore res emptori tradita est, nondum soluto pretio, ita vt transierit verè in eius dominium, eaque apud ipsum exstat, vtrùm reddenda sit vel ipsa, vel promissum eius pretium venditori, præteritis omnibus alijs creditoribus? Et sanè probabile est, venditorem omnibus esse præferendum, eo solo excepto qui mutuum dederit ad rei reparationem, conseruationem, aut tran suectionem. Ita tenet Caietanus verbo Restitutio, cap. 8. Imò dicit, eo loco rem istam emptam & non solutam esse habendam, quasi non esset in dominio emptoris. Quod tamen hactenus non est verum, vt etiam secundo vendita tacitè maneat hypothecata primo venditori: imò neque pretium eius exstans apud emptorem primum, tunc erit hypothecatum primo venditori, vt benè Siluester verbo Restitutio 6. numero 5. qui aliàs consentit Caietano. Ante Siluestrum idem dixit Rosella verbo Restitutio 16. num. 3. qui & in eo conueniunt, si res pluris valeat quàm debeatur ei qui creditò vendidit, in illo excessu non præferri venditorem, etiamsi fortè aliunde ei plus debeatur. In huius sententiæ probationem dicunt, quòd etiamsi venditor, quando sequitur fidem emptoris, intendat transferre rei dominium nondum accepto pretio, non tamen intendat ita rem liberam tradere, vt ante pretium persolutum non maneat sibi peculiariter obligata; quomodo ex naturali æquitate obligatam manere satis in comperto est, communique iudicio omnium confirmatum, non aliud superordinante priuata domini, aut publica legis voluntate. Confirmat Rosella ex L. Iulianus, §. Offerri, ff. De actionibus empti. Verùm ibi solùm dicitur, venditorem posse rem quam vendidit quasi pignus retinere, adeoque emptorem non posse contra eum agere ex empto, nisi oblato pretio. Verùm in casu nostro, traditio facta est emptori.

*Venditorem omnibus præferendū, probabile.*

*Obiect.* Dices, Eadem Lex adiungit, si emptor solùm partem pretij dedit, non posse eum ex empto consequi à venditore pretium rei, quæ fortè post traditionem euicta est, integrum, sed solùm partem quam dedit; itaque etiam re tradita, sed pretio non plenè soluto, non planè à se ius omne abdicauit venditor.

*Resp.* Sed iterùm dici posset, istud quidem ita obtinere in exteriori foro propter doli præsumptionem, in conscientia autem venditorem teneri emptori; etiam nondum persoluto pretio, de rei euictione.

*Obiect. 2.* Argumentantur & à minori: Bona inquilini domui illata, manent obligata pro pensione conductionis & domus detrimento; L. 2. ff. In quibus caussis pignus per hypothecam, &c. ergo multò magis ipsa domus manebit obligata venditori, donec pretium fuerit solutum.

Hæc quidem probabiliter in vnam partem dicuntur: at sanè etiam valdè probabile est, de rigore iuris venditorem non retinere tacitam hypothecam in mercem iam translatam in dominium emptoris, & quam emptori tradidit pretio non soluto, nisi tale quid stipulatus fuerit, adeò vt non sit præferendus alijs creditoribus emptoris, in occupatione huius rei aut pretij eius. Ita tener Couarruuias lib. 1. Variarum resolut. cap. 7. num. 3. Petrus Nauarra lib. 4. cap. vlt. numero 8. qui tamen fatetur, quamuis & hoc alij verius negent, in foro externo Iudicem, quando officium eius imploraretur, ex quadam æquitate debere præferre venditorem, licet in foro conscientiæ existimet emptorem aut eius heredes ad hoc non teneri sub mortali aut restitutionis onere. Probat Couarruuias hanc opinionē ex L. Quidam fundum, ff. De in rem verso. Sanè non solùm ex illa Lege, sed facilè aliunde probatur, in dominium emptoris rem emptam transire, quando sine pretio tradita est, modò saltem venditor emptoris fidem secutus fuerit; tunc enim fidem emptoris loco persoluti pretij quodammodò videtur acceptare, vt pretium iam habeatur pro soluto. Imò hoc ipsum peculiaris priuilegij est in venditione, quòd ad dominij translationem non sufficiat traditio, sed requiratur satisdatio ementis, vel saltem vt eius fidem secutus sit venditor, vt patet Institut. De rerum diuisione, §. Per traditionem, & §. Venditæ. Vnde contra Nauarrum colligit Molina disp. 396. in permutatione & cambio ad dominij translationem ex vna parte sufficere rei traditionem, etiamsi ex altera res neque sit tradita, neque oblata, neque habita pro tradita.

*Probabile etiam quòd non sit præferendum.*

*Respons. ad obiect. 2.* Quod verò dicunt, transire quidem mercem in dominium emptoris, ita tamen vt maneat venditori tacitè hypothecata, non videtur verum, tum quia DD. qui rem obligatam venditori manere dicunt, ferè negant translatum dominium in emptorem; tum etiam quia ius illud tacitæ hypothecæ non oritur ex iure positiuo, quia nullum hactenus allegari potuit; nam argumentum à minori quo vtuntur in illis quæ sunt iuris positiui parum habet roboris: neque ex iure naturæ; neque enim in iure naturæ manendo satis apparet quare illud oriretur potiùs dum fides emptoris intercedit, quàm dum fides fideiussoris. Sanè vtrobique videtur æquè oriri actio merè personalis: fides enim debitoris ita perfectè supplet fideiussionem, vt non minùs pleno iure res ad se transeat quàm si fideiussio interceſſiſſet.

Notandum tamen hìc est ex Panormitano, in cap. Cùm olim Abbas, De officio delegati, priuilegium fisci, Ecclesiæ, & minoris, qui si per procuratorem vendant, non accepto pretio, retinent rei dominium & vindicationem, etiamsi emptori fuerit tradita; procurator autem alterius transfert dominium, quando credito vendit, si est generalis; aut si specialis est, commissionem tamen habet, non solùm ad vendendum, sed ad credendum: præsumitur autem non habere mandatum ad creditò vendendum, quando ei commissum est vt vendat certo pretio, vel vt vendat quò creditoribus satisfiat, vel ob aliam expressam caussam.

## DVBIVM V.

### *Quo ordine soluendum sit hypothecarijs?*

HYPOTHECA circa rem immobilem, pignus est circa mobilem. Habetur autem duobus modis: expresè, facto contrahentium; tacitè, beneficio Legis.

Prima huius Dubij pars erit, An expressam hypothecam habentes, perpetuò sint præferendi illis qui tacitam solùm habent, etiam quando hi tempore sunt priores?

Affirmatiuam partem tenet Siluester verbo Restitutio 6. quæst. 5. Nauarrus cap. 17. num. 50. Toletus l. 5. cap. 25. Ratio est, Quia Lex quæ tacitam indulget hypothecam, non censetur id facere cum eius præiudicio, cui ex contractu ius natum fuerit.

Alijs hæc sententia non placet, sed dicunt, eum qui tacitam habet hypothecam, potiorem esse si prior sit, ita vt sine distinctione & permixtim in omnibus hypothecam siue expressam siue tacitam habentibus, cessante alio priuilegio locum habeat Regula Iuris, *Qui prior tempore, potior est iure.* Ita tenet Molina, disput. 536. Hæc sententia videtur verior, quia vt Lex non præiudicat Iuri, quod fortè ex priore contractu natum est inducendo ius tacitæ hypothecæ; ita etiam contractus hypothecæ expressę non potest ei præiudicare, cui iam priùs ex dispositione Legis ius quæsitum fuerit.

*Priores tempore, ceteris præferendi.*

Hinc infertur, Vxorem in dote sua præferri illis qui dote posteriorem expressam habuerint hypothecam in bonis mariti, tacitè priùs obligatis soluendæ doti.

Exceptio tamen est in eo qui pecuniam suppeditauit, qua res conseruetur aut reparetur: hic enim licet posterior, potior tamen est, L. Interdum, ff. Qui potiores in pignore habeantur.

Altera pars Dubij est, An qui specialem habet hypothecam, potior sit priori habente generalem: verbi gratia, omnia bona hereditatis hypothecata sunt Petro, postmodum vna pars hypothecatur Paulo, vtrùm in illa parte Paulus sit potior Petro?

*Etsi tantum generalem habeant hypothecam.*

Siluester suprà præfert habentem specialem, sed loquitur in casu, vbi qui generalem habet, aliam habet specialem in bonis eiusdem debitoris.

Verius videtur, simpliciter præferendum esse illum qui generalem habet, vbi tempore prior est: neque obest L. 2. C. De pignoribus; quia loquitur in casu quo iste prior haberet aliam specialem, quæ sufficeret debito. Et fortè non aliud voluit Siluester, & tenet Molina suprà, estque apertissimus pro hac re textus L. Si generaliter, C. Qui potiores in pignore habeantur: vbi hoc etiam extenditur ad illum, qui caussam habet à priore generalem hypothecam habente, vt & iste præferatur posteriori specialem hypothecam habenti.

Tertia pars Dubij esse potest, Vtrùm qui hypothecam habent, semper præferendi sint debitoribus merè personalibus, aut chirographiarijs.

*Præferuntur debitoribus personalibus.*

Respondeo affirmatiuè: Nam priuilegium prælationis absque hypotheca saltem tacita, non datur contra hypothecam habentes etiam posteriores, sed solùm contra merè personales. Excipe, quibus debetur ratione funeris ipsius debitoris, aut quod debitori curare incumbebat, de quibus Dub. 7. infrà. Item quibus aliquid debetur ratione insinuationis testamenti aut inuentarij bonorum debitoris, aut quia aliquid insumpserunt in bonis illius conseruandis: hi enim præferuntur etiam hypothecarijs prioribus. Molina suprà.

*Vxor præfertur quoad dotem.*

Quarta pars Dubij sit, Vtrùm mulier in dote sibi debita sit præferenda reliquis habentibus tacitam hypothecam.

Respondeo, Præferri etiam tempore prioribus, per L. Assiduis, C. Qui potiores in pignore habeantur.

Quod verum erit, etiamsi nihil rei dotalis exiterit, dummodò reuerà dos marito tradita fuerit; item siue prolem habuerit, siue non: imò si habuerit, etiam proles ipsa repræsentabit matrem, & extrahet dotem præ reliquis anterioribus creditoribus habentibus tacitam hypothecam. Heredes tamen mulieris, qui non sunt ex ea descendentes, non gaudent priuilegio vt præponantur anterioribus creditoribus habentibus tacitam hypothecam, vt patet L. vnica, C. De priuilegijs dotis; quamuis retineant beneficium tacitæ hypothecæ, quia illud vxori, hoc doti concessum est. Molina disp. 438. Si tamen duæ dotes sint extrahendæ ex bonis eiusdem viri, ex tempore erit prærogatiua. Donatio etiam ante nuptias per dictam Legem apertè ab huius sanctionis beneficio excluditur.

*Obiect.* Dices, Hypothecam tacitam habens, si anterior sit, potior est habente expressam, vt suprà dictum est; habens autem expressam, præfertur mulieri petenti dotem, saltem si ipse anterior sit; ergo etiam præferetur mulieri ille qui habet tacitam antiquiorem hac expressa per L. quæ dicit, *Vinco te, si vinco vincentem te*, ff. De diuersis temporalibus præscriptionibus, L. De accessionibus.

*Resp.* Respondeo; Quamuis hoc regulare sit, Vincam te, si vinco vincentem te, non tamen ita generale est, quin Legis dispositione possit habere exceptionem. Videri potest Siluester verbo Dos, quæst. 14.

Quinta pars sit, Vtrùm mulier petens dotem, sit potior eo qui expressam habet hypothecam, sed tempore est posterior.

Respondeo affirmatiuè cum Couarruuia lib. 1. Variarum resolut. cap. 7. quia in præiudicium dotis iam constitutæ non potuit expressa hypotheca consignari. Imò huic quæstioni locus non est, semel eo posito quod suprà diximus, eum qui tacitam habet hypothecam, si tempore sit prior, potiorem esse eo qui habet expressam.

Sexta pars, Vtrùm fiscus habeat tacitam hypo-

thecam cum eadem prærogatiua quam habet mulier pro dote.

*Fiscus quando præferatur.*

Respondeo affirmatiuè, siue debeatur tamquam tributum, siue ex contractu; Vxor tamen in dote est potior fisco, si sit anterior: quo modo & dotem doti præferri diximus; mulier enim & fiscus, paribus passibus ambulant in tacita hypotheca, L. Quamuis, C. De priuilegio fisci. Si minor emat à fisco, sola res empta est tacitè hypothecata fisco, non autem alia bona minoris.

Septima pars, Quibus alijs competat tacita hypotheca.

*Quibus competat tacita hypotheca.*

Respondeo; Vxor in paraphernis, quæ fortè administrauit maritus, habet tacitam hypothecam, sed non cum iure prælationis, sicut in dote.

Minor etiam tacitam habet hypothecam in bonis tutoris, sine prælationis priuilegio, pro bonis suis, & illorum administratione. Vnde si mater tutrix ad secundas nuptias transeat, etiam bona secundi mariti minori erunt hypothecata. Et quia Ecclesia gaudet priuilegio minorum, etiam ipsa sic habet sibi hypothecata bona Prælatorum. Ita Panorm. in cap. Ex litteris, De pignoribus. Eodem priuilegio minorum gaudere ciuitatem contra suorum bonorum administratores, Iureconsultorum quorumdam est sententia apud Molinam disp. 536.

Si ex pecunia pupilli res aliqua ematur, habet in ea pupillus pro pretio recuperando non solùm tacitam hypothecam, sed etiam cum iure prælationis ante alios quantumuis anteriores, etiam expressam habentes hypothecam.

Habent etiam tacitam in bonis matris hypothecam filij ex priori toro, pro bonis quæ matri pater vel alius intuitu patris donauit.

Item filius pro bonis aduentitijs in bonis patris ea administrantis.

Dominus fundi pro pensione locationis, in fructibus fundi aut rebus à conductore inuectis in fundum.

Legatarius pro legato in bonis defuncti, quæ remanent deducto ære alieno.

Si cui des mutuum vt prædium emat, qui tibi prædium hypothecæ subiecerit pro mutuata pecunia, potior es in prædio omnibus anterioribus, quibus generatim omnia bona sua, etiam futura emptor subiecerat. Idem in mutuante ad reparationem aut conseruationem, saluo priuilegio dotali. Qui tamen dederit mutuum ad instruendum equo aut armis militem, præfertur etiam doti anteriori. de his latiùs Molina suprà. Procedunt quidem ista secundùm ius commune, at nihilominùs statuta municipalia perualebunt, nisi manifestam contineant iniquitatem.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm priùs petenti liceat priùs soluere?*

*Priùs petens non præfertur.*

RESPONDEO; Propter priorem petitionem non licet ordinem inuertere, quem habent creditores hypothecarij anteriores, & secundùm dicta potiores; alioqui illis fiet iniuria cum obligatione restituendi. Itaque priùs petenti tum demum cum exclusione aliorum licebit, imò oportebit priùs soluere, quando qui postponuntur, neque hypothecam neque priuilegium habent, etiamsi fuerint priores tempore, L. Papillus, ff. Quæ in fraudem creditorum; petens enim sua vigilantia meliorem suam conditionem facit. Si tamen ab inuito extorserim, reuocabitur quod in aliorum præiudicium accepi, vt dicitur in eadem L. Ceterùm non licebit debitori, quando videt se non posse omnibus satisfacere, gratificari illis quos elegerit, integrè eis satisfaciendo antequam petant. Imò ad satisfaciendum eo casu singulis pro rata tenetur ex iustitia, ita vt si secùs attentauerit, teneatur damnum sarcire.

At numquid perinde tenebitur restituere creditor, cui vltrò non petenti sic præ reliquis inordinatè ex fauore debitoris plena obtigit solutio, præcipuè si nouerit illud cedere in præiudicium aliorum?

Verius existimo non teneri, sed securum esse in vtroque foro: quia neque quod accepit erat alijs obligatum, vt suppono, quia sunt merè chirographiarij, neque ipse eis obligatur aliunde. Quinimò Molina disp. 536. hoc extendit etiam ad casum, quo præteritus haberet priuilegium prælationis, & patet ex L. Qui autem, §. Apud Labeonem, ff. Quæ in fraudem creditorum.

*Obiect.*

Obijcies, Regula Iuris generalis est, *Qui prior tempore, potior est iure*, De Reg. Iuris in 6. ergo etiam locum habebit in creditoribus merè chirographiarijs.

*Resp.*

Respondeo, Id complures DD. existimasse. Ita Medina, C. De restitutione, q.2.dub.5.concluſ. 5. Toletus lib. 5. cap. 25. Salonius q. 62. art.8.fauet Glossa in dictam Regulam. Sed rectiùs alij dixerunt, Regulam illam solùm habere locum in creditoribus hypothecarijs, non autem in chirographiarijs. Ita Siluester verbo Restitutio 6. q. 5. Pet. Nauarra lib.4.cap. vlt. num.40. Confirm.ex L. 1.ff. De separationibus, §. Ex contrario; vbi dicitur, licere alicui adijciendo sibi creditorem, creditoris sui facere deteriorem conditionem. Vnde Lex infert, creditores Titij non posse impedire, quò minùs ipse habeat hereditatem quæ soluendo non est cum ipsorum detrimento; meritò autem impediunt, quando habent hypothecam vel priuilegium, quia hæc ipsa vel pacto contrahentium, vel Legis beneficio ad exclusionem aliorum tendunt.

Respondeo Secundò, Etiamsi vera esset sententia, quæ sanè non est improbabilis, etiá inter chirographiarios potiorem esse antiquiorem; nihil tamen id facere contra id quod diximus, inter eos etiam anteriore potiorem esse qui vigilauerit in petendo debito: illa enim sententia secundùm suos auctores locum non habet, nisi cessante priuilegio, & ceteris paribus. Vigilantiæ autem creditoris hoc priuilegium indulsit Lex, vt etiam anteriore creditore sit potior, quando ambo sunt chirographiarij; nam in hypothecarijs potius est anteriorem esse, quàm priùs petiisse.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm liceat ex bonis defuncti accipere expensas funeris, quando eius debita excedunt hereditatem?*

*Expensa funeris quibus præferantur.*

EXPENSÆ funeris debent præcedere creditum quodcumque & quoscumque creditores, quorum res in propria specie non exstat, etiamsi habuerint hypothecam expressam, L. Impensa, ff. De



ff. De Religiosis & sumptibus funerum. Hoc tamen de superfluis non procedit, sed de necessarijs sumptibus & honestis; cum pompa enim in conscientia non liceret ex eo quod alijs debetur funus ducere. Siluester verbo Funus, & patet ex L. Et si quis, §. Hæc actio, ff. eod. quamuis fortè Lex imperatoria pompam indulgeat congruam statui debitoris, quam in conscientia nonnihil oporteret minuere, quando hereditas non est soluendo. Quæ tamen omnino necessaria sunt ad simplicissimam sepulturam, etiam ex re aliena exstante in hereditate accipi posse, docet Nanarra suprà numero 26. est enim hæc vel extrema vel grauis necessitas.

Quæ de expensis funeris diximus, extendit Serola parte 1. verbo Funus, etiam ad expensas factas in infirmitate, & suprà Dub. 5. indicaui ex Molina, extendi ad expensas factas à debitore in funus alterius sibi incumbens.

Ex his rectè docent Couarruuias in cap. Rainaldus, De testamentis §. 3. & Serola suprà, non posse creditorem detineri facere corpus debitoris insepultum, donec sibi satisfiat, quidquid in contrarium, quando debitum est liquidum, dixerit Glossa in c. Ei qui, verbo Defuncti 2.q.6. Vsurarij tamen corpus insepultum detineri potest per Iudicem Ecclesiasticum, donec heres caueat de restitutione, Serola suprà, & patet cap. Quamquam, De vsuris in 6. Verùm hac de re latiùs infrà, quando de vsuris Dub. 25. Interdum etiam contingit successorem defuncti teneri ad quasdam funeris expensas: tenetur enim successor in Ecclesia ad impensam simplicis funeris, factam in sepeliendo Ecclesiæ rectore, vestes autem lugubres & monumentum incumbunt heredi in patrimonio. In detrahenda etiam impensa videndum an ea secundùm ius loci non debeatur ex quinta aut tertia parte bonorum: tunc enim si ea pars sufficiat, alij creditores non grauabuntur, nisi fortè eo modo quo successorem in Ecclesia grauari diximus funere decessoris. Couarruuias suprà.

## DVBIVM VIII.

### *An debitor possit præferre æqualibus aut potioribus eum creditorem qui pauperior est.*

*Quorumdam sententia.*

PAVPERI omissis ditioribus esse soluendum, docent nō pauci DD. Siluester verbo Restitutio 6. in fine, qui tamē non loquitur asseueranter: Ioannes Medina C. De restitutione q. 2. dub 5. Salonius q. 62. artic. vlt. in fine. Ratio esse potest, quòd paupertas satis videatur interpellare pro homine; ergo saltem aliis creditoribus non exigentibus, poterit pauper præferri, sicuti Dub. 6. diximus posse præferri priùs petentem.

Hæc sententia est valdè probabilis, maximè quando agitur de creditoribus eiusdem ordinis: nihilominùs oppositum videtur verius, paupertatem non posse hîc considerari vt mutare queat ordinem ex iustitia debitum; solùm enim prouocat ad eleëmosynam, quæ debet fieri de proprio, & sine alterius iniuria. Sicuti ergo nemo potest se facere impotentem ad soluendum æs alienum, succurrendo communi necessitati pauperum; ita neque potest præferre in proposito hunc pauperem creditorem, nisi tanta eius sit necessitas, vt ei dando ex charitate, liceat debitori se reddere impotentem. Hæc sententia est Petri Nauarræ suprà numero 46. qui tamen non videtur satis consequenter loqui, quando alteram sententiam putat posse habere locum inter creditores quoad cetera pares.

*Resp. ad 1. arg. 1. sententiæ.*

Ad argumentum oppositum respondeo, Priùs perentem Iure positiuo esse potiorem, ideoque ex iustitia præ æqualibus ei esse restituendum; magis autem indigens non habet pro se eiusmodi ius.

Multò faciliùs respondetur ad alterum quod adiungunt argumentum, petitum ex maiori damno quod sustinet pauperior nisi ei soluatur: hoc enim conuincet, citiùs quidem pauperi esse restituendum, non autem ei sic esse restituendum, vt alijs certò sua portio numquam soluenda sit.

# CAPVT VII.

## *De excusantibus à restitutione.*

## DVBIVM I.

### *Vtrùm impotentia debitoris excuset à restitutione.*

*Impotentia physica excusat.*

IMPOTENTIA duplex est, physica, & moralis. Physica, quando omnino debitor nec in re nec in ipse habet quo soluat. Hanc excusare, dubitari non potest; quia vt habet Regula Iuris, *Nemo potest ad impossibile obligari*, videre etiam licet cap. Cùm tu, De vsuris. Censetur tamen habere in spe, quando etiamsi otiosus non habeat, manibus laborando habere potest, nisi talis eius sit conditio, vt laborare non debeat.

*Moralis.*

Moralis impotentia est, quando habet quidem quod restituat, sed sine magno suo aut suorum incommodo eo carere non potest, quæ pro latitudine incommodorum & personarum coniunctarum debitori, magnam rursus habet latitudinem, in qua discernere oportet, quousque hîc progredi liceat.

*Cui res extremè necessaria, potest differre restitutionem.*

DICO PRIMO. Differre potest debitor restitutionem, etiamsi aliàs numquam ea futura esset, quando res restituenda est sibi extremè necessaria, coniugi, parentibus, aut filijs ad vitam, etiamsi creditor esset in eadem necessitate; modò in eam non inciderit ex rei iniusta ablatione. Quod extendendum est ad debitorem ex delicto, & rem alienam exstantem, & reddendam in propria specie. Ratio est; Quia in extrema necessitate melior est conditio possidentis, ita vt ei potiùs sit ius ad vsum quàm domino. Diuisio enim rerum cum hac humanitate introducta est, vt non magis impediat eum qui prior rem occupauerit, quò minùs ea vtatur in extrema necessitate quàm si omnia forent communia, vt patet cap. Exiit, De verborum significatione, in 6. vbi dicitur, iure poli in extremæ necessitatis articulo, cuilibet concessum esse vt sibi prouideat. Et in eo quidem quoad personam propriam debitoris, facilè DD. conueniunt: nam vt rectè Siluester, qui tantùm habet necessaria vitæ, potest dici non aliud habere quàm vitam, adeoque æquiparatur ei qui nihil habet quod restituat. Quinimò cum Soto l. 4. q. 7. art. 1. ad 4. quem

sequitur

sequitur Lopez 1. parte cap. 53. illud extendimus etiam ad necessitatem coniugis, prolis, & parentis; nam ad fratrum necessitatem Sotus non audet perinde extendere, quando par esset necessitas creditoris. Probabile tamen existimo cum Toleto lib. De peccatis mortalibus cap. 39. ad fratres, adeoque ad totum gradum primum debitoris hoc posse extendi, quando eorum necessitas extrema est. Itaque quod Scotus dicit in 4. d. 15. q. 2. §. Ad argumenta, non licere in vtriusque extrema necessitate debitorem seipsum præferre domino, quando simul in eam inciderint, non satis probabile est; sicut nec illud quod Tabiena verbo Restitutio dicit, seipsum quidem posse præferre, non tamen vllum alium, quantumuis coniunctissimum, non parentem, non vxorem, non filium: probabile autem erit, fratres non posse præferri.

Maior est difficultas, Vtrùm ratione extremæ necessitatis debitum solùm sopiatur vt differri possit; an verò prorsus extinguatur, vt etiam post pinguiorem fortunam solui non debeat?

Scotus suprà in eo qui rem quam in necessitate consumpsit, occupauit antequam incideret in necessitatem, admittit solùm sopiri; in eo autem qui in ipsa demum necessitate occupauerit, ait omnino extingui. Idem sequitur Angelus verbo Restitutio 3. numero 3.

Respondeo, Si debitum fuerit priùs contractum, verbi gratia per furtum aut licitam emptionem, non extingui, sed redire cessante impotentia. Idem dicendum quando res in specie aliena adhuc exstat, etiamsi ea accepta sit in ipsa necessitate; quia fortè vsus eius debitori erat necessarius ad vitam conseruandam. Patent hæc satis ex cap. Odoardus, De solutionibus. Imò verius crediderim, eum qui iam positus in extrema necessitate rem alterius inscio vel inuito domino, vel per contractum onerosum domino volente acceperit, semper teneri, vbi ad pinguiorem fortunam venerit, restituere. Quæ sententia est Adriani in 4. De Restitut. & sequitur Ioannes Medina C. De Restitutione q. 3. qui tamen illud restringit ad debitum alicuius momenti, nam in re modica facilè præsumitur dominus donare aut condonare. Confirmari potest ex doctrina D. Thomæ Quodlibeto 5. art. 16. quæ habet, captiuum in extrema necessitate vitæ mutuum accipientem quo se redimat, debere eò magis restituere, quò in maiori necessitate ei creditor subuenerit. Sanè quando à domino volente accipis in necessitate, non censetur aliter concedere quàm ea lege, vt restituas si ditior factus fueris, nisi aliud expresserit: quando autem ipso inscio aut nolente, non excusaris à restitutione, nisi quatenus ipse irrationabiliter non vult te retinere; rationabiliter autem vult vt locupletior factus damnum sibi illatum sarcias, id ergo nisi feceris, rationabiliter inuitum lædis. Vnde patet, hanc restituendi obligationem non oriri proprièex re accepta, quia manet etiam re non exstante; neque ex iniusta acceptione, sed quasi contractu: inest enim ablationi conditio restituendi in pinguiori fortuna, quam conditionem subis eo ipso quo aufers.

*Verius est, debitum solùm sopiri ratione necessitatis.*

Notandum, Aliquando non tam rem ipsam quàm vsum eius esse extremè necessarium, vbi si res casu pereat, domino suo perit; secùs si pereat per ipsum vsum, idque præuideri facilè poterat, puta si equus pereat longo & incitato cursu: quando enim casu perit qui hostes per equum alienum effugit, solùm restituet pro vsu equi; si in cursu pereat, restituet ipsum equum.

Notandum Secundò, Qui inuito aufert alicui rem quà ipse possessor extremè indiget, etiamsi esset ipsius auferentis, & auferens similiter in extrema necessitate, debere statim reddere ei qui in pari necessitate possidebat, eoque nomine potior erat; nam contra iustitiam spoliatus est possessione sua: quo casu in foro conscientiæ etiam prædo esset restituendus, nisi eo tempore domino abstulisset, quo re extremè iam indigebat; talis enim possessio violento raptori suffragari non potest, quia & ipsa possessione violat legem qua vti vult, quæ hoc ipsum dicit in pari necessitate extrema potiorem esse possidentem.

Quæres, Quid si cui res tradatur deferenda domino, existantque ambo in extrema eius consumendæ necessitate, poteritne baiulus sibi consulere, neglecto domino.

Respondeo, Non posse: quando enim deferendam domino acceptauit, non tam ipse quàm dominus eam hîc possidere censebitur; pro illo enim quodammodò possidet. Vnde etiam pater, quare huic baiulo & non existenti in necessitate non posset quispiam alius rem eripere existens in necessitate etiam extrema, si dominus fuerit in pari, imò ereptam continuò debere restituere.

*Non tenetur quis se vendere vt restituat.*

Dico secvndo. Non tenetur debitor sese in seruum vendere vt debita restituat. Ita ex communi Toletus lib. 5. cap. 27. libertas enim est bonum inæstimabile.

*Neque famam amittere.*

Dico tertio. Cum iactura famæ aut honoris sui non obligatur, etiam ex delicto, debitor statim restituere. Diximus enim suprà tract. 3. cap. 5. Dub. vlt. bona inferioris ordinis non esse necessariò restituenda cum debitoris detrimento in bonis superioris ordinis.

Excipe tamen casum quo fur non haberet verè bonam famam, sed re furtiua fortè tegeret suam infamiam.

Secundò, Excipiendus casus, quo debitor auferendo iniustè creditori damnum intulisset simul in honore aut bono superiori; tunc enim deberet restituere etiam cum sua infamia, sicuti diximus debere eum qui auferendo posuisset creditorem in extrema necessitate, debere etiam in sua extrema necessitate statim restituere.

Tertiò, Secundùm Angelum suprà num. 5. excipiendus casus, quo creditor indiget extremè credito ad conseruandam vitam, quo debitor non potest carere sine iactura famæ, etiamsi auferendo non posuisset creditorem in illa necessitate.

Quartò, Excipe casum, quo deberetur Reipublicæ, eaque, nisi restituatur, similiter periclitetur in bono eiusdem aut superioris ordinis.

*Quomodo teneatur cum detrimento status.*

Dico qvarto. Etiamsi creditor in nulla sit necessitate, tenetur nihilominùs debitor ex delicto cum detrimento status sui, quem malis artibus sibi comparauit, statim restituere; nisi fortè possit obtinere dilationem à creditore. Hoc enim non est decidere à statu suo, sed ad eum redire. Si autem status, de cuius dimissione agitur, iustè competat debitori, hoc est, iustè sit acquisitus, & ex iustis facultatibus subsistat; nõ tenetur, etiamsi ex delicto debeat eo amisso restituere statim, nisi idem



idem periculum fuerit in creditore: neque enim vt potest propriam vitam vitæ creditoris præponere, ita potest & statum; quia necessitas status non facit omnia communia, sicut necessitas vitæ.

Dixi, *amisso*; quia teneri te minuere statum vt soluas æs alienum, communiter docent DD. de quo videri potest Siluester verbo Restitutio 5. numero 1. Sententiæ etiam Iudicis qui fortè ad maiorem, instante creditore, quàm aliàs tenearis in conscientia status diminutionem coget, in conscientia parendum erit hactenus, vt non impedias executionem; retentis tamen semper vitæ necessarijs.

*Obiect.* Obijcit Richardus quæst. 4. qui contrarium tenet, Non licere de alieno viuere cum sæculari honore.

*Resp.* Sed respondeo, Inde non sequi quòd ad tempus non liceat differre restitutionem, donec sine iactura eiusmodi honoris restituas, cùm honoris illius iactura magno damno æquiparari valeat. Aduertendum tamen est, rigidam illam sententiam Richardi meritò locum habere, quando decoctor quispiam non ex improuiso, sed inexcusabili culpa venerit in has angustias.

*Cum periculo spiritualis damni non tenetur*

Dico qvinto. Cum notabili periculo spiritualis damni sui aut suorum non tenetur quis restituere, sed potest ad tempus differre, donec sine eiusmodi periculo restituere valeat. Ita Antoninus 2. parte, tit. 2. cap. 8. Restringit Pet. Nauarra lib. 4. cap. 4. numero 38. quando damnum euenturum est ex infirmitate, non ex malitia, eò quòd propter infirmitatem creditor consentire debeat in dilationem, non propter malitiam.

Dico sexto. Etiamsi ex pecunia alijs debita esses lucraturus, teneris nihilominùs statim soluere creditori si petat, etiamsi simile interesse ipse non habeat, aut compensaturus sis quod ipse habebit. Ita Ioannes Medina, C. De restit. quæst. 3. qui tamen excipit casum, quo lucrum eiusmodi futurum videretur necessarium ad vitæ sustentationem: addunt alij, ad aliorum creditorum solutionem.

Dico septimo. Si damnum notabile nunc soluendo sis incursurus, puta merces nimis vili distrahendo, instrumenta artis tuæ vendendo, potes ad tempus restitutionem differre. Est communis Antonini suprà. Si tamen ex delicto debeas, & videas fore posteà restitutionem impossibilem, non potes nunc omittere.

Sed meritò hîc dubitant, vtrùm exiguum illud damnum quod incurrit creditor ex mora tua, per quam licitè longè maius euitas, debeas ei sarcire?

Respondet Petrus Nauarra suprà numero 56. Non debere: quod verum credo, quando neque ex delicto debes, neque priùs per culpam tuam fuisti in mora, neque vitas damnum lucri cessantis, sed deberes relinquere statum tuum. Imò probabile est, etiam illum qui ex delicto debebat, non teneri de damno leuiori sui creditoris, quando iustè distulit solutionem ex graui necessitate amittendi alioqui statum: sicut econtrà admiserim, debitorem ex contractu, qui non iacturam status, sed damnum pecuniarium euitat, teneri suo creditori de minori illo damno, quod fortè interim patitur.

Dico octavo. In valdè graui necessitate, non tamen extrema, in qua secundùm ea quæ diximus De eleëmosyna, probabile est licere egenti clàm alienum surripere, etiam probabile est licere debitori differre solutionem, etiamsi creditor esset in eadem necessitate.

Ceterùm vtuntur hîc DD. Regula ista, vt semper liceat solutionem differre, quando creditor meritò in eiusmodi dilationem deberet consentire. Ita Siluester verbo Restitutio 5. numero 3. qui alios plures pro ea citat, & probat ex cap. Ne quis 22. quæst. 2. Nauarra suprà n. 34. dicit hanc Regulam esse omnium DD. eamque propugnat contra Medinam suprà quæst. 2. vt ipse existimat, quamuis verè Medina disputando sit locutus. Et sanè videtur hæc Regula fundata in definitione furti, quæ requirit vt dominus sit rationabiliter inuitus; imò tunc demum, vt suprà diximus c. 1. Dub. 7. formaliter est detentio alieni, quando rationabiliter est inuitus.

*Obiect.* Non deest tamen quod obijciatur; ita enim quis argumentabitur: Si detentionem rei alienæ hîc & nunc excuset quòd dominus non sit rationabiliter inuitus, etiam excusabit ablationem: sunt enim eiusdem moris & rationis ablatio & detentio; quod verum non esse manifestum est, alioqui liceret pauperi toties auferre, quoties irrationabiliter ei negatur eleëmosyna: itaque quando dominus debet consensum ex sola charitate, non ex iustitia, videbor peccaturus contra iustitiam, etiamsi ipso irrationabiliter inuito rem eius detineam. Confirm. Quia in multis alijs manifestũ est, non operari idem consensum debitum, & verè adhibitum verbi gratia in dispensatione, venditione, mutuo, in reuelatione confessionis. Neque enim potest Confessor reuelare confessionem inuito pœnitente, etiamsi fortè tales concurrant circumstantiæ, vt teneatur in eiusmodi reuelationem pœnitens consentire.

*Resp.* Respondeo, Quòd liceat aliquamdiu alienum detinere, ex eo dependere, quòd non sit contra iustitiam; non est autem contra iustitiam, quando dominus non habet ius, stantibus his circumstantijs, exigẽdi, & circumstantiæ tales sunt, vt saltem ex charitate debeat creditor inducias. Neque hinc sequitur, etiam tali casu licere à domino rem auferre, quia multò maior debet esse necessitas tua, in qua dominus amittat ius te prohibendi, ne se inuito rem auferas, quàm sit illa in qua ius eius suspenditur & impeditur, quò minùs pro illo tempore, quasi iure suo vtens, te ad restituendum compellere valeat: possessio enim ius corroborat, neque tanti solent homines facere temporalem moram restitutionis, quanti nouam rei suæ ablationem. Neque refert quòd consensus domini solùm debeatur ex charitate; quia obligatio charitatis valet ad suspendendum vsum iuris, vt patet in diuite, cui suspenditur ius, quò minùs prohibere possit pauperem in extrema necessitate rem suam se inuito auferentem, in quam tamen ablationem solùm ex charitate tenebatur consentire.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm remissio creditoris excuset à restitutione?*

*Quomodo per remissionem liberetur à restitutione.*

Respondeo, Si creditor verè poterat condonare, libereque condonauerit, & Iure positiuo debitor non fuerit inhabilis ad beneficium remissionis, ipsum liberari ab onere restituendi. Quod verum existimo, etiamsi rem debitam

tam non posuerit priùs in manibus creditoris, imò neque reipsa, neque verbis, aut animo obtulerit, neque animum offerendi aut restituendi habuerit. Ita ex communi Panormitanus in c. Cùm tu, De vsuris, contra Dinum; Salonius quæst. 62. art. 8. controuersia 2.

Requiro in primis in creditore potestatem remittendi; huius enim defectu non proderit remissio pupilli aut alterius, per legem aut naturam inhabilis ad donationem, adeoque condonationem. Hinc Prælatus potest remittere debitum Ecclesiæ, quod in suam tantùm vtilitatem cedit, non autem quod aliàs concernit vtilitatem Ecclesiæ, vt docet Panormitanus in cap. Veniens 1. De testibus; & est argumentum ex cap. 1. De in integrum restitutione.

Secundò, Opus est, vt remissio sit liberè facta, non vi ad eam obtinendam iniustè adhibita, non ex ignorantia, non metu ad eam extorquendam iniustè incusso; de quibus vide Medinam C. De restit. q. 3. Huc pertinet c. Sollicitè, De restit. spoliatorũ; vbi irritatur renuntiatio spoliati, eò quòd non præsumatur sponte renuntiasse, quia renuntiauerit spoliatus. Neque tamen requiritur, vt præsenti pecunia oblata nihilominùs creditor fuerit remissurus; imò pauper timens ne si offerat pecuniam, sit remissionem obtenturus, potest ea non oblata etiam precibus instare pro remissione: faciliùs enim remittuntur multa non oblata, quàm donentur pauca oblata, & iam quasi obtenta. Minæ tamen de non soluendo, aut preces ita importunæ vt creditor vexationem redemisse censeri queat, irritam facerent remissionem, tamquam non satis voluntariam. Minis æquiparabitur hîc simulatio paupertatis, & quiuis alius dolus circa principalem causſam remissionis, atque etiam desperatio recuperandi debitum in quam fortè conijcit creditorem debitor nimia sua & iniusta tenacitate.

*Quinam incapaces remissionis.*

Tertiò, Necessarium est ne debitor sit incapax remissionis per Legem positiuam: talis enim est Primò Iudex Ecclesiasticus delegatus, quando aliquid accipit à partibus, præterquam esculentum aut poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis diebus consummi possit; cogitur enim eiusmodi munus integrè restituere, etiamsi donatores remiserint, cap. Statutum, §. Insuper, & §. Si quid, De rescriptis, in 6. Existimat tamen Glossa, Iudicem retinere posse, si postquam restituit, rursum pars ei donet, nisi fortè in fraudem restituerit, eo animo vt donatio repetatur, quod etiam sentit Graffius lib. 2. c. 132. Rectè etiam Siluester verbo Iudex 1. quæst. 8. hanc Glossæ mitigationem non admittit, nisi finito iudicio. Secundò, Si Visitator accipiat procurationem in pecunia à locis visitatis, aut etiam in victualibus à non visitatis, aut alia munera, duplum restituere iubetur, etiamsi donatores remiserint. Ita Gregorius X. cap. Exigit, De censibus, in 6. quæ omnia confirmantur ibidem sequenti cap. Felicis, per Bonifacium VIII. eo solo excepto, quòd procurationem permittat accipi in pecunia, volentibus visitatis. Tertiò, Si Inquisitor prætextu officij sui pecuniam extorserit, iubetur restituere, nulla super hoc remissione valitura; Clementina Nolentes, De hæreticis. Quartò, Canonicus qui non interest diuino Officio, tenetur restituere distributiones, etiamsi illi remiserint, quibus accrescunt; Trident. sess. 14. cap. 12. De reformat.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm cessio bonorum excuset à restitutione?*

*Cessio bonorum.*

CEDERE quempiam bonis, nihil est aliud, quàm profiteri se non esse soluendo omnibus debitis, ac proinde se cedere omnibus suis bonis, eaque diuidenda tradere, vt inde satisfiat quousque potest. Inuentum autem est potissimùm cessionis beneficium, ne præter humanitatem paruo creditorum commodo, & magno suo incommodo debitores qui soluendo non sunt iudicati, capiantur, & perpetuò detineantur in carcere. Etiamsi verò hoc beneficio non liberabãtur, quin pinguiorem adepti fortunam tenerentur in solidum pro viribus, vt patet L. 1. C. Qui bonis cedere possunt, (quamuis, vt benè Siluester, non teneantur cauere de soluendo, etiamsi pinguius quid fuerint adepti) poterant tamen ex bonis post cessionem quæsitis retinere sibi, quod Iudicis prudentis arbitrio satis sit ad congruam & frugalem suam sustentationem. L. Qui bonis, ff. De cessione bonorum.

Dubitatur à DD. Vtrùm etiam in ipsa bonorum cessione alimenta sibi debitor iure retineat? Sanè secundùm Iuris rigorem non videtur retinere; Iura tamen quorumdam Regnorum permittunt vt retineat vestes quibus tempore cessionis fuerit indutus: secundùm Ius tamen naturale sunt debitori cedenti bonis suis, ex eis relinquenda alimenta, vt indicat dicta L. Qui bonis, eaque tutò retinere potest, imò & in eum finem abscondere. Idem dixero de instrumentis artis quibus vitam sustentet, cuiuscumque valoris aut pretij sint: ex bonis autem in specie alienis, solùm ex misericordia creditoris ei relinquendum aliquid per modum eleëmosynæ, ne extremè indigeat.

Illud maioris quæstionis hîc est, Vtrùm quando Lex siue communis siue municipalis debitori cedenti bonis plus indulget quàm ei liceret, manendo in solo Iure naturæ, quoad retinendum ex bonis suis, ne indecenter viuat cum vxore & prolibus, tutus sit in conscientia retinendo, an solùm in foro?

Respondeo, Nisi manifestam ea Lex contineat iniquitatem, esse tutum in conscientia: quia vt benè Molina disp. 572. Lex de cessione bonorum ad hoc valet, vt qui contractus celebrant, sciant debitores hoc priuilegio gaudere, idque in suis contractibus præsupponant. Itaque in hoc grauamen censentur sibi mutuò condescendere, quando tacitè etiam hac lege contrahunt. Consentit Lopez 1. parte cap. 119. estque argumentum ex L. In condemnatione, ff. De Regulis Iuris; vbi dicitur, etiam eorum qui damnantur vt faciant quod possunt, rationem habendam esse ne egeant. Quod ergo ex æquitatis ratione indulgent Leges, vel maximè in conscientia obtinebit.

*Beneficio cessionis non gaudet debitor ex delicto.*

Non gaudebit tamen beneficio cessionis qui debet ex delicto, siue delictum sit admissum in contractu, siue extra contractum, siue debeatur tamquam pœna, siue pro reparatione damni & interesse: nam Iura beneficium cessionis illis solis concedunt, qui merè ciuiliter debent: & quando agitur de publica vtilitate, excluditur bonorum cessio, L. Propter honorem, C. Qui bonis cedere possunt. Interest autem publicæ vtilitatis, ne delicta maneant impunita, cap. Vt famæ, De sententia excommunicationis. Ita ferè Molina disp. 572. Siluester tamen verbo Restitutio 7. quæst. 6. cum qui ex delicto debet, putat contra priuatum posse vti cessione, siue priuatus petat damna, siue pœnam sibi per sententiam applicatam, ne frustrà homo in hominem sæuiat, per cap. Si res 14. q. 6.



*Quinam hoc beneficio non indigent.*

Sunt porrò aliqui qui beneficio cessionis non indigent, hi nimirum qui priuilegio gaudent vt in carcerè pro ciuili debito conijci non possint; tales sunt Clerici, per cap. Odoardus, De solutionibus; mulieres honestæ, per L. Hodie nouo, C. De custodia reorum; milites, L. Miles, ff. De re iudicata. Si tamen Clericus in fraudem secum contrahentis simulauerit se non esse Clericum, posset propter debitum ex tali contractu incarcerari, Molina disp. 571. Idem dicendum de Clerico de fuga suspecto: filius etiam emancipatus licet pater cedat bonis, de patrimonio quod ei iam quæsitum fuerit, non inquietatur, L. Si pater ff. Qui bonis cedere possunt.

Quærunt hîc & illud, Vtrùm quando in cessione bonorum ritus aliquis adhibetur debitori ignominiosus, teneatur nihilominùs soluere quando peruenerit ad pinguiorem fortunam? Quibusdam enim visum est non teneri, eò quòd creditor videatur huiusmodi ignominiam loco solutionis acceptare.

Sed verius est teneri. Ita Couarruu. lib. 2. Variarum resolut. cap. 1. numero 6. Nam ignominia illa ad pœnam pertinet culpæ saltem præsumptæ, pœna autem non extinguit onus restituendi, vt alibi diximus. Huc pertinet quòd iure Castellæ, vt refert Molina, debitor cedens bonis tradatur creditori ad seruiendum, ea lege, vt torquem ferreum palàm gestet collo circumligatum.

Solent interdum creditores rogati inducias concedere quinquennales, circa quas Notandum Primò, Eas posse concedi à creditore cui plus debetur, vocatis & non consentientibus illis quibus iunctim non tantum debetur: imò etiam quando sunt duo creditores æquales, quorum vnus vult, alius non vult concedere inducias, eæ nihilominùs conceduntur in fauorem pietatis. L. vlt. C. Qui bonis cedere possunt. Si plures fuerint ab altera aut vtraque parte pares quoad creditum, superant illi qui numero fuerint superiores.

Notandum Secundò, Induciarum hunc esse effectum, vt neque eis currentibus neque decursis, integrum sit debitori remedium cessionis.

Tertiò, Principalem creditorem vt inducias dare, ita etiam partem posse remittere debitorum defuncti, & in eo alios creditores se debere conformare: quod tamen non esse extendendum ad debita viuentium, monet Molina disp. 572.

*Cessio bonorum non prodest fideiussoribus.*

Hoc etiam in cessione bonorum notandum, Eam non prodesse fideiussoribus debitoris, quin ipsi nihilominùs in solidum teneantur; in eum enim euentum maximè videtur sibi creditor fideiussionæ cauisse. Instit. De replicationibus, §. vlt.

Si qui bonis cessit pœnitudine ducatur antequam bona sunt diuendita, & dicat se posse creditoribus satisfacere, restituuntur ei bona, L. 2. C. Qui bonis cedere possunt. Hoc tamen locum non habet, quando ipse debitor cedens bonis ea tradidit creditoribus in solutum. ibid. L. 4. Præiudicat etiam sibi qui bonis cessit, si iterùm promittat in solidum satisfacere; cessio enim ad sequentia debita non pertinet, hîc autem videtur nouum debitum contrahere, & cessionem suam eneruare. §. 1. Instit. De replicationibus.

Denique illud roget hîc quispiam, Quando quis iuramento renuntiauit in contractu cessioni bonorum, an possit nihilominùs ea vti?

Respondeo, Non posse, nisi aliàs periclitaretur vita eius; secùs si tantùm iurasset soluere debitum, aut sine iuramẽto renuntiasset cessioni bonorum. Couarruuias lib. 2. Variarum resolut. suprà, n. 7.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm Religionis ingressus excuset à restitutione?*

SVPPONO tamquam certum, eum qui Religionem fuerit ingressus non persoluto ære alieno, verè nihilominùs fieri Religiosum: quamuis enim debeat, suus tamen est vt validè se dare possit Religioni. Secùs dicendum de seruo, qui suus non est, sed alterius; aut coniuge postquam duo fuerint in carne vna, quando iam corporis sui potestatem non habet, sed alter coniunx.

Sed quæritur Primò, Vtrùm debitori liceat inuito creditore Religionem ingredi? Secundò, An vbi ingressus fuerit, siue licitè siue illicitè, sopiatur aut extinguatur debitum?

*Sententia quorumdã.*

Est opinio quorumdam, Si debitor in sæculo manens posset creditoribus satisfacere, peccare eum, quando per ingressum Religionis se reddit impotentem. Imò nec iam in Religione liberum esse, sed teneri sua debita soluere si facultas suppetat, ars, aut industria, per quam possit acquirere & satisfacere. Ita tenet Gerson Alphabeto 39. littera *X*. Imò vt refert Azorius lib. 12. cap. 1. & indicat Gerson, dicitur hæc sententia fuisse totius Academiæ Parisiensis, & eam secuti sunt Maior in 4. dist. 38. Ioannes Medina & Nauarrus Commentario 1. De Regularibus, num. 8.

Probant Primò, Quia debitor facit contra Legem naturæ, reddendo se ingressu Religionis impotentem; facit enim alteri, quod sibi non vellet fieri: neque excusatur quòd ad vitam aspiret perfectiorem, quia non sunt facienda mala vt eueniant bona.

Secundò, Non est sacrificandum Deo de alieno, vt sæpè indicat Scriptura.

Tertiò, Nemo debet locupletari corporaliter aut spiritualiter cum iniuria alterius, per Regulam Iuris 48. De Regulis Iuris, in 6. & cap. Suam, De pœnis.

Quartò, Religionem ingredi est consilij, debita soluere præcepti; consilia autem intelliguntur saluis præceptis.

Quintò, Non liceret alienum surripere quo habeas vt te ad Monasterium fortè dissitum possis conferre.

Sextò, Ratiocinijs obnoxius non potest ingredi Religionem; ergo neque alius quiuis debitor. Antecedens patet per cap. Legem, dist. 35.

Denique cap. Commissum, De sponsalibus, Pontifex dicit, ei qui matrimonium promisit iuramento, tutius esse priùs vxorem ducere, deinde Religionem ingredi, ergo & debita priùs soluenda. Verùm contraria sententia probabilior est, pro qua

*Verior sententia.*

DICO PRIMO. Quando breui tempore, verbi gratia paucis annis differendo ingressum Religionis, & adhibendo labores consuetos posset

debitor satisfacere creditoribus, verius est ad eiusmodi dilationem teneri; non item si opus esset longo tempore, vel insolitis laboribus, sed tunc potest cedere bonis in vtilitatem creditorum, & statim ingredi Monasterium. Ita P. Nauarra lib. 4. cap. 4. numero 93. Lopez 1. parte, cap. 129. Victoria ab ipso citatus, Azorius suprà. Estque credibile, non aliud antiquiores Scholasticos & Summistas voluisse, quando simpliciter dixerunt, debitorem vbi fecerit quod potest, & cesserit bonis, etiamsi integrè non satisfecerit, posse Religionem ingredi. D. Thomas hac parte, quæst. vlt. art. 6. ad 3. Palude dist. 38. quæst. 4 art. 1. concluſ. 7. Angelus verbo Religiosus, numero 6. Ratio huius assertionis est, Quia liber homo per debita eiusmodi pecuniaria non adimit sibi potestatem in illis quæ perpetuum statum concernunt, quem liberè potest secundùm Dei vocationem eligere: non potest itaque per debita impediri quò minùs sibi licitum sit in perpetuo cœlibatu manere, aut Religionem aliquando ingredi; censetur enim soluere non posse, quando sine perpetuo præiudicio huius libertatis non potest: secùs si solùm ad breue tempus in huius libertatis vsu impediatur; nam quoad istud sibi censetur præiudicasse contrahendo æs alienum, quod breui tempore solito opificio aut artificio potest soluere. In priori ergo casu impotens erit, & relinquendo bona sua creditoribus, excusabitur ingressu Religionis, quatenus per eam inhabilis est ad sibi quærendum quo creditoribus satisfaciat. Si tamen contigerit eum dimitti à Religione, ita vt iam iterùm sibi incipiat lucrari, reuiuiscent debita, quia non propriè fuerunt extincta, sed sopita.

Hinc sequitur, Si habuerit aliqua in specie aliena, ea restituenda esse antequam Religionem capessat; quia eorum restitutio, vt suppono, nec impossibilis est, nec longam requirit moram. Si debita sint incerta, id est incertorum creditorum, poterit ingredi Religionem, & bona secum inferre Monasterio, quia satisfacit applicando incerta pio loco. Duos tamen casus rectè excipit Palude suprà. Vnus est, quando incerta sunt per Ecclesiam certificata, id est certo vsui destinata, vtputa in subsidium Terræ sanctæ: tunc enim non posset ea Religiosus dare Monasterio. Alter est, quando debitor hæc incerta solùm obtineret tamquam executor; tunc enim eorum deberet fieri distributio auctoritate Superioris.

Sequitur Secundò, Quamuis & fauor Religionis, & beneficium cessionis hîc concurrant, potiùs tamen ex natura rei propter rationabilem impotentiam fieri, vt excuset ingressus Religionis, quàm beneficio Legis positiuæ aut singulari Religionis fauore. Cessio tamen bonorum hoc beneficij debitori addit, quòd si vrgeatur à creditoribus, in carcerem alioqui mittendus, statim possit Religionem ingredi, etiam quando breui tempore, si inducia daretur, posset esse soluendo.

DICO SECVNDO. Debitor talis sic ingrediens licitè Religionem, non tenetur in Religione existens, labore aut industria sua conquirere media quibus restituat; quinimò etiamsi aliqua lucratus fuerit, neque ipse neque Monasterium tenetur inde satisfacere creditoribus: secùs si Monasterium aliqua bona Religiosi ad se sumpsisset, aut eius intuitu, successione, donatione, aut vltima voluntate accepisset. Est communior sententia, contra Nauarrum Commentario 2. De Regularibus, numero 42. & satis colligitur ex dictis: si enim ære alieno non obstante, liceat mihi Religionem ingredi, cùm ea sit Religiosi conditio vt proprium non habeat, sed Monasterio quærat, liquidum est, neque me qui maneo impotens, neque Monasterium cuius non est debitum, teneri.

DICO TERTIO. Quando is qui propter debita debebat secundùm dicta differre, intempestiuè ad Religionem fuerit admissus, si in eo admittendo per ignorantiam non excusentur Superiores aut Monasterium, probabile est eos tamquam cooperatores teneri creditoribus de hac impotentia, saltem quousque donatio qua se debitor Monasterio donat, censeri potest eis lucratiua: si autem ipsi excusentur per ignorantiam, probabile est ex iustitia, ne quidem lucra Religiosi obnoxia fore creditoribus.

Ad argumenta pro contraria sententia, respondeo. *Resp. ad argumenta 1 sententiæ.* Ad Primum, Ordinem charitatis aut iustitiæ non exigere, vt talis differat ingressum Religionis; adeoque verum non esse, quòd alteri aliquid faciat, quod meritò sibi nollet fieri. *Ad 1.*

Ad Secundum, Non sacrificat de alieno, nisi seruus sit vel matrimonium consummauerit. *Ad 2.*

Ad Tertium, Quartum, & Quintum, patet ex dictis. *Ad 3. 4. 5.*

Ad Sextum respondeo, Prius cap. ex D. Gregorio ita habet: *Quod si etiam tales Monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi priùs à ratiocinijs publicis absoluti fuerint.* Verùm loco *ratiocinijs*, emendatiùs legitur *actionibus*, vt habet originale. A ratiocinijs igitur (nam de illis præcedit in eodem textu,) & actionibus publicis priùs absolui eum vult Canon iste, qui ad Religionem sit admittendus, sed non tam quia iniuria fiat illis quibus obligatus erat, quasi aliquid eis inde sit decessurum, quàm quia Religioni per occupationem ratiociniorum & sæculares actiones aliquid decederet. Vnde etiam factum est, vt potiùs id statutum sit de obnoxio publicis ratiocinijs, quàm priuatis; publica enim plus occupationis & strepitus habent. *Ad 6.*

Ad Septimum respondeo, Verum sensum illius cap. esse, ei qui iam incipit deliberare, & suspirat, vt habet textus, ad frugem melioris vitæ, nondum tamen absolutè statuit vtrùm velit ingredi Religionem, vrgente iam tempore quo iurauit ducere vxorem, tutius esse priùs contrahere, & postea, si elegerit, ad Religionem migrare. Pro quo sensu vrgenda verba, *suspirat*, & *si elegerit*. Ita ex sententia aliorum DD. quos citat Sanches lib. 1. De matrimonio, disp. 43. Vt itaque hîc cum nostro debitore subsit paritas, faciamus etiam ipsum iurasse solutionem creditoribus præstare, & nondum elegisse statum Religiosum, sed de eo eligendo deliberare, omnino admiserimus, si tempus instet quo debet & potest soluere, tutius illi esse, si priùs alieno ære se liberet. *Ad 7.*

Postquam hæc à me prælecta fuerunt, ad notitiam meam venit Bulla Sixti V. quæ incipit, Cùm de omnibus Ecclesiasticis ordinibus, edita anno M. D. LXXXVII. & altera Constitutio eiusdem Pontificis, prioris declaratoria, quæ incipit, Ad Romanum spectat Pontificem, edita anno M. D. LXXXVIII. quibus Constitutionibus efficiuntur



ciuntur perpetuò ad Religionem inhabiles, ære alieno supra vires facultatum suarum grauati. Hæ Constitutiones vbi publicatæ & receptæ fuerint, dubitationis nostræ ansam magna ex parte rescindent. Sciendum tamen, Clementem VIII. quoad nullitatem professionis, has prædecessoris sui Constitutiones iterùm ad terminos Iuris communis reduxisse.

## DVBIVM V.

### *Vtrùm compensatio excuset à restitutione?*

RESPONDEO affirmatiuè. Qui enim compensat, soluere dicitur, L. Si debitor, ff. Qui potiores in pignore. Seruanda tamen quæ diximus Dub. 6. cap. 1.

*In quibus compensatio locũ habeat* Notandum Primò, Compensationem propriè non habere locum, nisi in rebus quæ consistunt in pondere, numero, & mensura: in alijs loco iustæ compensationis potiùs erit detentio, quamuis eam aliqui vocent compensationem indirectam, vt Siluester verbo Compensatio. Cùm enim compensatio sit debiti & crediti inter se contributio, ff. De compensationibus, L. 1. vix inter se liquidò commensurantur, nisi functionem recipiant.

*In quibus non habeat.* Neque tamen in his semper locum habet compensatio; in depositò enim locum non habet, vt diximus loco citato: quod limitant, nisi etiam alterum debitum sit ex depositò. Item in commodato non dicitur habere locum, per L. vlt. C. De commodato: ita enim ex ea opinatur Molina disp. 297. At fortè solidum hoc non est: vt enim omittamus cuiusdam coniecturam, loco *commodati* legendum esse *commendati*, id est, depositi; vt item omittamus, res quæ functionem recipiunt potiùs mutuari solere quàm commodari; fieri potest quod alij dicunt, agi de debito non liquido. Verùm quia illud dicitur magis quàm probatur, probabile maneat, etiam commodatum excipi. Quo tamen admisso, non perinde negabitur compensatio pecuniæ, quam fortè debebit commodatarius ex commodato amisso, sicuti nec expensarum quæ factæ fuerint in rem ipsam, quando iam erat commodata. Certius est de quibusdam alijs, vtpote de pecunia data Quæstori in frumentum Reipublicæ emendum: nam illam eum compensare non posse, statutum est L. Ob negotium, ff. De compensationibus. Item mandatarius qui non solet stipendium accipere, si nihil ei promissum fuerit, non compensat mercedem, etiamsi ex gratitudine aliquid debeatur. Item si reditum mihi debeas sex florenorum, & ego tibi debeam centum, currit mihi reditus, nec compensas etiamsi redimibilis sit per similia centum, nisi significaueris te centum ista velle haberi à me in solutum pro sorte reditus; Molina ex Nauarra disp. 560. Item si debeam tibi in diem, non potes ante diem compensare creditum meum cum hoc debito. Similiter si debeam sub conditione, suspenditur ea pendente compensatio. Item si debeam fisco in certum opus publicum, reparationem aut constructionem murorum, pontium, & similium, aut stipendia militum, non potero compensare; secùs si debeam alio titulo, puta pro mulcta, aut quia domum à fisco conduxi. Ita Lælius parte 2. cap. 54. Item si quis possessionem alienam indebitè occupat, non habet locum compensatio, L. vlt. C. De compensationibus. Item eius quod non illi debetur qui conuenitur, sed alteri, compensatio fieri non potest, L. Eius, C. eodem. Filius tamen eius quod patri debetur, compensationem obijcit, modò de rato caueat, L. Si cum filio, ff. eodem. Item contra fideiussorem non est compensatio neque actio, quando creditor habet in promptu compensationem contra principalem debitorem; imò fideiussor potest deducere non solùm quod sibi debet creditor, sed etiam quod idem creditor debet principali debitori, L. Verum, ff. eodem. Item qui condemnatur vt aliquid ei reddat cui vim intulit, aut furto abstulit, aut alio maleficio, soluet nulla suffragante exceptione compensationis, saltem in foro externo; nam in foro conscientiæ, quando eius qui compensatione vtitur creditum non minùs liquidum est & certum quàm debitum, tuta semper erit compensatio, etiam in depositò, si aliter recuperari debitum non potest, neque sequuntur incommoda, quæ fortè à Lege aliter disponente præsumuntur, & omnino abest scandalum, & cuiuscumque incommodi periculum.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm excommunicatio creditoris excuset à restitutione?*

PRIMA est sententia quorumdam; qui absolutè affirmant excusare. Ita Adrianus in 4. quæst. 3. De clauibus; Panormitanus in cap. Inter alia, De sententia excommunicationis; qui addit, debere eiusmodi debitum deponi in æde sacra. Idem tenuit tamquam probabile Glossa in cap. Nos sanctorum, verbo Constricti sunt, 15. quæst. 6. Vbi etiam extendi videtur sententia ista ad debitorem qui iurasset soluere. *1. sententia.*

Secunda sententia distinctione vtitur: dicit enim, Si nominatim excommunicato, aut notorio Clerici percussori (qui soli tamquam excommunicati nunc vitandi sunt) debeas ratione furti, mutui, commodati, aut simili titulo, vbi debitum sit naturale aut diuinum ex ipsa re contractum, oportere soluere, non obstante excommunicatione creditoris; si verò debitum fuerit non ex ipsa re, sed verbis, puta promissione, aut stipulatione etiam iurata, contractum, suspendi ipsa excommunicatione. Ita tenet Medina C. De restitutione, quæst. 3. causa. 9. *2. sententia.*

Tertia, eaque admodum communis apud Iureconsultos & Theologos, absolutè negat debitorem excusari per excommunicationem creditoris. Hanc tenet Siluester verbo Excommunicatio 5. quæst. 12. & probat ex illo axiomate D. Thomæ in 4. quod habet, obligatum excommunicato ante sententiam, manere etiam obligatum in excommunicatione, nisi à Iure absoluatur, sicuti à fidelitate præstanda absoluitur Vasallus dicto cap. Nos sanctorum, & cap. Iuratos milites 15. quæst. 6. Cùm itaque nusquam in Iure debitor ratione excommunicationis creditoris absoluatur, manet obligatus. Hæc sententia verior est, eamque sequitur ex recentioribus Suarez De censuris disp. 15. sect. 8. *3. sententia verior.*

Quod itaque obijciunt, non esse Iure exceptam hanc communicationem, quæ est cum excommunicato in solutione debiti, diluitur; Quia *Obiectioni respondetur.*

vbi debitum antiquius intercedit, non opus est exceptam esse communionem, vt liceat aut obliget, sed potiùs opus esset exceptione, vt desinat obligare aut licere: nusquam enim generatim ita interdicta est communicatio cum excommunicato, vt etiam ijs qui priùs aliquid ei debebant, prohibiti sint illud præstare. Declarauit tamen Ius, quosdam peculiariter obligatos excommunicato, posse ei communicare, vtpote vxorem, filios, seruos, & similes, cap. Quoniam multos 11. quæst. 3. non autem id declarauit de debitoribus, quia communicatio quæ est in solutione debiti pecuniarij, leuis est, adeoque non videbatur de ea posse esse scrupulus: neque enim necessaria est debitori absolutè & simpliciter ciuilis communicatio, sicut istius alijs. Sanè si hæc communicatio magnifacienda sit, ne quidem liceret ab excommunicato recipere debitam pecuniam, neque ipse teneretur eam soluere; cuius tamen contrarium Ius definit cap. Si verè, De sententia excommunicationis. Deinde eodem cap. Quoniam multos, Gregorius VII. dicit se non prohibere illos qui humanitatis caussa aliquid dare voluerint excommunicatis, non in sustentationem superbiæ; multo minùs ergo prohibet soluendi debiti gratia aliquid eis dare: quod notandum est contra quosdam, qui ex illo cap. volebant solis domesticis concedi, vt debita & contuета officia præstent excommunicatis, quibus Siluester opponit eodem cap. excipi etiam rusticos seu colonos seruientes excommunicatis.

Denique illud obseruandum, Etiamsi vbi æqualis aut minor ratio subest, non liceat quæ Iuris priuilegiati sunt extendere, licet tamen extendere ad casum vbi maior ratio subest, vt docet idem Siluester: quod tunc saltem erit verissimum, quando concessio Iuris solùm est declaratio, non autem Iuris noui constitutio. Ratio autem maior subest in soluente debitum, quàm in eo qui donet solius humanitatis caussa.

*Obiect. 1.* Dices, Dicto cap. Inter alia, De sententia excommunicationis, dicitur, extra casus qui sunt in cap. Quoniam multos, neminem teneri communicare excommunicato; ergo debitor qui ibi non exprimitur, non tenetur.

*Resp.* Respondeo, Satis contineri illo cap. Debitorem; deinde exceptiones illas intelligi de communione ciuili simpliciter, vt iam suprà indicauimus.

*Obiect. 2.* Dices Secundò, Sociorum in mercatura communio magna est; ergo si quis cum Petro contraxerit eiusmodi societatem, ea solutus erit si Petrus excommunicetur.

*Resp.* Respondeo, Non fore solutum, sed debere stare pactis, si remota excommunicatione tenebatur ex iustitia: generatim enim docent cap. Inter alia, & cap. Si verè, suprà citata, vinculum arctæ obligationis quod præcesserit excommunicationem, non solui quando creditor excommunicatur. Ita tenet Glossa in 1. cap. dist. 41. & sequitur Suarez suprà.

*Obiect. 3.* Dices Tertiò, Cap. Excommunicamus, §. Credentes, De hæreticis, ita statutum legimus: *Nullus præterea ipsi excommunicato super quocumque negotio, sed ipse alijs respondere cogatur.* Item cap. Decernimus, De sententia excommunicationis, in 6. reperiuntur excommunicati ab omni actione in iudicio.

*Resp.* Respondeo, Excommunicatum siue occultè siue nominatim denuntiatum in iudicio non posse petere aut agere, nisi super excommunicationis suę nullitate aut absolutione, quia apertè hoc Iura statuunt, & in illis quæ fauorem spectant excommunicati, nihil immutatū est per Constitutionem Constantiensem, quæ incipit, Ad euitanda, de vitandis solùm denuntiatis & Clerici per cussoribus. Verùm ex hac forensis communionis priuatione, quæ multum haberet publici scandali, non rectè infertur quòd non posset excommunicatus priuatim petere sibi debitam pecuniam, neque hoc vllo Iure prohibetur, vt testatur Suarez suprà: multò minùs inde infertur, quòd non teneatur debitor ei soluere.

*Obiect. 4.* Dices Postremò pro sententia Medinæ, Quicumque contrahit, semper intelligitur solùm obligari prout Iura permittunt, contractus enim subsunt dispositioni Legis: cùm itaque Ius prohibeat omnem communionem cum excommunicato, non censebor ei obligatus ex contractu, sed solùm ex delicto, aut aliàs ratione rei.

*Resp.* Respondeo; Suprà satis ostensum est, talem communionē quæ est in solutione, Ius non prohibere.

TRA-



# TRACTATVS QVINTVS

## De Contractibus.

### CAPVT PRIMVM.

### De Contractibus in genere.

### DVBIVM PRIMVM.

### *Quid sit, & quotuplex Contractus?*

*Contractus.* CONTRACTVS est vltrò citroque obligatio. Vlpianus L. 19. ff. De verborum significatione. Obligatio sumitur pro pacto obligante: pactum enim est quasi genus contractus, & dici potest secundùm eumdem Vlpianum, *duorum aut plurium in idem consensus.* Quando autem est mutua obligatio, vel est tantùm personarum de rebus, vel de personis, qualis est matrimonij. In rebus autem tria consideranda sunt, vt ex dictis primo Tractatu patet, dominium, vsusfructus, & vsus. Contractu ergo transfertur in alium vel dominium, vel vsusfructus, vel vsus. Si dominium, vel id transfertur pro æstimato pretio, & est Venditio ex parte eius qui rem præstat, & Emptio ex parte alterius qui pretium reddit, de quo L. 2. C. De rescindenda venditione; vel vna res pro alia traditur non tamquam pretium eius, vt pileus pro calceo, estque Cambium, quo etiam pretia inter se commutantur; vel debet res quæ traditur, post aliquod tempus restitui, nō quidem in in diuiduo, sed in sua specie, & dicitur Mutuum. Si vsusfructus detur pro pretio, ferè est Emphyteusis, quando res est immobilis, & datur dominium vtile vt minimum ad decennium, aut ad vitam vnius. Si vsus tantùm, vel id fit gratis, ita vt satisfaciat qui accepit restituendo rem secundùm substantiam, & dicitur Commodatio; vel pro vsu alterius rei, quæ est Permutata commodatio; vel pro pretio, estque Locatio & Conductio.

*Venditio. Emptio.* *Cambium.* *Mutuum.* *Emphyteusis.* *Commodatio.* *Locatio. Conductio.*

*Obligatio triplex.* Obligatio alia naturalis tantùm, quæ vera quidem est, & cui Ius ciuile non resistit, sed neque assistit concedendo actionem; alia ciuilis tantùm, ex qua datur actio in foro externo, cùm tamen actori non competat Ius in foro conscientiæ; alia est naturalis & ciuilis simul.

*Contractus diuiditur primò in nominatum & innominatum.* Variæ sunt contractus seu pacti diuisiones: diuidunt enim contractum Primò in nominatum & innominatum. Nominatus est, qui in nomine generalis pactionis aut contractus non stat, sed transit in proprium & specificum nomen contractus. L. Iuris gentium, ff. De pactis. Contractus innominatus est, qui proprio ac specifico nomine caret.

Dico, *specifico*; permutatio enim erit contractus innominatus, quòd hoc nomen generale sit.

*Quatuor species contractus innominati.* Quatuor contractus innominati sunt species, Do vt des, Do vt facias, Facio vt des, & Facio vt facias. L. Naturalis, ff. De præscriptis verbis; vbi benè monet Molina, sub affirmatione comprehendi negationem: si enim dem vt desistas à lite, do vt facias. Per stipulationem innominatus contractus transit in contractum nominatum, & obligatio naturalis in ciuilem.

*Secundò diuiditur in bonæ fidei, & stricti iuris.* Secundò diuiditur contractus in bonæ fidei, & stricti iuris. Bonæ fidei contractus est, in quo propter eius necessitatem & communem vsum ad humanum conuictum Iudici permittitur, ex æquo & bono statuere etiam illud quod inter partes expressum non fuit, sed suppositа bona fide inesse censetur; tales sunt emptio, locatio, & similes. Stricti iuris contractus est, in quo iudex ad verba astringitur, vt fit in stipulationibus. Vide Couarruuiam in Regulam Possessor, parte 2. §. 6.

*Tertiò, in oneroſum & lucratiuum.* Diuiditur etiam contractus in oneroſum, qualis est venditio, emptio, locatio, &c. & lucratiuum, qualis est commodatio.

*Quartò, in nudum & vestitum.* Denique diuiditur pactum in nudum & vestitum, de quo alibi diximus. Pactum nudum non parit obligationem in foro externo, tribuit tamen exceptionem, L. Iuris gentium, ff. De pactis. Impedit soluti repetitionem, tribuit ius compensandi in conscientia, & retinendi pignus. denique si accesserit fideiussor, efficaciter obligat.

*Quintò, in proprium, improprium, & magis improprium.* Diuidunt etiam contractum, vt alius sit proprius, qui suprà definitus, quando vltrò citroque est obligatio: alius improprius, quando ex vna tantùm parte, vt in donatione, vbi donans obligatur ad tradendum; alius magis improprius, quando ex neutra, vt in transactione verbi gratia si conuentum sit ita seruari, donec vni aut alteri parti aliter visum fuerit. Videri potest Læsius 2. parte cap. 26.

Alij monent, quatuor modis contractum iniri, re, verbis, litteris, & consensu. Re, vt in mutuo; verbis, in stipulatione; litteris, per chirographum, quo quis fatetur se recepisse quod non recepit; consensu, vt fit in societate. Angelus verbo Obligatio, §. 3.

## DVBIVM II.

### *Qui possunt contrahere?*

*Pubertati proximi quomodo contrahere possint.*

HVc pertinentia quædam diximus quando De donatione; hîc addo, impuberem pubertati proximum, id est masculum decem cum medio, & feminam nouem, cum medio annorum, in suum quidem commodum posse validè contrahere, non tamen in suum incommodum, nisi cum tutoris consensu. Obligabitur ergo ciuiliter tunc demum, quando ex contractu factus fuerit ditior. Sanches De Matrimonio lib. 6. disp. 38. numero 7. Ratio est, Quia minoribus ætas in damnis subuenit, in prosperè gestis obesse in aliquo non consueuit, L. Non eo minùs, C. De procuratoribus.

Probabile tamen est, impuberem pubertati proximum & alium quemuis minorem & pupillum naturaliter obligari, etiam in suum incommodum, quando res quam alienant talis est, vt interuenire non debeat Iudicis, sed tantùm tutoris auctoritas, quamuis etiam tunc gaudeant beneficio restitutionis in integrum, nam & illo gaudent, quando auctoritate curatoris contraxerint, si modò læsi sint, L. 2. C. Si tutor interuenerit. Semper autem censentur læsi, quando ex contractu nulla eis potest esse vtilitas, sed damnum.

Si pubes minor iuret se seruaturum contractum, etiam sine consensu curatoris initum, tenetur ex eo, etiamsi onerosus sit ciuiliter: imò nec habet restitutionem in integrũ, quamuis lædatur, quia iuramentum supplet ætatem. Quod extende, siue iuramentum in ipso contractu, siue antè siue pòst apponatur, siue per se siue per procuratorem cum speciali mandato minor iuret: quod etiam ad alienationem immobilium extendit Sanches suprà numero 13. vbi addit numero 16. non habere hanc vim iuramentum præstitum à proximo pubertati, excepta causa matrimoniali.

Hinc infertur, Quando quis contraxit cum minore, in casu quo minor obligatur naturaliter, non teneri in conscientia restituere minori quod ab eo accepit, donec minor, si læsus fuerit, vtatur beneficio restitutionis, & Iudex per sententiam cogat: neque aliter poterit minor occultè, quod dedit, recuperare aut compensare; imò ius compensandi occultè competet ei qui cum pupillo contraxit, ad illud enim sufficit obligatio naturalis.

## DVBIVM III.

### *Quomodo Contractus irriti sint, aut obnoxij restitutioni in integrum?*

DIXIMVS quomodo ratione personarum contrahentium contractus vitientur, hîc aliæ causæ & modi proferendi sunt. Ratione rerum de quibus sunt, vitiantur, quia de quibusdam contrahere Lege vetitum est: & Lege quidem naturæ euanescunt stipulationes de re impossibili, vt verbi gratia ne factum sit quod factum est, vt iuri sanguinis quis renuntiet. L. Ius agnationis, ff. De pactis. Lege autem positiua contractus qui lædunt Ius publicum, vt quòd vectigalia non soluantur, & alia multa quæ videre licet apud Siluestrum verbo Pactum, & Lælium suprà numero 11.

Inualidi etiam sunt ab initio contractus qui non fuerunt satis liberè initi, obligatio enim in contractibus est necessitas quædam orta ex libertate. Quia tamen non quiuis defectus libertatis continuò inualidat contractum, quædam hîc examinanda sunt.

Primum, Quomodo error inualidet contractum. *Error quomodo irritet contractum.*

Sanè quando est circa rei substantiam, semper irritat; si autem fuerit circa aliquid aliud, verbi gratia qualitatem, pretium, &c. & dolus non dederit causam contractui, contractus est validus, vt si in valore rei emptor decipiatur, etiam vltra iusti pretij dimidium, hactenus erit contractus validus, quòd saltem inuito emptore qui fuerit à venditore circumuentus, non poterit rescindi, sed ad æqualitatem debebit reduci. Quando autem dolus dat causam contractui, cuius conscia sit pars cum qua contrahitur, secundùm Ius naturæ est in arbitrio decepti rescindere contractum, nisi natura sua sit insolubilis, qualis est matrimonij: tunc enim omnino manet validus, aliàs semper Iure positiuo doli exceptione potest elidi.

Verùm dubites, An ante sententiam deceptor teneatur implere, si deceptus velit?

Respondeo, Si sit contractus stricti Iuris, teneri; si sit bonæ fidei contractus, quia is secundùm probabilem sententiam Iure positiuo absolutè propter dolum est irritus, probabile est non teneri. Verius tamen videtur, neque contractum bonæ fidei ita Iure esse irritum, quin remaneat in deceptore, etiam semoto omni damno alterius contrahentis, obligatio saltem naturalis implendi, si deceptus velit.

Si autem is cum quo contrahis non sit particeps doli, verius existimo, talem contractum esse validum: si tamen fuerit gratuitus, poterit in irritum reuocari arbitrio læsi, vt si per dolum Petri dones Paulo, aut voueas aliquid Deo. Imò verius existimo, etiam in onerosis deceptum in conscientia liberum fore, si res adhuc sit integra, vbi errorem agnouerit, donec per Iudicem compellatur.

Quando autem res non est integra, Iura concedunt læso rescissionem, si pars altera fuerit conscia vitij, aliàs solùm actionem quanti minoris: quamuis manendo in Iure naturæ semper videatur posse rescindi.

Secundò videndum, Quomodo metus irritet contractum. *Quomodo metus irritet.*

Vbi ea sententia videtur probabilior, quæ dicit, contractum verè factum ex metu ad hoc per iniuriam ab eo cum quo contrahitur incusso, ex Iure naturæ hactenus semper esse irritum, vt læsus non teneatur ei stare, nisi de nouo expressè aut tacitè consentiat. Verùm de hoc pluribus egimus 1. 2. q. 6. art. 6. neq; sanè multùm refert ipsa dissentiunt, qui dicunt, esse quidem validum, sed pendere ab arbitrio læsi, vtrùm velit eum reuocare, an non: si enim ab arbitrio eius pendet vt possit reuocare sine vlla Iudicis sententia, verè non obligatur. Hactenus tamen Iure naturæ poterit dici non esse omnino irritus, quòd pars quæ incussit metum teneatur, nisi pars læsa remittat, alioqui ex parte læsi vt oriatur obligatio, potiùs dicendum est requiri nouum consensum, quàm requiratur rescissio ne oriatur obligatio; & ex parte altera quæ metum incussit contrà accidit, vt maneat obligatio, nisi partis læsæ interceserit remissio.



At Quæres, Quid hîc irritat contractum, defectus voluntarij, an iniuria? Non enim videtur ille irritare; quia si metus aliunde aut iustè incutiatur, æquè reddit actum inuoluntarium, non tamen irritat contractum. Non videtur etiam irritare iniuria; quia etiam quando dolus interuenit circa rei valorem, fit iniuria, tamen, vt diximus, non irritatur contractus.

Respondeo, Vtrumque debere concurrere, sed immediatè concurrere defectum voluntarij, mediante autem illo iniuriam. Quando enim per iniuriam metu adigor, non solùm physicè, sed etiam moraliter sum inuoluntarius, & quod ibi est admixtum voluntarij, eliditur tamquam totum ab illo positum cum quo contrahitur, quasi & illud voluntarium quod in me est, non tam meum sit, quàm eius qui me metu adigit, itaque moraliter consensus meus omnino deest: secùs quando vel iustè vel ex alia causa extrinseca in me oritur metus ex quo contraho; voluntarium enim illud quod tunc est in me quando ex metu volo, meum est, neque potest similiter transferri ad alterum metum inferentem: etiamsi enim metum ad hoc incutiat vt contraham, causam tamen dedi priori voluntate mea & culpa, vt sic adigi possim. At quare non similiter dolus, per iniuriam interueniens irritum facit contractum? Ideò quòd metus, de quo agimus, cum iniuria ad contrahendum à parte incussus, simpliciter faciat actum secundùm substantiam moraliter inuoluntarium; dolus autem, qui non omnino irritat, non facit secundùm substantiam inuoluntarium, sed tantùm in excessu pretij, vel simili modo.

*Restitutio in integrũ.*

Tertiò videndum de restitutione in integrum, cui aliquando contractus sunt obnoxij. Restitutio in integrum est prioris status vel iuris redintegratio, vt dicit Siluester verbo Restitutio, initio; & locum habet, quando contractus fuit quidem ratus mero Iure, & secundùm communem Iuris formam, sed ex fauore læsi in irritum reuocatur auctoritate Iudicis. Sic minor restituitur in contractu inito ante vigesimum quintum annum expletum, modò primo quadriennio inde computando, id est ante vigesimum nonum impletum, petierit, nisi fortè maior factus contractum approbauerit, in quo priùs læsus fuit. Si tamen contractus quem ratificat iam maior factus, Iure ab initio non fuerit ratus, excidit quidem beneficio restitutionis, sed habet aliud Iuris remedium, L. 1. C. Si maior factus alienationem, &c.

Caret etiam beneficio restitutionis minor, si contractum, in quo læsus est, iuramento confirmauerit, Authentica Sacramenta puberum, C. Si aduersus venditionem.

Restituitur etiam Ecclesia, non tamen singulæ personæ Ecclesiasticæ in priuatis contractibus.

Item Respublica alicuius oppidi, supremus Princeps, Vniuersitas studiorum; rudes, vt rustici & mulieres. Fructus etiam veniunt in hac restitutione, si non solùm in re, sed etiam in illis minor læsus fuerit.

## CAPVT II.

### *De Emptione & Venditione.*

QVATVOR ferè radices fraudis sunt in hoc contractu, vt rectè Toletus De peccatis mortalibus cap. 47. Prima est in pretio, secunda in merce, tertia in modo vendendi creditò aut parata pecunia, quarta in pacto retrouendendi.

## DVBIVM I.

### *Quódnam censeri debeat iustum rei pretium?*

IN rerum venalium æstimando pretio non tam physica rei præstantia quàm vtilitas ad vitam & vsum hominum consideranda. Erit etiam habenda ratio multitudinis aut paucitatis tam rerum quàm emptorum; denique ordinarij laboris, periculi in negotiatione subeundi, impensæ, curæ, industriæ. Standum autem est in hac æstimatione iudicio Magistratus, quando is pretium statuere voluerit, quod legitimum (quasi lege positum) dicere solemus: standum inquam, tum quia minùs corruptum est Magistratus hîc iudicium, tum etiam quia prudentius, vtpote qui accuratiùs perspectas habeat hîc considerandas circumstantias. *Pretium legitimũ.*

Aliud tamen est iustum pretium vulgare, quod æstimatur iudicio intelligentium mercatorum & aliorum. *Vulgare.*

Differunt hæc pretia, quòd legitimum consistat in indiuisibili, vulgare latitudinem suam habeat; vnde quoddam dicitur infimum, aliud medium, aliud summum: quæ varietas prouenit ex circumstantiarum varietate & incertitudine, à quibus pretium vulgare magis pendet quàm legitimum: in legitimo enim ex incertitudine æstimata aliquid certi præfigitur, quasi ex auctoritate, in vulgari autem æstimatio non tam certò præfixa est quàm mobilitati affixa, præsertim cùm & ipsi æstimatores ita varij sint, vt non facilè conspirent in quantitatem Mathematicè eamdem. Vnde & aliud discrimen sequitur, quòd legitimum stabilius sit, neque tam facilè mutetur. *Quomodo hæc duo inter se differant.*

Si obieceris, Iustitiam quæ in commutationibus est, habere medium rei, adeoque semper iustum pretium in indiuisibili consistere. *Obiect.*

Respondeo, Quando ipsum medium rei metiendum est ex vario concursu circumstantiarum, & varia æstimatione iudicantium, retinere nihilominùs quam diximus latitudinem. *Resp.*

Quæres, Vtrùm sequi oporteat Magistratus æstimationem, quando euidens fuerit propter circumstantias iam mutatas, pretium legitimum quod priùs erat iustum, nunc esse iniustum?

Respondeo, Nisi omnino euidens id fuerit, non licere recedere à iudicio Magistratus, pro quo in dubio semper præsumitur: secùs si manifesta sit iniquitas, ex errore, odio, aut fauore proueniens; tunc enim liceret relicto pretio legitimo, sequi vulgare. Ita Medina De restitut. quæst. 31. contingit etiam interdum legitimum, quamuis taxatum, vt ferè solet in fauorem emptorum, excedere, & vulgari maius esse; quo

euentu verius est non licere venditori ascendere vsque ad legitimum, nisi fortè contineatur intra latitudinem summi pretij vulgaris. Magistratus enim eo ipso quo pretium præfixit in fauorem ementium, non censetur sua auctoritate venditoribus potestatem facere cariùs vendendi, quàm alioqui sine lege pretij licuisset; sed censetur potiùs modum ponere ne saltem excedant legitimam æstimationem, reliquum relinquendo in Iure naturæ. Si in gratiam venditoris pretium lege statutum sit, vt sit in reditibus qui ex paupertate ferè solent vendi, non licebit emptori infra illud pretium soluere, etiamsi necessitate compulsus venditor velit.

Quæres iterùm, Quid agendum, quando res neque legitimum neque vulgare habet pretium?

Respondeo, Non esse tunc illud omnino in arbitrio venditoris, cùm in proprijs caussis etiam prudentiores cæcutire soleant; sed standum iudicio alicuius intelligentis æstimatoris, aut plurium, si haberi possint. Confirmatur L. Pretia, ff. Ad Legem Falcidiam, qua dicitur, pretia rerum non ex affectu aut vtilitate singulorum, sed communiter æstimanda esse.

Dices, Fieri potest vt nemo æstimator ad manum sit, & gemma quæ venditur, ignoti sit pretij, vulgoque fortè non æstimetur vno floreno, quæ centum valeat.

Respondeo, Vulgare pretium huius gemmæ non à vulgo simpliciter, sed à vulgo gemmariorum æstimandum esse, adeoque tanti posse vendi, quanti æstimaret gemmarius: imperitum enim vulgus errorem hîc habet manifestum, qui ne quidem in Magistratu sequendus esset, vt suprà diximus.

Dices, Tanti res valet quanti vendi potest, L. Si vxori, §. 22. ff. De furtis.

Respondeo, Sensum esse, tanti valere quanti vendi potest sine fraude, vi & dolo, ita vt emptor sit voluntarius.

Dices iterùm: Videtur quisque rem suam posse æstimare, quia vt dicitur L. In re mandata, C. Mandati, *quisque rei suæ est moderator atque arbiter.*

Respondeo; Moderator quisque est rei suæ, vt de illa disponat vt lubet, adeoque potest statuere num vendere velit: sed non potest pro arbitrio statuere pretium si vendat; hoc enim esset etiam in alieno pretio nimium arbitrari. Lex ergo aut commune iudicium hîc se medium ponet, suoq; arbitrio æqualitatem vtrimque seruabit, vt quod pro communi vtilitate introductum est, vnum non grauet præ alio.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm liceat rem vendere pluris quàm valeat, aut emere minoris?*

*Pretium Lege taxatum seruãdum.*

DICO PRIMO. Quando pretium Lege taxatum est, tam venditor quàm emptor ad illud obligantur. Quod tamen intellige, si taxatum sit hoc sensu, vt illud solum sit iustum: si enim solùm hoc sensu, vt supra illud sit iniustum, peccabit quidem vendens vltra, sed non peccabit emens citra, modò intra terminos iusti pretij vulgaris. Si autem hoc sensu, vt citra illud sit iniustum, peccabit emens citra, non autem vendens vltra. Ratio huius est, Quia primo modo taxatum est vtrique, secundo solùm venditori, tertio solùm emptori. Itaque formaliter verum est, quatenus taxatum, esse necessariò seruandum, modò aliàs æstimatio Legis non sit manifestè iniqua, vt suprà diximus.

At quærunt, Cuius loci legitimum pretium obliget, an vbi contractus fit, an vbi traditio? verbi gratia vendo Louanij modium tritici, vbi pretium legitimum est octo florenorum, tradendum Antuerpiæ, vbi præfixum est pretium decem florenorum, vtrùm Louanij non possim vendere decem, si meo sumptu sim Antuerpiæ traditurus.

Respondeo, Posse, si triticum interim in tuo dominio maneat; secùs si Louanij transferas dominium, tunc enim potes solùm vendere octo: si tamen vectura valeat duos, eamque in te suscipias, illos poteris adijcere, vt iam decem recipias, accedente (saltem virtute) secundo contractu locationis operarum. Rursum, si eras triticum Antuerpiam translaturus, poteris Louanij vendere pretio Antuerpiensi, deductis vectura & periculo, quæ in se suscipit emptor.

*Pretio Lege non taxato, vulgari astringuntur.*

DICO SECVNDO. Vbi non est legitimum pretium, tam venditori quàm emptori standum est intra latitudinem iusti vulgaris: aliàs iste excedendo notabiliter, & hic deficiendo, peccant mortaliter cum obligatione restituendi. Est communis Theologorum. Iureconsulti tamen quidam senserunt, neque peccari, neque incurri obligationem restitutionis, quando venditor non decipit vltra, aut emptor citra dimidium iusti pretij; & Ioannes Gerson quamuis peccari aliàs fateatur, negat tamen oriri obligationem restituendi. Ita Alphabeto 24. De auaritia, prope finem.

Verùm illi errarunt confundendo forum externus rescindens contractum, cum foro interiori inducente peccatum & obligationem restituendi; Gerson autem separando quæ separari non debebant, peccatum mortale iniustitiæ ponens inæqualitatem & obligationem reducendi æqualitatem.

Itaque hac de re sic statuendum est, in foro quidem exteriori tum demum rescindi emptionem petente id venditore læso, quando pretium fuerit minus dimidio iusti, & emptor in cuius hoc arbitrio relinquitur, supplere noluerit, aut petente emptore læso, quando supra iustum pretium fuerit solutum plus quàm dimidium eius, nisi venditor maluerit descendere vsque ad iustum, vt docet Siluester verbo Emptio, q. 8. & ita pro venditore statuitur L. Rem maioris, C. De rescindenda venditione, & cap. Cùm dilecti, & cap. Cùm caussa, De emptione. Si autem dimidium iusti pretij aut amplius venditor acceperit, non potest rescindere contractum, etiamsi duplum eius quod accepit, aut etiam iusti pretij, restituere velit; L. Non est probabilis, C. De rescindenda venditione. Quando autem censeatur fieri deceptio vltra aut citra dimidium iusti pretij, benè explicat Glossa in dictum cap. Cùm caussa: statuendum enim est pretium summum vulgare, quod verbi gratia sit decem; si emeris quindecim, es deceptus in medio iusti pretij, non tamen vltra, itaque non peres rescissionem, nisi dederis plus quàm quindecim, verbi gratia, quindecim cum dimidio, vel sedecim. Si quod valet infimo



mo pretio vulgiri decem, vendideris quatuor, es deceptus citra dimidium iusti pretij; secùs si quinq; acceperis. Ita ferè Glossæ, & communem interpretationem accepit ex Couarruuia lib. 2. Variarum resolut. cap. 3. Molina disp. 349. qui etiam monet, quod alioqui satis obuium, respiciendum esse ad pretium iustum quod fuerit tempore contractus.

Verùm quamuis forum exterius non corrigat venditionem, nisi excedat iustum pretium in dimidio eius; & emptionem nisi minus datum sit quàm dimidium iusti pretij, forum tamen conscientiæ semper eum peccati damnat & rest tutionis, qui notabiliter pluris vendiderit aut emerit minoris iusto pretio secundùm totam suam latitudinem considerato, ita vt liber sit venditor, si summo vendiderit, & emptor si infimo emerit. Ratio est; Quia in foro conscientiæ omnis inæqualitas iniusta reparanda est, in foro autem externo multa impunè permittuntur, quæ alioqui punienda essent, ne sint lites nimis frequentes: in quibus & istud fuerit, vt in venditione deceptus non vltra dimidium, actionem non habeat. Ita ex communi sententia Scotus dist. 15. q. 2. art. 2. Sanè hoc videtur voluisse D. Augustinus quando lib. 3. De Trinitate, cap. 3. in vino posuit quod Mimus quidam cum plausu dixerat, omnes velle vili emere, & caro vendere.

*Obiect.1.* Objiciunt, L. Item si pretio, §. vlt. ff. Locati, in emendo & vendendo naturaliter concessum est quod pluris sit minoris emere, quod minoris sit pluris vendere, & ita inuicem se circumscribere.

*Resp.* Respondeo, Circumscriptionem illam Iure gentium adeoque naturaliter licere intra latitudinem iusti pretij, & hoc Legem voluisse. Ita Couarruuias suprà, numero 2. Alij respondent, Legem intelligendam de deceptione intra medium iusti pretij, & concessum volunt in foro externo, idque naturaliter, quòd naturalis ratio dicteat eiusmodi concessione vitandas esse lites. Secundùm rationem ergo naturalem in foro externo significatur permitti, quod coram Deo & secundùm eamdem rationem naturalem non licet. Ita Glossa in cap. Cùm dilecti, De emptione; D. Thomas q. 77. art. 1. ad 1. & Quodlibeto 2. art. 10. idemque habet Summarium istius §.

*Obiect.2.* Objicies Secundò, Etiam Ius Canonicum, cuius est conscientiis consulere, videri probare omnem deceptionem intra medium iusti pretij, dicto cap. Cùm dilecti.

*Resp.* Respondeo, Non probare nisi quoad vsum fori exterioris, vt hinc liqueat naturaliter esse permissum; alioqui Ecclesia etiam dum plus offerenti rem suam vendit, & emptor offert supra valorem, non admittit excessum illum pretij iusti, vt docet Glossa in cap. Ea enim, verbo Vt plus 10. q. 2. & probat ex cap. Per tuas, De donationibus, vbi dicitur, quòd Ecclesia in actibus suis fraudem non debet aliquam adhibere.

Verùm non abs re disputat Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. numero 17. cùm vendens intra latitudinem iusti pretij sit tutus in conscientia, neque teneatur restituere, vtrùm qui medio pretio vendit, possit sine onere restitutionis fallendo in mensura aut alia occulta fraude tantum adimere emptori, quantum abest à pretio summo? Cùm enim posset tanti vendere sine iniustitia, non videtur iniustitiam admittere, quando vsurpat sibi illius quantitatis pretium.

Respondeo, Indubiè talem teneri restituere, non enim habet iustum titulum ex vendito ad excessum illum pretij summi supra medium.

*Casus quando non astringuntur ad legitimum neque vnigare.*

DICO TERTIO. Sunt tamen aliqui casus, quibus cessante legitimo non astringuntur vendentes & ementes ad pretium vulgare. Primus est in subhastationibus & auctionibus publicis. Ita Caietanus, Toletus, & alij. Potestas enim publica tacita quadam Lege censetur illud pro iusto pretio illius extraordinarij fori æstimare, quod in publico emptorum concursu tamquam examine quodam probatum fuerit. Quod extendo etiam ad casum, quo ex contentione licitatorum res duplo veneat quàm valeat: hoc enim fortunæ venditoris relinquendum æquitas postulat, cùm in multis aliis infra iustum pretium vendere contingat. Ita Nauarra suprà numero 37. Non est tamen improbabile, ei qui in subhastatione fuerit grauatus plus quàm in dimidio pretij iusti, deberi restitutionem, eò quòd Magistratus huc vsque non permittat contrahentes se inuicem circumuenire. & hoc tenet Lopez 2. parte cap. 63.

Secundus casus est, Quando venditor damnum aliquod subit ratione venditionis, aut à lucro desistit, puta quia venditurus alibi vbi res carior est, & emptor eum rogat vt hîc vendat; tunc enim non solam rem vendit, sed aliquid adijcit pro sua indemnitate. Si verò venditor damnum non sentiat, etiamsi pro venditione sollicitetur, & emptor multum lucri consequatur ex re empta, non augebit propterea pretium, aliàs venderet rem non suam: commodum enim illud non est in fortunis venditoris sed emptoris. Siluester verbo Emptio q. 6. Non liceret etiam venditori propter interesse suum augere pretium, nisi monito de hoc emptore, qui fortè si istud intelligeret, quod nunc rogat, ne rogatus quidem emere vellet cum tanto suo grauamine. Deinde hoc natura contractus duplicis, quem diximus subesse, requirit; neque enim vnus (regulariter) inest alteri, vt tacitè comprehensus videri queat.

Verùm meritò quis dubitet, Vtrùm venditor tamquam interesse suum æstimare possit, quòd res sibi valdè chara sit, puta quia annulus est quem seruat in memoriam patris à quo accepit, adeò vt eum duplo pluris æstimet quàm valeat, vtrùm liceat tanti vendere.

Verius existimo, Non licere: tale enim interesse integrum computari non potest, quod ex iustitia non deberet restituere qui rem furto sustulisset.

Dico, *integrum*; quia aliquid ratione eius potest exigi: facit enim hoc interesse, vt hæc res individua non sit venalis; eam ergo venalem exhibendo in gratiam alterius, meritò videbitur aliquid pretio æstimabile supra rem ipsam præstitisse.

Quæri & hoc potest, Vtrùm quando venditor rem venalem offert, possit nihilominùs stipulari interesse suum?

Respondeo, Non posse, nisi offerat in gratiam emptoris; tunc enim virtute emptor censetur petere, quia ipsius, non venditoris necessitas venditionem postulat. Ita Petrus Nauarra suprà numero 23.

Tertius

Tertius casus est, Quando ex conspiratione venditorum aut emptorum pretium vulgare est maius aut minus iusto; hoc enim solùm est se ab iniuria tutari.

Quartus, Quando venditor offert & rogat emptorem, & vile admodum est illi vendere, non autem huic emere, potest emere minoris quàm res in se valeat. Idem Siluester quæst.7. Rationem assignat Petrus Nauarra num. 31. quòd in manibus offerentis res minoris valeat & quodammodò vilescat.

Quintus, Quando tempore solutionis certò scitur res pluris valitura, poterit eo respectu pluris vendi quàm nunc valeat, vt docet Angelus verbo Emptio, num.7. & patet ex cap. In ciuitate, De vsuris. Vbi tamen deducendum erit onus & periculum rem tam diu conseruandi, quod subisset venditor.

Sextus, Quando expensæ factæ in re procuranda non sunt æstimatæ in vulgari pretio; illæ enim æstimari poterunt, si aliter merces in Republica procurari non possint. Verùm hoc potiùs est augeri vulgare pretium, quàm supra illud rem distrahi. Aliàs regulariter ratione expensarum non potest res pluris vendi, nisi fuerit ita exotica, vt neque legitimum neque vulgare pretium habeat: vel enim expensæ sunt ordinariæ, quarum non est habenda ratio, quia comprehenduntur in taxatione pretij communis; vel sunt maiores, quarum similiter non poterit haberi ratio, quia hoc ad prosperam aut aduersam fortunam pertinet mercatorum, quòd expensas subeant ordinarijs minores aut maiores; neque ratione maiorum magis possunt augere pretium, quàm soleat quisquam eorum minuere ratione minorum.

Septimus, Quando præsumitur venditor aut emptor donare quod deficit aut excedit. Ita Ioannes Medina quæst.32. Petrus Nauarra suprà, numer.27. Conradus De contract. tract.3. quæst.57. neque in hoc vlla est difficultas, quin possit in ipso hoc contractu admisceri donatio eius qui aliàs donare potest.

Sed difficultas est, quæ regula statui possit, vnde colligatur contrahens hoc liberè voluisse donare?

Sanè non præsumetur donare emptor, quando ex imprudentia & animi leuitate maius iusto pretium offert, vt benè Siluester & Angelus ex mente Scoti. Item non præsumitur donare, quando ex ignorantia valoris auxit pretium, sicuti nec quando ex magna necessitate cogitur quocumque pretio rem sibi comparare. An verò præsumatur excessum pretij donare, qui probè sciens rem non nisi decem valere, emit eam duodecim, ex inordinata ad eam affectione, disputat Medina. Dicendum est, eo ipso non posse præsumi donare; si tamen aliunde constet voluisse donare, non impedietur per hoc venditor acceptare, quamuis id videatur velle Conradus. Cæterùm non facilè præsumitur donare, qui in hoc contractu plus dat vel minus accipit, nisi coniunctio inter contrahentes, aut alia ratio subsit.

Octauus, Quando vterque contrahentium verum ignorat pretium: qui enim ex tali ignorantia plus acceperit, non peccabit, tenetur tamen restituere vbi errorem intellexerit, nisi legitimo tempore bona fide altera parte iam erroris conscia & dissimulante præscripserit. Medina suprà.

Nonus est, Quando quid emitur extra ordinem ab eo qui mercatum talis rei non exercet: ratione enim officij mercandi paulò pluris vendere licet, vt docet post Medinam Petrus Nauarra; quia in pretij æstimatione inter reliquas circumstantias etiam eius habetur ratio, quòd oporteat mercatores inde viuere. Nota tamen, si multùm rogetur qui ex officio non vendit, hanc circumstantiam posse compensare illam alteram, vt meritò tam carè vendat ac mercator. Imò si vendiderit eo pretio quo solent mercatores, etiam non rogatus, non tenetur restituere: pretium enim iustum est, neque tenetur magis aliquid minuere ea ratione quòd mercator non sit, quàm ratione minoris impensæ quam fortè infra ordinariam in re procuranda subierit: itaque habemus casum quo venditori liceat quodammodò ascendere vltra summam iusti pretij, & emptori descendere etiam infra infimum.

Dubitabit quispiam, Vtrùm peregrino emptori liceat plus vendere quàm ciui?

Respondeo, Regulariter id non licere, per cap. 1. De emptione; & ne fiat, coget Episcopus, quia versatur pia causa. Panormitanus in dictum cap. atque in eo nonnulla ex parte situm fortè erat peccatum eorum mercatorum, quos Dominus eiecit è templo. Si tamen Lege constitutum sit, vt ciuibus res non vendatur nisi tanti, licebit pluris vendere peregrino intra latitudinem iusti pretij. Matth.21. Marc.11. Luc.19.

Alia quæstio, Vtrùm licitè pluris vendantur merces illis qui minutim emunt, quàm si emerent magna quantitate?

Respondeo; Ijs qui minutim emunt, vulgari pretio vendendæ sunt; illis autem qui maiori quantitate, meritò nonnihil de communi pretio minuitur, quia in communi pretio etiam æstimatus est labor subeundus in distractione, qui valdè minuitur, quando vna & eadem opera multæ merces præsenti pecunia simul commutantur: si enim creditò vendantur, commune pretium meritò poterit exigi, præcipuè quando molestia quæ probabiliter subeunda erit in prosequenda solutione, conferri queat cum molestia minutim vendendi qua venditor liberatur.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm tenearis minoris vendere, si noueris similium rerum breuì adfore magnam copiam, adeoq; pretium minuendum?*

DISPVTAVIT istud Cicero lib.3. Offic. & in partem resoluit affirmantem, quod nonnulli etiam ex Theologis secuti sunt, vt Ioannes Medina C. De restitut. quæst.35. & Conradus q.62. qui refert Secundam quamdam opinionem, quæ distinguendo respondet, vt tenearis minoris vendere, quando tu quidem agis vt lucreris, emptor verò vt damnum vitet; non tenearis autem quando vel ambo agitis de damno vitando, vel lucro quærendo, vel tu de damno vitando, emptor de lucro quærendo. Ex qua sententia habemus, aliquid peculiaris subesse rationis, quare liceat pecuniam, cuius paulò pòst noueris pretium minuendum, exponere pretio currenti; tunc enim exponens ferè agit de damno vitando. *Prima sententia.* *Secunda sententia.*

Tertia opinio absolutè concedit vendere pretio currenti; quæ non solùm communior est, sed grauiorum auctorum, D. Thomæ quæst.77. art.3. ad 4. Siluestri verbo Emptio, quæst.15. Gabrielis in 4. dist.15. quæst.10. art.3. dub.3. Soto lib.6. quæst.3. art.2. Couarruuiæ in Regulam Peccatum, 2. parte, §.4 numero 6. & aliorum. Hæc sententia omnino verior est; pretia enim rerum, vt suprà ex Iure probauimus, non sunt affectu & iudicio singulorum, sed communi iudicio adeoque scientia æstimanda: iudicium enim & scientia debent esse proportionata, vt docet D. Thomas quæst.67. art.2. itaque quod pendet ex iudicio publico, non priuato, etiam ex scientia publica, non priuata pendebit. Ad hæc, si ob præscitam vilitatem non liceat communi pretio mihi vendere, neque licebit ob præscitam annonæ caritatem communi pretio triticum emere; atque ita, vt benè Molina disp.254. peccauerit Ioseph, saluando sic Ægyptum, quod mirum est Ioannem Medinam sibi non opposuisse, quando docuit eum qui diuina reuelatione sciret futuram pretij diminutionem per fertilitatem, non posse pretio communi vendere. Denique aliàs neque liber à restitutione erit, qui ignarus breuì futuræ copiæ, siue per cæli clementiam, siue per mercatorum frequentiam, præsenti pretio vendiderit: neque enim ignorantia à restitutione, sed à culpa solùm liberat, vt suprà diximus. Addit Gabriel, futura contingentia pro sui incertitudine facilè posse impediri, ideoque venditorem non vsque adeò certum esse, vtrùm superuenient merces quas putat superuenturas. *Tertia sententia verior.*

*Obiect.* 1. Obijcitur tamen hîc Primò, Non minùs videri ad vitium rei pertinere hanc mox futuram copiam, quàm si alio occulto vitio paulò pòst afficienda esset quo nunc non laborat; itaque videri etiam illud debere venditorem emptori indicare, aut sanè pretium minuere.

2. Secundò, Etiamsi commune iudicium in pretio sequi oporteat, non tamen sequi oportet communem errorem.

3. Tertiò, Non videntur emptores liberè consentire in pretij quantitatem, solùm enim consentiunt ex ignorantia: parum autem refert, vtrùm contra verba, an contra mentem fratrem circumuenias; propriè enim ea fraus est, vt patet per L. Fraus, ff. De legibus.

4. Quartò, Fieri potest vt scias emptorem sibi merces istas comparare, vt ijs postea diuenditis lucrum referat quo vitam suam & suorum sustentet, ad quem finem planè inutiles, imò noxiæ ei erunt; itaque tunc saltem vendere non licebit currenti pretio.

5. Quintò, Aliàs sequeretur, quempiam è Magistratu, qui iam sciret legem latam esse de minuendo pretio rei, posse eam magna quantitate distrahere ante promulgationem pretio maiori tunc adhuc communi.

Verùm, quamuis his ferè argumentis Ioannes Medina C. De restitut. quæst.35. motus concesserit in sententiam Conradi, facilem tamen habent solutionem.

*Resp. ad argumenta. Ad 1.* Ad Primum enim respondeo; Illa dispositio intrinseca, ob quam res breuì erit deterior, facit vt verè nunc valor eius intrinsecus sit minor; hæc autem scientia tua non facit vt pretium rei sit minus. Si dicas copiam mox futuram id facere; Contrà est, quòd illa hoc non faciat nisi scientia publica interueniente: pretium enim de quo



quærimus, non est valor rei internus, sed impositus vulgi scientia & æstimatione, secundùm qualitates in quibus res ad hunc perseuerat.

*Ad 2.* Ad Secundum, Error nullus hîc est practicè loquendo, quia non æstimatur res secundùm copiam futuram quæ ignota est, sed secundùm inopiam præsentem & notam.

*Ad 3.* Ad Tertium, Si contra mentem Legis venias, vult Lex illa fraudem committi, etiamsi non facias contra id quod verbis expressum est, Legis enim anima in mente eius est; sed venire contra eiusmodi habitualem mentem contrahentis, fraus non est, modò contractuum Leges tam secundùm verba quàm secundùm mentem Principis seruentur, vt fit quando hîc vendis pretio currenti.

*Ad 4.* Ad Quartum, Tali euentu, nisi & tu simile damnum timeas, ex charitate teneris abstinere ab eiusmodi venditione, non tamen ex iustitia.

*Ad 5.* Ad Quintum respõdeo, Non sequi: qui enim de Magistratu sunt, non possunt scientia quam vt tales habent, vti in detrimentum ciuium sine iniustitia, cùm eorum officium sit bonum ciuium curare & conseruare. Ciuis tamen particularis, qui fortè idem rescierit, id sine iniustitia poterit, quia ei non incumbit cura conciuium, sed potest domui suæ prospicere: vnde illæsa iustitia poterit per hanc scientiam sibi consulere, etiam plus istius mercis distrahendo, quàm erat alioqui venditurus. Peccabit tamen contra iustitiam, si pragmaticam ipse muneribus sollicitauerit, qua nunc ante publicationem contra vtilitatis communis æquam distributionem abutitur in commodum priuatum; similiter si dolo hoc agat, ne de futura pretij mutatione emptor quidquam intelligere possit, argumenta in diuersum proferendo, &c.

Ex dictis patet, Immeritò Conradum inuehi in praxim illam mercatorum, qui diligenter curant per litteras sibi nuntiari aduentantes aliunde merces, quò præsciant mutationem pretij, suasque pro commodo suo vel distrahant vel seruent: vult enim eos peiores esse quàm si scienter iniustitiam solùm committerent, vt qui studiosam dent operam, vt sciant quo iniusti sint. Patet nihilominùs, non solùm abundantioris esse virtutis hæc commoda pro charitate negligere, verùm subinde etiam esse præcepti charitatis, in casu etiam præcepti iustitiæ.

## DVBIVM IV.

### *Liceátne pluris rem diuendere quàm emeris?*
*D. Thomas quæst.77. art.4.*

DVPLEX est commutatio, œconomica & negotiatoria, vt ex Philosopho D. Thomas. Oeconomica est quasi naturalis & necessaria, quando res cum re aut pretio pro vitæ necessitate permutatur. Hanc non licitam solùm, sed laudabilem esse, est euidens, Prouerb. vlt. *Vidit quia bona est negotiatio eius.* Ad hanc etiam pertinet Politica, cuius finis est subleuare publicam necessitatem. Negotiatoria est, quando res cum re aut pretio, aut pretium cum pretio commutatur, vt iterùm in eodem statu commutata lucrum pariat. De hac quæritur, Vtrùm sit licita? *Commutatio œconomica.* *Politica.* *Negotiatoria.*

DICO PRIMO. Negotiatio nonnihil deficit ab honestate, si nudè spectetur: ex se enim solùm seruit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit, adeoque nullo honestatis

nestatis fine continetur. Ita D. Thomas.

*Negotiatio periculosa est.*

DICO SECVNDO. Negotiatio multa habet peccandi pericula. Ecclesiastici 26 *Difficilè exuitur negotians à negligētia.* Græcè, πλημμελείας, id est, delicto, quasi otium negetur ea curandi, quæ conscientia requirit, secūdùm illud Psal.70. *Quoniam non cognoui litteraturam*, aliàs negotiationem, *introibo in potentias Domini*, &c. Vbi diuersitas oritur ex Græca versione Septuaginta: quædam enim exemplaria habent γραμματείας, alia ἐργασίας. Quinimò ex lucri cupiditate blasphemia oritur, mendacium, & periurium, aliaque plu-

1. Tim.6. rima peccata: *Radix enim omnium malorum est cupiditas. Auaro nihil est sceleſtius, qui & animam venalem habet. Et qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Similis locus est Ecclesiastici 27. *Secut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium emptionis & venditionis angustiabitur peccatum.* Quando enim *malum est dicit omnis emptor*, Prouerb. 20. & contrà nititur venditor, facilè inter se colliſi charitatis damna patiuntur.

*Interdicta publicè pœnitentibus.*

DICO TERTIO. Negotiatio publicè pœnitentibus meritò interdici solet. cap. Falsas, cap. finali, cap. Qualitas, De pœnitentia, dist. 5. adiuncta Glossa; quamuis Nauarrus in illud cap. Qualitas, velit solùm esse consilij.

*Item Sacris initiatis & Monachis.*

DICO QVARTO. Negotiatio Clericis Sacris initiatis, & Monachis simpliciter, etiam non initiatis, est interdicta cap. Secundùm, Ne Clerici vel Monachi, vbi additur pœna excommunicationis; cap. Fornicarij, dist. 88. vbi & alia plura huc pertinentia, cap. vltimo, De vita & honestate Clericorum, vbi si ter admoniti à negotiis non desistant, Clerici priuantur immunitate à vectigalibus ex bonis quasi patrimonialibus, donec desistant; ex bonis autem in quibus negotiantur, priuantur sine monitione; ex bonis autem Ecclesiæ ne quidem post monitionem, vt dicit Glossa: retinent etiam priuilegium fori, & Canonis, Si quis suadente.

Confirmatur assertio ex illo Apostoli 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus.* Hæc enim Clericum vilem reddunt, & reuerentiam ei adimunt, cap. Perlatum, dicta dist. 88. Deinde, vt diximus, facilè conscientiam maculant, adeoque non conueniunt

Psal.100. ei de quo dicitur, *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Deinde multùm distrahunt & tollunt otium quod Scriptura commendat,

Psal.45. quando dicit, *Vacate & videte*, &c. Vnde patet, non solùm lucratiuam negotiationem, sed etiam politicam Clerico esse interdictam, quod luculentè docet Conradus Tract. 3. q. 52. concluſ. 4. Secùs de œconomica; debent enim domui suæ ritè præesse, & domesticorum curam gerere cap. Multa, Ne Clerici vel Monachi, ex Concilio Maguntino. *Nec tamen iustum negotium est contradicendum propter necessitates diuersas, quia legimus sanctos Apostolos negotiatos fuisse.* Et in Regula B. Benedicti præcipitur prouideri per quorum manus negotia Monasterij procurentur. Cæterùm quæ ex Medina q. 30. diximus de Clerico in Sacris constituto, alij extendunt etiam ad Beneficiatum, vt Fumus verbo Emptio, numero 27.

Notandum hîc Primò, Posse à mortali excusari Clericum, qui semel aliquid mercatus fuerit reuendendi gratia, quando non multùm negotiationi dederit operam.

Secundò, Non esse prohibitum Clericis materiam emere, ex qua suo artificio aliquid postmodum diuendendum conficiant. Hoc enim non est negotiari propriè; negotiatio enim fit re prorsus immutata, vt patet ex cap. Eiciens, dist. 88. sed solùm est negotiari œconomicè, quomodo etiam Paulus Apostolus est negotiatus, quando vixit ex scenofactoria arte, cap. 1. 21. q. 1. cap. Clericus, dist. 91. Neque tamen possunt lanam emere, ex qua per alios ad hoc conductos pannos, aut vuas ex quibus vinum conficiunt vt reuendant; quia hæc accedunt ad negotiationem. Molina disp. 342.

Tertiò, Esse etiam prohibitam Clericis conductionem rei alienæ, Can. 14. Concilij Arelatensis Secundi, cap. 1. Ne Clerici vel Monachi, cap. Placuit 21. q. 3. Excipe tamen casum quo pauper Ecclesiasticus non posset commodè viuere, nisi conducto agro, eiusque fructus partim consumendo, partim vendendo; cap. Dilecti, De decimis, & ibi Glossa.

Quartò notandum, Clericos qui mercaturam exercent non per se sed per alios, neque pœnam dictam, neque culpam mortalem incurrere. Est tamen etiam hoc eis illicitum, vt docet Molina, quamuis Fumus suprà num. 28. & alij quidam simpliciter hoc eis putent esse licitum. Quod faciliùs probauerim quando id Clericus faceret iusta necessitate compulsus, pro sua & suorum honesta sustentatione.

Quintò notandum, Licere Clerico reuendere etiam cum lucro quod pro suo vsu emerat, si aliqua necessitas vel vtilitas superueniat, aut si fortè sini iam superfluum futurum videat. Ita Praxis Archiepiscopalis Neapolitana in Additionibus cap. 63.

*Quomodo negotiatio licita.*

DICO QVINTO. Negotiatio in se nihil includit ita virtuti contrarium, quin debitis circumstantijs concurrentibus, & potissimùm fine aliquo necessario aut honesto, licita fiat. Ita D. Thomas. Probatur dicto cap. Fornicarij, dist. 88. *Antequam Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari; facto, iam non licet.* Verùm iste Canon desumptus est ex libro Quæstionum Veteris & Noui testamenti, cap. 127. qui non est Augustini, imò ne probati auctoris. Item cap. Quoniam, eadem dist. *Negotiatio me non facit malum, sed iniquitas mea & mendacium meum.*

Dices, Caput illud palea est.

Respondeo, Esse verba Augustini in Psal. 70. ad illud, *Quoniam non cognoui litteraturam.*

Dices, Sunt apud Augustinum non Augustini, sed negotiatorum.

Respondeo, Esse ab Augustino probata, cùm subiungit, *Quando verum dicitur, non est quod contrà dicatur.* Eòdem facit cap. Qualitas, De pœnitentia, dist. 5. & ratio quæ apud Augustinum reperitur, ferè eiusmodi: Mercator bonam operam præstat emptoribus, dum eis merces ex longinquo procurat. Meritò ergo inde viuit; *dignus est enim operarius mercede sua.* Luc. 10. Quare nisi in hoc excedat aut fraudulenter agat, quod vitium ipsius est, non negotiationis, culpabilis non est. Tertull. lib. De idololatria, cap. 11. reiecta negotiatione idolicarum mercium, subiungit: *Nemo contendat posse hoc modo omnibus*



*omnibus negotiationibus controuersiam fieri*; indicans aliquam esse negotiationem de iustitia securam, quod etiam indicauit cap. 5. lib. 1. Ad vxorem.

*Obiect.1.* Psal.70. Contrà tamen obijcitur Primò illud Psal. *Quoniam non cognoui litteraturam*, (aliàs negotiationem,) *introibo in potentias Domini.*

2. Secundò factum Christi, qui ementes & vendentes eiecit è templo, Matth. 21. quasi negotium esset latrocinium, pro eo quod est apud Matthæum: *Vos fecistis eam speluncam latronum*, Ioannes cap. 2. habet: *Nolite eam facere domum negotiationis.*

3. Tertiò, Christiani omnes Deo militant, nemo ergo ipsorum debet se implicare negotijs sæcularibus.

4. Quartò, Cap. Eijciens, suprà citato, apertè dicitur: *Nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, projiciatur de Ecclesia Dei.*

5. Quintò, *Qui amat periculum peribit in illo*, Ecclesiastici 3. Certum autem est secundùm Scripturam ex dictis, multum periculi peccandi esse in negotiatione; & qui fit mercator, certus esse moraliter potest, quòd occasione mercatus aliquando peccabit mortaliter.

6. Sextò, Dominus vult sermonem nostrum esse, *Est, est; Non, non:* hoc non potest esse in mercatu, quia *malum est dicit omnis emptor.*

7. Postremò, Si honesta esset & licita negotiatio, non esset Clericis & pœnitentibus interdicta.

*Resp.ad 1.* Verùm ad singula facilè respondetur.

Ad Primum, Significari quidem, negotiationem à rerum diuinarum consideratione animum auocare, vt suprà diximus; verùm inde non sequitur ipsam esse illicitam, modò nihil operis præcepti omittatur, aut mali admittatur.

*Ad 2.* Ad Secundum respondeo, Argumentum deficere, Primò, Quia multa licent, quæ in loco sacro non licent, in quibus etiam sit negotiatio. Secundò, Quia negotiatio illorum quos Dominus è templo eiecit, erat latrocinium: excedebant enim in pretio, eoque pauperes emptores, sicut solent latrones ex auaritia homines necare, quodammodò deglubebant. Ita ferè Theophylactus. Vel vt Hieronymus in eum locum, vsuram in sua negotiatione admiscebant, & lucra de Religione sectabantur. Quòd verò apud Ioannem mitiùs loquatur Dominus, eò pertinere existimat quidam eruditus, quòd tunc nondum sermone & signis auctoritatem suam stabilierat. Cæterùm quomodo in templo liceat vel non liceat negotiari, tractat latè Conradus q. 51.

*Ad 3.* Ad Tertium, Sicuti aliter militat Deo Sacerdos, qui spiritalis sementis agricola est, quàm commune fidelium vulgus; ita etiam peculiariter oportet eum vacare rebus diuinis: laicus ergo non se implicet, videndo ne à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus huius vitæ suffocetur, & non referat fructum; Clericus autem tamquam agricola primus de fructibus percipiat, id est, in se ipso primò operetur quod docet, vt exponit Oecumenius. Docet autem cœlestia quærere, totus ergo abstineat à quæstu mundano.

*Ad 4.* Ad Quartum, Cap. illud desumptum ex Opere imperfecto, quod Chrysostomo falsò inscriptum, paruæ vel nullius est auctoritatis, vnde etiam meritò inter paleas censetur.

Respondeo secundò, Si aliqua Operis huius sit auctoritas, quod à Paulo IV. solùm damnatum vult Sixtus Senensis prout corruptum exstat; si nonnullam etiam paleæ habeant auctoritatem, vt monet Editio Gregoriana, posse per negotiatorem intelligi, qui vitiis, quæ adhærere solent negotiationi, simul sit deditus. Quæ responsio placuit Medinæ & aliis.

*Ad 5.* Ad Quintum respondeo cum Nauarra ad cap. Qualitas, De pœnitentia, dist. 5. num. 22. Exercitium alicuius officij aut operis, duobus modis habere periculum peccandi adiunctum: Vno, vt moraliter saltem fieri nequeat, singulos actus istius officij aut exercitij perfici sine peccato; Altero, vt quamuis satis certò scias, omnes actus simul non futuros sine peccato, non dubites tamen, imò credas te Dei gratia quēlibet illius actum sine peccato efficere posse. Qui posteriori modo dumtaxat periculosum officium suscipit, quale erit negotiādi, licitè illud suscipit, neq; amat periculum, secùs qui priori. Eòdem recidit quod alij dicunt, eum qui se exponit peccandi periculo obruenti, peccare; non autem eum qui se exponit periculo euenienti aut accidenti. Periculum obruens oritur ex ipsa re, adeoque rei ipsius vitium est; periculum autem eueniens à persona potiùs est, adeoque potiùs ab eius vitio pendet.

*Ad 6.* Ad Sextum, Consilium illud Domini non est præceptum, neque magis tollit mercaturam quàm iuramentum.

*Ad 7.* Ad Septimum, Multa alia in se licita prohibentur Clericis & publicè pœnitentibus; his in cautelam infirmitatis, illis in securitatem auctoritatis.

## DVBIVM V.

***Vtrùm chirographa iustè emantur minoris quàm contineant, & emi possint etiam dimidio pretij, quando difficilis futura videtur solutio, etiamsi emptori ratio in promptu sit eam facilè obtinendi?***

*Quomodo licitat.* DICO PRIMO, Si probabile sit solutionem fore difficilem, ambiguam, & per molestias obtinendam, possint emi minoris, quanto quis redimere meritò vellet huiusmodi difficultatem, incertitudinem, & molestiam. Idem iudicium, si emptori ex solutione paratæ pecuniæ damnum emergat, aut lucrum cesset.

Excipe tamen casum, quo emeret ipse debitor; is enim non potest deducere illa in quibus creditori debet indemnitatem.

Hinc patet, licere actionem litigiosam semper minoris emere, quamuis emptio huiusmodi actionis nonnullam habeat speciem turpitudinis. Fumus verbo Emptio, numero 5.

*Quomodo non liceat.* DICO SECVNDO. Quando nihil horum subest, probabilius est non licere chirographa minoris emere quàm contineant. Ratio est; Quia tunc sola prætexi potest dilatio solutionis, ratione cuius, si liceat minus dare, videbatur mutuator semper posse plus exigere ratione mutui, quia actio eius in mutuatarium, verbi gratia ad centum, minoris valet quàm centum præsenti pecunia. Estque hæc sententia communior: An-

toninus parte 2. tit.1.cap.8.§.12. Angelus verbo Vsura 1. numero 63. Siluester verbo Vsura, 2.q.14. numero 2.

*Obiect. pro sententia Caietani 1.* Contrarium tamen tenet Caietanus eodem verbo, sub finem; quæ sententia probabilis est, & pro ea possunt nobis opponi hæc argumenta.

Primum, Ius recipiendi centum sine difficultate post vnum annum, minus est secundùm rem, humanum vsum, & communem æstimationem, quàm totidem in præsenti pecunia; quia potentia, etiam proxima, minor est actu. Confirmatur L. Minus, ff. De Regulis Iuris.

2. Secundum, Si quod vitium esset in hoc contractu, esset vsura: non est autem vsura, quia illa solùm reperitur in mutuo, hîc autem est mera emptio & venditio; emitur enim ius quod habet creditor, & ipse tradito sibi pretio, cedens chirographo, in nullo manet obligatus emptori, etiamsi casu debitor fiat impotens: non est itaq; mutuum, quia in mutuo manet mutuatarius obligatus.

3. Tertium, Tam iustus est hic contractus quàm emptio reditus personalis: si enim ius recipiendi centum post sedecim annos nunc non possim minoris emere quàm centum, ergo si reditum personalem emam eadem pecunia nummo decimosexto, post sedecim annos inde nihil amplius licebit recipere; quòd enim per partes sortem etiam priùs recipere inceperim, potiùs facit meliorem conditionem meam, quàm deteriorem.

4. Quartum, Obligatio non exigendi pecuniam debitam nisi certo tempore euoluto, est pretio æstimabilis; ergo si à te nunc emam chirographum præsenti pecunia, quo tibi Petrus post annum debet centum, potero nunc deducere aliquid pro onere illius obligationis.

5. Quintum, Fructus nondum maturus venditur meritò minoris quàm maturus; ergo similiter obligatio seu actio quæ nondum matura est.

Verùm ad hæc argumenta respondeti potest.

*Resp. ad 1.* Ad Primum, Rectè dicit Regula Iuris, Minus esse actionem habere quàm rem, quia rei maior est vsus quàm actionis, & ferè qui actionem habet, sine difficultate aut periculo rem debitam non obtinet, aut non obtenturus præsumitur. Ita Lopez 2. parte, cap. 57. Verùm in nostra assertione ista seclusimus, & negamus, solùm intuitu distantiæ secundùm tempus licere actionem minoris emere. Sanè illis incommodis seclusis, actionem faciunt rei parem Iureconsulti, pro quo Bartolum & Baldum citat Molina disp. 361.

*Ad 2.* Ad Secundum respondeo, Fore vsuram, & virtuale quoddam subesse mutuum: das enim nonaginta quinque verbi gratia, vt totidem recipias, & supra sortem alia quinque, quando chirographum continet centum. Ita tenet Molina loco citato. Alij quidam negant esse vsuram, sed dicunt esse iniustam emptionem. Sed verius est esse vsuram, & virtuale mutuum, quia in mutuo non opus est vt mutuatori in propria persona maneat obligatus mutuatarius, sed sufficit vt sit ei obligatus, qui in locum mutuatoris succedit.

*Ad 3.* Ad Tertium respondeo, In reditu personali semper aliquid subesse periculi amittendi sortem, quod periculum cum reliquis incommodis quæ oriuntur ex diutina pecuniæ carentia, Respublica æstimauit vt iam ordinarium quoddam & legitimum sit pretium, quo emi queat reditus personalis; in emptione autem chirographi neque legitimum neque vulgare aliud est pretium, quàm quod continet, nisi emptor habeat interesse, quod non habere supponimus.

*Ad 4.* Ad Quartum, Nego pecuniam (quam nunc do) non repetendi obligationem ante certum tempus aliter esse pretio æstimabilem, quàm propter interesse quod fortè habebo, aut periculum eius.

*Ad 5.* Ad Quintum, Nego consequentiam: quia fructus in se fit melior, actio autem non crescit: fructus viridis multo subiacet periculo; actio, vt suppono, nulli periculo est obnoxia.

*Si solutio fit emptori facile, an possit minoris emere.* Altera pars Dubij nostri difficilis est: cùm enim dictum sit, posse in emptione chirographi deduci interesse, aut periculum, molestiam aut incertitudinem; meritò dubitatur, vtrùm quando mercator sua industria apud Principem facilè impetrabit solutionem, possit militis chirographum aut libranciam, vt vocant, emere dimidio, si interesse, periculum, incertitudo & molestia, quæ alij communiter subire deberent, in hac actione prosequenda iudicio intelligentium mercatorum facilè æstimentur ad chirographi dimidium. Et quidè Molina dicta disp. 361. *Sententia Molina.* partem amplectitur affirmantem. Quæ sententia probabilis est: quando enim actio offertur venalis, potest eius valor considerari quem vulgò habet cum his difficultatibus; industria autem, qua poterit hic mercator sine tantis difficultatibus solutionem obtinere, censebitur in vtilitatibus bona sorte ei obuenientibus: vtrumque enim conforme videtur dictis; diximus enim, pretia communi iudicio esse æstimanda, & non posse venditorem augere pretium propter vtilitatem quam ex re empta habebit emptor.

*Verior sententia.* Nihilominùs probabilior est sententia contraria, eiusmodi emptorem commissurum iniustitiam cum obligatione restituendi, si plus deduxerit, quàm reuerà in particulari apud se expectatio & sollicitatio illius debiti habitura sit incommodi, molestiæ, periculi, seu incertitudinis in æstimatione summa, cum nonnulla compensatione oneris quod situm est in obligatione hoc pro altero curandi ad eius instantiã. Moueor, quia hoc sequi videtur ex doctrina 1. & 2. nostræ propositionis. Si enim tibi liceat hanc libranciam emere dimidio, quia quamuis tu non habeas periculum, molestiam, aut interesse in obtinenda solutione, alij tamen communiter habent, & quidem talia, vt ab eis liberari vulgò æstimetur dimidio eius quod continet chirographum; etiam in actionibus aliis emendis passim habebitur ratio non illius tantùm interesse & periculi quod emptor subit, sed illius quod alij subirent si emerent: atqui communior opinio, quam secuti sumus in Prima & Secunda conclusione, non respicit ad ista incommoda, nisi quatenus in particulari locum habent in hoc emptore. Deinde hîc est virtuale mutuum: atqui non licet mutuatori plus accipere supra sortem ratione interesse quod certò scitur in particulari non subesse, etiamsi in alijs subesset; ideò enim Ecclesiasticus mutuator non poterit stipulari de lucro cessante, eo titulo quòd vulgus mercatorum ita stipularetur. Deinde, nulla est actio, quantumuis de solutione secura, quin communi hominum iudicio minoris fiat quàm præsens pecunia: itaque nisi æstimatio fieri debeat ex solo periculo & incommodo quod emptor subit, vera erit sententia Caietani, quòd omnis actio minoris emi possit.



*Obiect.* Dices, Quando in pretio communi expensæ sunt æstimatæ, quas communiter faciunt mercatores pro tali merce aduehenda, non teneor minuere pretium, etiamsi fortè minores expensas fecerim, vt suprà dictum est. Eadem est ratio de emptore: si enim inter mercatores res viliùs veneat propter sumptus qui faciendi sunt, vt eò transferatur vbi reuendi possit, potes communi pretio emere, licet aliquam habeas opportunitatem rem sine sumptu transferendi.

*Resp.* Respondeo, In primis hîc videndum, an potiùs debeat esse tua fortuna quòd debitum facilè obtinere possis, quàm infortunium chirographiarij, quòd non possit nisi difficulter obtinere, adeò vt non magis tu pluris locare possis operam quam illi nauabis tamquam fortuitò ei vtiliorem, quàm ipse tibi possit pluris vendere chirographum suum quàm alijs, propter meliorem commoditatem quam bonâ fortunâ tuâ inde tu præ alijs consequêris. Deinde vt hæc procedant vtcumque in pura venditione & emptione, vbi ferè pretium rei certo taxatum est; non procedunt tamen in proposito, vbi non est mera venditio, sed virtuale mutuum. Neque chirographum debet considerari vt pura quædam merx, quæ infra illud quod continet, habeat certum vulgare vel legitimum pretium propter pericula & incommoda obtinendæ solutionis. Et hanc sententiam sequitur Graffius lib. 2. cap. 112. num. 27.

In publica tamen subhastatione, vbi chirographum mere mercis rationem subit, vereque eius taxatur pretium, & legitimè videtur venditor satisque liberè cedere omni reliquo iure suo, liceret ei etiam minoris emere, qui facilè plenam acceptarus sit solutionẽ. Excipio tamen etiam tunc ipsum debitorem, aut eius negotiorum gestorem vel receptorem: hi enim cùm sint causa huius dispendij quod subit chirographiarius, semper de eo tenentur, etiam quando ipsi emunt: imò dum alij emunt, fieri potest, saltem manendo in Iure naturæ, vt debitor teneatur integrè soluere eis qui emerunt actionem, & nihilominùs supplere creditori, quod minus ab eis receperit, quamuis Lex positiua C. Mandati, L. Per diuersas, & L. Ab Anastasio, statuat, cessionario non deberi, nisi quanti actionem emit.

Contrarium tamen tenet Angelus eodem verbo, numero 28. cuius sententia teneri poterit, quando proxeneta rem priùs sibi tamquam à se emptam applicuit, existimans bona fide, pluris tunc se vendere non posse, suoque periculo emptorem quæsiuit, siue minus siue amplius daturum.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm monopolia sint illicita?*

*Monopolia quatuor modis fiunt.* MONOPOLIA, latè sumpto vocabulo, quatuor ferè modis fiunt: vnius enim venditio monopolium est. Quòd autem vnus solus, aut quasi vnus tantùm vendat, Primò curatur *Primus modus.* conspiratione mercatorum, quando inter se conspirant, ne quis minoris vendat: eiusmodi enim conspiratione fiunt quasi vnus mercator, qui maiori ciuium commoditate plures erant, quòd singuli minuendo pretium soleant ad se emptores allicere. Hæc conspiratio peccatum est mortale contra charitatem, quando auget pretium etiam intra latitudinem iusti, nisi fortè hoc faciant in paruo augmento pro sola sua indemnitate. Est autem contra iustitiam, & obligat ad restitutionem, quando auget supra istam latitudinem.

*Secundus modus.* Secundò committitur monopolium, quando vnus aliquis mercator eo tempore quo copia mercium est, omnes coëmit, aut priùs in magna copia apud se exstantes supprimit, donec alijs exhaustis, ipse pro libidine sua pretio imposito distrahat: quo modo si pretium citra iustum excreuerit, indubiè peccatur contra iustitiam.

Sed dubium est, Vtrùm etiam contra iustitiam peccet, qui in copia iusto pretio solus omnes merces vnius generis emit, & in inopia iusto pretio vendit, quod tunc longè maius est, & quia solus est, enorme & rigidum facilè obtinet, quod obtinere non potuisset, nisi tali artificio.

Hîc DD. non consentiunt. Multi dicunt esse iniustitiam: ita Conradus quæst. 65. Medina q. 36. Probatur; Quia ille coaceruando merces causa est maioris pretij: neque enim tantum vmquam fuisset sine tali monopolio, vt suppono; tenetur ergo vendere non pretio quod sua machinatione procurauit, sed quod sine monopolio suo fuisset. Molina autem disp. 345. & alij nonnulli fatentur quidem hunc peccare contra charitatem, negant tamen peccare contra iustitiam.

Respondeo; Si talis sua immodica coëmptione fecit vltra illud quod alioqui iustum fuisset accrescere pretium, & vendat posteà enormi illo pretio, quamuis tunc iusto, peccat contra iustitiam, & tenetur de illo excessu, quod benè probat ratio allegata. Si autem pretium quo vendit, non sit maius iusto rigido, quod fuisset citra monopolium, non peccat contra iustitiam.

*Obiect.* Dices cum Molina, Non satis apparet quam iniustitiam iste committat in Rempublicam aut partes eius, inducendo ita per accidens caritatem rerum; emendo enim vtitur iure suo, & soluit iustum pretium, res autem empta pleno iure transit in eius dominium, ita vt sine cuiusquam iniuria posset eam aqua aut igni absumere. Confirmatur; Quia si iniustitiam admitteret emendo, etiam alij ab iniustitia non essent immunes qui ei scienter vendidissent, quod tamen nemo dixerit. Adhæc, si contingat multitudine emptorum induci annonæ

## DVBIVM VI.

### *Si tradam tibi rem meam vendendam, verbi gratia decem, & pluris te vendere contigerit, vtrùm mihi satisfacias dando solum decem?*

RESPONDEO, Non satisfacturum, nisi illa decem sint summum pretium iustum; tunc enim reliquum erit emptori restituendum. Ita Siluester verbo Emptio, quæst. 24. Expressiùs Rosella eodem, numero 12. Graffius lib. 2. cap. 116. numero 16.

caritatem, nemo dicet illos emptores teneri Reipublicæ ad restitutionem; ergo neque is tenebitur, cuius immodica emptio pretium auxerit.

*Resp.* Cæterùm quamuis ista argumenta faciant hanc sententiam valdè probabilem, dici tamen potest, tali mercium congesta emptione, suppressione, & cariori venditione hactenus iniuriam fieri Reipublicæ eiusque partibus, quibus ideò cariùs venditur, quia monopola iste non vendit secundùm pretium ex circumstantiis aliunde concurrentibus vulgò æstimatum, sed quasi pretio pro sua libidine aucto: non enim refert quòd non immediatè auxerit, verè enim auxit, & tanto iniquiùs, quò maiori machinatione. Itaque contra charitatem peccat emendo & supprimendo, sed enormi illo pretio vendendo, etiam contra iustitiam: & ex illo patet responsio ad incommoda quæ contrà alleganturs.

*Tertius modus.* Tertiò committitur monopolium, si quis, vt suas cariùs diuendat, auertat similes merces à ciuitate. Vbi si dehortando solùm id egerit, sine vi, fraude, dolo, mendacijs, solùm contra charitatem, non contra iustitiam peccat: aliàs peccabit contra iustitiam, & tenebitur læsis, tum ciuibus qui viliùs emissent, tum mercatoribus qui vtiliùs vendidissent. Ciuitas enim quamuis ius non habeat ad istas merces, ius tamen habet ne quis fraude aut dolo impediat volentem inferre. Vnde patet, si quis non mercator dolo impediret, etiam illum teneri de damno.

At quæres, Quomodo priori modo cariùs vendens non tenetur, cùm vendat in excessu pretij à se procurato?

Respondeo; Talis non tam censetur addidisse excessum pretij, quàm auertisse decrementum, consulendo aliis ne adueherent. Vbi si egit sine dolo, & ex officio sibi non incumbebat meliorare forum, solùm peccabit contra charitatem, sicuti si proprias merces aduehi prohibuisset.

*Quartus modus.* Quartò committitur monopolium, quando quis mercator à Principe impetrat priuilegium, quo sibi soli liceat certas merces vendere. Illud licitum erit, quando iusta fuerit caussa, & commune bonum hoc postulauerit: aliàs facilè contingit admitti iniustitiam à concedente & impetrante, tam contra emptores qui cariùs emunt, quàm contra alios mercatores, qui ex tali negotiatione iustè erant sibi necessaria lucraturi. Facilè autem contingit iustam esse caussam, quando sine tali priuilegio nemo merces illas esset Reipublicæ curaturus, aut non tam bonas, aut non tam rationabili pretio; quo modo iusta sunt priuilegia Typographorum. Vt autem priuilegiati rationabili pretio ciuibus diuendant, præcipuè ad victum necessaria, Principi in primis curæ esse oportebit.

Ad monopolij vitium pertinet, quando conspirant opifices, ne quis opus ab altero inchoatum perficiat. Quod prohibetur L. vnica, C. De monopoliis. Item quando quis artem Reipublicæ vtilem nonnisi ea conditione docere alium vult, vt nemini nisi filio aut nepoti communicet. Ita Siluester verbo Emptio, quæst. 18. Conradus quæst. 51. Istud tamen nonnihil limitat Petrus Nauarra lib. 2. cap. 2. numero 4. Vt tum demum sit verum, quando ars est necessaria, & aliter supleri non potest eius necessitas.

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm venditor debeat emptori indicare vitium mercis?*

*D. Thomas quæst. 77. art. 2. & 3.*

PRIMA CONCLVSIO. Si res habeat defectum in quantitate, quem venditor celat emptorem, exigens nihilominùs integrum pretium, aperta est iniustitia, & tenetur venditor emptori actione quanto minoris. Ita ferè D. Thomas, estque communis. Est tamen casus vbi emptore inscio liceat diminuta mensura vendere, puta quando pretium legitimum omnino constat esse tam exiguum, vt nisi in quantitate fallant venditores, non possint sese seruare indemnes. Molina disp. 353. & sequitur ex dictis Dub. 1. Alius est casus, vbi ne quidem consentiente vtcumque emptore tutus est qui vendit mensura aut pondere minori, quando nimirum iniustè in eiusmodi fraudem conspirant venditores, falsò caussantes pretium legitimum minus esse iusto. Idem Molina. *Occultans defectum rei, tenetur.*

SECVNDA CONCLVSIO. Qui ignarus ignorantia inculpabili rem vendiderit cum defectu, excusatur quidem à formali iniustitia, propter materialem tamen iniustitiam & inæqualitatem tenebitur, vbi errorem agnouerit, defectum saroire emptori, non tamen damna quæ ex defectu illo emptori fortè secuta sunt, quia illorum non fuit caussa. Ita D. Thomas. Si tamen vterque contrahentium ignoret defectum, & res vendatur hac lege, vt eam habeat emptor qualis inuenietur, siue integram siue cum defectu, non erit inæqualitas, modò pretium attemperetur incertitudini quæ potest de defectu subesse. Si ignoret venditor defectum ignorantia crassa aut affectata, quoad restitutionem idem erit dicendum ac si sciuisset; à culpa etiam mortali non plane excusabitur, quando sic vendendo exponit emptores graui periculo, vt benè Conradus quæst. 54. *Ignarus rei si ignorarit defectum.*

TERTIA CONCLVSIO. Si emptor cognoscat rem esse maioris pretij quàm existimet venditor, propter eius substantiam, quantitatem, aut qualitatem, peccat emens minoris iusto, & tenetur pretium augere vsque ad infimum iusti: si autem tempore contractus hoc etiam emptor ignoret, sufficit supplere pretium re cognita. Ita ferè D. Thomas art. 2. Conradus quæst. 55. *Qui rem maioris pretij minoris emit, augebit pretium.*

Verùm dubitant nonnulli, Vtrùm quando res duplex habet pretium pro duplici suo vsu, vnum vulgò notum pro vulgari vsu, alterum notum peritis pro vsu alicuius artis, puta Medicæ, vtrùm liceat perito emere minori illo pretio à venditore qui exponit rem venalem in vsum vulgarem.

Respondeo, Licere: quamuis enim pluris res valeat, non valet tamen pluris in illo foro & modo vendendi.

QVARTA CONCLVSIO. Venditor tenetur indicare emptori vitium mercis occultum, ex quo ei damnum aut periculum euenire posset. Neque sufficit tanto minoris vendere, sed etiam ad æstimationem damni illius & periculi adhuc pendentis venditor tenebitur. L. Si vina quæ in dolijs, ff. De periculo & commodo rei venditæ: argumentum ex cap. Si culpa, De iniurijs & damno dato. Venditor enim rem venalem exhibendo, ex officio tenetur ea præstare, quæ ex parte rei venditæ *Vitia mercis ei occulta emptori indicanda.*



venditæ se tenent, sicuti emptor ea quæ se tenent ex parte pretij. Imò si nullo modo propter istud vitium res sit futura vtilis emptori, tenetur venditor, quod in contractu non fecit, etiam postea vitium indicare, & offerre rescissionem repræsentato pretio. At si res aliquousque pro ratione pretij nihilominùs emptori sit vtilis futura, non est opus rescissione contractus, quamuis emptor non erat rem vitiosam empturus si sciuisset; modò hoc ipsum non indicauerit quòd nolit emere rem cum vitio, aut non interrogauerit num res aliquo vitio laboraret, neque res fuit laudata à venditore tamquam integra, aut inter non vitiatas exposita, aut vitium dolosè occultatum. Censetur autem satis vtilis res futura, quando facilè potest iterùm eo pretio vendi ab emptore, etiam detecto vitio; quod facilè præsumitur, quando vitium tale est, vt communiter soleant illud, vel simile, merces illius generis habere.

Est tamen probabilis etiam sententia contraria, quòd quando propter vitium occultum emptor non erat empturus, oporteat ei offerre rescissionem contractus, quod Conradus voluit quæst. 54. & Medina quæst. 34.

Verùm opiniones istæ conciliari possunt, quòd prior nostra agat de obligatione rescindendi sub mortali, hæc autem posterior vera sit de obligatione solùm sub veniali. Sanè non semper sponte debere vitium occultum venditorem aperire, docet Lopez 2. parte cap. 42. hoc argumento, quòd vitio detecto emptores soleant minoris rem facere quàm reuerà facienda sit. Neque refert, quòd iura semper concedant actionem redhibitoriam, qua contractus rescinditur, & pretium recuperatur, quoties emptor cognito vitio non erat empturus; actio autem quanto minoris, quando empturus quidem erat, sed excessum est in pretio, vt docet Panormitanus in cap. Iniustum, De rerum permutatione. Hoc inquam non refert: quod enim de actione quanto minoris dicitur, est quidem Iuris naturæ; sed quod dicitur de actione redhibitoria, aliquid in sua generalitate habet admixtum Iuris merè positiui.

QVINTA CONCLVSIO. Quando vitium est in substãtia, ita vt vna substantia vendatur pro alia, ignotus emptori error irritat contractum, etiamsi hæc impostura ita aperta sit, vt facilè potuerit emptor aduertere, si paulò egisset circumspectiùs. Addo, etiamsi iusto pretio vendatur, interdum tamen non censetur error in substantia, quando ex speciebus, verbi gratia vini, ferè æquialentibus vna venditur pro alia. Ratio est, Quia error dat caussam contractui, adeoque facit inuoluntarium.

SEXTA CONCLVSIO. Quando vitium in qualitate aut integritate est manifestum, & emptor suo iudicio fidit, non tenetur venditor illud ei aperire sponte sua ex iustitia.

Notandum tamen, Aliquando vitium simpliciter manifestum respectu huius emptoris, qui fortè multùm festinat, & tempus considerandi non habet, debere censeri occultum, ita vt nisi indices, non secùs pecces ac si occultum fuisset.

Notandum Secundò, Eum qui curat aliquo dolo ne emptor vitium etiam manifestum aduertat, deteriori habendum esse loco, quàm si occultum non manifestasset.

Notandum Tertiò ex Panormitano suprà, Si venditor dicat se nolle teneri de vitio quocumque, expressis quibusdam rei vitijs, teneri nihilominùs redhibitoriâ de vitio non expresso. Idem erit iudicium, si expresserit quidem vitium, sed addidit multa alia quæ euidens erat rem non habere, quia etiam hîc videbitur esse in dolo.

Ex dictis sequi videtur, Si quis habeat creditum personale, & occultè sciat debitorem esse impotentem, non solùm contra charitatem eum peccaturum, sed etiam contra iustitiam, si alicui huius impotentiæ ignaro vendiderit hanc actionem: est enim illa impotentia vitium verè intrinsecum ipsius actionis, ratione cuius etiam contra iustitiam peccant, qui titulo lucratiuo aliquid à debitore impetrant, vnde norint eum fieri impotentem, cùm aliàs soluturus esset, quòd nimirum cooperentur ad vitiandam alterius actionem.

De actione hypothecaria eadem erit ratio, si hypotheca fuerit sterilis, & emptor hoc ignoret. Idem vsu veniet in venditione reditus tam personalis quàm realis, si venditor occultè pauper sit, aut ineptus ad lucra, aut ager qui in hypothecã assignatur, prioribus similibus actionibus grauatur.

Itaque ad Dubitationem responsum sit, Vendentem cum vitio aliquando ad nihil teneri, aliquando teneri actione quanto minoris, aliquando actione redhibitoria, aliquando etiam de damno dato: quamdiu autem durent istæ actiones in foro externo, à Iureconsultis perendum erit.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm in contractu societatis mercatoriæ possit socius paciſci de certo lucro, salua sorte? siue, Vtrùm triplex contractus, scilicet societatis, assecurationis sortis, & assecurationis certi lucri, simul inter eosdẽ iniri possit?*

PLVRES sunt hac de re sententiæ. Prima absolutè negat, siue simul siue ex interuallo posse contractum assecurationis & lucri fieri cum eodem cum quo initus est contractus societatis. Ita Sotus lib. 6. quæst. 6. art. 2. *Prima sententia.*

Secunda distinguit hoc modo, vt liceat quidem ex interuallo, non tamen ita ex incontinenti, aut simul cum eodem quamuis liceat cum tertio. Ita Caietanus Opusc. 17. Responsionum, responsione 11. Vult enim contractum societatis debere fieri sine dependentia à contractu assecurationis, vt nimirum non ea lege mecum ineas societatem, vt te securum faciam de sorte & lucro, sed postquam iniisti societatem, quia molestum tibi esset intendere & pericli tari, pacisceris mecum quid daturus aut cessurus sis pro assecuratione sortis & certi lucri. Idem videtur tenere Angelus verbo Societas 1. numero 7. Siluester eod. quæst. 2. *2. sententia.*

Tertia dicit, posse quidem addi contractum assecurationis, sed non ita strictè obligaturum, quin assecuratus teneatur in conscientia sortem amittere in casu merè fortuito. Ita Hostiensis apud Panormitanum suprà. *3. sententia.*

Quarta putat, in triplici hoc contractu, etiam quando simul fit cum eodem, nihil interuenire iniustitiæ, sed tamen simpliciter esse illicitum ita contrahere, eò quòd speciem habeat mutui cum pacto vsuræ, adeoque scandalum inducat. Ita Conradus quæst. 97. *4. sententia.*

Quinta opinio tres apponit conditiones vt licitus *5 sententia.*

tus sit iste contractus: Vna, vt verè assecurans teneatur negotiari, ne sit mutuum potiùs quàm societas mercatoria: Secunda, vt ipse assecurans expetat sic contrahere: Tertia, vt exiguum sit lucrum, verbi gratia quatuor in centum. Ita Lopez 2.parte, cap.72.

*6.& verior sententia, licitum esse.* Sexta sententia absolutè hos contractus approbat, & licitos esse dicit etiam quando cum eodem, & simul & dependenter à se mutuò fiunt. Ita tenet Nauarrus cap.17.numero 255.Emanuel Rodriguez in Summa casuum conscientiæ, parte 1. cap. 46. Siluester verbo Societas 1. quæst. 1. n. 2. Ioannes Maior in 4. dist. 15. Couarruuias Variarum resolut. lib. 3.cap.2.n.4.Lessius lib.2.cap.25.

Hæc postrema sententia probabilior videtur. Vt autem eius veritatem ostendamus, singula quę in triplici hoc contractu eo modo iñito concurrunt, licita esse probemus.

Primum est contractus societatis. Iste quin licitus sit, nemo dubitare potest: quod enim per me solum possum, etiam possum cum alio; & hominem, qui animal sociale est, mutuam cum alio homine ad rem honestam inire societatem, omnia Iura permittunt. Videre licet D.Thomam, q. 78. art. 2. ad 5. & Glossam in cap. Plerique 14. q. 3. & satis apertus textus est cap. Per vestras, De donationibus inter virum & vxorem.

Secundum est contractus assecurationis, qua sors assecuratur. Hunc contractum de se licitum esse, saltem cum tertio cui iusta fiat compensatio, facilè Doctores fatentur: cùm enim assecurando tibi sortem, onus subeam pecunia æstimabile, sicut & in fideiussione, propter periculum adiunctum euidens est, per contractum innominatum, Do vt facias, posse hîc poni æqualitatem.

Tertium, Quòd assecuratio ista fiat de sorte socij. Videtur quidem ista assecuratio efficere vt pecunia desinat esse tua, adeoque vt tibi ampliùs lucrari in negotio non possit, sicuti nec tibi perit si pereat; res enim quæque domino suo perit: verùm euidens est, non lædi societatem, si cum tertio assecurationis pactum iniuerim; ille enim tertius assecurans, mecum vt vna persona considerabitur, neque magis ad socios quid inter nos gestum fuerit pertinet, quàm si pater filio gratis sortem assecurando pecuniam donet in hanc societatem. Rursum rem meam posse ex pacto perire damno alterius, puta commodatarij, nemo ignorat.

Quartum, Quòd assecuratio ista non solùm de sorte socij, sed à socio fiat. Nec istud illicitum aut contra naturam societatis, sed solùm præter eam esse est euidens: nulla enim ratio impedit, quò minùs socius post liberè initum contractum societatis, in se suspiciat assecurationem sortis eo pretio quo tertius fortè suscepit aut suscipere paratus est; imò & minori ipse suscipiet, quia fortè suscipere desiderat, vt hac ratione liberetur à molestijs computus, & seruitute sua secreta prodendi, & hoc Angelus, Siluester & Caietanus libenter admittunt. Sanè manere te nihilominùs dominum tuæ sortis, est manifestum; quia manebas assecurante tertio, cuius socius hîc partes suscipit: vnde etiam ante omnes creditores hypothecarios ages rei vindicatione pro hac sorte tua, si socius qui assecurauit foro cesserit, adeoque societas soluta fuerit. Item si furto quis sortem tuam abstulerit, eam recuperabis tamquam plenum ius habens in ipsam rem: itaque poteris nihilominùs

*Assecuratarius manet dominus suæ sortis.*

tamquam socius mercaturæ lucrum prætendere, etiamsi socius in se susceperit hanc assecurationem. Deinde etiamsi concederetur quòd degeneret societas in alium contractum, quando vni reliqui socij sortem assecurant; non inde sequitur, degenerare in contractum iniustum, præcipuè cùm virtute saltem societas adhuc maneat, & assecuratus vt dominium sortis, ita & ius retineat ex ea suo nomine ad mercaturam applicata reliquum lucri fructum percipiendi, qui supereſt deducto pretio assecurationis.

Quintum est, Quòd assecuratio ista non solùm fiat à socio, sed dependeat ab ea contractus societatis, ita vt nolis socius esse eius qui nolit assecurare. Istud quam iniquitatem habeat, non facilè ostenderis: cùm enim & societatis & assecurationis contractus liciti sint, & nobis liberi, & in proposito compatibiles, vt ostensum est, possumus has nobis mutuò ponere leges, vt vnum sine alio non ineamus. Si enim possum tibi vendere equum ea lege vt mihi domum vendas, etiam possim fieri socius mercaturæ, vt assecurator fias meus aut fideiussor; est enim solùm libertatis quędam mutuæ commutatio, quæ etiam in mutuo liceret, puta si mutuem tibi triticum, ea lege vt vicissim mihi mutues nunc hordeum.

Sextum est assecuratio certi lucri. Verùm ista peculiarem difficultatem non habet, modò seruetur æqualitas, vt suppono.

Itaque ex isto discursu planum est, hos contractus & per se, & simul, & cum mutua dependentia licitè consistere: quæ sententia hodie non solùm praxi passim recepta est, vt ostendit Molina disp.417.sed communior DD. Ita enim tenet Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 11. dub. 10. & post Nauarrum & Couarruuiam pęnè omnes recentiores, è quibus Valentia dicit, Romæ anno 1581. se præsente complures Theologos suo suffragio eam comprobasse. Eruditè eam propugnat Molina suprà, Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. numero 443. Lopez suprà citatus dicit, olim fuisse hanc opinionem (vt fertur) inter Parisienses communem.

Verùm pro pleniori doctrina videndum est, quibus modis contingat hîc perperàm contrahi, & quibus legitimè.

*Modi illiciti assecurationis.* Quod ad prius attinet, Si pecuniam cum tribus prædictis pactis tradas alicui, quem non credis eâ negotiaturum, palliata vsura est. Similiter si des ei quem quidem negotiaturum credas, sed non curas siue eâ negotietur siue non, & dominium verè in eum transfers, ea conditione vt sortem restituat tempore constituto cum certo lucro. Non dissimilis erit ratio, si des alicui vt ipse solus sine tua societate actuali aut virtuali inde negotietur, pacta securitate eius & certo emolumento pro eius vsu, simul cum sorte reddendo post certum tempus. Excipio tamen, vbi per verum interesse excusari possis.

*Modi liciti.* Modi autem liciti sunt, præter eum quem diximus, in primis, Si certam pecuniam tradas mercatori, qui non solùm te assecuret de sorte, sed in eius ea dominium transeat, & tu certum inde commodum stipuleris ratione interesse, quod eo ipso habes, quo poteras cum alio legitimè inire triplicem illum contractum, & tantundem lucrari. Secundò, Non opus est explicitè dictos contractus inire, sed sufficit virtute & implicitè: vt si tradas mercatori centum, extracturus inde certum



tum quotannis lucrum, puta quatuor aut quinque, eo modo quo probata praxis habet, aut quo DD. licere tradunt. Ita Nauarrus suprà. Qui tamen non probat illud efficaciter ex cap. illo Per vestras, De donationibus inter virum & vxorem; quia vt benè alij obseruant, Pontifex non supponit dorem apud illum mercatorem, apud quem eam deponere iubet, planè securam fore, sed fore securiorem quàm fuisset apud maritum ad inopiam vergentem.

*Obiect.1.* Obijcitur Primò cap. Vsura 14.quæst.3. *Vsura est vbi amplius requiritur quàm datur.*

*Resp.* Verùm istud in mutuo locum habet, hîc autem non est mutuum.

*Obiect.2.* Secundò obijcitur cap. Nauiganti, De vsuris, quod ita habet: *Nauiganti vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quòd suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.*

*Resp.* Respondeo, Etiam casum huius cap. versari in mutuo. Dicitur ergo vsurarium fore qui mutuat nauiganti ad nundinas pecuniam, ea lege vt mutuatarius periculum sortis in se suscipiat, & tamen nihilominùs aliquid certi lucri sibi mutuanti cedat; hic enim ratione mutui verè aliquid accipit vltra sortem: in nostro autem casu lucrum iusto titulo accipitur, iure societatis, tamquam residuum ex æstimatione sperati lucri de dicto sumptu duplicis assecurationis. Ceterùm cap. illud Nauiganti apertiorem habebit sensum, si ita verba transponantur; Nauiganti pro eo quòd in se (ipse nauigans scilicet) suscipit periculum mutuans pecuniam, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus. Illud enim *pro eo quòd in se suscipit periculum*, caussa est eius quod præcedit. Hic intellectus facillimus videtur; communiter tamen solent dicere, damnari eum qui mutuum dat eo onere, vt mutuatarius ineat secum contractum assecurationis, quo ipse mutuans certo pretio assecuret mutuatarium: dicunt enim, fieri posse vt onus illud, quod tunc imponitur mutuatario, pretio sit æstimabile. Ita Siluester verbo Vsura 1.quæst.35.

*Obiect.3.* Tertiò obijciunt, Per pactum assecurationis euerti pactum societatis; societas enim fraternitas est, de cuius ratione est, vt partes sint æquales, vel absolutè, vel proportione: si ergo aliquis sociorum non sit socius in periculo sortis sicut alij, cùm quoad alia eis sit æqualis, iam erit leonina societas, vt loquitur L. Si non fuerint, ff. Pro socio.

*Resp.* Respondeo; Ratione societatis habent æqualitatem aut proportionem in periculo & lucro, alioqui non esset opus alio contractu vt quis eorum de sorte & lucro securus sit: verùm iste contractus non euertit, sed supponit societatem; neque inducit inæqualitatem ratione cuius leonina sit societas, quia onus suscipientis in se periculum, ei compensatur per partem æstimati lucri.

*Obiect.4.* Obijcitur Quartò, Assecuratus de sorte non retinet eius dominium, quia res perit domino suo, adeoque nec lucri capax est; quia lucri iustitiam D.Thomas dicta quæst. 78. art. 2. ad 5. ponit in eo, quòd socius maneat dominus sortis, eamque amittere possit; quinimò fit verum mutuum, adeoq; vsura, quãdo vltra sortem lucrum accedit.

*Resp.* Respondeo, Assecuratum hîc retinere dominium sortis: potest enim alius quispiam mihi rem meam assecurare, vt suprà ostendimus. D.Thomæ doctrina formalis est, & procedit de socio quatenus est socius, sed non negat, contractui societatis posse accedere alium assecurationis; hoc enim ius etiam apertè concedit dicta L. Si non fuerint, ff. Pro socio. *Ita*, inquit, *coiri societatem posse, vt nullius partem damni alter sentiat, lucrum verò commune sit. Cassius putat: quod ita demum valebit, vt & Sabinus scribit, si tanti sit opera, quanti damnum est.* Item Institut. De societate. §. 1. apertè dicitur, posse inter socios conuenire vt quis lucri partem ferat, de damno non teneatur.

*Obiect.5.* Obijcies Quintò, Frequens abusus est in eiusmodi contractu, & quando non est abusus, saltem Reipublicæ nocet, quia virtute eiuntur reditus, vnde nummi quos vocamus libraticos, ad Rempub. vt par erat, nulli veniunt; meritò ergo exterminandus est.

*Resp.* Respondeo ad prius, Ab abusu nullum esse argumentum, eoque argumento plures alios honestos contractus, imò ipsam negotiationem omnem è medio sublatum iri. Ad posterius dico, Meritò Rempub. istud qualecumque incommodum dissimulare pro maiori & suo & ciuium commodo. Suo; quia hac ratione pecunia retinetur in Prouincia, & Respublica quando indiget, faciliùs à mercatoribus eiusmodi societate potentioribus factis, mutuum accipere potest. Ciuium etiam commodo consulitur; quia cùm difficulter pecuniam suam possint fundis aut reditibus emendis impendere, inueniunt modum vnde viduæ & orphani illæsa sorte viuere valeant, denique vnde dotes conseruari queant, de quo Innocentius III. sollicitus fuit in cap. illo Per vestras, suprà citato.

*Obiect.6.* Obijcies Sextò, In taxando lucro quod assecuratus percipiat, hîc facilè peccari.

*Resp.* Respondeo, Non videri quare non possit accipere ad proportionem annui reditus, habita saltem ratione differentiæ quæ possit in eo esse, quòd hîc fortè recuperet sortem quando vult, non autem in reditu, qui quoad cetera minùs securus est quàm redituarius; sæpè enim contingit mercatorum fortunas declinare, eosque foro cedere: quæ etiam ratio est, vt malint hoc modo dare septem in centum, quàm recognoscere realem reditum nummo decimosexto.

*Obiect.7.* Obijcies Postremò Bullam Sixti V. quæ incipit Detestabilis; vbi ita disponit: *Damnamus & reprobamus omnes & quoscumq; contractus, conuentiones, & pactiones, post hac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cauebitur personis pecunias, aut animalia, aut quælibet alias res societatis nomine tradentibus, vt etiamsi fortuito casu quamlibet iacturam, damnum aut amissionem sequi contingat, sors ipsa seu capitale semper saluum sit, & integrum a socio suscipiente restituatur, siue vt de certa quantitate vel summa in singulos annos aut menses, durante societate, respondeatur: statuimusque, huiusmodi contractus, conuentiones & pactiones, vsurarios & illicitos posthac censeri debere, & in posterum non licere ijs qui pecunias vel animalia aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo inter se paciſci.*

*Resp.* Respondeo, Verum esse quòd Sixtus hac Constitutione triplicem hunc contractum prohibuerit, & ex præsumptione fori externi Lege positiua damnauerit; sed cùm ea recepta non sit, ne quidem

dem per Italiam, relinquitur negotium hoc in terminis Iuris naturæ. Neque enim existimandum est, Pontificem declarasse simpliciter, esse hos contractus sic initos natura sua illicitos; sed, quod & verba sonant, solùm voluit posthac non licere.

Dices, Dicit Pontifex, posthac vsurarios & illicitos censeri debere, quod videtur sonare declarationem illiciti ex natura rei præiacentis.

Respondeo, Solùm velle, tales censeri in posterum debere ex præsumptione Iuris & de Iure, ita vt omnino prohibeantur. Si enim natura sua voluisset Pontifex declarare illicitos, non restrinxisset ad tempus futurum, quando dicit se damnare posthac meundos. Itaque hactenus Bulla ista est quodammodò pro nobis, quia subindicat non esse damnabiles hos contractus Iure naturæ.

## DVBIVM X.

### *Quæ iusta lucrorum diuisio in societate mercatoria?*

Illvd generatim extra quæstionem facilè hîc ponitur, eam debere esse proportionem lucri quod habeat Paulus ad totam massam lucri, quæ fuerit eius quod ipse cõtulit ad totum quod in societatẽ simul ab omnibus collatum est, nisi aliter cautũ sit. Ita ferè Instit. De societate, §. 1. Quod adeò verum est, vt si de lucro solo, aut de solo damno fuerit expressum, de vtroque intelligatur § illud expeditum, ibidem. Intelligitur autem proportio Geometrica, vtrimque æstimatis siue operis, siue pecunijs, siue periculis. Annotat tamen rectè Molina disp. 415. operarum & periculi æstimationem magnam habere latitudinem, & sufficere si ad vicinores limites iusti fiat reductio, vbi æqualitas deesse comperietur.

*Quomodo diuidenda, quando vnus pecuniam, alter operas confert*

Verùm difficultas est, quando Paulus operam confert & industriam, Petrus verò certam pecuniæ summã, puta centum aureos, quomodo iusta proportio inueniri poterit eius quod contulerit Paulus, ad illud quod contulit Petrus?

Pro qua æstimatione facienda notandum est, in eo quod conferre ponitur Petrus, tria quædam esse discernenda. Primum sunt ipsi centum aurei: Secundum est, quòd centum illi aurei subijciantur periculo, quale esse solet in mercatu; quod periculum variè æstimabitur, & pro concursu circumstantiarum fortè æstimari poterit ad quatuor aureos: Tertium est vsus fructus pecuniæ, id est, illud quod amplùs valet pecunia mercaturæ impensa quàm otiosa, quod vocant interusorium, & poterit in his centum aureis fortè æstimari ad duodecim aureos.

Item in opera quam confert Paulus, similiter tria distingui poterunt. Primum, æstimatio ipsius operæ, quæ verbi gratia sit viginti aureorum, eò quòd tanti eam æstimaret Paulus, si susciperet agendum negotium solius Petri. Secundum, assecuratio huius operæ & industriæ, quam fortè licebit æstimare ad sex, etiamsi assecuratio Petri solùm æstimetur ad quatuor; quia faciliùs contingit Petrum esse indemnem quàm Paulum, eò quòd si superfuerint solùm centum, Petrus recuperet sortem, Paulus autem suam quasi sortem non recuperet, etiamsi superfuerint centum viginti, quia in viginti illis Petrus etiam participat tamquam de lucro. Tertium erit augmentum æstimationis quod habet opera Pauli eoipso quo mercaturæ impenditur: pluris enim ea meritò æstimatur quàm si mercenarius alterius esset Paulus, imò pluris in casu proposito quàm interusorium pecuniæ Petri, quia industria principaliter parit lucrum, pecunia solùm instrumentaliter. Vbi ergo pro interusorio Petrus computat duodecim, Paulus hîc computet verbi gratia quatuordecim.

Dico, *in proposito*; quia si opera manente eadem multùm augeatur sors, poterit pecuniæ interusorium superare hanc æstimationem operæ.

Hoc notato, videndum, Vtrùm Petrus & Paulus omnia illa tria computare valeant in societate.

Respondeo, Eum qui solam ponit industriam & operam, tria quæ à parte suæ sunt posse computare; eum autem qui pecuniam ponit, debere hîc sola duo postrema æstimare, videlicet interusorium, & pretium assecurationis; sortem autem suam aliter non æstimabit, quia eam saluam deducet ante omne lucrum. Vnde sequitur in proposito, Petrum dum centum confert, censeri solùm conferre sedecim, videlicet pro interusorio duodecim, & quatuor pro æstimata assecuratione; Paulum autem conferre quadraginta, videlicet ex opera viginti, ex quasi interusorio operæ quatuordecim, & pro assecuratione sex. Vnde vlteriùs sequitur, si lucrum fuerit viginti octo aureorum, Petrum habiturum octo ex illis, & Paulum viginti.

Obijcies, Periculum sortis in diutino mercatu ferè adæquat ipsam sortem; poterit ergo tunc Petrus integrè computare sua centum. *Obiect. 1.*

Respondeo, Quod assumitur facti esse, eoque concesso, sicut nonnulli concedunt apud Petrum Nauarram lib. 3. cap. 2. numero 450. non vitiari nostrã priorem doctrinam; formaliter enim non computabitur sors, sed solùm periculum. *Resp.*

Dico tamen Secundò, Illud assumptum esse improbabile, vt ostendit idem Nauarra ex sententia Soti, qui rectè dixit, semper periculum sortis minoris æstimari, quàm ipsam sortem; oportet enim deducere spem salutis, sine qua nemo mercatur.

Obijcies Secundò, Sicut socij æquali proportione lucrum partiuntur, ita etiam debere diuidere damna; arq; ita si contingat capitale solùm esse saluum, non deductis operis, non poterit Petrus capitale suum integrum recipere, sed inde debebit subleuare Paulum in damno operarum suarum. *Obiect. 2.*

Respondeo, In societate omnino perfecta verum esse quod infertur, sed non esse verum in societate imperfectiori. Societas omnino perfecta est, quando socius non solùm admittitur ad communionem sperati lucri secundùm proportionem suæ sortis aut operæ, sed etiam ad communionem ipsius sortis aut æstimatæ operæ: tunc enim totum quod supereſt, erit diuidendum secundùm proportionem collationis, & integrè æstimabitur ipsa sors pecuniaria, non solùm interusorium eius. Verùm frequẽter initur illa imperfectior societas, vt solùm lucra sint communia; quo modo verum est quod diximus. Atque hæc quidem obtinebunt, nisi de damnis inter eos iusta pactione aliter sit conuentum, aut consuetudo vel statutum loci aliter præscribat. Sanè quantum interfit vtro modo inita fuerit societas, vel inde *Resp.* *Societas perfecta quid.* *Imperfecta quid.*



patet, quia si perfecto illo modo esset inita, Petrus quem diximus ex lucro viginti octo habiturum solùm octo, haberet plus quàm viginti tria: Paulus enim solùm haberet sextam partem lucri. Item ea manifesta est disparitas, quòd sors pecuniaria in societate illa perfecta fiat ipsius societatis, adeoque si pereat, ei pereat; in altero autem modo, tota perit ponenti: si ne in parte quidem ponenti periret secluſa assecuratione, esset potiùs mutuum, vt benè hæc tria distinguens obseruat Conradus q. 93. An autem secluſa libera remissione, quæ nihil habeat admixtum inuoluntarij, semper liceat vtrouis modo societatem inire, dubitare quis possit. Sanè æquum est respici, vtrùm opera huius adæquetur pecuniæ quam alter confert antequam admittatur in communionem plenam etiam sortis, sicuti respicitur num opera æqualis sit interusorio pecuniæ, vtrimque deducto periculo, antequam de lucro societas ineatur. Ita ferè Molina disp. 416.

## DVBIVM XI.

### *Vtrùm liceat rem vendere creditò vltra iustum pretium quo vendi solet præsenti pecunia, aut anticipato pretio liceat emere citra iustum?*

Svppono, Non tantùm iustum, sed etiam æquum esse, vt intra limites iusti cariùs vendas creditò, vt omnes admittunt.

Suppono Secundò, Aliquando videri rem cariùs vendi quàm iustum ferat pretium, reuerà tamen non vendi cariùs, eò quòd incrementum quod limites iusti excedit, accipiatur virtute (impliciti saltem) alterius contractus.

Suppono Tertiò, Quamuis ordinarium sit, pretia rerum æstimari secundùm quod præsenti pecunia vendi solent, esse tamen quasdam merces, quarum pretia æstimentur potiùs secundùm quod creditò aut anticipatò venum ire solent. His positis

*Vendens vltra iustum pretium peccat.*

Dico primo. Iniustitia admittitur, si eo solo titulo rem vendas vltra rigorem iusti pretij, quia creditò vendis; est enim vsura: nam qui creditò vendit, implicitè & virtute mutuat; accipit autem vltra sortem, quod accipit vltra limites iusti pretij. Est communis, & patet ex cap. In ciuitate, & cap. Nauiganti, De vsuris, adiuncta Glossa; clarissimè autem cap. Consuluit, eodem.

*Causæ, ob quas liceat excedere iustum pretium. Prima, Lucrum cessans.*

Dico secvndo. Sunt tamen aliquot causæ ob quas liceat excedere limites iusti pretij quando venditio fit creditò. Prima est, Lucrum ex venditione tali cessans, aut damnum emergens. Ita communiter DD. qui tamen monent, verè debere damnum ex venditione emergere, aut lucrum cessare: si enim potiùs ex negligentia venditoris quàm ex venditione damnum euenturum sit, non poterit inde augeri pretium. Ita Conradus in simili tradit de mutuatore q. 30. cuius eadem est ratio cum nostro venditore, qui, vt dixi, vendendo virtute mutuat. Idem dicendum erit, si damnum inde oriatur, quòd venditor fortè rem emerit eo tempore, quo carior erat quàm sit modò; neque enim propterea poterit cariùs vendere, credendo pretium in illud tempus quo redibit eadem caritas, vt benè Molina disp. 355. Monent Secundò, Non teneri venditorem expectare euentum sui interesse quod deprehendetur tempore solutionis, sed posse ex nunc æstimare eius probabile periculum. Ita Medina q. 38. causſa 2. & patet ex dicto cap. In ciuitate. non tamen æstimabit totum lucrum, quia illud multis modis potest impediri, sed quanti nunc valet eius spes, quod benè conuincit Sotus: qui tamen in eo fallitur, quòd hinc neget omnino considerari posse interesse lucri cessantis.

Ad hanc causſam pertinet casus quo venditor erat merces seruaturus vsque ad tempus solutionis: si enim tunc cariùs venditurus putetur, ita vt probabile sit, rem quæ nunc valet sex, valituram octo plus minùs, licebit eam nunc vendere octo: patet ex dicto cap. In ciuitate. Secùs si non erat rem seruaturus, etiamsi tempore solutionis putetur plus valitura, vt patet ex cap. Nauiganti, suprà citato; quamuis aliter putet Caietanus q. 78. art. 2. ad 7. ex falso fundamento: existimat enim iustum pretium in venditione illud posse iudicari, quod fuerit iustum tempore solutionis, eò quòd tunc demum emptio perficiatur. Verùm vt de pretio conuenitur in contractu, ita illius temporis quo contractus initur, per se pretium spectandum est: cap. Cùm dilecti, De emptione; vbi Glossa pluribus textibus id probat. Venditor enim secutus fidem emptoris, transfert ei dominium rei venditæ, quæ sicuti in valore intrinseco melioratur domino, ita & in pretio imposito. Verum quidem est, emptorem tum demum, quando soluit, contractum ex parte sua implere; sed implere debet vt contractum est: iustè autem de eo pretio pactum est, quod erat rei quando vendebatur. Confirmatur; Quia incertum est, an res sit superfutura tempore solutionis. Non itaque poterit pretium illud habere quod erit similium rerum quando fiet solutio.

Obijcit Caietanus cap. In ciuitate; vbi absolutè dicitur, licere vendere pretio quod futurum putatur tempore solutionis, nulla facta mentione num venditor sit eousque seruaturus. *Obiect.*

Respondeo cum Glossa, Eumdem esse casum huius cap. & cap. Nauiganti, vbi restringitur, vt tum demum liceat, quando tempore contractus non erat venditurus, sed seruaturus in tempus, quando valebit eo pretio aut circiter, quo creditò nunc venditur: Pontificem autem in priori cap. præsupponere, quòd venditores erant rem seruaturi in illud tempus, quo præsumatur valitura eo pretio quo nunc creditò venditur, vel inde manifestum est, quòd creditò vendens pluris, quia tempore solutionis res pluris sit valitura, debeat allegare lucrum cessans; lucrum autem non cessat, nisi tunc erat probabiliter eo pretio plus minùs venditurus. *Resp.*

Vnde vlteriùs colligitur, Non licere vendere eo pretio quod erit tempore solutionis, etiam deducto onere rem conseruandi & periculo defectuum, si in illud quidem tempus venditor erat seruaturus, sed tunc non venditurus: habenda enim ratio est temporis quo erat venditurus, siue id solutione prius, siue posterius sit. Neque tamen etiam illius temporis quo erat venditurus, aut mensis aut diei interuenientis summum pretium licebit præscribere, sed solùm mediocre, vt benè ex communi Graffius lib. 2. c. 115.

Colli-

Colligitur Secundò, Vsuram fore si ita contraxeris, Vendo frumentum in annum, ea lege vt summum soluas quod erit toto tempore anni: quamuis enim intendebas seruare frumentum, donec videretur tibi summũ illius anni pretium, erat tamen pretio tibi æstimabile, certò tunc præcisè posse vendere, quando verè esset futurum summum, de quo cùm virtute te cogas emptorem hunc assecurare, accipis aliquid ab eo in virtuali mutuo vltra sortem & verum interesse.

Si tamen roget te emptor, vt ita vendas, & velit summi pretij assecurationem gratis præstare; ex hac parte non erit iniustitia, modò præsumere possis, donationem istam omnino liberè fieri secundùm ea quæ diximus Dub. 2. quia mixtum voluntarium non sufficit in donatione merè liberali.

Colligitur Tertiò, Vsuram fore si ideò solùm cariùs agrum supra iustum pretium vendas, quia interim dum expectabis pretium, carebis fructibus eius: quod enim venditor careat, & emptor gaudeat fructibus rei venditæ, inest naturaliter contractui venditionis, adeoque semel satis æstimatum est in taxando rei pretio vulgari aut legitimo. Ita ferè Conradus q. 59.

*Secunda, Incerta solutio.*

Secunda causa ob quam liceat cariùs vendere creditò, est, Si incerta futura sit solutio: tunc enim in pretio ascendere potes, vsque ad æstimationem assecurationis quam tibi debet de solutione emptor. Est quidem verum, securitatem per se esse petendam, quando ea sine incommodo haberi potest; sed quando venditorem emptores fugerent, si pro pignore, fideiussore, aut alia assecuratione eis molestus esset, potest indemnitatem suam aliter curare.

Eadem est ratio, quando molestiæ aut sumptus meritò timentur in postulanda solutione: tunc enim pretij incrementum respondebit indemnitati, quam debet venditori emptor, neque tenebitur venditor pretium minuere, quando tempore solutionis deprehenderit nullas molestias aut impensas interuenisse; quia non tam pro impensis, quàm pro periculo earum quod verè subiit, pretium auxit. Ita Conradus q. 59. Econtrariò tamen si tempore solutionis culpâ emptoris inueniantur expensæ excreuisse vltra id quod erat in pactum deductum, tenebitur emptor in conscientia hoc supplere. Medina quæst. 38. causa 4.

Sed quærunt, Quomodo vendens creditò ratione periculi augere possit pretium, cùm magis sit periclitaturus pretio aucto; quo enim creditum maius est, eò maius istud periculum. Ita opponit Conradus.

Sed dico, Non quidem maiori securitate, sed maius pretium talem expectare. Et sanè sicuti periculum pretij, vt decem non facit vt nihili fiat creditum; ita periculum quod accedit in duobus quando exigitur pretium vt duodecim, non facit vt nihil censeatur accessisse pretio æstimabile. Hæc itaque ratio non concludet quòd venditor non poterit propter periculum augere pretium, sed potiùs quòd plus poterit augmenti apponere quàm iustè posset præsentis pecuniæ pro assecurationis onere in se suscepto accipere.

Fateor tamen, quod Molina valdè vrget disput. 356. quando auget venditor pretium ratione periculi aut molestiæ, oportere eius rei monere emptorem, qui fortè nolit tanto cum onere emere. Ratio est; Quia in redemptione illa periculorum & molestiarum quæ venditor timet, considerandus est quasi nouus contractus, adeoque nouus pro eo consensus erit requirendus.

*Tertia, Si aliter cũ modò venli merces non possint.*

Tertia causa erit, Quando merces talis sunt conditionis, vt commodè distrahi nequeant nisi creditò, ideoque secundùm modum emendi creditò, iam quasi vulgò æstimatum habent pretium quod maius sit pretio præsentis pecuniæ.

Hanc causam tum demum iustificat Molina disp. 357. quando istæ merces ferè haberent talem pretium auctum etiam præsenti pecunia, nisi multitudini emptorum, qui eas petunt, deesset facultas numerandi præsentem pecuniam, eoque fieret vt pauci relinquantur emptores, qui præsenti pretio licitentur, eaque paucitate pretium minuatur quoad modum vendendi præsenti pecunia. Cùm autem multi sunt emptores creditò, fit vt illud pretium iustum maius sit, eò quòd in isto genere tales sint emptores ordinarij, quorum multitudo soleat augere pretium. In alijs tamen communibus mercibus, etiamsi plures sint qui velint creditò quàm præsenti pecunia emere, non licet ex hoc solo vendere creditò vltra limites iusti, quo veneunt præsenti pecunia, quamuis hoc quidam dicere voluerint. Ratio est; Quia multitudo emptorum hîc non inducit peculiare pretium emptionis creditò, est enim virtute potiùs multitudo mutuatariorum quàm ordinariorum emptorum, & nollent præsenti pecunia tanti emere, etiamsi eam haberent. Sanè si id liceat, non rectè Iura vetuerunt ne creditò res pluris vendatur, nisi ex causa peculiari, cùm iam ratio inuenta sit, qua semper liceat cariùs vendere creditò. Ita ferè ex sententia Molinæ.

Non facilè tamen contraria praxis damnanda est, si verè ex consensu mercatorum constitutum sit aliud pretium rei vendendæ creditò, & circumstantiæ tales sint, vt Reipublicæ expediat, in eiusmodi casu quasi nouum forum esse quo res vendatur ad terminum, & aliunde in eiusmodi pretio non sit iniustitia.

Dico tertio. Non licet citra infimum iusti emere anticipato pretio, nisi ex tribus similibus caussis ex quibus diximus licere cariùs vendere creditò: quando nimirum simili modo emptor ratione anticipatæ solutionis damnum aut periculum subit, aut merces pretium habent quo communiter vendantur anticipatò, præter illud quo numeratò venduntur.

Ex dictis patet, quomodo excusari possunt qui cariùs creditò vendunt merces magna quantitate ex Indiis aduectas, aut siluas cæduas; item qui anticipatò viliùs emunt magna quantitate lanas.

## DVBIVM XII.

*Vtrùm liceat tibi numerato pretio redimere ex incontinenti minoris, quod plurus creditò vendidisti?*

Verbi gratia, vendidisti creditò duodecim, quod numeratò venditurus eras solùm decem, vtrùm liceat tibi statim illud redimere, dando decem?

Illud in primis certum, non licere venditori emptorem ad eiusmodi reuenditionem sibi aut socio suo statim faciendam obligare. Ita Angelus verbo Vsura 1. numero 60. Imò hoc etiam extenderim, ex mente eiusdem Angeli, ad eum qui sine pacto, eo tamen animo vendit cariùs creditò, vt statim redimat viliùs numeratò; est enim vsura palliata. Si tamen postquam bona intentione simpliciter vendidit, redimat sicuti alius quispiam iustè emere poterat, pretio numerato, non peccat, modò absit omne scandalum. Meritò tamen Lege interdicitur quibusdam locis, vt refert Molina disp. 310. ne quis ei creditò vendat merces, quem nouerit eas velle statim minoris reuendere parata pecunia: hoc enim modo multi solent se suosque fideiussores perdere.



## DVBIVM XIII.

*Cuius periculo pereat res vendita nondum emptori tradita?*

Dere tradita traditione vera vel ficta, qua emptor ponatur in eius possessionem, dubium non est quin emptori pereat, cùm plenè jam ex parte sua venditor contractui fecerit satis: ante traditionem autem, quando venditio ita perfecta est, vt non sit liberum partibus à contractu recedere, distinctione opus est. Si enim res particularis in individuo designata vendita fuerit, quod est vendi in specie sua, vt Iureconsulti loquuntur, ea perit emptori, nisi res vendatur non ad corpus, id est prout corpus sensibus objicitur, sed ad mensuram; ante mensurationem enim pertinet periculum ad venditorem.

Excipe casum quo emptor fuerit in mora, ne tempore constituto res sit dimensa, L. Lectos, ff. De periculo & commodo rei venditæ.

Quando autem venditur ad corpus, periculum est emptoris, nisi venditoris culpâ res pereat, aut venditor fuerit in mora tradendi, aut aliter in contractu cautum sit, aut res empta fisco cedat propter delictum venditoris, aut venditor affirmauerit eam rei bonitatem, vt tam citò perituram emptor credere non potuerit, aut denique aliqua pendeat adhuc venditionis conditio nondum impleta. Si tamen pretium rei tempore quo pendet conditio, decrescat, damnum illud erit emptoris.

Si vendita est res indeterminata, puta tot mensuræ tritici, tot oues de grege, quod Iureconsulti dicunt vendi in genere, eiusmodi res non tradita perit venditori, emptore retinente ius non in aliquod certum individuum, sed in genus quod perire non potest. Vnde etiamsi venditori totus grex periret, ex quo intendebat oues venditas sumere, deberet nihilominùs numerum quem vendidit indeterminatè aliunde præbere. Secùs si in pactum deduxerit, quòd ex isto grege decem tradet nunc indeterminatas; si enim grex pereat, sufficit reddere pretium.

*Obiect.* Objicies, Res domino perit: emptor ante traditionem non est dominus, vt dictum est suprà: ergo numquam ei perit res non tradita.

*Resp.* Respondeo ad Minorem, Hoc prouenire ex Iure positiuo, quod Ius, licet nolit emptoré mox à contractu rei esse dominum, vt effet Iure gentium, vult tamen aliquando penes eum rei commodum & incommodum esse, quasi hoc relinquens ex dominio, quod ei Iure gentiũ cõpetebat.

## DVBIVM XIV.

*Vtri tradenda sit res duobus vendita?*

Respondeo, Ceteris paribus, esse tradendam ei cui priùs fuerit vendita. Secùs dicendum, si posterior emptor eiusmodi habeat priuilegium, vt res in eius dominium transierit sine traditione, aut in securitatem contractus eam sibi habeat hypothecatam. Vnde si Ecclesia emat, quæ gaudet tali priuilegio, ei res tradenda est, non priori emptori. *Res priori emptori tradenda.*

Excipe hîc casum, quo posterior emptor sciuit priùs alteri rem venditam fuisse; tunc enim nullo suffragante priuilegio res priori tradenda, imò etiam tradita posteriori emptori, ei foret adimenda.

Hinc colligitur, Non ita se habere promissum venditionis aut donationis ad venditionem & donationem, sicut se habet venditio ad traditionem; quia res promissa Ecclesiæ, & posteà vendita aut donata Petro, relinquenda est Petro: data autem aut vendita sine traditione Ecclesiæ, & posteà iterùm vendita Petro aut donata, est restituenda Ecclesiæ.

Quæres, Quando vterque emptor dicit sibi rem traditam fuisse, & non constat vtri priùs sit tradita, cuius erit?

Respondeo, Præsumptionem fore pro eo cui priùs fuerit vendita, de quo, adeoque de tota hac dubitatione, benè differit Couarruuias lib. 2. Variarum resolut. c. 19.

## DVBIVM XV.

*Vtrùm liceat venditori rei venditæ fructus percipere, donec soluatur sibi pretium, non deducendo eos in sortem?*

Respondeo, Non licere: res enim domino suo fructificat; emptor autem re sibi tradita à venditore suam fidem secuto, est rei dominus. Ita ferè Siluester verbo Vsura 2. q. 11. Gabriel in 4. dist. 15. q. 11. art. 2. concluſ. 4. vbi testatur esse communem Theologorum, addens, fore vsuram palliatam: reciperet enim venditor fructus ratione mutuò dati pretij supra sortem. Imò probabile est, etiam non traditæ rei fructus esse emptoris, & sufficere per solum consensum contrahentium perfectam esse venditionem: diximus enim suprà, commodum & incommodum rei regulariter esse emptoris. Excipio tamen casus sequentes. *Res emptori fructificat.*

Primus, Si in pœnam moræ, consensu contrahentium ita statuatur, vt nisi certo tempore soluerit emptor, res exinde fructificet venditori, donec pretium soluatur. Ita Gabriel. Adhibendæ tamen hîc erunt limitationes, quas sequenti Capite in simili trademus, quando agemus De mutuatore similem pœnam stipulante. *Excipitur 1.*

Secundus, Si fructus compensent interesse venditoris: tenetur enim damnificator ad omne illud damnum, quod potuit præuidere securum ex culpabili sua actione aut mora. In foro tamen externo solùm æstimabitur interesse intrinsecum, quod non per accidens, sed quasi per se oritur ex dilata solutione: verbi gratia, si venditor erat rem fructiferam pecunia sua empturus, hoc æstimabitur, quia est interesse intrinsecum; *2.*

cum; si autem erat ea pecunia aliturus mancipium quod intereà perijt inediâ, aut reparaturus ædes caducas, quę interim lapsæ sunt, non æstimabitur, quia est interesse extrinsecum. Cęterùm quousque etiam in conscientia interesse extrinsecum veniat considerandum, sequenti Capite dicemus.

3. Tertius, Quando tantò minoris res fuerit vendita, & in tempus certum fructus venditori reseruati: tunc enim venditor virtute redimit fructus.

4. Quartus, Quando venditio non tam est inita quàm promissa in tempus quo emptor pretium exhibuerit: tunc enim manifestum est, venditorem plenè mansisse dominum.

5. Quintus, Quando venditor non est secutus fidem emptoris, & emptor pretium non obtulit, nisi aliter inter eos conuenerit; probabile est, & dicunt quidam, etiam in conscientia venditorem posse rei fructus sibi vindicare, nam in foro exteriori hoc ei conceditur L. Iulianus, ff. De actionibus empti, etiam quando res emptori tradita fuerit, vt patet §. Ex vendito. Imò videtur Lex Cæsarea vsuras concedere venditori in compensationem fructuum ex non soluto pretio rei ipsi emptori traditæ: dicit enim L. illa Iulianus, *Cùm re emptor fruatur, æquissimum est eum vsuras pretij pendere.* Similiter L. Curabit Præses, C. eod. *Curabit Præses prouinciæ compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percepit, partem pretij quam penes se habet cum vsuris restituere.*

Probabilius tamen videtur, ex Legibus istis conscientiam non esse satis tutam, quia loquuntur etiam in casu, quo dominium rei esset translatum in emptorem. Certum autem est, tunc non posse venditorem ratione fructuum ab emptore perceptorum, peculiare ius prætendere, cùm res domino suo fructificet. Sunt qui excusent has Leges; quòd solùm constituerint venditori vsuras compensatorias. Verùm non rectè; quia non allegatur interesse venditoris, sed quòd perceptorum fructuum ratio ius eiusmodi vsurarum producat. Omitto quòd interesse illud magis varium sit quàm vt certa eius compensatio statui potuerit, quando passim omnibus conceditur dimidiam centesimę vsurarum nomine stipulari, id est sex in cętum, vt patet L. Eos, C. De vsuris. Verius itaque videtur, has Leges esse correctas per Ius canonicum, & vsuras concessisse quas Lex naturæ prohibet: quamuis enim æquitatem in eo respexerint, quòd voluerint pretium posse fructificare venditori, sicuti res fructificat emptori; generalis tamen illa æquitatis præsumptio non saluat conscientiam venditoris, quando reuerà ipse aut nullum, aut non tam magnum interesse prætendere potest.

*Fructus ex re pendentes sunt emptoris.*

Quæres, Qui fructus cedant emptori? Respondeo; Secundùm probabilem quam sequimur sententiam, eo ipso quo consensu contrahentium venditio facta est, fructus adhuc eo tempore ex re pendentes sunt emptoris, vt & illi qui in posterum inde prouenient: quamuis quoad posteriores fructus aliqui requirant vt ij sint emptoris, vel venditorem ipsius fidem esse secutum, vel ipsum venditori pretium obtulisse. Verùm sine hac distinctione simpliciter existimamus, eos esse emptoris, quod sensit Couarruuias lib. 1. Variarum resolut. cap. 15. quamuis Molina videatur eum aliter intelligere, quasi distinctionem hìc faciat fructuum tempore venditionis ex re pendentium, à fructibus qui postmodum proueniunt; cùm solùm distinguat fructus illos ex re tunc pendentes, ab ijs qui ante venditionem ex re pependerunt, nunc autem non pendent.

Hinc sequitur, Ad venditorem agri pertinere messem quæ erat ante venditionem collecta, etiamsi ex ea conductor pensionem nondum debebat, quia terminus pensioni præstitutus nondum aduenerat.

Sequitur Secundò, Si tempore vindemiæ maturæ, sed nondum collectæ, vendatur vinea, emptoris fore totum fructum vuarum nondum decerptarum.

Sequitur Tertiò, Si domus vendatur tertio alicui locata, à tempore venditionis pretium locationis cedere emptori, & pro rata debere illud diuidi inter emptorem & venditorem, quando terminus solutionis post venditionem demum exspirat. Excipe, nisi venditor sit fiscus: tunc enim tota pensio cedit emptori, qui in huius compensationem tenetur ratum habere contractum locationis à fisco initum, qualem contractum initum à priuato venditore non teneretur ratum habere, L. Emptorem, C. Locati.

Quæres Secundò, Cuius sint fructus qui percepti sunt à tempore contractus vsque ad eius rescissionem, si contingat rescindi?

Respondeo, Fructus intermedio tempore collectos fore primi emptoris, si nouo superueniente contractu fiat rescissio; item si fiat vi pacti retrouenditionis, & res eodem redimatur pretio quo empta est. Imò tunc etiam pendentes fructus erunt primi emptoris, cedetque redimenti solùm melioratio fructuum, quæ fiet post retrouenditionem cum fructibus sequentibus. Retrouenditioni hìc æquiparabitur oblatio pretij, facta ab eo qui ius habet redimendi: quamuis enim emptor aut eius heres non pareat, ex eo tamen die fructus erunt venditoris, L. Si fundum, C. De pactis inter emptorem & venditorem.

Hinc colligitur, Si redemptio fiat eo tempore quo fructus iam maturi sunt in agro empto, emptoris fore æstimationem fructuum quæ potuit esse toto tempore quo ager fuit ipsius, vt ex Couarruuia docet Molina disp. 374. secùs si fiat redemptio pretio eo tempore currente; tunc enim sine incommodo fructus pendentes erunt redimentis, quia eorum æstimatione poterit augeri pretium.

Si ex pacto Legis commissoriæ contractus dissoluatur, pertinebunt fructus ad venditorem, quando verbis directis hoc pactum conceptum fuerit; ad emptorem autem, quando indirectis solùm.

*Pactum Legis commissoriæ quid.*

Pactum Legis commissoriæ est, quando res alicui venditur ea lege, vt sit inempta, nisi solutio fiat intra certũ tempus. Fit directis verbis, quando diserte significatur, contractum ab initio fore irritum, aut rem inemptam: indirectis, quando significatur, potiùs in posterum rescindendum fore contractum.

*Pactum addictionis in diem.*

Eadem distinctio & doctrina locum habebit, si rescindatur ex pacto addictionis in diem, id est quia vendita est res ea lege, vt si intra certum tempus venditor inuenerit alium emptorem, qui meliorem conditionem obtulerit, res sit inempta, & iam fortè contingit per alium emptorem offerri meliorem conditionem.

*Item tum pact. retrouendendi.*

Deniue



Denique quando res sub conditione vendita est, & ea non fuit impleta, fructus manet venditoris, quia verè numquam venditio fuit perfecta: si conditio fuerit impleta, retrotrahitur contractus, quasi ab initio fuisset absolutus, nisi ea conditio sit potestatiua, id est quæ tota sit in potestate eius cui imponitur; tunc enim eius impletio non retrotrahit.

## DVBIVM XVI.

### *Vtrùm liceat vendere cum pacto redimendi, aut emere cum pacto retrouendendi?*

*Vendere cum pacto redimendi licitum.*

Dico primo. Dubium non est, quin sit licitum vendere alicui rem suam apposito pacto, vt sibi liceat eam redimere, si voluerit, reddito eodem pretio. Patet Leuitici 25. vbi Lex diuina statuit, vt domos vrbanas liceat intra annum redimere, prædia autem rustica tempore lubilęi redeant ad priorem dominum. Ex quo posteriori ita hìc licebit argumentari: Si liceat pacisci vt tempore certo etiam gratis dominus recipiat rem suam quam modò vendit, multò magis vt restituto pretio. Denique res hæc certissima est in Iure ciuili, C. De pactis inter emptorem & venditorem, L. Si fundum, & L. Cùm te. Item ex emptione censuum, quorum iste modus vendendi ita ordinarius est, vt intellectum censeatur pactum redimendi in fauorem venditoris, etiam quando expresè appositum non fuerit, vt suo loco dicemus. Est etiam argumentum ex cap. Ad nostram, De emptione; vbi eiusmodi venditio damnatur, si pretium quo fit redemptio, sit nimis exiguum. Vnde rectè colligunt DD. per argumentum à contrario sensu, licere, si fuerit iustum, comprehensa æstimatione oneris redimendi. Notandum enim, eiusmodi venditorem debere pretium minuere pro ratione oneris illius, quod in sui fauorem emptori imponit, quod dicunt etiam vsque ad tertiam partem valoris iusti æstimari posse: nam & Lex diuina monuit, pro ratione breuioris temporis quo venditio distet à Iubilæo, pretium minuendum esse.

Quæres, Vtrùm venditor quando stipulatus est quod poterit redimere, habeat actionem in rem venditam, an solùm in factum seu personam emptoris?

Respondeo; Existimo solùm habere in factum & personam emptoris. Vnde sequitur, Si emptor cõtraueniens pactis, rem diuendat & tradat tertio, venditorem primum non posse quidquam prætendere contra illum tertium aut in rem ipsam, sed solùm contra primum suum emptorem. Ita sentit ex communiori Molina disp. 347. & probatur à maiori: Res enim vni vendita & non tradita, si alteri postea vendatur & tradatur, non manebit obligata priori emptori, sed solus venditor eidem manet obligatus.

Maior difficultas est, Vtrùm etiam in fauorem emptoris posset in vẽditione apponi pactum, quo teneatur venditor redimere, vbi placuerit emptori retrouendere?

*Item tum pact. retrouendendi.*

Dico tamen secvndo, Verius esse, hoc licere. Ita ex communiori Conradus quæst. 83. quem sequitur Molina disp. 375. Probatur; Quia nulla Lege prohibitum est pactum retrouendendi. Iustum autem illud erit, si compensatio iusta ei fiat, qui eiusmodi pacto videtur grauari. Indubiè autem potest hìc ea compensatio fieri, si emptor tanto cariùs emat. Deinde non subesse vsuræ vitium, vel inde patet, quòd nullum hìc sit mutuum: si enim res pereat, perit emptori; neque ius habet repetendi pretium; itaque non rectè consideratur mutuò dedisse pretium, & illud recuperare pro libito supra sortem acceptis rei fructibus.

Dico tertio. Nihil impedit quò minùs venditor, qui rem vendit cum pacto redimendi, ineat simul cum emptore contractum conductionis eiusdem rei, donec eam redimat. Ita post Siluestrum, Conradum, Caietanum & Nauarrum, Molina disp. 376. Videndum tamen hìc, ne potiùs vsuræ sit pallium, quàm vera emptio & conductio; secundò, vt pretium iustum sit in vtroque contractu.

Dico quarto. Licet interdum rem emere cum pacto retrouendendi maiori pretio, quando nimirum probabiliter putatur tempore retrouenditionis plus valitura. Ita Medina quæst. vlt. De vsuris. Eadem est ratio de pacto in fauorem venditoris redimendi rem minoris quàm sit vendita; nam & istud licet, quando minoris valitura est tempore redemptionis. Imò etiam eiusmodi pacta apponi possunt, quando res præsumitur eodem modo valitura tempore reuenditionis, quo nunc passim emitur: sed tunc duplex onus compensabit is in cuius fauorem pactum apponitur. Si enim emptor promittat non solùm retrouendere, sed etiam minoris; pro retrouenditionis onere subleuabitur in pretio, ita vt pro re valente, verbi gratia nouem, solùm soluat septem: item pro altero onere retrouendendi minoris, subleuabitur tanto minoris insuper nunc emẽdo, quanto deficiet redẽptionis pretium à iusto quod erit illo tempore. Verbi gratia, Si pretium sit nouem tam tempore emptionis quàm redemptionis, & velit vẽditor rem suam redimere, non sufficit nunc descendere ad septem in prima venditione, sed debebit adhuc in duobus descendere, vt vendat solùm quinque. Hæc tamen ita accipienda sunt, vt non damnemus eum qui infra limites iusti vẽdat rigido, & stipuletur de redẽptione vel mediocri, vel infimo pretio. Semper tamen obseruandum, vt vera fiat æstimatio oneris redimendi aut retrouendẽdi: vera autem erit, si ex communi fiat iudicio, non ex commodo aut incommodo partium. Quamuis & hìc suam habeat æstimatio latitudinem, & qui rogatur vt onus tale suscipiat, possit allegare suum extraordinarium quod fortè habet interesse, & indemnitatem stipulari.

## DVBIVM XVII.

### *Vtrùm venditor teneatur emptori de euictione?*

*Euictio quid.*

Evictionem rei venditæ vocamus, quando de potestate emptoris eripitur, quia alius probat esse suam.

Quæritur itaque, Vtrùm venditor de hoc teneatur emptori?

*Venditor de ea tenetur emptori.*

Respondeo, Regulariter teneri, ita vt emptori tunc aduersus vẽditorem competat actio non solùm repetendi pretium, sed etiam exigendi, quanti sua interest, rem non fuisse euictam. Ita Ius naturale dictat, quia tenetur venditor rem tradere cum effectu, & statuitur L. Libera, C. De sentẽ-

tijs & interlocutorijs omnium Iudicum, L. Si cùm quæstio, C. De euictionibus. Quod de vendente dicimus, etiam ad permutantem est extendendum, L. Si permutationis, C. eod.

Donator autem de rei donatæ euictione non tenetur, nisi de euictione cauerit, L. Quoniam auus, C. eodem. Tenebitur ergo is solus, qui titulo oneroso rem transtulit; neque is semper: tres enim casus excipit cap. finale De emptione. Primus est, Si lite mota emptor non insinuauerit vēditori, vt rem sibi venditam defendat. Secundus, Si emptor contumax fuerit, non comparendo post citationem, ideoque litem amisit: tunc enim videtur rem amittere potiùs propter suam contumaciam, quàm ob aliam causſam. Tertius, Si per iniuriam Iudex contra emptorem rem alteri adiudicauerit. Quartus erit, Si in contractu expressum sit, ne venditor de euictione teneatur. Quintus, Si emptor à sententia qua sibi res adimitur, absente venditore neglexerit appellare. Sextus, Quando emptor consensit in arbitrium Iudicis aut alterius qui rem adiudicauerit. Septimus, Si tempore emptionis emptor nouerit rem esse alienam. Octauus, Quando emptor rem præscribere potuit. Nonus, Quando sua culpa emptor rei possessionem amisit. Decimus, Quando empta est tota aliqua hereditas, & euicta aliqua pars illius: qui enim totam hereditatem vendit, non tenetur de euictione singularum eius rerum, L. Emptor, C. De euictionibus.

*Casus quibus non tenatur.*

## CAPVT III.

### *De Mutuo & Vsura.*

### DVBIVM I.

### *Quid sit Mutuum?*

De mutuo ita Institut. Quibus modis re contrahitur obligatio §. 1. *Mutui datio in ijs rebus consistit, quæ pondere, numero, mensura constant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut appendendo in hoc damus, vt accipientium fiant. Et quoniam nobis non eædem res, sed aliæ eiusdem naturæ & qualitatis redduntur; inde etiam mutuum appellatum est, quia ita à me tibi datur, vt ex meo tuum fiat.*

Ex quo consequens videbitur, non satis rectè quosdam dicere, verum mutuum in solis illis rebus reperiri, quæ vsu consumuntur. Nam ex hoc ipso textu quem pro se citant, constat, æris massam, argenti, aut auri, mutuò dari posse ad pondus, quæ tamen constet non consumi ipso vsu. Illud verum est, omnia quæ vnico actu simul vsu absumuntur, numero, pondere, & mensura constare, ideoque in illis omnibus propriè locum esse mutuo: in ijs autē quæ numero, pondere, & mensura non cōstant, mutuum virtuale solùm reperitur; verbi gratia, lana, quia pondere cōstat, mutuò dabitur sine alio cōtractu; vestis autē ex lana confecta, non dabitur mutuò, nisi fortè virtute in suo pretio, quando creditò venditur. Ratio autē quare quæ mutuò dantur, numero, pondere, & mensura constent, est ista, quod mutuum postulet reddi rem aliam numero distinctam in eodem valore, qui valor debet constare ex numero, pondere, aut mensura. Vnde etiam fit, vt quæ numero, pondere, & mensura non constant, si mutuò dentur, iam quodammodò constare incipiant, eo ipso quo valor eorum æstimatur.

Colligitur etiam definitio mutui, vt sit rei ad numerum, pondus, aut mensuram traditio, eo animo facta, vt statim fiat accipientis, ea lege vt is posteà restituat non eamdem, sed aliam similis naturæ, qualitatis, & bonitatis. *Mutuum quid.*

Dico, *posteà restituat*; quia de ratione mutui est, ne restitutio fiat statim, alioqui esset potiùs permutatio aut venditio, vt benè Siluester verbo Mutuum. Itaque redditio fiet, vel tempore constituto, vel si illud constitutum non sit, quando mutuator repetierit, modò non statim, nisi ex iusta causſa superueniente repetat, aut tales non sint circumstantiæ, vt tacitè censeatur in longius tempus mutuasse.

Dico, *restituat non eamdem*; quia (vt dicitur L. 2. ff. Si certum petetur) mutuum est contractus, quo qui indiuiduum accipit, speciem reddere obligatur, alioqui si idem numero vi pacti reddatur, commodatum foret aut depositum.

Dico, *vi pacti*; quia, vt benè Molina disp. 299. potest mutuatarius rem eamdem reddere, modò eiusdem manserit bonitatis, sed ex mutuo non tenetur. Si reddatur aliud secundùm naturam ac speciem, puta pro tritico vinum, non erit mutuum. Quando redditur pecunia argentea pro aurea, non mutatur species, quia omnis pecunia, siue materia in monetam cusa, est eiusdem speciei formaliter considerata, nimirum vt mensura rerum venalium. In virtuali mutuo non requiritur vt eiusdem sit speciei quod redditur; nam in venditione ad terminū, virtuale mutuum est vbi pecunia pro quauis merce redditur. Verùm vt benè Siluester, consideratur mutuari non tam res ipsa quæ venditur, quàm eius valor; quia idem secundùm speciem redditur, quando pecunia soluitur.

Dixi, *ad numerum, pondus, aut mensuram traditio*; quia res quæ mutuò datur, cùm numero, pondere, aut mensura constet, functionem recipit, vt vnam eiusdem generis pro alia reddere soleamus: talis enim res tradita non tam parit ius, vt quod acceptum est restituatur, quàm vt creditum soluatur; credere enim maximè dicimur in mutuo.

Mensuram hîc intelligunt contentiuam, qualis est frumenti & liquidorum, ne pannus etiam videatur mensurâ constare, qui per vlnas venditur.

Verùm cùm dictum sit, quid possit mutuò dari, meritò quæritur, quis possit mutuum dare, quisve accipere. *Quis possit mutuum dare, quis accipere.*

Vbi in primis certum est, eos non posse mutuum dare, qui non possunt alienare: mutuum ergo dabit dominus rei, liberam eius habens dispositionem. Dare tamen potest quis mutuò de suo, nomine alterius, vt is cuius nomine datur, comparet actionem, L. Certi conditio, §. Si nummos, ff. Si certum petetur. *Mutuatarij priuilegiati.*

De mutuatarijs autem notandum, Ecclesiam, adeoque loca pia, ciuitates & oppida, minores & filiosfamilias, quædam habere priuilegia in mutuo. Si enim ciuitas mutuum à te sumpserit, non repetes, nisi probes in eius vtilitatem fuisse conuersum, L. Ciuitas, ff. Si certum petetur. Idem statuitur de Ecclesia, Authentica Hoc Ius porrectum, C. De sacrosanctis Ecclesijs, & 10. quæst. 2. cap. Ea enim. Non repetes, inquam, ab ipsa Ecclesia aut ciuitate, sed ab eo solùm, qui eius nomine à te accepit. Si tamen Capituli simul & Prælati in mutuo accipiendo consensus interuenerit, repetes ab Ecclesia sine onere talis probationis, nisi tibi satisfieri nequeat sine rei immobilis aut pretiosæ, quæ seruando seruari potest, alienacione. Si verò concilium ciuitatis consentit vt à te mutuum pro ciuitate peteretur, non teneris ad talem probationem, etiamsi immobilia ciuitatis, vt tibi satisfiat, sint vendenda.



De simili priuilegio minoris constat ex L. Si in rem, C. Quando ex facto tutoris.

*Senatusconsultū Macedonianum.*

De filiis familias mutuatariis Notandum est, Eis competere exceptionem Senatusconsulti Macedoniani, quo statuitur, non esse soluendum mutuum, quod filius accepit sine consensu patris, sub cuius adhuc erat potestate, non ignorante id mutuatore, nisi habeat bona castrensia, aut sit miles, aut pecunia versa sit in vtilitatem patris, aut in eum sumptum quem pater filio debuisset suppeditare. Verba Constitutionis ita ferè habent: *Placet ne cui qui filio familias mutuam pecuniam dedit, etiam post mortē parentis eius cuius in potestate fuit, actio petitioque detur*. Hoc priuilegium etiam in foro conscientiæ obtinere docet Molina disp. 301. ex opinione Panormitani, & communi. Solùm tamen procedit de pecunia mutuata, non de alia re, nisi ea in fraudem Legis loco pecuniæ data sit. Verùm de hac re videre licet ff. De Senatusconsulto Macedoniano.

Est & alia exceptio circa mutuum. Si quis enim spe accipiendi mutuum, chirographum expediat, quo se fateatur ex mutuo tantam pecuniæ summam debere, potest intra biennium à die dati chirographi excipere seu opponere, pecuniam non fuisse verè numeratam; quod nisi probet mutuator, absoluitur mutuatarius, Instit. De litterarum obligationibus.

### DVBIVM II.

### *Quid sit Vsura?*

*Vsura vnica significationis.*

Vsvram lucis dicimus pro vsu huius vitæ. Vsus enim & vsura se habent sicut cultus & cultura. Hinc eò itum est, vt significaretur hac voce fructus rei, ex vsu prouenientes: quo modo vsuræ nomen etiam in bonis accipi potest, vt etiam lucra iusta, siue rei, siue industriæ ac laboris, siue compensatoria complectatur; quomodo illud Ambrosij accipere licet, quod est 14. q. 4. cap. vlt. ex lib. De Tobia cap. 15. *Ab illo exige vsuram, cui meritò nocere desideras*. Verùm vsus obtinuit, vt frequentissimè vsura in malum accipiatur; quomodo iterùm vsuræ nomen tribus commune est: vel enim significat ipsum lucrum quod ex mutuo accipitur, vel ipsam eius acceptionem, vel animum accipiendi. Primo itaque modo vsura est lucrum ex mutuo immediatè prouenies. Lucrum est omnis superabundantia supra sortem, impendia, & indemnitatem, & quoduis aliud aliunde debitum, quod ideò turpe & iniustum est in mutuo, quia mutuum inde dictum est, quòd mutuò & vicissim reddatur quod datum est, quamuis per allusionem sibi familiarem lureconsulti inde dictum velint, quòd in eo fiat ex meo tuum: non redditur autem mutuò & vicissim quod datum est, quando mutuator supra mutuas vices sortis plus stipulatur, fœnus exigens contra iustitiam, cùm ad mutuas tantùm redeuntis sortis vices ius habeat.

Dico, *ex mutuo immediatè*; quia mediante amicitia mutuatarij, lucrum ex mutuo prouenies mutuatori, vsura non est. Non refert tamen an mutuum formale sit, an solùm virtuale. Ad obiectum istud malum, vel sola voluntas aspirans inficitur, vitiumque eius vsura dicitur.

Vsura autem quæ in acceptione est, definiri potest, Intenta acceptio lucri pretio æstimabilis, vltra sortem, causſa mutui principaliter. *Vsura quid.*

Dico, *intenta*, non autem *pacta*, vt comprehendam vtramque vsuram, & mentalem & realem. Quando enim sine pacto accipitur lucrum ex mutuo, etiamsi actus externus coniunctus sit, dicitur vsura mentalis, non quòd actus merè mentalis sit (quomodo voluntas vsuraria est vsura mentalis) sed quòd in exteriori acceptione vsura mentalis sit. Quando autem intentio etiam ipsa exteriùs in pactum deducitur, est vsura realis. *Vsura mentalis.* *Vsura realis.*

Dico, *pretio æstimabilis*; quia vt dicit D. Hieronymus in cap. 18. Ezechielis, & citatur cap. Putant 14. quæst. 3. *falluntur qui putant vsuram tantùm esse in pecunia*. Simile habet in caput 21. Matthæi; vbi reprehendit Iudæos, quòd in templo collibistas posuerint, qui cùm pecuniam mutuassent, non quidem pecuniarium fœnus, (quod Lege vetitum sciebant) sed tragemata, id est vilia quædam munuscula pro vsuris accipiebant, reprehensi Ezechielis 22. *Vsuram & superabundantiam accepisti*. Et cap. 18. *Ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit*. Idem docet Augustinus in Psal. 36. citatus eadem 14. quæst. 3. cap. Si fœnerauerit.

Dico, *causſa mutui principaliter*; quia secundaria intentio lucri non facit vsuram: est autem intentio principalis secundùm Siluestrum verbo Vsura 1. initio, qua quis maximè ad mutuandum mouetur, & sine qua mutuum non fieret; verbi gratia, in mutuante partim ex beneuolentia, partim ex spe lucri, principalis intentio est lucri, si eo cessante non mutuaret. Imò ad vsuram sufficit, si intentio principalis lucri mutuo superueniat, postquam iam recta intentione concessum fuerit. Ita ferè Siluester. Verùm simpliciùs & rectiùs dixerimus, *principaliter* hîc idem esse quod primariò & proximè seu immediatè, ne putetur esse vsura, quando non esses mutuaturus, nisi mediante amicitia & gratitudine mutuatarij lucrum aliquod sperares, de quo benè scribit Caietanus in art. 1. quæst. 78. Principalitas ergo ista consideranda est in causſa ob quam lucrum accipitur, non autem in causſa ob quam mutuum datur.

Præter eam quam insinuaui vsuræ diuisionē in mentalem & realem, aliter diuiditur in apertam & palliatam. Aperta duo requirit, vt & mutuum formale sit, & propter ipsum lucrum accipiatur apertè, sine vllo alio prætextu. Palliata autem est, quando vel mutuum, ratione cuius lucrum accipitur, non est nisi virtuale; vel si mutuum formale sit, prætexitur aliud, ratione cuius lucrum accipiatur, puta interesse. *Vsura 2. diuisio in Apertam & Palliatā.*

### DVBIVM III.

### *Vtrùm Vsura sit illicita, & quo Iure sit prohibita? D. Thomas quæst. 78. art. 1.*

Fidei est, nullam vsuram, vt superiore Dubio eam definiuimus, esse licitam, vt

patet Clementina vnica De vsuris ; vbi cum Concilio Viennensi id definit Clemens V. & qui pertinaciter affirmet contrarium, decernit velut hæreticum puniendum.

Dico, *nullam*, contra eos qui moderatas vsuras licere volunt; neque enim magis moderatæ vsuræ licent quàm moderata furta.

At maioris quæstionis erit altera Dubij pars, Quo Iure vsuræ sunt prohibitæ?

*Vsuræ prohibitæ Iure diuino.*

Respondeo, & DICO PRIMO. Esse prohibitas Iure diuino, tam in veteri quàm in noua Lege. De Veteri patet Ezechielis 18. *Qui ad vsuram non cõmodauerit, & amplius non acceperit, &c. hic iustus est.* & infrà: *Si genuerit filium ad vsuram dantem, & amplius accipientem, numquid viuet?* Psal. 14. is demum dicitur ascensurus in montem Domini, qui pecuniam suam non dederit ad vsuram: & de ciuitate impia Psal. 54. dicitur: *Non defecit de plateis eius vsura & dolus.* In Noua Lege, quamuis & prædicta, cùm morale præceptum indicent, ad hanc pertineant, habemus celebrem Domini sententiam Luc. 6. *Benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes.* Certum enim est, quæcumque tandem probabilis detur illius loci interpretatio, non aliam posse dari, quàm vt eo vsuræ prohibitio certissimè contineatur. Quamuis enim variè locum istum interpretes intelligant, in eo tamen conuenire oportet, in hanc sententiam Domini eum impingere, qui superabundantiam ex mutuo speraverit.

Dicunt quidam, consilium esse Domini; ne omittamus etiam illis mutuando benefacere, à quibus vt vicissim nobis mutuent, aut alterius quidquam beneficij impendant, non expectamus. Cui sensui vtcumque fauet quod præcedit, *Si mutuum dederitis his à quibus speratis accipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur vt recipiant æqualia.* Quid enim sit, *nihil inde sperantes*, indicant ista verba, *à quibus speratis accipere:* ibi enim subaudiendum esse *æqualia*, non *fœnus*, ex sequentibus patet: *Peccatores peccatoribus fœnerantur vt recipiant æqualia.* Ita ferè explicat eum locum Toletus in Commentario. Verùm si Dominus ne vices quidem mutuò accipiendi velit nos ex mutuo sperare, quanto minùs aliquid pecunia æstimabile tamquam certum mutui lucrum stipulari permiserit?

Alij volunt consilium dari, vt mutuum detur etiam quando propter mutuatarij paupertatem ne sortem quidem recipere speres; & si dixeris hoc non esse mutuare, sed simpliciter donare, dicunt respectu pauperis esse donum, sed respectu Dei, qui quodammodò fideiussor est pauperis, esse mutuum, secundùm illud Prouerb. 19. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* Cui fauet quod sequitur: *Et erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.* Ita ferè D. Basilius in Psal. 14. Verùm vt & iste suam probabilitatem sensus habeat, facilè apparet Dominum indicare simul & supponere, quòd debeamus esse alienissimi à fœnebri lucro, quos non dubitet monere, vt mutuando etiam iacturam faciamus.

Alij dicunt, Dominum hac sententia prohibere intentionem aliquid accipiendi vltra sortem ex mutuo, quæ vsura est; & insuper dissuadere omnem spem cuiusuis emolumenti inde obtinendi, quæ non est continuò vsuraria, sed illiberalem quodammodò facit mutuationem: vt si ideò mutues, quia speres quòd vicissim tibi mutuabit, aut alia beneficia præstabit. Hic commentarius videtur genuinus, & conciliat eos qui quod perfectionis est consuli dixerunt, ne ex mutuo compensatio humana, sed potiùs diuina expectetur remuneratio, cum Canonibus illis & Pontificibus, qui dicunt hìc prohiberi vsuram, vt Vrbanus III. cap. Consuluit, De vsuris, & Alexander III. cap. Super eo, eodem, qui dicit, vsuras vtriusque Testamenti paginam detestari. Cùm enim vix clarior alius contra vsuras ex nouo Testamento locus produci queat, non dubium est, quin ad hunc Pontifex respexerit.

*Item Canonico.*

DICO SECVNDO. Vsuræ etiam Iure Canonico vniuersim prohibitæ sunt. vide 14. q. 3. & 4. & in titulis De vsuris in 5. Decret. & in 6.

*Et Naturali.*

DICO TERTIO, Vsuræ prohibitæ sunt non tantùm Iure positiuo, sed naturali. Tenent hanc omnes Theologi & Philosophi: ex quibus quidam rectè dixit, fœnerati esse idem quod hominem occidere.

Probatur Primò; Quia vsura est contra Iustitiã commutatiuam non minùs iniqua, quàm si in numero, pondere, aut mensura fallas. Diximus enim suprà, mutuum consistere in rebus numero, pondere, & mensura constantibus. Vnde consequens est, consistere in indiuisibili æqualitatem rei quæ in mutuo datur ad eam quæ redditur: ad hoc enim numeratur, ponderatur, aut mensuratur, præcipuè cùm mutuæ vices non reddantur, nisi etiam in bonitate sit paritas. Quando ergo vi mutui aliquid emungis vltra sortem pretio æstimabile, illud mutuatario absq; iusto titulo adimis, & tibi vsurpas, adeoque contra iustitiam restitutioni obnoxius, peccas, non secùs ac si in ipsa pecuniæ numeratione fraudem admisisses, computando & repetendo decem vbi nouem solùm fuissent numerata.

Secundò, Præceptum quo tempore veteris Legis prohibitæ sunt vsuræ, etiam hodie viget, vt patet cap. Consuluit, De vsuris, cap. Si quis oblitus 14. q. 4. & ex can. 17. Concilij Nicæni: atqui non vigeret, nisi esset morale, adeoque Legis naturæ, quia cetera nunc non obligant.

Tertiò, Legis naturæ est, ne res sterilis proximo æstimetur, transferatur, aut vendatur quasi fructifera; vsurarius autem valorem mutui, quem transfert, æstimat tamquam rem fructiferam, cùm sit sterilis; itaque impingit contra Legem naturæ.

Quartò, Etiamsi res mutuata esset fructifera, non tamen deberet fructificare mutuatori; nemo enim secundùm Legem naturæ lucrum prætendere potest ex re aliena, mutuum autem transit in dominium mutuatarij. Confirmatur; Quia meritò eius est commodum, cuius est periculum, cessante alio pacto & titulo: atqui periculum rei mutuò acceptæ totum est mutuatarij; nullum ergo eius debet esse commodum mutuatoris.

Quintò, Vsurarius virtute vendit quod non est, aut quod non ita separatim æstimari potest, quin semel iam sit venditum priùs eidem emptori, aut sanè supra valorem rem suam vendit. De quo videre licet Conradum quæst. 22. vbi & alia plurima habet similia huc pertinentia.

Denique



Denique probatur ex cap. Super eo, De vsuris; vbi dicitur, non posse super vsura dispensari cuiuscumque pietatis intuitu, sicuti nec super mendacio.

*Obiect. 1.*

Verùm contra dicta, præsertim tertia ista propositione, obijcitur Primò, Vsuras non videri contra Legem naturæ, eò quòd licuerint in veteri Lege, quamuis positiuo præcepto vetitum fuerit eas accipere à fratre Israelita, Exod. 22. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi,* &c. *nec vsuris opprimes.* Simile est 2. Esdræ 5. Clarissimè autem Deuteronomij 23. vbi simul concessio vsurarum quoad alienos adiungitur: *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, aut fruges, aut quamlibet aliam rem, sed alieno.* Et cap. 28. *Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies.*

*Resp. ad locum Deuteronomij 28.*

Verùm ad postremum illud facillima est responsio: Fœnerare enim accipitur pro mutuare, quo modo Prouerb. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* vbi quamuis sensus ferat, vt fœnerari accipiatur pro mutuare cum fœnore (nam vt docet Augustinus Concione 3. in Psal. 36. *Consultum nobis est, vt Deo demus ad vsuram*) ex Hebræo tamen ostendit Iansenius, accipi simpliciter pro mutuare: quo modo & cap. 22. *Qui mutuum accipit, seruus est fœnerantis.* Ecclesiastici 28. *Qui facit misericordiam, fœnerat proximo suo.* Et infrà: *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.* Similiter semel aut iterùm in sequentibus, & Lucæ 6. *Peccatores peccatoribus fœnerantur.*

*Ad locum Deuter. 23.*

Ad alia loca, præsertim ad locum qui opponitur ex c. 23. Deuteronomij, respondeo, Numquam Deum concessisse Iudæis cum vsura mutuare alienis, sed solùm impunè id permisisse. Impunè inquam, quòd institutis Legibus eorum formans Rempubl. crimen vsuræ contra alienigenas, vt & alia quædam, noluerit per Iudices puniri.

Dicunt quidam, per *alienum* ibi intelligi populum illum, cuius terram adeoque spolia Dominus donauerat Israeli, quibus ideò ad vsuram dare potuerint, quòd, vt loquitur Ambrosius, meritò eis desiderarint nocere in temporalibus istis bonis, ad quæ ex Dei dispositione ius habebant.

Sed verius est, extendi etiam ad alios alienos, puta Idumæos, adeoque quod priùs dictum est, magis placet. Vtrumque refert Emanuel Sà, & probabile putat Molina disp. 304. Rectè D. Hieronymus in cap. 18. Ezechielis triplicem in vsuræ prohibitione notat gradum: vnum, quo fœnus remouetur à fratribus, qui fuit in Lege Mosaica; secundum, quo ab omnibus vniuersim prohibetur, qui propositus fuit per Dauidem & Ezechielem prophetam; tertium, quo sine spe æqualis recipiendi mutuum detur, quem proposuit in Euangelica Lege Christus Dominus, perfectionis magister.

*Obiect. 2.*

Secundò obijcitur ex cap. 20. Matth. vbi Deus dicitur vsuram exercere: *Veniens ego recepissem vtique quod meum cum vsura.*

*Resp.*

Respondeo, Sicuti in spirituali fœnore expectando sine vitio nos ad vsuram damus Deo, quando proximi miseremur; ita & Deus, quando nobis sua talenta partitur. Vsura enim, quam à nobis Deus exigit, Deo reddita nos facit ditiores, vt benè Chrysostomus Homil. 41. in Genesim. Molina notat, posse intelligi hanc Metaphoram de pecunia impensa legitimæ negotiationi, vt vsuræ nomine iustum lucrum intelligatur. Verùm Chrysostomo satis conformis est D. Thomas hîc ad 1.

*Obiect. 3.*

Tertiò obijcitur, Ius ciuile permittere, imò approbare vsuras moderatas; quod futurum fuisse non videtur, si Legi naturæ repugnarent.

*Resp.*

Respondent aliqui, Ius quidem ciuile vsuras permittere, sed non concedere aut approbare tamquam licitas, quomodo de Iure diuino veteri diximus quod attinet ad vsuras accipiendas ab alienigenis. Sed verius est, Iure ciuili non solùm permissas fuisse vsuras moderatas, sed etiam approbatas: nam 14. q. 4. cap. Quid dicam, ex Augustino dicitur, Leges iubere vsuras iniquas reddi; quod constat ex L. Curabit Præses, C. De actionibus empti; & L. Tutor, ff. De vsuris, satis indicatur, actionem dari ad vsuras legitimas seu moderatas sub chirographo mutuatarij promissas. Summa autem vsura legitima tempore Iustiniani erat centesima, id est, per quam centesima pars sortis singulis Kalendis pendebatur, vt patet L. Eos, C. De vsuris; eaque tantùm cõcedebatur in traiectitijs pecunijs, quarum periculum penes mutuantem manebat, quod notandum pro intellectu cap. Nauiganti, De vsuris, de quo diximus superiori Cap. Dub. 9.

Mercatoribus aliàs licebat solùm exigere bessem centesimæ, id est, octo in centum. Illustribus verò personis solùm concedebatur tertia pars centesimæ, id est quatuor in centum: communis verò vsura erat dimidia centesimæ, id est, sex in centum; anatocismus verò, siue vsuræ vsurarum numquam licuerunt, vt meritò Nauarrus in cap. Si fœnerauerit 14. q. 3. num. 14. conqueratur, hodie grauiores vsuras apud Christianos tamquam excusabiles vsurpari, quando decem in centum pro singulis nundinis ter in anno recurrentibus, & de cambijs recambia exiguntur. Si itaque in hoc abusu etiamnum Christiani caligent, non mirum est quòd Ethnici aut etiam alij illius temporis Imperatores eorumque Iureconsulti minùs hîc ad amussim in vitio ita inolito, & speciosum titulum compensationis prætendente, omnem vsuræ prauitatem resecauerint. Verùm iste error correctus est per Canones. Illustris autem est hac de re constitutio Clementina vnica De vsuris, qua excommunicantur Superiores & Officiales, qui mutuatarios cogunt ad soluendum vsuras promissas, aut statuunt quòd solutæ, etiam cùm repetentur, non restituentur. Vbi tamen notandum est, non præcipi vt mutuatarijs repetentibus vsuras actio detur in foro exteriori; ad hoc enim Principes respectu vsurarij publici quem in bonum publicum permittunt, non tenentur, quamuis non possint ipsum liberare, quò minùs teneatur in conscientia vsuras restituere. Imò idem error ab ipsis Imperatoribus agnitus videtur. Omittam quod habet Glossa in dictum cap. Quid dicam 14. q. 4. Iustinianum probasse Concilium Nicænum per constitutionem quæ in Nouellis est 131. In eo autem Concilio omnino damnari vsuras: hoc inquam omittam, eò quòd postea idem Iustinianus aliquoties videatur vsuras permisisse Nouella 136. 138. & 160. Glossæque

*Mutuatario non datur actio in foro exteriori, vsurarius tamen in conscientia tenetur.*

hoc refugium adeò longè petitum sit, vt nec ipsa satis sibi ridens, meritò Lectorem remittat ad notata in cap. Lege, dist. 10. vbi inter reliqua dicit, Iustinianum permisisse vsuras vt vitarentur rapinæ, sicuti & permisit coniugia dissolui, vt vitentur vxoricidia. Verùm sine omni dubio Basilius Imperator omnes vsuras interdixit, quamuis illud iterùm filius eius Leo reuocauerit.

*Obiect. 4.* Obijcitur Quartò, Scienti & volenti non fit iniuria; ergo mutuatario qui consentit in vsuras, non fit iniuria.

*Resp.* Respondeo cum D. Thoma hîc ad 7. & q. 13. De malo, art. 4. ad 7. 8. & 9. Volenti liberè non fieri iniuriam, sed volenti coactè tunc fieri iniuriam, quando aliquid cogitur velle dare ex quadam necessitate, quod sine ea non daret, & quod aliàs non debet.

Si dicas, fieri posse vt sine necessitate petat quis mutuum, itaque tunc saltem vsuram non fore peccatum.

Respondeo; Etiamsi quis sine necessitate petat mutuum, vsuram tamen non dat nisi ex quadam necessitate, in quam eum mutuator conijcit: suppositâ enim mutuatarij voluntate libera qua mutuum petit, quia putat sibi vtile futurum, mutuator conijcit eum in necessitatem dandi fœnus, adeoque quodammodò inuoluntarium per iniuriam cogit.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm sit vsura, si tibi ea lege dem mutuum, vt vicissim mihi remutues; aut à me certas merces emas?*

*Obligatio remutuandi vsurariæ est.* RESPONDEO & DICO PRIMO. Probabilius est esse vsurarium, si is qui nunc mutuat, imponat mutuatario obligationem ciuilem supra redditionem sortis futuro aliquo tempore tantumdem sibi remutuandi. Ita tenet hîc D. Thomas art. 2. ad 4. & Glossa in cap. Si fœnerauerit 14. quæst. 3. estque communis recentiorum.

*Opinio Angeli.* Contrarium tamen tenuit Angelus verbo Vsura 1. §. 4. nimirum, licere eiusmodi stipulationem, quando mutuator non plus mutuatario superimponit ciuilis obligationis, quàm iam contraxerat obligationis naturalis siue antidoralis; quocircà si dicat, Ea lege mutuo nunc centum, vt tali tempore, si similiter indiguero, & tu similiter potueris, mihi remutues centum; ad hoc enim mutuatarius ex gratitudine obligatur. Angelum sequitur Adrianus in 4. De vsura, §. Dico igitur, & alij nonnulli.

Sed Probatur nostra assertio, Quia integra natura vsurariæ acceptionis hîc reperitur: vltra sortem enim immediatè propter mutuum mutuator accipit ius illud pretio vtrimque æstimabile, quod est alterum sibi habere ciuiliter obligatum ad remutuandum; hoc enim esse pretio æstimabile, vsqueadèo certum est, vt propterea Sotus, Nauarrus, Molina, & alij concedant, si quis mutuandi officium in Republica suscipiat, posse eum inde mercedem stipulari.

*Resp. ad argumentum Angeli.* Ad argumentum Angeli respondetur ex Glossa suprà citata, Hanc obligationem naturalem ad antidora non posse deduci in ciuilem.

Si dicas, etiam in collatione Beneficij posse pactum apponi, ad quod Beneficiarius aliàs obligatur, aut quod rei inest; verbi gratia, Si Beneficium conferatur ea lege, vt prouisus personaliter resideat, aut ne Officium negligat, non fore Simoniam; itaque similiter non fore vsuram, si mutuatario imponatur obligatio remutuandi, cùm verè ex mutuo ad hoc naturaliter obligetur.

Respondeo, Esse diuersam rationem: quæ enim rei sic inhærent, vt in spiritualibus possint in pactum deduci, verè similem obligationem habent etiam citra pactum, qualem habent post illud: at in proposito, vbi solùm præcessit obligatio gratitudinis, alterius generis obligatio & longè arctior imponitur mutuatario, quæ etiam in foro exteriori actionem pariat, & sub mortali nata sit obligare cum onere restitutionis, quale nihil habebat obligatio gratitudinis ad antidora. Vnde patet, pretio hoc ipsum esse æstimabile, quòd obligatio ad antidora mutetur in ciuilem, quod benè obseruat Siluester verbo Vsura 1. q. 2. Si quis ergo velit hîc versari sine vsura, non imponat mutuatario obligationem ciuilem, sed solùm gratitudinis, quæ ex naturâ rei inest.

Ex dictis colligitur, Etiamsi opus ad quod quis obligatur, non sit pretio æstimabile, sufficere quòd ipsa priuatio libertatis, quæ inest obligationi mutuatario iniectæ, sit pretio æstimabilis, vt admittatur vsura. Vnde vlteriùs colligo, Si collatori mutues, ea lege vt tibi vel filio tuo Beneficium conferat, præter Simoniæ labem (de qua alibi) dupliciter vsuram committi. Vno modo, quia beneficium ratione fructuum suorum pretio est æstimabile, quod in hac specie considerat Nauarrus in cap. Si fœnerauerit. Altero, quia etiamsi Beneficium consideretur vt nullo pretio temporali æstimabile, obligatio tamen illud potiùs huic quàm alteri conferendi, est onus pretio æstimabile: libertas enim alteri gratificandi, qua se priuat collator, est pretio æstimabilis.

DICO SECVNDO. Quando mutuo vt statim remutues, non est vsura. Est D. Thomæ suprà. Cùm enim mutuare non tenear, possum tamquam conditionem exigere vt remutues; & si id nolis, negare mutuum tamquam indigno.

Dices, Exigitur aliquid supra sortem; mutuatarius enim reddendo sortem compensat mutuum.

Respondeo; Possum non tantùm compensationem mutui per sortis redditionem exigere, sed etiam remutuationem tamquam conditionem sine qua non meæ mutuationis, vt etiam mutuatarius in amicitia consors sit, modò non plus ipse grauetur remutuando, quàm ego mutuando, puta quia neque minus potest, neq; plus tribuit, neque in longius tempus: imò vt suprà insinuaui, etiam in futurum liceret tamquam ex amicitia mutui vices exigere. Hoc discriminis est, quòd efficaciùs eas exigam de præsenti, destiturus à mutuo, nisi remutues.

Ex dictis oritur quæstio, Sitne vsura in hoc contractu, Debeo tibi mille aureos soluendos post duos annos; nunc ita paciscor, quòd euoluto primo anno numeraturus sim quingentos, ea lege vt reliquos quingentos non soluam nisi euoluto triennio. Videtur enim esse, quia mutuo quingentos ea lege vt remutues posteà quingentos.

Respondeo, Non videri vsuram, quia possum sine



sine vsura me tibi obligare ad mutuandum quingentos post vnum annum, ea lege vt tu post duos annos mihi mutues similiter quingentos; tunc enim ciuilis obligatio compensatur alia simili.

Maior difficultas erit, si cùm post annum debeo mille, nunc anticipem quingentos, ea lege vt reliquos quingentos non debeam nisi post biennium; tunc enim pro mutuo quod nunc præsto, videor te ciuiliter obligare ad remutuandum post annum.

Verùm fortè vtrumque mutuum virtute hîc in præsenti fieri considerari poterit, vt Molina notat, vt ex nunc etiam tu remutues pro secundo anno, sicut mutuo pro primo: vel vt Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. numero 241. indicat, potest censeri prior contractus irritari, & nouus iniri, quo nunc soluam quingentos, & totidem alios debeam solùm post biennium; vel certè si tacitè sic contrahere non sufficiat, fiat expresè.

DICO TERTIO. Vsura est, quando mutuatarium tuum propter mutuum ciuiliter obligas, vt à te in posterum merces emat sibi necessarias. Ita ferè tenent Siluester suprà quæst. 7. & Panormitanus in cap. finale De vsuris; estque communior. Etsi enim in pretio non grauetur, semper tamen in eo grauatur, quòd adimatur ei sua libertas, quæ eriam per se pretio est æstimabilis. Sicuti enim astrictum esse potiùs huic vendere quàm illi, meritò reputatur onus venditoris; ita emptoris, si cogas eum vt potiùs à te quàm ab alio emat.

Sed dubitant quidam, Vtrùm quando eiusmodi onus apponis, non tamen tamquam lucrum ex mutuo, sed fortè tamquam compensationem amicitiæ, sit vsura?

Respondeo, Si apponas cum obligatione ciuili, erit vsura: cùm enim talis obligatio non possit imponi ratione exhibiti officij amissæ mutuationis, censetur reipsa imponi tamquam lucrum mutui, cùm alius non suppetat titulus.

Quia tamen mutuatori liberum est præfigere tempus quo sors redeat, fortè potest illud sine vsuræ vitio hoc modo determinare, vt tunc redeat, quando mutuatarius defierit ex gratitudine frequentare suam officinam. Verùm & huiusmodi pactio dissuadenda est, vt quæ saltem speciem vsurariæ prauitatis habeat. Molina disp. 309.

DICO QVARTO. Dictæ tres propositiones extendendæ sunt ad similia alia onera, quæ ratione mutui mutuatario imponuntur. Vnde colligitur (quod obseruat Nauarra) licere mutuum dare, adiecto pacto de alio contractu oneroso, in quo aliàs seruetur æqualitas, statim ineundo: secùs si obligatio in futurum suspendatur. Vult tamen idem Nauarra suprà numero 272. posse mutuatorem stipulari statim faciendam venditionem, & mutuatarium petere vt differatur aliquamdiu rei venditæ traditio, de quo nonnihil dicemus Dubio 6.

DICO QVINTO. Si contra superiores propositiones onus pro mutuo supra sortem imposueris, teneris ad illius compensationem, aut relaxationem, nisi intelligas mutuatarium gratis illud velle subire, & liberè remittere tibi hanc inæqualitatem.

Vbi notandum, Iusta lucra secuta ex emptione, ad quam propter mutuum alterum obligasti, non esse obnoxia restitutioni, quamuis Panormitanus in dictum cap. finale, voluerit debere restitui pauperibus, sed solùm quanti æstimatur libertas quam ademisti emptori, etiamsi aliud inde damnum non fuerit secutum: nam si quod aliud inde habeat interesse, illud etiam sarcies. Ita ferè Molina disp. 309. ex Medina quæst. 4. De rebus per vsuram acquisitis. Restitutionis enim aut compensationis obligatio non tam oritur ex eo quòd tibi aliquid iniustè accesserit, quàm quòd alteri per tuam iniuriam aliquid commodi decesserit.

Contra ea quæ diximus, obijci potest hoc modo: Ponamus aliquem mihi ex charitate debere rem pretio æstimabilem, videbor ex dictis non posse ei dare mutuum, ea lege vt hanc præstet, ciuiliter ipsum obligando: atqui hoc non videtur verum, quia lucrum non est nisi rei aliàs indebitę. *Obiect. 1.*

*Resp.* Respondeo, Si mutuatarius ex charitate debebat tibi rem illam in particulari gratis præstare, non commisisti vsuram, eam exigendo quando ei mutuas: si enim debebat quidem præstare, sed non gratis, & gratis exigas ratione mutui, es vsurarius. Ita Medina dicta quæst. 4. Sanè quando ex iustitia debet, quamuis non habeas ciuilem actionem, vt si debeat ex testamento minùs solemni, satis apparet, sine vsura posse eius solutionem faciendam simul cum restitutione sortis deduci in pactum, quando datur mutuum. Quando autem ex sola charitate debet, probabile est, hoc non esse concedendum: quia quòd debitum charitatis mutetur in iustitiæ debitum, est quid tibi quodammodò indebitum, & accedens huiusmodi mutatio, pretio est æstimabilis, tibi in emolumentum, mutuatario in onus.

Medinæ tamen sententiam, secundùm quam respondimus, approbat Molina dicta disp. 309. eamque inde confirmat, quòd publica potestas possit ciuem cogere ad illud, quod solùm ex charitate debet. Fortè non abs re dixerit quis, Medinæ opinionem procedere, quando quod ex charitate debetur, exigitur tamquam conditio mutui, præstandum eo tempore quo datur mutuum: aliàs sanè, si agatur de obligatione quasi in futurum inijcienda, non caret difficultate. Nam quod Molina dicit, posse publicam potestatem ex obligatione charitatis inducere obligationem iustitiæ, diximus in materia De homicidio Cap. 1. Dub. 21. non esse vniuersaliter verum: & fortè, etiamsi esset, non sufficeret, quia multa licent publicæ potestati, quæ non potest priuata persona. Maioris momenti erit, si dicas, quòd rationi sit consentaneum, eum mixtè inuoluntarium à priuato posse adigi ad rem ex charitate debitam præstandam, qui à Magistratu posset cogi omnino inuoluntarius: mutuatarius autem quoad vsuras est solùm mixtè inuolutarius. Iuuabit hanc caussam, si faciamus mutuatorem ne quidem ex charitate teneri ad mutuum.

Obijcitur Secundò, Non minùs est pretio æstimabile onus quod in se suscipit mutuator, quando sese obligat ad non repetendam sortem ante annum, quàm onus quod fortè imponitur mutuatario, quando ciuiliter se obligat ad eodem illo anno frequentandam mutuatoris officinam. *Obiect. 2.*

*Resp.* Respondeo, Onus non repetendi certo tempore sortem, non venire in mutuo per se æstimandum, infrà peculiari de hoc instituta Quæstione declarabimus.

*Obiect.3.* Obijcitur Tertiò, Si licet mutuare mihi vt statim remutues, multò magis vt post vnius anni lapsum; maior enim est obligatio statim remutuandi, quàm post annum, & hanc præ illa potiùs eligeret mutuatarius.

*Resp.* Respondeo, Parum hoc referre, vtrùm onus maius sit; vnum enim possum mutuatario imponere, non item alterum: possum enim desistere à gratuito beneficio, nisi & tu simile mihi præstes; sed non possum ex mutuo ciuiliter te obligare ad præstandum in posterum, quando eiusmodi obligatio cederet in onus pretio æstimabile. Priori ergo casu gratis datur mutuum, non posteriori.

## DVBIVM V.

### *Vtrùm sine Vsura liceat ex mutuo sperare amicitiam & eius emolumenta?*

*Amicitiam ex mutuo sperare licet.* RESPONDEO, Certum est, licere ex mutuo sperare amicitiam mutuatarij. Ita sentit D. Thomas hîc art. 2. ad 4. & alij communiter. Imò hoc adeò bonum est, vt neque Dominus dissuaserit Lucæ 6. quando nihil ex mutuo voluit nos sperare; est enim in proximo sperare actum virtutis. Facit tamen contra consilium Domini, qui ex rationabili caussa petenti mutuum nolit dare, nisi speret inde eius amicitiam.

Restringunt responsionem istam quidam, Modò ex amicitia illa vlteriùs non sperentur temporalia. Ita Conradus quæst. 29. quod Siluester verbo Vsura 1. quæst. 5. recipit limitatum ad spem principalem lucri, item vt tum demum vsuram admittat sperans ex mutuatarij amicitia lucrum, quando magis respicit ad lucrum, quàm ad ipsam amicitiam.

*Et ex amicitia lucrū.* Sed verius est, non fore quidem vsuram, etiamsi ex amicitia proueniens lucrum magis intendas quàm ipsam amicitiam, modò non ex mutuo immediatè, sed verè ex amicitia accipere velis. Imò potest hoc fieri sine peccato, quamuis collatori non liceat Beneficium Ecclesiasticum conferre principaliter propter remunerationem gratuitam, sed solùm secundariò: de quo videre licet Caietanum Opusc. De vsura, quæst. 2. Ratio discriminis est, quòd Beneficium Ecclesiasticum, cùm sit Christi aut Ecclesiæ, non collatoris, non rectè possit conferri principaliter ob alium finem quàm intendat Christus aut Ecclesia; mutuum autem est ex propriis bonis temporalibus mutuantis: neque deforme est, principaliter illud referri in aliud bonum temporale ipsius, modò hoc fiat mediante libera aut antidorali solùm gratitudine & amicitia mutuatarij, quomodo & ex aliis ciuilibus officiis licet sperare alterius in similibus gratitudinem. Ita ferè D. Thomas quæst. 13. De malo, art. vlt. ad 13.

*Obiect.1.* Dices, Vsura est, principaliter ex mutuo intendere lucrum; ergo semper est vsura, si mutuator principaliter intendat commodum temporale, etiamsi mediante mutuatarij amicitia.

*Resp.* Respondeo; Patet ex definitione vsuræ suprà explicata, non sufficere ad eius rationem quòd mutuatio principaliter fiat propter lucrum, sed opus esse vt lucrum primariò & immediatè consideretur prouenire ex mutuo: possum enim mutuare, principaliter intendendo lucrum, sed prouenturum solùm occasionaliter ex meo mutuo, propriè autem & principaliter ex gratitudine alterius prouocata per meum mutuum.

*Obiect.2.* Dices iterùm, Eamdem esse deformitatem vtrobique, vtrouis modo principaliter lucrum speres.

*Resp.* Respondeo, Plurimum interesse: quando enim ex mutuo spero, sine titulo concupisco rem alienam contra Dei præceptum; quando autem ex amicitia spero, titulum simul spero, liberalem videlicet mutuatarij donationem.

*Obiect.3.* Dices Tertiò, Cap. Consuluit, De vsuris, generaliter damnari eum, qui non aliàs mutuò traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, vt licet omni conuentione cessante, plus tamen forte accipiat.

*Resp.* Respondeo, Vrbanum III. illo cap. talem dumtaxat damnare pro intentione quam habet. Videtur autem in casu Pontifici proposito praua ea fuisse, quia indicatur is de quo consulitur, propositum habuisse lucri, eo modo quo solent vsurarij, sed solum pactum exterius defuisse; sperabat ergo lucrum propter mutuum, non tantùm occasione mutui.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm sit Vsura, mutuare ea lege, vt Beneficium aut officium tibi conferatur?*

*Mutuare vt statim accipias officium, non est vsura.* DICO PRIMO. Si mutuum des, ea lege vt statim accipias officium sæculare, quod gratis conferri solet, non erit vsura, modò intendas solam obligationem amicitiæ, esto officij emolumenta superent operas. Patet ex dictis Dub. 4. Si enim possum tibi mutuare vt remutuando gratificeris, etiam possum vt gratificeris alio modo, adeoque vt conferas officium sæculare; solùm enim differunt ista materialiter, & vtrobique intenditur solùm amicitia cum suo fructu.

Contrarium tamen sentit Medina, C. De vsura, quæst. 4. §. Inde sequitur. vbi generatim dicit, esse illicitum pacisci pro mutuo collationem officij aut Beneficij.

Contra posteriorem autem partem peculiariter tenet Adrianus in 4. De restitutione, §. Ex his suboritur; vult enim tum demum licere pro mutuo etiam statim ex pacto accipere officium temporale, quando officij opera non est minor emolumento.

Verùm etiam ista pars Probatur; Quia etiamsi demus, quando ex pacto amicitiæ continuò fit remuneratio aut reciproca gratificatio, debere cauere ne mutuatarius plus grauetur quàm mutuator, vt suprà diximus; illud tamen grauamen non est æstimandum ex commodo quod mutuator Beneficarius accipit, sed ex incommodo benefactoris: contingit autem etiam quando officij emolumenta superant operas, non maius esse onus collatori officium istud mihi conferre, quod gratis conferri solet, quàm mihi sit mutuare.

*Si vt confestim tibi conferatur Beneficium, est vsura.* DICO SECVNDO. Si mutues ea lege vt statim tibi conferat mutuatarius Beneficium Ecclesiasticum, etiamsi Beneficij emolumenta sint minora oneribus, eris Simoniacus, non tamen vsurarius. Quamuis enim non des rem pretio æstimabilem pro Beneficio, das tamen temporale pro spirituali: mutui enim beneficium res quædam temporalis est.

Si tamen dicas, te mutuum dare non vt pretium Beneficij Ecclesiastici, sed vt hac ratione prouoces amicitiam collatoris, aut vt gratiam præstes quam nolis præstare nisi alter statim gratificetur conferendo Beneficium, probabile est nec vsuram nec Simoniam fore; sed propter periculum aut speciem mali, eiusmodi pacta esse canenda, & in foro exteriori præsumenda Simoniaca: quod etiam propter præsumptam vsuram in casu superioris assertionis locum habebit. Addo, pactum cum stipulatione formali, natura sua plus quàm legem amicitiæ videri imponere, ideoque etiamsi verbis protestatio fiat de sola hîc amicitia pacta, meritò hoc præsumi in pallium vsuræ aut Simoniæ appositum.

*Vt conferatur in posterum, vsura.* DICO TERTIO. Semper est vsura, quando mutuator pacisci tur collationem officij aut Beneficij sibi in futurum dandi, modò intendat mutuatarium ad hoc ex iustitia obligare. Est communis. Et quidem quoad officium, D. Thomæ, De regimine Iudæorum ad Ducissam Brabantiæ; Nauarri autem in cap. Si fœneraueris 14. quæst. 3. quoad Beneficium, vbi benè addit, eam esse vsuram Simoniacam, aut Simoniam vsurariam.

At Quæres, Quando dicimus, sine vsura statim ex amicitia posse pro mutuo peti antidoralem gratificationem, ita vt obligatio ciuilis in futurum non pendeat, vtrùm excludamus etiam illam obligationem, quæ non tam ex mutuo imponitur, quàm ex natura rei sequitur ad illud quod mutuatarius nunc liberè inchoat: verbi gratia, confert nunc, quantum in se est, officium aut Beneficium, de quo interpellauit mutuator, sed solemnitate aliqua hoc ipsum posteà debet perficere; vendit nunc hanc aut illam rem, quam posteà tradat; consentit nunc in remutuationem, sed vt post aliquot dies reipsa eam perficiat ipse requirit.

Respondeo, Ambiguè de hac re disputat Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. numero 272. Dicendum videtur, quando consideratur obligatio iustitiæ in futurum pendens grauare mutuatarium vt talem, esse vsuram: si autem solùm censeatur eum grauare vt venditorem, locatorem, aut alteri simili vtrimque æquè oneroso contractui obnoxium, etiamsi is de præsenti sit initus propter mutuum, non puto esse iniustitiam. Quando autem eum grauat ex contractu, aut quasi contractu, natura sua subleuante partes ipsius mutuatoris, quale quid est quando ei datur officium aut Beneficium; existimo etiam esse vsuram, nisi mutuatori forte integrum non sit, obligationem illam habere pro sola antidorali, puta quia detrimentum pateretur, si collatio ex parte iam facta relinquatur imperfecta.

Vnde colligo, Non esse vsuram, si mutuo tibi centum, ea lege vt mihi nunc vendas oues quas tradas post mensem; fore autem vsuram, si ea conditione mutuem centum aureos, vt mihi nunc remutues decem mensuras tritici, & tu nunc solùm tradas quinque, post menses aliquot traditurus reliquas quinque, ad quas interim ex iustitia te obligatum habeam. Similiter erit dicendum in officij quod gratis conferri solet, & Beneficij collatione: si enim post inchoatam collationem, eius quod superest obligatio habeatur pro ciuili, probabile est fore vsuram. Sanè semper ferè in his mali speciem subesse manifestum est.



## DVBIVM VII.

### *Sitne Vsura, si quis ea lege det ei mutuum quem offendit, vt iniuriam condonet?*

*Mutuare vt ex amicitia iniuriam condonet, licitum.* DICO PRIMO. Citra pactum ciuile aut iustitiæ licet mutuando offensi sic prouocare amicitiam, vt liberè & libenter iniuriam remittat. Hoc enim non est lucrum immediatè ex mutuo, sed ex amicitia, quæ est ordinatissimum ad eiusmodi remissionem medium. Hæc propositio omnino certa & communis est.

DICO SECVNDO. Si vindicta quam times non sit futura iusta, quia vel in se iniusta, vel secundùm modum, quia sine iustitiæ ordine; potes dare mutuum, ea lege vt remittatur, etiam intendendo obligationem iustitiæ: talis enim remissio non est tibi lucrum aliàs indebitum, neque per eam quidquam alteri decedit per iniuriam. Ita Siluester verbo Vsura 1. quæst. 11. Confirmatur; Quia hoc non est aliud quàm redimere vexationem, quod licere dicitur cap. Dilectus, De Simonia. Confirmatur Secundò ex cap. Ab illo 14. q. 4. *Vbi ius belli, ibi etiam ius vsuræ.*

Nota tamen ex Conrado quæst. 37. quando vindicta iniusta timetur propter defectum legitimi ordinis, non aboleri hac pactione ius legitimè ad eam agendi.

*Vt ex pacto ciuili remittat damnum, vsura est.* DICO TERTIO. Vsura erit, si mutuando in pactum ciuile deducas, vt mutuatarius tibi remittat damnum quod per iniuriam intulisti, aut mulctam seu pœnam per sententiam latam aut ferendam tibi iustè irrogandam, aut ne te accuset, vel iniuriarum agat, etiamsi ex mulcta nullum ei pecuniarium emolumentum sit obuenturum.

Quidam hîc contrà sentiunt, eò quòd iniuria soleat ex amicitia remitti, quæ ex mutuo sperari potest: itaque volunt, quando simpliciter mutuatarius stipulatur iniuriæ remissionem, id licitum esse, eò quòd intelligatur stipulari amicitiam. Ita ferè Sotus lib. 6. quæst. 1. art. 2.

Verùm si hoc solum velit Sotus, licere quando est pactum amicitiæ, idem dicit quod habet prima nostra assertio. Attamen verum non est, ita eiusmodi actiones solere ex amicitia remitti, vt de earum remissione non possit iniri pactum ciuile, quod damnat hęc nostra assertio in mutuo, quamuis non existimem eo ipso esse ciuile pactum, quo in particulari exprimitur obsequium quod à mutuatario expectas, licet id videatur velle Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. numero 284. Dixi, *Non eo ipso* esse; in foro enim exteriori non nego præsumi, præsertim quando res exigitur quæ ex amicitia præstari non solet; sed vt verè tale sit, pendet ex mente contrahentium, quam aliam esse posse manifestum est.

Vrgent etiam quidam distinctionem pœnæ ante & post sententiam, quasi ante sententiam liceat de ea remittenda pacisci, eò quòd tunc nondum debeatur, non autem post. Ita Nauarrus cap. 17. numero 238.

Verùm hæc distinctio non rectè accommodatur: quamuis enim ante sententiam non debeas pœnam, læsus tamen ius habet eam exigendi in iudicio, quod ius si remittat, est ea remissio ita pretio æstimabilis, quamuis infra æstimationem pœnæ per sententiam constitutæ, vt illam suprà fortem ex mutuo stipulari, meritò censeatur vsurarium.

rarium. Ita Nauarra suprà numero 384. Molina disp. 307. Medina C. De vsura, quæst. 1. Vbi benè explicat, quomodo mutuator lucrum hîc ex mutuo quærat, quando indebitam obtinet pœnæ remissionem.

## DVBIVM VIII.

### *Si mutuo cum pacto, vt simul cum sorte mihi aliunde debitum soluas, an sit Vsura?*

*Mutuare vt debitum recuperes, licet.*

RESPONDEO, Certa est apud omnes, non esse vsuram, & patet ex definitione vsuræ, quia non est lucrum; & cap. 1. De vsuris, vbi permittitur Clerico, vt dato mutuo præter sortem stipuletur, vt Ecclesiæ restituatur Beneficium. Argumentum etiam est ex cap. Dominus 23. q. 2. & cap. vltimo 14. quæst. 4. Consulenda Glossa in dictum cap. 1. De vsuris, & Panormitanus, qui benè obseruat, non esse istud priuilegium Ecclesiæ, sed etiam laicum ab vsuræ vitio esse immunem, quando non alienum sed suum recipit. Sic dicunt DD. licuisse Israelitis vsuras accipere ab illis gentibus, quarum sibi bona ex Dei largitione erant debita. Sic etiam dicunt, vsuras licere iuxum bellum fouenti contra hostes.

Vtrùm verò etiam ad debita ex sola charitate hæc responsio sit extendenda, satis diximus suprà Dub. 4. Sanè limitatio illa, cuius meminit Conradus quæst. 24. & Molina disp. 309. vt hæc procedant quando scandalum abfuerit, vel maximè erit obseruanda in eo quod ex sola charitate debetur.

Limitat idem Molina nostram responsionem ad debitum liquidum, eò quòd sit vsura, si non liquidi solutionem supra sortem stipuleris.

Monendum denique, vt peccato hîc vacet mutuator, debere seruare leges compensationis, quas tradidimus quando agebamus De excusantibus à restitutione.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm peccet qui sine pacto intendit lucrum ex Mutuo?*

HIC explicandum nobis est, in quo situm sit peccatum vsuræ mentale, & vsura mentalis; hæc enim duo quomodo distinguantur, suprà obseruauimus.

*Vsura mentalis est, si immediatè ex mutuo intendas lucrum.*

DICO PRIMO. Est peccatum mentale vsuræ, si quis ex mutuo immediatè accipere intendat lucrum: fiet autem peccatum exterius vsuræ mentalis, si reipsa ex huiusmodi intentione mutuum dederit, aut etiam lucrum acceperit sine vllo pacto. Patet ex cap. Consuluit, De vsuris. Extendo assertionem ad casum, quo intenderet præcipuè quidem per mutuum amicitiam mutuatarij, minùs tamen principaliter lucrum ex ipso mutuo tamquam ciuiliter debitum. Neque enim excuso ab vsura mentali eum, qui etiamsi lucrum ex mutuo habere non potuisset, erat nihilominùs gratis mutuaturus; sufficit enim quòd sic lucrum intendat.

*Obiect.* Si obijcias Glossam dicti cap. quæ dicit, non esse malum, secundariò aliquid sperare ex mutuo;

*Resp.* Respondeo, Verisimile esse secundùm mentem Glossæ, illud *secundariò* non debere coniungi cum *sperare*, sed esse determinationem alterius particulæ *ex mutuo*, vt monuimus circa definitionem vsuræ. Certè mutuum ob lucrum principaliter dare, (puta quando mediante amicitia speratur) licitū est; accipere autem aut sperare lucrum immediatè ex mutuo, ne quidē secundariò licet.

DICO SECVNDO. Si quis intenderit lucrum ex mutuo quando mutuabat, quando autem lucrum accipit, illud accipit mente mutata, quasi liberaliter oblatum; mutuum dando mentalem commisit vsuram, non autem accipiendo lucrum. Econtrariò fieri potest, vt pura sit intentio quando mutuum datur, vsuraria autem lucri acceptio subsequatur. Ita Medina C. De vsura, q. 1. §. Hic tamen dicendi modus.

*Triplex vsura mentalis.*

Affine est quod Toletus notat, Vsuram mentalem posse tribus modis admitti: scilicet ex parte mutuantis tantùm, si ipse det mutuum aut accipiat lucrum mente vsuraria, altero mutuum accipiente, & superabundantiam alio animo donante. Item ex parte mutuatarij tantùm, quando is soluit lucrum tamquam ex mutuo debitum, quod alter accipit vt liberaliter oblatum. Denique ex parte vtriusque, quando sine pacto tacitè vterque reputat quod vltra sortem soluitur tamquam lucrum ex mutuo.

DICO TERTIO. Licitum est mutuanti sperare amicitiam mutuatarij. Patet ex dictis.

*Quomodo spes lucri sufficiat ad vsuram.*

Quæri hîc potest, Vtrùm ad vsuram mentalem sufficiat desiderium & spes habendi lucrum ex mutuo, an verò requiratur intentio? Quidam enim dixerunt, spem & desiderium non sufficere. Ita Toletus lib. 5. cap. 29. Alij dicunt, spem antecedentem sufficere, non autem concomitatem: dicunt enim licere mutuare cum spe lucri, non autem ex spe lucri. Ita Medina suprà, §. Hoc tamen non de omni.

Ceterùm spem aut etiam desiderium lucri sufficere hîc ad peccatum vsuræ mentale, non videtur dubitandum. Si autem spes illa merè concomitanter se habeat quando das mutuum, credo non esse vsuram mentalem; secùs si se habeat antecedenter.

## DVBIVM X.

### *Vtrùm Vsura mentalis obliget ad restitutionem?*

*Si sit ex parte vtriusque, obligat.*

DICO PRIMO. Quando mentalis vsura perficitur tam ex parte mutuantis quàm mutuatarij, puta quia sicut ille intendit ex mutuo lucrum accipere, ita hic dat quasi pretium mutui sine vllo pacto; certum est debere restitui eiusmodi lucrum. Ita passim DD. Conradus q. 29. Siluester verbo Vsura 6. q. 4. Molina disp. 306. Patet ratio; Quia pro titulo mutuatoris hîc solum est coacta donatio mutuatarij, quæ non est translatiua dominij.

*Si ex parte mutuatarij tantùm, quando tenetur.*

DICO SECVNDO. Si verò det mutuatarius tamquam debitum, alter autem accipiat tamquam donum, tenebitur ad restitutionem non ratione acceptionis, sed ratione rei acceptæ, vbi nouerit se sine titulo lucrum illud possidere. Vnde consequens est, Si bona fide interim absumpserit, ad nihil teneri; solùm enim tenetur quatenus factus inde ditior. Idem dixero cum Siluestro suprà, quando durante bona fide, absoluta fuerit legitima præscriptio vel vsucapio. De hac re plura notat Conradus suprà, & extendit ad mutuatarium dantem ad redimendam vexationem, ne citiùs repetatur sors, aut aliàs negetur mutuum.



*Item ex parte mutuatoris tantùm.*

DICO TERTIO. Si mutuator acceperit tamquam vsuram quod mutuatarius liberaliter donauit; verius est, ex erronea quidem conscientia mutuatorem teneri ad restitutionem, quamdiu donationis istius est ignarus: vbi autem eius fuerit conscius, non amplius tenebitur.

Excipio casum scandali, nam iste etiam excipiendus esset, quando vterque ab vsura vel danda vel accipienda alienus fuisset, sed hic liberaliter donaret, quod alter pro dono vicissim accepraret. Scandalum autem præsumi debet, si mutuatarius qui donat, est pauper, si nondum restituit sortem; præsumitur enim dare, ne ea repetatur: si mutuator soleat ægrè ferre quando talia non dantur, aut non dantibus adimere sortem, aut ad vsuram dare, aut significauerit donum se desiderare quando dabat mutuum.

*Alia opinio laxior.*

De hac tamen assertione non satis conuenit inter DD. Præter nostram enim sunt duæ aliæ extremæ sententiæ. Quidam enim dixerunt, tunc non teneri mutuatorem restituere, si nullam dederit significationem, se lucrum illud tamquam debitum ex mutuo exigere. Qui videntur hunc mentalem vsurarium, eo supposito, absoluere ab omni cura inuestigandi, qua mente mutuatarius lucrum illud sibi adiecerit. Est in hac sententia Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2.

Verùm nimis laxa est: & si fundamentum eius recipiatur, numquam tenebitur vsurarius mentalis ad restitutionem (est enim plus quàm mentalis, quando iam exteriùs significat, se propter mutuum lucrum exigere) cùm tamen cap. Consuluit, De vsuris, mentalem vsurarium obliget ad restitutionem.

*Alia opinio strictior.*

Altera sententia nimis stricta, est in altero extremo. Dicit enim, in casu nostræ propositionis semper teneri vsurarium mentalem ad restitutionem, nihilque ei posse prodesse donationem mutuatarij, etiamsi postmodum eam resciuerit, modò verè ex intentione vsuraria tamquam fœnus acceperit quod ille donauit. Ita tenet Panormitanus in dictum cap. Consuluit: ex quo suam sententiam putat posse deduci, eò quòd Pontifex generaliter complectens eos qui vsuraria intentione aliquid acceperunt, concludat, ipsos inducendos esse efficaciter in animarum iudicio, ad taliter acceptorum restitutionem.

*Obiect. 1.*

*Obiect. 2.*

Sunt & alia pro eadem opinione argumenta. Dicunt enim Secundò, Non videri quomodo donatio hîc iuuet vsurarium, à quo non fuit acceptata. Vnde in eam veniunt quidam sententiam, vt nolint quidem hoc lucrum restitui mutuatario qui dedit, sed pauperibus, sicuti derelicta; donando enim, inquiunt, se quidem dominio exuit mutuatarius, mutuator autem non acceptando tamquam donatum, sed alio titulo qui idoneus non est, rem vsurpando possedit alienum.

*Obiect. 3.*

Tertiò, Sola acceptio iniusta sufficit, vt tenearis restituere; talis autem hîc non deest.

*Obiect. 4.*

Quartò, Quando non tantùm lucrari, sed ipsum lucrum prohibitum est, non excusat te à restitutione alterius voluntaria donatio, sed solùm quando lucrari quidem est contra Legem, non autem lucrum, vt accidit in lucro meretricum. Ita ferè Adrianus in 4. De restit. vsurarij.

*Probatur assertio.*

Probatur nihilominùs nostra assertio ex simili, de quo alibi quando De furto. Si quis enim rem propriam surripiat, existimans esse alienam, tenetur quidem eam restituere durante erronea conscientia, non autem vbi nouerit esse suam. Fauet L. Inter omnes, ff. De furtis, §. Per contrarium; vbi dicitur: *Verum tamen est, vt cùm ego velim eum vti, licet ignoret, ne furti sit obligatus.* Confir. per cap. finale de Simonia, vbi sine restitutione absoluitur Simoniacus mentalis, qui sine vllo pacto aliquid Simoniacè accepit. Cuius rationem putat esse Petrus Nauarra lib. 3. c. 2. numero 217. quamuis alij variant, quòd alter liberaliter illud dederit; & refutat Adrianum, qui existimat, Ecclesiam, cui Simoniacè accepta sunt restituenda, ibi remittere ius suum, quòd non sit verisimile tantum fauoris indulgeri Simoniacis.

*Resp. ad 1.*

Ad argumenta in contrarium adducta respondeo. Ad Primum, Cap. Consuluit, non versari in nostro casu, vbi præsumatur donatio mutuatarij; quando enim ex probabilibus indicijs non constat de mutuatarij liberali donatione, præsumitur tamquam vsuræ facta solutio, adeoq; restitutio facienda est. Qui enim hîc dubitat de donatione, dubitat de iusto titulo, adeoque inchoat rei possessionem mala fide, vt benè Conradus suprà. Non tamen dispicet quod placuit Petro Nauarræ suprà, numero 230. probabiliter posse existimari donum, quando mutuator non significauit vllo modo spem lucri, & mutuatarius hilari vultu obtulit, & alia signa in neutram partem suppetunt, quod & approbat Graffius lib. 2. c. 104. num. 31.

*Ad 2.*

Ad secundum respondeo, Hîc non deesse sufficientem acceptationem, saltem postquam donationem mutuator intelligit: virtute enim quo potest optimo modo acceptat.

Si dicas, Ex animi prauitate secùs facere.

Respondeo, Saltem correcta praua illa voluntate, & durante adhuc liberali voluntate ipsius mutuatarij, acceptabit: neq; tenebitur de fructibus inde perceptis, pendente mala volũtate: quia mutuatarius nihil retractans, censetur velle vt retrotrahatur effectus acceptationis vsque ad tempus donationis. Quod verò dicunt de restitutione facienda pauperibus, certum est ex rei natura non colligi. Nisi ergo proferant Ius positiuum ita disponens, audiendi non erunt.

*Ad 3.*

Ad Tertium respondeo, Esse iniustam acceptionem solùm formaliter, quę non sufficit vt absolutè inducat onus restituendi, quia à parte rei non ponit inæqualitatem.

*Ad 4.*

Ad Quartum respondeo, In proposito, formaliter loquendo, nec ipsum lucrari esse contra Legem; suppono enim mutuatorem titulo donationis lucrari.

## DVBIVM XI.

### *Vtrùm ratione secundarij vsus pecuniæ mutuò datæ, puta quia danda sit in pignus, liceat quid vltra sortem accipere?*

*Secundarius vsus pecuniæ vendibilis est.*

RESPONDEO ex D. Thoma hîc art. 1. ad 6. Hunc secundarium vsum pecuniæ esse vendibilem, adeoque ratione huius pecuniam ipsam esse locabilem & commodabilem: quia tamen in mutuo rei dominium transfertur, non potes

potes mutuare propriè, & ratione huius vsus supra plenam sortem aliquid exigere; vsus enim iste est mutuatarij. Potes ergo ad huiusmodi secundarios vsus pecuniam tuam elocare, & inde lucrum percipere, sed non potes tibi vsum vindicare eius pecuniæ quam iam fecisti alterius per mutuum.

Vbi obserua, res hanc subire vicissitudinem, vt quarum vsus est in pretium aliarum expendi & consumi, non vendantur secundùm primarium vsum, sed secundarium tantùm; econtrà verò quæ merces esse solent, vendi non possint secundùm secundarium vsum, quo in pretia aliarum dispendantur, de quo videre licet in hunc articulum Caietanum & Arragonium, multumq; id facit pro intelligenda iustitia cambiorum.

Confirmari potest hæc responsio ex L. Sed mihi, §. vlt. & L. Sæpè etiam, ff. Commodati: vbi dicitur, pecuniam non posse commodari nisi ad pompam vel ostentationem, vel dicis gratia. Quando commodatur, non potest pro eius vsu lucrum accipi, non est tamen vsura si accipiatur, sed est locatio si lucrum sit pecuniæ; erit autem contractus innominatus Do vt des, vel Do vt facias, si lucrum fuerit res alia. Ita ferè Glossa in titulum Causæ 14. q. 3.

## DVBIVM XII.

### *An liceat mutuatori aliquid accipere vltra sortem ratione damni emergentis?*

INTERESSE est iusta vtilitas hominis, habita vel habenda; estque duplex, damni emergentis, & lucri cessantis, L. vnica, C. De sententiis quæ pro eo quod interest proferuntur.

*Interesse diuiditur primò in intrinsecum & extrinsecum.*

Interesse diuidunt in illud quod est circa rem, quod licet vocare intrinsecum; & quod est extra rem, siue extrinsecum: si enim triticum, quod mutuo, eram venditurus quando carius erat futurum quàm dum reddis, est interesse intrinsecum; si ex pretio tritici eram ædes reparaturus, quæ intereà collapsæ sunt, est interesse extrinsecum. Consulenda Glossa cap. Sacro, De sententia excommunicationis.

*Secundò in conuētum, commune, singulare.*

Diuidunt & hoc modo, vt interesse aliud sit conuentum, aliud commune, aliud singulare. Conuentum, quod in pactum deductum est. Commune, cuius æstimatio communiter fit apud omnes. Singulare, quod plus vni valet quàm alteri, ex peculiari caussa. Commune est, quando communis commoditas æstimatur, quam passim etiam alij habent; singulare, quando singularis commoditas æstimatur eius qui habet interesse Consulendus Graffius Lib. 2. cap. 105.

*Quid damnum. Quid lucrum.*

Damnum, rei habitæ aut certò debitæ priuatio est; Lucrum verò, rei neque habitæ neque debitæ acquisitio.

*Accipere aliquid ratione damni emergentis licet.*

Respondeo itaque & DICO PRIMO. Licet mutuatori aliquid vltra sortem accipere ratione damni quod sibi ex mutuo emergit. Ita D. Thomas art. 2. ad 1. Est communis, & procedit non solùm secundùm Ius ciuile, sed etiam Canonicum, vt docet Glossa in cap. Conquestus, De vsuris, & ibi Panormitanus: & est argumentum ex cap. Peruenit, De fideiussoribus; per hoc enim cap. fideiussor damna repetit; fideiussio autem est quodammodò mutuum, vt dicit Petrus Nauarra numero 278. Leo X. in Decretali pro Montibus pietatis, testatur, mutuare cum pacto indemnitatis ipsius mutuatoris, ne quidem speciem mali præ se ferre.

Denique probari potest ratione: Nulla enim æquitas postulat, vt mutuator pro beneficio damnum referat, & dispendium patiatur vnde videtur præmium meruisse, vt loquitur dictum cap. Peruenit, nisi fortè quando mutuatarij ea foret necessitas, vt negligere debeat damnum propter amicum, secundùm illud Prouerb. 12. *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est.* Secundò, Mutuatarius pro suo commodo mutuum petit, & contingit aliquando pecunia mutuata ipsum multum lucrari: atqui æquitas non postulat vt hoc fiat cum incommodo mutuatoris, vt benè obseruat D. Thomas. Tertiò, Si aliter hoc damnum mutuatarius intulisset, de eo teneretur, non subleuat autem eum quòd commodo suo intulerit. Denique, Qui sortem cum damno accipit, minus quodammodò quàm ipsam sortem accipit; vt enim lucrum superabundantia sortis est, ita damnum diminutio quædam sortis: atqui in mutuo debet sors integra redire; ergo, &c.

Contra hanc assertionem sentit Scotus in 4. dist. 15. q. 2. §. De tertio, non licere mutuatori pacisci suam indemnitatem, sed si damnum timeat, inquit, seruet pecuniam suam, nemo enim cogit mutuare; at si mutuet, cogit Lex diuina ne quid vltra sortem accipiat. Medina C. De vsura, q. 3. §. Nec obstat, ob hoc reprehensus à Petro Nauarra, putat Scotum non recessisse à communi, quamuis immeritò Adrianus ei hoc impingat. Sed verius est, saltem quoad damnum quod citra moram mutuatarij emergit, Scotum nostram assertionem negasse: nam quoad damnum quod ex mora mutuatarij emergit, eam admittit eadem quæst. §. præcedenti. Sanè de vtroque procedere quod diximus, ex subiungendis patebit. *Opinio Scoti.*

Ad argumentum Scoti dico, Legem Euangelicam, aut etiam vniuersim Legem Dei, quatenus fœnus in mutuo prohibet, coincidere cum Lege naturali, quam permittere vt se mutuator seruet indemnem, satis iam ostendimus. *Resp. ad Scotum.*

Dices, Fieri potest, vt interesse damni emergentis superet ipsam sortem; atqui inconueniens est ita grauari mutuatarium, vt sortem duplicare debeat. *Obiect.*

Respondeo, Maius esse incommodum quòd tantum damnum in gratiam alterius subeat mutuator: imò illud non est inconueniens; suppono enim mutuatarium verè esse damni caussam vel accipiendo vel retinendo mutuum. Rectè itaq; dixit Medina suprà citatus, parum ad rem facere, siue id quod interest superet, siue non superet sortem. Est tamen verum, L. illa vnica C. De sententiis quæ pro eo quod interest proferuntur, Iustinianum statuisse, quod interest in posterum, dupli quantitatem non posse excedere: sed aliud est præsumptio fori, atque aliud veritas conscientiæ; hæc enim verum interesse absolutè admittit, illa, ne in eo, quando dubitatur, æstimando Iudices excedant, modum ponit. *Resp.*

Dixi, *quod sibi ex mutuo emergit.* Si enim verè damnum non emergat ex mutuo, & eius auersione oneretur mutuatarius, ea ipsa vitatio damni lucrum



lucrum erit mutuatoris ex mutuo, adeoque vsurarium; quia verò mutuatarius non positiuè concurrit ad damnum, sed solùm priuatiuè, vt teneatur ad interesse, debet mutuum verè damni caussa esse sine qua non. Vnde sequitur, Non licere mutuatori etiam sponte oblatum aliquid recipere vltra sortem ratione damni quod subijt, nisi damnum illud verè sit secutum ratione mutuationis.

*Pacisci de damno luti.*

DICO SECVNDO. Potest mutuator pacisci de damno aut eius periculo, sed non potest præscribere mutuatario, vt potiùs de periculo quàm de damno transigat. Posse non solùm exigi aliquando damnum quod emersit, sed etiam ab initio pactum apponi, vt farciatur si emergat; quinimò siue emergat siue non, modò probabile eius sit periculum, posse mutuatorem de periculo illo stipulari, & vbi inter eos conuenerit, posse exigere quod pactum fuerit, etiamsi nullum emerserit damnum, satis ex iis patet quæ alibi diximus, estque communis sententia DD.

Altera verò propositionis pars, Non posse mutuatorem adimere hanc libertatem mutuatario, vt potiùs de periculo quàm de damno paciscatur, patet; Quia hoc est imponere onus pretio æstimabile suprà sortem & indemnitatem mutuatoris, quam satis cauet mutuatarius, offerendo reparationem damni quod reipsa eueniet. Quod tamen non ita intelligo, quin possit mutuator desistere à mutuo, nisi alterum eo modo velle pacisci videat, qui sibi magis placuerit, siue pro damno, siue pro eius periculo; neque enim tenetur in gratiam mutuatarij vel periculum maioris damni quàm pactum sit, vel molestias æstimationis subire: sed hoc solùm assertum intelligo, quòd non possit ita se gerere, vt mutuatarius desiderio mutui cogatur potiùs pacisci de periculo, quàm de damno. Si enim hoc aduertat, aut probabiliter suspicetur mutuator, debet ab eiusmodi pacto in præiudicium libertatis alterius restricto, tamquam lucro suo vsurario, & alterius onere pretio æstimabili abstinere.

*Si non sit pactus de damno, nihil exiget.*

DICO TERTIO. Si mutuator non sit pactus de damno, non poterit ratione eius posteà quidquam exigere, exiget tamen si mutuatarius fuerit in mora, ex qua secutum damnum. Probatur prior pars à simili: Non potest emptor grauari occulto vitio mercis, itaque nec mutuatarius occulto illo onere mutui: fortè enim sine tali onere, alibi mutuum inuenisset, aut saltem omnino maluisset abstinere ab accipiendo mutuo.

Sed quærunt, An sufficiat monuisse tempore mutui mutuatarium de damno forsan eueniturо, an verò opus sit formali pacto?

Sanè si mutuator monuit cum significatione illa probabilitatis aut certitudinis quam reuerà habet de euentu damni futuri, credo sufficere vt repetat posteà quod emerserit damnum; est enim implicitum pactum, quo cum tali onere accipitur mutuum, sicuti quando res emitur cuius occultum vitium indicatum est.

Quærunt iterùm, Vtrùm à restitutione sit liber mutuator, qui nulla facta mentione damni, stipulatur, & accipit supra sortem eius æstimationem, si certò sit eueniturum, aut æstimationem periculi, si solùm verisimiliter?

Respondeo, Quando damnum certò est eueniturum ad nihil teneri mutuatorem, quia suum recepit, quamuis alter fortè vt fœnus soluerit: quando autem æstimatur periculum damni, credo teneri, quanti intererat libertatem in hoc non lædi, quæ secundùm dicta suprà Conclus. 2. debetur mutuatario; atque ita si postmodum deprehendatur damnum fuisse minus æstimatione anticipata, in eo esset subleuandus mutuatarius.

*Nisi alter fuerit in mora,*

Posterior pars assertionis patet, Quia dies interpellat pro homine, & qui in mora est, tenetur etiam de casu. Argumentum ex L. Arbitraria, §. vlt. ff. De eo quod certo loco dari oportet.

*Vel coëgerit ad mutuandum.*

Æquiparabitur ei qui in mora est, qui alterum coëgerit per vim aut metum, vt sibi mutuet: is enim tenetur de interesse, etiam non conuento, & sine mora (culpa enim loco moræ est) & minùs purgatur quàm mora. Hanc dicit esse communem omnium Nauarrus, in cap. Si fœneratoris 14. q. 3. num. 42.

Sed quæritur, An ratione moræ etiam teneatur mutuatarius de interesse extrinseco.

Respondeo, Ad interesse intrinsecum semper teneri, etiam citra monitionem subsequentem post contractum: ad extrinsecum autem tenetur, quando in re non inuenitur intrinsecum, qualis est pecunia numerata, vt ex Bartolo docet Nauarrus suprà numero 35. Hæc tamen distinctio magis conducet ad æstimationem interesse in foro externo, quàm ad liberandam conscientiam: semper enim verè tenetur mutuatarius ad omne illud damnum, cuius per moram suam caussa fuerit, siue fuerit intrinsecum, siue extrinsecum, modò non sit tam remotum quin cogitare debuerit posse euenire. Indicat Siluester verbo Restitutio 3. numero 9.

Quæritur Secundò, Vtrùm si accepi ad vsuram, quia quod tibi mutuaui, constituto tempore non reddis, tenearis de vsuris?

Respondeo, Certum est teneri, si mutuator sine fœnore non potuerit inuenire, à quo in defectum tibi crediti mutui, in quo nunc fallis, acciperet necessarium sibi mutuum.

At quid si potuerit sine vsura inuenire, sed non satis diligenter quæsierit, & nihilominùs acceperit ad vsuram? Item, quid si hoc ipsum non indicauerit mutuatario, qui fortè tanto intellecto incommodo, mutuum reddidisset.

Respondeo, Neutrum excusare quò minùs teneatur ad restituendas vsuras qui fuerit in mora, vt docet Nauarr. suprà numero 35. In posteriori consentit Perrus Nauarra, suprà num. 281. De priori tamen monendum, verum hoc esse, quando saltem animo grauandi mutuatarium non egit negligentiùs.

Quæritur Tertiò, Si accepero pecuniam ad vsuram, vtrùm possim eam alteri mutuare, ea lege vt vsuras soluat?

Respondeo, Posse, modò hoc tuum interesse verè sequatur ex secunda mutuatione, & conuentum sit, aut alter te ad mutuandum cogat: non tamen vsuras istas exigere poteris, si hæc non subsint, etiamsi ad diem constitutum non soluendo mutuatarius fuerit in mora.

At quid si res heri ita erant disposita, vt profuturum mihi videretur mutuum quod tùc sumpsi sub vsura, hodie autem rebus mutatis pœniteat me huius mutui, & veniat tertius quis petens mutuum, vtrùm possim ei cedere mutuum quod heri sumpsi, cum onere vsurarum?

Respondet Molina disp. 314. Hoc non licere: cuius ratio reddi potest, quòd tunc non verè agas cum mutuatario de damno ex hac secunda mutuatione tibi emergente vitando, sed de recuperando eo damno quod tibi ex priori mutuatione, aut potiùs ex rerum mutatione iam emersit. Vt ergo iustè paciscaris hîc indemnitatem, oportet virtute præcisè illud respiciatur damnum, quod incurrisses pro dispositione quæ nunc est pecuniam tuam remutuando. Et hoc videtur voluisse Conradus q. 41.

Quæres Quartò, Quando censeatur debitor hîc esse in mora?

Respondeo ex Siluestro verbo Mora, q. 1. Obligatus ex delicto, semper est in mora; obligatus autem ex contractu, si præscriptum ei sit certum tempus, quo debeat ex mutuo consensu, mox eo lapso est in mora, etiamsi non fuerit monitus. Quod tamen limitandum est, nisi iusta caussa excuset: quamdiu enim ea duraverit, non erit in mora. Item si debitor bona fide existimet creditorem consentire in dilationem, non censebitur esse in mora. Si verò dies non est appositus, constituetur debitor in mora post monitionem, non ante, nisi fortè creditor ex verecundia, timore, aut ignorantia non petat.

Quæres Quintò, Vtrùm de interesse possit vlteriùs peti aliud interesse?

Respondeo ex Graffio lib. 2. cap. 105. Non posse, eò quòd interesse succedat in locum vsurarum, vsura autem vsurarum sive anatocismus Lege prohibeatur. Affine huic est, quod etiam Conradus obiecerit, si mutuaturus decem, conuenio de periculo damni vt numerentur mihi duo, tamquam emersuri ex decem mutuatis, me fore vsurarium, si retineam nunc duo, & præstem solùm octo. Vide hanc partem explicatam Dubio sequenti, conditione septima.

Quæres Sextò, Vtrùm mutuans vt possit stipulari de interesse, debeat ita esse dispositus animo, vt respiciendo ad sola temporalia commoda, malit non mutuando hæc damna euitare, puta mercaturam exercendo, quàm mutuando talem eorum accipere compensationem?

Respondet affirmatiuè Conradus q. 30. eò quòd signum illud sit, plus compensari quàm abstinendo à mutuo conseruatum fuisset aut acquisitum. Verùm istud quousque recipi possit, commodiùs sequenti Dubio dicemus.

## DVBIVM XIII.

### *Vtrùm liceat aliquid accipere vltra mutuatam sortem ratione lucri cessantis.*

*Quorundam sententia. Probatur 1.*

DE hac re peculiaris est difficultas: ex illis enim DD. qui concedunt ratione damni emergentis licere mutuatori accipere aliquid vltra sortem, quidam negarunt illud licere ratione lucri cessantis; quibus videtur assentire D. Thomas hîc, art. 2. ad 1. vbi dicit compensationem damni quod consideratur in hoc quòd quis de pecunia non lucretur, non posse in pactum deduci, quia non potes vendere quod nondum habes, & à quo potes multipliciter impediri.

2. Secundò, Videtur is qui mutuat, eo ipso à lucro quod illa pecunia facere poterat, sponte sua cessare, vt iam lucro destinari desinat, quando in mutuum destinatur: atqui ex pecunia lucro non destinata non potest peti interesse lucri cessantis; ergo neque ex mutuata.

3. Tertiò, Si ratione lucri cessantis liceat aliquid exigere, aperietur fenestra vsuris; quilibet enim mutuator prætexere poterit lucrum aliquod, quod ex pecunia sua habere potuisset, si in mercaturam, mercatoriam societatem, aut rei frugiferæ emptionem eam impendisset. Vt distinctè in hac materia progrediamur,

*Coactio ad mutuandum dat locum lucro cessanti.*

DICO PRIMO. Quando quis cogitur per vim aut metum mutuare, debetur ei lucrum cessans, etiamsi non deduxerit in pactum. In hoc conueniunt omnes: spes enim lucri pretio est æstimabilis, ideoque si me eâ per vim aut metum priues, teneris id sarcire; est enim verè damnum emergens, secundùm prudentum æstimationem. Confirmatur; Quia spes illa lucri vendi poterat, sicuti Leges concedunt posse vendi iactum retis, segetes immaturas, &c. si ergo eam mihi eripias, teneris de pretio eius.

DICO SECVNDO. Etiamsi sponte dederis mutuum, potes exigere interesse lucri cessantis per moram mutuatarij. Etiam in hac conueniunt DD. manifestum enim est, te inuitum priuari æstimatione sperati lucri, quando vltra tempus à te concessum alter pecuniam tuam retinet, qua eras lucraturus. Confirmatur; Si commodauerim tibi ad tempus instrumentũ quo victum quæro, certũ est quòd tenearis mihi de cessante illo lucro, nisi constituto tẽpore reddideris.

*Licet stipulari de lucro cessante.*

DICO TERTIO. Si mutuator non habeat pecuniam quam mutuet, nisi iam priùs mercaturæ destinatam, & tu mutuum petas, illeque stipuletur de interesse lucri cessantis, nullam admittit iniquitatem, accipiendo hanc compensationem, etiam ante moram tuam. Est communior DD. Antonini 2. parte, tit. 1. cap. 7. §. 15. Conradi quæst. 30. Siluestri verbo Vsura 1. q. 19. Adriani, Caietani, Bannesij, Nauarri, Petri Nauarræ, Toleti, Graffij, & aliorum.

*Sententia Innocentius.*

Sotus tamen lib. 6. quæst. 1. art. 3. secutus Innocentium IV. in cap. finale De vsuris, dicit hanc nostram assertionem non esse certam, imò contrarium esse probabilius, eò quòd nulla Lex aut Canon eam indicet, & veteres DD. D. Thomas, Scotus, Durandus & Innocentius IV. doceant contrarium. Et sanè communiter olim aliter sensisse DD. satis testatur Antoninus suprà.

Sed Probatur nostra assertio, Quia hoc differt mutuum à venditione, quòd mutuator possit se seruare indemnem, eò quòd in gratiam alterius re sua careat, venditor autem non possit excedere iustum pretium, etiamsi damnum pateretur. Cuius ratio est, quòd mutuator vt talis consulat vtilitati mutuatarij, ab eoque rogari soleat, non item venditor: quo etiam fit, vt qui vendit in gratiam alterius multùm rogatus, aliàs non venditurus, possit paciscì de sua indemnitate, vt alibi diximus; non seruatur autem mutuator indemnis, si debeat se priuare instrumento lucrandi, sine vlla æstimati lucri compensatione; itaque saltem rogatus ad mutuandum, licitè poterit paciscì indemnitatem suam in lucro euidenter cessante.

Secundò, Non facilè reddetur ratio, quare liceat mihi, dum tibi cogor mutuare per vim aut metum, etiam sine pacto exigere lucri cessantis interesse; quando autem à te rogor vt mutuem, ne



ne quidem liceat exigere post pactum: quamuis enim culpa sit in eo qui cogit, onus tamen restituendi oritur ex inæqualitate, quæ etiam reperitur quando mutuatarius rogat. Cùm enim non teneat mutuare cum meo incommodo, possum mutuare & manere inuoluntarius quoad hoc ipsum incommodum subeundum, adeoque inuito auferet mihi mutuatarius lucrum aut spem lucri, nisi resarciat hoc interesse: quamuis enim sim voluntarius quoad mutuum, meritò tamen sim inuoluntarius, etiam simul & in sensu composito, quoad priuationem commodi istius; redit ergo coactio quædam, si illo commodo sine compensatione priuet. Confirmatur; Si enim accipere aliquid ratione lucri cessantis sit vsurarium, erit etiam vsura in eo qui coactus mutuauerit. Sanè sicuti si cogaris mutuare, non idcirco potes vsuras exigere; ita etiamsi liberè mutues, non cogeris lucri spem quam æstimare pretio poteras, amittere. Neque omnino desunt textus pro hac sententia, quãuis id iactet Sotus: L. enim 2. §. finali, ff. De eo quod certo loco dari oportet, dicitur in eo qui merces solebat comparare, non tantùm damni, sed etiam lucri habendam esse rationem. Item cap. Nauiganti, De vsuris, excusatur vendens cariùs creditò, si eo tempore in quod vendit, demum erat venditurus, & probabile sit cariorem tunc fore mercem: cuius non est alia ratio, quàm quòd æstimetur etiam nunc probabilis spes lucri, quod haberet rem conseruando. Ex quo sequitur, idem licere in mutuo; vendere enim creditò, est mutuare mutuum. Vtitur hoc argumento Antoninus suprà. Similiter cap. In ciuitate, eodem, excusatur ab vsura cariùs creditò vendens, si dubium sit vtrùm merces ferè eo pretio tempore solutionis sint valituræ. Vbi iterùm ratione probabilis spei lucri qua se priuat implicitè mutuans, virtute aliquid accipit vltra sortem. Vtitur hoc argumento Medina. Facit huc etiam Clementina Religiosus, De priuilegijs, vbi iniungitur ei restitutio, qui damnificauerit in legato acquirendo; mutuatarius enim in proposito damnificat in acquirendo. Vtitur eodem argumento Medina.

DICO QVARTO. Licebit stipulari mutuatori de interesse lucri cessantis, etiamsi non rogetur à mutuatario, sed ipse offerat sese ad mutuandum. Hæc non est tam communis ac præcedens, tenet tamen eam Lopez 2. parte, cap. 62. & alij multi, præsertim recentiores. Probatur; Quia quamuis offeras mutuum, verè tamen illud cedit in subleuamen alterius; itaque potes paciscì, ne ratione illius subleuaminis, vnde præmium merearis, dispendium patiaris.

DICO QVINTO. Licebit tibi paciscì de lucro cessante, etiamsi nondum hanc pecuniam mercaturæ aut emptioni rei frugiferæ destinaueris; sufficit enim te destinaturum fuisse, nisi præsciuisses multos petituros mutuum, quibus charitas suadebat subuenire.

*Conditiones lucri cessantis.*

Vt autem semel dicamus, quibus conditionibus liceat aut non liceat mutuatori stipulari de interesse lucri cessantis, operæ pretium fuerit eas ordine examinare quas proposuit Conradus quæstione 3.

1. Prima est, Vt reuerà lucrũm cesset. Hæc conditio est necessaria, per ea quæ diximus superiori Dubio; hactenus saltem, vt oporteat tempore mutui probabile esse periculum cessaturi lucri, adeoque per mutuum decedat mutuanti spes lucri, quæ erat pretio æstimabilis.

2. Secunda, Ne plus exigatur quàm reuerà valeat lucrum quod cessat, vel eius spes. Hæc conditio omnino etiam est necessaria; & quando deest, violatur iustitia cum obligatione restitutionis, estque interpretatiua saltem vsura, quia censetur ratione mutui accipere mutuator istum excessum, ad quem nullum habet iustum titulum. Si tamen consideres vẽditionem quamdam sperati lucri in cuius pretio excedatur, aut iniustum contractum innominatum Facio vt des, Cedo iure meo ad illud lucrum, ea lege vt des decem, cùm ius valeat solùm nouem, non propriè est vsura, sed nihilominùs iniustitia. Vnde infero, quòd talis non incurreret pœnas, quas Leges aut Canones statuunt contra vsurarios.

3. Tertia conditio est, Vt mutuans respiciendo ad commoda temporalia, maluisset sortem retinere: aliàs enim putat Conradus, cui consentit Siluester verbo Vsura 1. quæst. 19. & alij multi, signum non defuturum, quòd aliquod temporale commodum speret vltra restaurationem lucri cessantis.

Ista conditio secundùm Medinam C. De vsura, quæst. 3. non est necessaria, si verba in rigore accipias: si enim indifferens tibi sit, vtrùm mutues cum hac compensatione, aut sine ea negotieris, certum est te posse mutuare, accepta eiusmodi compensatione; si tamen intelligas significatum, non posse mutuantem malle compensationem lucri, quàm ipsam spem lucri, non videtur abesse indicium vsuræ mentalis, sicut dixit Conradus, præcipuè quando istam compensationem longè mauult: si enim malit tam paruo discrimine, vt eiusmodi differentia consistere valeat intra latitudinem iusti pretij, quo vendi poterat spes ista lucri, nulla apparet iniquitas, eoque demum sensu licebit recipere sententiam Nauarri dicentis Enchiridij cap. 17. numero 212. hanc conditionem Conradi non esse necessariam. Fateor tamen esse probabile, etiam absolutè eam non esse necessariam ad vitandam realem vsuram aut obligationem restituendi, quamuis dicto sensu sit necessaria ad vitandum peccatum.

*Obiect.*

Dices, Etsi operarius intuitu proprij commodi malit te comitari, & lucri quod feciisset operando, compensationem accipere, quàm operando lucrari; non malè petit, si te comitetur, eiusmodi compensationem: ergo similiter poterit esse dispositus in proposito mercator, quando pro mutuo petit interesse lucri cessantis.

*Resp.*

Respondet Lopez suprà cap. 61. Non sequi, eò quòd operario vtraque via licitum sit lucrari, mercatori autem non sit licitum stipulari de lucro cessante, quando sua vtilitate, non autem desiderio iuuandi proximum mouetur ad mutuandum. Clariùs dixerimus, ratione differentiæ in eo sitam esse, quòd operarius non teneatur operam suam deducere in lucri æstimatione, & fortè leuius ei sit comitari quàm operari, eoque illud malit: mutuator autem in æstimatione lucri ex omissa mercatura cessantis, teneatur deducere operam quam impendere debuisset, vt statim dicemus.

4. Quarta conditio est, Vt lucrum verè sit cessaturum propter mutuum. Hanc esse necessariam, patet ex dictis superiori Dubio; est enim eadem ratio quæ damni emergentis. Vnde infertur, Si

mutuator quando ceſſat à mercatura propter mutuum, tantumdem alia via aut arte cui vacare mercando non potuiſſet, ſit lucraturus, adeò vt non verè ceſſet ei lucrum ex mutuo, non poſſe eum de hoc intereſſe ſtipulari. Idem videtur dicendum, quando lucrari potuerit alia via æquè commoda & obuia, ſi voluerit: tunc enim ſicuti incommodum quod ex parte ſua euenit, ex mutuo æſtimat; ita etiam æſtimare debebit commodum, quod ſibi prouenit ex omiſſione mercaturæ.

5. Quinta conditio eſt, Vt mutuum fuerit conſilij tantùm; non præcepti. Si enim præcepti ſit, propter neceſſitatem petentis præſtandum illud voluit Conradus & alij, cum iactura lucri ceſſantis, vt repeti quidem ſors poſſit, ſed ſine intereſſe.

Impugnat hanc conditionem Medina, dicitque eamdem eſſe hîc rationem ſortis & intereſſe: ſi enim propter neceſſitatem proximi iacturam facere debeas tui intereſſe, debere etiam ſortis; ſi non ſortis, nec intereſſe.

Verùm, ipſo etiam Medina fatente, doctrina Conradi locum habebit, quando ea mutuatarij fuerit neceſſitas, vt neque in re neque in ſpe habeat vnde pro intereſſe ſatisfacere poſſit, habeat autem vnde pro ſorte; tunc enim reſpectu æſtimati intereſſe ſibi gratis donandi, eſt in neceſſitate, cùm reſpectu ſortis ſolùm ſit in neceſſitate mutui. Vnde ſecundùm ea quæ diximus quando De eleëmoſyna, illud gratis erit remittendum, hæc autem mutuò danda.

6. Sexta conditio eſt, Ne ratio aliqua ſcandali hîc interueniat, qua mutuans infametur, cùm fortè videbitur fœnus exigere, prætexendo lucra ceſſantia. Iſta conditio neceſſaria eſt ad vitandum peccatum ſcandali contra charitatem, non autem ad vitandum peccatum iniuſtitiæ aut obligationem reſtitutionis.

7. Septima eſt, Ne quod pro intereſſe lucri ceſſantis pactum fuerit, ſtatim tempore mutuationis exigatur. Hæc conditio neceſſaria eſt, niſi illam ipſam ſummam quam ex pacto tibi vendicas lucro ceſſante, ſeponas aut deducas in æſtimatione ſpei ipſius lucri ceſſantis, quale quid etiam monuimus ſuprà de damno emergente. Verbi gratia, petit Petrus à Paulo ſibi dari mutuò quindecim; paciſcitur Paulus, quòd pro ſpe lucri ſibi ex illo mutuo ceſſantis accipiat quinque: ſi illa quinque velit recipere aut deducere Paulus eodem tempore quo dat mutuum, non poterit ea integrè recipere illo titulo; quia virtute ſolùm daret mutuò decem, & intereſſe acciperet quaſi dediſſet quindecim. Vnde ſequetur, quòd æquale intereſſe accipi poſſit ex inæquali ſorte mutuata, etiam ceteris paribus. Sequeretur etiam, vt benè Medina & alij, poſſe contingere, vt nihil accipiens mutuatarius teneretur de tota ſorte, quam fortè adæquat intereſſe æſtimatum lucri ceſſantis. Sequeretur præterea, contra naturam mutui ſtatim ſortem, aliquando etiam totam eſſe reddendam. Sequeretur denique, liciram eſſe vſuram vſurarum, ſiue anatociſmum, vt oſtendimus Dubio præcedenti. Itaque quantum pro intereſſe ſtatim redditur, tantumdem de mutuo minuendum erit. Vbi vt calculus iuſtus ineatur, ita licebit procedere: Mutuo quindecim, ex quibus quinque prætendo pro æſtimata ſpe lucri qua me priuo; ſi quinq; illa nunc volo detrahere, debeo conſiderare decem ſolùm data mutuò cum onere intereſſe, quinque autem quaſi gratis mutuata, quæ ſtatim recipio, ita vt poſtea non debeas mihi pro ſorte quindecim, ſed ſolùm decẽ, & pro lucro ceſſante duos trientes ex quinque.

8. Octaua & poſtrema conditio eſt, Vt mutuator æſtimando lucrum ceſſans, deducat æſtimationem expenſarum & laboris quæ ſubijſſet in lucro ſectando. Hæc conditio neceſſaria eſt: verè enim non eſt lucrum, niſi quod illis deductis ſupereſt, vt alibi diximus.

Supereſt reſpondeamus ad argumenta initiò oppoſita. *Reſp. ad argumenta.*

Ad Primum reſpondeo, D. Thomam non ſentire contra nos, quia quæſt. 62. art. 4. docet, etiamſi hoc differat damnum emergens à lucro ceſſante, quòd illud oporteat integrè reſtituere, iſtud non integrè; vult tamen eum qui in lucro damnificat, teneri ad aliquam compenſationem, eam nimirum quæ minor quidem ſit lucro quod ſperatur, ſed adæquetur ipſi ſpei illius lucri. Quando ergo hîc dicit, lucrum ceſſans non poſſe in pactum deduci, eò quòd illud mutuator nondum habeat, & multipliciter ab eo poſſit impediri; ſolùm vult, ne ipſum lucrum totum æſtimetur, ſed ſpes eius, in qua conſiderandum, quàm certa ſit aut impedibilis: ſi autem eo conſiderato nihilominùs adhuc pretio ipſa ſit æſtimabilis, ex priori doctrina D. Thomæ poterit eius peti compenſatio. Itaque in damno emergente poteſt exigere mutuator reſtitutionem, neque tenetur admittere ab initio periculi æſtimationem; in lucro autem ceſſante potiùs exiget compenſationem ſpei, quàm reſtitutionem lucri, ita vt etiam quando vtcumque conſtiterit quid in ſimili alij aut ipſe lucrentur, non poſſit totum illud lucrum exigere, ſed debeat deducere periculum quod interuenijſſet. *Ad 1.*

Ad Secundum patet ex dictis, Voluntariè quidem poſſe dari mutuum, ceſſationem autem à lucro quod euenire poterat ex pecunia mutuata, non ita voluntariam eſſe, quin debeat eam compenſare mutuatarius; ceſſat enim mutuator à lucro non ex ſe, ſed quia in gratiam tui dat mutuum, ceſſat propter te, gratis præſtans officium mutui, modò illum ſerues indemnem in lucro, à quo ceſſare cogitur ſuppoſito tuo mutuo. Sicuti ergo ſi in gratiam tui deſtrueret ſegetes ſui agri, tenereris eas ſarcire; ita etiam quando in pecunia ſua ſpem illam deſtruit lucrandi.

Ad Tertium reſpondeo, Nihilominùs multos eſſe qui lucrum ceſſans prætexere non poſſint, vel quia omnino à mercatura ceſſant, vel quia alia nihilominùs pecunia negotiabuntur, vel quia alia via tantumdem lucrabuntur, à qua mercando fuiſſent impediti. *Ad 3.*

Occaſione huius ſolutionis quæri poteſt, Vtrùm qui bona fide facit contractum vſurarium, facturus legitimum niſi per ignorantiam fuiſſet impeditus, poſſit ex vſurario contractu tantumdem ſibi lucri retinere, quaſi titulo lucri ceſſantis, quantum ſibi acceſſiſſet per contractum legitimum, verbi gratia per triplicem contractum, de quo ſuperiori Cap. Dub. 9.

Reſpondeo, Quodam caſu id licere, alio non licere. Licet enim his concurrentibus, Primò, Si actu vel virtute intendas modo legitimo contrahere, quocumque poſſibili, aut eo quo audis viros doctos & pios materialem hunc contractum excuſare, quamuis tibi iſte modus ignotus ſit, aut ſaltem intendas non niſi modo iuſto contrahere.

Secundò, Si in licitum illum modum virtute ſaltem etiam conſentiat alter contrahens. Non licet autem ſi habitu ſolùm intendas iuſtè contrahere, aut etiamſi tu fortè actu vel virtute id intendas, alter tamen tecum contrahens in contractum illum iuſtum non conſentit.

Secun-



## DVBIVM XIV.

*Vtrùm ratione periculi, moleſtiæ, aut expenſarum quæ timentur in repetenda ſorte, liceat mutuatori aliquid ſupra ſortem exigere?*

*Verior ſententia.* RESPONDEO; Probabilius eſt licere, quia illa omnia pertinent ad indemnitatem mutuatoris. Neceſſum tamen eſt, hoc nullo modo faciat cum indebito grauamine mutuatarij, quale erit, ſi volente mutuatario tradere pignus, aut adducere ſufficientem fideiuſſorem, non contentus his cautionibus, præſcribas ei vt tecum ſuper periculo paciſcatur: ademptio enim eiuſmodi libertatis, pretio eſt æſtimabilis, adeoque ſine vſuræ vitio id non fieret in mutuo ſecundùm communem intellectum cap. Nauiganti, De vſuris, niſi aliunde hoc grauamen compenſetur, puta quia nihil computas pro lucro ceſſante, cùm alioqui poſſis. Sequitur hæc ſententia ex illis quæ tradunt Angelus verbo Vſura 1. numero 38. Siluester eod. quæſt. 35. Roſella ibidem numero 22. Clariſſimè autè eam tenent multi recentiores, Medina C. De reſtitut. quæſt. 38. §. Ad tertiam cauſſam; Petrus Nauarra lib. 3. cap. 2. numero 342. & alij. Confirmatur; Poteſt mutuator pignus, fideiuſſorem, aut aſſecuratorem exigere, cui mutuatarius deberet pro onere ſuſcepto, ſi ita velit, pretium ſoluere: ſi ergo compendij cauſſa onus hoc & periculum in ſe ſuſcipiat mutuator, poterit pro eo pretium exigere.

*Opinio Nauarri.* Contrarium tenet Nauarrus cap. 23. numero 81. & putat definitum per cap. In ciuitate, De vſuris, eò quòd illo cap. Pontifex nolit rem pluris vendi creditò propter periculum ſolutionis, multo minùs id permiſſurus in mutuo, cùm eo ipſo quo mutuum præcipitur gratis dari, vetetur in eo conſideratio eiuſmodi periculi. Eamdem cum Nauarro, quoad periculum ſortis, tenet Sotus lib. 6. quæſt. 4. art. 1. ad 1. multùm deprimens noſtram tamquam nouam & minùs ſolidam aut probabilem. Argumenta eius præcipua ſunt duo. *Soti.*

*Pro ea ob. n. 1.* Vnum: Mutuas non inuitus, ſed tua ſponte; ſi vides quòd minùs tutò, abſtine, vel accipe aliam cautionem.

2. Alterum: Mutuator ſi recipiat ſortem, nullum, vt ſupponitur, patitur reipſa damnum, aut lucri diſpendium; ergo, ratione ſolius metus nihil accipiet. Quamuis enim is ſit pretio æſtimabilis, non eſt tamen ita vendibilis, vt eum vendere poſſit mutuator, qui ſe voluntariè in eum coniecit, & redimere debeat mutuatarius, qui non tenetur aliter conſtituere mutuatorem extra omnem metum, quàm ſoluendo ſortem, & curando quoad alia indemnitatem.

*Reſp. ad Nauarrũ.* Verùm, horum argumentorum ſolutio facilis eſt. Ad cap. In ciuitate, reſpondeo, Nulla veriſimilitudine dici à Nauarro, eo cap. contrarium noſtræ reſponſionis ab Eccleſia eſſe definitum; neque enim vllo modo caſus noſter ibi attingitur, ſed Pontifex tantùm declarat, eos peccatum incurrere, qui ideò rem cariùs vendunt, quòd expectent ad tempus ſolutionem, niſi probabile ſit, tempore ſolutionis valituram plùs minùs eo pretio maiori, quo nunc venditur. Damnat ergo Pontifex eos qui ob ſolam dilatam ſolutionem plus exigunt, & permittit plus exigi ratione lucri ceſſantis. Ex qua permiſſione pro nobis colligere licet, etiam in caſu noſtro poſſe plus exigi ratione damni, quod probabiliter emerget in faciendis expenſis pro recuperanda ſorte, vt non tantùm nobis hoc cap. non aduerſetur, ſed hactenus etiam faueat.

Ad prius argumentum Soti reſpondeo, Eodem probabant quidam, ne quidem damnum emergens poſſe mutuatorem in pactum deducere, vt vidimus Dubio 12. at aliquoties iam oſtendimus, iniquum eſſe, mutuatorem inde diſpendia ſubire, vnde merebatur præmium, etiamſi non inuitus beneficium mutui contulerit; te enim aut tua inopia flagitante contulit. Quod de alia cautione accipienda dicit Sotus, parum facit ad hanc oſtendendam illicitam; argumentabor enim: Si alium poſſim exigere qui caueat, quare non poſſum hoc remittere accepto pretio iuſto cautionis, quod illi alteri ſoluendum eſſet? *Reſp. ad argumenta Soti. Ad 1.*

Ad poſterius reſpondeo, Eodem argumento probaret Sotus, etiã de ſumptuum in recuperanda ſorte faciendorum periculo non licere paciſci, quod tamen admittit; parum certè in eo ſibi conformis. Dico ergo, mutuatarium teneri mutuatori ad ſecuritatem, adeoque ad amotionem periculi amittendæ ſortis, quando ita paciſcitur mutuator, qui poterit ratione talis periculi acceptum non minùs retinere, vbi tota ſors fuerit recuperata, quàm quod accepit ratione periculi expenſarum, quæ timebantur, & factæ tamen non ſunt. Vt enim ſpes ſegetis, & iactus retis, ita & periculum tam ſortis quàm expenſarũ vendi poteſt, & ita volente mutuatore emi debet à mutuatario, quatenus exigit illius indemnitas, & permittit huic debita libertas, vt ſuprà diximus. Verum quidem eſt, periculum ſine euentu iam tranſactum non compenſari etiam ab eo qui coëgerit mutuare, niſi ita conuentum ſit aut aſſecuratio aliunde empta. Verum etiam eſt, inanem metum hominis meticuloſi non debere æſtimari. Nihilominùs veriſſimum eſt, quod volumus, poſſe mutuatorem tantumdem paciſci ſupra ſortem ratione periculi quod in ſe ſuſcipit, quantum ex prudentum iudicio meritò quis tertius exigeret, pro aſſecuratione huius ſortis cum his circumſtantiis. *Ad 2.*

## DVBIVM XV.

*Vtrùm ex eo liceat mutuatori aliquid exigere vltra ſortem, quòd ad tempus cariturus ſit ſua pecunia, & obligatus ſit ante illud tempus eam non repetere?*

NON defuerunt ex recentioribus, qui partem aientem auſi ſint ſuſtinere, ſed parum probabiliter. Cùm enim ſit de ratione mutui, vt mutuator ad tempus careat, imò & carere obligetur (niſi det mutuum precariò) ſorte quam mutuat, ratione mutui licebit lucrum exigere: neque erit vſura illicita, ſi ratione carentiæ huius aut obligationis liceat exigere. In hac reſponſione conueniunt communiter DD. Conſulendus Molina diſp. 308. Imò generatim dicere ſolent, ideò vſu- *Pro carẽtia pecuniæ nihil accipiendum.*

ras non licere, quòd in eis vendatur tempus. Ita Conradus quæst. 22. in ratione 22. Eadem etiam est ratio, quare creditò non liceat vendere catiùs, de quo diximus suo loco.

*Obiect.1.* Dices, Licet accipere pecuniam pro obligatione mutuandi, vt suprà diximus; ergo etiam pro obligatione mutuum certo tempore non repetendi.

*Resp.* Respondeo, Negando consequentiam: societati enim humanæ illam legem Ius naturæ ponit, ne quis obligetur ciuiliter aut ex iustitia, de suo alteri priuato mutuum dare sine aliqua compensatione; eiusmodi enim obligatio aliàs poneret inæqualitatem pretio æstimabilem: si autem sponte sua rem suam quis alteri concedat, vt in specie similem reddat, etiamsi se obliget ad non repetendum ante certum tempus, hoc non compensatur ei peculiariter ex iustitia, quia nihil hîc pretio æstimabile est: tria enim tantùm considerari hîc possunt, concessio, obligatio ad tempus non repetendi, & interesse. Interesse, vt suppono, abest: concessio æstimari non potest, vt omnes admittunt, & patet ex Lege naturæ & verbis Christi, *Mutuum date, nihil inde sperantes*: obligatio ad tempus non repetendi, æstimari etiam non potest, quiaea nihil est aliud, quàm non precariò facta concessio ad tempus, adeoque est ipsa mutuatio quæ gratis fieri debet, etiam extensa secundùm longius tempus, quia tempus vendi non debet, omni alio interesse cessante: benefica ergo ista obligatio non repetendi sortem ante certum tempus, ideò vendi non debet huic mutuatario, quia quodammodò semel ei donata est, eo ipso quo mutuum datum est.

*Obiect.2.* Dices Secundò, Etiamsi reipsa in particulari nullum habeam interesse, sufficit eius probabile subesse periculum secundùm commune mercatorum iudicium, quo carentiam centum florenorum ad certum tempus in genere taxare solent secundùm cursum Burſæ quam vocant. Potero ergo pretium eiusmodi accipere etiamsi nullum patiar interesse.

*Resp.* Respondeo, Negando consequentiam, propter rationem quam dedimus suprà Cap. 2. Dub. 5. Quamuis enim pretia rerum, etiam in conscientia, communiter æstimanda sint, interesse tamen tuum peculiari Lege venit æstimandum, neque debet commune hîc pretium statui, quia eius iustitia pendet ex particulari consideratione circumstantiarum, puta industriæ & consuetudinis mutuatoris. Vsus autem ille Burſæ verbi gratia Antuerpiensis vtcumque inter mercatores, quoad forum externum iustus erit, & in eo potiùs commodus, quòd in exteriori foro modum ponat nimio interesse mercatorum, quàm quòd interesse promiscuè in cõscientia cuiuis tutum præscribat. Videndum ergo ijs qui eo modo vtuntur vt tuti sint, vtrùm taxatum interesse intra limites veri quod ipsi æstimare per se potuissent, consistat.

## DVBIVM XVI.

### *Vtrùm possit gener retinere fructus pignoris pro dote sibi à socero assignati, non computando eos in sortem?*

De hac re ita constituit Innocentius III. cap. Salubriter, De vsuris: *Generum ad fructus possessionum quæ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computãdos in sortem, non credimus compellendum, cùm frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda.* Ex hac Decretali statuunt communiter DD. affirmatiuam responsionem. Quamuis enim regulare sit, creditorem debere fructus pignoris sibi pro securitate dati, computare in sortem, vt patet ex cap. 1. & 2. & cap. Conquestus, eodem; gener tamẽ eos in nostro casu seruare potest, quia non est ei pignus datum solùm in securitatem dotis, sed vt interim dum ea non soluitur, inde sustentet onera matrimonij. Quam rationem suggerit Pontifex, quando vrget, onera matrimonij frequenter fructibus dotis esse maiora. *Quomodo genero competant fructus dotis.*

Ex qua doctrina multa in particulari huc pertinentia inferri possunt.

Primò, Generum non posse hos fructus lucrari, si in concessione pignoris apertè pactum sit, non aliter illud dari quàm in securitatem dotis, quæ non debeatur ante certum diem. Siluester verbo Vsura 3. quæst. 2.

Secundò infertur, Posse generum hos fructus sibi retinere, etiamsi ad onera matrimonij non sint necessarij: non enim dari censentur tamquam necessarij, sed in subsidium, & vt honestiùs vxor alatur, quæ sumptuosiùs ali solet pro magnitudine dotis.

Tertiò, Non posse viduam soluto matrimonio sibi seruare fructus pignoris pro dote dati ab heredibus mariti defuncti, nisi ratione interesse; tunc enim onera matrimonij cessant. Ita tenet Molina disp. 322. quamuis multi recentiorum aliter sentiant, quos sequitur Serola priori parte, verbo Vsura.

Quartò infertur, Dispositionem cap. Salubriter, extendendam esse, vt etiam locum habeat, quando alius à socero, etiam extraneus, dotem promisit, & pignus dedit, &c. cùm enim maritus onera ferat matrimonij ex contractu innominato, Do vt facias, debentur ei fructus dotis, adeoque pignoris in locum doris substituti.

Quintò infertur, Non habere locum istud cap. in genero, qui tempore quo percipit fructus pignoris pro dote dati, non fert onera matrimonij, puta quia vxor mansit in domo paterna. Siluester suprà, Molina disp. 321.

Sextò, Præter fructus pignoris pro dote posse generum, nisi consensu suo sibi præiudicauerit, exigere interesse lucri cessantis, si quod fortè habeat; puta si per industriam longè ampliùs erat lucraturus ex dotali pecunia, quàm fructus pignoris conficiunt.

Septimò infertur, Fore vsuram, si postquam socer promisit statim soluere dotem, gener ei concedat dilationem accepto pignore fructifero, ea lege vt fructus non deducat in sortem: fore inquam vsuram, nisi fructus isti adæquari possint interesse. Si tamen virtute intendentes à priori contractu recedere ita paciscantur, vt quamdiu dos non soluitur, gener habeat hos pignoris fructus pro oneribus matrimonij illius temporis, non apparet vsura.

DV-



## DVBIVM XVII.

### *Vtrùm interueniat Vsura in Montibus pietatis.*

*Mons pietatis quid.* Montem pietatis voco certam pecuniæ, aut alterius rei, qua mutuò data pauperes iuuari queant, quantitatem, in eum finem intuitu pietatis constitutam, vt pauperes sine vsuris quibus opprimuntur, mutuum inueniant, cuius hæ ferè aut similes sunt aut esse possunt conditiones.

*Conditiones requisitæ.* Prima, Ne detur mutuò vni & eidem simul vltra quantitatem trium aureorum, aut diuisim toto anno vltra decem aureos, vt plures iuuari queant.

Secunda, Vt pro Montis securitate, mutuatarij pignora deponant.

Tertia, Vt pro obligatione mutuandi, & sustentatione ministrorum qui describant computus, pignora custodiant & conseruent, item pro conductione domus in qua hæc conseruentur, & similibus necessarijs, modicum quid in singulos menses mutuatarij contribuant, quod Monti cedat pro sola sua indemnitate, sine vllo lucro.

Quarta, Vt non nimis diu pignora seruentur, sed verbi gratia euoluto anno distrahantur, & quod reliquum fuerit, pauperi mutuatario ex pretio restituatur, ne contingat paucos tantùm vti hoc beneficio.

Quinta, Ne superflui vlli fiant sumptus.

Sexta, Vt tantùm mutuum inde detur pauperibus illius loci, non exteris, aut diuitibus.

Septima, Ne in alium vsum ea pecunia expendatur, præterquam in mutuum pauperum.

*An Montes pietatis sint liciti.* Quæritur, An cum his circumstantijs licitus sit Mons pietaris.

*Opinio Caietani.* Dubitat Siluester verbo Vsura 5. quæst. 4. & dicit, Sedem Apostolicam esse consulendam. Negat autem Caietanus, non obstante approbatione Pauli II. Sixti IV. Innocentij VIII. & Alexandri VI. Dicit enim non esse hanc materiam definitionis Pontificiæ, eò quòd Pontifex non dirigat homines vt homines sunt, sed potiùs vt fideles sunt; hæc autem quæstio pertineat ad moralem Philosophiam, adeoque ad directionem hominis vt homo est.

Ceterùm cùm huiusmodi Pontificum definitiones non sufficerent, præcipuè cùm & corruptelam in eis dicerent aduersarij esse admissam, eò quòd Sedes Apostolica approbare voluerit Montẽ pietatis non simpliciter, vt dictis capp. circumscribitur, sed additum in autographo fuerit, (quod mala fide in impressis exemplaribus omissum) capp. illa solùm approbarit, quatenus sacris Canonibus non essent contraria: tandem Leò X. in Concilio Lateranensi clariorem edidit Constitutionem, qua simpliciter dicta capp. præsertim tertium approbarentur, & Montis damnatio prohiberetur sub pœna excommunicationis, simulque declararetur, ne speciem quidem mali eiusmodi Montem prę se ferre, sed pium, laudabilem, & Indulgentiis dignum esse. Concilio huic Lateranensi Caietanus interfuit, vt testatur ipse 2.2. quæst. 1. art. 10. & patet ex actis Concilij.

*Soti.* Caietanũ sequitur Sotus. Verùm in eo fallitur, quòd existimet Caietanum post hanc Lateranensem decisionem nihilominùs adhuc contra Montes pietatis scripsisse: opusculum enim eius De Montibus pietatis multis annis scriptum est ante hoc Concilium anno videlicet M. CCCC. XCVIII. cùm hoc Concilium Decretalem suam ediderit anno M. D. XV.

Simili errore deceptus videtur Bartholomæus Fumus in Armilla aurea, verbo Vsura, num. 48. vt putauerit à Leone non esse simpliciter probata dicta capp. Montis pietatis. *Fumi.*

Quæ autem Sotus pro se dicit, ferè sunt ista: Primò, Quòd sine vsuræ vitio non possit Mons pietatis quidquam accipere ratione custodiæ pignorum, cùm custodia ista incumbat mutuatori, adeoque Monti, cuius securitati seruit. Fatetur tamen, si pignora natura sua sint onerosa, puta vestes quæ magna cura conseruari debeant, eiusmodi onus incumbere mutuatario, & pro eo posse Montem aliquid exigere: sed iniquum esse contra Iustitiam commutatiuam & distributiuam, quòd tantumdem exigatur ab illis quorum pignora non sunt onerosa. Rursum fatetur quidem posse aliquid exigi ratione obligationis mutuandi, sed exiguum id fore ad illud quod Mons exigit. *Soti obiect. 1.*

Secundum, in quo laborat Sotus, pertinet ad refutationem oppositæ sibi auctoritatis Concilij Lateranensis; dicit enim (imitatus in hoc Caietanum) veritates illas morales & naturales quæ ex Scripturis decidi non possunt, ex quibus vna est, quòd hic contractus Montis pietatis sit, vel non sit vsurarius, non esse materiam decisionis Pontificiæ. Deinde non aliter approbata esse à Leone X. capp. Montis pietatis, quàm prout non sunt contraria Canonibus. Ad hæc non permittere Papam aliquid accipere Montem, nisi ratione solius obligationis mutuandi. Denique, Constitutiones huius Concilij non esse per omnia receptas. *2.*

Tertiò argumentatur hoc modo: Si quis diues pecuniam suam mutuaret pauperibus acceptis pignoribus, & seruatis reliquis legibus Montis pietatis, non idcircò esset immunis ab vsura, aliquid accipiens vltra sortem; ergo etiam Mons est vsurarius. *3.*

Post Sotum idem tenuit Arragonius, qui inter reliqua & illud vrget, Pauperes non esse dominos Montis, adeoque ad eorum onus non esse Montis indemnitatem & incolumitatem. *4.*

Postremum pro sententia Caietani argumentum est, Quòd certissimam speciem vsuræ præ se ferat, tantò plus exigi vltra sortem, quò mutuum concessum fuerit in longius tempus; hoc enim videtur idem esse, ac si concessionem ipsam ad tempus vendas. *5.*

Sit vnica ASSERTIO. Certissimum est, Montem pietatis, vt suprà descriptus est, esse licitum & laudabilem. Patet ex Decretali Leonis X. in dicto Concilio Lateranensi sess. 10. quæ incipit, Inter multiplices, & inter reliqua ita habet: *Sacro approbante Concilio, declaramus & definimus, Montes pietatis antè dictos, per Respublicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos & confirmatos, in quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, &c. pro eorum indemnitate dumtaxat vltra sortem absq; lucro eorumdem Montium recipitur, neque speciẽ mali prę se ferre, neq; vllo pacto improbari, quinimò meritorium esse, & laudari & probari debere tale mutuum*, &c. Ex qua definitione Ecclesiæ patet, Montes pietatis, neque vsurarios *Montes pietatis laudabiles esse.*

aut iniustos esse, contra Caietanum; neque Reipublicæ Christianæ inutiles, contra Ieremiam Archiepiscopum Tranensem, qui in eodem Lateranensi Concilio de eis rogatus sententiam, reliquis PP. Montes approbantibus respondit, Montes pietatis sibi non placere, eò quòd per experientiam didicisset, plus eos damnosos quàm vtiles esse. Confirmatur ex viu Ecclesiæ, & multorum Montium pietatis particularium confirmatione, posteà per Sedem Apostolicam facta: item ex Tridentino, quod Montes istos pietatis censet inter pias causas, sess. 22. De reformatione, c. 8. 9. & 11.

Patet Secundò ex fundamento quod ipse Caietanus admittit, Opera ministrorum per eos est compensanda, qui cõmodum ex Monte sentiunt; sentiunt autem mutuatarij; meritò ergo ij conferent pro operis ministrorum, per Regulam Iuris; *Qui sentit onus, debet sentire commodum, & contrà*, De Regulis Iuris in 6. Quo eodem fundamento Pontifex vtitur in Bulla confirmationis. Confirmatur; Quia vt aduersarij fatentur, si conficiendum sit instrumentum coram Notario pro securitate mutuatoris, tenebitur impensas illius instrumenti soluere mutuatarius, quia in securitate sortis, debet mutuatorem seruare indemnem; debebit ergo in omnibus illis indemnem seruare, quæ ad pignoris pertinent conseruationem & necessariam custodiam, nam pro obligatione mutuandi & aduersarij aliquid concedunt. Ad hæc nemo militat suis stipendijs vmquam, & dignus est operarius mercede sua: atqui hi Montis administri seruiunt communitati pauperum; meritò ergo à mutuatarijs pauperibus sustentationem accipiunt, non secùs ac alij qui publicis muneribus Reipublicæ necessarijs funguntur. Accessit denique consensus pænè omnium DD. quorum nonnulli dicunt esse fidei, propter definitionem Lateranensem. Sanè certissimum videtur, contrarium non posse sustineri sine pœna excommunicationis.

*Resp. ad argumenta Soti.*

Superest respondeamus ad argumenta pro opinione Soti nobis opposita.

*Ad 1.*

Ad Primum dico, Immeritò negare Sotum, posse mutuatorem à mutuatario accipere impensas, quas cogitur facere in conseruationem & custodiam pignoris: quamuis enim assecuratio per pignus proximè cedat in vtilitatem mutuatoris, est tamen ei debita à mutuatario, ita vt eam possit exigere; mutuatarius enim sicuti pignus debet, ita illud debet cum indemnitate mutuatoris: cùm enim mutuum natura sua cedat in vtilitatem solius mutuatarij, æquum est, vt rationabilis cautio, quam petit mutuator, non cedat in grauamẽ ipsius mutuatoris. Quòd verò iniquum esse dicit Sotus, vt tantumdem pro conseruatione pignoris pendat, qui dedit non onerosum, ac qui onerosum, fateor ita esse si ibi sistas; sed cùm moraliter impossibile esset æqualitatẽ in hac diuersitate seruari, potuit Pontifex, Princeps, aut Respublica, quibus hac in parte subsunt pauperes, statuere, vt mutuò sibi hoc pauperes donare censeantur, quod potest hîc esse disparitatis; ex hoc enim nullum redundat lucrum in Montem, sed communi sorte hoc diuidendum sibi inter se indulgent pauperes, quod vel ideò æquius est, quia qui adfert hodie pignus minùs onerosum, aliàs fortè mutuum petet assignato pignore onerosо, vt sit etiam in eodem vtcumque compensatio.

*Ad 2.*

Ad Secundum, Quo eluat Sotus auctoritatem Decretalis Lateranensis, respondeo, Veritates etiam illas moralis Philosophiæ posse à Pontificibus & Concilijs definiri, ex quibus pendet vtrùm mortaliter peccetur nec ne; ex mortali enim peccato, etiam contra Legem naturalẽ, pendet finis supernaturalis, ad quem fideles dirigit ex munere suo Pontifex. Si enim hæc potestas Ecclesiæ deesset, non esset ei sufficienter, etiam in ordine ad supernaturalia, prouisum.

Quæres, Vtrùm ea quæ sic definit Pontifex, sint fidei?

Respondeo, Absolutè loquendo, non propriè, esse fidei supernaturalis, sed hactenus proximè ad fidem accedere, quòd certitudinem & testimonium accipiant à certitudine supernaturalis assistentię Spiritus sancti, quam etiam in eiusmodi naturalibus veritatibus ad Legem diuinam seu naturalem pertinentibus proponendis habet Pontifex.

Porrò illa iactatio, non aliter approbari à Leone Montis capp. nisi vt consona Canonibus: vt circa priorum Pontificum approbationem probabiliter fortè vsurpata fuerit à Caietano, malè tamen & inconsideratè Caietani exemplo à Soto vsurpatur circa Decretalem Leonis; quia Leo sine tali restrictione Montem approbauit, quia sciebat eiusmodi restrictionem controuersijs sedandis parum fuisse opportunam. Ceterùm sine vllâ probabilitate dicitur, Leonem concessisse Monti solum illud lucrum, quod ratione obligationis mutuandi debeatur; quia expressè Papa approbat totum cap. quod habet, etiam ratione pignorum curandorũ, & similium aliquid posse accipi.

Quod denique dicitur, fortè constitutionem istam non esse receptam, nullo modo admittendum est: definitiones enim veritatum eiusmodi circa Legem Dei, non magis pendent à receptione vtentium subditorum, quàm definitiones fidei. Aliud dicendum de Legibus positiuis Pontificum & Cõciliorum, qualis est illa quam allegat Sotus, vt Beneficio excidat, qui Horas non legit.

Deniq; hîc notandum contra Caietanum cum suis, vel solùm confirmationem Pontificiam horum Montium quæ facta est non tantùm in forma communi, sed omnino ex certa scientia, omni surreptionis suspicione cessante, debuisse eis sufficere, vt Nauarrus obseruat in dictum cap. finale De vsuris, & explicatum reliquit Panormitanus in cap. Si quis, De confirmatione vtili vel inutili.

*Ad 3.*

Ad Tertium, Quamuis possit quilibet priuata auctoritate stipulari suam in mutuo quod pauperi concedit indemnitatem, argumento ex Lege 2. §. vlt. ff. De eo quod certo loco dari oportet; nemo tamen potest sua auctoritate instituere Montem pietatis, retento sibi pecuniæ dominio. Primò, Quia scandalo res non carebit; putabitur enim vsuras exercere, quando indemnitatem curabit. Secundò, Quia Reipublicæ interest, cognitionem huius rei ad se sumere, & cauere ne in hac re fraudi satis obnoxia, excessus aliquis admittatur. Tertiò, Quia pro pignorum asseruatione non posset sibi æqualem compensationem æstimare, siue onerosum sit pignus, siue non: vt enim suprà diximus, vt hoc iustè fiat, opus est interuenire Superioris auctoritatem.

Cete-



Ceterùm dubium non est, quin similibus conditionibus quibus institutus est Mons pietatis, possit auctoritate publica, etiam Principis, constitui Officiarius aliquis, qui pauperibus mutuum daret, & pro sua indemnitate & obligatione mutuandi acciperet moderatum quid supra sortem, vt docet ex Scoto Nauarrus suprà, & Enchiridij cap. 17. numero 288. Sed videndum esset, vt ad hoc munus deligantur alieni ab omni suspicione vsuræ & auaritiæ: item ne ratione interesse, sub quo dicant se leuare pecuniam quam mutuent, plus quàm necessarium sit grauent pauperes: quod etiam cauendum, ne faciant multos titulos comminiscendo aut exaggerando, qualis est assecuratio præstanda illis à quibus pecuniam acceperunt, sumptus famulitij & domus conducendæ pro asseruandis pignoribus, periculum contagij, vitiosorum pignorum, fraudis & negligentiæ famulorum, supellex & instrumenta, propria cura & industria, labor, & similia.

Curandum etiam vt sub graui pœna statuatur, ne per Principem impositus lucro modus excedatur, aut aliæ iustæ conditiones violentur. Denique caueatur, vt vel in perpetuum, vel in longum tempus hic Officiarius aut eius heredes obligentur ad mutuum illud pauperum. Quibus cum reliquis conditionibus Montium pietatis sincerè seruatis, (in quo pro humanæ, cupiditatis licentia non parum suberit difficultatis) rectè dixerit Nauarrus suprà in cap. finale De vsuris, numero 18. meritò optandum esse, vt Principes tale officium instituant.

Ad Quartum respondetur Primò, Negando assumptum: dici enim potest, pauperum communitatem esse dominum Montis. Verùm quia hoc impertinens est, meliùs negatur consequentia. Diximus enim suprà, per legitimum contractum fieri posse, vt alius mihi teneatur assecurare rem meam. Dico ergo, Quamuis Mons non consideretur esse pauperum, meritò tamen pauperes debere cauere, ne suum beneficium Montis sit interitus, benefactorem suum seruando indemnem: quamuis verum sit quod etiam Pontifex monet, laudabiliùs ita institui Montes, vt ne in hoc quidem grauentur pauperes.

*Ad 4.*

Ad Postremum respondeo, Pauperem qui diutiùs mutuo vtitur, plus pendere Monti, non quia diutiùs mutuo vtitur, sed quia tenetur diutiùs alere ministros, qui pignora custodiant, eò quòd pignus eius custodiendo diutiùs ipsius negotium gerant. Accedit quòd pauper diutiùs vtens mutuo, impediat interea Montem à mutuando alijs, à quibus impensas acciperet operarum, quas nihilominùs alere debet, pro mutuandi obligatione quam suscepit, atque ita Mons allegare poterit interesse. Si cum temporis duratione non æqua currat iusti impendij per omnia proportio, cùm exactior vix seruari sine magna difficultate possit, interueniente auctoritate publica, censentur hoc pauperes meritò donare, quod fortè in particulari fuerit inæqualitatis.

Quærere hîc quispiam possit, Vtrùm non liceret ita Montem pietatis instituere, vt supra indemnitatem eius singuli mutuatarij teneantur aliquid superaddere, quo Mons augeatur?

Respondeo, Non licere; quia Ecclesia non approbauit Montem vt lucrum tale possit accipere, vt patet ex Bulla Leonis X. neq; approbare posset, saltem si Mons consideretur esse extra dominium communitatis pauperum qui mutuum petunt; quia vsuræ sunt contra Legem naturæ indispensabilem.

At quid si Monis pietatis sit acervus tritici, ex quo vendatur pauperibus eo tempore quo triticum carius est, verbi gratia, mense Maio aut Iunio, pretio quod erit tempore solutionis in Augusto aut Septembri, ea tamen lege, vt addant aliquid supra pretium quod erit tempore solutionis, & infra illud quod erat tempore venditionis, vtrùm erit vsura?

Respondeo, Non fore; imò neque erit vsura, si mutuum detur ex eiusmodi Monte in Maio, ea lege vt in Augusto eadem quantitas reddatur cum aliquo auctario, sistendo infra pretium quod erat in Maio, vt hac ratione Mons augeatur, & nihilominùs in parte bona subleuentur mutuatarij. Hîc inquam neque vsura, neque alia iniquitas intercedit; est enim virtute venditio & emptio reciproca, vt Mons modium in Maio quando valet duodecim, vendat verbi gratia solùm nouem, ea lege vt in Augusto, quando valebit nouem, pauper Monti reuendat pro octo.

Contrarium tamen sentire videtur Medina, C. De vsuris, prope finem, q. 10. sed immeritò, vt luculentiùs patebit infrà Dub. 20.

## DVBIVM XVIII.

### *Sitne vsurarium, pœnam conuentionalem exigere à mutuatorio existente in mora.*

*Pœna conuentionalis quo modo exigi possit.*

RESPONDEO, Non esse, modò hæ conditiones obseruentur. Prima, Ne cogatur eam soluere etiam ille, qui sine omni culpa sua fuerit in mora. In eum enim euentum, nisi subsit interesse mutuatoris, iniustè statuitur pœna: sicuti enim per Legem aut sententiam nemo innocens puniendus est, ita neque per pœnam conuentionalem.

Dicit Conradus q. 31. Hanc conditionem saltem de rigore iustitiæ non esse necessariam, nisi quando mutuatio fuit præcepti: si enim tantùm fuerit consilij, putat ipse similiter tantùm esse consilij, non accipere pœnam ab eo qui sine culpa est in mora. Sed quod dixi, probabilius est, & alijs passim placet. Vnde sequitur, Si partem sortis reddiderit, totam pœnam non posse exigi, licet quoad reliquum sortis mutuatarius fuerit in mora culpabili, sed pœnam pro rata esse minuendam; solùm enim est in mora quoad partem sortis.

Limitat hîc iterùm Conradus, vt non sit illicitum totam pœnam exigere parte sortis recepta, quando ita conuentum fuerit. Sed existimo in ipsa conuentione etiam hoc iniustitiam pariturum, nisi eo intuitu pœna valdè fuerit imminuta.

Si culpa sua mutuatarius factus sit impotens, erit in mora culpabili; nisi fortè ex sua omissione aut commissione non aduerterit nec aduertere facilè potuerit, secuturam hanc impotentiam.

Secundò requiritur, Ne pœna immodica sit; qualis erit, si pignus in commissum cadat, aut sors duplicetur, vt patet cap. Significante, De pignoribus, & benè docet Couarruuias lib. 3. Variarum resolut. cap. 2. per conuentionem enim mutuatarius supplet quidem defectũ iurisdictionis

nis in mutuatore, sed non potest sine iniustitia hoc agi, vt permittat ei pœnæ petitionem vltra modum culpæ. Talem ergo pœnam conuentionalem solùm apponere possunt contrahentes, qualis in simili culpa posset esse legalis aut iudicialis.

Tertiò requiritur, Vt mora sit notabilis, & satis longum tempus mutuatario concedatur, quo speretur posse restituere sortem: aliàs non erit pœna satis attemperata culpæ; nam ad breue tempus differre, non magna est culpa. Vnde non erit iusta consuetudo, si soleat exigi tota pœna, quando non statim à tempore constituto soluitur sors, nisi fortè vbi tempus satis longum constitutum fuerit, vt compensare valeat breuitatem moræ.

Quartò requiritur, Ne in fraudem vsuræ eiusmodi pœna apponatur, quod ferè fit quando mauult mutuator moram incidere, vt pœnam possit lucrari, quàm tempestiuè sortem recuperare, ideoque in singulos menses certum quid tempore moræ stipulatur. Ita ferè Conradus quæst. 31. Qui tamen rectè monet, non opus esse vt mutuator stipulans pœnam respiciat ad suum interesse: quamuis enim ex mora mutuatarij nullum sit habiturus interesse, potest nihilominùs pacisci de pœna, ad cuius iustitiam sufficit culpa & consensus mutuatarij.

Quæres, An pœna ita debeatur ante sententiam iudicis?

*Pœna conuentionalis debetur ante sententiam.*

Respondeo, Probabilius esse, deberi ante sententiam iudicis, sed non ante exactionem mutuatoris, cui in hoc mutuatarius tamquam Iudici se quodammodò submisit. Deinde pactum videtur hoc habere vt per se obliget; nihil enim ita naturale est, ac pacta seruari. L. 1. ff. De pactis.

Hinc infero, Non posse mutuatarium pœnæ solutionem præscribere, nisi silentium mutuatoris intercedat.

*Obiect.* Dices, Pœna conuentionalis retinet naturam pœnæ; de ratione autem pœnæ est, ne ante sententiam debeatur.

*Resp.* Respondeo, Propter hoc argumentum Sanchez lib. 1. De matrimonio, disp. 37. & alij multi ab eo citati, tenent contrarium, sed immeritò: si enim de ratione pœnæ ita sit inuoluntarium, vt non debeatur ante sententiam Iudicis, potiùs dicendum erat, in pœna quæ debetur ex voluntario pacto, aliquid decedere de ratione perfectæ pœnę, quàm contra naturam pacti, pœnæ suspendere obligationem. Vt ergo medio modo sese habeat ista pœna, facit permistio contrariarum quasi conditionum pœnæ & pacti. Ita tenet Molina disp. 97. & alij multi quos citat.

Quæres Secundò, Vtrùm possit mutuator stipulari de pœna conuentionali; quando præter illam mutuatarij mora esset punienda pœna legali aut iudiciali?

Respondeo, Posse quidem stipulari, quia conuentionalis, vt diximus, debetur ante sententiam, non autem legalis aut iudicialis; æquitas tamen non videtur permittere, vt exigatur conuentionalis, quando præterea certò exigenda aut exacta esset legalis aut iudicialis.

## DVBIVM XIX.

### *Vtrùm liceat mutuatori aliquid vltra sortem accipere ratione præsumptæ donationis mutuatarij?*

CONSVLENDA sunt quæ diximus suprà Cap. 2. Dub. 2. De emptione & venditione. Sicuti enim vendens citra, aut emens vltra iustum pretium, præsumi potest donare, ita & mutuatarius offerens plus quàm sortem, interdum potest præsumi illud donare, non tamquam ciuiliter aut ex iustitia debitum ex mutuo soluere; & tunc licebit, cessante scandalo, mutuatori illud recipere. Monent tamen DD. præsumendum ferè esse quòd detur tamquam pretium mutui, quando exteriùs non satis exprimitur contrarium, præcipuè si nulla necessitudine contrahentes aliàs sunt inuicem coniuncti. Monent etiam, eum qui mutuò sumpsit vt negotietur, faciliùs præsumi donare, quàm qui mutuum rogauit quo egestatem suam leuaret.

Sed meritò quæres, Vtrùm quando mutuum petens scripto promittit se liberaliter supra sortem aliquid additurum, liceat tamquam liberale donum acceptare?

Tractat hanc quæstionem Medina C. De vsuris, q. 3. §. Tertia caussa, & resoluit in partem negatiuam, idque meritò: neque enim semper præsumi potest liberalis donatio, quando exteriùs eam præ se fert donator. Nisi enim omnino sit libera, & sine admixto inuoluntario donatio liberalis, non transfert dominium: præsumitur autem rectè non esse libera, quando vel ipsa, vel eius promissio fit ad obtinendum mutuum; prouenit enim ex metu carendi mutuo.

Dices, Fieri potest, vt mutuatarius eiusmodi nulla prematur necessitate petendi mutuum, sed illud petat in vsum planè voluntarium, & apponat promissionem liberalis donationis; itaque tunc saltem licebit accipere donum.

Respondeo, Quamuis aliter sentiat Medina, non videri etiam tunc deesse vsuram: quamuis enim caussa ob quam mutuatarius petit mutuum, sit ei planè voluntaria, donatio tamen aut promissio mixtè solùm voluntaria est; promittit enim & dat vltra sortem, metu mutuo carendi, quamuis mutuo ipso non indigeat. Si ergo mutuum ei vendere non poteras, quando sine necessitate petit, neque potes quod verè propter mutuum dari præsumitur, etiamsi liberaliter dari dicatur, accipere vltra sortem.

Dices iterùm, Si furi res quam animo furtiuo aufert, priùs donata fuerit, domino disertè dicente se donare, non tenetur eam restituere, sed solùm animum corrigere; ergo similiter in proposito licebit mutuatori auctarium sortis, tali mutuatarij quasi donantis protestatione sibi adiectum retinere, modò animum habeat ab vsura alienum, & conformem exteriori donationi mutuatarij.

Respondeo, Non sequi. Ratio disparitatis in eo est, quòd donatio facta furi, non habeat adiunctum pactum vnde contrahat rationem inuoluntarij, sicut donatio facta aut promissa vt obtineatur mutuum. Ita ferè Medina suprà.

DV-



## DVBIVM XX.

### *Quando valor rei mutatus est pendente mutuo, secundùm quem oporteat mutuatarium restituere?*

CONTINGIT interdum multùm mutari pretium tritici aut valorem pecuniæ dum pendet mutuum; quæritur, Secundùm quod pretium oporteat restituere, vtrùm secundùm illud quod fuit tempore mutui, an verò secundùm illud quod est tempore restiturionis?

In huius quæstionis explicatione eius in primis habenda erit ratio, Vtrùm rei valor primariò sit mutuò datus, an solùm secundariò, primariò autem res ipsa?

Secundò videndum, Vtrùm tempore mutuationis constiterit aliquid contrahentibus de hac mutatione, an verò omnino incerta fuerit.

*Si mutues in tempus quo carius certò erit:*

DICO itaque PRIMO. Si mutues triticum quando minoris venditur, in tempus quo certum est carius futurum, licet tibi stipulari eamdem quantitatem, si in illud tempus eras conseruaturus, & non obliges mutuatarium ne citiùs restituat, & deducas expensas & periculum quæ subijsses in eius conseruatione. Tenet Molina disp. 311.

*Quo dubium sit:*

DICO SECVNDO. Si incertum sit, & vtrimque dubium, vtrùm pluris an minoris res tempore restitutionis sit valitura, licet stipulari & accipere mutuatori eamdem quantitatem, etiamsi in duplum excreuerit pretium: periculo enim per periculum compensato, nulla remanet inæqualitas. Est Conradi quæst. 38.

*Quo putatur minus valitura.*

DICO TERTIO. Si putetur res valitura minoris tempore restitutionis, potest mutuator pacisci tantumdem sibi addendum in quantitate, quantum sufficiat compensationi valoris, etiamsi rem alioqui fuisset conseruaturus in tempus quo minoris valebit. Ratio est, Quia potest censeri valorem rei mutuò dare qui nunc est, animo rem sibi seruandi mutato. Conradus ibid. conclus. 5.

*Si mutues pecuniam.*

DICO QVARTO. Si mutuaui tibi centum in moneta, cessante alio pacto, reddes valorem qui nunc est quando mutuum trado, siue auctus intereà fuerit valor siue minutus. Valor enim legitimus potiùs quàm pecuniæ species mutuò datus est. Ita Molina disp. 312. Qui idem dicit, quando mutuator erat pecuniam conseruaturus donec valor auctus fuisset. Confirmatur cap. Olim, & cap. Cùm Canonicis, De censibus, cap. Quanto, De iureiurando; vbi consulendus Panormitanus, & Glossa in dictum cap. Olim. Secùs dicendum, si mutuò dederim certam æris quantitatem, vt statuam inde conficias: reddes enim non valorem æris, qui erit tempore restitutionis fortè minor, sed pondus idem, siue minor fuerit valor, siue maior, quia ad pondus dedi.

*Quid si mutues, & similes in specie nummi restituantur.*

Quæres, Quid si pactum appositum habeat, vt similes in specie nummi eodem numero restituantur, & pendente mutuo valor mutetur.

Respondet Molina, Etiam tunc tam mutuatori quàm mutuatario debere sufficere, quòd valor qui erat tempore contractus restituatur. Istud tum demum verum existimo, quando constat, de specie pecuniæ reddenda pactum appositum esse, ne qualitate monetæ mutuator fortè molestiam accipiat; si enim appositum sit propter periculum mutandi valoris, aliter dicendum erit, vt fatetur Molina: hoc enim casu mutuatarius defungetur restituendo in eadem specie pecuniam, etiamsi ea, antequam ipse in mora fuerit, per Principem reprobetur; quamuis priori modo stipulatus, ne fortè variata moneta, molestiam minutis nummis computandis subiret, eamdem non teneretur recipere iam reprobatam. Ratio diuersitatis est, quia altero modo pactus, pecuniam instar rei mutuò dedit, cui satisfit, si eadem in specie reddatur quoad naturalem valorem materiæ; hoc autem modo pactus, valorem pecuniæ mutuò dedisse censendus est. Si tamen mutuator verisimiliter existimet augendum valorem, & pecuniam in illud tempus sit seruaturus, poterit ratione lucri cessantis disertè stipulari de valore qui erit tempore restitutionis, vt concedit Conradus dicta quæst. 38. prope finem: qui tamen aliquoties non abs re monet, etiam à præsumpta vsura hîc abstinendum esse.

## DVBIVM XXI.

### *Vtrùm vsurarius acquirat verum dominium Vsurarum?*

AFFIRMANTEM partem multi tenent, Glossa in cap. Si quis vsuram 14. q. 4. Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 3. Palude ibidem quæst. 5. *Sententia quorumdã.*

Probant argumento à minori; Qui metu etiam mortis aut alio cadente in constantem virum aliquid donat aut tradit, verè transfert eius dominium, vt patet ex cap. Abbas, De ijs quæ vi metúsve caussa fiunt; ergo multò magis mutuatarius soluens vsuras, earum transfert dominium: magis enim ipse voluntariè tradit, & minùs contra Legem Dei alter accipit. Ita ferè Palude. *Arg. 1.*

Secundò, Si pauper eodem modo inuoluntarius ex necessitate aliqua tibi vendat rem suam, tenet venditio; ergo etiam tenet eius donatio, quam facit vsurario, non obstante mixto inuoluntario. 2.

Tertiò, Vsurarius pecunia fœnebri non solùm validè negotiatur, sed etiam facit lucrum inde proueniens verè suum; est ergo ipse dominus pecuniæ: si enim aliena esset, neque contractus esset ratus, neque lucrum fieret ipsius vsurarij; res enim quæque domino suo fructificat. 3.

*Verior sententia.*

Contraria sententia, Vsuras non transire in dominium vsurarij, est D. Thomæ hîc quæst. 78. art. 3. Gabrielis in 4. dist. suprà citata, quæst. 11. in fine articuli 1. Angeli verbo Vsura 2. q. 18. Siluestri verbo Vsura 6. quæst. 1. qui testatur esse communem Theologorum. Hæc sententia omnino tenenda est, videlicet non magis vsuras transire in dominium fœneratoris, quàm furta & rapinas in dominium furis aut raptoris.

Probatur; Quia vt traditio sufficiat ad transferendum dominium, requiritur vt fiat à vero domino, item vt fiat cum caussa, tertiò vt caussa ista sit idonea, vt docet Angelus suprà; nuda enim traditio non sufficit ad transferendum dominium sine titulo, vt patet L. Numquam, ff. De acquirendo rerum dominio. In vsuris autem nullum subesse titulum idoneum, probat Angelus inductione, eò quòd soli eiusmodi sint tituli, pro empto, pro mutuo, pro transacto, pro herede, pro derelicto, pro legato, pro dote, pro suo, pro donato, pro vsucapto, pro præscripto, pro commisso, pro iudica-

iudicato, pro pœna, pro ſocio, pro ſoluto. Atqui nullo iſtorum transferri poſſe vſurarum dominium, facilè oſtenditur: ſi enim dixeris, pro ſoluto vſuras accipi, eò quòd debeantur ex pacto & promiſſo, facilè id diluitur: ex eiuſmodi enim pacto neque debitum, neque obligatio vlla, vel ciuilis vel naturalis oritur, niſi forte adiunctum fuerit iuramentum, vt patet ex cap. Debitores, De iureiurando, & Gloſſa ibid. Quando enim Lex reſiſtit etiam alteri ſolùm contrahenti, non oritur obligatio, ne quidem naturalis, vt patet ex L. Cùm lex, ff. De fideiuſſoribus, vbi dicitur fideiuſſorem liberari, quando Lex venditioni occurrere voluerit.

Si dixeris, Mutuatarium vel credere ſe debere, atque ita locum habere titulum pro ſoluto; vel non credere, atque ita cùm ſcienter indebitum ſoluat, locum habere titulum pro donato;

Reſpondendum eſt, Etiamſi credat ſe verè debere, non propterea transferre dominium, ſed adhuc ei cõpetere vindicatio rei ſuæ, non autem ſola condictio indebiti; traditio enim per ignorantiam talem damnabilem non ſufficit transferendo dominio, vt indicat Silueſter ſuprà, etiamſi ſolutio facta per eum qui putaret ſe debere, ſubinde ſufficiat, vt tradit Gloſſa in cap. finale, De ſolutionibus. Si credat ſe non debere, & ſoluat, cenſeretur donare per L. Cuius per errorem, ff. De Regulis Iuris; niſi ſolutio eſſet Iure improbata, vt benè ex Hoſtienſi Angelus. Verùm ſolutio in propoſito eſt improbata, adeoque nec verè donat, nec donare cenſetur.

Probatur Secundò, Ex contractu nullo, & cui Lex reſiſtit, non transfertur dominium: talis eſt vſurarius; ergo, &c.

Tertiò, Vſurarius tenetur ad reſtitutionem non ex contractu, ſed ex delicto; ergo non acquirit vſuræ dominium: qui enim tenetur ex delicto, non eſt rei dominus.

Quartò, Etiamſi Iuris ciuilis fictione rem alienam capiens efficiatur eius dominus, Iure tamen prætorio penes priorem dominum rei dominium manet, L. Metum autem præſentem, §. Licet tamen in rem, ff. Quod metus cauſſa; vbi apertè dicitur, quòd res in bonis eſt eius qui vim paſſus eſt.

Quintò, Etiamſi nec Iure ciuili nec prætorio maneret res pro vſura tradita mutuatarij, manet tamen Iure Canonico, adeoque naturali in conſcientia ſeruando: ſi enim res pro vſuris data functionem non recipiat, & in ſpecie propria exſtet, ſemper eſt reſtituenda ei qui dedit etiam cum fructibus, neque ſufficit eius dare æſtimationem, vt patet cap. Cùm tu, De vſuris: imò & is qui bona fide eam in ſpecie exſtantem ab vſurario accepit etiam titulo oneroſo, tenetur eamdem in ſpecie cedere mutuatario, vt docet Angelus ſuprà, quamuis aliter loquatur Opuſculum illud De vſuris, D. Thomæ inſcriptum; at fortè non eſt D. Thomæ, vt opinatur Sotus libro 6. quæſt. 8. art. 2.

Probatur Sextò, Dominium non transfertur niſi voluntate prioris domini, aut eo inuito Iure gentium, iuſta Lege, aut ſententia: nihil iſtorum hìc locum habet; ergo non transfertur. Maior patet ex dictis, quando De dominio agebamus. Minor quoad Ius gentium, Legem, aut ſententiam, de ſe clara eſt. Probatur autem non transferri voluntate mutuatarij; quia hoc oporteret fieri liberali donatione, quæ tum demum transfert dominium, quando omnino libera eſt: non eſt autem omnino libera in propoſito, quia, vt ſuppono, non fit ex libera gratitudine, ſed quaſi ex obligatione iuſtitiæ, contra iuſtitiam impoſita mutuatario ſine idoneo titulo. Vnde ſequitur, Etiamſi mutuatarius intenderet transferre dominium, nihilominùs non transferendum; eiuſmodi enim illiberalis donatio, quando materia poſtulat liberalem, non ſufficit transferendo dominio.

Ceterùm, diximus non magis vſurarium ſibi comparare dominium vſurę, quàm furem rei furtiuæ: ſicuti enim res furtiuæ, quando ita mixtæ ſunt rebus furis vt diſcerni nequeant, in eius tranſeunt dominium; ita etiam res vſurariæ, quando ita rebus vſurarij permixtæ ſunt, tranſeunt in eius dominium, non acceptione vſuraria, ſed eiuſmodi rei acceptæ mixtione; aliàs enim incerta eſſent rerum dominia. Ita etiam de fure ſtatuitur L. Si alieni nummi, ff. De ſolutionibus. Rectè tamen monet Molina, mutuatarium in eiuſmodi aceruum, in quo res ſua confusè continetur, habere Ius in re, vt ſibi ante alios creditores inde ſolutionem petere poſſit: eoque ſenſu illorum recipi poterit opinio, qui mutuatarium dicunt in bonis vſurarij retinere Ius tacitæ hypothecæ, quod alij extendunt ad Ius rei vindicandæ, vt poſſit mutuatarius tantumdem occultè ex eo aceruo accipere quantum ſoluit, per L. Marcellus, §. Pomponius, ff. De rei vindicatione. Addiderim, ſi reliquum acerui minus fuerit fœnebri pecunia, totum potiùs aceruum tranſire in dominium mutuatarij, cum onere reſtituendi illud reſiduum, vbi eum vindicare poſſet.

*Reſp. ad argumenta Ad 1.*

Supereſt reſpondeamus ad obiecta. Ad Primum reſpondeo, In cap. Abbas non aliud dici, quàm quæ metu & vi fiunt, de Iure debere in irritum reuocari: vnde non efficaciter colligitur, quod quidam colligunt, talia ab initio irrita non fuiſſe, vt alibi diximus, & benè hìc oſtendit Molina. Addo, etiamſi efficaciter hoc inde colligeretur, vniuerſaliter tamen colligi non poſſe: certum enim eſt, quædam ab initio irrita eſſe quæ per vim aut metum fiunt, vt fatetur ibi Gloſſa in multis caſibus, quibus nos addendum noſtrum dicimus per rationes ſuprà allegatas, & patet ex ſuprà citato cap. Debitores, De iureiurando, adiuncta Gloſſa.

*Ad 2.*

Ad Secundum, Nego conſequentiam: venditio enim non requirit tam perfectum voluntarium ac donatio, quia in donatione ipſa liberrima voluntas donatoris quodammodò dat titulum, in venditione autem præiacet voluntati alius titulus emptori oneroſus, vt meritò ſufficiat voluntarium mixtum. Accedit, quòd donatio non libera non ſit vera donatio, quamuis non libera venditio ſit vera venditio. Denique non deſunt qui dicant etiam venditionem eſſe irritam, quando ex metu fit, ab altero contrahente ad hoc per iniuriam incuſſo; & donationem eſſe ratam, etiamſi fiat ex metu, aut alia paſſione multum inuoluntarij admiſcente, modò per iniuriam id non procuretur à donatario. Ita videtur velle Molina. Verùm in propoſito metus prouenit in vna parte ab altera parte contrahente.

Poteſt etiam illud conſiderari, quòd inuitus vendens, compenſationem pretij accipiat, adeoque in ſubſtantia ſaltem ibi commutatio non deſit; qui autem ſoluit vſuram, dat pretium mutui, quod pretium non habet, adeoque pro re in ſubſtantia & tota ſua latitudine inæſtimabili pretium dare cogitur: ſi ignoret eſſe pretio inæſtimabile eiuſmodi mutuum, eſt inuoluntarium ex ignorantia, & errore circa æſtimationis ſubſtantiam: ſi ſciat, eſt inuoluntarium per vim aut metum, quia carere timet mutuo, niſi det.

Dices, Ille metus non incutitur à mutuatore; ergo hoc non magis vitiat donationem, quàm ſi metu diuinæ vindictæ, vt peccata ſua eleëmoſynis redimat, det pauperi.

Reſpondeo, Negando antecedens; quia oritur iſta neceſſitas dandi ex vexatione vſurarij, qui vult dare mutuum, ſed non niſi ſub vſuris.

Ad Tertium, Nego conſequentiam: cùm enim pecunia ſit res ſterilis, lucrum ex ea cenſetur potiùs eſſe fructus induſtriæ, quàm ipſius pecuniæ. Si vendat vſurarius rem fœnebrem in ſpecie exſtantem quæ functionem non recipiat, non transfert quidem dominium in emptorem, ipſe tamen fit dominus illius pretij: quod etiam in fure locum habet, vendente rem furtiuam alicui ignoranti eſſe furtiuam, vt alibi diximus.



## DVBIVM XXII.

### *Vtrùm liceat aliquid ab vſurarijs accipere?*

*Quomodo liceat ab vſurarijs aliquid accipere.*

Vt certa hìc diſcernamus à minùs certis, in primis certum eſt, licere ab vſurario ſiue oneroſo ſiue lucratiuo titulo illud accipere, cuius ipſe eſt dominus, modò non reddatur impotens ad reſtituendum vſuras eiuſmodi alienatione, & quod accipitur, nullo modo ex vſuris comparatum ſit, ſed ex iuſto patrimonio vſurarij extrahatur, manerque ita accipiens liber à reſtitutione, etiamſi contingat aliunde vſurarium poſteà fieri impotentem. Molina diſp. 328. Toletus lib. 5. cap. 35.

Certum eſt Secundò, Non licere ab eo accipere lucratiuo titulo ea quæ functionem in eadem ſpecie non recipiunt, & in ſpecie aliena ſunt, puta annulum, torquem, veſtem, &c.

Certum eſt Tertiò, Licere vxori, quæ ex contractu aut conſuetudine loci non habet dimidium bonorum mariti, viuere ex bonis propriis vſurarij, etiamſi per hoc fiat impotens ad ſoluendum creditoribus, quia & ipſa inter creditores concurrere poteſt. Vbi autem habet medietatem bonorum, debet minuere ſtatum ſicut ipſe maritus.

Certum eſt Quartò, Etiam filium qui aliunde viuere non poteſt, poſſe neceſſaria ex propriis vſurarij bonis accipere, licet per hoc fiat impotens ad reſtituendum vſuras, nam & ipſe vtitur iure ſuo.

Certum eſt Quintò, Famulos ſuperfluos, qui ſine vlla vtilitate grauant familiam vſurarij, eumque impotentem reddunt, non eſſe tutos in conſcientia, ſi quando operam ſuam locabant præſciuerint ſecuturam hanc impotentiam: ſecùs eſt de famulis neceſſarijs qui tantum addunt quantum adimunt; hos enim certum eſt poſſe ſua ſtipendia accipere, nam & ipſi ſunt inter legitimos creditores.

Certum eſt Sextò, Creditores vſurarij ex contractu oneroſo & neceſſario non teneri ſua credita remittere, ſed poſſe accipere ex bonis propriis vſurarij, etiamſi ipſe eis ſoluendo futurus ſit non ſoluendo aliis.

Dico, *neceſſario*; ne excuſentur qui vſuratiis aut aliis debitoribus vendunt, quæ potiùs ad voluptatem aut ſuperfluum & exceſſiuum veſtitum pertinent, quàm ad alimenti & veſtimenti neceſſitatem.

Certum eſt Septimò, Per teſtamentum nihil accipere heredes ab vſurario, quin obnoxium ſit reſtitutioni vſurarum pro rata. Verùm de hoc ſequenti Dubio.

Minùs certa, probabiliora tamen oppoſitis videntur ſequentia.

*Si de ſuo ſponte donet.*

In primis, quando omnino ſua ſponte vſurarius de ſuo aliquid donat non rogatus, probabilius eſt poſſe donatarium in conſcientia retinere, etiamſi videat ex ea donatione eum fieri impotentem. Ita tenet Petrus Nauarra, lib. 3. cap. 4. numero 219. Dicit tamen, quod veriſſimum eſt, fore peccatum contra charitatem in ipſa acceptatione, niſi magni interſit donatarij ad legitimos vſus rem acceptare. Idem tenet Molina ſuprà diſp. 328. Ratio aſſertionis eſt, quòd neque expreſsè neque tacitè res donata ſit hypothecata mutuatario, ſed in pleno dominio vſurarij, vt ſuppono: expreſſa enim hypotheca contrahitur conſenſu partium, qualis hìc non fuit; tacita autem hypotheca Iure poſitiuo introducta eſt, quale hìc nullum reperitur. Deinde ex maleficio debita non præferuntur debitis ex contractu, vt alibi diximus: atqui in debitoribus ex contractu non ſolemus, quando liberè ſua ſponte donant, reſpicere ad eiuſmodi impotentiam; talem enim anxietatem communis proborum vſus non habet in ordine ad iuſtitiam; nam aliquando contra charitatem eiuſmodi acceptione peccari, vt ex Petro Nauarra produximus, omnino credibile eſt.

Dixi, *manendo in ſolo Iure naturæ*: quamuis enim Ius poſitiuum admitrat tali caſu transferri dominium, vt indicatur L. Si ſciens, ff. De contrahenda emptione: ſtatuit tamen, vt res creditoribus reſtituatur, ſi tria iſta concurrant. Primò, Quòd titulo lucratiuo tibi facta ſit alienatio. Secundò, Quòd tam tu quàm alienans ſcieueritis rem alienari in fraudem creditorum. Tertiò, Quòd intra annum à die ſcientiæ, huius alienationis creditores repetant. Imò his tribus concurrentibus, non ſolùm de re exſtante, ſed ſimpliciter teneris, etiamſi per eam non ſis factus ditior: quando tamen non tenereris, etiamſi ex titulo lucratiuo accepiſſes, ſi tempore alienationis ignoraueris fraudem. Patet iſtud ex L. Quod autem, ff. Quæ in fraudem creditorum. Non diſſimilis eſt ratio eius qui titulo oneroſo rem accepit, niſi quòd deducatur, quod fortè exſtiterit apud principalem debitorem, & quòd non reſcindatur contractus, quando deprehenditur ipſe fuiſſe ignarus fraudis. Hæ Leges cùm iuſtæ ſint, etiam in conſcientia obligant, & quæ de vſurario dicimus, ferè locum habent in fure, imò & in alio quouis debitore, etiam ex contractu.

Dixi, *omnino ſua ſponte*: ſi enim rogatus à te, donet tibi vſurarius quo fiat impotens, teneris, etiam non exigente parte læſa, de damno quod intuliſti, perſonalem eius actionem ſterilem reddendo. Quod non improbabiliter extendere licebit etiam ad caſum, quo vſurarius putaretur non factu-

facturus restitutionem; facis enim vt non possit in posterum, etiamsi velit. Deinde creditorum interest, facultatem soluendi ei saluam manere; fieri enim potest, vt eo inuito inde suæ indemnitati consulant. Denique, quamuis vsurarius de facto non sit reddituru vsuras, debitum tamen reddendi non extinguet aut suspendet: si ergo tu illud procurando impotentiam suspenderis, teneris de damno, & debiti te facis participem, sicuti ille qui furatur, quod alter erat furaturus.

Contraria tamen opinio sua probabilitate non caret, præcipuè quando nisi tibi donaret, aliis erat donaturus.

Cetertùm illud in hac doctrina benè aduertendum, Non dici, esse probabilius, quòd licitum sit, vel sponte dantem, vel rogatum, vel restituturum, vel non restituturum vsurarium impotentem reddere acceptione alicuius doni: regulare enim est, eiusmodi acceptionem esse contra charitatem, & omnino dissuadendam. Eadem est ratio de aliis debitoribus. Aliud est validè & citra restituendi onus accipi, aliud accipi licitè: aliud non peccari contra iustitiam, aliud non peccari contra charitatem.

Secundò, Probabilius est, dicta superiore assertione, extendenda esse etiam ad ea bona quæ fœnerator per vsurarum alienationem, aut in mercaturam applicationem acquisiuit: item ad illa quæ emit pecunia vsuraria, & empta donauit. Siluester verbo Vsura 6.quæst.5.& 11.

Sentiunt contrarium, qui dicunt hæc bona esse hypothecata pro vsuris restituendis, inter quos est Ioannes Medina. Sed fundamentum illud verum non esse, vel inde constat, quòd aliàs cum eo onere transirent etiam alienata titulo oneroso. Videre licet Panormitanum in cap. Cùm tu, & cap. Tua nos, De vsuris.

Tertiò, Probabilius est, non licere citra iniustitiam ab vsurario dono accipere ex illa pecunia, cui ita permixta est vsuraria, vt dignosci nequeat, si eiusmodi donatione fiat impotes. Probatur; Quia prælatio illa quam habet mutuatarius in eiusmodi acertuo præ aliis communibus creditoribus, ex natura rei, supposita diuisione rerum, quodammodò oritur, vt meritò ex æquitate quadà ferè talis eius habenda sit ratio, qualis habetur prælationis ex iure hypothecæ superadditæ: atqui non liceret donatario præiudicare hypothecariis; ergo neque in proposito mutuatariis.

*Ementes pignora mutuatariorũ, non peccãt.*

Quartò, Probabilius est, non peccare eos qui emunt pignora mutuatariorũ ab vsuratiis publicis, quando tempore à Principe constituto publicè venduntur, nisi sint res furto sublatæ aut sacræ, quæ pignori dari non possint, aut pro solis vsuris data sint, non autem pro sorte. Ratio est, Quia pignora eiusmodi possunt præsumi à dominis quasi vendita pro sorte & vsuris eo ipso quo vsurariis relinquuntur: aut sanè præsumi potest tacitus eorum consensus in hanc venditionem, cùm eorum interfit plurimos concurrere emptores, & non interfit ad quos perueniant, modò infra iustum pretium non distrahantur. Tenet hanc assertionem Conradus quæst. 69. & Antoninus 2.parte, tit.1.cap.8.§.17. & probat, Quia hæc emptio neque reddit vsurarium impotentiorem ad restituendum, cùm pretium loco pignoris succedat, neque fit iniuria mutuatario, quia scienti & consentienti non fit iniuria, vt habet Regula Iuris: consentire autem mutuatarium, inde colligimus, quòd non soleat super hoc quispiam conqueri; & immeritò sanè conquereretur, quia contractus ille, qui habet, quòd nisi post certum tempus restituatur mutuum, pignus vendendum sit, non est iniquus, vt meritò Respub. eum non improbet, quomodo improbat emptionem rapinarum & furtorum, sed potiùs probet & ratum haberi velit. Ita ferè Antoninus. Monet tamen, quia res non omnino clara est, ante factum quidem non esse consulendam eiusmodi emptionem, sed post factum, nihilominùs non esse damnandum, præsertim cùm neminem dicat Doctorem se legisse qui damnet: nam quòd Ambrosius 14.quæst.4.cap. *Si* quis vsuram, vsuram vocet rapinam, non faciet vt pignus istud instar rapinæ emere vetitum sit; tum quia pignus non est vsura, tum quia vsura non nisi impropriè, & generali nomine dicta est rapina, quia iniustè acquisita.

Quintò, Verius videtur, si gener à socero vsurario dotem accipiat, insciusid fieri in fraudem creditorum, liberum eum fore ab impetitione creditorum, quia titulo oneroso dotem accepit: filiam autem non fore liberam marito sine liberis defuncto, quia tunc ad eam dos redit titulo lucratiuo. Ita resoluit Molina disp. 328. quamuis satis dubiè hanc rem tractauerit Panormitanus in dictum cap. Cùm tu; inter reliqua non improbabiliter pro vidua monens ex Felino, quòd dotem ipsa non accipiat ab vsurario patre, sed ab heredibus mariti defuncti, adeoque ex pecunia propria hereditatis, nullo modo obnoxia soluendis vsuris.

Sextò, Verius videtur, donationem vsurarij quæ fuit irrita quia erat impotens, validam fieri, si potens postmodum fiat. Idem de remissione dicendum.

## DVBIVM XXIII.

### *Vtrùm heredes vsurarij teneantur restituere Vsuras, & quousque.*

*Heredes vsurarij tenentur.*

RESPONSIO affirmatiua, quòd ad hanc restitutionem heredes teneantur, patet ex cap. Tua nos, De vsuris; vbi Alexander III. hac de re consultus, respondet, quòd tam filij quàm extranei heredes vsuriariorum, ad restituendas vsuras ea sint districtione cogendi, qua ipsi vsurarij si viuerent, cogerentur. Sanè cùm heredes repræsentent defunctum, & hereditas obligata sit soluendis ipsius debitis, etiam merè personalibus, dubium esse non potest, quin etiam de vsuris teneantur. Secùs dicendum de legatariis; isti enim quando eo tempore quo acceperunt legata, hereditas satis potens erat ad soluendas vsuras, de ijs non tenentur, etiamsi heredes non soluant, aut hereditas posteà fiat impotens: tenentur tamen pro rata sarcire Falcidiam heredibus, vt patet ex dictis De testamentis.

*Non autem legatarij.*

Quæres, An heredes teneantur vltra vires hereditatis.

*Non tenentur vltra vires hereditatis.*

Respondeo, In conscientia non teneri siue vsi sint beneficio inuentarij, siue non, vt docet Panormitanus in dictum cap. Tua nos: in foro autem exteriori tenentur, si non fecerint inuentarium: quia Lex præsumit plus fuisse in hereditate. Imò non est improbabile, tunc etiam in conscientia teneri, vt sentit Molina disp. 332. Neque obest cap. Quamquam, De vsuris in 6. Decretalium, quod obligat heredes secundùm vires hereditatis; quia textus regulariter loqui censeri potest, vt locus sit exceptioni, quando inuentarius fuerit neglectus. Secundò, Quia aliàs sequeretur, ne quidem in foro externo teneri vltra vires hereditatis heredes, qui inuentarium non fecerint: cap. enim obtinet etiam in foro externo, quod quamuis Fredericus apud Panormitanum admittat, verum tamen non est, cùm nulla Lex aut Canon heredes istos excipiat à generali Lege, quæ est contra heredes non facientes inuentarium. Nihilominùs quod priùs dixi, probabilius est, numquam heredes in conscientia teneri vltra vires hereditatis.



*Tenentur pro rata.*

Quæres iterùm, Vtrùm teneantur heredes vsurarij in solidum?

Respondeo, Non teneri nisi pro rata, ita vt quando duo sunt æqualiter heredes, vno in restitutione deficiente, alter solùm teneatur ad medietatem vsuratum. Ita contra Nauarrum tenet Medina quæst.4. De vsuris, §. In quinto.

*Obiect.*

Dices, Cap. Tua nos, suprà citato dicitur, quòd sint compellendi sicut ipsi vsurarij: atqui si plures simul vsuras acceperunt, tenentur in solidum; ergo etiam heredes.

*Resp.*

Respondeo, Cap. istud non repugnare; solùm enim vult, heredes simul iunctos teneri sicut vsurarium, non autem singulos: teneri inquam in solidum, donec exhauriatur hereditas, secundùm partes suas vt ad ipsos peruenit. Si tamen filij fuerint participes criminis vsuratij, aut bona quæ ad eos peruenerunt, peculiariter sint obligata mutuatariis, aut etiam in eorum dominio manserint, aliter dicendum esset: vti etiam si quis fideiussor se obligauerit ad omnes vsuras soluendas, existimans hereditatem sufficere, quæ posteà deprehenditur non sufficere, vt docet Siluester verbo Vsura 6. quæst 10. Quod tamen non habet locum, quando heres se obligat vt euitet pœnas dicti cap. Quamquam; sufficit enim quòd satisfaciat secundùm vires hereditatis.

## DVBIVM XXIV.

### *Ad quid teneantur cooperatores Vsurarij?*

DICO PRIMO. Qui non aliter vsuris cooperantur, quàm partes agendo mutuatarij, vt mutuum quo indiget inueniat, non tenentur ad restitutionem. Ita communiter DD. & ratio est manifesta, quia non cooperantur vsurario, sed mutuatario.

*Consulens tenetur.*

DICO SECVNDO. Qui consulit fœneratori vt sub vsuris mutuet, aut partes eius agens suadet mutuatario vt ad vsuram accipiat, tenetur ad vsuras inde secutas; verè enim influit in damnum: tenetur tamen solùm in subsidium, deficiente eo qui accepit.

*Obiect.*

Dices, Qui suadet pacisci in mutuo vsuras, non efficaciter posteà concurrit ad acceptionem vsurarum: potest enim vsurarius ita pactus posteà eas remittere, potest & mutuatarius iniquè promissas negare; ergo licet peccauerit, non tamen damnum dedit.

*Resp.*

Respondeo; Propter hoc argumentum Gabriel in 4.dist.15.quæst.11.art.2.conclus.3. tenet contrarium: sed immeritò; quia vt consulens teneatur, sufficit reipsa ipsius consilio damnum effectum esse, eoque sensu consilium fuisse efficax, etiamsi efficacia ista alterius voluntate potuerit impediri: neque enim Regula Iuris, *Qui causſam damni dat, damnum dediſſe videtur*, restringitur ad eum qui sic dederit damni causſam, vt per alium ea impediri non potuerit. Qui ergo suadet vsuram exercere, non minùs tenetur, quàm qui suaserit latrocinium exercere, vt benè ostendit Sotus lib.6.quæst.1.art.4.dub.vltimo.

*Ponens pecuniã apud vsurarium quando non peccet.*

DICO TERTIO. Qui pecuniam suam deponit apud vsurarium per eam fœneraturum, neque contra charitatem neque contra iustitiam peccat, si non minùs erat fœneraturus etiam sine illa; & vt fœneretur, ipse deponens non intendat: contra charitatem autem sed non contra iustiam, si non erat sine ea fœneraturus, aut non ita multum. Tota hæc propositio est ad mentem D. Thomæ hîc quæst.78. art.4. ad 3. & eam tenet Molina disp. 331. rectè addens, eamdem esse rationem, si quis vsurario mutuet, aut alio licito modo suppeditet pecuniam.

Probatur vltima pars, Quia licet talis peccet peccato scandali, præbendo proximo materiam ruinæ, & in peccatum ipsius aliquo etiam modo influat deformitas iniustitiæ quæ est in vsura, ipse tamen iniustitiam non admittit, quia ex iustitia non debebat omittere hanc pecuniæ depositionem, ne inde alius peccet contra iustitiam: sæpè enim tantùm charitatis est auertere iniustitiam proximi, aut contra proximum, vt patet in priuato non corripiente furem.

Limitanda hæc propositio, vt deponens ne quidem contra charitatem sit peccaturus, quando sufficientem habet causſam pecuniam suam tradendi vsurario, qui sine ea non erat fœneraturus, pura quia alioqui erat peritura; sicut ob similem necessitatem potest pauper petere mutuum, etiamsi videat fœneratorem inde accepturum materiam & occasionem ruinæ in peccatum vsuræ.

*Famuli quinam teneantur vel non.*

DICO QVARTO. Famuli fœneratoris qui faciunt illa quæ non minùs sunt in vtilitatem mutuatariorum quàm domini sui, qualia sunt, numerare pecuniam quæ pro sorte datur & redditur, scribere datum & acceptum, accipere & custodire pignora, non tenentur de vsuris: secùs dicendum de illis, qui reipsa cooperantur vsurario, & verè cum effectu influunt in stipulationem, exactionem, acceptionem, & detentionem vsuræ. Ita Nauarra lib.3.cap.2.numero 422.

Hinc sequitur, Famulum vsuratij qui solùm defert mutuum, sciens esse ad vsuram, non teneri. Tenet Siluester verbo Vsura 7. quæst. 4. Soto suprà, Lopez 2. parte, cap. 82. & fauet Molina disp. 331.

Sequitur Secundò, Illum famulum teneri, qui licet mandato domini siue speciali siue generali, stipulatur vsuram quando dat mutuum, eo tamen discrimine, quòd teneatur vt principalis, quando solùm habet generale mandatum vt fœneretur pecuniâ domini quãdo voler; in subsidium autem tantùm tenetur, quando est speciale mandatum, aut sanè tale, vt sua auctoritate voluerit eum dominus astringere ad fœnerandum omnibus petentibus. Est contra Siluestrum, sed tenet Nauarra suprà, numero 426. & Nauarrus cap. 17. numero 266.

Sequitur Tertiò, Neque illum excusari famu-

lum à restitutione, qui aliquoties missus à domino, petijt à matuatario solutionem vsurarum sine minis vllis aut coactione, & tandem obtinuit, quamuis eum excusset Lopez suprà; verè enim concurrit ad receptionem vsuræ. Atq; ita tenent Nauarrus suprà, & Medina C. De vsuris, q. 4. §. De cooperantibus.

*Quomodo excusentur famuli.*

Sunt tamen duo modi, quos Sotus & alij suggerunt, quibus famuli illi queant excusari. Vnus est, per ignorantiam inuincibilem, qua existimarunt vel non subesse contractum vsurarium, vel se non cooperari iniquitati vsurariæ: tunc enim non tenentur, nisi aliquid de vsuris ad eos peruenerit. Idem dixero, si dubitare cœperint de iustitia contractuum heritium post susceptum ministerium; possunt enim obedire domino, donec saltem anno finito commoditatem habuerint conditionem mutandi: secùs si dubitauerint quando seruitium inibant. Ita ferè Lopez suprà cap. 82. Alter modus est, si petant à mutuatarijs sibi remitti; facilè enim hoc obtinebunt, cùm eis non magnopere soleat fœnoris iniuria imputari.

Quartò sequitur, Teneri proxenetas, qui nomine fœneratoris mutuatarios inducunt ad accipiendum sub vsuris. Ita post Sotum & Nauarrum contra Siluestrum, Molina suprà.

Quintò sequitur, Regulam quæ est apud Palude in 4. dist. 15. q. 2. esse falsam, Non teneri eum qui non est principalis, nisi fuerit caussa sine qua non, aut aliquid ex vsura ad eum peruenerit: sufficit enim quòd verè sit concausſa, vt ostendimus quando De cooperatoribus furis.

Sextò sequitur, Eodem cum famulis loco habendos esse & alios negotiorum gestores, tutores ac curatores, qui aliorum nomine dant ad vsuras, aut fœnus accipiunt; tenentur enim in subsidium, illis deficientibus quorum nomine & vtilitate fœnus exercuerunt: imò vt principales, quando vsura in specie apud eos exstiterit.

Vnde vlteriùs colligatur, Non esse immunes à restitutione creditores vsurarij, si assignatum suum creditum apud mutuatarium accipiant ex vsuris, nisi fortè quamdiu dubitauerint, vtrùm verè sint vsuræ, eò quòd in dubio quisque præsumendus sit probus.

*Notarius vsurarij instrumenti, vt peccet.*

Dico quinto. Notarium qui conficit instrumentum vsurarium, ordinariè quidem peccare, non tamen teneri mutuatario de vsuris, nisi in gratiam vsurarij ita vsuram palliauerit, vt per eiusmodi instrumentum in iudicio fœnus obtinendum sit, eamque vexationem redimens, aut ea coactus mutuatarius vsuram dederit. Ita Siluester suprà q. 7. qui addit, etiam teneri, si nudè sine pallio rem testetur vti gesta est, modò sciat quod Iudex ex corruptela quæ in tribunali seruatur, stabit eiusmodi instrumento, & coget mutuatarium ad vsuras.

Illa tamen additio reijcitur à Ioanne Medina: existimat enim, ne tunc quidem Notarium teneri, eò quòd dederit nudum testimonium veritatis, quo si quis abutatur in iniuriam alterius, ipse viderit; instrumentum enim tale natura sua potiùs iuuare mutuatarium, cùm vsuram interuenisse apertè testetur, eamque constet exigi non debere. Ad hæc eadem ratione tabellionem restitutioni obnoxium fore, vbi instrumentum emptionis, in qua emptor deceptus fuit, non tamen vltra dimidium iusti pretij, confecerit: quod contra vsum & rationem est. Deniq; si Magistratus iudicaret Reipublicæ expedire, vt ad moderatas vsuras, quales olim Leges permiserunt, ex pactis mutuatarij cogantur, certum fore, Notarium de eiusmodi vsuris stipulationem conscribentem immunem fore.

Vèrùm contra Medinam, Siluestri opinionem, quæ communiter ab alijs recipitur, meritò propugnat Petrus Nauarra: est enim sufficiens Notarij cooperatio, adeò vt si similiter præsciret ex instrumento suo secuturum homicidium, fieret eo secuto irregularis: neque simile est quod de emptione adfertur, quia etiam ibi Iudex non peccat, condemnando emptorem ad iniustum pretium.

Illud magis Notarium iuuerit, quòd non soleat ipse instrumenta conficere, nisi rogante vtraque parte: quod si fiat, iam mutuatario ipse non fuerit iniurius, quia volenti & consentienti non fit iniuria. Addiderim & istud, etiam in casu quo Notarius tenetur de vsuris, non teneri de percepto suo honorario.

Denique quæ de Notario diximus, eadem pœnè in testibus qui ad instrumentum vsurarium adhibentur locum habent; ibi enim voluntariè testantur: secùs dicendum de illis qui legitimè interrogati à Iudice, testimonium ferunt veritatis, adeoque facti contractus vsurarij, vbi Iudex ex iniquo statuto adiudicaturus fœneratori sit vsuras.

*De Iudicibus & Officiarijs.*

Dico sexto. Tenentur vt cooperatores, Potestates, Capitanei, Rectores, Consules, Iudices, Consiliarij, aut alij quiuis Officiales, qui præsumunt statuta vel sententiam facere, ferre, scribere, vel dictare, per quæ liceat vsuras exigere fœneratoribus, & mutuatarij cogantur eas exactas soluere, aut solutas non repetere. Patet Clementina vnica De vsuris, vbi tales excommunicantur, vtique propter cooperationem iniustitiæ, quæ obligat ad restitutionem.

Extendenda est assertio etiam ad Iudæos vsurarios, qui Potestatibus Christianis subsunt, aut in locis Christianorum vsuras exercere volunt; quia Principis est ab iniustitia actiua & passiua, quæ sit contra Legem naturalem, subditos custodire. Et ita tenet Conradus q. 25.

*Quinam Principes excusentur.*

Dico septimo. A peccato tamen & restitutione immunes sunt Principes, qui propter pauperum necessitatem, quibus aliter prouideri non potest, & mala temporalia & spiritualia quæ inde sequerentur, vitanda, certos eosque necessarios tantùm vsurarios publicè permittunt, qui moderato fœnore mutuent, non nisi certo tempore euoluto pignora, idque publicè vendant, quod pretij supra sortem & permissas vsuras superfuerit, veris dominis aut mensæ pauperum restituant. Ita in his partibus permitti solent accipere viginti vnum cum duobus trientibus in centum, & Gregorius XIII. Iudæis Romæ permisit vsque ad decem & octo in centum, vt refert Nauarrus consil. 33. De vsuris. Addo ex Conrado q. 26. posse fieri, vt hæc tolerantia non solùm liceat, sed etiam ex præcepto incumbat Magistratibus, sicuti Medicus tenetur omittere curam morbi leuioris, quando ex ea periculum est maioris.

Cauendum tamen, ne Princeps quando vsuras



ras permittens excusatur, eo fiat culpabilis, quòd pro eiusmodi permissione notabilem pecuniæ summam exigat, ratione cuius vsurarij plus à mutuatarijs extorquent, aut minùs potentes fiunt ad restituendum vsuras extortas; teneretur enim præter peccatum ad restitutionem: peccaret autem sine obligatione restitutionis, quando sine damno mutuatariorum, ex bonis vsurarij, nulli peculiariter obnoxijs, pro nuda permissione vsurarum aliquid acciperet, vt docet Nauarrus c. 17. numero 195. secutus Caietanum hac parte q. 10. art. 11. Quia tamen Magistratus supremus non solùm potest vsurarios permittere, sed & in se suscipere coërtionem eorum qui ipsos fortè voluerint impedire; si pro eiusmodi tutela aliquis sumptus sit faciendus, eum poterit ab vsurarijs recipere.

Vtrùm autem Iudæi ad vsuras exercendas inter Christianos admitti possint per Principem sæcularem sine auctoritate Papæ, tractat Nauarrus dicto consil. 33. Verior videtur pars negatiua, eamque communem esse, testatur Annotatio addita ad dictum locum Nauarri.

At quæres, Vtrùm liceat Potestati sæculari aut Ecclesiasticæ inuitare aliquem præmijs, aut saltem dando ei ius ciuitatis, ea lege vt agat vsurarium publicum quo ciuitas indiget.

Respondeo, Licere Magistratui proponere ei qui iam deditus est vsuris, eiusmodi conditionem, qua mutuare teneatur omnibus petentibus, cú simplici permissione vsurarum. Triplex enim est concessio vsuræ, vna simplex permissio, quæ tantùm est dissimulatio pœnæ: altera præcedenti addit impedientium coërtionem, vbi si includas coactionem ad soluendas vsuras, constat ex dictis, eam non licere Potestati sæculari: tertia vtramque includit, & permissionem, & impedientium represssionem, additque præterea ipsarum vsurarum promotionem; hæc etiam naturali Iure vetita est. Vnde patet, vt rectè docet Conradus q. 27. propriè non licere vsurarium conducere ad vsuras exercendas; conductor enim non censetur solùm permittere locatas operas.

Quæres iterùm, Vtrùm liceat admittere vsurarium publicum, ea lege vt multo minores vsuras accipiat à ciuibus quàm ab extraneis?

Respondeo, Hoc in se non esse illicitum, modò hac ratione non efficias, vt plus ab extraneis, sed solùm vt minus à ciuibus accipiat: monet tamen Nauarrus suprà consil. 35. nec decere nec expedire.

Quæres denique, Vtrùm Magistratus supremus possit declarare quempiam non esse vsurarium, quando ipse ex computibus suis respondit, se vltra sortem & indemnitatem nihil accipere?

Respondeo, Nisi aliunde id satis constet, non posse; quia vt dicit Clementina vnica De vsuris, fœneratores sic vt plurimùm vsurarios contractus occultè ineunt & dolosè, vt vix conuinci possint de vsuraria prauitate, & vt ibi Glossa, *rationibus vsurarij statur contra eum, non pro eo.*

*Compellens ad soluendum vsuram tenetur.*

Dico octavo. Ad restitutionem tenetur quicumque compellunt soluere vsuras, aut repetitionem earumdem impediunt, imò & excommunicationis pœnam incurrunt, per dictam Clementinam.

*Electis dominum vsurario tenetur.*

Dico nono. Tenetur vsurarum, qui fœneratori ad fœnus exercendum domum locauerit, aut si vsuræ futuræ ignarus locauerit, non amoueat inquilinum vt de Iure potest, quando nouerit ibi exerceri vsuras: & si extraneus fuerit fœnerator, locans ei domum ad fœnerandum excommunicatur per cap. 1. De vsuris, in 6. modò ipse locans fuerit Ecclesiasticus minor; nam si maior fuerit, puta Patriarcha aut Episcopus, suspenditur: si laicus, ad arbitrium Ordinarij punitur. Tenet assertum nostrum Nauarrus cap. 17. numero 195. & suadetur ex cap. finali De iniurijs: talis enim dat occasionem damni, non secùs ac si instrumentum suppeditaret ad furtum perpetrandum. Item ex cap. 1. De officio delegati, vbi consentientes pari pœna cum agentibus puniuntur. Fauet Lopez parte 2. c. 51. vbi & rationem assignat, quare potiùs liceret meretricibus domos locare, quàm vsurarijs.

*De Confessario vsurarij.*

Dico postremo. Probabilius est, Confessarium etiam, si Parochus aut alias ex officio huic muneri incumbat, non teneri restituere vsuras ex eo solùm, quòd culpabiliter omiserit vsurario iniungere earum restitutionem, quam alioqui fecisset: officium enim quod Confessario ex iustitia incumbit, solùm est in ordine ad spiritualia; & negligens in officio, contra Religionem peccat potiùs quàm contra iustitiam. Ita tenet Sanchez in Decalogum lib. 1. c. 6. n. 5. Suarez tom. 4. in 3. parte dist. 32. sect. 6. qui tamen vnum casum excipit, nimirum quando positiuè consuluit non restituere, & tamdiu neglexerit tollere hanc deceptionem donec vsurarius factus sit impotens ad restituendum.

Contrarium tamen, obligari Confessarium, qui ex munere suo obligatur confessiones excipere, & restitutionem iniungere negligit, ad restitutionem, tenetur à multis, è quibus est Siluester verbo Vsura 7. quæst. 2. Ceterùm ad quæ vsurarij Confessarius teneatur, videre licet cap. Quamquam, De vsuris in 6. & apud Ludouicum Lopez suprà cap. 85.

## DVBIVM XXV.

### *Quænam ſint pœnæ Vſurariorum?*

VARIÆ ſunt pœnæ Iure ſtatutæ contra vſurarios; quæ ferè non incurruntur, niſi à manifeſtis & conſummatis, id eſt qui non tantùm vſuras pacti, ſed etiam pactas adepti fuerint.

*Vſurarius eſt quis manifeſtus duplicitèr. Ratio.*

Manifeſtus vſurarius eſt, qui facto vel Iure manifeſtus eſt. Facto ſecundùm Silueſtrum verbo Vſura 9.q.1. manifeſtus eſt, qui menſam fœnebrem omnibus paratam habet. Secundùm alios vetiùs & adæquatiùs ille, qui ita palàm fœnus exercuerit, vt nulla tergiuerſatione negari id poſſit. Vbi benè obſeruat Graffius, non eſſe neceſſarium, frequenter dediſſe ad vſuram, niſi quatenus actus frequentia ad manifeſtationem facit.

*Iure.*

Iure autem manifeſtus eſt, qui vel Iudicis ſententia talis eſt declaratus, vel per duos teſtes plenè probatus in iudicio, vel legitimè interrogatus, id coram Iudice confeſſus eſt. Ita ferè Gloſſa in dictum cap. 1. De vſuris, in 6. Confeſſio extra iudicium poteſt facere notorium facti, non Iuris. Confeſſio coram Parocho & duobus teſtibus, non facit notorium Iure, quamuis hoc quidam voluerint. Secùs videtur ex Gloſſa citata, de confeſſione coram Epiſcopo & teſtibus. An autem ſufficiat conuictos aut confeſſos eſſe de exercitio vſuræ, an verò debeant eſſe confeſſi aut conuicti de publico aut manifeſto exercitio, vt vſurarij publici dici queant, mouet Graffius lib. 2. cap. 103. & ex Baldo reſoluit, requiri vtrumque: ſatis tamen probari manifeſtos ſeu notorios, quando præter publicum factum probatur communis opinio.

*Prima pœna vſurarij.*

Prima pœna manifeſti vſurarij eſt Infamia. L. Improbum fœnus, C. Ex quibus cauſſis infamia irrogetur. Verùm quia Ius ciuile moderatas vſuras concedit, & hîc ſolùm infamia notatur improbum fœnus, & anatociſmus, ſiue vſuræ vſurarum; meritò quærunt DD. Vtrùm hodie hæc pœna ad omnes vſuras extendenda ſit. Vbi veriſſima eſt reſponſio affirmatiua, quam tenet Couarruuias lib. 3. Variar. reſolut. cap. 3. nu. 2. & Iuſtus Clarus verbo Vſura numero 16. qui teſtantur eſſe communem DD. Ratio eſt, Quia nunc verè omne fœnus eſt improbum: generatim autem Lex infamiâ notat omne fœnus improbum. Fauet huic ſententiæ, quòd Gratianus 3. q. 7. cap. Infames, Legem illam Corpori Iuris inſerens, eam quodammodò Canonem fecerit, Eccleſia Corpus Iuris recipiente aut ſaltem auctoritatem addente nonnullam eiuſmodi Gratiani collectioni, vbi improbum fœnus meritò intelligitur in ea generalitate, qua nunc Eccleſiaſticus vſus intelligit.

Extenditur hæc pœna etiam ad illum, qui aliquando exercuit vſuras, etiamſi nunc deſierit, & habet multos effectus, vtpote, quòd non poſſit vſurarius eſſe teſtis, quòd hereditas teſtamento ei relicta, poſſit ipſi auferri à fratre teſtatoris præterito, quòd non pateant ei portæ dignitatum, & ſimilia.

Secunda, Non ſunt abſoluendi in foro pœnitentiæ, niſi de vſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro viribus facultatum ſuarum idoneam præſtiterint cautionem, cap. Quamquam, De vſuris, in 6.

Tertia, Non admittuntur ad Communionem altaris, cap. Quia in omnibus, De vſuris. 3.

Quarta, Non admittuntur ad oblationes faciendas, eod. cap. vbi etiam pœna adiungitur eorum, qui vſurarij oblationes ſuſceperint. 4.

Quinta, Chriſtianam non accipiunt ſepulturam, ſi in hoc peccato deceſſerint. Ita dicto cap. Quia in omnibus; & extenditur c. Quamquam, ſuprà, etiam ad illum vſurarium, qui mandauerit de vſuris ſatisfieri in vltima voluntate, donec ſatisfactum fuerit, ſaltem idonea cautione ſecundùm vires hereditatis ipſis mutuatarijs, aut illis qui eis poſſunt acquirere, aut his abſentibus, Ordinario aut Vicario eius, aut Parocho loci in quo teſtator habitat. 5.

*Pœna ſuppletiua vſurarium.*

Qui ſecùs ſepelierit vſurarios, ſuſpenditur ab officio, donec Ordinario ſatisfecerit, per dictum cap. Quia in omnibus, & cap. Quamquam; & excommunicatur per Clementinam vnicam De ſepulturis. Quod extendit ibi Gloſſa ad illum, qui ſine mandato reſtituendi mortuus fuerit, etiamſi heredes idoneam offerant cautionem, & dicit pœnam hanc accumulatiuè accipiendam eſſe ad pœnam, cap. Quia in omnibus.

Ceterùm cautè legendus Palude in 4. diſt. 14. quando dicit, Religioſos ſolùm vetari Iure Canonico ſepelire vſurarios alienigenas. Contrarium enim manifeſtè patet ex dictis capp. Item quando dicit, toleratum inter communicantes dum viueret, etiam eſſe admittendum ad ſepulturam: hoc enim verum non eſt, quando Iudicis ſententiâ poſt mortem declaratur fuiſſe manifeſtus vſurarius. Item quando addit, ſi Iudex manum non apponit, præſumi datam eſſe cautionem, aut non fuiſſe vſurarium: hæc enim non obtinent, quando ſcitur Iudex negligenter agere, & defunctus fuiſſe manifeſtus vſurarius.

Sexta, Irrita ſunt eorum teſtamenta, ſine idonea cautione de reſtituendis vſuris. Neque poteſt quiſquam factis aliter eorum teſtamentis intereſſe, dicto cap. Quamquam. Rata tamen ſunt teſtamenta eorum, qui tempore mortis nondum erant notorij vſurarij, etiamſi tales poſt mortem ſint declarati, & teneantur vſurarum heredes. Quæ teſtamenti, eadem codicilli ratio, & donationis mortis cauſſa, & vniuerſim cuiuſlibet vltimæ voluntatis. Gloſſa in dictum cap. Quamquam. 6.

Vtrùm autem valeat teſtamentum vſurarij ad pias cauſſas, controuertunt DD. Probabile eſt, valere diſpoſitionem vltimæ voluntatis, quatenus eſt ad pias cauſſas, niſi teſtator impœnitens deceſſerit, quod ex Silueſtro & Couarruuia proponit Molina diſp. 334. Contrarium tamen ſentit Graffius, & alij.

Extendunt quidam hanc pœnam etiam ad vſurarium infidelem, Iudæum, aut Paganum; item ad illum qui poſt teſtamentum, ſed ante mortem, factus eſt vſurarius.

## DVBIVM XXVI.

### *Vtrùm liceat accipere Mutuum ad Vſuram?*

RESPONDEO cum D. Thoma quæſt. 78. art. 4 & communi, Licere ab eo qui fœnerari paratus eſt, mutuum accipere ſub vſuris ex cauſſa iuſta, puta propter neceſſitatē propriam, aut alterius. Vt licitè hoc fiat, tres ferè conditiones ſunt



*Conditiones neceſſariæ petenti ad vſuram.*

neceſſariæ. Prima eſt, Vt iuſtam habeat cauſſam mutuatarius petendi mutuum, non obſtante quòd inde alter accepturus ſit occaſionem peccandi per exactionem vſurarum; quæ iuſta cauſſa poſtulat, vt mutuatarius ſaltem mediocriter pecunia indigeat, aut petat propter lucrum notabile quod ſperat, aut vt mercando ſe ſuoſque ſuſtentet, aut ob aliam neceſſitatem.

Quæres Primò, Vtrùm ſufficiat ſpes lucri, ſi lucro illo non indigeat, ne quidem ad ſtatus rationabile augmentum?

Molina indiſtinctè admiſit diſp. 335. cui fauet Angelus verbo Vſura 2. quæſt. 2. Alij tamen communiter videntur lucri cauſſam iuſtificare, quando illud non planè ſuperfluum fuerit, ſed verbi gratia ſaltem ad rationabiliter augendum ſtatum pertinuerit. Ita hîc videtur ſentire D. Thomas, Silueſter verbo Vſura 7. quæſt. 1. Credo tamen priorem ſententiam eſſe veram, quamuis peccet mercator ſaltem venialiter, quando facilè poſſet aliunde habere ſine vſura, & accipit ab vſurario, vt docet Toletus lib. 5. cap. 37. eoque modo accipit reſponſum quoddam hac de re D. Thomæ ad Lectorem quemdam Florentinum, citatum à Dominico Soto lib. 6. quæſt. 1. art. 5.

Quæres Secundò, Vtrùm peccet mortaliter, qui ad vſuram accipit, vt inſumat in vſum qui ſit veniale peccatum, verbi gratia, in ludum vanum aut ſuperfluum.

Reſpondeo, Quatuor ferè modis peccatum poſſe in tali homine conſiderari. Primo, Ipſum veniale pro quo admittendo accipit mutuum. Secundo, Quod contrahit petitio mutui ex fine veniali, vbi etiam ſolùm venialis eſt culpa. Tertio, Peccatum prodigalitatis quod eſt in ſolutione vſurarum, quod per ſe in propoſito etiam eſt tantùm veniale. Quarto, Peccatum cooperationis vſurarum, quando ad peccatum vſuræ ſine cauſſa legitima concurrit præbens proximo occaſionem ruinæ in mortale, aut ſanè interpretatiuè illud approbans & volens. Illud in propoſito eſſe mortale, ſentit Conradus, Valentia, Molina: negant Caietanus, Sotus, Toletus, Fumus. Quorum ſententia eſt valdè probabilis, quia eiuſmodi mutuatarius vtitur Iure communi ſocietatis humanæ, ſolùm petens mutuum cum mera tolerātia diſplicentis vſuræ: neque directè ex ſe præbet vllam mali illecebram, ſicuti mulier ſe obijciens videndam luxurioſis, aut famelicis offerens cibum prohibitum. Vnde & ſcandali quæ hîc ſubeſt ratio, ſatis imperfecta videtur, quia ſcandalum iſte non præbet, niſi quatenus deficit in cauſſa iuſta: deficit autem ſolùm venialiter, itaque & ſcandalum ipſum erit veniale, ſi non inducat alterum vt det ad vſuram, ſed ſolùm à parato accipiat, & patiatur eius iniuſtitiam. Deinde ſi peccet iſte mortaliter, etiam mortaliter peccabit qui petit ad vſuram in vſum indifferentem: conſiderabitur enim vtrobique peccatum ſcandali, remota iuſta cauſſa rediens ad naturam ſuam.

Generatim itaque videtur poſſe notari regula, eum qui ſciens & volens præbet non tantùm occaſionem ſed etiam illecebram mortaliter peccandi, peccare mortaliter, niſi iuſtam habeat cauſſam ad omnimodam ſuam excuſationem; eum autem qui tantùm materialiter ponit occaſionem ſine illecebra, non ſemper mox peccare mortaliter, etiamſi iuſtum non habeat cauſſam ita agendi, ſed interdum ſolùm venialiter: tunc autem etiam mortaliter, quando cauſſa quam ſic affectus habet, etiam ipſa eſt peccatum mortale, vel quando omnino cauſſam non habet; vt ſi petat mutuum ad vſuram, vt pecuniam otioſam domi includat. Hæc vt probabilia pro DD. iſtorum ſententia dicta ſint.

Illud certius eſt, non rarò contingere, ita prodigè accipientes ad vſuram, ex alio capite peccare mortaliter non tantùm contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, quando ſe reddunt cum detrimento aliorum impotentes ad ea præſtanda, ad quæ ex iuſtitia tenebantur, puta ad alendum vxorem reliquamque familiam, vt benè obſeruant Sotus, Molina, & alij. Verùm in illam deformitatem non influit deformitas vſuraria; idem enim eſſet, ſi inutiliter emerent ab eo qui vendendo non peccaret.

Quæres Tertiò, Vtrùm iuſta cauſſa petendi mutuum, ſemper ſit iuſta cauſſa accipiendi ad vſuram, ſi aliter habere non poſſis?

Reſpondeo; Vt ſine peccato petas mutuum, non opus eſt cauſſa: vt autem licitè petas aut accipias ad vſuram, requiritur iuſta cauſſa, quæ ſemper ſufficit, quando iuſtam neceſſitatem adducit accipiendi mutuum etiam ſine vſura. Negatiuè itaque accipiendo vt iuſta idem ſit quod non iniuſta, verum non eſt, eſſe iuſtam cauſſam accipiendi ſub vſura, quando eſt accipiendi ſimpliciter mutuum.

Secunda conditio iuſtæ petitionis ad vſuram eſt, Ne petens mutuum inducat ad dandum illud ſub vſura, aut ne petat vt alter velit dare ſub vſura. Ita Conradus quæſt. 47. Si tamen non alia mente dicat, Da mihi ſub vſura, quàm ſi diceret, Da mutuum, quod quia non dabis niſi ſub fœnore, tolerabo iniuriam; nullum admiſerit peccatum, ſicuti neque quando petit pro ſua aut alterius extrema neceſſitate mutuum, etiamſi inducat nolentem mutuum dare gratis, ad quod ex charitate tenetur, vt det ad vſuram; quia hoc non eſt inducere ad vſuram, ſed ſuadere potiùs vſuram quàm homicidium, aut ſanè minus peccatum præmaiori; quod licitum eſſe alibi oſtendimus. Eſtque hæc communis DD. Innocentij communiter recepti in cap. Super eo, De vſuris, Angeli & Silueſtri ſuprà, Nauarri cap. 17. numero 263. Toleti lib. 5. cap. 37. Tertiam excuſationem adducit Antoninus, ignorantiam aut inaduertentiam petentis, quia fortè pro ruditate ſua ignorat formaliter non licere petere ad vſuram. Ita ille 2. parte, cap. 9. §. vlt. *2. Conditio.*

Tertia conditio eſt, Vt mutuatarius, quando ſpes eſt à mutuatore conſequendi mutuum ſine vſura, ſponte non offerat vſuram. Conradus ſuprà: quod non minùs locum habebit quando ab alio ſine vſura accipere commodè poterat. *3. Conditio.*

Cum his conditionibus licere accipere ad vſuram, patet ex ijs quæ diximus quando De ſcandalo; & confirmatur ex Epiſtola D. Auguſtini ad Publicolam, quæ eſt 154. vbi permittit petere iuramentum ab eo qui iuraturus eſt per falſos deos, quod Sancti aliquoties feciſſe leguntur; Iacob enim à Laban petijt, Iudas Machabæus à Romanis, & fortè ſancti Reges, quando tributarios habuerunt Idololatras, vt conijcit Conradus. Sicuti enim iſti non ſociant ſe peccato iurantium per falſos deos, ſed bono pacto quo fidem

malè iurantes benè seruant; ita in proposito mutuatarius non se sociat improbè fœneranti, sed solùm mutuanti.

*Obiect.1.* Dices, Non licet petere eiusmodi iuramentum nisi ex caussa publicæ vtilitatis; ergo neque mutuum sub vsura.

*Resp.* Respondeo, Antecedens quosdam asseruisse, sed sine fundamento, vt patet vel ex citata Epistola D. Augustini, & latiùs infrà De iuramento,

*Obiect.2.* Dices iterùm, Semper peccat mortaliter qui sine necessitate petit iuramentum ab Idololatra iuraturo per falsos deos; ergo similiter qui sine necessitate mutuum petit ab vsurario, semper peccabit mortaliter.

*Resp.* Respondeo, Non sequi; quia vt iurare sine necessitate, ita & iuramentum exigere peccatum est, etiamsi absque superstitione iuretur: mutuum autem petere sine necessitate, non est peccatum, vt suprà diximus.

*Obiect.3.* Objcies, Non possum vti opera malefici vt saner, etiamsi possit id facere sine maleficio, modò sine eo non sit facturus; ergo neque opera vsurarij in proposito.

*Resp.* Respondeo, Non sequi; quia vti mutuo vsurarij, ad societatem cum homine pertinet; vti autem opera malefici, pertinet ad societatem dæmoniorum, quæ intrinsecè mala est: beneficia enim dæmonum cunctis sunt nocentiora vulneribus, cùm naturaliter amemus benefactorem, dæmonem autem amare sit Deum odisse.

## CAPVT IV.

### *De Cambijs.*

### DVBIVM I.

### *Quid & quotuplex Cambium?*

*Cambium variè accipitur.* CAMBII nomen idem generatim est quod permutatio, quæ latissima sua significatione omnem commutationem non gratuitam in contractibus complectitur.

Secundò sumuntur cambium & permutatio strictiùs, pro cõtractu innominato, Do vt des, quo res vna pro alia commutatur, non pretium pro re, aut res pro actione. Hoc autem duobus ferè fit modis, prout res pretium simul est, vel non est: est enim cambium vel permutatio rerum propriè inter se, vt equi pro boue. Specialissimè autem cambium est pretiorum inter se, seu pecuniarum: pecunia enim vel ex vsu secundario, vel considerata materialiter vt res quædam, in cambium aut permutationem cadere potest.

Vnde tertia oritur cambij acceptio, vt nihil aliud sit, quàm permutatio numismatum, reliquarum rerum permutatione generale nomen retinente.

Quia verò per cambia solent campsores lucra sectari; operæ pretium est videre, quousque ea licita sint. Rectè enim monet Molina disp. 398. negotiationem illam artis campsoriæ esse periculosissimam, quamuis cum suis circumstantiis & licita sit & vtilis Reipublicæ. Rectè etiam Silvester dixit verbo Vsura 4. initio, difficilem esse hunc tractatum, propter mercatorum subtilitates, & opinionum varietatem; quo fit, vt hoc tempore vtilissimus sit, quando frequentissimus est hic contractus, & pro sæculi astutia artificiosissimus.

*Diuiditur cambium in minuti, & locale.* In ordine ad lucrum, diuidunt cambium in minutum, & per litteras; Numismata enim permutantur vel propter diuersitatem materiæ aut formæ, vel propter distantiam localem, quia campsor habet pecuniam eo loco, vbi campsarius indiget. Quando priori modo fit permutatio, dicitur cambium minutum, quod alij vocant manuale, eò quòd non de loco in locum, sed de manu fiat in manum. Minutum autem dicitur, quòd plerumque fiat propter diuersitatem in quantitate monetæ. Quando posteriori, dicitur cambium locale, aut per litteras, eò quòd plerumque fiat per litteras siue in eadem, siue in diuersa moneta: immeritò enim Medina requirit, vt diuersa moneta reddatur, quasi aliàs non sit futura permutatio, quia etiam res eiusdem speciei propriè inter se permutantur, vt benè Conradus quæst.99.

Addunt quidam cambium ob temporis diuersitatem. Verùm impropriè illud cambium dicitur, cùm sit potiùs mutuum: quousque tamen sit licitum, infrà dicemus.

*2. diuisio in reale & siccum.* Alia diuisio est cambij in reale & siccum, quam quidam iam assignatæ præponunt, eò quòd istam iam explicatam considerent vt subdiuisionem cambij realis. At sanè etiam in locali cambio sicca cambia intercurrunt. Siccum enim cambium vocant, quod iusto lucro ineptum est, & ad illud sterile instar siccæ terræ; quamuis alij, quos hac in parte non sequimur, siccum illud vocent, in quo campsor prius dat, vt cum incremento postmodum accipiat. Reale autem est, quod reipsa idoneum lucro titulum habet.

*3. diuiditur in purũ & impurũ.* Tertia est diuisio, vt aliud purum sit, aliud impurum. Purum vocant, cui non admiscetur alius contractus, præsertim mutui. Impurum, cui admiscetur. Ita Conradus & Medina, quamuis Sotus purum ferè cum iusto, & impurum cum iniusto confundat.

### DVBIVM II.

### *Vtrùm ex Cambio minuto licitum sit aliquid lucrari?*

QVAMVIS minutum cambium sæpè solùm sit œconomicum, est tamen interdum lucrativum, neque desunt in eo iusti tituli, ob quos campsor aliquid exigere lucelli possit.

*Tituli ob quos campsor lucrari potest.* Primus titulus est, Susceptum publica auctoritate campsoris officium: onera enim istius officij, adeoque omnem indemnitatem officiarij meritò præstant campsarij, in quorum gratiam institutum est: accipiet ergo talis campsor in primis aliquid pro obligatione cambiendi, ratione cuius vacare debet isti rei, & solicitus esse; ne varietas desit numismatum, qua communitati seruiat. Sunt & alij tituli, sed non ita proprij campsori publico. 1.

Secundus itaque erit, Valor intrinsecus numismatis quod datur à campsore. Quamuis enim numisma datum & acceptum in legitimo valore paria sint, fieri tamen potest, vt intrinsecus valor eius quod suppeditat campsor, sit melior, idque vel quia reuerà plus ponderis habeat in materia alioqui æquè bona, vel quia purioris auri est, vel efficacioris ad medicamentum, vel magis idonei ad 2.



ad deaurandum, vel vas inde conficiendum, vel denique politioris figuræ. Ita ferè Nauarrus in cap. finale, De vsuris, numero 20. Consentiunt Caietanus, Soto, & alij.

*Obiect.* Si dicas, in numismate publico hæc non debere seorsim æstimari, eò quòd pretio legitimo imposito, non liceat maiori numismata vendere, & Magistratus hæc omnia satis considerauerit, aut sanè æstimari aliter vetuerit;

*Resp.* Respondeo, Quamuis ita existimet Medina quæst. 7. De vsuris, id verum non esse, vt docet Silvester verbo Vsura 4. præsertim numero 3. qui pro se citat Philosophum 1. Politicorum, & D. Thomam lib. 2. De regimine Principum. Quamuis enim Princeps legitimum statuat valorem pecuniæ, vt pecunia seu rerum mensura est, non tamen eo ipso eam materialiter consideratam vt res quædam est, vel vendi prohibet, vel vendi pluris quàm Lege definitum est; imò vt id statuat, æquitas non permittit, adeò vt statutum eiusmodi tamquam irrationabile, in conscientia non obligaret: si enim pecunia locabilis est ad ostentationem, vt superiori Capite diximus, quidni etiam vendibilis esse queat? Non negarim tamen ob fraudes excludendas, posse Statutum eiusmodi interdum esse iustum.

3. Tertius titulus esse potest, Labor computandi, & conquirendi nummos quales campsarius expetit. Cùm enim eiusmodi laborem campsor in gratiam eius subeat, meritò ei compensatur virtute intercedente contractu locationis operarum.

Hunc titulum non recipit Caietanus: dicit enim cap. 1. Opusc. De cambiis, pro labore computandi nihil esse adijciendum campsori, eò quòd sæpè contingat, campsarium plus numerare quàm campsorem, & actus numerandi gratis præstari soleat, sicut vsus libri gratis conceditur; & vt pretio æstimetur, abundè compensari, quando vicissim numerat campsarius. Sed immeritò: non enim magis campsori compensat laborem computandi quando vicissim numerat campsarius, quàm labor meus compensetur per tuum, si tecum vadam à te conductus. Si soleat subinde gratis subiiri istiusmodi labor, non hoc arguit, vendi aut locari non posse, sicuti & in simili, quod adducit Caietanus, liber locari potest. Ita ferè sentiunt Antoninus 2. parte tit. 1. cap. 7. §. 47. & Molina disp. 399. alijque communiter, & argumentum sumi potest ex cap. Magnæ, De voto, &c. vbi laboris compensatio facienda statuitur.

Hic titulus etiam vsurpari potest ab eo qui priuatim cambit; imò etiamsi ei prohibitum esset, & peccaret, non teneretur ad restitutionem eius quod pro labore accepisset, quidquid in contrarium quidam dixerint: aliud enim est actionẽ aliquam prohiberi, aut pro eius exercitio prohiberi aliquid accipere, & aliud inualidam reddi acceptionem. Molina suprà.

4. Quartus titulus est, Interesse lucri cessantis. Si enim aliò nummos campsor erat translaturus vbi pluris valent, vel aliter ei plus erant valituri extra cambium, poterit indemnitatem suam in eiusmodi lucri spe æstimare. Medina suprà.

5. Quintus est, Quòd fortè nummi quos suppeditat campsarius, in loco vbi fit cambium ægrè exponantur, saltem illo valore quem prætendit, quamuis in locis vicinis ita valeant.

6. Sextus sumi potest à commoditate quam habent nummi quos suppeditat campsor, præsertim quando plures illam commoditatem quærunt quam numismatis campsarij; aliquando enim minuti nummi plus expetuntur, aliquando aurei.

7. Septimus est, Si fortè in numismate quod campsarius suppeditat, periculum sit ne reprobetur, aut in valore legitimo minuatur. Medina suprà.

In his tamen titulis videndum est, ne plus iusto accipiatur: quamuis rectè moneat Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 11. art. 3. dub. 12. non fore vsuram, eò quòd hîc no nintercedat mutuum, cùm fit cambium purum, vt suppono, & statim reddatur.

Ex dictis facile est respondere ad argumenta quæ objici solent contra lucrum cambij minuti. *Obiect.* Præcipuum ferè est istud: Quæ æqualia sunt vni tertio, etiam inter se sunt æqualia: atqui centum floreni in auro & totidem in argento sunt pares vestimento centum florenorum; ergo & inter se: & per consequens, sicuti quando emisti vestem centum florenis, non potes minus dare, etiamsi in auro offeras solutionem, ita neque in cambio poteris amplius accipere.

*Resp.* Respondeo, Non sequi; quia in antecedente aurei & argentei sumuntur secundùm rationem numismatis, in consequenti verò secundùm quod res sunt inter se permutabiles.

### DVBIVM III.

### *Quomodo lucra in Cambio locali sint licita?*

*Tituli cãbij localis quãdo campsor prior accipit.* DICO PRIMO. Quando campsor prior accipit pecuniam vt alio loco eam restituat, varij sunt iusti tituli qui bus possit lucrari.

Primus est Labor & industria, sine quibus pecuniæ loco distanti non numerantur. Gabriel suprà. 1. Cùm enim virtute transferat, meritò huius translationis mercedem accipit, eiusque labor ac industria æstimatur, prout in translationem istam commodam terminatur: quamuis enim non possit tam multum accipere pro virtuali hac sua trãslatione, ac baiulus quis pro reali, (sicuti nauta non accipit in eadem distantia, quantum acciperet auriga, quando longè facilius res magna quantitate nauigio quàm curru transferantur) æquum tamen est, vt sicuti translatio quæ fit in gratiam campsarij ex minùs operosa industria campsoris, minùs fit pretiosa quàm alioqui esset; ita vicissim eadem opera & industria campsoris magis pretiosa, quàm in se sit, incipiat esse ex translationis illius effectu. Neque est quòd hîc pro campsario allegetur, transferre ipsum pecuniæ dominium in campsorem, vt is ad translationis mercedem tamquam alienæ rei ius prætendere non valeat: ita enim campsarius dominium pecuniæ huius in campsorem transfert, vt virtute retineat dominium valoris eius; quod sufficit ad virtualem illam translationem. Imò abdicatio ista translationi seruit, abdicat enim hic, vt habeat alibi.

2. Secundus titulus est, Periculum quod in se campsor suscipit. Assecurat enim alterum de pecunia sua tali loco recipienda, quod pretio est æstimabile, eoque maiori, quò pericula itineris maiora, & locus magis dissitus.

Dices, Assecurat sine vllo suo periculo.

Respondeo, Id non referre; sufficit enim quòd obliga-

obligatio quam in se susscipit, rem saluam tali loco exhibendi, sit æstimabilis: pericula enim quia ordinaria & quasi ex natura rei sequuntur, ad onus sunt campsarij; comoditas autem illa transferendi sine periculo, in fortunis censenda campsoris, & quasi partus industriæ ipsius. Ita Siluester verbo Vsura 4. quæst. 8. numero 2.

3. Tertius titulus est, Si fortè pecunia non tanti valeat vbi accepturus est campsarius, ac vbi dat.

*Conditiones quando prior dat campsor.*

DICO SECVNDO. Etiam quando campsor dat prior, recepturus posteà alio loco, potest aliquid lucrari his titulis.

Primò, Ratione virtualis traiectus.

1. 2. Secundò, Ratione assecurationis, quia non solùm pecuniam traijcit, sed omne periculum traiectionis in se susscipit. Est tamen verum, non esse in vsu, vt seorsim pro assecuratione pacisc antur; quia dum susscipiunt talem traiectionem, simul securitatem spondent.

3. Tertiò, Ratione minoris valoris pecuniæ qui fortè est in loco vbi numeraturus est campsarius.

4. Quartò, Ratione lucri cessantis, quem titulum ferè præcipuum existimant mercatores, sæpè tamen obscura est eius iustitia.

5. Quintò, Ratione periculi non recipiendi alibi pecuniam quam hoc loco prorogauit.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm Cambia, in quibus pretium variatur pro temporis intercapedine, sint licita?*

*Cambium Francofurtense.*

VSITATA sunt hodie huiusmodi cambia: cambium enim quod vocant Francofurtense, ita ferè vsurpatur. Francofurti binæ quotannis sunt nundinæ, vnæ vernæ circa Pascha, alteræ autumnales in Septembri. Si quis Antuerpiæ pecuniam ad cambium petat, vt reddat proximis nundinis, campsor eam prorogaturus, considerabit quanto tempore nundinæ absint, & prout longiori abfuerint, pauciores dabit grossos pro floreno Germanico, quem integrum in nundinis recipiet.

Quæritur, An iustè ita fiat?

*Quibus titulis excusetur.*

Respondeo, Non deesse titulos quibus hoc excusabile videatur, modò illud quod iunctim ex omnibus titulis accipi potest, non sit minus eo quod à campsore accipitur; quæ æstimatio iudicio bonorum & peritorum est relinquenda.

1. Primus enim titulus esse potest, Interesse lucri cessantis: potuisset enim interim campsor ea pecunia lucrari.

2. Secundus, Quia quò diutiùs absunt nundinæ, eò diutiùs periclitatur sors.

Adferunt & alios titulos, sed non carent illi difficultate. Vnus est, quòd emptorum frequentia augeat pretium, plures autem ij sint quò nundinæ distantiores. Verùm istud non satis utrò videtur dici, quia vt diximus suprà De venditione Dub. 11. maior multitudo eorum qui volunt emere creditò potiùs quàm numeratò, non facit in communibus mercibus vt vendenti creditò liceat accipere vltra latitudinem iusti pretij. Alter est, quòd intercurrente illo tempore, sæpiùs repetitis cambiis plus campsor lucrari potuisset. Verùm iste ad primum titulum pertinebit; est enim lucrum cessans, aut sanè solùm considerantur caussæ productiores, ob quas campsori lucrum cessare æstimari poterat.

Tertius est ratione moræ. Verùm ratione solius temporis plus hîc exigere, vsurarium est, vt ex communi docet Medina quæst. 8. De vsuris. Distantia enim temporis lucrum iustum non parit, sicut distantia loci, quæ regulariter onera æstimabilia in translatione coniuncta habet, vt meritò distantiam loci considerari permittat Pius V. in Bulla De cambijs. 3

## DVBIVM V.

### *Quænam considerandæ sint quoad iniustitiam in Cambijs siccis?*

*Cambia sicca quomodo fingantur.*

CAMBIA sicca, conficta sunt cambia ad palliandum vsuras, aut aliam iniustitiam. Confinguntur autem tam quoad locum, quàm quoad tempus: aliquando enim contrahentes ad certas nundinas, seu ad loca certa cambia celebrare simulant, ad quæ loca ij qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur; vel ita mittuntur, vt transacto tempore, vnde processerant inanes referantur; aut etiam nullis omnino eiusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus: nam inter dantes & recipientes à principio ita conuenerat, vel certè talis intentio erat, neque quisquam est qui in nundinis aut locis supradictis, huiusmodi litteris receptis solutionem faciat.

*Exemplum cambij sicci.*

Itaque circa cambium istud siccum quæritur, Vtrùm iure naturæ illicitum sit ita contrahere: Petrus Genuæ cum campsore pacisc itur, vt sibi centum det ad cambium, reddenda post certum tempus à se in ciuitate Besontina, vbi rari sunt mercatores; & quia Petrus ibi nec pecuniam, nec fideiussorem, nec respondentem habet, rogat campsorem vt per suum respondentem curet sibimetipsi ibidem satisfieri, & eadem centum suo sumptu Genuam remitti, deducto sumptu cambij & recambij.

Vbi in primis certum est, in foro externo eiusmodi cambium non carere præsumptione vsuræ, vt probabiliter colligitur ex cap. Nauiganti, De vsuris, & ex Bulla Pij V. suprà citata; quamuis conuinci non possit, in hac Bulla eiusmodi cambium reprobari.

Certum est Secundò, Si campsor bona fide egerit, & nescierit Petrum non habere pecuniam actu vel virtute in ciuitate Besontina, habere ipsum ius cogendi Petrum ad satisfaciendum contractui.

Certum est Tertiò, Ferè peccare contra charitatem proximi eiusmodi campsorem, quando sciens per illas ambages campsarium ex necessitate pecuniam petentem ducit, & tantis impendiis grauat.

Certum est Quartò, Simpliciter ante factum semper eiusmodi contractum esse dissuadendum.

At tota difficultas est, Vtrùm in rigore, salua iustitia, consistat intentum vtrimque eiusmodi cambium, ita vt post factum campsor in foro animæ non sit obligandus ad restitutionem?

Videtur non consistere, quia idem est ac si Petrus campsori vendat boues quos non habet, eosque mox ab eo conducat. Sed distinguendum est: si enim Petrus neque Besontij neque alibi centum illa habeat actu aut potestate, in fide vel credito, & illud nouerit campsor, verè cambium siccum



siccum est, & contra iustitiam, obnoxium restitutioni: si autem Petrus non habeat quidem Besontij, sed Romæ, aut alibi loco dissito, actu vel potestate illa centum, potest campsor ei dicere, se nolle Romanum cambium inire, sed Besontinum; vbi si dicat se Petrus respondentem non habere, neque pecuniam, probabile est quòd poterit salua iustitia ipse campsor onus illud in se susscipere, & curare per suum respondentem aut alium fieri quod faceret respondens campsarij, adeoq; Ioannes respondens campsoris, ab vtroq; acceptis litteris sibimetipsi vt repræsentanti personam campsoris satisfaciet, vt repræsentans simul personam campsarij. Probatur; Quia vt campsor suam pecuniam Genuæ existentem permutet cum pecunia Petri existente Besontij, non opus est vt Petrus Besontij habeat actu pecuniam, sed sufficit habeat potestate & per amicum, qui pro ea spondeat: atqui nihil prohibet quò minùs iste amicus sit ipse campsor; nam & mutuator in mutuo potest in se susscipere onus fideiussionis, vt alibi diximus.

*Quomodo excusetur à restitutione.*

Hanc sententiam tenet Nauarrus consilio 31. De vsuris, & alius quidam vir eruditus, cuius argumenta ibidem apud Nauarrum latè inseruntur, qui inter reliqua dicit, videri hoc cambium approbatum potiùs quàm improbatum secunda Bulla Pij V. de Cambijs, data in gratiam Bononiensium; & in priori, quæ incipit, In eam, non fuisse reprobatum, aut inter sicca cambia relatum cùm verè litteræ mittantur, & non redeant inanes. Idem tenet Siluester verbo Vsura 4. quæst. 9. numero 6. Sunt & alij multi recentiores eiusdem sententiæ, quamuis Dominicus Soto valdè eam reprobet lib. 6. q. 13. art. 5. Fauet quòd contractus præsumatur licitus, nisi probetur illicitus: dolus enim non præsumitur, nisi probetur, L. Quotiens, §. Qui dolo, ff. De probationibus & præsumptionibus. Consulendus hac de re Siluester citatus q. 10. num. 1.

Sanè vt ratio est, Lege positiua in vtroque foro obligante hæc cambia interdicendi, ita magna est, in conscientia etiam non interdicta dissuadendi: ita enim intricatè negotians, difficilè exuitur à negligentia, quantumuis rectam dicat se tenere intentionem, nam sæpè sinistra intentione hæc fieri, vt cambium videatur quod reuerà mutuum est, omnino sit verisimile. Si tamen obtineri nequeat ne fiant eiusmodi cambia, hoc monendum quod tradidit Siluester, ne ex sola temporis distantia lucrum accipiatur, & ne in alijs campsarius plus grauetur, quàm iustum sit ex arbitrio bonorum & peritorum in arte campsoria.

Quæritur Secundò, Vtrùm excusari possit iste modus cambij: Campsor prorogat alicui indigenti centum scuta, ea lege vt intra certum tempus hoc eodem loco totidem scuta soluat eo pretio quo scuta valebunt in nundinis certi emporij, vbi certò sciuntur plus valitura?

Respondeo, Hic simulatum esse cambium, ac verè mutuum vsurarium, vt patet ex Bulla Pij V.

Similiter Tertiò dubitari possit de hac forma: Petit quis à campsore pecuniam, qui dare recusat nisi ad modum cambij Siculi, & ita pacisc untur, cùm tamen ipse campsor non habeat respondentem in Sicilia, aut si habeat, eo non sit vsurus, sed eodem loco, euoluto certo tempore, recepturus est quasi in Siciliam pecuniam campsarij traiecisset.

Respondeo, Etiam illud cambium secundùm omnes siccum esse & vsurarium, damnatum per eamdem Bullam Pij V. eamque communem esse sententiam, testatur Nauarrus in cap. Nauiganti, num. 25. vbi monet, duplicem fore iniustitiam, si qui pecuniam hîc accipit, non solùm simuletur in Sicilia soluturus, sed insuper nisi chirographo illic satisfiat, iteratum cambium se hîc tursum soluturum promittit.

At quæres, Quid si eamdem quam huic campsario dat pecuniam, legitimè erat impensurus in cambium Siculum.

Respondeo, Putauit tunc Caietanus cap. 1. Opusc. De cambijs, quem sequitur Nauarrus, posse ratione interesse excusari. At benè monet Toletus lib. 5. cap. 52. debere eum in computando hoc interesse subducere sumptus, quos subiisset in cambio Siculo, item pericula quæ nunc reuerà non subijt.

Quæritur Quartò, Vtrùm inter realia cambia recipienda sint, quæ ab initio pro futuris pluribus terminis continent certum interesse.

Respondeo negatiuè ex sæpè citata Bulla Pij V. & decisione Rotæ 315. parte 2. Hoc tamen an ex Iure positiuo tantùm & præsumptione procedat, patebit infrà Dubio vltimo.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm licitè accipiant Campsores suas prouisiones siue honoraria?*

*Prouisiones campsorum licitæ.*

PROVISIONES suas vocant campsores lucra quæ detrahunt in compensationem operæ & curæ suæ campsarijs præstitæ aut præstandæ. Hæ indubiè licitæ sunt, quando non excedunt iustum modum.

Vt autem discerni valeat vtrùm is excedatur, notandum Primò, Etiam quando campsor per pecuniam quam prior accepit, est lucraturus, eo tépore quo ex condicto retinere eam poterit, posse nihilominùs stipulari eum suas prouisiones: lucrum enim illud cùm sit fructus industriæ suæ, non debet transcribere campsario, cuius est pecunia res in se sterilis. Fit tamen interdum, vt propter eiusmodi lucrum quasi priùs petentes campsores ipsis campsarijs aliquid addant pro suo interesse, puta quatuor aut quinque pro mille, vt testatur Molina disp. 409.

Notandum Secundò, Etiamsi campsor aut nummularius seu bancharius iustè accipiat suam prouisionem ratione custodiæ, puta quinque aut sex ex mille; videndum tamen, ne is cui ex mandato campsarij aut deponentis numeratur, iniustè grauetur soluendo illa quinque aut sex: quamuis enim campsor iustè illa detrahere possit, si ita pactus sit, aut hoc habeat consuetudo; fieri tamen potest vt iniustè decedant creditori, cui pecunia ex assignatione campsarij promptè est numeranda: quando enim aliter satisfacit campsor, puta spondendo apud ipsius creditorem, non solent ei detrahi istæ prouisiones, sed tandem ei detrahuntur, cui realis fit solutio. Verùm, vt dixi, iniustè ei decedunt, habetque actionem contra primum deponentem.

Notandum Tertiò, Si Petrus existens Romæ habeat

habeat centum Antuerpiæ, quæ vellet transfata Romæ,& alius eum roget vt similia centum, quæ ipse habet Romæ,pet cambium traijciat Antuerpiam, posse nihilominùs Petrum campsorem pacisci de suis prouisionibus, eo ipso quo prior rogatus est.

Ceterùm ex quibus titulis detrimenta illa cambiorum cum prouisionibus exigi possint, vtcumque ex dictis patet. Sanè euidens est, ratione assecurationis ipsius sortis & fideiussionis, quando ea intercedit, aliquid exigi posse: ratione autem operæ & industriæ non tantùm à campsore,sed etiam à respondentibus tam campsoris quàm campsarij, exiguntur quasi ex locatis operis, aut negotijs gestis. Ceteros titulos operosè & satis methodicè congestos videre licet apud Conradum q.99.conclul. 4.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm possit campsor pacisci de interesse aut recambio, si campsarius fuerit in mora?*

RESPONDEO, Interesse suum indubiè posse exigere, sicut de mutuatore diximus. Vetuit tamen Pius V. ne certum interesse ante euentum pacisc atur campsor, *Ne deinceps*, inquit, *audeat quisquc siue à principio, siue aliàs certum & determinatum interesse & in casum non solutionis pacisci.* Non est etiam iniquum ex lure naturæ, quòd recambia exigantur, id est vt cambium denuò censeatur reuolui, quando termino præstituto campsarius non soluerit: hoc inquam iniquum ex se non erit, si certò recambium non plus sit præsturum quàm postulet indemnitas. Verùm quia sæpè multo plus præstant recambia, aut saltem incertum est, vtrùm indemnitas campsoris tantum lucri postulet; meritò Pontifex interdixit prorogari cambia aliter quàm vsque ad primas nundinas, vel vbi nundinæ non celebrantur, vsque ad primos terminos iuxta receptum locorum vsum. Prouisiones tamen de recambijs integræ vix vmquam iustè accipiuntur, eò quòd facilius & securius eadem cambia continuentur, quàm noua ineantur.

*Recambium Iure naturæ iniquum non est.*

Hæc recambia, subintellecta eiusmodi limitatione, videtur approbare Nauarrus in dictum cap. Nauiganti, num. 34. fuitque sententia DD. Parisiensium, super hoc consultorum anno 1517. quos Nauarrus defendit contra Sotum lib. 6. q.12. art.5.

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm ex Cambio custodiæ licitum sit lucrari?*

CAMPSARIVS aliquando deponit pecuniam, ea lege vt ipsam campsor restituat ad placitum & vsum suum quando voluerit,aut suis creditoribus à se designandis. Campsor eiusmodi depositarius potest ex tali onere suscepto vel à Republica, vel à deponente lucrari stipendium operarum suarum quasi conductarum, quia laborat recipiendo & seruando depositum, & cauendo errorem calculi, & similia alia onera quædam subit. Ita Nauarrus in c. Nauiganti, nu. 36. Vbi notandum, aliquando pecuniam in specie non dari nummulario,sed solùm chirographum, & similiter ipsum campsorem vel in pecunia, vel in solo chirographo solere facere solutionem: in quo ea occurret differentia, quòd quando solum chirographum custodiæ eius committitur, non debeat tantum accipere, cùm labor longè minor sit, faciliusque illud custodiatur quàm pecunia.

*Lucrum ex cambio custodiæ licitum.*

Ceterùm rectè monet Molina, Iniustè,& non sine onere restituendi campsores siue nummularios aliquando accipere aliquid eo solo nomine, quòd ex depositа pecunia soluant ante tempus: iustificari tamen id posse,si reuerà illud quod interest, æquiualenter pro se allegare possint. Ita ferè ille disp. 409.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm ratione mutati valoris pecuniæ oporteat campsarium aliquid addere campsori?*

RESPONDEO, Nisi aliter pactum sit, damna diminuti valoris legitimi esse penes dominum pecuniæ, adeoque penes campsorem, si fortè campsarius prior ei numerauerit pecuniam traijciendam, & antequam traiectio perficiatur, valor minutus sit. Attamen sicuti de damni euentu,ita etiam de periculi illius æstimatione, saltem manèdo in Iure naturæ, poterit pacisci campsor. Patent hæc ex duobus principijs: vno, quòd res pereat domino suo; altero, quòd indemnitatem suam etiam in periculo, campsor æstimare possit. Argumentum ex cap. Peruenit, De fideiussoribus, & ex L. Nec emptio, ff. De contrahenda emptione. Consulere licet Molinam disput. 402. vbi & alium casum proponit, & ex professo disputat, Vtrùm lucrum fiat famuli, si pecuniam ad creditorem deferendam sibi à domino traditam,in via per cambium commutet,& ex eo aliquid lucretur.

Ad quod respondeo, Quando famulus (eadem ratio nummularij, in cuius dominium pecunia non transijt) seruat dominum & domini creditorem indemnem, posse eum lucrum illud sibi retinere, tamquam fructum suæ industriæ, quem suo solius periculo sine alienæ rei detrimento acquisiuerit: non seruat autem satis indemnem, si nouerat dominum habitualiter saltem malle vt illud lucrum habeat creditor, & ipse creditor obtenta pecunia eadem specie similiter erat lucraturus, quod non poterit mutata moneta.

Dices, Etiamsi dominus sibi mallet illud lucrum habitualiter quàm famulo, maneret nihilominùs famuli; ergo similiter manet famuli, etiamsi dominus malit esse creditoris quàm famuli.

Respondeo, Istud non sequi: quia dominus eo ipso quo tradit pecuniam transferendam creditori, abdicat se potestate per eam lucrandi, non autem creditor eius caret hoc iure, si eam in specie meliori voluerit ei tradi. Quòd verò non sufficiat ad abdicandum seruo illud lucrum, voluntas domini malentis potiùs suum esse quàm serui, rectè ex eo ostenditur, quòd etiam fur per rem furtiuam sic lucrari possit,modò aliàs seruet dominum indemnem.

DV-



## DVBIVM X.

### *Vtrùm Campsor cui pro sorte debentur decem, pro interesse autem & prouisionibus tria, quando ad computum recipit tria, possit ea accipere in solutum pro interesse & prouisionibus, an verò teneatur tria minuere de sorte?*

SVPPONIT hæc quæstio decisionem alterius, qua quæritur, Vtrùm liceat campsori interesse & prouisiones suas ita adijcere sorti, vt eam augeant? Si enim sors & detrimenta illa non maneant distincta,frustrà proponitur hæc dubitatio. Itaque hoc ipsum videndum est, vtrùm distincta manere debeant.

*Interesse sorti adijcere non licet.*

DICO PRIMO. Etiamsi quod interest certo pretio, alioqui incertum sit æstimatum ab initio, nihilominùs non licebit illud adijcere sorti, nisi fortè solui debebat ante ipsam sortem statim initio;multo minùs si incertum relictum sit, poterit ante moram campsarij adijci sorti. Est manifestum: quia interesse succedit in locum vsuræ, ex vsuris autem etiam permissis alias exigi vsuras Iura non permittunt.

*Neque prouisiones.*

DICO SECVNDO. Prouisiones non possunt sorti adijci, ita vt summam augeant ex qua interesse debeatur etiam ante moram. Ratio est, quia prouisiones non debentur nisi in cambij termino; & quando citiùs soluuntur, ea est anticipata solutio. Supposito ergo, non posse sortem confundi cum interesse & campsoris prouisionibus, respondeo ad propositam dubitationem, &

DICO TERTIO. Probabilius est, vbi campsarius aliud non expressit, aut etiam eo aliud exprimente, campsor diserтè protestatus est, se partem debiti quæ nunc soluitur, non acceptare pro sorte, sed pro cambij detrimentis,non teneri illam deducere ex tunc de sorte, sed solùm referre in solutionem prouisionum & interesse. Hæc sententia Probatur Primò ex communi & recepta mercatorum praxi. Secundò, quia prouisiones illæ & interesse censentur campsori cedere loco fructuum quorumdam suæ sortis, huic negotiationi impensæ. Fructus autem vti & vsuræ licitæ soluuntur ante sortem, L.1. C. De solutionibus.

Si dicas, Legem solùm loqui in casu vbi debitor non expressit voluntatem suam, & relinquere in potestate eius, qui ex pluribus ritulis debet, tempore solutionis eligere in quam causam reddar, cùm quisque in re sua sit moderator & arbiter.

Respondeo ad prius, Si in silentij paritate Lex velit priùs solui vsuras,æquum erit idem seruari vtroque contendente, vno pro sorte, altero pro vsuris. Sanè redituum praxis fauet campsori; nam & ibi non accipitur quid in solutum pro sorte,nisi priùs deductis canonibus cessis.

Ad posterius respondeo, Regulare quidem id esse, sed pati exceptionem in solutione eius quod interest, quodque, vt dixi, in locum vsurarum succedit. Consulendus Molina disp. 565.

Dices iterùm, Id quod magis grauat debitorem, censendus est priùs soluere; ff. eod. L. In his verò.

Respondeo, Nostrum casum, quatenus interesse æquiparatur iustis vsuris, ibidem §. vlt. exceptum esse, adeò vt si dixerit campsor campsario,in sortem simul & interesse se accipere quod datur, modò solùm adæquet interesse,pro eo solo censeri solutum debeat.

## DVBIVM XI.

### *Vtrùm conditiones expressæ in Bulla Pij V. obligent campsores in conscientia?*

DECRETALIS ista his ferè constat capitulis. *Contenta in Bulla Pij V.*

Primò damnat omnia cambia sicca, in quibus falsò fingitur alio loco futura solutio, cùm intendatur futura eodem vbi fit contractus.

Secundò damnat eum contractum,quo pecuniæ traduntur nomine ficti cambij, vt eodem loco vel alio cum lucro repetantur.

Tertiò damnat campsores, qui cùm priores dederint pecuniam, concedunt campsarijs longiorem terminum, quàm initio inter eos conuenerat, sub expresso aut tacito pacto lucri, cùm verum non subsit interesse.

*Quænam ex illa omnes obligent.*

Hæc tria capp. omnes obligare, cùm sint Iuris naturæ, dubium esse non potest, etiam vbi Bulla non est recepta, quia in illis solùm declarat Ius naturæ, quod significant illa verba, *Quæ omnia nos vsuraria esse declaramus.*

Quartò statuit, ne in realibus cambijs audeat campsor certum interesse ab initio vel alias,etiam in casum non solutionis pacisci. Hæc conditio Iuris positiui est,quia, vt alibi diximus, licet ab initio certum interesse pacisci: & quia fundatur in præsumptione, putat Nauarrus cap. 17. numero 301. etiam vbi recepta est hæc Bulla, hoc cap. non habere locum in foro conscientiæ, quando aliàs certificatio esset æqua coram Deo.

*Triplex præsumptio, & quomodo in conscientia locum habeat.*

Verùm vt istud nonnihil examinemus, distinguenda est præsumptio: est enim quædam præsumptio hominis, qualis est Iudicis, non Iuris, quæ locum non habet in conscientia, nisi ad vitandum scandalum. Est præsumptio quædam Iuris,sed non de Iure. Hæc etiam locum non habet in conscientia, imò & in foro externo contra se probationem admittit, habetque locum quando Ius in aliquo facto dubio præsumit, sed non ita firmè super præsumpto facto figit pedes ac super vero. Tertia est præsumptio Iuris & de Iure, quando Ius ita super præsumptione nititur,vt cõtra illud quod præsumit, nullã admittat probationem, sed quod statutum est velit haberi pro mero Iure: atque ita ex præsumptione lata Lex videri possit in conscientia obligari, etiamsi præsumptio hic & nunc locum non habeat, talisq; videtur esse Pij V. in proposito Constitutio, ita vt secundùm hanc opinionem peccet hoc modo exercens cambium vbi Bulla recepta est, etiamsi ei faueat æquitas certificationis lucri.

Verùm istud non per omnia placet, quia communis sententia DD. est, quod ex sola præsumptione Lex damnat, non esse damnandum in conscientia comperta veritate. Ita Siluester verbo Lex,q.9.num.2.Panorm.in cap. Is qui,De sponsalibus.

Dixi, *comperta veritate*; quia quando veritas est dubia, etiam in foro conscientiæ oportet

sequi præsumptionem fori externi, vt benè docet Sanches in Decalogum lib.1. cap.10. numero 13.

Quæres, An ergo continuò quando quod præsumitur Lege, excluditur facti veritate, liceat quod prohibitum est admittere?

Respondeo, Non licere: quando enim Lex aliquid speciatim prohibet, quia præsumit non nisi mala mente cum periculo aut scandalo fieri; tale factum prohibitum mali animi præsumptionem sic innatam habet, vt qui illud admittit, verè faciat animo interpretatiuè malo, etiamsi aliàs verè bono & simplici animo faciat, nisi particularis aliqua caussa excuset, vt admodum vtiliter notauit Nauarrus in cap. Ita quorumdam, De Iudæis, notabili 10. numero 26. Quod forsan non abs re proposito nostro applicauimus.

Quintò prohibet Pontifex, ne vltra primas nundinas, aut consuetos terminos vbi nundinæ non exspectantur, cambia exerceantur, videlicet cum extensione proportionali lucri. Istud etiam merè est Iuris positiui.

Sextò præcipit, vt in præfigendis solutionis terminis ratio habeatur longinquitatis & propinquitatis locorum in quibus futura fit solutio, ne quando secùs fit, detur occasio fœnerandi. Istud etiam quamuis rationi naturali satis conforme, aliquid habet admixtum positiui Iuris, quod fundetur in præsumptione vsuræ. Fortè tamen non intendit Pontifex simpliciter eos damnare, qui pro maiori distantia nundinarum plus exigunt, sed loquitur de cambio locali, sine respectu ad nundinas. Hinc patet, quousque in his partibus, vbi recepta non est, obligent capp. dictæ Decretalis alioqui saluberrimæ.

## CAPVT V.

### *De Reditibus.*

### DVBIVM I.

### *Quid sit Census?*

OMISSIS aliis acceptionibus vocabuli Census, quas accuratè refert Couarruuias lib.3. Variarum resolut. cap.7. numero 1. adeoque etiam illa vnde Censores apud Romanos dicti, de qua L.2.§.Post deinde, ff. De origine Iuris; nobis hîc reditus seu census nihil est aliud, quàm ius exigendi pensionem annuam ex re vel persona alterius vtili vel fructifera.

*Census.*

Dico, *ius exigendi*; quia census non sunt ipsæ pensiones, sed ius eas exigendi, cuius correlatiuum est debitum aut seruitus præstandi in re vel persona obnoxia, vt docet Conradus quæst. 72. suppositione 1. Cæterùm cùm istæ relationes sola voluntate exteriùs declarata & acceptata constituantur, & ab animo hominis dependeant, patet reditum non esse rem corporalem; vt vel hinc liqueat, quantum pecuniarius reditus à pecunia differat; quamuis & alia manifesta sit differentia: cùm enim pecunia sit res mobilis, reditus inter bona immobilia censetur, vt patet Clementina Exiui, §. Cumque annui redditus, De verborum significatione.

*Reditus differt à pecunia.*

Dico, *annuam*; quia si ius emas ad fructus rei vnius anni, potiùs est conductio rei quàm emptio census.

Dico, *alterius*; quia super re propria nemo censum habet; hoc enim census differt ab emphyteusi, quia in emphyteutico contractu manet res in dominio directo prioris domini, in constitutione autem census dominium transfertur in alium ab emptore, si non erat alterius. Ita docent Glossa & Panormitanus in cap. Constitutus, De religiosis domibus. Vnde natum commune illud elogium, *Censum soluimus de re nostra, pensionem de aliena*; quamuis in rigore non semper seruetur hæc vocum proprietas.

*Differentia inter census & emphyteusi.*

Hinc & aliæ differentiæ nascuntur, vtpote 1.
quòd res emphyteutica, eo ipso quo non soluitur pensio intra biennium quando debetur Ecclesiæ, aut intra triennium quando sæculari, res cadat in commissum, non autem in censu, nisi fortè ita cautũ sit; quomodo vtrùm liceat, infrà suo loco dicemus. Item, quod notauit Panormitanus, rem 2.
spiritualem non posse concedi in emphyteusim, sed benè ad censum. Considerat enim, in emphyteusi pensionem reseruari in compensationem Iuris concessi; in censu autem in memoriam concessæ libertatis, aut in signum præteritæ subiectionis. Postremò, quòd emphyteuta non possit rem 3.
emphyteuticam vendere, domino directo non monito, alioqui res cadit in commissum, & præterea ex pretio proprietarius partem accipit, puta quinquagesimam, quam vocant Laudemium; res autem censualis possit vendi inscio eo qui habet reditum.

Denique addidi, *vtili vel fructifera*, id est quæ fructificat salua substantia; quia res quæ nullo modo potest esse vtilis, non est capax debiti censualis, vt infrà patebit: similiter persona (si quà talis sit) quę neque bona habet in re, neque in spe, neque opera sua aut industria sua vllo modo potest esse vtilis. Eadem est ratio de re cuius vsus est abusus seu consumptio, vt notat Medina q.11. De vsuris, initio.

### DVBIVM II.

### *Quotuplex sit Census?*

CENSVS variè diuiditur. Primò, Census quidam realis, qui fructus rei vendicat. Alius personalis, qui industriam & prouentus personæ sibi habet obnoxios. Alius mixtus ex reali & personali, vbi vel persona principaliter & res in subsidium obnoxia est, vel econtrà res principaliter, & persona cum aliis suis bonis accessoriè obligatur.

*Census primò diuiditur in realem, personalem, & mixtum.*

Secundò, Realis alius reseruatiuus, quando acquirens reditum, rem alienat; alius consignatiuus, quando reseruans rem, reditum alienat.

*Secundò, in reseruatiuum & consignatiuum.*

Tertiò, Reditus quidam certus, alius incertus est. Certus, quando quantitas pensionis absolutè determinata est, puta sex modij aut sex floreni. Incertus, quando indeterminata est, puta tertia pars fructuum, aut quinta, qualem Ioseph constituit Ægyptiis, Genesis 43.

*Tertiò, in certum & incertum.*

Quartò, Reditus alius est fructuarius, quando pensio est in fructibus, puta in frumento, vino, oleo: alius pecuniarius quando in pecunia.

*Quartò, in fructuarium & pecuniarium.*

Quintò, Reditus alius est perpetuus, qui per se numquam exspirat: alius temporalis, qui certo annorum spatio, aut vita vnius vel alterius, aut aliter tempore ita circumscriptus est, vt aliquando per se exspiret. Quando tempus, ad quod est definitus, minus est decennio, dicitur ad modicum tempus.

*Quintò, in perpetuum & temporalem.*

*Sextò, in redimibilem & irredimibilem.*

Sextò, Reditus alius est redimibilis, alius irredimibilis. Quæ diuisio quamuis propriè conueniat reditui perpetuo, potest tamen etiam accommodari temporali.

Consignatiuus, quando aliud non constat esse pactum, præsumitur redimibilis, reseruatiuus irredimibilis; alioqui secundùm naturam generica, quatenus census merx quædam est quæ transit in dominium alterius, nullus census est redimibilis. Item omnis census est redimibilis volente emptore, quia rei suæ quisque legem ponit.

### DVBIVM III.

### *Vtrùm nouum Reditum liceat emptione & venditione constituere?*

*Obitio Henrici.*

HENRICVS à Gandauo, Quodlibeto 8. negat quoad reditum consignatiuum: cui consentiunt Innocentius & Ioannes Andreas, quos refert Siluester verbo Vsura 2. quæst. 12.

*Reditus licite constituuntur.*

Sed communis & certa ait licere. Sanè Pontifices Martinus V. & Callistus III. in suis Extrauagantibus, quæ exstant inter communes De emptione & venditione, nullum faciunt discrimen noui & veteris reditus, quando eos sub certis conditionibus approbant. Deinde cùm fateantur aduersarij licere emere veteres, & donatione constituere nouos; cur non etiam licebit nouos constituere venditione & emptione? Qui enim emit reditum veterem, non potest melius ius habere, quàm is à quo causſam habet. Si ergo hic non rectè emit, nec iste, vt benè Gabriel in 4. dist.15. q.12. art.2. conclus.2. Item si res mea vendibilis sit, sicuti eam licet donare, ita etiam vendere, vt per se patet; alioqui mirum erit, quòd ius in te translatum per donationem in te melius sit, quàm erat in donatore, vt tu vendere possis, quod ipse vendere non potuisset.

*Obiectio Henrici.*

At inquit Henricus, Venditio quidem videtur, sed verè est mutuum, & speratur aliquid vltra sortem, quia supponitur, aut saltem speratur, quòd pensiones temporis decursu superabunt sortem.

*Resp.*

Verùm iam antè indicauimus, reditum non esse ipsas pensiones, sed ius eas recipiendi, adeoque qui emit reditum, non mutuat, neque emit anticipato pretio, sed parata pecunia emit ius, quod statim ei traditur, cuius fructus sunt pensiones, quæ posteà succedunt, & priùs non debentur antequam cedant; emit, inquam, iusto pretio, vt nulla hîc iniquitas appareat.

*Obiect.1.*

Dices, Merx debet exstare antequam vendatur, vt possit quasi venalis prostare; atqui nouus reditus non exstat ante huiusmodi venditionem.

*Resp.*

Respondeo, Satis exstare vt vendi possit in pleno iure quod dominus habet in re sua: decerpit enim quando reditum vendit, quasi particulam quamdam istius iuris, sicuti etiam quando vendit vsumfructum aut seruitutem in agro vel domo.

*Obiect.2.*

Dices iterùm, Nihil fundi ex quo reditus soluetur venditur, sed fundus solùm datur in pignus virtualis mutui vsurarij.

*Resp.*

Respondeo, Verè ius quod dominus habet ad hanc fructuum partem vendi, & quamuis fundus subiectus reditui soleat eius dici hypotheca, non esse tamen instar communis hypothecæ, sed potiùs instar fundi vectigalis, rectè docet Couarruuias vbi suprà numero 7.



Dices Terriò, Saltem non esse iustam emptionem, eò quòd ius recipiendi quotannis talem pensionem longè pluris valeat quàm pretium quod soluitur pro censu; sæpè enim contingit pensiones in duplum & ampliùs excedere, puta quando reditus emptus numino decimosexto duauerit vltra triginta duos annos.

*Obiect.3.*

Respondeo, De iusto pretio reditus infrà dicemus: nunc dico cum communi & Molina disp.385. etiamsi excedant postmodum decursu temporis pensiones, nunc tamen ius per interualla eas accipiendi non plus valere. Si enim ius exigendi illas pensiones adæquet in pretio ipsas pensiones, nullo poterit pretio æstimari ius perpetuò eas exigendi: imò & agri pretium erit infinitum, quia ius perpetuò eius fructus percipiendi in venditione ipsius transfertur.

*Resp.*

### DVBIVM IV.

### *Quæ sint necessaria in contractu censuali ex Iure naturæ?*

VT emptio & venditio reditus iusta sit, ex Iure naturæ Primò requiritur, Vt venditor verè designare possit rem exstantem, super qua realem & perpetuum reditum consignet. Realis enim reditus ab eo constitui non potest, qui rem non habet: rei enim non existentis actu, aut saltem spe & potentia, fructus aut ius ad illos vendi non possunt; emptio enim & venditio sine re quæ veneat intelligi non potest, ff. De contrahenda emptione, L. Nec emptio. Neque tamen opus est speciali expressione, sed sufficit si venditor bona omnia sua immobilia reditui subijciat, vt dicemus Dub.7.

*Conditiones Iure naturæ requisitæ.* 1.

Secundò requiritur, Vt res super qua reditus constituitur, verè suppeditare tantumdem apta sit, quantum reditus requirit, in eoque non impediatur prioribus aliis oneribus: aliàs iterùm vendetur quod non est, vel saltem quod alteri priùs obnoxium est. 2.

Limitandum tamen hoc Primò ad reditum merè realem: si enim mixtus sit, non est necessum vt totum suppeditare debeat subiectus ei fundus quod reditus requirit: quomodo vera erit hac de re sententia Soti, absolutè negantis opus esse vt fructus rei adæquent censum, lib.6. quæst.5. art.1. quamuis ipse ex falso id asserat fundamento, existimans nullum esse reditum merè realem, de quo infrà.

Limitandum Secundò, Vt locum non habeat, quando res saltem mediatè tantumdem præstare apta est. Quod notanerim contra Medinam suprà corollario 4. qui existimare videtur, etiamsi domus empta sit bis mille verbi gratia florenis, non posse super ea constitui reditum centum florenorum, nummo decimosexto, si annuè non suppeditet ex locatione nisi quinquaginta aut sexaginta; sufficit enim quòd verè valeat bis mille florenis, & sit res immobilis, posset enim ex eius pretio constitui census centum vigintiquatuor florenorum, & super illo maiori, alius centum florenorum, virtute itaque sufficit ad censum centum.

Hinc infertur, non opus esse vt res actu sit

fructifera, puta quia cùm elocari possit, non elocatur, aut inculta negligitur, vt docet Nauarrus in cap. Si fœnerauerit 14. quæst. 3. num. 113. & 117.

3. Tertiò requiritur, Vt merè realis reditus pereat pereunte re censuali: ius enim recipiendi partem fructuum extinguitur, quandocumque ius vsufructuarij omnino cum re ipsa extinguitur.

4. Requiritur denique ex communi Lege venditionis; Vt census ematur iusto pretio. Quodnam autem sit illud, dicetur infrà Dubio 16.

## DVBIVM V.

### *Quæ conditiones sint necessariæ ex Iure positiuo ad iustum Reditum?*

*Conditiones Martini V. & Callisti* III.

APPROBARVNT redituum constitutionem summi Pontifices Martinus V. & Callistus III. sed sub octo ferè conditionibus.

Prima est, Vt census super certis bonis immobilibus constituatur.

Secunda, Vt sola illa realis hypotheca maneat obligata redituario, non autem ipse dominus hypothecæ.

Tertia, Vt certo & competenti pretio reditus constituatur.

Quarta, Vt pretium tempore contractus integrè soluatur in pecunia numerata.

Quinta, Vt semper liberum sit venditori reditum redimere, vel totum, vel pro parte.

Sexta, Vt nullo casu venditor maneat obligatus ad reditum redimendum.

Septima, Vt re censui obligata pereunte, pereat etiam reditus.

Octaua, Vt res eadem non minùs annuè pariat quàm exigat reditus.

Pius V. in Decretali sua De censibus, quæ incipit, Cùm onus Apostolicæ seruitutis, conditiones illas octo, sub quibus Martinus & Callistus probauerunt census, videtur requirere tamquam necessarias: requirit autem diserè sequentes.

*Conditiones Pij* V. Primò, Ne constituatur reditus nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habetur de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit, adeò vt non sufficiat generatim designari omnia bona venditoris.

Secundò, Ne reditus ematur, nisi pecunia verè numerata, præsentibus testibus & Notario, & in ipso actu celebrationis instrumenti, adeoque tempore contractus censualis.

Tertiò, Ne emptor reditus vllo modo accipiat aut in pactum deducat anticipationem pensionum, antequam reuerà tempus earum aduenerit; verbi gratia, ne de pretio quod numerat, tollat anticipando primum canonem.

Quartò, Ne apponantur conuentiones directè aut indirectè obligantes eum ad casus fortuitos, qui aliàs ex natura contractus non tenerentur: eiusmodi enim conuentiones non solùm prohibet Pontifex, sed etiam inualidat.

Quintò, Ne restringatur vllo modo facultas alienandi rem censualem: vult enim Pontifex rem ipsam semper ac liberè, ac sine solutione laudemiæ seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis vel rei tam inter viuos quàm in vltima voluntate, alienari.

Sextò, Vbi res vendenda sit, vult Pontifex dominum census aliis omnibus præferri, eique denuntiari conditiones quibus vendenda sit, & per mensem expectari.

Septimò, Vt ex toto irrita sint pacta quæ habeant, morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, aut certas expensas, aut certa salaria, aut talia salaria & expensas qualia medio creditoris iuramento liquidanda occurrerint, aut quòd rem ipsam censualem amittet, aut aliquam eius partem aut aliud ius ex eodem contractu vel aliunde quæsitum, aut in aliquam pœnam cadet.

Octauò, Ne canonibus præteritis vel futuris census augeatur, aut nouus creetur super eadem vel alia re in fauorem eiusdem, aut personæ per eum suppositæ.

Nonò, Irritat Pontifex pactum quo onera aliqua imponuntur ei cui ex Lege aut consuetudine aliàs non incumbunt, vt si quid Reipublicæ ex censu pendendum sit.

Decimò, Vt census in posterum creandus re perempta aut sterili effecta, in perpetuum, vel tota, vel secundùm partem ad ratam pereat, & eodem pretio quo emptus est semper possit extingui, non obstante vlla præscriptione aut pacto contrario.

Vndecimò, Vt bimestri ante reditus redemptionem, redituario fiat insinuatio, & post eiusmodi denuntiationem, intra annum tamen, pretium etiam ab inuito repeti possit.

Duodecimò, Vt emptor ab inuito venditore pretium non repetat.

Decimotertiò, Vt venditor redimere possit quandocumque voluerit, seruata denuntiatione, per bimestre, vt dictum est, præmittenda.

Postremò, Vt pretium semel censui constitutum, numquam ob temporum aut contrahentium qualitatem aut aliud accidens, minuatur vel augeatur, ne quidem quoad vltimo contrahentes.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm hæ Martini V. Callisti III. & Pij V. conditiones vbique obligent.*

*Sententia.* DE Martini & Callisti Constitutione hoc dubitari potest, Vtrùm ipsi conditiones quas exprimunt, ita requirant, vt aliter emptionem censuum factam reprobent. Hoc enim quidam putauerunt, è quibus est Bartholomæus Carantza in Summa Conciliorum, in actis Martini V. Sotus, Couarruuias, Nauarrus & alij. Cui opinioni, vt suprà insinuaui, videtur fauere Pius V. initio suæ Extrauagantis: dicit enim, ab Antecessoribus suis limites esse constitutos contractibus censualibus.

*Sententia.* Aliorum opinio est, Pontifices istos simpliciter solùm approbasse secundùm illam formam sibi propositam constitutos census, non autem damnasse aliter constitutos. Ita Valentia, & alij complures.

Dicendum videtur, vtramque opinionem quodam sensu veram esse. Pontifices enim illi duo non damnarunt expresè quidem census aliter constitutos, sed implicitè quodammodò improbarunt: cùm enim census natura sua odiosi sint, tamquam vsurarum succedanei, vt ex communi docet Rodericus lib. 1. De censibus, quæst. 6. numero 47. ad eorum iustitiam ponderare videntur Pontifices has conditiones, tamquam vel ex natura



tura rei, vel positiua iam Lege necessarias, eò quòd nemo vsurpare debeat hos contractus aliter quàm Lege sancitum sit, cùm natura sua lubrici sint, & facilè exorbitent. Vnde patet, quomodo accipiendum sit, quòd posteriores Pontifices laxiores postmodum conditiones censuum indulserint, vt post Martinum V. fecisse videtur Nicolaus V. in Bulla quadam quæ incipit, Sollicitudo pastoralis, in qua constat ipsum declarasse, non esse necessarium vt res certa designetur quæ censui supponatur; approbat enim emptionem census (eo tamen pretio vt census decimam partem sortis non excedat) in qua nulla certa bona exprimuntur, sed obligantur venditoris res in communi: qua forma vtebantur Siculi, pro quibus Pontifex cõsulebatur. Similia statuit Paulus III. in Bulla quæ incipit Dilectus: item Gregorius XIII. iisdem Siculis concessit contractum censualem subtribus his capitulis: Primo, Vt constituatur super re certa vna vel pluribus, possitque etiam addi vniuersitas bonorum vendentis. Secundo, Vt venditor redimere possit quandocumque voluerit. Tertio, Ne pensio annua excedat decimam partem sortis.

Illud interim certum est, Pium V. non solùm Martini & Callisti conditiones, sed etiam alias plures iam memoratas, tamquam necessarias requirere. Verùm de hac Pij Constitutione similiter ferè sentiendum est ac de simili super cambiis edita, de qua suprà; multis enim locis recepta non est. Vbi autè non est recepta, vt constat hîc in Belgio non esse, & in Hispaniis, teste Roderico suprà quæst. 4. numero 28. non obligabit, nisi quatenus declarat aut innouat quæ aliunde obligant, qualia in primis sunt quæ obligant ex Iure naturæ, quæ discerni poterunt ex illis quæ sparsim hoc Capite tradimus. Vbi autem recepta est, non vult Nauarrus in cap. Si fœnerauerit, numero 106. præsumptione per eam inducta quempiam in conscientia iudicandum esse vsurarium, si contrarium coram Deo conster.

Illud credibile, noluisse Pontificem hanc suam Decretalem obligare, vbi promulgata non fuerit, propter admodum notabilem & præiudicialem quam continet mutationem circa contractum merè ciuilem, quamuis Leges Pontificum, etiamsi non contineant Legem naturæ aut diuinam, debeant seruari circa ea in quibus vertitur periculum animæ in vtroque foro apud omnes Christianos, vt docet Nauarrus suprà.

Secundò, Vbi promulgata est, si vsu populi non sit recepta, aut pro ea deprecanda per Principem ad Pontificem supplicatum est, vt factum esse in Hispaniis testatur Rodericus, aut decennalis contra eam consuetudo præscripsit, iterùm probabile est in conscientia non obligare.

## DVBIVM VII.

### *Super quibus rebus possit constitui Census?*

*Super alio reditu quàm super re.* DICO PRIMO. Etiam super alio reditu potest reditus constitui, seruatis aliquot conditionibus. Est communis, Nauarri suprà, n. 87. Molinæ disp. 389. Valentiæ De censibus, puncto 2. Fauet Bulla Pij V. in qua propter reditum super reditu constituendum videtur dici, quòd possit reditus constitui etiam super re quæ pro immobili habeatur. Confirmatur ex vsu: sæpissimè enim reditus minores priuatorum constituuntur super maioribus redditibus communitatum.

Vna autem conditio hîc requisita est, Ne reditus, super quo alius constituatur, sit minor; debet enim esse vel maior, vel saltem æqualis, nam & super æquali posse constitui, tenent Nauarrus & Molina suprà.

Altera est, Ne reditus obnoxius alteri sit redimibilis. Ita Medina quæst. 11. De vsuris, §. Sequitur amplùs, & Molina suprà. Aliàs enim contingeret, priori reditu redempto, alterum euanescere, vel saltè fieri merè personalem, quod prohibet Pius V. Cessante tamen Lege positiua contraria, & posito quòd liceat constituere reditum merè personalem aut mixtum, de quo infrà, non appareret quomodo non possit super reditu redimibili reditus alius constitui. Imò si ab initio obliget se venditor, quòd in casum redemptionis substituet aliam rem fructiferam immobilem, ex qua continuetur reditus, ne quidem Constitutioni Pij V. videtur contrauenire.

*Super re mobili non constituitur.* DICO SECVNDO. Super re quæ neque sit, neque censeatur immobilis, non potest reditus realis constitui perpetuus, potest tamen temporalis. Ita Medina vbi suprà. Patet prior pars; Quia res mobilis non est perpetua: nam quod de gemmis quidam hîc mouet, moralem vix habet considerationem, cùm & illæ si non perire, saltem amitti facilè possint.

Posterior pars Probatur; Quia vt benè Valentia suprà, si in solo Iure naturæ sistamus, potest reditus vendi ex quacumque re, ex qua venditor ius habet percipiendi vtilitatem, cuius pensionem velit vendere. Vnde vlteriùs colligitur, etiam super pecunia mercaturæ destinata, posse vtcumque reditum aliquem saltem temporalem constitui: secùs dicendum de pecunia in se considerata, prout quolibet vsu consumitur. Ita ferè Conradus quæst. 72. suppositione 5.

*Super omnibus bonis indefinitè potest.* DICO TERTIO. Secundùm Ius naturæ non peccat qui reditum vendit ex omnibus suis bonis, nulla re nominata, aut certis finibus designata. Ita ex communi sententia tenet Gabriel suprà quæst. 12. art. 2. concluſ. 1. Potest autem id fieri duobus modis: Vno, vt res singulæ obligentur in solidum; quo modo cariùs emendus esset census, aut aliter hoc grauamen deberet venditori compensari: Altero, vt cum bonis diuidatur census sine obligatione illa in solidum; & hoc modo subleuandus esset emptor, qui diuisa hereditate venditoris cogeretur diuidere reditum.

DICO QVARTO. Super re prorsus inutili reditus constitui non potest. Patet ex definitione reditus. Sufficit tamen vt possit esse vtilis, vt si turris sit quæ quidem non elocetur, elocari tamen possit.

DICO QVINTO. Quando res censui subiecta, pro parte fit sterilis in perpetuum, puta quia à mari occupatur, & reliqua pars non sufficit pensioni census, perit census qui ex reliqua parte pendi non potest: imò pro rata perit, etiamsi pendi ex altera possit, vbi aliter non est pactum, etiamsi Bulla Pij V. non obliget; ex natura enim contractus ita dicendum esse rectè ostendit Molina disp. 391. clauſ. 8. Secùs dicendum, quando nulla pars rei omnino fit sterilis, sed vbertas per totam fit remissior etiam in perpetuum: si enim

prouentus ita imminuti ferant, pendetur nihilominùs totus census.

*Pereunte re, perit census.*

DICO SEXTO. Quando tota res censui subiecta perit, aut inutilis fit, etiam census extinguitur, si merè realis fuerit, & res illa sola subiecta fuerit & in perpetuum pereat.

Dico, *si merè realis fuerit*; quia si erat personalis, etiamsi hic fundus qui perijt erat hypotheca, non perit census, nec minuitur, sed solùm perit eius assecuratio. Excipiendus etiam hic erit casus, quo venditor census dixerit, rem censualem non esse caducam, cùm sciret esse; teneretur enim de hoc vitio occulto & occultato, sicut in alijs mercibus teneri diximus, quando De venditione.

Ceterùm extendenda est assertio, vt etiam locum habeat quando in contractu non fuerit hoc expressum, quòd census re pereunte periret, vt contra Couarruiam docet Molina disp. 383.

Dixi, *in perpetuum*; quia si res sit solùm sterilis ad tempus, non perit reditus, remissionem tamen pro rata accipit debitor quando extra culpam est. Vnde etiam consequens videtur, si pars rei censualis ad tempus inutilis est, pro rata minuendum censum.

DICO SEPTIMO. Nemo potest validè rem alienam reditui quem vendit subijcere; emptori tamen re euicta non tenetur sortem restituere, sed aget emptor aduersus eum vt idoneas hypothecas censui subijciat. Ita Rodericus lib. 2. q. 7. numero 7.

DICO OCTAVO. Quando censui reali duæ res subiectæ sunt, verius videtur, nisi aliter cautum sit, vtramque in solidum obligari, non quidem planè ex natura rei, sed quia tacitè inest eiusmodi pactum emptioni census, nullo refragante Iure, eò quòd aliter census vix emeretur super pluribus fundis: præstaret enim vnum habere obligatum qui sufficiat, quàm subire illud periculum in plures minutas partes diuidendi reditum, per heredes aut successores venditoris reditus. Ita Molina dicta disp. 391. clausula 8. Existimarim, idem esse dicendum quando reditus indefinitè constitutus est super omnibus bonis constituentis.

Hinc sequitur, Etiamsi vna res censualis vel in parte, vel tota, vel in perpetuum, vel ad tempus pereat aut sterilis fiat, nihil debere minuere redituarium de sua pensione, modò altera res in solidum obligata, ei soluendæ sufficientem prouentum habuerit.

DICO NONO. Longè alia est ratio immobilis hypothecæ reditus personalis & fundi censualis, quia hypotheca personali censui accedit per contractum assecurationis, ideoq; si plures fundi in hypothecam assignentur, semper licet in illas hypothecas creditori ex natura contractus agere in solidum: & in hoc spectata præcisè natura contractus, potior est habens personalem quàm realē reditum, sicut & in eo quòd pereunte re obligata non pereat reditus; in alio tamen realis redituarius est potior, quòd non teneatur sequi personam debitoris, sed in rem à quocumq; possessam principaliter & primariò agere possit: possessor autem reditus personalis cum hypotheca non potest agere in rem ab alio iam fortè possessam, nisi in subsidium, quando & debitor & omnia eius bona non sufficiunt.

DICO DECIMO. Potest reditus constitui etiam super bonis Ecclesiasticis, sed maiori id fieri debet solemnitate, quia vendere reditum, præsertim perpetuum & irredimibilem, est quodammodò alienare.

DICO POSTREMO. Super Ecclesia ipsa, fundo, aut area eius non potest reditus constitui: est enim Ecclesia immunis ab omni pensione & onere, etiam ex priori pacto proueniente. Suarez contra errores Anglicanos lib. 4. cap. 20. num. 20.

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm liciti sint Census personales?*

*Prior sententia.*

CONTROVERSA admodum hæc quæstio est, Vtrùm ex natura rei licitum sit emere reditum personalem? multi enim DD. negant; imò hanc communem opinionem testantur esse Couarruuias lib. 3. Variarum cap. 7. numero 5. & Rodericus lib. 1. q. 4. numero 32. Molina disp. 387. communiorem esse dicit; Nauarrus in cap. Si fœneraueris, (14. q. 3.) numero 81. dicit ferè omnes eam tenere, & eamdem ipse sequitur, & fusè ibidem defendit. Pro hac sententia ita ferè licebit argumentari:

*Probatur 1.*

Primò, Martinus V. & Callistus III. solos illos approbant census, qui creati fuerint super debitoris bonis, agris, domibus, prædijs, possessionibus, & hereditatibus, iisque pereuntibus volunt reditum perire, & debitoris personam planè liberam esse: ita enim accipienda sunt verba, quibus vterque Pontifex disponit, etiam pereuntibus illis bonis, non posse venditores constringi ad restituendam pecuniam.

Dices, Potiùs contrarium inde colligi; eo enim indicare Pontifices, venditores cogendos esse ad annuam pensionem, etiam destructis bonis: nisi enim ita voluissent, hoc ipsum explicuissent, vt monet Couarruuias suprà citatus. Sanè si extincta re, extinctus omnino sit reditus, videri possit non operæ pretium fuisse monere, quòd capitale repeti eo casu non possit.

Respondeo, In eo falli Couarruuiam, vt benè Molina suprà: ideò enim Pontifex vterque dicit, ne quidem eo casu quo res periisset, licere emptori à venditore pretium repetere, quòd tunc reditu prorsus inutili facto, & non ampliùs currente pensione maior ratio videbatur vrgendi repetitionem sortis.

2. Secundum argumentum petitur ex Iure Ciuili & Canonico, quod prohibet hominem liberum pignori dari, L. Qui filios, C. Quæ res pignori obligari possunt, & cap. Lator, De pignoribus; videtur enim in reditu personali homo liber pignoris loco esse.

3. Tertium petitur ex natura emptionis: illa enim postulat, vt periculum rei venditæ & traditæ ad emptorem pertineat, vt patet ex dictis De emptione; in venditione autem reditus personalis semper manet periculum penes venditorem aut eius heredes.

4. Quartum ex periculo vsuræ: si enim reditum personalem vendere liceat, iam generale pallium inuentum est omnium vsurarum. Dicet enim quiuis mutuator qui lucrum quærit, se emere à mutuatario ius accipiendi quotannis sex, donec centum mutuò data recipiat.



5. Quintum, Si liceat emere reditum personalem perpetuum, etiam licebit temporaneum: arqui si emeris decem annua, soluenda vndecim annis, semel numerando centum, manifestam admittis vsuram; ergo reditus personales sunt vsurarij.

6. Sextum, Pius V. apertè census personales damnauit propter vsuram saltem præsumptam, quæ etiam secundùm Legem naturæ, monentem ab omni specie mali abstinere, cauenda sit.

*Verior sententia.*

Alteri nihilominùs sententiæ, quæ approbat census personales, neque auctores desunt neque argumēta: eam enim tenet Panormitanus, in c. In ciuitate, De vsuris, quamuis in contrarium à quibusdam citetur Conradus q. 74. conclusione 2. & q. 49. concluſ. 3. Gabriel in 4. dist. 15. q. 12. art. 2. concluſ. 1. Medina q. 11. De vsuris, §. Sed quæret aliquis; Sotus lib. 6. q. 5. art. 1. concluſ. 4. Couarruuias lib. 3. Variarum, cap. 7. num. 3. Rodericus lib. 1. De redditibus, q. 4. num. 32. Lessius l. 2. c. 22. dub. 4.

Argumenta ferè sunt ista. Primum, Si quid obesset quo minùs licitum sit cōstituere per venditionem & emptionem reditùm personalem, maximè esset illud, quòd ea videatur vsuraria: arqui vsuræ periculum abesse vel hinc constat, quòd vera intercedat emptio & venditio; merx enim est ius extrahēdi quotannis ex personæ venditoris emolumentis certam pecuniæ pensionem.

Secundum, Licet sine venditione sese obligare ad pensionem aliquam annuam; ergo etiam per venditionem. Antecedens patet 2. Esdræ 10. vbi singuli de populo ad cultum Dei & vsum templi recognoscunt reditum personalem tertiæ partis sicli quotannis pendendum. Patet etiam ex vsu quotidiano, quando socer obligat se genero pro annua pensione loco dotis. Consequentia nota est: quando enim res est vendibilis, quod possum donare, etiam possum vendere, vt suprà in similibus diximus.

Tertium, Decimæ personales, quæ nihil sunt aliud quàm sacri quidam reditus personales, in quibusdam Ecclesijs soluuntur, vt patet cap. Apostolicæ, & cap. Pastoralis De decimis.

Quartum, Possum alteri vendere operas meas, ergo etiam retento earum dominio, super eis reditum constituere, quem verè conficiant.

Quintum, Potest quis in persona serui sui constituere reditum vendere, ergo & in persona propria: potest enim etiam seipsum in seruum vendere, vt indicatur Leuitici 25.

Propter hæc & similia argumenta, posterior sententia, quæ dicit, Iure naturæ licere emptionem census merè personalis super persona, quæ tantumdem in re aut in spe ex industria & lucro aut bonis suis habere potest, probabilior videtur, quod magis patebit ex argumentorum contrariæ sententiæ solutione.

*Respondetur ad probationes prioris sententiæ.*

*Ad 1.*

Ad Primum respondeo, Nihil facere contra nos, nisi probetur Pontifices istos tamquam ex Iure naturæ necessariam illam conditionem statuisse, quòd super re aliqua census constituatur cum qua pereat. Accedit quod suprà diximus, reipsa conditionem eiusmodi & similes potiùs approbatas esse à Martino & Callisto, quàm tamquam necessarias requisitas.

*Ad 2.*

Ad Secundum respondeo in primis; Inde non sequi quòd ita sit Iure naturæ, etiamsi Iure Ciuili ita cautum esset. Secundò dico, in censu personali liberum hominem non dari pignori, ad mentem Legis id prohibentis: Leges enim solùm prohibent personam detineri captiuam, aut in seruitutem redigi pro debito aliquo ciuili, si velit cedere bonis, nisi in casibus certis, quos refert Glossa in dictum cap. Lator. Sic ergo oppignorari liber homo non potest, vt statui libertatis eius aliquid decedat, aut in seruitutem rapi possit, etiamsi bonis cesserit. Verùm tale nihil est in censu personali, præsertim cùm suprà dixerimus, etiam rem censualem propriè non esse pignus aut hypothecam census: nisi enim velint Ius non permittere vt ciuiliter suam personam quis obliget (quod manifestè falsum est) nihil hoc argumento agunt contra reditus personales, vt benè Rodericus suprà. Videre etiam licet Medinam vbi suprà, & Conradum q. 74. qui docet contra quosdam, non obstantibus eiusmodi Legibus, famulos posse in perpetuum sese obligare ad famulandum dominis, eoque magis licere eis ex stipendijs suis reditum alicui personalem in perpetuum vendere.

*Ad 3.*

Ad Tertium respondeo, Verum esse, rei emptæ perfecto contractu periculum esse emptoris, nisi fortè adiungatur assecuratio: at in proposito hoc exceptionem non patitur, quia reuerà reditus personalis perpetuus, si pereat, emptori perit, estque eius omne periculum, ita tamen vt obligatio eum præstandi maneat in debitore & eius heredibus, nisi bonis cesserint: quòd autem bonis non cedent, neque accipit creditor securitatem, neque accipere potest.

*Ad 4.*

Ad Quartum respondeo, In primis constare, hîc non esse vsuram, quia non est mutuum. Deinde dico, etiamsi vsurarius per hunc contractum posset peruenire ad lucrum quod vsurario animo intendit, hoc non efficere vt hic contractus sit damnandus, quod in simili satis ostendimus quando egimus de triplici illo contractu mercatorum. Tertiò dico, non esse semper opportunum, vt hoc contractu vsuræ pallientur; quia fieri potest, vt qui mutuum petit, non velit vendere censum personalem, præsertim cum pacto redimendi quando emptor voluerit: quod pactum vtrùm licitum sit, infrà videbimus. Fieri etiam potest, vt persona idonea quidem sit cui ad breue tempus credatur mutuum, non tamen super qua constituatur reditus personalis perpetuus aut ad longum tempus.

*Ad 5.*

Ad Quintum, Propter hoc argumentum Molina non aliter videtur emptionem reditus personalis excusare, quàm prout eam excusare potest verum emptoris interesse. Sed probabiliter dici potest, vt infrà dicemus Dub. 15. eum qui emit reditum percipiendum vndecim annis, non committere vsuram, etiamsi pretium solùm æquet pensiones decem annorum; quia vt aliàs diximus, pensiones non recipit pro mutuo, aut tamquam mercem, vt propter anticipatum pretium plus accipere censendus sit, sed tamquam fructum mercis. Verùm quomodo licitus sit census temperalis, infrà dicemus.

*Ad 6.*

Ad Sextum, Fateor Pium V. damnasse hos census, ideoq; vbi Constitutio eius recepta est, non licere census personales, nisi fortè ex præsumptione vsuræ sint damnati; tunc enim illa recurrent, quæ de simili Decretali in materia Cambiorum

diximus. Sanè priuatis tunc nihilominùs simplicem intentionem habentibus licere, ex Nauarro monuit Valentia, quamuis Iudicibus incumbat eos damnare, & nullam in contrarium probationem admittere, indeque fiat, vt parum vsui esse possint, cùm nō soleant priuati eiusmodi contractus inire, nisi vbi in defectum solutionis ad Iudicis auctoritatem recurrere possunt. Vbi verò Constitutio Pij non est recepta, sicut tam in Belgio quàm in alijs multis locis recepta non est, dicendum est, rationem Pontificiæ Legis, neque talem, neque ita clarè ex iure naturæ colligi, vt sufficiat ad inducendam obligationem vniuersalem sine Lege positiua. Equidem mali speciem consuetudo purgat, ex qua fertur, quòd vera & iusta emptione, non autem vsuratio mutuo hi reditus nitantur. Certè si reditus personalis sit contra Legem naturæ, non poterit esse ipsius reditus mixtus, in quo pereunte re censuali, sola obligatur persona venditoris: tunc enim redit ad naturam reditus merè personalis, atque ita secundùm Sotum, Couarruuiam, & alios quosdam, omnis reditus fieret illicitus, quia ipsi putant, in omni reali inesse hanc obligationem personalem; & secundùm rei veritatem communis & multùm recepta praxis erit damnanda, qua vsurpantur eiusmodi reditus mixti. Eadem ratio est de alio genere reditus mixti, vbi persona venditoris est loco rei censualis, res autem ipsius loco pignoris; sicut in hoc genere econtrà persona quasi oppignoratur in subsidium rei censualis. Ceterùm pro reditibus personalibus aut mixtis, consulendæ Bullæ Nicolai V. & Gregorij XIII. quas citat Rodericus vbi suprà.

Quæres, Vtrùm quælibet persona libera quæ sui iuris est, idonea sit ad vendendum reditum personalem.

Respondeo: Bannesius, quamuis nobiscum sentiat, debere personam, super qua ematur reditus personalis, esse parem in spe vel in re ferendo censui, existimat tamen nullam esse tam inutilem, vt ex hac parte à reditu vendendo impediatur, cùm saltem mendicando sperari queat tantum habitura, quantum soluendo reditui sufficiat; nam & à mendicis hoc intuitu leguntur Imperatores aliquando censum exegisse. Quæ sententia non est improbabilis, præsertim si agatur de censu aliquo admodum exiguo.

Quæres Secundò, Vtrùm possit reditus constitui sine obligatione personali?

Respondeo, Quodam sensu posse, & alio non posse. Potest hoc sensu, quòd persona non obligetur re pereunte: non potest autem hoc sensu, quin defructuator rei censualis ipse census venditor personaliter obligetur, sicut etiam teneri potest de euictione per tertium facta; verbi gratia, si fundum quem loco hypothecæ reditui subijcit, tertius quispiam euincat, qui fortè reditum anteriorem habet non expressum in noui reditus venditione.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm liciti sint Census perpetui irredimibiles?*

*Reditus reseruatiuus potest esse irredimibilis.*

DICO PRIMO. Reditus realis reseruatiuus potest esse perpetuus & irredimibilis. Est euidentissimum. Si enim emphyteuses & feuda possint sic esse perpetua, vt nullam admittant redemptionem, etiam reditus hi possunt: sicuti enim possum rem meam in perpetuum retinere, ita & partem iuris ad fructus eius, aut ius partem fructuum quotannis ex ea percipiendi reseruare possum, quando eam alieno. Confirmatur; Quia reditus in re censuali est instar seruitutis, vt suprà diximus: possum autem quando rem meam alieno, perpetuam seruitutem mihi in ea reseruare, verbi gratia transitum, aut ius ponendi tigni.

*Item consignatiuus realis.*

DICO SECVNDO. Etiam reditus realis consignatiuus, quamuis pecunia ematur, potest constitui perpetuus & irredimibilis. Est communior Conradi, q. 82. qui refert quemdam Andream Iureconsultum in contrarium; sed Probatur: Reditus non minùs habet rationem mercis quàm ager; itaque si de se illicitum foret emere reditum perpetuò irredimibilem, neque agrum liceret emere, nisi cum pacto retrouendendi, aut aliquando relinquendi. Secundò, Sicuti fideles intuitu diuini ministerij dant decimas prædiales instar census perpetui irredimibilis, ita & similes reditus vendere posse videntur, præsertim cùm ex Pontificis dispensatione, etiam decimæ vendi possint. Tertiò, Ecclesiæ & Beneficia passim fundata sunt ex eiusmodi reditibus. Quartò, Martinus V. in sua Extrauagante indicat, spectata natura censualis contractus, esse quodammodò gratiam, si apponatur pactum admittendi redemptionem. Quintò, Census irredimibilis emitur simpliciori contractu, & magis remoto à suspicione vsuræ quàm redimibilis, vbi intercedit pactum retrouendendi; ergo eo ipso magis licitus ceteris paribus, quo irredimibilis est.

DICO TERTIO. Licet etiam constituere reditum personalem perpetuum & irredimibilem, est enim eadem ratio quoad istud realis & personalis, vt benè ostendit Conradus. Sicuti enim emptor est quodammodò perpetuus in suis heredibus, ita & venditor potest esse perpetuus in suis.

Quæres, An Pius V. abrogauerit reditus irredimibiles, quando statuit, non obstantibus quibuscumque pactis, posse reditum redimi eo pretio quo emptus fuerit.

Respondeo; Molina disput. 391. clausula 9. docet, non abrogasse: probabile enim existimat, Pontificem, præsertim in illa clausula, solùm loqui de censu redimibili, & generatim voluisse statuere, quòd redimibilis debeat sic posse redimi, non autem quòd etiam irredimibilis sic possit redimi.

*Obiect.1.* Obijcitur contra census irredimibiles, quòd iniquiores ij sint vsuris; ab his enim debitor se expediat aliquando, ab istis numquam potest.

*Resp.* Respondeo, Nullius momenti esse hanc obiectionem. Sicut enim venditor perpetuò sese subijcit oneri pendendi reditus, ita vicissim emptor perpetuò sese abdicat iusto pretio talis iuris quod sibi comparat, ideoque non maior hîc querela est quàm in venditione agri.

*Obiect.2.* Obijcitur Secundò, Reditus perpetui irredimibilis nullum posse esse iustum pretium; si enim reditus centum florenorum ad viginti annos, valeat verbi gratia mille florenis, ad quadraginta annos valebit bis mille; ergo ad infinitum tempus valebit infinito pretio.

*Resp.* Respondeo in primis, Reditum non dici perpetuum



petuum quòd verè perpetuus sit futurus, quia saltem terminatur cum mundo qui non est futurus perpetuus. Secundò, Verum non est, cum tempore duplicato semper duplicari posse pretium census. Tertiò, Etiamsi hoc verum esset de tempore vtcumque instanti, verum tamen non erit de multùm distanti: quò enim pensio diutiùs differenda est, eò minoris fit ius ad eam, præcipuè si videat emptor se illo tempore non victurum, eoque fit vt paulatim secundùm proportionem diminuta æstimatione, non magnifiat pensio recipienda post centum annos. Denique si quid eiusmodi argumentum valeret, etiam concluderet, non posse esse proportionem inter annuam pensionem qua conducitur fundus, & pretium quo emitur, vt frequenter in talibus vrget Conradus.

## DVBIVM X.

### *Vtrùm liciti sint Census redimibiles?*

INDICAVIMVS suprà, reditum redimibilem videri plus habere difficultatis quàm habeat irredimibilis, propter pactum retrouendendi; attamen ex alio capite irredimibilis plus habet difficultatis: cùm enim reditum vendere soleant pauperiores, pactum redimendi, quando volet venditor, pium censetur, vtpote eum subleuans, cuius (tamquam miseriordis) grauamen maximè auertendum.

*Reditus redimibiles licitus.* DICO itaque PRIMO. Reditus licitè emitur ac venditur ea lege vt eum redimat vbi voluerit venditor. Probatur Primò ex Scriptura sacra, Leuit. 25. vbi statuitur, eum qui domum vendiderit in ciuitate, posse eam redimere intra annum; itaque pactum redimendi emptioni domus appositum, ex natura rei non est iniquum; ergo neq; appositum emptioni reditus. Secundò probatur ex Iure Canonico: Martinus enim V. & Callistus III. eiusmodi censuum approbarunt emptionem in sæpè citatis Extrauagantibus, vt sine temeritate nunc eam nemo damnare possit. Tertiò patet ex dictis De emptione Dub. 16.

DICO SECVNDO. Eadem est ratio si paciscatur venditor quòd poterit redimere certo tempore, aut si emptor speret quòd venditor breuì redimet. Quamuis quidam notent, è quibus Petrus de Aliaco, non posse emptorem intendere hanc redemptionem vt ita sortem cum lucro recuperet. Verùm istud emptori licere, rectè ostendit Conradus q. 82. ex similitudine aliarum mercium, quas simili spe liceret coëmere.

Extendenda est etiam assertio, vt in ipso contractu liceat pactum retrouenditionis in fauorem venditoris apponere, quamuis quidam voluerint, hoc posteà seorsim debere apponi.

## DVBIVM XI.

### *Vtrùm licitus sit Census vtrimq; redimibilis, aut cum pacto redimendi quando voluerit emptor?*

QVAMVIS eiusmodi modus contrahendi periculum & speciem vsuræ præ se ferat, eoque meritò à Pontificibus reprobatus; de rigore tamen Scholastico, vbi simplex contrahentium fuerit intentio, manendo in solo iure naturæ, in foro conscientiæ, vbi præsumptio cessat, vterque licitus erit, quamuis omnino dissuadendus. Huius sententiæ grauissimi sunt auctores, Conradus q. 84. conclus. 5. §. Circa, & seqq. Medina C. De vsuris, q. vlt. §. Quibus non obstantibus; Valentia, & alij. Probari autem posse videtur hac ratione: Non magis repugnat iustæ emptioni pactum retrouendendi ad libitum & in fauorem emptoris, quàm appositum pactum redimendi in fauorem venditoris, quod licere iam suprà ostendimus; neque iterùm vnum necessariò elidit alterum. Sicuti ergo potest census emi omnino irredimibilis, ita etiam potest emi cum pacto redimendi in fauorem venditoris, (qui modus per Pontifices & quotidianum vsum probatus est) vel cum pacto redimendi in fauorem solius emptoris, vel in fauorem vtriusque, retentis semper fructibus ab emptore tamquam verè prouenientibus ex sua merce.

*Reditus cum pacto redimendi licitus.*

Illud tamen Notandum est, Pretium debere secundùm hæc pacta variari; verbi gratia, si reditus vnius floreni irredimibilis & perpetuus ematur viginti quatuor, vbi simplicissima est emptio, & iustum, vt suppono, pretium, reditus redimibilis in fauorem venditoris vendetur sedecim florenis, octo iam subductis pro grauamine retrouenditionis quod imponitur emptori. Redimibilis autem in fauorem solius emptoris, pluris emetur quàm omnino irredimibilis, quia præterquam quòd valeat emptori quantum irredimibilis, insuper vtilem ei habet obligationem quòd redimetur quando ipse volet. Vnde pretium talis census deberet esse ferè viginti octo florenorum in singulos.

Notandum Secundò, Emptorem in redemptione census irredimibilis à se permissa, posse recipere idem pretium quod dedit, quia reuerà reuendit census secundùm æstimationem quam habet vt irredimibilis, quomodo valet viginti-quatuor in singula, & relaxat seruitutem pro suo placito retrouendendi eidem, quæ etiam suam æstimationem habet. Accedit quòd virtute pactus sit rescissionem contractus, vt meritò vel hac via totum pretium recuperet, commoditatibus pretij cum fructibus mercis compensatis.

Contra hanc nostram responsionem tenet Sotus lib. 6. q. 5 art. 3. conclus. 1. & alij quidam, pro quibus licet obijcere; Si emas reditum cum pacto quòd eidem reuendes recuperato quod dedisti pretio, non tam est emptio quàm verum mutuum; quare si fructus non es deducturus in sortem, quos interim ex reditu percepisti, verè admittis vsuram.

Respondeo, Hîc non esse mutuum; non enim sufficit ad mutuum, quòd ex pacto pecunia redeat ad eum qui dedit, sed requiritur vt immediatè redeat, vigore vnius simplicis contractus pro pecunia quæ data est tamquam mutuas eius vices repræsentans: in proposito autem datur tamquam iustum pretium census in prima emptione, & virtute istius contractus pecunia non redit, sed recipitur denuò ab emptore in secunda venditione, in qua ipse factus est venditor: recipitur inquam non simplici redditione, vt fit in mutuo, sed vt pretium, idque non primæ, sed secundæ venditionis, vbi clarum est longè hoc abesse à natura mutui.

Obijcitur Secundò, Esto sit vera emptio, nō tamen est iusta; quia valdè iniquè grauatur vēditor.

Respon-

*Resp.* Respondeo, Grauamen hoc compensari augmento pretij, vt dictum est.

*Obiect. 3.* Objicitur Tertio, Esto etiam pretium iustú sit, manet tamen scandalum, species mali, & latibulum præbetur cuiuis vsurario: cùm enim census aliquid odij contrahant ex affinitate cum vsuris, maxima apparet cum mutuo vsurario affinitas, quãdo ex pacto sors redit ad arbitrium emptoris.

*Resp.* Respondeo, Eiusmodi argumento non effici quòd secluso scandalo & exclusa præsumptione vsuræ de rigore non liceat ita contrahere, quamuis satis probetur quod in responsione asserimus, talem contractum esse dissuadendum, & de eius iustitia aut permissione coram filiis huius sæculi silendum, vt benè monuit Conradus.

Ex dictis hoc Dub. & sup. quando De emptione & venditione Dub. 16. pulchra resolutio haberi potest dubij quotidiani de praxi, qua accipiens ab aliquo pecuniam, se obligat mutuo contractu ad eius placitum eam restituere, & interea dum non repetit, soluere ad ratam reditus perpetui redimibilis nummo decimosexto. Hoc enim ab vsura excusari non potest; quia vt alia dissimulemus, deberet saltem, manendo in Iure naturæ, deduci æstimatio oneris, quod accipiens pecuniam subit, quando ad placitum emptoris se obligat ad restitutionem sortis reditus personalis, quod onus ferè ad tertiam partem reditus communis perpetui redimibilis æstimari possit, ita vt verbi gratia loco sex tãtùm quatuor aut circiter recipi possint. Hæc dicta sint manendo in Iure naturæ, quia in Concilio Prouinciali Mechlinien. 1. tit. De vsuris, absolutè videtur eiusmodi praxis damnari, quando dicit, *Quoniam vsura Iure diuino & Canonico omnibus Christianis sub pœna peccati mortalis interdicitur, neque facienda sunt mala vt eueniant bona; Synodus statuit & ordinat, ne quis tutor aut curator sub prætextu augmentandi patrimonij pupillorum, aut sub eorum curatela existentium, pecunias illorum sub certo lucro singulis annis vltra sortem recipiendo mutuò dent, retenta facultate repetendæ sortis, quando ad maiorem ætatem peruenerint, aut matrimonium contraxerint, aut aliàs ad illorum voluntatem & arbitrium; declarando omnes huiusmodi contractus vsurarios: & contrà, vt præmittitur, mutuantes, tamquam contra vsurarios ad pœnas Iuris procedendum.*

## DVBIVM XII.

*Vtrùm liceat emere Censum, ea lege apposita, vt non redimatur, nisi maiori aliquo pretio quàm emptus est?*

Respondeo, Hoc prohibitum esse à Pio V. & hîc in Belgo à Carolo V. Manendo tamen in Iure naturæ,

Dico primo. Etiamsi certò putetur, tempore redemptionis reditus fore cariores, quia cùm nunc pauci quærunt, tunc multi desiderabunt eos emere, si non sit pretium Lege præscriptum quod venditori non liceat excedere, licebit pacisci emptori quòd non redimatur nisi pretio tempore redemptionis currente: debebit tamen propter hoc onus impositum, emptor nonnihil ascendere in pretio; augmentum enim pretij futurum, vulgare pretium, quando passim præscitur, augere solet. Ita ferè Molina disp. 391. clausula 9.

Dico secvndo. Propter speciem mali abstinendum esse ab eiusmodi pacto. Ita Conradus quæst. 83. conclus. 4.

Dico tertio. Si certum sit, non valiturum reditum plus tempore redemptionis, & aliud non concurrat, non licet eiusmodi pactum apponere, etiamsi emptor pretium reditus irredimibilis persoluerit.

Dico qvarto. Qui reditum emit irredimibilem certo pretio iusto, ex natura rei potest postea plus exigere si patiatur redimi. Licet enim rem cariùs eidem reuendere intra limites iusti, aut ita fortè postulante retrouendentis interesse.

Dico, *ex natura rei*; quia Ius positiuum Pij V. fortè videbitur cuipiam obstare, quò minùs etiam irredimibilis pluris reuendi possit quàm emptus sit, quasi Constitutio Pontificis afficiat generatim modum redemptionis, vt non possit pluris reuendi. Est tamen, vt suprà diximus, verius, hanc partem Constitutionis Pontificiæ procedere solùm de censu redimibili, quidquid alij nonnulli senserint.

## DVBIVM XIII.

*Vtrùm censuali contractui possit apponi pactum quòd redimetur Census eadem moneta?*

Respondeo, Etiam hoc iniquum esse, quando in alterius partis, præcipuè venditoris cedit grauamen. Et quidem in emptoris grauamen erit, quando probabilius est, tempore redemptionis monetam fore minoris valoris legitimi; in venditoris autem, quando putatur futura maioris.

Si tamen vt censum emas rogeris, & præscias pecuniæ legitimum pretium breuî auctum iri, & in illud tempus monetam hanc eras seruaturus, potes, quantum est ex Lege naturæ, stipulari redemptionem adstrictam ad valorem, numerum, & monetam, prout nunc soluis, quasi pro interesse lucri cessantis. Eadem erit ratio alterius interesse si quod fortè subfuerit, quo hæc inæqualitas compensetur; verbi gratia, si pretium sufficiat pro reditu irredimibili, & tanti interfit emptoris ne redimatur, quanti interest venditoris, redimere moneta currente, poterit emptor pacisci redemptionem eiusdem monetæ; non tamen idcircò potent obligare ad redimendum, & simul ad redimendum eadem moneta, hoc enim cederet in duplex onus venditoris. *Quomodo liceat.*

Idem dixero, si æquè sit incertum, sitne minuendus valor, an augendus: non enim erit inæqualitas, quando vtrimque periculum spe compensatur. In hac tamen re consulendæ Leges Prouinciæ; nam in Belgio Lex fauet venditori, vt redimere possit moneta currenti, quod etiam alibi vsu communi & praxi receptum omnino rationi & Iuri communi esse consentaneum, etiam vitiata conditione contrarij pacti, ostendit Rodericus, lib. 2. quæst. 15. numero 92.

## DVBIVM XIV.

*Vtrùm conditiones aliæ quæ in censualibus contractibus apponi solent, sint licitæ?*

Eiusmodi conditiones & pacta varia sunt; præcipua proponemus. Primum sit, de quo peculiariter Conradus quæst. 85. quo emptor obliget venditorem ad certam sibi pœnam soluendam, nisi pensionem reddiderit tempore suo. Istud pactum non videtur de se esse illicitum, & vsurpatur in censibus quos heriles vocant. Conditiones tamen quædam ad iustitiam eius sunt necessariæ. Vna generalis est, Ne fortè Lege positiua sit prohibitum, prout Pium V. prohibuisse constat. Altera, Ne redituarius malit captare pœnam, quàm tempestiuè sibi satisfieri; alioqui enim potiùs pro auaritia, quàm pro indemnitate sua videbitur egisse. Tertia, Ne pœna exorbiter, aut citra culpam, vel pro exigua mora exigatur; nisi fortè quantum postulauerit iustum interesse: similia enim de pœna conuentionali in mutuo diximus Dub. 15. De mutuo.

Secundum pactum est, Quòd res censualis cadet in commissum, censu non persoluto. Hæc exorbitans pœna est, adeoque iniusta, quamuis neque contra substantiam, neque contra naturam sit contractus censualis, sed præter naturam, & de naturalibus contractus emphyteutici. Itaque merito amouetur à contractu censuali per Bullam Pij V. & generatim interdicitur in pignoribus Iure communi, cap. Significante, De pignoribus. Quod extende ad pactum, quo res censualis addicta est, quasi ipsa in casu non solutionis vendita sit pro censu, aut in solutum tradita pro censibus, aut pignorata creditori in feudum vel emphyteusim.

Tertium pactú est, Quòd quando non soluerit venditor condicto tempore, emptor super re censuali procedat quatuor vicibus, & quarta vice sententiam obtineat, quòd census per singulas quatuordenas debeat in posterum duplicari vsque ad concurrentiam valoris rei censualis, quæ tum loco census liberè cedat creditori. Istud etiam illicitum est; est enim pœna immoderata.

Quartum est, Quòd pro censu non soluto, possit distrahi res censualis aut hypotheca. Illud licitum est, ita tamen vt eius executionem charitas subinde impediat, quando magna est necessitas debitoris. Requirunt etiam DD vt legitima fiat denuntiatio debitori ante distractionem: item vt distractio fiat solemniter secundùm loci consuetudinem, & quoad eius fieri potest, non infra pretium iustum, ex quo quod superest bona fide reddatur debitori, neque vmquam defectu alterius emptoris creditor rem sibi nisi publica auctoritate & æstimatione vsurpet. Ita ferè Conradus q. 86.

Quintum pactum sit, Quo emptor stipulatur de reditu sortis. Illud perpetuò tamquam contra naturam huius contractus vitiare emptionem census, vult Rodericus lib. 2. quæst. 1. numero 3. videnda tamen quæ diximus Dub. 11. & Dub. 5. conditione 11. Pij V.

Sextum, Quando emptor vel in primo vel in vltimo anno, quo fit redemptio, pacisci tur plenum canonem ante tempus. Illud prohibuit Pius V. & per se illicitum est, nisi alius titulus concurrat, puta iusti interesse, aut saltè grauamen istud venditori compensetur: imò aliquando annullare contractum censualem, docet Rodericus vbi suprà numero 9. & 15.

Septimum est, Ne per partes reditus redimatur. Hoc pactum non est illicitum, quamuis in Martini V. & Callisti III. Extrauagantibus approbetur pactum contrarium, ex quo liceat per partes redimere. Ita sentit Grassius lib. 2. cap. 118. numero 24. Rodericus lib. 1. quæst. 18. numero 35. & alij ab ipso citati. Neque debet videri hîc subesse iniquum venditoris grauamen, quia sortem integram simul tenetur emptor soluere, vt suppono: poterit ergo pacisci, quòd non nisi integra simul redibit. Vnde sequitur, reditum totum tunc habiturum cursum, etiamsi maiorem partem sortis venditor reddiderit: conditione enim non impleta, non potest venditor inuito emptore à contractus indiuidua obligatione liberari.

Petes, Quid si nihil hac de re pactú sit, an liceat tunc reditú per partes redimere inuito redituario?

Respondet Rodericus vbi suprà, numero 36. Ne quidem tunc licere, etiamsi plures fuerint debitoris heredes, aut etiam vni ex creditoris heredibus offeratur pars sua. Idem sentit Molina disp. 393. qui putat non magis contractui census redimibilis natura sua inesse vt per partes redimi possit, quàm cuilibet empticni cum pacto retrouendendi. Addit verò, iniquum fore grauamen emptoris, si cogatur citra pactum admittere redemptionem ex parte: quando enim eiusmodi pactum venditor appositum vellet, oporteret nonnihil in pretio reditus descendere, vt hoc onus emptori compensetur.

Cetertim de pluribus aliis conditionibus quæ contractum hunc censualem vitient, aut saltè in eo vitientur, consulere licet Rodericum toto lib. 2.



## DVBIVM XV.

*Quomodo liciti sint Census temporales, quando pensiones speratæ excedunt sortem?*

Reditvs temporarij alij sunt certorum annorum, alij temporis incerti, puta ad vitam hominis, qui Vitalitij dicuntur.

Dico primo. Etiamsi pensiones speratæ excedant sortem, licet nihilominùs quantum est ex natura rei, emere censum siue realem siue personalem temporalem incerti temporis. Ita ferè cõmuniter DD. quos sequitur Molina disp. 386. spes enim meru hîc compensatur, neque plus est iniustitiæ, quàm si sortem non excederent speratæ pensiones, sed planè æquales futuræ putarentur. Hinc patet, vitalitios reditus licitè emi, modò iusto pretio emantur, quod etiam solemnis Doctorum habet sententia contra Henricum à Gandauo, Goffredum & Raimundum citatos apud Rodericum lib. 1. quæst. 5. numero 4. *Reditus temporales liciti.*

*Obiect.* Si dicas ex Panormitano in cap. In ciuitate, De vsuris, Per reditum vitalitium dari occasionem captandæ mortis redituarij, aut illius ad cuius vitam emptus est;

*Resp.* Respondeo, Hoc non deberè hîc considerari; in Iure enim eius non habetur ratio, quando dispositio non est de hereditate vel omnibus bonis, sed de certis: valida enim est promissio, si promittas mihi domum tuam post mortem, vt probat multorum auctoritate Rodericus suprà.

Secundò respondeo, Hoc esse vitium vendentis, non venditionis; & ita multa alia quæ iustissima sunt, posse improbari. Ita Medina C. De vsuris, quæst. 14.

*Obiect. 2.* Objiciunt & ludi alearum prohibitionem, quasi huic ludo æquiparetur reditus vitalitij emptio aut venditio.

Verùm

*Resp.* Verùm vt hoc obtineat vbi temerè quis eiusmodi contractus iniret, non inspecta probabilitate duraturæ vitæ, manifestum est, plus in alea esse temeritatis, vanæ, & vagæ fortunæ, hîc plus prouidentiæ. Sanè in emptione iactus retis non minor est fortuna, quàm in emptione reditus vitalitij, eam tamen iura probarunt. Denique pro contractus huius iustificatione facit cap. Precariæ 10. quæst. 2. Vbi probatur contractus precarius, quo Ecclesia triplum de suis bonis concedit alicui ad vsumfructum, durante eius vita pro re propria, nunc Ecclesiæ in perpetuum tradita.

Cæterùm quod hîc dicimus de reditu temporali incerti temporis, etiam dicendum est de reditu fructuario certi temporis, & vniuersim de reditu certo quidem secundùm proportionem ad fructus annuos rei censualis, incerto autem simpliciter secundùm quantitatem; assertio enim nititur incertitudine, & parum refert verùm incertitudo proueniat ex incertitudine temporis, an ex incertitudine fructuum qui erunt certo tempore.

*Reditus ad certum tempus licitus.* Dico secvndo. Quando tempus certum est ad quod duraturus constituitur reditus realis certæ summæ pecuniariæ, videbitur licitus, modò sit duraturus saltem vltra decennium. Imò in rigore idem dixerim de personali & minori decennio, quamuis propter speciem mali illo modo non sit suadendus, hoc autem etiam dissuadendus, præcipuè vbi non fuerit consuetudo. De reali admittit Molina, sed negat de personali, vt & alij quidam. Verùm immeritò: siue enim persona, siue res obligetur, non videtur in proposito hoc morem posse mutare, nisi propter maius periculum, aut maiorem præsumptionem vsuræ. Quæ consideratio rursum nihil effecerit quoad conscientiam, vbi simplex fuerit oculus emptoris: parum namque mouet, hac via posse eum peruenire ad lucrum tale, quale alius quispiam fœnerando acciperet; qui enim rem fructiferam emeret cum pacto retrouendendi certis euolutis annis, illos fructus accipit licitè, quos mutuator ex pignore fructifero acciperet illicitè. Huius sententiæ est Conradus quæst. 80. & Medina suprà.

## DVBIVM XVI.

### *Quodnam æstimandum sit iustum Reditus pretium?*

Respondeo, Quando Lege definitum est pretium, illud omnino obtinebit, eoque neglecto, si non vsura, iniustitia saltem admittentur ab emptore. Monet tamen Nauarrus in fine commentarij cap. Si fœneraueris, Iure communi Ciuili aut Canonico non esse definitum pretium census, sed tantùm Iure particularium Regnorum.

*Quomodo æstimandi pretium reditus reseruatiui.* Quando autem definitum non est, ita æstimari poterit. In primis, reditus reseruatiuus perpetuus & irredimibilis poterit tertio alicui vendi, æstimato in hunc modum pretio, secundùm valorem fundi ex quo penditur. Si reditus sit quinquaginta florenorum annuè, & fructus fundi deductis omnibus impendiis, quotannis ascendat ad centum, fundusque vendi possit bis mille quingentis florenis, pretium reditus æstimabitur ad ratam nummi vigesimiquinti aut paulo minus, eo nimirum deducto, quòd ab alio reditu-

rius pendeat, à quo debeat expectare solutionem, neque ita pleno iure extrahat quinquaginta, sicut proprietarius reliqua quinquaginta.

Dices, Prædiorum aut domorum pretia admodum varia esse, adeò vt Couarruuias moneat, aliquando vendi nummo quinquagesimo.

Respondeo, In reditus æstimatione, etiamsi fortè super tali domo quæ ad ratam nummi quinquagesimi venderetur, reseruatus esset, non esse hanc proportionem extraordinariam spectandam, sed eam quæ communiter est in fundis simplicibus.

*Quomodo consignatiui.* Consignatiuus realis irredimibilis, vbi de nouo emi potest (nam hîc in Belgo per Legem Caroli V. non potest) eodem ferè pretio constitui & vendi poterit, quo venditur reseruatiuus, eo excepto, quòd magis obnoxius sit reductioni, neque ita stabiliter sit irredimibilis sicut reseruatiuus; hoc enim nonnihil de pretio minuet. Ita ferè Conradus quæst. 82. Consentit Rodericus lib. 1. quæst. 6. num. 19. vbi commendat modum æstimandi reditum ex collatione fundi, quem secuti sumus.

*Quomodo redimibilis.* Redimibilis longè minori pretio æstimabitur, deducto nimirum onere, quòd ad arbitrium alterius iure tuo carere debeas, & eius loco pretium recipere, quod non æquè vtiliter iterùm applicare potes. Vbi latitudinem magnam iusti pretij parit pecuniæ vsus in mercatu, adeò vt horum censuum longè minus possit esse iustum pretium, vbi mercatura viget. Hic in Belgio ferè nummo decimooctauo vel decimosexto æstimantur, in Hispanijs nummo decimoquarto. Martinus V. probat in Germania census emptos nummo decimo, vndecimo, decimotertio, decimoquarto, aut circiter. Similiter Nicolaus V. & Gregorius XIII. probarunt emptos nummo decimo in Sicilia, quo pretio etiam in Gallia emi, testatur Nauarrus in cap. Si fœneraueris, numero 104.

*Quomodo personales.* Personales perpetui redimibiles & irredimibiles debent æstimari ad mensuram similium realium, eo deducto quòd minus forte in illis erit securitatis. Vbi prudentis iudicium consulendum, & nonnulla iusti pretij latitudo admittenda.

*Quomodo temporales.* In temporalibus reditibus æstimandis peculiaris est difficultas. Sanè vitalitius ad vitam vnius, medio modo dispositi ad vitam protrahendam, poterit æstimari ad tertiam partem perpetui irredimibilis, vt colligitur ex nuper citato cap. Precariæ. Atque ita si pretium irredimibilis perpetui sint vigintiquatuor, vitalitij erunt octo, ad vitam autem duorum possunt esse decem. Ita ferè Rodericus lib. 1. quæst. 5. dicit enim vitalitium medietatem esse redimibilis perpetui, hunc aut duos trientes perpetui irredimibilis. Quando autem non ita consistit in medio apparentia longioris vitæ eius ad cuius vitam reditus sumitur, consultum videtur certos annos pro incertis præsumere ad inueniendum certum pretium; neque tamen tunc pretium debet adæquari pensionibus speratis, sed multum deducendum erit ex duplici capite: vno quòd commune est reditui cuiuis temporali, temporalitate definita, quia ferè aliquod periculum sit ne merx, id est census emptus prouentum speratum non ferat: altero hîc peculiari, quòd illa ipsa spes præsumpta de futura vita tot annorum, facilè possit fallere, eoque facilius, quò



quò plures sumuntur anni. Ex quo fit, vt numquam reditus vitalitius in pretio adæquetur perpetuo, etiamsi triginta annis putetur duratura vita designati, & perpetuus etiam irredimibilis viginti quatuor annis sortem conficiat.

## DVBIVM XVII.

### *Quid restituendum, si quis minoris iustè emerit Censum?*

*Tenetur supplere pretium.* Respondeo, Talem debere pretium reditus vsque ad iustum supplere, & sarcire interesse, quod fortè ex huiusmodi defectu passus fuerit venditor. Ad restitutionem autem partis interim receptarum pensionum non tenetur, sicuti in simili casu, qui agrum infra iustum pretium sibi comparasset, non teneretur eius fructus aut illorum partem restituere.

Excipe tamen hîc casum, quo census pretium Lege esset definitū, cum irritatione emptionis infra illud factæ; tunc enim pro rata defectus, tamquam irritæ, etiam pensiones essent restituendæ. Vbi autem Lege vel consuetudine definitum est pretium census, citra quod emi eo loci non soleat, sine irritatione vlla secùs initæ emptionis, ascendere debebit emptor vsque ad illud pretium. Vnde patet, cùm vbique ferè sic definita sint censuum pretia, non sufficere quouis loco ascendere vsque ad infimum, quod fortè alibi iustum est.

Hinc infertur, debere emptorem supplere pretium, etiamsi res censualis secundo aut tertio anno facta sit inutilis in perpetuum: perit enim domino suo census. Ita ferè tenet Medina quæst. 15. De vsuris, §. Sed pone.

*Irritam esse emptionem, probabile.* Altera tamen sententia, quæ dicit irritam esse emptionem census infra iustum pretium, valdè probabilis est cum ea moderatione quam adhibet Rodericus lib. 1. quæst. 7. numero 8. vt tamquam vsurarius irritus censeatur contractus, quando reditus multùm excedit pretium, verbi gratia si infra nummum decimum emptus sit.

## DVBIVM XVIII.

### *Vtrùm liceat minoris redimere Censum quàm emptus est?*

*Quomodo non liceat.* Dico primo. Non licere vbi viget Lex aliqua, statuens semper eodem pretio quo empti sunt census esse redimendos. Sanè Pius V. statuit, non posse cogi venditorem ad redimendum maiori pretio: vtrùm autem non possit, offerente id emptore, redimere minori, non dicit.

Dico secvndo. Vbi non obstat Lex positiua, licet minoris redimere, offerente emptore talem redemptionem, modò fiat intra latitudinem iusti pretij, quod est in ea regione tempore redemptionis. Patet, Quia censualis posset à redituario similem reditum nunc emere minoris, & cum antiquiori illo permutare.

Dico tertio. Quando pretium census tempore redemptionis minus est, non potest venditor inuito emptore pretio illo redimere censum pecuniarium redimibilem maiori emptum, etiamsi diserte non sit pactum quòd eodem pretio futurus sit redimibilis, & non minori; redimibilis enim semper intelligitur eodem pretio. Vnde etiam fit, vt aucto pretio, non possit emptor exigere maius.

Dico qvarto. Æquum est, vt per Legem fiat reductio reditus fructuarij, quando delapsu temporis fructus eiusmodi multùm in pretio aucti sunt, & ipse reditus pecuniâ emptus est, æstimato pretio quod erat tempore venditionis. Imò & irredimibiles fructuarij originaliter pecuniâ empti, ob eamdem causam meritò ad mediocritatem aliquam reducuntur, & fiunt redimibiles eodem pretio quo empti sunt. Vbi verò non esset eiusmodi per Legem facta reductio, & pactum haberet, non redimi censum vnius modij, nisi sedecim modiis, aut pretio eorum, quod erit tempore redemptionis, pactum esset seruandum; quin imò etiamsi ita solùm pactum sit, quòd redimetur sedecim modiis aut eorum valore, existimarim obligari venditorem ad pretium quod est tempore redemptionis. Denique idem dixero, etiamsi aliud cautum non sit, quàm redimibilem esse ad ratam decimæsextæ.

Hæc dicta sint satis ad mentem Nauarri in sæpè citato commentario ad cap. Si fœneraueris, quæst. 30. numero 120. quamuis Rodericus lib. 1. quæst. 12. numero 11. nonnihil dissentiat, multùm fauens venditori reditus fructuarij, quasi aucto pretio fructuum ipse censeri debeat vendidisse infra latitudinem iusti, eò quòd pretia censuum taxata & communia soleant esse extrema vilitatis, eaque taxatio fiat in gratiam venditoris.

Dico qvinto. Reditus tam pecuniarius quàm fructuarius iam priùs constitutus, minoris potest emi ab aliquo tertio quàm initio emptus est, modò ematur intra limites iusti pretij, quod est tempore secundæ emptionis.

Aduertendum tamen, hîc parere difficultatem, quòd sæpè contingat reditus pretium manere idem: quo casu nomen reditus non liceret emere minoris quàm emptus est reditus, nisi fortè emptus sit vltra pretium Lege aut consuetudine præfixum; quia æstimatio illa legitima debet accipi secundùm minimum iusti, vt benè Rodericus suprà quæst. 8. numero 19. nam vltra illud pretium licet vendere, quando potest inueniri emptor; Leges enim maximè intendunt venditori succurrere, quando pretia censuum definiunt. Quando tamen reditus non est liquidus, neque in turo collocatus, sed litigiosus, vel venditor aut res suppositæ non sunt soluendo, vel difficilis conuentionis, potest minoris emi à tertio, vt in simili de chirographis diximus, quando De venditione.

Quæres, Vtrùm eo ipso reditus non possit emi minoris à tertio, quòd iam duo poterunt pro beneplacito illum redimere, primus videlicet & secundus venditor.

Respondeo, Non esse in vsu, vt ille secundus venditor seruet ius redimendi, sed transfert totum ius quod habet, non secùs ac si prædium venderet, ideoque in hac secunda venditione est maior alienatio, & purior forma commutationis quàm in prima, vbi venditor solùm manet obligatus, donec fortem reddere velit, si tamen secundus venditor etiam sibi reseruet facultatem recuperandi reditum, videtur id grauare emptorem; quia maius est grauamen emptoris, ad plurium non subordinatorum arbitrium debere reuendere, quamuis illud nolit considerari hîc Rode-

ricus. Si enim quis ita peregrino vendat reditum, vt quocumque ciue sortem offerente teneatur ei transferre reditum, indubiè extenso illa retrouendendi seruitus pretium minuet. Verùm hæc de censibus sufficiant.

## CAPVT VI.

### *De Vectigalibus & Tributis.*

VECTIGALIA & tributa census quidam sunt Reipub. nam etiam nomen cēsus tributo commune est, vt patet Matth. 22. vt meritò post reditus de iis etiam tractandum sit, præcipuè cùm peculiares suas habeant difficultates, quibus non rarò contingat fidelium conscientias intricari.

### DVBIVM I.

### *Quid Tributum & Vectigal?*

TRIBVTVM vel de rebus ac patrimonio cuiusque exigitur: quo modo mixtum quoddam debitum est, neque omnino reale, quia onus pro tempore lapso illud soluendi non transit ad nouum possessorem; neque etiam merè personale, quia ad æstimatum patrimonium censetur, ideoque tributum rei appellari potest. Vel per capita exigitur, quod capitis tributum dicitur, quale erat illud duarum drachmarum argenti, quod Iudæi tempore Christi Imperatori soluebant, & ipse Dominus persoluit pro se & Petro statere vno, valente quatuor drachmas argenti, id est vno florenō. *Tributum rei. Tributum capitis.*

Quamuis autem tributi generali nomine etiam vectigalia comprehendantur, quomodo tributum illud esse dixeris, quod in vsum Reipublicæ publica auctoritate præscriptum exigitur & tribuitur; propriè tamen significat illud tributum rei quod diximus, aut capitis, & vectigal propriè dicitur, quod soluitur ex rebus & mercibus, quæ de vno loco in alium vehuntur, ratione loci publici, vnde, per quem, aut ad quem deferuntur; quomodo has voces Apostolus distinctè posuit ad Rom. 13. *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* *Vectigal.*

Tributum ergo propriè dictum erit, quod non ex liberalitate, sed iniunctum publica auctoritate soluitur, non ratione alicuius rei motæ aut transuectæ, vel ob transitum, vel venditionem, vel alium contractum aut actum. Quomodo autem à tributo distinguatur munus, angaria, parangaria, gabella, portorium, pedagium, guidagium, tallia, collecta, præstantia, videri potest apud Siluestrum verbo Gabella 1. & Molinam disp. 661. & sequenti.

Munus est, quando loco tributi non exigitur res danda, sed munus obeundum. Quod vel personale est, vt quando sine suo sumptu vasallus Principi adesse debet: vel reale, vt quando ei adesse debet per alium suo sumptu: vel mixtum, quando & proprio sumptu & personaliter adesse debet. *Munus.*

Angaria & Parangaria videntur fuisse munera personalia aliquid vehendi, præsertim in transitu exercitus, quomodo milites Simonem angariauerunt. Angaria autem dicitur, quando propriis sumptibus obsequia ista quis præstat: parangaria quando alienis, secundùm Glossam in cap. Non minùs, De immunitate Ecclesiarum: quamuis inuerso modo angaria dicatur Molinæ, quando alienis; parangaria, quando propriis sumptibus præstantur. *Angaria. Parāgaria.*

Gabella sæpè idem quod vectigal presse sumptum, quamuis subinde generaliùs accipiatur. *Gabella.*

Portorium aut Pedagium propriè est vectigal ex rebus quæ inferuntur aut efferuntur aut transuehuntur. *Portorium. Pedagium.*

Guidagium, quod pro ducatu aut protectione in transitu exigitur. *Guidagii.*

Tallia, Collecta, Præstantia aut Impositio apud Siluestrum eadem sunt, & significant quod Princeps exigit pro rata substantiæ cuiusque. Verùm neque in his qualibuscumque vocibus magna vis ponenda est, cùm earum proprietas non vsqueadeò curæ sit vel ijs ipsis scriptoribus qui eis vtuntur. *Tallia. Collecta. Præstantia. Impositio.*

### DVBIVM II.

### *Quænam sint conditiones iusti Tributi?*

SECVNDVM quatuor causarum genera quatuor conditiones sunt iusti tributi. Prima ex parte efficientis, vt tributum non imponat, nisi qui legitimam eius imponendi habuerit potestatem: secùs enim faciens, etiamsi solis subditis suis & non exemptis imponat, non solùm mortaliter peccat, sed excommunicatur per Bullam Cœnæ, & cap. Innouamus, De censibus, & cap. Si quis Romipetas 34. quæst. 3. *Prima ex parte efficientis.*

Secunda est ex parte finis; census enim ignorantiæ, id est cuius causa ignoratur non debetur, vt dicitur in cap. Peruenit, De censibus. Debet enim tributum imponi in vsum cōgruum sustentationis Principis aut supremæ Potestatis: nam Principes, vt dicit Apostolus, in hoc ipsum seruiunt (Rom. 13.) vt tamquam Dei ministri iustitiam administrent, eorumq; prouidentia Respub. eiusque singuli ciues in pace conseruentur, *& ideò*, inquit, *tributa præstatis*. Alter legitimus finis indicendi aut augendi tributum est, quando Reipublicæ videtur imminere vis maior, aut publica aliqua necessitas, vel magna vtilitas extraordinaria id postulat, verbi gratia, si bellū defendendum aut inferendum sit. Ad hanc conditionem etiam pertinet legitimus tributi vsus, qui duobus constat capitibus; ne videlicet diuturnior aut maior sit exactio quàm causa aut dictus legitimus finis postulet, pro quo facit cap. Cùm Apostolus, De censibus; néve in alienos vsus iam recepta tributa expendantur, alioqui enim ex hac parte iam verè finis legitimus cessat. *Secunda, ratione finis.*

Tertia conditio est ex parte formæ: sicuti enim secunda conducit ad seruandam Iustitiam commutatiuam, vt seruetur æqualitas inter præstita & debita Principi, ita hæc tertia faciet ad seruandam Iustitiam distributiuam inter ipsos contribuentes, ne vnus grauetur præ alio, sed quisque pro rata facultatis suæ. *Tertia, ratione formæ.*

Quarta est ex parte materiæ super qua tributum imponitur: nisi enim eius ratio habeatur, facilè continget grauari non subditos contra Iustitiam commutatiuam, aut subditos contra distributiuam, si nimirum in rebus iis tributum imponatur, quibus soli pauperes vtantur. *Quarta, ratione materiæ.*

DV-



### DVBIVM III.

### *Quis habeat legitimam potestatem imponendi Tributa?*

RESPONDEO; Resolutionem aliquam huius Dubij habemus cap. Super quibusdam, De verborum significatione, vbi ita Innocentius III. *Auctoritate Apostolica duximus declarandum, illa esse pedagia, salinaria, guidagia interdicta, quæ non apparent Imperatorum vel Regum vel Lateranensis Concilij largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine à tempore, cuius non exstat memoria introducta.* Verùm pro maiori explicatione,

DICO PRIMO. Omnes etiam soli illi directè & proprio Iure citra præscriptionis subsidium possunt indicere suis subditis noua tributa aut vectigalia, qui habent ius summi Principatus, adeoque superiorem in temporalibus non agnoscunt. Tales sunt Imperator, moneris ferè hodie Reges, multi etiam Duces, nonnulli Comites, item Respublicæ liberæ, Pontifex in statu Ecclesiastico, seu dominio temporali Ecclesiæ Romanæ. *Principes summi.*

Ratio est, Quia in summos hos Principes aut Magistratus Respub. transtulit sui regendæ potestatem, sese obligans tacitè ad necessaria ista subsidia eis suppeditanda pro munere quod suscipiunt: inferioribus autem dominis, qui non à populo, sed à supremis Potestatibus constituuntur, non debet populus subsidia, sed Principes supremi, qui eis imponunt partem sui oneris, statuere possunt vt etiam partem sui percipiant emolumenti.

DICO SECVNDO. Indirectè possunt indicere tributa ex magna aliqua necessitate Reipublicæ Christianæ Papa & Oecumenicum Concilium. Suppono enim ex alibi dictis, Papam supremam habere in Ecclesia potestatem, vt sit supra Concilium, & sine ipso tamquam capite comprehenso, Concilium non habere summam auctoritatem, sed solùm ipso per se vel per suos legatos præsidente & dirigente. Concilium autem habere hanc potestatem, videtur indicari dicto cap. Super quibusdam. Est tamen nonnulla inter DD. diuersitas, quid illo cap. dicatur Concilium Lateranense potestatis exercuisse circa tributa, vtrùm dicatur imposuisse aliqua tributa, vt inde habeamus hoc posse quoduis Concilium generale, vt videtur intellexisse Panormitanus, & dicit esse communem Molina; an verò solùm dicatur Concilium concessisse, non autem indixisse tributa. Concedere autem potest Concilium aut Papa potestatem imponendi tributa varijs modis. Primò, Concedendo vt ex locis Ecclesiæ temporaliter subiectis, Principes quibus ea dantur in feudum, accipiant tributum. Secundò, Tribuendo alicui ius supremi domini), aut constituendo vt sine Imperatoris consensu Rex aliquis suis possit indicere tributum. Hostiensis enim, pro quo etiam argumentatur Panormitanus suprà citatus, putat Reges hoc regulariter non posse sine consensu Imperatoris, eò quòd Leges ius omne illud imponendi, augendi, minuendi vectigalia, Augusto reseruent, L. Vectigalia, ff. De publicanis & vectigalibus, hoc etiam modo Concilium posse concedere potestatem imponendi vectigalia, certum est ex cap. Per venerabilem, Qui filij sint legitimi, adiuncta Glossa eiusdem cap. Tertiò, Largitione sua potest intelligi Concilium concedere facultatem imponendi tributa, quando declarat quibus modis ea iustè imponantur, & quibus iniustè; & secundùm hunc modum probabiliter intelligetur hoc cap. Super quibusdā, vt solùm significet illa pedagia esse interdicta, quæ secundùm c. Innouamus, De censibus, quod est Concilij Lateranensis sub Alexandro III. ordine 22. in prima parte, non sunt concessa vel licita. Secundùm hunc intellectum cap. istud nihil dicit singulare pro auctoritate Concilij in indicendis tributis, sed virtute dicit sola tributa per Reges aut supremos Principes imposita vel concessa esse licita, ad eum modum, quo id assertione nostra prima diximus; neque aliam aut maiorem Concilijs hîc auctoritatem tribuet Innocentius, quàm ipse vel illa ipsa Constitutione exerceat: quando enim vertitur præiudicium animæ, moneris Pontificij est pronuntiare quid licitum quid ve illicitum. Fortè tamen Innocentius plus voluit, quando largitionis voce vtitur: quamuis solum cap. Innouamus, ad marginem notetur; fortè enim ad ea respexit quæ Alexander III. consentiente Concilio Lateranensi de tallijs Episcoporum & Archidiaconorum statuisse legitur in Constitutionibus eiusdem Concilij parte 2. *Papa & Concilium.*

Quæres, Quam potestatē habeat Episcopus in collectis indicēdis Clero aut populo sibi subiecto. *An possint Episcopi.*

Respondeo, Extra euidentem necessitatem Episcopi non possunt facere exactiones insolitas, cap. Quia cognouimus 10. q. 3. c. Seruitium 18. q. 2. c. Cùm Apostolus, De censibus, §. Prohibemus. In necessitate tamen, vt ibidem dicitur, manifesta, possunt cum charitate Episcopi moderatum à subditis auxilium postulare; imò vt ibi dicit Panormitanus, etiam ad illud cogere.

DICO TERTIO. Etiam Proregis auctoritas potest sufficere in tributi indictione. Graffius lib. 2. cap. 135. num. 14. *Proreges.*

DICO QVARTO. Collectas facere possunt ciuitates Principi subiectæ vt instaurent mœnia, portas, turres, pontes, ex solo ciuium consensu communi. Ita Molina, Graffius, & alij. Videndum tamen, ne ciues ad consensum inuiti cogantur, & inuoluantur exempti, peregrini, & extranei qui ciuitati non subsunt, aut non consenserunt per se, vel legitimè aliorum consensu comprehensi. Principis tamen erit dispicere, an fortè non nimiùm talibus oneribus grauentur sui subditi. *Ciuitates.*

DICO QVINTO. Præscriptione temporis immemorabilis potest quis habere potestatem indicendi tributa. Patet ex dicto cap. Super quibusdam. Sic existimat quidam, Reges multos, quoad istud, se exemisse à potestate Imperatoris, aut Regum Romanorum, quos solos intelligunt nomine Regum in dicto cap. Ita Siluester verbo Gabella 2. q. 1. num. 2. & fauet L. Vectigalia, ff. De publicanis & vectigalibus. Ita etiam quædam ciuitates Principibus subiectæ hoc in Italia præscripserunt, teste eodem Siluestro.

Sed quæres, An hæc præscriptio semper fieri possit?

Respondeo, In vectigalibus quæ dantur in merum signum recognitionis superioritatis, non habet locum præscriptio inferioris contra superiorem.

riorem. Patet ex dictis Dub. 7. De præscriptione.

Quæres Secundò, Vtrùm fieri non possit hæc præscriptio in alijs, nisi tempore immemoriali?

Respondeo, etiam cum titulo fieri non posse contra Principem. Ita Molina disp. 75. & 666. & fauet dictum cap. Super quibusdam. Sed contra alium ius istud potest præscribi minori tempore, vt dicit Panorm. in cap. Innouamus, De censibus.

Quæres Tertiò, Vtrùm sicuti consuetudine præscribitur ius recipiendi, ita etiam indicendi tributum per dictam Decretalem Super quibusdam. Castro enim De lege pœnali lib. 1. cap. 11. reprehendit Medinam, quòd ad vtrumque eam extenderit.

Respondeo, Decretalē apertiùs quidem loqui de receptione; sed verisimile est, etiam ex ea colligi, quod vult Medina, de indictione: vox enim *introducta*, ita potest accipi, vt etiam illa tributa consuetudine dicantur introducta, quorum indicendorum consuetudo est. Illud extra controuersiam est, quidquid sit de hoc capitulo, etiam ius indicendi noui tributi posse consuetudine præscribi, quamuis contradicat Castro, & verum sit, ex iure exigendi vetus tributum non posse quem sibi vindicare ius inditendi tributum nouum, vel augendi vetus, vt benè obseruat Molina

Neque rectè objcitur cap. Innouamus, quasi eo negetur, consuetudine posse præscribi ius indicendi nouum tributum, quando ea interdicuntur quæ sine consensu Regum & Principum indicuntur: non enim censetur sine consensu Principis indictum, quod ab eo indicitur qui hac in parte præscripsit ius Principis; nam etiam ipse Principis nomine intelligendus erit.

## DVBIVM IV.

### *Quænam sit legitima caussa indicendi Tributum?*

*Iusta caussa necessaria.*

Dico primo. Adeò necessaria est ad exactionem iusti tributi iusta caussa, vt ea nequeat suppleri, aut eius defectus excusari vlla præscriptione consuetudinis immemorialis, sicuti suppleri posse defectum potestatis, superiori Dubio diximus. Ratio est, quia in tributi iusta exactione & pensione intercedit quasi contractus quidam Do vt facias. Quamuis autem consuetudine præscribi possit, vt Respublica teneatur cum hoc aut illo eiusmodi contractum inire; præscribi tamen non potest ab eo qui accipit, ne teneatur id facere pro quo faciendo vt accipiat, præscripsit. Neque enim si teneat à te emere, propterea teneor donare aut emere pretio quod iustum excedat. Ita sentit Petrus Nauarra lib. 3. c. 1. num. 257. quamuis Ioannes Medina, De restitutione q. 13. in gabellis veteribus, de quarum initio nulla est memoria, existimet non esse curandum, quam ob caussam fuerint impositæ: esse enim præsumendum pro recipientibus, siue caussa cessauerit, siue non. Prouenit hæc opinio ex non satis obseruata quadam distinctione propriè dictorum tributorum à bonis immobilibus ab initio coronæ à populo attributis; nam in ea qualitate, etiamsi alia caussa non subsit, potest quid præscribi. Vectigalia autem quæ non æquè naturaliter debentur Principi ac prædia ista, sed quasi accessorio contractu, quando caussæ obsistit ignorantia, initij sui obliuione non præscribuntur. Vrget eiusmodi distinctionem Nauarrus in cap. Fraternitas 12. quæst. 2. numero 48. in fine.

*Bonum publicum.*

Dico secvndo. Vnica est iusta caussa imponendi tributi, nimirum bonum publicum, id est, vtilitas vel necessitas publica, cui non sufficiat, quod aliàs in eum finem Principi deputatum est. Ita communiter DD. Caietanus verbo Vectigalia, Driedo lib. 2. De libertate Christiana, c. 2. §. 9. Quando enim Principes in alium vsum vel ea exigunt, vel conuertunt, quod suum non est vsurpant, adeoque restituere tenentur: neque enim propter Regem populus, sed propter populum Rex est; neque potest subditorum bona, sua existimare, sicuti qui despoticum habent dominium, seruorum bona in sua lucra iustè conuertunt, vt ex sententia omnium D D. benè Driedo, & patet Michææ 3. & ex illis quæ diximus 1.2.q 90.art.2. Dub. 3. Itaque quod 1. Regum 8. dicitur, *Hoc erit ius regis, agros vestros, &c. tollet, & dabit seruis suis*, ita accipiendum est, vt ius Regis idem sit quod iudicium vel statutum Regis, vt non sit concessio Iuris habendi à Rege, sed prædictio iniuriæ à Rege stultè à populo expetito inferendæ.

Hîc aduertendum est, interdum initio iusta quidem de caussa imponi tributum, sed ea vel omnino vel magna ex parte cessante, iniustè totum triburum continuari: quamuis etiam contingat, videri caussam cessare, vbi non cessat; vt si hostes recesserunt, sed putentur redituri, & contra eorum consilia oporteat Rempub. munire; aut si putetur Princeps accipere hoc tributum, vt piratas quosdam debellet, quod accipit pro perpetua maris custodia, ne his pulsis noui piratæ venire audeant; aut si cesset quidem ipsa quę fuit, sed succedit alia non minùs prægnans, ob quam esset imponendum nouum tributum.

Dico tertio. Satis ob publicum bonum penditur tributum, quando impenditur necessariæ & congruæ sustentationi status Principalis. In hoc satis conueniunt DD.

Sed quærunt, Vtrùm Principi, qui fortè sua culpa in necessitatem incidit, populus tributa debeat, quibus statum instauret?

Respondeo, Debere populum etiam illo casu pro circumstantiarum concursu iuuare Principem, ne media desint congrua & necessaria: Principis autem fuerit, ex iustitiæ obligatione abstinere ab inutili consumptione bonorum coronæ, quæ publicis vsibus destinata sunt, quando ijs absumptis grauantur subditi nouo tributo: item quantum commodè potest, curare, vt possit sarcire subditis damnum duplicati tributi, verbi gratia, relaxando postmodum etiam ordinariam Ducatus sui annonam, quando parsimonia stabilitus, rerum id ferat felicior status. Ita Molina disp. 667. & est argumentum ex cap. 5. Nehemiæ.

Quæres Secundò, Vtrùm Princeps vectigal accipiens pro tuendis itineribus, eaque infesta relinquens, tutus sit in conscientia, proponendo, & suo tempore faciendo restitutionem & integram reparationem damni quod ex neglecta ista custodia priuatis euenerit?

Medina



Medina q. 14. De restit. §. Posse igitur, existimat esse tutum, eò quòd accipiens eiusmodi vectigal solùm sub distinctione obligetur, vel arcere prædonum iniuriam, vel damnum per eos illatum sarcire. Verùm vt omittam, sæpè per latrones damna inferri personalia in vita aut corpore itinerantium, quæ Princeps sarcire non potest; non sufficit ad vitandum peccatum, omnia hîc damna sarcire, sed ex contractu tenetur Princeps auertere ne sarcienda inferantur, & ad illata reparāda, quæ impedire potuit, tenetur ex delicto. Hoc manifestum est quia iusta alioqui deerit caussa tributi; non enim ea est vt damna inde sarciantur, sed vt auertantur. Vnde consequens est, Principem negligentem non solùm hoc casu teneri ad damna, sed etiam ad restituenda accepta tributa, vt benè Petrus Nauarra suprà num. 255. Secùs dicendum, quando præter intentionem, ex culpa tamen notabili, Rex negligit ad breuissimum tempus defendere itinera; tunc enim sufficit restituere damna, & potest retinere tributa, vt indicat Siluester verbo Gabella 3. nu. 6.

Quæres Tertiò, Quid si Princeps leuissimam solùm culpam admiserit, illud negligendo ob quod præstantur tributa?

Respondeo, De leuissima culpa non teneri, quia contractus vtrique parti est vtilis.

*Quando licet fraudare tributum.*

Dico qvarto. Quando certa est iniustitia caussæ ob quam tributum exigitur, licitè potest quiuis illud fraudare secluso scandalo. Est communis DD. Aduerte tamen, caussam cuius iustitia iustificet, & iniustitia iniustum & refragabile reddat tributum, debere sumi finem exactionis, non autem exigentis: fieri enim potest, vt Rex ex odio iniusto iustam ob caussam indicat tributum, quod tunc subditus tenebitur soluere, etiamsi constiterit ei de iniusto illo fine indicentis, quia finis ille accidentarius non proponitur subdito per Legem tributi.

Dico qvinto. Quando caussæ iustitia est ita dubia, vt pro ea probabiliter se resoluere Princeps non possit, peccat noui vectigalis indictione; & satis probabilis multorum sententia habet, eo casu subditos non teneri soluere. Principis tamen minister, qui ad hoc à domino suo compellitur, in eiusmodi dubio potest exigere. Tota ferè huius assērti ratio ex Iuris Regula petitur, quæ in dubio meliorem facit conditionem possidentis; præsumptio enim est contra tributa, præsertim noua, cap. Quamquam, De censibus, in 6. C. Vectigalia noua instituī non posse, per totum Titulum. Quando tamen subditus dubitat solùm negatiuè, non habens pro iniustitia tributi vllam probabilem rationem, credo præsumi posse pro Principe, & in conscientia ipsum subditum teneri: negatiuè autem dubitans Princeps, & non habens probabilem rationem pro iustitia tributi, indubiè peccat imponendo. Attamen sicuti militem, ita & exactorem potest excusare ordo seruiendi in caussa dubia, vt habemus ex D. Augustini lib. 22. contra Faustum 23. q. 1. cap. Quid culpatur. Non tamen sunt excusandi exactores, qui sponte suscipiunt eiusmodi officium, aut non curant inquirere de iustitia tributi, dubio iam exorto, vt benè Siluester suprà.

Dico sexto. Si vtrumque probabile sit, tributi caussam esse iustam, & non esse iustam, exigit Princeps iustè, & negat populus iustè, quasi bello vtrimque iusto ex ignorantia. Ita Petrus Nauarra suprà num. 267. Confessor tamen ante factum suadebit soluere, post factum non coget restituere. Siluester suprà q. vlt.

Extendenda est ista assertio pro rata ad casum quo ex parte iniustum est tributum, quia maius quàm caussa exigat, vt patet ex cap. Quia plerique, De immunitate Ecclesiarum, vbi sic extorta iubentur restitui. Item ad casum quo iusta quidem caussa subfuerit, sed quæ nunc cessauit.

Cetertùm ex plurimorum sententia Graffius lib. 2. cap. 125. num. 6. & similiter num. 10. vim facit in distinctione noui & veteris vectigalis: existimat enim præsumi posse pro Principe in vectigalibus antiquis, etiamsi de caussa illorum nihil constiterit. Quod vt verum sit, accipiendum est de vectigali antiquo, quod iam transijt aut transijsse præsumitur quasi in patrimonium Principatus; in talibus enim locum habet præscriptio, quando de illorum iniustitia, currente præscriptione, non fuit controuersia aut probabile murmur: sed in tributis, quæ præter generale onus Principatus administrandi alteri caussæ inniti debere videntur, præscriptio non suppler iustitiam illius caussæ, vt suprà diximus. Quare nisi naturā mutasse videantur, vt ipsorum caussæ substitutum censeatur generale onus Principatus, cui aliàs fortè non respondent sufficientes prouentus, sola antiquitate iustificari non poterunt.

## DVBIVM V.

### *Quomodo contingat Tributa esse iniusta defectu bonæ formæ seu proportionis inter eos qui contribuunt?*

*Proportio quando negligi possit.*

Dico primo. Quando res modica exigitur in signum subiectionis, citra iniustitiam negligitur proportio Geometrica inter subditos, & æquale exigitur ab omnibus tributum. Patet Nehemiæ 10. vbi omnes, etiam pauperes, æqualiter dant tertiam partem sicli.

*Quando seruanda.*

Dico secvndo. In tributo minoris momenti oportet seruare proportionem hanc inter ciues, vt ditiores, ceteris paribus, plus contribuant non quidem Mathematicè, sed moraliter, quoad eius fieri potest, proportione seruata: æquum enim est, vt membrum robustius in eodem corpore plus oneris ferat. Ita Caietanus verbo Vectigalia, & alij communiter.

Dico tertio. Quando caussa non æquè spectat ad omnes, aut immediatè non est ad onus Reipublicæ aut Principis, rectè ita distribuitur onus tributi, vt ij plus pendant, quamuis pauperiores, in quorum commodum plus cedit finis tributi: Neque enim æquum est, vt pedagia aut vectigalia pro itinere à prædonibus defendendo æqualiter illi soluant cum mercatoribus, qui numquam in vijs periclitantur; sed qui sentit onus, debet sentire commodum, & contrà, De Regulis Iuris, in 6.

Dico qvarto. Iniquæ sunt personarum quarumdam voluntariæ & sine proportionata caussa exemptiones à tributis, quando illæ cedunt in aliorum grauamen: secùs, si tanto minùs exigatur à communitate tributum. Ita Angelus verbo Tallia, nu. 6.

Quæres, An iniusta sint tributa quæ hodie sunt in vsu super esculentis aut poculentis?

*Sententia Castri Probatur 1.*

Ex dictis enim videtur ea esse iniqua. Primò, Quia pauperiores qui numerosiorem habent prolem, aut operarum multitudinem, plus eis grauantur quàm ditiores.

*2.*

Secundò, Æquè grauantur peregrini ac incolæ, cùm tamen causſa tributi ad peregrinos non pertineat. Alphonſus à Caſtro lib. 1. De Lege pœnali cap. 5. propter has cauſſas improbat tamquam iniuſta eiuſmodi tributa: quæ doctrina per ſe loquendo vera eſt.

*Verior ſententia, Tributa ſuper eſculentis eſſe licita.*

Exiſtimo tamen cum Molina diſp. 668. poſſe excuſari praxin, Primò, Quia alia ratio commodior vix iniri poteſt: in æſtimando enim cuiuſq; patrimonio multum odij, multum etiam deprauati iudicij ſubinde intercurrit. Secundò, Oportet multos eſſe Officiarios & Cenſores, quorum ſtipendia multùm augent tributum. Tertiò, Contra hanc rationem inueniendi ſubſidia Reipublicæ ex poculentis & eſculentis minora ſunt murmura, quàm eſſent contra cenſum patrimonij aut capitis. Quartò, Quando per minuta ſoluitur Reipublicæ ſubſidium, inſenſibile quodammodò eſt detrimentum ſoluentium: itaque publicæ commoditatis gratia meritò iſte modus toleratur.

*Reſp. ad Probationes contrariæ ſententiæ. Ad 1.*

Quintò, Quamuis pauperes in his æquè contribuant ac diuites, aut etiam amplius, hoc ipſum tamen eis à ditioribus vtcumque compenſatur; quò enim cariora ſunt quæ ad communem victum pertinent, eò ſolent cariùs vendi operæ quas pauperiores in Republica præſtant, adeoque merces quæcumque in quibus operæ multum locatur.

*Ad. 2*

Sextò, Quod ad peregrinos attinet, etiam illi meritò hoc donant, cùm vix commoda ratione ipſi eximi queant, & in ſua patria viciſſim ex hac Republica peregrinos ſimiliter ipſi tractent. Omitto quòd tributum eiuſmodi quodammodò in pretium tranſeat, vt meritò quicumque voluerit emere, iuſtum quod fuerit, comprehenſo tributo, pretium ſoluat. Denique vt ita fiat, antiqua conſuetudine iam præſcriptum eſt.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm Clerici ſint exempti à Tributis?*

HACTENVS de efficiente, fine, & forma diximus, nunc de materia tributi. Vbi initio peculiaris occurrit difficultas de Eccleſiaſticis exemptis; nam contra eorum exemptionem multi ſenſerunt. Marſilius de Padua (vt referunt Tutrecremata lib. 4. De Eccleſia, parte 2. cap. 37. & Albertus Pighius Eccleſiaſticæ hierarchiæ lib. 5. cap. 1.) docuit ipſum Chriſtum non fuiſſe Iure immunem à tributo, ideoque ex vero debito illud ſoluiſſe, & conſequenter voluit multo magis Eccleſiaſticos omnes debere Imperatori tributa. Idem ſenſit Ioannes de Ianduno, vt refert ibid. Turrecremata. Eumdem errorem ſequuntur noſtri temporis hæretici, Caluinus, Petrus Martyr, Brentius, Melanchthon, Beza.

*Error quorumdam.*

Contraria ſententia eſt omnino certiſſima omnium Catholicorum, debere Eccleſias, Clericos, & Eccleſiaſticos immunes eſſe à tributis ſæcularium Principum. Ita frequenter Canones non tantùm Pontificum, ſed etiam Conciliorum Generalium: Canon 19. Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III. parte 1. Canon 47. magni Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. cap. Eccleſia B. Mariæ, De conſtitutionibus, & alia plura tit. De immunitate Eccleſiarum. Similia reperiuntur in Conſtitutionibus Chriſtianorum Imperatorum: nam & ante Iuſtinianum liberi fuerunt Eccleſiaſtici à tributo capitis, quamuis non perinde à tributo rei, vt patet C. De Epiſcopis & Clericis, L. 1. & 3. Immunitas autem à tributo rei acceſſit tempore Iuſtiniani, vt patet ex Nouella De Eccleſiaſticis Canonibus & priuilegijs.

*Vera ſententia.*

Obijcitur, Chriſtum pro ſe & Petro ſoluiſſe tributum, Matth. 17. imò ibidem indicari, ſolitum eſſe ita facere Dominum; quando Petrus ſuper eo interpellatus, nihil cunctatus aſſeuerauit Dominum eſſe tributarium. *Obiect. 1.*

Reſpondeo; Omiſſa opinione Hilarij & aliorum, qui dixerunt tributum illud non fuiſſe Cæſaris, ſed templi, quos ſequuntur eruditi quidam noſtri temporis, Bellarminus, Baronius, & alij; hac inquam opinione omiſſa, tamquam probabilius ſuppono contrarium, quòd fuerit Cæſaris, vt ſenſerunt Hieronymus, Beda, & ex recentioribus Ianſenius, Heſſelius, Maldonatus, & Barradius: qui tamen poſtremus dubitat, vtrùm Cæſaris an Tetrarchæ Herodis fuerit. Dico itaque ad argumentum, Chriſtum pro ſe & Petro tributum illud ſoluiſſe, non quia debebat ipſe aut Petrus, ſed ne ſcandalizaret eos qui exigebant, vt apertè textus indicat. *Reſp.*

Dices, Illud, *ergo liberi ſunt filij*, non pertinere ad Petrum, qui non erat filius Regis, adeoque hactenus ſolum Chriſtum, non autem Epiſcopos aut Clericos eximi à tributo.

Reſpondeo, Etiam Petrum in filiorum immunitate comprehendi: neque enim ſoli filij Regum in perſona ſua ſunt liberi, ſed etiam in familia tota. Qui ergo peculiariter de ſorte Chriſti ſunt, tamquam familiares ipſius filij eximi debere illic ſignificati ſunt: propterea enim non dicit Dominus, *vt non ſcandalizem eos*, ſed, *vt non ſcandalizemus eos*. Accedit quòd Chriſtus ſoluit quando Petrus; ideò enim Petro dicunt, *Magiſter veſter non ſoluit didrachma?* & tamen intelligunt ſimul comprehendi ipſum Petrum; Chriſtum ergo vectigalem faciunt, qui Petrum non habent immunem.

Obijcitur Secundò ex cap. 13. ad Romanos, vbi Apoſtolus ſecundùm interpretationem Chryſoſtomi, Theodoreti, & Theophylacti docet, etiam Eccleſiaſticos debere Principibus tributa. *Oſtendit*, inquit Chryſoſtomus, *quòd iſta imperentur omnibus, etiam Sacerdotibus & Monachis, non ſolùm ſæcularibus.* Et infrà: *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, etiam ſi Apoſtolus ſis, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſiue quiſquis tandem fueris: neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.* *Obiect. 2.*

Reſpondeo, Chryſoſtomum non dicere, quòd omnis anima debeat tributum, ſed quòd omnes, etiam Eccleſiaſtici, debeant ſubditi eſſe ſublimiori Poteſtati; atque etiam Regem vt Regem honorare, ſiue is ſit Ethnicus ſiue Chriſtianus. Sed honorant Regem Eccleſiaſtici, non temporalia ei præſtando tributa, ſed pro Republica, adeoque pro capite eius penſa Precum Deo perſoluendo, ratione cuius officij ſuſtentari ipſi à Republica merentur, & tributa decimarum accipere tamquam ſpiritualis ſuæ militiæ ſtipendia. Vtrùd temporale *Reſp.*



aliquod obſequiũ Clerici vlteriùs teneantur Regi, non ita immutabile eſt, quin ab eo eximi poſſint, quamuis antequam eximerentur Principibus Ethnicis, de quibus loquitur Apoſtolus, temporalia debuerint.

*Obiect. 3.*

Obijcitur Tertiò, Actorum 25. Apoſtolus Cæſarem appellat; ſi autem fuiſſet exemptus, declinaſſet forum.

*Reſp.*

Reſpondeo, Cæſar erat de facto Iudex Pauli, quamuis non de Iure, ideoque eum appellare coactus eſt, ſicuti dicit capite vltimo, vt nimirum à Feſti iudicio, qui ſub Cæſare iudicabat, & in partes calumniatorum Iudæorum iam declinabat, liberaretur. Appellauit ergo ad Cæſarem, non tamquam ſuum, ſed tamquam Feſti Iudicem ordinarium ac competentem: ſi enim cum alio fideli quæſtionem habuiſſet Paulus, non contendiſſet iudicio apud infidelem, quod in aliis ipſe reprehendit 1. Corinth. 6. Ita Turrecremata lib. 2. De Eccleſia, cap. 96. ad 3. Hæc reſponſio optima eſt, præſertim ſi conſideretur cauſſa Pauli vt meritè ſpiritualis. Aliter reſponderi poteſt ex Pighio ſuprà cap. 7. & Bellarmino lib. 2. De Pontifice, cap. 29. quos ſequitur Lorinus in illum locum Actorum 25. Chriſtianos tum temporis Gentilibus Imperatoribus fuiſſe ſubditos, atque ita in cauſſis pertinentibus ad forum ciuile, qualis conſiderari poterat illa de excitato tumultu à Paulo, & Epiſcopos & Apoſtolos ſub Ethnicis fuiſſe Imperatoribus. Quòd enim Epiſcopi non ſubſint in illis tribunali Imperatoris Chriſtiani, inde fit, quia indecens eſt ouem de paſtore iudicare. Vnde etiam admitti poterit, Epiſcopos & Clericos debuiſſe Cæſari tunc temporis Ethnico tributa inſtar laicorum fidelium: Imperatoris enim officium ad omnes ſeſe extendit, omnes in pace continet temporali, & corporis vitam quod propter peccatum hac protectione omnino indiget, adeoque reſpondentem ſubiectionem ſubit, tuetur. Solus ergo Chriſtus ita exemptus fuit à poteſtate humana, quia ſolus eius protectione non indigebat, quia ſolus à peccato omnino liber, quia ſolus dicere potuit: *Nemo animam meam tollit à me, ſed ego pono eam à meipſo*: Ioannis 10.

*Obiect. 4.*

Obijcit ſectarius quidam, Diſcrimen illud Chriſtiani & Ethnici Imperatoris nihil ad rem facere: nam, inquit, vt ſocietatis humanæ quà humana, ita etiam iuriſdictionis in ea ſocietate ratio communis eſt inter Principes Ethnicos & Chriſtianos; neque ſequitur, Subiecerunt ſe Principes Eccleſiaſticè, ergo & politicè. Ita Iunius contra Bellarminum. Addere poſſumus Chryſoſtomum ſuprà citatum Hom. 23. ad Rom. dicentem, Si iſta Paulus tum cùm Gentiles adhuc eſſent Principes præcepit, multo magis oportet ea fidelibus exhibere.

*Reſp.*

Reſpondeo, Neque nos hîc velle, quòd Princeps quando fit Chriſtianus, Principatum amittat, ſed quòd dum ſe in ſpiritualibus Eccleſiæ ſubijcit, ex natura rei paſtoribus Eccleſiæ, præſertim ſummo, etiam in ciuilibus, quæ ſpiritualibus ſubordinari debent, non perinde conueniat præeſſe. Chryſoſtomus autem tectè docet quod Apoſtolus dixit, Superioribus eſſe deferendum, & omnibus debita reddenda, ita ipſum dixiſſe, vt magis Chriſtianis quàm Ethnicis Principibus voluerit ea exhibenda quæ debita fuerint. Vtrùm autem eadem omnia à ſingulis debita maneant fidelibus, quæ præſtabantur infidelibus, neque Apoſtolus dixit, neque Chryſoſtomus. Certè debitorum compenſationem Ius omne permittit: fiunt autem Reges debitores illorum in ſuppeditandis carnalibus, qui eis ſeminant ſpiritualia, vt idem Apoſtolus docet 1. Corinth. 9.

*Obiect. 5.*

Obijcitur Poſtremò Ambroſius Oratione de tradendis Baſilicis: *Si tributum petit, non negamus; agri Eccleſiæ ſoluunt tributum.*

*Reſp.*

Reſpondent quidam, Realia tributa Eccleſias Imperatoribus dediſſe vſque ad tempora Iuſtiniani, vt meritò tunc ita locutus ſit Ambroſius. Sed meliùs dicitur, Ambroſium illis verbis non concedere, quòd ex debito tunc temporis Eccleſia ex ſuis prædiis ſoluerit Imperatori tributum, ſed ſolùm declarat ſe permittere, ſi Imperator vel tributum ex agris Eccleſiæ vel etiam ipſos agros ſibi tollat. Declarant hoc verba ſequentia. Quod enim dixerat, *Si tributum petit, non negamus*, ad ſolam tolerantiam pertinere, oſtendunt iſta verba, *Non faciant de agris inuidiam; tollant eos, ſi libitum eſt Imperatori: non dono, ſed non nego.* Ambroſius itaque nolens ibi contendere de iuſtitia tributi, quod Eccleſiæ agri pendebant Imperatori Ariano, totus in eo eſt, vt Eccleſiam Imperatoriæ poteſtati eximat. *Soluimus*, inquit, *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: tributum Cæſaris eſt, non negatur; Eccleſia Dei Cæſari vtique non debet addici, quia ius Cæſaris eſſe non poteſt Dei templum.*

## DVBIVM VII.

### *Quo Iure Clerici ſint exempti à Tributis?*

*Sententiæ.*

TRES ſunt ſententiæ. Vna dicit, eſſe Iuris diuini exemptionem hanc Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum. Ita multi Canoniſtæ, & quidam Theologi, Gloſſa in cap. Quamquam, De cenſibus in 6. Driedo lib. 1. De libertate Chriſtiana, cap. 2. §. 3 & alij multi, quos citat Couarruuias.

*Sententia 2.*

Altera dicit, eſſe Iuris humani. Ita multi Theologi, & quidam Iureconſulti, Victoria Relect. 1. De poteſtate Eccleſiæ, numero 2. Couarruuias Practicarum quæſtionum cap. 31. Ludouicus Carbo, tractatu De legibus lib. 9. cap. 14. Ioannes Medina C. De reſtitutione, quæſt. 15.

*Sententia 3.*

Tertia dicit, partim & quodammodò eſſe Iuris diuini, partim verò Iuris humani. Ita Bellarminus lib. De exemptione Clericorum. Pro qua ſententia in primis ſuppono, in cauſſis merè Eccleſiaſticis & ſpiritualibus, verbi gratia, in quæſtionibus de Fide, Sacramentis, & ſimilibus à iudicio ſæcularis Poteſtatis diuino & naturali Iure Clerum eſſe exemptum: hoc enim Scripturæ indicant clariſſimè, quando dicunt, Spiritum ſanctum conſtituiſſe Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, Actor. 20. & Petro ouile ſuum Chriſtum commiſiſſe paſcendum & regendum, Ioannis vlt. Hoc ipſum teſtatur vſus Eccleſiæ: neque enim vmquam Epiſcopi Orthodoxi cauſſas Eccleſiaſticas ad laicum tribunal detulerunt, ſed ſchiſmaticos & hæreticos qui id fecerunt, grauiter ſemper reprehenderunt. Videre licet D. Auguſtinum epiſt. 162. ad Glorium & Eleuſium, cap. Si Imperator, diſt. 96. & ipſi Principes hoc Eccleſiæ priuilegium agnouerunt, vt liquidò demonſtrat exemplum Conſtantini in Concilio Niceno, & refertur cap. Continua 11. quæſt. 1. Confirmatur; Quia alioqui di-

cendum esset, Principes sæculares à Deo habere spiritualem potestatem & Ecclesiasticam, quod velut erroneum contra Marsilium Paduanum Ecclesia damnauit. Sequitur id sanè clarissimè ex tribus Fidei dogmatibus. Primò, Quòd sit in Ecclesia potestas gubernandi spiritualis, à politica distincta. Secundò, Hanc potestatem non esse in Regibus, sed Ecclesiæ Pastoribus, præsertim in summo Pontifice. Tertiò, Hanc potestatem non esse subiectam Potestati Regiæ, vt pulchrè ostendit contra Regem Angliæ Suarez lib.4.cap.2.

*Non sunt exempti Iure diuino positiuo.*

Quoad tributa autem DICO PRIMO. Exemptio Clericorum à tributis non est absolutè loquendo Iuris diuini positiui. Patet, Quia Lex vetus non obligat: in Lege autem Euangelica nusquam ita apertè præceptum est, quòd exempti esse debeant à tributis Clerici, vt inde sine alia Constitutione dici queant exempti. Imò suppositâ noua Lege, Apostolus etiam Clericos voluit solita tributa soluere, vt suprà diximus. Quando Ordinis Sacramentum Dominus compleuit, & hierarchiam Ecclesiasticam instituit, eo ipso quidem suos Sacerdotes voluit esse liberos & independentes à iudicio Potestatis sæcularis in iis quæ ad Deum sunt; verùm in illis quæ ad Regis pertinent officium, Sacerdotes non apertè exemit: neque enim eos constituit diuisores rerum temporalium, sed potiùs super eos alios diuisores reliquit.

*Neque Iure diuino naturali.*

DICO SECVNDO. Dici etiam non potest exemptio Clericorum à tributis absolutè esse Iuris diuini naturalis. Probatur à priori, Quia sicuti Clericus non desinit esse ciuis, ita non videtur eo ipso quo Clericus, Iure naturæ ab illis præstandis Principi fieri immunis, quæ præstare potest sine naturali indecentia sui status. A posteriori autem probatur, Quia tributa Clerici ante Iustinianum soluerunt Imperatoribus etiam Christianis, neque protestati leguntur, conscientias lædi recipientium; quod indubiè fecissent, cùm liberrimè reprehenderint violantes libertatem Ecclesiasticam in caussis Ecclesiasticis, nisi agnouissent se non esse exemptos.

*Sed quodammodò Iure diuino & naturali.*

DICO TERTIO. Exemptio tamen ista Clericorum à tributis est quodammodò Iuris diuini & naturalis. Patet hoc ex cap. Quamquam, De censibus, in 6. vbi verba Bonifacij VIII. ita habent: *Ecclesiæ, Ecclesiasticaque personæ, ac res ipsarum, non solùm Iure humano, quinimò & diuino à sæcularium personarum exactionibus sunt immunes.* Item cap. Non minùs, De immunitate Ecclesiarum, exactio tributi dicitur facere sacerdotium deterioris cõditionis, quàm sub Pharaone fuerit, & esse cõtra illud Ieremiæ, Thren. 1. *Princeps prouinciarum facta est sub tributo.* Quibus Glossa in dictum cap. Quamquam, similem addit locum ex 1. Esdræ 7. vbi Artaxerxes Sacerdotes, Leuitas, cantores, ianitores, & reliquos ministros domus Dei statuit immunes esse à vectigalibus & tributis. Quod etiam Lege Dei statutum erat Numerorũ 3. Addere possumus & illud Christi Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij*; nam vt suprà diximus, non tantùm filius Regis liber est à tributo, sed etiam propria eius familia. Denique Concilium Trident. sess. 25. cap. 20. De reformat. dicit, Ecclesiæ & Ecclesiasticarum personarum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus esse constitutam. Similia videre licet in Concilio Colonien., parte 9. cap. 20. Lateranensi magno sub Innocentio III. cap. 43. Alio Lateranensi sub Leone X. sess. 9.

Inueniendus itaque modus, quo hæc exemptio queat dici Iuris diuini & naturalis: quo semel inuento, facilè conciliabuntur in speciem dissidentes Doctorum sententiæ. Est autem Iuris diuini, quia ad exemplum eius quod in diuina Lege mandatum & commendatum exstat, desumpta, quomodo & decimæ dicuntur esse Iuris diuini, quomodo Couarruuias suprà testatur sæpè dici Ius diuinum, quod in vetustissimis Ecclesiæ vniuersalis Concilijs ad imaginem & imitationem veteris Legis fuerit statutum. Naturalis autem, adeoque iterùm & magis propriè diuini Iuris est, quia naturalis Lex religionis, obseruantiæ, & gratitudinis Principes inclinat imò obligat ad eximendum Ecclesiasticos & eorum bona à tributis: sunt enim eorum bona, & præsertim Ecclesiastica, quodammodò Dei, vt meritò humanæ seruituti sint exempta. Imò & ipsi Clerici Dei sunt, vt meritò hoc ad ipsorum bona etiam patrimonialia, ex quadam æquitate extendere liceat. Ex hac æquitate factum est, vt etiam apud Gentiles Sacerdotes fuerint immunes, vt ex Scriptura patet de Ægyptijs & Persis, de Gallis apud Cæsarem lib.6. De bello Gallico. Vnde videtur hæc exemptio quodammodò Iure Gentium introducta.

DICO QVARTO. Siue immunitas à tributis Ecclesiæ & personis Ecclesiasticis concessa sit à Principibus, siue à Pontificibus, non possunt Principes inuita Ecclesia eam abrogare. Si enim Principes concesserint, ipsa immunitas instar cuiusdam prouentus Ecclesiastici est, adeoque in bona Ecclesiæ donata transijt, vt reuocari non possit donatario inuito. Si Pontifices concesserunt, nisi inualidè id fecisse constiterit, non potest ab aliis rescindi. Validè autem fecisse constat. Sicuti enim potest Pontifex ratione spiritualis suæ potestatis, quæ sese extendit indirectè etiam ad temporalia quæ spiritualibus seruire debent, potest indicere, id est, auctoritatem dare indicendi tributa, vt suprà diximus; ita etiam quando illud ad finem supernaturalem videbitur conducere, poterit tributa interdicere, atque adeò quia hoc expedit, à tributis sæcularium Clericos eximere.

Vnde sequitur, quod notat Henriquez lib. 10. c. 15. etiamsi Principes quando concesserunt hanc immunitatem Clericis, excepissent certos casus quibus voluerint Clericos contribuere; exceptionem illam non valituram contra illimitatam exemptionem eorumdem per Canones factam: si enim Pontifex Iura quædam spiritualia, quæ Rex quispiam ex contractu remuneratorio aut immemorabili consuetudine à Sede Apostolica habeat, reuocare non debeat, multò minùs Principes Ecclesiæ libertatem reuocare poterunt.

## DVBIVM VIII.

### *Quænam per Ecclesias & Ecclesiasticas personas intelliguntur, quando à Tributis eximuntur?*

*Ecclesiæ.*

DICO PRIMO. Ecclesiæ omnes exemptæ sunt; imò Ecclesiarum nomine exempta etiam intelliguntur Pia loca, & res deputatæ in eleëmosynas, sustentationem pauperum, & alia pia

*Pia loca.*



opera: Molina disp. 671. Confirmatur ex Authentica Item nulla communitas, C. De Episcopis & Clericis, & cap. Non minùs, De immunitate Ecclesiarum.

*Religiosi.*

DICO SECVNDO. Etiam Religiosi & Religiosæ in Religione approbata, siue Professi siue Nouitij, liberi sunt à tributis. De Professis non est controuersia. De Nouitiis probo duplici ratione; Vna, quòd verè sint de familia Monasterij & communitatis istius Religiosæ, quæ familia exempta est. Altera, quòd receptissimus vsus habeat, vt tributum merè personale Nouitius non soluat, quia verè persona eius habeatur Ecclesiastica. Itaque meritò quem semel agnoscunt pro Ecclesiastico, etiam in patrimonialibus bonis instar reliquorum Ecclesiasticorum exemptum habebunt. Neque refert quòd Nouitius non sit verè Religiosus, & transire possit ad sæculum, quia etiam Acolythus ad vota sæcularia, relicto officio Ecclesiastico, transire potest. Neq; iterùm obest, quod habetur L. Qui de libertate, ff. De liberali caussa, vbi statu dubius, controuersia pendente, dicitur solùm facere vt seruus, non vt liber: hoc inquiam non obest, quia solùm procedit de eo de quo dubitatur vtrùm seruus sit an liber: quod ad Nouitium non esse extendendum, rectè notauit Glossa citata. Deinde Nouitius gaudet priuilegio fori & Canonis *Si quis suadente*, vt patet cap. Religioso, De sententia excommunicationis, in 6. & subiacet Prælato, saltem commutabiliter & reuocabiliter, pro tempore quo est Nouitius, vt docet Nauarrus De foro competenti, consilio 5. & absolutè censetur inter personas Ecclesiasticas, secundùm Glossam in dictum cap. Religioso, Nauarram suprà, & Azorium tomo 1. lib. 12. c. 3.

*Clerici & Beneficiati.*

DICO TERTIO. Clerici in Sacris constituti, aut Beneficiati, etiamsi in Sacris non sint, immunes sunt à tributis secundùm omnes, etiamsi tantùm habeant tonsuram Clericalem. Coniugatus tamen Clericus hoc priuilegio non gaudet, quamuis coniugatus cum vnica & virgine tonsuram & vestes deferens Clericales, gaudeat priuilegio Canonis & fori, vt patet cap. vnico, De Clericis coniugatis, in 6. Imò Tridentinum non relinquit eis priuilegium fori, nisi fuerint ab Episcopo deputati ministerio alicuius Ecclesiæ.

Limitandum tamen est hoc assertum, vt verum non habeat in Clericis ioculatoriam artem exercentibus, per cap. vnicum, De vita & honestate Clericorum L. 6. modò per annum exercuerint istiusmodi artem, aut aliàs ter moniti non relinquant. Vtrùm autem ista limitatio procedat etiam de Clerico in Sactis, ambiguè ibi disputat Glossa. Verius videtur procedere, ne pœnam generatim statutam is euadat, qui eò grauiùs peccat, quo superiori ordini est initiatus.

*Clerici habitum & tonsuram gestantes.*

DICO QVARTO. Alij Clerici qui neque coniugati, neque Sacris sunt initiati, neque Beneficiati, si habitum & tonsuram gestent Clericalem, manendo in Iure communi, gaudent immunitate Ecclesiastica, etiamsi alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi non ministrauerint, neque ex Episcopi voluntate in schola, Seminario, vel Academia studuerint, quamuis hæc duo requirat Concilium Tridentinum vt gaudeant priuilegio fori, sess. 23. cap. 6. De reformat. Patet, Quia Canones vocant hanc immunitatem priuilegium Clericale; ita cap. vltimo, De vita & honestate Clericorum, & alibi sæpè idem indicant.

Dixi, *manendo in Iure communi*; quia multis locis hi non solent esse exempti; Ecclesia tolerante, & tacitè eiusmodi consuetudinem approbante; propter querelas Principum contra multitudinem eiusmodi Clericorum, qui in Clericatu solam immunitatem spectare videntur; de quo videre licet Couarruuiam Practicarum quæstionum cap. 31. sub finem. Tacitus autem Pontificis consensus, vt monet Henriquez, colligendus erit prudenter ex rationibus & coniecturis, quæ eiusmodi mentem eius esse suadeant.

Dicet quispiam, Videri etiam Tridentinum tacitè his Clericis abrogasse immunitatem à vectigalibus, quando eis abrogat priuilegium fori; priuilegium enim immunitatis à vectigalibus citiùs Clerico solet adimi quàm fori, vt patet dicto cap. vnico, De Clericis coniugatis, in 6.

Respondeo, Priuilegium immunitatis à tributis non dependere à priuilegio fori, & posse habere rationem omnino diuersam, nam & laicis quibusdam sine priuilegio fori conceditur. Quare autem Pontifex ademerit coniugatis Clericis immunitatem à tributis, non item priuilegium fori, ratio est; quia tales Clerici conquirendis diuitiis, vt thesaurizent filiis suis, incumbere solent, quod fieret cum præiudicio Principum, nisi tributa penderẽt: fori autem priuilegium, & honestas eorum meretur, & Principis vtilitas permittit faciliùs. Certè sola præscriptione aut consuetudine immunitas Clericis adimi non potest, cap. Ad nostram, De consuetudine, Authentica Cassa, C. De sacrosanctis Ecclesijs, & Glossa in cap. Clerici, De iudiciis. Potest tamen Pontifex quibusdam Clericis immunitatem adimere ex iusta caussa, quæ faciliùs iusta est in Clericis qui nondum fuerint in Sacris, vt docet Couarruuias suprà.

## DVBIVM IX.

### *Quæ bona Ecclesiæ vel Ecclesiasticorum sint exempta à Tributis?*

*Onus antèà impositum rei, etiam Clericus feret.*

QVAMVIS Ecclesiastici secundùm modum superiori Dubio expositum, omnino immunes sunt à tributo capitis, à tributo tamen rei non ita absolutè videbuntur esse liberi: si enim tributum tale sit, vt tamquam onus certum & inuariabile merè reale ipsi rei impositum sit antequam ea ad Ecclesiam vel Ecclesiasticum deueniat, illud etiam Ecclesia & Ecclesiasticus pendere debebit, secundùm Siluestrum verbo Immunitas 1. q. 5. numero 3.

Excipe tamen fundum in quo Ecclesia exstructa est, cœmeterium, & quidquid in hoc eodem gradu sacrum est, & fundum qui in dotem Ecclesiæ donatus est, & alia quædam affinia, de quibus consulendus Siluester & cap. Secundùm canonicam 23. quæst. vlt.

Aliàs autem quando simplex tributum de rebus petitur, quod Dubio primo diximus esse mixtum debitum, partim personale, partim reale, duplices eiusmodi Clericorum res considerandæ sunt: vel enim sunt merè Ecclesiasticæ, ex quibus æquè liquidum est non deberi tributum, ac non debere personas tributum capitis; res enim Deo sacra vectigalis Principi esse non potest, cùm tota iam diuino cultui destinata sit: vel sunt patrimoniales,

niales, quæ etiam à tributis sunt liberæ, cap. Quamquam, De censibus in 6. & Clementina Præsenti eodem titulo: neque enim ita Princeps habet ius imponendi tributa agris aut prædiis, quin hoc impediri possit priuilegio immunitatis, siue Ecclesiæ siue Ecclesiasticis, siue etiam laicis concesso. Imò si Clericus titulo patrimonij loco Beneficij sit ordinatus, gaudet in solidum pro eiusmodi patrimonio priuilegio bonorum Ecclesiæ, etiam in casibus in Iure non expressis, vt docet Nauarrus consilio 5. De immunitate Ecclesiarum. Si tamen Clericus negotiandi caussa res suas deferat aut alienet, ad vectigalia & tributa tenetur non secùs ac laicus, saltem post trinam monitionem sui Superioris, & donec à negotiatione cessauerit. Patet cap. vlt. De vita & honestate Clericorum, & dicta Clementina Præsenti. Meminisse autem oportet ex dictis quando De venditione, non negotiari eum, & adeò non teneri ad tributum Clericum qui fructus suæ Præbendæ distrahit, aut materiæ quippiam emit, vnde artificio suo aliquid postmodum vendendum conficiat. Si Clericus res Ecclesiæ ad negotiandum transporret, erunt eæ nihilominùs immunes à gabellis, quia delictum Clerici Ecclesiæ nocere non debet. Glossa & Panormitanus in dictum cap. vlt. De vita & honestate Clericorum.

Sed quæres, Vtrùm Clericus negotiator perdat in illis rebus solis immunitatem in quibus negotiatur.

Respondeo ex Panormitano citato, Solùm perdit immunitatem in negotiatione, ita vt non in reliquis bonis suis Ecclesiasticis. Si tamen ex suo patrimonio negotietur, perdit in toto patrimonio. Ceterùm quando inter Clericum & publicanum quæstio est, vtrùm negotiandi caussa res deferatur; statur iuramento Clerici. Glossa in Clementinam vlt. De censibus, Nauarrus De immunitate Ecclesiarum, consilio 4.

Malè autem extenditur casus negotiationis quibusdam locis, quasi vt negotiator teneatur de tributo Clericis, qui agrum emerit statui suo superfluum, aut mense Ianuario non inscripsit quòd transferre volebat. Molina disp. 672.

Addenda hîc est dissertatiuncula, & paulò accuratiùs expendenda, Quousque bona quæ ad Ecclesiam veniunt, priùs sibi impositis oneribus, eo ipso liberentur? Quod enim ex sententia Siluestri, adeoque communi diximus, realia inuariabilia tributa ad onus Ecclesiæ manere, videtur maiori explicatione indigere, præsertim cùm non desint auctores qui dicant indistinctè, etiam priùs impositis tributis, eo ipso quo ad Ecclesiam transferuntur prædia, liberari. Suarez lib. 4. contra errores Anglicanos cap. 20. distinguit: dicit enim, tributa quæ rebus immobilibus imponuntur, vel esse propriè dicta tributa, debita Principi ratione alti dominij sine priuato pacto; vel esse onera imposita vi proprij dominij circa talem rem, & interueniente pacto inter eum cuius fuit prædium, & eum cui pensio soluenda est, vel inter antiquiorem dominum & recentiorem. Prioris generis tributis propriè dictis, quæ potestate Principis sunt imposita, putat liberari agros eo ipso quo ad Ecclesiam transferuntur, non autem posterioris generis oneribus, quæ vi proprij dominij potiùs imposita sunt. Quæ sanè posterior pars extra omnem dubitationem est. Imò esset hoc contra fauorem Ecclesiæ, si non posset agrum dono, testamento, legato, aut emptione acquirere, nisi ab omni redtu liberum: nam non repugnare Iuri naturali, aut diuino, aut etiam humano, Ecclesiam eiusmodi pensiones ex agris suis soluere, nihilque hoc indecentiæ habere, res est omnino clarissima, cùm possit cum consensu Pontificis per contractum etiam de nouo sibi eiusmodi pensionem Ecclesia imponere, vt diximus Dubio 7. De censibus.

Prior pars, quæ à tributis propriè dictis priùs impositis liberat res eo ipso quo ad Ecclesiam veniunt, plus habet difficultatis. Probabiliter tamen etiam ipsa sustineri potest. Producitur pro ea cap. 1. De immunitate Ecclesiarú in 6. vbi queritur Pontifex, in Gallijs quosdam dominos temporales conari ab Eccleſi, s accipere tributa prætextu bonorum quæ acquisuerunt, nisi eadem relinquant & extra manum suam ponant eiusmodi acquisita. Constituit autem, non licere eiusmodi dominis tales compulsiones vel exactiones facere ab Ecclesijs vel Ecclesiasticis personis pro earum prædiis quibuscumque hactenus acquisitis, vel in posterum acquirendis.

Attamen ne quid hîc dissimulemus, videtur mihi Decretalis ista posse ita accipi, vt non loquatur de tributis priùs impositis antequam ad Ecclesiam res veniret; nam illa verba, quæ sunt in querela, *vt illis collectas, & tallias, & alia huiusmodi eadem Ecclesiæ prætextu bonorum quæ acquisuerint tribuant*, non omnino conuincunt, quamuis sit probabile, eos contra quos agitur, exegisse ab Ecclesia tributa priùs suis prædiis imposita, antequam ad ipsam spectarent; sed cùm occasio esset exigendi tributi, fortè prætexebant isti exactores, Ecclesiam debere de ijs acquisitis tributa pendere, de quibus laici qui nuper eadem bona possidebant, nunc tributa soluerent, si ea retinuissent. Similiter quando in dispositiua dicitur, *legitimè hactenus acquisitis, vel in posterum acquirendis*, non necessariò, quamuis admodum probabiliter, intelligitur significatum, tributa stabilia, antequam bona essent Ecclesiæ, imposita non posse exigi, quando ab Ecclesia bona fuerint acquisita. Sed Pontifex potest dici solùm statuisse, quòd non imponentur noua tributa bonis, siue nunc ab Ecclesia acquisitis, siue in posterum acquirendis: non imponantur, inquam, eo tempore quo ab Ecclesia possidentur. Itaque Canon absolutè Ecclesiam prioribus illis tributis liberans, non facilè reperietur. Est quidem verum, de decimis, oblationibus fidelium, manso, domibus, atrijs & hortis iuxta Ecclesiam positis id expressum reperiri cap. 1. De censibus, & alibi; sed horum peculiaris est ratio, eò quòd magis videntur Ecclesiæ coniuncta, magisque indecorum sit ea habere vectigalia.

Optima itaque huius doctrinæ probatio videtur peti ex eiusmodi ratione: Tributa propria penduntur ratione subiectionis, Rom. 13. *Necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideò enim & tributa præstatis*: atqui bona eo ipso quo fiunt Ecclesiastica, iam sunt Iuris Ecclesiastici, ius autem Ecclesiasticum Principi non est subiectum; itaque ratio tributi cessat in his bonis. Si enim persona à Regis iurisdictione eximatur eo ipso quo ad aliud regnum migrat, alterique Regi subijcitur; quare non similiter



liter ager quando fit Christi patrimonium, eximetur Regis iurisdictioni, vtpote qui iam summi Regis sit? Hæc sententia est probabilis, quatenus consideratur sola natura tributi: nam vt habet principium Iuris, vbi dispositio aliqua ad eum casum venit à quo incipere non potuisset, prior dispositio cessat, eadem ratione locum habente in vtroque, tam in inchoando quàm in continuando. Quare si quæ mutatio sit in proposito, ita vt non sit eadem ratio inchoationis quæ est continuationis, aliter dicendum erit, & locum habebit communis sententia DD. quos verisimile est huc respexisse; verbi gratia si continuetur tributum ex agris ad Ecclesiam venientibus, ne vel Princeps vel laicorum communitas contribuens nimiùm lædatur, id saltem assentiẽte Pontifice non erit iniquum, quia alia hîc est ratio continuationis quàm inchoationis; quare non possunt Ecclesiæ agri à tributo quod pendebant, liberari siue generali Iure siue speciali Principis indulto, quando quod remittitur Ecclesiæ, non decedit Principi cui tributa penduntur, sed alijs contribuentibus, qui nimirum totam prioris tributi summam conficere debeant, nisi ea læsio sit tam exigua, vt meritò eam ipsi remittere debeant in fauorem Ecclesiæ.

## DVBIVM X.

### *Quæ pœnæ statutæ violatoribus istud priuilegium Ecclesiasticæ immunitatis?*

*Excommunicantur.* QVI exigunt vel imponunt exigenda ab Ecclesijs, Ecclesiasticis personis, aut ex earum rebus non delatis negotiationis caussa pedagia, guidagia, & similia tributa, per se vel per alium, suo vel alieno nomine, excommunicantur per cap. Quamquam, De censibus, in 6. adiuncto cap. 1. De immunitate Ecclesiarum, eodem lib. 6. Neque absolui possunt, antequam sic accepta restituerint. Si communitas in hoc deliquerit, ipso facto subiacet Ecclesiastico interdicto.

Notandum hîc est, operæ pretium esse considerare, vtrùm tributum quod à Clerico exigitur, tale sit, vt licitè saltem à laico exigeretur; an verò ne quidem à laico non exempto exigi licitè possit, quales sunt gabellæ nouæ, exactæ à potestatem non habente: quamuis enim vtroque casu exactor excommunicetur, priori tamen, secundùm quosdam, solùm excommunicatur per cap. Quamquam, & excommunicatio non est reseruata; posteriori autem incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, estque reseruata Papæ.

*Sententia Nauarri.* Hæc distinctio placet Nauarro Enchiridij cap. 27. numero 61. & 70. Cùm enim semel Bulla Cœnæ excommunicet eos qui nouas gabellas ad id potestatem non habentes imponunt, vt patet clausula 5. aut vt alij distinguunt, 6. & postea clausula 17. excommunicet omnes qui gabellas imponunt, aut exigunt impositas super personis Ecclesiasticis, aut earum bonis Ecclesiasticis; putat Nauarrus priori non excommunicari eos qui Ecclesiasticos grauant gabellis, modò eæ licitæ sint respectu non exemptorum; posteriori autem non excommunicari eos qui eas exigunt ratione bonorum patrimonialium à Clericis, cùm restringatur censura ad reditus Ecclesiasticos.

*Molina.* In altero extremo versatur Molina disp. 670. putat enim, vtraque clausula excommunicari etiam illos qui ex patrimonio Ecclesiasticæ personæ indebitas exigunt gabellas. Mouetur, quia priori clausula excommunicantur omnes qui exigunt pedagia & gabellas ad id potestatem non habentes. Vbi contineri videntur, qui potestatem quidem habent exigendi, sed non exigendi ab his à quibus exigunt, atque adeò omnes omnino verè illicita exigentes tributa: atque ita existimat contineri hac clausula excommunicationem cap. Quamquam. Cui fauent Siluester, Angelus, & Tabiena. Posteriori verò clausula simpliciter virget Molina excommunicari eos omnes qui exigunt gabellas aut quæcumque onera à personis Ecclesiasticis: grauare autem etiam personas Ecclesiasticas, quando patrimonium ipsarum faciunt vectigale, indubitatum est. Hanc opinionem confirmat, quòd Bulla renouet Canonicas censuras cap. Non minùs, & cap. Aduersus. De immunitate Ecclesiarum, vbi agitur de quocumque grauamine Ecclesiasticorum, etiam in patrimonio.

Mediam hîc sententiam tenet Suarez, & fortè veriorem, in priori quidem clausula veram esse sententiam Nauarri, in posteriori autem Molinæ: si tamen in priori clausula legatur, sicuti mutasse Sixtum V. refert Graffius, valdè probabilis erit sententia Molinæ; excommunicabuntur enim quicumque exigentes pedagia prohibita, præterquam in casibus à Iure permissis. *Suarez.*

Quæres, Vtrùm qui exigunt collectas ab Ecclesiasticis, similiter excommunicentur.

Respondeo, Non excommunicari per dictum cap. Quamquam, sed per cap. Non minùs, & cap. Aduersus, De immunitate Ecclesiarum, & secundùm dicta videntur etiam comprehendi posteriori illa clausula Bullæ Cœnæ, qua generatim excommunicantur imponentes onera quæcumque Ecclesiasticis. Aggrauat hanc excommunicationis pœnam, quòd Clementina Præsenti, De censibus, iniungatur Ordinarijs, vt quando constiterit quempiam eam incidisse, publicè is denuntietur, quo fiet vt vitandus sit, non obstante moderatione Concilij Constantiensis.

*Clericus sponte soluens, peccat.* Denique quæri hîc possit, Vtrùm Clericus sponte soluens tributa, incurrat excommunicationem?

Respondeo, Peccare quidem contra cap. Aduersus, suprà citatum, quia præiudicat Ordini Ecclesiastico, cuius priuilegio sine consensu Papæ ipse renuntiare non potest, & fuisse olim excommunicatum per cap. Clericis, De immunitate Ecclesiarum, in 6. quod est Bonifacij VIII. Verùm illum rigorem temperauit Benedictus XI. Extrauaganti Quod olim, eod. Tit. & maximè Concilium Viennense, Clementina vnica, eodem, quod Bonifacij Decretalem reuocauit.

## DVBIVM XI.

### *Quibus casibus liceat exigere Tributum ab Ecclesia vel Ecclesiasticis?*

PRÆTER negotiationis & merè realis tributi euentum, de quo iam probabilem sententiam diximus, alij sunt quibus licitè ab Ecclesiasticis accipitur tributum.

*Si non aquè omnes concernat.* Primus est, Quando contributio fit non ob bonum publicum æquè omnes concernens, sed vt viæ reparentur, aut commoditas aliqua habeatur, vel

vel incommodum auertatur circa locum, in quo vel circa quem sita sunt Ecclesiæ vel Ecclesiasticorum prædia: concurrent enim in hoc onere pariter cum laicis quorum ibi prædia adiacent. Siluester verbo Immunitas. 1. q. 5. num. 3. & 4. Imò ad hanc collationem compelli poterunt, non tamen per laicos, sed per suos Superiores. Eadem est ratio, quando detrimentum quod tributo reparatur, specialiter per Ecclesiasticum infertur, vt si specialiter eius currus pontem terant. Secùs dicendum, quando tributum exigitur ad vsum publicum omnibus æquè communem, vtpote ad murorum ciuitatis instaurationem: in his enim remotè solùm se concernentibus Clerus immunis est: aliàs nusquam immunis erit, quia omne tributum, vt suprà diximus, in publicum bonum cedere debet. Hanc moderationem docet Panormitanus in cap. Non minùs, De immunitate Ecclesiarum, & probat ex illo ipso cap. quamuis non satis per omnia consentire videatur Henriquez lib. 10. cap. 15.

*Si Pontificis auctoritate exigatur.*

Secundus euentus est, Quando tributum ab Ecclesiasticis exigitur auctoritate summi Pontificis ex caussa rationabili. Ita colligitur cap. Aduersus, eodem; vbi statuitur, ne id fiat sine consensu summi Pontificis, cùm priùs ex Constitutione Concilij Lateranensis sub Alexandro III. suffecerit consensus Episcopi & Cleri, vt patet dicto cap. Non minùs.

At quæres, Vtrùm nullo casu nunc sufficiat consensus Episcopi & Cleri, sine consensu Papæ? item, Vtrùm numquam ingruat ea necessitas, vt etiam sine consensu Episcopi, Cleri, & Pontificis liceat Principi ab Ecclesiasticis exigere tributum.

Ad priùs respondeo affirmatiuè. Quando enim necessitas vrget, puta quia hostes imminent, quibus compescendis ciuium tributa non sufficiant, & tempus non permittat vt Papa consulatur, sufficit consensus Episcopi & Cleri. Ita Siluester suprà numero 4. Imò quando bonum commune omnino periclitaretur, monuit Molina disput. 672. sub mortali teneri Clericos non expectare donec consuluerint Pontificem.

Ad posterius respondet Henriquez suprà, Posse ingruere tantam necessitatem, vt ex tacito consensu Pontificis sine consensu Episcopi aut Cleri Princeps Clericos inuitos ad conferendum cogere possit. Numquam tamen concedendum est, vt laicis per se liceat compellere Clericos, exequendo aliquid in eorum personas, quæ Iure diuino à potestate laica exemptæ sunt. Imò Iuris naturalis videtur ista exemptio, saltem hactenus, vt cum dedecore Ordinis Ecclesiastici & graui damno tranquillitatis ministrorum Dei, non possit violari. Sine illo tamen dedecore & perturbatione, videtur posse ex tacito Pontificis summi & Cleri consensu limitationem aliquam in grauissima necessitate accipere hæc immunitas Clericalis, vt eruditè Couarruuias Practicarum quæstionum cap. 31. num. 5.

Tertius euentus est, Quando contributio laicis imposita, in valdè modico grauat Clerum, & ipse Clerus sine magna molestia eximi non potest, vtpote si grauamen vino sit impositum, quod ex communi laicis taberna Clerici accipere velint. Ita Henriquez suprà. Consentit Siluester verbo Immunitas 1. in fine. Benè tamen limitat, vt non procedat, quando eo animo tali rei imponeretur tributum, vt Clerici inuoluantur. Item quando tributum nec directè nec indirectè cederet in Cleri vtilitatem; vt si ciuibus impositum sit loco mulctæ.

Quartus euentus, Quando tributum imponeretur pro oneribus ad quæ tenetur Ecclesia, quia tunc succedit loco istorum onerum.

## DVBIVM XII.

### *Super quibus non debeant imponi Tributa?*

Ius Ciuile res quasdam eximit à tributis; nam L. Vniuersi, C. De vectigalibus, pœna capitis in prætiaricatores adiuncta, ita statuitur; *Vniuersi prouinciales pro iis rebus, quas ad vsum proprium vel ad fiscum inferunt, vel exercendi rura gratia reuehunt, nullum vectigal à stationariis exigantur.* Itaque vectigalia vix exigebantur, nisi de rebus quæ negotiandi caussa deferebantur, æquitate quadam id postulante, quòd in aliis iusta proportio non æquè seruetur, sed magis grauentur qui pluribus indigent: at mercatores vectigalibus non grauantur, sed onus cum mercibus distrahunt, quando eò cariùs vendunt, quò plus vectigalium pensitant.

Nota tamen, quando vectigalia ex mercimonijs Reipublicæ non sufficiunt, licita esse etiam alia ex illis quoque quæ quis vsus quotidiani necessitati detulerit, de quo videndà quæ diximus Dubio 5. & Siluester verbo Gabella 3. quæst. 5.

## DVBIVM XIII.

### *Vtrùm mortaliter peccent qui iusta defraudant Tributa.*

De iniustis & dubijs suprà diximus: hìc quærimus de certò iustis, aut quæ probabiliter pro iustis habentur ab ipsis subditis, vtrùm ea defraudare sit peccatum mortale?

Negat Angelus verbo Pedagium, numero 6. quem sequitur Nauarrus cap. 23. num. 60. Ludouicus Beja casu 13. in priori parte. Argumentantur pro hac opinione in hunc modum: *1. Sententia.*

*Probatur 1.*

Primò vrgent institutionem tributi, cuius forma non sonet præceptum obligans sub mortali, sed solùm statutum quoddam pœnale; fertur enim ferè in hunc modum, Statuimus vt soluatur tantum vectigal, aut alioqui res cadat in commissum: huiusmodi autem Lex pœnalis non videtur obligare in conscientia præcisè ad soluendum tributum, sed videtur sufficere mulctam solui post Iudicis sententiam.

*2.*

Secundò, Conductor vectigalis nullum patitur damnum, quia dum scit eiusmodi fraudes fieri, solùm illo pretio conducit, quod ex vigilantia sua cum lucro potest promittere. Princeps etiam his fraudibus non grauatur, quia facilè tantum ei accedit ex mulctis, quantum adimunt fraudes, vt meritò donare censeatur iacturam tributi pro compendio mulctæ, & velle quasi pactum illud cum subdito inire, vt si fallere is possit, lucretur vectigal; sin minùs, Princeps tem lucretur, quæ in commissum cadat pro attentata fraude.

*3.*

Tertiò, Ideò tributa maiora imponi solent quàm sit necessarium, quia probè norunt Principes, ea non soluenda ex conscientia, adeoque in multis defraudanda.

*Verior sententia.*

Affirmantem partem, hìc esse peccatum mortale, communiter alij tuentur. Nam Siluester verbo Gabella 3. q. 8. dicit eam esse communem sententiam omnium Summistarum, vno Angelo excepto. Itaque dicendum est, Iusta hæc vectigalia ita deberi in conscientia, vt letaliter peccent ea defraudantes in materia notabili, quæ sufficiat ad furtum mortale.

Quod in primis ampliandum est, vt locum habeat, etiamsi defraudans non exponat se alicui periculo vitæ, famæ, aut bonorum, quod sub mortali vitare teneatur; nam eo casu etiam aduersarij fatentur peccare mortaliter.

Secundò dicendum, Etiá locum habere, quando simplici subtractione tributa fraudantur sine mendacio, aut vi illata stationarijs vel exactoribus; tunc enim similiter aduersarij crimen agnoscunt, vt videre licet apud Bejam.

Tertiò extendo, vt virtute ipsius Legis regiæ, quæ tributum, adiuncta pœna, iustum indicit, subsit hìc obligatio sub mortali, non tantùm propter aliam Legem priorem vectigalia constituentem, quia sic etiá Nauarrus obligationē sub mortali hìc admittit, de qua re nonnulla diximus 1. 2. quando De Lege pœnali. Neq; etiá debet restringi respōsio ad casum scandali, quo etiam illegitima & iniusta tributa soluenda esse suprà diximus.

Quartò, Non solùm Lege obedientiæ subditus debet tributa, sed etiam iustitiæ, vt non solùm mortaliter peccet defraudans, sed etiam restitutioni sit obnoxius.

Quintò, Si nolit soluere secundùm quantitatem quam æstimat publicanus, non sufficit quòd dicat se paratum soluere quantum debere publicanus probauerit, sed iurare tenebitur de mercium quantitate, vt contra Nauarrum docet Molina disp. 674. & probat; quia apertè Leges, quæ iustæ omnino videntur, vt ita fiat præscribunt. Fateor tamen, vbi Lex talis non esset aut consuetudo, vt iuramentum exigi per publicanum possit, præsumi possit Rempublicam non consensisse in tributa tam rigido modo, cum spirituali illa ac periculosa tortura iuramenti exigenda.

*Excipiuntur pauperes.*

Limitanda tamen est responsio, ne locum habeat in subdito paupere existente in graui necessitate, qui necessaria victui sibi defert: eum enim posse citra conscientiæ grauamen fraudare vectigal, argumentum est cap. Licet, De Censibus, vbi cæcus & pauper eximitur à censu, *Quia eum,* inquit Pontifex, *quem cæcitas sua grauat, inhumanum est nimis in collectione affligere, cui debebat ex collectis, si esset necessitas, misereri.* Si tamé esset solùm in cōmuni necessitate, teneretur soluere vbi cōsuetudo est. Ita Petrus Nauarra li. 3. c. 1. n. 236.

2. Cor. 9.

Ita explicata responsio Probatur: Sicuti enim Princeps Reipublicæ debet curam & vigilantiam suam, ita Respublica debet Principi congruum dignitati subsidium: *Quis enim pascit gregem, & de lacte eius non comedit.* Huius autem subsidij præstatio legitimè, vt suppono, determinata est ad hanc contributionem; itaque operarium mercede sua fraudat, qui defraudat tributa, adeoque participat deformitatem peccati clamantis in cælum. Confirmatur alijs Scripturis, Matth. 22. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris.* vbi Dominus tributum capitis, quod Cæsari Gentili dabatur, & longè odiosius est quàm tributum rei quod exigunt Principes Christiani, ita probasse videtur, vt indicauerit contra iustitiam peccati, quæ ius suum cuique tribuit, nisi reddatur, ita enim *reddendi* verbum interpretes vrgent. Item Apostolus ad Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Vnde colligitur, etiam particularem partitionem oneris contribuendi obligare in conscientia: neque enim sufficit, ex tributo te velle compensare, sed ipsum vectigal reddendum est. Omitto locum Matth. 17. vbi Dominus exemplo suo fauit tributis, & quod liber fecit vt vitaret scandalum, hoc non exemptos facere docuit propter conscientiam, quamuis ne res Deo iam oblatas temerare videretur profano illo tributo, de mari iusserit illud extrahi præter ordinem, vt simul potentiæ suæ ostensione, Deo curaret reddi quæ Dei sunt, Cæsari autem dare quidem tributum, sed quod potiùs ab alijs quàm à se debitum ostenderet.

*Obiect.*

Verùm objcies, quòd in Deuter. vt legit Tertullian. l. De pudicitia, c. 9. & alij quidá veteres, dicatur, *non erit vectigal pendens ex filiis Israel.*

*Resp.*

Respondeo; Voluit ex hoc loco Tertullianus probare, publicanos non fuisse ex Iudæis; sed manifestè hoc repugnat Euangelio: nam ex Iudæis fuit Matthæus, & ille qui orabat in templo, & quibuscum Dominus conuersabatur, vt benè D. Hieron. ep. ad Damasum cōtra Tertull. obseruat. Promissio ergo felicitatis est in loco illo Deuteronomij, quamuis ille nunc designari nequeat; nā c. 23. quod assignari solet, nihil tale reperitur, multo minùs id colligendum ex illo c. 6. aut 10. *Illi soli seruies.* Promissio inquam est, quòd non essent futuri Israelitæ tributarij Gentibus, quando Deo rìtè seruirent; non autē dictum est, quòd seruituti Dei repugnet homini dare tributum, præsertim proprio Regi, quod eos feciſſe constat etiam primis suis Regibus. Sentit quidam, id numquā in Scriptura expressum fuisse, sed Deuter. 23. in Græco additū fuisse ab imperito interprete post illa verba, *Nec scortator de filiis Israel.*

*Resp. ad Probationes primæ sententiæ. Ad 1.*

Superest respondeamus ad argumenta obiecta. Ad Primum respondeo, Iniquè eos æstimare, qui tributa tamquam mulctas quasdam considerant, quæ non debeantur ante Iudicis sententiam; debentur enim summo Iure Principi ex contractu oneroso, vt suprà dictum est, quod debitum non minuit Princeps, quando sub certa pœna solui statuit; imò eo ipso sufficienter obligat ad tributa soluenda sub mortali, vt diximus De Lege pœnali mixta 1. 2. q. 96. a. 4. Dub. 5.

*Ad 2.*

Ad Secundum respondeo, Hoc non excusare à mortali defraudantes, etiamsi fortè nec publicanus nec Princeps damnum patiatur, quia sibi resarcit; sufficit enim iniustè inferri à defraudante. Quod eiusmodi argumento non infringitur: nam quòd collusionem hìc quamdam Principis fingant, qua cum subdito certet hoc agente pro spe fraudis, ipso autem pro spe mulctæ, non maiorem habet probabilitatem, quàm si dicatur, æquè subditum à Principe, ac Principem à subdito tributum exigere posse; esset enim eiusmodi pactum contra ius naturæ, & foueret Princeps in ipso tributo iniustitiam, quod pro defensione iustitiæ accipit.

*Ad 3.* Ad Tertium dico, Nō posse aduersarios negare, quin meliùs agant qui fideliter soluunt tributa; oportet ergo admittāt peccare eos qui defraudāt, quia hoc cedit in grauamen meliùs facientium, si intuitu fraudis Princeps augeat tributum.

### DVBIVM XIV.

*Vtrùm Tributum debeatur antequā exigatur.*

RESPONDEO & DICO PRIMO. Iusta tributa debent solui etiam antequam exigantur, nisi consuetudo habeat, vt ne soluantur nisi exacta. Non enim ideò debentur quia exiguntur, sed exiguntur quia debentur, postquam iam indicta sunt. Ita Couarruuias in Regulam Peccatum 2. parte, §. 5.

Aliter videtur sentire Soto lib. 3. q. 6. art. vlt. Sed fortè in re non dissentit, quia solùm dicit, non deberi ante exactionem, quando rigidè exiguntur, & modicum est quod debetur.

DICO SECVNDO. Per consuetudinem fieri potest, vt vectigalia non debeantur nisi exacta. Idem Couarruuias. Probatur, Quia eiusmodi consuetudo rationabilis esse potest, quòd satis graue sit communi populo, exactiones vltrò soluere: quamuis non existimem hanc rationem ita esse prægnantem, vt impedire queat quò minùs consuetudine cessante Lex valeat obligare ad vltroneam vectigalis solutionem. Consuetudo autem occultandi merces, ne publicanus deprehendat, omnino corruptela est. Confirmatur; Quia in tributis consuetudo potest efficere, vt non integrè soluantur, itaque poterit etiam vt non nisi exacta soluantur.

DICO TERTIO. Lege iusta fieri potest, vt etiam in conscientia mercatores coram stationarijs teneantur sponte profiteri, & indicare quantitatem mercium, ex quibus vectigal debetur. Tales Leges fuisse Romanorum, patet Lucæ 2. & Act 5. & ff. De vectigalibus, L. vlt. & alibi sæpè. Fit autem eiusmodi Lex tolerabilior, quando certa telonia ad publicas vias designantur, quæ quasi continuò vectigalia à prætereuntibus exigant, & præstò adesse iubentur stationarij, ne dum permittuntur dolo malo sese subducere, vt non inuenti inueniant quos mulctent, quod dicta Lege vetitum reperitur.

### DVBIVM XV.

*Vtrùm pœnitentes à Confessariis sint astringendi ad restitutionem defraudati Tributi?*

QVI dicunt non deberi ea in conscientia, aut non deberi antequam exigantur, facilè hîc absoluunt pœnitentes; imò & inter eos qui nobiscum in vtroque contrarium tenent, non deerit qui propter aduersæ opinionis probabilitatem dicat, non esse vrgendos ad restituendum. Ita Emanuel Sà verbo Gabella.

*Verius esse vrgendos.* Verius tamen est, esse vrgendos, quando defraudatio plena fuit in quantitate notabili, & tributum ex omni parte liquidò iustum, qualia nonnulla reperiri suppono: sic enim adhuc licere defraudare, non est satis probabile. Quando tamen esset probabile, licere defraudare, etiamsi contrarium esset probabilius, & pœnitens esset in contraria illa opinione probabiliori, adeoq; defraudando mortaliter peccasset, existimaret tamen sibi licere retinere, deberet Confessarius talem absoluere sine onere restituendi: si verò pœnitens putet se debere restituere, non tenetur eum Confessarius sine iniuncta restitutione absoluere. Si tamen iusta occurrerit caussa, puta quia periculum est quòd etiam iniunctam restitutionē omittet, potest Confessarius probabilem sententiam ei indicare, & sequi quando secundùm eam alter deponit conscientiam; iste enim fauoriam rectè impēditur bonæ fidei possessori: vt autem ad eam fidem bonam instruatur à spirituali suo medico, suppono iustam esse caussam; regulariter tamen non occurrente alia caussa peculiari, vt ita fiat, parum consultum erit, cùm non sit Confessarij docere pœnitentem sequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam cum præiudicio tertij.

At quærunt hîc, Quid si venditor vectigal defraudet, vtrùm teneatur emptor illud de suo damnum sarcire, ad quod non ipse, sed venditor tenebatur?

Respondeo, Non teneri, nisi fortè in fraude cooperatus sit, aut cùm à venditore haberi non possit, in mercem facta est executio, tamquam tacitè pro vectigali obligatam: tunc enim tenetur se emptor conformare, sicut in alijs similibus iustis executionibus.

Ad quid si certa portio mercis debebatur pro vectigali, puta certa mensura ex tritico?

Ambiguè illud disputant. Sunt qui eo casu obligent emptorem, quibus fauet L. Imperatores, ff. De publicanis. Sed verior videtur sententia Molinæ disp. 675. qui putat etiam tunc emptorem non teneri. Quamuis enim ratione rei tributum exigatur, ipsum tamen debitum reale non est; & quamuis ex Iuris dispositione, tacita fisco concessa sit hypotheca in bonis debentis tributum, vniuersalis tamen hypotheca non facit onus tributi reale, adeoque non redditeum in quem res transit, obnoxium, nisi in defectum principalis excutiatur.

### DVBIVM XVI.

*Vtrùm creditor Principis possit fraudando Vectigal sibi compensare?*

RESPONDEO, Si Princeps per suos colligat vectigalia illa sine elocatione, indubiè posse, seruatis legibus compensationis: si tamen elocauerit, vtrùm etiam tunc possit, cùm id cedat in damnum conductoris, meritò dubitatur. Sed dicendum videtur, etiamsi Princeps elocauerit vectigal, nihilominùs licere creditori hanc compensationem: secùs tamen si Princeps illud vendiderit; tunc enim non poterit creditor compensare, nisi fortè quando creditum antiquius fuerit venditione, & per illam cum emptoris conscientia ipse in iure suo læsus est.

Prima pars responsionis est Siluestri verbo Gabella 3. q. 9. Ratio est, Quia vel Princeps mihi debet ante elocationem, atque ita malè vendit rem mihi debitam, vt elocatio quoad partem quam mihi debet & aliter recuperare non possum, meritò censeatur iniusta & irrita: vel debet post elocationem, atque ita saltem malè à me exigit per publicanū, quod meum manere debet iure compensationis.

Secunda pars Probatur, Quia eo casu creditor Principis non est eius debitor, sed emptoris; neq; vmquam fuit simul Principis creditor & debitor, vt læsus dici queat venditione vectigalis.

TRA-



# TRACTATVS SEXTVS
## De Iudicijs.

## CAPVT PRIMVM.
### De iniustitia Iudicis.

### DVBIVM PRIMVM.

*Vtrùm Iudicium sit actus Iustitiæ?*

*D. Thomas quæst. 60. art. 1.*

*Plauorinus apud Agell. l. 14. cap. 2.* DISCEPTATIO de Iudicis officio, vt meritò Philosophus quidam monuit, multiugæ & sinuosæ quæstionis est, multaque & anxia cura & circumspicientia indigens. E multis & variis primùm id proponimus, sine quo reliqua ne quæri quidem possint, quid sit, aut cuius virtutis actus iudicium.

*Iudicium actus iustitiæ.* Respondeo, Iudicium esse quemdam actum iustitiæ, sicut inclinantis ad rectè iudicandum; prudentiæ autem, sicut iudicium proferentis. Ita D. Thomas ad 1.

Verùm circa hanc alioqui claram doctrinam, multa à recentioribus mouentur: quibusdam enim argumentis probare nituntur, non eo dumtaxat modo iudicium pertinere ad iustitiā, quem D. Thomas explicuit, sed verè eius esse actum elicitum. Quod vt probet Salonius, quatuor tradit modos, quibus actus quispiam elicitus dici queat ab aliqua virtute. Primus, Quando ab eo proximè & immediatè producitur. Secundus, Quando omnem suam bonitatem ab eo habet, quomodo martyrium dicitur actus elicitus à charitate. Tertius, Quando pro regula habet aliquam virtutem, cuius actus esse dicitur; quomodo etiam actus exteriores dici possunt elici ab aliqua virtute, quæ eorum sit regula. Quartus, Quo is dicitur actus elicitus virtutis, qui obiectum eius proprium & formale suapte natura & per se respicit; quomodo oratio, quamuis sit actus intellectus, dicitur esse actus Religionis quæ est in voluntate, quòd nimirum versetur circa proprium Religionis obiectum.

Primo modo certum est iudicium non esse actum iustitiæ, sed potiùs syneseos, adeoque prudentiæ, eubulia etiam consilium bonum præparante. Hoc indicauit Apostolus 1. Corinth. 6. *Sic non est sapiens quisquam in vobis, qui iudicare possit fratrem suum?* Reliquis modis considerari potest iudicium vt actus iustitiæ; sed maximè considerandum videtur, quòd multis modis obstetricetur in partu boni iudicij iustitia, etiamsi per se immediatè illud non pariat. In primis communi illo modo, quia disponit habentem vt iustè iudicet, quomodo etiam iudicium rectum de temperantia ad temperantiam pertinet; qualis enim quisque est, talis finis videtur ei: ideoque Sapiens Ecclesiastici 37. monet de iustitia non esse tractandum cum iniusto. Coërcet etiam iustitia prauos motus qui solent intellectum turbare ne rectè iudicet. Imperat etiam rectum rationis iudicium & in Principe aut Iudice affectus clauum tenet, ne in ferenda Lege aut sententia à recto declinet, vt meritò Sapientiæ 1. moneantur diligere iustitiam qui iudicant terram. Adhæc exteriorem actum quo Ius dicitur inter subditos, & de quo hîc instituitur tractatio, producit & educit; nam iudicium peruersum, iudicium non est, secundùm illud Isaiæ 32. *Principes in iudicio præerunt*. Producit inquam magis quàm prudentia, quia Iudex non potest initi prudentiæ suę, neque iudicare secundùm quod sibi videtur, quod meritò periculosum esse dixit Philosophus, sed secundùm Leges; prudenter enim expensis vtrimque meritis caussæ, pronuntiare debet, quænam secundùm Leges æqualitas seruanda sit, ad quam pronuntiandam inclinat iustitia. Denique cùm ex iustitia teneatur Ius dicere, iudicare erit in ipso quidam actus exterior iustitiæ, sicuti in priuato restitutio actus est iustitiæ: imò cùm Iudex iustitia quædam animata sit secundùm Philosophum, actus Iudicis, vt talis, non poterit non esse iustitiæ.

### DVBIVM II.

*Vtrùm iudicare sit licitum?*

*D. Thomas art. 2.*

*Error hæreticorum.* HÆRETICI quidam publica iuducia negant Christianis licere. Infames sunt ab hoc errore Waldenses & nostri temporis Anabaptistæ cum Trinitariis quibusdam nouis.

*Iudicare licitum est.* Sed erroris conuincuntur ex apertissimis Scripturæ testimoniis. Et quidem in Veteri Testamēto licita fuisse iudicia, admittunt; sed inde ea etiam ad nos deriuari debuisse fateri debebunt, si aduertant vnde ibi fuerint: fuerunt enim ex natura regiminis necessarij generi humano, adeò vt Hebræi Reges suos meritò Iudices appellauerint. Quamuis ergo iudicialia cessarint, iudicia non cessarunt, quia Iudices esse, eosque audiri, non est

iudiciale, sed ex moralibus præceptis, quæ perfectiùs in lege Christi seruari debent: vnde & Apostolus 1. Corinth. 6. iudicium non prohibuit fidelibus, sed monuit ex ipsis fidelibus Iudicem esse assumendum; adeò iudicauit iudicium non esse rem profanam.

*Obiect.1.* At multa obtendunt sectarij. In primis illud Matth. 7. *Nolite iudicare, vt non iudicemini.*

*Resp.* Sed respondeo cum D. Hieronymo, Dominum illis verbis non prohibuisse omne iudicium, sed docuisse modum rectè iudicandi. Docet ergo non esse curiosè, temerè, & nimis seuerè iudicandum, nisi velimus & ipsi curiosè & seuerè à Domino iudicari. Irenæus lib. 4. cap. 47. vetitum ibi putat, ne de diuinis dispositionibus iudicemus iniustè, non autem prohibitam peccati correptionem, etiam iudicialem. Alij putant præpostera prohiberi iudicia eorum qui seipsos non iudicant, fratres autem, cùm maioribus ipsi criminibus obnoxij sint, iudicant. Alij obseruant nulla prohiberi publica iudicia, neque omnia priuata, sed ea dumtaxat, quæ iniustam aut temerariam proximi damnationem habent. Quinimò non desunt qui ex Hebræorum more *iudicare* positum autument pro *damnare*. Eucherius ad publicum quidem refert iudicium, sed iudicandi non potestatem sed temeritatem, ambitionem, crudelitatem vult interdictam. Eodem sensu licebit accipere Tertullianum De patientia cap. 10. vbi dicit, contra hanc sententiam Domini iudicantem, vel vltionem quærere, vel per impatientiam honorem vnici Iudicis, id est Dei, auferre. Sanè non omnino iudicium, sed modum quemdam eius prohiberi, vel ipsa verba quæ sequuntur indicant, *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini*. Quò pertinet, quòd alibi inbeamur non secundùm faciem iudicare, sed iustum iudicium, quo iusto iudicio etiam Apostolus Corinthium iudicauit, 1. Corinth. 5.

*Ioan. 7.*

*Obiect.2.* Secundò opponitur illud 1. Corinth. 6. *Iam omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos.*

*Resp.* Respondeo in primis, Satis apertè Apostolum iudicia permittere Christianis illo eodem cap. quando dicit, *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum?* Quòd omnino obtinebimus, si illud quod sequitur, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate*, propter iudicia dictum esse, cum Anselmo, D. Thoma, vtraque Glossa, Lyrano, Burgensi, Carthusiano, & communiori, recentiorum præsertim Interpretum sententia (quæ etiam probabilissima est) & alijs, accipiamus; iudicijs enim contendendo sub potestate Iudicum redigi quidem licet, sed non expedit. Sanè quod Græcè est loco *delicti*, ἥττημα, potiùs imperfectionem quàm peccatum significat. Ita accepisse videtur Theodoretus. Sunt qui notent significare ruinam in bello, seu pugnam aduersam, & colligi potest ex cap. 8. Isaiæ. Qua significatione si hîc accipiamus, significauerit Apostolus, Christianum qui litem aggreditur aut suscipit, eo ipso victum esse, cùm Christiani sit, ei qui vult secum contendere in iudicio, & tunicam suam tollere, dimittere & pallium, vt Christiani pugna de caducis illis, tota in cessione sit, & in concessione victoria, ita vt eò magis vincatur, quò plus vincere in tribunali nititur: attamen sic vinci non semper peccatum erit, sed subinde defectus à perfectione consilij.

Secundò, Etiamsi delictum propriè dictum seu peccatum significetur, Dico, non inde consequens esse, continuò eum peccare, qui in iudicio rei vel actoris partes sustinet, sed ex alterius parte esse peccatum, eò quòd non sit vlla lis vtrimque iusta, nisi fortè ex ignorantia; qua vtrimque subsistente, saltem ex altera parte iterùm peccatur, si lite experiri malint quàm pacificè cõponere. Fortè tamen Apostolus delictum litigantis non in lite considerauit, sed in eo pro quo litigatur, vt verum habeat sententia propter eos quos subiectis verbis corripit, qui cùm ex Lege Christi potiùs iniuriam parati deberent esse sustinere, quàm inferre, inferebant tamen, & quidem fratribus. Fauet Primasius. Alij dicunt, litigari dictum esse peccatum, quòd sine peccato vix litigare contingat, quia ferè vel ex auaritia, vel cum odio, vel admixto dolo & fraude, vel sanè cum scandalo litigatur. D. Thomas quæst. 43. art. vlt. ad 4. dictum Apostoli dicit procedere in casu quo potiùs expedit iniuriam pati quàm litigare.

Tertiò, Etiamsi litigare omnino esset peccatum, secundùm hæc Apostoli verba, non inde sequitur, iudicium quo lites finiuntur, etiam esse peccatum: poterit enim iudicium esse sanctum, etiamsi litigare sit profanum; neque enim si pugnæ malæ, etiam eas dirimere malum est.

*Obiect.3.* Tertiò obijcitur Matth. 5. *Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Augustinus enim Enchiridij cap. 78. his verbis intellexit prohiberi iudicia Christianis, sicuti & verbis Apostoli superiori obiectione citatis. Verba eius ita habent: *Nam & hîc posset putari, iudicium habere aduersus alterum non esse peccatum, sed tantummodò id, extra Ecclesiam velle iudicari, nisi secutus adiungeret, Iam quidem omnino delictum est inter vos, quia iudicia habetis vobiscum: & ne quisquam hoc ita excusaret vt diceret iustum se habere negotium, sed iniquitatem se pati quam velit à se Iudicum sententia remouere; continuò talibus cogitationibus occurrit atque ait: Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potiùs fraudamini? vt ad illud redeatur quod Dominus ait, Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte ei & pallium.*

*Resp.* Respondeo; Videtur Augustinus existimasse propter citatas auctoritates, esse saltè veniale peccatũ iudicio contendere, fortè propter mala coniuncta litibus quæ vitari debebunt, sed inde rursus consequẽs non est, ex parte Iudicis iudicia esse illicita, & omnino videtur potiùs consilium quàm præceptum Domini esse de omnino abstinendo ab actione in iudicio vt res tuas repetas: certum enim est, id quando zelo iustitiæ & recto fine fit, licere, præsertim iusta necessitate aut vtilitate compensante incommoda quæ sunt in litibus. Sanè non aliter prohibitum iudicio conrendere, quàm iurare (quod & in ipsis litibus sæpè necesse est) aut bellare; ferè enim ista à malo sunt, vt meritò dicat Iacobus cap. 4. *Vnde bella & lites in vobis? nónne hinc? ex concupiscentijs vestris quæ militant in membris vestris?* Hæc itaque tum demum iusta, quando non amantur.

*Obiect.4.* Obijci denique potest illud ad Rom. 14. *Tu quis*



*quis es qui iudicas alienum seruum?*

*Resp.* Sed respondeo, Alienum seruum non iudicat, qui voluntate Domini, & tamquam minister Dei iudicat; in ipso enim Deus iudicat. Noluit ergo Apostolus, inquit Augustinus Homilia De pœnitentia, & cap. Multi 2. quæst. 1. hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potiùs ex Lege Dei secundùm ordinem Ecclesiæ. Quò pertinere vult idem Augustinus illud 1. Corinth. 5. *Si quis frater nominatur*, id est, publico iudicio declaratur, *fornicator*, &c.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm liceat ex suspicione iudicare? D. Thomas art. 3.*

*Suspicio ex peccato oritur.* RESPONDET D. Thomas, Iudicium ex suspicione oriri ex peccato, & esse peccatum. Oriri quidem, quia soleant mali alios ex se metiri, & malos suspicari; aut saltè ex contemptu & odio tales iudicare quales esse velint, quibus nihil boni volunt, quomodo charitas non suspicatur malum: nam si quis propter experientiam faciliùs suspicetur malum, quomodo senes Philosophus dixit esse suspicios os, hoc degenerat quodammodò à ratione suspicionis, quia cùm suspicio ex leui sit argumento, non leue argumentum ipsa experientia suppeditat. Esse autem peccatum, declarat D. Thomas secundùm triplicem gradum. Vnus est, Quando ex leui indicio de alterius bonitate quis dubitat. Secundus, Quando cum assensu & quasi pro certo existimat in eo esse malitiam; quæ si venialis, dicit esse tantùm veniale, sicut & primi gradus dubium; esse autem mortale, si ipsa sit mortalis. Tertius, Quando non priuatim, sed in iudicio leuiter ex suspicione & temerè quis condemnatur, quod semper vult esse mortale. Circa hanc D. Thomæ doctrinam quædam examinanda sunt.

*Et est peccatum.*

*Dubitare de proximi probitate, quando peccatum.* Quæritur enim Primò, Vtrùm sit aliquando peccatum mortale, dubitare de proximi probitate, aut suspicari de improbitate sine sufficienti argumento.

Certum est, sic dubitare & malè suspicari, non carere omni peccato, nisi planè indeliberatum sit; vacillat enim bona de proximo opinio, potiùs nostro quàm ipsius vitio, adeoque nobis fratri in hoc boni sui genere iniuriam facientibus.

Secundò, Satis exploratum videtur, illud ex genere suo solùm esse peccatum veniale, quatenus dubium & suspicio quasi ex natura sua est ademptio parua boni alieni, siti in bona æstimatione alterius: nam si consideretur vt est ademptio parui eiusmodi boni, erit veniale, propter paruitatem materiæ, & mortale ex genere.

Vnde Tertiò colligitur, Posse dubium & magis suspicionem habere culpam mortalem, vtpote quando neque parua neque parui boni ademptio est, vt si cum plena aduertentia & deliberatione suspiceris temerè aliquod crimen insuspicabile de viro integerrimo. Ita Sotus lib. 3. q. 4. art. 3. Existimo tamen opus esse non solùm vt aduertas suspicionem, sed vt eius aduertas temeritatem, & vt læsio tanta sit, quæ iudicio prudentis existimanda sit grauis, & ad peccatum mortale sufficiens. Vnde sequitur, ceteris paribus, posse contingere, vt mortale sit suspicari, vbi nonnisi veniale esset dubitare: læsio enim est grauior in suspicione, quæ est in peiorem dubij partem nonnulla declinatio.

*Sententiæ quorũdam.* Non desunt tamen qui dicant, numquam esse mortale in eiusmodi dubitatione aut suspicione, eò quòd semper solùm leuis ea sit proximi iniuria, & difficillimè talia vitentur, adeoque ad humanam tentationem pertineant, sine qua duci ista vita non potest. Quo argumento Augustinus eiusmodi suspiciones ad venialia peccata pertinere dixit, Tractatu 90. in Ioannem.

*Vera sententia.* Hæc sententia non est improbabilis, & videtur esse Caietani, qui putat ad peccatum veniale alterutrum sufficere, quòd æstimatio vel leuis sit, qualis est suspicio, vel de peccato leui.

Verius tamen videtur quod diximus, & ad D. Augustinum respondeo, Ipsum loqui de suspicione indeliberata & surreptitia, aut quæ ex ignorantia & infirmitate humana oritur: in nostro autem casu, quo dicimus eam posse esse mortalem, plenè deliberata & obstinata est, vt iam excedat humanæ tentationis modum; neque enim sine corrupto de moribus iudicio potest quis iudicare volens & sciens, malè sibi suspicandum esse de proximo, sine vera caussa & fundamento. Docet autem Augustinus, tum venialem esse de personis suspicionem, quando nihilominùs de ipsis rebus quod appetendum est appetimus, quod deuitandum deuitamus.

*Opinatiuè temerè iudicare, peccatum mortale.* Quæritur Secundò, Vtrùm temerè iudicare opinatiuè de malitia proximi, sit peccatum mortale, an verò tum demum mortale sit, quando pro moraliter certa habes eius malitiam, neque vllam admittis dubitationem. Hoc enim existimare videtur Caietanus, putans ita voluisse D. Thomam.

Sed à minori ex dictis sequitur, esse mortale, proximum temerè iudicare de mortali, etiamsi ita sis dispositus, vt teipsum interrogans dicturus sis, fortè falsum esse, tamen sic tibi videri. Ita tenent Bannesius, Arragonius, & Salonius contra Caietanum hîc, & in Summula, Lyranum in caput 7. Matth. & 4. Iacobi, Nauarrum in Rubricam De iudiciis, & in cap. Si quis, De pœnitentia, dist. 7. Emanuelem Sà verbo Iudicium temerarium.

Nihilominùs solidum argumentum pro nostra responsione petitur ex Sacris litteris, quæ absolutè damnant iudicia temeraria, Matth. 7. Lucæ 6. Rom. 2. & 14. 1. Corinth. 4. Iacobi 4. Vnde colligimus, ex genere suo ea esse peccata mortalia, neque excusari posse à culpa letali, nisi per inaduertentiam, aut materię paruitatem. Quod confirmari poterit ex cap. 8. Zachariæ, vbi cogitare in corde malum contra amicum, censetur inter illa quæ odit Dominus.

Secundò, Quando frequenter inculcat Scriptura, ne temerè iudicemus, indicat, frequenter ea temeritate grauiter peccari. Rariùs autem contingit ita firmum esse temerarium iudicium, vt ne virtute quidem subsit dubitatio, sicuti ad peccatum mortale requirit Caietanus.

Tertiò, Opinatiuo isto iudicio verè læditur notabiliter bona existimatio quam debemus habere de proximo, & qui tale iudicium animis aliorum ingeneraret detrahendo proximo, non excusaretur à mortali.

Quartò, Quod opinio bona de proximo ei est in genere bonorum, hoc mala opinio in genere

malorum: atqui bona opinio magnum eius bonum est; ergo mala magnum eius malum, adeoque peccatum mortale, quando temeraria est. Confirmatur, Quia iudicia ista ex genere suo pertinent ad opinionem & fidem humanam; non ergo debet in illis exspectari certitudo qualis in scientiis aut fide infusa reperitur.

Dices, D. Augustinum suprà per iudicia quæ mortalia sint, vt ipse se explicat, intelligere definitas firmasque sententias, atque adeò non comprehendere opinatiua illa iudicia.

Respondeo, D. Augustinum per definitum & firmum iudicium illud omne intelligere, quod iam amplius est quàm vacillans dubitatio aut suspicio, & in alteram partem sententiam firmam, & vt loquitur Epist. 137. iudicium Dei suo præiudicio præuenit. Quod etiam citatum reperitur 2. quæst. 1. cap. Nomen.

Quæritur Tertiò, De quo obiecto debeat esse iudicium temerarium, vt sit mortale.

DICO PRIMO. Longè alia ratio est iudicij de opere, & de persona operante; cuius intentionem non possumus videre, & cui nocet temerarium nostrum iudicium, quia fit contemptibilior, & iudicamus alienum seruum, iudicium in nos Domini prouocantes. De opere autem in se spectato non rectum iudicium ita subinde considerari potest, vt error non cedat in malum iudicati, sed tantùm iudicantis; atque ita D. Thomas erroneum iudicium de opere à mortali excusat art. 4. ad 2. Quia tamen ex opere iudicato proclive est iudicare operantem, obseruanda est hac in re doctrina Hugonis Victorini in Miscellaneis lib. 1. cap. 99. *De proximo tuo*, inquit, *hoc modò iudicare debes: Vide quidquid facit, an certum bonum, an dubium bonum, an certum malum, an dubium malum. Si certum bonum est, paruum magnũ, magnum autẽ maius existimes; si dubium bonum, verum puta; si certum malum est, magnum paruum, paruum minus iudica; si dubium malum est, bonum puta.* Ita ille. Iudicium ergo de opere vel pertinet ad iudicium personæ, quando intentio simul inuoluitur; vel ad iudicium de rebus, quando intentio operantis non simul iudicatur: & hoc modo vix erit peccatum mortale, etiamsi erretur, nisi tangat materiam Fidei, vel generalem doctrinam morum.

*Temerè iudicare de veniali, veniale.*

DICO SECVNDO. Regulariter solùm est peccatum veniale, quando temerè proximus iudicatur peccare venialiter. Est communis. Est enim leue illud proximi detrimentum, neque inde fit contemptibilis, cùm nemo hîc viuat sine eiusmodi peccatis.

*De mortali, mortale est.*

DICO TERTIO. Regulariter est mortale, temerè iudicare proximum de mortali; hoc enim est damnare personam. Est D. Thomæ, & communis, D. Augustini De vno Baptismo, contra Petilianum, cap. 16. *Si fortè aliter se veritas habet, ipsi certè humanitati debitum redditur, cùm homo de homine nihil mali temerè suspicatur, nec cuiquam criminanti facilè credit.*

*Aliquando contrà.*

DICO QVARTO. Fieri tamen potest vt veniale sit iudicium de mortali, & mortale de veniali. Prioris exemplum est, si temerè iudices militem de temerè suscepto duello; posterioris, si virum grauem temerè iudices futilem esse & leuitatibus deditum. Ratio est apud D. Thomam hîc ad 3. quòd interius iudicium non pertineat ad iniustitiam, nisi vt comparatur ad exterius, vt actus interior ad exteriorem, ira ad homicidium. Malum ergo quod proximus ex iniqua nostra æstimatione incurrit, ponderandum est ex contemptu qui inde natus est etiam exteriùs sequi: is autem in milite in proposito coram hominibus leuior, in viro autem graui notabilis esset: quare si contemptus similis apud te in animo sequatur, & apud alios sequi natus sit ex prauo iudicio de scientia, amentia, & natalibus proximi, forsan & in talibus iudicandis temeritas habere poterit culpam mortalem. Si enim qui dicit fratri suo, Fatue, Matth. 5. dicitur reus gehennæ ignis; non erit immunis à grandi peccato, qui eum in corde suo tamquam fatuum despexerit, secundùm illud Prouerb. 14. *Qui despicit proximum suum, peccat.* Tale peccatum incurrit Michol 2. Reg. 6. quando Dauidem despexit in corde suo tamquam vnum de scurris, grauiter in hoc reprehensa & punita.

Illud tamen notandum, Quando in iudicio temerario de peccato mortali non interuenit culpa mortalis, hoc inde prouenire, quòd multum temeritatis abstergat viuendi consuetudo istius generis hominum. Quo etiam fit, vt quoad istud non tam integrè miles famam in suprapositio exemplo possederit.

Quæritur Quartò, Quæ indicia sufficiant, vt iudicium ex eis conceptum non sit temerarium?

Respondeo, Suppositio quòd quisque debeat haberi probus donec probetur improbus, temerè dubitatur de proximi probitate sine indicio, quod sufficiat non solùm ad indifferentem animum tentandum, sed etiam ad beneuolum labefactandum. Quamuis autem indicium nactus sis quo sine temeritate dubites, non ideò quo suspiceris, & licet habeas quo suspiceris, non tamen quo iudices; & quamuis quo iudices in corde tuo, non tamen quo aliis idipsum reueles, multò minùs quo in iudiciali foro proximum condemnes. Exemplo res ista declaratur Salomonis, qui licet indicium deprehenderat, quo meretricum litem dirimere prudenter posse videbatur, ita tamen illud iudicauit sufficere ad reddendum filium ei quam dignouit veram esse matrem, vt eo vsus non sit ad puniendam alteram filij necatricem, & sociæ calumniatricem. Oportet etiam hîc personas & crimina quæ in suspicionem veniunt circumspicere: non enim idem erit sufficiens indicium contra virum grauem de graui crimine, quod contra leuem, aut de leui. Ea ergo demum de personis licitè iudicamus, quæ manifesta fuerint, & in oculos incurrerint, de quibus scriptum est, *De fructibus eorum cognoscetis eos.* & alibi: *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium.* Illud tamen cauendum, ne eum quem in manifesto vitio deprehenderimus, ita iudicemus quasi numquam possit corrigi & mutari. Ita ferè D. Augustinus lib. 2. De sermone Domini in monte, cap. 18.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm dubia sint in meliorem partem interpretanda? D. Thomas artic. 4.*

RESPONDEO, Dubia de rebus in neutram, de personis aliorum in meliorem, de propriis in tutiorem partem declinando, sunt interpretanda. Ita ferè D. Thomas. Ratio responsionis est, quòd



quòd in rerum dubio nullius vertatur præiudicium, præterquam ipsius dubitantis, quatenus eius interest de rebus habere verum iudicium: in personæ autem alienæ æstimatione ratio eius est habenda, quòd iam in animo tuo Iure stricto aut charitatis possederit; possidet enim quisque opinionem probitatis, quodam Iure præiacenti, de qua possessione in dubio deturbari non debet. In personæ autem propriæ caussa, vbi nec iniuriæ periculum est, nec æquè securum vtrimque iudicium, securior pars est eligenda, vt patet ex ijs quæ 1. 2. diximus, quando De conscientia. Quod etiam extendendum est ad Prælatos, qui paternè agunt ad emendationem & custodiam subditorum, de quorum peccatis dubia ingesta sunt: agunt enim ipsorum partes, in securiorem partem dubia interpretando, & de cetero opinantur de ipsis meliora, tametsi ita loquantur, vt fecit Apostolus ad Heb. 6. Exeo enim quòd Prælati inuigilare gregi suo iubeantur, omnia quæ omnino perspecta non habent, suspecta habere possunt, sicut Iob cap. 1. non tantùm sua, sed etiam filiorum opera verebatur, ne fortè peccassent. Nunc itaque videamus, quomodo nos gerere debeamus in dubiis circa probitatem proximi.

*Dubium negatiuum.*

Notandum Primò, Dubium vel posse esse negatiuum, quando in neutram partem suppetunt argumenta; quomodo dubitari contingit de homine prorsus ignoto, sitne probus: vel positiuum,

*Positiuum.*

quando vtrimque sunt argumenta, quomodo dubitare possumus, vtrùm probus sit, quem cùm aliàs probum nouerimus, nunc videmus laborare suspicione alicuius improbitatis.

Notandum Secundò, Pluribus modis in meliorem partem dubia interpretanda posse intelligi. Primò, Ex obligatione iustitiæ. Secundò, Ex obligatione charitatis. Tertiò, Ex inclinatione & suasione charitatis siue præcepti obligatione. Item interpretatio ipsa vel positiuè vel negatiuè in meliorem partem intelligi potest: positiuè quidem, si post exortum dubium de probitate proximi, nihilominùs iudices ipsum probum esse: negatiuè autem, si non obstante dubitatione exorta, nihilominùs te abstineas à condemnatione de improbitate, quamuis non dicas positiuè esse probum. Rursum iudicium de probitate aut improbitate proximi potest in te esse vel merè speculatiuum, vt si iudices, secundùm rem verius videri quòd sit improbus; vel practicum, quando non solùm dicis in animo, verius esse quòd sit improbus, sed apud te ex illo iudicio eum in animo tuo pro tali habes, adeoque contemnis. Vbi notandum est, iudicium illud posse esse practicum, etiamsi exteriùs non intendas vllo modo contemptum istum verbo aut facto declarare, aut in aliquo ipsum postponere magis quàm ante dubitationem exortam.

Notandum Tertiò, Aliud esse dubitare de proximi probitate, aliud iudicium de ea suspendere: fieri enim potest vt iudicium suspendat, qui non dubitat propriè, sed videt quò probabiliora trahant iudicia, & sequi non vult.

Notandum Postremò, Cum iudicio practico de probitate quoad vnum effectum, posse consistere dubium quoad alium: verbi gratia, iudicabis probum ne noceas ei ab alio petenti Beneficium; dubitabis vtrùm probus sit, vt non credas ei negotia tua, vel vt non conferas ei Beneficium.

His notatis, DICO PRIMO. In negatiuo dubio de proximi probitate non licet declinare in partem deteriorem, positiuè ipsum iudicando improbum: hoc enim est temerè & sine caussa iudicare proximum, qui debet in dubio præsumi bonus. Ita Caietanus hîc.

DICO SECVNDO. Quoad effectum tamen aliquid ei de nouo committendi, de quo diximus notabili 4. poterit se quisque vt dubium gerere in hoc casu, quod multo magis locum habet in dubio positiuo; quia ad talia non præsumitur quisque idoneus, & qui commissurus esset, ius habet alterum quoad hoc practicè non habendi pro probo, nisi probetur; agitur enim de acquirendo, non autem de non amittendo. Ita Nauarrus.

DICO TERTIO. Dubio exorto de probitate proximi, ex quo non nisi temerè ipsum esse improbum iudicare possum, non teneor positiuè formare actuale iudicium de eius probitate, sed sufficit quòd in animi præparatione habeam iudicium practicum, quo eum corde, verbo, & opere, loco hominis probi habeam & tractem, & non formem iudicium huic contrarium. Si tamen iudicare voluero personam, in meliorem partem declinandum est, vt post D. Thomam & Caietanum rectè Salonius. Excipe à dictis casum quo non aliter vincere possis tentationem ac peruersum iudicium, nisi elicito practico iudicio, quo decernas habendum proximum pro viro probo; tunc enim ei debita bona opinio est, quasi in extrema necessitate, cui te succurrere oporteat.

DICO QVARTO. Non est mortale, si pro qualitate & merito argumenti in dubium reuocantis proximi probitatem, non tamen probantis improbitatem, iudices speculatiuè, probabilius esse ipsum esse improbum, modò quia hoc vides certum non esse, non iudices ipsum à te aut alijs habendum esse pro improbo. Imò neque mortale erit, si non æquè firmiter habeas practicè eum pro bono sicut priùs, modò definitiuo iudicio, saltem in animi præparatione, adhuc eum habeas pro bono. Nullo tamen modo licebit, quando iudicium practicum licitum non est, secundùm illud exterius loqui vel agere cum præiudicio famæ proximi, multo minùs in iudicio publico condemnare. Quod confirmatur, Quia in occultis peccatis, etiam vbi iudicium practicum propter certitudinem in animo licitum esset de improbitate proximi, non tamen licet exteriùs illud exercere cum ipsius infamia.

DICO QVINTO. Fieri potest, vt dubio exorto liceat suspendere iudicium actuale de proximi probitate aut improbitate, quamuis non suppetat argumentum sufficiens vt dubiam practicè habeas eius probitatem. Ita Caietanus & Salonius; qui tamen distinguit inter notum & ignotum, vt de noto priùs probo, non æquè liceat iudicium suspendere ac de ignoto: at cùm non teneat propter occurrens dubium elicere actum iudicij, superuacanea videbitur hæc distinctio, vt patet ex tertia propositione suprà.

DICO SEXTO. In dubium reuocata proximi probitate absque sufficienti ad iudicium argumento, iustitia me obligat ne eum habeam pro improbo; ex charitate autem teneor, saltem sub veniali, in positiuo dubio, quando vtrimque sunt argumenta, non malè suspicari quoad eius fieri potest: sine præcepto autem ex charitate inclinor,

vt etiam speculatiuè nihil omnino minuam ratione huius dubij de bona quam habebam de ipso priùs existimatione, quantum hæc diminutio meæ subest libertati. Huc pertinet quod dicit D. Augustinus lib. 2. De sermone Domini in monte, cap. 18. *Præcipi*, inquit, *existimo, vt ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.*

DICO POSTREMO. Si vir probus de alio probo malè loquatur, oportet quoad vtrumque dubium apud te inde exortum interpreteris in meliorem partem: si quoad vtrumque non possis, cæteris paribus, potiùs reo quàm actori fauendum est, quando Iura partium ambigua sunt, vt habet Regula Iuris.

## DVBIVM V.

### *Quænam sint conditiones iusti Iudicis?*

*Requiritur auctoritas legitima.* RESPONDEO, Ante omnia requiritur legitima auctoritas: sine illa enim erit iudicium vsurpatum, & iudicabitur alienus seruus. Est enim sententia instar particularis cuiusdam Legis; Lex autem ferri non potest nisi à Superiore, vt dictum est Tractatu De Legibus. Secundò, Iudicium vim habet coactiuam, adeoque supponit cogendi in Iudice potestatem. Tertiò, Naturâ omnes fratres & pares sumus; par autem in parem non habet imperium, neque quis sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo. Denique res illa omni Iure clarissima est, vt videre licet Tit. De foro competenti, in Iure Canonico, & in Iure Ciuili ff. De iurisdictione, L. Cùm quædam, & L. finali, & C. Si à non competente Iudice iudicatum esse dicatur, per totum Titulum.

*Vt ex inclinatione iustitiæ iudicet.* Secundò opus est, Vt iudicet ex inclinatione iustitiæ. Contra quam conditionem peccatur duobus modis; vno, quando iudicatur contra Ius, quod dicitur iniustum iudicium: altero, quando iudicatur contra Iuris ordinem, quod dicitur peruersum.

Tertiò necessum est, Vt secundùm rectam rationem prudentiæ iudicium proferatur, aliàs dicetur temerarium.

Quartò, Vt Iudex quæ iam dicta sunt seruet, opus est ei scientia, & Iurisprudentia, odio auaritiæ, & amore iustitiæ. Quamobrem Moysi
Exod.18. dicit Iethro: *Prouide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* & Deuteronomij 1. ipse Moyses: *Date ex vobis viros sapientes & gnaros*, &c.

Dictis subseruiunt & aliæ conditiones, quas videre licet apud Siluestrum verbo Iudex 1. q. 2. vtpote, Ne sit surdus, mutus, perpetuò futiosus, impubes, femina, seruus, excommunicatus, consanguineus rei, inimicus actoris, vel aliâ causâ suspectus. Cæcum etiam à iudicio quidam arcent, sed L. Cæcus, ff. De iudicijs, eum admittit.

*Obiect.* 1. Dices, Moyses iudicauit sine iurisdictione
2. Ægyptium, quem occidit Exodi 2. Phinees etiam Numerorum 25. puniuit sine iurisdictione;
3. denique arbitri sine iurisdictione iudicant, &
4. spiritualis, vt dicit Apostolus 1. Corinth. 2. omnia iudicat.

*Resp. ad 1.* Respondeo, Vel Moyses in hoc excusandus non est, quamuis indolis suæ bonum specimen ediderit, vt voluit Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 70. vel specialem Dei habuit reuelationem, & Dei auctoritate fecit hoc tentamentum sui ducatus & liberationis, vt indicat Stephanus cap. 7. Actor. Vbi dicit: *Existimabat autem intellegere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis; at illi non intellexerunt.* Neque obest, quòd circumspectè & cautè se gesserit, quia Dei reuelatio non excludit nostram industriam, vt patet in Iacob agente apud patrem pro benedictio- Genes. 27.
ne. Hanc sententiam sequitur idem Augustinus quæst. 2. in Exodum, priorem emendans. Vel denique hoc fecit defendendo fratrem cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt exposuit D. Ambrosius lib. 1. Officiorum, cap. 36. Neque enim constat non fuisse fratrem in ea necessitate, vt pro eius defensione opus fuerit Ægyptium percutientem interficere.

Ad Phinees quod attinet, vel zelo diuinitus *Ad 2.* inspirato excusatur, vel sanè erat ex Iudicibus, ad quos eiusmodi vltio pertinebat, præsertim cùm iam Moyses eis dixisset, *Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.*

Arbitri verò non vsurpant iudicium, sed ex *Ad 3.* compromissione partium, arbitrio suo, ne ad iudicium venire opus sit, litem componunt, neque aliam habent coactionem, quàm obligationem quæ ex partium promissione oritur; & pœnæ subsidium, quæ propter defectum iurisdictionis adiungi solet, vt dicit D. Thomas quæst. 67. art. 1. ad 2.

Denique spiritualem dicit Apostolus omnia *Ad 4.* iudicare, quia cùm animalis non percipiat ea quæ Spiritus Dei sunt, sed tantùm terrena, spiritualis & diuina & terrena rectè æstimat & discernit; nouit enim quid bonos præmij, quid malos & carnales maneat supplicij, & ita omnia iudicat, vt à nemine iustè reprehendatur, aut iudicetur in rerum iudicio damnabiliter errasse. Ita ferè Chrysostomus Homilia 7. in illam Epistolam. Vnde patet, non agi de iudicio fori, sed conscientiæ seu priuato; quomodo etiam Philosophus 3. Ethicorum dicit, virum bonum rectè in omnibus iudicare. Sicuti enim qui visu præditus est, & videntes videt & cæcos, ipse autem à cæcis non videtur; ita spiritualis iudicat omnia, & à nemine animali iudicatur.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm in propria causa possit quis esse Iudex?*

RESPONDEO, Non posse, vt patet apud Gratianum 4. quæst. 4. cap. 1. & 2. & apud Philosophum 1. Rhetoricorum. Potest tamen Iudex de hoc ipso iudicare, vtrùm ipse sit Iudex competens; & vbi se pronuntiat non esse Iudicem, partem quæ id sustinuit quòd ipse esset Iudex, in expensis condemnare. Panormitanus in cap. finale De rescript. numero 14.

Dices, Daniel cap. 13. in causa Susannæ fuit *Obiect.* simul accusator & Iudex. Ipse etiam Deus in propria causa iudicat, & simul Iudex est & testis: Ieremiæ 23. Denique Princeps supremus quando bellum alteri decernit, in causa propria Iudex est.

Respondeo, Danielem extraordinariè delega- *Resp.* tam iudicij illius ad liberandum innoxium sanguinem habuisse potestatem à Deo, qui, vt Scriptura



ptura dicit, *ad hoc suscitauit spiritum pueri.* Quæ autem diuina fiunt peculiari inspiratione, trahenda non sunt in actionis ordinariæ exemplum; multo minùs hominum iudicia cum diuinis conferenda sunt: Deus enim cùm intueatur cor, & falli non possit, simul testis & Iudex est. Homo autem qui tantùm ea videt quæ parent, & facilè falli potest, testimonio indiget alieno, vt sua certiora sint iudicia.

Ad ius belli mouendi quod attinet offensui, (in defensiuo enim non est difficultas) in manifesta illud fundatur æquitate, vt supplere Princeps possit defectum punitionis iniuriæ sibi vel suis illatæ, quando ea maneret inulta, vel quia Iudex alius non est, vel quia alius non punit: tunc enim quodammodò ad Principem læsum iurisdictio deuoluitur. Adde, ratione delicti quodammodò tunc forum Principis offensi externos illos offensores sortiri.

## DVBIVM VII.

### *Quomodo Iudices peccare contingat vsurpato iudicio? D. Thomas quæst. 67. art. 1.*

*Quatuor modis est quis subditus Iudici.* RESPONDEO; Non subditum iudicans, vsurpat iudicium. Est autem pluribus modis quispiam alteri subditus, Iure ordinario, potestate delegata, ex consensu & compromissione, & ratione delicti. Si quis eum iudicauerit, qui sibi nullo ex quatuor istis modis fuerit subiectus, peccat iudicio vsurpato, nisi fortè causa ad eum fuerit deuoluta; quomodo propter negligentiam Iudicis sæcularis deuoluitur potestas iudicandi ad Iudicem Ecclesiasticum, saltem per iurisdictionis prorogationem, cap. Licet, & cap. Ex tenore, De foro competenti.

Circa tertium modum disputat prolixè Caietanus, vtrùm Pontifex possit sese iudicio alterius submittere: cuius tandem eò redit responsio, posse Pontificem in foro iudiciali externo se alteri submittere quoad emendationem, verbi gratia, vt restituat quod iudicio eius iniustè abstulerit, non autem quoad punitionem, quo modo Leo IV. se submisit Imperatori, cap. Nos si incompetenter 2.
*Papa quo modo possit se submittere.* quæst. 7. Papa ergo in terris non habet Iudicem, sed potest sibi deligere arbitrum, potest aliquem eligere ad cuius iudicium satisfaciat, non autem à quo valeat excommunicari vel deponi.

Circa quartum modum notandum est, non solùm ratione delicti fortiri quempiam forum, quod habetur cap. Postulasti, De foro competenti, sed ratione contractus, imò & ratione susceptæ litis initio non declinato Iudice, & per quamdam iurisdictionis prorogationem, ratione domicilij aut loci destinatæ solutionis.

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm Clericus iudicari à laico possit?*

*Clericus à laico non iudicandus in causis Ecclesiasticis.* DICO PRIMO. Laicus non est ordinarius Iudex Ecclesiasticus, neque quoad Ecclesiasticas, neque quoad ciuiles causas, siue eæ sint propriè ciuiles, siue criminales.

Non esse quoad Ecclesiasticas seu spirituales causas, Iuris diuini & naturalis est, & de Fide est assertio, aut saltem Fidei proxima. Voco autem spirituales causas, quæ pertinent ad Fidem, Sacramenta, & Sacrificium, & denique quæcumque ad diuinum cultum, animæ salutem, eiusque à peccatis curationem & remedium spectant.) Probatur Scripturis sacris, quæ apertè distinguunt regimen Ecclesiasticum à sæculari, & illud huic præferunt, vt alibi ostendimus. Tales sunt: *Pasce* Ioan. 21.
*oues meas. Quodcumque ligaueris*, &c. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Si Eccle-* Matth. 16. Lucæ 10.
*siam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publica-* Matth. 18.
*nus. Quid vultis? in virga veniam ad vos?* Item, *Ego* 1. Cor. 4.
*quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam* 1. Cor. 5.
*iudicaui vt præsens, eum, qui sic operatus est.* Et illud:
*In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* 2. Cor. 10.
Et infrà: *Nam, & si amplùs aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram: non* 2. Cor. 13.
*erubescam.* Et iterùm: *Ideò hæc absens scribo, vt non* 2. Cor. 13.
*præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi.* Item illud: *Obedite Præpositis* Hebr. 13.
*vestris, & subiacete eis.* Sanè recipere accusationem aduersus Presbyterum, pertinere ad Episcopum, patet 1. Tim. 5. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Regimen Ecclesiæ Dei Episcopis commissum esse, dicitur Act. 20.

Secundò, Ex Conciliis. Mileuitanum can. 19. (& refertur cap. Placuit 11. quæst. 1.) deponit Clericum, qui ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit. Matisconense I. can. 8. (& refertur cap. Nullus Clericus, ead. quæst.) districtè statuit, ne quis Clericus audeat alium apud Iudicem sæcularem accusare, aut ad causam dicendam trahere, sed omne negotium Clericorum Ecclesiastico iudicio esse terminandum. Similia habet Tridentinum sess. 25. cap. 20. De reformatione.

Tertiò, Ex Pontificibus, quos videre licet dicta quæst. 1. cap. Si quis, cap. Clericum, cap. Nullus Episcopus, & aliis. Item in Decretalibus, De foro competenti, De immunitate Ecclesiarum.

Quartò Probatur Ratione. Laicos oportet de rebus spiritualibus à Pastoribus suis edoceri, quos in hoc ipsum Dominus constituit; itaque iudicium de eiusmodi rebus non potest ad laicos pertinere, sed tantùm discipulatus. Vnde & S. Martinus legitur exclamasse, nouum esse & inauditum, causam Ecclesiæ à sæculi Iudice iudicari.

Quoad causas ciuiles, patet assertio ex Nouel- *Neque in ciuilibus.*
lis Iustiniani, Constitutione 19. 83. & 123. & epistola Caij Papæ ad Felicem Episcopum, & epistola 2. Marcellini. Imò pleræque auctoritates pro priori parte notatæ, etiam de ciuilibus causis loquuntur, sicut & cap. Decernimus, De iudiciis; quamuis quoad merè ciuiles causas, bona tantùm patrimonialia concernentes, non sit hæc exemptio Iuris diuini.

Sed quæres, Vtrùm etiam Clericus primæ tonsuræ, qui non est in Sacris, præsertim si coniugatus sit, gaudeat priuilegio fori, etiam in ciuilibus.

Respondeo, De hac re sequendam esse Consti- *Quinam Clerici gaudeant hoc priuilegio.*
tutionem Tridentini sess. 23. cap. 6. De reformatione, vt nimirum fori priuilegio is demum Clericus coniugatus gaudeat, qui habitum & tonsuram deferens, alicuius Ecclesiæ ministerio vel seruitio ex deputatione Episcopi institerit. Non coniugatus autem, in minoribus, tum demum, quando vel Beneficium habuerit Ecclesiasticum, aut Clericalem habitum & tonsuram deferens, alicui

alicui Ecclesiæ ex Episcopi mandato inseruit, vel de licentia eius versatur in studiis, quibus ad maiores Ordines disponatur. Vtrùm autem isti in solis criminalibus gaudeant priuilegio fori, an etiam in ciuilibus, disputat Scaccia lib.1. De iudiciis, cap. 9. vbi dicit, de consuetudine in ciuilibus hoc priuilegio non gaudere; at in Clerico maiorum Ordinum dicit locum habere, etiamsi conueniatur tamquam heres laici. Quem etiam consule, quid dicendum, quando Clericus simul secum correos habet laicos, aut ordinatus est post admissum delictum: vtrobique enim ex huius auctoris sententia adeundus erit Iudex Clerici, nisi fortè in fraudem Ordinatio facta sit.

*Obiect.* Obijcies, Iustinianum Imperatorem multa Clericis præscripsisse in causis merè spiritualibus.

*Resp.* Respondeo, Eumdem Imperatorem iudicio Episcoporũ remittere causas Ecclesiasticas Constitutione 83. in Nouellis, vt Clerici apud proprios Episcopos primùm conueniantur: neque eius Constitutiones in materia spirituali & Canoca vim Legis habent, sed solùm per modum institutionis accipi debent, & nullius omnino sunt roboris, vbi Canonibus contradicunt; nam vt dicitur eadem Constitutione; *Imperatoria Leges non dedignantur sacros Canones sequi.*

DICO SECVNDO. Potest Pontifex Ecclesiasticorum causas Iudici laico delegare. De pecuniarijs non est difficultas, quia illas laico etiam Episcopus potest delegare. Potestatem autem Papæ hîc etiam ad criminales & spirituales causas extendit Glossa in dictum cap. Decernimus, Extra. De iudicijs, & Panormitan. ibid. Verùm tunc laicus non iudicat Ecclesiasticum Iure proprio (quod esset contra Ius diuinum in spiritualibus causis) sed Iure Ecclesiastici delegantis. Vnde & appellatio non posset fieri ad Superiorem laici Iudicis, sed ad Ecclesiasticum delegantem. Potest etiam Pontifex Principibus concedere, vt Clericorum controuersias in possessorio cognoscant. Item vt possint causas Clericorum ad sua tribunalia trahere, quando aliquis etiam sæcularis conqueritur se vim pati à Iudice Ecclesiastico. Consulendus Nauarrus in Rubricam De Iudicijs, numero 69.

*Ecclesiasticus non potest renuntiare huic priuilegio.* DICO TERTIO. Non potest Ecclesiasticus fori priuilegio renuntiare, aut iurisdictionem laici in se prorogare, etiamsi negligens sit Iudex Ecclesiasticus: & si tentauerit, non subsistit eiusmodi cessio, quantumuis iuramento fuerit confirmata, & causa fuerit temporalis, & aduersarius consenserit, quia pacto priuatorum Iuri publico non derogatur, & Beneficium hoc non est personale cui renuntiari valeat, sed potiùs toti collegio Ecclesiastico publicè est indultum, vt patet cap. Si diligenti, De foro competenti. Consulenda Glossa in cap. Placuit 11. quæst. 1. Nam etiam à laico tractus, tenetur forum sæculare declinare, & incompetentiam allegare.

*Potest coram laico reconueniri.* DICO QVARTO. Potest tamen Clericus trahere laicum ad sæculare tribunal in causa sæculari, & coram eo reconueniri. Prior pars patet, quia actor sequitur forum rei. Posterior ex cap. 2. De mutuis petitionibus; vbi Panormitanus in specie eam tradit, eumque casum esse vult, quo Clericus proroget iurisdictionem Iudicis sæcularis, sine facultate Episcopi.

DICO QVINTO. Potest Clericus in arbitrum aut saltem, vt quidam malunt, in arbitratorem laicum consentire, modò causa non sit spiritualis. Ita Siluester verbo Arbiter, quæst. 18. apud quem videre licet, quid interfit inter arbitrum & arbitratorem, item inter arbitrum compromissarium & arbitrum Iuris.

*Domestici & Officiarij Episcopi gaudent priuilegio fori.* DICO SEXTO. Exempti sunt à iudicio sæculari qui sunt de familia Episcopi, item sæculares Officiarij Curiæ Episcopalis. De famulis seu domesticis Episcopi, quòd non possint, etiamsi delinquant, à Iudice laico puniri, etiamsi fuerint meri laici, sed gaudere debeant priuilegio fori, est communis sententia Doctorum, vt docet Panormitanus in cap. 2. De foro competenti, num. 6 Iulius Clarus lib. 5 Receptarum sententiarum in practica criminali quæst. 35. numero 18. Fauet dictum cap. 2. De foro competenti, & cap. fin. De officio Archidiaconi: quamuis rectè moneat Suarez contra errores Anglicanos lib. 4. cap. 29. non tam Iure, quàm consuetudine niti hanc exemptionem; consuetudine inquam admodum rationabili.

De Officiarijs Curiæ spiritualis quoad delicta in & circa officium commissa, nulla etiam est dubitatio. Videantur concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem quæ seruantur per Diœceses Belgij. Imò Baiardus in Additionibus Iulij Clari id extendit meritò etiam ad tempus quo Officiarius iam officium reliquit, quoad causas, officium quo iam defunctus est, concernentes.

At meritò quæritur, Vtrùm etiam in excessibus aut delictis neque in officio, neque circa officium, sed tempore officij admissis sint fori Ecclesiastici?

Respondet Clarus dicta quæst. 35. num. 22. de consuetudine esse de foro Ecclesiæ etiam quoad ista. Idem sentit Zerola in Praxi Episcopali 1. parte, verbo Episcopus, num. 11.

DICO SEPTIMO. Si dubium sit ánne hæc persona debeat gaudere priuilegio fori, oportet de illo dubio cognoscat Iudex Ecclesiasticus, non autẽ sæcularis. Probatur ex cap. Si Iudex, De sententia excommunicationis, in 6. vbi & ratio adfertur, quòd nimirum agatur de re Ecclesiastica & spirituali.

DICO POSTREMO. Quæ de Ecclesiastica persona dicta sunt, aliquousque etiam extendenda ad locum sacrum. Peccat enim Iudex si in eo iudicia sanguinis exerceat, aut extra illum reos violentè trahat, vt patet De immunitate Ecclesiarum, cap. Cùm Ecclesia, & cap. Inter alia. Vnde cautè legendum Enchiridion rerum criminalium Damhouderij cap. 106. num. 12. vbi videtur hæc Ecclesiæ immunitas tamquam nimis laxa & Reipublicæ noxia suggillari. Potest tamen Iudex Ecclesiasticus reos extra locum sacrum extrahere; quod de reo Ecclesiastico vsu receptum esse docet, cum auctoritatibus à se citatis, Suarez De Religione lib. 3. cap. 10. Diaz in Pract. criminal. can. c. 124. & ibidem Salsedo. Sed etiam de laico reo accipiendum esse patet, quia immunitas Ecclesiastica non conceditur contra Ecclesiam, aut Ecclesiasticam potestatem. Vnde in dicto cap. Inter alia, distinguuntur rectores Ecclesiæ contra Iudices illos contra quos sit immunitas concessa; nam dicitur, quòd rectores Ecclesiarum debeant reis



reis obtinere membra & vitam. Vide ibi Panormitanum.

Limita tamen dicta cum Diaz, vt non possit extrahi Clericus è loco sacro à Iudice Ecclesiastico, quando post degradationem esset tradendus Iudici sæculari. Excipe tamen crimina quæ excipiuntur in Bulla Gregorij XIV. mox citanda. Aduertendum etiam non posse laicum magis extrahere Clericos, etiam fori priuilegio non gaudentes, quàm laicos. Quia verò nonnulla crimina non gaudent Ecclesiastica immunitate, committitur Ordinarijs, vt in suo carcere sequestrent reos, quando dubitatur an gaudere debeant immunitate per Bullam Gregorij XIV. quæ incipit Cùm aliàs nonnulli.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm tyrannus vsurpato peccet iudicio, quoties Ius dicit?*

*Duplex tyrannus.* NON quærimus de tyranno per abusum potestatis, qui legitimus est Iudex, sed de tyranno per vsurpationem potestatis, id est, qui per tyrannidem tribunal occupauit. Neque magnopere de eo laborandum, qui initio quidem potestatem vsurpauit, sed consensu populi nunc legitimus est Princeps, quo modo monarchias ferè cœpisse ex historijs constat. Certum enim est, talem nunc non vsurpare iudicium, cùm verè Iudex sit, quamuis olim vsurpauerit vt Iudex esset.

De illo ergo quærimus, qui legitimus non est Iudex, sed per tyrannidem occupat locum Iudicis.

Verùm neque de illo absoluta responsio est: Vel enim contingit eum à Republica vel Principe tolerari, eò quòd commodè amoueri non possit; quo casu eius iudicia rata quidem sunt, modò aliàs iusta, quatenus tacitè à Republica approbantur; non tamen ei licita, quia vsurpatæ alienæ potestatis mala fide perpetuò laborat. Vel contingit non esse toleratum, sed exauctoratum; quo casu non tantùm illicita, sed etiam irrita erunt eius iudicia, tamquam omni ex parte vsurpata. Ita Victoria Relect. De potestate ciuili, num. 23. Banneſius hîc quæst. 8. art. 1. quamuis Sotus lib. 3. q. 4. art. 6. videatur sentire, tum demum tyrannorum rata esse iudicia, quando facti fuerint legitimi Iudices. At omnino dicendum videtur, sicuti consensu populi ipsi fieri possunt legitimi Iudices, ita etiam legitima eorum posse fieri iudicia, quamuis adhuc ipsi maneant tyranni, quasi quoad hoc eos pro Iudicibus populo receptante, vt non tam rata sint quatenus ab eis proficiscuntur, hęc iudicia, quàm vt nituntur tacito saltem consensu Reipublicæ. Argumentum optimum est ex L. Barbarius, ff. De officio Prætorum, & cap. 1. 3. q. 7. §. Verumtamen. Verùm de hac re aliqua diximus 1. 2. q. 90. art. 3.

Notandum tamen ex Caietano verbo Tyrannus, etiam tunc quando tyrannus peccat dicendo Ius propter vsurpatum iudicium, subditum non peccare ab eo petendo Ius; quia virtute solùm petit vt minus peccatum potiùs admittat quàm maius, quia peius est occupato tribunali non administrare iustitiam aut pronuntiare iniustam sententiam, quàm ius dicere & iustum iudicium iudicare, licet vsurpata potestate id fiat.

## DVBIVM X.

### *Vtrùm Iudex in peccato mortali existens licitè iudicet?*

*Error Wiclefi.* AD vsurpatum iudicium Iudicis huius sententiam reijceret Wiclef, qui putauit quolibet peccato mortali amitti iurisdictionẽ. Verùm istud in Concilio Constantiensi damnatum est.

Itaque supposito quòd validum sit iudicium peccatoris, quæritur, Vtrùm iudicando peccet?

Sunt quinque sententiæ. Prima dicit absolutè peccare, eò quòd indignè vtatur officio suo. Videtur ita tenere D. Thomas in 4. dist. 19. q. 2. a. 2. ad quæstiunculam 2.

Secunda solùm dicit peccare, quando ipsius peccatum est notorium. Refert ita D. Thomas.

Tertia dicit Ecclesiasticum peccare, non autem Iudicem sæcularem. Ita Palude in 4. dist. 19. quæst. 3.

*Verior sententia.* Quarta dicit peccare quidem, sed solùm venialiter. Ita Sotus lib. 3. q. 4. art. 2.

Quinta absolutè negat peccare. Ita D. Thomas hîc q. 60. art. 2. ad 3. & Caietanus Opusculo De vsu spiritualium. Quæ sententia vera est, illis additis quæ satis indicauit D. Thomas, vt nimirum sine scandalo & cum humilitate congrua alterum iudicet, qui publico vel occulto peccato obnoxius est, quando ex officio iudicare constringitur. Huc pertinentia nonnulla diximus ad art. 5. q. 33.

*Obiect. 1.* Sed obijcitur, Iudex Ecclesiasticus videtur ministerium sacrum polluere, iudicando in peccato, sicut Sacramentorum minister.

2. Secundò, Videntur eiusmodi Iudices in hypocrisis peccatum incidere.

3. Tertiò, Videntur impingere in illud Ioannis 8. *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat.* Et in illud ad Rom. 2. *Inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas: in quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas.*

*Resp. ad 2. Actus sanctus duplex.* Ad Primum respondeo eum D. Thoma 3. parte, quæst. 64. art. 6. ad 1. Actus sanctos esse in duplici genere; quidam enim consecratione quadam sanctificantur, & in seipsis sanctificationem quamdam habent per consecrationem mysticam, qualia sunt Sacramenta; alij autem faciunt quidem ad dispositionem vel augmentum sanctitatis, sed non sunt ipsi sanctificati aliqua consecratione, & talia sunt communia opera virtutum charitatis & iustitiæ, atque adeò actus legitimi iudicij. Itaque peccator priora opera exercens sese amplius commaculat; posteriora autem exercens, ad iustitiam recuperandam disponitur.

*Ad 2.* Ad Secundum, Eiusmodi Iudices non esse hypocritas, nisi alios ideò iudicent, vt propriam significent iustitiam & sanctitatem quam non habent.

*Ad 3.* Ad Tertij priorem partem respondeo, Scribæ illi & Pharisæi Legem contra adulteram vrgebant, hoc in eos Dominus retorquet: si enim Leges obseruationem tanti facerent, seipsos priùs iudicarent. Qui ergo, inquit, sine peccato est, talis zelo sese adillam lapidandam primus ingerat.

gerat. *Puniatur*, inquit Auguſtinus in eum locum, *peccatrix, ſed non à peccatoribus: impleatur Lex, ſed non à præuaricatoribus Legis.* Agitur ergo de illis, qui ſe ingerebant ad iudicandum alios, propria interim peccata negligentes. Vel dici poteſt, ſufficere ad ſententiam Domini, quòd indecens ſit propria peccata non emendare, & aliena corrigere: quomodo etiam indecens eſt miſereri proximi, & non miſereri animæ propriæ. Hæc tamen indecentia non adducit nouum peccatum.

Ad poſteriorem partem, Apoſtolus non intelligit inexcuſabilem eſſe eum qui iudicat à nouo peccato quod iudicando incurrat, (niſi fortè iniuſtè & temerè iudicet) ſed à peccato in quo priùs ipſe reperitur: iudicando enim alium, etiam in ſeipſum ſententiam profert. Ita ferè D. Thomas alijque communiter.

## DVBIVM XI.

### *Vtrùm irrita ſint & illicita iudicia Iudicis excommunicati?*

SATIS in eo conueniunt D D. non eſſe irrita geſta Iudicis occultè ſolùm excommunicati. Quod omnino certiſſimum eſt, quia ſaltem error communis præbet iuriſdictionem; niſi fortè in pœnam diſertè ſtatutum ſit, vt vbi excommunicatio vel crimen innotuerit, in irritum acta reuocentur; quomodo intelligendum eſt cap. Excommunicamus 1. §. Credentes, De hæreticis, quando dicit: *Si fortè Iudex exſtiterit, eius ſententia nullam obtineat firmitatem.* Verùm & alia communis huius ſententiæ eſt ratio, quòd occultè ſolùm excommunicato nondum adempta ſit iuriſdictio, aut ſuſpenſa, vel impedita. Cap. enim, Ad probandum, De ſententia & re iudicata, apertè reſtringitur ad publicè excommunicatum, quando excommunicati Iudicis ſententia dicitur caſſanda.

Sed quæritur Primò, Vtrùm occultè excommunicatus teneatur ſub mortali abſtinere ab officio Iudicis exercendo tempore excommunicationis?

*Occultè excommunicatus iudicans peccat.*

Reſpondeo, Quamuis probabile ſit, & ex Caietani doctrina ſequatur, non teneri, niſi ſub veniali; probabilius tamen eſt teneri ſub mortali, vt ſatis oſtendit Suarez De cenſuris, diſp. 16. ſect. 1. quia iudicando præuaricaretur iuſtum Eccleſiæ præceptum, quo iubetur ab eiuſmodi communione, & poteſtatis exercitio abſtinere, idque in materia ſatis graui & notabili. Si tamen in particulari materiam contingat eſſe leuem, aut etiam in graui excuſet inconſideratio, vel iuſta neceſſitas, non erit mortale. Et quia quæ Iudex hîc facit, ferè Reipublicæ aut partibus neceſſaria ſunt, ex hoc capite excuſari poterit à mortali.

Quæritur Secundò, Vtrùm publicè & notoriè excommunicatus, non tamen denuntiatus iudicet validè?

*Probabile ratam fuiſſe ſententiam excommunicati notoriè.*

Reſpondeo, Ante Extrauagantem Ad euitanda, probabile quidem eſt, ſic excommunicati ſæcularis Iudicis in ciuilibus ſententiam non fuiſſe irritam; probabilius tamen eſt, nullam fuiſſe, & irritam. Prior pars Probatur, Quia cùm multa ex Iure proferantur pro hac nullitate, vix tamen adfertur quidquam quod conuincat; nam in dicto cap. Ad probandum, non dicitur, Iudicis ſæcularis ſententiam fieri nullam, quando eam in excommunicatione notoria tulerit, ſed hoc dicitur in caſu quo ſententia lata fuerit à Iudicibus delegatis Eccleſiaſticis, quorum vnus eo tempore erat excommunicatus; vt hinc habeamus, Iudicem Eccleſiaſticum, etiam quando cum alijs ita iudicat, vt ſine ipſius conſenſu ſententia concludi non poſſit, committere nullitatem ratione ſuæ excommunicationis. Quando enim à pluralitate ſententia cõcluditur, ſubſiſtere poteſt, ſi maior pars in eam conſentiens ſine excommunicati ſuffragio computari valeat: tunc enim non magis excommunicatus inualidat, quàm ſi contradiceret. Quocirca quod ibi Gloſſa generatim notauit, ſententiam publicè excommunicati nullam eſſe, reſtringendum videri queat ad Iudicem Eccleſiaſticum: propiùs enim excommunicatio quæ facit hominem profanum, & inſtar Ethnici & publicani haberi, intelligitur priuare poteſtate validè iudicandi Eccleſiaſticè quàm ciuiliter, quod etiam Ethnici poſſunt. Cap. autem Tanta, De exceſſibus Prælatorum, ſolùm habet, Epiſcopum violatorem interdicti à Sede Apoſtolica poſiti inualidè inſtituere, deſtituere, Beneficia & Dignitates conferre, excommunicare & interdicere, quæ manifeſtum eſt non magis extendi poſſe ad Iudicem ſæcularem, quàm quod cap. illo altero Ad probandum, continebatur. Cap. Audiuimus 34. q. 1. in genuino textu nihil aliud dicitur, quàm excommunicatum non poſſe excommunicare. Illa autẽ quæ Gratianus adiunxit, hæreſiarcham, neminem poſſe damnare, iam proſtratum neminem poſſe deijcere, ligandi vel ſoluendi poteſtatem falſis Sacerdotibus non competere, de ſola poteſtate Eccleſiaſtica dici manifeſtum eſt. Cap. Pia, De exceptionibus, in 6. refertur, Conſtitutionem Eccleſiaſticam habere, quòd contra actorem excommunicatum reus excipere valeat, & modus conſtituitur, quo id fieri oporteat. De Iudice autem iſtud non dicitur, & quamuis diceretur, nihil ad rem propoſitam faceret: quamuis enim exceptio oppoſita excommunicationis Iudicem repelleret, non inde ſequitur, tali exceptione non oppoſita, ſponte concidere iudicata ab excommunicato.

*Probabiliùs irritam fuiſſe.*

Nihilominùs poſterior reſponſionis noſtræ pars Probatur in primis ex communi ſenſu, vſu, & conſuetudine, quæ vim Legis habet etiam ſine Lege, & vt dare, ita & auferre & ſuſpendere iuriſdictionem poteſt. Omnes enim paſſim DD. dicunt, eiuſmodi iudicia eſſe irrita, & pro talibus habentur ab omnibus. Sicuti ergo ſuprà dicebamus, communem errorem iuriſdictionem dare non habenti, ita hîc dicimus, communem opinionem adimere habenti. Secundò Probatur ex cap. Nos ſanctorum, & cap. Iuratos 15. q. 6. vbi ſubditi excommunicatorum abſoluuntur ab obedientia eis præſtanda, quæ obedientia cùm reſpiciat iuriſdictionem, videtur etiam illa in excommunicatis ſaltem ſuſpendi. Tertiò, Eccleſia habet pro incommodo, quòd Ethnicus iudicet inter fideles 1. Corinth. 6. Excommunicatus autem habendus ſit vt Ethnicus, Matth. 18. Quartò, Vſu iuriſdictionis omnino & omni ex parte interdicto, ipſa iuriſdictio ſuſpendi cenſenda eſt: atqui iuriſdictionis iudiciariæ omnis vſus excommunicato eſt interdictus, vtpote





communicationem inuoluens quæ ei interdicta eſt. Quintò, Excommunicati excluduntur à partibus actoris & teſtis in publicis iudiciis per ipſos Iudices, vt patet cap. Pia, ſuprà citato 6. & cap. Decernimus, De ſententia excommunicationis, in 6. Oportet ergo & Iudices, ſi excommunicati ſint, à ſuo munere prohiberi: rationes enim quatuor, ob quas dicto cap. Pia, excommunicati arcentur ab actione, multo magis, aut ſanè non minùs locum habent in Iudice excommunicato. Ita enim habet cap. *Repellit excommunicationis exceptio agentes, vt ex hoc magis cenſura Eccleſiaſtica timeatur, communionis periculum euiteter, contumaciæ vitium reprimatur, & excommunicati, dum à communibus actibus excluduntur, erubeſcant ſalubriter.* Non eſt autem commodior ratio Iudices excludendi, & ab actu ſuo prohibendi, quàm ſuſpendendo eorum iuriſdictionem, aut priuando ipſos vſu iuriſdictionis. Ex his patet probabilis reſponſio ad contrariæ opinionis argumenta.

*Quid ſi alibi tantùm notoratus ſit?*

Sed quid dicendum erit, ſi publica non ſit eius excommunicatio eo loci vbi iudicat, ſit tamen alibi publica?

Reſpondeo, Hoc quidem ſufficere ad declinandum futurum iudicium, ſi pars excipere velit; ſed, vt benè Salonius q. 67. ar. 1. controuerſ. 3. concluſ. 4. non ſufficere ad irritandum iam factum, quia error populi poteſt facere Ius. Et quamuis ex L. Barbarius, ſuprà citata, videri queat iſtud reſtringendum ad populum tam magnum qui poſſit aliàs dare iuriſdictionem; exiſtimo tamen errorem communem populi ſufficere ad iudicia ratificanda, etiamſi non ipſe populus, ſed Princeps Iudicem conſtituat; imò etiamſi Iudex non conſtituatur Lege ciuili, ſed Eccleſiaſtica poteſtate.

Quæritur Tertiò, Quid dicendum poſt Extrauagantem Ad euitanda?

Reſpondeo; Probabilius eſt, ſolius denuntiati & notorij percuſſoris Clerici iudicia eſſe irrita, quamuis contra cuiuſcumque publici excommunicati iudicium partes excipere poſſint, & ipſe excommunicatus ſemper peccet Iudicis officium exercendo, ſecundùm moderationes ſuprà dictas, nunc mortaliter, nunc venialiter, quando non tam partium aut Reipublicæ, quàm iudicantis ſpectatur in hoc exercitio vtilitas.

Prima pars Probatur, Quia Eccleſia permittit adiri hos Iudices, vt patet per illam Extrauagantem, prout ex Concilio Conſtantienſi refert S. Antoninus, & receptam eſſe docet Suarez De cenſuris diſp. 9. ſect. 2 quod notandum eſt, quia ſeſſ. 20. Concilij Baſilienſis, vbi hæc eadem Extrauagans refertur, videtur non ſolus percuſſor Clerici, ſed quilibet ita notoriè excommunicatus, vt nulla tergiuerſatione excuſari poſſit, relinqui vitandus. Non eſt ergo veriſimile, quòd Eccleſia eos quos adire permittit, ita priuet vſu iuriſdictionis, vt inualida ſint eorum geſta; nullum enim hoc eſſet ſubditorum commodum, quando ſolùm ad ſuſpenſos Iudices ire permitterentur.

Secunda pars Probatur, Quia Extrauagans apertè dicit non ſubleuari eiuſmodi Conſtitutione excommunicatos: itaque poterit contra eos excipi vt priùs. Tertia pars ex dictis patet.

Quæritur Quartò, Vtrùm poſſit alicui publicè excommunicato, etiam denuntiato, validè conferri de nouo officium Iudicis ſæcularis?

Reſpondeo affirmatiuè. Probatur, Quia validè aliæ donationes merè ſæculares poſſunt excommunicato fieri, verbi gratia, inter viuos, aut per teſtamentum.

Quæritur Quintò, Vtrùm etiam de nouo poteſtas aliqua ſpiritualis accedere poſſit eiuſmodi excommunicato, verbi gratia, Ius patronatus?

Reſpondeo, Non poſſe accedere directè, ſed ſolùm indirectè, quatenus annexum alicui temporali quod validè ei conferatur, aut in quo iure hereditario, vel per teſtamentum ſuccedat.

## DVBIVM XII.

### *Vtrùm Iudex officio priuatus, iudicando peccet vſurpato iudicio?*

RESPONDEO & DICO PRIMO. Quamdiu errore communi habetur quis pro Iudice, qui illud officium titulo ſaltem colorato poſſidet, puta quia à Superiore inſtitutus eſt; acta eius rata ſunt, etiamſi verè numquam Iudicis officium habuerit, aut verè eo priuatus ſit. Tenet Sanchez De matrimonio lib. 3. diſp. 22. q. 6. & alij ab illo citati. *Qui errore communi habetur pro Iudice, validè iudicat.*

Quod ampliatur Primò, Vt etiam locum habeat in foro interiori, quatenus in eo iuriſdictio conſenſu humano ſuppleri poteſt. Vnde ſequitur, ſi vulgò putetur eſſe Parochus, etiamſi verè non ſit, valere eius abſolutionem: ſecùs ſi putetur eſſe Sacerdos, & non ſit.

Ampliatur Secundò, Vt locum etiam habeat in Iudice delegato, ſiue ad certam cauſſarum vniuerſitatem, ſiue ad vnam aliquam cauſſam particularem.

Ampliatur Tertiò, Vt locum habeat etiam quando ſciens impedimentum Superior, officium inualidè contulerit, multo magis quando litigantes illud nouerint; ſufficit enim cum titulo colorato error communis.

Quartò extenditur etiam ad caſum quo per ſententiam ſit priuatus Iudex officio, aut poteſtas Delegati reuocata eſt; acta enim tenent, donec ad communitatis notitiam deuenerit ſententia aut reuocatio.

Quintò locum habet, quando dubitatur de priuatione eius qui verè priuatus eſt, ſed toleratur, cap. Nõnne 8. q. 4. Vnde etiam vocatus à dubio Iudice, tenetur venire; aliàs poteſt puniri à vocante, ff. Si quis in Ius vocatus non ierit, L. Ex quacumque.

Denique locum habet reſponſio, etiamſi populi auctoritate occultum impedimentum amoueri non poſſit, vt colligitur ex dictis ſuperiori Dubio.

Reſtringitur tamen Primò, Ne locum habere exiſtimetur in priuato errore partium; partes enim non prorogant iuriſdictionem Iudicis, quem per errorem exiſtimant competentem, coram eo non acturæ, ſi ſcirent non eſſe ſuum, ff. De iuriſdict. L. Si per errorem: non enim conſentiunt qui errant. Quòd autem error communis det Ius, prouenit ex fauore publico erga partes, quæ alioqui læderentur. Vnde neque ad Principis errorem in particularibus factis hoc extendendum eſt. Neque enim erit abſolutus ab excommunicatione, ſi Papa per errorem ex- *Reſtrictiones.*

communicatum ſalutauerit, vt docet Palude in 4.diſt.17.quæſt.6.art.2.

Secundò locum non habet, quando occultum impedimentum eſt Legis naturæ, vt ſi iudicauerit qui neſciebatur eſſe furioſus. Irrita enim erunt eius acta, ſi verè furioſum fuiſſe poſtmodum conſtiterit: nullus enim hominum conſenſus efficit, vt iudicium ſine rationis iudicio eſſe poſſit.

Tertiò locum non habet in eo qui geſſit ſe pro Prælato, tamen non fuit in poſſeſſione. Ita Panormitanus in cap. Nihil, De electione. Si tamen quis inierit contractum cum intruſo, ſatisfacit ſoluendo eidem, vt monet ibidem Panormitanus.

## DVBIVM XIII.

*Vtrùm Iudex reum quem priuata ſcientia nouit innocentem, poſſit ad duorum falſum contra eum teſtimonium, tamquam legitimè conuictum, condemnare?*

*D. Thomas quæſt. 67. art. 2.*

PHAVORINVS apud Gellium lib. 14. cap. 2. explicatiùs eamdem pænè quæſtionem his verbis proponit: *Quæritur, Si Iudex fortè id ſciat ſuper qua re apud eum litigatur, eaque res vni ei priùs quàm agi cœpta, aut in iudicium deducta ſit, ex alio quodam negotio caſuque aliquo cognita liquidò & comperta ſit, neque id tamen in agenda cauſſa probatur, oporteátne eum ſecundùm ea quæ ſciens venit iudicare, an ſecundùm ea quæ aguntur?*

1. Sententia

Variæ hac de re ſunt DD. ſententiæ. Et quidem D. Thomas ſentit, debere hoc caſu Iudicem accuratiùs diſcutere probationes inductas, aut reum ad Superiorem remittere in cauſſa capitis: ſi tamen probationes non poſſit de Iure repellere, neque ad Superiorem remittere; teneri ſecundùm eas innocentem damnare. Ita hoc art. 2. & q. 64. art. 6. Quam ſententiam & alij plurimi ſequuntur, Couarruuias lib. 1. Variarum reſolut. cap. 1. Valentia diſp. 5. quæſt. 11. puncto 2. Arragonius, Salonius, alijque Thomiſtæ in hunc art. 2. Toletus lib. 5. cap. 56. Gloſſa in cap. 1. De officio Iudicis ordinarij.

2. Sententia

Aliorum ſententia vniuerſim docet, tam in ciuilibus quàm in criminalibus non poſſe vmquam Iudicem à veritate priuatim ſibi cognita recedere propter falſam teſtium depoſitionem. Ita ſenſit Angelus verbo Iudicare, quæſt. 7. qui citat Lyranum in cap. 23. Exodi, ad illud, *Inſontem & iuſtum non occides*. Verumtamen Lyranus ſolùm loquitur in cauſſa capitis, neque exprimit, vtrùm in aliis etiam D. Thomæ refragetur. Angeli tamen opinionem videtur tenere Panormitanus in cap. Paſtoralis, De officio Iudicis delegati.

3. Sententia

Tertia ſententia eſt inter has media, In grauioribus criminalibus, vbi agitur de capite aut membro amittendo, teneri Iudicem ſequi veritatem priuatim ſibi perſpectam, aut ſaltem contra eam non poſſe iudicare: in leuioribus autem criminalibus, & vniuerſim ciuilibus omnibus, contra veritatem priuatim cognitam debere iudicare ſecundùm allegata & probata. Hanc tenet Rudolphus quidam Iuriſperitus antiquus, vt refert Angelus ſuprà, Adrianus Quodlibeto 6. art. 3. Petrus Nauarra De reſtitutione lib. 2. cap. 3. numer. 152. Sequitur eamdem ſententiam Roſella verbo Iudex, quæſt. 18. non tamen in illo rigore quo alij loquuntur: vult enim Iudicem pecuniaria damna potiùs ſubire, quàm plectat talem innocentem; concedit tamen damnare poſſe, ſi alioqui Index in ſua perſona periclitaretur.

Ceterùm auctores harum opinionum in eo facilè conueniunt, Debere Iudicem, præcipuè in criminalibus, omnem adhibere diligentiam & induſtriam, vt teſtes à falſo teſtimonio impediantur, aut falſitas detegatur, aut vt etiam ſecundùm probatam falſitatem non iudicetur, quantum permittit Superioris auctoritas, aut populi ſcandalum, aut ipſius Iudicis indemnitas. Vnde dicunt, ſi commodè poſſit, debere Iudicem teſtem falſum curare alibi diſtineri, ne ad iudicium veniat; & vbi hoc non potuerit, debere exemplo Danielis cauè & ſæpiùs ſimul & ſeorſim teſtes examinare, cum obteſtatione diuini iudicij, à nefando falſi teſtimonij crimine deterrere: ſi hæc non profuerint, cauſſam ad Superiorem remittere, & teſtis partes ibi ſuſcipere, aut occultè & ſine ſcandalo innocenti fugam permittere. Variant autem quid Iudici agendum ſit, vbi nihil iſtorum profuerit, ſed vel ſcandalum timetur, vel ipſe Iudex grauiter mulctandus eſt in rebus ſuis, priuatione officij, aut etiam vitæ. Nos paucis aſſertionibus rem totam complectemur.

*In cauſſa capitis, & non damnabit eum nouit innocentem.*

DICO itaque PRIMO. In cauſſa capitis aut mutilationis tenetur Iudex potiùs grauia damna rerum, officij priuationem, imò & mortem pati, quàm ex falſo teſtimonio eum damnet quem nouerit innocentem. Patet in primis Scripturis ſacris, Exod. 23. *Inſontem & iuſtum non occides*. vbi inſontem illum intelligit Lyranus, qui per falſos teſtes probatus fuerit nocens: iuſtum verò qui apud homines non eſt probatus aut conuictus iniuſtus. Illud ſi cui videatur minùs ſimplicitati Scripturæ congruere, ſanè negari non poteſt, ea geminatione inſontis & iuſti non prohiberi illius tantùm occiſionem qui exierit iuſtus à iudicio, vt Chaldaica paraphraſis habet, ſed etiam cuiuſcumque innocentis, præſertim cùm in textu præcedat, *Non ſequêris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies*. Item illud, *Non ſuſcipies vocem mendacij, nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falſum teſtimonium*. Denique illud *Mendacium fugies*. Ex his enim omnibus rectè colligas, prohiberi Iudici ne ſe iungat mendacibus teſtibus ad interficiendum innocentem. Ad hæc, cui potiùs quàm Iudici incumbet illud Prouerbiorum 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem*, & quæ ſe obſeruaſſe Iob dicit cap. 29 vbi inter reliqua, *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam?* Apertè in Pſalmo 81. Iudicibus illud iniungit: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.*

Probatur Secundò auctoritate Patrum, & Canonum, cap. Cùm æterni, De ſententia & re iudicata, in 6. Innocentius IV. inhibet Iudicibus illum condemnare, quem æterni tribunal Iudicis reum non habet, & illius imitari monet exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingreſſus ad Dominum referebat, vt ſecundùm eius imperium iudicaret. Item cap. Qui ſcandalizauerit, De Regulis Iuris: *Vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas deſeratur*. Item 3. quæſt. 7. cap. Poſtulatus, quod deſumptum eſt ex Beda in cap. 8. Ioannis: *Antequam iudicemus, monemur in conſcientia noſtra fratris delictum, quantum poſſumus, excuſare.*



Si excipias, De priuato iudicio hæc dicta eſſe; Certè etiam potiori ratione intelliguntur de Iudice, ad cuius munus ſpectat, incidentia aliunde pro innocentia rei contra teſtes indicia pôderare, vt probant adducta per Gloſſam in cap. 5. De probationibus; quanto magis quæ propria ſuggerit conſcientia? Item cap. Tunc vera 11. quæſt. 3. *Tunc vera eſt abſolutio præſidentis, cùm interni ſequitur arbitrium Iudicis.* Hinc conſtat, arbitrium internum Iudicis Dei & conſcientiæ Iudici eſſe conſulendum, antequam reum abſoluat, multo magis antequam damnet, vt rectè colligit Angelus. Eódem facit cap. Quæritur 2. quæſt. 7. Denique fauet Auguſtinus lib. 19. De ciuitate Dei cap. 6. Recenſens enim miſerias Iudicum, eam omittit, quòd aliquando occidere eos cogantur per falſa teſtimonia, quos certò ſciunt eſſe innocentes; imò inſinuat, in eiuſmodi neceſſitatem Iudicem non venire, quando dicit, *Ignorantia Iudicis plerumque eſt calamitas innocentis*; ergo ſcientia eſt ſalus innocentis.

Probatur Tertiò Ratione. Primò, Occidere innocentem eſt intrinſecè malum, non ſecùs ac cognoſcere non ſuam: atqui non poteſt quis cognoſcere non ſuam contra propriam ſcientiam, etiamſi falſo aliorum teſtimonio ſua eſſe probetur, & à Iudice debitum reddere compellatur, vt patet cap. Inquiſitioni, De ſententia excommunicationis; ergo neque poteſt Iudex occidere innocentem, etiamſi per falſos teſtes occidendus probetur. Neque iuuat, ſi dixeris, Iudicem perſonam ſuſtinere totius communitatis, quam conueniat operari ſecundùm ſcientiam publicam, non priuatam, ideoque non eſſe ſimile in eo, quod de priuati præſumptis & falsò probatis nuptiis adfertur, cùm illius priuati ſit, conſcientiam ſibi ex ſcientia priuata formare; hoc inquam aduerſarios non iuuat, tum quia Iudex non abſoluitur à Iure naturali propter teſtium nequitiam in præiudicium innocentis; tum etiam, quia verum non eſt, Iudicem non debere ſibi conſcientiam in re iudicâda formare ex priuata ſcientia: quamuis verum ſit, quòd ad iudicandum ex illa ſola non debeat procedere; neque enim prohibentur Iudices deniare ab illo ſolo quod verum iuridicè probatum nouerint, ſed ſimpliciter à vero, vt patet ex loco Exodi ſuprà citato. Secundò, Occidere innocentem, eſt deſtruere rem quæ in dominio eſt ſolius Dei ſine ipſius facultate: vita enim innocentis non ſubeſt poteſtati Reipublicæ. Imò vt ſuprà, quando De homicidio, diximus, non poteſt Reſpublica pro ſua ſalute tyranno occidendum tradere inuitum innocentem, etiam in caſu quo ipſe tradere ſeſe ex charitate teneretur: itaque neque poſſet Reſpub. ſtatuere, vt conuictus falſis teſtibus, & ab eis in mortem expetitus, tradatur, ne hîc & nunc iudiciorum ordo turbari videatur, quæ res longè minoris neceſſitatis eſt: per ſolum enim maleficium corpus ciuis efficitur quodammodò Principis, vt rectè dicit Gloſſa in cap. Quos Deus 33. q. 2. Sanè ſicuti ſalutè Reipublicæ per ſe iuuat ſalus innocentis, ita iudiciorum rectitudinem innocentis impunitas; ideò enim is ordo iudiciorum inſtitutus eſt, vt ſontes puniantur, & ne vexentur inſontes. Imò maxima, ſi non ſola, ratio puniendi ſontes eſt, vt innocentibus benè ſit. Quando ergo, eo ſeruato ordine, contrarium eueniret in parte peiori, non obligabit iſte iudiciorum ordo: rectè enim dicitur L. Quod fauore, C. De Legibus: *Quod fauore quorumdam conſtitutum eſt, quibuſdam caſibus ad læſionem eorum nolumus inuentum videri*. Tertiò, Quamuis vtcumque etiam Iuris naturæ ſit, vt Iudex pronuntiet ſecundùm geſta (ſi enim poſitiuè hoc accipias, vt neceſſitas iudicandi iniecta intelligatur Iudici per allegata & probata, quoad exercitium & ſpecificationem regulariter ſaltem verum erit; ſi autem negatiuè, vt ſolùm dicatur, non poſſe contra allegata & probata iudicare, vniuerſim verum erit, ſaltem in Iudice non ſupremo:) eſt tamen contra Ius naturæ, ad mortem aut mutilationem damnare eum quem certò noueris innocentem, quantumuis nocens probatus fuerit, adeò vt hoc nulla Lege humana conſtitui poſſit. Si enim factum dicti ſunt filij Iſrael à Daniele, qui ad falſum ſenum teſtimonium per ignorantiam damnauerant Suſannam innocentem; plus quàm fatuus, quia malitia inexcuſabilis, fuiſſet, quicumque eorum ignitam innocentem, vt ipſe Daniel nouerat, propter nocentium mendacium condemnaſſet. Iure ergo nullo talis innocens occidi poteſt, vetante Lege æterna ne quid talè temporalis Reipublicæ Leges in caput innocentis ſtatuere audeant. Quartò, Iudex non iuſtè occidit, niſi quando Lex iuſta occidit: dicit enim Auguſtinus quæſt. 68. in Leuiticum, citatus 23. quæſt. 5. cap. Si homicida: *Cùm homo iniſtè occiditur, Lex eum occidit, non tu.* Atqui Lex innocentem non occidit, quia æterna vetat, eaque vetante, nulla iubere poteſt. Quintò, Mendacium, præſertim pernicioſum, in iudicijs vitandum eſt non tantùm teſtibus, ſed etiam Iudici; non tantùm in verbis, ſed etiam in facto, niſi fortè materia mutari ſic queat, vt iam mendacium non ſit. Quomodo enim pro Iure mendacium dici poterit, quod ne quidem dici poteſt?

Dan. 13.

DICO SECVNDO. Ne quidem lictor poteſt eum quem certò nouerit innocentem occidere, etiamſi propter falſa teſtimonia damnatus ſit. Ita Angelus ſup. §. 8. ſecùs dicêdum quando dubitat.

*In minoribus cauſſis poteſt ſecundùm falsò probata iudicare.*

DICO TERTIO. In minoribus cauſſis, vbi neque de capite, neque de membrorum mutilatione agitur, ſiue eæ criminales ſint, ſiue ciuiles, ſiue ſæculares, ſiue Eccleſiaſticæ, Iudex quando pro negotij qualitate conatus, videt aliter ſe non poſſe, poteſt ſecundùm allegata & probata Ius dicere contra priuatam ſcientiam. Ratio huius aſſertionis eſt differentia inter vitam vel membra, & reliqua bona hominis, adeoque inter grauiores illas criminales cauſſas, & reliquas. Quando enim agitur de damnis rerum aut fortunarum, Ius naturale poſtulat, ne propter eiuſmodi priuatorum iniuſta incommoda Iuris ordo intertatur. De his etiam iſtud diſponere poteſt Reſpub. & cenſentur meritò partes in hoc conſentire. Neque id mirum, cùm Reſpublica eiuſmodi ciuium fortunas ad auertendũ ſuum exitium tyranno tradere poſſit. Accedit, quòd vitæ & membrorũ iactura irreparabilis ſit. *Alia*, inquit quidam, *ſententia poteſt corrigi, de vita trãſactum non patitur immutari.*

DICO QVARTO. Probationibus contra priuatam Iudicis ſcientiam ſtabitur, & in cauſſa matrimoniali, & vbi parti innocenti infamiæ nota inuritur. Prior pars patet ca[illegible] 30. q. 5. §. His ita reſpondetur. Poſteriori probatur, Quia

fama est in hominis dominio, neque tanti momenti est ac vita ipsa, neque æquè irrecuperabilis. Adde, quòd fama Iudicis facilè periclitaretur, nisi acta sequatur: non autem est æquum vt velit reus vitare infamiam cum infamia Iudicis, qui ne publicè quidem nocens est. Meritò ergo censebitur remittere Ius suum ad famam, aut saltem non tenebitur Iudex pro conseruanda eius fama suam prodigere.

DICO QVINTO. Quando contra veritatem per falsum testimonium ex Iudicis sententia caussâ quis cadit, non propterea rei suæ dominio exuitur, etiamsi possessione spolietur, nisi id quo priuatur, officium sit aut Beneficium. Colligitur ex Panormitano in cap. 1. De concessione præbendæ. Prior pars Probatur, Quia Iudex solùm intendit pro pace publica & fine litium actis deferre, cui fini sufficit adiudicata possessio, etiamsi innocens suo Iure vlteriùs non priuetur. Res manifesta est in matrimoniali caussa. Posterior Probatur, Quia publica vtilitas in publicis officijs & Beneficijs postulat, vt qui per sententiam eorum possessione spoliatur, etiam Iure excidat, vt validè alteri cum pleno Iure transferantur. Neque enim expedit Reipublicæ aut Ecclesiæ, iurisdictiones esse dubias, & ministros incertos, potestque læsis aliter facilè compensari.

Nota tamen, quamuis is qui iniustè spoliatur per sententiam, amittat verè Beneficium; alterum tamen, cui adiudicatur, non acquirere, si fuerit conscius iniustitiæ: quare exutus Beneficio, postquam sententia abijt in rem iudicatam, non audietur pro eius recuparatione, audietur tamen contra iniustè & sine titulo possidentem, tamquam denuntiator, eoque per Iudicem amoto, poterit Beneficium recuperare.

Supersunt obiectiones diluendæ, quæ multæ hîc sunt, præsertim contra primam Assertionem.

*Obiect.1.* Obijcitur Primò ex Scripturis, Deuter 17. *In ore duorum vel trium testium peribit qui interficietur.*

*Resp.* Respondeo, Quid voluerit, indicare Scripturam eo quod subiungit, *Nemo occidatur vno contra se dicente testimonium*. Vult ergo non sufficere ad condemnationem, quòd quis eam mereatur per scelus admissum; neque iterùm sufficere, vt vno teste illud probetur, sed opus esse duobus saltem aut tribus testibus; vnde Chaldæa habent, *Per dictum duorum aut trium testium occidatur qui reus est occisionis.*

*Obiect.2.* Obijcitur Secundò cap. Quamuis 11. quæst. 3. quod ita habet: *Quamuis vera sint quædam, non tamen Iudici sunt credenda, nisi certis indicijs demonstrentur.* Similia sunt cap. Si quis 30. quæst. 5. Item L. Illicitas, §. 1. ff. De officio Præsidis: *Veritas rerum erroribus gestarum non vitiatur; & ideò Præses Prouincia id sequatur, quod conuenit eum ex fide eorum qua probabuntur.*

*Resp.* Respondeo, Tria hîc consideranda esse: Vnum, Quòd hæc tradantur tamquam communia absolutioni & condemnationi, ideoque rectè dici, actis potiùs standum quàm compertæ sed non probatæ veritati; quia, vt infrà dicemus, ex priuata scientia Iudicis nemo venit condemnandus; imò & contra eam ex actis absoluendus est. Alterum est, Posse [illegible] accipi eo sensu, vt præscribant modum iudicandi quando iudicandum est, non autem præscr[illegible] vt necessariò semper iudicandum sit, q[illegible] collisione scientiæ priuatæ & publicæ Iudex ita dubius esse non possit, vt iudicatu illo solui queat, iurans verbi gratia sibi non liquere, vt se fecisse dicit Gellius suprà citatus. Tertium est, Præscribi quid regulariter seruari oporteat, etiam illis incommodis non obstantibus, de quibus humana Lex disponere possit, è quibus excipitur, vt suprà dixi, occisio innocentis.

Obijcitur Tertiò cap. Pastoralis, De officio Iudicis delegati, vbi Innocentius III. vult Ordinarium exequi sententiam Delegati, etiamsi eam nouerit esse iniustam. *Obiect.3.*

*Resp.* Respondeo in primis, Pontificem non loqui de sententia capitis aut mutilationis, qualem Ecclesiasticus ferre non potest, sed de sententia in caussis aliis, in quibus etiam nos dicimus secundùm acta esse iudicandum contra scientiam. Secundò, Pontifex vim ponit in eo, quòd Ordinarius in hac caussa sit merus executor, & non habeat vllam caussæ cognitionem: quo fit, vt nullo modo hoc pertineat ad Iudicem, cui caussæ cognitio competit, cùm potiùs à contrario sensu de illo videatur insinuari contrarium. Tertiò, Fortè in eo vis ponitur, quòd iniquè à Delegato damnatus, remedium habeat appellationis ad Papam delegantem, quo non vtens videtur cedere Iuri suo, vt iam volenti non fiat iniuria. Quartò, Non procedit ista dispositio de sententia quomodolibet iniusta: fatetur enim Glossa, non procedere quando sciret Ordinarius sententiam esse nullam, eò quòd lata sit vigore falsarum litterarum, vel per dolum aduersarij; qui casus satis accedit ad nostrum.

*Obiect.4.* Obijcitur Quartò, Si Iudex sequatur priuatam scientiam contra fidem actorum, plus defert vnius testimonio qui testis esse non potest, nimirum suipsius, qui Iudex simul & testis esse nequit, quàm duobus vel tribus qui verè testes sunt, quod valdè inordinatum, & Reipub. perniciosum est, præsertim cùm tali prætextu facilè Iudices omne Ius inuertere valeant.

*Resp.* Respondeo; Quamuis non possit quisquam hominum esse simul Iudex & testis, (hoc enim Deo proprium esse suprà diximus) debet tamen homo non nisi secundùm conscientiæ testimonium iudicare, quidquid tandem ex depositione testium iudicandum esse existimauerit; conscientiam autem in casu subornati testimonij in caput innocentis formare non poterit ad condemnandum, quia scit esse innocentem, quem occidere nefas sit; neque ad absoluendum, quia non innocentia, sed nocentia eius probata est: impedietur ergo à iudicando, non autem vsurpabit sibi officium testis. Neque verum est, hac ratione aperiri viam, qua contra Iustitiæ ordinem fontes dimittantur; sed remedium inuenitur, ne à falsis testibus opprimantur innocentes, quos peius est puniri, quàm dimitti nocentes, vt dicitur L. Absentem, ff. De pœnis. Rursum à falsis testibus plus periculi Reipub. est in præiudicium innocentum, quàm à Iudice cuius iam publicè præsumpta & explorata fides est, pro impunitate nocentium.

*Obiect.5.* Obijcitur Quintò, Iudex hîc damnans innocentem, non eum occidit, sed testes, quod indicatur Deuteronomij 17. quando dicitur: *Manus testium prima interficiet eum*. Vnde etiam testes iubentur manus suas ponere super caput rei, Leuitici 24. Iudex enim, vt vrget Salonius, solùm applicat



applicat Legem crimini probato, testes autem, personæ applicando crimen, ipsam exhibent ream. Quamuis ergo Lex non occidat innocentem, neque tamen eum Iudex occidit, qui testibus dicere poterit quod Pilatus dicebat quando manus lauit, *Innocens ego sum à sanguine iusti huius; vos videritis.* *Matth.27.*

*Resp.* Respondeo; Quamuis ad testimonium testium, per sententiam tamen & ministerium Iudicis reus occiditur, adeoque Iudex innocens non est, si reus non fuerit nocens; suscipit enim vocem mendacij in iudicio in caput innocentis, quod Ius naturæ non permittit. Secùs esset si inuincibili ignorantia rei innocentiam nesciret; quamuis etiam tunc verè eum dicatur occidere, & irregularitatem incurrat, sicuti etiam quando sontem legitimè occidit decreto sententiæ suæ.

*Obiect.6.* Obijcitur Sextò, Princeps potest in oppugnatione ciuitatis occidere illos innocentes, qui fortè in muris obijciuntur, quando sine eorum cæde ciuitatem hostilem expugnare non potest; quia non tenetur hîc & nunc omittere oppugnationem huiusmodi necessariam, etiamsi per accidens videat ei coniunctam necem innocentum: ergo similiter Iudex poterit seruare ordinem præscriptum iudiciorum, & pronuntiare ex allegatis & probatis, quemadmodum Reipub. bonum postulat, etiamsi hîc & nunc per accidens inde videritis securum mortem innocentis.

*Resp.* Respondeo, Non esse simile, quia Princeps oppugnando aliud agit ex intētione etiam in indiuiduo, ex quo solùm per accidens sequitur innocentis occisio: in nostro autem casu occisio hominis est indiuiduum actionis intentæ à Iudice, volente seruare iudiciorum ordinem.

Dices, Saltem simile erit, quando quis pro defensione sui occidit innocentem, qui fortè ex ignorantia inuincibili aut amentia inuadit.

Respondeo, Non esse simile, quia nec ibi occisio est intentæ actionis indiuiduum, sed potiùs accidens, vt est debilitatio maior infirmi respectu medici potionem porrigentis, ex qua præuidet initio quidem magis debilitandum infirmum, sed postmodum sanādum: occisio enim ista per se non facit ad defensionem inuasi, sed solùm quatenus inuasorem impedit; occisio autem rei falsò probati nocentis per se facit ad seruandum ordinem iudiciorum secundùm aduersarios, ideoque magis est ex intentione.

*Obiect.7.* Obijcitur Septimò Ambrosius Serm. 20. in Psal. 118. *Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta Leges & Iura pronuntiat, statutis Iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert, sed sicut audit ita iudicat*, &c.

*Resp.* Respondeo, Hæc dici contra Iudicem qui ex affectu iudicat, & præiudicia propriæ voluntatis ad tribunal adfert. Verùm hoc nihil facit contra eum, qui scientia & conscientia propria conuictus, propter Legem Dei verantis occidi innocentem, abstinet se à sanguine innoxio.

*Obiect.8.* Obijcitur Octauò, quod est contra tertiam assertionem, illud Prouerb. 20. *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum*; in ciuilibus ergo & criminalibus non erit varianda iudiciorum forma, sed vel vtrobique, vel neutrobique veritas priuata contra gesta præualebit. Est enim iudicium velut pondus quoddam & mensura inuariabilis, etiamsi res quas in iudicio tractamus, & quodammodò mensuramus, admodum variæ sint.

*Resp.* Respondeo, In doctrina nostrarum assertionum non mutari normam iudiciorum, sed casum dari vbi Iudex à mensuræ seu Legis communis vsu impediatur, propter Ius innocentis, quod Deus ei non eripit, Respublica autem eripere non potest. Vnde rectè notat Vasquez 1. 2. disp. 64. cap. 2. dubitationem illam, Vtrùm Iudex contra scientiam debeat sequi probationes; ex hac altera esse decidendam, Vtrùm maius bonum sit, sequi gesta cum damnatione innocentis, quàm abstinere à nece aut damnatione innocentis, simul abstinendo à sententia quam iudicialis ordo postulet. Hanc enim regulam si applices in caussis minoribus, liquidum erit, non tam regulam mutari, quàm materiæ leuitatem aut grauitatem diuersitatem omnem parere.

## DVBIVM XIV.

### *Vtrùm ex priuata scientia possit Iudex reum condemnare?*

*D. Thomas quæst. 67. art. 3.*

RESPONDET D. Thomas, Cùm Iudicis sit Ius dicere, Ius autem, vt & iustitia, inter duos aliquos consideretur, non posse Iudicem pronuntiare contra reum, nisi in caussa criminali contra se habeat accusatorem, aut in ciuili actorem.

*Sine accusatore nemo damnādus.*

DICO PRIMO. Sine accusatore nemo potest damnari. Probatur Primò Scripturis sacris, quæ indicant, ex instinctu quodam naturali etiam apud Gentes illud fuisse seruatum, ne quis sine accusatore, vel inauditus damnaretur, vt patet Actorum 25. vbi Festus dicit: *Non est Romanis consuetudo, damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*. De Scythis idem indicatur 2. Machab. cap. 4. De Iudæis, Ioannis 7.

Secundò ex Iure Canonico, 3. quæst. 9. per omnes ferè Canones.

*Virtualis accusator sufficit.*

Notandum tamen ex Soto & Salonio, non opus esse formali accusatore, sed sufficere virtualem. Sunt autem ferè quinque quæ virtualem accusatorem efficiunt. Primum est infamia publica, quæ non ad condemnandum, sed ad excitandum Iudicis officium sufficit, præsertim quando indicia sufficientia accedunt cum insinuatione clamorosa. Secundum est ita publicè patratum crimen, vt sit notorietate facti notorium: euidentia enim patrati sceleris non indiget clamore accusatoris; cap. Euidentia, De accusationibus. Tertium, Quando Iudex illud videt in sua & aliorum præsentia fieri; secùs si solus Iudex videat cap. De manifesta 2. quæst. 1. Quartum, Quando quis fraternè delatus apud Iudicem, post monitionem paternam manet contumax: eiusmodi enim contumacia supplet locum accusatoris, vt contra eum iuridicè sit procedendum, cap. Qualiter, §. Deber, De accusationibus. Quintum, Denuntiatio iuridica, quando ea quidem fit ob bonum commune, non solius delinquentis, deferens tamen non vult inscribi, neque tenetur probare; quo modo hæretici solent deferri Inquisitoribus vt inuigilent.

*Accusatus citari debet.*

DICO SECVNDO. Vt quis iudicetur, non solo opus est accusatore, sed etiam ipse citari debet, & inducias temporis quo se defendere possit, accipere. Patet ex citato loco Actorum. Hoc est quod in Prouerbio dicitur, *alteram partem esse audiendam*, siue quod aliis verbis commendat Demosthenes, *pari ratione vtrumque esse audiendum.* Et quod Alexander Magnus fecisse dicitur, qui in capitalibus causis iudicans, alteram claudebat aurem, vt integram seruaret reo. Eiusmodi quoque est, quòd accusatori cuidam in probatione deficienti & dicenti, *Quis nocens poterit esse, si negasse sufficerit?* Iulianum respondisse ferunt, *Et quis innocens esse poterit, si accusasse sufficiet?* Hinc Clementina Pastoralis, §. Ceterùm, De sententia & re iudicata, dicitur, à Iure naturali prouenire, vt reo detur facultas defensionis.

*Damnari non potest nisi testibus conuictus.*

DICO TERTIO. Nemo damnari potest, nisi testibus duobus saltem aut tribus conuictus. Patet Deuteronomij 17. Matth. 18. & cap. Licet, De testibus, vbi ita Alexander III. *Mandamus, quatenus non minùs duorum vel trium virorum, qui sint probatæ vitæ, & fidelis conuersationis testimonium admittatis, iuxta illud Dominicum, In ore duorum vel trium testium stat omne verbum: quia licet quædam sint causse quæ plures quàm duos exigant testes, nulla est tamen caussa quæ vnius testimonio, quamuis legitimo, terminetur.* Ita Pontifex. Ad quem Canonem eruditè notat Glossa, quòd vnus testis præsumptionem inducat, non probationem.

Verùm illud hîc pressiùs examinandum, Quo Iure necessarij sint duo testes, vtrùm solo humano, an etiam diuino aut naturali, ita vt nec Princeps nec Respub. in eo possit dispensare? Itaque de hac re

*Quodammodò Iure naturæ requiruntur duo testes.*

DICO QVARTO. Quando solus Iudex nouit delictum, quodammodò Iure naturæ prohibetur reum damnare etiam citatum, auditum & deficientem in probatione suæ innocentiæ. Quòd sit quodammodò Legis naturæ, ne talis iudicialiter damnetur, quasi in vindictam criminis; de paterna enim correctione alia ratio est. Probatur, Quia Lex illa diuina, quæ prohibet quempiam occidi ad testimonium vnius, videtur moralem hanc Legem inuoluere, qua ex priuata scientia vetetur Iudex reum occidere. Vnde & in noua Lege Christus Dominus ea vsus est, quando explicuit moralem & naturalem rationem corripiendi delinquentem. Secundò, Cùm vita hominis non sit in humano dominio, non potest in vindictam criminis ei auferri, nisi modo præscripto à Deo; ille autem modus hoc habet, vt sine duorum testimonio nemo capitis damnetur: cùm enim hoc non sit commissum nisi Potestati publicæ, oportet ex scientia publica & potestati proportionata fiat. Tertiò, Iudex vt talis non potest inter se & reum tamquam medius ius dicere; medium autem se non exhibet, si ex seipso præiudicium damnationis adferat. Quartò, Non est Potestas nisi à Deo; Rom.13. Potestates autem quæ à Deo sunt, ordinatæ sunt; ordinatum autem non esset, quòd Iudex priuata scientia posset quempiam damnare, cùm inde multa sequantur incommoda. Sicut ergo priuatus non potest eum occidere, quem nece dignum viderit, ita neque Iudex, cùm ipse supra priuatum hoc solùm habeat in proposito, quòd eum de cuius crimine legitimè constiterit, possit occidere. Quintò, Etiam Gentilibus, qui per tyrannidem multa alioqui vsurpabant, religio semper fuit, prætextu priuatæ scientiæ iudicia publica vsurpare. Vnde illud Scipionis Iunioris: *Scio Licinium peieraſſe, verùm quoniam nullus illum defert, non possum simul & accusator esse & Iudex.* Postremò huc faciunt Canones cap. Vt nostrum, Vt Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur; cap. De manifesta 2. quæst. 1. *Iudicis non est sine accusatore damnare, quia & Dominus Iudam ciùm fur esset sciebat, sed quia non est accusatus, minimè abiecit.* Item cap. Si Sacerdos, De officio Iudicis ordinarij. Hæc opinio placuit Petro Nauarræ lib. 2. cap. 3. numero 197. qui citat Caietanum & Nauarrum; Sotus tamen dicit, Ius naturale expresse id non habere.

Ex dictis sequitur, Non solùm Iudicem inferiorem, sed neque supremum posse condemnare ex priuata scientia, imò nec ipsam Rempub. ad hoc ei potestatem dare posse: in illis enim quæ non minùs sunt Iuris naturæ, quàm potestas regendi in Republica, non potest quidquam humana potestas immutare.

Dixi, de paterna correctione aliam esse rationem: cùm enim ibi agatur ad emendationem delinquentis, non fit ei iniuria, si ex conscientia solius patris corrigatur. Eadem ferè ratio est in Religionibus, saltem quoad minora delicta: in illis etiam quæ infamiam aliquam inducunt, fieri potest vt Religiosi cesserint Iure suo ad famam, vt in materia De correctione fraterna diximus. Imò & à suis administrationibus faciliùs & liberiùs possè amoueri sine ordine illo iudiciali Religiosos, dicitur cap. Qualiter 2. De accusationibus, vbi Panormitanus dicit, contra Religiosum particularem citra infamiam posse procedi: contra Prælatum autem Religiosum, non posse quidem sine ordine Iuris, sed tamen eum non exactè seruari, sicut contra alios Prælatos Ecclesiasticos.

DICO QVINTO. In causis tamen leuioribus, vbi de fortunis agitur, quando ita expediret bono communi, posset statui, vt ad testimonium vnius reus condemnetur. Ita tenet Bannesius quæst. 70. art. 2. Ratio est, Quia de bonis eiusmodi ciuium, Respublica in suum bonum potest disponere; non facilè tamen eò veniendum, propter pericula abusuum.

*Casus in quo supradicta non seruantur.*

DICO SEXTO. Quamuis non liceat sine accusatione, citatione, & solemnitate Iuris quemquam damnare, etiam cuius delictum pluribus notum, adeoque legitimè per testes probari potest; hoc tamen non ita prouenit à Iure naturæ, quin Iudex supremus aut Respublica in casu necessitatis aliter facere possit: vtpote si propter rei potentiam, aut aliam caussam, sine magno Reipublicæ incommodo & periculo, publicè testes produci non possint; poterit enim tunc Iudex supremus, priuatim testimonio saltem duorum audito, procedere ad damnationem. Ita Petrus Nauarra suprà numero 191. Nauarrus cap. 25. numero 10. quamuis hic requirat, vt Iudex curet pro parte absente allegari & probari quæcumque possunt. Similiter dicendum erit, quando contra reum non tam agitur pro vindicta, quàm vt periculum ab eo innocentibus imminens amoueatur: item quando reus etiam citatus scitur non compariturus; denique si coram idoneis testibus ab ipso Iudice in flagranti crimine sit deprehensus, aut crimen aliàs omnino publicum sit & notorium, & ex



& ex processu iudiciali timetur Reipublicæ.

DICO SEPTIMO. Non est improbabile, posse Rempublicam prudentissimo alicui Principi illud Ius dare, cedendo Iure quod habent membra ad famam in criminibus occultis, vt possit ex priuata scientia, sine alterius testimonio, reos damnare. Verius tamen existimo contrarium, saltem in caussa capitis; quia Ius Reipublicæ ad vitam eripiendam sontibus ita Iure naturæ videtur restrictum, ne eripere possit ad testimonium vnius.

*In ciuilibus etiam illicitum ex priuata scientia damnare.*

DICO OCTAVO. Ne quidem in caussis ciuilibus, vbi solùm agitur de damnis rerum, licet Iudici damnare ex priuata scientia. Ostendimus enim suprà, testes in condemnatione planè necessarios esse, quasi ex Iure naturæ, eò quòd tribunalia alia lege erecta non sint, neque erigi possint. Excipe tamen casum quintæ assertionis. Tenet Sotus lib. 5. q. 4. art. 3. vbi dicit, id de ciuilibus ideò non tradidisse D. Thomam quod in illis manifestius erat, eò quòd non perinde ex officio in talibus debeat Iudex procedere, sed solùm ad instantiam partis læsæ.

DICO NONO. Iudex tenetur de damno reo damnato per eiusmodi sententiam sine testibus. Patet ex dictis De restitutione; verè est enim efficax caussa damni per iniuriam.

DICO DECIMO. Iudex tenetur absoluere eum qui ex actis probatur innocens, etiam si priuatim sciat nocentem; actore enim non probante, reus absoluitur cap. Vt nostrum, Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

Sed quæres, Quid si constet alterum duorum occidisse, Iudex autem certò sciat hunc esse innocentem, pro alterius autem innocentia testes deponant; absoluétne ex gestis illum alterum? Videtur enim non posse, quia absolutio illius est damnatio innocentis?

Respondeo, Illum pro quo testes sunt, esse nihilominùs absoluendum, si omnibus tentatis conuinci nequeat. Neq; tamen probationes quæ pro huius absolutione sufficiunt, sufficient pro alterius damnatione; sed etiam ille erit absoluendus, nisi directè & determinatè ipse fecisse aut iuuisse conuincatur, quia in criminalibus ad condemnandum probationes debent esse meridiana luce clariores, L. vlt. C. De probationibus: hîc autem probationes non sunt claræ, quia Iudex priorem absoluendo, non tam dicit eum non commisisse homicidium, quàm hoc non probari: in quo etiam par esse poterit posterior. Vtrùm autem propter præsumptionem quæ est contra reos, non incumbat eis hoc casu probatio negatiuæ, alterius loci erit inquirere.

Illud hîc obseruauerim, quamuis à pœna ordinaria in nostro casu in criminalibus rei absoluantur; quando tamen ageretur ad pœnam ciuilem, non perinde absolui. Argumentum ex L. 1. §. vlt. ff. De his qui effuderunt.

DICO POSTREMO. Iudex etiam supremus, numquam iuridicè absoluit reum, quem priuatim nouit innocentem contra acta quibus probatus est nocens. Patet ex dictis superiori Dubio.

## DVBIVM XV.

### *Quot modis Iudex procedat iuridicè in criminalibus?*

RESPONDEO ex cap. Licet Heli, De Simonia, omisso casu quo crimen omnino esset notorium, quo neque accusatore neque testibus, neque inquisitione vel denuntiatione opus est, neque purgatio indicenda, vt dicit Glossa ibidem verbo Notorijs, procedit tribus modis; *Tribus modis procedit Iudex.* per accusationem videlicet, denuntiationem, & inquisitionem. Idem habemus cap. Qualiter 2. De accusationibus. Hæc diuisio ferè coincidit cum alia bimembri, quæ nonnullis DD. magis placet, vt procedat Iudex vel ex officio, vel ad instantiam partis. Ex officio procedit in notorijs, aut ex fama publica per inquisitionem. Ad instantiam partis, quando quis accusat cui incumbit probare, aut iudicialiter denuntiat, onere probandi solutus: nisi malis in via denuntiationis Iudicem etiam ex officio procedere. Certè medius videtur hic modus procedendi inter viam accusationis siue ad instantiam partis, & viam inquisitionis siue ex officio.

Notat hîc Iulius Clarus lib. 5. Receptarum sentent. q. 3. Iure communi tam Canonico quàm Ciuili viam accusationis esse ordinariam, quamuis Iure Canonico quidam velint ordinariam viam esse inquisitionis; cùm verò ordinarium remedium facit cessare extraordinarium, inde consequens videri, inquisitionem non habere locum, quando aliquis est accusator. Verùm & istud cautè recipiendum est, plus enim deferetur accusatori, qui agit pro reparatione suæ aut suorum iniuriæ, antequam delictum probatum sit, quàm si pro vindicta publica agat iam inuentis aliunde per viam inquisitionis probationibus. Denique monet Clarus, hæc omnia cessare ferè per contrariam consuetudinem generalem, quæ permittit simul cursum suum habere vtramque viam, ita vt Iudex per accusatorem non impediatur ab inquisitione. Imò, vt testatur idem Clarus, in Galliis accusator solùm agens pro vindicta publica, per Ius regium non admittitur; quamuis econtrariò in quibusdam ciuitatibus Flandriæ, vt testatur Damhouderij Enchiridion rerum criminalium, c. 145. parte læsa non conquerente, Prætor non agat; alioqui regulare omnino est, & passim receptum, vt parte læsa pacata, possit nihilominùs Iudex in delinquentem inquirere.

Dices, Crimen aliquando Iudici innotescit per exceptionem, quando ob aliam caussam collitigans pars crimen parti imponit, ad aliquam in iudicio defensionem tamquam proposito seruiens, cum protestatione ac animo non iniuriandi.

Respondeo, Exceptionem non parere nouum modum procedendi; quia si probetur, solùm repellit à iudicio eum contra quem excipitur, sine alia pœna in hoc iudicio, vt patet cap. Cùm dilectus, De ordine cognitionum; sternit tamen viam modo procedendi per inquisitionem in nouo iudicio.

## DVBIVM XVI.

### *Vtrùm sufficiat esse accusatum, vt possit quis legitimè de crimine à Iudice interrogari?*

*Accusatio non sufficit.*

RESPONDEO, Non sufficere, vt docet Nauarrus in cap. Inter verba 11. quæst. 3. conclus. 6. num. 344. Debent enim præter accusationem sufficientia esse indicia, alioqui sit iniuria reo, & imperitiores tentantur, vt seipsos infament sine necessitate, adeoque præcipitantur iniustè in varia damna, pœnas corporis, honoris, vel facultatum. Nam sine indiciis Iudex interrogans non minùs peccat quàm accusator sine probationibus accusans. Quare meritò communis DD. sententia est, Non posse reum compelli ad confitendum suum delictum, nisi ostendatur ei, quòd super illo sit diffamatus, & semiplenè iam sit probatum. Vnde patet, peccare Iudicem, quando citiùs præcipit reo vt sub iuramento dicat veritatem. Erit autem semiplena probatio, quando vnus testis oculatus de ipso crimine aut facto principali deponit pro accusatore. Ne tamen fortè exceptioni locus sit, vbi esse non putatur, ante interrogationem Iudex reo indicabit indicia, probationes, ipsumque accusatorem, & testes. Hæc tamen testium publicatio magis de iustitia quàm de substantia est, vt docet Panormitanus in cap. 22. De sententia & re iudicata.

## DVBIVM XVII.

### *Quid & quotuplex Inquisitio?*

*Inquisitio quid.*

INQVISITIO est informatio illa quæ fit ante iudicium auctoritate Iudicis. Si enim non fiat à Iudice, aut eius potestatem habente, inualida est. Oportet autem inquisitor sit inquisiti Iudex, vel saltem delictum in loco suæ iurisdictionis admissum sit. Debet etiam crimen de quo Iudex inquirat, esse de maioribus; de leuioribus enim quæ in foro externo puniri non solent, non instituitur inquisitio. Sunt autem quædam substantialia necessaria ad formam instrumenti inquisitionis, vtpote per quem facta, quando, quo loco, cuius iussu, ætates, iuramenta, nomina, cognomina, qualitates, domicilia testium, & similes circumstantiæ. Siluester verbo Inquisitio 1. quæst. 5.

*Eius diuisio in Generalissimam,*

Diuiditur inquisitio in generalissimam, generalem, specialem, & mixtam. Generalissima est, quando Prælatus inquirit super statu totius prouinciæ, de qua cap. Sicut olim, De accusationibus.

*Generalem,*

Generalis, quando inquiritur super statu ciuitatis vel alterius loci; de qua cap. 1. De officio Iudicis ordinarij.

*Specialem, & Mixtam.*

Specialis, quæ fit contra certam personam de certo crimine. Mixta, quando fit de certo crimine, sed non cõtra certam personam; vel contra certam personam, sed non de certo crimine. Quo modo autẽ inquisitus aut crimen debeat exprimi, vt inquisitio dici queat specialis, tractat Nauarrus suprà n. 248. Vbi ostendit non sufficere, quòd nomine speciali appellatiuo exprimantur personæ vel delicta; neq; tamẽ opus esse expressione per nomina propria, aut appellatiua ita cõgesta vt propriis æquipolleant: putatque specialem fore inquisitionẽ, si inquiras, vtrùm aliquis è filijs Petri, quos plures habet, homicidiũ istud admiserit.

Ex fine etiam inquisitio diuidi potest: fit enim aliquando ad pœnam inquisiti, aliquando solùm ad emendationem, aliquando vt sciatur an inquisitus sit idoneus ad certum matrimonium, officium, aut Beneficium, & generatim ad impedienda maleficia, eorumque tollendas occasiones.

## DVBIVM XVIII.

### *Vtrùm liceat Iudici instituere inquisitionem generalem, nulla præcedente infamia?*

*Inquisitio generalis instituitur est absque præuia infamia.*

RESPONDEO, Certum est, non tantùm posse Prælatum, sed subinde etiam debere instituere generalissimam aut generalem inquisitionem, licet nulla præcesserit infamia. Patet cap. Sicut olim, De accusationibus; cap. 1. De officio Iudicis ordinarij; cap. Cùm venerabilis, De censibus; cap. Romana, eodem, in 6. visitatio enim etiam citra infamiam aliquando debet fieri à Prælatis. Tenet Sotus De secreto, membro 2. quæst. 6. conclus. 2. Formam autem generalis inquisitionis videre licet cap. Placuit 10. quæst. 1. & dicto cap. Romana, §. Sanè.

Ex quo dubitari potest, Vtrùm inquisitor generalis possit exigere, vt sub iuramento inquiratur veritatem reuelent super interrogatorijs; textus enim ita habet: *Querat de vita & conuersatione ministrantium in Ecclesijs & locis alijs diuino cultui deputatis, ac ceteris quæ ad officium ipsum spectant, absque coactione & exactione qualibet iuramenti.*

Sed dicendum cum Glossa, ab initio quidem generale eiusmodi iuramentum ibi dici non esse exigendum per Archiepiscopum visitantem, quo occulta crimina visitatus prodere constringatur: si tamen sine iuramento prodiderit aliqua, posse super his Inquisitorem exigere iuramentum. Fortè ergo de prodendis fideliter illis quæ sine peccato prodi poterant, etiam ab initio poterit exigi iuramentum, per eum qui inquirendi habuerit potestatem, vt apertè sentit Siluester verbo Visitatio, quæst. 6. numero 4.

Vtrùm autem Inquisitor debeat monere interrogatum, quem ita rudem esse videt, vt etiam occulta quæ prodere non potest, existimaturus sit se debere prodere, adeoque putando debitum soluere, contracturus sit nouum debitum, præcipuè quando iuramentum exigitur, meritò hìc dubitari queat.

Respondeo, Regulare esse, saltem quando iuramentũ exigitur, vt eius monere debeat Inquisitor. Patet ex cap. Qualiter 1. De accusationibus; vbi in forma iuramenti exigendi, distertè excipiuntur peccata occulta: aliàs si hoc non moneat, oportet inquisito tempus concedat, & locum capiendi consilij, vt monuit Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. numero 174.

*Inquisiti quando peccent.*

Hinc sequitur, Peccare Inquisitos, quando occulta crimina reuelant in ordine ad pœnam, contra charitatem saltem, quando infamia nulla præcessit, sed tamen per testes in iudicio probari possunt: contra iustitiam autem, quando ita occulta sunt, vt nè quidem per testes probari possint.

*Quousque possint obligari.*

Vt autem discernamus, quousque possint inquisiti obligari ad tollenda crimina, regulam hanc tradit Sotus De secreto, membro 3. q. 6. conclus. 2. quòd Prælatus in generali inquisitione solùm possit compellere subditos ad denuntiandum crimina in illis casibus, & eo ordine, quibus ipsi tenentur extra inquisitionem; nisi quòd nunc statim



statim teneantur deferre, cùm aliàs citra iussum Prælati differre denuntiationem potuissent.

Quæres, Vtrùm Iudex super occultis probabilibus generali inquisitione per imprudentiam detectis, possit procedere ad inquisitionem specialem.

Respondeo, Posse, & subinde teneri, vt docet Nauarrus suprà citatus in cap. Inter verba, numero 250. & 281. & dicit esse communem, quam sequitur Antoninus 3. parte, tit. 9. cap. 7. §. 1. Confirmatur; Quia alioqui inutilis esset inquisitio generalis; ex ea enim non potest Iudex immediatè procedere ad punitionem, quia pars non audita non potest puniri: non enim indicia in ea inuenta sunt decisoria, sed præparatoria, vt docet Nauarrus suprà, numero 256. & finis generalis inquisitionis est descensus ad specialem, vt docet Aretinus in Practica criminali, §. De inquisitione, & probat ex L. 4. ff. Ad Legem Iuliam peculatus, §. 1. Docet tamen Iulius Clarus quæst. 5. virtute indicij sufficientis deprehensi in inquisitione generali, non solùm citari, sed etiam capi posse delatum.

Omnino tamen excipiendus est casus, quo per Sacramentalem confessionem ortum habuisset cognitio criminis, ne in odium veniat Sacramentum Pœnitentiæ. Ita ex communi Sotus De secreto, membro 3. q. 1. conclus. vlt.

Secundò excipitur casus, quo per iniuriam aliquam vel culpam Iudex cooperatus sit inordinatæ reuelationi. Soto ibidem: qui tamen dubitat, Vtrùm istud etiam procedat, quando leues fuerint minæ Iudicis, de quo infrà Dubio 25. quando De tortura agetur.

Tertiò, Quando iuramentum, quod Inquisitor ab inquisito exigit, apertè restringitur ad publica, de quibus fama sit vel rumor, consultum videtur Nauarro suprà, dissimulare quæ de occultis per imprudentiam reuelantur.

Quartò, Quando contra non infamatum procedendo, Inquisitor læderet Ius naturæ. Sotus suprà, membro 2. quæst. 6. conclus. 3.

## DVBIVM XIX.

### *Vtrùm inquisitio specialis regulariter non fiat nisi præcedente infamia?*

*Inquisitio specialis nõ fit nisi præcedat infamia.*

RESPONDEO, Non fieri. Patet cap. Qualitera 2. De accusationibus; & Confirmari potest ex Scriptura, vbi tum demum Deus priùs inquirere legitur contra Sodomam, quando clamor ascenderat; & dominus contra villicum iniquitatis, postquam iam diffamatus esset; & contra Iudam nihil inquiritur, quia de proditione infamatus non erat. Talia videre licet De Simonia, cap. Licet Heli.

Sanè numquam posse Iudicem particulari inquisitione contra aliquem quasi ex seipso procedere, nisi aliquid præcedat quod aperiat viam inquisitioni, ex communi docet Clarus suprà: scilicet vel diffamatio, vel querela partis, vel denuntiatio, vel aliquid eiusmodi. Nos hìc quærimus, Quando possit ad particularem inquisitionem descendere, sine vlla partis instantia, merè ex officio? Et dicimus, Hoc sine infamia regulariter non posse. Imò neque sufficit quælibet fama, sed debet ea ortum habere à fide dignis, non à maleuolis & maledicis, sed à prouidis & honestis, vt apertè dicitur dicto cap. Qualiter. Eadem ratio, si orta sit ab hostibus manifestis, aut eorum familiaribus & consanguineis, cap. Cùm oporteat, eod. Itaque quando constaret, famam esse ortam à maleuolis, non mouebit se Iudex. Verùm quia sæpè dubium est, à quibus aut qualibus orta sit fama, monet Glossa in dictum cap. Qualiter, famam eiusmodi dubiam sufficere ad indicendam purgationem, quæ tamen non indicetur quando violenta fuerit suspicio de maleuolentia primorum diffamantium.

Sed quæres, Vtrùm sufficiat Iudici solùm innotuisse quòd talis fama circumferatur, an verò opus sit ad aures eius sæpiùs peruenisse cum insinuatione clamorosa? Ita enim videtur insinuare textus illius cap. Qualiter.

Respondeo ex Panormitano, Textum solùm significare, debere famam esse benè sparsam: ille enim est clamor famæ. De Iure tamen videtur requiri, vt sæpiùs ad aures Iudicis delata sit, nisi aliud habeat consuetudo. Imò requiritur, quòd tanta sit, vt generet scandalum, & sine periculo tolerari non possit. Aretinus suprà, numero 50. Quod tamen Clarus quæst. 6. numero 21. limitat ad processum contra Prælatos. Sanè contra neminem dicta paucorum faciunt famam, vt dicit Siluester verbo Inquisitio 1. q. 8. Monent alij, debere famam Iudici innotuisse non in occulto, sed solemniter: vnde consulunt, vt eam sederis in loco iudiciali, excipi curet per Notarium maleficiorum.

*Quomodo fama probetur.*

Quæres, Quomodo fama probetur: variè enim hac de re sentiunt DD. Quidam dicunt, sufficere duos testes, modò reddant sufficientem causam scientiæ, & deponant se audiuisse à maiore parte populi. Ita Bartolus, & alij citati à Claro suprà, numero 14. Alij dicunt, sufficere quòd duo testes deponant se audiuisse publicè id referentes, modò illos nominatim exprimant, & rogati quid sit fama, de eo respondere possint. Ita ipse Clarus, & alij quos citat. Additiones eius ibidem, decem testes requirunt bonæ famæ, & fatentur vix vmquam famam benè probari.

Vera sententia est, sufficere quòd duo legitimi testes deponant se audiuisse publicè id dicentem maiorem partem illius communitatis, in qua infamiam probare volunt, modò illa maior pars constet vt minimum decem personis. Ita Nauarrus in cap. Non sunt audiendi 11. quæst. 3. Vnde patet, verum esse, difficulter probari famam in magno populo, & non posse verè probari duas famas contrarias, quamuis post probatam famam admittatur probatio contrariæ famæ, cap. Cùm in tua, De sponsalibus. Aduertendum itaque hìc est Iudicibus, vt ad specialem inquisitionem contra Petrum procedant, non sufficere quòd habeant duos testes, qui denuntient de actu criminis, sed opus est, vt saltem duos habeant testes, qui testentur ipsum Petrum de tali crimine esse infamatum.

## DVBIVM XX.

### *Quando liceat citra infamiam Iudici instituere inquisitionem specialem contra certam personam?*

RESPONDEO, Pluribus id casibus licere, adeò vt quidã ex istis exceptionibus regulã fecerint, & loco

*Casus, quibus liceat inquirere citra iniustitiam.*

loco exceptionum posuerint casus, quibus requiritur infamia: sed parum conformiter Iuri naturæ, vt docet Nauarrus in Rubricam De iudiciis, num. 84.

Primus casus est, Si inquisitio non fiat ad punitionem, sed ad eius qui deliquit emendationem. Argumentum ex cap. Reprehensibilis, De appellationibus.

Secundus, Si fiat non vt aliquid adimatur, vel vt condemnetur, sed vt constet sitne dignus officio aut Beneficio sibi conferendo: cap. Nihil, De electione. Quod tamen ita acceptum velim, vt tum demum liceat in eiusmodi inquisitione crimen occultum prodere, quando cederet eius promotio in graue detrimentum Ecclesiæ vel Reip. si cum tali occulto vitio, in quo timetur perseueraturus, promoueatur, aut quando putaretur publicandum postea cum scandalo, vt benè monuit Ludouicus Molina tract. 4. disp. 24.

Tertius, Quando reus præsens non opponit: cap. 2. De accusationibus, in 6. Est autem casus capituli, vbi Iudex ad instantiam partis procedens, non priùs inquisiuit de infamia vt debuit, sed super veritate criminis. Vult autem Pontifex, talem reum non posse postmodum opponere, malo ordine fuisse processum, si initio sese non opposuit, sed quasi innocentiæ fidens, prætermissa inquisitione de infamia, permisit inquiri super crimine. Vbi obserua, hunc casum potiùs locum habere in foro externo quàm in conscientia: non enim deciditur, talem Iudicem non peccasse, sed non impedire eius processum; existimo enim sistendo in Lege positiua quæ non sit abrogata per consuetudinem verum esse quod Nauarrus in cap. Inter verba, coroll. 48. scribit, peccare Iudicem, quando in casibus non exceptis procedit ex officio via inquisitionis ad puniendum, nemine accusante, & infamia nulla præcedente contra quempiam, cuius crimen nouit per duos testes in iudicio probatum iri.

Quartus, Quando ita instituitur generalis inquisitio in aliqua communitate, vt inquirendum sit in caput & singula membra: cap. 1. De officio Iudicis ordinarij.

Quintus, Quando statutum aliquod sub pœna disponit, quòd Iudex teneatur de certi genere delicti inquirere, tenetur de eo inquirere, etiamsi nulla præcesserit infamia, quando aliàs indicia habet sufficientia contra certam personam, secundùm Aretinum suprà num. 51. Idem secundùm eamdem opinionem dicendum esset, quando Pontifex vel Princeps proprio motu mandat fieri inquisitionem: secùs si ad petitionem alterius, secundùm Glossam in cap. 2. De accusationibus, in 6. Annotationes tamen ad Aretinum De maleficiis, §. Quòd fama publica, iterùm hoc mitigant, & volunt iussum Pontificis aut Principis accipiendum esse saluo Iuris ordine, vt primò inquiratur de infamia: quod verius esse videtur, quando Princeps nullam dat significationem sibi de infamia liquere. Et ita tenet Nauarrus in Rubricam De iudiciis, num. 90, estque eadem ratio statuti: neque enim humanum statutum potest præualere contra Ius naturæ.

Sextus, Quando ex criminis impunitate imminet periculum animarum, quo modo in crimine hæresis proceditur sine infamia, quia hæreticorum sermo vt cancer serpit, vt dicit Apostolus; cap. Excommunicamus, §. Adijcimus, De hæreticis. In talibus ergo sufficit vehemens suspicio, vt dicit Clarus suprà q. 6. num. 7. qui tamen requirit tunc accedere querelam aliquam vel denuntiationem.

2. Tim. 2.

Septimus, Quando imminet damnum Reipublicæ, aut alteri innocenti ex impunito crimine, quale est testis falsi, calumniatoris, præuaricatoris, tergiuersatoris in iudicio: quamuis etiam ob aliam causam illa veniant extra ordinem Iuris punienda.

Octauus in crimine læsæ maiestatis, per Extrauagantem Frederici Imperatoris, quæ incipit, Ad reprimendum, quã alij adscribunt Henrico VII.

Addunt & alios casus, vtpote propter atrocitatem criminis, aut quando in iudicio commissum fuerit in conspectu Iudicis, & alia nonnulla, de quibus consulendus Nauarrus suprà in Rubricam De iudiciis, num. 84. & seqq. vbi ostendit, magis quàm operæ pretium erat, eiusmodi casus à quibusdam multiplicari.

Quæres, An sit Iuris naturæ, non inquiri contra non infamatum vel accusatum?

Respondeo, Verius est, quando delictum per duos idoneos testes probari in iudicio potest, & aliàs satis vtilis est Reip. eius punitio, tolo Iure humano vetitum esse Iudici contra talem delinquentem ex officio procedere, nulla precedente infamia vel accusatione. Videtur ita sentire Nauarrus in dictum cap. Inter verba, coroll. 50. Quod valdè notandum est, quia inde sequitur, consuetudine posse excusari Iudices, qui Ius illud positiuum non obseruant. Si verò examinare velis, vtrùm talis consuetudo sit iusta; vide vtrùm iustum esset statutum, quo tam generaliter statueretur, sine infamia licere inquirere, ac consuetudo Iudicum habet: si enim statuto ciuitatum tale quid constitui possit, indubiè etiam potuit consuetudine introduci.

## DVBIVM XXI.

### *Quomodo procedendum sit ad inquisitionem, quando crimen est notorium, sed latet auctor?*

DIXIMVS de inquisitione purè generali, & purè speciali; nunc dicendum de mixta, & quidem hoc Dubio de ea quæ instituenda sit, quando nouum fuerit crimen, non persona: sequenti autem, de inquisitione occulti criminis, quando aliunde persona est infamata. Tractant hanc dubitationem Nauarrus in cap. Inter verba, conclus. 6. corollario 50. Caietanus q. 69. art. 2. Sotus membro 2. q. 6. De secreto; Siluester verbo Correctio, nu. 8. Armilla verbo Accusatio, n. 28. Panormitanus in cap. Bonæ memoriæ, De electione; Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 154. & seqq.

*Prima sententia.*

Duæ sunt sententiæ. Vna dicit, non posse Iudicem ad inquisitionem contra Petrum aut Paulum procedere, ex eo quòd crimen sit publicum, nisi ea fuerit ipsorum infamia, & talia contra eos indicia, vt etiam contra ipsos procedi possit, supposito quòd crimen adhuc occultum sit. Ita videtur sentire Caietanus, quem sequitur Sotus.

*Probatur*

Probatur hæc sententia auctoritate Canonum, qui, vt suprà citauimus, tum demum contra quem inquisitum iri volunt, quando fuerit infamatus: non



non est autem infamatus, quando ipse occultus est, etiamsi crimen sit publicum. Imò vt Siluester post Paludanum vrget, non videtur peccatum esse publicum, quando ipse actus publicè non fuerit notus, sed tantùm effectus: peccati enim effectus non est ipsum peccatum.

2. Secundò Probatur hac ratione: Dictat naturalis ratio, occulta non subesse scientiæ publicæ: atqui fieri potest, vt persona quæ incendium fecit, omnino occulta sit, etiamsi ipsum fuerit manifestum; itaque non erit obnoxia publicæ cognitioni.

3. Tertiò, Non tenetur quis fateri proprium delictum interrogatus à Iudice, nisi contra ipsum sit semiplena probatio, vt docet D. Thomas dicto art. 2. non potest ergo contra ipsum legitimè inquiri, licet factum sit notorium: si enim Iudex legitimè interrogaret, non alij solùm, sed etiam ipse reus deberet ad interrogata veritatem respondere.

*2. Sententia.*

Altera sententia dicit, aperiri Iudici viam ad inquisitionem contra reum occultum, quando crimen est publicum aut notorium. Ita Nauarrus, qui aliquando secutus erat Caietanum. Mouetur, quòd nullum contra eam inueniat textum, quòd praxi communi totius orbis sit recepta, quòd communis sit DD. quòd sit necessaria, ne cum pernicie Reipublicæ impunè lateant auctores publicorum scelerum.

*3. Sententia verior.*

Respondeo, Notorio seu publico admisso flagitio, Iudex non tantùm potest, sed tenetur instituere generalem inquisitionem & confusam in auctorem: de nemine tamen poterit in particulari inquirere in ordine ad punitionem, nisi secundùm suprà dicta de particulari inquisitione contra infamatum vel indiciatum, ita vt facinoris publica notitia non tribuat ius specialiter inquirendi contra personam, & in eo sint pares duo occulti peccatores, quorum vnius etiam factum occultum est, alterius publicum. In hoc autem est disparitas, quòd quando & factum & persona latent, Iudex de eo nullam inquisitionem instituat, ne quidem generalem, antequam auctor diffametur, nisi in casibus suprà exceptis. Quando autem persona quidem occulta est, sed factum publicum, generali inquisitione ad indicia inuenienda de auctore, Iudex ex officio procedere debet, licet nulla infamia, aut indicia contra quemquam in particulari præcesserint. Ratio est, Quia interest Reipublicæ, ne cum scandalo publica crimina siue inquisitione dissimulentur. Vnde & Ius & debitum in eorum auctorem inquirendi nascitur in Iudice; inquirendi, inquam, generatim, quis sit auctor, non autem vtrùm Petrus fecerit aut Paulus; auctor enim in genere quodammodò ipso facto infamatus est, non autem Petrus. Neque refert, quòd hæc generalis inquisitio quoad personam, particularis quoad crimen, tendat natura sua & ordinetur ad particularem contra personam; hoc enim prouenit ex natura inquisitionis in genere, vt suprà ex Aretino diximus. Itaque hoc sibi imputet, qui publico flagitio Iudicis officium in caput suum prouocauerit.

At quid si Iudici constet non posse prodi auctorem sine peccato, eò quòd sic occultus sit, vt secundùm dicta prodere non liceat?

Respondeo, Poterit, imò debebit nihilominùs inquirere, quia etiam sine proditione inquisitio ista vtilem Reipublicæ terrorem habet, quem Iudex intendet. Imò neque omittere debebit, etiamsi præsciuerit occultum peccatorem nouo peccato prodendum: rei enim necessariæ operam dare potest, etiamsi occasione eius nouerit alios peccaturos.

Quæres, Vtrùm Iudex Ecclesiasticus possit sub pœna excommunicationis præcipere, vt qui nouerit auctorem publici huius criminis, prodat?

Respondeo, Interdum id fieri posse, quando nimirum cogitari potest præceptum præiacens ante excommunicationem, quod obliget sub mortali ad crimen prodendum, siue hoc Legis naturæ sit, siue positiuæ humanæ prioris, siue illud ipsum cui annectitur excommunicatio.

*An possit quis excommunicari si se non prodat.*

Vnde vlteriùs resolui potest dubium, An excommunicari valeat, nisi seipsum prodat, de quo exemplum habemus Gregorij Magni 5. q. 1. cap. Quidam: si enim casus sit eiusmodi, vt iussus teneatur sub mortali se prodere; manifestum est, posse illi præcipi sub pœna excommunicationis vt se prodat. Sunt tamen alij modi quibus excommunicari posse videantur latentes eiusmodi criminosi. Vnus quo vsus est Gregorius dicto cap. Quidam, Si iubeatur qui fuerit in tali peccato, abstinere se à communione sacræ Eucharistiæ donec sese prodiderit, & in euentum quo non paruerit, feriatur anathemate: hic enim non excõmunicatur propter transactum crimen simpliciter, (quod fieri non debet sine contumacia; fortè enim de eo iam correctus est) neque etiam præcisè ideò, quia sese non prodit, quamuis hoc aliquando fieri possit, sed quia non abstinuit à Synaxi donec se proderet, & vel reuocaret quem emiserat libellum famosum, vel iuridicè probaret.

Alter modus est, quem habet Caietanus suprà citatus, Vt qui propter contumaciam in crimine excommunicari merebatur, excommunicetur in euentum quo se non prodiderit. Quo casu non excommunicatur, quia sese non prodit, sed quia peccauit, & in peccato suo est contumax, vt non tam incurrat non prodendo, quàm prodendo euadat excommunicationem. Valida tamen non erit sic lata excommunicatio, nisi quando se prodere reus tenetur: talis enim conditio aliàs vitiaret excommunicationem, quia virtute præciperetur quod magis durum & arduum est, quàm vt sub Legem humanam cadere possit.

Tertius est cap. Si sacerdos, De officio Iudicis ordinarij; vbi non expresso nomine, sed indeterminatè dicitur Sacerdos ad instantiam partis læsæ posse excommunicare occultum criminosum, etiamsi sacramentaliter sibi fuerit delictum confessus. Credo tamen, in his casibus cessare excommunicationem, si reus satisfacere potuerit sine suiipsius proditione: verbi gratia, reparando damnum per aliam personam interpositam, quod tamen in casu D. Gregorij vix fieri poterat.

*Resp. ad probationes primæ sententiæ. Ad 1.*

Ad argumenta alterius opinionis respondeo. Ad Primum, Canones solùm prohibere, ne immediatè eatur ad specialem inquisitionem contra certam personam. Ita Petrus Nauarra suprà num. 163. reprehendens Nauarrum quòd dicat, Canones in hoc consuetudine contraria esse abrogatos. Ad Confirmationem respondeo, Per effectum suum crimen publicè notum esse, vt meritò

meritò prouocet Officium ad inquiſitionem contra auctorem.

*Ad 2.* Ad Secundum, Quamdiu perſona occulta erit, contra eam particulari inquiſitione non procederetur.

Si dicas, Ius naturæ poſtulare, vt occultus relinquatur; Reſpondeo, Verum illud eſſe, quando hoc ipſum non cederet in graue ſcandalum vel damnum Reipublicæ aut innocentum, quod Iudex magis teneatur vitare, quàm iſtius infamiam.

*Ad 3.* Ad Tertium patet ex dictis. Quomodo tamen reus interrogatus reſpondere debeat de occulto delicto, inferiùs dicemus.

## DVBIVM XXII.

### *Vtrùm infamis aut etiam conuictus de vno crimine, poſsit interrogari de alijs occultis?*

*Prima ſententia.* NON defuerunt qui exiſtimarent, non ſecùs licere contra publicum inquirere de occulto, ac contra occultum de publico; quaſi ad publicam interrogationem alterutrum ſufficiat, vel crimen, vel perſonam publicatam eſſe. Ita tenet Palude in 4.diſt. 19.ſub finem. Imò is videtur dicere, plus ad inquirendi Ius conferre, quòd perſona publicata ſit, quàm quòd delictum; quaſi quamdiu perſona occulta eſt, non liceat inquirere, liceat autem de alio crimine occulto interrogare eum, qui propter vnum iam ſcitur eſſe criminoſus. Hunc ſequuntur Antoninus 3. parte, tit.9 c.7. §.5. & Silueſter verbo Inquiſitio 1.q.4. numero 2.

*Secunda verior, De occultis criminibus aliis non eſſe inquirendū.* Alij dicunt, de occultis criminibus aliis non poſſe reum de vno diffamatum aut conuictum inquiri. Ita Caietanus quæſt.69.art.1. item q.70. art.1 vbi oſtendit, etiam hoc ſenſiſſe D.Thomam, & in Opuſculo 17. reſponſionum, reſp. 5. ad. 4. Nauarra lib. 2. cap. 4 numero 169. Nauarrus in cap. Inter verba, 11. queſt. concluſ. 6. numero 190. Adrianus Quodlib. 11. quæſt. 1. Sotus De ſecreto, memb. 2. quæſt 6. dub. 5. & lib. 5. De iuſtitia q 6. art. 2. Salonius dicta quæſt. 69. a. 2. controuerſia 8. Bernardus Diaz, Practicæ criminalis Canonicæ cap. 117. Hæc dubitatio tangit rem Iudicibus & reis periculoſam & quotidianam, in qua frequenter grauiſſimè peccatur. Simpliciter autem poſterior ſententia quæ communis eſt, videtur vera, & Probatur Primò ex cap. Inquiſitionis, De accuſationibus; vbi apertè dicitur, debere inquiſitionem fieri ſolummodò ſuper illis de quibus clamores aliqui præceſſerunt. Similiter cap. Cùm oporteat, eodem, dicitur, ad eorum tantummodò criminum inquiſitionem eſſe procedendum, ſuper quibus rei fama læſa fuerit. Secundò Probatur ratione Adriani: Si enim liceat Iudici inquirere occulta diffamati in vno, etiam priuato licebit ea reuelare, præſertim cùm ſecundùm aduerſarios ſufficiat perſonæ diffamatio in vno, vt omnia eius occulta inquirere liceat. Vnde ſequitur, paucos eſſe quorum occulta non poterunt reuelari; &, ſi quis ebrioſus ſit, aut ieiunium Eccleſiæ non ſeruet, poterit continuò omnia eius crimina, quamuis occulta, reuelari.

Amplianda reſponſio, vt locum habeat etiam in crimine occulto eiuſdem ſpeciei cum conuicto, vt benè Nauarra; niſi forte infamatus ſit, non quòd ſemel tale peccatum admiſerit, ſed quòd ſoleat eiuſmodi peccata ſæpiùs committere, vt benè Diaz; vel ſecundùm quoſdam, niſi peccatum in quo deprehenſus eſt, tale ſit, vt qui ſemel illud admiſiſſe deprehenduntur, ſæpiùs commiſiſſe ſoleant exiſtimari: quo modo fortè excuſari poterit generalis conſuetudo Iudicum Italiæ, vt teſtatur Diaz, qua conuictus de vno furto, interrogatur & torquetur de alijs furtis ſine vllo alio indicio. Sed verius puto cum ipſo Diaz, eiuſmodi conſuetudinem non eſſe probandam, niſi ſint indicia de frequenti furto, vt ſuprà diximus.

Limitanda tamen eſt hæc reſponſio Primò, quando crimen proditum, indicium fuerit occulti; quomodo in adulterum inquiri poterit de occiſo domi marito mulieris, cum qua ſolebat peccare. Secundò, quando occultum eſt circumſtantia diffamati.

## DVBIVM XXIII.

### *Poſsitne Iudex reum iam conuictum interrogare de ſocijs occultis, nulla infamia laborantibus?*

AFFINIS eſt ſuperiori. Quidam affirmant, Palude, & alij ſuperiori Dubio ei conſentientes. Alij diſtinguunt: tenent enim affirmantem in crimine cedente in commodum rei principaliter, quale eſt furtum, falſatio monetæ; negantem autem in ijs quæ cedunt principaliter in odium vel offenſam alterius, quale eſt homicidium. Ita Clarus quæſt. 21. numero 3. Alij abſolutè negant. Ita Sotus & Salonius ſuprà citati, & Nauarra numero 172. Horum ſententia tenenda eſt, & Probatur cap. Cùm Monaſterium, De confeſſis, *Secundùm vtriuſque Iuris ſtatuta de ſe confeſſi ſuper alijs interrogari non debent.* Similia reperiuntur cap. Veniens, De teſtibus, & cap. Nemini 15.quæſt.3. Item C. De accuſationibus, L. finali: *Veteris Iuris auctoritas de ſe confeſſos ne interrogari quidem de aliorum conſcientia ſinit. Nemo igitur de proprio crimine confitentem, ſuper conſcientia ſcrutetur aliena.* Probatur Ratione, Quia non ſolùm Iudex peccat interrogando, ſed etiam reus iniuriam facit occultis complicibus, ſi eos prodiderit. Accedit quòd confeſſi contra ſe, profeſſio contra alium periculoſa ſit, vt Leges & Canones dicunt: periculoſa inquam, quia vt dicit Lex illa finalis, *Veniam aut liberationem rei ſperare ſolent, propter flagitia adiuncti.* Quo fit, vt Superiores, aut qui apud Iudicem fauore induſtriaue aliquid poſſunt, magis de eorum calumnijs periclitentur. Inimicos etiam quando iam de ſe deſperant, ſupplicio inuoluere eos iuuat.

*Negatiua reſponſio tenenda.*

Excipitur tamen per pleroſque dictos textus, crimen læſæ maieſtatis. Quando enim ex crimine periculum impendet Reipublicæ aut proximo innocenti, ſemper poteſt Iudex, imò tenetur etiam citra infamiam inquirere, & reus indicare. Vnde conſequens eſt, quando eſt indicium, aliquos eſſe complices à quibus damnum timeatur, poſſe reum leuiùs aut grauiùs pro ratione delicti, damni & indicij vlteriùs torqueri, vt illos ipſos reueleret: ſi autem ſuſpicio non ſit quòd complices habuerit, etiamſi caſu quo laterent ab eis eſſet metuendum, alij pro eorum reuelatione non eſſet extendenda tortura. Ita Salonius. Hinc etiam ſequitur, quod Adrianus ſuprà citatus annotauit, reo licere eos prodere occultos complices, qui niſi prodantur, de crimine alij infamabuntur, aut fortè propter illud occidentur: per viam enim defenſionis innocentum eo caſu complices prodendi veniunt, aliàs occultandi.

*Excipitur Primò crimen læſæ maieſtatis.*

*Item crimē Simoniæ.* Addit Gloſſa in dictum cap. Nemini, crimen Simoniæ, eò quòd Canones illud æquent crimini læſæ maieſtatis, vt patet cap. Sanè 15. quæſt. 3.

*Item latrocinium.* Tertiò excipitur latrocinium, quia latro vnus contra alium auditur. Gloſſa in cap. Nemini, ſuprà.

*Item Falſarij.* Quartò, Falſarius contra ſocium auditur. Gloſſa ibidem.

Quintò, Quando ſtatutum aut conſuetudo loci vel generalis haberet, vt de ſocijs fieret interrogatio, ea Iudici eſſet licita, ſecundùm Nauarrum in cap. Inter verba, ſuprà, & alios citatos apud Clarum quæſt. 21. Sed melius dicitur cum Petro Nauarra, ſtatutum aut conſuetudinem hoc non poſſe generatim, quia eſſet contra Ius naturæ, niſi fortè ciues ſuo in hoc renuntiaſſent, quod non præſumitur, quando ſtatutum aut conſuetudo originem habet à ſolis Iudicibus.

At quæres, Vtrùm in genere Iudex ſemper poſſit interrogare reum iam conuictum, ſolúſne crimen perpetrauerit, ita vt ipſe occultos quidem complices prodere non teneatur, teneatur autem ſi qui fortè ſufficienti laborent infamia.

Reſpondeo; Quidam affirmant, vt Caietanus Opuſculo ſuprà citato; Nauarrus tamen in dictum cap. Inter verba, concluſ. 6. numero 190. negat. Vera videtur media ſententia, fieri poſſe interrogationem, quando ipſum crimen adducit ſuſpicionem de complicibus in genere, vt ſi plebeius quis occidat nobilem cum quo non habuit inimicitiam, ſuſpicio eſt quòd ſubornatus ab alio id fecerit: non eſſe autem faciendam eiuſmodi interrogationem, quando nulla fuerit talis ſuſpicio. Ita ſenſit Salonius, & Petrus Nauarra. Ratio eſt quòd priori caſu quodammodò crimen, quatenus complicis, ſit notum, ſed lateat auctor, vt meritò redeat doctrina Dubij 21. In poſteriori crimen, vt complicis, eſt planè occultum. Quid verò in indicio operetur dictum ſocij, videre licet apud Clarum ſuprà num. 4. & ſeqq.

## DVBIVM XXIV.

### *Quando poſsit Iudex reum adiudicare torturæ.*

*Quando nō ſit adhibenda tortura.* DICO PRIMO. Non eſt adhibenda tortura in his caſibus.

Primus, Quando pars formalis & aduerſa offert plenam & manifeſtam criminis probationem. L. Quotiens, C. De quæſtionibus; L. Edictum, & L. Diuus, ff. eod.

Secundus, Quando delictum plenè probatum eſt: tunc enim Iudex adhibens torturam, quæ non niſi in ſubſidium probationum, & non in pœnam criminis admiſſi adhiberi debet, peccaret, & ipſe puniendus eſſet, vt tradit Aretinus §. Quod fama, numero 94.

Excipit tamen Clarus caſum, quo rei confeſſio videatur extorquenda, ne per appellationem impedire valeat iuſtæ ſententiæ executionem: eſt enim quibuſdam locis moris, vt etiam capitis damnatus poſſit appellare, niſi delictum fuerit confeſſus.

Tertius, Quando Iudici non certò conſtat delictum eſſe admiſſum, non debet quæſtionem inſtituere ad inueſtigandum auctorem. Damhouderius Enchiridij criminalium cap. 35. Clatus quæſt. 4. & 64. qui addit, non poſſe etiam illum damnari qui confeſſus fuerit in iudicio crimen, quod an admiſſum ſit, aliunde non conſtiterit, modò tale ſit, vt veſtigium poſt ſe relinquat.

Quartus, Ob crimina leuia quæ morte aut mutilatione non puniuntur, nemo torquetur. Damhouder. ſuprà: Clarus tamen vult ſufficere quòd pœna criminis ſit corporalis afflictio. Alij extendunt ad pœnam triremium. Ad pœnam exilij communiter dicunt extendi non poſſe. Quare ſi æquè ſint probabilia indicia quòd Petrus occiderit cauſſa defenſionis ſuæ, ac quòd occiderit, non erit torquendus vt ſemiplenè probatus homicida: ſemper enim eſt cauendum, ne cruciatus torturæ excedat tormentum pœnæ ad quam concludit actor.

Quintus, Quando reus confitetur iuridicè crimen, non torquetur; quia finis torturæ iam habetur. Excipe caſum quo poſſit de complicibus torqueri, de quo Dubio ſuperiori.

Sextus, Nemo torquendus, niſi mandato & conſenſu Iudicis, & ne quidem tunc ſi appellet, donec de appellatione cognoſcatur. Damhouderius ſuprà.

Septimus, Non eſt torquendus qui per Leges à tortura eximitur. Tales ſunt minores quatuordecim annis, in dignitate conſtituti, maior Magiſtratus durante officio, Doctor, Clericus non infamis ſecundùm quoſdam, ſed communiùs alij Clericum non excipiunt; decrepiti, mulier prægnans, & ſecundùm quoſdam puerpera 40. diebus à partu, item lactans prolem. Hi omnes non torquentur, niſi quòd in crimine læſæ maieſtatis, aut hæreſis, vel proditionis ciuitatis, & ſimilibus, torqueantur, qui non ob debilitatem, ſed propter dignitatem erant excepti, vt docet Aretinus ſuprà, numero 102. Vtrùm autem excipiendi etiam ſint milites noſtri temporis (nam olim excepti erant) Aduocati, Conſiliarij ciuitatum, & an teſtes poſſint torqueri, videre licet Additiones Aretini ad Clarum quæſt. 64. Vbi quamuis dicat etiam milites nunc torqueri non poſſe, reſtringit tamen ad eos qui creati ſunt equites, & ad capitaneos ſeu ductores: De nobilibus etiam variat conſuetudo, quæ in hoc vim Legis habet. Vtrùm autem torqueri poſſit mutus, ſurdus, febricitans, conſulendæ Additiones Clari.

*Quæ indicia requirantur.* DICO SECVNDO. Non quæuis indicia ſufficiunt, ſed ad realem torturam requiruntur talia, quæ faciant probationem ſemiplenam, aut aliàs ſint valdè vrgentia, ne innocens pro incerto ſcelere certiſſimas pœnas luat. Auguſtinus lib. 19. De ciuitate Dei, cap. 6. Sunt enim quædam indicia remota, vtpote in homicidio, infamia, & aliud præcedens homicidium: qui enim ſemel malus, ſemper præſumitur malus, cap. Semel, De Regulis Iuris, in 6. Alia ſunt propinqua, quale erit ſi reus erat inimicus occiſi, ſæpè ei mortem minatus, & minas ſuas exequi ſolitus. Alia plena & proxima, vtpote quòd reus viſus ſit gladio cruento fugam capeſſere, vbi & quando homicidium admiſſum erat. Remota & propinqua ſufficere poſſunt ad inquiſitionem, ad torturam autem non ſufficiunt, ſed proxima ſufficiunt, ſi de illis duo teſtes digni non ſuſpecti deponant; niſi forè pro reo aliqua

ſint in contrarium indicia. Æquipollens probatio erit, & ſimiliter ad torturam ſufficiens, depoſitio vnius teſtis fide digni, & non ſuſpecti de viſu ipſius delicti, vtpote quòd viderit occiſum vulnerari à reo. Quod extendit Clarus q.21. ad eum, qui non vidit, ſed vocem, quam benè dignoſcebat, rei audiuit. Sufficiens etiam erit indicium, ſi reus citatus ſuper illa cæde, fugam inierit, niſi fortè ob aliam cauſſam citatum ſe putauerit, aut neſciuerit ob quam citaretur. Ceterùm quòd fuga ſemiplenè probet, ex communi docet Clarus ſuprà numero 21. Item ſufficiens erit confeſſio extraiudicialis, probata per vnum teſté idoneum: alij tamen duos teſtes requirunt. Similiter inconſtantia, mendacium, vacillatio, pauor, trepidatio, indicium facient ad torturam, ſi aliæ circumſtantiæ iuuent, & ita iudicauerit prudentia Iudicis, quia in his multum defertur Iudicis arbitrio, cuius erit & perſonæ & criminis qualitatem cum indiciorum concurſu ponderare. Magna etiam erunt indicia, ſi occiſores hoſpitio exceperit, aut vt aufugerent iuuerit, ſi perſuaſerit occiſo vt illac iter faceret, & ſimilia. Erit etiam ſecundùm Clarum ſuprà numero 9. indicium ad torturam depoſitio duorum complicum contra reum in tortura. Ex ſola fama tamen, quamuis ipſa ſimul accuſatrix & teſtis, & etiam indicium ſit, nemo torquendus. Clarus ſuprà citata quæſtione: vbi eos refutat, qui dicunt famam facere probationem ſemiplenam. Excipiunt tamen aliqui validam & vehementem famam, quaſi ob leuitatem aliàs non ſufficere iudicetur. Alij excipiunt iteratam, vt ſi priùs de ſimilibus criminibus infamatus, nunc iterùm infametur: ſi tamen poſſet oſtendere, proximè lapſo triennio ſe fuiſſe bonæ famæ, purgaret in propoſito indicium famæ, vt dicit Clarus.

Ex dictis patet, vnicum aliquando indicium ad torturam ſufficere: fieri tamen poſſe, vt plura ſimul iuncta quaſi vnum faciant ſufficiens, cùm ſingula per ſe non ſufficiant.

Illud verò hìc notandum, non ſufficere ad legitimandam quæſtionem indicia ſuperuenientia ex illa vel poſt illam, vt habet communis apud Clarum. Item ad condemnationem non ſufficere confeſſionem in tortura, etiamſi extraiudicialis, aut coram non competente Iudice alia præceſſiſſet, ſed debere ſequi aliam extra torturam, aut prioris ratificationem.

Porrò amplianda eſt aſſertio etiam ad illos qui infamati ſunt de conſuetudine multa & varia peccata admittendi, nam etiam illi non poſſunt torqueri ſine ſufficientibus indiciis. Secundò, Vt neque Iudex ſupremus, aut Princeps iubere poſſit torturam ſine ſufficientibus indiciis.

*Quando ſæpiùs poſſit quis torqueri.*

Quæres, Vtrùm ſæpiùs poſſit quis torqueri? Reſpondeo, Poſſe, ſi noua & ſpecie diſtincta à prioribus ſuperuenerint indicia, digna repetitione torturæ, aliàs non poſſe. Aretinus §. Quod fama publica, numero 95. niſi fortè non ſatis plena fuerit prior tortura. Clarus quæſt. 64. numero 46. qui etiam excipit caſum, ſaltem ex conſuetudine, quando prima indicia fuerint multùm vrgentia. Cauendum tamen, ne contingat pluſquam ter ſuper eodem delicto reum torqueri non ſuperuenientibus aliis indiciis, quamquam ſemper extra tormenta reuocet, quod in tormentis confitetur. Ita Additiones Clari. Item cauendum, ne exiſtimetur ad repetitionem ſufficere noua probatio indicij, propter quod iam quæſtioni reus ſemel ſubiectus fuit, in quo Iudices nonnullos errare teſtatur Clarus ſuprà. Eſt tamen inſtar noui indicij ad repetitionem torturæ, confeſſio in priori legitima tortura facta, & extra eam iterùm reuocata.

Quæres Secundò, Vtrùm indicium faciat ad torturam ſanguinatio cadaueris occiſi coram reo?

Reſpondeo, Quamuis ex occulta aliqua antipathia, aut alia latentiore cauſſa prouenientes, non omnino contemnendum ſit eiuſmodi indicium, ad torturam tamen non ſufficit: imò fortè neque ad capturam, quia ſatis infirmum eſt, & fieri poteſt, vt etiam coram alijs illa emiſſi ſanguinis fiat, puta coram conſanguineis occiſi ex occulta quadã ſympathia, vel alia cauſſa. Crediderim tamen ſufficere ad inquiſitionem aut informationem particularem inſtituendum contra indiciatum.

Quæres Tertiò, Vtrùm contra accuſatum magiæ, indicium ad torturam faciat proba vulgaris aquæ frigidæ, qua certo modo ligati aquis immiſſi contra naturam ſupernatare deprehenduntur.

Reſpondeo, Non facere: imò exiſtimo pro nullo omnino indicio contra reum in iudicio illud habendum eſſe, cùm illicita & ſuperſtitioſa, incerta, & ab ordine iudiciali aliena ſit eiuſmodi proba, vt ex communi ſententia oſtendemus infrà quando De ſuperſtitione Dubio 21.

*Cauendã circa torturam.*

Ceterùm circa torturas cauendum Primò, Ne nouis modis & grauioribus tormentis rei torqueantur. Quare etiam meritò reprehenditur, quòd carceres ita tetrici extruantur, vt grauis ſit tortura eis includi, præſertim cùm ij non tam ad pœnam vel torturam, quàm ad cuſtodiam deputentur: cruciatus abſit, cuſtodia firma ſit.

Secundò, Ne abſente Iudice tortura inſtituatur arbitrio lictoris.

Tertiò, Ne reus vi torturæ falſum crimen confeſſus condemnetur. Quod facilè euenire ſolet, & ſæpè in mulierculis de magia accuſatis euenire creditur, præſertim vbi ſexus infirmus incidit in Iudicem rudem. Quare vbi frequens foret hoc crimen, expediret in ſingulis Prouinciis peritos aliquos idoneoſque Iudices deputari, ſine quorum cognitione, aut ſaltem conſilio, magiæ nemo damnari & occidi poſſit.

## DVBIVM XXV.

### *Vtrùm poſſit Iudex reum damnare, cuius confeſſionem extorſit contra Iuris ordinem?*

RESPONDEO, Eiuſmodi Iudicem regulariter peccare damnando, & teneri ad reſtitutionem: dari tamen caſum, quo neque peccet, neque ad reſtitutionem teneatur; item quo peccet quidem, ſed ad reſtitutionem non teneatur; denique quo non peccet, ſed nihilominùs ad reſtitutionem teneatur.

Reſponſio quatuor habet partes. Prima eſt communis, Silueſtri verbo Inquiſitio 1. quæſt. 3. numero 6. Nauarræ lib. 2. cap. 3. numero 242. & ſeqq. Nauarri cap. 18. Enchiridij, numero 59. Sori De ſecreto, memb. 3. queſt. 1. concluſ. 5. Clari, quæſt. 55. numero 7. & ſeqq. Probatur; Quia per iniuſtitiam eiuſmodi Iudex dat cauſſam damni: quiſ-



*Regulariter peccabit, & ad reſtitutionem tenebitur.*

quiſque enim Ius habet ne contra Iuris ordinem vita aut bonis ſuis priuetur, & quando non iuſtè quod iuſtum eſt Iudex exequitur, iam priuato æquiparatur, ita vt non minùs, imò fortè magis peccet, & reſtituere teneatur, quàm ſi priuatus ſimile damnum intuliſſet. Procedit hæc doctrina non ſolùm quando contra Iuris ordinem Iudex venit in ſubſtantialibus, quæ enumerantur quinque, videlicet Vt Iudex ſit competens; Vt inquiſitus ſit de iuriſdictione inquirentis quoad propoſitum articulum; Vt materia talis ſit, de qua poſſit inquiri; Vt inquiſitio habeat formam; denique Vt præcedat infamia: ſed etiam quando in accidentalibus, vt docet Nauarra. Quod tamen Philippus Francus in cap. 1. De accuſationibus, in 6. explicat hoc modo, vt ordo Iuris ſubſtantialis omiſſus vitiet etiam parte tacente, ordo autem congruitatis omiſſus non vitiet, niſi parte reſiſtente & excipiente. Sed hæc diſtinctio magis externo quàm interno foro ſeruiet: in conſcientia enim Iudicem non excuſat quòd pars non excipiat.

Amplianda etiam eſt aſſertio contra Sotum, quando per leuem metum Iudex confeſſionem extorſerit. Quamuis enim grauior ſit iniuria quando per grauem metum; ſufficit tamen per iniuriam eſſe extortam, etiamſi vel leuis vel nullus incutiatur metus. Ita idem Nauarra. Et rectè extendit Clarus ad caſum, quo blanditijs Iudex promiſſa impunitate confeſſionem impetraſſet.

Aduertendum autem, non dicere nos generatim, peccare Iudicem procedendo ſuper confeſſione extorta, ſed ſuper confeſſione à ſe contra Iuris ordinem extorta: nam vt benè Sotus, & ſuprà indicauimus, poteſt procedere Iudex, etiamſi per iniuriam proditum ſit crimen aut indicia per alios; niſi fortè ex confeſſione Sacramentali reuelatio orta ſit.

*Obiect.*

Obijcitur cap. Poſtquam, De accuſationibus, in 6. *Poſtquam coram eo qui contra te ſuper certis criminibus inquiſitor fuerat deputatus, eadem crimina fuiſti confeſſus, fruſtrà quò minùs puniaris eo prætextu contendis quòd ſuper iiſdem non fueris anteà diffamatus, vel quòd per eumdem inquiſitorem capitula, ſuper quibus contra te volebat inquirere, tibi tradita non fuerunt.*

*Reſp.*

Reſpondeo, Cap. iſtud continere caſum, quo Iudex quidem peccet non præmittendo inquiſitionem de infamia, aut non exhibendo reo capitula; non tamen teneatur reſtituere, damnando ſaltem extraordinaria pœna, quia læſus confeſſione ſpontanea videtur remiſiſſe Ius ſuum: imò non ſola confeſſio, ſed etiam præſentia & patientia non reclamantis aut excipientis rei, ipſi præiudicat, vt nequeat poſtmodum allegare contra Iudicis proceſſum, ſe non fuiſſe priùs infamatum, vt dicitur ibidem cap. 2. Meminiſſe tamen oportet, longè aliud eſſe, in conſcientia Iudicem excuſari; atque aliud, in foro iudiciali reum non poſſe excipere.

*Ca'us quo non peccet, neque ad reſtituendã obligatur.*

Secundæ partis, quo neque peccet Iudex condemnando, neque reſtitutionis debitum contrahat, exemplum eſt, Quando Iuris ordo in eo violatur, in quo Princeps poterat diſpenſare, qui omnino iubet vt procedatur, & legitimè remittit reſtitutionem reo debitam: his enim concurrentibus quamuis peccauerit Iudex extorquendo, non tamen peccat, neque tenetur procedendo ex confeſſione extorta.

Tertiæ partis exemplum eſt, Quando reus aliunde conuinci poterat: tunc enim ex confeſſione à ſe extorta, damnando Iudex peccat quidem, ſed non videtur debere reſtituere, quia nihilominùs reus erat aliunde conuincendus & damnandus; habet tamen nonnullam hoc difficultatem, quia cùm pœna non debeatur ante ſententiam Iudicis, non videtur iſti reo nihil deberi, ſi ei pœna contra Iuris ordinem infligatur, ad quam legitimè nondum eſt condemnatus: aliàs qui occideret criminoſum, quem legitimè poterat curare occidi à Iudice, non teneretur ad reſtitutionem. Certius itaque exemplum erit, ſi Principem legitima poteſtate faciamus tali Iudici laxare debitam reſtitutionem.

*Quo peccet, ſed reſtituere non teneatur.*

Quartæ partis exemplum eſt ſatis frequens. Contingit enim Iudicem propter ſcandalum aut iuſſum Superioris debere vti indicio orto ex confeſſione à ſe per iniuriam extorta, & teneri nihilominùs ad reſtitutionem tamquam damni huius auctorem: quamuis enim ex officio damnare neceſſe ſit, tenetur tamen Iudex de ipſa neceſſitate, ex qua damnum ſequitur, & in quam contra officium ſuum per iniuriam reum præcipitauit, vt benè Sotus & Nauarra.

*Quo non peccet, tamẽ tenẽatur.*

## DVBIVM XXVI.

### *Vtrùm liceat Iudici pœnam à Lege conſtitutam augere, minuere, vel remittere?*

*D. Thomas quæſt. 67. art. 4.*

*Quando augere poſſit pœnam.*

DICO PRIMO. Augere pœnam à Lege conſtitutam Iudici licet, quando eiuſmodi ſeueritate opus eſt ad vtilitatem, aut exemplum publicum. Ita Caſtro lib. 1. De Lege pœnali, cap. 6. Augebit ergo pœnam, quando ex huius rei delicto, alij multi occaſionem ſumpſerint delinquendi: tunc enim locum habet diſpoſitio L. Inter facta, §. vlt. ff. De pœnis; quæ vult exacerbari pœnas, quando multis perſonis graſſantibus exemplo fuerit opus. Sanè æquum eſt, vt eius ſupplicium ædificet ad timorem, cuius delictum præcipitis audacię exemplum dederit. Videndum tamen, vt benè monuit Caſtro, ne plurium ſupplicia exacerbentur quàm poſtulet exemplum.

Extendenda eſt aſſertio, vt etiam vltra modum delicti ſecundùm ſe conſiderati liceat pœnam augere, non tamen ſine proportionata ratione acceſſoria.

Limitandum eſt, ſecundùm Caſtro citatum, ne putetur Legiſlator poſſe pro temporali inſolentia pœnam Legis augere vltra meritum delicti in perpetuum, niſi fortè perpetua futura credatur ratio acceſſoria, propter quam nunc augetur; quo modo furtum, quod tempore Moyſis puniebatur redditione dupli, quadrupli, aut quintupli, tempore Salomonis videtur punirum redditione ſeptupli, & amiſſione omnium bonorum. Sic enim habemus Prouerb. 6. *Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet.* Eaque interpretatio eſt Lirani, quaſi propter inualeſcentem furum multitudinem Legis ibi pœna ſit aucta; quamuis aliter exponat Ianſenius, qui exiſtimat dumtaxat ſignificari, quòd fur abundè, & ſi opus ſit, impenſis omnibus facultatibus ſuis reſtituet. Quidquid ſit de hac re, certum eſt, furti pœnam multùm fuiſſe auctam, quando acceſſit pœna mortis.

Vnde occurrit quæſtio, Vtrùm Iudex aliquando poſſit pœnam mortis infligere, vbi Lex ſolùm ſtatuit mulctam pecuniariam, aut aliam morte minorem?

Reſpondeo, Probabile eſt, ex magna cauſſa, propter quam Iure naturæ liceret Magiſtratui mortem infligere, quamuis nulla Lex humana determinaſſet pœnam delicti, poſſe infligere Iudicem pœnam mortis, etiamſi Lex minorem expreſſiſſet.

Communis tamen ſententia, quam refert & ſequitur Clarus q. 83. negat iſtud Iudicem poſſe. Quæ tenenda eſt, & extendenda ad caſum, quo arbitrio Iudicis relinqueretur augere vel minuere pœnam quam Lex expreſſerit minorem morte.

At quid dicendum, quando Lex abſolutè pœnam relinquit arbitrio Iudicis, poteritne Iudex infligere pœnam mortis?

Hac de re DD. controuerſia eſt. Quidam dicunt, Poſſe, exigente aliàs delicto. Trahunt hanc ſententiam Additiones Aretini, & citant pro ea Imolam & Panormitanum, & alia quædam ſatis congrua: fauet Damhouderius Enchiridio rerum criminalium, c.105.

Benignior tamen pars altera magis placet Iulio Claro, Tunc mortis pœnam cenſeri non permiſſam Iudici, permitti tamen exigente delicto minorem capitis diminutionem per ſeruitutem & exilium. Quod eò magis probatur, Quia Lex relinquendo arbitrio Iudicis videtur non velle puniri crimen morte; aliàs pro cura, quæ de vita hominis Legiſlatori incumbit, non abſolutè pœnam faceret arbitrariam, ſed fortè genus ſupplicij expreſſa pœna mortis. Imò neque punit morte, ſi credimus Additionibus Clari, etiamſi ſtatutum diceret, Iudicem poſſe arbitrari vſq; ad mortem, aut quòd reus debeat puniri corporaliter arbitrio Iudicis, aut quòd in attentato crimine Iudex arbitretur pœnam. Secùs ſi dicat Lex, Iudicem arbitrio ſuo poſſe imponere quamuis pœnam, aut accedat conſenſus Principis, reſpectu cuius omnes pœnæ ſunt arbitrariæ, vt dicit Aretinus §. Et tibi caput, num. 46.

Quæri & illud hîc poſſit, Vtrùm in pecuniariis mulctis augendis, Iudicis arbitrio ſit ſtandum, quando pœna ſecundùm Legem eſt arbitraria?

Reſpondeo, Nihilominùs teneri Iudicem in pœna decernenda modum ſeruare in ſimilibus conſuetum, & proportionem ad delicta.

Dico, *In ſimilibus*; quia ſi conſuetudo in eodem crimine certam haberet pœnam, non eſſet pœna arbitraria, ſed ea ſeruanda eſſet inſtar Legis.

*Quando poſſit vel non poſſit remittere pœnam.*

DICO SECVNDO. Quando pœna, pro qua pars inſtat, cedit in damni vel iniuriæ reparationem, ad quam Ius habet, non poteſt eam Iudex, etiam ſupremus, remittere: quando autem ſolùm pertinet ad bonum Reipublicæ, cuius intereſt maleficia puniri, poteſt pœnam Lege ſtatutam laxare Princeps, non autem inferior Iudex. Ita hîc D. Thomas, quem ſequuntur Salonius hic, & Caſtro lib. 2. De Lege pœnali, cap. 12.

Prior pars Probatur, Quia Iudicis eſt Ius ſuum cuique tribuere. Si tamen pars læſa irrationabiliter remittat pœnam remittere, & reus admodum vtilis ſit Reipublicæ, poterit à Iudice ſupremo, ſhuita parte, ea relaxari.

Secunda pars, Principem poſſe remittere, patet, Quia Princeps non ſtringitur ſuis Legibus, ita vt valida ſit eius remiſſio, etiamſi peccet fortè remittendo, eò quòd non fuerit ſatis iuſta cauſſa.

Notandum, Eſſe quædam crimina, quæ ordinaria poteſtate Princeps non remittit, ſed tantùm abſoluta & extraordinaria. Talia ſunt crimen læſæ maieſtatis, violenta ſtupra, Sodomia, crimen falſæ monetæ, latrocinium, incendium, prædatio, & ſimilia. Conſuli poteſt Enchiridion rerum criminalium Damhouderij cap. 147. Obſeruandum etiam eſt, quamuis Princeps poſſit remittere pœnam Legibus ſtatutam, non tamen poſſe impunitum relinquere delictum, quatenus punitionem poſtulat Ius naturæ, quo ipſe obligatur non ſecùs ac ſubditi; alioqui incideret in comminationem illam 3. Reg. 20. *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.* Tunc enim cenſeretur Princeps malo conſentire, vt colligitur ex c.20. Leuitici, *Quòd ſi neglexerit populus terræ, nec voluerit eum occidere, ſuccidam ipſum, & omnes qui conſenſerunt ei.* Similia habet cap. Facientis, diſt. 86.

Tertia pars patet, Quia inferior non diſpenſat in Lege Superioris. Videndum cap. Licet, De pœnis, adiuncta Gloſſa, quæ dicit, quandoius ſtatuit pœnam ſpiritualem aut corporalem, non poſſe eam à Iudice commutari in aliam, niſi fortè talis ſit Iudex, qui ſuper pœna diſpenſare poſſit.

*Quando poſſit Iudex mutare.*

DICO TERTIO. Eadem ferè diminuendæ, quæ remittendæ pœnæ eſt ratio; nam diminutio quædam eſt remiſſio. Superior ergo qui poteſt remittere, poterit & diminuere; inferior Iudex non poteſt. Iuſtæ autem cauſſæ mitigandi pœnam ſunt ferè iſtæ: ætas rei grauior aut minor, paupertas, doli defectus, conſuetudo, denique ſi pœna ſtatuta per Iudicem infligi non poſſit.

Notandum, Poſt ſententiam Iudicem inferiorem non poſſe relaxare, exacerbare, vel commutare pœnam, etiamſi ea non fuiſſet Lege ſtatuta: functus enim eſt officio, iudicando benè vel malè, neque poteſt ſe ampliùs miſcere cognitioni cauſſæ: vel enim appellatur, & remittenda eſt cauſſa ad Superiorem; vel non appellatur, & tranſit ſententia in rem iudicatam. Conſulendus Panormitanus in cap. In litteris, De officio Iudicis delegati.

Exceptio tamen eſt in caſu hæreſis; cap. Vt commiſſi, De hæreticis in 6. vbi Inquiſitori permittitur poteſtas pœnam hæretici mitigandi vel mutandi, quando viderit expedire.

Notandum Secundò, Iudicem inferiorem negligendo pœnam à Lege ſtatutam, teneri quidem de damnis inde ſecutis, non tamen ſemper venire puniendum eadem pœna, vt docet Caſtro ſuprà citatus, & eſt exemplum in L. Nemo venerandi, C. De paganis.

Quæres, Vtrùm ergo peccent, aut reſtituere teneantur, qui apud Iudices intercedunt pro impunitate reorum?

Reſpondeo, Interdum poſſe grauiter peccare, & teneri tamquam cooperatores iniuſtitiæ.

*Intercedentes pro reis quando cauſentur.*

Excuſantur tamen Primò, Quando ex charitate ſolùm intercedunt, vt mitiget Iudex pœnam, quàtum tutâ conſcientiâ poteſt. Secundò, Quando non aduertunt, neque facilè potuerunt ſcire, eiuſmodi interceſſione futurum, vt Iudex peccet, aut aliis noceat, aut ſanè quando hoc ipſum Iudici



dici examinandum remittunt: diuerſi enim fines priuati & Iudicis faciunt vt liceat interdum priuato remiſſionem petere, quam Iudici non liceret præſtare. Tertiò, Quando mitigatione pœnæ ſperatur correctio eius qui deliquit. Quartò, Quando id faciunt vt inuidiam à ſe & odium remoueant; quomodo Epiſcopi ſolebant intercedere apud Iudices ſæculi pro hæreticis, quod ſæpè fecit D. Auguſtinus, & faciendum eſſe docet Epiſtola 54.

## DVBIVM XXVII.

### *Vtrùm liceat Iudici aliquod munus accipere?*

*Munera accipere Iudex non poſſunt.*

MVNERA à partibus accipere, frequenter Scripturæ Iudici prohibent, aut ſanè reprehendunt, Exodi 23. Deuteronomij 16. & 27. 1. Regum 8. & 12. Iob 15. Pſal. 15. & 26. Prouerb. 17. & 22. Iſaiæ 1. & 33. Michææ 3. Amos 2. Eccli. 46 Munera enim accipientes, peruertunt ſemitas iudicij, & vendunt pauperes; quia munera excæcant prudentes: ſubuertunt & mutant verba iuſtorum, & animam auferunt accipientium. Vnde & Lege duodecim Tabularum Iudex aut arbiter datus, qui ob rem dicendam pecuniam accepiſſe conuictus eſſet, capite puniebatur. Neque id immeritò, vt id oſtendit apud Gellium lib. 20. cap 1 Cæcilius, cùm non debeat eius videri acerba pœna, cuius contra iura omnia diuina & humana, perfidia iuſiurandum pecuniâ vendiderit. Leges tamen ciuiles poſtmodum Iudicem muneribus corruptum, ſtatuerunt in ciuilibus puniendum redditione quadrupli ſupra principale eius quod acceperat; redditione inquam ad vſum fiſci, non autem eius qui dediſſet. In cauſſa autem criminali, ſi ex corrupti Iudicis ſententia innocens capitis damnatus ſit, ipſe Iudex capite & bonorum proſcriptione mulctatur, aut ſanè perpetuo exilio, aut aliter, pro menſura delicti. Non minor, imò maior erit culpa & pœna illius Iudicis, cui non vltrò pars obtulit, ſed qui exegit, & quadam concuſſione extorſit munera. Enchiridion rerum criminalium Damhouderij cap. 130

*Ampliatur.*

Extenditur hæc inhibitio munerum ex parte finis, vt non liceat Iudici accipere, quò citiùs aut tardiùs iudicet, aut non iudicet, aut malè iudicet, aut nihil prorſus in cauſſa decernat. Ex parte accipientium, ad Officiarios, Aſſeſſores, teſtes; imò & ad eos, qui acceperint vt intercedant apud Iudicem, quando intercedere non poſſunt.

Extenditur ex parte dantium etiam ad illos principales, eorumque procuratores & aduocatos, qui putant ſe iuſtam habere cauſſam, & ideò Iudicem ſollicitant, vt pro ſe ferat ſententiam; hi enim ſaltem in foro exteriori puniuntur. Imò idem dicendum putat Graſſius lib. 2. cap. 123. etiamſi certò ſciuerint ſe habere iuſtam cauſſam. In foro tamen conſcientiæ non ſunt damnandi, qui etiam munere pro ſe animum Iudicis ſollicitant, quando certò ſciunt ſe iuſtam habere cauſſam, & ſcandalum abeſt, & aliàs iuſta ſuffragatur neceſſitas.

Ex parte eius quod datur etiam extenditur ad mutuum. Graſſius ſuprà, num. 10.

*Quanam poſſit Iudex accipere.*

Ex parte formæ & modi accipiendi, extenditur ad acceptionem ſine promiſſione Iudicis. Graſſius ibidem.

Limitatur tamen Primò, Ne ordinaria ſtipendia & honoraria Iudicibus adimantur. cap. Militare 23. q. 1.

Secundò, Præter ordinaria honoraria poteſt laicus Iudex delegatus accipere ſportulas: ordinarius autem, ſiue Eccleſiaſticus ſiue laicus, & delegatus Eccleſiaſticus, non poſſunt, quando ordinarium ſtipendium vel prouiſio ſufficit. Imò Eccleſiaſticus à reſtitutione eius quod accepit, nulla partis remiſſione excuſari poteſt; cap. Statutum, §. Si quid autem, De reſcriptis, in 6. Silueſter verbo Iudex. 1. q. 8. Habet tamen Iudex etiam ordinarius, quando cauſſa excedit centum aureos, duos in principio, & totidem in fine. Silueſter ibidem.

Tertiò permittitur Iudici accipere aliquid exigui munuſculi in eſculentis aut poculentis mera liberalitate oblatum, quod paucis diebus conſumi poſſit, dicto cap. Statutum, §. Inſuper: tale erit vinum in amphoris, non in doliis; in amphoris enim tantùm licet apud Gallos iudicibus vinum accipere. Neque enim eſt veriſimile, retam modica animum Iudicis mouendum, vt dicit ibi Gloſſa. Simile eſt L. Plebiſcito, De officio Præſidis: xenia enim non ſunt lucra aut munera, ff De officio Proconſulis, L. Solent, §. vlt. Vbi tamen rectè monentur Iudices, ne eiuſmodi xeniola auidiùs capteni, néve per auaritiam abutantur humanitatis iſtâ indulgentiâ.

Quartò, Quando Iudex propter cauſſam ſibi commiſſam peregrè proficiſci cogitur extra ſuum domicilium, & partes non ſunt notabiliter pauperes, poteſt accipere moderatas expenſas æqualiter ſuppeditandas à partibus, dicto cap. Statutum, Gloſſa in cap. Cùm ab omni, De vita & honeſtate Clericorum; hoc enim non pertinet ad lucrum muneris, ſed ad cautelam indemnitatis.

Quintò, Non peccat pars donando munus per modum redimendæ vexationis, quia aliter iuſtitiam obtinere non poteſt, & eam ſolam obtinere intendit, non ſollicitando Iudicem vt pro ſe, ſed vt pro iuſtitia pronuntiet: imò etiam datum poterit eiuſmodi pars repetere. Graſſius lib. 2. cap. 125.

Sextò, Poſt latam ſententiam quæ iam abierit in rem iudicatam, non eſt prohibitum Iudici liberale munus à parte accipere ſine vllo pacto aut ſiniſtro oculo præcedente, aut ſcandalo ſubſequente: ſoler enim contra ſic accipientes facilè in foro externo præſumi. Facit cap. 1 De Simonia. Ita Graſſius ſuprà.

Septimò, Pupillus detrimentum non ſentit ex eo, quòd tutor Iudici munus dediſſe probetur. Authentica De litigatoribus.

Cererùm ne per munera iudicia corrumpantur, optimum foret, ex publico congrua honoraria Iudicibus liberaliter ſuppeditari. Sanè dum non aliter, ſaltem munerali lege à muneribus accipiendis cœrceri eos expedit. Plinius lib. 5. epiſt. vltima refert, tale ſuo tempore propoſitum fuiſſe Senatuſconſultum, quo omnes qui quid negotij haberent, iurare priùs quàm agerent, iubebantur, nihil ſe ob aduocationem cuiquam dediſſe, promiſiſſe, cauiſſe. Videndum tamen, ne

dum vitantur pericula corruptionum, incurrantur pericula periuriorum.

Alia ad iniustitiam Iudicis pertinentia videre licet infrà De Iustitia distributiua, Dub.4.

## CAPVT II.

### *De iniustitia Accusatoris & Testis?*

### DVBIVM I.

### *Quid Accusatio, & quænam in ea solemnitates Iuris?*

*D.Thomas quæst.68. art.2. & 3.*

*Accusatio quid.*

ACCVSATIO est delatio alicuius criminis ad vindictam publicam, legitima interueniente subscriptione. Ita Clarus quæst. 12. qui testatur esse communem.

*Solemnitates in ea requisita.*

Multæ in accusatione de Iure sunt solemnitates: in primis accusator iurat, quòd non animo calumniandi reum accuset. Aretinus De maleficiis, §. Et ad querelam, numero 4.

Secundò, Nomen suum subscribit, aut inscribit per se, aut alium quando scribere nescit. L. Libellorum, ff. De accusationibus, §. 2.

Tertiò, Hac inscriptione se obligat ad probandum sub pœna talionis, de quo infrà, Dub.5.

Quartò, Ne inutilis sit eiusmodi obligatio, accusator reo iam custodiæ mancipato, etiam ipse carceri, habita tamen dignitatis æstimatione, sese dedere debet, vbi consistat, donec liquidò constiterit de delicto. L. vlt. C. eodem.

Quintò, Quamuis in crimine publico regulariter quilibet saltem ciuis (nam de extraneo controuersiam mouent) accuset, non tamen in crimine priuato: ibi enim is solus accusat cuius interest, nisi crimini pœna sit constituta fisco applicanda. Publicum crimen est, quod directè committitur in Deum, vel Sanctos, Sacerdotes, Clericos, Ecclesiam, vel in Magistratum aut Gubernatorem Reipublicæ, in Cæsarem, Regem, Principem, Officialem publicum, vel in Religionem diuinam; vel quo non singularis quispiam offenditur, sed quasi hominum genus vniuersum; vel quo incertæ personæ particulares offenduntur: de quibus videre licet Instit. De publicis iudiciis. Priuata sunt reliqua. Non desunt tamen qui moneant, de Iure Canonico omne crimen esse publicum. Ita Additiones Aretini. Aduertendum etiam, Iure ciuili quædam crimina, alioqui priuata, haberi vt publica, vt crimen adulterij, sicariatus, veneficij, parricidij, vis priuata, & similia, de quibus L. Non omnia, ff. De publicis iudicijs.

*Publicum crimen.*

*Qui accusare non possint?*

Sextò, Quidam tamen in publicis criminibus accusare non possunt, vt mulier, nisi prosequatur suam aut suorum iniuriam; aut crimina excepta sint, qualia sunt, hæresis, sacrilegium, Simonia, dilapidatio bonorum Ecclesiæ per proprium Ecclesiæ & mulieris pastorem, crimen falsi circa testamentum. Accusatus etiam prohibetur accusare suum accusatorem, postquam iam inter reos conscriptus est. Nomine alieno nemo ad accusandum admittitur, adeò vt etiam Syndicus & tutor nomine suo accusent, quamuis ad vtilitatem vniuersitatis & pupilli. Item non potest accusare, qui expressè vel tacitè renuntiauit accusationi. Item frater non admittitur ad accusandum fratrem in grauibus, nisi prosequatur suam vel suorum iniuriam. Repellitur etiam infamis, præsertim infamia Iuris; nam de infami infamia facti dicunt esse in arbitrio Iudicis, velitne eius accusationem admittere. Repellitur etiam excommunicatus, cap. Pia, De exceptionibus, in 6. Item qui iam duos habet accusatos, seruus, familiaris, libertus, alumnus, miles, pupillus, furiosus, surdus, mutus, qui pretium acceperit accusandi vel non accusandi gratia, qui aliàs in accusatione falsum testimonium dixerit, pauper, eiusdem criminis socius, inimicus capitalis, etiam in criminibus exceptis, filius etiam emancipatus.

Septimò, Accusatio debet in scripto exhiberi, aut saltem à Notario excipi; aliàs querela verbalis non sufficeret. Debet autem exprimi dies & annus porrecti libelli, nomen accusatoris & accusati, species delicti, locus & tempus quo est admissum; in delicto autem omissionis non exprimitur locus.

### DVBIVM II.

### *Vtrùm accusare aliquando sit præcepti?*

*D. Thomas q. 68. art. 1.*

RESPONDEO cum D. Thoma, Tunc esse præcepti, quando crimen impunitum cederet in detrimentum publicum, & satis in iudicio probari potest. Si enim per testes probari non possit, non teneris accusare, imò neque potes. Rursum si probari possit, sed solùm vergit in damnum alicuius particularis, non teneris accusare; potes tamen, quando agis ad tuam aut tuorum sarciendam iniuriam aut damnum.

Ex quo sequitur, nos aliquando accusare debere; aliquando posse, sed non teneri; aliquando ne posse quidem. Singula explicemus.

Aliquando debere, quidam negauerunt: hanc enim sententiam videtur sequi Angelus verbo Accusatio, & tribuit eam Glossæ in cap. Quapropter 2. q. 7. quamuis ea apertè hoc non teneat: videtur tamen apertiùs id voluisse alia Glossa in cap. Licet, De accusationibus, quæ apertè dicit, neminem compelli accusare, & probat ex cap. Si quem 2. quæst. 3. Verùm ille Canon agit de non cogendo eo, vt in accusatione pergat, quem iam pœnituerit inchoatæ accusationis. Ceterùm quidquid sit de propriè dicta accusatione, ad quam regulariter in foro exteriori nemo compellitur, nisi fortè qui ex officio se obligauerit, vt patet L. vnica, C. Vt nemo inuitus accusare vel agere teneatur; certum tamen est, vti etiam fatetur Glossa in dictum cap. Quapropter, denuntiare aliquando esse præcepti, etiam in ordine ad punitionem. Et hoc videtur voluisse hîc D. Thomas, qui denuntiationem ad vindictam, præcipuè vbi denuntiator etiam de testibus curam suscipit, accusationis nomine comprehendit. Neque enim teneor pro meo interesse ad mandatum Inquisitoris delictum deferre, quod Reipublicæ non nocet. Excipio tamen casum, quo delictum secundùm infrà dicenda est quidem contra Rempublicam, sed paruæ noxæ: fieri enim potest, vt præcepto Superioris in materiam licitam cadente teneatis, quamuis non teneatis, quando præcipitur in fauorem tuum cui renuntiare valeas.

*Quando accusare sit præceptum.*

Limi-



Limitanda tamen quæ dicta sunt, ne vera putentur, quando certò scitur qui peccauit priuata monitione corrigendus, & exemplum pœnæ non est Reipublicæ necessariũ pro terrore facinorosorum hominum, aut amouendo scandalo, aut crimen non audiuisti à fide dignis, aut magno tuo incommodo accusares, cui fortè hîc & nunc non debeat præualere incommodum Reipublicæ.

*Obiect.* Dices, Ergo numquam tenebitur quis accusare; quia si deficiat in probatione, semper imminet ei periculum luendi pœnam talionis.

*Resp.* Respondeo, Non sequi; fieri enim potest, vt certus sit se sufficienter probaturum; aut sanè si testes fallant, poterit nihilominùs ipse à pœna talionis excusari, vt infrà dicemus. Addunt quidam ex Iureconsultis, vt Bartolus apud Angelum, ex quibusdam Legibus quæ hîc præcipiunt, sub pœna amittendæ hereditatis teneri heredes occisi accusare homicidam: sed Lex Christi nihil tale præcipit, & Christiani Principes non esse præcipiendum intellexerunt. Addunt alij, teneri nos mandante Superiore; sed hoc non parit nouum casum, quo absolutè teneamur accusare, sed solùm quo statim debeamus deferre, ad quod alioqui secundùm dicta tenebamur: quando enim non tenebamur, neque tenemur accedente præcepto Superioris, nisi in casu suprà expresso.

*Licere, Fidei est.* Licere autè aliquando accusare, Fidei est; neq; hoc quisquam Catholicorum vmquam negauit, quamuis Salonius impingat istum errorem Angelo, qui tamen vt summum solùm dicit, neminem teneri accusare. Disputando quidem obijcit, videri accusatorem contrauenire præcepto Euangelico Luc. 6. *Dimittite, & dimittemini.* sed §. 4. quò Lectorem remittit, apertè resoluit, licere Christiano accusare pro bono communi, vt ceteri quietè viuant, ex cap. Non frustrà 23.q.5. vel pro suo interesse.

Porrò licere aliquando accusare, quando tamen id non sit præcepti, euidens in primis est, quando quis agit solùm ad suum interesse, cuius quidem remittendi habeat potestatem, non necessitatem.

Secundò, Quando vertitur quidem causa communis boni, sed damnum est exiguum, aut saltem per incommodum quod subire deberet accusator, excusatur si velit.

Tertiò, Quando crimina publicè nota sunt: si enim Iudici sunt nota, neque accusare, neque denuntiare teneris; si ignota, sufficit denuntiare.

Quæres, Vtrùm possit quis criminoso iurare, quòd eum non sit accusaturus?

Respondeo, In casu quo tenetur accusare, iuramentum tam quam de re illicita non esset licitum, imò nec obligaret. Secùs dicendum, quando non teneretur accusare: neque tamen, ante commissum crimen etiam tunc licita erunt eiusmodi pacta vel iuramenta de non accusando, vt ex cap. Quemadmodum, De iureiurando, benè Siluester verbo Accusatio, num. 6. Crimine enim nondum admisso, talia pacta præstant materiam peccandi, & fouent nequitiam. Deinde in præterito sciri potest, vtrùm speranda sit emendatio, non item in futuro crimine.

### DVBIVM III.

### *Vtrùm possimus accusare priuatim priùs non monitum?*

*Prima opinio.*

QVOD non solùm denuntiationem Euangelicam, sed etiam iudicialem accusationem debeat præcedere monitio, multi DD. senserunt, quibus adstipulatur Durandus in 4. dist. 19. sub finem, Siluester verbo Accusatio, num. 3. Pro his facit Primò, Quòd ordo Legis naturæ & Euangelicæ Matth. 18. præscriptus, vt priùs secretè frater moneatur quàm deferatur Ecclesiæ, non minùs locum habeat in accusatione, quàm in fraterna denuntiatione. Secundò, Quòd omnia Iura quæ allegantur pro opposita sententia, satis apertè loquantur de solo foro contentioso.

*Secunda opinio.*

Altera opinio habet, Non debere præcedere monitionem ante accusationem. Angelus eodem, n.1. Pro hac est textus c. Qualiter 2. De accusationibus. *Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, & sic denuntiationem charitatiua monitio, & inquisitionem clamosa insinuatio præuenire.* Neque est (inquiunt sententiæ huius auctores) verisimile, Pontificem solùm loqui de eo quod forum causarum postulet, sed etiam respicere ad conscientiam. Fauet item ratio: Syndicus potest accusare ante priuatam monitionem, imò in officium suum peccaret si moneret; moniti enim rei se subducerent, & incorrecti manerent ac impuniti; ergo etiam priuati: præceptum enim naturale & Euangelicum non minùs ligat Officiarios.

*Tertia & verior sententia.*

Tertia sententia distinguit: quando enim accusatio & punitio delicti expedit Reipublicæ fortè vt scandalum tollatur, aut vt certius periculum auertatur quod Reipub. inde timetur, aut vt necessarium exemplum statuatur, etiam in casu quo per pœnitentiam correctus esset reus, vult hæc opinio licere procedere ad accusandum sine præuia monitione; secùs quando crimen tale est, vt de eo non esset accusandus quem priuatim pœniteret, & cuius speraretur per monitionẽ emendatio. Siluester eodem num. 3. Rodriquez tractatu Iudiciali c. 4.

*Assertio.*

Hæc Tertia sententia videtur verior; Ratio enim pro ea, est manifesta: Si enim etiam obtenta fratris correctione sit nihilominùs deferendus, poteris etiam eumdem nõ monitum deferre; monitio enim quæ soli conducit emendationi, non magis retardat accusationem quàm finis eius, cùm omnis retardatio esset propter finem illum emendationis. Quando autem emendatio delinquentis faceret accusationẽ illicitam, emendabilis non est accusabilis: si enim minori suo incommodo cum æquali publico bono & fine aliorum incommodo possit emendari, charitas suadet ne accusatum eas. Si tamen secùs feceris, non peccas contra iustitiam, modò aliàs sufficienter infamatus sit reus.

### DVBIVM IV.

### *Vtrùm Accusator possit desistere ab accusatione inchoata?*

RESPONDEO, Aliquando posse, aliquando autem sine vitio tergiuersationis non

posse. Verumque expressum est cap. Si quem pœnituerit 2. quæst. 3.

*Quando accusator possit desistere.*

Potest deseri accusatio Primò, Quando qui bona fide accusauit, in progressu aduertit se fuisse deceptum. D. Thomas 78. art. 3. ad 3. Secundò, Quando vera quidem sunt crimina quæ obiecit, sed testes ipsum deserunt qui accusauit, aut fraude sui aduocati existimauit in iudicio probari posse quod non potest. Tertiò, Qui pro suo interesse agebat, potest desistere à Iuris sui vsu quando voluerit. Quartò, Qui desistit auctoritate Principis, dicto cap. Si quem, §. Si quis. Eadem ratio, si repellatur accusatio à Iudice: quamuis inter Principem & Iudicem hoc interfit, quòd Princeps de Iure ex plenitudine potestatis accusationem impediat inchoandam, & sistat etiam inchoatam; Iudex autem inferior solùm ex ὑπεσχέσις refutare possit inchoandam, non autem suspendere semel admissam. Aliàs regulare est, quòd qui præter abolitionem desistit à causa publici criminis, punitur; de quo videre licet C. Ad Senatusconsultum Turpillianum, Angelum, Aretinum De maleficiis, §. Et ad querelam, numero 66. Monet tamen Siluester verbo Accusatio, numero 7. etiam in casibus quibus desistens per Leges punitur, posse accusatorem in foro conscientiæ, desistere ex charitate, modò non desistat ex aliqua collusione, aut accepto munere. Patet cap. 1. De collusione detegenda, vbi plenius de hac materia tractat Glossa.

## DVBIVM V.

### *Vtrùm Accusator qui in probatione defecerit, semper teneatur ad pœnam talionis?*

*D. Thomas art. 4.*

DICO PRIMO. Legibus constitutum olim fuit, vt accusator non probans, eam pœnam luat quæ punitus fuisset reus. L. 2. C. De exhibendis reis; causa 2. quæst. 3. cap. 2. *Calumniator si in accusatione defecerit, talionem recipiat.* Idem dicitur cap. sequenti. Quod etiam locum habere in accusatore non inscripto, docet Iulius Clarus quæst. 12. numero 18.

DICO SECVNDO. Etiam stante hac Lege talionis, quidam euentus excipiendi sunt. Primò, Vir accusans vxorem adulterij coram Iudice Ecclesiastico, & agens ad pœnam separationis, non separatur ab vxore, etiamsi in probatione defecerit; quia sic deficiens fortè intentionis suæ consequeretur effectum. Si tamen coram Iudice sæculari agat ad pœnam Legalem, inscribitur ad pœnam talionis, si defecerit, vt apertè dicitur cap. Tuæ, De procuratoribus. Secundò, Quando pœnæ accusator non est capax, vt si Subdiaconus accuset Diaconum, qui conuictus erat degradandus; tunc enim deficiens Subdiaconus, non degradatur à Diaconatu, quem nondum habet, sed spe eius consequendi priuatur, & quod deest pœnæ, alia pœna suppletur. Ita statuitur cap. 3. causa 5. quæst. 6. Tertiò, Quando crimen opponitur solùm per modum exceptionis, cap. Super his, De accusationibus: agitur enim de crimine, sed non criminaliter; imò neque ad pœnam, sed solùm vt alter ab accusatione vel testimonio repellatur. Quartò, Quando crimen est priuatum, cui DD. accommodare solent textum cap. Si quem, suprà citati. Vbi enim quasi in gratiam priuati pœna arbitrio Iudicis erat inferenda, non autem Lege præscripta, non mirum, si rigidè non exigatur à deficiente accusatore pœna talionis, cùm in talibus non parum etiam valeat remissio priuata; Turrecremata in cap. Calumniator 2. q. 3. Quintò, Quando accusator, quamuis non plenè, aliquo tamen modo probat: tunc enim non pœna talionis, sed mitiori punitur, vt dicit idem Turrecremata.

DICO TERTIO. Lex talionis contra accusatorem deficientem hodie vix in vsu est. Quamuis enim satis æqua sit, ideoque etiam diuina Lege comprobata, Deuteronom. 19. habuit tamen iste rigor sua incommoda, quæ videre ex parte licet apud Gellium lib. 20. cap. 1. vnde meritò mitius aliquid suasit Lex Christi Matth. 5. *Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo,* &c. & iam Iustiniani temporibus Iure Prætorio contra Leges XII. Tabularum, talio abrogata est Institut. De iniuriis, §. Pœna. Testatur tamen Sotus lib. 5. q. 5. art. 4. quibusdam locis adhuc seruari contra eum qui deprehensus fuerit falsum testimonium ex malitia excogitasse in causa criminali, si innocens occisus fuerit.

## DVBIVM VI.

### *Quinam in Iudicijs reijciantur à ferendo testimonio?*

*D. Thomas quæst. 70. art. 3.*

RESPONDET D. Thomas, A testimonio ferendo quempiam posse repelli vel propter culpam, vt infames, infideles, & qui publico crimine rei sunt; vel etiam sine culpa, propter defectum intellectus, vt pueri & amentes; aut propter incertitudinem & suspicionem, quæ oriatur ex parte affectus, quo modo excluduntur inimici; aut coniuncti, vt consanguinei & domestici; vel propter conditionem suspectam, vt pauperes, serui, & quibus facilè imperari potest. Omnia ista reuocantur ad vnum, vt ij soli & omnes repellantur, quibus deest auctoritas ad faciendam fidem: deesse autem ferè contingit sequentibus modis. Primo, Quia veritatem ignorant, quales Iure naturæ repudiantur. Secundo, Quia quamuis sciant, præsumuntur tamen contra eam dicturi; quo modo propter naturalem inconstantiam mulier repellitur. Tertio arcentur suspecti propter culpam præcedentem, præsertim per iurij. Quarto, Suspecti propter affectum prauum contra partem; quo modo repelluntur inimici. Quinto, Suspecti propter affectum bonum erga partem; quomodo repelluntur sanguine aut cõiugio coniuncti, aut singulari amicitia & familiaritate, affines, domestici. Sexto, Suspecti propter amorem sui; quomodo in propria causa nemo testatur. Septimo, Suspecti propter spem; quomodo pauper reijcitur. Octauo, Suspecti propter timorem, quomodo reijcitur seruus. Nono arcentur laici à testificatione contra Clericos in causa criminali, etiamsi accusare eos possint, quando suam aut suorum iniuriam prosequuntur. Decimo arcetur qui testimonium proferre non potest.

*Testes esse non possunt impuberes.*

De Primo dicendum, Impuberes non posse esse testes, ne quidem in ciuilibus, L. Testium fides, §. Lege Iulia, ff. De testibus. Potest tamẽ pubes testari de eo quod accidit quando erat pubertati proximus, aut quando per ætatem rem de qua agitur, potuit intelligere. In criminali causa non testatur puber minor viginti annis, L. In testimonium, ff. eodem; aut sanè eius testimonium non sufficit ad condemnationem, quamuis faciat ad aliquod indicium, saltem quando fuerit examinatus ex officio Iudicis: minoris enim esse ponderis, quando examinatus est ad petitionem partis, tradit Aretinus §. Qui Iudex, numero 5. Vbi nota ex Claro quæst. 24. eum qui repellitur in ciuilibus, multo magis à testimonio repelli in criminalibus, non contrà. Non potest etiam testis esse qui mentis non fuerit compos, nisi fortè in melioribus interuallis. Siluester verbo Testis, quæst. 1.

*Mulieres.* De Secundo; Vbi criminaliter agitur de crimine, non admittitur mulier: causa 33. q. 5. cap. Mulierem, & cap. Forus, De verborum significatione. De Iure tamen ciuili, antequam aliter statueretur Iure Canonico, promiscuè ad testificandum mulier admittebatur, etiam in criminalibus. Quando de crimine agitur ciuiliter, aut in modum inquisitionis & exceptionis, etiam Iure Canonico mulier toleratur. Glossa in cap. Quoniam, De testibus. Idem iudicium, quando aliàs causa fuerit ciuilis; quo modo accipiendus erit textus cap. Tam litteris, eodem, & si quis alius Canon mulieris testimonium admittat.

*Infames. Periuri. Socij criminis.* De Tertio; Infames repelluntur per L. 3. ff. eodem. Periuri per L. Nullum penitus, C. eod. Socij criminis per cap. Veniens, Extra. eodem. Contra Simoniacum tamen admittitur socius qui non participauit de pretio, quando ciuiliter agitur, cap. 1. eodem, in 6. Repelluntur pari ratione quicumque simili morbo laborant, cap. Personas, eodem.

*Infideles cõtra fideles.* Infidelis contra fidelem, cap. Si hæreticus 2. quæst. 7. Fidelis tamen testatur contra infidelem; nam priuilegium quod Iudæi habebant à quibusdam Principibus, vt contra eos Christiani testari non possent, reprobatur Clementina 1. eodem.

*Criminosi.* De criminosis est textus cap. Testimonium, Extra. eodem. Sed benè monet Clarus suprà citatus numero 16. procedere de eo qui continuat vel frequentat crimen; aliàs si semel dumtaxat admiserit, etiamsi correctus non sit, non repelli in foro ciuili, sed solùm Ecclesiastico, vbi demum admittitur, quando scitur emendatus. Regulare nihilominùs hoc est, vt etiam acta pœnitentia semel in iudicio conuictus per accusatorem, repellatur in criminalibus. Reiectitiis testibus annumerandum esse etiam eum, qui iam criminaliter accusatus est, habemus cap. vltimo, eodem.

*Inimici rei.* De Quarto; Repellitur capitalis inimicus rei, ne contra eum testetur: secùs dicendum de leuiter inimico. Repellitur inquam etiam in casibus exceptis, cap. Per tuas, De Simonia. Monet Clarus quæst. illa 24. etiam post reconciliationem numquam eum integrum posse esse testem, qui aliquando fuerit capitalis inimicus. Alias ampliationes vide in Additionibus eiusdem Clari.

*Domestici.* De Quinto; L. 2. C. De testibus, & cap. In litteris, eodem, domestici testimonij fides reprobatur. Limitat Graffius lib. 2. cap. 136. Nisi præsens pars adsit, contra quam producitur testis, & taceat. Secundò, In famulo non habente salarium, vel qui iam desijt esse domesticus. Tertiò, Si de eius rei probatione agatur, quæ meliùs per domesticos quàm per alios scitur. Quartò, Si quis agat pro sola sua defensione: is enim poterit in testimonium suæ innocentiæ domesticos adducere. Denique, Si agatur de domestico Episcopi. Aduocatus etiam aut procurator in causa principali non admittitur in testem in causa appellationis, cap. Romana, De testibus, in 6. Parentes etiam & liberi aduersus se inuicem testari prohibentur L. Parentes, C. eod. vbi non solùm ea ratio est, quòd ipsorum vacillet fides, sed etiam quòd non deceat, contra sese inuicem venire, quos ita natura coniunxit. Item pro se mutuò ijdem non testificantur, propter suspectum affectum, cap. Super eo, eodem. Excipienda tamen est causa matrimonij siue contrahendi siue disiungendi, vbi tectiùs parentes aut cognati quàm extranei adhibentur, vtpote qui meliùs genealogiam suam norint & curent. Frater pro fratre testari interdum potest, si credimus Glossę in cap. Insinuante, De officio delegati; & contra fratrem, vt patet in crimine hæresis, cap. Litteras, De præsumptionibus. Regulariter nihilominùs consanguinei & affines, quamuis examinati possent ad probandam rei innocentiam, plenæ tamen fidei testes vix esse possunt.

De Sexto; In re propria dicendi testimonij facultas adimitur L. Omnibus, C. De testibus. Membrum tamen Vniuersitatis aut Collegij potest adhiberi in testem in causa Vniuersitatis aut Collegij: quod enim Vniuersitatis est, non est singulorum, vt dicitur L. 7. ff. Quod cuiuscumque Vniuersitatis nomine, &c. Testari etiam potest Prælatus aut Clericus pro Ecclesia sua, modò non sit peculiariter ipse constitutus in causa ad agendum & respondendum, cap. Insuper, De testibus.

*Pauperes.* De Septimo; Pauper reijcitur, nisi sit persona honesta, bonæ conditionis & famæ; aliàs spe augendæ fortunæ censetur à parte facilè posse corrumpi. Siluester verbo Testis q. 1. num. 6.

*Serui.* De Octauo; Reijcitur seruus per L. Si testis, C. eodem; imò nullus eorum pro quopiam rectè testabitur, qui eius mandato ad testandum adigi poterat.

De Nono; Non tantùm laicus à testimonio contra Clericum in criminalibus regulariter reijcitur cap. De cetero, eodem; sed etiam Clericus contra laicum cap. Sicut 2. quæst. 7. quòd eorum vt conuersatio, ita & controuersiæ debeant esse distinctæ. Illud tamen moderatum reperitur apud Clarum suprà num. 8.

De Decimo & Postremo; Mutus arcetur, nisi per litteras aut signa infallibilia loqui possit. Additiones ad eamdem quæst. Clari.

Ceterùm edictum de testibus est prohibitorium, atque adeò quicumque Lege non prohibetur testari, censendus est ad testimonium admitti, Lege 1. ff. De testibus.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm semper sufficiat duorum aut trium testimonium?*

*D. Thomas quæst. 70. art. 2.*

NEMINEM posse ad testimonium vnius damnari, nisi fortè in causa ciuili & parui momenti, diximus superiori Capite, Dubio 14. Hîc proprièque quærimus, Vtrùm semper duo testes sufficiant?

*Iure naturæ duo testes sufficiunt.*

Vbi certum in primis est, nisi Lex positiua plures requirat, sistendo in Iure naturæ, posse semper duos

duos ſufficere: aliàs contra Legem naturæ fuiſſet Lex illa Dei, *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*, ſi accipiatur poſitiuè, hoc eſt, vt ad duorum aut trium teſtimonium Iudex debeat cauſſam decidere; quomodo accipi poſſe patet Ioannis 8. *In Lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt.* Item ex cap. 10. ad Hebræos, *Irritam quis faciens Legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur.* Denique idem patet cap. Cùm eſſes, De teſtamentis. Plures ergo quàm duo teſtes requiruntur Iure poſitiuo.

*Iure ciuili quàdo plures requirantur.*

In primis Iure ciuili in teſtamentis requiruntur ſeptem, vt diximus quando De teſtamentis. In donatione cauſſa mortis requiruntur quinque. Item quando debitor chirographo obligatus agit vt probet ſolutionem de qua ſcriptum non habet, opus eſt quinque teſtibus, L. Teſtium C. De teſtibus. Ad damnationem Cardinalis Epiſcopi requiruntur, aut potiùs olim requirebantur ſeptuaginta duo; Cardinalis autem Preſbyteri, quadraginta quatuor; Diaconi verò Cardinalis, viginti ſeptem, cap. Præſul 2. quæſt. 4. Ex Siluestro Papa.

Illud notandum, Quando requiruntur plures ad aliquam probationem complendam teſtes, debere eos eſſe conteſtes, ita vt ſecundùm principales facti circumſtantias idem teſtentur, puta de tempore, loco, & perſonis; alioqui inefficaces ſunt & ſingulares, non ſecùs ac ſi de diuerſis factis teſtarentur, vt probari poteſt ex cap. Licet cauſſam, De probationibus, & cap. Bonæ, De electione. Non minuit tamen fidem teſtis ſingularitas, quæ prouenit ex parte ſubiecti, quòd verbi gratia vnus tempus exprimat, alter autem dicat ſe temporis non meminiſſe, vt docet hîc D. Thomas; aut vnus probet de principio actionis controuerſæ, alter de fine, vt monent Additiones Clari q. 53. item neque illa quæ eſt in circumſtantiis parum ad rem pertinentibus, vtpote quòd tempus fuit pluuium aut ſerenum, & ſimilia quæ vix obſeruari ſolent. Item ſecundùm quoſdam, neque quando agitur non de probando delicto in vno aliquo ſingulari actu, ſed in genere, verbi gratia quòd iſte ſit hæreticus: nam licet vnus teſtis dicat ſe audiuiſſe vnam hæreſim proferentem Bruxellæ, alter aliam Louanij, non tamen ſunt ſingulares, ſed verè conteſtes, vt refert Clarus ſuprà. Sed verius eſt, ad damnationem tales non ſufficere ſine conteſtibus de eodem actu, vt ipſe Clarus ibidem ſentit, aut ſaltem de eadem hæreſi, quamuis diuerſo loco & tempore prolata. Imò verius exiſtimo, quòd opus ſit, eſſe conteſtes de eodem actu. Oppoſitum tamen tenet in Additionibus ſuis Baiardus, præſertim in hoc crimine hæreſis: cui iſtud libenter conceſſerimus, eiuſmodi probationem, quamuis non ſit plena, eſſe tamen plus quàm ſemiplenam, cùm teſtes ſibi mutuò indicium addant, & ſinguli ad ſemiplenam ſufficiant, modò iurati de ipſo facto deponant, omniq́ue ſint exceptione maiores.

Addunt, ſingularitatem teſtis reo non obeſſe, quando is teſtis eſt fiſci, qui pro ipſo reo deponit. Vtrùm autem ſingularitas teſtis non obſit, quando plena fides ſit Iudici, aut tanta teſtis eſt auctoritas, puta ſi ſit ipſe Princeps, vt facilè compenſetur quod deeſt in conteſte, videri poteſt apud eumdem Clarum cum Additionibus. Verius videtur, quando de modico agitur præiudicio, per auctoritatem teſtis poſſe vitium ſingularitatis compenſari; quando de graui, non poſſe. Crederetur tamen Principi, ſi dicat ſibi per teſtes coram ſe auditos conſtare, aut eſſe notorium; eiuſmodi enim aſſertio in Principe plus operatur, quàm ſi vidiſſe ſe dicat. Econtrà euenit in homine priuato: plus enim operatur, ſi dicat ſe vidiſſe, quàm ſi dicat ſe duos audiuiſſe id ſe vidiſſe teſtantes.

Quæres, Quid ſi varient teſtes pro eadem parte producti, quibus ſtandum erit?

Reſpondeo, Illis qui maioris æſtimationis & honeſtatis extiterint: ſi pares in æſtimatione & honeſtate ſint, ijs ſtandum qui numero præualent; quod etiam ſeruandum in teſtibus hinc inde productis, vt patet cap. In noſtra, De teſtibus. Si tamen per omnia pares ſint, pro reo erit pronuntiandum, cap. Ex litteris, De probationibus, niſi fortè actor agat pro fauorabili cauſſa, pro libertate, pro matrimonio, pro dote, pro teſtamento: hos enim quatuor caſus excipit Gloſſa in dictum cap. In noſtra.

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm ſemper requiſitus à Iudice debeat ferre teſtimonium?*

*D. Thomas quæſt. 70. art. 1.*

*Legitimè requiſitum tenetur teſtari.*

RESPONDEO cum D. Thoma, Si quis legitimè à ſuo Iudice requiratur in eo quod latis manifeſtum eſt, & de quo infamia præceſſit, debere eum teſtari. Adde cum Siluestro, aut in eo quod ſemiplenè probatum fuerit. Secùs ſi requiratur eius teſtimonium de occultis, aut de quibus non præceſſit infamia, aut de ſecreto ſibi commiſſo, quod non cedit in damnum aliorum, aut non à ſuo Iudice, niſi fortè pro reo teſtari poſſit, qui aliàs immeritò periclitaretur: ſed hoc non debet Iudici, ſed reo, adeò vt etiam non poſtulante Iudice teſtari debeat, & conuenienti quo poteſt modò in eiuſmodi euentum indicata veritate reo ſubuenire. Quo fit, vt accuſatore perichitante, qui ſe ſponte in illud diſcrimen coniecit, à non ſuo Iudice interrogatus teſtis veritatem celare poſſit.

Circa hanc doctrinam Notandum Primò, Teſtem interrogatum contra Iuris ordinem, aliquando nihilominùs teneri veritatem manifeſtare, quando nimirum manifeſtatio ad liberandum reum neceſſaria aliunde ex charitate ei incumberet; aliquando autem non teneri quidem veritatem indicare, poſſe tamen ſi velit, quando nimirum libera ei eſſet denuntiatio, ſecundùm ea quæ diximus De accuſatore; aliquando autem teneri celare, quando nimirum ea cederet in damnum tertij inordinatum: item quando omnino occultum eſt crimen, etiamſi Iudex etiam de occulto interroget; Ius enim excipit occulta in Iudicis interrogatione: ideoq́ue dicere poteſt teſtis, ſe nihil ſcire; verè enim reſpondebit ad interrogationem, prout Iure reſtricta eſt. Ita Sotus contra quoſdam recentiores, De ſecreto, membro 3. quæſt. 3. concluſ. 4.

Sed quæſtionem mouet idem Sotus, Vtrùm poſſit dicere, ſe non audiuiſſe, ſi ſub ſecreto audiuit, eamq́ue in ambiguo relinquit.

Reſpondeo, Dici poteſt, quamuis fortè neſcire verius ſe dicat quàm non audiuiſſe, habeatq́ue dum neſciendi voce vtitur Chriſti Domini exemplum, dicentis ſe neſcire diem iudicij: poſſe tamen



tamen ſine mendacio eum dicere, ſe non audiuiſſe, commoda aliqua mentali reſtrictione, verbi gratia, intelligendo ſe non audiuiſſe per auditum vt propaletur; ſimili enim modo per ſenſum myſticum ſolamente intentum excuſatur Raphael Tobiæ 5. quando ſe Azariam eſſe dicit Ananiæ magni filium.

Notandum Secundò, Quando impunitas ſceleris, quæ ex omiſſo teſtimonio ſequeretur, cederet in peculiare damnum Reipublicæ, etiam non legitimè interrogatum poſſe, imò ſubinde debere teſtificari pro accuſatore. Idem dicendum, ſi accuſator debuerit accuſare; tunc enim pro eo, ne graue damnum iniuſtè patiatur, aliquando æquum erit, teſtimonium ferre: quod maximè locum habebit, quando honos eiuſmodi accuſatoris Reipublicæ fortè neceſſarius id poſtularet.

Notandum Tertiò, Vt cenſeatur teſtis interrogari ſecundùm Iuris ordinem, non eſſe opus quòd accuſatio in conſcientia fuerit iuſta, ſed ſatis eſſe, quòd iuſta fuerit in foro exteriori, vt docet Salonius.

Notandum Quartò, In cauſſis ciuilibus non teneri quem ex iuſtitia, imò neque ex charitate vltrò teſtimonium ferre, quando non agitur de vitando iniuſto damno magni momenti; imò etiamſi agatur de vitando magno damno: diſpicere tamen oportet, vtrùm alia ratione vitari nequeat; rurſum vtrùm non maius ſit quod reus incurret in fama, ſi crimen prodideris, vt rectè monuit Nauarrus in cap. Inter verba 11. quæſt. 3. concluſ. 6. corol. 66. numero 407.

*Qui non tenentur teſtificari.*

Notandum Quintò, Quoſdam non teneri teſtificari, etiam vbi alij tenerentur. Clericus enim, maximè Sacris initiatus, non poteſt compelli vt teſtimonium ferat in cauſſa ſanguinis. D. Thomas hîc ad 3. Silueſter verbo Teſtis, q. 8. Conſanguinei, præſertim pater & filius, coniuges & affines, pro ratione cauſſæ ſeu damni quod impendet, & varij gradus coniunctionis, excuſantur à ferendo contra ſe mutuo teſtimonio. Nauarrus ſuprà numero 41 2. & ſeqq. Salonius hoc articulo. Sunt tamen quædam crimina excepta, in quibus non excuſantur, vt hæreſis, de qua ſatis id expreſſit ſacra Scriptura, Exodi 32. & Deuteronomij 13. proditio patriæ, aut Principis, & ſimilia.

Notandum Sextò, Eum qui ſuſceperit conſcientiam alicuius ſecreti promiſſo ſilentio, non poſſe illud Iudici reuelare, quando ſolùm agitur ad punitionem rei, etiamſi remota illa promiſſione aut fide teneretur ad idem teſtificandum; quidquid hac de re dicat Sotus ſuprà, membro 2. concluſ. vlt. quæſt. 7. Nam vt rectiùs Nauarrus ſuprà citato corollario, numero 408. quando duæ Leges contrariæ concurrunt, affirmatiua cedit negatiuæ, & generalis ſpeciali: eſſe autem obediendum Superiori, affirmatiuum & generale eſt; vt meritò cedat alteri Legi de non reuelando commiſſo ſecreto.

Dices ex Panormitano in cap. Qualiter, De accuſationibus, Quando promiſit aut iurauit ſilentium, vel cogitauit ſe à Iudice de hoc poſſe interrogari, & fuit temeratium iuramentum, adeoq́ue non obligat, argumentum ex cap. Intimauit, De teſtibus; vel non cogitauit de hoc caſu quo Iudex interrogaret, adeoq; is iuramento non cõprehendetur, argumento ex cap. 1. De iureiurando in 6.

Reſpondeo; Promittens abſolutè intelligendus eſt de modo Iure poſſibili, itaque eiuſmodi argumentum petit principium, ſi probare inde velis propoſitum: ſupponis enim illicitum eſſe negare teſtimonium de eo quod ſecretò acceperis; cap. autem Intimauit, de eo loquitur, qui fouet cauſſam iniquam, promittendo quòd contra eam non teſtabitur. Imò non malè ibi monet Gloſſa ex cap. Infames 3. quæſt. 7. Iudicem ſemper debere eos compellere ad ferendum teſtimonium, qui in fraudem legitimarum probationum iurarunt non teſtari; præſumitur enim iniquam cauſſam fouere: & experiri in ſe debet Iudicis auctoritatem eluſam, qui voluit ſubtrahere copiam probationis aduerſario ſuo. Non excuſatur etiam à ferēdo teſtimonio prætextu ſuſcepti ſecreti, quando quod ſecretò intellexerit tale eſt, vt mox vbi ad notitiam venerit de beat indicare, vt ſi vergat in pernicem ſpiritualem vel corporalem multitudinis, vel graue damnum particularis; vel ſanè vniuerſim ſi tale ſit, vt etiam non interrogatus teneretur indicare teſtando vel denuntiando: tunc enim etiamſi iuraſſet non reuelare, non ſolùm poterit à Iudice requiſitus, ſed etiam non requiſitus tenebitur ſponte ſua reuelare; quia vt habet Regula Iuris in 6. non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum; & vt hîc D. Thomas, non poteſt quis obligari vt violet fidem quam alteri iam priùs debet. Adde, quòd etiamſi tamen ipſius teſtis interſit Iudici innoteſcere delictum, poterit aliquando reuelare, non obſtante promiſſione ſilentij; quia ſecretum fortè cum tanto ſuo incommodo non tenebatur ſeruare, niſi etiam hoc promiſiſſet quòd cum eiuſmodi incommodo celaret. Sanè ſi eo tempore quo ſilentium promittebat, non præuidit incommodum tantum ſibi ſecuturum, quo præuiſo non erat promiſſurus; etiamſi iuramento promiſiſſet, non tenebitur celare. Ita ferè ex communi Molina De iuſtitia, tract. 2. diſp. 272.

*Secretaquæ doreuelan da.*

At quæres, Quid ſi dubium ſit, vtrùm ſecretum quod intellexi ſub fide ſilentij, ſit futurum in alicuius præiudicium, & Iudex præcipiat reuelari, debeóne reuelare?

Reſpondeo, Debere, quia in dubijs præſumitur pro Superiori, & illi obediendum regulariter, vt docet Siluester verbo Confeſſio, vlt. §. vlt. Poteſt etiam hîc conſiderari, quòd in pari dubio innocenti potiùs fauendum ſit. Credo tamen, verum eſſe, quòd quando ſolùm conſideratur priuatio libertatis in teſte, non teneatur reſpondere ſi dubium ſit, an legitimè Iudex interroget, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Similiter quando ſolùm agitur de damnatione rei; quia in dubio reo fauendum eſt, vt habet Regula Iuris, & de teſte ita habet communior opinio, quam ſequitur Salonius quæſt. 69. art. 2. controuerſ. 10. concluſ. 3. Eſt tamen in contraria Paludanus diſt. 19. quæſt. 4.

Quæres iterùm, Quid ſi quis ſecretum audiuerit ab eo qui diſertè non eſt ſtipulatus ſilentium, tenebitúrne is Iudici interroganti legitimè iſtud aperire.

Reſpondeo, Secreti reuelationem ſine ſtipulatione aut promiſſione ſilentij, aliquando nihilominùs implicitam habere eiuſmodi ſtipulationem, quando nimirum facilè intelligitur ex modo reuelandi, eo animo aperiri, vt tamquam ſecretum apud te deponatur. Quo caſu omnino idem dicen-

dicendum, ac si expressa interceſſiſſet ſtipulatio. Quare benè docet Nauarrus ſuprà, aduocatum non poſſe contra reum teſtari de eo quod ipſi tamquam aduocato ſuo communicauit, niſi aliunde illud nouerit.

Scotus in 4. diſtinct. 21. docet, hoc caſu non poſſe priuato reuelari, quod ita ſecretò acceptum fuerit. Verùm iſtud exiſtimarim locum quoque habere poſſe, vbi ne quidem implicita ſubeſſet ſilentij ſtipulatio: nam etiam ſecreti ratio per ſe hoc poſtulat, ne temerè reueletur, quamuis ne Iudici ritè interroganti reuelari debeat, præſertim poſt ſemiplenam probationem, ea ſola non ſufficiat, ſi ne lege ſilentij ſaltem implicita.

Ceterùm quando ſecretum noſti ſolùm ex confeſſione Sacramentali, non potes reuelare interroganti Iudici id quod cadit ſub ſigillum Sacramentalis confeſſionis, etiamſi magna eo reuelato Reipubl. incommoda vitanda videantur, vt D. Thomas, Siluester, & alij paſſim tradunt. Quare meritò Martyr habetur Antonius Timmermannus Dominicanus, Antuerpiæ anno Domini 1582. occiſus, eò quòd noluiſſet Ioannis Ianregij, qui Principi Aurantio necem intentauerat, Sacramentalem confeſſionem reuelare.

### DVBIVM IX.

### *Quando Teſtis ratione teſtimonij præſtiti vel omiſſi teneatur ad reſtitutionem?*

NONNVLLA huc facientia diximus, quando De cooperantibus furis, Dub. 4. nunc breuiter

*Qui falſo teſtimonio damnum dedit, tenetur reſtituere.*

DICO in primis, eum teneri ad reſtitutionem, qui falſo teſtimonio ſciens & volens damnum intulerit, adeò vt in eodem genere damnum ſubire teneatur, ſi hac ratione auertere effectum ſuæ iniuſtitiæ poſſit. Vnde ſequitur, teneri falſum teſtem ſe morti obijcere retractando, vt eripiat innocentem à morte, quem falsò accuſauit: talis enim non tam eripit à morte innocentem, quod cum propriæ vitæ periculo non tenetur, quàm deſinit occidere, ad quod cum periculo vitæ tenetur, ſicuti & ſimpliciter non occidere: eſt enim inuaſio quædam iniqua innocentis, à qua ſemper tenetur deſiſtere tamquam intrinſecè mala.

Extendenda hæc ſunt ad eum, qui ad falſum teſtimonium concurrit iubendo, ſuadendo, ſubornando.

*Et qui interrogatus innocentem non liberat.*

DICO SECVNDO. Qui potuit innocentem ab alio falsò accuſatum eripere à morte ſuo teſtimonio, ſi legitimè interrogatus id non fecerit, violat iuſtitiam, & tenetur damnorum. Patet ex dictis citato illo Dub. 4. Is enim cui Iudex partes teſtis legitimè imponit, iam quaſi ex officio tenetur veritatem aperire. Ita Sotus, De ſecreto, membro 2. q. 7. & eſt communis.

*Quid ſi fugiat.*

DICO TERTIO. Si tamen talis nondum fuerit interrogatus, ſed fugit quando à Iudice quærebatur; peccauit quidem mortaliter contra charitatem, non tamen tenetur ad reſtitutionem. Patet ex dictis De reſtitutione: nondum enim ex officio tenetur teſtari, ſed quæritur vt ei officium teſtis imponatur. Hoc probabiliter etiam extendo ad eum, cui iam legitimè inſinuata eſt Iudicis citatio, & falsò prætexit impedimentum: quamuis Sotus & alij quidam iſtud non admittant. Verùm ita tenet Molina diſp. 83. ex hoc fundamento, Quòd ex iuſtitia teſtis non teneatur teſtimonium ferre, etiam quando à Iudice citatus eſt. Non tamen admiſerim contra Secundam concluſionem etiam coram Iudice iam præſentem, & teſtari iuſſum, non teneri ex iuſtitia proferre veritatem, tamquã ex incumbente ſibi munere, etiamſi illud non promiſerit: promiſſio enim iſta ſuppletur auctoritate Iudicis, tale munus ei imponentis: Reſpublica enim ratione alti dominij, aut eminentis poteſtatis, quam in eiuſmodi functiones ſuorum membrorum habet, functionibus illis ſui ciuis etiam inuiti talem ſeruitutem poteſt imponere, vt ex iuſtitia teneatur pro iuuando officio Iudicis quaſi medius inter reum & accuſatorem, vt cuique Ius ſuum tribuatur, veritatem teſtari. Quo modo poteſt ſeruitutem tranſitus ad mœnia priuati alicuius inuiti prædio imponere: neque enim ſolùm habet Ius ad tributa, aut corporales ſeruitutes, ſed etiam ad iſtiuſmodi munera. Sic poteſt Princeps cogere, vt quis tutorem aut pauperum curatorem agat, Conſulatum & ſimilia, præſertim annua, officia ſuſcipiat.

Illud tamen probabile eſt, ſi teſtis etiam coràm à Iudice iuſſus, neque acceptet munus teſtis, ſed per inobedientiam reluctetur, ita vt nullum omnino teſtimonium ferat, neque motus auctoritate Iudicis, quamuis inuitus vel ex parte teſtimonium dicat, non peccare talem contra iuſtitiam: quamuis verius exiſtimem, iuſtitiam violaturum, ſi in præiudicium graue partis, ſine ſuo periculo veritatem celet. Vnde generatim cap. Cùm dilecti, De accuſationibus, æquiparantur iuratus teſtis veritatem celans, & falſum deponens.

DICO QVARTO. Teſtis tergiuerſatus pro reo, & qui veritatem criminis per iniuſtitiam celauit, tenetur quidem parti de damno, non tamen fiſco de mulcta, quam fortè à reo conuicto accepiſſet. Vtrùm verò de æſtimatione ſperatæ mulctæ teneatur, qui ex officio particulari, pro quo ſtipendium accipit, deferre crimen tenebatur, diximus citato illo Dubio 4.

*Quid ſi occultum crimen detexit?*

Addunt hîc quidam, quòd teſtis, qui per imprudentiam occultum crimen detexit, ſi bona fide detexit (vt frequenter fieri ſolet) quia putabat ſe legitimè de hoc interrogari à Iudice, non teneatur lege iuſtitiæ retractare teſtimonium ſuum: ſi tamen ſine ſuo detrimento poſſit, & ſperetur retractationem profuturam, tenetur, inquiunt, lege charitatis retractare, ita tamen vt non obligetur ad reſtitutionem ſi non retractauerit. Secùs dicendum volunt, ſi detexit animo nocendi, ſciens ſibi id non licere: peccauit enim contra iuſtitiam, vt teneatur ex iuſtitia retractare, ſi poſſit abſque detrimento ſuo notabiliter maiori, & retractatio ſperetur profutura. Et ſi non retractauerit, volunt eum teneri de damnis inde ſecutis. Idem dicendum putant de reo contra Iuris ordinem prodente occultos ſocios. Ita tenet Sanchez lib. 3. in Decalogum cap. 6. num. 28. & alij quos citat. Circa modum autem retractandi dicit idem Sanchez, eiuſmodi teſtem poſſe ſe offerre Iudici, & iurare reum non admiſiſſe iſtud delictum, intelligendo ita vt delictum ſubſit illi iudicio; & ſe falſum dixiſſe, quatenus nimirum falſum fuit, illud delictum reum ita feciſſe in hominum notitia, vt ſubfuerit iſti iudicio.



cio. Hanc doctrinam notent Iudices, vt meliùs diſpiciant, ánne continuò ſint vt periuri puniendi, qui in iudicio videntur contraria iuraſſe: quamuis enim recentiorum iſta ſententia non adeò nobis probetur quoad offerenda æquiuoca Iudici teſtimonia, vt dicemus infrà, quando De reſtitutione detractoris, Dubio 7. nolumus tamen alteram ita improbabilem iudicare, vt eius in praxi non debeat poſt factum haberi ratio.

## CAPVT III.

### *De iniuſtitia Rei & Aduocati.*

### DVBIVM I.

### *Vtrùm Reus legitimè à Iudice interrogatus, teneatur contra ſe veritatem fateri? D. Thomas quæſt. 69. art. 1.*

*Prima ſententia.*

PRÆTER opinionem illam quam vulgi eſſe dicit Salonius, & communem Iuriſperitorum, Iudicum & reorum, Emanuel Sà verbo Reus, Quòd ſemper liceat reo negare, donec plenè contra ſe probatum fuerit, quantumcumq; Iudex legitimè interroget; eſt altera ſententia quorumdam, Quòd ſaltem quando agitur de pœna temporali ſubeunda negare poſſit, quamuis id licere negent, quando agitur de pœna ſpirituali: quòd nimirum illa ſit merè medicinalis, & in vtilitatem ipſius rei. Ponunt etiam diſcrimen inter proceſſum ex mero Iudicis officio, & ad partis inſtantiam; quaſi in priori teneatur reus legitimè interrogatus, quando agitur de pœna ſpirituali, veritatem fateri præcedente infamia, aut notorio exiſtente delicto, aut ſemiplenè iam probato: in poſteriori autem, etiamſi ſolùm agatur ad pœnam ſpiritualem, tum demum oporteat fateri, quando ſufficiens infamia præceſſerit de crimine quod ab Ordinis miniſtetio ſuſpendat, vel à retentione Beneficij impediat. Ita videtur ſentire Siluester verbo Confeſſio 1. q. 1.

*Secunda ſententia.*

*Tertia ſententia.*

Tertia ſententia eſt eorum, qui regulariter quidem dicunt, reum legitimè interrogatum debere fateri; excipiunt tamen, quando ageretur de amittenda vita, damnatione ad triremes, confiſcatione omnium bonorum, aut aliqua ſimili grauiſſima pœna, & ſpes eſſet euaſionis.

*Quarta ſententia.*

Quarta excipit ſolùm periculum vitæ. Ita Nauarra lib. 2. c. 4. num. 142. quamuis in ſequentibus etiam in tertiam ſententiam videatur conſentire.

*Quinta ſententia.*

Poſtrema abſolutè vult ſemper teneri reum fateri, quando ſecundùm Iuris ordinem interrogatur, etiamſi agatur de vita, quam aliàs ſeruare poſſet. Ita videtur ſentire D. Thomas hîc, Palude in 4. diſt. 19. q. 4. & eſt communis. Imò Salonius dicit, neminem diſſentire; quod tamen verum non eſſe, patet ex relatis ſententiis. Sit

*Legitimè interrogatus tenetur fateri.*

ASSERTIO PRIMA. Vniuerſaliter verum eſt, quando Iudex legitimè interrogat poſt probationem ſemiplenam, aut ſufficientia indicia reo iam inſinuata, teneri ipſum reum fateri veritatem, ex qua materialiter ſimul & formaliter iuſta contra eum ſententia ſecutura eſt. Probatur Ratione naturali; Quia ius præcipiendi & exigendi hanc confeſſionem in Iudice, quod ſupponitur, habet pro correlatiuo debitum obediendi, & confitendi in reo, alioqui daretur bellum vtrimque iuſtum. Confirmatur ex cap. Cùm dilecta, De accuſationibus. Excipio tamen caſum, quo materialiter ſaltem iniqua eſſet ſecutura ſententia; tunc enim non tenetur fateri de crimine aut circumſtantia inquiſita, vtpote graue damnum ex confeſſione iniuſtè paſſurus. Si enim hoc excuſer teſtem, quò minùs teneatur contra alium teſtari, vt ſuprà diximus, quid ni etiam ipſum reum? Vnde ſequitur, Si citra culpam occidit, & videat innocentiam ſuam non credendam, poſſe etiam iuramento affirmare ſe non occidiſſe: intelligetur enim culpabiliter non occidiſſe. Huiuſmodi plura videre licet apud Azorium tom. 1. lib. 11. cap. 4.

*Si ſpes ſit euadendi niſi fateatur, non tenetur fateri.*

ASSERTIO SECVNDA. Probabile tamen eſt, non haberi interrogationem pro legitima, hactenus vt teneatur reus vetitatem contra ſe fateri, quando interrogatur in cauſſa capitali, in qua aliàs non erat deprehenſus aut conuincendus, ſed ſpes eſt euadendi niſi fateatur. Neque ita deſunt pro hac opinione auctores, vt quidam exiſtimant; nam præter Nauarrum alioſque recentiores, & auctores Secundæ ſententiæ, fauet ſatis Scotus in 4. diſt. 15. prope finem. Probatur, Quia vt Leges, ita etiam præcepta humana eius debent eſſe humanitatis, vt non imponant ſubditis quidquam pro infirmitate communi quodammodò impoſſibile, vt diximus cum D. Thoma ex Iſidoro 1. 2. q. 95. art. 3. & docet ex Iuone Gratianus cap. Erit autem, diſt. 4. Eſt autem ſic impoſſibile, vt ſperes paſſim ab imperfectioribus, quales ferè ſunt eiuſmodi rei, qui non niſi recenter admodum & occaſionabiliter conuerſi eſſe ſolent, actum eiuſmodi heroicum, quo contra caput ſuum verum fatendo Iudici obtemperent. Secundò, Leges, vt ſuprà vidimus, non cogunt teſtem valdè coniunctum reo, contra ipſum deponere, quòd videlicet vel coniunctio periculum inobedientiæ, mendacij & periurij adducat, vel humanitas aliud poſtulet, quod multò magis in cauſſa proprij ſanguinis locum habet, in rei de ſe confeſſione præcipienda. Tertiò, Propter periculum periurij Canones nolunt concubinarium adigi iurare quòd deſeret concubinam, cap. Clericos, De cohabitatione Clericorũ & mulierum: ergo ſimiliter propter periculũ inobedientiæ non eſt iniungendum reo, vt hîc contra ſe crimen capitale fateatur. Quartò, Summum Ius vitę tuendę videtur reum hîc excuſare, vt ipſe qui non Reipublicæ, ſed propriæ vitæ cuſtos eſt, poſſit non ſolùm fugere quando quæritur vt deprehendatur, ſed veritatem celare quando ea legitimè inquiritur: ſi enim nemo cogatur inſtrumentum producere quo conuincatur, L. 6. C. De teſtibus; videtur etiam graue nimis eſſe, ſi cogatur contra ſe confiteri in ſupplementum deficientis alioqui aduerſi teſtimonij. Quintò, Si vnus ſolùm vidiſſet, poſſet reus in iudicio negare, & dicere, vt conſulit Scotus, Nego propoſita vt proponuntur: quare non ſimiliter idem poterit, ſi duo quidem viderint, ſed ſperetur quòd ſecundus non teſtabitur, præcipuè cùm in cauſſa ſanguinis, inhumanum ſit reum obligare, vt publicè ore ſuo ſe condemnet, antequam aliunde condemnetur?

*Obiect.*

Dices, Hinc ſequitur, bellum eſſe vtraque parte iuſtum, etiam ſepoſita ignorantia: Iudex enim

non ſolùm iubere & iuramentum exigere poteſt ſuper dicenda veritate, ſed & torquere reum vt eam reuelet, & interim ipſe reus celare eam poterit.

*Reſp.* Reſpondeo, Quamuis Peſantius diſp.vnica, ad quæſt. 70. exiſtimet in ſimilibus, non eſſe abſurdum, dari bellum vtrimque iuſtum; non tamen eſt neceſſe eò venire: quod enim ad iuſſionem attinet, dici poteſt, eam intelligendam eſſe cum moderamine iuſtæ exceptionis, ita vt non cadat in illud idem ad quod dicimus reum non teneri.

Ad iuramentum ſuper dicenda veritate quod attinet, exiſtimo illud non eſſe exigendum ab ipſo reo in cauſſa capitis, ſaltem quando Iudex procedit ex mero officio, & citra magnam neceſſitatem; quia vehemens eſt ſuſpicio quod falſum iurabit: quo caſu iuramentum Iudicem non vult exigere Panormitanus in dictum cap. Clericos. Si tamen procedatur via accuſationis, & pars inſtet, poterit Iudex iuramentum exigere, niſi Lege hoc prohibitum ſit, vti prohiberi forſan expediret: quamuis non improbabiliter dixeris, ne iſtud quidem Iudici licere, ſimpliciter loquendo de iuramento fatendi veritatem, ſed benè de iuramento calumniæ. Quod calumniæ iuramentum quamuis ſecundùm Gloſſam in cap. 1. De iuramento calumniæ, quinque hæc complectatur. Primò, Vt exiſtimet litigator, ſe litem iuſtam intendere. Secundò, Vt rogatus à Iudice veritatem non celet. Tertiò, Ne ſcienter falſas probationes adhibeat. Quartò, Ne in fraudem proroget litem & cauſſam, aut in tempus differat. Quintò, Vt iuret ſe nihil alicui promiſiſſe, quod Iura non permittant. Quamuis, inquam, hæc omnia contineat iuſiurandum calumniæ; quatenus tamen à reo exigitur (dicta L. 2.) non videtur plus habere quàm vt iuret, quòd putans ſe bona inſtantia vti, ad reluctandum venerit. Ad torturam quod attinet, Per probationem ſemiplenam aut magna indicia naſcitur quidem ius Iudici ad eam adhibendam ſecundùm moderationes ſuprà dictas, donec reus delictum fateatur: at non ſequitur inde, ex aduerſo in reo extingui poteſtatem quam illi dedit Auctor naturæ, vitam ſilentio tuendi, & mortem cum tormentis illis commutandi, quando per illa tolerata vitari mors ipſa poſſit. Iura enim iſta diuerſa ſunt, non aduerſa, Iudice ex officio pro publico bono agente, reo autem ex naturali æquitate pro vitæ incolumitate & bono priuato. Similia enim plura etiam in alijs reperimus: nam ſecundùm ſententiam admodum probabilem, etiam verberibus poteſt herus ſeruum bello iuſto captum à fuga deterrere, quæ nihilominùs ei licita permaneat.

*Iuramenti calumniæ quinque cõplectitur.*

Obijcit Arragonius, Teneri reum fateri Iudici Sacerdoti in foro pœnitentiali de peccatis interroganti, indeque videri etiam debere in externo.

Sed reſpondeo, Longè diſparem eſſe rationem: neque enim in foro pœnitentiæ agitur de vita amittenda temporali, ſed de recuperanda ſpirituali, pro qua leuem famæ ſuæ iacturam reus ſubeat, ad quam iacturam faciendam, ſi tamen ea iactura famæ dicenda ſit, vel ipſa naturalis ratio inclinet, ſuppoſita fide.

Quærat aliquis, Vtrùm mendacium, quo neget reus Iudici in noſtro caſu à ſe commiſſum crimen, ſit mortale.

Reſpondeo, Conſequenter loquendo, fore ſolùm veniale, imò de Iure ambiguè loquendi, iurandi, & ſimilibus, quæ ſuprà dicta ſunt in teſte non legitimè interrogato, etiam hîc applicari poſſunt.

Quæres iterùm, An idem dicendum ſit, ſi accuſatori magna immineant damna ex negatione?

Reſpondeo affirmatiuè: ſibi enim imputet qui ſponte ſua illud diſcrimen ſubijt; imò verò propter ſummum Ius tuendæ vitæ, & alia quæ ſuprà adduximus, non improbabiliter illud extenderim ad eum caſum, quo accuſator coactus fuiſſet accuſare, & per talionis pœnam ipſemet eſſet occidendus; nam quò maior pœna talionis, eò maior inuaſio, adeoque maius Ius defenſionis.

ASSERTIO TERTIA. Etiam quando agitur de pœna triremium, mutilationis, confiſcationis omnium bonorum, aut graui dedecore, probabile eſt ex eodem fundamento, reum non teneri contra ſe fateri, quamuis legitimè videatur interrogari, quando aliàs ſperat euadere: ſecùs in minoribus cauſſis, ſiue agatur de ſpirituali, ſiue de temporali pœna. Eſt Petri Nauarræ ſuprà n. 144.

*Quando reus non tenetur fateri.*

ASSERTIO QVARTA. Quando reus in cauſſa ſanguinis legitimè interrogatur, nullaque ſpes eſt euadendi iuſtam damnationem, aut quando de minoribus agitur, ita vt ſecundùm ſuprà dicta teneatur Iudici parere ſub mortali, & veritatem fateri, non eſt abſoluendus in foro pœnitentiali, ſtante adhuc iudicio, niſi Iudici pareat & fateatur. Secùs dicendum iudicio iam abſoluto, & ipſo reo vel nihilominùs mulctato, vel etiam abſoluto; tunc enim ſufficiet iniungere ei reparationem damni, ſi quod dederit. Neque poſt condemnationem legitimam ex plena probatione cogendus eſt à Confeſſario crimen alijs fateri, niſi hoc poſtulet aliorum indemnitas. Quare grauiſſimè peccauit quidam Confeſſarius, qui tempore ſupplicij publicè arguebat mendacij reum coram populo crimen negantem, quod in Sacramentali confeſſione iam faſſus fuerat. Cererùm inquirat diligenter Confeſſarius, vtrùm legitimè fuerit reus interrogatus; neque tamen tunc demum legitimè interrogatus cenſebitur, quando probatio & indicia ſuffecerint ad torturam, vt benè Nauarra contra Gregorium Lopez ſuprà n. 146.

ASSERTIO QVINTA. Quando dubium eſt, vtrùm reus legitimè interrogetur, non tenetur reſpondere, ſed poteſt ſe gerere ſicut quando interrogaretur illegitimè. Eſt communior, quam ſequitur Arragonius, qui indicat, prodigalitate quadam in illo genere reum peccaturum, ſi in eiuſmodi dubio libertatis aut etiam famæ poſſeſſione ſeſe priuauerit.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm Reus citra peccatum mortale poſſit verum crimen negando, dicere, accuſatorem contra Iuris ordinem procedentem mentiri, aut calumniari?*

RESPONDEO affirmatiuè. Ita ex communi Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. numero 428. contra Caietanum hîc quæſt. 62. artic. 2. ad 2. Quamuis enim nonnihil in defenſione moderata excedat quia mentitur, is tamen exceſſus non eſt mortalis, ſicuti neque ſi quis inuaſus, nonnihil, ſed modicè in defenſione exceſſerit, vt alibi diximus: eſt enim hîc potiùs peccatum, quia mendacium, quàm quòd proximo noceat: purgatur enim à ratione pernicioſi Iure proprietatis tutelæ. Adde quòd accuſatio ſecundùm ſubſtantiam iniuſta ſit, & quodammodò practicè mendax, vel quia actu exercito reuelandum dicitur quod reuelandum non erat, vel quia vt publicum dicitur & tractatur quod publicum non eſt. Ad hæc, licet eo caſu ambiguè loquendo mendacium accuſantis allegare, aut ſanè ſimpliciter crimen obiectum negare, etiamſi alij inde verè opinaturi ſint accuſatorem mentiri, vt communiter DD. quod ſanè indicio eſt, propter accuſantis læſionem (quæ non minor hîc ſubeſt quàm in mendacio) non fieri licitè mendacium. Excipit tamen non immeritò Bannelius art. 3. quæſt. 70. caſum, quo magni conuitij loco ex more Gentis haberetur, ſi cui dicatur, Mentiris, & defenſioni ſufficeret, quòd reus dicat accuſatorem falſum obijcere: immodicè enim excederet moderamen inculpatæ tutelæ.



## DVBIVM III.

### *Vtrùm via exceptionis, aut vt inualident teſtimonia, poſſint Reus & eius Aduocatus occulta teſtium crimina detegere?*

*Quomodo liceat detegere crimen iuſtè.* DISTINCTIONE opus; vel enim crimen occultum facit ad eleuandum teſtimonium, vel ad hoc ineptum eſt. Si faciat, licet reo occultum prodere, quo ſe tueatur, ne præter Iuris ordinem patiatur: ſecùs dicendum, quando vel crimen ineptum eſt huic repulſæ, vt tradit Banneſius ſuprà; vel repulſa ipſa reo inutilis futura, vt pote quia hoc teſte non deponente, qui propter occultum crimen reijci poteſt, alius nihilominùs contra reum deponet; vel ad repulſam reuelatio criminis non erat neceſſaria, vel repulſa reo parui eſt commodi, teſti autem magni incommodi, puta quia quod reo imponitur parui momenti eſt, teſtis autem qui fortè inuitus à Iudice ad teſtimonium cogitur, occultum crimen omnino eſt capitale: ſeruandus enim in iſtis eſt ordo charitatis, alioqui ſaltem contra ipſam, ſi non contra iuſtitiam, peccabitur.

Dubitabis, Vtrùm etiam quando proceditur ſecundùm ordinem Iuris, reo liceat dicto modo teſtium occulta crimina excipiendo prodere?

Reſpondeo cum Banneſio, Licere, ſi modò talia ſint quæ in iudicio probari poſſint: Ius enim naturale quod quiſque habet ſeſe tuendi, reo poteſtatem facit detegendi vitium illud teſtimonij, quod contra ſe profertur.

Dubitabis Secundò, Vtrùm ſemper mortale ſit, falſum crimen obijcere teſti, falſum, aut contra ordinem Iuris teſtanti?

*Si falſum crimen imponat, peccat.* Videtur non eſſe, quia ſuprà diximus, citra mendacium mortale poſſe reum dicere eum mentiri, qui verum ſed occultum crimen obijcit, eò quòd Ius tutelæ purget hîc deformitatem grauis iniuſtitiæ, aut pernicioſi mendacij, quamuis à mendacio non excuſet. Similis autem videtur ratio in propoſito. Secundò, Qui non poteſt ſe defendere ab iniquo inuaſore, niſi contra illum mentiendo, verbi gratia, clamando quòd ſit proditor ciuitatis, poteſt ſe hac ratione defendere citra mortale: ergo ſi nunc à Iudice iniuſtè ſis occidendus, niſi graue aliquod crimen contra teſtem iniquum effingas, non incurres letalem culpam effingendo. Propter hæc argumenta Bannes ſuprà tenet, non eſſe mortale.

Pro aduerſa tamen opinione facit, quòd eiuſmodi reus non facilè excuſetur à mendacio pernicioſo contra iuſtitiam: neque enim eſt ſimile, quod priori loco vrget Banneſius; partim quia teſtimonium eiuſmodi teſtis poteſt non incongruo ſenſu dici mendacium, vt ſuprà diximus; partim quia licet reus mentiatur, pernicioſè tamen non mentitur, ſed officioſè; iniuſtè enim non patitur teſtis, quando in eo falsò traducitur, quo ipſe, quamuis non mentiendo, iniuſtè tamen lædendo, alterum inuadit. Diſcrimen ergo eſt, quòd hîc non tantùm criminator, ſed ipſum crimen quod falsò inſimulatur mendacij, quatenus ab alio ei adſcribitur, ad inuaſionem rei pertineat, adeoque quaſi in vtrumque habeat Ius tutelæ, quamuis nonnihil excedat: ex que Iure tutelæ fit, vt quatenus mendacium illud eſt contra proximum, non tam queat dici offenſiuum aut pernicioſum, quàm defenſiuum, licet retineat deformitatem, quatenus contra veritatem. In altera autem Banneſij ſimilitudine criminator quidem inuadit, ſed crimen quod ei falsò ab inuaſo impingitur, neque vmquā verè fuit, neque ad inuaſionem pertinere poteſt, atque adeò non poteſt eius obiectio ad defenſionem pertinere, ſed videtur potiùs vindicta, & mortale eſſe peccatum.

Dices, Poſſum deſtruere rem alterius apud me depoſitam, vt ipſe deſinat deſtruere meam apud ſe depoſitam; ergo poſſum criminantem criminari, detrahenti detrahere, maledicenti maledicere, vt deſinat nocere.

Reſpondeo, Non ſequi; quia rem alterius ex cauſſa deſtruere non eſt intrinſecè malum, mentiri autem intrinſecè malum eſt, & mentiri falſum crimen imponendo proximo, eſt mendacium pernicioſum. Neque à pernicioſo hîc excuſatur propter defenſionem, quia mendacium eſt ineptum medium defenſionis, adeoque per eam inexcuſabile etiam à pernicioſa & letalis culpæ iniuria: quando enim per mendacium alterius inuaderis, ijſdem armis in hoc genere defenſio eſt inſtar nouæ inuaſionis, & pertinet ad vindictam, non ad tutelam. Erit ergo quodammodò idem, ac ſi reus non inuaſus inuaderet eiuſmodi mendacio; nam compenſatio à reſtitutione excuſare poterit, à culpa mortali hîc non poterit. Hæc ſi exactiùs expendantur, fortè poſteriorem opinionem tam quoad falſum, quàm quoad contra Iuris ordinem teſtantem, reddent probabiliorem; quæ videtur eſſe Soti lib. 5. quæſt. 9. art. vlt.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm liceat Reo iudicium per appellationem declinare?*

*D. Thomas quæſt. 69. art. 3.*

RESPONDEO, Certiſſimum eſt, licere aliquando appellare. Actorum 25. Paulus Cæſarem appellauit. Imò quando iniuſtitiam continet ſententia, Iuris naturæ eſt, vt appellari poſſit. Iure item Gentium & poſitiuo tam Eccleſiaſtico quàm ciuili conceſſum eſt grauato, appellare in ſuæ innocentiæ refugium, non autem in nequitiæ ſuffugium. Conceſſa appellatio, vt rectè dixit Bernardus lib. 3. De conſiderat. in terrorem malis, non bonis; in antidotum, non in venenum; in mi-

ferorum solatium, non in præsidium iniquitatis. Sicuti enim appellationis legitimus vsus necessarius est, non secùs ac sol ipse mortalibus, ita abusus perniciosissimus; iniqua autem omnis appellatio, ad quam iustitiæ inopia non coëgit. Appellare, non vt graues, sed si graueris, licet: qui non grauatus appellat, liquet quia aut grauare intédit, aut tempus redimere. Hæc fusiùs Bernard. Sanè tantus est abusus appellantium, vt quidam existimét, vtilius fore Reip. remediũ ad lites finiendas, si paucis iniustè oppressis beneficium appellationis denegetur, quàm si tam multis calamitatibus querelarũ ianua aperiatur: quod meritò diximus ibi præsertim locum habere, vbi in capitali caussa non appellatur, sed solùm in minoribus caussis.

*Materia appellationis qua.*

Vt itaque appellationes licitas discernamus ab vsurpatis, Quærendum Primò, Quæ sit materia iustæ appellationis?

Non dubium in primis, quin generali ea nomine grauaminis veri comprehendi debeat. Sed obseruandum, etiam extra iudicialem esse quamdam appellationem, & de futuro grauamine, Clementina 3. De appellationibus, & ibi Glossa; & in iudicio interdum appellari posse ante definitiuam sententiam, cap. Ex parte, Extrau. eodem. Quod extenditur ibidem ad casum, quo à definitiua delegatio Iudicis intercluderet appellationis remedium. Frequentior autem esse solet appellatio à sententia definitiua, quamuis interdum etiam contingat appellari ab executione sententiæ, non ab ipsa sententia, quando nimirum modus executionis exceditur, cap. Quod ad cõsultationem, De sententia & re iudicata. Si dubium sit vtrùm graueris, distinguunt DD. Vel enim nosti probabiliorem esse opinionem Iudicis condemnantis, & non poteris à sententia appellare, vt rectè Bannesius: vel nosti tibi fauentem esse probabiliorem, aut saltem æquè probabilem, & potes appellare; nisi quòd in probabilitate pari oporteat cedere possessori, si fortè altera pars sit in possessione. Si in caussa capitali iustè dãnatus non habeat pro se saltem probabilem sentẽtiam, non licet ei appellare, etiamsi speret superiorem Iudicem sibi fauturum.

Illud notandum, Quando sit appellatio ab interlocutoria, aut alio grauamine extra sententiam definitiuam, oportere exprimere grauamen; imò aliam non licet prosequi caussam, quàm quæ appellando nominatim expressa est. Clementina 5. De appellationibus.

*Qui possint appellare.*

Quærendum Secundò, Quis appellare possit? Respondeo, Omnes in iustè grauatos à Iudice habente Superiorem, posse appellare. Religiosis tamen in materia correctionis, appellatio interdicta est cap. Ad nostram, & cap. Reprehensibilis, Extrau. eodem. Item regulare est, non appellare eum cuius non interest: potest tamen quilibet appellare pro eo qui ducitur ad supplicium, de quo consulendus Siluester verbo Appellatio.

*A quo liceat appellare.*

Quærendum Tertiò, A cuius iudicio valeat appellatio?

Respondeo, Non valere à sententia Principis, aut alterius qui in caussa Superiorem non habet, L. 1. ff. A quibus appellari non licet. Eadem ratio de eo Iudice, quem Princeps sine prouocatione constituit. Item arbitri à partibus hac lege electi, vt inde non prouocent: secùs de arbitro Iuris, seu ex necessitate Iuris sumpto. Executionem item non suspẽdit appellatio à mandato, decreto, aut sententia Episcopi, vbi de visitatione aut correctione morum agitur, Trident. sess. 24. cap. 10. vel quando proceditur contra Clericos concubinarios, sess. 25. cap. 14.

Quærendum Quartò, Ad quem fiat appellatio? *Ad quem fiat appellatio.*

Respondeo, Non appellari ab Officiali ad Episcopum, cùm Episcopi & Officialis ipsius sit idem tribunal, cap. Romana, eodem, in 6. Est autem appellandum ad proximè Superiorem, verbi gratia, quando à iudicio Archidiaconi esset ad Episcopum, non potest immediatè appellari ad Archiepiscopum, vt apertè habetur cap. Dilecti, Extrau. eodem. Excipe summum Pontificem, ad quem à quouis Iudice Ecclesiastico rectè appellatur, cap. Si duobus, eodem: quod etiam mediatis Superioribus respectu suorum inferiorum tribuit consuetudo dicto cap. Romana, §. Ab Archidiaconis. Item à delegato ad delegantem ordinariè quidem appellatur; fallit tamen, quando delegans totius caussæ iurisdictionem delegato mandasset: quo casu appellatur ad delegantis Superiorem, L. 1. ff. Quis à quo appelletur. Ab Ecclesiastico Iudice non appellatur ad sæcularem, etiamsi caussa fuerit mixti fori.

Quærendum Quintò, Quis modus interponendæ & admittendæ appellationis?

Respondeo, Iudex à quo, concedit appellanti litteras dimissorias, si deferat appellationi, vulgò Apostolos dicunt. Consulẽda Glossa in cap. 1. hoc titulo, in 6. quæ addit Apostolos esse varios, scilicet conuentionales, testimoniales, delatorios, refutatorios, & reuerentiales. Iudex ad quem fuerit appellatum, non semper rectè admittit appellationem, vt benè monuit Bernardus suprà. Frequenter enim contingit, quosdam per appellationes tota vita sua impunè peccare, imò & innocentes opprimere, cùm tamen pro solius innocentiæ refugio appellatio inuenta sit. Repelli ergo debent appellationes eorum qui iustè dãnati fuerint in caussa criminis notorij, aut à se iudicialiter confessi. Quo fit, vt in illis tribunalibus, in quibus ad damnationem requiritur in caussa criminali cõfessio rei, non habeat locum appellatio à definitiua in caussa capitis, nisi fortè reus allegare possit, quòd velit interpretari suam confessionem, aut quòd metu vel vi tormentorum fuerit extorta.

Quærendum Sextò de tempore appellationis. Reperiuntur Iure definiti decem dies à sententia: dimissoriæ autem petendæ sunt intra triginta dies, cap. Ab eo, hoc titulo, in 6. alioqui appellatio deserta habetur. Oportet autem prosequi appellationem intra annum, aut ex necessaria caussa intra biennium, cap. Cùm sit, Extrau. eodem, nisi aliud tempus Iudex vel Superior definierit, aut ex consensu partium fuerit constitutum, Clementina Quamdiu, eodem. *Quanto tempore ipsum possit appellare.*

Quærendum Septimò, Quoties appellari possit? De quo Iure constitutum est, super eodem articulo, non nisi bis ab eadem parte posse appellari, L. vnica, C. Ne liceat in vna eademque caussa tertiò prouocare; cap. Sua, De appellat. Super diuersis articulis licet toties appellare, quoties grauaris, Panormitanus ad cap. Directè, eodem. Refert recentior quidam, qui de remedijs litium abbreuiandarum scripsit, obseruatum fuisse, quòd in vna lite septuagesies fuerit appellatum. *Quoties quis appellare.*

Quærendum Postremò, Quinam sit appellationis interpositæ effectus? *Quis effectus appellationis.*

In pri-



Respondeo; In primis per eam sententia suspenditur, & executioni mandari non potest, & appellatione pendente nihil potest innouari, imò per Iudicem appellationis etiam illa rescinduntur quæ primis decem diebus ad appellandum concessis innouata fuerint; cap. Non solùm, De appellationibus, in 6.

## DVBIVM V.

### *Vtrùm Reus debeat parère sententiæ contra se latæ, præsertim quando est secundùm allegata & probata, sed contra veritatem?*

*D. Thomas quæst. 69. art. 4.*

*Sententia iniustè non tenetur pàti.*

RESPONDEO & DICO PRIMO. Sententiæ secundùm rem & formam Iuris iniustæ non tenetur reus patère, sed potest eius executioni resistere, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, nisi fortè graue scandalum aut turbatio timeretur: inuaditur enim iniustè, non secùs ac si à latronibus inuaderetur. Ita hîc D. Thomas. Excipiendus tamen casus, quo Dei honor aliud postularet: quo modo à fuga & à defensione abstinuerunt Martyres, & in primis ipse D. Paulus Act. 16. Item secundùm quosdam tenetur ad carcerem iniustum redire, qui iurauit se rediturum; quod probabile esse de iniusto carcere, certius autem de iusto, dicemus quando De iuramento.

*Quid si iustatantum formaliter & non ex parte rei.*

DICO SECVNDO. Quando sententia est iniusta ex parte rei, iusta autem formaliter, vtpote quia Iudex veritatis ignarus, secutus est allegata & probata, non potest se defendendo reus, vim vllam inferre Iudici aut ministris eius. Ita communiter DD. quamuis Victoria, vt refert Salonius, & quidam Iureconsulti, vt refert Couarruuias lib. 1. Variarum cap. 2. numero 13. contrarium senserint. Ratio est, Quia hoc casu sine publico scandalo, publicę Potestati resisti non potest, & sequerẽtur grauia incommoda, cùm hac semel præsumpta fiducia liberiùs flagitiosi grassarentur. Si tamen Iudex aut minister sciens eius innocentiam, sententiam secundùm gesta exequatur, probabile est quòd possit resistere, & secluso scandalo contra talem se defendere reus, vt habet sententia Victoriæ. Erit enim tunc bellum iniustum ex parte Iudicis. Quod maximè locum habebit, quando Iudex ne quidem illa adhibuerit, quæ ex dictis secundùm omnes ad reum innocentem liberandum adhibere debebat.

*Condemnatus ad mortem potest fugere.*

DICO TERTIO. Quando iusta est sententia mortis, potest nihilominùs reus fugere, carcerem & vincula frangere, etiamsi alij captiui simul fugituri sint, aut ipsi custodes à Iudice occidendi, vt Petro accidit, Actorum 12. Quinimò potest ipse custodes, sine læsione tamen aut vi illata, impedire ne fugam suam impediant: de quo videndus Emanuel Sà.

Circa hanc propositionem diuersæ sunt opiniones. Quidam dixerunt, non licere fugere iustè damnato aut incarcerato, quòd hoc videatur pertinere ad quamdam violationem publici Iuris & obedientiæ quæ Iudici debeatur, cui iam per ipsum captiuitatem reus subiectus sit & obnoxius. Ita refert Salonius. Alij fugam quidem ei concedunt, sed negant posse rumpere vincula, aut frangere carcerem. Ita sentit Couarruuias suprà, numero 14. motus auctoritate Henrici à Gandauo, & Ioannis Maioris, & maximè Legum, quæ grauissimæ sunt contra effractores. Alij fugam simul & fractionem licitam hîc dixerunt, quod communiter ferè tenetur. Ita sentit Caietanus, Salonius, Bannes, Arragonius hîc, Driedo lib. 1. De libertate Christiana, fol. 226 Hæc sententia verissima videtur, propter summam inclinationem & Ius quoddam quod homo habet ad vsum membrorum suorum, pro custodia animæ in corpore, quo Iure in necessitate vti possit etiam cum detrimento proximi in bonis fortunæ. *Et carceres effringere potest.*

*Obiect.*

At inquies, Iniusta ergo erit Legum ista seueritas in eiusmodi effractores; nam L. 1. ff. De effractoribus & expilatoribus, pœna capitis in eos statuitur. Neque enim dici potest, propter præsumptam culpam, cuius pœnam euadere fugâ voluerint, ita statuendum esse; quia L. In eos, ff. De custodia & exhibitione reorum, statuitur vt puniantur, quamuis innocentes inueniantur ex eo crimine propter quod impacti sunt in carcerem.

*Resp.*

Respondeo, Si de pœna aliqua moderata intelligas, non esse negandum licere eam statuere in effractores, non per modum propriè dictæ pœnæ, sed iusti terroris, quo etiam dominus seruum, cuius seruitus ex bello, aut secundùm quosdam aliunde quàm ex iusta emptione originem alioqui iustam habet, coërcet, quamuis fuga nihilominùs ei sit licita. Si autem Imperatores in eos pœnam capitis statuerint, illud acerbius est quàm vt probare possimus, quamuis non simpliciter ea statuta sit in omnes è carcere fugientes, sed in eos qui conspiratione facta effregerint, aut præter negligentiam custodum euaserint; vbi videtur vis præsumi contra custodes.

At saltem dicet Couarruuias, Iniungitis effractoribus reparationem damni quod effringendo intulerint, quod æquum non videtur, nisi iniustè illud dederint.

Respondeo; Non desunt qui negent eiusmodi reparationem deberi. Quæ sententia probabilis est, eamque sequitur Bannesius. Sed si demus cum communi, deberi, non inde rectè colligas culpam effractionis: dici enim potest, ex quo iustè ibi à Iudice reus detinebatur, non potuisse eum carcerem destruere, nisi cum onere reparandi: quamuis enim Ius conseruandi vitam licitam faciat alienæ huius rei destructionem, damni tamen directè dati reparationem debitam, & Iudici Ius ad indemnitatem eiusmodi saluum relinquit; secùs de damno quod est in euasione aliorum captiuorum: cùm enim mox in momento non possit reus carcerem reparare, meritò ab hoc damno (quod considerari debet potiùs sequi ex carceris dilata reparatione, quàm fractione) excusatur. Sanè si diu differat reparationem cùm reparare possit, & ex ea mora contingat aliquos è carcere elabi, tenetur de damno. Deinde considerandum, quòd euasio aliorum reorum per accidens hîc se habeat, quia Ius vitæ conseruandæ in reo non poterat vlla in parte grauari onere seruandi Iudicem indemnem in custodia aliorum reorum, sicuti verè grauatum consideratur onere indemnitatis in carcere & vinculis ordine iustitiæ ei circumpositis. Carceri itaque potest reus vim inferre, custodibus non item; quia his vim inferendo, Potestati resisteret, & vim inferret, quod non licet quando iusta est captiuitas, vt patet ad Rom. 13. Vim autem inferendo rei inanimæ, per quam captiuus detinetur, non facit *Custodibus vim inferre non potest.*

Iudici aut Officio publico iniuriam. Sicuti enim Iudex Ius habet per istiusmodi feras & compedes reum detinendi, non autem ipsæ feræ aut compedes Ius habent eum retinendi ; ita non potest reus Iudicem per vim impedire ne liget, sed vincula ipsa rumpere potest, ne ligatus maneat : Ius enim non habet Iudex vt reus sponte in carcere maneat, sed vt ita eum ibi cõstringat, vt etiam volens fugere nequeat. Vnde non improbabiliter Salonius docet, Quacumque de caussa quis carceri inclusus sit, nisi fortè sit Religiosus, qui in hoc libertati suæ (quando non agitur de pœna mortis aut mutilationis) per votum potest intelligi præiudicasse, semper posse sibi fugâ consulere ante sententiam.

*Condemnatus ad mortem potest è fuga abstinere.*

DICO QVARTO. Potest tamen, si velit, iustè ad mortem damnatus à fuga sibi possibili abstinere; sicuti & damnatus ad moriendum inedia, potest recusare cibos oblatos. Patet ex illis quæ De homicidio diximus : potest enim reus velle iustam mortis sententiam admittere, & patienter tolerare. Tenent Couarruuias, Soto, Valentia, Graffius, & alij communiter.

*Obiect.*

Dices, D. Thomas ad 2. videtur indicare, quòd talis aliquid faciat vnde cita mors sequatur, quod videtur illicitum.

*Resp.*

Respondeo, D. Thomam solùm velle, quòd manere in carcere, vnde ducendus sit ad mortem, non possit præcipi reo propter coniunctionem quam carcer ille habet cum morte : tantam enim habet, vt si quis ex præcepto Iudicis obligatus quasi ex vi illius vinculi maneret in carcere, aliquid faceret vnde sua mors sequatur, & quasi seipsum ad necem includere censeretur: non censetur autem facere quidquam vnde sua mors sequatur, quando fugam omittit, quia iustam sententiam pati vult. Vbi notandum, esse quædam, ad quæ voluntariè suscipienda non possis adigi præcepto humano, obstante Iure vitæ conseruandæ ; ad quæ tamen voluntariè subeunda, non obstante animali inclinatione ad vitam seruandam, inclinatione virtutis iustitiæ, Religionis, pietatis, aut alterius similis inclineris. Exemplum de Carthusiano non comedente carnes in extrema famis necessitate ; item de filio cedente patri tabulam in naufragio.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm per sententiam damnatus ad carcerem possit fugere?*

*Quorumdam sententia.*

APPENDIX est Dubij præcedentis, An illa quæ dicta sunt de licita rei fuga, etiam locum habeant, quando ad manendum in carcere per iustam sententiam damnatus est? Non desunt enim DD. qui licèt admittant incarceratum posse fugere, negent tamen quando per sententiam ad manendum in carcere fuerit damnatus ? Ita sensit Caietanus art. 4. q. 69. Driedo, & Couarruuias num. 14. suprà: Sotus autem è carcere, vnde reus ducendus sit ad supplicium, etiamsi ad eum damnatus fuerit, fugam permittit, non autem è carcere ad quem perpetuò damnatus est.

*Verior sententia.*

Alij rectiùs vtuntur maiori moderatione. Si enim carcer angustus satis & perpetuus sit, aut ideò iubeatur reus manere in eo, vt inde ducatur ad mortem, vel graue aliquod supplicium, aut ad triremes; aut sanè carcer ipse in se grauis admodum pœna sit, quia tetricus & valdè incommodus; dicunt, non posse Iudicem reum damnare, vt sponte in carcere maneat, cùm eiusmodi præceptum grauius sit, quàm vt ab humana consuetudine eius sperari queat obedientia, & non possit reus damnari, vt rectè D. Thomas, vt aliquid agat vnde mors sequatur, sed tantùm vt eam patiatur. Eadem est ratio damnationis ad triremes, & fortè ad quamcumque grauem seruitutem perpetuam. Si autem carcer facilis sit, etiamsi perpetuus, puta quando tota aliqua ciuitas alicui datur pro carcere, vt Salomon fecit in Semei, neque inde grauior alia pœna metuenda sit, aut sanè non longi temporis sit carcer, dicunt eiusmodi damnationem posse esse iustam, vt etiam vltrò teneatur reus in tali carcere manere. Ita Salonius, & Bannesius dicto art. 4. 3.Reg.2.

Quæres, Quid si reus rogauerit Iudicem, vt potiùs damnetur ad perpetuos carceres, quàm occidatur, poteritne tunc è carcere fugere, ad quem perpetuò damnatus fuerit?

Respondet Salonius, Non posse. Sed distinguendum est. Quando enim obtulit & sponte promisit in carcere perpetuò manere, si in eum pœna mortis commutaretur, vera est sententia Saloni : si autem solùm rogauit, se potiùs ad illum damnari, existimo verius esse contrarium: nam etiam qui iusto bello captus rogasset se potiùs in seruitutem seruari quàm occidi, posset fugere.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm ad licitam fugam possit quis reum iustè incarceratum iuuare aut hortari?*

*Minister iustitiæ non potest reum iuuare.*

RESPONDEO & DICO PRIMO. Ministro iustitiæ non licet reum carceri inclusum iuuare, vel consilium vel instrumenta præbere ad fugam. Infideliter enim agit, si non potiùs Iudicem iuuet ad reum in carcere retinendum, cùm ad eiusmodi opem Iudici ex officio & quodammodò ex contractu obligatus sit.

*Quomodo alij priuati reum iuuare non possint.*

DICO SECVNDO. Etiam alijs priuatis non incarceratis, non licet iuuare reum aliqua cooperatione, puta, simul perfodiendo murum, aut funibus extrahendo vt è custodia elabatur; secùs facientes peccant mortaliter, & tenentur restituere damna, quæ inde Iudex aut pars patitur : ad mulctam tamen, aut eius speratæ æstimationem fisco probabile est non teneri, vt suprà in simili diximus. Ratio est, quamuis enim liceat reo ex indulgentia Iuris naturalis carcerem effringere, Ius tamen idem non permittit illud alteri pro ipso captiuo. Diximus enim suprà, istud oriri ex quodam iure eminenti, quo suis vti potest quisq; membris ad seipsum in vita seruandum, aut è graui ærumna eripiendum, quale Ius in adiutore non reperitur : æquum enim est, vt plus liceat pro seipso in talibus, quàm pro alio, & vt Reipublicæ ratio habeatur, quando iam ad alium iuuandum affectus sese in exteriorem effectum exerit.

*Quomodo possint.*

DICO TERTIO. Est tamen probabile, licere priuato non tantùm consulere reo cui licitum est fugere vt fugiat, & carcerem tali modo frangat aut aperiat, sed etiam in eum vsum instrumenta suppeditare. Ita tenet Caietanus, dicto art. 4. quem sequitur Salonius. Tolerat hanc sententiam Nauarrus citatus apud Salonium : fauet Armilla verbo Carcer, nu. 3. Emanuel Sà verbo Reus, cuius tamen generalis locutio, quòd liceat talem ad fugam iuuare, non placet. Sotus autem quamuis permittat consulere & hortari ad fugam, non tamen instrumenta suppeditare, quæ sententia etiam est probabilis, & sequitur Valentia, Graffius lib. 3. cap. 7. Toletus lib. 5. cap. 6.



Sanè vtcumque ambiguum istud est; nam pro Caietano ita licebit argumentari: Suppeditare instrumẽtum quo legitimè quis vtatur, non videtur esse illicitum, præsertim cùm in proximi necessitate etiam charitas id suadeat. Secundò, Si est illicitum suppeditare instrumentum exterius, quid ni etiam consilium, cùm consulens quodammodò internum quoddam instrumentum, imò & principium principalius suppeditet, viamque & modum vtendi instrumento, qui plus subinde ad euasionem conferat, quàm ipsum instrumentum. Econtrariò pro Soto facit, quòd suppeditans instrumentum plus videatur operari effractioni, quàm Ius Reipublicæ permittat : non enim solùm supplet ignorantiam practicam in reo, vt facit consulens, sed manus eius armat, & contra Potestatem publicam potentiam supplet. Deinde non posses captiuo mittere famulum tuum, qui tamquam instrumentum animatum, ipsum iuuet in carceris fractione ; ergo neque securim mittere poteris, præsertim si illa plus valitura sit quàm famulus.

Nihilominùs sustineri tamquam probabilior poterit sententia Caietani. Dici enim potest, plusculum quidem esse suppeditare instrumentum quàm consilium, minus tamen quàm mittere famulum qui iuuet, & physicè etiam principalis caussa sit. Adde, nullum carcerem tutum fore, si ministros pro amicorum potentia plures in sui subsidium reus hic sperare possit.

Duo tamen hic obseruanda : Vnum, Iudici licere priuatos qui consilio aut instrumentis suppeditatis iuuerint effractorem, punire per modum coërtionis cuiusdam publicæ, vt custodiæ reorum sint tutiores. Alterum est, Posse Magistratum edicto cauere, ne quis huic reo audeat consilium, auxilium, aut instrumentum quo effringat suppeditare, eoque edicto in conscientia ciues obligandos : quamuis enim non possit efficaciter Lege prohiberi ipse reus ne fugam moliatur, propter naturale Ius quod suprà diximus; alius tamen prohiberi potest, ne instrumenta ei suppediter, sicuti reus non potest prohiberi, ne oblato cibo vtatur, etiam damnatus ad inediam; potest tamen alius prohiberi ne offerat, quamuis ante prohibitionem, priuato id licitum esse, etiamsi non teneatur, communiter dicant DD. quos sequitur Toletus suprà.

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm Aduocati pauperibus debeant gratis patrocinari?*

*D. Thomas quæst. 61. art. 1.*

*Aduocatus tenetur pauperi gratis patrocinari.*

RESPONDEO cum D. Thoma, Teneri aduocatum patrocinari gratis pauperibus suæ ciuitatis, quando præsentis sui patrocinij laborauerint necessitate extrema vel graui, cui aliter succurrendum probabiliter non existimet. Vbi ex Caietano obserua, non sufficere quòd possit aliter succurri; sed vt excusetur aduocatus, opus esse, quòd existimet aliter succursum iri, etiamsi de facto nondum succurratur, & pauper adhuc hæreat in necessitate. Neque excusat hîc aduocatum, quòd sint diuites, quos potiùs existimet teneri in patrocinium sumptum suppeditare : vt enim præ alijs tenearis ad eleemosynam, sufficit te in illo genere esse diuitem, in quo pauper extremè modò indiget, nam & de operis præstandam esse eleemosynam, eamque liberalitatem ferè splendidiorem & clariorem esse, docuit Ambrosius li. 2. De officijs cap. 15. Sanè etiam in hoc genere neglectum subinde habere culpam letalem, docuit idem Ambrosius lib. 1. eiusdem operis, cap. 30. *Grandis culpa, si te sciente fidelis egeat, si in causſam ceciderit aut captiuitatis suorum aut calumniæ, & non adiuues*, &c.

Secùs dicendum, si leuis aut communis tantùm sit necessitas : non enim erit mortale, tunc negare patrocinium. Reputanda tamen extrema necessitas non solùm quando pauper in iudicio de capite periclitatur, sed etiam quando litis æstimatio, & ea quæ exigit vel defendit in iudicio, necessaria ei sunt ad vitam tolerandam. Huius necessitatis fauore permittitur Clerico pro paupere postulare, cap. 1. De postulando. Qui tamen Clericus, si Subdiaconus sit, aut Ecclesiasticis stipendiis sustentetur, aduocatus esse prohibetur in sæcularibus coram sæcularibus, nisi in causſa propria, vel coniunctorum, vel Ecclesiæ.

Item limitanda responsio, Quando incommodum quod subiret aduocatus, tantum esset, vt ratione eius meritò sit excusandus, verbi gratia, etiamsi pauper periclitetur de vita, si certum vitæ periculum deberet subire aduocatus, non tenetur cum tanto discrimine patrocinari : secùs si solùm subiturus sit detrimentum aliquod in sibi superfluis. Vbi applicanda quæ in similibus diximus quando De eleemosyna.

Denique moderanda est responsio, Quando Iudex tenetur pauperi dare aduocatum sumptu publico, vt si propter potentiam aduersarij nemo ei patrocinari audeat, aut omnes ab aduersario auro corrupti sint, L. Nec quidquam, §. Aduocatos, ff. De officio Proconsulis ; L. Illicitas, §. Ne potentiores, ff. De officio Præsidis; Siluester verbo Aduocatus num. 16. Vnde patet, posse dari casum, quo aduocatus à Iudice cogi possit, ad patrocinium pauperis; item non semper teneri gratis patrocinari pauperi, quando patrocinari tenetur. Dari tamen casum, vbi eriam à Iudice cogatur sub pœna suspensionis ab officio per annum aduocatus pauperi gratis patrocinari, docuit Couarruuias Practicarum quæstionum ca. 6. num. 4. Siluester verò docet, posse aliquando priuari in perpetuum, nisi saltem saluo stipendio patrocinetur. Extat de pauperum aduocatis & procuratoribus singulis semestribus eligendis constitutio Sixti V. in Bulla quæ incipit, Romanus Pontifex.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm Aduocatus poſsit dubiam cauſſam tuendam ſuſcipere.*

*D.Thomas quæſt.71. art.3.*

*In cauſſa dubia poteſt vtriuis parti patrocinari.*

IN hoc articulo ſatis inter DD. conuenit, Primò, Quòd liceat aduocato vtriuis parti patrocinari, quando vtrimque æquè dubia videtur cauſſa. Secundò, Quòd liceat patrocinari reo, alijs non perniciosò, etiamſi cauſſa eius minùs ſit probabilis, modò tamen verè ſit probabilis. Tertiò, In cauſſis ciuilibus, quando non vertitur magnum damnum rei in corpore, honore, aut fama, licere aduocato etiam pro actore poſtulare, fouente cauſſam probabilem, licet exiſtimet rei eſſe probabiliorem. Conſulendi Sotus, Salonius, Banneſius, Arragonius, Valentia: qui poſtremus in hoc diſſentit, quòd indiſtinctè aſſerendo, licere ſuſcipere cauſſam actoris, probabilem videatur exiſtimare, quando agitur de vita accuſati probabiliorem cauſſam habentis, licere nihilominùs poſtulare pro accuſatore probabilem cauſſam habente, quod Sotus & Arragon dicunt ingens eſſe peccatum, Banneſius autem contra charitatem, quamuis non contra iuſtitiam.

Illud in primis rectè quidam hîc monuerunt, quando cauſſa ita parum haberet probabilitatis, vt vix moraliter ſpes vlla ſit eam obtinendi, eò quòd non ſoleant vmquam Iudices ſecundùm eius probabilitatem pronuntiare, peccare aduocatum eiuſmodi cauſſam ſuſcipiendo, tum quia probabili periculo ſe exponit defendendi cauſſam iniquam; tum etiam quia cenſetur damnum inferre clienti, cui cauſſa eſt inutilium ſumptuum, quos liti inſumit. Cum qua moderatione admittenda eſt communis ſententia. Et ſanè reo in dubio æquali nemo facilè patrocinium negauerit, cùm etiam Iudex tunc ei fauturus ſit: actori tamen etiam tunc poterit adeſſe aduocatus, quia is non tenetur dubium Ius in hoc æquilibrio alteri cedere, & poteſt aduocatus operam iungere cum eo, qui operam dederit rei licitæ. Reo patrocinium poſſe præſtari, cuius cauſſa minùs ſit probabilis, modò non omnino exigua ſit eius probabilitas, & de hoc ipſo moneatur, quòd aduerſarius plus habeat probabilitatis, facilè fauor rei obtinet. Imò illud ad actorem probabiliter extenditur, vt etiam ipſi aduocatus in ſimili minùs probabili cauſſa adeſſe poſſit, etiamſi vertatur magnum rei præiudicium.

*In cauſſa ſanguinis non licet poſtulare cõtra reum probabiliorẽ cauſſam habentem.*

Probabilius tamen exiſtimo, non licere poſtulare pro actore in cauſſa ſanguinis contra reum certò & euidenter probabiliorem cauſſam habentem, etiamſi cauſſa actoris ſit probabilis: ſi enim eiuſmodi reus eſſet in extrema neceſſitate, teneretur quicumque poſſet ei ſuccurrere, ferendo teſtimoniũ vt ſuprà diximus; multo ergo magis tenetur aduocatus non adniti, vt conijciat eum in eiuſmodi neceſſitatem. Deinde accuſator hoc caſu malè facit impetendo reum, ergo etiam ſaltem contra charitatem peccant, qui conſentiunt facienti, aut patrocinantur iniuriæ vel inordinato zelo.

Ex dictis ſequitur, teneri aduocatum deſerere cauſſam monito cliente, quando quod initio non videbat, aliquid videt contra aut circa eam, quo ſtante non potuiſſet ipſam ſuſcipere, verbi gratia, quòd actio pro qua poſtulat, tendat in perniciem capitalem rei, pro quo nunc videt maiorem ſtare probabilitatem. Imò quamuis rectè dixerit D. Thomas, & regulariter verum ſit, quòd non teneatur, imò neque poſſit, cauſſam deſerens aduocatus, ſecreta ſui clientis prodere; quando tamen periclitatur aduerſa pars iniuſtè de vita, tenetur etiam ſecretum iſtud tamquam teſtis aperire, ſi ex reuelatione eiuſmodi videat reum liberandum, qui alioqui iniuſtè erat opprimendus; quod ſatis conforme eſt illis quæ de teſtibus in ſimili diximus, & tradit Sotus, & in graui caſu admittit Toletus. Conformia etiam habet L. Rem non nouam, §. Patroni, C. De Iudicijs: *Iuramentum præſtent, quòd omni quidem virtute ſua omniq́ue ope, quod verum & iuſtum exiſtimauerint, clientibus ſuis inferre procurent, nihil ſtudij relinquentes, quod ſibi poſſibile eſt: non autem credita ſibi cauſſa cognita, quòd improba ſit, vel penitus deſperata, & ex mendacibus allegationibus compoſita, ipſi ſcientes prudenteſq́ue mala conſcientia liti patrocinentur. ſed & ſi certamine procedente aliquid tale ſibi cognitum fuerit, à cauſſa recedent, ab huiuſmodi communione ſeſe penitus ſeparantes. Hocque ſubſecuto nulla licentia concedatur, ſpreto litigatori ad alterius aduocati patrocinium conuolare, ne melioribus contemptis improba aduocatio ſubrogetur.*

Contra iam dicta duo ſunt argumenta. Vnum ex Regula Iuris, in 6. quæ ita habet: *Cùm ſunt Iura partium obſcura, reo fauendum eſt potiùs quàm actori.* Alterum ex ijs quæ de bello diximus: ibi enim dicebamus, quando dubia eſt belli iuſtitia, non licere extraneo militare. Ex his enim videtur ſequi, non licere aduocato iuuare actorẽ in cauſſa dubia. *Obiect. 1.*

Sed reſpondeo, Regulam illam Iuris Iudici præſcribere, non aduocato aut teſti: eſt enim deſumpta ex ſimili Regula ff. De diuerſis Regulis Iuris, quæ habet, *Fauorabiliores reos haberi quàm actores*, nimirum apud Iudicem, qui medius inter vtrumque eſt. Putatur autem Regula illa originem habere ex Problematibus Ariſtotelis, ſectione 29. numero 12. & 13. vbi pulchras adfert rationes, quare Iudex ſoleat reo dare locum dextrum, & pro eo pronuntiare in ſuffragiorum pari numero, inter alia aliud ponderans, quòd reus minùs meditatam & apparatam ſuam cauſſam habere poſſit. Regula ergo iſta non impedit aduocatum, quò minùs accuſatorem probabiliter experiri volentem iuuare poſſit; ſed Iudicem vult compertis iam per geſta hinc inde meritis cauſſæ, reo in pari dubio fauere. Sanè neque Iudex ante deciſionem ita fauet reo, vt non audiat plenè partem alteram; imò & aduocatum actori dabit, ſi inuenire non potuerit, L. 1. ff. De poſtulando, §. Ait Prætor; generatim enim dicit Prætor: *Si non habebunt aduocatum, ego dabo.* Supposito ergo quòd actor nitatur probabili cauſſa, poterit per aduocatum probabilitas eius proponi, eſto pro reo appareat maior: ſæpè enim falſa ſunt probabiliora veris, vt monuit Philoſophus, & eſt è re publica, vt iudicia æqua lance librentur, vbi demum ſi non præpõderet actor, abſoluatur reus. *Reſp. ad 1.*

Quod verò de bello adiungitur, potiùs executioni ſententiæ, quàm iudiciali poſtulationi aut patrocinio æquiparandum eſt, vt conſtat ex dictis De bello; vt mirum non ſit, potiùs aduocatum poſſe in dubio ſtare pro parte minùs probabili, quàm militem non ſubditum in militiam minùs probabilem nomen dare. *Ad 2.*



## DVBIVM X.

### *Quando clienti aut parti teneatur Aduocatus?*

CLIENTI tenetur in conſcientia de damno quod dedit dolo vel lata culpa, aut ſi indebita ſtipendia extorſerit. Ad dolum autem pertinebit quod ex imperitia accidit, ſi peritum ſe iactabat, & cliens credebat. Aduerſario autem reſtituet quidquid damni intulerit cauillando, ſuperflua dilatione, falſa allegatione, ſubornando reum aut teſtes ad falſitatem aut veritatis negationem, inducendo ad compoſitionem, poſtquam vidit à ſua parte eſſe iniuſtitiam. Adde ex Caietano in Summa caſum, quo cauſſam iniquam principalem fouens, vexat partem proſequendo aliquem articulum minùs principalem iuſtum. Si vicit cauſſam quam nouit iniuſtam, tenetur victo de damno, deficiente cliente: imò & eo non deficiente, ſi cauſſa ipſi fuerit vt iniuſtum litem proſequeretur. Vtrique tenetur, ſi cauſſam iniuſtam ſciens ſuſtinuerit ignorante cliente; clienti enim aliàs non litigaturo, & ſimul aduerſario tenebitur. Conſulendus Silueſter verbo Aduocatus, numero 24. Fiſco non facilè tenebitur, etiamſi iniuſtè fuerit cauſſa quò minùs ad eum venerit mulcta, niſi fuerit aduocatus ipſius fiſci. Imò probabile eſt, neque hunc teneri, etiamſi negligentia ſua reus euaſerit.

*Quomodo aduocati iniuſtæ cauſſæ peccent.*

Contingit etiam grauiter peccare aduocatos per iniuſtitiam obligantem ad reſtitutionem damnorum, licet iuſtam cauſſam foueant, nimiùm protrahendo lites, ſuperfluè Iura allegando, incidentia multa mouendo, terminos extendendo, quæ litium prorogatio omnino corrigenda eſt. Exiſtimat quidam, Iurium allegationem omnino eis eſſe interdicendam, & dicendum vt ſit in Gallijs, *Vtenite ad factum, Curia ſatis intelligit Iura.* Neque enim debere Medicum ab ægro diſcere medicinam, ſed morbum. Moderatiùs monebuntur, vt ex multis Leges allegent ſolidiùs probantes & inſpectas, & ex concordibus vnam aut alteram tantùm.

# TRACTATVS SEPTIMVS

## De iniurijs in Honore & Fama.

### CAPVT PRIMVM.

### Quando fiat iniuria in Honore & Fama.

### DVBIVM PRIMVM.

### *Quid Honor & Fama?*

*Honor.*

HONOR ſecundùm D. Thomam, quæſt. 63. art. 3. eſt teſtimonium quoddam de virtute eius qui honoratur, aut reuerentia quædam alicui exhibita in teſtimonium virtutis. Aduerte tamen, ſicut lumen per ſe quidem viſibile eſt, alia autem ratione ipſius; ita ratione virtutis, quædam alia honorem participare: diuites enim honoramus, quòd inſtrumenta virtutis habeant; Principem & Prælatos, quòd perſonam Dei gerant & communitatis, adeoque virtutis præcipui cuſtodes ſint, & forma gregis ad omnem honeſtatem.

*Fama ſecundùm Iureconſultos.*

*Fama.*

Fama eſt commune ſermonis humani teſtimonium de alicuius virtute aut bono. Differt enim ab honore, quòd honor poſſit eſſe paucorum, non fama. Item quòd honor bonum tantùm virtutis reſpiciat, fama etiam bonum corporis, Geneſ. 6. *Iſti ſunt potentes à ſæculo, viri famoſi.* Aut potentiam, vt Eſther 9. Denique quòd famæ teſtimonium ferè conſideretur in voce; honor etiam in actibus alijs externis; imò Deo honor vel ſola mente poteſt exhiberi. Iureconſulti famam paulò aliter definiunt ex L. Cognitionum, ff. De extraordinarijs cognitionibus, Vt fama ſit dignitatis illæſæ ſtatus, Legibus ac moribus comprobatus. Qui ſtatus exiſtimationis ſecundùm Leges minuebatur per minorem quàm dicunt capitis diminutionem, conſumebatur per maiorem. Verùm iſto modo fama hîc non ſumitur: poteſt enim irrogari infamia per detractionem, vbi adhuc legalis illa fama ſit ſalua, vt oſtendit Nauarrus in cap. Inter verba 11. quæſt. 3 concluſ. 6. corol. 18. Itaque ſtrictior iſta quàm vt propoſito conueniat, erit famæ deſcriptio. Latiorem quàm fortè hîc conueniat addit Nauarrus, Vt fama ſit opinio, habita de quopiam ad aliquid ei vtilis, cui communis contraria non reclamat. Quo modo ad bonam famam mulieris pertinebit, quòd aliquando lapſa ſit, quatenus intendit ingredi Monaſterium Conuerſarum, ad quod ſolæ lapſæ admittuntur. Quamuis autem fortè incommodior videri queat tam lata extenſio famæ, quæ Nauarro placuit; illud tamen verum eſt, ſatis ad propoſitum ſtrictum fore etiam illam quam tradidimus definitionem: ferè enim in hoc tractatu famam pro genere ſuo vſur-

vsurpant DD. vt sit existimatio quædam de alicuius virtute aut alio bono.

*Gloria.* Gloria, quæ clara est cum laude notitia, partus quidam honoris aut famæ est, in ipso honorato, cùm honor in honorante sit.

## DVBIVM II.

### *Quid Detractio, Contumelia, & Susurratio?*

*D. Thomas quæst. 72. 73. & 74. art. 1.*

*Detractio.* DETRACTIO est denigratio alienæ famæ, per occulta verba. Differt à contumelia, sicut furtum à rapina: contumeliosus enim manifestè contra proximum loquitur, detractor secretò, secundùm illud Psalmi, *Detrahentem secretò proximo*, &c. & Sapien. 1. *Sermo obscurus in vacuum non ibit*. Vbi detractorum sermo obscurus dicitur, quia latet & clanculò fertur: vnde & ipsi sibi conscij operis tenebricosi & luce indigni, solent amphibologijs sua inuoluere. Hinc alia oritur differentia, quòd contumelia honorem propriè proximi lædat, detractio famam.

*Susurratio.* Susurratio autem in materia & forma conuenit cum detractione, sed differt fine: est enim susurratio detractio quædam non tam ad famæ denigrationem, quàm ad amicitiæ diminutionem aut dissolutionem spectans: quod malum latè describitur Ecclesiastici 28. & inter alia dicitur turbare multos pacem habentes, & linguam tertiam sibi credenti non relinquere requiem neque amicum in quo requiescat.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm Detractio sit peccatum mortale, minus tamen Contumeliâ?*

DICO PRIMO. Detractio est peccatum mortale. Ita D. Thomas, quæst. 37. art. 2. Est Fidei. Psal. 100. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar*. Psal. 51. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa, propterea Deus destruet te in finem*. Rom. 1. inter eos qui digni sunt morte, recensentur detractores. Eccle. 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit*. vbi Chaldæus Paraphrastes detractori gehennam minatur, & triplici lingua nocere dicit, quia nimirum seipsum, eum cui detrahit, & audientem quasi trisulcæ linguæ gladio ferit, vt benè Bernardus Sermone De triplici custodia, quippe quæ letaliter, inquit, tres inficiat flatu vno, &c. Eccle. 28. *Susurro & bilinguis maledictus*. Bilinguis enim rectè intelligitur obtrectator, qui aliud in os coràm, & aliud à tergo loquitur.

DICO SECVNDO. Detractio est ex genere suo peior furto, leuior tamen homicidio aut adulterio. D. Thomas q. 73. art. 3. Vita enim quam adimit homicida, & ordo debitus generationis humanæ, quem tollit adulter, maioris momenti sunt quàm honor & fama, quâ priuat detractio, cùm tamen fama sit potior diuitijs, quibus priuat fur.

DICO TERTIO. Detractione grauior est contumelia. D. Thomas ibid. ad 2. Probatur, Quia in contumelia maior est proximi contemptus, quomodo grauior est rapina furto.

DICO QVARTO. Sunt tamen tres modi quibus detractio ex genere suo mortalis, fiat reipsa venialis, videlicet defectu materiæ, defectu finis, & defectu aduertentiæ. Defectu materiæ, quæ sunt malum quod impingitur, aut bonum quod aufertur, & persona quæ diffamatur, & personæ coram quibus fit detractio. Ex parte primi fit venialis, quando malum aut bonum exiguum est. Ex parte secundi, quando tale vitium diffamatus iactare potiùs quàm erubescere solet, verbi gratia, si miles diffametur de suscepto vel intētato duello. Ex parte tertij difficiliùs hìc reperietur veniale; fortè tamen erit mortale, apud virum grauem detrahere, quod non esset mortale apud alium minùs grauem; & fortè apud mukos, quod non esset apud vnum. Verùm de hac re nonnulla Dubio sequenti. Ex Secundo capite fit veniale, quando ioci caussa aliquid profertur, quod idoneum sit diminuendæ famæ proximi, nisi reipsa notabilem videas sequi læsionem, quod facilùs in illis fieri solet, quę pertinent ad honestatem vitæ, vt monuit D. Thomas. Ex Tertio capite, indeliberata detractio poterit aliquando excusari à mortali, etiamsi magni fuerit nocumenti: quod mirum non est, cùm in omni genere peccati, vt alibi diximus, indeliberatio excuset, & motus secundò primi non possint esse mortales.

## DVBIVM IV.

### *Sitne mortale, vni prudenti reuelare alterius peccatum?*

*Prima sententia.* DE hac re est controuersia inter DD. Vna enim opinio habet, Illud licere citra mortale. Ita Caietanus hìc art. 2. Nauarrus cap. 18. numero 33. & in cap. Inter verba, conclus. 6. numero 109. Petrus Nauarra lib. 2. cap 4. numero 334. Emanuel Sà verbo Infamare, Graffius lib. 2. cap. 137.

*Secunda opinio.* Altera huic opposita, dicit esse mortale. Ita Sotus lib. 5. quæst. 10. art. 2. Bannes dicto art. 2. Molina De iustitia, tract. 4. disp. 29. Valentia disp. 5. quæst. 17. puncto 2. Salonius eod. art. dicit esse communem recentiorum Thomistarum. Hæc posterior sententia omnino videtur tenenda, saltem vt regulariter vera: quamuis enim fieri possit, vt vni tantùm hoc aut illud crimen reuelare solùm sit veniale, quod pluribus detegere esset mortale, non tamen verum est, eoipso solùm esse veniale, quòd tantùm vni aut alteri prudenti refertur, vt viderur voluisse Caietanus. Imò nisi ex qualitate criminis, aut eius cui detrahitur, qui fortè parui facit viro prudenti hoc referri, aut ex necessitate aliqua vel vtilitate, aut alio fine vel inaduertentia detractor subleuetur, existimo verum esse quòd Sotus, & qui eum sequuntur, dicunt, detractionem manere mortalem, etiamsi fortè nonnihil minuatur ex hoc culpa, quòd secretum seruaturus putetur is cui reuelas. Supponimus autem in hac dubitatione verum esse crimen, reuelari sine formali animo nocendi, reuelationem non obfuturam occulto peccatori in alio genere, & detractorem verè curare vt ne prodat vlteriùs is cui reuelat; aliàs enim satis inter DD. conuenit non excusari à mortali.

Pro sententia Soti potissimum fundamentum est, quòd bona opinio quam vnus aliquis prudens de occulto peccatore habet, & qua per se privat ista detractio, satis magnum bonum sit vt per iniustitiam illud auferre sit mortale, ita vt quod propter paruitatem materiæ, per se loquendo, hìc non



non cadat excusatio à mortali: est enim verè destructio famæ proximi, in parte, vt dicit S. Thomas hìc art. 1. ad 2. Et quamuis detractor reputet læsionem hanc non esse notabilem, eò quòd effectus illos supponat non secuturos, propter quos solet eiusmodi læsio notabilis censeri; læsus tamen verè subit periculum illorum effectuum, & eos habet læsio per se coniunctos, vt meritò absolutè queri possit, se graviter læsum, præcipuè cùm ipsum periculum eiusmodi incommodorum vel per se solum pro notabili incommodo hìc sufficiat.

Deinde, si temerè de proximo iudices, iniuria est mortalis, non obstante quòd versetur in materia simili, in qua hæc detractio; materiæ ergo paruitas hìc à mortali non excusat. Confirmatur ex affinitate istorum peccatorum, quæ patet Iacobi 4. *Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit Legi, & iudicat Legem.*

Tertiò, Etiamsi infamia hìc fortè leuis sit, malum tamen quod proximo infertur, aut bonum quod detrahitur, non est leue: imò sæpè grauius est, apud vnum prudentem malè audire, quàm apud multos minùs prudentes: sufficit autem ad mortalem detractionem ex doctrina D. Thomæ art. 2. in corpore, quòd grauiter proximus eâ lædatur.

Quartò, Sicuti materia quæ sufficit ad mortalem rapinam, etiam sufficit ad mortale furtum; ita inhonoratio quæ sufficit ad mortalem contumeliam, etiam sufficit ad mortalem detractionem: atqui si istud peccatum per contumeliam soli fratri quis exprobraret, peccaret mortaliter; ergo etiam quando apud vnum ei detraheret.

Quintò, Prudens cui reuelas & à te prudenter audit, poterit etiam alios similes prudentes inuenire, atque ita apud plures prudentes periculum infamiæ subibit frater.

Sextò, Sapiens non permittit vt prudentem quæras apud quem deponas verbum quod contra fratrem audisti, sed vult vt illud commoriatur in te, & fidas quòd te non disturnpet, Ecclesiastici 19.

Septimò, Ex contraria opinione sequitur aliquid opposirum communi doctrinæ Sanctorum, nimirum, auditorem detractionis, quando solus detractorem secretò audit, non debere detestari detractionem tamquam letale peccatum, sed propter prudentiam suam qua celaturus est, posse tolerare tamquam veniale, de quo infrà plura.

*Obiect. 1.* Obijcies pro Caietano, Primò, Quia alioqui vir & vxor mortaliter peccarent, qui sibi mutuò solent reuelare peccata filiorum & famulorum. Item mortaliter peccabit qui complicis personam in Confessione nominauerit sine necessitate. Item qui de secreto sibi commisso prudentem amicum consuluerit, vt sciat quomodo se debeat in eo gerere.

*2.* Secundò, Sicuti non est fama vno dicente, ita non erit infamia nisi pluribus dicatur.

*3.* Tertiò, Detractio tum demum mortalis est, quando proximo nocet; nam etiam mendacium tum demum mortale est, quando pernicioſum; ergo innoxia ista detractio non erit nisi venialis culpæ.

*Resp. ad 1.* Sed Respondeo ad Primum, Ordinariè coniuges hìc excusari. Eadem erit ratio filiorum patri deferentium peccata fratrum, consernorum mutua peccata referentium patrifamilias; imò & extraneorum patrifamilias filiorum, vel famulorum peccata denuntiantium. Ratio est, Quia hi omnes subiecti sunt curę patrisfamilias, & quia in ipsorum vtilitatem cedat eiusmodi delatio, vt sic à malo cohibeantur; item quia in exemplum hoc cedat reliquæ familiæ; denique quòd hæc domestica delicta sine strepitu maiori à patribusfamilias iure œconomico corrigantur, & ratione læsæ familiæ in ea peculiare Ius habeant, & familiam intrantes ea lege recipi censeantur, vt benè Molina suprà.

De complice sine necessitate in Confessione prodito, cùm aliàs peccatum perfectè explicari potuerit, omnino dicendum est, eiusmodi proditionem graue esse peccatum, & pœnitentem de vulnere conscientiæ remedium quærere, ideoque à Confessario de hoc increpandum, vt communis habet sententia quam hìc supponimus, nisi per inaduertentiam longiùs progressus sit, vt in celebri illa historia Nectarij accidit mulieri publicè confitenti. De reuelando secreto consilij caussa similiter dicendum est, iustam necessitatem posse illud excusare. Socrat. l. 5. hist. cap. 19.

*Ad 2.* Ad Secundum patet ex dictis suprà: quamuis enim non sit infamia perfecta, est tamen grauis læsio; quæ dum subest, eo ipso detractio ex genere suo habet rationem peccati mortalis, vt disertè hìc tradit D. Thomas art. 2. Addit Salonius, negari posse quòd hìc non sit infamia: quamuis enim in rigore Iuris non sit, est tamen moraliter loquendo, eoipso quo famæ est denigratio.

*Ad 3.* Ad Tertium, Patet ex dictis, intrinsecum nocumentum hìc sufficere ad mortale.

## DVBIVM V.

### *Vtrùm liceat reuelare proximi peccatum, vt euitetur malum, vel procuretur bonum peccantis, vel reuelantis, vel eius cui reuelatur, vel alterius?*

*Licet si reuelatio necessaria sit* RESPONDEO affirmatiuè, modò reuelatio necessaria sit, & remedium non plus habeat incommodi quàm ipsum malum cui mederi velis. De cauendo malo peccatoris per occulti sui criminis propalationem apud vnum aliquem idoneum monitorem, satis diximus quando De correptione fraterna. De vitando malo reuelantis, vel aliorum, patet exemplo Christi Domini, qui occultam Pharisæorum hypocrisim ideò reuelauit discipulis, vt ab illo fermento sibi cauerent, Lucæ 12. & Apostolus 2. Timoth. cap. 4. *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, quem & tu deuita.* Consulendus Basilius in Breuioribus, quæst. 25. Probatur etiam Ratione, Possum enim ad meam & aliorum innocentum indemnitatem, & moderatam tutelam repellere inuasorem cum damno suo in vita aut membris, multo magis cum damno in fama; inuasor enim potest mulctari etiam in bonis superioris ordinis: quo fit, vt pro auertendo damno pecuniario satis magno, liceret eius crimen occultum propalare, quamuis melius sit nomen bonum quàm diuitiæ multæ.

At quæres, Vtrùm sufficiat, reuelationem vtilem esse ad vitanda damna, an verò debeat esse necessaria?

Respondeo; Si tantùm vtilis sit, & non necessaria,

norari possit, non dubium quin & obtrectationi obnoxia sit: neque enim sufficit quòd ex infamia temporale damnum ipsi non sentiant, verè enim patiuntur damnum infamiæ intrinsecum; imò si in gratia dixerint, gaudium eorum accidentaliter cresceret ex bono famæ odore. Adde quòd etiam consanguinei & coniuncti defunctorum, ex eiusmodi detractione subinde temporalia detrimenta subeant, quæ ne inferas vti cauendum, ita indubiè vt illata repares, curandum est. Confirmatur hæc responsio ex communi doctrina Theologorum in 4.dist 21. De seruando secreto Sacramentalis confessionis, etiam post mortem pœnitentis. Consulendus Nauarrus in cap. Inter verba, suprà, corollar. 19. Nauarra suprà numero 351. Idem senserunt Philosophi, qui cum laruis pugnare dicebant mortuorum obtrectatores. Sanè sicut in Problematibus sect. 29. quæst. 9. Aristoteles testatur, iustius apud antiquos habitum est mortuis benefacere, quàm viuis: & mortuis nocere, & eorum quietem turbare, ac monumentum priuata præsumptione quodammodò demoliri per detractionem, quando se defendere non possunt, probrosum omnino & detestandum est. Addo, detractorem mortui quodammodò occidere mortuum in eo in quo adhuc viuit; viuit enim in bona sua apud homines fama, quam ei detractor tollit: hoc enim genus homicidij in detractore agnouit D. Petrus apud Clementem, quem sequuntur Carthusianus & Lorinus in 3. cap. 1. Ioannis, ad illud, *Qui odit fratrem suum, homicida est*. eódem spectabit præclara illa laus Booz Ruth 2 *Eamdem gratiam quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis*. Fateor tamen cum Molina tract. 4. disp. 28. esse minus peccatum, ceteris paribus, infamare mortuum quàm viuum: ad vitam enim ducendam magna est famæ vtilitas aut etiam necessitas: neque solent æquè homines attendere ad mortuorum peccata, aut æquè facilè ea disseminare ac viuorum. Esse tamen potest infamatio mortuorum mortalis, etiamsi in viuos eis propinquos infamia non redundet, & ad restitutionem obligare, nisi constet esse damnatos, qui non sunt amplius proximi nostri.

*Infamare mortuos, peccatum mortale esse potest.*

Hinc patet, non omnino excusandos esse Historicos, qui valdè infamia mortuorum crimina, sed omnino occulta, scriptis euulgant, quamuis propter integritatem historiæ, communem vtilitatem, publicam eruditionem, & terrorem, plusculum Historicis indulgeant quidam DD. in prodendis criminibus non omnino occultis defunctorum. Ita Soto lib. 5. quæst. 10. art. 2. & De secreto, memb. 1. quæst. 2. Adrianus Quodlibeto 11. quæst. 1. Molina suprà.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm vt sit detractio, oporteat illam versari circa peccatum mortale?*

Hic applicanda sunt quæ diximus quando De iudicio temerario, vbi ferè simile dubium mouebamus, de quo obiecto debeat esse iudicium temerarium, vt sit mortale. Ex illis autem quæ ibi diximus, constat, posse interdum esse mortalem detractionem, quando quod refertur, solùm est veniale; & non esse mortalem, etiamsi quod narratur de proximo, sit mortale. Hîc enim obseruandum, generatim illud ad detractionem pertinere, quod pertinet ad famæ denigrationem, hoc est destructionem aut diminutionem; illud autem ad mortalem detractionem pertinebit, quod per iniuriam notabiliter proximi famam læserit.

Vnde sequitur Primò secundùm Nauarrum suprà corollario 18. Posse esse detractorem, qui virtutem alicuius prædicat eo loco vbi hoc ei obfuturum est; verbi gratia, si dicas esse Catholicum Sacerdotem apud Anglos, vbi occidendus est. Fortè tamen illa non est propriè dicta detractio, quæ in Decalogo ad furtum aut falsum testimonium reduci solet, cùm eiusmodi peccatum potiùs ad homicidium reducendum videatur. Neque est propriè denigratio famæ, nisi secundùm opinionem peruetam, quæ dicit malum bonum, & bonum malum.

Sequitur Secundò, Per contraria posse fieri detractionem: quodammodò enim detrahis, siue dicas de mendico quòd diues sit, siue de mercatore volente creditò emere, quòd pauper sit.

Sequitur Tertiò, Detractionem posse versari circa nobilitatem, peritiam, icientiam, & reliquas virtutes intellectuales, pulchritudinem, fortitudinem, & reliqua bona corporis, quamuis præcipuè versetur circa honestatem morum, vt suprà diximus, & indicat D. Thomas art. 2.

Sequitur Quartò, Septem illis modis, quos tradit D. Thomas art. 1. ad 3. incurri detractionis peccatum circa bonum virtutis, imò plerosque ex illis posse accommodari etiam alijs bonorum generibus. Sunt autem isti, falsum vitium imponere, verum exaggerare, occultum prodere, quod bonum est in malum interpretari, & quasi malo animo fiat traducere, vbi simul peccarum temerarij iudicij concurrit; negare bonum alterius, minuere, & reticere. Ex quo patet quomodo etiam frigidè laudans vituperare censeatur & detrahere, de quo præter D. Thomam videre licet Gratianum 11. q. 3. c. Quisquis, & Gellium lib. 19. cap. 3. qui habet insignem huius rei ratione. Imò aliquando solent detractores industriam in minori munere extollere, vt à maiori laudatum impediant; aliquando detractori contradicere, vt tanto plura euomat irritatus. Denique etiamsi rectè D. Thomas dixerit, detractionem fieri, quando absentis fama læditur; non malè tamen obseruat Nauarrus corolla. 27. suprà, detractionem posse aliquando consistere in honore coram præsenti exhibito, si inde expectetur apud alios læsio famæ ipsius. Quamuis ea non sit instantia contra doctrinam D. Thomæ, vt Nauarrus putat, cùm etiam hîc denigratio occulta subsit in manifesta honoratione.

*Septem modi quibus incurritur peccatum detractionis.*

Sequitur Quintò, Non esse necessariam actualem intentionem lædendi famam, sed sufficere in detractione interpretatiuam: potest enim esse vera detractio mortalis, vbi actualis læsio non sequetur, modò ea fuerit formaliter intenta; & econtrà, potest esse detractio, vbi sequitur quidem famæ læsio, sed deest eius formalis intentio: secundùm ea enim quæ de culpabili euentu in 1. 2. diximus, non sufficit mala non intendere, nisi etiam ne præter intentionem ex eo quod intendis eueniant, sufficienter caueris. Denique potest esse mortalis detractio sine formali intentione detrahendi, & realiinfamia, quando nimirum interpretatiua intentio subest, sed effectus per accidens impeditur.

Scotus



Scotus in 4. dist. 15. quæst. 4. ad tres modos reducit detractionem, quos in eo ponit, quod est falsum crimen imponere, occultum reuelare, & negando ab altero impositum, indirectè illum imponentem de calumnia notare: vbi postremus non satis euidenter videtur in septem illis D. Thomæ contineri.

Quærat hîc quispiam, Sitne mortale, dicere de quopiam generatim peccatum, quod potest intelligi mortale vel veniale?

Respondet Nauarrus corollario 32. ex Antonino & Siluestro, Regulariter esse solùm veniale, eò quòd nimirum auditor debeat accipere de veniali tantùm, & intelligere eo sensu quo minùs lædit, iuxta cap. Estote, De Regulis Iuris, & ea quę diximus De dubijs in meliorem partem interpretandis. Hæc tamen intelligenda sunt citra intentionem grauiter lædendi formalem vel interpretatiuam. Quia autem difficile est, saltem interpretatiuam hîc non subesse, eò quòd ferè soleant homines ex eiusmodi dictis grauiora præsumere, adeoque grauioris infamiæ ferè semper subsit periculum; verius existimo, regulariter esse mortale, si generatim de aliquo dicas, quòd superbus sit, aut quid aliud quod æquè mortale ac veniale intelligi potest, præsertim cùm venialiter solùm superbus per absolutè superbum vix intelligi soleat, nisi apud interpretes valdè benignos.

## DVBIVM X.

### *Quale peccatum sit, seipsum infamare?*

1. sententia. Tres sunt hac de re sententiæ. Prima dicit, Esse mortale contra iustitiam & charitatem; quæ est Caietani, existimantis hominem non esse dominum suæ famæ, vt citauimus suprà De obiecto dominij, Dubio 5.

2. sententia. Secunda dicit, Non esse quidem contra iustitiam, esse tamen mortale ex genere suo contra charitatem, eò quòd ex genere suo fama tantam habeat coniunctionem cum fine spirituali, vt eius prodigalitas ex genere suo meritò censeatur mortalis, quamuis prodigere bona fortunæ, ex genere suo sit solùm veniale. Huius sententiæ videtur esse Valentia disp. 5. quæst. 17. puncto 2. quando docet, sine rationabili caussa seipsum infamare, esse ex genere suo peccatum mortale.

3. sententia. Tertia sententia dicit, Ex genere suo esse solùm veniale, etiamsi fiat sine rationabili caussa, sicut prodigere diuitias. Ita Graffius lib. 2. cap. 138. & est communior.

Dico primo. Prodigus famæ suæ non peccat contra iustitiam. Patet, Quia verè famæ suæ quisque est dominus, vt ostendimus, quando De dominio, & non est iustitia hominis ad seipsum.

*Quando sit mortale ipsum infamare.*

Dico secvndo. Non improbabile est esse mortale contra charitatem, omnino negligere & profundere propriam famam in illis quæ pertinent ad vitæ honestatem sine rationabili caussa. Quòd enim prodigalitas in bonis fortunæ veniale sit ex suo genere, prouenit non solùm inde quòd eiusmodi bona sint in dominio profundentis; sed etiam inde, quòd ea minoris momenti sint, neque tantùm habeant connexionem cum fine charitatis Dei, suiipsius, aut proximi. Si enim vt prodigalitas sit peccatum ex genere veniale, sufficiat rem quæ prodigitur, esse in dominio prodigi; etiam bonorum spiritualium, quantumuis necessariorum, quæ in hominis dominio suprà esse diximus, neglectus & profusio, ex genere venialis erit: cùm tamen quòd cælestis patrimonij dissipatio & decoctio ad perditionem pertineat, parabola Euangelica filij prodigi edoceamur: *Perierat* enim *& inuentus est*. Famæ autem bonum quamuis rectè pro virtutis lucro subinde contemnatur; tam præstans tamen finisque hominis spirituali natura sua coniunctum videtur, vt non paruæ culpæ sit, omnem eius curam abijcere. Vnde & Scriptura, quæ ad diuitiarum contemptum hortari solet, ad curam de bono nomine seriò monet, & aliquoties inculcat, melius esse nomen bonum diuitijs multis, & vnguentis pretiosis, Prouerb. 22. Eccl. 7. Eccli. 41. Idem videri potest insinuasse Augustinus lib. 1. De ciuitate Dei, cap. 20. vbi docet, eum qui contra se falsum testimonium dicit, non secùs peccare in Decalogum, quàm si diceret contra proximum; sicuti occidens seipsum, non minùs peccat quàm qui alium occidit: *Falsi*, inquit, *testimonij non minùs reus est qui de seipso falsum fatetur, quàm si aduersus proximum hoc faceret*. Ex hac enim Augustini doctrina à quibusdam colligitur, hominis mendacium contra seipsum esse ex genere suo mortale, quod ex Scholasticis admittit Salonius q. 3. De dominio, art. 3. Fatemur tamen, non æquè esse graue ac contra proximum, quod simul est contra iustitiam: Augustinus enim solùm voluit, non minùs peccare, id est non minùs admittere actum peccati; non voluit autem non esse minoris culpæ mendacium contra seipsum, quàm contra proximum. Et quidem hac posita opinione, ita licebit hîc argumentari: Falsum testimonium istud hominis contra seipsum non est mortale ratione iniustitiæ, vt patet ex dictis; neque ratione mendacij, quia vt docet D. Thomas quæst. 70. art. 4 testimonium falsum non habet rationem mortalis eo ipso quo falsum est: videtur ergo mortale, quia in re magni momenti est contra charitatem, & rationabilis commutatio non excusat. Verùm quousque hoc sit recipiendum, dicetur Dubio sequenti. Simile quid Gentiles & Philosophi ex lumine rationis naturalis videntur didicisse: seuerius enim dixit Cicero: *Negligere quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis esse, sed etiam omnino dissoluti.* Lib. 1. Officior. Plato etiam cauit, Ne quis parui faciat, probrisne alijs videatur, an improbus. Lib. 12. De Legibus.

Luc. 15.

*Quando solùm veniale.*

Dico tertio. Verius videtur, ex genere suo solùm esse veniale peccatum, reuelare proprium peccatum occultum, quando neque bonus finis illud honestat, neque accedit alius finis vel circumstantia dehonestans, quæ letale rèddat, neque ipsum peccatum in ordine ad honorem proprium omnino graue est & turpe. Eadem ratio de negligentiùs curante vt sibi restituatur fama, aut nimis facilè eius restitutionem remittente. Est communis DD. quoad doctrinam principalem, Sori De secreto, memb. 1. quæst. 3. conclus. 3. Nauarri suprà corolla. 44. Salonij dicta quæst. 3. De dominio. Ratio Sori est, quòd neque sit contra iustitiam, vt patet; neque contra charitatem, quæ ad temporalia conseruanda non obligat, nisi quatenus necessaria sunt ad finem spiritualem.

Dixi, *Quando neque bonus finis illud honestat*; quamuis enim peculiariter homini cura mandata sit de bono nomine & famæ custodia, vt suprà diximus; potest tamen ex iusta caussa interdum

eius damna negligere, præsertim cùm sit in eius dominio. Si enim potest quis sibi membrum præscindere ne corpus pereat, cùm tamen membrorum non sit dominus; quanto magis poterit pro vita corporali aut spirituali iacturam famæ, quæ in pleno ipsius dominio est, subire. Imò & ad diuinæ gratiæ misericordiam prædicandam, potest quis peccata publicè prodere, quorum iam veniam sit consecutus: confessio enim ipsa plus de virtute pœnitentiæ, & recuperato iam statu hominem commendat, quàm prodita & quasi in triumphum ducta peccata accusent. Sic Apostolus se persecutorem, & in nece Stephani supra modum cooperatum fuisse prodidit: Augustinus, Anselmus, & alij Sancti scripris vel confessi sunt, vel deplorarunt peccata sua. Huc pertinebit humilis negatio propriæ virtutis, occultatio, extenuatio; item propriorum delictorum exaggeratio. Ita deniq; pro gloria Dei docet Apostolus famam comemnere 1. Corinth. 4. *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* 2 Corinth. 6. *Per infamiam, &c.*

Dixi, *Neque accedit finis vel circumstantia de honestans*; si enim illi apertas qui nociturus est, fieri potest vt mortaliter pecces. Vnde Ecclesiastici cap. 19. *Amico & inimico nolt narrare sensum tuum: & si est tibi delictum, nolt denudare; audiet enim te, & custodiet te, & quasi defendens peccatum odiet te, & sic adeò tibi semper.* Item fieri potest, vt diffamatio tua nociura sit alijs, quibus fortè fama tua ex charitate aut iustitia est obnoxia: si ex iustitia, poterit etiam seipsum infamans ad restitutionem teneri. De hac re benè differit D. Augustinus Sermone 49. De diuersis: *Duæ res sunt, conscientia & fama: conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ neglexit famam suam, crudelis est, maximè in loco isto positus, de quo dicit Apostolus scribens ad discipulum suum: Circa omnes teipsum bonorum operum præbe exemplum.* Item De bono viduitatis cap. 22. *Dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, æstimationem hominum non imprudenter solùm, verùm etiam crudeliter contemnentes, cùm occidant animas aliorum, sine blasphematium viam Dei, sine etiam cum excusatione imitantium non quod vident, sed quod putant.* Confirmatur ex Apostolo 1. Corinth. 8. *Deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine quæ ministratur à nobis. Prouidemus enim bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et 1. Corinth. 10. *Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Sic & Philippenses monet cap. 4. vt cogitent quæ sunt bonæ famæ. Huc pertinet Glossa illa à Caietano pro se producta in cap. 1. caussa 15. quæst. 6. solùm enim dicit illos peccare, qui metu mortis subscribunt hæresi, etiamsi fidem mente teneant, & similia quæ pertinèt ad infamiam propriam, contra Dei gloriam & proximorum salutem. Eodem modo peccant mortaliter, qui iactantiæ caussa, vt quia adhuc placeant & meminisse iuuet, narrant peccata sua; de quo videre licet Psalmum 51. & 93. & Isaiæ 3. *Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.*

Excepi denique peccatum omnino graue & turpe, secutus Salonium, eò quòd videatur talis profusio proprij nominis pertinere ad nimiam honoris & famæ consumptionem, de qua præcedenti assertione diximus, non improbabiliter videri letalem contra charitatem.

## DVBIVM XI.

### *Vtrùm in tormentis liceat se vel alium infamare?*

*Quando aliud non timetur incommodi, licet.*

DICO PRIMO. Vt euadas tormenta, quando ex confessione aliud non timetur incommodum quàm infamia, licet tibi proprium crimen occultum, aut alterius priuati, etiam illius cui secretum promisisti, fateri; modò non promiseris etiam cum periculo mortis celare, & nisi illius notitiam per iniuriam extorseris, aut ex confessione Sacramentali ea ortum habueris. Quando enim ex hac crimen scitur, non potest, etiamsi adhuc in futurum pendeat, puta quia confitens non proposuit abstinere, reuelari.

DICO SECVNDO. Imò etiamsi tibi contra Iuris ordinem mors immineat ex tali confessione, si valdè grauia & diuturna sint tormenta, licet similiter fateri, vt Sotus, Salonius, Lessius, & alij docent. Imò probabiliter neque mortale erit, etiamsi fateris quòd verum non est, aut falsum imponas tibimetipsi citra iuramentum; etiamsi ideò sis occidendus: neque teneris retractare, si grauia illa tormenta repetenda timeas; etiamsi fortè peierando mortaliter peccaueris. Alteri tamen falsum imponere esset mortale, etiamsi seipsum inde esset infamandus. Quod verum puto, etiamsi statim post tormenta inrenderes retractare, modò retractatio plenè non sit abolitura proximi infamiam. Non improbabiliter tamen dubitat Nauarrus, vtrùm censeri debeat mortale eiusmodi mendacium contra proximum, quando ipse multo minùs, verbi gratia pecuniarium damnum incurrit, ta vitæ euadis iniustum periculum. Ita suprà coroll. 43. Ex hac doctrina patet, grauiter peccasse Vercellensem illum iuuenem, qui intermentis adulterium falsò confessus est, simulque mulierem innocentem accusauit, & dum in proprium mentitur sanguinem, accusauit alienum, apud Hieronymum Epistola 49.

*Alteri falsum imponere, mortale est.*

Hinc colligitur, Quamuis quidam sentiant contrarium, vt superiore Dub diximus, verius tamen esse, mendacio sibi imponere falsum crimen, ex genere suo non esse mortale, seclusa iactantia, iuramente, scandalo, mortis, mutilationis periculo, & aliorum incommodo, quod benè probat Nauarrus in cap. Inter verba, coroll. 44. Et fortè Augustinus ibi citatus respexit ad casum quo sine rationabili caussa in caput proprium diceret quis falsum testimonium, vt ideò illud dixerit non magis per Decalogum licere, quàm occidere seipsum. Neque multùm nos remorabitur adducta in contrarium Saloni j auctoritas: is enim hac quæst. 73. art. 4. ab eo fortè recedens quod in tractatu De dominio suprà dixerat, excusat à mortali mendacium hominis contra seipsum.

*Obiect.* Dices, In re graui mendacium est mortale, si cedat in alicuius detrimentum; ergo hîc erit mortale, quando cedit in detrimentum proprium.

*Resp.* Respondeo, Mendacium, quod peculiariter non est contra Dei honorem aut proximi vtilitatem, non fieri mortale, etiamsi per illud iacturam facias externorum bonorum, puta famæ, aut pecuniæ, quorum es dominus, modò si quam inde vlteriùs facias iacturam, in corpore, vita, aut membris in eo iusta ac rationabili compensatione excuseris, quod fit quando caussam habes rationabilem ob quam potiùs mortis aut mutilationis, quàm aliud quod imminet incommodum pati velis; tunc enim inde mendacium tuum non poterit respectu tui dici perniciosum. Et hæc quidem de falso. Verum autem crimen, non tantùm proprium, sed etiam alterius, vt grauia tandem tormenta euadas, reuelare licebit, esto mors inde isti alteri immineat. Ratio vtriusque assertionis est, quòd cum tanto incommodo meo, & iactura in membris, non teneat famam meam aut alterius seruare. Addo, quando mortem aut mutilationem te diffamando es euasurus, duplici ratione te absolui à custodia famæ: vna, quòd rem tui dominij dispendere in necessitate possis: altera, quòd pro conseruanda vita, minora bona etiam quorum non sis dominus, abijcere possis.

*Quomodo verum crimen reuelare liceat.*

*Secreta Reipub. prodere non licet.*

DICO TERTIO. Secreta Reipublicæ magni momenti in tormentis prodere non licet, etiamsi mors alioqui esset oppetenda, & tortus non sit Senator ex Magistratu, sed priuatus ciuis aut miles. Soto De tegendo secreto, membro 3. quæst. 4. conclus. 6. Nauarrus corollario 43. citato. salus enim communis suprema esse debet. Vnde & grauissimâ pœnâ id cautum fuit apud Romanos, L. Si quis aliquid, ff. De pœnis.

At quæres, Vtrùm liceat se infamare, vt amicus euadat mortem? verbi gratia, commisisti homicidium simul cum amico qui à Iudice iam occidendus est, vt ipse dimittatur, prodis te illud homicidium admisisse; Vtrum id liceat?

Respondeo, Illud esse licitum: iustam enim habes caussam veritatem hinc fatendi vt inde tegas, cùm inde nullo præcepto cogaris fateri, vt suppono; quia de eo non legitimè interrogaris, & hinc nullo præcepto prohibearis fateri, vt iustam pœnam pro peccato patienter toleres, cum tanto amici emolumento.

Sed maius dubium est, Vtrùm citra mortale liceret tibi falsò profiteri vel confiteri quòd hoc crimen admiseris, cùm sis innocens, vt pro amico occidaris, & ille euadat?

Respondeo, Si amicus ille innoxius sit victurus, probabile est licere tibi pro virtute amicitiæ, animam ponere pro amico, & mendacium non fore mortale. Neque tunc pateris vt fur aut homicida, sed vt amicus. Ita Sotus suprà, membro 1. quæst. 3. conclus. 5. Notandum tamẽ, Non habere hoc locum, quando ex infamia aut morte tua alijs graue damnum sequeretur; addè, aut Religionis verteretur præiudicium: neque enim liceret sibi pro amico hæretico imponere crimen hæresis. Argumentum ex cap. 1. caussa 15. quæst. 6.

Cæterùm quòd diximus, probabile esse, citra culpam mortalem fore, si quispiam ad vitanda tormenta grauia, aut amici à morte liberandi caussa sibi imponat crimen falsum, etiamsi ipse ob eiusmodi sui falsam accusationem sit occidendus; impugnatur grauiter à Ludouico Molina tract. 4. De iustitia, disp. 37. numero 18. & 19.

*Sententia Molinæ. Argumentum 1.*

Argumentum Primum ipsius tale est: Quamuis homo non teneatur cum valdè grauibus tormentis conseruare vitam, possitque licitè potiùs mortem permittere quàm ea subire; aliud tamen est permittere mortem aut non conseruare vitam, atque aliud suppeditare caussam obiectiuam & meritoriam propriæ mortis, illam confingendo, cùm verè non subsit. Quamuis itaque liceat non conseruare vitam propter tormenta vitanda, aut amici vitam saluandam; non tamen licet falsum sibi crimen imponendo cooperari ad propriam mortem iniustam. Neque est quòd obijcias, similiter cooperari qui crimen verum, occultum tamen, proprium detegit vt vitet tormenta, & potiùs supplicio extremo afficiatur, quem tamen constet excusari: is enim non dat caussam suæ necis, sed detegit solùm priùs datam, cedendo iure suo quod habebat ad eam celandam.

*Argum. 2.* Secundum Argumentum peculiariter est contra innocentem sibi imponentem patris aut amici crimen. Si pater aut amicus dignus est supplicio, fraude & mendacio in iudicio non licet impedire executionem iustitiæ in eum, deludendo publicam Potestatem, & loco nocentis innocentem subijciendo.

Verùm quamuis hæc argumenta apparentiam habeant, & non paruam probabilitatem sententiæ Molinæ tribuant, quam etiam tenuit Nauarrus, priorem retractans Enchiridij cap. 18. num. 29. solutionem tamen habent aliqualem. Ad Primum enim responderi potest, Non tam debere hunc dici cooperari propriæ morti, quàm euasioni tormentorum suorum, vel mortis amici, vel parentis: intendit enim non se neci obijcere, sed alterum eripere. Si enim qui suadet, vt quis fornicetur potiùs quàm adulterium admittat, non est reus malæ suasionis: ita neque in proposito censetur cooperari directè propriæ neci, qui sibi crimen letale imponit, vt patrem liberet. Sicuti enim istum consultorem excusat, quòd sequatur veritatem practicam intellectus istius sententiæ, quæ dicit, potiùs esse fornicandum quàm adulterium committendum; ita in nostro casu excusat veritas practicæ sententiæ, quæ dicit, honestum esse mori pro amico. Neque refert, quòd sibi imponens crimen in nostro casu, vtatur medio malo, videlicet mendacio: si enim illud mendacium sit solùm veniale, quando ita tibi imponis crimen vt liberes amicum, & ipse non periciteris, vt videtur sequi ex ijs quæ numero 15. admittit Molina; quare mortale fiet, quando proferetur eo casu, quo per illud mortem tibi accersas, cui alioqui iustè poteras te exponere pro amico? Si finis sit opus honestum, imò heroicum, & medium solùm sit veniale peccatum; vnde hîc irrepit aut obrepit culpa letalis?

*Resp. ad 1. Arg. Molinæ.*

*Obiect.* Dicet Molina, Ideò esse mortale, quòd innocentem facias occidi, quem occidere sit intrinsecè malum: supponitur enim, amicum tuum iustè occidendum fuisse à Iudice, quem crimine tibi falsò imposito liberas. Supponitur etiam, te, qui loco eius sis occidendus, esse prorsus innocentem.

*Resp.* Respondeo, Etiam his positis, non nisi materialiter iniustam fore filij loco patris, aut amici loco sui amici occisionem: item nec fore occisionem innocentis, nisi materialem: probabitur enim nocens; quia suppono, confessionem eum eiusmodi circumstantijs à te fieri, vt iustè Iudex ignarus innocentiæ tuæ, vt eum esse in casu proposito supponimus, in te capitis sententiam pronuntiet, aut si non satis curet, vt secundùm Iuris ordinem procedat, non iam obijcies te iusto Iudici occidendum, sed potiùs tyranno. Addo, eum qui ita occultè crimen admisit, vt probari non possit in iudicio, & præter Iuris ordinem torquetur, facendo cri-

do crimen efficere vt Iudex ipsum etiam formaliter iniustè sit occisurus; & hoc tamen licere fatetur Molina numero 7. Ergo ex parte cooperationis ad materialiter iniustam necem, hìc non est sufficiens fundamentum, ex quo sibi imponens in casu nostro crimen liberandi amici causſà, damnetur peccati mortalis.

*Resp. ad 2.* Quod attinet autem ad iustitiæ delusionem, quam Molina vrget, ea etiam non videtur hìc posse statuere letalem culpam, quia eiusmodi delusio etiam suberit, quando quis imponit sibi crimen hæresis per falsos testes contra se probatum, vt sic quasi crimen agnoscens mortem euadat, vt docet idem Molina numero 15.

Hæc dicta sint veritatis eruendæ gratia. Sanè cùm per se illicitum sit mendacium, & indubiè peccatum sit mortale, quando quis sine causſa mentitur crimen propter quod sit occidendus; prudentis erit iudicare, num hìc & nunc sufficientem habeat causſam, præ tormentorum perpessione, aut amici amissione, mortem eligendi: si enim habeat, eò quòd vel omnino, vel ferè mors æquiparetur tali malo, non erit letale mendacium; si verò non habeat, erit ex hoc capite letale. Similiter in altero, quod de illusione iudicij vrgetur, videndum, num ea illusio etiam Iudice legitimè procedente non excusetur à mortali, per priuilegiatam illam inclinationem, quam quisque habet ad corporis vitam suam, aut suorum, à tormentis morti æquiparandis, aut ab ipsa morte vindicandam, vt in simili docuimus suprà De iudicijs cap.3.Dubio 1.

## DVBIVM XII.

### *Vtrùm sit detractio, si narres iniuriam tibi ab alio allatam?*

*Quomodo liceat iniuriam reuelare.*

RESPONDEO, Non ideò tibi licet peccatum alterius reuelare, quòd per illud iniuriam passus sis, sed vt iniuriæ effectum iustumque dolorem lenias, aut consolationem ab amico accipias. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. numero 346. Hoc enim non est vindicare, sed pro sua indemnitate vti Iure suo. Videndum tamen, ne peccator lædatur in fama sua plus quàm ad illum iustum tuum finem necessarium fuerit; alioqui peccabis contra charitatem, aut etiam contra iustitiam, secundùm ea quæ diximus Dubio 5. Contra charitatem tantùm, si saltem vtile sit ad finem illum, quòd nominetur persona offensoris: contra iustitiam, si ne vtile quidem fuerit.

## DVBIVM XIII.

### *Vtrùm censendus sit detractor, qui narrat se crimen alterius audiuisse, non tamen asseris esse verum?*

RESPONDEO, Si intendit lædere, & lædit famam proximi, ex natura suæ actionis externæ læsione sequente, est detractor contra iustitiam: si intendat & non lædat, iterùm formalis detractor est: si non intendit, videat tamen aut videre debeat, vi suæ narrationis læsionem istam secuturam, iterùm detractor est contra iustitiam: si videat solùm occasionaliter inde secuturam, peccat mortaliter saltem contra charitatem. Itaque tum demum non peccabit, quando satis cauerit, ne quid inde nomen proximi detrimenti accipiat: quod cùm non facilè fiat, ab eiusmodi narratione abstinendum esse, passim monent DD. Quamuis enim prudenter auditor non adhibeat fidem, secundùm illud Poëtæ,

*Rara fides, quia multi multa loquuntur:*

est tamen ferè nonnulla ista famæ imperfectio. Ideircò enim in laudibus Iudith legimus cap. 8. quòd non erat qui de ea loqueretur malum: licet interim plerique tam sint mali, vt etiam bonis eos laudantibus, fides facilè non adhibeatur; & alij tam boni, vt malis eos vituperantibus credi non possit. Quamuis, vt benè Hieronymus Epistola 14. ad Celantiam, arduum & rarum hoc sit, ita quem vitam instituisse, vt de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit, dum aduersus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo; nec fingere quisquam ausus est, quod à nullo putat esse credendum. Imò aliquando hæc ipsa vituperia, quæ à malis patiuntur, in laudem cedunt bonorum, secundùm illud Apostoli: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Et illud Ecclesiastici 11. *Bona in mala conuertens insidiatur, & in electis imponet maculam.* Accedit quòd, vt Gabriel monuit eadem dist. quæst. 16. art. 3. dub. 2. sæpè subsit scandalum pusillorum, qui ciò credunt, quia leues sunt corde. Denique vel ita refers vt improbes, vel vt non improbes. Si improbes, non feliciùs id apud alios facere poteras, quàm tacendo: vel enim simul prodis detractorem, atque ita in ipsum detractionem nouam admittis; vel non prodis, atque ita animo auditorum non satis eximis suspicionem. Si non improbes, cum detractore currere censeris, aut sanè in fratrem quem scandalizas peccare.

At quid si intendat quidem lædere, & occasionaliter ex leuitate audientium læsio sequatur, ipse tamen ita suam narrationem instituat, vt læsioni causſam propriè non videatur dedisse?

*Qui vtitur solùm ista famulatu, non tenetur restituere.*

Respondeo, Talem peccaturum quidem contra iustitiam, quoad malam intentionem, non tamen tenebitur ad restitutionem, quia exteriùs non fuit efficax causſa damni per iniustitiam: sola enim intentio non dedit damnum, & actio exterior non fuit causſa, sed tantùm occasio damni, quam ex sola charitate tenebatur vitare. Et hoc videtur voluisse Scotus citata dist. 15. quæst. 4 quando dicit, talem peccare contra charitatem, & expressiùs tenet Petrus Nauarra suprà numero 331. Quinimò generaliter verum puto, quando ad debitum restituendi non sufficeret interpretatiua nocèdi intentio cum opere externo vnde damnum sequitur, etiam insufficientem fore intentionem formalem; nisi fortè in euentu, vbi cum iniuria alterius facturus sis, nisi tibi ius faciendi nasceretur ex principali aliqua intentione iusta: quo modo tenebereris ad restitutionem, si aquam diuerteris vt vicino noceas, non autem si diuerteris vt tibi prosis.

Ex quo colligitur, Non omnino exactam esse doctrinam Siluestri verbo Detractio, quæst. 4. quando docet, eum qui solùm narrat se audiuisse, nihil ad faciendam fidem de suo addens, secuta infamia nihilominùs teneri, si malo animo retulerit; secùs si ex inconsiderata loquacitate.

Item sequitur, etiam ampliùs exorbitare doctrinam Caietani, qui ex auditu aut dubitanter referentem absoluit à restitutione, solumque damnat assertorem: ferè enim vestigium aliquod relinquere solent in animo audientium etiam illi, qui sine



sine assertione narrarunt; suspiciones autem istæ quas prauas ingeris de proximo, non sunt contemnendæ, vt quæ verè pertineant ad infamiam, sicuti ad publicam pertinet infamiam, si quis per Iudicem declaretur de aliquo crimine suspectus. Deinde etiamsi tui auditores non suspicentur; fortè tamen narrabunt alijs, qui suspicabuntur, aut sanè maiori firmitate referent aliqui ex ipsis, quod ex tua narratione mediatè vel immediatè habent. Argumentum ex cap. finali De iniurijs; vbi dicitur, ignorantiam non excusare, quando scire debuisti, ex facto tuo verisimiliter iniuriam aut iacturam posse contingere; fateor tamen, quando factum tuum potiùs occasio quàm causſa est, te solùm contra charitatem, non contra iustitiam peccasse.

## DVBIVM XIV.

### *Vtrùm liceret eius Famæ derogare, qui nomen sibi simulando comparasset?*

RESPONDEO, Nec hoc continuò licere, nisi alijs noceat aut nociturus sit. Nauarrus suprà citatus num. 341. Probatur; Quia simulatio eius occultum quoddam peccatum est, quod detegis, quando eius defectum prodis. Neque hìc magnopere vrgendum est discrimen inter virtutes intellectuales & morales, quasi liceat prodere illas simulantem, non autem istas: neutrum enim licet, quamuis grauius ferè peccatum sit, prodere defectum in moribus. Imò verò in nostro casu, qui in moribus defectum hypocritæ prodit, ferè de duobus ei detrahit peccatis, de principali nimirum vitio, & improba simulatione virtutis. Qui autem in alijs bonis simulatorem detegit, subinde vnum tantùm eius peccatum, quo fortè simulauit, prodit.

At quid si contingat sine peccato, aut saltem cum solo veniali simulasse quem magnam scientiam, verbi gratia, Astrologię, aut similem, etiamne peccatū detractionis, eiusmodi simulationem detegere?

Respondeo, Quamuis simulatio, aut defectus absconsio non esset peccatum, posset tamen fieri, quòd nihilominùs proditio eiusmodi simulationis aut absconsionis defectus, sit peccatum detractionis saltē veniale, præsertim quando quòd ignoretur ipsius talis insciția, nemini obest, & ipsi prodest. Si enim ipsi non multùm prosit, cùm aliquale malum sit in ipso errore, licebit eum proximorum animo eximere. Illud hìc potiùs discrimen notandum est, non esse iniustitiam, pro sola vtilitate aliorum sine necessitate reuelare defectum proximi in alijs bonis, quæ non pertinent ad honestatem vitę, quando id fieri potest sine detectione alicuius peccati in moribus; esse autem contra iustitiam, quando sine necessitate reuelatur defectus talis in honestate vitæ, nisi simulet probitatem vt alijs noceat, & extra casum de quo suprà Dub. 5. diximus: quisq; enim ius habet ne præsumatur improbus, donec probetur, conuincatur, aut manifestè sit talis, non autem vt in hac aut illa arte peritus habeatur.

Quæres, Vtrùm sine peccato possit quis nihil occulti, sed tantùm ea quæ apparent, & satis publica sunt allegando, minuere famam eius qui maiorem quàm par sit habeat?

Respondet Molina tract. 4. De iustitia disp. 26. id licere, siue fama sit in scientia, siue in moribus, modò absit inuidia & odium. In moribus tamen non facilè id excusauero à veniali, nisi excusetur aliqua vtilitate dicentis vel audientis.

## DVBIVM XV.

### *Vtrùm audire & tolerare detractorem, sit peccatum? D. Thomas quæst. 73. art. 4.*

*Audiens detractorem variè peccat.*

RESPONDEO, Rectè dixit Bernardus lib. 2. De consid. *Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit non facilè dixerim.* Tolerare enim detractorem, audienti cedit in peccatum varijs modis, quorum vno cessante, contingit subinde alios non cessare; & vno existente tolùm contra charitatem, contingit alium esse contra iustitiam. Fieri tamen aliquando potest, vt audiens detractorem solùm venialiter peccet, aut ne peccet quidem. Modi autem quibus peccet hìc auditor, ferè ad tria capita possunt reuocari. Vel enim peccat in Leges correptionis fraternæ, idque vel negatiuè, non corripiendo; vel positiuè, scandalizando, & detractionis peccato causſam dando interrogatione, diligenti & benigna auscultatione, & similibus modis. Vel peccat in fratrem cui detrahitur, non succurrendo eius famæ in tali necessitate, sicuti si videret asinum proximi succumbentē oneri, & nollet, vt Lex præcipit, subleuare. Vel denique peccat participando in nocumento quod ex infamia sequitur, vel infamato, vel alijs, aut etiam Reipub. In singulis modis potest concurrere peculiaris obligatio ex officio, quia verbi gratia, audiens est Superior lædentis, aut eorum quorum damnum vertitur, teneturque ex illo officio corripere vel damnum auertere: vel solùm est priuatus; quæ omnia magnam diuersitatem parere possunt. De qua quamuis, vt Caietanus monuit, vtcumque iudicari possit ex alibi traditis regulis correctionis, iustitiæ, charitatis, furi non obstantis, vel cum eo participantis; nonnulla tamen propiùs hìc accommodata notanda sunt, quæ ex huiusmodi regulis sequuntur.

*Qui inducit ad detrahēdum, peccat contra iustitiam.*

Sequitur enim Primò, Eum qui alium inducit ad detrahendum iubendo, excitando, sciscitando, non solùm ordinariè peccare contra iustitiam, sed ferè grauius admittere peccatum quàm sit ipsius detractoris. Prior pars patet ex iis quæ De iubente, consulente, aut inducente ad furtum diximus. Vnde patet, quòd etiam ad restitutionem teneatur. Posterior probatur; Quia non peccat solo peccato detractionis, sed etiam scandali: lingua enim alterius & aure sua calumniatur, & in causſa est, cur etiam animus detractoris inquinetur. Si tamen inuincibiliter putes solùm venialiter & leuiter detracturum, non peccas mortaliter, etiamsi alter præter tuam opinionem proruperit in letalem obtrectationem, vt recenter monuit Fernandus Rebellus, De obligationibus iustitiæ, lib. 4. q. 6. Nauarrus suprà corollar. 40.

Secundò sequitur, Eum qui solùm quadam complacentia detractionem approbat, ita vt in eam nihil influat, nihilque ad eam exciendam, alacriùs proferendam, aut protrahendam, conferat, verè solùm peccare contra charitatem.

*Qui solùm tolerat quomodo peccet.*

Sequitur Tertiò, Eum qui nullo exhibito complacentiæ signo solùm tolerat detractorem, non congaudens eius iniquitati, nihilominùs

interdum peccare contra iustitiam ; puta si ex iustitia tenebatur eius cui detrahitur honorem defendere, quod rarius fortè continget, nisi ex peculiari contractu : interdum & sæpiùs contra charitatem solam, at nihilominùs mortaliter ; puta quando facilis & expedita ei esset efficax impeditio, & detractio esset grauis, adeoque tria ista concurrerent. Primò, Quòd sciat, per detractionem grauiter peccari ; nam in dubio an publicum sit, vel an iustam habeat alter causſam istud euulgandi, non est condemnandus. Vbi obserua, possessionem famæ dubiam, te quidem arcere à detrahendo, sed non sufficere vt detrahentem iudices ; quia & ipse in dubio possessione bonæ opinionis exuendus non est. Secundò, vt speret cum fructu impedire. Tertiò, Ne ipse impediendo grauetur magno aliquo detrimento, quod ex æqua æstimatione prudentis hîc præponderet : imò & rationabilis verecundiæ & molestiæ ex communi DD sententia hîc ratio habenda erit, quando non nimis enorme ex obtrectatione ingrueret detrimentum, quale indubiè est periculum vitæ ; nam eiusmodi detrimenti imminentis timor efficeret, ne verecundia aut dubitatio illa de fructu correptionis silentem excusaret. Interdum venialiter, quando detractio non esset grauis, aut negligentia esset leuis, vel inconsideratio. Denique interdum immunem esse à peccato, quando impedire non posset, neque displicentiæ signa posset ostendere sine magno suo detrimento, aut spem nullam habet fructuosæ correptionis, & astantes non scandalizantur eius silentio : imò si ideò omittat contradicere, quia timet ne reprehensus ampliùs criminetur, consilium charitatis est, vt obseruauit Adrianus Quodlibeto 11.q.2.

Quartò sequitur, Etiam illum qui impedire detractorem non potest redarguendo, silentium indicendo, sæpè teneri saltem ex charitate, ostendere quòd sibi displiceat, vtpote vultu tristi, secundùm illud Prouerb. 25. *Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentis* : vel loco recedendo, vel sermonem quadam dexteritate aliò diuertendo, vel obsecrando ne de eiusmodi rebus agatur ; aut si iam detractio completa sit, & verum putet crimen, in dubium illud ex probabilibus argumentis reuocet, aut saltè fratrem excuset, & peccatum extenuet ; si falsum, ostendit falsam esse criminationem. Vtrùm autem Superiores ex iustitia teneantur impedire detractionem, dicemus Capite sequenti.

Sequitur Quintò, Non excusari audientem, quòd fortè putet, patientiâ infamati futurum vt detractio magis ei prosit quàm obsit, Nauarrus suprà coroll. 43.

Ceterùm substantia huius articuli, eum auditorem mortaliter peccare, qui mortali detractioni notabiliter consentit, videtur esse de Fide, Rom. 1. vbi non solùm detractores dicuntur esse digni morte, sed etiam qui eis consentiunt. Prouerb. 4. *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.* Vbi Beda vult intelligi os alterius, quamuis Iansenius intelligat os proprium. Sed si os proprium nos scandalizans abijcere iubeamur, quanto magis alienum ? Item cap. 24. *Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repentè veniet perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit* ? Videlicet tam illius qui loquitur, quàm eius qui audit loquentem, inquit Hieronymus, quamuis alij aliter : actiuè enim ruinam intelligunt, & vtriusque, Dei & Regis. Ita Iansenius. Huc pertinet illud Ecclesiastici 28. *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Eòdem facit Psalmus 100. Psal. 14. *Opprobrium non accepit aduersus proximum suum*, &c. & 49. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris*, &c. *Existimasti iniquè quòd ero tui similis, arguam te.* Isaiæ 33. *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, iste in excelsis habitabit.* Idem inculcarunt Patres. Basilius q.26. in Breuioribus dicit, auditores detractionis esse dignos excommunicatione : Hieronymus ad Rusticum dicit, esse inexcusabiles ; & ad Nepotianum, *Caue ne linguam habeas aut aures prurientes.* Huc facit Synodus VIII. cap. Non solùm 11. q. 3.

Quæres, Vtrùm qui detractionem audiuit, possit occultè inquirere de veritate ?

Respondeo, In bonum finem cum debita cautela potest, secundùm illud ad Hebræos 10. *Considerate vos inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum.* Si autem faciat propter finem mortalem, peccat mortaliter, contra illud Prouerb. 24. *Ne insidieris & quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.* Si autem ex curiositate, ferè est peccatum veniale, vt tradit D. Thomas q. 167.art. 2.

## DVBIVM XVI.

### *Quale peccatum sit, componere vel euulgare Libellum famosum ?*

*Libellus famosus.*

LIBELLVS famosus scriptura est quæcumque qua proximi fama iniustè læditur. Peccat mortaliter, qui de graui infamia proximi eiusmodi libellos componit, edit, spargit, vel adhæc quouis modo cooperatur, etiamsi infamia reipsa non sequatur. Ita communiter DD. quos sequitur Nauarrus in cap. Sacerdos, De pœnitentia, dist.6. Iure ciuili, L. Vnica, C. De famosis libellis, statuitur pœna capitis in auctores, & etiam in inuentores, qui vim eorum manifestauerint. Quod maximè iustum erit, quando auctor libelli famosi non scitur ; quamuis probabilius sit, Legem velle, quòd etiam tunc locum habeat, quando scitur auctor, videtur etiam sub pœna capitis velle, quòd laceretur statim libellus, & non cõmunicetur. Facit pro hac sententia, quòd loquatur Lex in casu, quo quis ignarus inuenerit talem libellum, vt apertè verba eius habent. Certum autem est, eum qui præsumitur libelli auctor, non posse dici ignarum eum reperisse. Præter mortis pœnam, libelli famosi auctor etiam est intestabilis, vt diximus suprà quando De testamentis, Dubio 3. Iure Canonico auctor libelli famosi verberibus punitur, causſa 5.q. 1. cap. 1. Aut si in Ecclesia fuerit positus, excommunicatur qui posuerit. Ibid. cap. vlt. Si libellus nihil habeat capitale, dicit Enchiridion rerum criminalium Damhouderij cap. 125. auctorem in pecunia mulctati, quanti sub iureiurando læsus æstimauerit redemptionem suæ infamiæ, & vult auctori iniungi, vt æquè publicè reuocet per scripta contraria, ad modum quo fama inferiùs restituenda dicetur. Si auctor ignoretur, vel cooperatores, sub pœnæ suspensionis à Communione,

*Pœnæ auctoris libelli famosi.*



ne, & nisi inde abstineant, sub pœna excommunicationis adigi possunt vt sese prodant, famamq; restituant, aut criminationem iuridicè probent, exemplo Gregorij Magni causſa 5.q. 1.cap.2.Cõsulendus Antoninus 2.parte, tit. 8. cap. 4. §. 1. & Decretalis Pij V.in 7. Decretaliũ Petri Matthæi, vbi antiquas pœnas innouat, etiam capitis, & nouas adijcit. Item Constitutio Gregorij XIII. quæ incipit, Ea est rerum humanarum infelicitas.

Nota tamen differentiam inter forum externum & conscientiæ, quòd etiamsi in foro externo pœnam aliquando euadat, qui offert criminationis suæ probationem, in conscientia tamen à peccato non excusetur. Refert Antoninus 3. parte, tit.24. & Caietanus verbo Excommunicatio, cap. 81. Alexandri Papæ Decretales, quibus excommunicentur, qui libellos famosos edunt, detinent vel publicant in infamiam status Ordinis SS. Dominici & Francisci. Item libello famoso impetens Pontificem vel Cardinales, excommunicatur per Extrauagantem Martini V. citatam apud Serolam hoc verbo, parte 1.

Addiderim hîc, secutus Molinam tractat. 4. disp, 35. famoso libello sese mortaliter contaminare, qui eius contenta canunt aut referunt, nisi sint certa & publica, & fama circa illa iam omnino sit destructa & amissa. Item qui non quidem scripto, sed facto aliquo, aut alio signo infamatorio apposito, aut pictura proximum infamant, similiter in crimen letale incidere.

## CAPVT II.

### *De restitutione Famæ & Honoris.*

## DVBIVM I.

### *Quis obnoxius sit ; & speciatim, Vtrùm ille reparandæ Famæ sit obnoxius, qui nonnisi ex inuincibili ignorantia vel sua vel auditorum, Famam læsit ?*

CONTINGIT eum qui mala de alio refert, existimare bona fide vera ea esse & publica, puta quia hoc ipsum à fide digno se accepisse existimat. Contingit etiam Iudicem infamiam aliquam irrogare ex falsa informatione quam postmodum deprehendit. Denique contingit narrare me quippiam mali iam notorij de Petro, & tu intelligis quasi loquerer de Paulo, qui aut nihil talé fecit, aut non notoriè. Quæritur, An ita inculpabiliter lædens teneatur sub mortali famam reparare ?

*Negatiua sustentatur 1.* Non enim videtur teneri : quando enim peccatum solùm veniale est, etiamsi contra iustitiam, verbi gratia, propter leuitatem materiæ ; communis & certa sententia est, non oriri obligationem restituendi sub mortali : itaque multo minùs videbitur oriri, quando ne quidem venialiter peccatum est.

2. Deinde, Vniuersa radix restitutionis ad duo capita reuocatur, vt debeatur restitutio ratione rei acceptæ, vel acceptionis. Neutrum hîc videtur habere locum : quia ratione acceptionis non tenetur qui extra culpam est ; ratione autem rei acceptæ nonnisi quatenus ea factus ditior, aut quatenus in specie apud ipsum exstat.

3. Tertiò, Durum est, eum qui iniuriam tantùm materialiter intulerit, teneri instar detractoris de ea satisfacere, & damnum omne infamiæ & ex ea ortum sarcire.

4. Denique, Qui ita refert se audiuisse, vt nihil omnino ad fidem parrati criminis conferat, non peccat contra iustitiam, atque adeò à restitutione immunis est, vt suprà diximus ; ergo & ille immunis est, quo narrante de Petro, alius intelligit de Paulo, ex solo suo errore, sine vlla culpa aut cooperatione narrantis.

*Affirmatiua tenenda.* Nihilominùs dicendum, Eum qui ex inuincibili sua ignorantia, qua putabat verum & publicum, aliquem infamauit, teneri dictum suum reuocare, non quidem pro compensatione famæ præteritæ, sed pro cauenda eius in futurum continuatione. Cùm enim virtute sui dicti in futurum pendeat hæc infamatio, tenetur eiusmodi dictum retractare, & infamationem pendentem, mox vbi resciuerit, rescindere ; alioqui iam cessante ignorantia, redibit actio ad speciem suam, & orietur obligatio reparandi damni vniuersi, quod in posterum sequitur, non secùs ac si nulla ignorantia præcessisset. Ex his facilè respondetur ad argumenta.

*Resp. ad 1.* Ad Primum, Auferre & retinere eiusdem esse moris, ceteris paribus ; itaque si auferre veniale sit propter materiæ parvitatem, etiam retinere erit venile : sed si auferre esset veniale propter imperfectam aduertentiam, aut nullum peccatum propter ignorantiam, retinere quando ignorantia aut inaduertentia cessat, erit mortale, & ita euenit in proposito.

*Ad 2.* Ad Secundum, Non esse hîc propriè dictam restitutionem quæ oritur ex duabus illis radicibus, quæque propriè est damni dati reparatio, aut rei ablatæ : est enim hîc potiùs quædam cautio, qua in posterum caues, ne damnum ex tua actione sequatur.

*Ad 3.* Ad Tertium, Patet ex dictis, hunc non teneri de damnis pendente ignorantia ex materiali infamia ortis, sed solùm de illis quæ oriuntur post malam fidem, & moram ex neglecta reuocatione.

*Ad 4.* Ad Quartum, In casu illo ex so a charitate teneri narratorem, si potest monere auditores sui erroris, absque præponderante incommodo suo in simili charitatis obligatione considerari solito : si non moneat, etiamsi mortaliter peccaret, non teneretur de damnis ex infamia secutis. Atque ita etiam patet responsio ad posteriorem Dubij partem.

Pro maiori tamen explicatione supersunt quædam circa hanc dubitationem soluendæ difficultates.

Prima, Vtrùm expensæ quæ fortè in restitutione famæ ab eo qui inculpabiliter læsit faciendæ sunt, debeant ipsi refundi ab infamato ?

Secunda, Vtrùm qui ex ignorantia inuincibili alium infamauit, teneatur retractare etiam cum damno propriæ famæ, aut graui fortunarum.

Tertia, Quid si aliquamdiu fuerit in mora, & supereueniat ei tunc incommodum si restituat ?

Quarta, Vter melioris sit conditionis, merè materialis detractor ex proprio, an ex auditorum errore ?

*Restitutio aliquando expensis læsi facienda.* Respondeo ad Primam, Aliquando esse restitutionem faciendam expensis læsi. Si enim Iudex ex allegatis falsò, & perfidia testium probatis, quem infamauerit, non tenetur tamen comperta veritate suis sumptibus parti restituere ; sed pars aduersa

aduersa cum omnibus damnis famam restituet. In defectum autem eius, Iudex non de præteritis damnis tenebitur, sed solùm sumptu partis læsæ ex iustitia cauebit in posterum, ne honor læsus maneat innocenti. Idem dixero de illo, qui diffamatum per aliorum iniuriam diffamat, bona fide existimans illud sibi licere, eò quòd publicum sit, cùm non licere suprà satis ostenderimus. Item de illo qui eis narrauit, quos ex ignorantia inuincibili existimabat scire quod ignorabant. Ita Rebellus suprà quæst. 4. lib. 4.

*Aliquando eius qui læsit.*

Aliquando autem sumptu eius qui inculpabiliter læsit restitutio facienda est: verbi gratia, falsò traduxisti Petrum vt grauia tormenta euaderes, bona fide existimans eum in hoc consentire; teneris nihilominùs ei restituere etiam tuo sumptu, si ipse eiusmodi restitutionem exegerit, & falsum ei crimen imposueris; quia etiam in necessitate rem alterius consumens, tenetur, si dives sit, eam postmodum restituere, vt in materia De eleëmosyna diximus, & hîc proposito nostro accommodat Rebellus quæst. 5. Imò, vt probabile existimo, hîc generatim grauandus videtur materialis detractor, ex cuius actione per se alius de falso crimine infamatus est, si origo erroris propriè ex ipso fuerit, & illo actu non publicum vt Iudex, sed proprium, aut sanè non illius quem læsit negotium gesserit. Sicuti enim si inter res meas tuam inueniam mero casu positam sine mea opera, non eam teneor meo sumptu restituere; teneor autem, si per errorem existimans esse meam, tibi abstulerim: teneor inquam, vt patet ex dictis Cap. 5. De restitutione, quia per errorem meum caussam dedi his sumptibus. Ita etiam proportionabiliter in fama iudicandum est. Si erroris quo puto inuincibiliter me eam posse tibi auferre, origo à te est, non à me, verbi gratia, quia verè peccasti, & alij per iniuriam euulgarunt, non magis teneor meo sumptu quod ademi in fama restituere, quàm tenear rem tuam, quæ fortè per alterius errorem inter meas reperitur. Secùs si putans te esse alium, dixi de te mala, sicuti si rem tuam putans esse meam abstuli.

*Qui ex ignorantia infamauit, non tenetur cum proprio damno.*

Ad Secundam respondeo, In casibus quibus ne quidem ad sumptus secundùm iam dicta tenetur, consequenter dicendum est, eum posse in fama sua se seruare indemnem, siue iustitiæ siue charitatis obligationem spectes: in facultatibus autem potest se seruare indemnem, si obligationem iustitiæ spectes. Quando tamen non magna in rebus fortunæ esset facienda iactura, pro magna infamia proximi abolenda charitas suaderet ad huiusmodi iacturam subeundam, imò & obligaret: sed infamatus, cuius negotium geritur, tenerur tibi ad eiusmodi iacturæ reparationem, tamquam negotiorum gestori. In alijs autem euentis, in quibus tenetur ad sumptus, secundùm dicta, ad moderatam etiam iacturam subeundam in facultatibus similiter ex iustitia videtur obligari, quando ea ad restitutionem est necessaria: ad infamiam autem subeundam, in illis præsertim quę pertinent ad honestatem vitæ, non videtur obligandus: fama enim propriè tua est, non instituta ad communem hominum vsum, vt obnoxia sit necessitari proximi, quasi ex primæua communitate, sicuti bona fortunæ.

*Qui mora sua nocuit, tenetur.*

Ad Tertiam respondeo, Eum qui mora sua alteri nocuit contra iustitiam in fama, teneri cum infamia sua & damno ad restitutionem illius nocumenti præcisè sumpti, secundùm ea quæ regulariter obseruanda infrà trademus. De restitutione culpabilis infamatoris cum eiusmodi suis damnis: mora enim æquiparat eum quoad inde sequens detrimentum detractori culpabili.

Ad Quartam, Patet ex dictis ad Primam, melioris esse conditionis eum à quo non est erroris origo.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm Superior infamati aut detractoris obnoxius sit restitutioni, quando obtrectatorem non impedit?*

*Superior infamanti tenetur.*

QVAMVIS grauiter peccare in hoc contingat, verius tamen existimo regulariter non teneri ad restitutionem. Vix enim ex iustitia tenentur vmquam Superiores ad talem custodiam famæ subditorum, aut curam ipsorum subditorum, ne alijs detrahant, vt benè Rebellus suprà quæst. 6. & satis fauet Bannesius quæst. 73. art. 4. quamuis Salonius hîc art. 4. quoad vtramque partem contrarium sequatur. Et quidem quod ad famam subditi seruandam attinet, nemo Principem sæcularem dixerit ad hoc ex iustitia obligatum, cùm eius defensio versetur potissimùm circa vitam & fortunas subditorum, vnde ei vicissim tributa præstantur & munera. Prælatus etiam Ecclesiasticus, quidquid aliqui dixerint, vt benè Sotus lib. 5. quæst. 10. art. 4. non tenetur ex iustitia defendere subditum suum contra detractorem, quem fortè coràm audit, quamuis magis ex charitate quàm alij passim, propter singularem coniunctionem; nisi fortè in euentu quo fama vnicum esset subdito medium ad salutem, quod rarò aut vix continget; & vt eueniat, nihilominùs puto obligationem quoad conseruandam famam esse solùm charitatis in Superiore, qui non censetur se obligasse ex iustitia ad procurandam salutem subditi per medium ita extraordinarium. Parentes tamen, præsertim parer, tenentur lege pietatis ad tuendum filijs aut filiabus familias famam necessariam honesto statui amplectendo. Verùm neque illa inducit obligationem restituendi. Quia verò tutores in hoc quodammodò surrogantur parentibus, videntur etiam illi non obligandi ex iustitia, præsertim cùm non censeantur sub tali onere officium acceptasse.

*Quomodo Superior detractoris teneatur.*

Quoad famam autem faciendam illis quibus subditus abstulit coram Superiore, non contradicente, maior videri queat difficultas: sed aduertendum est, non teneri Superiorem ex iustitia semper ex tempore se opponere talibus iniurijs subditorum, cùm hoc multis incommodis obnoxium esset; ad paternam tamen correctionem ex charitate tenetur. Tenebitur ergo Prælatus restituere infamato, si nolit suo tempore detractorem ad restitutionem cogere, aut si nolit Ius dicere conquerenti, & secundùm Leges compellere diffamatorem vt probet, & deficientem punire: neque enim Prælatus subdito adest, vt eum ex officio cohibeat ne cui detrahat, sicuti Centurio ex officio adest militi, ne quem in itinere concutiat. Præterea etiamsi Prælatus ex iustitia teneretur hîc & nunc corripere subditum detrahentem, non inde sequitur quòd omittens teneatur infamato: quid si enim ex iustitia obligatus sit solùm in bonum spirituale detrahentis, non autem in bonum famæ infamati? Ex quo fundamẽto Confessarius qui absoluit non iniuncta debita restitutione, non tenetur creditori, vt alibi diximus, quamuis teneatur pœnitenti, si iniungat ei ex lata culpa aut dolo restitutionem faciendam, quæ facienda est per alium.



## DVBIVM III.

### *Vtrùm ad restituendam Famam teneantur heredes detractoris?*

*Heredes non tenentur.*

QVI famam pecuniâ restituendam dicunt, vbi aliter non potest, facilè affirmantem responsionem hîc admittunt. Verùm vt infrà Dubio 8. dicemus, fundamentum illud non est solidum. Cum illis ergo sentimus, qui famam quidem dicunt heredes istos non debere restituere, sed si cuius alterius damni detractor debebat pecuniariam æstimationem, in eiusmodi obligatione eos succedere, qui in hereditate aut bonis, quorum mensura est pecunia, detractori succedunt. Quod patet ex cap. vlt. De sepulturis: famæ enim restitutio, sicut & satisfactio pro iniuria, ad personalem pertinet obtrectatoris retractationem, neque adhæresci eius obligatio rebus fortunæ; in quibus heredes succedunt.

Vnde etiam sequitur, non deberi eam heredibus infamati, nisi quatenus infamia defuncti ad ipsorum infamiam, aut reale damnum hereditatis pertinuerit; & generatim talem restitutionem deberi ab heredibus infamatoris infamato, qualem deberet infamator heredibus infamati. Sicuti enim nemo heres est famæ alterius, quia non trãsfertur fama vnius personæ in aliam; ita heres infamatoris non succedit in debito illo famam restituendi; quia non transfertur etiam illud debitum.

Sequitur denique, si detractor heres sit infamati, non absolui eum propterea à restitutione famæ ipsi defuncto facienda. Ita ferè tenet Salonius quęst. 62. art. 2. controuers. 21. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. numero 426. Videtur contrarium sentire Adrianus Quodlibeto 11. sed rationes & auctoritates quas adfert, vix probant nisi de damnis realibus, quorum restitutionem ad heredes deuolui fatemur. Rebellus lib. 4 quæst. 2. indicat, duobus modis intelligi hanc sententiam posse: Vno, quòd heredes detractoris semper teneantur in pecunia restituere infamato; quasi iam sublato detractore is solus supersit modus possibilis. Altero, quòd æquè liberum ei sit in eodem genere restituere, ac fuisset infamatori: & hunc modum ipse approbat.

At quid si infamatus detractori litem intentauerit ante mortem, non solùm vt experiretur iniuriarum, sed etiam acturus pro reparatione famæ, vtrùm ea actio plenè non deuoluatur ad heredes?

Respondeo, Deuolui: ius enim ad actiones intentatas & contestatas est pars hereditaris, quando saltem per modum mulctæ pecunia actori adiudicanda sperari potest. Aduertendum etiam, non negare nos in suprà dictis, quin possint heredes, & fortè aliquando teneantur, detractori defuncti litem mouere pro fama restituenda, non sibi, sed defuncto: potest enim heres à Iudice petere vt declaretur defunctus delictum non commisisse. Ita Additiones Clari quæst. 51. numero 32.

## DVBIVM IV.

### *Quid restituendum in Fama læsa; & specialiter, An omne damnum ex infamia secutum?*

*Omne damnum ex infamia secutum restituendum.*

OMNE damnum ex generali restitutionis lege restituendum esse communiter omnes tradunt DD. & patet cap. Si culpa tua, De iniurijs & damno dato.

Sed quæstio peculiaris hîc est, Vtrùm æquè ad integra restituenda damna teneatur, qui verum per iniuriam prodidit, ac qui falsum crimen detrahendo imposuit? Negauit enim Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 3. existimans eum qui verum prodidit, solùm teneri ad arbitrium prudentis.

Contrarium tamen est verius, ad integra damna etiam hunc teneri. Ita Petrus Nauarra suprà numero 373. Nauarrus cap. 18. numero 45. Salonius suprà controuers. 20. Sufficit enim tantum damni per iniustitiam esse illatum, vt de toto teneatis; sicuti fur si æquale cum raptore damnum intulerit, quamuis raptor plus peccauerit, non tamen ad minorem tenetur reparationem: in quantitate enim damni reparandi non tam venit æstimandum ex quanto crimine, quàm ex vero crimine & iniustitia quantum damni intuleris, vt alibi diximus. Fieri tamen potest, vt quando crimen verum erat, minor sit æstimatio spei boni acquirendi, in quo infamatus damnum aut impedimentum passus est: sed tunc non ideò minus restituet talis detractor, quia verum fuit crimen, sed quia reuerà minus intulit damni. Neq; enim qui impediuit à bono obtinendo, tenetur restituere totum bonum, sed æstimationem probabilis spei, vt in materia De vsura & alibi diximus. Fieri etiam potest, vt damnum infamiæ tantum sit, quòd totum reparari non possit: vbi tunc locus erit iudicio prudentis, vt pro viribus detractoris æstimetur futura restitutio.

## DVBIVM V.

### *Vtrùm detractor teneatur ad aliquid infamato, pro eo specialiter, quòd tanto tempore subiacuerit infamiæ?*

TRACTAT Rebellus quæst. 9. Tres sunt sententiæ. Vna absolutè negat, Altera affirmat, Tertia distinguit. Dicit ergo Prima, Huius incommodi rationem habendam non esse: quando enim restituuntur omnia damna realia, & ipsum damnum infamiæ; non videtur superesse nisi sola iniuria, pro qua non restitutio sed satisfactio debetur. Confirmatur; Si abstulerim tibi centum, & totidem restituam cum damno emergente aut lucro cessante si quod fuerit, ad nihil vlterius teneor ratione temporis quo pecunia tua caruisti; imò si quid vlteriùs prætendas ratione solius temporis, vsurarij animi suspicionem incurres. Confirmatur Secundò, Quia consuetudinem non habent etiam pij & docti Confessarij, eiusmodi restitutionem iniungendi. Denique Confirmatur à simili: Si quem vulneraueris qui multo tempore ex vulnere decubuerit, non teneris ei de tædio illo, aut longo dolore, sed solùm de operis ipsius & impensis in Medicos, vt patet cap. 21. Exodi, & cap. 1. De iniurijs. Hanc sententiam dicit esse communem, & sequitur Molina tract. 4. disp. 42. Secun-

*1. sententia.*

*2 sententia.* Secundæ sententiæ auctores vrgent, Famam non solùm habere partes extensionis, quatenus bonam plurium de te existimationem continet, sed etiam quatenus plures singulorum habet honorificos de te sermones, auditus, conceptus. Itaque volunt, sicuti plus restituitur quando apud plures infamia sparsa fuerit, ita etiam quando diutiùs ea durauerit.

*3 sententia.* Tertiæ sententiæ auctores aduertentes fieri posse, vt quis apud illos sit infamatus, qui de ipso etiam longo illo tempore quo pependit infamia, non fuissent honorificè collocuturi, quia de probitate forsan eum non nouissent, sed tamquam de alieno & ignoto siluissent; dicunt Primam sententiam veram esse de infamia, quatenus aufert famam negatiuam, id est, qua de te non malè sentiunt homines, quamuis positiuè laudes tuas non celebrent, & fortè etiam ignorent: Secundam autem esse veram de infamia oppositа famæ positiuæ, qua honorificè de te sentiunt homines & loquuntur. Ita sentit ipse Rebellus: existimat enim, in priori euentu restituta fama detrimentum eius boni æstimandum non esse quod diffamatus non erat reuerà habiturus, quamuis iudicet etiam eius haberi posse rationem, quòd diu ob infamiam suam graui molestia affectus sit.

*Probabilis aliqui l. deberi pro mora quæ infamiæ subsectus fuit.* Cæterùm Secunda sententia admodum probabilis est. Quamuis enim vera sit illa distinctio famæ in negatiuam & positiuam, & ex consequenti similis admittenda distinctio infamiæ; non tamen adeò liquidum est, quare ratione productionis infamiæ, etiam illius quæ tantùm opponitur famæ negatiuæ, non debeatur aliqua restitutio. Sicuti enim in vulnerato non tantùm æstimabile est, quòd diu caruerit sospitate & congruo membrorum vsu, sed etiam quòd magnos dolores perpessus sit; ita etiam videtur in infamato æstimabile, non solùm quòd diu caruerit odore bonæ famæ, quo alioqui apud virtutis suæ conscios frui potuisset, sed etiam quòd apud aliàs sibi ignotos malè audierit, de sola nimirum infamia notus, soloque fœtore illo celebris. Fit ergo probabile, vtrumque compensandum ad prudentis arbitrium, maiori quadam accumulatione signorum honoris, quæ tandem sufficiat ad supplendum bonum ademptum, & compensandum malum inflictum. Illud nihilominùs Tertiæ sententiæ dandum est, ex hoc capite maiorem restitutionem deberi ei cui fama positiua oppositа criminatione adempta fuerit, quàm ei cui solùm per criminationem adempta fuerit negatiua.

*Resp. ad argumentū Primæ sententiæ.* Ad Primæ sententiæ argumentum respondeo, Verum esse, pro sola iniuria non restitutionem deberi, sed satisfactionem; sed nego hîc esse iniuriam sine damno: est enim damnum, vt ostendimus; & quidem tale quod principaliter in se spectatum in eodem genere sit reparabile & compensabile, vt meritò ad eius reparationem obliget iustitia.

*Ad 1. Cōfir.* Ad Primam Confirmationem respondeo, Propria damna ex absente pecunia compensari, quando interesse solemni modo compensatur; in famæ autem extensa illa per tempus carentia, est quoddam magis intrinsecum interesse, & proprium, quod etiam compensandum sit.

*Ad 2.* Ad Secundam, Rectè monet quidam, rarissimè benè restituere detractorem: remissior autem praxis fortè inde ortum habet, quòd vix obtineatur, vt fama ipsa quasi secundùm capitale suum restituatur, ne mirum sit, interuersorium & interesse istud negligi, præcipuè cùm non ita obuia sit eius consideratio, quin Confessarios etiam doctos latere potuerit.

*Ad 3.* Ad Tertiam dico. Legem diuinam & Canonem Ecclesiasticum inde desumptum, ei vulnerato qui per operam suam solet lucrari, adiudicare, non deducto labore, mercedem & pretium integrum operarum suarum: vbi fortè nonnulla est compensatio tædij & doloris, quæ subijt decumbendo, vt existimauit Rebellus. Malim tamen dicere integras operas persolui, eò quòd vulnerator citra contractum læsum abstraxerit ab opere suo, quo modo & integram operam deberet, qui propriè suæ voluptatis caussa detinet operarium otiosum: dolores autem corporis, & iacturas vsuræ sospitatis, pecuniâ non æstimari, & in eodem genere exactam compensationem, quam iustitia spectare possit, non admittere, sed eiusdem ordinis censeri cum vita liberi hominis, pro qua nihil restitui diximus, quando De homicidio. Damna autem quæ considerantur in longa infamia, eiusdem ordinis sunt cum fama quæ restituitur. Hæc sententia vt probabilis teneri poterit: si tamen quis retractet suam detractionem ita perfectè, vt eximatur mala opinio apud omnes qui successu temporis eam de infamato imbiberint, satis tutum fore existimo, etiamsi nihil restituat præcisè pro damno quod consideratur in durationе infamiæ: eo ipso enim quo dicis hodie, te falsò ante mensem vnum diffamasse Petrum, etiam dicis, ipsum immeritò infamiæ isti integro mense subiacuisse, adeoque restituis ei quodammodò etiam istud damnum famæ, quod in mora temporis consideratur.

## DVBIVM VI.

*Quomodo Fama restituenda; & speciatim, Anne sufficiat simpliciter retractare, An verò incumbat detractori curare, vt fides adhibeatur retractationi, & An opus sit retractare apud omnes ad quos infamia peruenit?*

RESPONDEO; Patet ex dictis, debere obtrectatorem totum damnum restituere, quod per iniustitiam dedit. Debet ergo non solùm retractare quod dixit, sed auferre infamiam qua nocuit: ideoque si fides adhibita sit obtrectanti, non ex leuitate auditoris, sed ex auctoritate ipsius narrantis, aut aliàs, ita vt ex iustitia debebat cauere quod secuturum videbat, aut videre poterat, famæ detrimentum; vicissim ex iustitia tenebitur totum illud reparare, etiamsi multò maiori cura & industria opus sit ad fidem faciendam retractanti, quàm fuerit obtrectanti. Neque enim sufficit caussam dare sufficientem tollendæ infamiæ, sed oportet dare efficacem; nisi fortè per ipsum infamatum staret, quò minùs sufficiens simul esset efficax. Ita ferè Arragonius quæst. 62. art. 2. fol. 129. Si contra charitatem solùm peccauit, dando occasionem pravæ credulitati, non tenebitur ex iustitia quod inde secutum est cum effectu reparare, sed sufficiet quoad iustitiam simplex retractatio. Tenebitur tamen ex charitate, eximere malam opinionem cui occasionem dedit, alioqui

*Tenetur sufficiter retractare.*



alioqui censetur quasi continuare peccatum, quo contra charitatem nocuit. Intellige tamen, nisi tanto id suo faceret incommodo, vt excusari meritò debeat: quod multo citiùs fiet, quando solùm ex charitate tenetur, vt infrà dicemus. Si materialiter solùm iustitiæ contrauenit, propter inuincibilem ignorantiam, putat quidam sufficere, quòd saltem cum iuramento retractet. Sed verius existimo, quòd etiam tunc debeat ea adhibere quæ vidēbuntur necessaria vt fides palinodiæ habeatur, aut saltem infamia deleatur.

*Apud quos teneatur retractare.* De posteriore Dubij parte duplex est opinio, Vna dicit sufficere quòd retractet apud eosquibus immediatè ipse reuelauit, siue falsum de proximo, siue occultum proximi crimen, eò quòd tunc restitutionis caussa sit, sicuti fuit infamiæ, & aliàs videretur ad impossibile obligandus.

Altera sententia dicit, etiam apud alios omnes debere retractare, qui per primos suos auditores intellexerint, quandoquidem verè caussa fuerit, quare ad eos infamia deueniret, & possit per præcones aut concionatores, aut alios curare retractationem.

Nauarra suprà numero 442. eumque secutus Pesantius disp. 11. De restitutione, distinguunt. Priorem veram dicunt, quando prudenter existimabat primos auditores secretum seruaturos; tunc enim non teneri tamquam de fortuito casu. Posteriorem autem veram esse, quando præsciuit aut præscire probabiliter potuit euentum istius vlterioris euulgationis. Quæ sententia conformis est principijs communiter receptis de casu & præscito euentu. Conueniens modus videtur, vt per eosdem retractet aut retractari curet, per quos diffamauit: tenetur tamen in subsidium, si illi deficiant. Imò duo sunt casus quibus tenetur principaliter, vnus, quando illi sola eius auctoritate nocuerunt: alter, quando verum putauerunt, quod ipse mendaciter dixit.

## DVBIVM VII.

*Quomodo restituet detractor, quando de vero crimine infamauit?*

QVIA præceptum restitutionis hîc videtur concurrere cum alio naturali negatiuo, quod exprimitur Ecclesiastici 4. *Non contradicas verbo veritatis vllo modo*, variant DD. de modo, quo sese hîc expediet obtrectator.

*Primus modus.* D. Thomas quæst. 62. art. 2. ad 2. vult generatim eum teneri ad restitutionem famæ quantum potest, sine mendacio tamen, vtpote dicendo se malè dixisse, vel iniustè alterum infamasse. Si autem famam restituere nequeat, vult debere aliter compensare. Non est absimilis sententia Scoti in 4. dist. 15. quæst. 4. suggerit enim, omisso mendacio talem posse monere, ne infamatum credant esse eiusmodi vitio obnoxium, hoc enim malè & stultè de ipso se dixisse. Affine est quod Molina tract. 4. disp. 44. dicit se aliquando suasisse, si dicat, Quod de tali dixi, ex mea malitia id dixi; atque si opus fuerit, iuramento confirmabo, ex mea malitia me id dixisse, vnde omnino id non credatis.

*2.* Secundò, Alij, quamuis fateantur non posse mentiri, volunt tamen vt adhibita amphibologia dicat se esse mentitum, intelligendo de mendacio practico, quale facilè putant posse intelligi in omni dicto iniquo. Ita fortè, vt probabiliter loquatur, intelligi poterit Hostiensis in Summa De pœnitentia, quando vult infamatorem hunc posse dicere se fuisse mentitum.

*3.* Tertiò, Alij ad amphibologicas artes alias confugiunt, verbi gratia, vt dicat, se numquam audiuisse aut vidisse crimen quod de altero anteà affirmauit; subintelligendo, vt dicere sibi licuerit, aut aliquid simile: vbi & iuramentum volunt posse apponi. Patrocinium sumunt ab exemplo Christi Domini, Marci 13. dicentis: *De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius.* & Raphaëlis Tobiæ 5. *Ego sum Azarias*, &c.

*4.* Quartò, Alij volunt eum dicere, Nescіui quod dixi, Falsum dixi, Non dixi veritatem. Ita Bartholomæus Medina in Instructione Confessorum.

*5.* Quintò, Alij aptiorem existimant modum, si dicat, Quando hunc infamaui, putabam me verum dicere; re tamen diligentiùs considerata, inueni me fuisse mendacem. Ita Rebellus suprà quæst. 10. qui putat posse addi iuramentum, intelligendo mendacem vt in Psalmo, quando dicitur, *Omnis homo mendax*: vel in aliquo alio mendaci verbo, quo aliquando aliàs peccauerit.

*6.* Sextus modus est per compensationem in pecunia, de quo plura sequenti Dubio.

*7.* Septimus est, Petendo per se aut potiùs per alium remissionem personæ infamatæ, de quo etiam infrà. Neque dubium est, quin iste liberet detractorem, quando adhiberi potest.

*8.* Octauus, Per compositionem & transactionem aliquam, vt pars infamiæ restituatur, reliqua gratis remittatur.

*9.* Nonus & Postremus, Vt nihil dicat aut retractet detractor, sed infamiam iniustam compenset, læsum passim laudando, potissimùm apud eos coram quibus infamauerat. Ita Caietanus dicto a. 2. Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 3. ad 4.

Cæterùm de hac re ita breuiter statuendum censeo, in primis, Non solùm non debere talem nouo mendacio retractare quod dixit, sed neque adigendum esse vt amphibologicè loquendo dicat se esse mentitum, vt habebat secundus modus. Imò neque adigendus erit ad tertium, quartum, quintum, aut sextum modum: sed si primus putetur plenè deleturus infamiam, ille omnino erit adhibendus; neque tunc sufficeret adhibere nonum: si autem ex parte primus ille infamiam tolleret, erit adhibendus, & per nonum reliquum supplendum: si autem inutilis, aut etiam noxius erit ille primus infamato, debet omitti, & nisi impetretur remissio, oportebit adhibere nonum modum.

*Amphibologia quando vti liceat.* Quòd ad amphibologicos istos sermones, non arbitremur hîc adigendum esse pœnitentem; ratio est, Quia non existimamus satis probum, aut simplicitati Christianæ consentaneum esse eorum vsum, quando sua sponte quis alium alloquitur, sed magis quando quodammodò ad respondendum cogitur de ea veritate, cuius celandæ ius habeat: interrogans enim de eo quod reuelare non teneris, censetur sibi debere imputare si amphibologia aut interna restrictione in congressu illo eludatur, & in quemdam errorem labatur. Neque aliter suffragatur exemplum Christi Domini aut Raphaëlis: vterq; enim interrogatione adductus, ambiguo vel tecto illo sermone vsus est. Si tamen illis modis, quos non necessarios aut etiam illicitos existimamus, verè infamia deleta sit, cessat

vlterior obligatio restitutionis. Quocirca etiamsi per mendacium, verum crimen eius quem diffamauerat, opinioni hominum exemerit, liberatur detractor.

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm qui diffamauit, teneatur aliquando Famam pecuniâ compensare?*

*Aliquando teneri, probabile.*

DICO PRIMO. Probabile est, debere famam pecuniâ compensari, quando aliter non potest. Patet, Quia plurimi DD. ita tenent. Adrianus Quodlibeto 11. Sotus lib. 4 q.6.art.3. ad 4 §. Quid autem; Arragon q. 62. art. 2. Valentia disp. 5.q. 6. puncto 5. Couarruuias lib. 1. Variarum, cap. 2. num. 8. & in Regulam Peccatum 1.parte, §. Sed & secundò, Molina tract.4. disp 45. Rebellus suprà q. 10. Videtur hæc sententia pro se habere D. Thomam art. 2. ad 2. q. 62. & Glossam in cap. Ecclesia S Mariæ, Extra. Vt lite pendente nihil innouetur.

1.

2. Confirmatur, Quamuis melius sit nomen bonum quàm diuitiæ multæ, sicuti & aurum præstantius argento; potest tamen modica fama multo auro, sicut & modicum aurum multo argento æquiparari.

3. Præterea, quando non potest detractor restituere, debet infamati honorem alijs modis promouere, vt diximus superiori Dubio: atqui suppeditata pecunia cui omnia obediunt, reddet eum magis honorabilem, secundùm illud Ecclesiastici 10. *Est homo qui honorificatur propter substantiam suam.*

4. Denique vita serui, licet in se non æstimetur pecuniâ, tamen propter operas æstimatur: atqui fama cuique hominum ad res fortunæ comparandas vtilis est; ergo saltem hoc respectu æstimabitur.

*Probabilius, famâ pecuniâ non compensandam.*

DICO tamen SECVNDO. Probabilius est, pro fama præcisè non esse ex iustitia dandam pecuniam. Siluester verbo Detractio, q. 4. Nauarrus cap. 17. num. 90. Bannesius in dictum art. 2. Nauarra suprà num. 414. Pesantius De restitut. q 12. Probatur; Nullus habitus inclinat ad impossibile, dat enim facilè & promptè operari: atqui iustitia inclinaret ad impossibile, si obligaret ad famam pecuniâ compensandam: pecunia enim non est mensura bonorum superioris ordinis. Neq; potest inter eam & ista bona reperiri proportio Arithmetica, qualem postulat æqualitas iustitiæ: neque enim licebit æstimare famam alicuius certo nummo, vt solent res venales; sed erit inæstimabilis, sicut & vita liberi hominis, vt diximus quando De restitutione homicidæ. Deinde, Si deficiente alio modo, oporteat famam pecuniâ compensare, etiam oportebit honore compensare debitum pecuniarium, quando alius modus non suppetit. Tertiò, Quamuis diuites honorari soleant, non tamen honorantur qui pro famæ restitutione pecuniam accipiunt, sed potiùs parum honestum illud ab omnibus reputabitur. Quartò, Si pro fama aut honore læso debeatur pecunia, poterit debitor detractoris sui facere compensationem: quod extra vsum fidelium est, & magnam confusionem pareret, vt dicemus infrà Dubio 14.

*Resp. ad Probationes 1. Propositionis.*

Denique, Non est difficile respondere ad argumenta contraria. Nam ad D. Thomam quod attinet, nihil dicit contra nos, quando generatim dicit, eum qui non potest famâ restituere, debere læso aliter compensare: vel enim intelligit debitum charitatis, non iustitiæ; quia in responsione ad 1. dicit, etiam honore debere compensari mutilationem: vel si intelligat obligationem iustitiæ, explicandus est de compensatione per honorem, vt superiori Dubio diximus, & multùm placet Pesantio: vel sanè si de pecunia accipias, censendum est id dici propter damna rerum infamiæ coniuncta. Glossa autem accipienda est de illis, quæ pecuniâ vendi & æstimari solent, quando vult in æquiualenti restitui, quod in se non potest.

Ad Secundum, Quamuis fieri possit, vt magna vis pecuniæ, quatenus est instrumentum virtutis, aliqui paruæ famæ prudenter præferatur, tamquam magis conducibilis ad finem spiritualem; spectando tamen vsualem valorem pecuniæ, vt mensura est fortunarum, & internum ac proprium valorem famæ, non potest esse inter illa proportio, qualis est inter aurum, pretiosa vnguenta, aut pretiosissimas gemmas, & reliquas res viliores. Consulenda quæ diximus suprà Dubio vlt. De restitutione pro adulterio.

Ad Tertium patet ex dictis, Non esse honorificum, pro fama admittere pecuniam; & vt esset, solùm sequeretur, illam famam quæ erat de diuitijs, pecuniâ esse restituendam. Sanè sicuti non censetur fieri restitutio, quando illum quem furem dixisti, nunc diuitem esse dicis; ita neque quando eumdem diuitem facis: si enim fama de honestate vitæ non compensetur honore illo qui est ex diuitijs, quanto minùs compensabitur pecuniâ?

Ad Postremum, Quando quis per iniustitiam impeditur à bono aliquo temporali, pretio æstimabili, consequendo per infamiam, oportet spei æstimationem restituere, vt diximus Dub. 4. Sed neque eiusmodi incommoda, perpetua sunt, neque hoc pertinet ad reparationem famæ in se, aut præcisè de qua hîc agimus.

## DVBIVM IX.

### *Quænam à restitutione detractorem excusent; & speciatim, Vtrùm debeat restituere famam cum periculo propriæ vitæ?*

DE hac re est sententia Caietani q.62. art.6. & Opusc. 17. Responsionum, ca. 14. Pro restitutione bonorum inferioris ordinis neminem teneri ex vi debiti ad faciendam iacturam in rebus superioris ordinis; adeoque sentit, pro restituenda alterius fama neminem teneri subire mortem, aut eius periculum. Tenet eamdem Siluester verbo Detractio, quæst. 4. Nauarra suprà num. 400. & seqq. Nauarrus cap. 17. num. 89. Medina C. De restitutione, q.3. in quarta causa excusante à restitutione. Videtur posse probari ex Innocentio III. cap. Cùm officij, De pœnitentijs & remissionibus; vbi excusatur & recipitur ad pœnitentiam mulier, quæ viro suo timet indicare quòd prolem ex adulterio susceperit.

*Sententia Caietani.*

*Aliorum sententia.*

Aliorum sententia est, Non esse Caietani regulam recipiendam, sed æstimationem faciendam in particulari boni restituendi, & per restituentem amittendi, & inter ea, etiamsi diuersi ordinis fuerint, considerandam moralem quamdam



dam in valore proportionem; adeoque si notabiliter præponderet quod amitteret restituens, eum excusatum iri: secùs si in parùo præponderet, æquale sit, aut etiam minus. Putant ergo, in proposito vitam alicuius plebeij reputari posse viliorem famâ alicuius nobilis, eoque casu plebeium debere reparare nobilis famam cum periculo propriæ vitæ. Ita sentit Sotus lib.4.q.6.art.3. ad 4. Couarruuias in Regulam Peccatum 1.parte,

*Probatur 1.* num. 6. & 7. Rebellus lib. 4. q. 13. Pro se adferunt Primò, Quòd Caietani sententia nimis sit metaphysica in re morali. Secundò, Quia alioqui sequeretur, quòd pecunia numquam deberet cum detrimento famæ restitui. Tertiò, Non

2.

3. potest vilis detractor vitæ suę consulere cum tanta alterius per se quasi continuata iniuria: vt enim potiùs mori debet quàm detrahere, ita videtur potiùs debere mori quàm vlteriùs, detractione non retractata alteri nocere. Quartò, In caussa pari melior est conditio innocentis. Si ergo prudentis iudicio non minùs Reipublicæ sit noxium, auferri huic nobili famam, quàm vitam isti ignobili, tenebitur cum periculo vitæ ignobilis alteri famam reparare.

*Detractor non tenetur cum periculo vitæ restituere.*

Nihilominùs omnino vt verior tenenda est opinio Caietani, Neminem teneri amittere vitam, vt præcisè famam restituat. Semper enim læsus est irrationabiliter inuitus, quando non habet excusatum detractorem, quò minùs cum tanto suo detrimento restituat. Si enim furem excusemus, quò minùs restituat cum maximo suarum fortunarum detrimento rem parui momenti, etiam excusandus videtur detractor, ne restituere cogatur cum vitæ iactura.

*Resp. ad argumenta in contrarium. Ad 1.*

Ad contraria argumenta respondeo. Ad Primum, Immeritò reprehendi Caietanum: est enim hæc doctrina satis moralis, desumpta ex morali principio vnde morales Philosophi & Iurisprudentes dixerunt, neminem debere vitam profundere pro debito ciuili, imò nec libertatem amittere; inde enim hoc dicitur, quòd vita & libertas inæstimabiles sint, & altioris ordinis quàm pecunia.

*Ad 2.*

Ad Secundum, Etiam furem non teneri cum infamia sua restituere diximus cum suis limitationibus Capite De restitut. furis, suprà Dub. 1. vnde patet responsio.

*Ad 3.*

Ad Tertium, Quamuis non possis detrahere vt vitam serues, potes tamen non restituere famam quam abstulisti, ne vitam amittas: detrahere enim intrinsecè malum est, adeoque non faciendum vt boni quid eueniat: non restituere autem hîc exuit malitiam, quia læsus quoad huiusmodi dilationem non est rationabiliter inuitus.

*Ad 4.*

Ad Quartum, Non est hîc considerandũ solùm quid æquè vtile Reipublicę sit, sed etiã quid æquè vtile illi qui læsit & læsus est; inde enim iniusta inęqualitas & rationabiliter exacta restitutio pensanda est: Iustitia enim commutatiua constituit æqualitatem partis ad partem, vt suprà diximus. Quare si vita infamati penderet ex infamia mendacij, deberet detractor cum periculo propriæ vitæ retractare, ceteris paribus. Et sicuti fortè detractor excusatur, si vita eius necessaria est saluti temporali aut spirituali Reipublicæ, quò minùs teneatur infamato etiam de vita periclitanti cum periculo propriæ vitæ restituere; ita etiam quando fama ablata æquè vtilis est Reipublicæ ac vita sua, excusabitur, eò quòd non restituere famam sibi necessarium sit ad vitam.

*Fama restitui cum vitæ periculo potest.*

Quæres, Vtrùm saltem non liceat exponere vitam vt famam restituas?

Respondeo, Licere. Cùm enim verè debeas, censeris non famam proximi vitæ tuę, sed bonum virtutis iustitiæ proprium vitæ propriæ anteponere, vt benè aduertit Salonius controuersia 16.

Illud denique hîc obseruandum, Quamuis à Soto recedamus in eo, quòd non putemus doctrinam eius vmquam veram esse, præcisè in se consideratis hinc inde fama læsa & vita periclitante; quosdam tamen euentus esse, quibus fama restituenda sit cum periculo vitæ, propter accessorias quasdam considerationes.

*Et aliquando debet.* 1.

Vnus est, Si à te diffamatus ex illa diffamatione laboret simili vitæ periculo, vtpote si ducatur ad supplicium propter tuam detractionem & falsum testimonium, teneris ipse potiùs mortem subire, quàm sinas infamationem tuam hunc effectum sortiri: hoc enim non tam est famam, quàm vitam cum vitæ periculo restituere, ad quod non secùs obligaris, quàm ad restituendam cum simili iactura pecuniaria surreptam pecuniam. Deinde cùm pendeat à tuo maleficio, quasi adhuc in fieri, occisio iniusta proximi, teneris ab eo desistere tamquam intrinsecè malo; non desistis autem, nisi retractando.

Dixi, *ex illa diffamatione*; si enim aliunde quàm te caussante alter periclitetur, quia putatur fecisse quod tu commisisti, non teneris te prodere, etiamsi tui caussa videatur periclitari, vt passim notant DD. Non enim teneris pro infamia quam fortè alter ei intulit, dicens ipsum commisisse quod tu commisisti, ei abstergenda, subire damnum vitæ; periculum enim vitæ quod alteri imminet, tibi ex iustitia, ratione maleficij tui non incumbit auertere.

2. Secundus euentus est, Si per infamiam Regnum sit deuoluendũ ad successorem infidelem, aut tyrannum, vtpote si dixeris falsò, legitimum heredem insidiari patri, aut esse spurium. Damna enim spiritualia quæ inde Reipublicę imminent, præponderant vitæ infamatoris.

Alij casus ex sententia Soti adduntur, sed quorum ex dictis pateat refutatio.

Illud generatim hîc monendum, numquam teneri obtrectatorem, vitæ discrimen restituendo subire, nisi malo adhuc pendente, quod restituendo impediturus sit.

## DVBIVM X.

### *Vtrùm cum Famæ propriæ periculo debeat restituere obtrectator?*

*Quando infamator teneatur cum periculo propriæ famæ.*

COMMVNIS DD. opinio est, Detractorem debere restituere cum propria infamia, quando aliter non potest; nisi eius infamia tanta esset futura, vt irrationabiliter eam pro sua longè minori diluenda, luere detractorem velit infamatus. Ita Petrus Nauarra suprà num. 438. Bannes, Arragon, Pesantius q. 62. art. 2. Soto lib.4.q.6.art.3.ad 4. dub. 2. Couarruuias in Regulam Peccatum, parte 1. num. 6. Ratio prioris partis est, quòd in pari aut ferè pari caussa, melior debeat esse conditio innocentis. Posterioris verò ratio tradita est suprà, quando De excu-

*Quando non.*

santibus à restitutione Dubio 1. Quando enim creditor irrationabiliter inuitus est, quia saltem ex charitate tenetur consentire in dilationem restitutionis, rebus ita stantibus, excusatur debitor. Aduerte tamẽ, ex hac ratione solùm videri colligi, quòd liceat tali ad tempus differre famæ restitutionem, non autem quòd liceat omnino omittere, quando non speratur posteà minori cum incommodo restituenda: imò tunc in proposito etiam cum notabiliter maiori infamia restituẽdam esse, argumento erit doctrina Septimæ propositionis dicto Dub. 1. vbi de debitore pecuniario ex delicto diximus, quòd teneatur restituere, etiam cum maiori suo incommodo, quando non speratur posse sine tali incommodo posteà restituere.

Dicendum nihilominùs in proposito, posse omitti restitutionem famæ in specie, quamdiu durauerit tale incommodum. Quare autem istud potiùs liceat, quàm in opposito casu liceat furi omnino omittere restitutionem, quando ea nunquam futura speratur sine tali ipsius furis incommodo; ratio est, quòd fur aliter in eodem genere, vt suppono, non compenset pecuniam à se ablatam: diffamator autem in nostro casu honorando diffamatum, in eodem genere quodammodò compẽsare possit infamiam. Notandum enim est, eum qui propter notabiliter maius detrimentum famæ excusatur à restituenda fama in seipsa, non excusari quò minùs in honore eam compenset. Denique notandum est, rationem hîc habendam esse, vtrùm detractor mendacio infamauerit, an solùm occultum reuelando. Rursus, an famam quam amitteret retractando, possideat iustè. Quod enim verum fuit crimen, non censetur infamia quam intulit, tam noxia, quatenus ab ipso est, si probabile suberat periculum, etiam aliunde crimen prodendum. Rursum quando malis artibus famam ipse auxit, non ita censetur in suo lædi, etiamsi eius debeat facere iacturam.

## DVBIVM XI.

### *Vtrùm liberet obtrectatorem, quòd Fama aliunde iam sit recuperata?*

*Famâ alibi de recuperatâ liberatur.*

RESPONDEO, Liberare: inæqualitate enim ex parte rei sublata, per se cessat onus æqualitatem reducendi. Ita Siluester verbo Detractio, quæst. 4. Caietanus, & Salonius quæst. 62. art. 2. Sotus lib. 4. suprà, Nauarrus cap. 18. numero 47. Toletus lib. 5. cap. 68. neque alterius opinionis est Adrianus in 4. De restitutione famæ, §. Contra prædicta, quamuis hoc ei impingat Pesantius.

Sequitur tamen ex hac ipsa ratione, non liberari detractorem etiam recuperata fama, quin restituere debeat damna quæ subijt infamatus durante infamia, secundùm superiùs dicta. Item si periculum sit, ne aliquando recrudescat infamia, quod sæpè subesse benè monuit Salonius, teneri quo potest commodo modo, verbi gratia, laudando quem criminatus erat, hoc amoliri. Caueat tamen, ne in memoriam reuocet infamiam; quia, vt rectè Nauarra suprà num. 421. etiam coram illis de peccatis loqui qui habitu ea sciunt, licet actu non recordentur, subinde non caret vitio. Denique non abs re hîc monuit Adrianus Quodlibet. 11. quamuis certum tempus lure statutum sit, quo iniuriarum agere oporteat; infamiæ tamen restituendæ obligationem, nulla temporis præscriptione, nisi obliuionem adducat, deleri.

## DVBIVM XII.

### *Vtrùm hîc liberet obtrectatorem, quòd alio euentu nunc crimen factum sit publicum?*

*Crimine aliunde fa-cto publico quomodo li-ber sit de-tractor.*

RESPONDEO, Liberare. Ita Siluester verbo Detractio, quæst. 4. Nauarra suprà numero 440. Est enim impossibilis restitutio: nam sicuti impossibile est conseruare famam publico peccatori, ita & recuperare.

Limitandum id tamen, ne liber sit à restituendo damno infamiæ, quod intermedio tempore passus est infamatus, siue hoc in eo ipso consideres quòd eo tempore infamiæ subiacuerit, siue in detrimento aliquo consequenti. Liber etiam non erit, si per suam narrationem causſam dederit vt publicum fieret: si enim in se famam non posset reparare, in eodem tamen genere honorando compensabit. Secùs si per alios crimen, etiam iustè, publicatum sit; tunc enim, vt habet probabilis opinio, sufficiet honore compensare, quòd tanto citiùs infamis fuerit, & si quod aliud sit reale detrimentum: ad honorem autem quo famæ secundùm se fiat compensatio, non tenebitur, nisi fortè hoc suo exemplo speret etiam alios infamiam reparaturos, vt hac ratione possibilis fiat restitutio. Probabilius tamen existimo, etiam tunc obligatum fore ad restituendam famam in honore, cuius adhuc capax sit infamatus, vt eiusmodi obligatio solùm cesset, quando crimen sine iniustitia factum est publicum aut notorium, puta per publicum iudicium: tale enim notorium extinguit ius ad famam, atque ita obligationem eiusmodi compensationis, quamuis priora damna adhuc reparanda maneant.

Verùm quid dicendum, si moraliter certò constet infamatum malè perijsse & damnatum esse, puta quia inuadendo alium, vel in duello occisus est?

Respondet Rebellus lib. 4. quæst. 11. cùm iam defierit esse proximus, nihil ei deberi. Quod probabile videtur, quando satis certò constat de damnatione, ita vt pro eo non liceat orare. Illud interim non improbabile, quando de falso crimine fuisset accusatus, qui nunc damnatus creditur, restituendam esse hanc opinionem: damnatus enim non est à veritate vt patiatur contra veritatem. Erit ergo ei quodammodò restituenda fama negatiua in certa materia, non positiua, de qua distinctione diximus suprà Dubio 5. Et non aliud fortè voluit Nauarrus in cap. Inter verba, concluſ. 6. corollar. 19. vbi videtur absolutè admittere, cadere in damnatos omnem infamiam. Quamuis ergo non mereatur restitui sibi famam, quia damnatus est; non meretur tamen de hoc esse infamis, de quo damnari non potuit.

## DVBIVM XIII.

### *Vtrùm excuset, quòd in alio genere detractor læsi Famam auxerit?*

*Non extraduxit in moribus genere famam augendo.*

RESPONDEO, Quando per mendacium non extraduxit in moribus, non sufficere eiusmodi compensationem; quia ad æqualitatem non reparat quod ablatum est. Cùm enim bonum constet partium integritate, & virtutes morales sint connexæ,



nexæ, quando in perfectione sua sumuntur vt inclinant ad opus bonum benè faciendum, vt docet D. Thomas 1.2. quæst. 65. art. 1. & qui offendit in vno, factus est omnium reus, Iacobi 2. fieri non potest, vt integri nominis sit etiam in alijs, qui in vno crimine manet infamis. Neq; enim honorem recuperat, si eum, quem dixeris incontinentem, nunc dicas vnicuique quod suum est tribuere, & in Leges iustitiæ non peccare, aut esse nobilem, diuitem, doctum, liberalem. Si enim fama negatiua, qua quis non habebatur improbus, non restituatur, frustrà fit compensatio in positiua. Vnde sequitur, faciliùs tali compensationi locum esse in illis quæ ad alia bona, præterquam moralis virtutis, pertinent; præsertim quando verus fuit defectus quem detexeris: in eiusmodi enim bonis vix habetur ratio famæ negatiuæ, & potest ad æqualitatem fieri compensatio. Potissimùm autem liberari hîc intelligitur detractor, quando post infamiam eo fine in alio genere laudauerit infamatum, vt compenset: si enim priùs laudasset, non posset posteà liberè vituperare; sicuti non posset ei liberè per furtum auferre, quod antè donasset. Imò detractoris peior in hoc conditio est quàm furis, quòd fur faciliùs excusetur, quò minùs statim ditiori restituat; grauet autem obtrectatorem, quòd infamatus sit ditior in bono famæ, vt tradidit Ioannes Maior, quem sequitur Nauarrus cap. 18. numero 42.

## DVBIVM XIV.

### *Vtrùm qui se mutuò infamarunt, possint vti compensatione?*

*Aliquorum sententia negatiua.*

NON posse, sed debere vtrimque restituere, tenet Caietanus quæst. 62. art. 2. ad 2. Nauarrus suprà numero 47. qui mouetur auctoritate Panormitani in cap. Bona fides, De deposito; sed quæ parum ad rem faciat: & ratione, quòd damnum reciproca infamia non tollatur, sicut in debito pecuniario. Hos sequitur Petrus Nauarra suprà numero 396.

*Affirmatiua uerior.*

Aliorum satis communis opinio admittit hîc compensationem, quasi indirectam & per modum detentionis, quando damnum inæquale est; directam autem & omnimodam, quando æquale, nullaque spes est quòd infamator ex altera parte vmquam restituet. Ita Adrianus in 4. De restitutione famæ, §. Pro responsione; vult enim in fama locum esse compensationi, sicut in pecunijs ablatis, Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 3. ad 4. Toletus lib. 5. cap. 70. Salonius in dictum art. 2. controuers. 23. Rebellus quæst. 13. Hæc opinio verior est, & Probatur ex cap. Tua fraternitas, De adulterijs & stupro; vbi dicitur quòd paria crimina compensatione mutua deleantur, adeò vt ius quod pars priùs læsa in lædentem habebat, ipsa amittat quando vicissim lædit; puta adulterium admittendo maritus ius amittat negandi debitum vxori, quæ priùs adulterium admisit. Secundò, Iura illa vtrimque hîc possunt esse paria, adeoque compensabilia, vt in alijs temporalibus Iuribus fieri potest.

*Casu quibus compẽsatione non est utendũ.*

Moderanda tamen est hæc opinio, ne compensatione putet se liberatum, cuius infamia multò minor fuerit: is enim quod deesse videbitur, compensabit honore aut conuenienti modo secundùm dicta, vt benè monuit Rebellus. Verum quidem est, admodum difficulter iudicari de æqualitate infamiæ, vt ostendit Petrus Nauarra; sed sufficiet eam æqualitatem subesse, quam prudens ex æquo & bono æstimabit, ne propter impossibilem hanc æstimationem necesse sit à communi recedere, vt recessit ipse Nauarra.

Secundò, Quando scandalum alioqui oriretur, teneberis saltem ex charitate restituere, etiamsi propter compensationem quoad iustitiæ rigorem excuseris. Idem Rebellus.

Tertiò, Si famam tuus debitor velit restituere, non potes repudiata restitutione vti compensatione. Imò quandocumque ille voluerit restituere, etiam tu debebis; nisi fortè compensationi accessisset pactum perpetuæ remissionis. Ita ferè Tolerus. Ratio manifesta est, Quia in fama non est compensatio qualis in pecunia, sed solùm indirectè per modum detentionis, quando spes est quòd altera pars restituet: secùs quando iam mortuus est tuus infamator, quem vicissim infamasti; tunc enim locus est directæ compensationi.

Quartò, Compensare non potes reddendo maledictum pro maledicto. Ita Sotus, Nauarra, & alij. Quamuis enim hoc fiat aliquando sine obligatione restitutionis, dum per iniquitatem & iniustitiam redit æqualitas, quæ etat reparanda, sicuti si incenderes ædes eius qui tuas incendit; iniuriam tamen Deus & Iudex vlciscetur: neque enim hîc licet rependere vices, vt in ablata pecunia. Excipe tamen casum, quo fortè crimen quod objicis, defensioni tuæ necessarium esset; tunc enim non peccabis: si autem vtile sit non necessarium, peccas quidem contra charitatem, sed compensatione non indiges, quia non peccasti contra iustitiam. Vnde sic à te læsus deberet nihilominùs tibi famam quam abstulit restituere, si non plenè ipsum infamando te purgasses, etiamsi tu nolles ei vicissim restituere: debitum enim charitatis & creditum iustitiæ minùs functionem inter se admittunt.

Quintò, Etiamsi vtrumque sit debitum iustitiæ, quo tu mihi famam, ego tibi pecuniam debeo, non tamen eò erit extendenda hæc compensationis doctrina, vt fecerunt Rebellus, Ledesma, & Molina tract. 4. disp. 49. quasi possim tibi debitam negare pecuniam, donec famam restituas: hoc enim ex illo prouenit fundamento, quod suprà refutauimus, famam æstimabilem esse pecuniâ, & in pecunia esse restituendam, quando aliter non potest. Deinde magnum incommodum sequitur ex illa opinione contra morem omnem, imò & contra Reipublicæ pacem: mox enim vt quisquam à creditore suo verbo lacessitus fuerit fortè improperantiùs exigente, aut aliqua contumelia affectus, volet pecuniam quam debet, cum accepta hac iniuria compensare; compensationem liquidam obtendet, seque debito exolutum putabit. Hoc verò adeò magni incommodi est, vt vel ideò retinenda sit doctrina Dubij 8. vt ibidem monuimus: nam eamdem hîc & infamiæ & contumeliæ esse rationem, rectè obseruauit Petrus Nauarra.

*Resp. ad argumentum contrariæ sententiæ.*

Ad rationem Nauarri, quam latè probat Nauarra, respondeo ex doctrina dicti cap. Tua fraternitas, Hanc compensationem non fieri per reparationem mutuam, sed potiùs per mutuam læsionẽ: compensatio enim non ideò tantùm à restitutione liberat, quòd sit virtualis quædam repara-

tio (vt subinde considerari poterit) sed quòd inæqualitatem tollat, quod fieri potest tam diminutione eius qui amplius habebat, quàm restitutione in pristinum statum eius, qui ex alterius ablatione minus habebat. Amplius habere censetur, qui iniuriam fecit, etiamsi ad eum nihil inde deuenerit, secundùm doctrinam Philosophi 5. Ethicorum c. 3. minus, qui iniuriam passus. Si ergo & ille læsus offensorem lædat, oritur quædam inter eos æqualitas, non tam quòd realiter aliquid recuperauerit priùs offensus, quàm quòd aliquid æquale amisent offensor.

## DVBIVM XV.

### *Vtrùm valeat & liceat remissio infamati?*

QVANDO liceat remissio propriæ infamiæ, ferè patet ex Dubio 10. superioris Capitis: remittere enim infamiam ijsdem casibus licet, quibus licet seipsum infamare. Imò faciliùs licebit restitutionem propriæ famæ amissæ negligere, quàm nondum amissæ iacturam facere. Quatuor enim ista quasi ordine quodam ita se habent, vt leuissimum sit remittere restitutionem famæ, grauissimum autem infamare se de falso crimine; leuius verò non occultare, quàm de se proferre vera sed occulta crimina, quæ opportunè distinxit Salonius controuersia 23.

*Quãdo infamia remitti possit ab infamato.*

Satis hîc in primis certum est, validè quemquam remittere suam infamiam, quando fama ipsius non complectitur famam alterius, neque peculiariter ei est obnoxia. Suppono enim ex dictis, contra Caietanum, quemquam famæ suæ esse dominum, & in arbitrio esse cuiusque, famæ pati detrimentum, quando alteri non est obnoxia, vt aperta habet sententia D. Thomæ, q.73. art.4.

Certum est Secundò, Saltem contra charitatem eos peccare, qui remittunt restitutionem famæ, quando infamia vergit in periculum aut damnum aliorum, vt ibidem indicat D. Thomas.

Certum est Tertiò, Quando remissio est contra solam charitatem, non esse irritam, sed delere saltem obligationem restituendi ex iustitia; quamuis fortè pro vitando scandalo aut aliàs ex charitate detractor adhuc teneatur aliquando tollere infamiam. Patet, Quia qui de re sui dominij contra charitatem disponit, licet peccet, validè tamen disponit. Ita Nauarra suprà numero 390. Sufficit enim hîc, quòd ille remittat cui debebatur restitutio, alijs autem illis restitutio nulla debebatur, etiamsi fortè contra charitatem in remissione læsi sint.

*Quando nequeat.*

Quartò dicendum videtur, Eum qui famam habet ita ex iustitia alteri obnoxiam, vt remittendo eius restitutionem se faciat impotentem ad reddendum quod proximo debet, peccare contra iustitiam, & inualidè remittere, si aliter ab illo debito se expedire non possit. Et in hoc videntur ferè DD. conuenire. Consulendus Salonius suprà.

Hinc infertur, Prælatum qui cum infamia non potest præstare officium, ad quod ex iustitia obligatur, inualidè remittere infamiam, nisi possit sine iniustitia officium relinquere: tunc enim etiamsi non relinquat, & peccet contra iustitiam remittendo, validè nihilominùs remittet, vt probabilis habet opinio. Secùs si in infamia eius verè infamati sint subditi, puta si passim existimetur talem non posse esse Prælatum, nisi ipsis cooperantibus: tunc enim etiamsi actu relinquat officium, sine ipsis tamen validè non remittit infamiam: secùs si solùm in Prælato infamati sunt, quatenus in genere probrosum est, eiusmodi habere Prælatum. Idem erit iudicium de Religioso infami, respectu Monasterij; nisi quòd faciliùs per eius infamiam traducitur Monasterium, quasi etiam alij in eo similes sint, ita difficiliùs hîc eueniat, vt solius eius remissio liberet obtrectatorem. Imò potiùs solius Monasterij remissio, eo non remittente, liberaret, si Nauarræ credimus. Hoc certius est, restitutionem eius famæ quam aliunde Monasterium possidebat, per obtrectationem contra hunc Religiosum læsæ, non posse remitti per ipsum Religiosum.

Dixi, *qui cum infamia non potest præstare officium*; si enim potest alia virtute, puta humilitate iacturam compensare, valida erit remissio infamiæ, etiamsi non compenset.

Quintò dicendum videtur, Etiamsi infamia patris redundet in filios, secundùm illud Prouerb.17. *Gloria filiorum patres eorum*; si tamen pater infamiam remittat, validam fore eiusmodi remissionem: nisi etiam cum patre saltem tacitè significatus fuisset filius peccasse; tunc enim non sufficeret remissio solius patris. Excipit Nauarra etiam quando non solùm negatiuè, sed positiuè maneret filius ex infamia parentum infamatus, & damnificatus, quod fit in magnis criminibus, vtpote hæresis & læsæ maiestatis.

## DVBIVM XVI.

### *Quomodo Honor per contumeliam læsus sit restituendus?*

RESPONDEO cum D. Thoma quæst. 62. art.2. ad 3. Debere effectum contumeliæ, seu diminutionem dignitatis personæ inhonoratæ reparari per exhibitionem reuerentiæ. Cùm autem ex dignitate & excellentia personæ offensæ, grauitas pendeat contumeliæ; & præstantia reuerentiæ redditæ multùm pendeat ex dignitate reddentis: fit vt in particulari difficiliùs regula hîc statui possit, quid huic pro tali contumelia in talem admissa restituendum sit, sed eò perpetuò respiciendum est, quod pensata vtriusque dignitate & consuetudine humana prudens existimauerit sufficere.

*Remissionẽ petere quibus non sit necesse.*

Vnde sequitur, Aliquando veniam petere non esse necessarium; quo modo Augustinus epist. 109. noluit Superiores à subditis læsis veniam petere, ne regendi frangatur auctoritas, dum nimia seruatur humilitas. Eadem ratio est parentum, dominorum, magistrorum, atque etiam illustrium in Repub. personarum, respectu filiorum, seruorum, discipulorum, & plebeiorum.

Sequitur Secundò, Aliquando non sufficere petitionem veniæ; vt si quis ignobilis de vulgo magnatem grauiter in honore læserit.

Sequitur Tertiò, Si per ignorantiam læsisti etiam Superiorem, non esse necessariam veniæ petitionem, sed satisfacies fatendo ignorantiam, & exhibendo honorem; quo modo Apostolus fecit, quando dixit, *Ignorabam fratres, quòd Princeps Sacerdotum esset.*

Sequi-



Sequitur Quartò, Etiamsi ex malitia contumeliam feceris æquali, non semper opus esse petitione veniæ, quamuis is modus sit conuenientissimus, ideoque in Scriptura commendatus, quæ nos faciles esse vult ad dimittendum veniam petentibus; Lucæ 17. *Si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi.* Quamuis & in eiusmodi Scripturis, vt remissio, qua offensus iubetur remittere, formaliter verbis non debet fieri, ita neque necessariò intelligatur offensoris conuersi pœnitentia in verbali petitione veniæ; sed opus est semper reconciliatione, Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te*, id est, inquit Augustinus, quòd fratrem in aliquo læseris, *relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* Consulendus Caietanus Opusc. 17. quæstionum, quæst. 13. dub. 5. Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 3. ad 5. Salonius suprà, controuersia 24.

*Reconciliatio necessaria, quamuis non petatur venia.*

Neque dictis repugnat, quòd Augustinus Epistola illa 109. præscribat monialibus, vt si qua sororem læserit, veniam petat: hoc enim non ideò præscribit, quòd absolutè Christianis sit necessarium; sed quòd expeditissima illa ratio mutuæ reconciliationis, eis quæ consilium perfectionis secutæ, orationi continuò vacant, commendanda videbatur. Obseruà tamen, non id rigidè præcipi, neque sub pœna electionis; sed dicit, eam quæ numquam veniam petere voluerit, frustrà futuram in Monasterio, etiamsi non inde proijciatur.

At quæres, Vtrùm petitio veniæ fiat pars restitutionis necessaria, quando aliter offensus satisfactionem non admittit.

Refert Rebellus Ledesmam tenentem affirmatiuè, modò non possis in genere honoris aliter ad æqualitatem damnum sarcire; quod verum credo. At sufficit in eodem æqualiter sarcire: petitio enim remissionis seu veniæ non potest magis esse necessaria quàm ipsa remissio; remissio autem creditoris non est necessaria, vbi alia potest esse solutio, vt de famæ & alijs debitis ex dictis constat.

Pecuniariam autem satisfactionem neque tenetur læsus admittere, neque offensor offerre, aut petitam præstare aliter, quàm vt De famæ restitutione diximus.

Quæres Secundò, Vtrùm teneatur restituere honorem, qui sine contumelia solùm omittendo debitum honorem non exhibuit?

*Honor variis modis debitus.*

Respondeo, Honor varijs modis debitus potest intelligi. Primò ex Iustitia commutatiua; quomodo rarius debetur directè & primariò antequam positiuè læsus est. Et quod ad restitutionem attinet, vix contingit eam ex sola omissione eiam tunc deberi, quando directè fuit debitus honor omissus; quia ferè contumeliæ rationem habet, si quis notabiliter omittat honorem exhibere, ad quem ex iustitia obligatur. Imò & in contumeliam positiuam degenerat omissus honor consuetus, præsertim coram alijs. Secundò debetur honos ex debito legali generaliori; quo modo debemus honorem nostris Superioribus. Tertiò ex debito tantùm morali; quo modo debemus in dignitate aliqua constitutis, etiamsi nostri Superiores non sint.

Ex qua distinctione patet, vix contingere vt honor purè omissus ex iustitia sit restituendus. Primo enim modo non purè omittitur, alij verò non obligatione iustitiæ, sed potiùs obseruantiæ, aut alterius virtutis nituntur.

Quæres Tertiò, Vtrùm liberet tamquam remissio virtualis eum qui debet restitutionem honoris aut famæ, quòd læsus eo familiariter nunc vtatur?

Respondeo, Non liberare: est enim signum illud iniuriæ quidem remissæ, & odij depositi; sed cum eiusmodi remissione benè consistit debitum restitutionis, siue illud sit pecuniæ, siue famæ, siue honoris. Ita Pesantius disp. 7. De restitutione, ex Nauarro, Ledesma, & communi. Fateor tamen, eiusmodi familiaritatem plus facere ad præsumendum remissum debitum restituendæ famæ quàm pecuniæ; & plus facere ad præsumendam remissionem honoris, quàm famæ restituendæ.

# TRACTATVS OCTAVVS

## De iniuria & restitutione in Bonis spiritualibus.

## DVBIVM PRIMVM.

### *Quomodo restituet qui læsit in Bono animæ siue innato, siue acquisito?*

IN restituendis ex læsa commutante Iustitia, postremo loco reseruauimus Bona animę, seu spiritualia, quòd ex alijs tamquam magis notis, faciliùs ea intelligantur.

*Qui in naturali bono læsit, tenetur restituere.*

Primò itaque quærimus de naturali bono, vbi licebit intelligere sensus internos, adeoque vsum rationis ex illis pendentem, artes & scientias; de quibus omnibus vnica generalis hîc doctrina est fundatissima & ab omnibus receptissima, Hæc in se, quoad fieri potest, ex iustitia esse restituenda, vbi per iniustitiam læsa vel ablata fuerint: semper autẽ damna quæ restitui possunt, ex eiusmodi læsione aut ablatione causam habentia, compensanda esse secundùm proportionẽ præscriptæ restitutionis in rebus corporalibus.

Vnde benè intulit Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 3. Eos qui se obligarunt ad docendam artem aut scientiam, teneri damnorum ex notabili sua negligentia euenientium: & si falsum docuerint, teneri vera tradere. Imò etiam quando citra iustitiæ obligationem docuissent, teneri saltem indicare, non esse vera quæ tradiderunt.

Infertur Secundò, Eum qui per magiam mentem, memoriam, aut sensum alicuius turbauit, teneri, si absque nouo maleficio potest, puta remouendo signa, læsum sibi restituere: si non potest, tenetur non pro amentia, quæ in se inæstimabilis est, sed pro damnis inde secutis.

## DVBIVM II.

*Quid restituet qui in peccatum cum graui iactura Boni spiritualis, supernaturalis & infusi, proximum, maximè per iniuriam, fraudem, aut dolum induxerit?*

RESPONDEO, Probabile est, etiam ex iustitia in eiusmodi bonis deberi restitutionem, quando per iniustitiam læsa aut adempta sunt; quod fit, quando vis, metus, fraus aut dolus adhibetur, siue in fieri adhuc pendeat nocumentum, siue iam transactum sit, modò sit reparabile. Si autem non interceſſerit vis, metus, fraus, aut dolus, verius videtur, ad eiusmodi reparationem, ex iustitia non teneri eum qui induxit; quamuis Scotus dist. 15. q. 3. art. 1. dicat, etiam talem secundùm iustitiam teneri proximo eiusmodi bonum restituere, quantum sibi possibile fuerit, vtpote inducendo eum efficaciter ad pœnitentiam, & exercitia virtutum. Et si sola inductio non sufficiat, eò quòd facilius sit peruertere quàm conuertere, teneri per se orando, & per aliorum orationes procuratas impetrare ei conuersionem, & per alios suasores efficaces, saluo debito silentio peccati occulti, in viam rectam reducere. Hanc sententiam & alij Scholastici nonnulli secuti videntur, quia saltem indistinctè loquuntur. Richardus eadem dist. art. 5. q. 2. Palude q. 2. art. 2. conclus. 1. Gabriel q. 17. Antoninus 2. parte, tit. 2. cap. 2. §. 1. Adrianus in 4. De restitutione bonorum animæ, Caietanus verbo Restitutio, cap. 7. Sed alij, præsertim recentiores, quoad obligationem quidem charitatis, Scoti sententiam admittunt, videlicet eum qui induxit in peccatum, teneri peculiariter & præ alijs inductum reducere; sed dicunt, non teneri ex iustitia, nisi per iniustitiam induxerit. Hanc sententiam existimo veriorem, eamque tenent Siluester verbo Restitutio 3. q. 1. Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. ad 1. Nauarrus in cap. Noli, De pœnitentia, dist. 1. Valentia hîc disp. 5. q. 6. puncto 5. Petrus Nauarra l. 2. c. 2. num. 50. & alij. Pro responsione itaque

*Ex charitate tenetur, qui peruertit alium.*

DICO PRIMO. Peculiariter saltem ex charitate tenetur conuertere quicumque peruertit. Probatur, Quia videtur quædam proportio, vt sicuti qui per iniuriam nocuit, tenetur ex iustitia restituere; ita qui scandalo nocuit, teneatur ex charitatis obligatione ædificare quod destruxit, & emendare: aliàs enim censetur innouare peccatum scandali, si quando potest, non amouerit offendiculum quod posuit. Deinde vbi non induxi ad peccandum, teneor corripere vt spiritualis medicus; quando autem induxi, teneor non tantùm vt medicus, sed etiam vt vulnerator: ergo tunc ampliùs teneor, & præ alijs, quos etiam ad medendum excitare debeo. Hinc patet, vix præ alijs illum ex charitate teneri, qui omnino paratum ad peccandum induxerit, ad hîc & nunc secum peccandum; moraliter enim vix ille vulnerasse censetur. Ita Salonius controuersia 2. conclus. vlt. Patet etiam, non excusari eum qui ad peccandum induxit, quò minùs ex charitate præ alijs teneatur corripere, & emendationem inducti procurare, quòd peccatum ad quod induxit, non sit contra iustitiam, neque ipsa inductio: est enim talis nihilominùs verè vulnerator proximi, vt meritò ad eius curam peculiariter pertineat medicina. Sanè si peccatum, ad quod inducit, sit offensiuum tertij contra iustitiam, etiamsi respectu inducti, inductio sit solùm contra charitatem, tenebitur inducens tertium illum ex iustitia saltem, id non faciente inducto, restituere indemnem, quamuis ex sola charitate teneatur inductum reducere ad iustitiam.

DICO SECVNDO. Qui sine vi, metu, fraude, dolo, induxerit quem ad peccandum, non tenetur reducere ex iustitia, sed ex sola charitate. Probatur, Quia obligatio restitutionis ex iustitia non potest hîc subesse, nisi ratione læsæ iustitiæ: neque enim hîc est res aliqua accepta, aut contractus, aut quid simile quod inducere queat obligationem restituendi ex iustitia. Non admisit autem iniustitiam, neque fecit iniuriam, quia scienti & volenti non fit iniuria, vt habet Regula Iuris, cap. Scienti, De Regulis Iuris, in 6. Neque enim ius alterius violat, qui ius suum remittenti & relaxanti incommodat; sicuti fur non est, qui non inuito domino rem abstulerit: si enim remissio læsi à restitutione posteà liberat, etiam potest ab initio debitum restitutionis excludere inclusa quædam virtualis remissio eius qui læditur.

Probatur Secundò ex alia Regula Iuris, nu. 62. lib. 6. De Regulis Iuris, quæ habet, Neminem obligari ex consilio, dummodò fraudulentum non fuerit. Ratio huius indicatur lib. 2. §. vlt. ff. Mandati, *Nemo ex consilio obligatur, etiamsi non expediat ei cui dabitur, quia liberum est cuique apud se explorare an expediat sibi consilium.*

Tertiò à simili. Si meo suasu prodigè vitas, tuamque substantiam dissipes, non teneor tibi, cessante dolo, vi, metu. Imò si mihi prodigè dederis precibus inductus, non obligor ex iustitia restituere.

*Qui vi, metu, &c. inducit, tenetur ex iustitia.*

DICO TERTIO. Quando vi, metu, minis, fraude, dolo, ad peccatum induxit, probabile est, teneri ex iustitia non solùm amouere vim, metum, aut dolum, sed etiam congruis medijs curare, vt voluntariè ad mentem redeat, quem quodammodò inuoluntariè à bono statu deturbauit. Probatur, Quia nihil hîc deest ad huiusmodi obligationem: est enim bonum ablatum magni momenti, & maioris quàm temporalia, vt dicit Anacletus Papa cap. Deteriores 6. q. 1. Iniuria sufficiens intercessit: si enim simili modo pecuniam proximo ademisses, secundùm omnes tenereris restituere; similiter si occidisses secundùm corpus, aut vulnerasses, teneretis de damnis reparabilibus, vt patet ex dictis De restitutione furis & homicidæ. Damnum etiam hîc





est per te reparabile, quia potest quis peccatorem conuertere, secundùm illud Iacobi 5. *Si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet quoniã qui conuerti fecerit peccatorem*, &c. Deus quidem conuertit propriè, & homo se, quando peccat, auertit; sed qui potuisti facere eum auerti, potes & facere eum conuerti: & sicuti culparis de conatu, quando tentas peruertere eum qui perseuerat; ita excusaberis, si omni modo conatus fueris conuertere, etiamsi obstinatus manserit.

*Obiect. 1.* Sed obijcies contra Primam assertionem: Peccator eo ipso quo talis, pauperior est ad faciendam hanc spiritualem eleemosynam, vt diximus quando De correptione fraterna: ergo qui induxit, non tenetur præ alijs, aut saltem non tenetur ad correptionem per modum eleemosynæ.

*Resp.* Respondeo, Non sequi; quia fieri potest, vt pauperior magis teneatur ex charitate subuenire, quando alia non sunt paria, puta si ortu vel sorte coniunctior sit egeno: hîc autem ipsa læsio loco sortis cuiusdam accipienda est, ratione cuius huic potiùs succurrere debeas. Fateor tamen, regulariter hoc debitum præ alijs succurrendi non euidenter sub mortali obligare.

*Obiect. 2.* Obijcies contra Secundam assertionem: Etiamsi volenti & scienti adimam vitam corporalem, teneor tamen; ergo etiam quando adimo spiritualem. Neque enim tam eò respiciendum, quòd inuitus non sit, quàm quòd inuitus esse debeat, præcipuè cum maioris momenti sit vita spiritualis.

*Resp.* Respondeo, Quòd in corporali teneat, in causa est, quia consensus proximi non est consensus domini, eò quòd illa vita non sit in hominis dominio, spiritualis autem est in proximi dominio. Neque sufficit quòd deberet esse inuitus; multæ enim donationes & remissiones quas cum peccato faciunt prodigi, validæ sunt, etiamsi in eis debuerint potiùs dissentire.

*Obiect. 3.* Denique obijcies contra Tertiam assertionem: Sufficit, quòd is qui damnum dedit, læsum restituat eò vsque, vt rem suam recuperet si velit, & nisi per ipsum steterit; sic enim suprà Dub. 6. De restitutione detractoris, diximus excusari detractorem, quando dat causam sufficientem reparandæ infamiæ, si per infamatum stet quò minùs ea sit efficax: ergo hîc quoad obligationem iustitiæ sufficiet, quòd seductor fraudem suam aperiat, errorem, vim, metum amoueat; quod superest, arbitrio relinquat seducti iam libertati suæ restituti vtrùm conuerti velit, vt facilè potest, an non.

*Resp. Ad quid teneatur qui vi, metu, &c. seduxit.* Propter hoc argumentum Respondeo &

DICO QVARTO. Verius est & probabilius, quòd qui vi, metu, fraude, aut dolo reduxit, ex iustitia debeat amouere illud ratione cuius inductio eius fuit contra iustitiam, puta vim, metum, fraudem, dolum; ad conuersionem autem seducti non teneatur, nisi ex charitate. Ita contra Rebellum l. 4. q. 14. qui immeritò dicit, contrariam sententiam esse communem. Tenet Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. ad 1. & quidam alij ipsum secuti, Banneſius q. 62. art. 2. Salonius controuersia 2. Beja 2. parte Casuum, casu 3.

Expedit tamen pro maiori luce, adhibere hîc quamdam distinctionem. Sunt enim tria consideranda in eo qui vi, metu, aut dolo seduxit; vis, metus, aut dolus amouendus; damnum spirituale quod voluntariè mixtè, pendente vi, metu, dolo incurrit seductus, cõpensandum; & gratia quæ per peccatum ablata est, restituenda. De Primo non potest esse dubium, quin seductor teneatur ex iustitia vim, metum, & dolum amouere. De Secundo, quamuis maior possit esse difficultas, videbitur enim ad eiusmodi damni reparationem seductorem ex iustitia non teneri, nisi remouendo iniuriam, quæ causa ex parte sua fuit; quia licet hoc damnum ipse dederit, principaliùs tamen dedit ipse peccator, ita vt seductor non teneatur primo loco, si vterque consideretur obnoxius restitutioni. Cùm itaque peccator nunc non teneatur ex iustitia, quia ad seipsum hominis non est iustitia; seductor non tenebitur, quia læsus virtute remittit ei, qui principaliter & primo loco tenetur; quo casu diximus in regulis restitutionis alios non teneri: in principali enim quodammodò eis remissum est. Quod enim quidam dicunt remissionem hîc non valere, benè ostendit Salonius sine fundamento dici, cùm etiam horum bonorum hominem esse dominum suprà, quando De dominio, probauerimus.

Hæc quidem probabiliter; verius tamen dixerimus, si quod spirituale damnum per tuam iniuriam proximus incurrit, quod amota iniuria tua non per se, sed per te possit ipse recuperare, teneri te ex iustitia allaborare vt recuperet, etiamsi mortaliter ipse peccauerit, quia tuæ inductioni acquieuit. Probatur à simili, Quia si per metum eum adegeris ad destruendam rem alterius proximi, principaliter teneris ante ipsum, damnum rei destructæ reparare; neque te excusabit ipsius peccatum. Multò magis autem teneberis proximo de damno spirituali, ad quod ipsum ita adegisti, vt quantumuis voluntate repugnasset, euadere non potuisset; vt si per vim detineas, ne visitando Ecclesias lucretur Indulgentias. quo casu vult Rebellus detinentem teneri detento ex iustitia illud damnum compensare communicatione suarum satisfactionum.

De Tertio, quia post amotam iniuriam magis pendet ab inducto vt Deo reconcilietur, quàm ab eo qui induxit ad peccandum, rectè in assertione nostra dicitur, ad conuersionem talis inducti inductorem amota iniuria sua quam per vim, metum, fraudem, aut dolum intulerat, ex iustitia non teneri.

## DVBIVM III.

*Ad quid teneatur qui abstraxerit quempiam à Religione.*

DICEMVS ordine de nondum ingresso, de Nouitio, de Professo.

*Quomodo teneatur qui non-dum ingressum auertit?* De nondum ingresso DICO PRIMO. Certum est, eum qui nondum ingressum diuertit à Religione, absque vi, metu, aut dolo, etiamsi fortè grauiter peccauerit, quod ex circumstantijs pendet, non teneri ex iustitia quidquam restituere, vel Monasterio quod erat ingressurus, vel ipsi quem auertit; esto vtrique magna ex eiusmodi auersione damna spiritualia aut etiam temporalia euenire videantur. Tenebitur tamen ex æquitate, vel eidem, si potest, suadere vel alteri idoneo ingressum, quando sine iusta causa, fortè etiam

etiam ex odio Religionem dissuasit. Si autem vi, metu, aut dolo auerterit, tenetur ex iustitia iniuriam illam amouere, eumque suæ libertati restituere quem impediuit; imò & ad damna illa tenebitur ex iustitia, quæ inuitus & moraliter seipsum non lædens passus fuerit, qualia hîc spiritualia posse subesse euidens est, sicut suprà De impedito ab Indulgentijs diximus.

*An teneatur ad aliquid Monasterio.*

Monasterio tamen probabile est ex iustitia ad nihil teneri; quia peccatum eius, quatenus est contra Monasterium, videtur potiùs esse contra Religionem, quàm contra iustitiam.

Attamen re penitiùs inspecta, probabilius est etiam ipsi Monasterio teneri de boni illius per ingressum talis viri idonei sperati æstimatione: est enim verè peccatum contra iustitiam, etiam quatenus lædit Monasterium. Si enim impedias per iniustitiam, puta per vim, metum, aut dolum, eum qui vult Monasterio dare centum, teneris Monasterio de centum, aut spe eorum æstimata: etiamsi enim ad illa Monasterium non habuerit ius ante acceptationem promissionis, vel donationis, aut saltem ante ipsam promissionem aut donationem; ius tamen habet, ne per iniuriam à te impediri possit, quò minùs fiat ei promissio vel donatio. Imò ius habet ad æstimationem illius spei obtinendæ donationis, quamuis dependentis à voluntate alterius iam in se inclinatæ. Illud tamen admiserim, non teneri talem dissuasorem Monasterium ingredi, aut alium vt ingrediatur inducere, qui in hoc per se propensus non fuerit: at fortè si quis eum consulat idoneus, qui animum ad idem Monasterium habeat, & alia via restituere non possit, tenetur consulere vt iste ingrediatur, quò sic saltem damnum sarciat, non autem importuniùs instare; ingressus enim Religionis vt prosperum habeat successum & exitum, peculiarem Dei vocationem requirit, & debet esse liber, cap. Præsens 20. quæst. 3. ex Nicolao Papa, qui adducit illud Psal. *Voluntariè sacrificabo tibi*; Psal. 53. & ex alio loco, *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* Addit rationem, Quod enim quis non eligit, non diligit; quod non diligit, facilè cõtemnit. Psal.118.

*Iustæ caussa dissuadendi Religionem.*

At quæres, Quæ sint iustæ caussæ dissuadendi ingressum Religionis?

Respondeo, Vnam esse, si videas eum qui te consulit potiùs temporalem commoditatem spectare, quàm lucrum spirituale. Talis erat ille quem Dominus Luc. 9. à discipulatu suo reiecit, aut sanè monuit, quomodo potiùs pauperem vitam, quàm temporalibus commoditatibus abundantem cogitare debeat, qui Christum non habentem vbi caput reclinet sequi velit.

Secunda caussa erit, Si meliùs in sæculo putatur Deo militaturus quàm in Religione, propter Religiosorum conuersationem minùs ei accommodam, propter corporis infirmitatem: noxij enim sunt Religionibus infirmi, dum propter eos monastica relaxatur disciplina.

Tertia, Si parentes eius opera indigeant.

Quarta, Si impedimentum aliquod habeat ad hanc quam cogitat Religionem. Addo, sicuti Dei est permittere mala vt eueniant bona, ita sæpè diabolum homines incitare ad bonum Religionis, vt inde eueniant mala, quę probabiliter euentura sperat.

*Nouitium extrahens vi, fraude, &c. tenetur exire.*

De Nouitio iam ingresso DICO SECVNDO. Si quis sine vi, metu, aut dolo eum extraxerit, etiamsi fortè peccet grauiter, quia sine iusta caussa id facit; non tamen tenetur extracto, nisi fortè ex æquitate. Si autem per iniuriam, adhibita vi, metu, dolo, omnino tenetur de damnis, sicut dictum est superiori assertione, siue ea vis ipsi Monasterio, siue Nouitio illata sit. Tenetur inquam tam Nouitio, nisi ipse liberè consentiat, quàm Monasterio.

Vtrùm autem teneatur Monasterio, quando sine vi, metu, aut dolo Nouitium extraxit, disputat Rebellus l.4 q.vlt. & resoluit, ex iustitia teneri, eò quòd violet ius custodiæ, quod habet Monasterium in Nouitium, ne quis inde eum sine iusta caussa abducat.

Sed verius est, ex iustitia non teneri. Sicuti enim sine iniuria Monasterij potuit spontè abire Nouitius, ita potest sine vi, fraude, aut dolo persuasus: ius enim custodiæ in Monasterio cessat eo ipso quo Nouitius liberè consentit in abitum, vt in simili diximus de filiafamilias, quando De restitutione stupratoris.

*Professum abducens quomodo teneatur.*

De Professo DICO TERTIO. Si quis Professum inuoluntarium vi, metu, dolo, per iniuriam à Monasterio abstraxerit, tenetur non solùm ab iniuria illa cessare, sed etiam efficere vt per se illata damna, tam abducto quàm Monasterio cessent & compensentur. Patet à minori ex dictis, estque communis DD. quamuis de certitudine dubitet Sotus, & Petrus Nauarra moneat, si vis, metus, aut dolus intentetur non Religioso, sed Monasterio, nihil ex iustitia deberi Monasterio pro lucro cessante ratione abducti Religiosi.

Sed quæritur, Vtrùm teneatur Monasterio de damno tẽporali, qui omnino citra vim, metum, aut dolum persuasit apostasiam vtili alicui Religioso?

Teneri docet Rebellus suprà: sed verius est, ex iustitia non teneri. Ita Sotus lib.4. quæst.6. art. 3. ad 2. Salonius suprà controuers. 3. & alij passim. Neque enim Religiosus ipse de eiusmodi temporalibus damnis tenetur Monasterio, vt monet Pesantius disp. 2. eiusmodi enim lucra non debebat Monasterio ex iustitia, sed ex obedientia aut Religione, adeò vt non obligandus fuerit ad restitutionẽ, etiamsi in Monasterio otiosus fuisset. Aliud est de eo qui seruo suasit fugam; nam & is suipsius fur est quando fugit, vt propterea meritò hîc adducant cap. Si seruus, dist. 54.

Ex dictis patet, rigidam nimis esse sententiam Paludani in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. qui ex iustitia obligat retrahentem à Religione, vt si aliter restituere non possit, ipse ingrediatur: sæpè enim restituere non tenetur, & quando tenetur, non tenetur ad medium illud extraordinarium, vt suprà ostendimus.

TRA-



# TRACTATVS NONVS
## De Iustitia distributiua.

*HACTENVS de Iustitia commutatiua eiusq; obligatione varia in rebus humanis, læsione & restitutione diximus: sequitur Distributiua, qua læditur acceptione personarum, frequenti, & periculis plena, præsertim in Beneficijs Ecclesiasticis, vbi etiam temporale pretium, iustitiæ solet ordinem inuertere per Simoniam. Itaque naturam Iustitiæ distributiuæ in superioribus satis explicatam supponentes, & minora quadam pratereuntes, in tres potissimum partes intenti erimus, totidem Capitibus. Primo enim agemus De Acceptione personarum, Secundo De Beneficijs, Tertio De Simonia. Quamuis enim Simonia sit vitium Religioni oppositum, Tractatui tamen De Beneficijs eius tractatum annectere voluimus, eò quòd abusus iste maximè esse soleat in Beneficijs.*

### CAPVT PRIMVM.
### De Acceptione personarum.

### DVBIVM PRIMVM.
*Quid Personarum acceptio, & quale peccatum?*

*D. Thomas quæst. 63. art. 1.*

*Acceptio personarũ.*

ACCEPTIO personarum, voce ex phrasi Hebræa desumpta, est peccatum oppositum Iustitiæ distributiuæ, in eo situm, quòd agatur contra illius iustitiæ debitam proportionem, respiciendo personam, relicta caussa.

Mouet hîc quamdam quæstionem Vasquez disp. 86. cap. 4. in 1. partem: dicit enim, acceptionem personarum aliquando esse contra Iustitiam commutatiuam, vt si Iudex propter fauorem personæ contra famulum exigentem stipendium pro hero iudicet.

Sed obseruandum est, quando quæritur proportio Arithmetica, non dici acceptionem personarum, etiamsi intuitu personæ contingat declinari à recto, sed solùm quando quæritur proportio Geometrica. Cuius ratio est, quòd priuatio supponat capacitatem habitus, adeoque defectus qui est in acceptione personarum, debet esse materia apta Iustitiæ distributiuæ. Quando autem quæritur proportio Arithmetica, vt fit in Iustitia commutatiua, in latitudine proprij illius considerabilis non ita continetur persona, sed sola res ipsa vtrimque pensanda. Quando autem quæritur proportio Geometrica, vt fit in Iustitia distributiua, considerabilis est persona: non enim sola spectatur res ipsa præstita & reddenda, sed vt ea sit proportio accepti ab hac persona ad acceptum ab altera, quæ est hinc inde præstitorum; vbi manifestum est, aliquam personarum considerationem inuolui. Si ergo in iudicio de debito Iustitiæ commutatiuæ, aut etiam de infligendis pœnis admittatur acceptio personarum, hoc fiet propter læsam saltem proportionem Iustitiæ distributiuæ; adeò enim acceptio personarum Iustitiæ opponitur distributiuæ, non autem commutatiuæ, vt contra Iustitiam commutatiuam non inueniatur, nisi propter læsum modum distributiuæ, qui erat admixtus.

Notandum hîc, etiam personam interdum caussę rationem subire, ita vt esset acceptor personarum, qui personæ rationem non haberet. Quo sensu Philosophus 5. Ethicorum cap. 4. hoc distinguit distributiuam à commutatiua, quòd illa personarum dignitatem attendat, hæc non item. Personam ergo oportet respicere, quando dignitas personæ ad caussæ meritum pertinet.

Acceptio-

*Acceptio personarum est peccatū.*

Acceptionem autem personarum esse peccatum, Fidei est, quia sæpè in Scriptura prohibetur, Leuit. 19. Deuteron. 1. & 16. Psalm. 81. Prouerb. 18. 24. & 28. Ecclesiastici 42. Malachiæ 2. Ioannis 7. & Iacobi 2. Huc pertinet, quòd sæpè Deus dicatur personam non accipere, Deuteronomij 10. 2. Paralip. 19. Lucę 20. Actorum 10. Roman. 2. Galatas 2. Ephes. 6. Coloss. 3. & alibi.

*Deus nō est acceptor personarū.*

Vbi Notandum est, Quando Deus vnum assumit, alterum relinquit, non esse acceptorem personarum, vt benè hîc D. Thomas ad 3. Iustitia enim distributiua versatur quodammodò in illis quæ neque omnino propria sunt distribuentis, neque stricto Iure debentur eis quibus distribuuntur, sed sunt communitatis, vt dictum est Tractatu 1. Quia igitur Dei sunt omnia, tum demum in ipso habet locum Iustitia distributiua, quando aliquo modo se obligauit: præueniendo enim conuentionem, non est acceptor personarum, si vnum relinquat, alterum assumat: nam vt rectè ostendit Augustinus lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 7. *Non est acceptor personarum, qui vni donans, alterum non fraudat*, &c.

Esse autem ex genere suo peccatum mortale acceptionem personarum, ex D. Thoma communiter docent DD. eiusmodi enim argumentum ex ipsius doctrina desumi potest: Omne peccatum contra iustitiam ex genere suo est mortale: acceptio personarum est contra iustitiam; ergo, &c. Maiorem tradit & probat quæst. 59. art. 4. quòd peccatum contra iustitiam includat peccatum contra charitatem quæ est vita animæ; charitas enim inclinat & mouet ad volendum bonum alterius: qui autem contra iustitiam peccat, nocumentum alteri infert, vbi includitur nolle eius bonum. Minor ex dictis patet.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm Personarum acceptio locum habeat in dispensatione spirituali?*

Hic articulus potissimùm procedit de Beneficijs Ecclesiasticis, de quibus Cap. sequenti. Nunc ergo in genere solùm dicimus, etiam in spiritualium dispensatione locū habere acceptionem personarum cum D. Thoma hîc art. 2. Neque magna potest esse dubitandi ratio, cùm hæc bona temporalibus aut corporalibus præstantiora sint, imò quædam tam præstantia, vt à solo Deo exspectanda sint, qualia sunt diuinæ gratiæ dona, in quibus distribuendis Deum non esse personarum acceptorem, dicit se in veritate comperisse D. Petrus Actorum 10. hoc enim non solùm diuinæ rectitudini naturali repugnat, sed etiam naturæ gratiæ: non enim est acceptio personarum, nisi vbi læditur iustitia & ius alterius; ius autem vel debitum non est, vbi gratia mera: de quo videre licet D. Augustinum citatum superiori Dubio.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm Personarum acceptio locum habeat in exhibitione honoris & reuerentiæ?*

*D. Thomas art. 3.*

Responsio affirmatiua patet ex cap. 2. Iacobi, vbi reprehendit diuitis honorem, quia diues est: alioqui benè monet D. Thomas, posse honorari diuitem propter officium quod fortè habet.

Sed quærit Salonius, Vtrùm hoc intelligendum sit de honore tantùm externo, an verò de integro honore, comprehendente etiam internum: & rectè amplectitur posteriorem dicendi modum, vt verè & ex animo honoremus Magistratus etiam malos, quod Apostolus de dominis seruos monuit ad Ephes. 6. ad Coloss. 3. Vt enim verè Reges verè Magistratus sunt, non tantùm exteriori specie simulati, ita verus, non tantùm externus eis debetur honor. Quamuis enim vera non sit eorum virtus, verè tamen in eis relucet tamquam in imagine virtus vera: secùs dicendum de priuato, qui virtutem exteriùs simulare scitur. Aduertendum etiam, honorare solo externo honore diuitem quia diues est, non videri prohibi- *Diuitis quomodo honorandi.*
tum apud Iacobum, qui se loqui de honore ex interiori æstimatione satis indicat, quando dicit, *Nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis Iudices cogitationum iniquarum*? præsertim cùm externo illo honore excipere diuites, passim vsu receptum, & ad vrbanitatem pertinere videatur. Magis autem serius debetur honor vero Magi- *Quomodo Magistratui.*
stratui, etiamsi malæ sit vitæ: Magistratus enim vt imago quædam Dei consideratur, & in ipso Deus honoratur; dies autem qui non prodest Reipublicæ, instrumentum habet virtutis quo non vtitur. Sufficiet itaque ei externus honos aliqualis in corpore, quod animæ instrumentum est, vel (vt D. Thomas Quodlibeto 10. art. 12.) licet fidelibus honorare eiusmodi diuites honoribus, qui ad externum conuictum pertinent, vt ciuitas Dei Babyloni, in qua peregrinatur, in illis quæ contra Deum non sunt, sese accommodet, secundùm doctrinam D. Augustini lib. 19. De ciuitate cap. 17. Iacobus autem locutus est de honore, qui ad Ecclesiasticam cōmunionem pertinet: de conuentu enim Ecclesiastico agit, & initio præmittit: *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ*; quasi dicat, in ijs quæ ad fidem pertinent. Hoc modo commodè accipi poterit D. Augustinus Epistol. 29. & ferè sequitur Sotus lib. 3. quæst. 6. art. 6.

Alia hîc quæstio est, Quando debeat in hac materia censeri mortale peccatum acceptio personarum?

Respondeo, Non satis accuratam hîc videri eorum distinctionem, qui volunt quòd in publicis honoribus acceptioni personarum locus sit, non in in priuatis: eò quòd publici soli sint debiti, priuati autem gratis exhibeantur, ideoque in publicis peccari mortaliter, nisi materiæ leuitas excuset; in priuatis autem honoribus exhibitis ex genere suo solùm peccari venialiter, etiamsi debita proportio non seruetur. Hæc, inquam, distinctio non placet: quamuis enim facilius in publicis peccetur mortaliter, non tamen rectè dicitur, in priuatis ex genere suo solùm esse veniale, aut non pertinere ad acceptionem personarum. Quamuis enim proximus in actus tuos, quibus honoras, per se consideratos ius non habeat, ius tamen in eos habet, ne dum per eos quasi distributoris tibi munus sumis ordinis inter plures quasi constituendi, diuerso ordine ipsi in honore notabiliter noceas. *Quando acceptio personarum sit peccatum mortale.*

D V-



## DVBIVM IV.

### *Vtrùm in iudicijs locum habeat peccatum Acceptionis personarum?*

*D. Thomas art. 4.*

Respondeo, Certum est, locum habere. Psal. 81. *Vsquequò iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis*? Prouerb. 18. Ecclesiastici 42. & alibi sæpè. Iudex enim formaliter videtur seruare proportionem Iustitiæ distributiuæ, quando inter duos, inter quos est inæqualitas, reducit æqualitatem. Quamuis enim ipsa æqualitas quæ reducitur, aliquando sit Iustitiæ commutatiuæ, aliquando distributiuæ, spectando rem iudicatam; in ipsa tamen forma iudicij etiam seruatur proportio distributiuæ, quando vni adimitur, quod alteri adijcitur de bono illo de quo litigatur, tamquam de communi, eo ipso quo iudicio subiectum est: Iudex enim tamquam vicarius communitatis, quasi de nouo hactenus indiuisum debet distribuere partibus collitigantibus, inspectis vtrimque causæ meritis, & semota consideratione personæ, nisi quatenus etiam ipsa ad meritum causæ confert. Atq; hæc videtur fuisse mens D. Thomæ, quamuis Vasquez suprà citatus dicat, vix commodam explicationem admittere eius doctrinam, quæ habet, personarum acceptionem in iudicio etiam tunc opponi Iustitiæ distributiuæ, quando Iudex contra iustitiam ab vno accipit, & alteri dat in materia commutatiuæ Iustitiæ. Nunc enim facilè intelligitur, quomodo hîc D. Thomas consideret proportionem Geometricam; vult enim Iudicem inuenire quam proportionem Titius & Sempronius habeant in merito causæ; & tum pronuntiando efficere, vt eamdem proportionem habeant in bono pro quo litigant, quod locum habet etiam quando agitur in iudicio de reparanda Iustitia commutatiua.

Quæres Primò, Vtrùm in illis quæ Lex arbitrio Iudicis permittit, possit esse locus acceptioni personarum.

*In relicto arbitrio Iudicis, acceptio personarum inuaditur.*

Respondeo, Posse: non enim committitur arbitrio Iudicis, vt cui voluerit, rem adiudicet; sed vt Lege positiua particulari solutus, secundùm communes Iustitiæ Leges ei adiudicet, cuius causa benè discussa id mereri videbitur. Non ergo defertur Iudici vt præter meritum iudicet, sed vt quis mereatur dispiciat.

Excipienda tamen illa, quæ ita in fauorem solius Iudicis eius permissa sunt arbitrio, vt sine præiudicio partis aduersæ vni concedi valeant, alteri negari; puta si in gratiam partis alterius iudicet die festo, quo iudicare non tenetur, nisi velit. Ita Salonius controuers. 1. in hunc articulum.

Inde infertur, Peccare Iudicem acceptione personarum, quando vni parti concedit longiorem terminum quàm alteri, etiamsi altera inde detrimentum non patiatur, & termini concessio sit in arbitrio Iudicis. Item quando citiùs finit causam recentiorem, cæteris paribus. Sotus tamen lib. 3. quæst. 6. art. 5. existimauit, in talibus non peccare Iudicem, alteri parti gratificando sine damno alterius & scandalo. Nihilominùs quod diximus, verius est, nisi fortè in casu vbi illius partis, cui gratificatur, iustitia liquidò esset Iudici perspecta, aut vna pars difficiliùs inueniret aduocatum, propter suam paupertatem, aut aduersarij potentiam; tunc enim quia grauaretur pauper, & paupertas transit in causæ meritum, locum habet illud Ecclesiastici 4. *In iudicando esto pupillis misericors vt pater*. Aliàs hoc non concurrente, seruandum illud Exodi 23. *Pauperis quoque non misereberis in iudicio.*

Quæres Secundò, Vtrùm Iudex peccet acceptione personarum, si pro amico iudicet, cui sententia probabilis fauet, etiamsi aduersæ partis non minùs probabilis sit causa.

Respondeo; Verius est, non posse Iudicem in ciuilibus iudicare secundùm sententiam probabilem in quæstione facti, contra eam quam habet pro probabiliori, sine aperta acceptione personarum. Ita Salonius controuersia 2. qui testatur esse communem, & ab omnibus receptam. Ratio est, Quia debet Ius dicere secundùm merita causarum, & pronuntiare secundùm illum qui probationibus vicit. *Quando Iudex peccet iudicādo pro amico secundùm sententiam probabilem?*

Dico, *in ciuilibus*; quia in criminalibus potest Iudex absoluere reum, habentem probabilem causam, etiamsi accusator habeat probabiliorem, saltem quando id sine graui detrimento fit accusatoris: neque enim posset tunc accusatorem damnare ad pœnam talionis. Ita quidam recentiores, & fundatum est in Regula Iuris, quæ habet, *Quando iura partium ambigua sunt, potiùs reo quàm actori fauendum.* Item in alia Lege, quæ vult, ad condemnandum debere probationes esse luce meridiana clariores. Vnde contra Salonium infero, Isto casu non tantùm posse, sed debere Iudicem abstinere à condemnando reo, saltem pœna ordinaria.

Dico, *in quæstione facti*; quia quando quæritur quid Iuris, tenetur quidem Iudex supremus sequi sententiam quam ipse putat probabiliorem, vt benè probat Vasquez 1. 2. tom. 1. disp. 64. cap. 2. sed Iudex inferior potest sequi communiorem, & in praxi receptam, etiamsi contrariam existimet probabiliorem, vt tradit Rosella verbo Opinio; nam alioqui periclitaretur in appellatione eius sententia.

Sed quid faciet Iudex, quando vtrimque æquè probabilis est opinio, poteritne in ciuilibus iudicare pro amico?

Celebris hæc quæstio est. Affirmantem partem cum nonnullis tenet Valentia hîc disp. 5. quæst. 7. puncto 4. Probatur, In illis quæ libera & gratuita sunt, non est acceptio personarum, quæ Iustitiæ distributiuæ opponitur, vt patet ex dictis: hîc autem Iudex videtur esse liber, quia cùm vterque sit æquè dignus, Iustitiæ distributiuæ legibus non astringitur, vt vni potiùs quàm alteri faueat: potest ergo pro arbitrio se resoluere, sicuti collator, quando plures æquè digni sunt Beneficio.

Salonius distinguit; quando enim vtrimque æquè probabilis opinio versaretur circa factum, puta quia vtraque pars æquè probabiliter factum suum probat, existimat, debere Iudicem partes inter se componere, vel si res de qua litigatur, sit diuisibilis, ex æquo eam diuidere: quando autem probabilis vtrimque opinio versaretur circa Ius ipsum, & ipse Iudex vtramque opinionem haberet æquè probabilem, putat Salonius, eum posse iudicare pro quo voluerit, & modò hanc, modò oppositam sequi opinionem, quando scandalum abesset.

Cæterùm quamuis opinio Valentiæ, præcipuè

cum ista moderatione Salonij, sit probabilis; veriorem tamen existimo eam, quæ dicit, in vtroque casu & indistinctè siue agatur de facto, siue de Iure, debere Iudicem in causa pari vtrique parti parem sese exhibere, & pronuntiare, rem aut pretium eius inter partes æqualiter diuidendam; & fore acceptorem personarum, si pro amico iudicauerit. Ita Banneſius hoc articulo, Nauarrus in cap. Si quis, De pœnitentia, dist.7. numero 130. Moueor, quòd Iudex quasi Lex quædam animata constituatur ad Ius suum partibus tribuendum, æquale autem Ius vtrimque in proposito habent: oportet ergo rem æqualiter inter partes diuidat, hoc enim Lex factura esset, si animata esset.

*In causa vtrinque æquè probabili, media via procedendum.*

Neque mouet quod Valentia pro se adduxit, quasi hîc liber sit Iudex, vt cui vult adiudicet, quia vni non teneatur præ altero: hoc enim non sufficit. Nam sicuti liber non est vt neutri det, ita neque vt illi totum det cui placuerit, sed debet æqualiter diuidere, si res eiusmodi sit, vt in se aut secundùm pretium suum, aut secundùm fructus soleat diuidi; quocirca etiam ex officio & Beneficio litigioso oporteret alteri parti pensionem relinquere. Secùs est in collatore, qui ex pluribus æquè dignis potest sibi placentem eligere, nulla alijs facta compensatione, partim quia ne quidem coloratum titulum habent, partim quia Beneficia sunt sine diminutione conferenda, & hoc ipsum redundaret in detrimentum Ecclesiæ, si in tot partes fructus Beneficij essent diuidendi, quot pro eo digni concurrerent. Nullus ergo est casus pro amico, quo liberum sit Iudici, amico suo gratificari; sed sicuti verum non est nisi vnum, ita & iustum respectu eiusdem obiecti. Itaque in illis quæ per nostri iudicij defectum, opinionum aduersarum æquilibrium, vel aliter nobis ambigua sunt, media eligenda est via, vel rem diuidendo, vel partes ad compositionem inducendo seu compellendo.

*Obiect.*

Dices, Illa quæ facti sunt, ad iura partium spectant: sed diuersitas opinionum circa ea quæ sunt Iuris, se tenet ex parte Iudicis, qui communi bono prospicere, & eligere opinionem qua communi bono consulat, debet; ergo in ijs quæ facti sunt, Iudex in pari probabilitate rem diuidere, sed in ijs quæ Iuris sunt, poterit alterutram sequi opinionem, quam maluerit, & modò hanc, modò illam, si scandalum abfuerit?

*Resp.*

Respondeo; Propter hoc argumentum ita tenet Sanchius lib 1. cap. 9. in Decalogum. Non videtur tamen solida eiusmodi ratiocinatio: quamuis enim sit Iudicis, Legum habere notitiam, & partium sua facta probare; certum tamen est, ius partium non minùs ex Lege quàm ex facto pendere: Lex enim habet locum maioris, factum verò minoris in practico syllogismo, quo sententiam concludit Iudex. Itaque non minùs debet causa censeri incerta ex dubio Iuris, quàm ex dubio facti: graue autem est, quòd in causa dubia certa proferatur sententia, vt benè dixit Gregorius lib. 8. epist. 30. & refertur cap. Graue 11. quæst. 3. *Graue est & satis indecens, vt in re dubia, certa detur sententia.* Verum est quòd cap. vlt. 30. quæst. 3. certa proferatur sententia, vbi ius erat dubium; sed fertur in fauorem Matrimonij, quæ causa priuilegiata est, ita vt in pari probabilitate opinionum pro Matrimonio iudicare debeat Iudex, vt diximus 1.2.disp.86. propositione 9. Sanè quod Sanchius dicit, Iudici incumbere decidere inter opiniones de intellectu Legis, non facit vt nulla vel minor fiat iniuria parti, dum in causa incerta, certa contra eam sententia fertur; sed potiùs eò iniuria est maior, quòd non ex neglectu partis, vt in rebus facti solet, sed aliunde accidat.

Illud Postremò hîc aduerterim, ad acceptionem personarum reijciendum id fore, si Iudex parti suggerat quod allegare vel probare neglexit: hoc enim est non Iudicis, sed partis vices gerere, & aduersæ parti iniuriam facere, quæ ius habet, vt pro se sententia proferatur secundùm allegata & probata.

## DVBIVM V.

### *Vtrùm Acceptio personarum locum habeat in collatione officiorum sæcularium?*

VIDETVR non habere: qui enim potest rem suam vendere plus offerenti, non est personarum acceptor, etiamsi minùs merito eam donauerit præterito digniore; ergo cùm Princeps possit officia sæcularia vendere, poterit ea conferre etiam minùs dignis sibi placentibus, sine vlla specie acceptionis personarum.

*Affirmatiua sententia verior.*

Nihilominùs dicendum est, non licere Principi conferre officia sæcularia indignioribus, prætermissis dignioribus; imò mortale foret peccatum acceptionis personarum, quando eiusmodi munera fuerint magni momenti. Neque enim Principes sunt domini eiusmodi officiorum, sed Respublica eis commisit dispensationem, & eorum distributionem, intendens idoneos habere officiarios, & spe promotionis ad virtutem ciues excitari. Vnde patet, peccari contra Rempublicam, & quodammodò etiam contra præteritum, quando minùs dignus assumitur. Si tamen ipsa Respub. per se minùs idoneum assumeret, vult Lælius non magis hoc ad cuiusquam iniuriam spectaturum, quàm si quis operarium minùs idoneum sibi conducat, postposito alio magis idoneo: quod magis generale quàm verum est; quia saltem contra digniores præteritos aliqualiter peccatur, nisi fortè & ipsi ponantur consensisse electioni minùs digni.

Ad argumentum in contrarium respondeo, Celebris est inter DD. quæstio, Vtrùm hæc officia possint vendi?

Fuerunt qui dicerent, Principem habere eorum absolutum dominium, atque adeò pro libito posse vendere. Hos tacito nomine refert Sotus lib.4. quæst. 6. artic. 4. & Arragonius hîc quæst. 63. artic. 2.

Alij absolutè damnarunt eiusmodi venditionem tamquam ex natura rei illicitam. Ita Adrianus in 4 De restitut. §. Ex his oritur. Quamuis enim in hac venditione non appareat iniustitia ex inæqualitate rei datæ & acceptæ, quò respexerit D. Thomas, quando in Opusculo suo ad Ducissam Brabantiæ dicit, se in ea non videre rationem illiciti. Dicunt tamen, teuerà distributorem non solùm præter officium suum facere hæc munera vendendo, eoque acceptionem incurrere personarum, sed vsurpando venditionem rei non suæ, etiam contra Iustitiam commutatiuam peccare.

*Vendere officia secularia vix an ullo quin sit.*

Media sententia, eaque probabilior dicit, ex natura rei non esse ita illicitam hanc venditionem



quin licitè fieri possit concurrentibus certis circumstantijs; esse tamen (vt communiter concurrunt circumstantiæ) non solùm turpem, sed Reipub. perniciosam, ideoque Iure ciuili & quorumdam Regnorum peculiari Lege, atque etiam à Sede Apostolica per Bullam Pij V. meritò esse interdictam, & omnino dissuadendam. Ita videtur sensisse D. Thomas dicto Opusculo, Caietanus verbo Officiorum sæcularium venalitas, Sotus, Arragon suprà, Rebellus lib. 9. q. 18. sect. 2. Nauarrus cap. 25. num. 7.

Prior pars Probatur, Quia saltem ratione emolumenti pretio æstimabile est eiusmodi officium, & potestas illud vendendi non deest in Republica, cùm ea vt totam super se iurisdictionem, ita & partem aut aliquam subordinatam partis administrationem vendere possit. Itaque Princeps cui ex magna causa & necessitate Respub. concessisse eiusmodi potestatem censetur, vendere talia officia poterit, vti & alij ex Principis auctoritate, aut sanè ex consuetudine legitimè præscripta saltem ea vendere poterunt, quæ magni non fuerint momenti, neque iurisdictionem habuerint annexam, si modò probis & idoneis vendant, & non immensa licitatione, sed taxato moderato & certo pretio, taxatis etiam iuribus sic promotorum, ne populum immodica exactione grauent. Iurisdictionem autem habentia, his concurrentibus, solus Princeps, aut hac in parte eius vel Reipublicæ potestatem habens vendere poterit, idque non nisi ex magna necessitate.

Posterior pars patet ex Constitutione 8. Iustiniani in Nouellis, vbi multa contra venditionem officiorum statuuntur, & inter reliqua dicitur, eam esse omnium malorum causam: & pecuniam ex officijs conquirere, esse omnium flagitiorum principium & finem. Item ex Motu proprio Pij V. apud Nauar. suprà. Denique euidens est ratio. Si enim pecuniâ, non virtute pateat via ad officia & Magistratus, non facilè poterunt ad ea peruenire quos Lex diuina vult assumi ofores auaritiæ, & studiosi virtutis, sed constituentur vindices iustitiæ qui eam assueti fuerint violare, & indubiè magno Reipub. incommodo, quod cupiditate iniqua collegerant, impensum, iniquiori recuperare tentabunt.

Ex dictis intulit Salonius hîc articulo 2. controuers. 8. peccare illos Dynastas superiorem agnoscentes, qui reseruant sibi pensionem ex officio sæculari quod conferunt. Item eum qui habet à Rege facultatem officium transferendi, non propterea posse illud vendere, nisi etiam vendendi expressa facultas accesserit, aut saltem tacita: vt si Rex concedat illis officium, cum potestate transferendi quos nouit solere vendere, aut si concedat patri vt transferat in aliquem filiorum sibi placentem; tunc enim pater alijs filijs pensionem videtur posse reseruare.

Sed quæres, Vtrùm qui sine potestate vendendi illicitè vendidit, teneatur restituere pretium, si habuerit facultatem transferendi?

Negant nonnulli apud Salonium, inter quos Petrus Soto. Cùm enim habeat potestatem transferendi, & viro idoneo transferat iusto pretio, non videtur aut emptori, aut Reipub. teneri.

Rebellus putat teneri restituere, eò quòd contractus fuerit ab initio irritus, & venditor rem vendiderit non suam quoad venditionem. Quod etiam magis placuit Dominico Soto, & Salonio, eò quòd Leges communi sensu non tantùm prohibere censeantur eiusmodi venditionem, sed omnino irritare. Et hoc videtur verius: scopus enim Legis est, ne contra bonum publicum, priuatorum occulta auaritia prævaleat, quod commodissimè impeditur si contractus fiat ipso Iure nullus. Argumentum ex cap. vlt. De Regulis Iuris, in 6. & cap. Plerique 14. q. 3.

# CAPVT II.

## *De Beneficijs Ecclesiasticis.*

## DVBIVM I.

### *Quid Beneficium Ecclesiasticum, & quotuplex?*

BENEFICIORVM origo ex Religione est, cuius cùm aliquam speciem omnes ab initio gentes habuerint, quasi Iure quodam gentium annona quædam constituta ijs qui rei sacræ curandæ deputantur: sic enim in Ægypto Sacerdotibus ex publico vitæ necessaria suppeditata in Genesi cap. 47. legimus. Sic tempore Legis, postquam non iam capita familiarum aut primogeniti, sed ex certa tribu ad hoc delecti in populo Dei cœperunt rem diuinam facere, decimæ, primitiæ, oblationes Leuiticis templi ministris constitutæ sunt; & tempore Iudicum, etiam apud idololatras in domo Michæ, stipendium sacrum leuitico Sacerdoti assignatum legimus. Fuit itaque & in noua Lege eius rei cura habita, vt qui altari ministrarent, de altari viuerent: sed quia Clerici communem vitam aliquamdiu egerunt, non fuit opus Ecclesiastici prouentus distributione, nisi quando vitæ illa communio desijt. Tunc itaque Beneficia Ecclesiastica orta, sumpta nimirum ex bonis Ecclesiæ, & singulis attributa certa portione, quam Beneficij nomine appellare cœperunt, eò quòd ius illud percipiendi temporalis subsidij, intuitu spiritualis officij, Clerico loco alicuius Beneficij esse videretur. *Iudic.17.*

*Beneficium Ecclesiasticum.*

Est ergo Ecclesiasticum beneficium Iuris Ecclesiastici quædam portio, perpetuò percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis personæ Ecclesiasticæ, Ecclesiæ auctoritate constitutum in propriam suam sustentationem, vt expleat spirituale officium, sibi ex speciali titulo incumbens.

Est inquam *Iuris Ecclesiastici quædam portio*: neque enim bona ipsa immobilia, aut fructus, aut denique titulus propriè sunt ipsum Beneficium, sed titulus Beneficij, & potestas explendi talis spiritualis muneris, fundamentum sunt Beneficij, siue potestatis recipiendi eiusmodi fructus; ipse autem fructus obiectum quodammodò huius potestatis.

*Differt à pensione.*

Est *Ius perpetuum percipiendorũ fructuum*, non ad tempus; Ecclesiastica enim Beneficia natura sua in perpetuum durant: quo differunt à pensionibus Ecclesiasticis etiam perpetuis, quia perpetuitatem iustæ non habent natura sua. Vnde etiam fit, vt Beneficium habeat vniuersitatem & corpus bonorum, & sit quasi persona quædam ficta, cui vt peculio, vel hereditati, aut Capitulo quæri potest, non autem pensio etiam perpetua.

Est *Ius proprium personæ Ecclesiasticæ*: laicus enim incapax est, cap. Ex litteris, De transactionibus;

*Mulier potest habere Beneficium.*

nibus; non tamen mulier. Vnde patet, non solos Clericos esse capaces Beneficiorum, nisi Clericorum nomine etiam mulieres diuino Officio vacantes intelligas, vt facit Pesantius q. 62. art. 2. disp. 1. De Beneficijs. Excluditur ergo hac parte Præbenda separata à Canonicatu; nam illa dari potest etiam laico, vt tradit Glossa in cap. 9. De constitutionibus, & Siluester verbo Beneficium 3. q. 4.

Dico, *Ecclesiæ auctoritate*; quia sine auctoritate Pontificis, Episcopi, vel Ordinarij nō potest erigi Beneficium. Argumentum ex c. Ad hæc, De religiosis domibus, cap. Cùm laici, & cap. Nobis, De Iure patronatus, & cap. Nullus, De consecratione, dist. 1. Ecclesiæ enim Episcopales vel Archiepiscopales non possunt erigi sine auctoritate summi Pontificis, cap. Mutationes 7. q. 1. ex Antero Papa. Quare quòd Iustinianus ex Episcopatu Iustinianæ l. fecerit Archiepiscopatum, vt patet Nouella 11. oportet à summo Pontifice vt ratum fuerit, vel prequio vel accessorio consensu fuisse confirmatum, vt benè monuit Petrus Gregorius, tract. De Beneficijs cap. 13. Ad Apostolicæ Sedis auctoritatem pertinere erectionem nouorum Episcopatuum & Archiepiscopatuum, disertis verbis tradit D. Bernardus epist. 131. *Potest Ecclesia Romana, si vtile iudicauerit nouos ordinare Episcopatus, vbi hactenus non fuerunt; potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit, ita vt de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & è conuerso, si necesse visum fuerit.* Beneficia inferiora in locis non exemptis possunt ab Ordinario creari, diuidi, & vniri, cap. Sicut vnire, De excessibus Prælatorum; sine eius auctoritate constitui non possunt, cap. Quidam Monachorum 18. q. 2. ex Concil. Chalcedonensi. In locis exemptis consulendus Pontifex, in loco non exempto etiam ab exemptis Episcopus. Alexander I V. cap. Auctoritate, De priuilegijs, in 6. Hinc patet, Missarum fundationem per testamentum laici factam, non esse Beneficium, de qua re vide Wamesium tom. 1. consil. 231.

Dico, *in propriam sustentationem*; in sustentationem quidem, quia Beneficia non sunt propriè merces officij; illa enim exspectanda est à Domino: sed sunt in sustentationem gratis Deo seruientium, & certo loco suum ministerium adicentium. In propriam autem, quia si reditus accipiantur in sustentationem aliorum principaliter, vt accipiunt Præfecti hospitalium, non est Beneficium, Clementina 2. De religiosis domibus. Debet etiam officium, pro quo instituitur Beneficium, esse spirituale, aliàs non erit Beneficium; quomodo feudum Ecclesiæ non est Beneficium, vt obseruauit Pesantius. Debet etiam specialis esse titulus: non enim habet Beneficium Canonicus, qui admissus est ad Collegium vbi Præbendæ non sunt diuisæ, neque certus est earum numerus, sed habet ius quoddam, quod cum ipso electo nascitur, & desinit cum defuncto, vt dicitur cap. Dilecto, De Præbendis.

*Diuiditur in Propriè dictum & Impropriè dictum.*

Diuisiones Beneficiorum variæ sunt. Vna admodum generalis, in Beneficium propriè dictum & impropriè acceptum. Propriè dictum iam definiuimus. Impropriè dictum, quod affinitatem quidem habet cum illis quæ propriè sunt Beneficia, deficit tamen in aliquâ parte dictæ definitionis, quales sunt Coadiutoriæ, Pensio Ecclesiastica super Beneficio, Canonicatus absque Præbenda, Præstimonium quod sine onere est spirituali aut residentiæ, Beneficia manualia regularia, quæ ad nutum Superioris dantur Regularibus, Commenda Beneficij ad tempus facta, Vicariæ, & similia officia Ecclesiastica, de quibus hîc non agimus.

*Secunda diuisio in Maiora & Minora.*

Itaque quæ propriè sunt Beneficia, diuiduntur in maiora & minora: huius enim distinctionis fit mentio in cap. Maioribus, De Præbendis, & cap. Tua nobis, De verborum significatione. Maiora sunt Abbatiæ, Episcopatus, Cardinalatus, & quidquid supra hæc est: nam & Papatus Beneficium vocatur cap. 1. De maledicis. Reliqua minora dici possunt. Attamen etiam inter illa quædam dignitates dicuntur. Est autem dignitas, si Rebuffo credimus, quædam præeminentia cum iurisdictione. Petrus Gregorius generaliùs accipit pro qualibet prærogatiua in Ecclesia. Verùm in eiusmodi vocibus attendenda erit Ecclesiastica consuetudo. Consulendus Siluester verbo Dignitas.

*Dignitas quæ?*

*Tertia diuisio in Curata & Simplicem.*

Item Beneficia alia curam habent animarum, alia non habent. Prioris generis subdiuidit Caietanus in omnino talia qualis est Episcopatus; & non ita perfectè talia, vt est Ecclesia parochialis. Curatum Beneficium diuidi potest secundùm duplex forum, conscientiæ & externum.

Quando Beneficium iurisdictionem habet fori exterioris, dici solet Prælatura. Et hæc quidem ex obiecto sumitur diuisio.

*Quarta diuisio in Regularia & Secularia.*

Ex subiecto autem diuiduntur Beneficia in regularia & sæcularia. Regularia, quæ Religiosis astricta sunt per fundationem, Superioris constitutionem, consuetudinem aut præscriptionem. Sæcularia, quæ Clericis sæcularibus cedunt. Commendari tamen sine mutatione propriæ conditionis solent interdum Beneficia regularia sæcularibus. De eiusmodi commendis fit mentio causa 21. q. 1. cap. Qui plures, & cap. Nemo deinceps, De electione, in 6. Præsumitur autem Beneficium in dubio sæculare, vt docet Rebuffus 1. parte, De Beneficijs, cap. 4.

*Saecularia.*

*Quinta diuisio in Patronata & Non patronata.*

Ab efficiente sumitur diuisio Beneficiorum in Patronata & Non patronata. Illa patronum habent fundatorem, aut dotatorem, aut causam ab eo via legitima habentem, cuius sit præsentare nouum rectorem: ista patroni ius nullum agnoscunt.

## DVBIVM II.

### *Quid Ius patronatus, & quotuplex.*

*Ius patronatus.*

IVS patronatus est potestas præsentandi instituendum ad Beneficium vacans. Ita communiter DD. D. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. Siluester verbo Ius patronatus, Antoninus 3. parte, tit. 12. cap. 12.

Non desunt tamen quæ obijciantur contra hanc definitionem. In primis enim etiam in illis Prælaturis quæ sine institutione per electionem conferuntur, Ius patronatus locum habet, non vt eligendus per patronum priùs præsentetur, sed potiùs assensu patroni electio muniatur, cap. Nobis, De Iure patronatus.

Secundò, Ius patronatus non consistit in sola præsentandi potestate, sed extendit se ad quædam



dam alia, vtpote ad honorem dignissimi loci in processione, vt dicitur eodem cap. ad onus Ecclesiam defendendi; vnde & patroni vel aduocati nomen obtinent cap. Filijs 16. q. 7. ex Concilio Tolerano 9. ad emolumentum sustentationis, ex bonis Ecclesiæ in necessitate accipiendæ, dicto cap. Nobis; ad peculiarem facultatem denuntiandi Presbyterum dilapidantem, dicto cap. Filijs.

Tertiò, Ius patronatus non tantùm est ius præsentandi ad Beneficium, quia etiam extendit se ad Collegia scholarium, vt dicit Cæsar Lambertinus, De Iure patronatus lib. 1. 1. parte, quæst. 1. num. 15.

*Resp. ad 1.* Sed respondeo ad Primum, Definitionem ex eo desumptam esse, quod per se est in iure patronatus: est autem per accidens, quòd ad aliqua Beneficia non fiat præsentatio; quamuis etiam in illis, si patronata sint, quædam sit virtualis præsentatio patroni, in ipsa electione à consensu eius dependente.

*Ad 2.* Ad Secundum, Ius præsentandi posse considerari tamquam primarium in hoc Iure patronatus, reliqua autem tamquam proprietates quædam inde resultantes minùs attingunt substantiam Beneficij, & magis ab euentu pendent.

*Ad 3.* Ad Tertium, Sicuti præstimonium & similia propter affinitatem Beneficij nomine extensiùs sumpto aliquando comprehenduntur, ita etiam Iuris patronatus nomen ad alia extendi potest: sed nos hîc de eo agimus respectu Beneficiorum propriè dictorum.

*Diuiditur in Laicale, & Ecclesiasticum.*

Est autem Ius patronatus duplex: aliud laicale, aliud Ecclesiasticum, cap. vnico De Iure patronatus, in 6. & Extra. cap. Cùm autem, eod. Laicale non sic dicitur à subiecto, quia etiam Ecclesiasticus illud habere potest; sed à facultatibus, quibus Ecclesia fundata vel dotata est. Est enim laicale, quod alicui competit in Ecclesiam ex patrimonio vel quasi patrimonio ædificatam, quamdiu ipsum Ecclesiæ non est donatum: si enim Ius patronatus laicale donetur Ecclesiæ, iam tranlit in Ecclesiasticum quoad ius præsentandi, vt habetur dicto cap. vnico, De Iure patronatus, in 6.

*Et Ecclesiasticum.*

Ecclesiasticum autem est, quando ex bonis Ecclesiasticis fundata vel dotata est Ecclesia. Ita Couarruuias Practicarum quæst. cap. 36. Ideò autem huius diuisionis ratio habenda est, quia aliter Ecclesia permisit laicis, aliter verò Ecclesiasticis Ius patronatus, vt patebit sequenti Dubio.

## DVBIVM III.

### *In quibus conueniant aut differant Ius patronatus laicum & Ecclesiasticum?*

*Vendi non potest.*

INeo in primis conueniunt, quòd neutrum per se vendi possit: nam etiam Ius patronatus laicum ita spirituale vel spirituali annexum est, vt per se vendi non possit, quamuis transeat ad patroni heredes, & in alium transferatur titulo donationis, ita tamen, vt si donatarius, qui non est compatronus, etiamsi fuerit compatroni filius, sit laicus, Episcopi approbario debeat accedere, dicto cap. vnico, De Iure patronatus, in 6. Item transferri potest titulo permutationis cum alia re spirituali, puta cum alio Iure patronatus: argumentum ex cap. Ad quæstionem, De rerum permutatione: permutatio enim pertinet ad edictum prohibitorium, in quo qui non prohibetur, permittitur. Denique vendi potest venditione vniuersitatis in qua comprehendatur, puta hereditatis, ciuitatis, castri & prædij, quibus Ius patronatus inhæreat.

*Quomodo amittatur.*

Sicuti in acquisitione, ita & in amissione conueniunt: si enim patronus rectorem Beneficij per se vel per alios occiderit vel mutilauerit, Ius patronatus amittit, c. In quibusdā, De pœnis. Similiter si in hæresim inciderit, c. Vergentis, De hæreticis: tunc enim cedit Ecclesiæ, cui iniuria est illata. Eadem est ratio, si in crimen maiestatis inciderit; nisi quòd tunc fisco inferatur Ius patronatus, cum sæculari vniuersitate bonorum cui adhæret. Amittit etiam Ius patronatus, qui illud per se emerit, vt non esse venale diximus, per cap. Quia Clerici, De Iure patronatus. Tunc etiam venditor amittit, Tridentinum sess. 25. cap. 9. De reform. vbi generatim priuantur Iure patronatus, quicumque illud contra Canonicas sanctiones alienare præsumpserint.

Differunt autem, quòd patrono laico, id est habenti Ius patronatus laicum, solùm currat quadrimestre, quo possit facere præsentationem; Ecclesiastico autem semestre, dicto cap. vnico, De Iure patronatus, in 6. Si tamen Ecclesiasticus laicum haberet compatronum, etiam ipse laicus haberet semestre. Siluester hoc verbò q. 6. Ignoranti tamen hoc tempus non currit, vt dicit idem Siluester, quamuis aliter senserit Lambertinus: communior enim & verior est sententia Siluestri, modò intelligas de probabili ignorantia, cap. Quia diuersitatem, De concessione Præbendæ; est enim hîc eadem ratio quæ collationis. Vnde & legitimè impedito tempus non currit, etiamsi culpâ suâ in impedimentum incidisset. Monuit etiam Serola hoc verbo, exstare Bullam Pij V. quæ in patronatu parochiali solùm concedat ad præsentandum viginti dies.

Differunt Secundò, Quòd Ecclesiasticus si præsentet indignum, excidat ista vice iure præsentandi; laicus autem non excidat, sed possit secundum præsentare: item potest laicus, vno etiam digno præsentato, alium secundo loco præsentare, & si velit Episcopus, isti secundo conferet, quod in Ecclesiastico patrono locum non habet; ibi enim prior tempore, potior est Iure. cap. Cùm autem, De Iure patronatus.

Differunt Tertiò, Quòd Ius patronatus Ecclesiasticum non possit habere merè laicus; laicum autem potest, nisi sit infidelis aut hæreticus.

Dico, *merè laicus*; quia laici gestantes habitum Religiosum, ita vt regularis collegij speciem habeant, capaces sunt. Ita Rochus Curtius §. 2. num. 16. in tractatu suo De Iure patronatus.

## DVBIVM IV.

### *Cuius sit conferre Beneficia?*

*Necessaria ad validam collationem.*

IVRE ordinario conferre, & collatorem esse ordinarium, differunt: quia ordinarius subinde dicitur collator etiam is cui non Iure ordinario, sed ex priuilegio, aut consuetudine ius conferendi competit. Ad validam enim collationem quinque ferè sunt necessaria: Vt gratis fiat, vt idoneo, vt vni certæ personę, vt non surreptitiè, & denique vt legitima auctoritate. De postremo potissimùm hîc agimus.

*Laicus conferre non poteſt.*

In primis laicus non poteſt conferre Beneficium, cap. Quod autem, De Iure patronatus. Imò eſt contra laicum inſtituentem, & ab ipſo inſtitutum excommunicatio ferendæ ſententiæ, eodem tit. cap. Præterea quia.

*Epiſcopus ordinariè poteſt.*

Excipiendus tamen caſus, quo id laico à Sede Apoſtolica eſſet indultum. Indicat Gloſſa in cap. Imperium, diſt. 10. & expreſſiùs ibi dicit Turrecremata.

Ordinario iure Epiſcopus confert Beneficia ſuæ diœceſis, cap. Conquerente, De officio Iudicis ordinarij; non tamen ante ſuam confirmationem, cap. Noſti, De electione. Poteſt tamen extra diœceſim exiſtens, Beneficium in ea ſitum conferre: conferre enim Beneficium, eſt iuris dictionis voluntariæ, hoc eſt, quæ non exercetur niſi inter volentes; nemo enim cogitur acceptare Beneficium inuitus; illa autem quæ ſunt iuriſdictionis voluntariæ, poſſunt exerceri extra territorium, L. 2 ff. De officio Proconſulis.

*Item Capitulum Sede vacante.*

Sede vacante, Capitulum confert Beneficia, quæ Epiſcopus ſimul cum Capitulo conferebat. Illa autem quæ pleno iure Epiſcopus ſolus conferebat, non confert, ſed eorum collatio reſeruatur ſucceſſori, cap. 2. Ne ſede vacante aliquid innouetur. Secùs de illis in quibus Epiſcopus tantùm inſtituebat præſentatum.

*Summus item Pontifex.*

Summus Pontifex, vt patet cap. Licet, De præbendis, in 6. reſeruat ſibi collationem Beneficiorum, quorum poſſeſſores obierint in ſua Curia, vel intra duas dietas à loco vbi Curia eſt in aditu aut reditu, ita tamen, vt ſi intra menſem non conferat, redeat ad ordinarios collatores ius conferendi. Ita conſtat ex declaratione Bonifacij VIII. cap. Præſenti, eodem, in 6. Dicitur etiam quoad eumdem effectum Beneficium vacare in Curia, quando in ea fertur ſententia priuationis. Ex deciſione Rotæ, Serola verbo Beneficia, numero 2. Imò omnia Beneficia propter crimen hæreſis vacantia ſibi reſeruauit Pius V. Conſtitutione 32. Sibi etiam reſeruat Sedes Apoſtolica octo menſes, quibus non Ordinarius, ſed ipſa conferat. Quamuis Epiſcopis ſoleat concedere alternos menſes, ita vt Martius ſit Pontificis, Aprilis Epiſcopi, & ita deinceps. Serola ſuprà In Concordatis Germaniæ ijdem alterni menſes omnibus collatoribus liberi relinquuntur, & ſtatuitur, ad eos etiam vacantium in menſe Pontificis redire collationem, ſi tribus menſibus à die notæ vacationis non apparuerit in loco Beneficij, quòd alicui de illo Apoſtolica auctoritate prouiſum fuerit. Addit Serola, mortuo Papa, etiam Ianuarium ſpectare ad Ordinarium.

Adhæc, ſi Pontifex contulerit Beneficium alicui pertinens ad collationem Epiſcopi ſine vlla reſeruatione, & collatio fuerit nulla vel inutilis, non poterit Epiſcopus alteri hoc conferre: imò neque eidem, ſecundùm ſententiam Couarruuiæ in cap. Alma 1. par. §. 7. n. 8. Contrarium tenet Abbas in cap. Inter dilectos, De exceſſibus Prælatorum.

Anceps ſatis eſt quæſtio. Sanè vera erit ſententia Couarruuiæ, ſi Papa videatur ad ſe collationem Beneficij reuocaſſe iſta vice, per cap. Vt noſtrum, De appellationibus. Si verò exiſtimans ad ſe collationem pertinere, ex errore contulerit, ſatis videtur æqua ſententia Abbatis, quæ probari poteſt ex cap. Cùm ceſſante, eodem, De appellationibus. In dubio quid Pontifex velit, ſententia Couarruuiæ tenenda. Omnino autem in praxi ſtandum erit conſuetudini, quæ magis videtur fauere ſententiæ Couarruuiæ quam etiam ſequitur Serola ſuprà. Item Monaſteria virorum excedentia annuum prouentum ducentorum florenorum auri, reſeruantur Sedi Apoſtolicæ per Innocentium VIII. Conſuetudo tamen immemorabilis & præſcripta efficiet vt conferri poſſint pleno iure per Ordinarium. Serola ſuprà; quam conſuetudinem confirmant Concordata Germaniæ.

## DVBIVM V.

### *Intra quod tempus debeat fieri collatio?*

REGVLARITER collator habet ſex menſes à die veriſimilis notitiæ vacationis, cap. Nulla, De conceſſione Præbendæ. Si Epiſcopus intra ſex menſes Beneficium non contulerit, deuoluitur collatio ad Capitulum; & ediuersò, ſi Capituli erat conferre, & eodem ſpatio neglexerit, ad Epiſcopum. His negligentibus, ad Metropolitanum, deinde ad Patriarcham, denique ad ſummum Pontificem, dicto cap. Nulla, & cap. Licet, De ſupplenda negligentia Prælatorum. Quando Epiſcopus & Capitulum ſimul conferunt, ſi fuerint negligentes, collatio deuoluitur ad Archiepiſcopum, non ad Epiſcopum aut Capitulum, niſi Epiſcopus cum Capitulo conferat non tamquam Epiſcopus, ſed in inferiori qualitate, puta tamquam Canonicus; tunc enim poteſt ad eum fieri deuolutio, niſi doloſè collationem impedierit, cap. Poſtulaſtis, De conceſſione Præbendæ. Limitandū etiam, ne deuolutio intelligatur ab Epiſcopo ad Capitulum, quando Epiſcopus negligens fuerit in collatione, quæ ſibi tantùm iure deuoluto competebat: ſecunda enim deuolutio non erit ad Capitulum, ſed ad Archiepiſcopum. Silueſter verbo Beneficium 2. quæſt. 6.

Ceterùm quæ de tempore collationis diximus, de collatione libera procedunt: nam inſtitutioni quæ fit ad alterius præſentationem, non eſt tempus à Iure præſcriptum, ſed à Iudice præſcribendum: Lambertinus lib. 2. parte 3. quæſt. 2. art. 6. De Iure patronatus. Cùm enim præſentator habeat ſuos menſes, inſtituens non habet, ne diutiùs æquo vacet Beneficium. Eádem quæ inſtitutionis, etiam confirmationis hîc eſt ratio; nam nec illa certum habet præfixum tempus, vt monuit Rebuffus. Si tamen præſentator ſuos menſes neglexerit, ſiue is quatuor, ſiue ſex habuerit, Epiſcopus, ad quem ius fuerit deuolutum, habet ſex menſes. Serola ſuprà Dub. 3.

Notandum, Etiam Epiſcopales & Regulares Prælaturas debere, iuſto impedimento ceſſante, conferri intra tres menſes, aliàs deuoluitur collatio iſta vice ad proximum Superiorem: qui ſi vltra tres alios menſes differat, Canonicè punitur, cap. Ne pro defectu, De electione.

Notandum Secundò, Summum Pontificem non ſubeſſe huic Legi, adeò vt maneat ad eius collationem Beneficium, etiamſi ſex menſium ſpatio non conferat. Rebuffus, De deuolutionibus, numero 5.

Notandum Tertiò, Tempus dictum quod conceditur collatori, computandum eſſe non à vacatione, ſed à tempore probabilis ſcientiæ ipſius vacationis, cap. Quia diuerſitatem, De conceſſione Præbendæ; punitur enim negligentia: vbi autem non eſt ſcientia, non poteſt eſſe negligentia. Vnde ſicuti ignorantia excuſat, ita & impedimentum aliud ſiue Iuris, vt ſuſpenſio; ſiue facti, etiamſi illud ex collatoris culpa acciderit, ſicut de patrono diximus. Quod de vacatione dicimus quoad deuolutionem collationis, idem dicendum de tempore erecti Beneficij, præcipuè ſi fundator defunctus ſit, aut plenè cum Ordinario tranſegerit.



Notandum Quartò, Euoluto tempore præfixo, ius collationis ita ilta vice ademptum eſſe ei qui neglexit, vt inualidè conferat, etiamſi primo die poſt ſex menſes conferat. Rebuffus ſuprà numero 27. Poteſt tamen is ad quem deuolutum eſt, ei qui neglexit indulgere ſupra ſex menſes tempus aliquod quo conferat, non tam proprio quàm concedentis nomine. Poterit etiam Epiſcopus euoluto tempore quo potuit conferre, nihilominùs adhuc vnire Beneficium vacans, quia vnioni non eſt tempus præfixum. Rebuffus ibid. numero 1. Sequitur eamdem ſententiam Serola verbo Vnio, dub. 2. vbi Panormitanum & alios quoſdam pro ſe citat; quamuis non deſint qui aliter opinétur. Similiter collatio facta à Superiore, niſi forte ſit Summus Pontifex, ante deuolutionem eſt inualida, & niſi iteretur, non fit valida, etiam poſt deuolutionem: imò nec coloratum præbere poteſt titulum, ſed omnino nulla eſt. Rebuffus ex Panormitano & communi.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm liceat aliquando conferre Beneficium non idoneo & indigno?*

QVANDO dignus haberi poteſt, dubium non eſt, id non licere, cap. Graue nimis, De Præbendis, quod eſt Alexandri III. ex Generali Concilio Lateranenſi. Idem dicendum (vt benè poſt Sotum extendit Nauarrus Miſcellaneo 38. De oratione) etiamſi indignus per ſtatuta fundationis, vel alia, vocaretur.

*Idoneum quis.*

*Dignus quis.*

Quærimus ergo hîc potiſſimùm in caſu quo idoneus aut dignus haberi non poteſt. Et ſanè non videtur Iuri naturali contrauenire, qui tunc ei contulerit, quem ſperet aliquando idoneum aut dignum futurum, etiamſi nunc neque idoneus ſit neque dignus. Si enim dignum & idoneum, cum communi diſtinguamus, vt idoneus ſit qui habet ſcientiam, doctrinam, & induſtriam ad munus Beneficio incumbens neceſſariam; dignum autem qui morum probitatem: certum videtur, Pontificem poſſe diſpenſare cum eo qui idoneus non eſt, modò probus ſit, & idoneus futurus ſperetur. Quamuis autem non æquè certum ſit, poſſe diſpenſari vt indignus Beneficium habeat, etiamſi aliquando dignus futurus ſperetur; probabile tamen eſt, etiam hoc licere, quando alioqui alij indigniores, aut etiam fortè Fidei hoſtes eſſent Beneficium occupaturi. Vtrumque ergo in caſu diſpenſabile, adeóque in neceſſitate non erit contra Ius naturæ.

Quæres, Vtrùm ſit contra Ius naturæ, deficientibus alijs, præficere probum, ſed qui numquam ſperetur idoneus futurus?

Reſpondeo diſtinguendo. Si ita deficiant alij idonei, vt ne quidem tempore quo iſte occupabit Beneficium, habendi ſperentur, non fore id contra Ius naturæ; ſi enim probus ſit, etiamſi parùm idoneus, poterit aliqualiter gregi prouidere, ſaltem per alios: ſi autem putentur breui poſtmodum habendi idonei, eſſet contra Ius naturæ talem inidoneum præficere.

Quæres Secundò, Vtrùm in defectum aliorum aliquo caſu liceat deſperatæ vitæ improbum præficere, manendo in Iure naturæ, præſertim ſi probus ne quidem in ſpe alius habeatur?

Reſpondeo, Hoc videri Iure naturæ illicitum, præſertim ſi agatur de curato Beneficio; imò & in alijs, nam in illis minùs excuſabit neceſſitas. Ita videtur ſentire D. Thomas in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. cuius ratio ferè in ſumma hæc eſt, quòd indignum promouens, ſit diſpenſator infidelis. Nam quod de neceſſitate obtenditur, monet D. Thomas hîc recipiendum non eſſe: Deum ſiquidem ita Eccleſiæ ſuæ prouidere, vt non ſint defuturi idonei eius miniſtri, ſi digni promoueantur, & indigni repellantur: præſtat enim paucos eſſe bonos, quàm adiunctis improbis etiam bonos à fructu impediri, quod B. Clemens monuit Epiſtola 2. ad Iacobum fratrem Domini, & refertur diſt. 23. cap. Tales. *Tales*, inquit, *ad miniſterium elegantur Clerici, qui dignè poſſint Dominica Sacramenta tractare: melius eſt enim Domini ſacerdoti paucos habere miniſtros, qui poſſint dignè opus Dei exercere; quàm multos inutiles, qui onus graue Ordinatori adducant.* Idem probat alia ratione Cardinalis Turrecremata in cap. Tales, diſt. 23. quòd nullo caſu veritas vitæ relinquenda ſit; qui autem indignum promouet, relinquat veritatem vitæ: morum enim improbitas contraria eſt fini Eccleſiaſtici miniſterij. Eadem eſt ſententia paſſim aliorum. Arragonius tamen hîc quæſt. 63. art. 2. contrarium viſus eſt aſſerere, ſed ſine fundamento. Ceterùm quomodo promouendus debeat Iure poſitiuo dignus eſſe aut idoneus, patebit ex ſeqq.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm liceat conferre digno, omiſſo digniore?*

AFFIRMANTEM partem videtur tenere Gloſſa in cap. Licet 8. q. 1. & in cap. Conſtitutis 2. De appellationibus. Imò priori loco dicit ſufficere quòd bonus eligatur, id eſt, qui non appareat malus, eò quòd maior bonitas alterius non debeat huic præiudicare. Limitat tamen iſtud poſteà ad eligendos ex eadem Eccleſia: ſi enim aliunde quis ſit aſſumendus, vult optimum eligi. Fortè tamen Gloſſa vtrobique ſolùm voluit eiuſmodi electionem ratam eſſe in foro externo. Caietanus quæſt. 4. Ientaculi pænultimi, per ſe loquendo, putat non eſſe mortale præferre dignum poſtpoſito digniore, etiamſi agatur de Epiſcopatu. Imò peculiarem de illo rationem format, quòd qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſideret, adeóque conferens Epiſcopatum digno, omiſſo digniore, non peccet in diſtributione bonorum communium contra digniorem, ſed potiùs in diſtributione onerum contra dignum peccaret niſi conſentiret: eamque vult cauſſam eſſe, quare Apoſtolus, quando de conditionibus Epiſcopi tractauit, non monuerit alijs debere eſſe digniorem, eò quòd tunc temporis Epiſcopatus non haberet

beret prouentus temporales aut Beneficium, sed onus tantùm. Fatetur tamen Caietanus, per accidens fore mortale, si respectus fiat ad distributionem emolumentorum inde dependentium.

Aliorum sententia est, Simpliciter & ex genere suo esse mortale, præterito digniore, promouere dignum. Ita D. Thomas quæst. 63. art. 2. q. 185. art. 3. & Quodlibeto 6. art. 9. Sanè qui dicat apertè nullum esse peccatum, assumere dignum, præterito digniore, vix vllus ex classicis auctoribus reperietur, quamuis ex alijs quidam, præsertim Canonistis, existimantes hoc se à peritioribus didicisse, ita locuti sint.

*Magis idoneus, licet minùs dignus, præferendus.*

Dico ergo primo. Si dignus distinguatur contra idoneum, fieri facilè potest, vt non solùm possit, sed etiam debeat præferri, qui minùs quidem dignus est, sed magis idoneus. Sed dignum hîc accipimus, vt vtrumque complectatur. Argumentum ex cap. Cùm in cunctis, De electione. Imò, vt benè D. Thomas Quodlibeto 6. art. 9. & post eum Couarruuias in Regulam Peccatum, 2. parte, §. 7. numero 4. dignior hîc est, non qui simpliciter melior & doctior, sed cuius sanctitas & doctrina vtilior futura est.

*Dignus ex eadē Ecclesia digniori externo præferri potest.*

Dico secvndo. Non est peccatum, promouere ad Beneficium, saltem minus Episcopatu, aliquem ex eadem Ecclesia dignum, etiamsi noueris ex alia digniorem posse haberi. Collator enim non tenetur ex alia Ecclesia digniores quærere. Argumentum ex cap. Metropolitano, dist. 63. cap. Nullus, dist. 61. cap. 4. De postulatione Prælatorum, cap. Hortamur, dist. 71. Vbi tamen Glossa ponit distinctionem quamdam inter patronum laicum & Episcopum, quasi ille teneretur ex eadem Ecclesia seu Episcopatu præsentare, quamdiu in eo reperitur idoneus; Episcopus autem possit extraneum promouere, si in aliena diœcesi Ecclesiam ædificauerit, ex cap. Si quis Episcoporum 16. quæst. 5. Ratio nostræ assertionis est, quòd Clericus eiusdem Ecclesiæ soleat esse notior, gratior, & vtilior, & hac ratione non contingat alias Ecclesias idoneis ministris destitui, & occasionem dari Clericis frequenter migrandi in Ecclesias alienas. Quia tamen sæpè contingit, commoditatem, quæ est ex eo quòd sit hîc dignus ex eadem Ecclesia, multùm superari maiore dignitate alieni; non immeritò iudicio prudentis hodie res ista relicta est, & Canones rigidiùs collatorem ad eiusdem Ecclesiæ Clericos astringentes ex ea parte exoleuerunt. Argumentum ex cap. Ad decorem, De institutionibus; vbi Innocentius III. iniungit Legato suo, vt moneat Patriarcham Constantinopolitanum, vt promoueat viros litteratos, & aliàs idoneos, vndecumque originem duxerint; non enim conuenire vt sanctuarium Dei iure hereditario videatur possideri. Sotus tamen lib. 3. quæst. 6. art. 2. non malè monet, oportere etiam hodie propriorum Ecclesiæ Clericorum rationem habere, & hoc multùm à quibusdam Patribus in Concilio Tridentino, vt renouaretur, postulatum fuisse.

*Si ex certa familia assumēdus sit*

Dico tertio. Si fundator voluit rectorem Beneficij ex certa familia aut ciuitate assumi, sufficit assumi ex ea magis idoneum, etiamsi aliunde haberi possit magis idoneus. Ita Rebellus lib. 3. quæst. 4. Sotus tamen suprà duo monet; Vnum, si ex familia non reperiatur dignus, aliunde esse assumendum. Quæ doctrina omnino certa est: diximus enim, esse Iuris naturæ, vt dignus assumatur. Alterum, quando est Beneficium curatum, non posse sic astringi ad certam familiam per fundatorem, quin dignior sit assumendus, qui fortè aliunde sese obtulerit: putat enim Sotus, eiusmodi fundationem, quæ præterito digniore extraneo, vellet familiæ certæ minùs idoneum ad curam animarum assumi, cessuram in contumeliam Euangelij. In hoc Soto contradicit Rebellus, & opponit communem opinionem. Videtur distinctione res posse componi, vt Rebelli opinionem veram dicamus, quando fundatio non ita constringit, quin probabile sit, satis idoneos tales reperiendos, & compensatum satis æstimari queat Ecclesiæ, quod libertati eius in assumendo aliunde magis idoneo decedit per bonum temporale & spirituale quod fundatio adfert: aliàs autem veram esse sententiam Soti.

*Institui potest præsentatus minùs dignus.*

Dico qvarto. Qui solùm habet ius instituendi, potest præsentatum ab alijs, modò dignus sit, instituere, etiamsi nouerit præteritos esse digniores. Cùm enim ipsius tantùm sit instituere præsentatum, eodem modo se habet, ac si vnicus iste esset idoneus, quando vnus tantùm præsentatur. Est communis, Caietani verbo Beneficium, Couarruuiæ suprà. Eadem erit ratio, si tres verbi gratia sint patroni, vnus eligat præsentandum digniorem, duo dignum. Instituendus enim erit dignus, omisso digniori, cap. Quoniam, De Iure patronatus, adiuncta Glossa. Simile etiam erit iudicium de præsentatore siue collatore, quando per Sedem Apostolicam quis nominatus est ad Beneficium, quem necessariò debeat acceptare, si idoneum agnouerit. Denique eamdem esse rationem eius, qui solùm habeat ius confirmandi electum, colligitur ex cap. Cùm nobis, De electione. Excipienda tamen ex dictis Ecclesia parochialis, nisi fuerit patronatus laici; conferendam enim esse dignissimo, statuit Tridentinum sess. 24. cap. 18. De reformatione.

*Patronus tenetur præsentare digniorem.*

Dico qvinto. Etiam patronus qui non est primus fundator, tenetur in conscientia præsentare digniorem. Argumentum ex cap. 3. De Iure patronatus. Tenet Couarruuias suprà numero 5. contra Lambertinum lib. 2. De Iure patronatus, parte 1. quæst. 10. art. 3. & Petrum Toletanum lib. 2. De restitutione, quos fefellit doctrina superioris assertionis: non enim est consequens, patronum culpa vacare, etiamsi Episcopus præsentatum debeat instituere. Adducitur etiam cap. Monasterium 16. quæst. 7. sed de eo mox dicemus. Tertiò vtuntur hac maxima: Quod de Iure Canonico, cuius est conscientiam dirigere, & quælibet peccata prohibere, licitum est in foro iudiciali, etiam in foro animæ licitum censeri debet. Atqui in foro iudiciali, inquiunt, præsentatio & electio digni præterito digniore est licita; ergo & in conscientia. Sed dicendum est, Ius Canonicum nusquam dicere, patronos saltem eos, qui immediatè per se Ecclesiam non fundarunt, posse licitè præsentare dignum, præterito digniori. Deinde verum non est, quidquid in foro iudiciali Ius Canonicum ratum habet, adeoque pœnis appositis non prohibet, continuò habendum esse pro licito. Quomodo autem Legis Ecclesiasticæ sit omnia vitia prohibere, dictum est in materia De Legibus.

Dico sexto. Patronus qui primus immediatè



*Fundator potest digniū præferre digniori.*

diatè per se Ecclesiam aut Beneficium fundauit ex proprijs bonis, non peccat præsentando dignum quemcumque voluerit, etiamsi prætereat scienter digniorem. Patet ex dicto cap. Monasterium, vbi ex Synodo Romana ita habemus: *Monasterium vel Oratorium canonicè constructum, à dominio constructoris eo inuito non auferatur, liceatque illi Presbytero cui voluerit, pro sacro Officio illius diœceseos cum consensu Episcopi (ne malus existat) commendare.* Mirè in huius Canonis explicatione se torquent Interpretes, & quosdam in falsam opinionem induxit, quasi liceat cuilibet, qui in patronatu succedit, præsentare dignum, omisso digniore: sed vt benè obseruant Lambertinus & Rebellus, solùm loquitur Canon de primo fundatore, cui Ecclesia hoc indulget in vita sua. Quamuis enim primus fundator, postquam iam fundauit, non possit grauare Beneficium sine consensu Ordinarij vel Pontificis; censetur tamen arbitrio suo reseruasse, conniuente Ecclesia, vt possit præsentare quemcumq; dignum in Rectorem. Et hæc ipsa indulgentia Ecclesijs vtilis est, vt tanto faciliùs alliciantur fideles ad Oratoria construenda, & Beneficia fundanda, adeoque, quoad istud, relinquit patrono primo plus quàm dispensationem, qualem relinquit eius successoribus.

*Pauper quādo præferri possit.*

Dico septimo. Non est acceptio personarum, in simplicis Beneficij collatione præferre pauperem idoneum, diuiti magis idoneo, si modò paupertas æstimationem istius excessus adæquet. Ratio est, Quia etiam paupertas quodammodò transit in causam: vult enim Ecclesia in collatione Beneficiorum etiam haberi rationem vtilitatis accipientium, quæ magis spectanda in paupere quàm in ditiore. Ita tenet Lambertinus lib. 2. parte 3. De Iure patronatus, quæst. 5. art. 2. & pro se citat Hostiensem, & alios. Illud tamen limitandum erit, ne extendatur etiam ad curatum Beneficium, in quo Ecclesia semper censetur indigere magis idoneo. Limitandum Secundò, Quando diuitiæ magis idonei essent subleuatuæ paupertatem Ecclesiæ: quomodo excusari potest quòd aliquando diuites assumantur, præteritis pauperibus, vt iura Ecclesiæ indigentis augeant, vel defendant, aut debita quibus oneratur exoluant; magis enim consideranda paupertas Ecclesiæ quàm competitoris.

*Quomodo agendum in electionibus.*

Dico octavo. In electione tenetur quisque in conscientia ad Beneficium eligere digniorem: si tamen dignior aliorum suffragijs iam exclusus sit, concurrente simul aliquo indigno & alio digno, non teneris digniori suffragari, sed potes eligere dignum in quo speres suffragium tuum efficax futurum, & periculum quod est ab indigno excluſurum. Imò si te hunc dignum non eligente, alij certò prævaleturi sint pro aliquo indigno, teneris vt hoc impedias, omisso digniori de quo spes nulla est, suffragari digno: dignioris enim electione relicta tamquam impossibili, teneris ad electionem digni tamquam vnicum medium, quo Ecclesiasticæ necessitati, in munere tuo consulere possis, arcendo indignum, alioqui Beneficium inuasurum. Ita ex communi Salonius controuers. 4.

At quid si concurrant tantùm dignus & dignior, & videas te pro digniore nihil effecturum, sed dignum ab alijs eligendum?

Respondeo, Illo casu videndum fore, an ne vsum aliquem habeat vótum etiam inefficax pro digniore, & an conspiratio in dignum aliquid conferat, vt ipse, quem plures desiderant, vtilior Ecclesiæ sit futurus. Si enim nihil conferet digno suffragium inefficax, & eoipso quo concordi suffragio qui recturus est eligitur, feliciùs reget; iusta videbitur caussa accedendi ad electionem digni, saltem quando sufficienter compensatur inæqualitas, per hanc speratam maiorem ex digno vtilitatem. Aliàs regulariter peccatum erit, eligere dignum, omisso digniore, etiamsi probabiliter, aut etiam certò noris dignum prævaleturū. cap. Metropolitano, dist. 63. & cap. Licet 8. quæst. 1. ex D. Hieronymo. Quamuis enim (vt hoc obiter dicamus) cap. Licet ex Origene in Leuiticum desumptum sit; D. tamen Hieronymus commentarium illum vertendo, & noxia quæque resecando, pænè fecit suum, vt habent Gregorianæ notæ ad cap. Si quis, dist. 36.

Dico nono. Quando dignior reseruandus est alteri Beneficio, in quo necessarius est Ecclesiæ, non peccat qui confert digno, omisso digniore. Necessitas enim Ecclesiæ vtilitati prjuatæ, etiam vbi vtraque spectanda esset, meritò præfertur. Non loquor tamen de casu quo Beneficium per concursum conferretur, de quo aliter, vt infrà dicendum.

*Collatio digno facta, præterito digniore, valida est.*

Dico decimo. Valida est collatio facta digno, omisso digniore, atque adeò sic promotus non tenetur Beneficium dimittere. Ita D. Thomas quæst. 63. art. 2. ad 3. & alij communiter. Si enim pro Ecclesiæ vtilitate eligendus est dignior, pro eiusdem pace electus dignus, etiam postposito digniore, est acceptandus, & rata eius electio habenda, præsertim cùm alioqui omnia replerentur litibus, & frequenter non ita liquidum sit, quis cui Ecclesiæ futurus sit vtilior: nam sæpè dotes personarum latent, & multò magis quæ futura sit earum industria & diligentia; Magistratus enim virum ostendet. Aut saltè, etiamsi pro formando priuato conscientiæ iudicio, sufficienter ista noscantur, non perinde tamen sufficienter sciri possunt, pro formando publico & forensi iudicio.

*Quando sit mortale cōferre Beneficium minùs idoneo.*

Dico vndecimo. Conferre Beneficium curatum, aut non curatum, sed magni momenti, cæteris certò & notabiliter minùs idoneo, quamuis aliàs idoneo, præterito alio magis idoneo illud petente, est acceptio personarum mortalis. Erit tamen solùm venialis, quando Beneficium simplex fuerit parui momenti, vel quando non satis certò & euidenter, aut non notabiliter fuerit magis idoneus qui præteritur, aut magis idoneo conferatur aliud Beneficium non multò minoris æstimationis. Prior pars patet ex Glossa D. Augustini in illud Iacobi 2. *Tu sede hîc benè*, &c. desumpta ex Epistola 29. *Si hanc*, inquit Augustinus, *distantiam sedendi & standi ad honores Ecclesiasticos referamus, non est putandum, leue esse peccatum in acceptione personarum habere fidem Domini gloriæ.* Patet etiam ex recepta superiùs doctrina communi & D. Thomæ, acceptionem personarum ex genere suo, atque ita quoties in materia satis graui admittitur, esse mortale peccatum. Quamuis autem maior læsio Ecclesiæ sit in Beneficio curato, nemo tamen negare potest, esse acceptionem personarum in materia graui, quando Beneficium simplex est magni momenti. Addit Nauarrus

Miſcell. 38. De oratione, interdum in Beneficio ſimplici magni momenti plus damni inferri Eccleſiæ, quàm in aliquo curato, præſertim cùm contingat Beneficiatum ſimplicem eſſe collatorem multorum curatorum, aut ſecum ferentium ius ſuffragij in eligendis alijs Eccleſiæ miniſtris. Poſterior pars ſequitur ex doctrina ſolemni, admittente in omni materia veniale ex imperfectione operis, aut leuitate materiæ. Tenet hîc Salonius controuerſia 3. Non deſunt tamen quæ hîc quæſtionem nouam moueant.

Quæro enim, Vtrùm venialiter ſolùm peccent, qui iurarunt aſſumere digniorem, ſi aſſumant paulò minùs dignum? Rurſum, Vtrùm etiam illi, qui ad Præbendam inſtitutam ad Sacrum canendum eum promouent, qui in cantu non eſt multò inferior, ſed in alijs quæ ad dignitatem conferre ſolent, longè inferior, puta in ſcientia, &c.

Ad Prius reſpondeo, Tunc videndum eſſe vnde paruitas materiæ ſumatur, quam velis excuſare à mortali: ſi enim illam in eo ponas, quòd magis idoneus in paruo ſuperet, credo fore ſolùm veniale; ſi autem in eo ponas, quòd Beneficium parui momenti ſit, probabile eſt, collatores peccaturos mortaliter. Si enim Beneficij paruitas non obſit, quò minùs ſalua iuramento debita reuerentia potuerit peculiariter de hoc actu iuramentum tale exigi & præſtari, non etiam videtur excuſatura à mortali periurium; quod magis patebit ex dicendis infrà De iuramento.

Ad Secundũ reſpondeo, Etiam tales mortaliter peccaturos: quamuis enim ad proprium munus Beneficij peritia illa cantus multum conferat; præponderare tamen debet conſideratio eorum, quæ in genere ad Beneficium dignam & idoneam perſonam conſtituunt, vt ſunt mores, doctrina, &c. in ſpecie enim genus conſiderandum. Cõſulendus Nauarr. Miſcel. 38. De oratione n. 5.

*Reſignare Beneficium digno, omiſſo digniore, licet.*

Dico dvodecimo. Reſignare Beneficium digno, omiſſo digniore, modò reſignatio fiat ſecundùm Iura, non eſt peccatum; ſecùs ſi fiat indigno. Ratio eſt, Quia cùm iſte reſignans non ſit diſtributor, ſi Iure permittatur in fauorem reſignare, poteſt reſignare digno cui voluerit. Neque hîc eſt locus concurſui tamquam ad commune bonum ex parte totius diſtribuendum, ſed pars parti ius ſuum transfert. Vnde patet, etiam tunc collatorem non peccaturum acquieſcendo reſignationi. Eſtque hæc communior DD. Caietani verbo Beneficia, Salonij controuerſia 3. Leſſij hîc dubit. 13. Emanuelis Sà verbo Beneficium, Arragonij hîc quæſt. 63. art. 2. qui dicit eſſe communem conformem praxi receptæ etiam ipſius Pontificis ſummi.

Dices, Conſentire peccato alterius, eſt peccatum: ergo, qui inducit collatorem ſua reſignatione, vt minùs digno conferat, peccat æquè ac ipſe collator.

Reſpondeo; Diximus in caſu noſtro, collatorem non peccare; excuſatur enim eo ipſo quo alter ſecundùm Iuris ordinem permittitur huic reſignare, huic eidem conferendo, acquieſcendo reſignanti, ſicut dum admittit ab alio præſentatum. Sicuti enim præſentator ius habet vt collator præſentato debeat velle conferre; ita & noſter reſignator quodammodò iure ſuo efficit vt collator velle poſſit conferre, & vt non niſi huic reſignatario conferat, ſi conferre voluerit.

Fortè tamen erit obligatio charitatis in Beneficio paſtorali, quando dignior ſeſe offerret, præſertim ſi reſignatarius diutiùs putetur occupaturus Beneficium, & minùs dignè adminiſtraturus, quàm retinere poterat, ac adminiſtraturus putabatur reſignator; quomodo ſuſtineri poterit, quod tradunt Sotus lib. 3. q. 6. a. 2. ſub finem, & Nauarrus dicto Miſcellan. 38.

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm qui promouit dignum, præterito digniore, & ipſe & ſic promotus teneantur reſtituere?*

*Quorũdam ſententia.*

Existimant quidam teneri. Palude in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. concluſ. 4. generali inductus argumento, quòd iniuria fiat digniori prætermiſſo, quaſi iniuria etiam contra ſolam diſtributiuam Iuſtitiam admiſſa, continuò obliget ad reſtitutionem. Eamdem ſententiam amplectitur Petrus Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 144. qui apertè docet, reſtituendi obligationem non ſecùs oriri ex læſa diſtributiua, ac commutatiua Iuſtitia. Caietanus q. 62. art. 2. ſimiliter affirmatiuè reſpondet, ſed longè probabiliori fundamento: fatetur enim reſtitutionis obligationem non oriri, niſi quando damnum alicui datum eſt in eo quod ipſi vt proprium debebatur: ſi enim ſolùm ei debebatur vt commune, non debetur, inquit, reſtitutio quæ reddat ei vt proprium. Vult tamen diſtributorem Beneficij, cui incumbat inchoare & conſummare appropriationem Beneficij huic digniori, damnificare digniorem in eo quod vt proprium debetur, quando eo præterito confert digno. Vult itaque non tantùm diſtributiuam, ſed etiam Iuſtitiam commutatiuam lædi, adeoque reſtitutionem digniori deberi. Ad Caietani ſententiam acceſſit Lopez priori parte, cap. 125.

*Aliorum ſententia.*

Contraria eſt aliorum ſententia, tales non teneri. Ita Adrianus De reſtitutione, §. Pro deciſione; Soto lib. 4. q. 6. art. 3. ad 6. §. Poſterior concluſio; Nauarrus cap. 17. num. 69. Couarruuias in Regulam Peccatum, 2. parte, §. 7. num. 6. Salonius q. 63. art. 4. controuerſ. 3. Peſantius q. 62. art. 2. diſput. 5. Fundamentum eorum eſt, quòd ſola lædatur Iuſtitia diſtributiua in eiuſmodi diſtributione, commutatiua autem neque à collatore, neque à digno lædatur Beneficium obtinente; illæſa autem commutante Iuſtitia, non habere locum reſtitutionis debitum; conſideratur enim in reſtitutione æqualitas rei ad rem, & eſt actus Iuſtitiæ commutatiuæ vt docet D. Thomas q. 62. art. 1. Pro hac ſententia

*Quicũque dignum promouet, tenetur Eccleſiæ.*

Dico primo. Tenetur qui indignum promouet, reſtituere Eccleſiæ. Prælatus enim præſentator, collator, electior ex commutatiua Iuſtitia obligatur Eccleſiæ ad eligendum dignum, ſicuti ſimpliciter ad eligendum; ad hoc enim ſtrictè ex officio & quaſi ex pacto & contractu tenetur. Confirmatur, Eiuſmodi collator cauſſa eſt grauium damnorum, vt patet cap. Graue nimis, De Præbendis, & cap. Ita quoſcumque 1. q. 1. ex D. Hieronymo in Michæam. Cauſſa autem damni tenetur cap. vlt. De iniurijs. Excuſatur tamen collator, ſi probabiliter exiſtimabat eſſe dignum poſt congruam inquiſitionem: ſi enim craſſa



craſſa ignorantia neſciebat eſſe indignum, non excuſatur, vt benè obſeruat Adrianus ſuprà.

Dico secvndo. Ipſe indignus promotus tenetur Eccleſiæ damna quæ intulit, & fructus Beneficij reſtituere, & ipſum Beneficium relinquere; collatio enim fuit irrita: cap. Nihil, De electione, cap. Tantis, diſt. 81. vbi Cæleſtinus Papa inter reliqua dicit, *Facilius eſt vt hanc dignitatem tali dando ipſe amiſerit ordinator, quàm eam obtineat ordinatus.*

*Non tamen digno præterito.*

Dico tertio. Digno præterito, neque indignus, neque eius promotor quidquam tenentur reſtituere. Quod etiam locum habet, imò magis, quando dignus aliquis aſſumptus eſt præterito digniore: nihil enim debetur præterito, vtpote qui non habuit ius commutatiuæ Iuſtitiæ in re aut ad rem reſpectu Beneficij, vt ſuppono, ſed ſolùm ius quoddam diſtributiuæ Iuſtitiæ, quod non ſufficit vt inducat obligationem reſtituendi.

*Obiect.*

Dices, D. Thomas quæſt. 62. art. 1. ad 3. apertè fatetur, etiam ex iniqua diſtributione teneri diſtributorem.

*Reſp.*

Reſpondeo, Non dicere D. Thomam, quòd ſemper teneatur, aut quòd præcisè ratione iniquæ diſtributionis: imò indicat, hoc demum contingere, quando ſimul per iniquam diſtributionem læſa eſt Iuſtitia commutatiua, quod per ſe non fit in diſtributione Beneficiorum, in qua non hoc agitur vt benè ſit partibus ex bono communitatis ſecundùm proportionem & virtutem cuiuſque, ſicuti fit quando militi iuſſu Imperatoris donatiua diſtribuuntur: ſed hoc agitur, vt ex partibus communi bono ſeruiatur, vt nimirum Clericus aliquis particularis eiuſmodi officium præſtet communitati. Verum quidem eſt, velle Eccleſiam, vt etiam meritorum & dignitatis cuiuſque competentium ratio habeatur, & vt Beneficia aliquo modo etiam cedant in præmium virtutis: ſed eiuſmodi ſecundaria intentio non dat competitoribus Ius commutatiuum, ſed ſolùm modificat ius illud commune diſtributionis accipiendæ, vt maior eorum habeatur ratio in eo diſtribuendo, quod remiſſiori illo iure dandum videbitur. Dignitas ergo parit ius illud remiſſius accipiendi ex diſtributione, & maior dignitas eiuſmodi ius auget, non autem transfert in aliam ſpeciem Iuris commutatiui: cùm enim annexum ſequatur principale, per cap. Acceſſorium, De Regulis Iuris, in 6. principalis autem hîc ſit intentio Eccleſiæ, ſibi de miniſtris idoneis prouidere, ſecundaria verò, idoneis perſonis prouidere de honore ſui miniſterij, eò quòd etiam eiuſmodi reſpectus in publicam vtilitatem redundet, eoque animentur plures ad virtutem & ſcientiam, adeoque ad diſpoſitionem Beneficijs congruam, trahitur poſterior intentio tamquam acceſſoria ad naturam prioris, & iudicandum eſt quaſi vna tantùm prior fuiſſet. Vbi enim eſt vnũ propter alterum, eſt vnum tantùm. Confirmatur aſſertio & alijs rationibus, præſertim quoad poſteriorem partem. Collatio facta digno præterito digniore, valida eſt, vt ſuprà dictum eſt; contractus ergo qui quodammodò inter Eccleſiam & dignum interceſſit, Do vt facias, (Beneficium enim datur propter officium cap. vlt. De reſcriptis, in 6.) contractus inquam ille non aliam obligationem digno inijcit, quàm præſtandi officium: illud ergo ſi præſtiterit, fructus facit ſuos, nulli reſtitutioni obnoxios.

Confirmatur Secundò, Neque Beneficium, neque fructus eius ſtricto Iure debentur præterito. Non Beneficium: quia ad illud tale ius habere non potuit, niſi mediante voluntate collatoris, ideoque in iudicio non datur ei actio, quantumuis ſe digniorem probauerit; daretur autem actio, ſi de Iure deberetur ei Beneficium. Quando enim quis habet ius ſtrictum, niſi Lege peculiari prohibeatur, poteſt illud proſequi in iudicio quod ſibi inde debetur. Inſtit. De actionibus, in principio: atqui ſine vlla peculiari Lege actionem huiuſmodi prohibente, & ius agnoſcente, dignior præteritus putatur ab omnibus in iudicio non audiendus. Non etiam fructus debentur; quia illi debentur propter officium, & pendent ex Beneficio.

*Obiect.*

Dices, Dignior, collatione facta, non habet ius ad Beneficium, ſed habuit ante collationem: & quia per iniuriam illud amiſit, debetur ei aliqua reſtitutio.

*Reſp.*

Reſpondeo; Per iniuriam materialiter & formaliter iniuſtæ ſententiæ non tam amitti ſoler, quàm lædi eius ius qui cauſsâ cadit. Itaque ſi dignior nullum retineat ius poſt collationem ad Beneficium, non apparet quænam ei debeatur reſtitutio.

Confirmatur Tertiò, Fac dignum bona fide eſſe electum, præterito digniore; ſecundùm omnes ad nihil tenebitur dignus aut collator: teneretur tamen ſi ius ſtrictum dignioris ſit læſum, quaſi ratione rei acceptæ, vbi bona fides ceſſauerit.

Quartò, Fac magno numero digniores, & inter ſe pares poſtpoſitos fuiſſe huic digno; ſi facienda ſit reſtitutio, vel vni tantùm ea debebitur, vel omnibus illis poſtpoſitis. Non vni tantùm; quia æquale ius omnium reliquorum: non omnibus illis, quia ex eis vnum tantùm tenebatur collator aſſumere; non ergo ius habent omnes vt aſſumantur.

Dices, Ius habent omnes vt præ illo minùs digno aſſumantur.

Reſpondeo; Ius illud non facit vt debitum eis fuerit Beneficium tamquam ſuum, ſed ſolùm vt in diſpenſatione vel collatione ex Iuſtitia diſtributiua debuerint præferri, vbi nondum læſa reperitur commutatiua.

Quintò, Si collator præterito poſtmodum det Beneficium æquale, ſecundùm omnes ſatisfacit: non ſatisfaceret autem, niſi conſentiente collatario in hanc commutationem, ſi hic habuiſſet ius ad alterum Beneficium quod minùs idoneo datum eſt.

Sextò, Reſtitutio facienda eſt ex proprijs: eſt enim eius quod tamquam proprium debetur, & ab eo debetur qui plus habet, aut contra iuſtitiam alteri plus ademit. Sanè qui ex delicto & proprio nomine debet, quidquid ſit de alijs, non poteſt ex bonis communibus, ſed debet ex proprijs reſtituere. Si ergo collator teneretur præterito, non ſatisfaceret poſteà dando aliud Beneficium, quia Beneficium non eſt in bonis propriis collatoris.

Dices, Clerici à ſorte dicuntur, quia de ſorte & hereditate Domini ſunt, vel quia Domini partem habent. cap. Cleros, diſt. 21. partem autem

Domi-

Domini habent, quia decimas, & primitias, & reliquas oblationes ex quibus erecta sunt Beneficia; illa enim dicuntur pars Dei, vt ibi Glossa ex cap. Quisquis 12. quæst. 2. & probari poterat ex cap. 21. Numerorum, illis verbis, *Et separabis Domino partem*. Beneficia ergo tamquam sors quædam & hereditas pro meritis cuiusque erunt inter Clericos dividenda, ita vt fiat Iniustitia commutativa, si proportio meritorum non seruetur. Huc pertinet, quòd secundùm Canones, vt patet ex cap. Cùm secundùm, De Præbendis, & in Concil. Trident. sess. 21. c. 2. De reformatione, oporteat Clericos tam diu per ordinatores suos aut eorum successores ali, donec per ipsos Ecclesiastica Beneficia consequantur.

Respondeo, Beneficia ad communitatem Cleri indubiè pertinere, sed propter officia & Dei cultum principaliter, vt dictum est, debere distribui; sustentationem autem ministrorum non deberi ipsis ex iustitia, nisi ex bonis illius Ecclesiæ aut Beneficij, ad cuius iam titulum admissi fuerint.

*Qui promittit dignum, non tenetur retinere.*

Dico quarto. Non tenetur Ecclesiæ collator, qui dignum promouit, præterito digniore. Quamuis enim Ecclesia intendat habere digniorem, non tamen censetur ad eum assumendum obligasse collatorem ex iustitia, sed ex sola fidelitate: sicuti enim dignus ad nullam tenetur restitutionem, si officium, pro quo datur Beneficium, præstet, etiamsi non præstiterit dignissimo modo; ita collator si conferat digno, etiamsi dignissimo non contulerit, non tenebitur. Confirmatur; Ecclesiæ debetur officium: qui dignus est, eo ipso par est officio; inæqualitas ergo non oritur inter collatorem & Ecclesiam. Estque hæc omnino communior sententia, quam etiam Petrus Nauarra suprà num. 175. admittit.

Hactenus de eo diximus, quid seruandum sit in concursu seu competentia pro Beneficio, qualem ex Iure naturæ expectare & spectare debet collator; nunc quædam subijcienda de concursu Iure Ecclesiastico collatoribus præscripto: quam distinctionem eruditè obseruauit Nauarrus Miscell. 40. De oratione.

Dico itaque quinto. Etiam concursu indicto, absque formali aut virtuali pacto de promouendo dignissimo, promouens dignum omisso digniore, ad nihil tenetur: eiusmodi enim concursus non est propriè concertatio proposito præmio. Attamen non abs re monuit Rebellus, nisi expresè contrarium dicatur, concursum semper implicitè censeri habere pactum de assumendo dignissimo concurrentium. Si qui autem DD. negent digniori concurrenti, quando præteritur, aliquid deberi ex iustitia, vt Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 3. ad 6. & Nauarr. cap. 17. nu. 74. intelligendi erunt, vt verum dicant de concursu sine eiusmodi pacto expresso vel tacito.

*Concursu indicto quando collator teneatur dignioribus præteritis.*

Dico itaque sexto. In concursu seu oppositione, vbi formale aut virtuale pactum intercedit de assumendo dignissimo, quod semper intercedere præsumitur, quando publicè indicitur ex Legis, statuti, consuetudinis, aut fundationis necessitate concursus, conferens digno, tenetur dignioribus qui concurrerunt. Itaque siue in ipso edicto hoc appositum sit, quòd ad plura suffragia, vel per Superioris institutionem conferetur dignissimo concurrenti, siue appositum non sit, modò de eo implicitè intellecto constet per consuetudinem, aut statutum aliquod cui suffragatores aut collatores subiecti sint, tenebuntur ad restitutionem dignioribus prætermissis. Pactum autem eiusmodi virtuale omnino censendum est sufficienter contineri in Lege aut statuto, quo collatoribus præcipitur instituere concursum, & conferre digniori: cuiusmodi Decretum est de Pastorali cura in Concil. Trident. sess. 24. c. 18. pactum inquam, quo Ecclesia quodammodò promittat illi Beneficium, qui in hoc concursu digniorem se exhibuerit, aut sanè quòd non aliter Ecclesia vices suas his collatoribus hac vice committat aut permittat, nisi ea lege, vt dignissimo concurrenti prouideant: quod sufficit, vt secùs facta collatio, saltem per sententiam iudicis, instante parte, irritanda sit, & restitutionem collator, imò etiam & promotus vterque etiam ante sententiam, digniori præterito in conscientia debeat. Denique collatores in eiusmodi concursu, nisi digniori conferant, censentur iam meritò esse in fraude & dolo, adeoque tenentur defraudato & impedito, non secùs ac ille qui fraude aut dolo quempiam à Beneficio consequendo impedierit, puta mendacijs auertendo collatorem qui ei iam erat inclinatus. Tenentur ergo digniori tamquam cui promissum est, & quasi ex contractu.

Tenentur Secundò ex forma mandati, sicuti teneris pauperi, si per te eleëmosyna ei sit missa, quam defraudasti.

Tertiò, Tenentur tamquam fraudulenti, impeditores. Vnde patet, maximè idoneum ius Iustitiæ commutatiuæ in concursu, habere ad ipsum Beneficium tamquam legitimum sibi decretum: & vt non haberet, deberi ei nihilominùs restitutionem, quia saltem ius habet, ne per eiusmodi fraudem à Beneficio impediatur: concursui enim ea se lege obtulit, aliàs fortè non concursurus. Hanc sententiam multi DD. amplexi sunt: apertissimè eam tenet Lopez priori parte, cap. 127. Salonius quæst. 63. art. 2. controu. 3. Rebellus lib. 3. quæst. 5. Confirmatur: Si extra numerum concurrentium Beneficium conferatur, concurrentibus qui digni sint, debetur restitutio, etiamsi collatarius fuerit multò dignior illis, vt fatetur Nauarrus, idque ideò, quia statutum restringit ad concurrentes dignos: atqui vt suppono, idem statutum restringit ad concurrentem digniorem; ergo etiamsi digno cõcurrenti Beneficium conferatur, debebitur nihilominùs restitutio digniori concurrenti. Neque enim verisimilis vlla ratio adferri potest, quare iniuria fiat dignissimo concurrenti, si is præferatur qui non concurrit, adeoque quem non vicit, imò fortè nec victurus fuisset si concurrisset; non fiat autem iniuria, si is ei præferatur quem in certamine illo iam vicit.

Hinc patet, etiamsi dignior in alia Ecclesia minùs dotata videretur futurus vtilior, esset tamen ei de Beneficio prouidendum pro quo concurrit, nisi iure suo cedere velit, vt in specie ista notauit Rebellus suprà.

Patet denique, in concursu digniorem præteritum posse appellare, & admittendam esse eius appellationem ad summum Pontificem, aut Metropolitanum, vel si primus collator erat Metropolitanus vel exemptus, ad Episcopum antiquiorem, vt ex Bulla quadam Pij V. docet Serola verbo Parochia. Verùm vt idem notauit, nõ obstante appellatione, prouisio interim executioni mandari debet.



Dico septimo. Dignus ad Beneficium promotus non tenetur ad vllam restitutionem, nisi vi, fraude, aut dolo in competitione extra concursum impedierit digniorem, aut in formali concursu prælatus sit digniori. Priori casu tenetur ex maleficio de damno probabiliter dato, aut probabili eius secundùm apparentem spem æstimatione, vt in similibus suprà diximus: posteriori autem, quia per iniustum iudicium ei adiudicatũ est, quod alteri liquidò debebatur. Vnde & surreptitia eius promotio censetur per Tridentin. suprà sess. 24. cap. 18. Extra hos casus non tenetur, quia neque Ecclesiæ neque dignioris, vt ex dictis patet, strictum & commutatiuum ius læsit.

*Dignus ex dignioribus concurrens non peccat.*

Dico octavo. Dignus non continuò peccat concurrendo, etiamsi putet alios digniores concursuros. Si enim probabiliter speret, per examen se dignum repertum iri, potest se offerre, quia in primis nescit, vtrùm collator iustè non possit alios magis idoneos alijs Beneficijs, in quibus magis erunt necessarij, reseruare, aut propter alias circumstantias sine iniustitia postponere. Ita Caietanus verbo Beneficium. Cõfirmatur, Quia non tenetur quis suum ius dubium dimittere indiscussum, L. Illud, ff. De petitione hereditatis. Fieri etiam potest, vt casu aliquo dignior ante collationem è viuis decedat, desistat, aliter impediatur, aut ineptus fiat; poterit ergo interim ius suum dignus experiri. Rebellus lib. 3. q. 6. Aliàs, vt habet probabilis opinio, peccatum erit mortale, concurrere cum manifestè digniore, animo contra eam prosequendi concursum vsq; ad finem. Ita Nauarrus Miscellaneo 40. De oratione.

Excipe tamen casum, quo dignior non seriò putetur concurrere, sed vt alios deterreat & auertat, item quo dignus satis caueret digniori ne propter suum concursum detrimentum patiatur, puta curando ne quod ei suffragium propter se decedat, publicèque protestando, si illi sit prouidendum, se nolle haberi sui rationem.

Dices, Si concurrerit, aliàs ei proderit.

Respondeo, Ne quidem eo intuitu licere, vt ibidem Nauarrus: iniquum enim est, ex sola improbitate sperare emolumentum.

Hæc quidem probabiliter ex sententia Nauarri dicta sint: aliorum tamen sententia admodum probabilis, & in praxi secura, admittit, posse dignum tuta conscientia concurrere, etiamsi digniorem occasione sui concursus videat prætereundum; neque teneri hoc agere, ne illo postposito, sibi collatores suffragentur: denique tuta conscientia posse delatum sibi Beneficium accepare. Ita Azorius tom. 2. l. 6. cap. 15. Hæc inquam sententia tuta est, quando dignus probabiliter persuasus est, quamuis ipse concurrentem alium putet se digniorem, collatorem tamen sibi conferentem, propter aliquas circumstantias, quas ipsi examinandas relinquit, posse excusari ab iniustitia.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm illegitimus sit capax Beneficij?*

Respondeo, Non esse, cap. Per venerabilem, Qui filij sint legitimi, cap. Cùm in cunctis, De electione; cap. Nimis in tua, De filijs Presbyterorum: quæ capp. quamuis loquantur de Beneficijs curatis, arceri tamen illegitimos à quibuscumq; Beneficijs Ecclesiasticis, magnum argumentum est ex c. Litteras, De filijs Presbyterorum, & saltem indirectè arceri, quando prohibentur ordinari Clerici, manifestum est cap. Vt filij, eodem, vbi alios plures textus citat Glossa. Inter curata tamen, aut dignitates, & reliqua, hoc discriminis est, quòd in illis solus Papa, in his etiam Episcopus cum illegitimis dispenset, saltem quando non habent annexum Ordinem maiorem, aut in eo pater illegitimi nomine proprio anteà non ministrauit. c. Ad extirpandas, De filijs Presbyterorum. Imò Clemens VII. cap. vnico, eodem, in 7. Decretal per P. Marth. edito, ne quidem per Sedem Apostolicam vult in hoc posteriori casu dispensationem fieri. Tridentinum etiam sess. 25. cap. 15. statuit, filium illegitimum non posse in eadem Ecclesia vbi pater habet aut habuit Beneficium quodcumque, etiam dissimile, Beneficium obtinere.

*Qui possint dispensare cum illegitimis.*

Quæres, Vtrùm illegitimus, qui per dispensationem obtinet aliquod Beneficium, possit eo dimisso aliud simile sine dispensatione noua accepare?

Respondeo, Satis probabile videri quòd possit, quia dispensatio illa non tam respicit Beneficium quàm personã. Si tamen dispensatio præcisè facta est super certo Beneficio, videtur indigere noua ad aliud acceptandum, illo neglecto, vt docet Siluester verbo Beneficium 3. q. 11. Idem tamen Siluester cum Angelo verbo eodem, nu. 2. quos sequitur Armilla, putant dispensationem ad vnum valere etiam quoad alterum simile, si prius dimittere coactus sit sine sua culpa.

Quæres iterùm, Vtrùm sufficienter intelligatur facta dispensatio, si illegitimo Beneficium conferat is qui poterat super natalibus dispensare?

Respondeo, Non sufficienter intelligi. Ita Glossa in cap. vnicum, De ætate & qualitate ordinandorum, in 6. sufficienter tamen intelligetur, si expositus fuerit defectus natalium, vt docet Gregorius Tolosanus De Beneficijs cap. 35. Extat etiam Decisio Romana 425. 1. parte, quòd illegitimus, cum quo est dispensatum vt sit Clericus, sine alia dispensatione capax sit pensionis, etiam ex Beneficio quod pater habuerit.

Quæres, Vtrùm rectè excludantur à quibusdam Beneficijs legitimi, qui non sunt nobiles natalibus?

Respondeo, Rectè id fieri, quia generis splendor Ecclesiam illustrat, quod probat Sidonius lib. 7. epistola 9. exemplo Ioannis Baptistæ, cuius nobilitatem celebrauit Lucas cap. 1. sed cauendum, ne in maiori parte Beneficiorum id fiat, item ne solius vel præcipuè ratio habeatur nobilitatis; nam vt dicit Gregorius IX. c. Venerabilis, De Præbendis, *Non generis, sed virtutum nobilitas, vitaque honestas gratum Deo faciunt & idoneum seruitorem, qui non multos secundùm carnem nobiles ac potentes elegit, sed ignobiles & pauperes.*

## DVBIVM X.

### *Quomodo Ordo requiratur ad Beneficium?*

*Non tonsuratus est incapax Beneficij?*

DICO PRIMO. Iure Canonico incapax est Beneficij quod non nisi Clericis dari solet, qui clericali nondum est insignitus tonsura; cap. 2. De institutionibus, cap. Cùm adeò, De rescriptis, & alibi.

At quid si quis ab alieno Episcopo Clericus sit ordinatus?

Respondeo, Si inuito proprio ordinatus sit, non poterit Beneficium obtinere. Azorius suprà lib.6. cap. 2.

At quæstio est, Vtrùm ei qui cras certò futurus est Clericus, hodie liceat conferre Beneficium? & videtur similis ratio de alio ordine aut gradu Scholastico, qui fortè in assumendo requiritur. Disputat Azorius lib.8.cap. 2.suprà.

Pro affirmatiua parte facit L. Filius familias, ff. De militari testamento, vbi mox cingulo militiæ cingendus, habetur pro cincto, & more militum testamentum condit etiamsi filius familias sit. Facit etiam cap. Si pro Clericis, De Præbendis, in 6. vbi Pontifex vult per litteras Apostolicas eum promoueri ad Pastoratum, qui non est in Sacris, etiamsi eiusmodi defectus nulla in litteris facta sit mentio, modo primo tempore ad Ordines requisitos promoueatur. Idem dicitur similiter de præsentato ad curam Pastoralem, eodem libro De institutionibus, cap. Si is ad quem.

Pro opposita tamen magnum argumentum est, quòd quæ ab initio sunt irrita, non conualescant elapsu temporis; cap. Non firmatur, De Regulis Iuris, in 6. Vnde gratia Apostolica pro curato Beneficio facta minori vigintiquinque annis irrita est, etiamsi tempore vacationis sit iustæ ætatis, cap. Si eo tempore, De rescriptis, eod. item cap. Dudum 1. De electione, Pontifex cuidam electo in Præpositum, si constiterit quòd electionis tempore patiebatur vel in Ordinibus, vel in scientia, vel in ætate defectum, qui eius secundùm Canones impediret promotionem, perpetuum indicit silentium. Confirmatur, Quia, vt notat Glossa in dictum cap. Dudum, in electione, collatione, in contractibus aut quasi contractibus, in delictis vel quasi delictis, imò & in omni negotio ex quo actio oriri potest, & in Decretis seu Constitutionibus initium est spectandum, nisi propter fauorem aliud contingat, vt in Matrimonio vel libertate. Facit cap. Principatus 1.q.1.ex Leone epistola 87.

Respondeo ergo, Regulariter verum esse, quando Beneficium ex Iure aut consuetudine debet dari certam qualitatem, Ordinem, gradum, ætatem habenti, non valere collationem, si detur eiusmodi qualitatem non habenti, etiamsi paulò pòst habiturus sit. De duobus quæstio hîc esse potest. Vno quidem, Non valere collationem, si collatarius actu non sit Clericus, etiamsi paulò pòst futurus sit, vt benè resoluit & ostendit Azorius suprà. Alterum, Etiam si Subdiaconatus olim fuerit necessarius ad suscipiendum Pastoratum, cap. Præterea, De ætate, &c. nunc tamen per dicta cap. Si pro Clericis, & cap. Si is ad quem, non esse Subdiaconatum necessarium, saltem in duobus casibus, videlicet quando promouetur nominatus per litteras Apostolicas, & quando præsentatur quis ab eo qui habet ius præsentandi.

Dicunt quidam simpliciter, Subdiaconatum nunc non esse necessarium, quos sequitur Rochus suprà, estque sententia admodum probabilis. Sed Glossa in dictum cap. Si pro Clericis, id non probat. Sanè generatim Emanuel Sà verbo Beneficium ex Nauarro docet, eriamsi Cappellania instituta sit cum ea lege, vt detur ei qui sit Sacerdos, posse nihilominùs ei dari qui non sit Sacerdos, modò quamprimùm fiat. Sed verius est contrarium, extra dispositionem istorum capp. Si pro Clericis, & Si is ad quem, quæ vt summum solùm obtinebunt vniuersim de Parochialibus respectu Subdiaconatus. Et ita tenent DD. communiter, Rochus De Iure patronatus, verbo Honorificum, num. 21. Panormitanus in cap. Cùm in cunctis, De electione, §. Inferiora, num. 10. & 11. qui rectè monet, cautè dispiciendum esse, sitne Ordo annexus Beneficio secundùm aptitudinem tantùm, sicuti Pastoratui annexus est Presbyteratus; an verò secundùm actum, sicut per dictum cap. Præterea Subdiaconatus erat annexus Pastoratui. Vnde consequens est, cùm in ætate solùm actus consideretur, quandocumque ætas requiritur, debere eam adesse tempore collationis, vt collatio sit valida. Ex dictis patet responsio ad argumenta in contrarium.

*Quædam Beneficia altiorem Ordinem requirunt.*

DICO SECVNDO. Quædam tamen sunt Beneficia, quæ Iure communi, vel ex statuto vel fundatione non possunt conferri simplici Clerico, sed requirunt altiorem aliquem Ordinem. Qui enim obtinet Episcopatum, debet actu saltè esse Subdiaconus, cap. A multis, De ætate, &c. Item debet Episcopus consecrari intra tres menses, Tridentinum sess. 23. c. 2. alioqui teneturad fructuum perceptorum restitutionem; & si intra tres alios menses consecrationem neglexerit ipso Iure priuatus existat. Sed vnde computandi sunt tres primi menses? an ab electione, an à confirmatione, an denique à die acceptæ possessionis? Respondeo, A die confirmationis. Siluester verbo Confirmatio 1. nu 3. Non curret tamen hoc tempus Prælato impedito, accusato, inquisito, aut denuntiato, etiam culpâ suâ. Serola verbo Consecratio.

Cardinalatus vel Ordinem Episcopalem, vel Sacerdotalem, vel Diaconatus habet annexum: neque enim inter Cardinales suffragij ius habet, qui saltem non sit Diaconus, vt colligit Azorius suprà cap. 8. ex Clementina 2. De ætate, &c.

Parochialem Ecclesiam adeptus, debet intra annum Presbyter ordinari, cap. Licet Canon, De electione in 6. Currit autem annus à tempore sibi commissi regiminis, id est, vt explicatur eodem titulo, cap. Commissa, ex quo habuit pacificam possessionem, vel per eum stetit quò minùs haberet.

Excusatur tamen, præter casum legitimi impedimenti qui generalis est, Primò, Quando parochialis Ecclesia annexa est alteri Beneficio non parochiali, tamquam magis principali; sequitur enim tunc naturam principalis. Rebuffus tit. De non promotis intra annum.

Dico, *alteri non parochiali*, non autem alteri simplici; quia quod de Parochis intra annum ordinandis dicitur, non debet extendi ad quosuis prouisos de curato Beneficio, puta ad Abbates, Decanos, Præpositos, Priores, Archipresbyteros, vt obseruat Azorius suprà, quamuis de Prioribus conuentualibus similis sit Constitutio, Clementina Ne in agro, De statu Monachorum, & de Vicarijs perpetuis in parochiali, Clementina vnica, De officio Vicarij.

Dico etiam, *tamquam magis principali*; quia parochialis vnita alteri, vt æquè vel magis principalis, retinet suam naturam.

Secundò excusatur, Quando nulli sunt Parochiani, puta propter bellum. Glossa in dictum cap. Licet Canon: debet tamen promoueri intra annum ex quo Parochiani redierint. Tertiò, Quando ratione studij habuerit dispensationem.

Sed Quæritur, Vtrùm in eo Episcopus dispenset?

Respondeo, Episcopum posse dispensare ad septennium cum studioso, modò intra annum fuerit promotus ad Subdiaconatum, vt habetur cap. Cùm in eo, De electione, in 6. Idem tradit Azorius lib.6.cap.5.quæst.10.& Rebuffus 2.parte, tit. De dispensatione, De non promouendo. Subdiaconus autem fieri debet, ne postquam in studijs Beneficij fructibus gauisus est, transeat ad vota sæcularia. Denique deuoluto septennio currit annus in quo oporteat eum fieri Sacerdotem.

## DVBIVM XI.

### *Quæ ætas requiratur ad Beneficia?*

*Ætas Episcopi.*

RESPONDEO, In Episcopo requiritur ætas trigesimi anni expleti, cap. Cùm in cunctis, De electione, cap. Episcopus dist. 77. ex Concilio Agathensi. Simile quid apud Iudæos in more erat, vt ante trigesimum ætatis annum nemo doceret; quare & Ioannes, & ipse Christus hanc ætatem exspectarunt. Iustinianus quidem Nouella 123. requirit maiorem ætatem, scilicet triginta quinque annorum; sed illud extra vsum est. Non sufficere autem quòd trigesimum ingressus sit, satis colligitur ex dicto cap. Cùm in cunctis.

Requiritur vigesimus quintus annus inchoatus in omnibus Beneficiarijs habentibus dignitatem cui annexa est cura animarú, dicto cap. Cùm in cunctis. Trident. sess. 24. cap. 12. In dignitatibus alijs sufficit attigisse vigesimum secundum annum. Tridentinum ibidem.

*Pastorú.*

In parochiali Ecclesia requiritur vigesimus quintus inchoatus dicto cap. Cùm in cunctis, sicut etiam in Vicaria perpetua parochiali, Clementina vnica, De officio Vicarij. Eadem est ratio eius, cui parochialis Ecclesia commendatur.

*Vicarij Pastoris.*

cap. Nemo deinceps, De electione, in 6. Adiutorem autem, qui datur Parocho (quia in Iure ætas eius non est expressa, vt testatur Azorius 2. parte, lib.6.cap.5.) fortè sufficit esse Sacerdotem, etiamsi ante ætatem per dispensationem esset promotus: vbi enim Beneficium certum Ordinem requirit, arcetur ad Ordines promotus ante legitimam ætatem, vt latè probat Gregorius Tolosanus cap. 37. & Azorius suprà.

*Canonici.*

In Canonicatu Ecclesiæ Cathedralis qui Ordinem habet sacrum annexum, requiritur talis ætatis, vt Beneficiarius intra annum isti Ordini initiari valeat: quia autem semper requirit saltem Subdiaconatum, nouo Iure Tridentini sess. 23. cap. 12. patet eius non esse capacem in locis vbi vbi Concilium est receptum, qui saltem vigesimum primum ætatis annum non inchoauerit. In Canonicatu Ecclesiæ Collegiatæ & minoribus simplicibus Beneficijs requiritur decimusquartus annus inchoatus. Trident. sess. 23. cap. 6. Excipit Emanuel verbo Beneficium, nisi in fundatione aliter fuerit cautum, citans Congregationem Cardinalium interpretum Concilij, cap. 6. sess. 23. Concilij Trident. fundationi enim non derogari Concilij decreto quod quatuordecim annos requirit, declarant Interpretes.

## DVBIVM XII.

### *Quomodo cælibatus requiratur in Beneficiario?*

*Coniugati excludun-tur à Beneficijs.*

RESPONDEO, Coniugatos non posse Ecclesiastica Beneficia possidere aut retinere cap. 1. De Clericis coniugatis. Si quæ sunt antiquiora capp. in contrarium, vt videtur esse cap. Si qui verò, dist. 32. & cap. Quia tua 12. quæst. 1. ex D. Gregorio; vel coniugatis non concedunt Beneficium in titulum, sed prouentus in eleëmosynam aut stipendium, vel hodie posteriori Iure correcta sunt. Per sponsalia tamen non amittit Clericus Beneficia, vt docet Sanchius De matrimonio lib.7.disp.42. qui dicit esse certum hoc apud omnes, & plurimos citat; estque manifesta ratio, quia nondum transiit ad statum Beneficio incompatibilem, sed solùm est in via ad illum.

Sed quæstio est, Vtrùm qui sponsalia contraxit, eo ipso debeat à Iudice aut Superiore priuari Beneficio?

Respondeo, Quosdam DD. dicere, quòd mereatur priuari, partim quia iam virtute promisit dimittere & abijcere, partim quia aspergit aliqua nota statum Ecclesiasticum, eo repudiato transeundo ad vota sæcularia. Displicet tamen istud Sanchio, & dicit, nullo textu aut ratione satis solida niti, & neminem præter Ludouicum Lopez se inuenisse qui id diceret.

Verius nihilominùs videtur, non deesse hîc causam ob quam Lege statui possit, talem esse priuandum: & satis rationi consentaneum est vt priuetur, cùm iam animo repudiasse, & ministerium Ecclesiæ deseruisse publico facto manifestè declarauerit; pertinet enim ad decorem domus Dei, eiusmodi ministros retrospicientes exauctorare: antequam tamen Lex feratur, seruanda erit sententia Sanchij.

Quæres, Vtrùm nullo casu Clericus coniugatus retineat Beneficium?

Pesantius quæst. 62. art. 2 disp. 7. docet, Quando id habet consuetudo legitimè præscripta, posse retinere simplex Beneficium sine seruitio, aut posse etiam Episcopum dispensare cum Clerico coniugato non bigamo, in vno casu, quando scilicet officium solum pertinet ad minores Ordines. Sed quidquid sit de priori, posterius illud non de dispensatione ad Beneficium, sed solùm ad officium accipiendum esse, patet ex Trident. sess. 23. cap. 17.

*Casus quo coniugatus potest obtinere Beneficium.*

Certiorem casum, quo coniugatus cum vnica & virgine possit obtinere Beneficium, tradit Rebuffus in Reg. De publicâdis resignationibus, Gloss. 18. numero 43. videlicet, quando vxor ingreditur Religionem, & ipse vel sacros Ordines suscipit, vel similiter fit Religiosus: fundatur

enim casus iste in cap. 2. De Clericis coniugatis. In casu etiam dispensationis Pontificiæ potest coniugatus Clericus Beneficium simplex retinere & obtinere; per Episcopi autem dispensationem nullo modo. Argumentum ex cap. Diuersis, eodem; vbi coniugati etiam illi spoliantur Beneficijs, quibus volens & sciens Episcopus prouiderat.

Quæres Secundò, Vtrùm validè contrahens matrimonium, amittat Beneficium ipso iure ante Iudicis sententiam?

Respondeo, affirmatiuè; vacat enim eo ipso Beneficium: neque enim est pœnalis ista Constitutio, in qua, etiamsi dicat ipso Iure amitti absque alia declaratione, nihilominùs opus sit sententia Iudicis. Sed contrario facto Iure proprio Beneficiarius censetur cedere: censetur enim tacita ea conditione Beneficium possidere, ne statum incompatibilem, eo retento, assumat. Vnde patet, eum manere priuatum Beneficio, etiamsi nondum consummato matrimonio vxor moriatur; verè enim assumpsit statum incompatibilem Beneficio, neque potest Beneficium semel amissum sine noua collatione redire. Estque hæc communis sententia, quam sequitur Rebuffus sup. n. 40. Imò quælibet Iura ad Beneficia, accessus, regressus, & similia per matrimonium ratum vacant aut potiùs exspirant statim ipso Iure. Argumentum ex Clementina Gratiæ, De rescriptis. Si tamen cum illegitimo dispensatum sit, vt possit habere Beneficium, eiusmodi dispensatio per subsequens eius matrimonium non extinguitur, quin sine alia dispensatione iam viduus Beneficium acceptare postmodum possit. Per dispensationem enim non dabatur ius ad Beneficium, sed solùm remouebatur impedimentum quod erat ex natalibus, quia remotio potest manere in vigore, extincto omni iure ad Beneficium per contractum matrimonij. Ita Sanches suprà.

Quæres Tertiò, Vtrùm per irritum matrimonium verè etiam Clericus amittat ipso facto suum Beneficium?

*Per irritum matrimonium non amittitur Beneficium.*

Respondeo, Quamuis nonnulli aliter senserint, probabilius esse, ipso facto numquam amittere, quomodocumque matrimonium sit irritum, siue quia ipse est in Sacris, siue quia cognationis, aut aliud simile subest impedimentum dirimens, siue quia ætas iusta in alterutro vel vtroque deest aut consensus, aut quia contractus clandestinus est.

Vnde sequitur, antequam eo priuetur per sententiam, posse hunc Clericum Beneficium suum in alterius fauorem resignare. Neque refert quòd fortè ipse Clericus existimauerit matrimonium fore validum, atque adeò seriò attentauerit amplecti statum Beneficio incompatibilem, quia reuerà non est amplexus ipso facto. Itaque non incidet pœnam priuationis; sicuti qui occidit feram existimans esse hominem, non fit irregularis. Non habet ergo in ipso locum ratio, ob quam per matrimonium diximus Clericum amittere Beneficium ipso facto: si enim ipsum factum attentatum sit irritum, non mirum si etiam irrita sit amissio; conditio enim quæ tacitè inerat collationi vt nimirum non susciperet reipsa statum illum incompatibilem, retento simul Beneficio, hîc nondum cessat. Confirmatur ex cap. 1. De Cler. coniug. adiuncta Glossa verbo Dimittere; vbi cùm propositum postularet, vt si ita esset, Clerici in Sacris dicerentur amittere ipso facto Beneficia coniugium attentando, non hoc dicit, sed solùm dimissis vxoribus dicit eos debere pœnitere: Glossa autem dicit, priuandos esse Beneficijs, nisi cum eis dispensetur, quod non nisi post longam pœnitentiam, & vitam laudabiliter in continentia transactam, fieri debere, dicitur eodem titulo cap. Sanè. Tales ergo Beneficijs suis per iudicem priuandi erunt in pœnam delicti, aut propter Ecclesiasticæ honestatis quamdam violationem, cap. Quisquis, dist. 83.

## DVBIVM XIII.

### *Quomodo morum probitas requiratur in Beneficiario?*

*Criminosi arceantur à Beneficijs.*

CRIMINOSVS, vt in Iure accipitur, id est ob crimina infamis, excommunicatus, irregularis, suspensus, vel simili censura innodatus, non est ad Beneficia promouendus, sed potiùs promotus depositione dignus. Glossa in cap. vnicum, dist. 25. Nauarrus De oratione, Miscel. 34. Azorius parte 2. lib. 6. cap. 7.

Secundò, Non solùm illicita, sed prorsus inualida est criminoso facta collatio, quando crimen ipso Iure inducit irregularitatem, vel aliam specialem inhabilitatem ad Beneficia, aut notorium est, & depositione dignum. Nauarrus suprà, & cap. 27. numero 251. Enchiridij.

Tertiò, Etiamsi crimen neque irregularitatem secum adducat, neque absolutè sit dignum depositione; si tamen sit graue, notorium, vel famosum & incorrectum, vel ita qualificatum infamia iuris, scandalo, diutina continuatione, vel alia qualitate, vt propter illud Iudicis arbitrio criminosus veniret deponendus saltem à Beneficio, collatio in statu tali facta, etiam probabiliter est ipso Iure nulla. Argumentum ex cap. Cùm in cunctis, De electione. Ita docet Nauarrus dicto Miscell. 34. De oratione, ex Panormitano.

*Item hæretici, eorum fautores, filij, &c.*

Quartò, Hæretici, credentes, receptatores, defensores, ac fautores eorum, ipsorumque filij vsque ad secundam generationem ad nullum beneficium Ecclesiasticum aut officium publicum admittuntur, & si secùs factum fuerit, irritum est & inane. Ita cap. Quicumque, De hæreticis, in 6. Verùm huc pertinentia nonnulla diximus suprà Quæstione 11. quando De hæreticorum pœna. Insuper eodem cap. priuatur etiam Beneficijs Ecclesiasticis qui ea obtinuerint ad preces hæreticorum, aut eorum qui eis fauent secundùm modos antè dictos, etiamsi ignorauerint eos esse tales: nam si sciuerint, etiam ad alia quæcumque Beneficia redduntur inhabiles.

Sed dubium est, Vtrùm hæc collatio sit irrita?

Respondet Pesantius, non esse, quæst. 62. art. disp. 7. & ita videtur, quia textus non dicit, collationem fore irritam & inanem, nisi quando hæreticis eorum fautoribus aut filijs facta est; in hoc autem casu, eo omisso, aliter disponit.

Quintò, Beneficia Simoniacè impetrata vacât, & impetratio per Simoniam obtenta, nulla est, nec collatio valet, cap. Cùm detestabile, De Simonia, in Extrauagg. communibus. Obseruat Gregorius Tolosanus De Beneficijs cap. 26. distinctionem inter Simoniam realem, conuentionalem, & mentalem: quòd Beneficium sibi comparans reali Simonia, inualidè accipiat; conuentionalis autem Simoniacus priuandus sit, non priuatus; mentalis autem nec priuatus nec priuandus. Est etiam differentia inter realem occultum & manifestum; quòd occultus coloratum habeat titulum ex communi præsumptione, non autem manifestus.



At quid si Simonia circa collationem Beneficij inscio Beneficiario per alios admissa sit, erítne collatio nulla?

Respondeo, Omnino fore nullam, nisi accesserit dispensatio, in Prælaturis quidem, Pontificis; in inferioribus, saltem Episcopi, cap. pænult. De electione. Simonia tamen non oberit electo, si in odium eius ipso inscio sit admissa, ad vitiandam electionem, aut si admissa sit ipso sciente, sed reclamante, cap. Sicut tuis litteris, De Simonia. Est etiam discrimen inter Beneficium Simoniacè obtentum, & aliud quod fortè habet Simoniacus sine tali vitio obtentum: quamuis enim etiam ab isto suspensus sit, & per sententiam priuandus, etiamsi Simonia fuerit occulta, tamen dimisso per Simoniam acquisito Beneficio, & acta pœnitentia, poterit occultus Simoniacus alia licitè acquisita retinere, retento autem Simoniacè acquisito, pœnitentiam agere non potest.

Dico, *occultus*; quia manifestus sine dispensatione, etiam pœnitens, alia retinere non potest, quantumuis legitimè acquisita. Tolosanus suprà.

Sextò, Qui impetrat à Papa Beneficium viuentis, fit ad illud inhabilis etiam post mortem possessoris obtinendum. Ita habet Regula Cancellariæ 21. & Rebuffus.

*Hostiliter tractantes Cardinalē.*

Septimò, Priuatur ipso Iure Beneficijs, qui hostiliter tractat Cardinalem Romanæ Ecclesiæ; eaque pœna extenditur ad omnes adiutores, ac etiam filios tam principalium quàm sociorum, cap. vlt. De pœnis, in 6. Imò extenditur etiam ad nepotes eorum ex filio, sed non ex filia. Pesantius suprà ex eod. cap.

Priuantur etiam Beneficijs quæ obtinent in diœcesi, quicumque Episcopum percusserint, ceperint, exulare coëgerint, vel ad hæc quouis modo consensum vel auxilium præbuerint. Clementina 1. De pœnis.

*Homicida.*

Octauò, Homicida est inhabilis ad Beneficium. Cum voluntario Papa, cum casuali Episcopus dispensat, saltem ad simplex accipiendum, aut curatum retinendum. Trid. sess. 14. cap. 7.

*Concubinarij incorrecti.*

Nonò, Concubinarij incorrecti post primam monitionem tertia parte fructuum sui Beneficij priuantur; post secundam integris fructibus priuantur, & suspenduntur à Beneficiorum administratione: post tertiam Beneficio priuantur, & inhabiles fiunt ad quæcumque Beneficia. Trident. sess. vlt. cap. 14.

Decimò, Clericus qui auctor fuerit aut consentiens vsurpationi in alienum vsum bonorum Ecclesiæ, aut aliorum relictorum in pium vsum, priuatur suis Beneficijs, & ad quæcumque Beneficia fit inhabilis. Trident. sess. 22. cap. vlt.

Vndecimò, Qui procurat Clericum capi vt cogatur resignare Beneficium, si eiusmodi procurans non sit Prælatus, eo ipso obtentis Beneficijs priuatur, à perceptione fructuum suæ Ecclesiæ. Clement. Multorum, De pœnis.

## DVBIVM XIV.

### *Quæ scientia necessaria sit idoneo ad Beneficium?*

*Illiteratus inhabilis admittendi.*

RESPONDEO & DICO PRIMO. Penitus illitteratus non potest ad Beneficium promoueri, cap. Illitteratos, dist. 36. ex Pelagio Papa, cap. vlt. De temporibus ordinationum, in 6.

Sed quæritur Primò, Quis hîc censeatur penitus illitteratus?

*Illiteratus quis dicatur.*

Duæ sunt opiniones. Vna dicit, eum esse penitus illitteratum, qui nescit Latinè legere & construere. Indicat Glossa in Clement. vnicam, De concessione Præbendæ. Huic satis affinis est alia, quæ vult illitteratum dici, qui neque vsu neque arte callet Grammaticam: hæc tamen præter lectionem & constructionem apertiùs etiam alium vsum & intellectum Latinæ linguæ requirit. Alij, ne tamquam penitus illitteratо facta collatio simplicis Beneficij sit irrita, solùm requirunt, vt possit Latinè legere & scribere. Ita saltem de consuetudine tenendum putat Nauarrus in cap. Si quando, De rescriptis, exceptione 13. numero 8. Estque hæc sententia probabilis, & fauet ei Trident. sess. 23. cap. 4. vbi indicatur, ad primam tonsuram sufficere peritiam legendi & scribendi: Clerici enim cùm iam sint de sorte Domini, eo ipso videntur (nisi ætas fortè aut aliud simile obsit) capaces minimorum saltem Beneficiorum.

Nihilominùs probabilior videtur opinio, illitteratum prorsus in materia Beneficiali illum dici, qui non nouit aliquo modo idioma quo fit diuinum Officium, adeoque qui nullo modo nouit apud Latinos Latinè, & apud Græcos Græcè. Vnde consequens est, maiorem litteraturam requiri ad Beneficium quàm ad Clericatum. Hanc sententiam fatetur Nauarrus esse conformem Iuri scripto.

Quæritur Secundò, Vtrùm qui aliquando fuit litteratus, sed nunc oblitus est, amittat Beneficium? Videtur enim amittere: quia vt ex Innocentio communiter recepto refert Nauarrus in dictum cap. Si quando, De rescriptis, illitteratus minùs est habilis ad Beneficium quàm homicida.

Dicendum tamen est, in hoc illitteratum esse melioris conditionis; si enim aliquando fuerit litteratus, retinet Beneficium, sicuti furiosus, vt patet cap. vnico, De Clerico ægrotante, in 6.

Quæritur Tertiò, Vtrùm ille qui scientiam ad Beneficium idoneam non habet, possit promoueri, si speretur probabiliter eam sibi comparaturus?

Respondeo, Si actu iam litteratus aliquo modo Latinæ linguæ vsum habuerit, valere collationem saltem simplicis Beneficij cum dispensatione, quæ fortè ex consuetudine competat Episcopo: si autem nullo modo sit litteratus, nec actu nec potentia, irrita erit collatio, & illicita dispensatio, neque consuetudine vlla excusari poterit praxis contraria; quamuis per Pontificis dispensationem non negemus fieri posse, vt collatio habeatur valida. Si actu omnino sit illitteratus, id est Latinæ linguæ ignarus, speretur tamen quòd eam addiscet, verius nihilominùs existimo collationē esse irritam, saltem Iure scripto; consuetudine tamen introduci posset, vt valida habeatur: qua in facto posita, locum habebit opinio Nauarri supradicta.

Quæritur Quartò, Vtrùm sicuti qui nouit litteras, omnino tamen dicitur illitteratus in ordine ad Beneficium, si nullum Latinæ linguæ vsum habeat; ita etiam qui Latinè vtcumque nouit, quoad cetera rudis, debeat censeri prorsus illitteratus respectu Beneficij curati, aut Episcopatus, aut alterius, respectu cuius scientiam non habet aliquo modo sufficientem, ita vt collatio ei facta sit censenda inualida, etiamsi spes sit quòd ad scientiam aliquo modo sufficientem successu temporis proficiet?

Respondeo, Citra Pontificiam dispensationem, & remota consuetudinis præscriptione, videri inualidam per cap. Cùm in cunctis, De electione; vbi æquiparantur defectus in moribus, ætate, natalibus & scientia, & singuli significantur sufficere vt collatio sit ipso Iure nulla. Tenet eamdem sententiam ibi Panormitanus §. vltim. numero 6. quamuis contrarium sentiat Nauarrus suprà excep. 16. In foro tamen externo fortè sic promotus habebit titulum coloratum, & gaudebit Regulâ de triennali possessore, vt tradidit idem Nauarrus contra Rebuffum.

*Non habẽs scientiam sufficientem illicitè promouetur.*

DICO SECVNDO. Licitè non promouetur ad Beneficium, neque illud tuta conscientia suscipit extra casum necessitatis, qui non habet sufficientem scientiam ad ea præstanda quæ ad officium spectant; non tamen opus est vt habeat eminentem, imò neque vt mediocrem, prout ea distinguitur contra sufficientem & idoneam. Eminentem dicitur habere, qui per se etiam difficiliora circa suum statum & officium occurrentia

*Scientia eminens.*

*Mediocris.*

expeditè resoluere potest. Mediocrem verò habet, qui frequenter & communiter occurrentia expeditè resoluit, in difficilioribus autem alios debet consulere. Sufficientem denique, qui Doctores legendo, aut doctos consulendo, officio fungi potest, quamuis ne quidem in ordinarijs satis sit expeditus sine præuio studio aut meditatione. Hanc distinctionem ex Innocentio in dictum cap. Cùm in cunctis, & communi, tradit Azorius parte 2. lib. 6. cap. 6.

*Sufficiens.*

Quæres, Qualis in Episcopo debeat esse scientia?

*Scientia in Episcopo requisita.*

De hac re multa Canones tradiderunt. Debet in primis habere notitiam veteris & noui Testamenti, cùm omni petenti teneatur reddere rationem, cap. Qui Episcopus, dist. 23. cap. Omnes, dist. 38. Idem tradit Gratianus cap. Qui Ecclesiastici, §. Ecce, dist. 36. Panormitan. in dictum cap. Cùm in cunctis, §. 1. numero 4. Quando tamen in ordinatione sua Episcopus rogatur, vtrùm sciat vetus & nouum Testamentum, potest consuetæ illi interrogationi de more satisfacere, affirmatiuè respondendo, si modò vtrumque Testamentum nouerit quoad ea fine quibus officium suum congruè exercere non possit. Siluester verbo Episcopus, quæst. 4. quem sequitur Emanuel eodem verbo. Secundò, Debet esse peritus Canonum, cap. Statuimus, dist. 61. ex Leone Papa, *Ne his Ecclesia Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescij*, &c. Tertiò, Expediret etiam Legum esse peritum & rerum sæcularium, quia sacrorum Canonum statuta, Principum Constitutionibus adiuuantur, cap. Intelleximus, De noui operis nuntiatione. Quartò, Oportet Episcopum nosse idioma suæ diœcesis; quod etiam extenditur ad Presbyteros parochiales per Regulam 20. Cancellariæ Apostolicæ. Quintò, Per nouum Ius Concilij Tridentini sess. 22. cap. 2. requiritur vt ad Cathedralem Ecclesiam assumendus anteà in Vniuersitate studiorum Magister siue Doctor aut Licentiatus in sacra Theologia vel Iure Canonico meritò sit promotus, aut publico alicuius Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur: si Regularis fuerit, à Superioribus suæ Religionis simílem fidem habeat.

Sed quæres, Vtrùm infirmet electionem, quòd immeritò fortè ad gradum scholasticum sit promotus ante sufficientem eruditionem, aut quòd contra statuta Academiæ eam obtinuerit?

Respondet Azorius, neutro casu in foro externo electionem inualidari; sed priori teneri electum se reddere dignum & idoneum, posteriori autem considerandum esse, vtrùm ita fuerit gradus contra statuta susceptus, vt tamen ipse non fuerit per Leges & statuta Academiæ irritus: si enim irritus fuerit, etiam electionem irritam putat futuram; si non fuit irritus, etiam electionem arbitratur fore ratam. Ita satis probabiliter ille: priori enim casu præsumitur, posteriori autem verè subest scientia sufficiens, vt suppono.

## DVBIVM XV.

### *Quomodo defectus corporis impediat obtentionem Beneficij?*

CORPORE notabiliter vitiatis non possunt Ecclesiastica Beneficia conferri, quia ministerium exhibere non possunt; vnde & ab Ordine arcentur, cap. Qui in aliquo, dist. 51. cap. 2. De Clerico ægrotante, cap. 1. dist. 36. Quocirca DD. passim eos diserte à Beneficijs remouent. Consulendus Lambertinus lib. 2. De Iure patronatus, parte 1. quæst. 7. art. 10. Rebuffus De dispensatione cum corpore vitiatis. Quænam autem corporis deformitas ad irregularitatem istam sufficiat, videre licet Extrau. toto titulo De corpore vitiatis; & apud Angelum, Armillam, aliosque Summistas eodem verbo.

*Corporeus.*

*tabiliter vitiatus excluduntur à Beneficijs.*

Illud generatim hîc Notandum, Quamuis etiam sine culpa sua vitiatus repellatur ab Ordine, ordinatus tamen, si corpore postmodum vitietur citra suam culpam, non amouetur à Beneficio, etiamsi à ministerio prohibeatur, vt diserte obseruat Armilla.

## DVBIVM XVI.

### *Quæ intentio requiratur in Beneficium obtinente?*

EXSTAT textus in cap. Commissa, De electione, in 6. in hunc ferè modum disponens: *Si promoueri ad Sacerdotium non intendens, Parochialem receperis Ecclesiam, vt fructus ex ea per annum percipias, ipsam postmodum dimissurus, nisi statuti voluntate mutata promotus fueris, teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem cum eos receperis fraudulenter: illum autem qui eam tibi contulit, cùm te non crederet ad huiusmodi Ordinem promouendum, præter diuinam quam exinde incurrit offensam, ad seruandam indemnem eamdem Ecclesiam decernimus obligari.* Hîc apertè disponitur, eum peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem fructuum, qui suscipiens pastoralem Ecclesiam sine

*Pastoratum suscipiens sine animo Sacerdotij, tenetur restituere.*



sine animo suscipiendi intra annum Sacerdotij, reipsa Sacerdotium statuto illo tempore neglexerit.

Verùm circa hanc dispositionem particulariùs quædam expendenda. Primum est, Quantum huic profit, quòd posteà fortè animum mutet, & proponat suscipere Sacerdotium intra annum: Sotus enim lib. 10. quæst. 5. art. 6. concluſ. 1. existimat, talem non facere fructus suos, nisi pro tempore quo habuit propositum suscipiendi Sacerdotij.

Sed verior est sententia Glossæ & Azorij lib. 6. cap. 9. parte 2. quodammodò tali reuiuiscere ius ad integros fructus, modò voluntate mutata promotus fuerit; hoc enim satis indicat ipse textus, & ratio suffragatur: fraudem enim suam purgat suscipiendo Sacerdotium intra tempus constitutum, & non censetur conditioni pactæ reipsa deesse; ea enim potissimùm spectatur in ipsa actuali promotione.

Secundum, Vtrùm qui animo non suscipiendi Sacerdotium intra annum, Pastoralem accipit curam, sed postmodum aliquamdiu intendit promoueri, si non promoueatur, teneatur etiam illos fructus restituere, quos recepit eo tempore quo intendebat promoueri?

Respondeo, Teneri; quia in exceptione Pontifici curæ fuit vtrumque coniungere, quando dicit, Nisi voluntate mutata promotus fuerit, vt manifestum sit, non sufficere voluntatis mutationem sine effectu.

Tertium, Quid si suscipiens intendat promoueri, sed postmodum mutato animo non promoueatur?

Respondeo, Facit fructus suos pro illo tempore quo intendit. Ita ex Soto Graffius lib. 2. cap. 97. numero 54. Imò admodum probabile est, quòd etiam pro reliquo tempore, si curauerit fieri Officium, quia Ecclesia Constitutionem suam restringit ad eum, qui sine intentione promouendi parochialem Ecclesiam suscepit. Ne quis ergo fructus hîc amittat, alterutrum sufficit, vt vel intendat promoueri quando Beneficium suscipit, vel promoueatur intra annum quando suscipiens non intendit.

*Quid si dubium fuerit?*

Quartum, Quid dicendum de eo, qui dubius num velit promoueri, accepit Ecclesiam parochialem, vtrùm is si non promoueatur, etiam teneatur fructus restituere?

Debere existimat Sotus & Azorius, negat Nauarrus: sed Soti opinio textui est accommodatior; non enim dicit Pontifex, Si non promoueri intendens, sed, Si promoueri non intendens: qui autem dubius est, non intendit. Fateor Nauarri opinionem veram esse, quando suscepit intendens promoueri ad Sacerdotium, nisi fortè interim offerretur alia Prebenda, in qua eiusmodi promotione non sit opus: sufficit enim habeat in eum euentum intentionem suscipiendi Ordinem quem illa Præbenda requirit. Imò teneri poterit cum Nauarro, eum non amittere fructus qui intendit promoueri, nisi fortè frater maior natu moriatur, adeoque pro conseruatione familiæ oporteat eum manere in sæculo: secùs si solùm intendat promoueri casu quo non inuenerit coniugium, ex animi sententia. Ratio diuersitatis est, quòd hic non intendat promoueri nisi in casu, quod non est simpliciter intendere; illi autem intendant promoueri, nisi casus quidam ingruat, quod est promotionem ponere in principali intentione, non-promotionem autem in casu exceptionis.

Quintum, Vtrùm in proposito casu cap. Commissa, debeatur restitutio ante Iudicis sententiam? cùm enim Lex sit pœnalis, videtur non deberi: ex altera parte frustranea videtur Lex, nisi debeatur ante sententiam, cùm solus Beneficiarius sciat qua intentione Beneficium susceperit.

*Tenentur ante sententiã Iudicis.*

Sed dicendum est ex communi DD. sententia, Hanc restitutionem non deberi simpliciter per modum pœnæ, sed potiùs per modum pactæ conditionis, adeoque deberi ante sententiam Iudicis. Censetur enim Ecclesia ea lege Ecclesiam parochialem conferre, vt Beneficiarius Sacerdos fiat; statim quidem intentione, reipsa autem saltem intra annum. Vbi nota, etiamsi Ecclesia non iudicet de internis, posse tamen te obligare ad actum internum ex pacto aliquo, vel quasi contractu & submissione.

Sunt qui aliter hîc se expediant, & putent sufficere quòd actus internus intentionis hîc consideretur vt coniunctus exteriori operi vel omissioni, vt præcipi ab Ecclesia possit.

Hoc iterùm alij refutant: dicunt enim, non sufficere vt actus habeat coniunctum externum, sed tum demum Lege humana posse puniri, quando actus ille externus vi sua satis indicat internum; in proposito autem non satis determinatè & propriè indicare: neque enim posse ex tali actu exteriori Ecclesiæ constare, quòd Beneficiarius non habuerit intentionem Sacerdotij. Volunt ergo, ex Iure naturali eum qui suscipit parochialem Ecclesiam, debere esse vel fieri Presbyterum, alioqui tamquam prorsus inidoneo factam collationem non valerè, eò quòd nisi Sacerdos officio Parochi fungi possit, propter quod datur Beneficium, Ecclesiam autem dare ei inducias vnius anni, declarando & quasi in hoc determinando Ius naturale; quæ tamen induciæ ipsi non valeant, nisi vel tempore prouisionis intentionem Sacerdotij habuerit, vt bona fide suscepisse videri queat, vel saltem reipsa intra constitutum tempus Sacerdotium suscipiat. Ita considerauit rem istam Vasquius 1. 2. disp. 160. cap. vlt. refutat autem quod diximus de pacta conditione, duplici de caussa: Primò, Quòd dispositio Ecclesiæ in illo cap. locum etiam in illis habeat qui susceperant Ecclesiam parochialem. Secundò, Quod intentio interior non possit esse conditio in pacto illo cum Ecclesia, quæ tantùm iudicat de externis. Hæc ipse probabiliter quidem, sed non omnino liquidè. Ad prius enim, quamuis in reipsa non sit magna differentia, dicemus, Qui parochialem Ecclesiam ante hanc Constitutionem susceperit sine debita intentione suscipiendi Sacerdotij, nisi reipsa promotus fuerit, debuisse restituere fructus primi anni, non virtute pacti quod præcesserit, & quod in posterum virtute huius Canonis tacitè in collatione inuoluitur: sed quia cùm fraudulentè irrepserit & fructus perceperit, Ecclesia suam indemnitatem æstimet, inclusis integris fructibus, nisi fortè reipsa promotus fuerit: quod quidem etiam in posterum in alijs locum habet, sed simul cum virtuali illo quod diximus pacto. Adde quòd non absimilis difficultas etiam moueri queat in sententia Vasquij: nisi enim pœnalis sit Constitutio, non apparet quomodo induciæ

etiam pro illo tempore irritentur, quo erant validæ, nondum edita hac constitutione. Posterioris verò solutionem petere licebit ex illis quæ diximus 1.2. De Legibus humanis; inde enim patet, ex peculiari quadam submissione, aut quasi contractu fieri posse, vt homo homini sit obnoxius etiam quoad actum merè internum.

Sextum, Quid dicendum, si quis Ecclesiam parochialem acceptet, animo quidem Sacerdotium suscipiendi, sed non ministrandi in cura susceptа?

Respondeo, Talem non solùm grauiter peccare, sed etiam probabiliter ad fructuum perceptorum teneri restitutionem. Prior pars omnino certa est. Cùm enim Ecclesia det Beneficium propter Officium, si nullo modo in eiusmodi conditione Pastorali residere intendat, quæ omni Iure residentiam personalem requirit, videtur Ecclesiam habere ludibrio in re magni momenti. Posterius videtur probari ex eod. cap. Commissa, verbis illis, *Cùm eos fraudulenter receperis*; nam etiam in proposito Beneficiarius nullo modo intendens residere, fructus fraudulenter recipit; videtur ergo eadem ratio. Accedit quòd Ecclesia vrgeat promotionem ad Sacerdotium propter ministerium. Sicut ergo non intendens promoueri, non facit fructus suos; ita neque non intendens residere. Denique restitutio tam promouentis quàm promoti in casu quem verbis Bonifacij VIII. ex cap. Commissa proposuimus, videtur esse quodammodò Iuris naturæ, non tantùm positiui: & hoc indicat Pontifex illis verbis, *Decernimus obligari*; ita vt verisimile sit, saltem post dispositionem cap. Licet, eodem, hanc obligationem naturaliter oriri: fraudulentia enim quoad eum qui non promouetur, ex natura rei tunc oritur; quoad illum autem qui ministrare non intendit, oritur ex eo quod naturaliter rei inest.

Hæc quidem probabiliter ex sententia quorumdam: probabiliùs tamen dici potest, obligationem illam præcisè restituendi fructus, oriri demum supposita dispositione cap. Commissa, & teneri illum qui non intendit residere quando suscepit Ecclesiam parochialem, non quidem ad fructus restituendos, sed ad Ecclesiæ indemnitatem.

Septimum, Vtrùm hæc doctrina extendenda etiam sit ad suscipientem Ecclesiam Cathedralem?

*Extenditur ad suscipientem Episcopatum.*

Extendendam esse respondet Soto: estque res clara si proportio seruetur, eo semel posito, hanc obligationem restituendi oriri ex Iure naturali: tamen quia Ecclesia, vt verisimilius est, posciua Lege hoc peculiariter disposuit de Parochiali, verius existimo, ad Cathedralem non esse extendendum, nisi quoad effectum indemnitatis præstandæ, cuius obligatio est merè Iuris naturæ, vt non maior fuerit obligatio post huius cap. dispositionem, quàm antè erat.

Octauum, Vtrùm extendi possit ad alia Beneficia non curata, seruata proportione: verbi gratia, Vtrùm teneatur restituere fructus, qui Beneficium acceptauerit intendens post aliquod tempus eo dimisso vxorem ducere, eamque cum familia ex fructibus perceptis alere? Item, Vtrùm teneatur, si intendat non gestare habitum Clericalem?

Priori casu videbitur teneri, non autem posteriori: intendere enim desertionem Clericatus, & non intendere Ordinem præscriptum, videtur æquiparari. Qui autem non intendit gestare habitum, quamuis grauiter peccet, si tamen præstet officium, cùm nec animo quidem statum Clericalem abijciat, videtur sufficientem retinere titulum, quo fructus faciat suos, donec forè in pœnam neglecti habitus à Iudice ei adimantur. *Non tamen ad alimenta curata.*

Verius tamen existimo, neutro casu teneri ad restitutionem ex iustitia. Indicat Siluester verbo Beneficium 3. num. 23.

Sed quæres, Vtrùm saltem oriatur restitutionis obligatio, quando simplex Beneficium certum ex ministerio in possessore suo requirit Ordinē quem Beneficiarius non intendit suscipere?

Respondeo, Neque istud necessariò dici, quia eiusmodi conditionem Ecclesia non posuit in simplicibus, sicut in parochialibus Beneficijs. Fauet Sotus suprà.

## DVBIVM XVII.

### *Sitne licitum habere plura Beneficia?*

HABERE plura Beneficia neque bonum est per se, neque intrinsecè malum, neque omnino res indifferens; sed propter ordinariè coniunctam deformitatem, habet speciem mali, quam tamen positis certis circumstantijs interdum exuere poterit. Ita D. Thomas Quod lib.9. art.15.

Causæ autem propter quas ordinatiè deforme sit plura habere Beneficia, ferè ad tres reuocantur, quarum Prima sumitur ex parte Ecclesiæ, Secunda ex parte proximi, Tertia ex parte ipsius Beneficiarij. Prima est, Quòd Ecclesia fraudetur numero & seruitio ministrorum sibi debito, quando vnus duobus locis prouentus accipit, qui vno tantùm potest ministrare. *Causæ quæ pluralitatem Beneficiorum illicitam.*

Secunda, Quòd alij idonei vix vnum habere queant, quando potentiores sibi hanc plura accipiendi licentiam vsurpant: defraudantur etiam fundatores, eoque exemplo alij alienantur à Beneficijs fundandis.

Tertia, Quia plura congerens Beneficia, videtur non habere animum à cupiditate terreni lucri alienum, qualem habet ipsa professio Clericatus: verus enim Clericus non ex Christi patrimonio mundanum quæstum quærit, existimans quæstum esse pietatem, sed pro Christo, in cuius sortem transijt, sæcularia desideria abnegat.

Ex his causis, vel earum aliqua contingit, pluralitatem Beneficiorum esse contra Ius naturale, ita vt nulla dispensatione Superioris possit excusari: nam dispensatio non tollit obligationem Iuris naturæ, sed tantùm positiui, vt benè D. Thomas suprà: & ipse Pontifex dispensans peccat, sine causa bona Ecclesiæ alienando; quanto magis ille qui sine causa eius auctoritate in alienum ea vsum conuertit, quando solus occupat ea quæ pluribus oportebat distribui, vt rectè notat Siluester verbo Beneficium 4.q.2. Ius istud naturæ, quamuis in Scriptura sacra non ita clarè habeatur expressum, quædam tamen ex ea in illius probationē non incongruè adduci possunt, quale in primis illud est, quòd Leuita qui capiebat in Ierusalem, non poterat capere in Bethleem: quo argu-



mento vsus D. Chrysostomus citatus à D. Thoma.

Synodus autem VII. quæ citatur cap. Clericus 21. q.1. vtitur Domini sententia, qua neminem dicit posse duobus dominis seruire, & Apostoli monentis, vt vnusquisque in vocatione ea qua vocatus fuerit permaneat.

Eódem pertinentia nonnulla ex Iure ciuili & Philosophorum scriptis desumi possunt. L. His quidem, C. Qui militare possunt vel non possunt, sub graui pœna statuitur, ne quis in posterum pluribus mereat cingulis, sed vna quisque contentus sit militia. Philosophus 2. Politicorum cap. 9. improbat morem Carthaginensium, qui honorificum ducebant, vnum & eumdem plures genere Magistratus: improbat inquam, eò quòd vnum ab vno optimè geratur, neque rectè cogatur vnus & idem vt simul sit tibicen & sutor.

*Beneficiorum pluralitas an licita?*

At quæstionis alicuius est, Vtrùm Iure Canonico sit in vniuersum interdicta Beneficiorum pluralitas.

*1. Sententia.*

Est enim quorundam opinio, non esse vniuersaliter interdictam, eò quòd cap. De multa, De Præbendis, dici id solùm videatur prohibitum de Dignitatibus aut Personatibus, & curatis Beneficijs. Imò subiungatur, etiam in his per Sedem Apostolicam esse dispensandum circa sublimes & litteratas personas, quæ maioribus sint Beneficijs honorandæ. Ita sentit Glossa in Extrau. Execrabilis, De Præbendis, verbo Cùm aliàs non liceret.

2. Aliorum fuit opinio, plura quàm duo habere Beneficia qualiacumque, Iure communi esse omnino interdictum, non tamen duo simplicia quæ residentiam non requirunt, modò neutrum per se solum ad honestam & commodam Clerici sustentationem sufficiat. Indicat hanc sententiam Glossa in cap. Dudum 2. De electione, & in cap. Gratia, De rescriptis, in 6. vbi & textus fauet: dicit enim Pontifex: *Vtrumque si talua sint Beneficia quæ simul nequeant de Iure teneri, habere non potes.* quod non videtur dicturus, nisi aliqua sint quæ simul possint de Iure teneri.

3. Tertia opinio fatetur, Iure antiquo non licuisse plura habere Beneficia quorum alterum sufficiat, sed dicit consuetudine hoc esse abrogatum, adeoque licitum esse habere duo simplicia, etiamsi alterum sufficiat. Pro qua opinione citatur Cardinalis in dictum cap. Gratia.

*Quarta & verior sententia, ipse illicitum.*

Quarta existimat, numquam Iure communi licuisse, neque consuetudine contra Ius effectum esse vt liceat habere duo Beneficia etiam simplicia, altero eorum per se sufficiente. Hæc sententia verissima est, & patet cap. Sanctorum dist. 70. vbi Vrbanus I. ita statuit, *Omnino autem in duabus Ecclesijs aliquem titulari non liceat.* Item cap. Clericus, suprà citato. Septima Synodus absolutè prohibet Clericum connumerari in duabus Ecclesijs. Item ex Chalcedonensi Concilio statuitur eadem quæst. cap. Clericum. Eódem denique facit cap. Quia in tantum, De Præbendis.

Distinctio tamen nonnulla hîc est inter Ius vetus & recentius, quòd veteri Iure, sicuti omne Beneficium residentiam requirebat, ita vicissim omnis Beneficiorum pluralitas fuerit interdicta: recentiori autem Iure, quod ea tempora respicit quibus iam consuetudine introductum fuit, ne in quibusdam simplicibus Beneficijs necessaria esset personalis residentia, præsertim etiam fundatione quorumdam tali accedente, qua exprimeretur non esse eiusmodi residentiam necessariam, effectum est, vt rigor antiqui Iuris laxaretur hactenus, vt saltem duo talia per se, altero non sufficiente, liceret possidere. Verùm quia Iure illo sic moderato, quorumdam habenæ cupiditati laxabantur, vt contra Ius naturæ duo vel etiam plura Beneficia occuparent, cùm eis vnum sufficeret, illud iterùm nouo Iure in Concilio Tridentino sancitum est sess. 24. c. 17. ne cui possit secundum, etiam simplex & liberum à residentia, conferri, si primum sufficiebat. Videtur tamen non prohibere, quin liceat primum ei non sufficiens retinere cum secundo sufficienti; non quòd hoc sine causa iusta continuò liceat, sed quòd Concilium faciliùs ibi iustam causam retinendi posse subesse prænidebat, ideoque noluerit vniuersim hoc, quibuscumque etiam eminentibus personis, vt Decretum sonat, interdicere.

Pluralitatem ergo Beneficiorum primi Canones plenè excluserunt; quia singula requirebant residentiam, & in eo Iuri naturæ non tantùm formaliter, sed etiam secundùm materialem extensionem adæquatè conforme fuit Ius Canonicum. Posteriores autem Canones, iam relaxata in quibusdam residentia, formaliter quidem Iuri naturæ conformes fuerunt, sed non satis adæquatè determinarunt, quousque, eo saluo, sese porrigeret licentia huius pluralitatis, sed hoc vtcumq; præstitit nouissimum Ius Tridentini, nisi quòd conscientiæ cuiusque, vt dixi, adhuc illud circa Ius naturale videatur relinquere, vtrùm cùm priùs obtinuerit Beneficium non sufficiens, postmodum obtento sufficienti cuiuscumque conditionis, non teneatur relinquere prius insufficiens. Itaq; si prius erat sufficiens, secundum etiam insufficiens acceptare Concilium non permittit. De quo decisionem Interpretum Cardinalium refert Serola hoc verbo, quæst. 7. concluſ. 2.

Verùm ad Decretum Concilij intelligendum duo sunt explicanda: Vnum, Quænam Beneficia hodie censeri debeant requirere personalem residentiam, de quo dicemus Dub. 19. Alterum, Quodnam hîc debeat censeri Beneficium sufficiens. De quo vix certior potest statui regula, quàm illud esse sufficiens, quod sufficit vt honestè Clericus se & suos queat sustentare, prout communiter boni & timorati eiusdem conditionis alij Clerici solent. In particulari tamen quædam DD. annotarunt: nam Glossa in cap. Cùm adeò, De rescriptis, monet, in primis debere sufficere Clerico & suis: Beneficium enim quo etiam suos possit sufficienter sustentare, indulgetur Clerico reo homicidij, sed pœnitenti, cap. Studeat, dist. 50. *Beneficium sufficiens.*

Sed qui sunt illi sui? Respondeo cum Azorio, esse famulos, parentes, fratres, & consanguineos egentes.

Secundò, Pro statu & conditione Beneficiarij oportere eum ex Beneficij prouentibus posse hospitalitatem exercere. Vnde cap. De Monachis, etiam Vicario perpetuo in Ecclesia Parochiali cogunrur Religiosi, quibus incumbit eius sustentatio, media suppeditare, quibus hospitalitatem exerceat, & iura Episcopalia soluat.

Tertiò, Maiorem Beneficij prouentum qui sibi

bi ſufficiat, exigere nobilem & illuſtrem Beneficiarium; nam etiam Regula D. Auguſtini Epiſtola 109. indulget nobilibus & delicatioribus Religioſis, vt lautiùs in Monaſterio habeantur. Fauet ex eodem Auguſtino cap. Non cogantur, diſt. 4. Accedit quòd Eccleſiæ vtile ſit, habere illuſtres perſonas.

Quartò, Habenda etiam eſſe rationem doctrinæ, patet cap. De multa, De Præbendis. Item dignitatis, L. 1. §. In honorarijs, ff. De varijs & extraordinarijs cognitionibus.

Quintò, Habenda eſt ratio loci & ſitus Eccleſiæ. Plus enim requiritur in loco celebriori, aut per quem frequentior tranſitus, vt obſeruat Gloſſa in cap. 1. 21. quæſt. 1.

Quamuis autem propter hanc diuerſam conſiderationem verè ſufficientia iſta relinquenda ſit arbitrio prudentis in foro conſcientiæ, & arbitrio Iudicis in foro externo, quod poſt alios voluit Graſſius lib. 2. cap. 97. num. 25. & conſuetudo inſpicienda ſit, vt monuit Gloſſa modò citata ex cap. Erit, diſt. 4. conati tamen ſunt quidam particulariùs nonnulla hîc determinare.

Vbi in primis inutile hoc tempore erit, ſi quis certam quantitatem in omnibus determinet, ſicuti quod de valore decem librarum auri monuit Gloſſa, aut quod de quadraginta quinque aureis annuis Schola Pariſienſis ſtatuiſſe fertur ante annos circiter quadringentos, vt refert Azorius; aut de quindecim libris Pariſienſibus vt refert Nauarrus: quod tamen adeò fidem ſuperat, vt Ioannes Maior Theologus Pariſienſis tale quid vmquam ab Academia definitum eſſe, ſe non credere proteſtatus ſit: quamuis olim, quando Clerici honeſto opificio, quod deerat, ad exemplum Apoſtoli ſupplebant, vt patet cap. Clericus, diſt. 91. ex Concilio IV. Carthaginenſi tale quid ſtatui potuiſſet; nunc etiam ſtatui poterit negatiuè declarando, quæ ſumma non ſufficiat vt Beneficium dici queat ſufficiens etiam abſolutè; quomodo quidam apud Serolam dicit, illud eſſe inſufficiens, quod non aſcendit ad ducentos florenos vel ducatos de Camera annuos. Addit idem, Sacram Congregationem declaraſſe, quod habens Canonicatum & duo ſimplicia, quorum omnium ſimul reditus non aſcendant ad centum vigintiquinque ducatos, non prohiberi ea retinere per Concilium Tridentinum. Ad proportionem itaque Geometricam reſpiciendum erit.

Nauarrus Miſcellaneo 62. De oratione, multa præfatus de rei huius perplexitate, tandem hæc tradit, vt Beneficium dicatur ſufficiens alicui Clerico, quantumlibet ſimplici & ſano, requiri, vt valeat ad minus tantum quantum eſt neceſſarium ad mediocriter & modeſtè ſe & vnum miniſtrum, & cocum, & ad conducendam ſibi neceſſariam habitationem. Vt autẽ dicatur ſufficiens nobili etiam inferioris gradus, & Magiſtro Theologiæ, & Doctori Iuris mediocris litteraturæ, oportere vt ſuppeditet duos miniſtros, vnam equitaturam, & cocum, & domum competentem; nobiliori autem litteratura aut natalibus, duos inſuper adijcit miniſtros, & ita in reliquis proportionem ſeruat. Quæ quidem non inutiliter ſpectari porerunt, ſed habita ſemper ratione conſuetudinis & moris patriæ & communis pretij annonæ.

Illud omnino prudenter à Nauarro adiectum, commodiſſimam fore rationem inueniendi ſufficientiam Beneficij, ſi æſtimes quanto redimere velles Clerici tuæ conditionis totam ſuſtentationem, fortè ex teſtamento aut contractu tibi incumbente.

Quæres, Vtrùm ſecundum Beneficium illicitè accipiens, etiam accipiat inualidè?

*Triplex incompatibilitas beneficiorum.*

Reſpondeo, Ferè triplicem Beneficiorum eſſe incompatibilitatem. Vna eſt, quæ ſolùm facit vt illicitè habeantur ſimul. Eo fortè gradu incompatibilia ſunt duo ſimplicia, primum inſufficiens & ſecundum ſufficiens, quando primũ ſine iuſta cauſſa cum ſecundo retinetur. Secunda facit vt poſſit per ſententiam altero priuari Beneficiarius, quamuis non ſit ipſo Iure priuatus. Sic incompatibilia ſunt duo Beneficia libera à reſidẽtia & ſimplicia, quorum vtrumq; per ſe ſufficit. Nauarrus conſilio 10. De Præbendis. Tertia facit vt ipſo iure ſit altero priuatus. Quomodo incõpatibilia ſunt duo Epiſcopatus, etiamſi alter aut vterque datus ſit in commendam, aut alio quouis nomine. c. De multa, De Præbendis, Trid. ſeſſ. 7. c. 2. Imo eoipſo quo quis Epiſcopus eſt electus & confirmatus, & bonorum Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationem habuerit, vel decurrerit tempus præfixum ad perendam conſecrationem, vacant eius Beneficia, c. Cùm in cunctis, De electione. Generatim hoc gradu incõpatibilia ſunt omnia curata, Dignitates vel Perſonatus, Extrau. Execrabilis, De Præbendis. Canonicatus & quæcumque Beneficia vniformia in eadem Eccleſia, c. Litteris, De conceſſione Præbendæ. imò fortè omnia, vbi Concilium eſt receptum, quæ neque ex fundatione, neque ex conſuetudine libera ſunt à continua perſonali reſidentia, & quorum priùs ſuſceptum ſufficiebat. Azorius ſuprà c. 13.

Nota ex Rebuffo, titulo De formula diſpenſationis ad duo, &c. verbo Incompatibilia, non tantùm duo curata eſſe inter ſe incompatibilia, ſed mixtim etiam cum alio incompatibili, verbi gratia, curatum cum dignitate ſine cura: & ita de ceteris.

*Pœna accedit pluralitati beneficia.*

Notandum Secundò, Eum qui ſecundum hoc modo accipit incompatibile Beneficium, non tantùm ipſo Iure amittere prius, ſed etiam in pœnam priuari poſteriori, ſi prius quod iam de Iure amiſit, retinere ipſo facto contenderit. Ita cap. De multa, De Præbendis.

## DVBIVM XVIII.

### *Quibus ex cauſis diſpenſatio licita ſit ſuper pluralitate Beneficiorum?*

*Neceſſitas Eccleſiæ.*

EIVSMODI cauſſas D. Thomas dicto Quodlibeto eſſe cenſet Neceſſitatem Eccleſiæ, vt ſi plures Eccleſiæ huius Beneficiarij ope indigeant, deficientibus alijs æquè idoneis, & ipſe abſens æquè prodeſſe poſſit, ac alius præſens. Bernardus epiſt. 271. in eamdẽ pænè ſententiam ſcribit: *Non licet*, inquit, *cuiquam plures habere Eccleſiaſticas dignitates in pluribus Eccleſijs, niſi diſpẽſatoriè quidem, ob magnam vel Eccleſiæ neceſſitatem, vel perſonarum vilitatem.* Conforme eſt c. Clericus 21. quæſt. 1. vbi Synodus VII. ſtatuit, in villis quæ foris ſunt, propter inopiam hominum poſſe indulgeri, vt vni duæ committantur Eccleſiæ. Simile quid etiam Philoſophus voluit 2. Politicorum



corum ſuprà citat, vbi in parua ciuitate Magiſtratus plures vni cenſet poſſe committi.

*Sublimitas perſonæ.*

Cauſſam iuſtam etiam præbet ſublimitas & excellens doctrina perſonæ; cap. De multa, De Præbendis. Cum Cardinalibus & Regum filijs diſpẽſatur dicta Extra. Execrabilis. Niſi tamen eò reſpiciatur, quòd nobiliores poſſint Eccleſiæ vtiliùs præeſſe, non erit hæc cauſſa ſatis legitima, vt rectè docuit Panormitan. in dictum cap. De multa. Rectè etiam cum benè merito de Eccleſia diſpenſatur cap. Tali 1. quæſt. 7. Faciliùs etiam diſpenſatur, vt cum vno quod habetur in titulum, aliud habeatur in commendam, præcipuè temporalem, cap. Qui plures 21. quæſt. 1.

*Beneficiorũ tenuitas.*

Tenuitas Beneficiorum etiam hîc iuſta eſt cauſſa diſpenſationis, cap. vnico 10. quæſt. 3. vbi Concilium Toletanum ſtatuit, Eccleſiam quæ minus quàm decem mancipia habueric, alijs Eccleſijs eſſe coniungendam. Verùm ſi Beneficia ſint curata, neceſſitas Eccleſiæ cum tenuitate concurrit: ſi verò ſimplicia ſint quæ reſidentiam non requirant, dubitari queat, vtrùm opus ſit diſpenſatione, quando plura eiuſmodi pro ſufficienti ſuſtentatione eſſent ſimul habenda. Pro parte quæ neget opus eſſe, producit Azorius ſuprà cap. 11. quòd Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. & Sixtus V. ſæpè eiuſmodi habenti plura, aliud prætereà contulerint ſine aperta forma diſpenſationis. Tridentinum tamen, vt patet ex dictis, ſolùm videtur permittere ſecundum ei qui habet inſufficiens, ita vt pro tertio diſpenſatione opus ſit, ſi maneas in Iure ſcripto; nam antiquo Iure etiam in ſecundo erat opus diſpenſatione, & quoad illud tantùm à Tridentino relaxatum eſt. Si tamen hîc aliquid valeat conſuetudo, vt omnino valere dicendum eſt, quando Legi naturali non contrauenitur, dici poteſt, etiam citra diſpenſationem, aut ſaltem cum diſpenſatione ſolius Epiſcopi, tertium inſufficiens nunc poſſe conferri.

*Vt expẽdiat in pios vſus non ſufficit.*

Ceterùm non videtur ſufficiens cauſſa diſpenſationis, quòd Beneficiarius ſit erogaturus ſuos fructus in pios vſus, quamuis id ſenſerit Cardinalis in Clement. Gratiæ, De reſcriptis, ne quidem vt plura iam obtenta retinere poſſit; quamuis ſententiam Cardinalis, quoad retentionem obtentorum ante Concilium probauerit Nauarrus c. 25. numero 129 Sed noſtra ſententia communis eſt, vt teſtatur Azorius, & fatetur ipſe Nauarrus in Commentario De pluralitate Beneficiorum: vbi iterùm dicit, ſe non damnare ſententiam Cardinalis, quando euitantur incommoda propter quæ pluralitas Beneficiorum deformis eſt. Ratio tamen pro communi ſententia euidens eſt, Quia bonus vſus fructuum non eſt cauſſa extraordinaria: diſpenſatio autem eſt effectus extraordinarius, qui cauſſam extraordinariam poſtulet. Secùs fortè dici poteſt, ſi propinqui ipſius Clerici pauperes extraordinario ſumptu ſint ab eo alendi, Nauarrus Miſcella. 65. De oratione; aut quando non inuenirentur alij, qui in pios vſus illa ſuperflua eſſent erogaturi. Sed neutro caſu hæc ſola cauſſa in pio vſu eſt: priori enim inſufficientia recurrit; quia, vt ſuprà diximus, oportet Clericus etiam ſuos poſſit ex Beneficio iuuare: poſteriori verò Eccleſiæ neceſſitas, aut defectus perſonarum recurret.

Sed quæres, Quis poſſit diſpenſare ſuper pluralitate Beneficiorum?

*Quis poſſit diſpenſare?*

Reſpondeo, Saltem regulariter non poſſe Epiſcopum, ſed opus eſſe diſpenſatione Pontificia; quia generatim interdicta eſt per Concilium Oecumenicum, in cuius ſtatutis particulares Epiſcopi non diſpenſant, vt benè Serola verbo Beneficium, quæſt. 7. quamuis cap. Sanctorum, diſt. 70. Epiſcopo aliquam in his olim fecerit diſpenſandi facultatem, quam Innocentius III. dicto cap. De multa, citato, reſtringit, vt locum non habeat in curatis dignitatibus aut Perſonatibus; & Tridentinum generatim Epiſcopis videtur ademiſſe hanc diſpenſandi poteſtatem, etiam in ſimplicibus, quando primum ſufficit. Poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare, vt qui habet inſufficiens, aliud habeat diſſimile ſimplex minus Canonicatu, in eadem Eccleſia, vt ſentit Panormitanus in cap. Litteris, De conceſſione Præbendæ.

## DVBIVM XIX.

### *Quomodo Beneficia requirant reſidentiam?*

*Beneficia paſtoralia requirunt reſidentiã.*

DICO PRIMO. Omnes quibus animarum cura commiſſa eſt, tenentur Iure naturali & diuino ad perſonalem reſidentiam. Videtur ſentire Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. Sentit Sotus lib. 3. quæſt. 3. art. 1. Caietanus quæſt. 185. art. 3. Nauarrus cap. 25. numero 121. Bartholomæus Caranza integro libro de hoc edito contra Catharinum. Imò ex ipſo nomine *Paſtoris* reſidentia neceſſaria ſatis colligitur, ſicut ex nomine Medici aut Profeſſoris; perſonæ enim induſtria electa eſt, vt non ſufficiat per ſubſtitutum agere. Vnde patet, diſpenſationem hîc non eſſe tutam, niſi fortè in caſu, vbi Ius Canonicum arctiùs requireret reſidentiam quàm naturale: nam diuinum poſitiuum, quod hîc fortè ſubeſſe conſiderari queat, ex præcepto Sacramenta adminiſtrandi præcisè obligat quando Ius naturale. Neque vlla hîc in contrarium valet conſuetudo aut præſcriptio. Reſidentia tamen intelligenda, non in rigore Mathematico, ſed morali modo: vnde benè notat Serola 2. parte, verbo Reſidentia, ſine cauſſa vrgentiori non poſſe præcipi Parochis ſub anathemate, ne ad diem quidem abſint à ſuis Parochijs.

Si Epiſcopus abſit ſine legitima cauſſa extra diœceſim morando ſex continuis menſibus, amittit ipſo Iure quartã partem fructuum: ſi per alios ſex menſes, amittit aliam quartam; ſi vlteriùs, defertur Pontifici per Metropolitanum, aut ſeniorem Suffraganeum reſidentem, ſi ipſe ſit Metropolitanus. Trident. ſeſſ. 6. cap. 1. Si minore tempore quàm ſex menſibus abſit cauſſam non habens legitimam, peccat nihilominùs in Legem naturæ, Dei, & Eccleſiæ, quamuis vigore illius Conſtitutionis non priuetur quarta parte fructuum.

Eſt & alia antiquior in abſentes Epiſcopos Conſtitutio Gregorij I. cauſſa 7. quæſt. 1. cap. Peruenit: qua tandem recluditur in Monaſterium Epiſcopus non reſidens. Pius IV. in 7. Decret. De Clericis non reſidentibus, Epiſcopos reſidentes excuſat, vt ſine manu propria Pontificis ob quodcumque crimen citari, non teneantur perſonaliter in Vrbe comparere. Item à decimis, & alijs oneribus à Sede Apoſtolica impoſitis eos liberat. Et denique ipſis delegat cognitionem & punitionem Clericorum exemptorum in criminalibus, ſine appellatione.

Alij

Alij curam animarum habentes inferiores Beneficiarij, non poſſunt abeſſe vltra duos menſes, etiam cum cauſſa, ſine conſenſu Epiſcopi, qui non conſentit, niſi ex valdè graui cauſſa, & in ſcriptis; alioqui ſimilem incurrunt fructuum ipſo Iure amiſſionem. Trident. dicto cap. 1. ſeſſ. 23.

Canonici etiam Cathedralium & collegiatarum Eccleſiarum abeſſe non poſſunt vltra tres menſes quolibet anno; alioqui primo anno medios fructus, ſecundo integros amittunt: tertio, creſcente contumacia, contra eos tamquam non reſidentes proceditur. Trident. ſeſſ. 24. cap. 12.

Notanda tamen hîc quædam differentia, maximè circa reſidentiam Paſtoralem, inter ea quæ Ordinis ſunt, & quæ iuriſdictionis fori externi: quòd priora Beneficiarius curam habens animarum, per ſe debeat perſonaliter præſtare, & propter illa reſidere; poſteriora autem poſſit per vicarium. Ita tradit Corſetus verbo Reſidere.

*Fieri poteſt vt ſimplicia reſidentiam non requirant.*

DICO SECVNDO. In ſimplicibus Beneficijs ex fundatione aut conſuetudine fieri poteſt, vt reſidentia perſonalis non requiratur; & in pluribus ita factum eſt: quando autem eſſet dubium, & non reſidenti non ſubueniret bonæ fidei præſcriptio, ſaltem quadraginta annorum, præſumitur Beneficium requirere reſidentiam; quia, vt docet Gloſſa in cap. Si fortè, De electione, in 6. intrinſeca & originalis qualitas præſumitur ineſſe, niſi probetur contrarium. Ex illis quæ reſidentiam non requirunt, ferè ſunt Cappellaniæ: poteſt enim de conſuetudine incumbens eis officium, aut Miſſarum celebratio per ſubſtitutum expleri. Imò ipſe Beneficiarius Ius habet eligendi ſubſtitutum probandum per Ordinarium, & poteſt eiuſmodi Beneficia obtinere non Sacerdos. Fallunt tamen iſta, quando fundatio requireret perſonale officium Beneficiarij. Serola 1. parte, verbo Beneficium, quæſt. 7.

At quid ſi Beneficium non requirat reſidentiam, ſed ſola perceptio fructuum, quo Iure cenſebitur? eritne ijs annumerandum quæ reſidentiæ aſtricta ſunt, an liberis?

Vt quæſtio iſta explicetur, notandũ eſt ex Graſſio lib. 2. c. 97. triplicem in Beneficijs eſſe reſidentiam: quædam enim requirunt continuã ſiue præciſam, quod diximus humano modo non nimis amarè, vt Canoniſtę loquuntur, intelligendum eſſe: requirunt inquam hanc reſidentiam ita, vt ſine ea Beneficia non retineantur, ſed Iure veniant priuandi abſentes, quod in curatis eſt manifeſtũ. Alia requirunt quidem hanc reſidentiam continuã, ſed non ita, quin ipſa retineri Iure valeant à non reſidẽtibus, ita tamen vt fructus eis non cedant. Alia denique ſunt quæ tantùm temporalem requirunt reſidentiam. Sola primi generis perfectam de ſe adducunt incompatibilitatem, ideoque reliqua quodammodò cum liberis, quoad hunc effectum, cenſeri poſſunt.

Dico, *perfectam*; quia incompatibilitatem primi aut ſecundi generis facilè etiam in talibus contingit locum habere, quæ tantùm ſecundo aut tertio modo reſidentiam poſtulant.

Quæres, Quænam cauſſæ excuſent à reſidẽtia? Reſpondeo, Ad tria ferè capita eas reuocari cap. Relatum, De Clericis non reſidentibus, illis verbis: *Niſi fortè de licentia ſuorum Prælatorum, vel ſtudio litterarum, vel pro alijs honeſtis cauſſis contigerit eos abeſſe, licentia danda cauſſam requirit: ſed in data, forum iudiciale iuſtam cauſſam præſumit.* Studij Theologici gratia, ſine licentia Superioris de Iure communi abeſſe poſſunt Beneficiarij ſimplices quinquennio: qui autem docent Theologiam, toto tempore quo docuerint, abſentes, faciunt fructus ſuos, per cap. finale, De Magiſtris. Reſtringitur tamen hæc licentia ad eos, qui reſident in loco vbi ſtudium ſatis floreat, cap. Tuæ fraternitatis, De Clericis non reſidẽtibus. Pius V. ſtatuit, diſpenſationem ratione ſtudij requirere conſenſum Ordinariorum, Conſtitutione 117. Verùm vbi hæc Conſtitutio non eſt recepta, & extra caſum eius, de Iure communi verius eſt, ſine Epiſcopi licentia poſſe quem abeſſe cauſſa ſtudij: quam dicit eſſe receptiorem, & vſu probatam ſententiam Toloſanus De Beneficijs, cap. 8. Aliter dicendum de Religioſo, aut de eo qui iurauit in Statuta, quæ fortè aliter diſponunt. Iuſtitia huius cauſſæ paret, Quia qui ſtudij cauſſa abeſt, cenſetur abeſſe pro vtilitate Eccleſiæ vniuerſalis, quæ ad ſui regimen maximè indiget litteratis. cap. Cùm ex eo, De electione, in 6. vbi loco quinquennij ſtudij, tempus ſeptennij ſtatuitur. Inde Concordata Gallicana decennium concedi refert Toloſanus pro Theologiæ gradum Doctoratus aut Licentiæ ſuſcepturis; ſeptennium pro Canoniſtis, Legiſtis, aut Medicis; quinquennium pro Philoſophis.

*Cauſſæ excuſantes à reſidentia.*

Excuſantur etiam qui ſunt in ſeruitio Epiſcopi, cap. De cetero, cap. Ad audientiam, De Clericis non reſidentibus: non tamen recipiunt victualia quæ non ſolent abſentibus dari, id eſt diſtributiones, quæ etiam alijs priuilegiatis non ſolent dari abſentibus. Item abſens pro ſeruitio Eccleſiæ præſens reputatur, etiamſi iuraſſet reſidere. cap. Ex parte, eodem. Item familiares Papæ, cap. Cùm dilectus, eodem. Si tamen Eccleſia patiatur defectum, etiam priuilegiati ad reſidentiam poſſunt cogi, cap. Cùm ſint, eodem.

Morbo impeditus percipit omnia emolumenta cum ſanis, cap. 1. De Clerico ægrotante.

Excuſat denique abſentem quòd eius abſentiæ ſuffragetur Eccleſiæ conſuetudo non damnoſa, cap. Cùm omnes, & ibi Gloſſa verbo Conſuetudinem, Extra. De Conſtitutionibus. Similiter excuſatur qui abeſt propter loci & aëris intemperiem, vel capitales inimicitias, Gloſſa in cap. Finalem, De Clericis non reſidentibus. Item qui peregrinationis gratiâ abeſt cum licentia Prælati, vel pro negotijs ſuis curandis. Toloſanus ſuprà.

## CAPVT III.

### *De Simonia.*

### DVBIVM I.

### *Quid ſit Simonia.*

*D. Thomas quæſt. 100. art. 1.*

QVAMVIS & alij in Scriptura commemorentur infecti iſto vitio, vt Giezi 4. Reg. 5. & Balaam Numerorum 22. vt de vtroque obſeruat Hugo Victorinus lib. 2. De Sacramentis, parte 10. cap. 2. à Simone tamen Mago potiùs nomen accepit quàm ab alijs, tum quòd apertiùs is in Scriptura admodum illuſtri noui Teſtamenti huius peccati cum anathemate arguatur, quòd nimirum exiſtimauerit donum Dei pecuniâ poſſideri: tum etiam, quòd præ alijs iſte negotiator ſacrilegus fuerit; ideò enim voluit emere donum Dei, vt venderet, vt dicit Gregorius Homilia 4. in Euang. Auguſtinus in Pſalmum 130. & Tractatu 10. in Ioannem, Cyrillus Catecheſi 16. tum denique, quòd rem ſacratiorem iſte emere & vendere voluerit, ipſum ſcilicet Spiritum ſanctum. Vnde colligimus, non tantùm emptores rei ſpiritualis, ſed etiam venditores rectè dici Simoniacos, vt non ſit opus diſtincta voce iſtos vocare Gieziticos, vt quoſdam alios ſecutus exiſtimat Graſſius lib. 2. cap. 96.



Eodem vitio notantur Annas & Caiphas, qui largitionibus impetrarunt à Romanis, vt alternis annis ſummo Sacerdotio fungerentur, vt tradit Maldonatus ad cap. 3. Lucæ.

Sunt qui eiuſdem criminis inſimulant Ephron Hethæum, qui Abrahamo vendidit locum ſepulturæ, Geneſis 23. neque omnino eum excuſat D. Thomas art. 4. ad 3. Videtur tamen poſſe excuſari; quia ager quem vendidit, ex ijs quæ Scriptura narrat non videtur fuiſſe locus ſacer, ne quidem ſecundùm ſuperſtitionem illius Gentis, ſed potiùs videtur emptus fuiſſe, vt ſepulturæ conſecraretur; in quo non eſt magis ſpecies Simoniæ, quàm ſi quis panem & vinum emat, quo in Sacrificio vtatur.

Eſau etiam quibuſdam videtur fuiſſe Simoniacus, quando vendidit primogenita ſua, quibus annexum erat ius Sacerdotale, præſertim quia Apoſtolus ad Heb. 12. vocat eum profanum. His fauet Pererius. Verumtamen non eſt improbabile, Eſau profanum eſſe dictum, non quòd propriè fuerit Simoniacus; fortè enim ius primogenituræ vendere citra Simoniam licuit, etiamſi annexum ei fuerit ius Sacerdotij; ſicut licet vendere hereditatem, cui annexum eſt ius patronatus: ſed profanus dictus eſt, quia, vt Scriptura teſtatur, parui fecit, quòd primogenita ſua vendidiſſet: contemptor ergo fuit ſacrorum, quæ annexa ſciebat primogenituræ, quam pro pulte re viliſſima alienauit.

Iudas Chriſti venditor à quibuſdam etiam Simoniacis annumeratur, & D. Baſilius epiſtola 76. & Cyrillus ſuprà, dicunt Simoniacos Iudam imitari. Quod quamuis rectè dicatur, tamen non abs re monet Valentia, Iudam non fuiſſe Simoniacum, quòd in ea venditione nulla ſit habita ratio ſpiritualitatis perſonæ quæ vendebatur.

Alij Simoniacum fecerunt Regem Ieroboam 3. Reg. 13. Ita Gloſſa in cap. Eos 1. q. 1. & videtur idem ſenſiſſe Taraſius, ex quo deſumptum eſt cap. & Lira in illum locum. Sed prouenit hoc ex malè intellectis illis verbis: *Quicumque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat Sacerdos excelſorum.* Non enim ſignificatur, Ieroboam accepiſſe pecuniam pro conſtituendis Sacerdotibus, ſed potiùs ritu quodam impleſſe manum eorum quos ſacerdotes conſtituebat, vt patet Iudicum 17. *Impleuitque vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei ſacerdos.*

*Simonia definitur.*

Definitur autem Simonia, ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum. Ita D. Thomas & alij communiter.

Dicitur *ſtudioſa voluntas*, Vt contineatur etiam Simonia mentalis: ſola enim voluntas poteſt hominem facere Simoniacum, cap. Conſulere, De Simonia. Neq; tamen ea ſola continetur, vt viſum fuit quibuſdam Canoniſtis, qui ſpectantes potiùs pœnas fori contentioſi quàm culpam conſcientiæ, addendum putarunt, *cum opere ſubſecuto*; vt potiùs haberent realis Simoniæ definitionem, quàm tantùm mentalis, vt videre licet ex illis quæ tradit Panormitanus ex Hoſtienſi in cap. Nemo, De Simonia. Mentalis enim includitur in conuentionali & reali, ſicut voluntas peccandi includitur in actuali peccato, & formaliter deformitas ſeu malitia in voluntate eſt: actus enim exterior in genere moris dependet ab interiori, vt explicatum eſt in 1. 2.

Additur *ſtudioſa*, id eſt, deliberata, inquit Silueſter & alij, vt per ignorantiam admiſſa Simonia excludatur. Victoria Relect. De Simonia, ex Armacano tradit rectè, eam potiùs per voluntatem quàm per actum definiri, quòd Simon Magus voluerit quidem emere donum Dei, ſed reipſa non emerit.

Hinc ſequitur, Si quis promittat dare pretium pro re ſpirituali ſine voluntate dandi, non fore propriè Simoniam, etiamſi virtute huius promiſſi rem ſpiritualem obtinuerit, vt obſeruat Pesantius q. 1. De Simonia, poſt Caietanum Opuſc. De Simonia q. 2. Vnde neque incurret pœnas Simoniæ in foro exteriori; peccabit tamen mortaliter, Primò, Quia participat, & quodammodò efficaciter concurrit cum animo Simoniaco vendentis. Secundò, Quia alios ſcandalizat qui eum habebunt pro Simoniaco. Eſt etiam irreuerentia rei ſpiritualis, vel ſic exteriori ſimulatione irrationabili eam emere. Eſt etiam quædam grauis ſuiipſius diffamatio. Eſt denique mendacium quoddam, dum fingit quod in corde non gerit; imò ex rationibus dictis mendaciũ pernicioſum.

Dicitur *voluntas emendi vel vendendi*, id eſt accipiendi vel dandi non gratis, ſed quaſi pretio temporali interueniente; vbi tam ex parte contractus onerofi, quàm ex parte eius quod inſtar pretij conſideratur, magna eſt latitudo. Ad Simoniam enim ſufficit quicumque contractus onerofus, quo detur vel accipiatur tamquam pro pretio, (hoc eſt pro eo quod ſolet pecuniâ æſtimari) res ſpiritualis: imò ſufficit voluntas vel ſic contrahendi, vel ſic dandi aut accipiendi. Itaque comprehenduntur hîc contractus innominati, Do vt des, Do vt facias, & ſimiles: quod mirum videri non debet, quia etiam in Lege ciuili venditio tam latè ſumitur. L. Sicut, §. Venditionis, ff. Quibus modis pignus.

*Ad Simoniam requiritur reſpectus ad aliquod temporale.*

Videndum hîc Primò, Vtrùm ad Simoniæ rationem hîc ſufficiat, non dare gratis, etiamſi remoueatur conſideratio pretij temporalis.

Non ſufficere videtur, quia Actor. 8. Simoni Petrus improperat, quòd donum Dei exiſtimauerit pecuniâ poſſideri. Idem videre licet in Balaam & Giezi, & ſi qui alij memorentur in Scripturis Simoniaci. Neq; repugnat illud Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date:* tum quia non apertè ibi omnis ſpiritualium inter ſe, permutatio prohibetur, verbi gratia ne paciſci prædicator poſſit de oratione eorum pro ſe quos inſtruit, præcipuè cùm ipſe Dominus non ita tradat ſpiritualia ſua talenta quæ gratis dicuntur accepiſſe, quin ſtipuletur, vt ij ſerui negotientur, vt patet Lucæ 19.

tum etiã quia satis indicatur verbis sequentibus, ad eum respici modum non gratis dandi, quo pecunia recipiatur: subiungit enim Dominus, *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Adhæc auctoritate Superiorum potest fieri permutatio Beneficiorum, & sine ea possunt duo Sacerdotes inter se pacisci, vt pro inuicem celebrent: &, quidquid olim quidam dixerint, duo adulti, vt se mutuò baptizent. Denique ab vsura ad Simoniam solet traduci argumentum: ostendimus autem suo loco, non esse vsuram, si mutues triticum ea lege vt mutuatarius continuò aliquid aliud tibi remutuet.

*Obiect. 1.* Ex oppositа tamen parte producitur cap. Quæsitum, De rerum permutat. vbi ita scribit Vrbanus III. *Generaliter teneas, quòd commutationes Præbendarum de Iure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia vel connexa spiritualibus, labem semper continet Simoniæ.* Omnis ergo pactio circa spiritualia est Simoniaca. Similia sunt cap. Quàm pio 1. q. 2. ex Bonifacio Papa, & alibi sæpè in Iure Canonico.

2. Secundò, Quomodocumque non gratis dare spiritualia, est peccatum: inordinatè enim conuertuntur in fauorem priuatum, quæ data sunt pro vtilitate communi, vt data esse hæc spiritualia patet 1. Corinth. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.* Et ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, &c. ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Non apparet autem quale peccatum sit, nisi fuerit Simonia.

3. Tertiò, D. Thomas hîc ad 5. generatim dicit, in definitione ista per venditionem & emptionem intelligi omnem contractum nõ gratuitum; & in corpore vnam tradit Simoniæ deformitatem in eo propriè sitam, quòd dentur spiritualia non gratis, sicuti gratis à Deo accepta sunt.

4. Denique, Hæc communis videtur sententia antiquorum Scholasticorum, adeò vt ex ipsis Parisiensis quidam Doctor Simoniam definierit, spiritualium acceptionem vel collationem non gratuitam. Sequitur eam & accuratè propugnat Franciscus Victoria, dicta Relect. De Simonia.

Verior nihilominùs est sententia, in Simoniæ ratione essentialiter includi respectum ad aliquod temporale, quod quodammodò sit pretium rei spiritualis.

*Resp. ad 1.* Ad argumenta respondeo. Ad Primum, Iure Canonico omnem eiusmodi pactionem circa spiritualia censeri Simoniacam, eò quòd præsumatur siniſter oculus ad temporalia, sicut infrà Dubio 10. declarabitur.

*Ad 2.* Ad Secundum, Non esse necessarium, quòd omnis inordinatus affectus circa collationem aut acceptionem spiritualium non gratuitam, pertinere dicatur ad propriè dictam Simoniam. Neque enim si permutatio fiat Beneficiorum legitima auctoritate Superioris, erit continuò Simoniaca, etiamsi permutantes non satis vt par erat ad communem vtilitatem respexerint. Si tamen quis velit inchoatiuè aut reductiuè hîc esse Simoniam, de eo non contendimus.

*Ad 3.* Ad Tertium, Sicut emptio & venditio in definitione ex communi sententia restringitur ad eam quæ fit pretio temporali, ita & contractus non gratuitus, quem D. Thomas substituit loco emptionis & venditionis. Quod ad deformitatem attinet, quam in eo ponit D. Thomas, quòd non detur gratis spirituale sicuti gratis acceptum est, fateor illam posse seorsim considerari: sed in eo solo non potest deformitas essentialis Simoniæ saluari, sed ad generaliorem quamdam auaritiam & cupiditatem pertinebit. Neque omnino ita generalis ea consideratio fortè in hoc vitio est necessaria; non enim minùs est Simoniacus, qui vendit Beneficium, etiamsi fortè gratis non acceperat, quia emit & ipse priùs. Denique, *gratis accepistis* non est idem, quod sine vlla conuentione accepistis; nam & hoc ipsum vt sine pretio temporali darent in conuentione tunc ponitur; sed significatur quòd secundùm prophetiam Isaiæ cap. 55. & ipsi sine auro, argento, aut ære potestatem hanc comparassent, & sine eiusmodi pretio, quæ inde prouentura erant Dei dona vicissim dispensare deberent.

*Ad 4.* Ad Quartum, Eiusmodi DD. vel esse intelligendos vt Scriptura; vel sanè eò respexisse, quòd Canones præsumant pretio fieri temporali, quod cum priuatorum pacto non gratis, præsertim in Beneficijs, fieri contigerit.

Sub nomine ergo emptionis & venditionis pretio temporali, etiam aliæ commutationes & contractus onerosi ad idem temporale loco pretij restricti intelligentur, vt transactio, permutatio, renuntiatio, remissio, redemptio.

Nomine etiam pretij temporalis intelligetur, quidquid pecuniâ æstimari solet, vt diximus in definitione Vsuræ: Giezi enim non minùs fuit Simoniacus accipiendo vestes, quàm accipiendo pecuniam.

Postulat tamen Simonia, vt verè detur aut accipiatur res temporalis tamquam pretium spiritualis, siue alia intentio principalior adsit siue non. Quare verè esset Simoniacus Clericus, qui intenderet distributiones accipere tamquam pretium diuini Officij, etiamsi principaliter propter eas non frequentaret Chorum: econtrà Simoniacus non erit, etiamsi principaliter propter distributiones veniat, multo minùs si solùm non erat venturus, nisi distributiones fuisset acceпturus, modò non veniat vt eas accipiat tamquam pretium sui officij, sed solùm in sustentationem. Ita recentiores, Pesantius dub. 1. De Simonia, Rebellus lib. 8. q. 3. Quamuis priori modo fieri possit vt mortaliter peccet mercenario affectu; posteriori autem venialiter propter tepiditatem: quod consonum est ijs, quæ in simili diximus, quando De vsura. In quo exemplo notandum est, ad Simoniam mentalem non opus esse, vt formaliter intendas emere vel vendere, vel pacisci; sed sufficere vt intendas dare vel accipere temporale tamquam pretium spiritualis, etiamsi aliter pactum non intendas, quamuis virtute satis intendat pactum, qui hoc modo intendit pretium; Confirmatur; Quia etiam ad vsuram mentalem tale quid sufficit.

Si dicas, differentiam esse, quòd vsura essentialiter non sit contractus aut voluntas contrahendi, sed acceptio superabundantiæ ratione mutui; Simonia autem essentialiter sit contractus vel voluntas contrahendi.

Contrà, Inde sequetur, Giezi, qui post collatam iam miraculo sanitatem pecuniam accepit, non fuisse Simoniacum. Sequetur etiam, contrauenientes verbis illis, *Gratis accepistis, gratis date,*



*date,* non satis argui Simoniæ. Emptio ergo & venditio, quæ saltem intendatur in Simonia, satis hîc saluatur: quòd enim hîc studiosa voluntate intenditur, ferè peragitur, sicut solet in emptione eius cuius pretium iam antè definitum est: merx enim ibi datur, & accipitur pretium, quasi actu exercito inito contractu, sine alia stipulatione.

Neque refert, quòd cap. 1. vltima parte Concilij Lateranensis sub Alexandro III. ita scriptum sit: *Non tamen Romana Ecclesia dantem vel accipientem delinquere interpretari consuenit, nisi ista interuenirent ex pacto:* solùm enim dicitur, quando parua sunt munera, quæ non soleant præsumi dari tamquam pretium, non puniri, præsertim in foro exteriori, quempiam tamquam Simoniacũ, propter eiusmodi data vel accepta, nisi interuenerit ea dandi pactio. Notandũ tamen, c. Etsi, De Simonia, vbi eadem repetuntur, non habere eam clausulam, *nisi ista interuenirent ex pacto.*

*Quid per spirituale intelligatur in definitione.* Quod in definitione dicitur *spirituale*, suam etiam postulat considerationem. Act. 8. eiusmodi spirituale est in verbis Simonis, potestas dandi Spiritum sanctum; in exemplo Balaam, Prophetia, seu prophetica maledictio; in exemplo Giezi, miraculosa (quamuis corporalis) sanitas. Cùm autem spirituale à spiritu dicatur, videndum, à quo spiritu: nam nomen spiritus ambiguum est ad spiritum procellarum siue ventum; quam acceptionem, licet propria sit, huius non esse considerationis, certum est: ad spiritum iumentorum & hominum, vt sit idem spiritus quod anima, quomodo Eccle. 3. Act. 7. Iacobi 2. & alibi sæpè. Aliquando spiritus hominis contra animam distinguitur, 1. Thess. 2. *Integer spiritus vester & anima & corpus.* Aliquando spiritus dicitur Angelus, siue bonus siue malus: aliquando Deus, vt sit commune nomen toti Trinitati: aliquando tertia in Diuinitate persona. Quas acceptiones videre licet apud Didymum lib. 3. de Spiritu sancto.

Potissimùm dubitari potest, Vtrùm spirituale hîc dicatur etiam à spiritu creato, an à solo increato: & vt particulariùs proponamus, Vtrùm scientia acquisita, quæ est bonum quoddam spirituale hominis, hîc censeri debeat inter ea spiritualia, quæ sine Simonia vendi non possunt? D. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 2. ad 8. quamuis admittat licere Magistris artium vendere labores suos quos subeunt docendo; negat tamen posse vendere ipsam scientiam, secundùm illud Prouerb. 23. *Veritatem eme, & noli vendere scientiam.* Sed rectè monuit Victoria, ex sententia antiquorum ita quidem tũc docuisse D. Thomam, sed in Summa illud omittendo, tacitè retractasse. Et sanè locus Prouerbiorum parum ad rem facit; quia *emere* positum est pro acquirere, & *vendere* pro alienare & repellere. Vnde Septuaginta ita habent: *Veritatem acquire, & ne repellas sapientiam.* Alioqui, vt benè monuit Ianſenius, cùm veritas hîc ferè idem sit quod scientia, si scientiam, quia spiritualis est, vendere non liceat, etiam veritatem emere citra Simoniam non licere. Denique etiamsi fortè aliqua deformitas in eo appareat, quòd naturalis scientia pecuniâ æstimetur; non potest ea pertinere ad Simoniam, quæ vitium est oppositum Religioni.

Spirituale igitur hîc dicitur à spiritu increato, imò à Spiritu sancto, qui per modum amoris procedit: est enim, vt Petrus indicauit, Dei donum; ab amore autem omne donum. Quocircà res spiritualis hîc erit omne donum Spiritus sancti supernaturale, & quidquid per se ad illud pertinet, verbi gratia, vt causſa vel effectus. Toletus rem spiritualem definit, quæ à Deo est vt auctore gratiæ, vel ad Deum ordinatur vt gratiæ auctorem. Sunt ergo res spirituales, omnes gratiæ, tam gratum facientes, quàm gratis datæ; Sacramenta omnia, Missæ sacrificium, & quæ antecedenter per se ad Dei gratiam impetrandam pertinent, vt status Religiosus, prædicatio Euangelij, denique effectus miraculosi, qualis erat sanitas Naaman Syri, & similia. Intellige effectus miraculosos vt tales; quia licet non potuisset vidua pretio inducere Elisæum citra Simoniam vt per miraculum produceret oleum; potuit tamen oleum istud postea vendere, non vt miraculi effectum, sed vt oleum.

*Spirituali annexum est quid.* Spirituali annexum est, quod antecedenter, comitanter, aut consequenter alicui spirituali annectitur. Antecedenter, vt ius patronatus: est enim ius eligendi aliquem qui spirituale officium in Ecclesia obeat. Comitanter, vt labor concionis & aliorum ministeriorum Ecclesiasticorum. Consequenter, vt Beneficium: est enim ius pro officio spirituali percipiendi temporalia emolumenta, quod Præbendæ nomine intelligere solent; alioqui ius faciendi Officium, & tali loco Deo seruiendi, quod Canonicatus nomine intelligitur, non tam videtur pertinere ad annexa, quàm esse res spiritualis per se. Magni autem refert, vtrùm quid sit annexum rei spirituali tamquam principali, an verò ipsum tamquam principale habeat sibi annexum aliquod spirituale: prioris enim generis rem vendere est Simoniacum, etiamsi spirituale non æstimetur; posterioris generis non item, vt latiùs patebit Dub. 9.

*An omisſio actus spiritualis ſit materia Simoniæ.* Quæres, Vtrùm sit Simonia, si pecunia detur ne quis ordinetur, aut ne pœnitens absoluatur, & generatim vt cessetur ab actione aliqua spirituali: nam cap. Nemo, De Simonia, dicitur esse Simoniacum, si quis quocumque liuore, dignè pœnitentem à reconciliatione remoueat. Deinde videmus, omissiones eiusmodi ferè reduci ad actiones, vt patet in definitione peccati. Adhæc reijcere pœnitentem à reconciliatione, est quasi exercitium quoddam spiritualis potestatis. Denique Episcopus, qui Clericum Beneficio priuandum, pretio corruptus, non priuat, est Simoniacus, vt docet Siluester hoc verbo, quæst. 13. n. 10.

Ex altera tamen parte apparet, non esse Simoniam: negatio enim rei spiritualis aut promissio, non est ipsa res aut actio spiritualis. Deinde sequeretur, alioqui non licere pretio auertere Presbyterum excommunicatum ne celebret: item Sacerdotem illum fore Simoniacum, qui omitteret officium suum, intentus lucris & negotijs sæcularibus.

Affirmantem partem sequitur Panormitanus in dictum cap. Nemo. Negantem Victoria & Arragon hoc articulo, quæ verior est, quando pura omissio pretio redimitur; secùs si ex potestate spirituali omissio fiat instar cuiusdam moralis aut interpretatiui actus, qualis est omissio absolutionis, de qua agitur in dicto cap. Nemo, Item tole-

rantia eius qui priuari deberet Beneficio, in Superiore, quo casu locutus est Siluester, præcipuè cùm habeat effectum posituum, nimirum retentionem Beneficij: censetur enim eiusmodi Episcopus cooperari per spiritualem suam potestatem, vt talis retineat Beneficium propter pretium temporale quod obtulit. Secùs etiam dicendum est, quando non spectatur nuda omissio, sed in ipsa aliquid spirituale, ob quod ipsa æstimetur pluris; verbi gratia, si des pecuniam concurrenti ad Beneficium ne tecum concurrat, est Simonia, quia omissio illa concursus æstimabilis est, eò quòd faciliorem reddat tibi adeptionem Beneficij. Quando omissio actus spiritualis neutro modo consideratur, nec vt moralis actus spiritualis potestatis, nec vt respectum habens ad spirituale ob quem æstimetur, non est Simoniæ materia: potest tamen iure positiuo fieri Simoniaca etiam talis omissio, vt benè obseruat Suarez cap.22.

Quæres iterùm, Vtrùm idololatræ vendentes sua Sacerdotia, admittant Simoniam?

Respondet Victoria, admittere, eò quòd eorum Sacerdotes veri sint Sacerdotes, quamuis officio suo abutantur. Alij considerantes, eiusmodi Sacerdotia non esse rem sacram, absolutè negarunt, vt Pesantius. Sanè esse Simoniam, saltem ex conscientia erronea, negari non potest. Vtrùm autem saltem quoad Legem Christi non recipiunt, potestatem habeant Gentiles, sibi quasi secundùm Legem naturæ constituendi Sacerdotes, videbimus infrà quando De Religione. Illud verum est, in Sacerdotio status puræ naturæ posse considerari Religionem quamdam & Simoniam alterius ordinis & speciei, quam dicere liceat naturalem.

## DVBIVM II.

### *Quale peccatum sit Simonia?*

*Deformitas Simoniæ triplex.*

DEFORMITATEM Simoniæ D. Thomas statuit ferè in his tribus: Quòd vilipendatur res sacra, quando æstimatur temporali pretio; Quòd vsurpetur quasi esset in dominio venditoris, aut futura in dominio emptoris, cùm sola dispensatio eius homini credita sit; denique, Quòd contra naturam originis suæ gratis à Deo accepta, non detur gratis.

Dubitabis, Quænam ex tribus præcipua sit & propria maximè huic vitio.

Respondeo, Primam videri maximè propriam: eam enim Petrus exprobrauit Simoni, eaque maximè est contra Religionem. Secunda autem videtur esse potiùs contra iustitiam aut fidelitatem; quamuis hactenus etiam sit contra debitam Deo ex Religione reuerentiam, quia res spirituales peculiariter Dei sunt, quo nolente venduntur. Tertia generalior est, vt superiori Dubio ostendimus.

Quæres, Vtrùm Simonia sit hæresis? ita enim Canones & veteres passim locuti reperiuntur. Gregorius lib. 4. epistola 95. & lib. 7. epistola 110. Cuius alia vrgentissima verba sunt in cap. Presbyte. 1. quæst. 1. *Altare, decimam, & Spiritum sanctum emere vel vendere Simoniacam hæresim esse, nullus Catholicorum ignorat.* In hunc ferè modum Tarasius cap. Eos qui, & cap. Qui studet, eadem quæst. Paschalis Papa causa 1. cap. vlt. q. vlt. dicit, Simoniacos esse primos & præcipuos hæreticos. Concilium Turonense Secundum cap. 28. *Non solùm sacrilegium, sed & hæreticum est, sicut in dogmatibus Ecclesiasticis habetur insertum, ad ordinandum Clericum per ambitionem ad imaginem Simonis Magi pecuniam offerre Sacerdoti.*

*Simonia non est hæresis proprie.*

Respondeo, Simoniam non esse propriè hæresim: est enim species quædam sacrilegij, adeoq; vitium non Fidei, sed Religioni oppositum, totumque residet in voluntate. Infamiam tamen hæreseos Simonia sibi contraxit in primis à patre suo Simone, qui non tantùm hæreticus, sed primus hæreticus fuit, vt dicit Gregorius lib. 7. dicta epistola 110. & in hoc ipso vitio hæreticus: existimabat enim, magicæ artis consuetudine deprauatus, vt dicitur cap. Petrus, q. citata, licere Spiritum sanctum vendere & emere, quod indicatur illis verbis, *Quia existimasti donum Dei pecuniâ possideri.* item istis, *Non est tibi pars neque sors in sermone isto*, præcipuè si legamus cum Ambrosio lib. De pœnitentia, qui citatur dicto cap. Petrus, *Non est tibi pars neque sors in hac Fide.* Secundò dicitur Simonia hæresis, quia Simon non tantùm in peccato, sed etiam in errore successores habuit, vt patet de quibusdam in Gallijs tempore Gregorij, ex locis suprà citatis. Sensisse enim eos, Simoniam esse licitam, ex eo apparet, quia publicè illam sine vllo pudore exercebant, & Gregorius Concilium coëgit contra eos, quo decerneretur Simoniam esse illicitam, vt constat ex dicta epistola 110. Eumdem errorem habuisse videntur Græci & Armeni, vt videre licet apud Guidonem & Alphonsum à Castro. Eumdem habuit Henricus IV. Imperator, à quo eius in hoc errore sequaces, Henriciani sunt appellati, vt post alios testatur Lorinus in cap. 8. Actor. Tertiò dicuntur Simoniaci hæretici, quia hæretici præsumuntur, quicumque Simoniaci. Cùm enim deprehendantur exteriùs negotiari, vt hæretici solent, etiam in ipsis error facilè præsumitur. Rectè enim dicit Hugo Victorinus lib. 2. De Sacramentis, parte 10. c. 2. *Simoniacus & ipse hæreticus est, si non fide, tamen opere.* Vnde, vt concludit Gratianus q. suprà citata, cap. Per Isaiam, §. Constat, quod per multa capp. iam ostenderat, rectè Simoniacè ordinati illis æquiparantur, quos hæretici ordinarunt.

Dubitabis Secundò, Vtrùm Simonia sit grauissimum peccatorum? Videtur enim esse, quia Lucius Papa cap. Sicut, De Simonia, dicit, *Simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit.* Item Paschalis Papa suprà, *Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur.* cap. Tanta, De Simonia, dicitur quis peccator potiùs posse Missam celebrare, quàm Simoniacus. Tarasius etiã dicta q. 1. c. Eos qui, dicit, hæresim Macedonij, qui Spiritus sancti negauit diuinitatem, esse tolerabiliorem Simoniã; quia Macedonius Spiritum sanctum fecit seruum Patris & Filij, sed Simoniacus suum seruum facit: quisque enim vendit quia est dominus, vel vt dominus sit, emit. Denique cap. Citò, ibidem, Ambrosius: *Inexpiabilis est venditi culpa ministerij.*

*Non est maximum peccatorum.*

Respondeo, Quamuis absolutè Simonia non sit peccatum grauissimum, quia grauiora sunt peccata contra virtutes Theologicas, præsertim odium



odium Dei; dicitur tamen alios morbos vincere, id est peccata contra virtutes morales, quæ circa passiones & morbos animi versantur, quando simul hæresis est, vt indicat ad c. illud Sicut, Panormitanus. Ad c. verò Paschalis Papæ, quod est finale, causa 1. q. vlt. dicit Glossa, vel hoc exaggeratione quadam dici ad terrorem, vel quòd facillimè in Deum & res Deo dicatas per Simoniam delinquatur: vel denique, quòd nulla ei pœnitentia certa indicta sit, nisi quòd ad mortem vsque Simoniacus asperam pœnitentiam agere debeat. Ad cap. Tanta, dici potest, eò respici, quòd quilibet peccator iam correctus, faciliùs ad diuina celebranda iudicetur idoneus quàm Simoniacus, qui Sacerdotij Ordinem aut munus celebrandi pretio emit: æquum enim est, in eo quemque puniri, in quo peccauit. Indicat inter reliqua Glossa ibidem. Ad cap. Eos, dici potest, speciem mali maioris hæresi Macedoniana solùm ibi in vna parte vrgeri.

Postremò dicitur culpa Simoniæ inexpiabilis, vel quia Simoniacus pœnitet vsque ad mortem, vel quia auctorem veniæ Spiritum sanctum alienauit: æquissimum enim est, vt eo quis careat quod vendidit, dicto cap. Qui studet, suprà; sicut & Giezi sanitate, Iudas redemptione caruit, & Simon omni parte & sorte spirituali priuatus est, & Dominus è templo eiecit vendentes in eo columbas, id est Spiritum sanctum, vt interpretatur Augustinus Tract. 10. in Ioannem: vel fortè Ambrosius ita loquitur propter verba Petri, qui hortans Simonem ad pœnitentiam, subiungit, *Si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Vbi quamuis non significetur dubitasse Petrum, vtrùm etiam verè pœnitens Simon Deo esset reconciliandus; difficultatem tamen conciliationis, adeoque veræ pœnitentiæ indicat propter criminis enormitatem.

Obijcies: 1. Reg. 9. significatur, Sanctos veteris Legis prophetiam vendidisse, quia Saul non præsumpsit ire ad Samuelem pro vaticinio, sine sportula.

Sed rectè ad hoc respondet D. Hieronymus in cap. 3. Michææ, vel Samuelem non accepisse, qui potiùs legitur Saulem cum puero suo pauisse; vel si accepit, stipes illas æstimandas magis esse tabernaculi, quàm munera prophetiæ.

Quæres, Vtrùm ratione paruæ materiæ, possit Simonia esse venialis.

*Non potest esse venialis ratione paruæ materiæ.*

Respondeo, Non posse. Vel enim esset ratione pretij; & hoc non potest dici, quia vendere minori pretio, est potiùs rem spiritualem viliorem facere: vel ratione gradus spiritualitatis ipsius rei; neque istud dici potest, quia nullo gradu tam paruo potest res esse spiritualis, quin eam vendere sit insignis Dei contemptus; itaque hac via materia non est leuis.

## DVBIVM III.

### *Quotuplex sit Simonia; &, An aliqua sit Iuris humani tantùm?*

*Simoniæ prima diuisio.*

DIVIDITVR Simonia in mentalem, conuentionalem, & realem. Diuisum est peccatum externum Simoniæ; de peccato enim interno huius vitij nihil peculiare est notandum, nisi quòd illud hîc non intelligamus per Simoniam mentalem, quamuis aliàs ita intelligi possit, & Simonia mentalis hîc dicatur mentalis, quia saltem secundùm partem formalem sola mente perficitur, quando nimirum sine exteriori conuentione, pro spirituali quod das, intendis accipere, vel accipis aliquid temporale, tamquam eius pretium; vel pro spirituali quod accipis, intendis dare, vel das aliquid temporale. Ideò autem minor in hac diuisione ratio habetur peccati merè interni, quòd ferè tradatur in ordine ad pœnas fori externi, vbi non iudicantur interna, nisi limites suos egrediantur, & exteriùs sese exerant. *Simonia Mentalis* Mentalis ergo Simonia est collatio vel acceptio rei spiritualis, cum intentione accipiendi vel dandi pretium temporale, sine vlla tamen conuentione. Si conuentio accedat sine vlla traditione rei spiritualis, aut pretij, dicitur conuentionalis. *Conuentionalis.* Si conuentioni accedat traditio, dicitur realis. *Realis.* Si tamen sola traditio rei spiritualis, aut sola sit traditio pretij, est mixta ex reali & conuentionali. *Mixta.* Sed cui membro erit annumeranda, si absque formali pacto reuerà pro temporali pretio detur Beneficium, & reipsa accipiatur pecunia tamquam pretium? Existimo omnino realem esse Simoniam, & virtuale pactum hîc sufficere, quam doctrinam luculentè tradidit Caietanus hoc verbo.

*Simonia altera diuisio.*

Diuiditur Secundò Simonia in prohibitã quia Simonia est, & in Simoniam quia prohibita est, id est, in Simoniam Lege naturæ prohibitam, & prohibitam Lege positiua. Reperitur hæc distinctio in Glossa cap. Ex parte, De officio delegati, & similis indicatur ab Vrbano II. cap. Saluator 1. q. 3. & communiter ab omnibus recipitur. Simonia prohibita quia Simonia, est illa quæ Iuris diuini est, Iuris inquam diuini & naturalis, & intrinsecè mala propter deformitates suprà explicatas; nulla enim est Simonia prohibita Iure diuino merè positiuo, quod ex D. Thoma Franciscus Victoria & Suarez probant, eò quòd in Lege noua, quæ à Iacobo dicitur lex libertatis, nulla sint præcepta negatiua, præter ea quæ sunt Iuris naturæ, & nulla affirmatiua Iuris merè positiui, nisi circa Sacramenta & Fidem.

*Simonia Iuris naturæ.*

Sed quæres, Quomodo Simonia est intrinsecè mala, cùm Deus possit homini dare tale dominium rei spiritualis, vt etiam licitè eam venderet?

Respondeo; Sufficit Deum cũ illa libertate non dedisse, quamuis nec dare conuenienter possit: creaturæ enim expedit restringi maiori illa dependentia, vt vel sic memor sit cuius hoc donum sit.

Dices, Si nulla sit Simonia Iuris positiui diuini, quomodo illa verba, *Gratis accepistis, gratis date*, ad vetandam Simoniam pertinent? neque enim contra Ius naturæ est, rem gratis acceptam, non gratis dare, alioqui peccaret qui vites corporis gratis à Deo acceptas, pretio alicui locaret.

Respondeo, Verba Christi nihil dicere, quin sit Iuris naturæ: est enim naturâ suâ malum prædicare, & miracula in confirmationem prædicationis facta, ad mundanum quæstum detorquere, quæ magna esset deformitas; vnde etiam vilipendium sequeretur diuini ministerij.

*Datur Simonia Iuris Ecclesiastici.*

Maior est difficultas, Sitne aliqua Simonia prohibita solo Iure Ecclesiastico, adeoque Simonia tantùm ideò, quia tali Iure prohibita? Videtur enim nulla talis esse. Nam quod ideò dumtaxat malum est, quia positiua Lege prohi-

bitum, in ſpecie tantùm generali inobedientiæ eſt, non in alia vitij ſpecie. Secundò, Simonia eſt venditio vel emptio rei ſpiritualis; ſequitur ergo naturam rei, non autem Legem poſitiuam, quæ rerum naturas non mutat: & vt mutaret, nihilominùs locum haberet Lex diuina. Vel enim Lex Eccleſiæ facit ex re non ſpirituali ſpiritualem, atque ita eam vendere eſt contra Ius naturæ: vel non facit, atque ita eam vendere, non eſt vendere rem ſpiritualem, adeoque nec Simonia.

Propter hæc argumenta ita tenet Durandus in 4. diſt. 25. q. vlt. §. Vnde multum; cui multùm fauet. Palude ibid. quæſt. 4. Ex recentioribus Durandum ſequitur Peſantius diſp. 1. De Simonia, ſed non ſatis bona fide pro ſe citat Gerſonem & Sotum: nam Sotus lib. 9. quæſt 5. art. 2. apertè tenet contrarium; Gerſon autem Tract. De Simonia ſuppoſitione 3. quamuis non apertè contrarium ſentiat, vtitur tamen noſtra, & vt vocat, Iuriſtarum opinione tamquam communi. Exiſtimat autem Durandus cum ſuis, in illis quæ tantùm dicuntur Simoniaca quia per Eccleſiam prohibita, non eſſe veram Simoniam, ſed ſolùm talem præſumi; & vt talem puniri in foro exteriori.

*Negat Durandus.*

Nihilominùs ſtandum eſt pro communi opinione. Ita enim præter Gloſſam citatam tenet Victoria dicta Relectione, n. 16. Lælius 2. parte, cap. 94. n. 3. qui teſtatur eſſe communem Canoniſtarum & Theologorum.

*Sententia affirmatiua verior.*

Vt autem intelligamus, quænam ſint iſta Simoniaca Iure tantùm Canonico, obſeruandum eſt, ea quæ Lege tantùm Eccleſiaſtica ſunt ſpiritualia, ferè eſſe duplicis generis. Sunt enim quædam quæ Eccleſia dicitur facere ſpiritualia, quia ea conſecrat, qualia ſunt Sacramentalia, aqua benedicta, veſtes ſacræ, & ſimilia; vel quia ſpiritualibus ea annectit, quomodo ius percipiendi certos fructus ſit ſpirituale, quando illud dependere vult Eccleſia à iure & officio miniſterij diuini in tali loco, & ſpirituali titulo Beneficij: & hæc verè ſunt inuendibilia, ita vt ea vendere, ſit contra Ius naturale, niſi fortè annexio reſcindatur, aut temporale præponderans ſolùm vendatur, vt ſit in Calice conſecrato; tunc enim venditio licita eſt, vtpote quæ rem ſpiritualem non attingat.

Alia facit Eccleſia ſpiritualia, quia cùm reuerà neque in ſe ſint ſpiritualia, neque ita ſpiritualibus annexa quin vendi poſſint, facit tamen vt debeat haberi ratio remotioris alicuius coniunctionis, quam habent cum ſpiritualibus, adeoque vendi non poſſint, quin ſimul illud ſpirituale vēdatur, quod remotius reſpiciunt: talia ſunt quæ ex ſententia Concilij Chalcedonenſis ſtatuit Vrbanus II. cap. Saluator 1. q. 3. verbi gratia, Officium Eccleſiaſtici Oeconomi vel Aduocati. In his eſt locus Simoniæ merè Iuris poſitiui & Eccleſiaſtici: venalitas enim intuitu ſpiritualis in eis interdicta eſt ſolo Iure Canonico, indeque venditio eorum trahitur ad ſpeciem veræ Simoniæ, ſicuti ieiunij Eccleſiaſtici violatio trahitur ad veram ſpeciem intemperantiæ.

Præter iſta eſt permutatio rerum ſpiritualium quæ temporalia habent annexa, puta Beneficiorum. In hac etiam videtur eſſe Simonia Iure poſitiuo tantùm prohibita per cap. Quæſitum, & cap. Cùm olim, De rerum permutatione, quæ videtur explicari poſſe hoc modo, vt pactio illa permutationis, cenſeatur iudicio Eccleſiæ vtrimque fieri intuitu temporalis emolumenti, quando fit ſine auctoritate Superioris, cuius eſt iudicare de vtilitate ſpirituali communitatis. Sicuti enim Eccleſia poſſet prohibere venditionem Calicis conſecrati propter reuerentiam conſecrationis, quæ videtur ſimul vendi; ita poteſt prohibere priuatam permutationem Beneficiorum, conſiderando in Beneficio quod dimittitur, id quod ſpirituale eſt, & in illo quod accipitur, quod temporale eſt, quaſi ſpirituale alienetur pro temporali: quæ conſideratio cùm in priuatorum permutatione facta, ſine Superioris auctoritate prochuis ſit, rectè pro periculo talis incommodi vitando, generatim ab Eccleſia interdicitur: quod periculum quando modo ab Eccleſia præſcripto non vitant particulares, pereunt in illo, & verè labem, non tantùm inobedientiæ, ſed etiam irreuerentiæ erga rem ſpiritualem, adeoque veræ Simoniæ contrahunt. Poſſet & alia Simoniæ ratio hîc conſiderari, quæ tamen pertineat non ad primam, ſed ad ſecundam Simoniæ deformitatem, quòd nimirum Beneficiarius ſibi plus dominij vſurpet in re quæ peculiariter Dei eſt, quādo Beneficium præſumit propria auctoritate in alium transferre; quæ vſurpatio irreligioſa eſt, etiamſi non Simonia, ſaltem Simoniaca: quid enim ſupereſt, niſi vt pro libito etiam vendat, qui de re tamquam ſua putat ſe poſſe diſponere? Confirmari poteſt hæc ſententia ex Concilio Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. De reformat. vbi de examinatoribus ad Parochiales Eccleſias dicit: *Caueant ne quidquam prorſus occaſione huius examinis nec antè nec poſt accipiant; alioqui Simoniæ vitium tam ipſi quam alij dantes incurrant.* Non dicit *pœnam*, ſed *vitium*.

Supereſt reſpondeamus ad argumenta Durandi. Ad prius reſpondeo, Legem humanam poſſe actionem indifferentem transferre ad ſpeciem alicuius vitij particularis, non tantùm ad ſimplicem inobedientiam, vt patet in lege ieiunij, quæ comeſtionem transfert ad legem intemperantiæ. Item in impedimento tertij & quarti gradus conſanguinitatis, vbi Lex Eccleſiæ ex fornicatione facit inceſtum. Neque in hoc differt Lex humana ab diuina poſitiua, quæ fecit hanc tranſlationem, vt patet in prima prohibitione: Adam enim verè intemperans fuit, comedendo de arbore ſcientiæ boni & mali, non tantùm inobediens, vt paſſim veteres dicunt. Et rectè Victoria dicit, generalem hanc in moribus eſſe philoſophiam. Sicuti ergo non abſtinere à cibo Lege poſitiua vetito, intemperantia eſt, quia Lex poſuit circumſtantiam propter quam non niſi intemperanter cibus ille ſumi poſſit (intemperantia enim eſt, comedere cum circumſtantijs quibus non oportet:) ita & Simonia erit, non abſtinere à venditione vel alienatione rei ſpiritualis, prohibita per Legem poſitiuam.

*Reſp. ad primum argumentum Durandi.*

Dicit Peſantius eſſe diſparitatem, quòd intemperantia verſetur in cibo, Simonia autem non verſetur in temporali, ſed in ſpirituali vendendo; atque ita etiamſi intemperantia ſit, in Quadrageſima veſci carnibus, non fore tamen verè Simoniam, vendere officium Eccleſiaſtici Oeconomi.

Sed reſpondetur, Eſſe hîc paritatem: ſi enim intemperantia ſit, indulgere appetentiæ cibi contra



tra præceptum Eccleſiæ; etiam erit irreligioſa, adeoque Simoniaca venditio, ſi quis illud officium Oeconomi vendat contra præceptum Eccleſiæ, quo Religioni generatim ita cauit. Sicut enim comeſtio in genere materia eſt, in qua poſſit eſſe abuſus intemperantiæ; ita venditio rei temporalis coniunctionem aliquam habentis cum ſpirituali, materia eſt in qua poſſit eſſe abuſus Simoniæ.

Quæres, Vtrùm quando Lex humana trahit actum quem prohibet, ad ſpeciem vitij particularis, præterquam inobedientiæ, debeat actus contrarius eſſe ſecundùm inclinationem contrariæ virtutis, etiam præueniendo Legem poſitiuam, quamuis non ſit præceptus?

Reſpondeo; Cùm Lex humana debeat eſſe rationabilis, non poſſunt ea præcipi ita indifferentia, quin vel ſint ſecundùm inclinationem virtutis, vel ſaltem ex fine honeſto præcipiantur. Quando priori modo præcipiuntur, fiunt de præcepto virtutis illius particularis, cuius erant tantùm materia, & ad cuius honeſtatem & inclinationem pertinebant. Poſteriori autem modo præcipi poſſunt indifferentia, quæ ſolùm pertineant ad obedientiam.

Ad Poſterius reſpondeo, Patet ex dictis, quomodo affectus inordinatus circa venditionem rei ſpiritualis hîc concurrat, dependenter à Lege poſitiua eiuſmodi alienationem prohibente.

Dices, Ergo agros Eccleſiæ alienare etiam erit Simoniacum, nam etiam illud Eccleſia prohibuit.

Reſpondeo, Non ſequi; quia hæc alienatio non eſt prohibita vt Religioni, ſed ſolùm vt Eccleſiaſticæ indemnitati caueatur.

Ceterùm inter Simoniam Iuris merè poſitiui & naturalis hoc eſt diſcriminis, quòd Simonia Iuris naturæ committi etiam potuerit tempore Legis naturæ & ſcriptæ: Simonia autem Iuris merè poſitiui tunc admitti non potuerit, eò quòd nulla talis Lex eſſet, ſicuti nunc eſt in Eccleſia, inducens eiuſmodi Simoniam.

Quæres, An ſit aliqua Simonia mentalis Iuris humani tantùm?

Reſpondeo, Sicuti velle in Quadrageſima comedere carnes, eſt mentalis intemperantia; ita velle permutare Beneficia propria auctoritate, eſt Simonia mentalis: Eccleſia enim prohibendo actum externum, mutat obiectum interni quoad morem.

Quæres, Vtrùm donationes merè gratuitæ pertinere poſſint ad Simoniam Iuris humani?

*Quænam donationes gratuitæ pertineant ad Simoniam.*

Reſpondeo, Donationes gratuitæ quædam ſunt licitæ, etiamſi ſint rei temporalis, acceptæ intuitu rei ſpiritualis, qualis eſt Iure antiquo donatio gratuita, conſequens poſt plenam rei ſpiritualis adeptionem omnino ſponte ſine præuia vlla petitione facta; cap. Quàm pio, & cap. Sicut Epiſcopum 1. q. 2. Aliæ quidem ſunt illicitæ, non tamen Simoniacæ vllo Iure: tales ſunt donationes acceptatæ quæ viſitanti Epiſcopo fiunt vltra debitas procurationes, de quibus cap. 1. De cenſibus, in 6. Aliæ deniq; ſunt donationes gratuitæ prohibitæ, quæ Iure Eccleſiaſtico ſunt Simoniacæ, quando nimirum prohibentur admitti eiuſmodi donationes intuitu Religionis, ne videatur ſpiritualis rei fieri commutatio pro temporali; quomodo Simoniaca erit omnis etiam gratuita acceptio rei temporalis, non quidem naturali aut diuino, ſed humano Iure, quæ fit antecedenter & concomitanter in collatione Beneficij vel Ordinis. Vide dictum cap. Quàm pio, & cap. Sicut Epiſcopum.

Dixi, licere donationem gratuitam conſequentem Iure antiquo; quia nouo Iure Concilij Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. prohibetur Epiſcopus pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis tonſuræ, aut pro litteris dimiſſorijs, aut teſtimonialibus, vel pro ſigillo, aut alia quacumque de cauſſa (occaſione talium) etiam ſponte oblatum quidquam accipere. Et ſeſſ. 24. c. 18. examinatores in concurſu pro Beneficio curato prohibentur aliquid accipere occaſione examinis, nec antè nec pòſt, incurſuri alioqui Simoniæ vitium.

Vbi aduerte Primò, Etiam ſpontaneam oblationem poſt collationem poſſe propter præſumptionem ab Eccleſia tamquam Simoniacam prohiberi. Secundò, Reipſa eſſe prohibitam examinatoribus, poſt examen fortè, quia tunc adhuc pendet collatio. Tertiò, Probabile eſſe, per Concilium Trid. non inhiberi quod permiſſum eſt cap. Dilectus 2. De Simonia, illis verbis, *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum*; modo intelligas de eo quod omnino ſponte, ſine vlla petitione, etiam citra taxationem facta, offertur: quomodo intellexit hodie licitum eſſe aliquid recipere Graſſius lib 2. cap. 96. num. 61. Simile quid de eulogijs ſponte tempore Synodi Epiſcopo oblatis ſtatuitur cap. De eulogijs, diſt. 18. Eſt tamen in iſtis expendendum illud Apoſtoli, *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* 1. Cor. 6.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm Pontifex poſſit eſſe Simoniacus?*

*Simoniam, quæ eſt contra Legem naturæ poteſt Pontifex incurrere.*

RESPONDEO, Poſſe eſſe in illis quæ Simoniaca ſunt Lege naturali vel diuina; non eſſe autem in illis, quæ tantùm Simoniaca ſunt per Legem poſitiuam Eccleſiæ. Similiter pœnas quas ſola Lex humana ſtatuit contra Simoniacos, Pontifex non incurrit. Vt itaque diſcernamus, in quo poſſit Pontifex eſſe Simoniacus, in quo non poſſit; attendenda eſt non conſecratio, ſed inhibitio vendendi, à quo ſit: ſiue enim conſecratio ſit ab Eccleſia, vel aliunde, poterit in rei conſecratæ venditione Pontifex eſſe Simoniacus, modò præueniendo omnem humanam prohibitionem res vendi propter ſpiritualitatem aut conſecrationem non poterat.

Hinc infertur, Pontificem poſſe eſſe Simoniacum, non ſolùm vendendo Sacramenta, & quæcumque per ſe naturâ ſuâ ſacra & ſpiritualia ſunt, ſed etiam vendendo Sacramentalia, & quæ non niſi ex voluntaria ipſius Pontificis & Eccleſiæ conſecratione ſacra ſunt. Et in hoc conueniunt paſſim DD. Victoria, Sotus, Lælius & alij.

Sequitur Secundò, Papam etiam eſſe Simoniacum ſi vendat Beneficia. Ita tenet Victoria, Lælius, Peſantius diſp. 3. num. 18. & videtur eſſe D. Thomæ hîc art. 4. & in 4. diſt. 25. q. 3. art. 3. ad 2. Negat tamen Gloſſa in cap. Ex parte, De officio delegati, & alij quidam Iuriſperiti. Sed Probatur, Quia Papa non eſt dominus Beneficiorum, ſed ſolùm ſupremus diſpenſator, vt ha-

bet communior Theologorum, quam sequitur Sotus lib. 9. quæst. 5. art. 2. Et vt esset aliqualiter dominus, non tamen posset vendere citra Simoniam: nam etiamsi homo sit dominus quorumdam actuum suorum spiritualium, non potest tamen eos vendere.

*Obiect.* Dices, Vendet solùm quod est temporale in Beneficio.

*Resp.* Respondeo; Quando Pontifex separat temporale à spirituali Beneficij titulo, & iustam causam vendendi illud temporale habet, non peccat illud vendendo; si non habeat iustam causam, peccat quidem infideliter dispensando, sed non est Simoniacus: semper autem est Simoniacus, quando ante separationem talem conatur vendere temporale Beneficij, etiamsi dicat se illud sine spirituali vendere velle; quia vt de taliter coniunctis scribit Paschalis Papa cap. Si quis obiecerit 1.q.3. *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum innenditum derelinquit.* Ad hæc, quamuis voluntate humana factum sit, vt hæc temporalia sint annexa huic spirituali titulo, non tamen humani, sed diuini Iuris est aut naturalis, eorum inuendibilitas, postquam iam annexa sunt: suppositio enim quòd spirituali titulo recipiantur bona Præbendæ temporalia, quicumque ius illud quod ad temporalia eiusmodi extat, vendit sicuti extat, indubiè vendit aliquid spirituale. Vnde Gregorius cap. Si quis dator, eadem q. dicit., quòd rationis vigore debeat pecuniam pro Beneficio acceptam restituere, qui Beneficium vendiderit: iudicans Simoniam in Beneficijs Iure naturæ esse interdictam. Accedit, quòd Pontifex vendens Beneficium, reuerà vendat Beneficij collationem, quæ spiritualis est actus, & ex potestate spirituali. Præterea Canones æquali Iure censent vendentem Præbendas, & Chrisma, & similia, quæ certum est Pontificem sine Simonia vendere non posse, cap. vlt. 1.q.3. Deinde Pontifex vendens Beneficium, verè vendit potestatem exercendi spiritualis muneris, quæ est in omni Beneficio. Si enim gratis det titulum spiritualem Beneficij, & vendat ius percipiendi fructus, vendit Clerico rem suam; quia eo ipso quo habet titulum Beneficij, habet etiam ius percipiendi illos fructus, & idem esset ac si quis dicat, se quidem agrum gratis dare & eius dominium, ius autem vtendi, & fructus percipiendi pretio vendere. Denique non habet Pontifex aliud ius ad illos fructus Beneficij, quàm habeat Ecclesia: ius autem quod Ecclesia ad illos habet, est spirituale; ergo quando Pontifex ius vendit ad Beneficij fructus, vendit reuerà rem spiritualem. Neque est hîc distinctio facienda Beneficij habentis administrationem Ordinis, vel executionem Clauium, & non habentis; quasi illud non possit, istud autem possit Papa sine Simonia vendere, vt voluit Panormitanus in cap. 1. De Simonia: quia omnia Beneficia Ecclesiastica Iure diuino naturali sunt inuendibilia, propter Ius spirituale seu Clericale Ecclesiastici ministerij, quod in omni Beneficio reperitur, vt benè ostendit Victoria.

Sequitur Tertiò, Pontificem sine Simonia posse vendere officium Oeconomi Ecclesiastici, & similia, quorum venditionem diximus prohiberi solo Iure Ecclesiastico, de quibus videre licet cap. Consulere, eod. vbi eiusmodi administrationes enumerat Glossa ex cap. Saluator, suprà citato, 1.q.3. Quod extendo etiam ad casum, quo sine iusta causa illa venderet: quamuis tunc putet Victoria, neque omnino improbabiliter, esse Simoniacum, eo motus argumento, quòd verè Pontifex peccet peccato intemperantiæ, quando sine causa violat ieiunium Ecclesiæ. Sed non est simile. Ad illud enim ieiunium Pontifex tenetur simul concurrente generali Lege ieiunij, tamquam causa sine qua non, & sic obligante eum Lege naturali, vt sine causa non se subtrahat abstinentiæ quam alijs iniungit. Vt autem Pontifex inualidè & Simoniacè vendat officium illud Ecclesiasticæ œconomiæ, non sufficit Legem humanam ita generaliter tamquam causam sine qua non concurrere, sed debet venditionis eius actum irritum facere, & verè tamquam sibi subiectum afficere, quod non fit nisi in actibus illorum qui coactiuè subsunt Legi. Ob eamdem causam in Pontifice etiã sine causa exercente aut concedente permutationem Beneficiorum, non est Simonia, imò neque in alijs Superioribus: permutatio enim Beneficiorum non est tamquam Simoniaca interdicta, nisi in illis qui non habent auctoritatem etiam ex causa permutandi, vt videbimus Dubio 10.

Quæres, An in ijs quæ solo Iure Ecclesiastico sunt Simoniaca, Papa non possit incurrere Simoniam vllo casu?

Respondeo, Moraliter id esse impossibile; talia enim sunt vetita vel ad tollendas priuatas pactiones, vel ad cauendam omnem Simoniæ suspicionem: Pontificis autem actiones non debent æquiparari pactionibus priuatorum, neque in Pontificem cadit suspicio Simoniæ, propter personæ eminentiam omni suspicione maiorem. Videbitur tamen cuipiam metaphysicus quidam dari posse casus, quo in his sit Pontifex Simoniacus; si nimirum apertè dicat, se nolle secum dispensare, sed velle infringere Legem, quamuis obliget.

Inquirendum superest, Vtrùm qui Simoniacè contraxit cum Pontifice, pura emendo Beneficium, incurrat pœnas Iure Canonico statutas Simoniacis? Item, Quid de illo dicendum, qui à Papa emerit Officium Oeconomi Ecclesiastici, sine legitima causa & necessitate, vtrùm iudicandus sit esse Simoniacus, etiamsi cum ipso contrahens Pontifex non sit Simoniacus. *An contrahens Simoniacè cum Pontifice, incurrat pœnas.*

Ad priorem quæstionem; Variant DD. Quidam enim dicunt, talem non incurrere pœnas illas. Ita Sotus lib. 9. quæst. 5. art. 2. Pesantius disput. 3. in fine. Tenet idem Iulius Clarus verbo Simonia, num 6. Imò Palude in 4. dist. 25. q. 4. dicit hoc omnes DD. concedere. Arguunt autem pro hac opinione in hunc ferè modum: Qui vendit, in emptionem consentit; qui consentit vt fiat, definit prohibere ne fiat; qui non prohibet faciendum, non punit factum: Pontifex ergo vendens Beneficium, censetur relaxare pœnas Iuris, ne eas incurrat emptor. Secundò, Crimen ambitus non committitur in Curia Principis: neque enim impingunt in Legem Iuliam ambitus, qui ab Imperatore emunt Magistratũ, quamuis in Legem naturæ peccent, vt docet idem Clarus suprà, & est argumentum ex cap. Si quis suadente 17.q.4. vbi dicit Gratianus, non licere dubitare, vtrùm sit dignus quem Princeps elegerit. *Prima sententia.*

Alij



*Aliorum sententia. Argumentum 1.* Alij tenent incurrere; pro quibus non improbabile eiusmodi est argumentum Dispensatio est actus potestatis legislatiuæ: atqui Pontifex admittens Simoniam, si aliud non dicat, non vtitur eiusmodi vlla potestate; sine dispensatione autem manent in suo vigore Leges pœnales respectu subditi: ergo in proposito eiusmodi pœnas

2. incurrit. Deinde, etiamsi Papa salutet excommunicatum verbo, osculo, litteris, aut alio quouis modo cum ipso communicet, non propterea eum censebitur absoluere, vt apertè definitum est Clementina Si summus Pontifex, De sententia excommunicationis. Hanc sententiam sequitur Adrianus Quodlibeto 9. §. Ad quartum principale.

Ceterùm quamuis certum sit, eiusmodi Simoniacum pœnas Dei non euadere, vt certum est euadere pœnas Iuris, si formaliter cum eo Papa dispeſet; ita verius videtur, vt habet prior opinio, euadere eas solùm cõtrahente cum eo Pontifice.

*Ad 1.* Ad argumentum primum respondeo, Quam-
*Institie 2.* uis hîc non sit propriè dispensatio, qua à pœnis liberetur Simoniacus; est tamen quædam relaxatio illarum pœnarum per conniuentiam legislatoris, qui faceret actus contrarios, si eius esset vltor cuius est auctor.

*Ad 2.* Ad Secundum, Est disparitas, quia iste honor stare potest cum Ecclesiastica pœna, & cum improbatione facti, pro quo excommunicatio lata est.

Ad posteriorem quæstionem ferè similis responsio est ex eodem fundamento: consentiendo enim in illam emptionem, Pontifex censetur relaxare prohibitionem eius quatenus est à Iure Canonico, & quia ex illa pendet ratio Simoniæ, facit ne iste debeat censeri Simoniacus.

## DVBIVM V.

### *Vtrùm sit Simonia, dare pretium pro Sacramentis etiam in necessitate?*

*D. Thomas art. 2.*

RESPONDET D. Thomas, Pro Sacramento tamquam pretium eius non licere quidquam dare vel accipere, quamuis ministri possint à populo accipere consuetum stipendium necessitatis. Vtraque pars seruanda decernitur per Innocentium III. cap. Ad Apostolicam, De Simonia: *Prauas*, inquit, *exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus obseruari, statuentes vt liberè conferantur Ecclesiastica Sacramenta: sed per Episcopum compescantur, qui malitiosè conantur laudabilem consuetudinem immutare.* Loquitur autem de consuetudine, qua stipendium sustentationis datur ministris.

*Pro Sacramento tamquam pretium dare aliquid non licet.* In quibusdam satis conueniunt DD. Vnum est, Pro ipso Sacramento tamquam pretium ipsius, quamuis extrema fuerit necessitas, non licere vmquam dare pecuniam; est enim intrinsecè malum, non tantùm vendere Sacramentum, aut emere vt vendas, sed etiam simpliciter emere, & ita rem spiritualem sub pretio ponere. Imò hoc præcisè Petrus exprobrauit Simoni, si errorem hæreseos seponas, quòd voluerit donum Dei pecuniâ possidere, id est emere. Ideò autem intrinsecè malum est, quia vilipendium continet rei spiritualis, vt suprà diximus: adæquatur enim vili pretio, quia numisma est mensura mercis; mensura autem æqualitatem dicit, vt benè attigit D. Thomas in 4. dist. 25. Vnde cap. Non satis, De Simonia: *Tam ille qui dederit, quàm ille qui receperit, vel consenserit, partem se cum Simone non dubitet habiturum.* Et cap. Ex tuæ fraternitatis, eodem, punitur quidam, quòd Archidiacono, aliter nolenti ipsum præsentare ad Sacerdotium, sex solidos soluerit, & sic Ordinem ipsum per eum præsentatus acceperit. Similis decidit casus cap. Per tuas, 3. eodem. Vt autem sciamus, hoc Legis esse naturæ, inculcatur aliquoties, nulla consuetudine posse eiusmodi pactionem excusari, cap. Non satis, & cap. Cùm in Ecclesiæ, eodem. Huc pertinet cap. Eos qui 21. q. 1. quod est Tarasij ad Adrianum Papam, & quæ habet Chrysostomus hom. 13. in Marcum, vbi obseruat, non secùs ementes eijci è templo, ac vendentes.

Alterum in quo conueniunt, est, Licere pecu- *Pro materia Sacramenti licet.* niam dare pro materia Sacramenti saltem non consecrata; verbi gratia, quando Sacerdos nollet baptizare, nisi tanti aquam emeris, licebit tibi in necessitate paruuli aquam emere, quale quid tam in Summa hîc quàm in 4. dist. 25. admisit D. Thomas. Neque potest vllam habere difficultatem: sicuti enim balsamum & oleum licet emere ad consecrandum Chrisma, ita & aquam ad consecrationem Baptismatis. Neque refert quòd excessiuum fortè pretium detur pro re temporali intuitu spiritualis necessitatis, modò reuerà non ematur aliud, quàm ipsa res temporalis. Quod euidentius fiet, si à Sacerdote aquam emas, & ipse puerum qui est in necessitate, potiùs baptizes, qui non es Sacerdos, quàm Sacerdos Simoniacus: quem ferè casum expressit D. Thomas in 4. Addit Henriques lib. 2. cap. 23. etiam pro aqua consecrata licere dare pretium, quando alia quæ ad Baptismum sufficiat, haberi non potest, sicuti licet emere Calicem consecratum spectata materia, vt dicemus infrà.

Si quæras, Sítne eadem ratio Chrismatis?

Respondeo, Ex natura rei non esse Simoniam, vendere Chrisma consecatum, si cariùs non vendatur quàm ratione materiæ valeat. Suarez tamen lib. 4. De Simonia, cap. 14. putat esse Simoniam Iuris humani, propter inhibitionem Ecclesiæ, quæ reperitur cap. Placuit 1. q. 1. Sed Concilium Mechlinienſe I. permittit Archipresbyterijs expensas seu sumptus ratione Chrismatis necessariò factas, non quidem in traditione Chrismatis noui, sed tempore conuocationis aut visitationis arbitrio Episcopi recipere. Et Concilium II. Braccarense, ex quo Canon ille desumptus est, est Prouinciale. Tutius tamen fuerit, & omnino expedit, Episcopum seruare dictum Canonem Placuit.

Controuersia autem inter DD. est, Vtrùm liceat *An liceat dare pro redimenda vexatione.* per modum redimendæ vexationis in necessitate pecuniam pro Sacramento dare, præsertim si ea necessitas sit adulti?

Sunt qui dicunt, non licere redimere hîc vexa- *Prima opinio.* tionem, ne quidem pro obtinendo Baptismo in necessitate paruuli. Ita Palude in 4. dist. 5. q. 3. ar. 3. Sequitur Arragonius & Raphael de la Torre hîc, Glossa in c. Baptizandus 1. q. 1. quamuis auctor illius Glossæ ridiculè satis dicat, licet malè sit facturus, se tamen pro paruulo eo casu daturum pecuniam. Fauet D. Thomas hîc ad 1. quando dicit idem esse ac si nullus reperiretur qui baptizaret.

Proba-

Probatur, Quia non licet in ſpiritualibus redimere vexationem temporali munere apud illum, qui poteſt de Iure prodeſſe, ſed ſolùm apud illum qui poteſt de facto obeſſe, non autem de Iure prodeſſe, vt habet communis doctrina Canoniſtarum, & videbimus infrà Dubio 17. Atqui hîc baptizator Simoniacus non ſolùm poteſt, ſed debet de Iure prodeſſe. Si ergo detur ei pecunia, non erit idem ac ſi cuicumque te impedienti ab obtinenda confirmatione in Præbenda iam tibi collata pecuniam offeras; ſed idem erit, ac ſi offeras Superiori, cuius eſt confirmare: ſicuti enim mediante pretio, tibi aliquid ſpiritualis Iuris ibi accedit per confirmationem; ita hîc aliquid ſpirituale confertur, ipſum ſcilicet Sacramentum, adeoque character Baptiſmi, & reliqui ſpirituales effectus.

Accedit quòd vexatio hîc tota conſiſtat in negatione Sacramenti. Qui ergo eam redimit, reuerà emit Sacramentum.

Denique, omnis Simonia ſic facilè excuſabitur in dante pretium pro Sacramento.

Alij, quamuis admittant hîc licere redemptionem vexationis pro paruulo, alioqui ſine Baptiſmo morituro; negant tamen licere pro adulto, eò quòd ipſe poſſit ſaluari per Baptiſmum Flaminis. Ita tenet Caietanus hîc, Panormitanus in c. Cùm in Eccleſiæ, De Simonia, & quidam, quos refert Richardus in 4. diſt. 25. art. 3. q. 1. ad 8.

Alij deniq; tam in paruuli quàm in adulti neceſſitate admittunt licere pecuniâ per modũ vexationis redimẽdæ hoc agere, ne Baptiſma negetur.

*In extrema paruuli neceſſitate licet.*

Dico primo. Saltem in extrema Baptiſmi neceſſitate, pro paruulo licet per modum redimendæ vexationis offerre pecuniam ei, qui aliter baptizare nollet.

Dico, *in extrema neceſſitate*; quia in præſenti periculo mortis ſuppono, non eſſe alium qui puerum gratis baptizet, puta quia ipſe offerens mutus eſt, mutilatus, formæ ignarus, vel materia deſtitutus: nam ſi ipſe poſſet, in eo ferè DD. conueniunt, debere ſacrilego Sacerdote præterito, eum baptizare, quod etiam ad feminam meritò extendit D. Thomas. Ita præter ſuprà citatos tenet Gerſon tract. De Simonia, reſp. ad 6.

Probatur Primò. Quia iuſta defenſio poſtulat, vt quiſque in tali ac tanta neceſſitate pro paruulo poſſit, modo aliàs licito, remouere malitiam illius praui hominis: poteſt autem illud pretio, minis, prece.

*Obiect.* Dices, Non licet dare pretium Iudæo vt permittat ſe baptizari, depoſita perfidiæ ſuæ malitia; ergo neque huic, vt depoſita malitia paruulum baptizet.

*Reſp.* Reſpondeo, Si verè putetur Iudæus hac ratione malitiam depoſiturus, non eſſe illicitum, ad hoc eum pecuniario præmio inuitare, vt docet Panormitanus ſuprà, qui refert, B. Silueſtrum eiuſmodi illecebris infideles ad fidem Chriſtianam pellexiſſe.

Probatur Secundò, Si cura peculiaris alicui incumbat procurandi Baptiſma tali infanti, puta quia pater aut tutor eius eſt, ſummum ei ius competit ad procurandum Sacramentum, ne infans irreparabiliter pereat, in quo ſuo iure ne impediatur, poteſt redimere vexationem: extrema enim neceſſitas ſummum ius concedit, quod facilè æquiualeat iuri in re.

Vnde patet reſponſio ad Primum argumentum in contrarium pro prima opinione propoſitum. Quando enim dicitur, non licere apud eum redimere vexationem, qui poteſt Iure prodeſſe, non tantùm facto obeſſe; hoc dumtaxat habet locum, quando is qui vexare dicitur, illud dare renuit, ad quod omnino plenum ius non habes, ſed ius aliquod plenius tibi deeſt, quod vt conſequaris validè, à libero pendet vſu ſpiritualis poteſtatis certis perſonis attributæ. Vel vt Adrianus Quodlibeto 9. docet, ſolùm hoc obtinet, quando agitur de ſpirituali quærendo inualidè, ſi detur pecunia, vt fit in Beneficiorum collatione, præſentatione, confirmatione: quando enim hæc fiunt Simoniacè, etiamſi Beneficiarius qui munus obtulit, ſolùm intenderit redemptionem vexationis, inualida eſt, & nihil confert iuris; quo fit vt vexatio cum effectu non ceſſet, vt meritò præſumatur non ea eſſe redempta, ſed Simoniacè pecunia data, ſicut accepta. Vel ſanè hoc dicitur tantùm propter præſumptionem fori externi, vt voluit Valentia. Vel denique ſolùm procedit in Beneficijs Eccleſiaſticis, extra caſum ſimilis neceſſitatis ſpiritualis.

*Reſp. ad 1. argu. 1. opinio.*

Ad Secundum reſpondeo, Negatio Sacramenti præciſè in ſe non eſt vexatio, ſed iniuſta negatio, à qua vt ceſſet Simoniacus, poſſum dare pecunias, etiamſi reuerà ea non fiat Sacramenti pretium: allicio enim ſolùm, vt depoſita malitia, velit gratis dare quod mihi debetur; adeoque impedimentum quod ſitum eſt in eius auaritia remoueo, quod natum eſt remoueri per pecuniam, quamuis à me non detur vt pretium Sacramenti; neque particeps fio peccati accipientis, ſed ſolùm cenſeor non abſtinere ab actione mihi neceſſaria, etiamſi in ea præuideam concurſurum, & me permiſſurum alterius peccatum, quod non eſt infrequens in ſimilibus, vt patet ex dictis in materia De ſcandalo.

*Reſp. ad 2.*

Ad Poſtremum reſpondeo, Manifeſtum eſſe *Ad 3.* quòd non ſit ſemper in alijs ſimilis ratio.

*Licere etiã in neceſſitate adulti probabilius.*

Dico tamen secvndo. Verius videtur, quòd etiam adultus, qui aliàs Baptiſmo eſſet cæturus, poſſit in neceſſitate extrema redimere vexationem, tradita illi pecunia, qui exigit Sacramenti pretium. Neque iſtud hîc apertè negauit D. Thomas, vt quidam exiſtimant, quia ſolùm dicit, quòd potiùs debeat ſine Baptiſmo decedere, quàm pro eo pretium dare; quod etiam de paruuli caſu dicturus erat. & in 4. apertè dicit, eſſe ſimiliter loquendum de paruulo, & de adulto. Eſt hæc ſententia multorũ DD. præſertim recentiorum, Adriani Quodlibeto 9. §. In hoc articulo, Henriques ſuprà, Valentia hîc. Videtur etiam eſſe Ioannis Gerſonis ſuprà citati. Probatur, Quia prætextu Baptiſmi Flaminis, nemo debet ſibi minori anxietate quærere & procurare Baptiſmum, quouis modo aliàs circa paruulum licito, quàm ipſi paruulo morituro: contritio enim non ſaluat ſine Baptiſmi voto, vt in ſimili tradit Trident. ſeſſ. 14. c. 4. Votum autem hoc poſtulat, vt omni modo in neceſſitate procuretur. Quocirca non placet hîc reſtrictio quam adhibuit Henriques, quaſi tum demum oblata pecunia liceat in propoſito propriam redimere vexationem adulto, quando ſibi perſuadet, difficulter habere ſe poſſe contritionem, & eſt morti proximus.

Dices,



Dices, Non eſt in neceſſitate ſimpliciter extrema ſicut paruulus.

Reſpondeo, Neque ius redimendæ vexationis id poſtulare, vt ſit neceſſitas extrema; ſufficit eſſe grauem cauſſam: vt meritò exiſtimemus, vel ſolam præcepti neceſſitatem in materia tam graui hîc ſufficere.

Quæres, Vtrùm non ſolùm poſſit, ſed etiam debeat adultus pro ſe hîc aut pro paruulo redimere vexationem oblata pecunia?

Reſpondet Adrianus, Debere, eò quòd teneatur, quantum poteſt licitè ſibi: & etiam alteri ianuam ſalutis procurare. Sed hæc regula, quòd quando aliquid Lege poſitiua præceptum eſt, eiuſmodi præceptum intelligi debeat obligare, quotieſcumque licitè impleri poteſt, non eſt certa: fortè enim datur caſus, quo Iudæo licuerit potiùs mori, quàm pugnare in Sabbato, quo tantùm pugnare ei licuiſſet pro vita tuenda: præceptum enim aliquando relinquit actum in ſpecie virtutis, pro qua mortem oppetere liceat, quamuis propter mortis periculum ad eiuſmodi actum deſinat obligare: quomodo in materia De Legibus diximus, Carthuſianum in periculo mortis ex ægritudine, poſſe abſtinere à carnibus quibus ſanandus videtur, etiamſi licitus ipſi ſit earum eſus.

*Quando redimere vexationem in Baptiſmo ſit præceptũ*

Hoc conſiderato, probabile quidem eſt, in præcepto eſſe adulto, vt pro paruuli Baptiſmo vexationem dicto modo redimat, quia Baptiſmus paruulo eſt neceſſarius neceſſitate medij, & religioſa ſua abſtinentia à redimenda vexatione per pecuniam, noceret in æternum paruulo, quod ei non licet, niſi alia impoſſibilitate excuſetur. Idem probabile erit in propria ipſius adulti neceſſitate, ſi putaret ſe contritionem non habiturum. At quando probabiliter ſibi contritus videretur, exiſtimo non improbabiliter dici poſſe, quòd redimere quidem poſſit vexationem, ſed quòd non teneatur: quamuis nolim etiam in eo ab Adriano diſſentire, propter neceſſitatem Baptiſmi in voto, quam ſuprà vrgebamus. Eadem verò quę Baptiſmi in adulto, etiam eſt ratio Sacramenti Pœnitentiæ in relapſo poſt Baptiſmum. Sed Sacramenti Ordinis non eſt eadem ratio, non ſolùm quia non eſt eiuſdem neceſſitatis, ſed etiam quia licet validè conferatur character, Simoniacè tamen ordinatus, etiam per ſolam Simoniam ordinantis vel præſentantis, ſuſpenditur ab executione Ordinis, & in effectu idem eſt, ac ſi ordinatus validè non eſſet. Quocirca meritò punitus eſt, qui in obtinendo Ordine Sacerdotij vexationem redemerat, cap. Ex tuæ fraternitatis, De Simonia.

Quæres Secundò ex Soto, Vtrùm liceat vllo caſu emere Sacramentum, ſi etiam ipſa emptio omnino ſit neceſſaria ad redemptionẽ vexationis, eoque referatur; ſi verbi gratia, Simoniacus Sacerdos te iurare compellat, quòd pecuniam ſoluas tamquam pretium Sacramenti, vtrùm liceat tibi id iurare, & intendere dare pretium Sacramenti, ſed vlteriùs eiuſmodi emptionem referendo in redemptionem vexationis?

Admiſit Soto, licere hoc caſu, ſed malè; quia ponere Sacramentum ſub pretio, eſt intrinſecè malum, adeoque non eſt eligibile: redimenda ergo vexatio, ne cogaris emere aut carere; non autem redimenda emendo, ne careas: vexatio enim ſic non tollitur, tum quia magna vexatio eſt ſi peccare cogaris, tum etiam quia empta Sacramenta emptori non profunt, & iam vexanti conſentiendo teipſum etiam magis priuas, eo quo ipſe priuabat. Iuramentum etiam credo tale præſtari non poſſe, etiam cum reſtrictione mentali, qua tolli videatur eius iniquitas, quia eſt exterior profeſſio iniuſtitiæ; quæ aſſumi non poteſt ad tegendam aliquam noxiam veritatem, quantumuis eius tegendæ ius habeas, vt in ſimili diximus, quando De confeſſione fidei.

Quæres Tertiò, Vtrùm liceat redimere vexationem ſimili modo in Confirmatione, Euchariſtia, & Extrema vnctione.

Reſpondeo; Quamuis quæ diximus ferè aſſerantur à DD. tantùm de Sacramento Baptiſmi aut Pœnitentiæ; & iam indicauerimus quare de Sacramento Ordinis aſſeri non poſſint: eſt tamen ſatis probabile, etiam in Confirmatione, Euchariſtia, & Extrema vnctione, licere in foro conſcientiæ redimere vexationem, quando aliter hæc haberi non poſſunt, offerendo pecuniam, qua reſtinguatur auaritiæ ſitis miniſtrorum, vt eâ reſtinctâ Sacramenta ab eis obtineas, quæ adminiſtrare tibi tenentur. Ita apertè tenet Gerſon ſuprà citatus, & ſequitur ex generali fundamento ſecundæ affertionis, quòd ſcilicet liceat redimere vexationem, quandocumque tollitur impedimentum, quo quis impediebatur, ne vteretur iure ſuo. Si enim in alijs rebus non ita neceſſariò obtinendis, non obſtante peccato diſpẽſatoris, aut alterius vexatoris, liceat ſubinde pecuniâ redimere vexationem, vt patet in Beneficijs; non apparet ratio, quare non etiam in his Sacramentis: quamuis enim non ſint omnino neceſſaria vt Baptiſmus & Pœnitentia; ius tamen ad ea habes, quo vt omnino fruſtreris propter miniſtri ſacrilegam auaritiam, neque ratio, neque charitas, neque Religio ſuadet.

In Sacramento Matrimonij peculiaris hîc eſt conſideratio: ibi enim ipſi contrahentes ſunt miniſtri.

*De redimenda vexatione circa Matrimoniũ.*

Dubitari tamen queat, Vtrùm ſit Simonia, nolle matrimonium contrahere, niſi certam pecuniæ ſummam alter promittat: ſicut & illud, Sitne Paſtor Simoniacus, ſi Matrimonio aſſiſtere nolit, aut ei benedicere, niſi numerato pretio eiuſmodi ſuæ benedictionis aut reſtimonij? Item, An liceat hîc redimere vexationem?

Quod ad Primum attinet, eſt aperta D. Thomæ hîc ad 6. & communis doctrina, immune hoc eſſe à Simoniaca labe: exigitur enim pro Matrimonio quatenus eſt naturæ officium, & ciuilis quidam contractus ſocietatis coniugalis, qui ſua habet onera, hinc inde meritò æſtimanda: nam pro Matrimonio, vt eſt Sacramentum, non licet magis exigere pretium, quàm pro alijs Sacramentis. Quod enim Gloſſa in cap. Quidquid 1. q. 1. dicit, pro Matrimonio potius licere, eò quòd non ſit de illis Sacramentis quæ gratiam conferunt, cùm eam ſolùm ſignificet, pridem per Tridentinum ſeſſ. 24. can. 1. exploſum eſt, & annotatione Gregorij XIII. correctum, & refutatur à Soto lib. 9. q. 6. art. 1. Eſt enim Fidei, Matrimonium conferre gratiam; neque ſolùm valere ad remedium concupiſcentiæ, quamuis non ſatis hoc expreſſerit Magiſter lib. 4. diſt. 26. fuit enim in ſtatu naturæ integræ in officium naturæ, in

ſtatu

ſtatu peccati ante Chriſtum etiam in remedium concupiſcentiæ; ſed in Lege noua per Chriſtum inſuper confert auxilium gratiæ.

Ad Secundum, Si Parochus, vbi ex Decreto Tridentini neceſſarius eſt, neget contractui matrimoniali ſuam præſentiam, niſi pro ea pretium ei detur certa pecunia, eſt Simoniacus; quia non aſſiſtit ſimpliciter vt teſtis, ſed vt ſacer teſtis, & videtur adhiberi intuitu Sacramenti, quod reperitur in hoc contractu, denique ex officio ſpirituali aſſiſtit. Idem euidentiùs eſt dicendum, ſi benedictionem vendat, quod ipſi expreſſo Iure tamquam Simoniacum prohibetur cap. Cùm in Eccleſiæ, & cap. Suam, De Simonia.

Ad Tertium, Non apparet ratio, quare in hoc etiam non liceat redimere vexationem, vt apertè tradidit Gerſon ſuprà citatus: quod multo magis verum erit poſt Concilium Trident. quando iam Parochi præſentia eſt de eſſentiali formula validi Matrimonij.

Si quæras, An Calicem conſecratum liceat emere, vt Sacramentum confici poſſit?

Reſpondeo, Quamuis Canoniſtæ negent, omnino id licere, modò non amplius detur quàm materia & artificium ſecluſa conſecratione valeant, aut ſanè quod amplius datur, non detur tamquam pretium conſecrationis, ſed auri tantùm vel argenti ita formati.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm liceat accipere pecuniam pro ſpiritualibus actibus? D. Thomas art. 3.*

RESPONDET D. Thomas, Non licere vendere ſpirituales actus, qui ex ſpirituali gratia procedunt, & ad eam diſponunt: poſſe tamen miniſtros ſtipendium ſuſtentationis accipere, ſecundùm conſtitutionem Eccleſiæ, & conſuetudinem approbatam. Actus autem huiuſmodi multos attigit hoc articulo D. Thomas, vt ſunt vſus prophetiæ, celebratio Miſſarum, oratio, totaque celebratio diuini Officij, prædicatio, laus diuina, proceſſiones, ſupplicationes, ſepulturæ, exequiæ, anniuerſaria defunctorum, diſpenſationes quæcumque ex poteſtate ſpirituali, commiſſiones, viſitationes, correctiones, diſſimulationes correctionis, cenſuræ, & abſolutio ab ijſdem. Huc referre etiam licet litteras teſtimoniales Ordinum ſuſceptorum, dimiſſorias, & ſimiles: generatim enim ſpirituales actus ſunt, qui ex ſpirituali gratia quodammodò procedunt, aut ad eam diſponunt, vt hîc dicit D. Thomas. Tradit verò idem D. Thomas Quodlibeto 8. art. 11. & in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. actum ſpiritualem dici duobus modis, videlicet ex principio ſuo, quando alicui competit ex aliquo ſpirituali dono vel officio: & ex fine tantùm, vt quando per actum ad aliquid ſpirituale dictum à ſpiritu hominis, quod dicere poſſumus ſpirituale naturale, (qualis eſt, verbi gratia, ſcientia Mathematica) peruenitur, ſed ipſe actus non eſt ex gratia aut officio ſpirituali. In prioris generis actibus ſpiritualibus emendis & vendendis dicit admitti Simoniam, non in poſterioris generis, quod non repugnat doctrinæ huius articuli: vbi etiam in ſpirituali ex fine ad quem diſponit, videtur admittere Simoniam, quia finem ſpiritualem hîc intelligit pertinentem ad gratiam ſupernaturalem, ibi autem ad ſpiritum humanum, in ordine tantùm naturæ conſideratum. Exiſtimo tamen, hanc diuiſionem potiùs ex ſententia antiquorum, qui in vendenda ſcientia humana Simoniam ponebant, à D. Thoma eſſe poſitam, & ideò hîc omiſſam; laborat enim in æquiuoco *ſpiritualis*: neque ſatis oſtenditur, quomodo vendere ſcientiam ſit Simonia, non autem vendere doctrinam. Circumſpectiùs hîc ad 3. dicit D. Thomas, quamuis peccatum ſit vendere ipſam veritatem aut ſcientiam, peccatum, inquam, alterius generis quàm Simoniæ, non tamen eſſe peccatum, locare operam docendi, quia ad Simoniam ſufficit, illud vendi, quod per ſe ad ſpirituale obtinendum facit; ſicut ſi vendere fidem ſit Simonia, etiam vendere Catechiſmum erit Simonia, non tamen æquè in naturali illo ſpirituali idem ſequitur, quoad illicitum aut peccatum, fortè quia in ſpirituali ſupernaturali ferè concurrunt ſpirituale ex principio & ex fine. Vnde ſi quis non ex officio ſpirituali Catechiſmum doceret, ſed ſimul cum profanis litteris, poſſet fortaſſis operas ſuas locare.

*Actus ſpiritualis duplex, ex principio, & ex fine tantùm.*

Verùm vt cognoſcamus, quouſque pro ſpirituali actu liceat aliquid accipere, notandum eſt, circa actum ſpiritualem ferè quinq; diuerſa poſſe conſiderari. Poteſt enim in primis conſiderari ſecundùm ſubſtantiam ſuam ipſe actus ſpiritualis, abſtrahendo ab omni labore aut moleſtia, ſiue interna ſiue externa. Secundò, Labor acceſſorius antecedens vel conſequens, puta ſi iter ſit moleſtum ſuſcipiendũ miniſtro qui celebratum veniat. Tertiò, Labor intrinſecus ipſi ſpirituali actioni, qualis eſt labor pronuntiationis in concione. Quartò, Suſtentatio perſonæ miniſtrantis. Quintò, Obligatio qua ſe potiùs huic loco quàm alteri aſtringit, vbi fortè commodiorem habere potuiſſet ſuſtentationem.

*Conſiderandæ circa actum ſpiritualē.*

Inquirendum igitur Primò, Vtrùm pro ſpirituali actione in ſe conſiderata liceat aliquid exigere, accipere, dare tamquam pretium?

Vbi obuia ſatis eſt reſponſio negatiua: hoc enim propriè eſſet vendere actum ſpiritualem; neque opus eſt alia probatione, quàm qua audimus Simoniam eſſe illicitam.

*Pro labore antecedente & conſequente accipere licet.*

Secundò inquirendum, Vtrùm liceat accipere pro labore antecedente vel conſequente?

Reſpondeo, Per ſe iſtud licere, quando labor in ſe eſt vendibilis, & ſcandalum abeſt. Ita tenet Sotus ſuprà, Toletus lib. 5. cap. 88. Victoria Relect. De Simonia 2. parte num. 19. qui dicit eſſe omnium DD. & peti poteſt argumentum ex c. Charitatem 12. q. 2. vbi Gregorius Syracuſano Epiſcopo ita ſcribit: *Viſitatores Eccleſiarum Clericique eorum qui cum ipſis per non ſuæ ciuitatis Parochias fatigantur, aliquod laboris ſui capiant te diſponente ſubſidium.* Simile argumentum eſt ex cap. Relatum, ex eodem Gregorio. Eſt tamen hîc cauendum, ne recedatur nimiùm à perfectione Apoſtoli Pauli, ſi præter ſuſtentationem etiam labor iſte acceſſorius vendatur, cùm Apoſtolus labore acceſſorio etiam ſuſtentationem præoccupauerit. Fortè etiam non inutile fuerit, diuerſitatem miniſtrorum conſiderare, vt eis faciliùs huius laboris æſtimatio permittatur, qui ex officio non fuerint obligati; quod etiam indicatur cap. Charitatem, citato. Qui ex officio viſitant, procurationes quidem accipiunt pro ſuſtentatione, præcipuè quando non abundè eis in ordinaria



ria ſuſtentatione prouiſum fuerit: pro labore autem nihil extra ordinem exigere debent, vt patet Clementina Ad noſtrum, De cenſibus.

*An ſit Simonia, accipere pro labore interno actionis ſpiritualis. Argumenta pro ſententia.*

Tertiò quæritur, Vtrùm ſit Simonia, aliquid tamquam pretium accipere pro labore interno functioni ſpirituali?

Videtur non eſſe, quia labor ille aut moleſtia non eſt in ſe ſpiritualis aut ordinis gratiæ: quamuis enim fatigationem habeat ſpiritus, vt ſummum tantùm inde dici poterit ſpiritualis à ſpiritu humano, quod diximus ad Simoniã non ſufficere. Deinde habet fatigationem corporis, quam æſtimari poſſe nemo negauerit. Nec obeſt coniunctio interna cum re ſpirituali: neque enim ea maior eſt, quàm ſit auri cum conſecratione in calice, quod tamen vendi poteſt.

Secundò, Ipſe Chriſtus Dominus ſpirituali operi & prædicationis labori interno, dicit temporalem deberi mercedem, Lucæ 10. Quem locum tractans Gregorius homilia 17. in Euangelia dicit, mercedem de labore prædicationis hîc inchoari, quæ in futuro ſæculo perficiatur veritatis viſione.

Tertiò, Cap. Clerici 1. q. 2. ita habet Arelatenſe Concil. *Clerici qui Eccleſiæ fideliter vigilanterque deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundùm ſeruitij ſui meritum, vel ordinationem Canonum à Sacerdotibus conſequantur.*

Quartò, Dominus dedit Leuitis decimas pro mercede laboris, quo ei ſeruiebant in tabernaculo. *Pretium*, inquit Dominus Leuitis per Moyſem, *eſt pro miniſterio quo ſeruitis in tabernaculo teſtimonij.* Numerorum 18.

Quintò, De miniſtris ſpiritualia ſeminantibus, & temporalia metentibus dicit Apoſtolus 1. Corinth. 9. rectè eos facere, eò quòd nemo militet ſuis ſtipendijs vmquam: atqui pro interno militiæ labore miles accipit ſtipendium; ergo etiam poterit pro ſacro ſuo labore, veri nominis ſtipendia accipere Clericus.

Sextò, Gloſſa in cap. Significatum, De Præbendis, vbi hãc ſententiam tenet, vtitur cap. Quicumque 12. q. 1. ſed non facit ad rem: quia eſt in caſu, vbi Epiſcopus eis aliquid promittit, qui temporalem Eccleſiæ vtilitatem curant, actione non ſpirituali. Subſtituamus ergo ex eadem Gloſſa cap. Cùm ſit, De Simonia, vbi Epiſcopo procuratio conceditur pro conſecratione Eccleſiæ.

Septimò, Eccleſia dat Præbendam propter ſpirituale Officium, cap. vlt. De reſcriptis, in 6.

Poſtremò, Canonici pro diſtributionibus faciunt diuinum Officium, & ſine crimine ſunt. Pauperes conducimus vt Septem Pſalmos recitent. Cantores denique pretio conducuntur.

Propter hæc argumenta quidam admittunt, licere aliquid temporale accipere, pro labore interno fructionis ſpiritualis. Ita præter Gloſſam ſuprà citatam tenet Bonauentura in 4. diſt. 25. art. 1 quæſt. 4. Richardus eadem diſt. art. 3. quæſt. 2. ad 8. Adrianus Quodlibeto 9. quæſt. 1. ad 3. principale, ſub finem.

*Obiect.*

Dices, Etiam antecedentem laborem omnem ſuam æſtimationem accipere à valore eſſentiali actus ſpiritualis.

*Reſp.*

Reſpondeo; Ad æſtimationem antecedentis laboris valor ſpiritualis concurrit ſolùm vt externus finis operantis, generaliter vtilis illi, in cuius gratiam ſuſcipitur, & non adhibetur ex ſpirituali principio, puta ex Officio Eccleſiaſtico: profectio enim non eſt propriè ex Officio Eccleſiaſtico aut poteſtate Ordinis, etiamſi Sacerdos proficiſcatur vt celebret. Ad æſtimationem autem interni laboris concurrit vt propria forma, & vt finis operis, & ipſe labor adhibetur ex principio ſpirituali, puta ex Officio Eccleſiaſtico: quo fit, vt in hoc labore potiùs quàm in externo locum habeat illud Paſchalis Papæ, cap. Si quis obiecerit 1. q. 1. *Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit.* Deinde vt phyſicè diſtincta conſiderari queant labor iſte & actio, moraliter tamen ſecundùm æſtimationem, quæ ſolet eſſe in opera locata ſeu vendita, & in prouentu quem conductor intendit, ſeorſum vendi non poſſunt: ex parte enim eius qui operam locat, labor impenſus, & ex parte conductoris, prouentus acceptus, quaſi in genere laborum ſpectantur. Vt enim non emitur opera quæ nullius ſolet eſſe prouentus, ita non venditur quæ nihil ſolet habere laboris, aut quaſi laboris vel occupationis. Vnde vulgò dicunt, pro labore ſuo ſe illud accipere, quod pro opere accipiunt.

Dico, *quaſi in genere laborum ſpectari*; quia, vt benè monet Durandus, etiamſi quis ſine labore idem opus faceret, non propterea minùs mereretur, ſicut nec minùs meretur, quando ſine prouentu, qui fortè aliunde impeditur, laborat: labor ergo iſte internus, quando venalis eſt, æſtimatur ratione prouentus, qui per ſe natus eſt ſequi quatenus venditur; prouentus autem, quatenus emitur, æſtimatur ratione laboris, qui per ſe natus eſt adhiberi, ita vt hîc vnum ſine altero vendi non contingat.

Secundò, Si venalis eſſet huiuſmodi internus labor, non opus eſſet, quod tamen Patres paſſim faciunt, D. Thomas, & grauiores Scholaſtici, ita inculcare, quidquid Sacerdotes accipiunt temporalis emolumenti, pro ſola ſuſtentatione accipere: imò nihil vlteriùs pro ſuſtentatione deberetur, ſicut operario non debetur alia ſuſtentatio, ſemel ad æqualitatem ſoluta mercede. Neque ſolet in emptione & venditione, & ſimilibus commutationibus vrgeri ſuſtentatio.

*Affirmatiua verior.*

Tertiò, Spirituales actus gratis oportet exercere, ſecundùm illud Chriſti Domini, *Gratis accepiſtis, gratis date*: atqui nemo dicitur gratis exercere opus, qui pro labore qui eſt in opere, mercedem exigit, adeoque operam ſuam locat.

Quartò, Simoniacum eſt, plus accipere quàm Dominus conſtituit accipi poſſe pro re ſpirituali, quando conſtituit, eos qui Euangelio ſeruiunt,

de Euangelio viuere: atqui plus accipit, qui etiam laborem insuper æstimat.

*Respondetur ad argumenta sententiæ negatiuæ.*

Superest responsio ad argumenta. Ad Primum dico, Laborem spiritus, & præcipuè corporis intrinsecus coniunctum operi spirituali, habere quidem naturalem entitatem distinctam ab opere, sed non habere valorem distinctum ab eius valore, quo tamquam merx quædam distincta seorsim distrahi possit. Aliud est de auro in calice consecrato, quod non accipit valorem suum à consecratione.

Dices, Præueniendo spiritualitatis considerationem, tantum laboris pro quopiam assumi, est pretio æstimabile.

Respondeo, Seorsum æstimari non posse, quia labor per se coniunctus est cum opere spirituali, sicut corpus coniungitur animæ. Neque refert, quòd fortè ex accidenti maior sit labor quàm substantia actionis postulet, modò intrinsecus sit coniunctus. Sicut enim qui opus debet pro denario diurno, non auget stipendium, etiamsi per accidens, pura ex infirmitate sua plus laboret, quàm naturâ suâ postulet opus; ita qui gratis præstare debet opus, non auget pretium propter similе accidentale augmentum: si enim fatigatio sequitur ex opere quod sit ex principio spirituali, inæstimabilis est secundùm suam totam latitudinem, sicut ipsum ex quo sequitur opus.

Ad Secundum, Quamuis Dominus Discipulos suos ideò velit edere & bibere quæ apud illos, quibus prædicauerint, reperiuntur, quòd dignus sit operarius mercede sua; non tamen vult mercedis nomine pro prædicatione accipere cibum, sed solùm simpliciter etiam ipsos dignos esse cibo suo colligit: si enim operario debetur merces, Concionatori debetur saltem cibus, ideò apud Matthæum cap. 10. tacito nomine mercedis dicitur, *Dignus est enim operarius cibo suo*, id est necessarijs ad vitam. Quamuis enim non sit propriè merces tamquam iustum operis & adæquatum stipendium, debetur tamen loco mercedis, & non minùs quàm si esset propriè merces. Vnde & merces vocari potest non præcisè pro labore, sed pro opere: quamuis labor etiam poni possit pro ipso opere, & ita locutus sit Gregorius, qui & mercedem modo iam dicto se intellexisse satis declarat, quando subiungit: *Verus ergo quisque prædicator non ideò prædicare debet, vt in hoc tempore mercedem recipiat; sed ideò mercedem recipere, vt prædicare subsistat.* Est ergo merces gratis facto operi debita; quamuis enim gratis fiat prædicatio, non tamen gratis datur prædicatori sustentatio, sed ex iustitia. Imò magis debetur ei sustentatio, quàm si consideretur vt merces, aut pars mercedis: maioris enim meriti est non mercenaria dispensatio; & eo ipso quo quis gratis ministrat, magis debetur ei sustentatio, vt in meliore opere subsistat. Concurrit etiam cum obligatione iustitiæ obligatio gratitudinis. Ex huiusmodi consideratione factum intelligimus, vt aliquando stipendij nomine Canones hîc vtantur. Atq; ita etiam patet responsio ad Tertium.

Ad Quartum respondeo, Pretium ibi idem esse, quod mercedem, quomodo etiam verterunt Septuaginta, & humano modo Dominus est locutus. Accedit, quòd ministerium Leuitarum erat merè corporale, vt excubare, custodire, deferre tabernaculum, vt meritò pretium temporale respondere ei potuerit.

Ad Quintum, Iam diximus, stipendia sustentationis deberi; & non aliud se voluisse declarat Apostolus sequentibus verbis: *Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Quando enim dicit, *viuere*, non vult quæstum facere, quasi de opificio.

Ad Sextum similiter facilè respondetur, Quia procurationes tantùm sunt esculenta & poculenta, pro temporis necessitate ad frugalem victum necessaria, vt disertè explicuit Trident. sess. 24. cap. 3. De reformatione, & annotauit Serola verbo Visitatio, q. 6.

Ad Septimum, Beneficiū datur propter Officium, non quòd propriè eius sit pretiū, sed quòd eiusmodi sustentatio non detur nisi pro officio.

Ad Octauum, Qui facit diuinum Officium propter distributiones, non tamquam pretium, sed tamquam partem sustentationis, non est Simoniacus: quamuis grauiter peccet, si in eo principalem finem spiritualis operis ponat: secùs si vlteriùs sustentationem referat ad magis ac melius Deo seruiendum, vt tradidit Nauarrus De oratione cap. 18. num. 12. aut principaliter intendat Deo seruire vt communiter DD. Fortè etiam ex parte operis distinctio adhibenda erit: dicunt enim quidam, ire ad Ecclesiam, & personaliter ibi persistere, esse pretio æstimabile, non autem diuinum Officium exequi. Non omnino dissimile est (quod D. Thomas indicauit Quodlibeto 8. art. 11.) si dicas non esse Simoniam, quòd Clericus primariò quidem vadat ad Ecclesiam pro diuino honore, secundariò autem pro distributione, tamquam sustentatione sua necessaria, eò quòd sic distributio non sit caussa quare ad Ecclesiam vadat, sed propriè huius determinatio quare nunc vadat, & non alia vice.

Quæres, Vtrùm ille excusetur, qui opus spirituale aut sanè Deo magis gratum quàm Officium quod in Choro præstabit, verbi gratia, audire Confessiones, omittit, vt Chorum quando non tenetur adeundo, lucrum faciat distributionum?

Respondeo, Excusari, modò quod omittit non sit præceptum: neque enim semper tenemur, quod melius est facere. Nauarrus suprà.

Ad alteram partem argumenti respondeo, Nos non emere orationes pauperum, sed vt pro nobis orent, eorum animos allicere, & ipsos nobis facere debitores. D. Thomas hîc, & in quartum.

*Quomodò pro cantu accipi quid possit.*

Ad tertiam argumenti partem respondeo, Si cantus ex munere Clericali, aut Ordine, aut dono spirituali adhibeatur, non licere eius pretium, sed tantùm personæ pacisci sustentationem. Secùs si aliunde ad populi deuotionem excitandam adhibeatur: tunc enim non minùs licet eius pretium pacisci, quàm pulsus campanarum, quo homines ad orationem vocantur & incitantur. Ita ferè Adrianus suprà ad tertium principale; quamuis ex opinione sua addat, etiam priori modo posse locari operam. Toletus tamen suprà cap. 86. cantum Ecclesiasticum ponit cum illis spiritualibus mixtis, in quibus prædominetur temporale, aut quæ plus habeant de temporali, vbi liceat simpliciter vendere quod temporale est, modò non habeatur ratio spiritualitatis.

Inquirendum Quartò, Quomodo liceat aliquid



*Titulo sustentationis pro actu spirituali accipere aliquid licet.*

quid temporale accipere titulo sustentationis pro functione spirituali? Nam licere, iam ex dictis satis constat; & confirmari potest hac ratione: Cui gratis præstari debet aliquod opus, debet nihilominùs suo sumptu instrumenta necessaria curare: verbi gratia, etiamsi populo gratis debeat fieri Sacrum, debet tamen populus suppeditare calicem, ornamenta, & similia, & eorum conservationem suo sumptu curare: debebit ergo ministrum conseruare & sustentare, eique tamquam parti altaris, prouidere de alimento & vestimento tam suo quàm suorum: participat enim cum altari ex diuina ordinatione, vt testatur Apostolus 1. Corinth. 9. Imò Iure quodam naturali, cùm sit quasi instrumentum quoddam animatum, vt egregiè docuit Caietanus in hunc articulum. Qui enim illa solùm petit quæ ad vitam sibi sunt necessaria, solùm petit necessaria ad gratis ministrandum; gratis ergo ministrat qui hæc accipit. Ita omnes DD.

Quædam tamen circa istud obseruanda sunt. Primum, Oportere hanc sustentationem dari & accipi secundùm ordinationem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam, vt monuit D. Thomas. Vtrique enim parti hîc seruanda Lex est aut consuetudo: Clerico non licet excedere, populo non est fas deficere, vt patet suprà citato cap. Ad Apostolicam, De Simonia.

Secundum, Nihil pro sustentatione esse exigendum ab inuitis cum spiritualium substractione: quamuis enim non sit Simonia, vt docet Caietanus, habet tamen speciem Simoniæ.

Tertium, Non esse pacta adhibenda quæ speciem habeant emptionis & venditionis, aut sordidæ locationis aut conductionis. Imò generatim priuata pacta ferè videntur Iure interdicta, vt quæ speciem mali habeant, saltem extra necessitatem, vt patet cap. Tua nos, De Simonia, & cap. finali, De pactis: sed per Superiorem cum populo de sustentatione ministri agendum est, vbi neque consuetudo, neque Ecclesiæ Constitutio constiterit aut suffecerit.

Est nihilominùs fatendum, manendo in Iure naturæ, licere etiam priuatas pactiones de ministerio Ecclesiastico, & sustentatione ministri, vbi Lex & consuetudo nihil de certa quantitate stipendij præscribunt. Imò non existimo, Canones, quando dicunt generatim, pactiones & conuentiones pro spiritualibus obtinendis non licere, huc vsque se extendere, eò quòd moraliter loquendo vix fieri possit, vt vnus se ad ministerium seruet obligatum, alter ad sustentationis stipendium, nisi sibi mutuò id significent: quæ significatio recidet in speciem quamdam pactionis seu conuentionis. Vnde etiam consuetudine receptum est, vt eiusmodi pacta fiant. Itaque ea existimo licere, siue Sacerdos fuerit diues, sine pauper; cadit enim eiusmodi pactio non in permutationem spiritualis pro temporali, sed versatur circa determinationem stipendij, & actuale exercitium functionis spiritualis hîc & nunc faciendum. Stipendium autem vitæ sustentandæ posse accipere post diuisionem bonorum Ecclesiæ, etiam diuitem patrimonio Sacerdotem, ex alibi dictis supponimus. Accedit quòd receptissimum vsu sit, vt Ecclesiæ donet quis certam summam in sustentationem ministrorum, pro anniuersario; quam dum Ecclesia sub eo onere acceptat, indubiè pactum init: imò frequenter talia per modum contractus inter viuos absoluuntur, & nemo in eo scrupulum vllum agnoscit. Videtur quidem D. Thomas hîc quæst. 100. art. 3. ad 2. hanc pactionem damnare Simoniæ; sed illud non potuit, nisi existimans Ius positiuum id vetuisse, quod fortè subsequente consuetudine vel est aliter explicatum, vel in ea parte abrogatum: alioqui Quodlibeto 8. art. 11. satis indicat, Iure naturæ hæc pacta non esse Simoniaca. *Si*, inquit, *habet principalem finem Deum in tali actu, ad huiusmodi autem distributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id quod necessarium est ad suam sustentationem; constat quod non vendat actum spiritualem, & ita Simoniam non committit nec peccat.* Eòdem, si expendatur, referri poterit quod in 4. habet distinct. 25. quæst. 3. art. 2. ad 4. facere pactionem de Missa celebranda, est Simoniacum semper: si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ. Refertur Iudicum cap. 17. Leuitam quemdam fortè dum sustentare sese non posset, eò quòd Israëlitæ ad idololatriam delapsi non soluerent Leuitis decimas (id enim Lyranus existimat) peregrinatum iuisse & quæsitum viuendi conditionem, incidisse autem in idololatram Micham, qui ei dixerit, *Mane apud me, & esto mihi parens, ac sacerdos, daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem, & quæ ad victum sunt necessaria.* Ita contrahi per Sacerdotem posse, secluso quæ in casu Scripturæ peculiarem habent deformitatem existimamus.

Quartò obseruandum est, A gentilibus, quibus primùm annuntiatur Euangelium, non esse initio petendam sustentationem, sed potiùs in illum vsum ab alijs fidelibus. Hoc feciſſe primos Euangelij præcones, indicauit Ioannes in tertia sua Epistola, tales Gaio commendans his verbis: *Quos benefaciens deduces digne Deo: pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergo debemus suscipere eusmodi, vt cooperatores simus veritatis.*

Quintum, Statuit Tridentinum sess. 22. vitandas esse circa Missas cuiusuis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis nouis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleëmosynarum exactiones potiùs quàm postulationes, aliaque huiusmodi, quæ à Simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt. His addunt Decisiones Interpretum exactionem, qua quid exigatur dandum à celebraturo pro facultate celebrandi. Item monent, non licere simplici Sacerdoti, qui non est Parochus loci, sine facultate stare ad Offertorium; consuetudo tamen facilè hîc Superioris facultatem supplebit.

*Obligans se certo loco potest aliquid accipere.*

Quintò inquirendum, Liceatne aliquid accipere Sacerdoti ministranti, ratione obligationis, qua se certo loco obligat?

Respondeo, Secundùm Ecclesiæ consuetudinem aliquousque hoc licere, vt ostendit Caietanus verbo Simonia, reg. 5. Soto suprà, Toletus lib. 5. cap 88. verbi gratia, obligat se quispiam vt Beneficio deseruiat ad certum tempus, potest is

æstimare libertatem suam, & de ea pacisci. Confirmatur ex cap. Significatum, De Præbendis.

Notandum tamen, non debere accipi pretium pro obligatione ad spiritualia vt talia sunt, sed prout includunt per accidens onus temporale: aliàs enim liceret locare operam in spirituali actione, vt benè obseruat Suarez cap. 21.

Postremò hîc quæritur, Vtrùm ad Simoniam pertineat, si quis Iudicem Ecclesiasticum inducat pretio, vt iustitiam in caussa spirituali administret?

Respondet Siluester hoc verbo, q. 9. num. 9. pertinere.

Sed maioris dubitationis est, si Iudex quidem ex potestate Ecclesiastica iudicet, sed in caussa aliàs sæculari?

Quidam putant, etiam tunc esse Simoniam. Fauet cap. Vendentes 1. quæst. 3. Glossa tamen ibidem indicat contrarium, & videtur probabile. Neque enim sufficit quouis modo à potestate spirituali actum proficisci vt Simoniaca sit eius emptio vel venditio; aliàs qui pretio induceret Clericum ad sibi locandum fructus sui Beneficij, etiam esset Simoniacus.

*Quomodo Iudex committat Simoniam.*

Alteri tamen sententiæ fauet D. Thomas suprà citata dist. 25. quæst. 3. art. 2. vbi absolutè dicit, Iudicem Simoniam committere vendendo iustitiam si sit spiritualis Iudex. Idem sequitur Turrecremata in dictum cap. Vendentes, & videtur verius: licet enim sit temporale, est tamen reuerà vsus potestatis spiritualis. Aliud est, quando elocat Clericus fructus sui Beneficij, vtitur enim quasi temporali dominio quod habet in illos, aut in æstimatam spem eorum.

Ad materiam Simoniæ etiam pertinet collatio aut delegatio iurisdictionis Ecclesiasticæ. Item omne exercitium talis iurisdictionis, puta collatio Indulgentiarum, item dispensatio in Lege Ecclesiastica, in iuramento, in voto.

Dices, Cùm hæc Simonia sit contra Ius diuinum, quomodo in eo dispensat Pontifex, quo videnre, Curia Romana pro dispensationibus multa accipit?

Respondeo, Pro ipsa dispensatione nihil posse accipere, sed benè licere Curiæ Romanæ accipere aliquid in sustentationem aut in tributum iustum, vel in commutationem ad pium aliquod opus, vel in pœnam delicti, vel pro Officialium labore in scribendo, &c. vt rectè docet Suarez De Religione tom. 1. lib. 4. cap. 20.

Non dubium etiam est, quin pertineat ad materiam Simoniæ collatio Beneficiorum. Circa quam notandum, Decreto Concilij Tridentin. sess. 24. cap. 14. seriò mandari Episcopis, vt examinent consuetudines recipiendi aliquid in receptione noui Beneficiarij. Vbi nota, non continuò excusari receptionem lucri, eò quòd conuertatur in pium vsum. Sicuti enim pro pupillo Canones vetant exerceri vsuram, ita etiam illicitum est, aliquid tamquam pretium spiritualis functionis accipere, applicandum in pium vsum: deformitas enim manet quæ Simoniæ propria est, sicut in furto & in similibus, etiamsi in pium vsum res acquisita destinetur. Docet id Alexander II. cap. Ex multis 1. q. 3. & Gregorius I. cap. Non est putanda 1. q. 1. vbi rectè monet, propter peccata eleemosynas esse faciendas; non esse autem peccata committenda, vt eleemosynæ fiant. Quando tamen est Simonia ex præsumptione, aut quando agitur de euadenda suspicione Simoniæ, aut sordidæ auaritiæ, meritò vult Tridentinum Concilium haberi rationem, vtrùm expendatur, quod accipitur in pium vsum. Erit etiam considerandum, vtrùm pro illo opere quod exigunt, ipsi exigentes non subleuentur, eò quòd fortè ipsi suis sumptibus id procurare debuissent. Item etiam eo supposito, vtrùm ipsi exigentes ex suis Beneficijs sufficienter dotatis commodè ea onera explere potuissent, vtrùm aliqua consuetudo sit interpretatio Superioris eis suffragetur, ánne dubia vel certa sit impotentia, & similia.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm sit Simonia, dare aliquid pro ingressu Religionis?*

RESPONDEO cum D. Thoma hîc art. 3. ad 4. Pro ipso ingressu Religionis non licere aliquid exigere vel accipere tamquam pretium. Eadem est ratio offerentis vel dantis; hoc enim Iure naturali diuino, & positiuo Ecclesiastico vetitum est: naturali quidem, quia receptio aut ingressus iste indubiè est actio sacra & spiritualis, & ipse status Religiosus omnino spiritualis est, propter Religionis virtutem, Dei cultum, & vota tria substantialia, vbi non semel Dei donum interuenit. Ecclesiastico autem cap. Quàm pio 1. q. 2. vbi Bonifacius Papa generatim pro omni Ecclesiastica susceptione munus interdicit. Certum autem est, Ecclesiasticorum nomine censeri Religiosos, vt patet ex dictis in materia De vectigalibus suprà. Accedit quòd occasione Monachorum, qui vtrùm pro Abbate ex alio Monasterio habendo munus dare possent interrogauerant, ita generatim rescripserit Pontifex dicto cap. Quàm pio. Verùm apertiùs & particulariùs idē statuitur de Religiosis cap. Nullus Abbas, eadem q. ex Vrbano Papa, & cap. Non satis, cap. Veniens, cap. Quoniam, De Simonia: sed luculentissimè idem postea præstitum est per Extrauag. Sanè in communibus, eod. vbi prohibet Pontifex sub pœna excommunicationis papalis, ne à volentibus ingredi Religionem, directè vel indirectè petantur vel exigantur, ante vel post, vel etiam in ipso ingressu pastus, prandia, cœnæ, iocalia, aut res aliæ, etiam ad vsum Ecclesiasticum, seu quemuis pium vsum deputata, vel deputanda: sed illa sola recipiantur, quæ ingredientes purè, & sponte, & plena liberalitate, omniquè pactione cessante, dare vel offerre voluerint. Vnde iam habemus, non prohiberi Monasteria à conuersis illa acceptare, quæ liberaliter obtulerint. Eoque modo ferè cessabunt obiecta quæ mouit Gratianus initio dictæ q. 2. caussa 1. ab exemplo Annæ, quæ Samuelem secum adduxit ad domum Domini in Silo, in tribus vitulis & in tribus modiis farinæ, & amphora vini, 1. Reg. 1. & fidelium, qui venditis suis prædijs, eorum pretia ponebant ante pedes Apostolorum. Hæc enim non exacta, sed sponte oblata sunt: neque enim punitus Ananias quòd non obtulerit integrum agri pretium, sed quòd mentitus fuerit Spiritui sancto.

*Pro ipso ingressu non licet.*

*Sponte datas tibras aliquid recipiunt.*

Quæstionem non exiguam habet, Anne liceat pro sustentatione Monasterij vel Religiosi aliquid exigere, præcipuè quando Monasteriū indiget. Tractat hoc D. Thomas in 4. dist. 25. & attingit hîc art. 3. ad 4. Turrecremata ad initium dictæ q. 2. caussa 1. Victoria 2. parte, Relect. De Simonia, n. 12. Nauarrus De reditibus Ecclesiasticis, in fine q. 1. Toletus suprà cap. 89. Siluester verbo Simonia, q. 15. Armilla eodem, n. 50. Rosella eodem 5. cuius opinio est, numquam licere inire pactum de soluendo aliquo pretio pro sustentatione conuersi, etiamsi Monasterium sit pauper. Eamdem videtur tenere Panormitanus in cap. Non satis, De Simonia. Quamuis enim permittat, quando Monasterium indiget, vt via protestationis & insinuationis dicatur volenti intrare, vt secum adferat quo possit viuere; non tamen permittit, vt hoc ipsum ducatur in pactum. Cuius etiam sententiæ est Glossa in dictū cap. Quoniam, Ex quo cap. pro hac eadem opinione argumentum sumi potest: damnantur enim Simoniæ Moniales, quæ paupertatis prætextu ab illis quas in sorores recipiebant pretium exigebant.

*An liceat pro sustentatione aliquid accipere.*

*Prima opinio, non licere.*

*Pro ea argumenta.*

Secundum argumentum est ex cap. Tua, eod. vbi Clericus dicitur Simoniam committere, si ea conditione det bona sua Ecclesiæ, vt illa postmodum pro Præbenda retineat, & in Canonicum admittatur: & pro ratione additur, quòd in talibus omnis pactio cessare debeat iuxta Canonicas sanctiones.

Tertium ex Vrbani V. Extrau. quæ incipit, Sanè, suprà citata, vbi rursum prohibetur omnis pactio, & solùm liberale donum sponte oblatum permittitur in Religionis ingressu.

Quartum ex cap. Periculoso, De statu Regularium, in 6. vbi irrita decernitur admissio vltra numerum qui ex Monasterij bonis ali potest.

Quintum ex ratione. Eo ipso enim quo quis recipitur in Religiosum, iam habet æquè ius ad viuendum ex bonis Monasterij ac ipsi qui eum ad Religionem recipiunt; ergo meritò præsumentur vendere ipsum ingressum Religionis: quia, vt in simili suprà diximus, nemo censetur emere quod suum est.

Pro hac opinione etiam est Supplementum citatum apud Siluestrum, & Dionysius Carthusianus lib. 1. & 2. De Simonia, qui latè & acriter hac de re scripsit.

*Verius, licere.*

Aliorum tamen verior opinio est, Quādo Monasterium indiget, licere pacisci de certa pecunia pro sustentatione noui Religiosi. Ita apertè tenet D. Thomas, Siluester, Toletus, Nauarrus, Armilla, Victoria, Turrecremata suprà citati, Paludanus dicta dist. 25. quæst. 5. & alij communiter; estque ratio manifesta: nihil enim venditur hîc spirituale aut spirituali annexum, sed solùm est pactio indemnitatis, in gratuita concessione rei spiritualis: dant enim spirituale quod habent gratis, & quod in casu illo paupertatis seorsum dare nulla Lege, saltem vigorem habente, prohibentur: dant inquam, sed ea lege, ne teneantur ad temporale quod non habent. Sanè, vt rectè aduertit Caietanus, quem sequitur Suarez, standō in Iure naturæ, non est illicitum, deducere in pactum, quod licitum est ita petere, vt nisi detur, opus non fiat. Confirmatur; Refert D. Hieronymus cap. Numquam, De consecrat. dist. 5. Ægyptiorum Monasteria hunc morem tenuisse, vt nullum absque operis labore susciperent: & quamuis hoc feciſſe ipsos dicat non tam propter victus necessitatem quàm propter animæ salutem, ne in periculoso otio viuerent; erat tamen stipulatio de temporali, & simul etiam intendebant, vt inde viuerent; neque apparet quomodo hoc etiam in pactum deducere nequiuerint. Saltem exemplo illorum licebit Monasterio egenti pacisci de pretio, quo se Religiosus sustenter, ne vagari cogatur cum animæ suæ detrimento, quod potissimùm in Monialibus locum habet: eoque pertinet Constitutio Bonifacij VIII. cap. Periculoso, citato, vetans in Monasterijs Ordinum nō mendicantiū plures recipi quàm possint sustentari de ipsorum Monasteriorum bonis siue prouentibus absque penuria. Idem statuit Tridentinum sess. 25. De reformat. Regularium c. 3. extendens illud etiam ad Monasteria Ordinum mendicantium, quæ bona immobilia non possident, vt nimirum plures in illis non recipiantur, quàm ex consuetis eleemosynis commodè possint sustentari. Vbi & alia continebitur extensio, si credimus Glossæ in dictum cap. Periculoso, ad verbum Absque penuria, quòd cap. Quàm pio, solùm prohibeantur plures recipi quàm absque penuria possint sustentari; Tridentino autem Decreto vetentur plures admitti quàm qui commodè possint sustentari: commodè enim plus est quàm absque penuria. Itaque vbi plures ex reditibus Monasterij commodè ali non possunt, interdum licere Monialibus ab ea quam in sororem recipiunt, accipere eius sustentationem, ad dictum cap. Tridentini indicauit Congregatio Interpretum. Non vult tamen dotis nomine illud appellari, sed potiùs dici quòd accipiatur pro alimentis ingressiæ. Monet etiam, non debere certam quantitatem generatim statui, sed prout qualitas personarum & temporum postulabit.

Vtrùm verò in Monasterijs Monialium, in quibus iuxta Decretum Concilij Episcopus certum numerum constituit, liceat Abbatissæ loco Monialium deficientium alias recipere, pacta certa eleëmosyna pro earum sustentatione, resoluere dicti Interpretes noluerunt; sed dixerunt ad Pontificem esse referendum, eò quòd consuetudo hîc sit contra id quod Iura disponunt.

Nauarrus suprà fatetur quidem expedire vt abstineatur à tali pacto, & ne plures assumantur quàm sine penuria aut commodè ali possint, eò quòd alioqui contingat ineptas quæ dotem habent intrudi, & idoneas quæ non habent excludi. Secundò, Quia difficile sit eiusmodi pacta à Simonia excusare. Adde exprobrationes, quas ditiores facere solent illatæ dotis. Subiungit tamen Nauarrus, posse excusari; quamuis oppositum esset consultius: licere enim Præfectæ aliquam ad Religionem aspiranrem aliàs idoneam sufficienter dotatam admittere, etiam vbi expletus est numerus earum, quæ ali possunt ex reditibus Monasterij, modò caueatur, ne quid pro suffragijs suis Moniales accipiant, & ne quid accipiatur ex pacto quod non sit necessarium sustentationi eius quæ ingreditur.

*Resp. ad 1. argumentum Sententiæ negatiuæ.*

Ad argumentum primum in oppositum respōdeo, Cap. illud Quoniā, loqui in casu vbi prætextu paupertatis Moniales ipsum ingressum Religionis vendebant. Indicat ibi Glossa. Vel sanè, vt est probabilius, prætextus paupertatis verus non erat, sed prætextus tantùm, vt exponit Turrecremata suprà. Quando enim verè Monaste-

rium nō indiget, ſed ſufficit alendo Religioſo qui aſſumitur, illicitum eſt ſecundùm omnes pacifci aliquid pro eius ſuſtentatione: imò eſt Simonia ſaltem præſumpta, aut Iuris humani, vt rectè docuerunt Siluester & Toletus. Imò verius exiſtimo, fore Simoniam quodammodò ex natura rei, ſicuti eſt in Beneficijs: idem enim eſt, ac ſi collator Beneficij dicat, ſe Beneficium, adeoque ius recipiendi fructus gratis dare, ſed pro fructibus aliquid exigere: admiſſus enim ad Monaſterium non ſecùs habet ius ad alimenta ex bonis communibus Monaſterij, quàm habeat Beneficiarius ad ſui Beneficij fructus. Itaque vtrobique æquè eſt & Simonia & iniuſtitia, ſeu Simonia iniuſta, vel iniuſtitia Simoniaca.

*Ad 2.* Ad Secundum reſpondeo, Cap. Tua, decerni eſſe Simoniacum, ſi quis ea lege admittatur ad Canonicatum, vt ex bonis ſuis fundet Præbendam; hoc enim eſt apertè vendere ſpirituale pro temporali: nam vt rectè Hugo Victorinus lib. 2. De Sacramentis, parte 10. cap. 4. *Si Canonicatum non emit, qui ſit vt eum non habeat niſi dato pretio? Si enim dicat gratis ſe eum accepiſſe, idem eſt ac ſi diceret, ouem quidem ſe emiſſe, lanam autem non emiſſe, ſed gratis accepiſſe.* Indicat autem quòd legitimè poſſit quis pacifci de alimento ſuo ad æqualitatem alicuius Præbendæ, & relinquere donatione vel teſtamento bona ſua Eccleſiæ. Secundò ex Turrecremata reſpondeo, Poſſe Decretalem accipi de loco in quo Eccleſia eſt benè dotata.

*Ad 3.* Ad Tertium fatetur Nauarrus, valdè vrgere illam Extrauagantem pro opinione contraria. Sed reſpondeo, Gloſſam ibidem citare Felinum, qui dicat ſe audiuiſſe à fide dignis, Vrbanum non intendiſſe comprehendere Moniales pauperes, quæ conſueuerunt aliquid vigore conſuetudinis recipere pro ſuſtentatione ſororis admittendæ. Et ſanè cùm non fiat mentio paupertatis aut ſuſtentationis, ſatis obuium eſt, intelligere Conſtitutionē Pontificiam extra noſtrum caſum.

*Ad 4.* Ad Quartum reſpondet Nauarrus, Indicio eſſe quòd cap. Periculoſo, non faciat contra nos, quia illud viderit D. Thomas, qui pro nobis nihilominùs ſenſit. Sed videtur Nauarrus hìc lapſus in chronologia: viginti enim annis iam mortuus erat D. Thomas, quando Pontifex creatus eſt Bonifacius VIII. cuius eſt illud cap. Erat tamen ante tempora D. Thomæ idem cautum in Concilio Arelatenſi Quarto, tempore Caroli Magni, quod refertur cap. De inſtitutionibus. Intelligenda ergo ſunt huiuſmodi Iura tam antiqua quàm noua, adeoq; etiam Tridentinum, vt ſolùm prohibeant, ne recipiantur ab egenis Monaſterijs Moniales nouæ, cum detrimento Monaſterij, vel periculoſa occaſione vagandi, non autem ne recipiantur, quæ & indemnitati tenuis Monaſterij, & ſpirituali ſuæ ſecuritati caueant promiſſa ſufficienti ſuſtentatione ſuæ perſonæ.

*Ad vlt.* Ad Poſtremum reſpondeo, Vbi Canonicatus diuiſi ſunt, non eſt eadem ratio quæ in Monaſterijs, vbi communis eſt vita. Quamuis ergo ibi non poſſit ſeorſim dari Canonicatus, & vendi Præbenda; hìc tamen poteſt ſeorſim gratis concedi ingreſſus Religionis, & pactum fieri de ſuſtentatione ſua, ne quæ ingreditur grauet alias, quæ ſolæ ex prouentibus ali poſſunt.

Verùm quia diximus, eiuſmodi pactiones non licere, quando Monaſterium pluribus alendis ſufficit, quæritur Primò, Vtrùm poſſit Præfectus pacifci de ſuſtentatione ingredientis, ſi ſumptibus illis indigeat ad neceſſaria ædificia?

Reſpondeo, Poſſe, quia commoda habitatio etiam pertinet ad commodam ſuſtentationem. Ita Lælius 2. parte De Simonia, num. 27. Quamuis non placeat quod indicat idem, licere, eò quòd fortè hæc quæ nunc admittitur dines ſit, & commoditas ſine onere ſuſtentationis admittendi ſeruanda videatur pauperioribus, vt etiam eiuſmodi exactionem non admiſerim, intuitu ædificij non neceſſarij. Neque poſſet accipi à diuite Monaſterio ex pacto aliquid, eo ſolo titulo, quòd ingrediens ſit corpore debilis, qui minùs ſit luciaturus, & plus abſumpturus; quamuis pauper Monaſterium hoc reſpectu pluris æſtimare poſſit ſuſtentationem, quando eam exigit, vt benè tradidit Arragon hìc art. 3.

Quæritur Secundò, Quid ſentiendum, quando in diuite Monaſterio exigitur aliquid tamquam debitum, pro epulo aut recreatione Conuentus, aut quando hoc ipſum Statuto expreſſum eſt, vel implicitè continetur, puta ſi dicatur, circa talia ſeruandam eſſe conſuetudinem? *Pro epulo tamquam debitum exigere non licet.*

Reſpondeo, Hæc & ſimilia Iure Canonico eſſe interdicta, vt ſatis patet ex Canonibus ſuprà citatis. Conſulendus Turrecremata ſuprà, Lælius num. 21. Non eſt tamen Simonia, ſi promittatur alicui admiſſio, modò diſcat priùs talem artem vel ſcientiam: eſt enim tantùm monitio, vt ſi velit admitti, reddat ſe priùs idoneum. Recipit illud Siluester, & contra quoſdam extendit etiam ad caſum, quo ſic promittens Prælatus reſpiceret ad temporale lucrum, quod habiturum ſit Monaſterium ex hac arte vel ſcientia.

Quæres, Vtrùm vice verſa poſſit Abbas aliquem in ſtudijs alere, ea lege, vt abſoluto ſtudio, Monaſterium ſuum ingrediatur?

Reſpondeo, Iureconſulti quidam citati apud Adrianum Quodl. 9. ad 3. principale, dixerunt, licere quidem pecuniam dare vt allicias ad actum ſpiritualem neceſſarium ad ſalutem, verbi gratia, ad profitendam fidem Chriſtianam, & ſuſcipiendum Baptiſma; ſed non vt allicias ad actum ſupererogationis ſpiritualem, qualis eſt ingreſſus Religionis.

Alios citat idem Adrianus, qui abſolutè dicant, licere cuique ſuppeditare pecuniam volenti ingredi Religionem, vt ex ea viuat in ſtudijs, quibus ſe ad Religionem diſponat, & impedimentum remoueat. Et hoc quidem illis terminis aſſertum videtur verum, ſed non exiſtimo ad Religionem (tum quia ſpiritualis eſt, & omninò liberè ſuſcipi debet) ſub eiuſmodi conditione, ex pacto licitè quempiam poſſe obligari. Poſſet tamen obligari, vt niſi Monaſterium ingrediatur, ſumptus refundat. Prior pars eſt communis, D. Thomæ hìc art. 3. & infrà quæſt. 189. art. 9. & Quodlibeto 4. art. 23. ad 17. Azorij 1. parte, lib. 12. cap. 1. q. 2. & Probatur ex cap. Quàm pio 1. q. 2. Poſterior autem pars Probatur, Quia virtute tales ineunt quaſi duo pacta ſub conditione: in vno eſt liberalis donatio, ſi alter ingrediatur Religionem; in altero eſt mutuatio, ſi non ingrediatur. In his autem nihil apparet illiciti.

Quod verò attinet neceſſaria ad ſalutem, vel ab



*Licet aliquid dare vt allicias ad conuerſionem.* ab ea excludentia, omnino tenendum eſt cum dictis illis Doctoribus, licere dare pecuniam vt quis Baptiſmum ſuſcipere velit, vel vt à fornicatione abſtineat: quomodo vt deſineret fornicari Oſeas cap. 3. meretrici dedit pecuniam, interprete D. Hieronymo: vbi enim noſter Interpres habet, *Et fodi eam mihi quindecim argenteis*, Septuaginta legunt, *Et conduxi eam mihi quindecim argenteis.* In quem locum ita ſcribit D. Hieronymus: *Quando dicit, Fodi, oſtendit vineam quæ à Domino plantata eſt, & in multis locis ponitur Scripturarum, ſignificans populum Iudæorum: ſin autem legerimus, Conduxi, adulteræ pretium eſt, non vt cum Propheta dormiat, ſed vt contenta mercede ſua adulterare deſiſtat, ne paſſim ceteris copuletur.* Ita quidem D. Hieronymus.

Quia tamen ſatis id controuerſum eſt, paulò accuratiùs hìc eſt examinandum, ſitne Simoniacum aut illicitum, dare alicui pecuniam, ea lege vt faciat actum aliquem certum virtutis, in quo actu conſideretur ſola ſpiritualis ſalus, aut vtilitas ipſius operantis?

Et quidem ſatis extra controuerſiam hunc fore video caſum D. Hieronymi: nemo enim dubitauerit, quin optimè fecerit quiſquam, ſi exemplo Oſeæ meretrici penſionem det vnde viuat caſtè, & à turpitudine abſtineat: quinimò non dubito quin liceat ſic cum quouis pacifci, vt potiùs ei pecunia detur, quàm peccare in genere moris, in quo ſola ſalus operantis ſpectetur, pergat, quando aliud non concurrit. Videtur etiam ſatis certum, abſque pactione reciprocè obligante licere promittere alicui centum, in euentum quo ipſe baptizetur, vel in virginitate vitam tranſigat, vt hactenus nulla ſit diſtinctio operis præcepti & conſulti tantùm.

Sed difficultas eſt, vtrùm liceat vltrò citroque pacifci, vt vnus ſe obliget ad dandum centum, alter verò ad Baptiſmum, vel ad vouendam virginitatem, vt in conductione & locatione fieri ſolet?

*Quomodo liceat dare alicui pecuniam vt faciat actū aliquem virtutis.* Vbi rurſus ſatis certum arbitror, quando ex opere virtutis aliquid accedit ipſi contrahenti qui pecuniam promittit, ita vt cenſeatur ipſe aliquid accipere ſpirituale, non licere ita pacifci; verbi gratia, non licere pacifci cum Monaſterio paupere, vt Prælatum ſuum donet Monaſterio diuiti, quod in compenſationem huius numeret certam pecuniæ ſummam: qui caſus fuit capituli Quàm pio 1. q. 2. hac enim ratione videtur Simonia admitti, vt meritò Pontifex Bonifacius id fieri non licere reſponderit. Addiderim & illud, non videri licitum, ita ſtrictè quempiam obligare ad ingreſſum Religionis ſuppeditata pecunia, vt præiudicetur libertati quam conuenit eſſe in tali ſtatu capeſſendo. Neque videtur etiam magnam habere dubietatem, quin inordinatè is faciat, qui principaliter propter lucrum mundanum Religionem aut aliam virtutem colit; ſicuti tamen ſuprà diximus, non fore Simoniacum qui Horas frequentauerit principaliter propter diſtributiones, ſi eas non accipiat tamquam pretium; ita neque hìc Simoniæ labem agnoſco, niſi appretiatio interueniat. Itaque illicitum aliquid interueniet, ſi principaliter ob lucrum temporale quis Chriſtianus fiat, aut Catholicus: eſt enim peruerſio finium, cùm temporalia nobis potiùs concedantur vt ijs tamquam medijs vtamur ad æterna bona comparanda: nondum tamen erit id Simoniacum, ſi abſit pretij pactio. Quia verò dum in rigidum pactum deducitur, vt quis Chriſtianus fiat, & tu ei pecuniam conſignes, ſpecies facti exterior præ ſe ferat, quòd vel pretium ei ſoluas, vel ſaltem quòd ipſe principaliter ob pecuniam Chriſtianus fiat; ideò rectè dicit Pontifex dicto cap. Quàm pio, *Nuſquam legimus Domini Diſcipulos vel eorum miniſterio conuerſos quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interuentu prouocaſſe.* Ideò namque id Diſcipuli Chriſti non fecerunt, quia obnoxium reprehenſioni ob dictam cauſſam fuiſſet. Quare etiam meritò D. Thomas infrà q. 189 art. 9. iudicat illicitum, ſi quis pro muneribus datis pacifcatur, vt alter Religionem ingrediatur. Eodemque modo licebit ſaluare ſententiam communem, quæ non tantùm de ingreſſu Religionis, ſed de Baptiſmo ſuſcipiendo & ſimilibus actibus virtutum ſimiliter iudicat.

Exiſtimo nihilominùs, ſi ita pacifcaris cum hæretico, vt ei penſionem ſis præbiturus, modò ſe Catholicis iungat, vt quidem vtrimque ſtricta cenſeatur oriri obligatio, ſed neque ille neque tu intendas principaliter, aut tamquam ob pretium conuerſionem illam futuram, ſed ſolùm vt medium habeat viuendi, vel vt amoueatur impedimentum conuerſionis, quod fortè erat in difficultate victus, vel ob aliquem ſimilem licitum finem; non fore id Simoniacum, neque illicitum. Sanè non fore Simoniacum, ex dictis Dubio 2. conuincetur: nulla enim Simoniæ deformitatum, quas ibidem ex D. Thoma propoſuimus, hìc locum habet. Vna erat, Quòd vilipendatur res ſacra, quando æſtimatur temporali pretio; quæ locum non habet: hìc enim ratione pretij amouemus. Altera, Quòd vſurpetur quaſi eſſet in dominio venditoris. At nihil hìc tale eſt: qui enim pretium accipit, non vendit rem ſacram alteri, cùm potiùs ſibi eam acquirat: quinimò vtiliter domini rem gerit, qui pretium hìc numerat, quia non hìc agit vt ipſe Spiritum ſanctum vel donum Dei cum Simone pecuniâ poſſideat, ſed potiùs vt dominus, & ipſe Pater luminum hunc ſeruum ſibi mancipet. Tertia deformitas in eo ſita, Quòd gratis acceptum à Deo non gratis detur, etiam hìc locum non habet. Qui enim pecuniam accipit, nihil hìc dat numeranti in præiudicium Dei, ſed potiùs ſe Deo dat, inuitatus eius liberalitate. Itaque quando alia non occurrit deformitas, rectè hoc dicunt licere Leſſius lib. 2. De iuſtitia, cap. 35. Dubitatione 12. Sanchius lib. 1. De ſponſalibus, diſp. 39. qui plures alios citat, & multis id rationibus confirmat. Molina de Iuſtitia, tract. 2. diſp. 93. conc. 4.

## DVBIVM VIII.

### *Vtrùm pro doctrina Theologica liceat temporalis pretij ſtipendia pacifci?*

DIXIMVS ſuprà, in ſcientijs & artibus humanis, pro mercede docentis, non eſſe periculum Simoniæ. Peculiaris difficultas eſt de ſcientia Theologica. Sentiunt enim quidam, eſſe Simoniam, hanc pretio docere, non minùs, quàm exacto pretio concionari. Ita tenent Palude in 4. diſt. 25. quæſt. 5. ſequitur Siluester q. 10. hoc verbo, quando ex officio Magiſterij docetur. *1. Opinio.*

Hostiensis in cap. Quia nonnullis, De Magistris.

2. Secunda opinio dicit, Non esse quidem Simoniacum, docere pretio Theologiam scholasticam, vbi multa ex humanis scientijs miscentur: purè tamen docere Theologiam sine eiusmodi admixtis pro mercede pretij temporalis, esse Simoniacum. Ita Arragon hîc, art. 1.

3. Tertia opinio simpliciter docet, Citra Simoniam posse exigi pretium pro doctrina Theologica, sicut pro alijs doctrinis. Ita sentit Victoria Relect. De Simonia, 1. parte, n. 6. Valentia disp. 6. quæst. 16. puncto 2. Sotus lib. 9. quæst. 6. art. 2. Adrianus suprà Respon. ad 8. Durandus in 4. dist 25. quæst. 3. & alij.

Pro resolutione notandum, in eo omnes conuenire, quòd liceat pacisci pro sustentatione docentis, aut pro labore antecedente vel consequente.

Sed quæstio est, Vtrùm liceat de pretio pacisci pro labore interno? Rursum non quæritur, Vtrùm pro concione explicare sacram Scripturam, liceat pacto pretio, aut Theologicum quid docere, pro consilio spirituali ad dirigendam conscientiam: faciè enim in his conueniunt DD. eiusmodi pacta esse Simoniaca. Quæritur ergo de labore interno docentis Theologiam, siue explicantis Scripturam, prout in scholis doceri solet, vt faciat immediatè & per se ad similem scientiam in auditoris intellectu comparandam; non autem ad spirituale aliquod donum supernaturale Spiritus sancti, aut ad suscitandum in affectu peculiarem Spiritus sancti motionem: quæritur inquam, vtrùm illum liceat temporali pretio æstimare?

*Reijcitur prima opinio.* Respondeo & DICO PRIMO. Prima opinio quæ absolutè doctrinam Theologicam & scholasticam comparat sacræ concioni, non videtur vera; sicuti enim studium Theologicum est præparatorius quidam labor ad concionandum, ita & doctrina Theologica comparari debet non cùm interno labore sacræ concionis, sed cum labore antecedente. Confirmatur per dictum cap. Quia nonnullis. De Magistris, vbi Innocentius in Concilio III. Lateranensi statuit Theologo Professori stipendium prouentus vnius Præbendæ, etiamsi per hoc non fiat Canonicus. Vnde videtur operam suam non minùs locare posse, quàm aliarum scientiarum Professores. Vtitur hoc argumento Adrianus. Verum quidem est, habitum Theologicæ scientiæ supponere fidem, & dependere ab articulis fidei, tamquam à principijs, sed ideò acquisitus non est, aut supernaturaliter infusus est, sicuti fides. Et vt ipse habitus scientiæ Theologicæ propter dependentiam suam à fide esset rebus spiritualibus annumerandus, non tamen propterea ex genere suo Theologiæ doctrina esset annumeranda functionibus spiritualibus, quas locare sit Simoniacum, cùm in eiusmodi munere multùm præualeat quod spirituale tantùm est à spiritu humano, & quod humani laboris est & industriæ: neque enim supernaturaliter Theologia discitur aut docetur, quamuis principia eius supernaturalia sint.

*Reijcitur secunda opinio.* DICO SECVNDO. Distinctio quam adhibet secunda opinio non videtur necessaria: siue enim Scholastica doceatur Theologia, siue positiua, non propriè exercetur functio aliqua spiritualis à spiritu diuino, vt Theologi hîc loquuntur, sed humano, estque etiam scientia interpretis sacræ Scripturæ acquisita, ideoque licebit pro doctrina Theologica, & interpretatione Scripturæ, quæ in scholis fit, temporalis pretij stipendia pacisci. Est hæc sententia hodie communis.

Dices, Eodem spiritu interpretandæ sunt Scripturæ, quo scriptæ, secundùm illud Iob 32. *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Quam sententiam Eliu veram esse ibi docet Gregorius. *Obiect.*

Secundò, Interpretatio sermonum est inter dona Spiritus sancti. 1. Cor. 12. 2.

Tertiò, Apud Michæam cap. 3. in reprehensionem dicitur: *Sacerdotes eius mercede docebant.* 3.

Quartò, Pro facultate docendi Theologiam nihil licet exigere, vt patet cap. Quoniam, cap. Prohibeas, cap. Quanto, De Magistris. 4.

Quintò, Licet dare Præbendam pro onere docendi Theologiam, cap. Quia nonnullis, eodem: non licet autem dare Præbendam pro eo quod est pretio æstimabile; ergo Theologica doctrina est inæstimabilis. 5.

Sextò, Officium docendi Theologiam, sacrum est; ergo saltem qui ex officio docet, citra Simoniam non locabit operam, vt Siluester voluit. 6.

Septimò, Doctrina Theologiæ supernaturalis est ex parte principij, quia procedit ex fide, & ex parte termini, quia tendit ad generandum in animo discipuli scientiam eiusdem rationis qualis est in Magistro, vbi ex parte saltem principij est supernaturalis. 7.

Octauò, Doctores sunt inter ministros Ecclesiasticos, vt patet 1. Cor. 12. 8.

Ad Primum respondetur; Quamuis Spiritu Dei Scripturæ sint interpretandæ, nihilominùs eorum qui Scripturas dignè interpretati sunt, iectione, & Scripturarum collatione, comparari interpretandi scientiam, adeoque eam hactenus inter scientias acquisitas meritò censeri, quas docturus operam locare possit, non tantùm pacisci de sustentatione. *Resp. ad 1*

Ad Secundum, Ex eiusmodi dono Spiritus sancti docere aut interpretari pretio, non licere. Sed de hoc non agi in assertione nostra, manifestum est. *Ad 2.*

Ad Tertium, Sacerdotes illi habebant stipendium, ratione cuius tenebantur docere; damnabilis ergo auaritiæ fuit in mercede insuper à singulis exacta docere, vt benè obseruat in eum locum eruditus quidam ex recentioribus. Accedit quòd non rectè docebāt, sed in fauorem plus offerentis doctrinam venalem corrumpebant, vt vult ibi Ribera. Denique quod D. Hieronymus notat, Simoniaci erant, quia gratiam & responsa Dei mercede vendebant. *Ad 3.*

Ad Quartum, Licentia docendi vendi non potest, Primò, Quia hoc est Ecclesiasticum profectum impedire, vt dicitur dicto cap. Quoniam. Secundò, Quia hoc est non gratis dare quod gratis acceptum est, quod in eo locum habet, qui ex potestate Ecclesiastica tribuit eiusmodi facultatem. Indicatur dicto cap. Prohibeas. Tertiò, Impediuntur hac ratione idonei, & contingit admitti minùs idoneos. Indicat dictum cap. Quanto. Denique huc faciunt eædem rationes, ob quas diximus etiam officia sæcularia & Magistratus non *Ad 4.*



non debere esse venalia. Sanè ex his nihil contra nos concludi, est manifestum, cùm certum sit, scientias humanas pacto pretio posse doceri, quas tamen docendi licentiam perinde vendi Canones vetent.

Si quæras, An sit Simonia, vendere licentiam docendi Theologiam?

Respondeo, Si ea facultas detur ex iurisdictione spirituali, fore Simoniam Iuris diuini, aliàs non fore.

*Ad 5.* Ad Quintum, Collator non potest sua auctoritate dare Præbendam, cum illo onere vt quis doceat Theologiam, vt docet Glossa in cap. Quia nonnullis: neque contrarium dicit textus, qui tantùm vult fructus vnius Præbendæ applicari ei qui docturus sit Grammaticam, aut Theologiam; ita tamen, vt propterea non fiat Canonicus. Præbendæ tamè vacanti potest imponi onus docendi non tantùm Theologiam, sed etiá Grammaticam, saltem accedente auctoritate Pontificia, vt docet ibi Glossa, & in cap. Significatum, De Præbendis, vbi indicat generatim hoc licere, quando conditio licita est & honesta, pro diuino cultu apposita: talis autem est vel maximè Theologiæ doctrina, etiamsi secundùm internum laborem pretio sit æstimabilis.

Illud autem aduertendum, quamuis, quando Præbendæ vacantis fructus dantur Professori, habeant rationem stipendij, non tamen similiter habere rationem stipendij professionis Præbendam, cui annexum est onus professionis: neque qui cum tali onere Præbendam accipit, operam locat, sed res ad ipsum transit cum suo onere; onus enim longè latiùs patet, quàm opera locata.

*Ad 6.* Ad Sextum respondeo ad Antecedens, Eiusmodi munus esse sacrum, quia ipsa scientia Theologica sacra est: sed sicuti ipsa non est donum supernaturale, nec causa eius, nec effectus, vt requirit materia Simoniæ; ita neque officium docendi Theologiam. Itaq; potestas docendi Theologiam non est eo gradu sacra, quo potestas Ecclesiasticæ iurisdictionis, quæ verè spiritualis est potestas, descendens à Spiritu sancto Ecclesiam regente: potestas autem docendi Theologiam non est pars hierarchicę potestatis, sed solùm aliqualis participatio, quando communicatur ex potestate iurisdictionis Ecclesiasticæ.

*Ad 7.* Ad Septimum respondeo, Theologiam docere, non esse supernaturale ex parte principij, quia non est actus Fidei, etiamsi principia Theologicæ scientiæ sint de Fide; sed supposito assensu Fidei, naturali discursu in Theologia eliciuntur conclusiones: vnde etiam hæreticus in vno articulo, potest in aliis adhuc docere Theologiam, & quod in hac re peculiare, ingenerare auditori Catholico scientiam Theologicam, quam ipse non habet. Non est etiam doctrina Theologica ex parte termini supernaturalis, quia licet scientia Theologiæ habeat principia supernaturalia, est tamen ipsa acquisita & naturalis, sequens debiliorem partem sui principij, tam in magistro quàm in discipulo: nititur enim discursu, qui naturalis est.

*Ad 8.* Ad Octauum respondeo, Doctores illi apud Apostolum non sunt doctores scientiæ, sed Fidei, vt eos Ecclesia vocat in ordinatione Presbyterorum: *Hac prouidentia Domine Apostolis Filij tui doctores Fidei comites addidisti.* Si quis verò apud Apostolum vel Actor. 13. per Doctores velit intelligere vel pastores, vel qui in Ecclesia Scripturas sacras adhibito studio proprio exponebant, non repugnabimus. Id sanè constat, non agi de talibus qui sola eruditionis gratiâ in scholis docent.

## DVBIVM IX.

### *Quomodo committatur Simonia circa collationem Beneficiorum, & alia spiritualibus annexa?*

*D. Thomas art. 4.*

CIRCA Beneficia varijs modis Simonia committitur: sunt enim ita spiritualibus annexa, vt nullo modo vendi aut emi possint. Quæ enim antecedenter spiritualibus tamquam fini annectuntur, vt Ius patronatus, vasa sacra, non perinde sunt inuendibilia vt Beneficia, quæ ita spiritualibus annectuntur, vt quamdam dependentiam ab ipso in eis videre liceat. Quamuis enim in eo conueniant antecedenter & consequenter spiritualibus annexa, quòd in neutris liceat vendere quod est spirituale, differunt tamen in eo, quòd non vendito spirituali, temporale in antecedenter annexis venditur, non autem in annexis consequenter, vt hîc tradit D. Thomas: prius enim vendi potest sine posteriori, à quo non dependet in suo valore; posterius autem, quando non potest haberi, nisi dependenter à priori, sine eo vendi non potest, in talibus enim locum habet tritum illud Paschalis Papæ, *Si quis horum alterum vendat, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum relinquit.* Erit ergo Simonia, pretium dare vel accipere pro præsentatione, electione, inuestitura, resignatione Beneficij. Hinc cap. Matheus, De Simonia, à Simonia non excusatur quidam, qui cùm electus esset à maiori parte Capituli, paucis contradicentibus, consensit vt per amicum suum daretur aliquod munus ei qui antesignanus discordiæ videbatur. Vbi DD. colligunt, non excusare quòd immeritò contradicat ille cui munus datur, modò habeat ius suffragij. Siluester hoc verbo q. 13. Item non excusare, quòd voluntate nonnihil turbata & quasi coacta dederit, vt ibi Glossa rectè ex textu deducit. Excusaretur tamen, si ipso non sciente alij dedissent; imò si dedissent, vt per malitiam vitiarent eius electionem, aut postquam ipse prohibuit, non solùm ipse non est Simoniacus, sed etiam electio eius, quantum est ex parte sua, validè subsistere poterit, vtpote & ipsa à Simoniaca labe immunis. Item excusaretur, si dedisset illis, qui de facto, non de Iure contradicunt electioni iam factæ, vt pertineat ad redemptionem vexationis, de quo Dubio 7. Ita Panormitanus in dictum cap. qui addit, ante electionem nondum Iure quæsito, non licere etiam illi pecuniam dare, qui tantùm de facto est contradicturus, cùm ius suffragij nullum habeat.

*Pretium datus pro præsentatione, resignatione, &c. est Simoniacus.*

Vnde consequens est, non licere dare munus ei qui gratus est electori, præsentatori, aut collatori, vt desinat alium commendare, & promotioni tuæ officere. Item si quem largitione pecuniæ curaueris eijci, cuius occupes Beneficium,

cium, Simoniæ damnaris per cap. Qui alium, eod.

*Similiter promittens.* Neque solùm dans, sed etiam promittens pro Beneficio temporale pretium, imò etiam pro temporali promittens Beneficium, est Simoniacus, per cap. Cùm essent, eod. Eadem erit ratio sponsionis: si enim concertes deponendo centum aureos, quòd Episcopus non dabit filio Beneficium, Simonia est, vt docet Nauarrus cap. 23. num. 105. & Pesantius disp. 3. De Simonia, qui testatur esse communem omnium sententiam.

*Neque excusat consuetudo.* Neque excusat in hisce Simoniacis largitionibus vlla consuetudo: etiamsi enim per consuetudinem vel solum detur prandium, modò ex pacto & quasi debitum in receptione Canonici detur, erit damnabile per cap. Iacobus, eodem.

De turnorum lucris & similibus qui accipiuntur in receptione noui Beneficiarij, & non conuertuntur in pium vsum, exstat Decretum Tridentini sess. 24. cap. 14. De reform. Idem pænè iudicium erit, si non quidem pro Beneficio, sed pro spirituali officio, vel executione Episcopalis iurisdictionis pretium detur, cap. 1. & duobus seqq. Ne Prælati vices suas vel Ecclesias suas sub annuo censu concedant.

*Fructus Ecclesiarum possunt elocari.* Possunt tamen fructus Ecclesiarum sub annuo censu concedi vel elocari, cap. Querelam, eod. quamuis locatio priuatim à Beneficiario facta nõ liget successorem, nisi quatenus in Ecclesiæ commodum facta probatur, vt tradit ibi Glossa; est enim Beneficiarius instar vsufructuarij, vt meritò cum eius vita exspiret ius omne quod habet in Beneficij fructus. Siluester verbo Simonia, q. 14. Censetur autem in Ecclesiæ commodum, quando Ecclesia inde percipit reditum maiorem, vel certè talem, aut minorem, sed commodiorem. Azorius 2. parte, lib 9. cap. 2. Vnde si maneas in Iure naturæ, potest Beneficiarius ad vitam fructus sui Beneficij locare, quamuis Paulus II. cap. Ambitiosæ, De bonis Ecclesiæ non alienandis, in 7. Decretalium Petri Matthæi id fieri prohibeat, sicut & de omnibus alijs bonis Ecclesiasticis vltra triennium. Verùm ista Constitutio non est moribus vtentium recepta, vt testatur Siluester verbo Alienatio, quæst. 15. & alij multi, quos citat Azorius suprà: vbi plura habet spectantia ad maiorem huius Decretalis declarationem. Est tamen recepta Clementina 1. De rebus Ecclesiæ non alienandis, quę inhibet Religiosis, ne bona suæ administrationis locent nisi ad tempus modicum. Quod Glossa ibidem extendit ad alia bona Ecclesiastica, eò quòd locare ad tempus non modicum, sit alienare. Est autem tempus modicum, secundùm quosdam, quod minus est decennio, vt referunt Glossa & Siluester suprà. Itaque ad nouem annos licebit locare fructus Beneficiorum.

In illis autem quæ antecedenter solùm sunt spiritualibus annexa, eò quòd ad spiritualia ordinentur, faciliùs euitatur Simonia, modò non vendatur in seipso quod spirituale est. Ius tamen patronatus per se vendi non potest, licet quatenus habet ius temporalis coniuncti, videatur aliquid habere temporale: est enim apertè ità Iure cautum, vt attigimus suprà Cap. 2. Dubio 3. Licebit tamen in narratiua, & in traditione possessionis facere mentionem Iuris patronatus, vt habet Decisio Rotæ apud Genuensem in praxi Neapolitana. Conductor castri, non habet Ius patronatus. Secùs dicẽdum de eo qui habet vtile dominium, & de sequestro hic enim nomine ius habentis præsentabit, ille nomine proprio.

Sed quæres, Vtrùm pro loco honoratiore sepulturæ liceat pacisci pretium.

*De honoratiore loco sepulturæ.* Respondet Sotus lib. 9. quæst. 7. art. 1. si nihil pro consecratione loci accipiatur, sed vendatur terra, sicut materia calicis, nihil vendi spirituale, ideoque licere modò scandalum absit. Idem comprobat Arragonius hoc art. 4. Toletus autem lib. 5. cap. 89. monet, tutius esse non accipere tamquam pretium terræ, sed per modum oblationis. Probatur sententia Soti, Quia licet terra sacra habeat coniunctionem cum Ecclesiastica sepultura omnibus fidelibus debita, ideoque vendi non possit, per cap. Abolendæ, De sepulturis, cap. Non satis, & cap. Cùm in Ecclesiæ, De Simonia, hic tamen locus honoratior non habet eiusmodi coniunctionem, ideoque sortitur eamdem rationem cum maiori pompa, & officio aliàs indebito, pro quo permittit aliquid accipi Glossa in cap. Abolendæ, citatum.

*Verius tamen vendi non possit.* Nihilominùs existimo, non licere vendere in Ecclesia honoratiorem sepulturam: est enim honor ille non planè mundanus, eoipso quo est in loco Dei, & in ordine ad Sanctorum reliquias, aut per altaris viciniam dignior æstimatur. Secùs dixerim, si quis priuatiuè velit sepulchrum honoratius possidere, vt ibi nullus alius sepeliri possit; quamuis tunc potiùs obligatio alium ibi non sepeliendi, quam ipsa sepultura vendatur.

Vt verò generaliùs de sepulturæ venditione dicamus, certum est Primò, Licere exemplo Abrahæ emere, adeoque etiam vendere locum, qui postmodum sepulturæ consecretur: idem enim est, ac si ad Chrisma conficiendum balsamum emas.

Secundò, Non minùs certum est, non posse vnquam locum ad sepulturam fidelium benedictum diuendi cariùs intuitu solius benedictionis.

At quæstionis alicuius erit, Anne possit locum sepulturæ iam consecratum diuendere, qui eum ante cõsecrationem sibi licitè pretio comparauit?

Videtur distinguendum: si enim agatur de loco quem quis in suam suorumque sepulturam comparauit, sicut Abraham speluncam illam; videtur posse eam vendere etiam post consecrationem, sicut vendi potest calix consecratus: neque id Iure vetitum reperitur. At si locus ei peculiaris in Ecclesia vel cœmeterio indultus est pro sua suorúmve sepultura, vendere eum non potest; vel quia non transiuit in eius dominium, vel quia propter annexionem rei spiritualis id ab Ecclesia est prohibitum cap. In Ecclesiastico 13. quæst. 2. & alibi.

## DVBIVM X.

### *Vtrùm citra Simoniam liceat compensare fructuum inæqualitatem in permutatione Beneficiorum?*

NON tantùm cum temporali, sed neque cum pensione Ecclesiastica permutari potest Beneficium Ecclesiasticum, vt habet communis opinio, quam sequitur Siluester verbo Permutatio 2. quæst. 13. num. 10. Extendit Azorius 2. parte, lib. 7. cap. 29. vt permutari non possit cum quocumque Iure spirituali quod Beneficium non sit, cum iure decimarum, sepulturæ, parronatus, aut



aut cum iure quod quis habet ad Beneficium, non in Beneficio. Ratio est, Quòd omnis pactio in acquisitione Beneficij regulariter sit interdicta, vt patet cap. Tua nos, De Simonia, & cap. vltim. De pactis, ita vt pactum in ea pertineat ad edictum permissorium, id est non liceat nisi in casibus à Iure permissis. Quare ne quidem cum sacris Reliquijs, aut simili re spirituali liceret Beneficium permutare, sed tantùm cum Beneficio, vt apertè dicit Siluester suprà. Imò & hoc ipsum restringendum est, vt non liceat tibi etiam auctoritate Ordinarij, vt dicemus Dubio sequenti, resignare tuum Beneficiũ Petro, ea lege vt Petrus suum non tibi, sed alicui amico resignet: eiusmodi enim contractus vt non est permutatio, sed solùm innominatus contractus, Do vt des; ita neque à Canonibus probatus. Sed neque permutatio vlla hîc licet sine Superiotis auctoritate, vt patet cap. Quæsitum, & cap. Cùm olim, De rerum permutatione: priori enim dicitur, eiusmodi pacta semper labem continere Simoniæ; posteriori autem priuantur Beneficijs suis, qui ea propria permutant auctoritate. Quomodo autem eiusmodi priuata permutatio Simoniaca sit, diximus sup. Dubio 3.

*Permutatio aliqua Superioris consultissima* Dubitationem habet, Vtrùm quando Præbendæ omnino æquales sunt, & eiusdem conditionis in eadem Ecclesia, permutatio fieri non possit sine Superioris auctoritate?

Respondeo, Non posse. Ita Panormitanus in cap. Quæsitum, citatum, & Armilla verbo Beneficium, numero 74. contra Innocentium: textus enim generaliter prohibet permutationem Præbendarum, neque ratio eius in eo tota est, quòd Superiotis sit iudicare, quæ persona quo loco vtilior sit futura, aut quòd Clericis non liceat ab Ecclesia in qua titulati sunt, in aliam transire, vt statuitur cap. Sanctorum, dist. 70. quod vrget Glossa in dictum cap. Quæsitum, vt sententiam Innocentij tunc saltem probet veram esse, quando vtrumque Beneficium fuerit sine onere in eadem Ecclesia: sed etiam in eo posita est ratio, quòd obtineri non possit Beneficium sine legitima collatione & Canonica institutione, & quòd priuata illa permutatio habeat ambitionis speciem & ingestionis, vt docet idem Panormitanus in dictum cap. Cùm olim. Adde etiam, eò spectare prohibitionem Ecclesiæ, ne Clerici de Beneficijs tamquam de rebus profanis statuere videantur, & idem in illis ius habere quod in patrimonio.

Quæritur Secundò, Vtrùm Superior possit inuitum quempiam & sine ipsius consensu cogere ad permutandum, & transferre ad aliam Ecclesiam?

Respondeo, Posse id Superiorem eo casu, quando ne quidem dando coadiutorem Ecclesiasticæ necessitati satis prouideretur, & permutatione sufficienter eius qui amouetur indemnitati consulitur. Ita Panormitanus suprà, qui citat pro se Innocentium & Federicum.

Quæritur Tertiò, Quis hîc veniat nomine Superioris?

*Superior hîc metaphoricè pro Episcopo.* Respondeo cum Azorio 2. parte, lib. 7. cap. 29. Panormitano & Innocentio in dictum cap. Quæsitum, Glossa in Clementinam vnicam, eodem, Superiorem hîc esse Episcopum siue Ordinarium, adeoque etiam Pontificem summum, vel etiam Episcopo inferiorem Prælatum habentem ius Episcopale: talis enim exercere solet omnia Episcopalia quæ non sunt Ordinis, sed merè iurisdictionis. Vbi adde, ius approbandi permutationes etiam ab aliis posse præscribi, vt docet ex Federico Azorius. Addit Glossa citata, eorum esse consentire permutationi, etiamsi non habeant Episcopalem iurisdictionem, quorum est conferre vel eligere. Vnde consequens videtur, etiam patroni consensum esse necessarium. Quod tamen ita accipiendum est, vt non tam irrita sit aliter facta permutatio, quàm irritanda, si fiat sine patroni consensu: sufficit enim postea eius consensum accedere. Imò sufficit, eum scientem & patientem non reclamasse. Decisio Romana 204. parte 3. lib. 3. quæ addit ex Felino, quod dicitur permutationes & resignationes sine consensu patronorum non valere, debere intelligi, patronis reclamantibus.

*Capitulum Sede vacante.* Capitulum, Sede vacante, auctoritatem præstat permutationi illorum Beneficiorum, quæ simul cum Episcopo conferebat, aut quæ conferunt inferiores Prælati, non autem eorum quæ conferebat solus Episcopus, vt latiùs declarat Glossa citata. Rebuffus tamen De deuolutionibus, n. 95. quem sequitur Serola verbo Capitulum 2. parte, admodum probabiliter dicit, posse Capitulum etiam istorum admittere permutationem, & plures pro hac opinione citat. Confirmatur, Quòd ea quæ iurisdictionis sunt necessariæ, Sede vacante exerceat Capitulum: admittere autem permutationes, videatur necessariè non voluntariè iurisdictionis. Ex contrario tamen fundamento insurgit Azorius, & sustinet, quòd permutatio non sit iurisdictionis necessariæ, sicut electi confirmatio, aut præsentati institutio.

*Non item Vicarius Episcopi.* Vicarius Episcopi non præstat hunc consensum, nisi speciale habeat mandatum; quia eius est renuntiationem approbare, cuius esset Clericum id merentem priuare, vt dicit Glossa in Clementinam vnicam, De renuntiatione: quamuis non conuertatur; quia Sede vacante Capitulum priuat, sed non perinde renuntiationem recipit. Rebuffus suprà numero 96. Atqui priuare non potest Vicarius, cap. Licet, De officio Vicarij, in 6. Vti nec conferre Beneficia, cap. Cùm in generali, ibid. Serola tamen vbi suprà, putat non opus esse speciali mandato.

*Legatus.* Legatus à latere eas admittit permutationes, quas Episcopus suæ Prouinciæ, non autem quas solus Papa, quales sunt Episcopatuum.

Quæritur Quartò, Vtrùm inter se non possint Beneficiati tractare de permutatione, accedente auctoritate Superioris futura.

Quorumdam responsio negatiua est: ita enim sentit Hostiensis in dictum cap. Quæsitum, quem sequitur Ioannes Andreæ, vt citat Panormitanus. Fauet illud ipsum cap. & cap. Cùm olim, suprà citatum; vbi videtur damnari omnis pactio priuata, & consensus partium in permutationem præueniens probationem Superioris. Fauet etiam cap. Cùm vniuersorum, & ibi Glossa, eodem; vbi damnari videtur factum eorum, qui incipiunt tractare inter se de permutatione suarum Præbendarum, antequam Superiorem consulant.

*Quomodo Beneficiati inter se tractare possint de permutatione.* Pro resolutione obseruandum est, Quatuor modis posse pactum permutationis institui. Primo, Absolutè inter priuatos, sine vlla dependentia à Superioris auctoritate; quod in vtroque foro est Simoniacum, etiamsi partes intendant postea petere confirmationem, sicut coram Magistratu solent

solent innouari priuati contractus, & ab eo confirmari. Secundo, Priuatim quidem, sed sub conditione, si ita placeat Superiori cuius interest; idque vel tacitè solùm intellecta eiusmodi conditione, vel distinctè expressa. Priori modo non quidem in conscientia verè contraheretur Simonia, sed in foro exteriori præsumetur, vt docet Siluester: posteriori, vtrùm tractare liceat, quoad vtrumque forum controuersia est. Tertio, Potest qui cogitat permutare, hoc ipsum indicare Superiori vel in genere, vel etiam designato certo Beneficio, quod desideret consequi; & hunc modum nemo improbat, adeoq; etiam Hostiensis admittit, sicuti & Quartus ab omnibus probatur, quo tota res peragitur nutu Superioris, sine vllo præuio priuato molimine: tunc enim manifestum est gratis dari quod gratis acceptum est, quia Superior qui videtur totam rem transigere, nihil accipit. At quando priuatim pacisciuntur, etiamsi dependenter à Superioris voluntate, neutra pars videtur gratis dimittere, sed contractum innominatum inire, Do vt des, vel Facio vt facias. Neque enim contractus desinit esse onerosus, vel suam deponit naturam, etiamsi in consensum Superioris suspendatur: neque enim desinet esse venditio, si Præbendam te vendere dicas, modò Papa consentiat.

Nihilominùs verior est altera sententia, licere partibus inter se tractare de futura permutatione, si Superior consentiat. Est communis, Siluestri suprà, Panormitani in dictum cap. Quæsitum, qui citat Innocentium; Rebuffi De permutat. num. 52. Glossæ in Clementin. vnicam, eod. & aliorum. Confirmatur ex praxi totius orbis Christiani, & quia eiusmodi contractus planè resoluuntur in conditionem, adeoque in consensum Superioris. Neque debet hæc conditio haberi pro impossibili, vt iura solent habere conditionem illam, quæ pendet à sola Principis voluntate, vt patet L. Continuus, §. Cùm quis, ff. De verborum obligat. hic enim consensus non fertur in præsens, sed in futurum, & non expectatur dispensatio Superioris, sed ordinaria quædam validatio & auctoritatis impertitio. Quamuis etiam vbi extraordinaria approbatio vel dispensatio expectatur, non semper illicita sit sub eiusmodi conditione partium tractatio: possunt enim collitigantes de Beneficio, sub beneplacito Pontificis tractare de pensione, vt infrà videbimus, & impediti saltem in gradu in quo dispensari solet, possunt contrahere, aut saltem promittere sponsalia sub ea conditione, si Pontifex dispensauerit, vt ex multorum sententia docet Sanches De matrimonio lib. 5. disp. 5. Imò extendit hæc Rebuffus, vt liceat partibus conficere instrumentũ, quo obligentur perficere permutationem coram Superiore, & consensum eius curare.

Itaque ad cap. Quæsitum, respondeo, Illud loqui de pacto absolutè præmisso: non præmittitur autem, quando suspenditur donec Superior consentiat apposita tali conditione. Ad cap. Cùm olim, Similiter apertum est, in casu cap. sine consensu Superioris absolutam fuisse permutationem, quia ex vtraque parte iam erat executioni mandata. Denique ad cap. Cùm vniuersorum, absolutam etiam fuisse permutationem priuatam inde patet, quòd saltem ex vna parte fuerit executioni mandata. Ad rationem, quæ in contrarium mota est, quòd sic permutans nõ videatur gratis dare. Respondeo, Eum ne dare quidem, adeoque neque gratis, neque pretio, sed promittere gratis futuram resignationem, si Superior permutationem admittere voluerit, qui publicam spectat Beneficiorum vel Ecclesiæ vtilitatem, non autem priuata Beneficiatorum commoda.

Quæres, An ergo mutuò sint obligati, ita vt alter non possit resilire altero inuito, præueniendo Superioris consensum.

Respondeo; Ad hoc ipsum sunt sibi mutuò obligati, vt stare debeant iudicio Superioris, quatenus hoc pertinet ad vtrumque curantem commune commodum Ecclesiæ, non proprium.

Dices, Omnis promissio de dando Beneficio irrita est, cap. Detestanda, De concessione Præbendæ, in 6.

Respondeo, Cap. agere de collatoris promissione, & potissimùm de Beneficio vacaturo per mortem, quæ ingerat votum alienæ mortis, vt dicit textus.

Quæritur Quintò, Quænam Beneficia possint permutari?

*Quænam Beneficia permutari non possint.*

Respondeo, Primò permutare quis non potest Beneficium in quod ius non habet, cap. Cùm venerabilis, De exceptionibus. Quod etiam extendo ad Beneficium quod breui certò obtenturus est. Vnde benè infert Azorius, non posse simul quem dare procuratorium ad acceptandum & permutandum idem Beneficium.

Infertur etiam, Non esse licitum, in permutatione exprimere aliquod fictum Beneficium, aut in quod pars ius nullum habeat, etiamsi compermutans consentiat, vt collatori claudatur manus, quasi verè inita permutatione, cùm reuerà non sit aliud quàm resignatio in fauorem: quamuis contrarium sentiat Rebuffus De permutatione, num. 14. qui tamen posteà num. 44. fatetur in eiusmodi casu præsumi fraudem. Sanè quamuis hoc apertè ex Iure naturæ reprobetur, extat nihilominùs in 7. Decretalium Petri Matthæi tit. De resignationibus, c. 5. apertissima Constitutio Pij IV. qua eiusmodi permutationes fictas irritas esse declarat, etiam Apostolica auctoritate factas scienter aut ignoranter.

Permutare etiam nemo potest illud Beneficium, quod ratione delicti dimittere debet, si lis super crimine iam pendeat, aut sententia lata sit. Potest tamen permutare Beneficium curatum nondum Sacerdos, etiamsi tempus instet quo secundùm Canones propter non susceptum Sacerdotium illo esset priuãdus. Refert pro hac sententia Azorius Decisionem Rotæ. Simoniacè autem aliàs inualidè acquisitum permutari non potest, neque Simoniacus permutans ius vllum acquirit in alterum Beneficium, quod ei ex permutatione obuenit, quia collatio non fit simpliciter, sed potiùs vi permutationis, quæ inanis est & nullius roboris. Ita communiter D D. Siluester verbo Permutatio 2. quæst. 13. num. 6. Azorius suprà quæst. 19.

Litigiosum etiam secundùm quosdam permutari non potest, eò quòd res litigiosa lite pendente non possit alienari vel pignori dari secundùm Iura ciuilia. Citat pro hac opinione Decisionem Rotæ Azorius quæst. 5. quamuis Rebuffo aliter visum sit.

Bene-



Beneficia diuersarum diœcesium non permutantur coram solo alterius diœcesis Episcopo, sed opus est consensu vtriusque Ordinarij, vt habet communis opinio, quam sequitur Azorius suprà cap. 29. q. 8. Non est tamen necesse vt vno eodemque tempore vtriusque auctoritas concurrat, vt ostendit Rebuffus suprà num. 37. est tamen tutius, vt benè Siluester suprà.

Reseruata Papæ non possunt permutari coram Ordinario. Cùm enim opus sit noua collatione in permutatione, opus etiam est eius auctoritate cui collatio est reseruata: sed si partes ignorent reseruationem, redeunt ad sua Beneficia; si sciant, vacant ad collationem Pontificis, & redire non poterunt, cap. Si Beneficia, De Præbendis, in 6. Eadem generatim est ratio de exemptis à potestate Ordinarij, quia etiam illa non confert Ordinarius: oportet autem eum conferre, qui permutationem sua auctoritate perficit.

Qui non obtinet Beneficium nisi ex dispensatione Pontificis summi, non potest illud inconsulto Pontifice, auctoritate solius Ordinarij cum alio permutare. Patet ex suprà dictis Dub. 9. De Beneficijs: nam super certo Beneficio dispensatus, non potest eo liberè dimisso, sine noua dispensatione aliud acceptare.

Non potest vnum Beneficium permutari cum pluribus auctoritate solius Ordinarij, sed opus est Pontificia; nisi fortè talia sint, vt ad ea simul plura retinenda sufficiat auctoritas Ordinarij. Siluester suprà num. 8. Rebuffus num. 40. Azorius q. 12.

Beneficia manualia inter se permutari possunt. Azorius q. 9 vt & commendata eiusdem naturæ, & quoad tempus similiter se habentia. Rebuffus n. 51. putat etiam cum non commendato posse permutari commendatum, cùm verè præbeat titulum. Panormitanus in cap. Cùm olim, De rerum permutatione, ambiguè illud disputat; tandem resoluit, posse permutari interueniente auctoritate eius qui commendauit.

Gratiæ expectatiuæ inter se permutari non possunt. Siluester suprà quæst. 7. sunt enim personales.

Item non potest permutari ius ad rem cum iure in re, etiamsi vtrumque sit spirituale. Imò neque ius in re, cum alio iure in re alterius generis, verbi gratia, decimæ cum Iure patronatus. Rebuffus suprà num. 23. & 24. Secùs est de iure spirituali eiusdem generis. Panormitanus in c. Ad quæstiones, De rerum permutatione.

Quæritur Sexto, Vtrùm sit necessaria aliqua causa, & qualis illa, vt licita sit Beneficiorum permutatio?

*Ad permutationem requiritur causa.*

Respondeo, Cap. Quæsita, De rerum permutatione, indicari, debere in permutatione interuenire necessariam aliquam causam. Quod non ita accipiendum, quasi pro Ecclesiæ vel Beneficij vel communi vtilitate citra aliam necessitatem non liceat permutatio. Si enim qui vtilis est Ecclesiæ in hoc suo Beneficio, vtilior sit futurus in alio, iam satis iusta est causa permutandi, vt docet in illud cap. Panormitanus. Et hoc ipsum indicat Pontifex in fine cap. iustum finem permutationis exprimens, vt alibi vtiliùs se valeant personæ exercere. Erit etiam iusta causa, si permutans vno loco commodiùs propriæ saluti sit consulturus. Indicat D. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 8. Si verò fiat permutatio solùm pro aliquo commodo temporali alterius, vel vtriusq; partis, est Simoniaca secundùm eumdẽ D. Thomam, Siluestrum suprà citatum, quæst. 3. & alios plerosque. Non tamen damnandus erit Simoniæ, qui in hoc Beneficio non inueniens congruam sustentationem, cum alio qui tanta sustentatione non indiget, sine fraude consentiente permutat, quia Beneficium eius pinguius est, & ad necessariam sustentationem sibi vtilius: hoc ipsum enim etiam ad decorem domus Dei cedit, quòd in ea non indigeant ministri, secundùm illud Malachiæ 3. *Sit cibus in domo mea, & probate me super hoc*, &c. Similis erit ratio eius quod Azorius suprà cap. 30. q. 4. annotauit, Si Clericus permutet quia in loco sui Beneficij perpetuas & assiduas habet inimicitias, vel incommodum patitur propter aëris intemperiem: nam quod de inimicitijs dicitur, expressum reperitur in quadam Decretali Pij V. quæ incipit Quanta, De resignationibus, in 7. Decret.

Sine legitima caussa factæ permutationes illicitæ sunt, non tamen continuò inualidæ. Fauore solius personæ fieri per Episcopum posse, nonnullis visum est; quod non probamus, nisi quando fauor personæ redundat in fauorem Ecclesiæ.

Septimò quæritur, Quando prouentus Beneficiorum inæquales fuerint, quo pacto legitima fiat compensatio alteri parti in permutatione?

Respondet Siluester suprà quæst. 6. compensationem legitimè posse fieri dimittenti maius Beneficium, id est quod maiores habet temporales prouentus; non autem licere facere temporalem compensationem pro maiori iurisdictione aut spirituali iure. Idem sequitur Armilla verbo Beneficium, num. 76. Azorius verò suprà cap. 29. quæst 15. & seq. tum demum admittit eiusmodi permutationem cum pensione aut compensatione, quando intercedit auctoritas summi Pontificis. Sed priori sententiæ, quatenus illud permittit etiam Episcopo, fauet D. Thomas hic art. 4. ad 3. quando dicit, Episcopum posse, antequam Beneficium conferat, ob caussam ordinare, vt aliquid de fructibus eius subtrahatur in pios vsus expendendum. Fauere etiam videbitur Decisio cap. Ad quæstiones, De rerum permutatione, vbi Clemens III. concedit, vt duæ Ecclesiæ cum suis possessionibus permutentur, refusa certa pecuniæ quantitate pro excessu, quo vna alteram superet in prouentu temporali. Sed vt benè ibi Panormitanus, non est noster casus: agitur enim de permutatione Ecclesiarum, quæ possidentur iure proprietatis, quo modo conuentualis Ecclesia possidet parochialem; nos autem loquimur de permutatione earum, quæ possidentur in titulum, quæ permutationes multùm differunt; quia in priori intercedit bonorum Ecclesiæ alienatio, vbi non est mirum posse agi de æqualitate eius quod datur & accipitur in temporalibus, adeoque de indemnitate alienantis. Imò (vt benè Couarruuias lib. 1. Variarum resolutionum cap. 5. num. 9.) ex eodem cap. desumi potest argumentum pro sententia quæ negat posse pecuniâ compensari pinguius Beneficium in permutatione, quia vult Pontifex in permutatione duarum Ecclesiarum, seorsùm spirituale cum spirituali, & temporale cum temporali commutari sine vlla permixtione horum contractuum: per-

miscerentur autem, si etiam spiritualium permutatio hac conditione limitetur, vt temporalia inæqualia suppleto pretio ad paritatem reuocentur. Vnde meritò reijcitur opinio Angeli verbo Permutatio, num. 6. qui ex malè intellectis Panormitani in hoc cap. verbis, putauit licere in permutatione Beneficiorum pretio reducere fructuum inæqualitatem.

*Quomodo compensatio fieri possit in permutatione inæqualium Beneficiorum.*

Nihilominùs existimo, saltem Iure antiquo licere Ordinarijs in nostro casu creare pensionem, quæ duret quamdiu cõpermutans retinuerit Beneficium illud pinguius. Pro qua sententia allegatur cap. Extirpandæ, §. Qui vero, vers. Illud autem, De Præbendis: ibi enim prohibetur pensio creari super parochiali Ecclesia in fraudẽ: ex quo à contrario sensu colligitur, Ordinarium super Beneficio citra fraudem ex caussa iusta, ne fraudetur nimiùm resignans, posse constituere pensionem: quod etiam disertis verbis admittit Nauarrus cons. 4. De Simonia; neque dissentit Rebuffus in Practica Cancellariæ, in notabilibus super pensionibus, & in Practica beneficiaria, tit. De reseruat. num. 29. quamuis dicat, per non vsum hodie quodammodò amisisse potestatem creandi pensiones Episcopos. Serola parte 2. verbo Pensio, non solùm sentit Episcopos habere hanc potestatẽ, sed mirari se dicit, quo tandem modo hodie dicantur eam amisisse. Flaminius tamen tract. De confidentijs q. 28. num. 119. docet, per Bullam Pij V. quæ incipit, Intolerabilis, ademptam esse Episcopis potestatem creandi pensiones, illis verbis: *Si quis contulerit Beneficium ea conditione vt postea pensionem inde ad libitum suum alteri persoluat, confidentia censeatur.* Idem extenditur ad Episcopos collatores & laicos præsentatores. Sed quidquid sit de huius Bullæ intellectu & vsu, adeoque obligatione, non satis clarè videtur ea comprehendi creatio pensionis per Ordinarium in nostro casu permutationis inæqualium Beneficiorum, ideoque saltem in eo probabile manet, posse Episcopum compensatoriam fructuum eiusmodi creare pensionem, ob iustam Ecclesiæ necessitatem, vel vtilitatem, quæ duret quoad permutans retinuerit Beneficium grauatum, vt disertè iterùm tenet Nauarrus eodem tit. cons. 43. num. 4.

Si dicas, Esse contra Ius commune, quo statuitur, ne Beneficia cum diminutione conferantur?

Respondeo cum Flaminio De resignat. Beneficiorum lib. 6. quæst. 2. num. 3. Canones solùm velle, ne sibi collator aliquid applicet ex ipsis Beneficiorum prouentibus. Vel dici potest, collatori ibi legem statui, adeoque solùm inde sequi, ordinario collatori, vt tali, non licere in eiusmodi permutatione pensionem reseruare.

Octauò quæritur, Vtrùm Beneficia via permutationis dicenda sint vacare, & de nouo conferri?

Respondeo; Quamuis ea de re olim dubitatum fuerit, & non vacare dixerint nonnulli ex Iurisperitis, verum est tamen vacare, sed ita solùm, vt post Clementinam vnicam De rerum permutatione, & cap. Licet, eodem, in 6. non possint conferri nisi parti permutanti; de qua re consuli potest Antoninus 3. parte, tit. 13. cap. 3. quæst. 6. Quamuis fortè de summo Iuris rigore olim potuerint etiam alijs conferri, licet non de æquitate, vt docet Couarruuias suprà num. 5. Ita etiam vacare & de nouo conferri censenda sunt, vt si Beneficium quod ex permutatione à te habeo, euincatur, ad meum liberè redeam, cap. Si Beneficia, De Præbendis, in 6. & cap. Cùm vniuersorum, De rerum permutatione. Quod generatim verum est, quoties permutationis effectus sine culpa compermutantis non est subsecutus. Imò probabilius existimat Azorius post alios quos pro se citat, posse permutantem sic deceptum redire ad suum Beneficium sine noua collatione, quamuis opus sit Superioris declaratione, quòd ei hoc ipsum liceat: non enim Beneficium dimisit, nisi sub conditione quæ non est secuta, absque omni sua culpa vel defectu. Quod addo, quia dicit Rebuffus, si antequam ex tua parte resignes, compermutans qui iam resignauit sit mortuus, posse te retinere tuum Beneficium, quia non resignasti; & simul illud, quod compermutans tibi resignauit; quia defectus ex parte eius est, quo minùs tu impleas conditionem. Monet tamen Serola priori parte verbo Renuntiatio, in regressu permutantis propter defectum conditionis non adimpletæ, opus esse noua collatione, si Beneficium interim occupatum ab alio fuerit.

Quæri hîc & illud potest, Vtrùm in commutatione aliorum spiritualium intercurrat similiter Simonia?

*Spiritualia inter se commutari possunt.*

Respondeo; Purè spiritualia inter se possunt commutari, verbi gratia, conuenire possunt inter se Pastores vicini, vt se mutuò in absentia iuuent administrando Sacramenta. Si commutatio fiat in alijs quæ temporalia habent annexa, cauendum ne misceatur compensatio temporalis pro spirituali. Quæ antecedenter sunt annexa, liberè commutari inter se possunt, vtpote calix cum calice, Rosarium vnum benedictum cum alio, & potest materiæ inæqualitas pretio compensari, non autem inæqualitas Indulgentiarum quæ fortè vtentibus concessæ sunt. Non potest etiam calix consecratus dari pro Beneficio, quia datur res vendibilis pro inuendibili; consideratur enim in antecedenter annexo rei spirituali quod temporale est.

Quæritur denique, Vtrùm in Beneficialibus inter se, aut cum Beneficijs permutari possint nudæ prætensiones nondum subsecuta collatione, gratiæ expectatiuæ, & similia iura ad rem?

Respondet, Non posse priuata auctoritate: quia talium permutatio satis est prohibita, quando in Beneficialibus omnis pactio prohibetur. Ceterùm quando etiam legitima auctoritate Superioris fieret eiusmodi permutatio, cauendum est, ne id fiat quando ius ita personale est, vt in alium transferri non possit.

Pensio spiritualis in titulum Beneficij erecta, potest permutari cum Beneficio coram Episcopo; aliàs si non sit in titulum erecta, coram solo Papa cum Beneficio permutatur.

## DVBIVM XI.

### *Sitne licitum resignare Beneficium in fauorem certæ personæ?*

QVIA pacta omnia quæ rei non insunt, sunt inimica Canonibus in Beneficiorum adeptione, & sæpè præcipiunt ab omni specie mali esse



esse recedendum, qua videatur hereditate possideri sanctuarium Dei, nisi summi Pontificis intercedat auctoritas, qui in Canonibus dispensat; plurimi Doctores existimarunt, conditionem appositam resignationi, vel modum quo caueatur ne Beneficium vacet, nisi vt certæ personæ conferatur, vitiari, ita vt habeatur pro non apposito, sed resignatio resoluatur in absolutam, adeoque commendato, vel eo præterito, alteri cuiuis pro arbitrio collatoris conferri queat Beneficium: vel sanè tali apposita conditione ita resignationem vitiari, vt ipsa & eam secuta collatio omnino nulla sit, & Beneficium non vacet, etiamsi Ordinarius sic factam renuntiationem acceptet. Priori modo locutus est Boërius tractatu De dignitate Legati, quæst. 2. Posteriori Rebuffus De resignatione conditionali, num. 7. cuius modus loquendi indubiè melior est.

*Prior sententia, Non licere.*

Sed illud examinandum, in quo hi auctores conueniunt, Vtrùm verè, Iure saltem antiquo, prohibitum sit, ne resignatio in fauorem alicuius fiat, adeò vt sic facta coram Legato sine speciali Pontificis mandato, aut quouis Ordinario non teneat?

Sanè sic non tenere, communior videtur esse sententia. Præter Rebuffum ita tenet Glossa in cap. Ex parte 1. De officio delegati: quamuis enim fateatur, non contrahi Simoniam Iuris humani, quando conditio in sola mente manet, puta quia non sis resignaturus, nisi talem putares obtenturum; existimat tamen contrahi, quando exteriùs eiusmodi conditio exprimitur. Vnde consequens est, non posse ita resignationem fieri, nisi fortè coram summo Pontifice, cuius auctoritas Simoniam Iuris humani purgare possit. Panormitanus in idem cap. Ex parte, in hoc à Glossa dissentit, quòd puter etiam illum esse Simoniacum, qui coram Ordinario resignans, sola mente id faceret in fauorem certæ personæ. Communiorem istam sententiam etiam secutus est Nauarrus cap. 23. numero 107. Azorius 2. parte, lib. 7. cap. 21. Pettus Gregorius tract. De Beneficijs cap. 28.

*Posterior sententia, Licere. probat.*

Aliorum sententia est, Licere etiam coram Ordinario resignare in fauorem certæ personæ, & non continere eiusmodi resignationem vllam speciem mali, eò quòd sit solùm declaratio quædam liciti propositi & voluntatis. Cùm enim mihi liceat ita animo esse affectum, quod etiam aduersarij fatentur, vt nolim resignare Beneficium meum, nisi sciam Petrum illud obtenturum, velim autem si obtenturum nouero; nulla apparet ratio, quare illud exteriùs exprimere non possim, saltem vt citra aliud pactum resignem sub expressa conditione, Si isti conferatur, & non aliter.

2. Secundò, Qui permutat, satis disertè in sua resignatione apponit conditionem, qua collator restringatur ad compermutantem; ergo similiter hoc licebit resignanti in fauorem.

3. Tertiò, Si esset Simonia, in fauorem resignare, non est verisimile quòd ita ordinariè illud liceret coram summo Pontifice: neque enim quæ contra Ius commune sunt, ita facilè & regulariter relaxare censendus est Pontifex. Quare si vera esset opposita sententia, meritò videretur recedendum à praxi ista, vt necessisse Gregorium XIII. dicit Nauarrus, quamuis fateatur, multis seculis in Romana Curia fuisse vsitatam.

4. Quartò, Non est hîc species hereditariæ successionis: quia potest Ordinarius non admittere resignationem in fauorem, secundùm omnes; itaque per solam eiusmodi resignationem præcisè non statuitur deteriori loco Beneficium Ecclesiasticum. Quamuis enim non possit collator liberè cui voluerit conferre, non tamen tenetur conferre resignatario magis quàm si solùm ei commendetur in libera, absoluta, & simplici resignatione; quod omnes fatentur esse licitum, & vt etiam coram se practicaretur constituit Gregorius XIII.

Quintò, Nullum hîc est pactum satis expressè 5.
per Canones damnatum; quia per Canones liceret dicere collatori, Resigno huic Petro, si eum iudices futurum Ecclesiæ vtiliorem: atqui implicitè istud aut simile quid (quod in translatione aut mutatione personarum legitimè considerari potest) dici satis intelligitur in resignatione quacumque in fauorem, præsertim quando liberum relinquitur Superiori, resignationem admittere aut reijcere.

Propter hæc & similia argumenta hanc sententiam secutus est Sotus lib. 9. quæst. 7. art. 2. Couarruuias autem lib. 1. Variarum resolut. cap. 5. dicit quidem eiusmodi resignationem esse licitam, sed putat non astringere collatorem, quin possit alteri conferre: quod verum non esse, iam ex dictis patet. Neque sibi satis constat Couarruuias, quando renuntianti permittit tamquam licitum, quod collatori permittit reijcere tamquam contra Canones appositum. Sed posteà doctrinam temperat, vt dicat, non licere coram Ordinario aut inferioribus Prælatis renuntiare in fauorem cum clausula, & non aliter, hoc sensu, vt necessitas injiciatur Prælato, si voluerit conferre, conferendi resignatario. Emanuel Sà verbo Simonia, numero 2. asserit simpliciter non esse Simoniam, renuntiare Beneficium in fauorem alterius. Eidem sententiæ videtur subscribere Serola 1. parte, verbo Renuntiatio, quæst. 2.

Sed his omnibus obstat Bulla Pij V. quam videre licet 7. Decretal. Petri Matthei, De resignat. c. 3. quæ vbi certis tantùm casibus Ordinariis permisisset acceptare resignationes, adiecit hæc verba: *Caueant autem Episcopi*, &c. *ne verbo quidem aut nutu vel signo futuri in huiusmodi Beneficijs & officijs successores ab ipsis resignantibus aut alijs eorum significatione vel hortatu designentur, aut de his assumẽdis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.* Hanc credo Constitutionem intelligens Azorius dicit, dubium non posse esse, quin Pius V. interdixerit resignationes in fauorem coram Ordinariis. Obstat etiam Decisio Rotæ 921. parte 3. vbi pronuntiatur commissa Simonia in quadam resignatione facta in fauorem certæ personæ, etiamsi omissa sint illa verba, *Non aliàs, aliter, nec alio modo*, & Ordinarius resignationem admittendo dixerit, se functurum officio suo, vti deberet, quasi non acceptans eam, vt erat in fauorem, licet nihilominùs posteà resignatario contulerit. Obstat etiam quod scribit Flaminius lib. 2. De resignat. Benefic. quæst. 3. sub finem, & lib. 5. quæst. 6. in principio, contrariam non solùm esse communem, sed obtinere secundùm Romanæ Curiæ stilum notorium & vulgarem. Sanè Conc. Mechlinienſe II. tit. 19. cap. 6. eiusmodi resignationes in fauorem tertij prohibuit, & videntur aliquam implicare impossibilitatem,

quando coram Ordinariis fiunt: quia cùm priùs debeat vacare Beneficium quàm alteri conferatur, resignans hìc stipulatur, vt non vacet, nisi huic conferatur. Quæram enim, quomodo conferetur, an vacans, an non vacans? Si vacans, ergo cùm per resignationem vacet, oportet ea simpliciter sit facta: si non vacans, in aliam Ecclesiæ prohibitionem impingitur, quæ est cap. Nulla, De concessione Præbendæ. *Nulla Ecclesiastica ministeria seu etiam Beneficia vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent.*

*Resignatio nē in fauorē coram Ordinario facta irritam esse, verius est.*

Itaque dicendum videtur, omnino has resignationes coram Ordinariis esse illicitas. Addo, verius videri, etiam prorsus esse irritas, ita vt ipsas non possit collator acceptare, & earum virtute nequeat reiecta conditione, aut modo, vel resignatario vel alteri conferre, siue id facere velit in vim conditionatæ resignationis, siue in vim absolutæ, reiecta conditione vt inutili. De ptiori modo patet ex dictis. Quòd autem non possit conferre reiecta conditione vt inutili, patet, Quia inspicienti Iura quæ contra hanc conditionatam resignationem adferuntur, liquebit conditionem hîc non tam vitiari, quàm vitiare resignationem, ita vt resignatio ipsa sit nulla & inualida. Si tamen non in vim conditionis rigidæ, sed vt modus apponatur conditio de conferendo huic, existimo Iure communi antiquo licere ita resignare, & Episcopo licere acceptare resignationem reiecto modo, atque ita liberè vel eidem commendato, vel alteri idoneo conferre. Vbi tamen Bulla Pij V. recepta est, nec hoc quidem licebit.

*Respondetur ad argumēta 2. sententia.*

Ad argumenta quæ pro sententia Soti adducta sunt, respondeo. Ad Primum, Non semper licet ea in pactum deducere, quæ licet velle: fieri enim potest, vt pactum meum alteri libertatem auferat, quam auferre non liceat, & pura mea voluntas plenam ei libertatem relinquat. Et ita fit in proposito.

*Ad 1.*

*Ad 2.* Ad Secundum, Patet ex dictis superiori Dubio, permutationem faciendam auctoritate Episcoporum, disertè esse Iure communi permissam; itaque est alia permutationis ratio.

*Ad 3.* Ad Tertium, Duo hîc mouentur. Vnum, Quare Pontifex sibi soli reseruet, vt coram se fieri possit resignatio ista in fauorem. Alterum, Quare ordinariè eam se interpellantibus concedat. Ad prius facilè patet ex dictis responsio: hoc enim ideò fit, quia non expedit Ecclesiæ vt gratia talis passim apud Ordinarios impetrari possit, & contra Ius commune est, Beneficium priùs conferri quàm vacet. Ad alterum, an satius esset non ita passim annui, iudicium penes eumdem sit, cui data est potestas dispensandi in ædificationem Ecclesiæ.

*Ad 4.* Ad Quartum respondeo, Quando conditio est suspensiua, si teneret, eiusmodi resignatio indubiè induceret speciem hereditariæ successionis: posset enim quiuis Beneficiatus, vt heredem in patrimonio, ita pro libito constituere successorem in Beneficio.

*Ad 5.* Ad Quintum, Quamuis verisimile sit, in resignatione ista in fauorem coram Ordinario impingi in Canones, qui vetant pacta in eiusmodi materia spirituali; dico tamen, vel ideò esse illicitam, quòd virtute conferatur aut petatur conferri Beneficium antequam vacet.

Ex dictis etiam colligitur, permutationem, quam triangularem vocant, qua verbi gratia Petrus tibi resignat ea conditione, vt tu resignes aliud quod habes Beneficium ipsius nepoti, non licere coram Ordinarijs, quia reuerà immiscetur resignatio in fauorem, vt benè obseruat Suarez De Simonia cap. 35. num. 19.

*Permutatio triangularis vtra sit licita.*

## DVBIVM XII.

### *Vtrùm liceat resignanti Beneficium seruare pensionem?*

RESPONDEO, Sine expresso Superioris consensu non licere; cap. Cùm pridem, De pactis. Cuius autem Superioris auctoritate hìc opus sit, satis controuersum est: sed vtcumque pateat ex dictis Dubio 10. Illud adijcio ex cap. Pastoralis, De his quæ fiunt à Prælatis, assertum esse à Rebuffo in Practica Cancellariæ, in notabilibus super pensionibus, posse Episcopum cum consensu Capituli concedere viris Religiosis indigentibus moderatam aliquam portionem obuentionum Ecclesiæ opulentæ. Sed accuratior hac de re tractatus exstat Azorij suprà lib. 8. cap. 6. qui dicit, quòd Episcopus non possit quidem grauare Beneficium pensione, sed benè possit grauare Beneficiarium. Probat ex cap. Nisi, De Præbendis, vbi Pontifex pensionem ab inferiore Iudice constitutam, causa terminādæ litis approbat his verbis: *Nos cum hoc adhibito moderamine toleramus, vt ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata, ne fortè circa prouentus aliqua videatur facta sectio Prioratus, ita quòd ipso Priore defuncto successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minimè teneatur.*

Sed inquirendum, quænam sint causæ iustæ reseruandæ pensionis?

*De causa pensionis.*

Respondeo; Causa reseruatæ pensionis vel lucratiua est, vel onerosa. Lucratiua, quando ex Beneficio iam priùs vacante quod liberè confertur Petro, seruatur pensio Paulo. Onerosa, si pensionarius vt obtineat pensionem, resignet Beneficium, aut permutando det pinguius, aut consentiat vt separetur Beneficium suæ Præbendæ annexum, aut iuri quod in Beneficio prætendit renuntiet, vel aliquod simile onus suscipiat. Ad obtinendam pensionem ex causa lucratiua conducunt litteratura, bona merita, vitæ & morum honestas, hospitalitas, indigentia. Rebuffus De reseruat. numero 23. tres tantùm causas, easque onerosas in Gallijs vsitatas esse dicit, vt vel detur pensio causâ componendæ litis super Beneficio, vel vt compensatio fiat permutanti, vel ne resignans nimiùm grauetur. Et hæ quidem de Iure communi tres causæ solæ iustæ sunt; sed vsu Romanæ Curiæ aliæ illæ sufficiunt iam recensitæ, secundùm Azorium suprà cap. 5. quæst. 7. Si pensionem sine vlla iusta causa Pontifex creet, validè creat, quamuis peccet: si verò creet ex falsa causa, creat inualidè. Azorius ibid. quæst. 8.

Quæritur Secundò, Quæ debeat esse proportio pensionis ad fructus Beneficij grauati?

*De proportione pensionis ad fructus Beneficij.*

Respondeo, Fructus debere regulariter tantos esse, vt tertiam eorum partem pensio non excedat. Rebuffus ex communi, De reseruationibus, numero 17. In fructibus autem est, quod supereſt deductis oneribus realibus, & possunt computari etiam in eis distributiones, si hoc ipsum in constitutione pensionis exprimatur. Romæ tamen in vsu



vsu est, vt sufficiat non excedere medietatem, quando pensio est ex causa pensionario onerosa: puta quia resignauit Beneficium quod grauatur. Ita testatur Flaminius lib. 6. De resignat. Beneficiorum, quæst. 2. numero 26. testatur idem numero 144 quando excedit pensio, non propterea annullari, sed reduci ad eam mediocritatem, ne excedat. Potest etiam Pontifex reseruare omnes fructus, quod tamen Rebuffus suprà, solùm dicit sustineri in patria obedientiæ, non perinde in patria consuetudinaria.

*Quæ Beneficia non possint grauari pensione.*

Quæritur Tertiò, Quænam Beneficia non possint grauari pensione?

Respondeo, Cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus summam ducatorum mille, & Parochiales quæ summam ducatorum centum non excedunt, pensionibus aut fructuum reseruationibus grauari non possunt. Tridentinum sess. 24. cap. 13. De reformatione: quod in pensionibus lucratiuis omnino seruatur, sed in onerosis, verbi gratia, ex causa resignationis, dispensari constat ex resolutionibus Interpretum ad illud cap. Monet tamen Flaminius lib. 6. suprà citato, quæst. 2. numero 22. si Parochialis non excedat centum ducatos, solere resignanti seruari pensionem super alio Beneficio, siue ipsius resignatarij, siue alicuius tertij: si autem excedat, posse super ipsa Parochiali constitui pensionem, quæ tamen non sit maior excessu illo qui est supra centum. Neque existimo, totum illum excessum posse assignari in pensionem, sed debere seruari proportionem, sicut in aliis Beneficiis, vt non excedat tertiam partem integrorum fructuum; vel si ita stilus habeat, medietatem. Præbendæ etiam Theologali non potest imponi pensio, vt docet Rebuffus De collationibus, §. 1. verbo Onus. Non potest etiam Beneficium grauari pensione, cuius reditus non excedunt viginti quatuor ducatos. Flaminius suprà numero 27. Refert idem numero 36. in Concilio Lateranensi constituisse Leonem X. vt mensæ Episcopales non grauentur pensionibus, nisi ex causa resignationis, vel alia quæ Consistorio probata fuerit. Vnde docet, aliter creatam super ea pensionem non valere, nisi cum speciali & expressa derogatione illius Decreti Lateranensis, & ex certa Pontificis scientia: saluo tamen in hoc priuilegio Regis Catholici.

*Quæ pensiones sint materia Simoniæ.*

Quæritur Quartò, Vtrùm pensio sit materia Simoniæ?

Respondeo; Pensiones quæ laicis dantur ex Beneficiis Ecclesiasticis, non sunt materia Simoniæ: certò autē sunt materia Simoniæ, quæ dantur Clericis cum onere explendi officium spirituale?

Sed dubium est de illis quæ dantur Clericis sine onere officij, & quidem post Bullam Pij V. qua omnes eiusmodi pensionarij obligantur ad recitandas Horas B. Virginis, vbi ea Bulla est recepta, cēsentur certò materia Simoniæ: sed præueniendo istam Bullam, aut agendo de locis vbi recepta non est, non videtur eo ipso quo Clerico datur pensio tamquam Clerico, ea pensio esse materia Simoniæ, aut res satis spiritualis; sicuti eleēmosyna data Clerico tamquam Clerico, non fit res spiritualis. Ita Suarez De Religione tom. 1. lib. 4. cap. 26. numero 7. Pensio tamen quæ datur Clerico tamquam Clerico, & ex Beneficio desumitur Ecclesiastico, mihi videtur absolutè esse materia Simoniæ, quod etiam videtur admittere Suarez numero 26. Quamuis enim ex natura sua non sit res spiritualis, & præsupponatur non recepta dispositio Pij V. stilus tamen Romanæ Curiæ qui sequitur Pontificias constitutiones, etiamsi eæ vbique receptæ non sint, potest consuetudinem quæ in talibus vbique obliget, introducere.

## DVBIVM XIII.

### *Vtrùm redimere pensionem sit Simoniacum?*

ETIAM de hac re non parua est Doctorum varietas. Nos certa in primis & ab omnibus recepta, ab incertis & controuersis discernemus.

*Pensio extinguitur gratuita remissione.*

Certum in primis est, Posse pensionem extinguitur ex communi Flaminius suprà, num. 123. Quamuis enim Beneficium non possit dimitti sine consensu Superioris; potest tamen pensio, quia dimissa pensio non vacat, sed extinguitur, & cùm sit in fauorem pensionarij, eam extingui, Ecclesiæ est fauorabilius. Sicut tota, ita & pars eius remitti potest sine auctoritate Superioris: imò & ad tempus tantùm remitti potest, si ita inter partes conuenerit. Non potest tamen relinquere pensionem, qui eius titulo fuerit ordinatus, nisi cum consensu Episcopi, aut vbi aliunde habuerit vnde viuere possit, vt statuit Trident. sess. 21. cap. 2. De reform. Secùs tamen facta remissio, sicut & vēditio patrimonij, cuius titulo fuerit quis ordinatus, videtur futura valida, quamuis Beneficiū super quo fuerit ordinatus, resignare validè non possit, quoad aliter ei non fuerit prouisum, nisi in resignatione expressa fiat mētio, quòd ad eius titulum sit promotus, vt ibid. Tridentinū, & declararunt Interpretes.

*Quænam & quomodo redimi possit.*

Secundò certum est, Posse sine consensu Superioris redimi pensionem quæ data est titulo merè temporali, & personæ laicæ, puta militi merito de Ecclesia in sæculari militia. Ita ex communi Toletus lib. 5. cap. 92.

Tertiò certum est, Posse quasuis pensiones redimi accedente consensu summi Pontificis, cuius summa est in Beneficialibus potestas.

Certum denique est, Non licere Beneficium resignare seruata pensione cum pacto eam redimendi. Ita Caietanus & Toletus.

Controuersiam verò aliquam habet, Liceátne pensionem redimere anticipatis solutionibus sine licentia Papæ?

Videtur enim licere, tum quia pensio est quid merè temporale, pars nimirum fructuum Beneficij; tum quia etiamsi vt spirituale debeat considerari ius illud pensionem exigendi, nihil tamen vetat, fructus illius iuris, seu ipsas pensiones siue canones, etiam ad totam vitam siue Beneficiarij grauati, siue pensionarij, alicui vendere vel locare pretio anticipato. Priori modo redemptionem hanc admisit Caietanus in Opus. 17. Responsionum, Responsione 10.

Sotus autem lib. 9. quæst. 7. art. 2. putat illas pensiones non posse redimi, quæ habent quasi speciem Beneficiorum, quales sunt quæ dantur senum Pastorum vel Episcoporum coadiutoribus, aut ipsi seni Episcopo vel Pastori renuntianti: illas autem posse, quæ dantur titulo sæculari, & personis sæcularibus.

Toletus suprà dicit, pensiones quæ reseruantur ex Beneficio reseruato, posse redimi absque alia

facultate, & solere redimi ad ratam quinti nummi. Addit tamen, non licere eiusmodi pensiones emere vel vendere, eò quòd hoc saltem consuetudine prohibitum sit.

Azorius suprà lib. 8. cap. 10. quæst. 10. eorum probat sententiam qui docent, simpliciter pensionem sine consensu Romani Pontificis redimi non posse, eò quòd sit ius quoddam spirituale, & ita meritò Romana Curia obseruet, pro euitanda omni specie Simonię. Si quis tamen redemerit, ita eum peccatum vt pœnas Simoniæ non incurrat, quod etiam aliis passim placet. Idem saltem vt regulare asserit Flaminius suprà num. 128. eò quòd pactio omnis in spiritualibus sine Pontificis beneplacito vitanda sit, & extendit etiam ad illum, qui accepta ex parte redemptione, pensionem minueret. His conformia habet Tractatu De confidentiis q. 23. numero 5. & q. 42. n. 27. Idem tenet Serola 2. parte, verbo Pensio, Nauarrus consilio 63. De Simonia, qui non videtur priuatam redemptionem excusare à Simonia, quamuis vt communiter alij, excusat à Simoniæ pœna.

Hæc sententia videtur probabilior, quia fundamentũ Caietani falsum est, cùm verè pensio Clericalis sit aut ex consuetudine habeatur tamquam quid spirituali annexum, & nitens iure spirituali: eademque videatur ratio redemptionis priuatæ, quę emptionis, vt docet Lessius lib. 2. cap. 22. ideoque omnis pensio Clericalis habeat quamdã speciem Beneficij quoad hunc effectum; vt inde pateat, etiam distinctionem Soti, quatenus distinguit inter se pensiones Clericales, non esse recipiendam. Patet etiam, non per omnia rem attigisse Victoriam, quando Relectione De Simonia 1. parte, numero 52. & sequentibus docet, illam pensionem citra Simoniam posse redimi pecuniâ, emi, vendi, & esse merè temporalem, quam Papa concesserit non imposito aliquo onere spirituali, aut citra commutationem pro Beneficio: nam cùm Beneficium non possit commutari cum re temporali, videbat Victoria pensionem Beneficio in commutatione succedentem, debere esse quid spirituale aut spirituali annexum. Hæc, inquam, doctrina non est satis exacta, quia sufficit titulo Clericali pensionem recipi, vt ipsa sit spiritualis: recipitur autem titulo Clericali, etiamsi nullum pro ea onus sit impositum Clerico; quamuis Pius V. vt superiori Dubio monuimus, voluerit omnes Clericos pensionarios, id est recipientes in qualitate Clericali pensionem vllam Ecclesiasticam, teneri ad Horas B. Virginis, cap. 2. De fructuum restitut. 7. Decretalium P. Matthæi. In qua Bulla notanda verba, *Quicumque pensionem.., aut fructus, aut alias res Ecclesiasticas vt Clericus percipit*, &c. Videtur enim Pontifex considerasse pensiones Ecclesiasticas quæ solis Clericis dantur, vt iam priùs, ante impositum officium, aliter spirituales quàm sit eleëmosyna quæ datur Clerico quia Clericus est, cùm etiam laico dari potuerit.

## DVBIVM XIV.

### *Vtrùm liceat resignare Beneficium in confidentiam, hoc est, cum eo pacto, vt resignatarius illud denuò resignet pro voluntate resignantis?*

QVAMVIS quæstio solùm proposita sit in materia resignationis; ferè tamen eadem erit ratio in omni dispositione Beneficiaria. Vnde Flaminius confidentiam huius loci generaliter ita definit, vt sit spes quædam quòd collator conferat, patronus præsentet, elector eligat, aut quis accipiat vel renuntiet Beneficium pacto, modo, vel conditione expressa vel tacita sibi aut alteri. *Confidentia quid sit.*

Respondeo, Resignare in confidentiam non licere. Nam cum tali pacto resignare Beneficium, *Licitum est*, vt resignatarius postmodum teneatur ipsi resignanti vel alicui tertio denuò resignare, est prohibitum Iure diuino, & sapit Simoniam, saltem quatenus non gratis datur quod gratis acceptum est, & quasi dominum rei spiritualis se gerit qui dominus non est. Imò fortè etiam pretio æstimabile erit, adeoque Simoniam inducet, quòd habeas collatarium tibi astrictum, vt in gratiam tui teneatur huic vel illi resignare. Qui enim apponit pactum retrouendendi, onus imponit emptori quod ei ex pretio rei compensare debet. Similiter mutuator remutuandi in posterum obligationem imponens, fit vsuratius, vt in superioribus diximus.

Purgare tamen potest Pontifex confidentiam à labe Simoniaca, & quauis alia, si concedat, vt quis tali pacto Beneficium renuntiet: quia censetur tunc fieri non in priuatam, sed in publicam vtilitatem, ob quam potest Papa Beneficium ad tempus conferre vni, quod postmodum teneatur cedere alteri. Et hoc videntur voluisse DD. qui dixerunt, hîc subesse Simoniam Iuris humani tantùm, citati apud Flaminium quæst. 3. De confidentiis; alioqui si nihil illiciti sit in confidentia ista ante prohibitionem humanam, mirum quomodo Pius IV. quem primum eam prohibuisse dicit Flaminius suprà quæst. 6. illam dicat Iure iam priùs prohibitam. Addo ex eodem Flaminio, ante Constitutionem Pij IV. Auditorium Rotæ semper obstitisse isti confidentiæ tamquam rei absurdæ. Vt ergo dicatur esse Simoniaca tantùm Iure humano, non tamen dici poterit esse illicita tantùm Iure humano. Prohibetur itaque hęc confidentia Beneficiaria, tum generaliter quando Simonia prohibetur, tum specialiter diuersis Constitutionibus Pontificum, Pij IV. cap. 9. De Beneficiorum collatione in 7. Decret. citato, Pij V. ibid. cap. 10. 11. 12. & 13. Sixti V. Constitutione 75. qui mandauit, etiam in Gallijs, vbi non seruabantur, executioni mandari constituta Piorum IV. & V. Affinis est Constitutio Concilij Trident. sess. 25. cap. 7. De reformatione, vbi prohibet accessus & regressus in Beneficiis. Item sess. 24. cap. 19. vbi gratiæ expectatiuæ abrogantur. *Nisi attendente consensu Pontificis.*

Sed quæres, Ad quam speciem Simoniæ pertineat hæc confidentia?

Respondeo, Esse conuentionalem, quando solum pactum initum est; mixtam autem, quando Beneficium sic fuerit resignatum; realem autem, si regressus reipsa subsecutus fuerit.

Quæres Secundò, Vtrùm intendere regressum pro se aut alio, sit damnabile in eo qui Beneficium resignat, quãdo nullum exterius pactum accedit?

Respondeo, Si regressus ille intendatur obtinendus legitimè, nihil hîc est damnabile: secùs si intendatur ex ineundo pacto, tunc enim est peccatum mentale Simoniæ; aut si indigno speretur propter amicitiam, tunc enim quamuis non sit Simonia, erit tamen peccatum; Nauarrus cap. 23. numero 109.

Quæres



Quæres Tertiò, Vtrùm etiam in manualibus Beneficiis quæ non sunt perpetua, interdicta sint pacta confidentiæ? *Etiam in manualibus Beneficiis illicita confidentia.*

Respondeo, Esse: nam & illa gratis sunt resignanda & conferenda, ne in eis locum habeat species hereditariæ successionis, quæ in alijs cauetur. Finis etiam Legis, ne vnus plura, aut ne indignus vllum obtineat Beneficium, locum habet: dispositio enim Pij IV. & ad dignitates quascumque conuentuales & officia se extendit. Tenet ita Flaminius q. 16.

Quæres Quartò, Vtrùm confidentia liceat in pensione?

Respondeo, In Ecclesiastica pensione non licere, quamuis non puniatur pœnis contra confidentiam in Beneficio statutis, vt docet idem Flaminius q. 23. Quod certum est, quando non alteri, sed sibi pensionem resignans reseruat. Quando autem alteri reseruat, verisimile est, incurrere confidentiæ pœnas, nisi Ius Constitutionis Pontificiæ sit mitigatum contraria consuetudine. Suarez De Simonia c. 43. n. 7.

Quæres denique, Vtrùm admittatur Simonia, quando resignatione simpliciter facta, resignatarius acceptando, vltrò promittit, se Beneficium illud dimissurum ei cui voluerit resignãs?

Respondet Azorius parte 2. lib. 7. cap. 27. quæst. 11. Simoniam admitti. Confirmatur, Quia resignatio in suo complemento vitiatur, quando acceptatio fit cum eiusmodi promissione, quæ, sicut & quæuis pacta, in Beneficiorum acquisitione vel dimissione, prohibita est.

## DVBIVM XV.

### *Vtrùm liceat conferre Beneficium pro munere quod est à manu, vel ab obsequio, vel à lingua?*

*D. Thomas art. 5.*

MVNVS à manu, est pecunia. Munus ab obsequio, est subiectio indebitè impensa. Munus à lingua, fauor. Ita Gregorius cap. Sunt nonnulli 1. q. 1. vnde hic articulus desumptus est, & similia repetuntur ab Vrbano Papa cap. Saluator, 1. q. 3. De munere, quod à manu est, non opus est hîc quæstionem instituere: nam pro spirituali quocumque pecuniam vt pretium dare, ad Simonis, quem hoc fecisse constat, imitationem pertinere nemo dubitat, & satis patet ex superioribus Dubijs. At præter pecuniam quæ pretium esse solet, & res quæ mercis nomine venire solent, ita vt gratis dari non ita facilè præsumantur, quæ hîc nomine muneris à manu intelligere licet; & ea quæ vix aliter quàm gratis fieri solent, vt sunt actus amicitiæ, præsertim amoris interni, sunt media quædam externa obsequia, quæ vel gratuita possunt esse, quando ex amicitia impenduntur; vel mercenaria, quando intuitu mercedis: alia sunt quæ in vtilitatem alterius quis agere aut dicere solet; de quibus hîc præcipua quæstio est, Vtrùm citra Simoniam pro spirituali ex pacto dari, offerri, accipi, vel exspectari possint, quamuis & de obsequijs famulorum, vt muneris loco præstantur vel admittuntur intuitu consequendi Ecclesiastici Beneficij, nonnulla dicenda sint.

Munus ergo vel in re est, vel in actione, vel in sermone. Primum à manu, secundum ab obsequio, tertium à lingua.

De munere in re, quòd Simoniacum continuò faciat, patet cap. Totum 1. q. 3. facilè enim in pecuniæ appellationem transit. *Munus à manu facit Simoniam.*

Quod ad reliqua attinet, in primis tamquam certum hîc statuendum est, si quis famulus à collatore conducatur, ea lege vt idem obsequium cum alijs præstet, non tamen simile cum eis stipendium recipiat, sed loco stipendij Beneficium expectet; propriam & formalem admitti conuentionalem Simoniam. Nam vt suprà monuimus, emptionis & venditionis nomine, quando de Simonia loquimur, etiam locatio & conductio continentur. Probatur ex cap. Cùm essent, De Simonia. Quinimò rectè istud extendit Adrianus Quodlibeto 9. Resp. ad 7. ad casum, quo diceretur, Soluam stipendium, donec prouidero de Beneficio, si intendatur vt seruitium nunc acceptetur propter Beneficium, aut propter illud sine stipendio cõtinuetur vbi iam collatum fuerit. Vnde etiam consequens est, si citra pactum, accipere famulus, vel dare herus Beneficium tamquam pretium intendat, eo ipso mentale peccatum admitti Simoniæ: mentalem autem Simoniam admitti, si reipsa detur aut accipiatur Beneficium ea mente.

Secundò certum est, munus ab obsequio aut lingua non facere Simoniacum, nisi etiam ipsum virtute resoluatur in munus à manu, siue pecuniam. Est autem tale eo ipso quo vtilitatem habet temporalem pecuniâ æstimabilem, & quæ possit esse obiectum auaritiæ; nam Simonia in eo qui rem spiritualem vendit, irreligiosa quædam auaritia est, aut sanè idem obiectum habet ex parte pretij, cum auaritia & vsura; auaritiæ autem obiectum est bonum vtile, vt docet D. Thomas infrà quæst. 118. art. 2. ad 2. Itaque quantum est ex parte pretij temporalis, idem erit iudicium muneris ab obsequio, & à lingua, quoad constituendam Simoniã, quando subeunt rationem vtilis & pecuniâ æstimabilis, quod est muneris à manu, siue ipsius pecuniæ. Vnde sequitur, Si Prælatus alicui Beneficium conferat ea lege vt teneatur pro Beneficio eum laudare apud populum, non esse Simoniam, nisi ea laus referatur vlteriùs ad vtilitatem aliquam temporalem. *Quando munus ab obsequio aut lingua faciat Simoniacum.*

Tertiò, Non est Simoniacus qui seruit collatori, non seruiturus nisi speraret ei innotescere vt Beneficium consequi possit. Neque enim intendit Beneficium tamquam pretium sui seruitij, sed seruitium tamquam testimonium probitatis. Glossa in cap. Cùm esset, De Simonia; Palude in 4. dist. 25. sub finem, & alij communiter.

Quartò, Si conferas Beneficium digno, propter amicorum preces, non quia dignus est, coram Deo peccas acceptione personarum, non tamen propriè committis Simoniam, nisi fauor ille humanus ad pecuniâ æstimabilem vtilitatem pertineat: puta si intendas Beneficium dare, tamquam mercedem alicuius muneris temporalis priùs accepti, ratione cuius istorum precibus faues; aut si intendas collatione fauorem tibi vtilem comparare. *Conferens propter amicorum preces, peccat citra Simoniam.*

D. Thomas hîc ad 3. Adrianus Quodlibeto 9. & alij quidam hos secuti, dicunt esse Simoniam. Sed vt fatetur Victoria, vel impropriè loquuntur, vel cum dicto moderamine accipiendi sunt.

Palude in 4. dist. 25. sub finem, tria docet:

Primò, Si quis pro alio indigno per preces obtineat Beneficium, eum committere Simoniam, saltem in foro externo; si pro digno, non committere. Secundò, Si pro seipso etiam indigno agat per preces, non committere Simoniam, nisi fuerit cura animarum. Tertiò, In foro interno semper esse Simoniam, accipere vel dare Beneficium propter preces vel fauorem, si in eis ponatur principale motiuum.

Secundùm hanc sententiam sequitur, quod & nonnulli expresserunt, fore etiam Simoniam, si propter preces tantùm conferas Beneficium digniori, quod alioqui daturus eras digno. Sed vt diximus, deformitas quidem subest, non tamen cõtinuò Simoniæ deformitas, inquam, Quia hoc est vili æstimare rem sacram, dare eam pro fauore humano. Secundò, Quia perniciosum est Ecclesiæ, cùm hac ratione non meliores, sed potentiores obtineant Beneficia. Tertiò, Quia bona communia pro fauore priuato distribuere, pertinet ad acceptionem personarum.

*Etiamsi indigno conferatur.*

Quæres, Vtrùm saltem si indigno fiat collatio propter fauorem humanum, sit Simonia? Esse tenent plurimi, & in primis hîc ipse D. Thomas. Fauet dictum cap. Sunt nonnulli.

Verius tamen existimo, siue digno siue indigno conferatur, idem esse dicendum quoad speciem Simoniæ; quia indigno conferre, secundùm se non sufficit ad inducendam Simoniam. Ita Caietanus verbo Simonia. Est tamen differentia, quòd quando indigno fit collatio, præsumatur in foro exteriori intercessisse aliquid temporalis pretij, quod eousque collatoris mentem à recto tramite detorserit. Secundò, Quòd crimen semper admittatur, quando collatio fit indigno; quando autem ex fauore fit digno, contingat non nisi veniale peccatum admitti, vt docet Victoria Relect. De Simonia, 1. part. n. 30.

Corollarij loco hîc addi potest quæstio, Anne Simonia fit, dare pecuniam famulo, familiari, aut amico collatoris, vt pro te ab eo Beneficium obtineat?

Vbi omnino placet responsio aiens. Quamuis enim collator gratis det, tu tamen verè pretio tibi illud comparas. Si enim Naaman voluisset à Giezi interceßuro emere miraculosam sanitatem inscio Eliseo, non fuisset immunis à Simonia. Sanè qui interceßionem emit, Beneficium in ea emit. Accedit quòd hæc sit communis sententia.

## DVBIVM XVI.

### *Vtrùm sit Simonia, conferre Beneficium propter timorem?*

*Prima sententia.*

ADRIANVS suprà affirmat, eò quòd qui metu dat, non det gratis, neque liberaliter, sed sui caussa: carere enim malo quod timetur, si temporale sit, boni cuiusdam temporalis habet rationem. Vnde quamuis mutuator sine vsura possit apponere pactum de recuperando debito, quod aliunde mutuatarius liquidò sibi debet, & ipse nisi mutuet amittere timet; collator tamen non posset, quia vsuram non facit nisi lucrum: Simoniam autem facit quodcumque temporale, modò pretij rationem habeat, etiamsi non sit lucrum. Idem tenet Durandus in 4. dist. 26. q. 4. Imò & ipse D. Thomas eadem dist. quæst. 3. art. 3. ad 4.

Alij tamen, præsertim recentiores, non admittunt simpliciter, collationem factam ex timore temporalis incommodi esse Simoniacam. Sotus lib. 9 q. 7. art. 3. Victoria suprà n. 25. Beja, 2. parte casu 2. fol. 51. Pesantius disp. 3. De Simonia, Arragon art. 5.

DICO PRIMO, Conferre ex metu amittendi aut non acquirendi rem temporalem pretio æstimabilem, tunc erit Simonia, quando esset Simonia, ex desiderio talis rei consequendæ aut retinendæ Beneficium conferre. Timor enim oritur ex amore, estque eiusdem moris cum amore seu desiderio, vt dictum est suprà quando De dono timoris q. 19. art. 3. Vnde infertur, Non esse Simoniam, si conferas quia times nisi conferres, te aut amicum tuum occidendum. Si enim propter amicitiam aut cognationem conferre potes digno citra Simoniam, vt apertè sentit D. Thomas art. 5. ad 2. etiam potes conferre ne occidatur amicus. Neque enim amicitiam, vitam amici, aut propriam, statuis tamquam pretium collationis, sed vt gratis conferas, tali motiuo inclinaris. Confirmatur, Quia cap. Saluator, citato suprà, Vrbanus Papa latè prosequens omnes modos Simoniæ, nullam facit huius mentionem.

DICO SECVNDO. Esset Simonia, si cui Beneficium conferres ne mulcta à te, quam post Iudicis sententiam iam debes, exigatur, modò libertatem ab hac pœna concipias tamquam cum qua commutes ipsam Beneficij collationem; multo magis si hoc ipsum in pactum aut ciuilem obligationem traducas. Si solùm ad hanc pœnæ euasionem respicias, tamquam interueniente amicitia collatarij obtinendam; est quidem etiam hoc vitiosum, neque omnino caret siniſtro oculo Simoniacæ prauitatis, sed ne quidem mentalis Simonia perfecta est: quia non solùm deest conuentio, sed etiam ratio pretij aut saltem ea valdè imperfecta reperitur, & solùm interpretatiua. Imò, ne interpretatiua quidem, quando istius lucri temporalis intentio non est principalis, sed tantùm impulsiua, vt loquitur Couarruuias lib. 1. Variarum resolut. c. 21. pretium enim operæ in fine consideratur.

DICO TERTIO. Neque tamen quando solùm impulsiua caussa est in conferendo Beneficio metus humanus, continuò dicendum est, eum non inficere collationem: quamuis enim per Simoniam non inficiat, fieri tamen potest vt inficiat vitio contra fidelitatem dispensatoris, vel contra Iustitiam distributiuam, præcipuè quando non est metus cadens in constantem virum, & sic facta collatio minùs vtilis est futura Ecclesiæ.

Ceterùm quando defectu voluntarij per metum fiat irrita collatio, alterius loci quæstio est.

DICO QVARTO. Si Beneficium des inimico, cum pacto vt iniustas inimicitias nullas contra te suscipiat, est Simonia. Probatur, Quia Beneficium datur cum nouo pacto, obligatione pretio æstimabili in futurum pendente. Secùs dicendum, si conferas alicui Beneficium sine pacto, intendens ne pater eius tibi noceat.

DV-



## DVBIVM XVII.

### *Vtrùm in Beneficiis liceat redimere vexationem?*

INQVIRENDVM in primis, Vtrùm liceat redimere vexationem ipsius Ecclesiæ cui Pastor obtrudetur indignus, nisi præsentatori aut collatori pecuniam numeres, ea lege ne eligat hunc indignum, sed aliquem dignum.

Caietanus Opusc. De Simonia, q. 3. hanc tractans quæstionem, monet, quinque ferè reperiri genera actionum: quarum quædam ita bonæ sint, vt vitiari nequeant, qualis est interior actus charitatis; aliæ ita bonæ, vt tamen vitiari possint, qualis est actus exterior eleëmosynæ, qui potest vitiari malo fine vanæ gloriæ: aliæ ita malæ, vt bonæ fieri non possint, vt mentiri, adulterari, & similia; aliæ malæ quidem, sed purgabiles per accessoriam circumstantiam, in quo genere ponit occidere, mutilare, priuare hominem rebus suis: aliæ denique indifferentes. Docet autem, dare pecuniam collatori, esse de malis quæ per accessorias circumstantias fiant bonæ. Dari autem posse vel per modum emptionis, vt vel Beneficium vel ius recipiendorum fructuum ematur, quod apertè illicitum est, & Simoniam continet: vel per modum redemptionis, quæ locum habet quando solùm agitur de acquirendo aliquo bono aliàs iure debito, aut excludendo malo iniustè illato vel inferendo. Hoc modo pecuniam dare licitum erit, si maneat mera redemptio vexationis, & non permisceatur emptio: & quia Ecclesia ius habet vt idoneus eligatur Pastor, licebit, inquit Caietanus, per modum redimendæ vexationis quam Ecclesia patitur, dare collatori pecuniam, ne eligat indignum, imò & in genere vt dignum eligat. Quia verò certa persona particularis ius ad eiusmodi Beneficium non habet, non licet pro ea eligenda pretium dare per modum redimendæ vexationis, sed transiret eiusmodi pretij oblatio in speciem emptionis, quæ toto genere hîc damnata est. Hæc sententia Caietani veram continet Doctrinam, estque communis DD. Soti lib. 9. q. 6. art. 1. Valentiæ De Simonia, puncto 2.

*Licitum est redimere pecuniam ne indignus obtrudatur Ecclesiæ.*

Sed vlteriùs quæritur, Vtrùm saltem, sub formali licitæ redemptionis, ne Ecclesia vexetur electo indigno, liceat cuipiam pro vnico digno, vel se vel alio eligendo, quidquam Simoniacis electoribus, certò alioqui indignum electuris, offerre pecuniam?

Respondeo, Si electio huius digni præcisè consideretur vt exclusio electionis indigni, cuius indicium erit, si æquè pro alio idoneo, ac pro seipso eligendo, pecuniam esset hoc modo daturus; non satis hîc apparet vera ratio Simoniæ, vt meritò in eum sensum scripserit Sotus. Quia tamen non solùm alijs, sed etiam ipsi sic danti, difficile esset cor suum exactè cognoscere, (prauum enim & inscrutabile est cor hominis, & quis cognoscet illud?) deberet vt minimũ distinctis actibus vti, vt nunc quidem offerat pecuniam pro redimenda vexatione Ecclesiæ, postmodum autem pro necessitate Ecclesiæ sine vlla pretij pactione se vel alium idoneum simpliciter commendet.

Si quæras, An liceat indigno iam promoto dare pecuniam vt resignet?

Respondeo, Per modum redimendæ vexationis ipsi Ecclesiæ aut alteri eius nomine id licere, quomodo Gratianus, posteà dictus Gregorius VI. pecuniâ datâ, persuasit Benedicto & alijs duobus antipapis, vt se Pontificatu abdicarent, teste Baronio ad annum Domini 1044.

Secundò inquirendum, Quousque liceat Clerico redimere propriam vexationem circa Beneficium sibi Iure iam debitum?

*Qui ius habet ad Beneficiũ, potest redimere vexationem.*

DICO PRIMO. Postquam ei ius quæsitum est in Beneficio, potest redimere vexationem, & per pecuniam iniusta impedimenta remouere. Ita D. Thomas hîc, art. 2. ad 5. & alij communiter, quamuis olim aliquis contrarium tenuisse testetur Glossa in cap. Dilectus 1. De Simonia. Sed pro nostra sententia multùm facit in primis illud ipsum cap. Quando enim iubetur ei qui vexationem redemerat restitui pecunia, satis indicatur non fuisse turpitudinem ex parte dantis, vt benè obseruat Glossa, & Panormitanus ibidem: quando enim vtrimque versatur turpitudo, non fit restitutio, per Regulam In pari delicto, De Reg. Iuris, in 6. *In pari delicto vel caussa, melior est conditio possidentis.* Confirmatur euidenti ratione: Qui enim iam ius acquisiuit, & non nisi immeritò in illo suo iure impeditur, potest facta iactura boni temporalis ius illud suum tueri, sicuti potest latroni dare pecuniam, ne ab eo occidatur; & Ecclesiæ quondam tributa soluebant tyrannis, ne impedirentur in cultu diuino, vt diximus quando De confessione Fidei; & nostro tempore quibusdam locis, etiam partem oblationum hæreticis soluerunt.

DICO SECVNDO. Electus non potest redimere vexationem quoad confirmationem, sed solùm quoad electionem iam perfectam. Ratio est, Quia non licet emere ius spirituale, sed tantùm redimere vexationem: emeret autem quodammodò confirmationem, si eis pecuniam daret, qui possunt non tantùm facto obesse, sed etiam Iure prodesse: secùs, si ijs daret qui tantùm possunt facto obesse. Argumentum ex cap. Matthæus, De Simonia: qui enim solo facto obsunt, ita vt Iure prodesse non possint, impediunt alterum in suo iure nullo vtentes Iure, nullum daturi ius etiamsi destiterint. itaque amotio talis impedimenti mera redemptio est vexationis, sine specie emptionis noui iuris. Vnde sequitur, si vexet qui Iure potest prodesse, vexatione independenti à Iure quo potest prodesse, puta si Superior cuius est confirmare, vexet electum, non negando confirmationem, sed eum publicè diffamando sine caussa, posse citra Simoniam, modò sine scandalo, eiusmodi electum dare pecuniam electori, vt cesset à tali vexatione. Sequitur etiam posse dari pecuniam Simoniaco competitori, qui pecuniâ sibi viam sternit, vt te priuato vel excluso, Beneficio potiatur, vt benè obseruat Arragonius hîc art. 2.

Dices, Cap. dicto Matthæus, damnatur Simoniæ electus à maiori parte Capituli, quia electione iam facta promiserat pro se dari pecuniam parti minori quæ contradixerat.

Respondeo, Illam non fuisse redemptionem vexationis ab eo qui facto tantùm poterat obesse: poterant enim isti contradicentes etiam post electionem Iure obesse, proponendo exceptiones contra electionem, vel contra eligentes, vel contra

tra electum, in quibus vt audirentur Ius habebant. Dum ergo emebatur hoc silentium, non præsumebatur satis pura redemptio vexationis. Ita ferè Glossa ibidem. Addi potest, hoc modo impugnantes electionem impediturosfuisse confirmationem, atque ita vexationem fuisse redemptam etiam quoad confirmationem.

DICO TERTIO. Electus confirmatus & institutus potest redimere vexationem, non tantùm quoad electionem, confirmationem, & institutionem, sed etiam quoad possessionem quam nondum habet.

Dubitat de veritate huius asserti Sotus suprà ad 5. eò quòd talis videatur pecuniâ sibi viam sternere ad rem spiritualem, Beneficij nimirum possessionem.

Sed opponunt alij in primis, possessionem non addere spiritualitatem titulo in re, quem iam habet Beneficiarius, sed potiùs ab eo accipere.

Secundò, Etiamsi possessio hæc suam spiritualitatem habere consideretur, licere tamen hîc vexationem redimere, eò quòd possessionem negare, post plenum ius acquisitum in ipsum Beneficium, eiusdem pænè moris sitæ possessionem turbare, & redimere vexationem hîc non sit aliud, quàm impedimentum remouere circa ius priùs acquisitum, vt obseruat Arragonius suprà.

Posterius illud fortè ideò solidius est, quòd possessio detur non tantùm bonorum temporalium, sed etiam officij spiritualis. Secundò, Quod detur ex potestate spirituali, adeoque ipsa missio in possessionem sit spiritualis. Tertiò, Quia certum est esse Simoniacum, qui tradit Beneficij possessionem pro pecunia, vt benè obseruat Siluester, qui pluribus probat, hanc possessionem esse spiritualem aut spirituali annexam.

Restringenda tamen est assertio ad eum, qui non dubitat quin rata sit sua electio, confirmatio, & institutio; aliàs censeretur redimere iuris incertitudinem, adeoque ex parte emere ipsum ius spirituale, quod ex dubio per possessionem fieret ei certius. Hoc voluit Siluester verbo Simonia, q. 3. Reg. 4. quando vult, vt redimens vexationem certus sit sibi fieri iniuriam. Vnde patet, multo minùs redemptionem vexationis locum habere, quando ab Episcopo, ratione alicuius criminis molestiam quis patitur in Beneficio suo. Panormitanus in dictum cap. Dilectus.

Tertiò inquirendum, Quousque Clerico liceat redimere vexationem circa Beneficium nondum sibi debitum, sed ad quod meritò aspirat?

Panormitanus in cap. Matthæus, & dictum cap Dilectus, De Simonia, non videtur admittere iustam aliquam hîc vexationis redemptionem.

*Licet redimere vexationem illorum qui Iure prodesse non possunt.*

Verius tamen est admittendam esse quoad illos qui facto obsunt, Iure autem prodesse non possunt. Quamuis enim ius non habeas ad Beneficium, multo minùs in Beneficio. Fieri tamen potest vt in iure quod habes lædaris, puta si per iniuriam vi detinearis, quò minùs pro Beneficio concurrere possis. Imò etiamsi ius tuum non ita lædatur, aut tale non sit vt lædentem obliget ad restitutionem, modò verè possis dici iniustè ab eo per malitiam vexari, qui Iure non potest prodesse; poteris pecuniâ redimere vexationem. Ita tenet Pesantius, & est ratio manifesta: si enim verè iniustè vexeris, nihil prohibet eam vexationem pecuniâ tolli, cùm eam tollere non sit viam sternere ad Beneficium, sed solùm amouere à via, qua progrediendi ius habes impedimenta per aliorum malitiam obiecta, qui Iure prodesse non possunt. Confirmatur, Quia manifestum est, sic redimendo vexationem te nihil spiritualis iuris vel alterius rei spiritualis tibi comparare. Conformia tradit Gerson Opusc. De Simonia, Resp. ad 6. rationem.

*Quomodo liceat redimere vexationem per rem spiritualem.*

Quartò inquirendum, Vtrùm liceat redimere vexationem circa Beneficium per rem aliquam spiritualem, verbi gratia, vtrùm liceat tibi ei qui te iniustè impedit à consecutione huius Beneficij, conferre aliud Beneficium, vt vexare desinat?

Respondeo, Hoc non esse Simoniam, nisi fortè intendas per collationem Beneficij euitare incommoda temporalia, quæ tibi ex eiusmodi vexatione eueniunt. Vtrùm autem peccatum subsit, ex illis quæ de collatione facta ex timore aut fauore suprà diximus, facilè diiudicabitur.

*An vexatio temporalibus redimi possit re spirituali.*

Postremò inquirendum, Vtrùm vexationem quam pateris in re temporali, possis redimere oblata re spirituali: verbi gratia, vexaris concussione militum, quia filio tribuni non confers Beneficium, vtrùm liceat pro redimenda tali vexatione conferre?

Non licere docet Siluester suprà, Adrianus Quodlibeto 9. art. 2. in fine; imò & ipse D. Thomas in 4.

Contrarium Pesantius disp. 3. num. 8. cui suffragatur Angelus verbo Simonia 3. §. 38. quamuis fateatur esse contra D. Thomam in 4. dist. 25.

Rationes pro hac sententia sunt duæ. Vna, ex similitudine vsuræ: non est enim vsurarius qui mutuat ea conditione suo debitori, vt debitum exoluat, vt diximus quando De vsura.

Secunda, ex ratione pretij: non enim videtur nunc pretij rationem subire, quod aliunde priùs debitum est; neque enim emere quidquam potes eadem pecuniâ, quàm iam priùs debebas venditori.

*Negatiua sententia verior.*

Verùm ista difficultas etiam resoluenda est secundùm ea quæ diximus de conferente Beneficium ex timore. Si enim principaliter huic conferas quia dignus est, quamuis pro impulsiua caussa habeas liberationem tui à malo temporali, aut recuperationem debiti, veram credo sententiam Angeli: si autem finis tuus sit liberatio illa vel recuperatio, non quidem conuentionalem Simoniam admittis, quia pactum deest; interpretatiuè tamen in mente tua censeris rem spiritualem facere pretium rei temporalis, adeoque Simoniam admittis mentalem, quamuis vt ibi quando de timore dixi, non ita perfectam: & hoc sensu omnino vera erit altera sententia.

Et ad argumenta Pesantij Respondeo. Ad primum cum Adriano, Non esse simile iudicium vsuræ & Simoniæ, quia vt vites vsuram, sufficit non sperare alienum ex mutuo; vsura enim est mala, propter iniuriam quæ fit mutuatario: vt autem committas Simoniam, non requiritur vt rem spiritualem des pro temporali alieno aut tibi aliàs indebito, sed satis est quòd des pro temporali; quia Simoniæ deformitas æstimatur ex iniuria quæ fit Deo in re sacra, quando ea vilescit, veniens in commutationem pro re temporali, sicut Christus Dominus viluit Iudæis, quando triginta



triginta argenteis venditus est, vt conqueritur Dominus Zachariæ 11. hîc ergo non sufficit abesse iniuriam proximi.

Ad Secundum respondeo, Appretiatio saltem interpretatiua nihilominùs fit, etiamsi pretium quod accipitur, verè priùs debebatur vendenti, aut etiam erat in eius dominio; hoc enim non euertit omnem rationem pretij. Si enim mutuatarius vendat aliquid vsurario, etiamsi solutio fiat ex pecunia quam suprà sortem priùs ei dedit, vera est venditio, & parit venditori nouam actionem ad pretium, adeò vt si quod datur accipiatur in solutum, maneat actio ex indebitè soluta vsura: si autem accipiatur vt restitutum, maneat actio ad pretium ex venditione. Neque refert quòd in proposito nostro desit conuentio: si enim tali animo dare Beneficium sufficiat ad Simoniam, quando temporale quod principaliter intenditur, aliàs erat indebitum; etiam sufficiet quando aliàs erat debitum: sicuti enim se habet conuentionale ad conuentionale, ita se habet mentale ad mentale.

## DVBIVM XVIII.

### *Quæ sint pœnæ Simoniacorum? D. Thomas art. vltimo.*

POENÆ Simoniacorum Iure Canonico statutæ sunt variæ. Ordiemur à Simonia in Ordinibus.

*Cõmittentes Simoniã in Ordinibus suspendũntur.*

Qui in Ordinibus sacris Simoniam admittunt, paciscendo quòd ordinatus non exiget à præsentante vel ordinante debitam sibi pensionem, tam præsentans ad Ordinem, quàm ipse ordinatus & ordinans, ipso facto suspenduntur per cap. pænult. De Simonia; per triennium quidem collator à collatione Ordinum, præsentator verò ab executione Ordinum, & ordinatus donec dispensationem impetret à Sede Apostolica, ab Ordine sic suscepto. Requiritur tamen vt verè pactum formale vel virtuale præcesserit, & re ipsa secuta sit ordinatio. Si enim citra pactum aliquid ab ordinatore accipiatur prætextu consuetudinis, aut sustentationis, grauiter quidem peccat contra constitutionem Concilij Tridentini; non tamen continuò est Simoniacus, aut pœnas Simoniacorum incurrit. Hæc pœna etiam incurritur vigore eiusdem textus secundùm communem Interpretum sententiam, ab eo qui pecuniam accepit vt ordinaret, vt ad Ordinem præsentaret, vel dedit vt ordinaretur. Neque tamen eorum placet opinio, qui in apertiori hac pecuniaria Simonia existimant, præsentatorem & ordinatorem non triennali tantùm, sed perpetua puniri suspensione.

Quæritur, Vtrùm post Extrau. Pauli II. quæ est secunda in communibus De Simonia, ordinatus Simoniacè, solùm sit suspensus ab Ordine Simoniacè suscepto, an verò omnino ab omnibus Ordinibus, etiam illis quos fortè priùs legitimè susceperat? Ratio dubitandi est, quia dicit Extrau. generaliter, *Omnes qui Simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint Ordinum executione suspensi*. Secundò dicit Pontifex, se auctoritate Apostolica id declarare: quo significare videtur, se noui aliquid ad priores Canones addere.

Nihilominùs admodum probabile est, per hanc Extrau. non extendi, sed solùm renouari priorem suspensionem; nam & illud quoque auctoritate Pontificia rectè fieri dicetur. Imò in eum sensum planè ducunt Pontificis verba: *Confirmantes*, inquit, *& innouantes Apostolica auctoritate declaramus*. Quòd enim pluraliter loquatur, addendo vocem *suorum*, quæ videatur habere vim distribuendi, parum mouet: loquebatur enim de pluribus suscipientibus, quos in diuersis Ordinibus peccare contingit. Distributio etiam admitti poterit, sed commoda pro materia subiecta, vt videlicet suspensio intelligatur omnium Ordinum, in quibus Simoniacè fuerint ordinati.

*Suspendũntur etiam in priùs ritè suscepti.*

Opposita tamen sententia plus habet securitatis, & non parum probabilitatis, estque communis DD. Siluestri verbo Suspensio, quæst. 7. Angeli verbo Simonia 6. initio, Diaz in Practica criminali Canonica, verbo Simoniaci, & aliorum.

Suspensionis censuram etiam incurrit qui à Simoniaco Episcopo, quamuis non Simoniacè, ordinatur, cap. Si qui à Simoniacis 1. q. 1. vbi Vrbanus Papa statuit, eius qui scienter à Simoniaco ordinatur, quamuis non Simoniacè, irritam esse ordinationẽ, nimirum quoad exercitium, vt in Ordine validè quoad characterem susceptо ministrare non valeat, sermone Canonibus familiari. Imò in detestationem Simoniæ etiam illi qui per ignorantiam ordinati fuerint, à Simoniacis non Simoniacè, tum demum, idque misericorditer, per eumdem Canonem tolerantur, quando eos laudabilis vita commendauerit, & suam ignorantiam probare potuerint. Intelligenda autem hîc est ignorantia facti, vt patet ex cap. Per tuas 2. De Simonia: nam ignorantia Iuris hoc casu non excusaret, vt patet in simili, cap. Per tuas 3. eod. Non excusaret inquam, quia apud Superiores non præsumetur fuisse inuincibilis, alioqui vbi in conscientia ita fuerit inuincibilis vt excusauerit à culpa, etiam excusabit à pœna.

Sed quid si ignoranter à Simoniaco ordinatus, postmodum certò resciuerit fuisse Simoniacum, debebit ne tunc ab exercitio Ordinis suscepti, & à susceptione vlteriоris supersedere?

Responderũt quidam, Debere. Ita Siluester suprà. Sed videtur istud esse contra dictum cap. Per tuas 2. ideoque rectiùs dici, quòd talis possit ministrare, & promoueri ab aliquo Episcopo probo, si reliqua requisita concurrerint: secùs tamen dicendum erit, saltem quando ipse Episcopus qui ordinauit, fuerit Simoniacè ordinatus, & hoc ipsum fuerit publicum; tunc enim tamquam ab excommunicato aut non tantùm quoad se, sed etiam quoad alios suspenso ordinatus, quantumuis ignoranter, erit suspensus: & ita D. Thomam hîc ad 2. explicat Suarez De censuris, disp. 31. sect. 4. num. 37.

Sed quid dicendum, si Episcopus occultè sit Simoniacus, & constringat subditum suum ne ab alio ordinetur?

Dixerunt quidam, Posse ab eo ordinari, sed debere occultè petere dispensationem. Alij nullo modo permittunt ordinari à Simoniaco. Alij id saltem tunc non permittunt, quando ipse Episcopus Simoniacè fuerit ordinatus: permittuntrautem, si aliter fuerit Simoniacus occultus.

Sed rectiùs alij dicunt, secundùm Ius nouum Extrau. Ad euitanda, non teneri subditos vitare occultè sic suspensum, sed posse sine culpa aut pœna ab eo suscipere Ordines.

Quæri & illud potest, Vtrùm suspensionis pœnam is incurrat, cuius amicus ipso inscio Episcopum

pum per Simoniam induxit vt eum ordinaret?

Respondeo, Non incurrere, vt patet cap. De Simoniacè, eodem. Ita enim ibi dicit Lucius III. *Quidam licet secundùm quamdam speciem Simoniæ, vtpote ipsis ignorantibus Simoniacè ordinentur, possunt, quia Simoniaci non sunt, in suis Ordinibus remanere.*

*Excommunicantur insuper.*

Est præterea Simoniacè ordinans & ordinatus ipso Iure excommunicatus, eiusque absolutio extra mortis articulum Summo Pontifici reseruata, per dictam Extrau. 2. De Simonia, in communibus. Extat simili is excommunicatio cap. 3. Concilij Toletani Octaui, Item apud Siluestrum verbo Simonia, quæst. 19. refertur similis lata per Martinum V. & Eugenium.

Extenditur autem hæc pœna per dictam Extrauagantem Pauli II. ad eos, qui quocumque modo ad eiusmodi Simoniam mediatores aut procuratores extiterint. Statuuntur etiam similia cap. Si quis Episcopus 1. q. 1. ex Concilio Chalcedonensi, sed per modum sententiæ ferendæ.

Cap. Tanta, De Simonia, statuitur in detestationem huius criminis, Simoniacum à quocumque posse accusari, à seruis, à quibuslibet criminosis, etiam meretricibus, vt ab Ordine malè accepto remoueatur. Item proceditur contra Simoniacum per sola signa, modò ea euidentia satis sint, & conuincant, vt in Practica criminali dicunt Diaz & Lopez verbo Simoniaci.

Item perpetuò deponitur ab officio & Beneficio, cap. De hoc, eodem. Quod intellige de publico aut notorio, non autem de occulto, quamuis iudici noto; is enim aliter pro ratione delicti, per secretam pœnitentiam punietur, vt docet Diaz citatus.

Incurrit insuper Simoniacus infamiam. Angelus verbo Simonia 6. n. 8. & patet cap. Sanè 15. quæst. 3. quod desumptum est ex Codice.

Quæri denique potest, Vtrùm has pœnas incurrat, qui solùm Simoniacus est circa primam tonsuram?

Respondeo affirmatiuè. Ita Ignatius Lopez ad Practicam Diaz suprà. Quod tamen addit Lopez, de accipientibus vel dantibus aliquid pro litteris dimissorijs, vel testimonialibus, vel pro sigillo, idem esse iudicium, moderandum erit secundùm illud quod initio huius Dubij diximus de accipientibus aliquid ratione Ordinis contra Constitutionem Concilij Tridentini.

*Simoniacus in Beneficijs excommunicationem incurrit.*

Secundo loco dicendum de Simonia in Beneficijs, Simoniacus realis in Beneficio incurrit ipso Iure excommunicationem Papalem, per dictam Extrauag. Pauli II. Suspenditur autem, quatenus suspensio includitur in ipsa excommunicatione ipso facto, ab omni officio, Beneficio, & Ordine, adeoque fit irregularis si celebret non absolutus ab excommunicatione. Nulla tamen extat alia specialis censura suspensionis ipso Iure ab eo incurrenda, etiamsi manifestum fuerit crimen: quæ enim 1. q. 3. cap. 1. & 2. in eum statuuntur per Gregorium I. non sunt latæ sed ferendæ sententiæ, neque propriè ad suspensionis pœnam pertinent.

Neque displicet quod Suarez annotat lib. De Simonia, cap. 55. per Extrau. Cùm detestabile, non effici vt omnes pœnæ priùs contra Simoniacos statutæ ipso facto incurrantur, sed vel consuetudine illi rigori esse derogatum, vel consuetudine interprete mitiùs esse intelligendum, vt non sit extensio vniuersalis ad modum incurrendi ipso facto, sed solùm ad occultos Simoniacos, qui ante hanc Constitutionem pœnas istas non incurrebant.

Sed videndum, Vtrùm talis suspendatur saltem à Beneficijs suis? In primis non suspendi à Simoniacè acquisito patet, quia omnino tale Beneficium non acquirit, cùm omnino nulla sit collatio, secundùm dictam Extrau. Pauli II. quod & aliunde probatum videre licebit apud Diaz suprà. Non suspendi etiam ipso Iure ab alijs Beneficijs, nisi quatenus est excommunicatus, patet, quia nullus de hoc proferri potest Canon, vt post Innocentium docet Nauarrus cap. 23. num. 111.

Quæres, Vtrùm legitimè adeptus collationem, sed Simoniacè confirmatus, excidat ipso Iure etiam collatione.

Respondeo, Verius videri quòd non excidat ipso Iure. Erit tamen priuandus omni iure quod in Beneficium habet, per cap. Insinuatum, De Simonia, vbi ita debere fieri generatim statuitur contra omnes qui habuerint ingressum per Simoniam.

Secundò quæritur, Vtrùm non ante obtentum Beneficium aut Ordinem, sed posteà, citra pactum dans pecuniam, vel accipiens, obnoxius sit pœnis dictæ Extrau.

Respondeo, Non esse. Lopez suprà num. 6.

Tertiò quæritur, Vtrùm in emptione & venditione pensionis incurrantur dictæ pœnæ?

Respondeo cum eodem, Non incurri: cùm enim pœnæ sint restringendæ, manifestum est, excommunicationem latam ipso Iure in Simoniacum in Beneficio & Ordine, non pertinere ad Simoniacum in pensione, cùm pensio non sit Beneficium.

Eadem quæ pensionis erit ratio officiorum illorum Ecclesiasticorum, aut temporalium vicariarum, quæ non veniunt nomine Beneficiorum.

Quæritur Quartò, Quid dicendum, quando alius pecuniam dedit vt hic obtineat Beneficium?

Respondeo; Si alius det aut promittat ordinatori vel collatori pecuniam ipso inscio aut contradicente qui Beneficium vel Ordines accipit, non incidit in pœnam excommunicationis aut suspensionis ab Ordine suscepto, vt iam suprà dictum est: excidit tamen Beneficio tali via acquisito. Imò illa vice inhabilis est ad illud, noua collatione acquirendum, cap. Nobis fuit, De Simonia; nisi in odium eius aduersarius pecuniam dederit, vt excipitur eodem cap. aut ipse apertè inhibuerit, ne quis pro se pecuniã daret, cap. Sicut tuis litteris, eod. vel nisi qui dederunt, per inculpatam ignorantiam excusentur: tunc enim saltem de nouo poterit ei validè conferri. Potest etiam Episcopus dispensare, vt retineat Beneficium cuius collationi causam dedit datum vel promissum ipso Beneficiario ignorante, vt docet Adrianus Quodlibeto 9. quæst. 3. §. Circa prædicta.

Sed quid si Beneficiatius amico postmodum refundat pecuniam, quam se inuito & reclamante dederat collatori vt ipse promoueretur, incidétne in pœnam priuationis aut inhabilitatis?

Videtur incidere, quia dicto cap. Sicut tuis litteris, apertè hoc ipsum in excusatione eius qui prohibuit dare excipitur his verbis: *Nisi postea consenseris, pecuniam soluenda promissam, aut reddendo solutam.* Et hoc sequitur Panormitanus.



Sed verius est, non incidere, vt docet Adrianus suprà. Quamuis enim textus non excuset talem ab omni pœna & culpa, vt planè verba præ se ferunt; non tamen consequens est, afficere eum hac pœna. Adde quòd textus de illo loquatur, qui consensit promissioni aut largitioni Simoniacæ: in nostro autem casu fieri potest, vt etiam refundendo pecuniam ei qui dedit, non consentiat largitioni, sicuti pater non consentit largitioni eius qui filio suppeditauit pecuniam, qua prodigè vixit, etiamsi eam restituat.

Quæritur Quintò, Vtrùm per solam Simoniam mentalem incidat quis in pœnas Iuris positiui?

*Per Simoniam mentalem non incurruntur pœna Iuris.*

Respondeo, Non incidere: quia cogitationis in foro externo nemo pœnam patitur, cap. Cogitationis, De Pœnitentia, dist. 1. sed sufficit eam coram Deo pœnitentiâ expiare, cap. vlt. De Simonia; quod apertè loquitur non tantùm de peccato mentali Simoniæ, sed etiam de mentali Simonia, vt eam suprà distinximus à peccato mentali: imò agit de mentali etiam in casu vbi vtrimque Simoniaca mente aliquid datum & acceptum est. Hanc responsionem principalem esse omnium omnino DD. testatur Nauarrus in idem cap. vlt. De Simonia, numero 12. Dico *principalem*; quia vtrùm sine pœnis Iuris admittatur mentalis Simonia ab illis, qui reipsa ex Simoniaca mente dant & accipiunt temporale & spirituale, non æquè inter omnes conuenit. Verius tamen est, si nullam dent significationem exteriùs animi illius Simoniaci, sine his pœnis admitti, vt contra Sotum & alios quosdam latè loco nuper citato docet Nauarrus.

*Obiect.* Dices, Hæc Simonia non continetur sola mente, sed habet exterius opus imperatum; est ergo in foro externo punibilis.

*Resp.* Respondeo; Est Regula notanda, Quando opus exterius ita per accidens coniungitur actui interiori, vt propter suam indifferentiam ad alias varias intentiones non satis prodat interiorem istam intentionem, non sufficienter per tale opus actum internum sese prodere, vt in foro externo puniri possit. Argumentum ex dicto cap. finali De Simonia, & tenet Nauarrus suprà, Almainus ab ipso citatus, Vasquez 1. 2. disp. 160. Fauet Caietanus hoc art. 6.

Quæritur Sextò, Vtrùm Simonia conuentionalis sit immunis à pœnis Iuris?

*Quæ conuentionalis immunis à pœnis.*

Respondeo; Satis certum est, immunem esse meram conuentionalem, in qua neque res sacra, neque pretium datum est, sed tantùm conuentio facta de dando & accipiendo. Ita ferè omnes tenere testatur Nauarrus suprà num. 28.

Secundò dicendum, Etiam illam conuentionalem Simoniam esse immunem à pœnis suspensionis & excommunicationis ipso Iure incurrendis, in qua res quidem temporalis data fuerit, sed non data vicissim res spiritualis. Ita tenet Sotus lib. 9. quæst. 8. art. 1. & alij multi.

Tertiò dicendum videtur, Etiam per illam conuentionalem mixtam (quando non est confidentialis, de qua mox dicemus) in qua res spiritualis data est, sed non pretium temporale, non incurri dictas pœnas.

Contra hanc opinionem plurimi sentiunt: Caietanus in Summa, Soto suprà, Petrus Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 428. Toletus lib. 5. cap. 93. qui dicit nostram esse contra communem. Sed pro nobis est Nauarrus Commentario illo suprà citato in cap. vlt. De Simonia, numero 28. & alibi, Probatur, Quia ita seruat stilus Romanæ Curiæ, & Extrau. Pauli II. non magis complectitur casum conuentionalis Simoniæ, quo traditum est Beneficium creditò, quàm quo anticipatò solutum est pretium: cùm ergo hunc aduersarij dicant non comprehendi propter Simoniæ imperfectionem, neque comprehenderetur iste.

*Obiect.* Contrà obijcitur, Collatio facta post conuentionalem Simoniam, vel est ab initio rata, vel irrita; neque enim eiusmodi collationes possunt esse suspensæ. Si rata, quomodo excommunicati dicuntur eiusmodi Beneficiarij ab initio collationis, si posteà annumeratum fuerit pretium? Si irrita, quomodo talis Simonia dicitur libera à pœnis Iuris?

*Resp.* Respondeo, Verè quidem tum demum esse irritam, quando succedit pretij solutio; sed fictione Iuris, si contingat succedere solutionem pretij, ab initio in pœnam censeri irritam. Est tamen probabile, in foro conscientiæ non haberi rationem huius fictionis Iuris, siue retrotractionis, & in foro externo non sufficere, vt illo intermedio tempore celebrans fiat irregularis, tamquam celebrans in vera suspensione, vt docet Nauarrus suprà numero 67.

Obijcitur Secundò cap. Nobis fuit, De Simonia; vbi Pontifex dicit, irritã esse eius electionem, pro quo eligendo, quamuis idipsum ignorante, promissa fuerat pecunia, nondum tamen data.

Respondeo, In casu illius cap. supponi, quòd pecunia soluta fuerit, quamuis solùm exprimatur quòd ante electionem fuerit promissa, vt appareat quomodo vitiet electionem.

Ceterùm quamuis merè conuentionalis Simonia non puniatur pœnis ordinariis Iuris, punitur tamen extraordinaria & arbitraria pœna Iudicis, pro qualitate delicti, minori tamen ordinaria Iuris.

Quæritur Septimò, Quænam pœna sit Simoniæ confidentialis?

*Pœna Simoniæ confidentialis.*

Hæc enim quamuis sit conuentionalis mixta, & non sit plenè realis ante regressum, grauissimas tamen habet pœnas. Per Constitutionem enim Pij IV. quæ incipit, Omnes & singulas, De Beneficiorum collat. in 7. Decretal. P. Matthæi, rei huius criminis, si Cardinales aut Prælati fuerint, arcentur ab ingressu Ecclesiæ. Si Ecclesiam ingressi celebrauerint, incurrunt irregularitatem, vt consequitur ex cap. Is cui, De sententia excommunicationis, in 6. Alij autem non Prælati ipso Iure incurrunt excommunicationem Papalem. Recepta in confidentiam Beneficia ipso Iure ab initio vacant ad collationem summi Pontificis, omnisque ingressus, regressus, & accessus extinguitur: fructus interim cessi, Cameræ Apostolicæ cesserunt, ita vt in vtroque foro eos restituere teneantur, tam sic percipientes, quàm eorum heredes. Hæc quidem Pius IV. Pius autem V. Decretali Frequentibus, eod. lib. & titulo, has pœnas voluit incurri ab ipso recipiente, etiam quando confidétia latet in sola mente dimittentis Beneficium. Item voluit, quòd testes singulares, singulas probare possent coniecturas Simoniacæ huius confidentiæ; & alia quædam admodum rigidè in

confidentiarios statuit. Sed vt refert Flaminius q. vit. De confidentijs, duæ illæ rigidissimæ ampliationes, approbante id Congregatione à Sede Apostolica deputata, de qua ipse tum erat, in compilatione omissæ sunt. Confirmata tamen est Pij Constitutio, quatenus confidentiarios in Beneficio aut pensione priuat omnibus Beneficijs, pensionibus, & rebus Ecclesiasticis, & ad talia in futurum inhabiles facit; denique quatenus ferit Papali excommunicatione.

Tertio loco dicendum est de Simonia quia prohibita. Quæritur enim, Quænam sit pœna Simoniæ prohibitæ solo Iure positiuo?

*Pœna Simoniæ Iuris positini.*

Respondeo; De proprio gradu periclitatur Episcopus, qui promouerit per pecunias dispensatorem aut defensorem, vel mansionarium, & ipse sic promotus est deponendus, si Clericus; excommunicandus, si laicus. Ita ex Synodo Chalcedonensi cap. Si quis Episcopus 1. q. 1. quod iterùm repetitur, & distinctiùs exprimitur ab Vrbano Papa, cap. Saluator, ibid. q. 3. Quare regulariter statuendum est, in hac Simonia incurri pœnas Iuris contra Simoniacos statutas, quod adeò vulgatum est, vt quidam existiment, non alia ratione hanc dici Simoniam, quàm quòd Simoniæ pœna mulctetur, contra quos egimus suprà Dub. 3. Addo, fieri posse, vt in casu grauior pœna sit statuta contra Simoniam Iuris humani, quàm diuini: fortè quia illa magis quàm hæc frequentetur, aut pernicioſior sit bono communi.

Quartò videndum de Simonia in ingressu Religionis, quomodo puniatur?

*Pœna Simoniæ circa ingressum Religionis.*

In personis singularibus punitur excommunicatione; in Conuentibus vel Capitulis, suspensione, à quibus absoluet solus Summus Pontifex. Extrau. Sanè, in cõmunibus De Simonia, cap. De Regularibus, eod. priuantur loco suo, & ad solitudinem aut arctius Monasterium relegantur, qui scienter per Simoniam habuerint ingressum. Qui verò ignoranter, renuntiare etiam loco coguntur, sed restitui possunt eidem; vel si scandalum hoc impediat, collocantur in alio eiusdem ordinis Monasterio. Similia statuuntur cap. Quoniam, eod. vbi circa illa verba, *Ne damnabiliter in seculo euagentur*, benè obseruat Panormitanus, quòd Simonia non impediat Monachatum, sicuti impedit & nullam facit collationem Beneficij, quamuis impediat quò minùs in eodem Monasterio locum habeat Simoniacè receptus.

Aduerte tamen, his pœnis non inuolui Moniales, quando secundùm ea quæ diximus Dubio 7. licitè accipiunt vel dant aliquid pro dote.

Videndum Quintò, Quid de alijs Simonijs extra Ordinem, Beneficium, & ingressum Religionis sentiendum sit?

Respondeo; Communis est opinio, illas non inducere pœnas Iuris ipso facto. Consulendus Nauarrus cap. 23. num. 111.

Inquirendum Sextò, Vtrùm hodie aliquam pœnam incurrat, qui non reuelauerit Simoniacos?

Contra talem enim olim fuisse constitutam pœnam excommunicationis, patet in Extrauagg. Martini & Eugenij, quas refert Angelus suprà num. 10.

Verùm eiusmodi pœna hodie non est in vsu, vt post Siluestrum, eodem verbo q. 19. docet Emanuel Sà num. 4.

Postremò quærendum, Quis possit dispensare in his pœnis?

Respondeo; Regulariter solus Papa dispensat. Sunt tamen casus in quibus Episcopus. Vnus est, Quando quis ignoranter est Simoniacè ordinatus, parentibus pecuniam dantibus; parentum enim munus, plus obest quàm extranei. Potest tamen cum sic ordinato Episcopus dispensare, si eius ministerium Ecclesiæ sit necessarium, vt constituit Vrbanus 11. cap. Præsentium 1. q. 5.

*Solus Papa dispensat in his pœnis. Quibusdã tamen casibus Episcopus.*

Secundò potest Episcopus dispensare cum Simoniacè promoto saltem quoad Beneficium simplex, in quo non fuerit admissa Simonia. Panormitanus in cap. Ex diligenti, De Simonia.

Tertiò etiam dispensat, cùm non Simoniaco, sed Simoniacè ad Beneficium promoto, si spontè resignet, etiamsi fuerit Prælatura. Ita Glossa in cap. Post translationem, De renuntiatione.

Hæc probabilia sunt. Addo tamen, regulas quasdam esse consulendas, quando in dubium vertitur, an Episcopus possit dispensare.

*In quibus casibus non dispensare possit.*

Prima est, Non posse Episcopum dispensare in Legibus Pontificijs aut Conciliorum, quæ nullam faciunt mentionem dispensationis, nisi ei concedatur: cap. Dilectus, De temporibus ordinat. *Si de mandato Archiepiscopi constaret, cùm illi eiusmodi dispensatio à Canone minimè sit permissa, ipsi obtemperare non debuit in hac parte*: concedi autem potest vel apertè per Canonem, aut Pontificem Summum, vel consuetudine præscribi, vt in materia De Legibus diximus: vel denique censetur concessum eo ipso quo non est prohibitum, si tale sit vt moraliter eius dispensandi potestas sit Episcopo necessaria ad conueniens regimen.

Secunda regula. Quando Canon dicit, *Nisi misericorditer cum eis fuerit dispensatum*, vel aliquid simile, non reseruando dispensationem auctori Canonis, potest dispensari per Episcopum, saltem cum eo qui alieno morbo, seu vitio laborat, verbi gratia, qui inhabilis est propter parentum peccatum. Panormitanus in cap. In quibusdam De pœnis.

Tertia regula. Quando Canon Superioris ad certum tempus suspendit, non potest Episcopus intra illud tempus à suspensione absoluere.

Quarta regula. Potest Episcopus dispensare in pœna, quando potest dispensare in Lege quæ pœnam iniungit.

Quinta regula. Potest Episcopus in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispensare. Trident. sess. 24. can. 6. De reform. Occultum intelligitur, quod non est publicum; etiamsi non ita sit occultum, quin ad forum externũ deduci possit. In exceptione deducitur delictũ ad forum externum, siue Iure, siue iniuria, siue per denuntiationem, siue per accusationem. Censetur tamen non deductum, si desierit agi, & reus fuerit absolutus. Non habet hæc Episcopi dispensatio locum, vbi non est receptum Concilium Tridentinum.

Ex dictis colligitur, non esse satis exactam regulam, quam habet Glossa in dictum cap. Dilectus, licere Episcopo dispensare in criminibus, nisi



nisi sit expressè prohibitum; non licere autem in ijs quæ pertinent ad generalem statum Ecclesiæ.

## DVBIVM XIX.

### *Vtrùm Simoniaci teneantur ad aliquam restitutionem?*

MAGNA in primis difficultas est. Vtrùm manendo in Iure naturæ, Simoniacus realis, qui vendidit & tradidit rem spiritualem, teneatur restituere pretium quod accepit?

*Prima sententia.*

Negatiua pars est Nauarri cap. 23. num. 103. Quamuis enim generatim amouendo obligationem restitutionis, solùm loquatur de Simonia non reali; fundamenta tamen, ex quibus probat mentalem non inducere restitutionem, verè probant, realem non inducere ex Iure naturæ. Eamdem sententiam tenet Franciscus Victoria 2. part. Relectionis De Simonia, Caietanus hîc art. 6. Siluester verbo Simonia, q. 20. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 392. Toletus lib. 5. cap. 93. Rebellus De obligationibus iustitiæ lib. 18. q. 21.

2. Alij distinguunt, quasi in Simonia Iuris diuini oporteat ex Iure diuino pretium restituere, non autem in Simonia Iuris humani. Ita Innocentius in c. Tua nos, eod. Angelus verbo Simonia, n. 7.

3. Alij denique dixerunt absolutè, Iure diuino esse restituendum. Ita Adrianus Quodlibeto 9. art. 3. Sotus lib. 9. q. 8. art. 1. Medina C. De restitutione vsurarum, q. 4. §. Ideò videtur.

Pro indagine veritatis in hac quæstione satis obscura, Notandum Primò, Non oriri obligationem restituendi, nisi vbi acceptio aut detentio fuerit contra iustitiam, vt suo loco ostendimus. Vnde consequens est, non sufficere ad obligationem restitutionis, quòd acceptio pretij, de qua agimus, sit contra Religionem eo ipso quo Simoniaca est; sed vt generatim & sermone per se vero asseratur, eiusmodi pretium esse restituendum, opus est aliquam per se coniunctam hîc esse inæqualitatem contra iustitiam, quæ farciri aut saltem caueri debeat: nulla autem generaliter & per se talis inæqualitas assignari potest, secluso Iure positiuo directè vel indirectè eam inducente. Directè inducit, quando adimit dominium pretij venditori Simoniaco. Indirectè, quando irritat contractum Simoniacum: & qui spiritualem rem emit, intendit validè contrahere quasi implicita conditione, Non do validè pecuniam, niti validè des Beneficium: si enim conscius inualiditatis quæ est ex Lege positiua in collatione Beneficij, nihilominùs pro tali quali actu exercendo, velit dare absolutè illud pretium, manendo in Iure naturæ, verè transfertur pretij illius dominium.

Notandum Secundò, Satis extra controuersiam illud poni, quòd possit cum peccato Simoniæ, quo accipitur pretium pro vendito spirituali, concurrere peccatum Iniustitiæ commutatiuæ, puta si illud ipsum quod venditur, venditor tenebatur ex iustitia tunc gratis administrare, quia fortè pacto sustentationis stipendio ad hoc esse obligauerat: atque ita continget Pastorem Simoniacum qui Sacramenta quæ subditis debet, vendit, Iure naturæ teneri ad pretij restitutionem, vt passim notant DD.

Notandum Tertiò, Non sufficere ad inducendam restituendi pretij obligationem, quòd res quæ venditur, non sit pretio æstimabilis, modò verè superet valorem pretij, adeoque eminenter eum in se contineat: quamuis vt qui in re sic inæstimabili læsit, teneatur in pecunia restituere eiusmodi eminentia non sufficiat, verbi gratia, mutilatus si pro ipsa mutilatione acceperit pretium, non tenetur restituere, quamuis mutilator ex iustitia non tenebatur illud soluere, vt diximus quando De homicidio. Vnde consequens videbitur, ex ea parte quòd rem inæstimabilem vendiderit, non teneri Simoniacum Iure naturæ reddere pretium.

Dices, Licet mutilatus possit accipere pecuniam sine obligatione restitutionis, Simoniacus tamen non poterit retinere pretium manendo etiam in Iure naturæ, quia est differentia inter rem spiritualem, & membrum, & similia, vtpote vita, fama, quamuis excedant pecuniæ pretium, nihilominùs secundùm vsum & æstimationem hominum solent taxari pretio.

Respondeo; Sicuti ista temporalia, quæ inæstimabilia sunt, pretio æstimari nihilominùs contingit; ita facilè cogitamus etiam spiritualia in æstimationem ventura, secluſa Religione, quæ sola videtur eorum æstimationem impedire: itaque in solam Religionem, non autem in iustitiam peccabitur, si æstimentur.

Notandum Quartò, Deformitatem quamdam esse in Simonia, vt ex D. Thoma diximus art. 1. quòd res vendatur à dispensatore inuito domino. Verùm neque ista inducit in proposito satis obligationem restituendi; quia dicet dispensator, se non rem ipsam, puta Beneficium vendere, sed suam dispensationem: & Simoniacus emptor dicet, se non dominium Beneficij emere, sed ius quale habent legitimi Beneficiarij.

Notandum Quintò, Si dum in gratiam tui alieno rem spiritualem meo aliquo id faciam incommodo quod æstimabile sit pretio, aut saltem supra pretium, sufficientem me habere titulum vt faciam illud pretium verè meum, nisi aliud impediat; puta nisi quando incommodum temporale est, nimis excedam in æstimatione; aut quando spirituale est, fraude aliqua emungam pretium, quæ dantem reddat inuoluntarium.

Notandum Postremò, Si pretio tibi vendam aliquam actionem, verè in se tanti valentem, aut saltem supra pretium, eò quòd æstimationem excedat, quam sine meo incommodo præstare possum, probabiliter me non teneri ad restitutionem illius pretij ex iustitia, etiamsi fortè gratis tenebar illam actionem ex obligatione alterius virtutis exercere. Ita Rebellus suprà; quamuis aliter sentiat Molina tractat. 2. disput. 93. qui tamen admittit, me posse retinere pecuniam datam liberaliter, sub conditione operis mihi ex præcepto alterius virtutis quàm iustitiæ incumbentis, & à me præstiti: quomodo filius potest conditione impleta retinere pecuniam, quam dedit pater ea lege, vt semel in anno confiteatur, vel Sacrum audiat diebus festis. His prænotatis, sit

*Iure naturæ non est restituendum pretium Simoniacum.*

ASSERTIO PRIMA. Probabile est, secluso Iure positiuo, restitutionem pretij Simoniacè accepti præcipiente aut contractum Simoniacum irritante, ex solo Iure naturæ non semper debere ex iustitia restitui acceptum temporale pretium, imò numquã ex vi solius acceptionis Simoniacę.

Probatur Primò, Simoniaca acceptio verè est in Simonia mentali, vbi nulla interuenit con-

uentio: verbi gratia, ingrediens Monaſterium animo Simoniaco, temporale munus in pretium rei ſacræ perſoluit Abbati, quod ille viciſſim Simoniaco accipit animo, ſed neuter eiuſmodi animum per vllam conuentionem veram aut virtualem prodit: verè hîc eſt datio & acceptio Simoniaca, attamen non inducit obligationem reſtituendi; ergo, &c. Partem antecedentis vtramque ſatis expreſsè definit Gregorius IX. cap. Mandato, quod eſt vlt. De Simonia; ita enim habet: *Dicimus mandatum Apoſtolicũ etiam ad Abbates extẽdi: & ad reſignationes ſpiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente, vtrimq; taliter acquiruntur (in quo caſu delinquentibus ſufficit, per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori) eos pro Simonia eiuſmodi non teneri.* Hîc mirum quàm ſeſe torqueant plerique Interpretum, propter Vrbani III. cap. Conſuluit, De vſuris, vbi de ſimili mentali vſura dicit Pontifex, in iudicio animæ eam admittentes eſſe inducendos efficaciter, ad ea quæ taliter ſunt accepta reſtituenda: rationẽ enim ægrè admodum aſſignare poſſunt, quare Gregorius IX. abſoluat à reſtitutione mentalem Simoniacum, Vrbanus autem obliget ad reſtituendum vſurarium mentalem. Quidam dixerunt, cap. Mandato, non agere de caſu quo quid acceptum fuerit Simoniacè. Sed eſt manifeſtè contra textum, neque ſuccedere eis potuit noua & violenta textus diſtinctio, quam refert & refutat Nauarrus in Enchiridio, ſuprà, & in Commentario ad illud cap.

Alij dixerunt, Simoniacos quidem mentales debere reſtituere, ſed per hunc Canonem hoc eis Eccleſiam aut Pontificem remittere. Sed manifeſtum eſt, Pontificem potiùs declarare quid Iuris ſit naturalis, quàm nouâ indulgentiâ Ius Eccleſiæ remittere.

Alij; cò confugiunt, quòd Pontifex loquatur de Simonia Iuris poſitiui tantùm. Sed fruſtrà: tum quia non eſt in propoſito differentia inter Simoniacum Iure poſitiuo & diuino, vt infrà dicemus; tum etiam quia manifeſtum eſt, caſum Pontificis eſſe in Simonia Iuris diuini, circa ingreſſum Religionis, vt obſeruat Siluester.

Alij dixerunt, ſolùm velle Pontificem, quòd Iure humano, ſiue in foro exteriori tales non obligentur ad reſtitutionem, quamuis verè obligentur Iure diuino in conſcientia. Ita ſenſit Ioannes Medina ſuprà. Sed eſt contra verba Canonis, quæ apertè habent, ſufficere quòd ſuo ſatisfaciant creatori per ſolam pœnitentiam.

Sunt qui aliud non habent quod dicant, quàm Pontificem probabilem quidem opinionem ſecutum, ſed alteram eſſe probabiliorem, vt refert Petrus Nauarra ſuprà num. 397.

Alij denique dicunt, Pontificem ſolùm loqui de caſu, in quo quod Simoniacè datum eſt ab ingrediente Religionem, poteſt retineri tamquam datum pro ſuſtentatione. At vehementer obeſt, quòd Pontifex dicat, etiam ſpirituale tali caſu non debere reſignari, quod tamen non habet ſimilem prætextum, qualis in pretio retento eſt prætextus alimentorum.

Si dicas, Locum dimitti à Simoniaco in Religionis ingreſſu ex ſolo Iure poſitiuo, quod non punit mentalem Simoniam:

Contrà, Quamuis Pontifex occaſione Simoniæ in Religionis ingreſſu loquatur, tamẽ generaliter loquitur quaſi de omni alia mentali. Secundò, nulla fit mentio tenuitatis Monaſterij, aut mutandæ mentis, vt Monaſterium quod Simoniacè recepit, pro ſuſtentatione retineat. Nec denique vlla fit mentio proportionati muneris. Quid ſi enim munus longè excedat alimenta? certè valdè mutila erit deciſio, ſi quod ita indefinitè & per modum vniuerſalis doctrinæ dicitur, tot reſtrictionibus indigeat.

Verius ergo eſt, Pontificem velle, quòd Simonia mentalis, etiamſi in ea ſpirituale, aut temporale, vel vtrumque acceptum ſit, modò ſine pacto, per ſe non obliget ad illorum reſtitutionem. Sed conſiderandum ſemper erit, an interueniat iniuſtitia; ea enim obligabit ad reſtitutionẽ, non Simonia mentalis, quæ aliquando iuſtum retinendi titulum poterit habere coniunctũ.

Probatur Secundò, Reſtitutio quæ debetur Iure naturæ, non eſt pœna peccati, vnde neque Baptiſmo extinguitur: reſtitutio autem quam debet Simoniacus, eſt pœna Iuris poſitiui, aut ſaltem inde originem trahens; inde enim fit quòd characterem Ordinis verè ſuſcipiat Simoniacè ordinatus, non tamen Ordinis executionem, quòd puniendo Eccleſia validam characteris impreſſionem impedire non poſſit, ſicuti poteſt impedire valorem collationis Beneficij. Hinc etiam fit, vt diſpenſante Pontifice, ceſſet pœna iſta reſtitutionis: à reſtitutione enim quæ Iuris naturæ eſt, non remittente particulari creditore, Pontifex liberare non poteſt, niſi fortè in pœnam creditoris. Quamuis autem D. Thomas huius pœnæ congruentiam aſſignet ex Iure naturali, verè tamen fatetur eſſe pœnam.

Probatur Tertiò, Si reſtitutio iſta eſſet Iuris naturæ, non minùs teneretur ad eam Simoniacus in adminiſtratione Sacramentorum, quàm in Ordine, Beneficio, & Religionis ingreſſu: atqui de tribus illis ſolis Canones hoc declararunt, vt omnes fatentur. Victoria tamen ſuprà monet, aliquos ex rationis ſimilitudine hanc reſtitutionem velle extendere ad reliquas Simonias; ſed non rectè, niſi aliunde probent hanc reſtitutionem eſſe Iuris naturæ, non autem pœnam Iuris poſitiui: pœnæ enim propter rationis paritatem, non poſſunt extendi, niſi per ipſum Legiſlatorem. Porrò ſaltem extra has tres Simoniæ ſpecies non oriri reſtituendi obligationem Iure diuino, argumento erit quòd Eliſæus non iuſſerat Giezi reſtituere munera quæ acceperat à Naaman, ſed aliter eum puniuerit.

Probatur Quartò, Qui dat Simoniacè pretium, etſi turpiter det, voluntariè tamen & liberè dat; illi autem qui liberè dedit, etiamſi turpiter dederit, non debetur reſtitutio, neque debetur Iure naturæ alteri quàm ei qui dedit; igitur Iure naturæ non debetur. Ita ferè Siluester.

Neque obijci poteſt, eamdem eſſe rationem vſurarij, & æquè liberè vſuras ſolui, quæ tamen reſtitutioni ſint obnoxiæ; iſtud enim verum non eſt: nam licet qui Beneficium pecuniâ emit, mallet gratis habere, ſicuti & qui equum emit aut domum, liberè tamen in emptionem, adeoque in aliquem iuſtum titulum, quo pretium alter poſſideat, conſentit. In vſura autem mutuatarius non conſentit in aliquem iuſtum titulum, ſed omnis ibi titulus deeſt: nam titulus donationis, qui ſolus prætendi poteſt, eo ipſo vitiatur quo donatio vel



vel tali modo coacta eſt, ex iniecta ciuili obligatione, quæ vt nullo titulo nixa titulum præbeat, omnino debebat eſſe libera & liberalis.

Dices, Emptio ipſo Iure eſt irrita, ita vt non poſſit hîc eſſe titulus ex empto.

Reſponſio patet ex dictis, Notabili primo, ex illo capite oriri aliquando obligationem reſtituendi, aliquando autem non oriri, quando nimirum Simoniacus emptor habet voluntatem ſaltem alterius contractus, Do vt facias.

*Neque Iure diuino.* ASSERTIO SECVNDA. Ne quidem Simoniacè accepta in Simonia Iure diuino prohibita ſunt Iure diuino reſtituenda. Patet ex dictis, quia cap. Mandato, loquitur in caſu Simoniæ Iuris naturæ, & in pœnis Simonia humani Iuris imitatur eam quæ eſt Iuris diuini, vt diximus ſuperiori Dubio.

ASSERTIO TERTIA. Res ſpiritualis Simoniacè accepta manendo in ſolo Iure diuino, non eſt neceſſariò dimittenda aut reſtituenda. Patet iiſdem argumentis quæ probant de pretio.

*Iure poſitiuo tenetur Simoniacus reſtituere Eccleſiæ.* ASSERTIO QVARTA. In Simonia reali commiſſa in Ordine, Beneficio, aut ingreſſu Religionis, & ſpiritualis res quodammodò reſtituenda aut amittenda, & abſolutè pretium Iure poſitiuo reſtituendum eſt: in Ordine quidem & Beneficio reſtituitur Simoniacum pretium Eccleſiæ; niſi fortè qui dedit non habeat vnde viuat: in ingreſſu autem Religionis ei qui dedit.

De pretio accepto pro Beneficio patet cap. De hoc autem, De Simonia; cap. Si quis dator 1. q. 3. Imò cap. Audiuimus, eodem, iubentur Simoniaci duplum pretij accepti pro vendito Beneficio reſtituere.

De pretio accepto pro ingreſſu Religionis exſtat textus eodem tit. cap. Veniens. Reſtituitur autem ipſi qui dedit pretium, ne oneri ſit illi Monaſterio quò migrare iubetur; Gloſſa in dictum cap. De hoc autem: aut fortè quia tolerabiliore errore pro ſuſtentatione dare voluiſſe videtur, quando non licebat.

De Beneficio Simoniacè acquiſito dimittendo, & fructibus reſtituendis, ſatis decernit Extrau. 2. in communibus, eod.

*Quænam Eccleſia intelligatur.* Sed quando Eccleſiæ dicitur reſtituendum pretium, quænam ea intelligitur?

Reſpondeo; Si commiſſa ſit Simonia in Beneficio vel Ordine extra Monaſterium, debet pecunia reſtitui illi Eccleſiæ in cuius iniuriam accepta eſt; ſi verò non eſt facta iniuria alicui Eccleſiæ, danda eſt pauperibus, vel Eccleſiæ Cathedrali, vt ex Siluestro & alijs colligit Victoria; qui addit, ſibi videri quòd debeat expendi in opera pia, ad voluntatem Epiſcopi; vel ſi ea ratio non ſit commoda, ad voluntatem eius qui poſſidet.

Aduertendum autem, nos agere de pretio accepto in Simonia reali & omnino completa: ſi enim datum ſit pretium, ſed non collatum Beneficium, Iure naturæ quaſi conditione non impleta, redit pecunia ad eum qui dedit. Hoc modo cap. Dilectus, De Simonia, iubetur reſtituere ei à quo acceperat Archidiaconus, pollicitus non obſiſtere ei in ſuis Beneficijs & dignitatibus, promiſſum tamen non ſeruans. Neque obſtat Regula à Iureconſultis communiter recepta, ei qui turpiter dedit non eſſe quod dedit reſtituendum: poteſt enim ea ſolùm recipi poſt ſententiam Iudicis; in pœnam enim per ſententiam poteſt priuari pretio ſuo, qui turpiter dedit.

Illud nouæ quæſtionis hîc eſſe poteſt, Vtrùm quando hinc pretium, inde autem Beneficium datum eſt, ſed Beneficium ita debebatur ei qui pretium dedit, vt pretij exactione ei facta ſit iniuria contra Iuſtitiam commutatiuam, cenſeatur nihilominùs Ius poſitiuum efficere, ne huic qui dedit, & cui ex Iure naturæ debebatur, ſed Eccleſiæ reſtitutio facienda ſit.

Certè ſi dedit Simoniacè, puto Eccleſiæ eſſe reſtituendum; ſecùs ſi poſſet excuſari per redemptionem vexationis.

Alia eſt quæſtio, Vtrùm quando non ei qui dedit, ſed Iure poſitiuo reſtitutio pretij fit Eccleſiæ, obliget ante ſententiam Iudicis.

Putant quidam, ante ſententiam vel poſſe retineri, ſi non ſubſit obligatio reſtituendi ex Iure diuino; vel ſi ea ſubſit, poſſe & debere reſtitui ei qui dedit.

Sed reſpondeo, Quamuis non improbabilis ſit iſta ſententia, ſuoſque habeat auctores, veriorem tamen videri oppoſitam: quia Ius ab initio vt facit irritam collationem, ita incapacem dominij talis pretij facit collatorem; debet ergo reſtituere ante ſententiam. *Verius, teneri ante ſententiam.*

Dices, Sicuti Ius impedit tranſlationem dominij illius pretij in collatorem ante ſententiam, ita relinquit pecuniam datam in dominio dantis; ergo licet ſit facienda reſtitutio ante ſententiam, non tamen Eccleſiæ, ſed ei qui dedit. *Obiect.*

Reſpondeo, Opus hîc eſſe diſtinctione. *Si* enim pretium maneat in dominio eius qui per iniuriam dare coactus eſt, de quo caſu ſuprà diximus, etiamſi dederit Simoniacè, probabile eſt non priuari eius dominio ante ſententiam Iudicis, & ei eſſe reſtituendum, præueniendo ſententiam; quia ex natura rei manſit in eius dominio, non interueniente aliqua irritatione Iuris poſitiui, atque ita meliori & antiquiori Iure meritò iſte cenſetur. Si autem per Legem poſitiuam irritantem ipſam collationem, efficiatur vt validè non transferatur dominium, quia fortè emptor non intendit dare niſi pro collatione valida, vt ſuprà dictum eſt; aut ſi validè quidem tranſlatum eſſet dominium pretij, manendo in Iure naturæ, eò quòd qui dedit, etiam pro inualida collatione dare voluerit; probabilius eſt, ante ſententiam deberi Eccleſiæ: quia priori caſu venditor non punitur qui pretium iubetur dare Eccleſiæ, neque poteſt excuſari vſque ad ſententiam Iudicis eo prætextu, quòd hoc cedat in pœnam Simoniaci emptoris, qui non ſit puniendus niſi poſt ſententiam; ſufficit enim quòd reſpectu reddentis non ſit pœna, & iuſta de cauſſa iubeatur reddi Eccleſiæ. Quam iuſtitiam iuuat, quòd meritò Eccleſia in recuperatione pretij non velit prodeſſe emptori Simoniaco Conſtitutionem ſuam qua irritat collationem; prodeſſet autem hac in parte, ſi ea ſtante recuperare poſſet, ſaltem ante ſententiam, quod ſine Eccleſiæ Conſtitutione recuperare non poterat. Poſteriori autem caſu deſijt pretium eſſe emptoris, & per Legem eius factus eſt incapax venditor: meritò ergo ante ſententiam venditor dat Eccleſiæ, cùm titulum quo retineat, nullum habeat, & Eccleſiæ applicandum iuſtis ex cauſſis conſtitutum ſit. *Reſp.*

Postremò maioris lucis gratiâ hîc inquirendum, Quando actio, vbi Simonia interuenit, sit valida, quando non?

*Quanam actiones inualidentur per Simoniam.*

Vbi pro regula statui potest, semper esse validam, manendo in solo Iure naturæ, nisi ab Ecclesia inualidetur, Quæcumque ergo ab Ecclesia inualidari non possunt, qualia sunt impressio characteris in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, eatenus tenere certum est, etiamsi Simonia interuenerit. Quæ autem inualidari possunt, non censentur inualidari, nisi expresè extet Lex Ecclesiæ inualidans. Aduerte tamen, non hîc agi de illis effectibus, qui impediri possunt per obicem aut prauam dispositionem operantis: certum enim est, tales validè non consequi Simoniacum, etiamsi non concurrat Lex Ecclesiæ inualidans.

Superest ergo dicamus, quænã reipsa per Legem Ecclesiæ irritentur, de qua re luculentissimè statuit Paulus II. Extrau. Cùm detestabile, in communibus De Simonia. *Declaramus, quòd omnes illi qui Simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint Ordinum executione suspensi. Per electiones verò, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quasuis alias dispositiones, quas Simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant, in Ecclesijs, Monasterijs, dignitatibus, personatibus, officijs Ecclesiasticis, & quibusuis Beneficijs, aut aliquo eorum cuiquam Ius nullatenus acquiratur, nec inde aliquis faciat fructus suos, sed ad illorum omnium quæ percepit restitutionem sub animæ suæ periculo sit astrictus.*

Itaque DICO PRIMO. Beneficiorum collatio Simoniaca irrita est, cap. Matthæus, De Simonia.

SECVNDO. Irrita etiam est collatio Officiorum Ecclesiasticorum facta Simoniacè, cap. Consulere, De Simonia.

TERTIO. Ordinationes factæ Simoniacè, irritæ sunt quoad exercitium, non quoad characterem. Verè ergo suscipitur Ordo Simoniacè, sed suscipiens manet ab exercitio Ordinis ipso Iure suspensus, cap. Per tuas 3. De Simonia, cap. Si quis ordinauerit, eodem; Extrau. Cùm detestabile, in communibus, eodem.

QVARTO. Qui Simoniacè fuerint Monasterium ingressi, non acceperunt inualidè habitum, sed verè sunt Monachi, inualidè tamen incorporati sunt isti Monasterio, aut saltem inde in arctius ejici debent, cap. Dilectus 2. De Simonia, cap. Quoniam, ibidem. Imò quòd inualidè incorporati sint, est argumẽtum in Extrauagg. communibus De Simonia, cap. Sanè, vbi cum quibusdam sic ingressis dispensatur vt possint in Monasterijs suis remanere.

QVINTO. Omnium Sacramentorum collatio Simoniacè facta valida esse potest. De characterem imprimentibus id clarum est, similiter de Eucharistia, quia Corpus Domini etiam mali ad iudicium sibi sumunt. In Extrema vnctione, & Matrimonio effectum impedit Simonia, non Sacramentum. In Pœnitentiæ Sacramento hoc speciale est, quòd substantia Sacramenti aliquo modo pendeat à dispositione suscipientis, atque ita eam contingit impediri peccato Simoniæ, sicut alio quouis peccato mortali: potest etiam Ecclesia impedire hoc Sacramentum, auferendo à ministro iurisdictionem; sed vendens Absolutionem, non punitur eoipso tali pœna.

SEXTO. Consecrationes Ecclesiarum, altarium & calicum non sunt irritæ etiamsi fiant Simoniacè. Neque obest quòd cap. Ecclesia 1. q. 4. dicatur, *Ecclesia quæ per pactionem consecrata fuerit, potius execrata quàm consecrata dici debet*; quia debet hoc intelligi dictum formaliter, quatenus ad consecrationem Simoniaca pactio concurrit: hoc enim execrabilem actum facit, quatenus est actio Simoniaci, sed quatenus fit Ecclesiæ nomine, potestate & auctoritate, est consecratio firma.

SEPTIMO. Actus iurisdictionis Ecclesiasticæ extra materiam Beneficialem non sunt ipso facto irriti ideò quòd fiant Simoniacè; nusquam enim id Iure statutum reperitur.

TRA-



# TRACTATVS DECIMVS
## De Religione.

POSTQVAM *egimus de Iustitia commutatiua & distributiua, agendum nobis est de Religione, virtute Iustitiæ annexa, in hoc à Iustitia deficiente, quòd æquiualens Deo non reddat. Diuidemus autem hunc tractatum in octo Capita. Primum erit De Religione in genere; Secundum De Oratione; Tertium De Sacrificio; Quartum De Decimis; Quintum De Voto; Sextum De Iuramento; Septimum De Superstitione; Octauum De Magia.*

## CAPVT PRIMVM.
### De Religione in genere.

*D. Thomas quæst. 81.*

## DVBIVM PRIMVM.
### *Quid Religio?*

*Religio vnde dicta.*

VNDE Religio dicta sit, variæ sunt sententiæ. Quidam dictam putant à relegendo libros diuini cultus. Ita Cicero, lib. 2. De natura deorum. Verùm illud refutat Lactantius lib. 4. Institut. cap. 28. & Lucretium adducens, qui dixerit, se nodos Religionum exoluere; existimat potiùs Religionem à religando nos Deo nomen accepisse, quod & Isidoro placuit lib. 8. Originum, cap. 2. vt ostendunt Notæ ad eumdem, quamuis obscurius aliquid in alienum sensum assutum sit. Placuit & Caietano hîc articulo 1. Augustinus verò 10. De ciuit. Dei cap. 4. Religionem deriuat à religendo, quasi denuò legendo, siue eligendo; quòd Deum religere debeamus, quem amisimus negligentes. Alij à relinquendo, sicut cæremonia à carendo: vt religiosum dicatur, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum à nobis est. Ita Massurius Sabinus apud Gellium lib. 4. cap. 9.

Ceterùm Lactantij etymon maximè placet, quod & D. Augustinus lib. De vera Religione approbat his verbis: *Ei vni religantes animas nostras, vnde Religio dicta creditur.* Quod confirmat potiùs quàm excusat lib. 1. Retract. cap. 13. Neque tamen incommodè religatio ista Deum habere religantem à Lactantio consideratur, vt Religio à vinculo pietatis sit dicta, quòd Deus hominem sibi religarit, & pietate constrinxerit; quia nos seruire ei vt Domino, & obsequi vt patri necesse est.

Hinc patet, quamuis omnis virtus nos Deo coniungat, peculiariter tamen id præstare Religionem, vt meritò ipsa in virtutibus quæ ad Deum sunt, sit reponenda; sicuti & peccata quædam peculiariter dicuntur contra Deum, quamuis omne peccatum hominis, etiam in seipsum vel proximum, sit contra Deum. Vnde commodior erit explicatio vinculi Religionis, si altero ex dictis modis ad Deum referatur, quàm si consideretur illud quo inter nos per Religionem cohæremus; cuius meminit D. Hieronymus in c. 9. Amos. Quamuis & hoc verum sit, quia vni tertio plenè & strictè alligati, etiam inter se quodammodò religantur, sicuti fieri videmus inter seruos eiusdem domini.

Est autem (ex Cicerone probato à D. Augustino lib. 83. Quæstionum quæst. 31.) Religio, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam cæremoniamque adfert; hoc est, vt inquiunt alijs verbis definientes Scholastici, Religio est virtus moralis, inclinans voluntatem vt Deo tribuamus cultum debitum, tamquam omnium creatori & Domino. Est ergo Religio virtus moralis, non Theologica. Quamuis enim verse- *Religio est virtus moralis.*
tur circa Deum, non tamen tamquam circa materiam vel obiectum, sed tamquam circa finem cui: obiectum enim Religionis non Deus, aut aliquod Dei attributum, sed cultus Dei est. Neque enim sicuti Deus est obiectum fidei, non solùm quatenus credimus Deum, sed etiam quatenus credimus Deo; ita dici potest Religionis esse obiectum Deus, siue spectetur is cui cultum adferimus, siue cultus ipse quem adferimus. Similiter quando Dei visionem speramus, ipsam Dei pos- *Definitur Religio.*

sessionem, adeoque ipsum Deum speramus: at quando Deo suum cultum per Religionem volumus, non Deum aut Dei possessionem, sed Deo tantùm propriè aliquid volumus, cultum nimirum & honorem ei debitum; debitum inquam, propter seipsum, vel attributa illa, in quæ tendit immediatè virtus Theologica.

*Obiect.* Dices, Ipse cultus Dei, qui est actus Religionis, versatur immediatè circa Deum; ergo Religio verè est virtus Theologica: virtus enim & actus eius habent idem obiectum.

*Resp.* Respondeo, D. Thomas art. 1. in corpore, apertè negat actus quibus Deus colitur, ipsum Deum attingere: verè enim Religio non attingit Deum actibus suis in seipso, sed occupatur circa aliquid ab eo distinctum, quod ei adfert, siue hoc in cura quadam consideretur actus interioris (neque enim Religio ex toto genere suo pro obiecto habet actum siue cultum exteriorem) siue in exteriori cæremonia; vtrumque enim attigit in sua definitione Cicero suprà citatus. Quia tamen Religio magnam habet cum virtute Theologica affinitatem, versatur & ipsa circa Deum, non tamen in se consideratum aut simpliciter, sed vt cui adferat debitum cultum; adeoque Deum respicit in obliquo per aliquid Dei, quod ipsi adfert, vt obseruauit Caietanus dicto art. 5. Nisi enim saltem illo modo Deum respiceret, non esset virtus ad alterum: quod enim iustitia ad proximum, hoc Religio ad Deum. Rursus si λατρεία hoc modo non versaretur circa Deum, iam degeneraret in idololatriam.

Quæres, Quid nomine cultus diuini hîc intelligatur?

*In quo consistat cultus diuinus.* Respondeo, Cultum in duobus situm esse: in reuerentia qua Dei protestemur excellentiam; & in seruitute qua nostram protestemur subiectionem, siue aliquid ei exhibendo, siue aliquid diuinum iterùm assumendo. Ita D. Thomas art. 3. ad 2. Vbi aduerte, in omni actu Religionis, etiam illo qui non fit aliquid Deo exhibendo, sed aliquid diuinum assumendo, aliquid nos Deo adferre, vt habet definitio: nam etiam preces mentales, quibus ipsi à Deo aliquid accipere nitimur, Deo offerimus.

Queres Secundò, Quomodo Religio possit esse vna aliqua virtus, cùm tam varios actus habeat?

*Quomodo Religio sit vna virtus.* Respondeo; Suarez in 3. partem, tom. 4. disp. 7. sect. 2. numer. 5. tenet, Religionem non esse vnum aliquem habitum, neque aliter posse dici vnam virtutem, nisi intelligendo vnam genere, non specie, aut vnam solùm per collectionem plurium habituum, habentium inter se quamdam affinitatem, vel quasi artificialem compositionem in ordine ad honorem Dei, integrè & omni ex parte seruandum. Verùm D. Thomas art. 3. simpliciter asserit, Religionem esse vnam virtutem, eò quòd vnum habeat formale obiectum, videlicet reuerentiam exhibitam Deo, tamquam primo principio creationis & gubernationis rerum, secundùm illud Malachiæ 1. *Si ego pater, vbi est honor meus?* Qui modus loquendi poterit retineri: quamuis enim materiales actus Religionis sint admodum varij, conueniunt tamen in vna hac ratione formali protestationis supremi diuini dominij: nam seruitutis aut subiectionis nostræ protestatio in ratione formali non differt à protestatione dominij & summæ excellentiæ.

*An Religio sit species infima.* Vtrùm autem Religionis virtus sit species infima, an genus quoddam in serie virtutum, ambiguè disputari potest. Verius videtur quòd sit species infima: nihil enim prohibet tamquam specificum considerari, & speciem vltimam constituere obiectum illud formale quod ponimus in supremi dominij protestatione; quomodo color vt visibilis, constituit visum speciem infimam sensus, etiamsi color sub se species habeat, materialiter consideratus in genere entis.

Dices, In protestatione supremi dominij latent quasi in potentia essentiales quædam aliæ differentiæ; quia oratione protestamur Dei potentiam, iuramento veracitatem, sacrificio dominium.

Respondeo, Neque pro ratione diuersorum attributorũ, neque etiam pro ratione diuersorum Beneficiorum continuò variari hîc species protestationis religiosæ, quod ratio D. Thomæ art. 3. ad 1. satis probat: *Diuersæ autem rationes attributorũ*, inquit, *concurrunt ad rationem primi principij, quia Deus producit omnia, & gubernat, sapientia, voluntate & potentia bonitatis suæ.* Vna ergo his omnibus vtens diuina maiestas, excellentia suprema, dominatio, prouidentiaque vna est, in qua vna protestanda veluti in aliquo suo cultu, horum simul omnium protestationem Religio curat.

Quæres Tertiò, Vtrùm non detur vlla Religio acquisita, sed tantùm infusa?

Videtur nulla dari: quia si qua daretur, ea respiceret Deum, vt est primum principium creationis & gubernationis rerum: atqui hoc dici non potest, quia D. Thomas art. 3. de infusa Religione agens, dicit eam versari circa reuerentiam Dei sic considerati.

*Verius, Dari vtiam Religionem acquisitam.* Respondeo, Quamuis admodum procliue sit ita Religionem considerare, vt versatur in Dei cultu, producentis & prouidentis tam in naturali quàm in supernaturali ordine, præsertim cùm omnia vtriusque ordinis beneficia, à primi principij, summique Domini ac Patris bonitate promanent, adeoque vnica species huius virtutis reipsa videatur sese ad omnia ista extendere; non tamen caret probabilitate quod quidam dicunt, esse etiam Religionem aliquam acquisitam quæ versetur circa cultum Dei, vt est auctor naturæ & vitæ naturalis, distincta à Religione infusa, quæ colat Deum vt est auctor gratiæ & vitæ supernaturalis, ita vt acquisita conueniat naturę nostræ vt rationalis est, infusa autem eidem conueniat vt destinatæ ad vitam supernaturalem. Ita sensit Vasquez 1.2. disp. 86. num. 25. Illud asseuerantiùs dixerim, Si non reipsa post lapsum sit vlla Religio acquisita, eò quòd eius qui supernaturaliter Deum amauerit super omnia, Religio vtique infusa ad omne obiectum acquisitæ sese extendat; eius autem qui Deum supernaturaliter non amauerit, quique adeò (vt cùm De gratia ageremus diximus) non pertigerit ad perfectionem amoris Dei super omnia, quòd nullus eiusmodi sit amor, ne quidem naturalis in lapso sine gratia, facilè vana fortè reputetur Religio; attamen saltem possibilem esse, & futuram fuisse Religionem acquisitam, si ad finem tantùm naturalem homo conditus fuisset. Imò verius existimo, per exercitia infusæ Religionis nasci quamdam acquisitam; hoc enim etiam virtuti Theologicæ, quæ alioqui per se maximè infusa est, aliquousq; accommodatur: nam exercitio fidei infusæ, compa-



comparamus nobis quamdam acquisitam.

*Quomodo differat ab aliis virtutibus.* Quæres Quartò, Quomodo Religio differat à pietate in Deum, obseruantia, gratitudine, & humilitate?

Respondeo, A pietate in Deum non differre, vt patet ex D. Thoma, q. 101. art. 1. Religio enim nihil est aliud quàm pietas in Deum.

Ab obseruantia, si etiam illa erga Deum versari consideretur, reipsa parum quoque differet, vt colligitur ex eodem, q. 162. art. 1. ad 1. Religio enim per quamdam superexcellentiam est obseruantia & pietas, sicuti Deus per eminentiam Pater dicitur aut Princeps.

A gratitudine in Deum hactenus potest distingui Religio, quòd Religio Deum colat non tam in protestationem beneficij ab eo accepti, quàm in protestationem summæ excellentiæ, ratione cuius fons est omnium beneficiorum: gratitudo autem pro obiecto habet ipsum beneficium, adeoque Deum respicit vt actu in nos beneficum, quod longè minus est infinita eius excellentia. Poterit ergo gratitudo vt particula quædam Religionis considerari; nam gratiarum actio pars est orationis, vt dicit D. Thomas hîc q. 83. art. 7. oratio autem Religionis est actus. Poterit etiam ipsa Religio dici excellens quædam gratitudo, vt docet idem D. Thomas q. 106. art. 1. ad 1. Sed quia Deo, etiam præueniendo considerationem beneficiorum quæ ab eo accepimus, debetur suus cultus, sicut obseruantiâ eos colimus qui virtute præstant, etiamsi nobis in nullo profuerint; manifestum est, gratitudinem non exæquare amplitudinem Religionis.

Ab humilitate videtur cuipiam non distingui Religio qua parte nostræ subiectionis & seruitutis est professio: sed verè distinguitur, quà Religio est professio excellentiæ diuinæ, humilitas depressio propriæ: Religio pars est iustitiæ, humilitas ad modestiam pertinet temperantiæ.

Quæres Quintò, Sub qua ratione Deus sit obiectum virtutis Religionis, an præcisè quatenus infinitæ excellentiæ & perfectionis est in seipso, an verò vt principium primum creationis & gubernationis creaturarum, an denique vt peculiare habens in creaturas omnes, præsertim in res & actiones humanas, dominium?

Respondeo, Religio respicit Deum sub ratione diuinæ suæ excellentiæ, quæ coalescit ex omnibus diuinis attributis; & quidem quatenus cultum Deo adfert, præuenit quodammodò actuale eius dominium: quatenus verò actualem seruitutem hominis ad Deum profitetur, considerat Deum vt suæ excellentiæ ad nos communicatorem per creationem & gubernationem. Hinc pater, etiamsi Deus consideraretur præueniendo omnem ad creaturam beneficentiam, esse tamen in seipso cultu Religionis dignum, eoque afficiendum: seruitutis tamen cultum tum demum ei exhiberi, quando consideratur vt creator & gubernator.

## DVBIVM II.

### *Vtrùm Religio sit præstantissima virtutum moralium?*

Asservit D. Thomas art. 6. eò quòd Religio quamuis in se Deum non attingat, propiùs tamen circa Deum versetur præ reliquis virtutibus moralibus, vtpote quæ ex proprio munere occupetur in iis quæ proximè ad Dei honorem pertinent.

Quæres, Quomodo istud consentiat cum eo quod alibi D. Thomas docet, iustitiam esse primam inter virtutes morales.

Respondeo, Etiam Religionem esse partem iustitiæ, eamque nobilissimam.

Dices, Saltem iustitia legali, quæ etiam illa ordinat quæ sunt Religionis, Religio non erit præstantior.

Respondet Caietanus, Non comparari hîc Religionem cum iustitia legali, ad quam se habet instar partis: certum enim esse, perfectionem partis etiam esse in toto. Sed dici potest cum Aragonio, q. 58. art. 12. etiam iustitia legali Religionem esse præstantiorem: est enim istud conformius doctrinæ D. Thomæ, & satis probatur eius argumentis.

Ad Caietani autem argumentum responderi potest, Etiamsi iustitia legalis vtcumque ordinet, etiam illa quæ Religionis sunt, non tamen inde sequi, in genere virtutis absolutè esse digniorem; nam etiam illa ordinat quæ charitatis sunt: manet ergo nihilominùs sua Religioni prærogatiua, ex vicinia cum virtutibus Theologicis. Confirmatur, Quia iustitia legalis solùm est præstantissima inter virtutes morales in affectu residentes: neq; enim præstantior est intellectuali virtute prudentiæ; iustitia verò præstantior est illis moralibus quæ circa appetitum inferiorem versantur; at Religio absolutè præstantissima est inter omnes omnino morales, & ipsam quoque superat prudentiam.

## DVBIVM III.

### *Quos actus habeat Religio?*

*Actus religionis interiores: Exteriores.* Actvs Religionis alij sunt interiores, alij exteriores. Interiores, deuotio & oratio. Exteriores in triplici sunt differentia: quibusdam enim homo tantùm corpus suum ad Deum venerandum exhibet, qualis est adoratio; alijs aliquid de rebus exterioribus Deo offertur, quale est Sacrificium, oblationes, decimæ, primitiæ; alijs denique in diuini nominis honorem aliquid assumitur, puta vel Sacramentum, vel nomen Dei: idque vel iuramento, ad propria verba confirmanda; vel per modum adiurationis, ad alios inducendum; vel denique per modum inuocationis, ad orandum vel laudandum. Quia verò non tantùm Deo cultus adferri, sed etiam in eius honorem aliquid ei promitti potest, fit vt insuper votum in actibus Religionis locum suum habeat, siue id solo animo, siue etiam ore, siue de solo interiori, siue etiam de exteriori actu fiat, siue quod promittimus in Dei cultum adorando, vel rem aliquam offerendo, siue aliquid diuinum suscipiendo exhibituri simus

Quæritur Primò, Vtrùm ad actus interiores Religionis pertineant actus fidei, spei, & charitatis. Pertinere enim, quidam antiqui senserunt, teste Almaino in 3. dist. 9.

*Religio distinguitur à virtutibus Theologicis.* Verùm ij satis refutati sunt Dubio 1. vbi à Theologicis virtutibus Religionem distinximus. Est quidem verum, Religionis actus à virtute Theologica, præsertim à charitate imperari: sed hîc

hîc quærimus non quemuis actum imperantem, sed qui elicitus sit à virtute Religionis: charitas enim tam internum quàm externum Religionis actum imperat; at Religio per actum interiorem à se elicitum imperat externum Dei cultum.

Attamen illud dubitationem habere queat, Vtrùm Religio non possit vicissim imperare actus virtutum Theologicarum internos: nam de externis satis certum est ex illo Iacobi 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos*, &c.

Verius existimo, Imperare posse. Tunc autem actus illi imperati, prout ad cultum Deo adferendum ordinantur, verè pertinebunt ad virtutem Religionis. Hoc videtur voluisse D. Thomas hîc art. vlt. quando sanctitatem dixit secundùm essentiam non differre à Religione sed sola ratione, quatenus propriè consideratur Religio in illis quæ specialiter ad Dei cultum pertinent, cùm sanctitas Deo famuletur per quæuis bona opera, hoc ipso quo bona sunt ad Dei cultum pertinentia. Hoc etiam videtur voluisse D. Augustinus, quando in fide, spe, & charitate summam diuini cultus ponit, Enchirid. cap. 3. indubiè enim omnis actus virtutis interior assumi potest ad mentalem Dei cultum; Deo enim credentes, summam eius veracitatem cõlimus, noscque ei subijcimus, captiuantes intellectum in obsequium fidei: & ita in reliquis. Istud adeò verum esse existimat D. Augustinus lib. 10. De ciuitate, cap. 4. vt tamquam potiores actus Religionis eiusmodi interiora pietatis exercitia commendet. Quamuis enim hæc sint impropriè dicta sacrificia, sunt tamen propriè actus Religionis, quando saltem eo fine imperantur, vt Deo cultus adferatur. Imò sicuti magis propria sacrificia sunt exteriora, ita magis vera Religio interior est. Hinc etiam significata potiùs, quàm figuralia illa sacrificia Deus dicitur velle, Psal. 50. & sæpè aliàs in Scripturis. *Non enim vult*, inquit Augustinus suprà cap. 5. *sacrificium trucidati pecoris, sed vult. sacrificium contriti cordis.*

Interiores isti actus per *curam* in vulgata definitione Religionis significantur. Ad quam pertinet quod Michææ 6. vnicè à nobis requiritur, facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitè ambulare cũ Deo: pertinet, inquam, quando fit in Dei cultum & quasi in locum exterioris cultus substituitur. Hinc nata & illa D. Augustini definitio ibid. cap. 6. *Verum sacrificium est omne opus quod agitur vt sancta societate inhæreamus Deo:* hoc enim rationabile est obsequium, quo non tantùm nostra, sed nos ipsos, animam & corpus, Deo dicamus.

Quæritur Secundò, Vtrùm Religio habeat aliquos actus externos.

*De actibus externis Religionis. Argum.1.*

Meritò id quæritur, quia sæpè in Scriptura Deus significat, se nolle ista sacrificia externa, vt videre licet apud D. Augustinum suprà citatum. Cùm enim actus externi per se indifferentes sint, quamuis etiam imperio Religionis fieri possint; vix tamen mereri videntur vt dicantur actus Religionis.

2. Secundò, Si sit aliquis actus externus Religionis, vel erit protestatio interioris, sicut Confessio fidei pertinet ad fidem; vel tantùm generaliter erit imperatus à Religione. Prius non videtur dici posse; quia sic confunderentur actus exteriores Religionis & fidei: nam sacrificia exteriora non minùs videntur quædam professio fidei quàm Religionis. Vnde qui idolis thurificant, fidem censentur negasse. Posterius autem non sufficit, quia sic non magis erit actus Religionis oblatio sacrificij, quàm visitare pupillos & viduas, & similia.

Tertiò, Quamuis olim Deus rudi Iudæorum populo permiserit cæremonias, quòd eis in Ægypto adsueuissent, nec possent infirmis subitò eripi ac interdici; fuerunt tamen naturâ suâ ad spiritalem cultum ex se inutiles. Nunc itaque quando à Christo Domino edocti Ioannis 4. veri adoratores Deum qui spiritus est, in spiritu & veritate debent adorare, reiiciendus erit tamquam inutilis cultus, ille externus. 3.

Duo hîc errores confutandi. Vnus, qui dicit, cæremonias veteris Legis naturâ suâ fuisse non indifferentes, sed superstitiosas per idololatras suggerente diabolo excogitatas, & à Deo tantùm permissas. Alter, non decere filios noui Testamenti cultum illum Dei externum.

Prior manifestè est contra Scripturas, quæ Deum faciunt harum cæremoniarum auctorem & præceptorem; bonum inquam Deum, Patrem Christi Domini, qui promisit & suscitauit Israëli alium Prophetam similem Moysi. Neque vlla probabilitate dicitur, easdem cæremonias priùs ab idololatris, diabolo suggerente, fuisse excogitatas; quia contrarias potiùs Deus instituisse reperitur, verbi gratia, vt illa animalia Iudæi mactauerint in sacrificium, quæ tamquam deos suos Ægyptij colebant, secundùm illud Exodi 8. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro? quòd si mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruent.* Imò alibi Deus prohibet, ad imitationem idololatrarum sibi cultum exhiberi, Deuteronom. 12. *Non facies similiter Domino Deo tuo.* Cæremoniæ igitur veteris Legis erant quidem ex se indifferentes, sed addita eis est sacra significatio ex rationabili Dei instituto, & tantum abest vt Deus in hoc imitatus sit diabolum, vt potiùs econtrà idololatræ imitati sint sacrificia Dei, 1. Machab. 3. *Expanderunt libros Legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum.* Diabolus enim in terra quærit principatum, quem in cælis habere non potuit, vt dicit Nazianzenus Oratione De calamitatibus animæ suæ: & vt dicit Augustinus lib. 1. Contra aduersarium Legis & Prophetarum c. 18. *Sacrificium dæmon non exigeret, nisi vero Deo deberi sciret.* Est enim simia Dei, vt docet idem Augustinus Tract. 7. in Ioannem. Denique ipse Christus sacrificia Legis à Deo instituta fuisse, & superstitione caruisse, clarissimè demonstrat, quando leproso à se mundato dicit, *Offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.*

*Cæremonias legis veteris non fuisse superstitiosas.*

Posterior error exploratam etiam continet hæresim contra Scripturam & rationem. Quamuis enim vindice Christo liberati simus à iugo illo multiplici veterum cæremoniarum, omnem tamen exteriorem Dei cultum Dominus non sustulit: nam Actor. cap. 20. illustre est exemplum Pauli & aliorum fidelium de genuflexione. *Cùm hæc dixisset*, inquit Lucas, *positis genibus orauit cum omnibus illis.* Idem in extrema oratione inter saxa lapidantium fecit Stephanus cap. 7. & Petrus cap. 9. ponens genua orauit. Imò ipse Christus Dominus Lucæ 22. positis genibus orabat. Atque his ferè exemplis eiusmodi ritum esse retinendum, olim statuit Synodus Turonensis cap. 37. tempore Caroli Magni. Rursum ad rationem naturalem quod attinet, manifestum est, cùm anima constemus & corpore, oportere nos vtroque Deum colere, vt cor & caro nostra exultent in Deum viuum. Quo argumento idem probauit Damascenus lib. 4. De fide, cap. 13. Neque enim æquum est, vt caro quæ Dei figmentum est, à tributo seruitutis diuinæ sit libera: imò vt Tertullianus docet lib. De resurrect. carnis, plurima Deo gratissima, caro de suo incommodo instaurat. Quamuis enim homines ea videant quæ parent, Deus autem intueatur cor; vt tamen cordis nostri deuotio erga Deum excitetur, opus est exteriori quadam corporis excitatione. Cùm enim omnis noster cogitatus sensui in hac vita quodammodò sit alligatus, oportet nos per sensibilia in Dei cultum interiorem proficere, adeoque exteriores quosdam actus Religioni deputatos exercere, quibus interior Religio foueatur ac suscitetur. Principaliores ergo sunt actus Religionis interiores, sed exteriores secundarij interioribus subseruiunt & subordinantur, vt hîc artic. 7. D. Thomas. Ordinantur autem actus Religionis exteriores ad interiores, partim naturali quadam dispositione; quomodo geniculatio apud omnes ferè gentes subiectionis & infirmitatis propriæ protestationem significat. Vnde elephantum fecerunt Ægyptij regiæ potentiæ hieroglyphicum, quòd nemini genu flectat. Partim verò humana vel diuina institutione, vt colligitur ex D. Thoma infrà quæst. 85. art. 1. ad 1.

*Cultus externus vt non esset Deo debitus.*

Ex dictis colligitur, cultum Religionis exteriorem in genere, esse Iuris naturæ, adeoque etiam in statu innocentiæ futurum fuisse, aut etiam pro modico quo in eo perstitit homo tempore, non defuisse: sed determinatio rerum & actionum quę in eo adhibentur, varia fuit, & ex Lege pendet positiua. Superest responsio ad argumenta.

*Respondetur argumentis oppositis. Ad 1.*

Ad Primum respondeo; Deus sæpè significauit se nolle sacrificia externa, partim quia respexit tempus, quo visitata illa legalia sacrificia erat abolituros, partim quia in se sine interiori sacrificio Deo non placent: neque enim ipse indiget pecoribus oblatis, & vt indigeret, non repeteret de manibus nostris, cùm nos de manu ipsius accipiamus quæcumque ei offerimus. Merentur nihilominùs exteriores isti actus dici Religionis, quia verè faciunt ad Religionem in mente excitandam, & ex interiore Religione proficiscuntur.

*Ad 2.*

Ad Secundum; Actus exteriores Religionis sunt in duplici genere: quidam enim quodammodò eliciuntur à Religione, & sunt illud exteriùs, quod mentalis Religionis actus est interiùs; vtpote qui peculiariter destinati sint ad Dei cultum: tales enim se habent ad Religionem, sicuti confessio fidei ad fidem, locutio exterior ad habitum scientiæ eam dirigentis. Neque mirum est, eiusmodi actus etiam pendere à fide, quia & ipsa interior Religio à fide pendet, & fides intermedia Religione imperat actum sacrificij, & plurimam hostiam offert Deo, Heb. 11. & econtrà infidelitas per superstitionem sacrificat idolis. Alij autem solùm à Religione imperantur; quo modo eleëmosyna, verbi gratia, visitare pupillos, poterit esse actus Religionis imperatus, quamuis elicitus à virtute misericordiæ.



Ad Tertium; Patet ex dictis, admodum à veritate esse aliena quæ assumuntur. Pater insuper, in spiritu & veritate etiam illos adorare, qui interiùs exteriusque verè Deum colunt: in spiritu enim adorant, quando non tantùm exteriùs adorant, aut in exteriori cultu non ponunt nimiam vim, negligentes interiorem qui in spiritu est; nam sine spiritu cultus exterior nihil prodest: in quo peccarunt Iudæi, reprehensi Ieremiæ cap. 7. qui nimis ingeminabant illud, *Templum Domini est.* In veritate autem adorant, qui verum Deum adorant: in quo peccabant Samaritani, quibus dicit Dominus Ioannis 4. *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus.* Si ergo vero Deo per veram fidem cognito, ex spiritu adferatur cultus externus, iam adoratur in spiritu & veritate; quod indubiè adimplebat Paulus, qui Deo seruiebat in spiritu in Euangelio. Fit etiam ab eo qui spiritu psallit & mente. Hac explicatione vsi sunt Patres Septimæ Synodi. Toletus tamen in eum locum indicat alium sensum, quo possint dici Iudæi non adorasse in spiritu, quòd nimirum sacrificia habebant, non ad hoc instituta vt essent actus exteriores virtutis, sed vt essent signa & figuræ futurorum mysteriorum. Ceterùm istud non obest, quòd minùs, vt diximus, simpliciter dicantur in spiritu non adorasse, qui tantùm exteriùs illa adhibebant: quamuis indicet vsum quemdam accessorium, ratione cuius etiam non in spiritu facta, spirituale aliquid designabant. Denique Vasquez De adoratione lib. 1. disp. 1. cap. 2. numero 25. in veritate eos intellexit adorare, qui non sine vero affectu adorandi exteriùs adorant, eò quòd affectus ille interior sit quasi anima adorationis. *Ad 3.*

Quæritur Tertiò, Vtrùm deuotio sit actus interior Religionis?

*Deuotio est actus Religionis.*

Deuotio nihil aliud est, quàm voluntas quædam promptè tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum.

Pro huius actus intellectu obseruandum est, sicut virtus Religionis totos nos Deo subijcit, ita hunc actum Religionis internum & præcipuum eò pertinere, vt promptè voluntas per eum formaliter se suaque omnia opera in diuino cultu offerat Deo. Vnde fit, vt & ipsa actus quidam Religionis sit, & modus omnium reliquorum actuum bonorum. Cùm enim sit motio quædam in finem, reperitur in omnibus medijs ad illum finem. Ita sensit D. Thomas quæst. 82. art. 1.

Quæres, Vtrùm possit esse actus deuotionis solus, sine actu alio Religionis vel alterius virtutis?

Respondeo, Satis certum esse quòd possit esse sine alio actu Religionis. Potest enim quis etiam cum deuotione in Dei honorem opera aliarum virtutum exercere, sicut potest ea vouere, & vota implere: neque enim vt ex Religione facere censeat, requiritur promissio, sed sufficit intentio & propositum. Addo, etiam simpliciter actum deuotionis posse esse solum, sed ipsa sua promptitudine & pia sollicitudine hoc agit, ne sit solus. Est enim deuotio religiosi animi quædam sui totius ad Dei cultum & seruitium dedicatio: quæ tamen quia in proposito & quadam eius insinuatione absque alia promissione consistit, non adducit peculiarem obligationem sicuti votum: quando enim solùm declaramus alicui voluntatem quam habemus

habemus illi gratificandi & benefaciendi ſine promiſſione, non parit hoc nouam obligationem.

Quæres iterùm, Vtrùm ille idem actus, modus ſit aliorum actuum; an verò modus ille, quo verbi gratia oratio dicitur deuota, alius ſit actus?

Reſpondeo, Eumdem eſſe ſaltem virtute, ſicuti motio mouentis inuenitur virtute in motibus mobilium. Poteſt tamen in illis alijs actibus promptitudo duplex conſiderari: vna propria deuotionis, ex generali eius imperio, & affectu promptè ſeruiendi Deo promanans: altera propria ipſorum actuum, puta qua quis peculiari Dei dono, vel virtutis exercitio promptus eſt in oratione. Poſterior virtute ſolùm, & non ita propriè deuotionis eſt; prior autem formaliter & propriè.

*Adoratio.* Quæritur Quartò, Quid ſit adoratio?

Quia de oratione ſequenti Capite dicemus, quæ partim interior partim exterior eſt, hîc de adoratione inquirendum, de qua D. Thomas quæſt. 84.

Adorare quidam ita diſtinguunt à reuereri, vt reuereamur ſolo interiori affectu, adoremus autem ſigno externo. Alij rectiùs & reuerentiam exteriorem & adorationem interiorem agnoſcunt. Quibus apertè fauet Damaſcenus ſuprà citatus. Vbi iterùm vt certum recipimus, quod ab Auguſtino traditum, contra ſermonem Arianorum cap. 23. honorare latiùs patere quàm adorare: æquales enim ſe mutuò honorant, & filius dicit patri, Honorifica me. Deprehenditur & illa apud veteres circa vocem adorationis varietas, vt interdum dicant, eam vni Deo deberi, interdum etiam hominibus. Priores nimirum eam conſiderarunt, vt procedentem ex interiore affectione ſupremæ reuerentiæ ſoli Deo debitæ; poſteriores autem conſiderarunt, quòd exterior actus cõmunis ſit honori hominum, ideoque fieri poſſe, vt ex reuerentia quadam inferiori non excedente modum creaturæ adhibeatur. Longè alia ratio latriæ eſt, de qua Auguſtinus lib. 10. De ciuitate Dei c. 1. teſtatur, quòd ſecundùm conſuetudinem Scripturæ aut ſemper aut pænè ſemper ea tantùm dicatur ſeruitus, quæ pertineat ad colendum Deum. Affinia huic ſunt & quædam alia Græca vocabula ab Auguſtino ibid. commemorata. Θεοσέβεια peculiariter Dei cultum ſignificat. Θρησκεία Religionem, cęremonias, & cultum ſignificat. Εὐσέβεια pietatem tam in Deum quàm parentes. Δουλεία, ſi primam ſignificationẽ ſpectes, parũ à λατρεία differt: nam ſicuti λατρεία dicitur ab ingenti timore & tremore debito diuinæ maieſtati, ita δουλεία ſeruitutem eidem debitam deſignat; quamuis vſu Scripturę non perinde diuino cultui aſtringatur δουλεία ac λατρεία: nam & nobis inuicem ſeruire nos monet Apoſtolus ad Galat. 5. Vnde factum eſt, vt λατρεία pro Dei cultu à Theologis ſumeretur, δουλεία verò pro cultu Sanctorum. Item vt in Scriptura λατρεία magis aſtringatur ad Dei cultum quàm adoratio: Matthæi enim 4. ex cap. 6. Deuteronom. cùm dictum eſſet, *Dominum Deum tuum adorabis*, non eſt addita excluſiua, ſed in ſequenti, *& illi ſoli ſeruies*; Græcè λατρεύσεις, vt obſeruat D. Auguſtinus quæſt. 61. in Geneſim: quamuis alij annotent, eo loco parum id diſcriminis ſoliditatis habere, eò quòd dum dicitur, *Dominum Deum tuum adorabis*, per emphaſin quamdam ſignificetur ille ſolus eſſe adorandus, nec in Hebræo, adeoque nec in omnibus Latinis in Deuteronomio addatur excluſiua *ſoli* poſteriori parti, quamuis Vaticana retinuerint. Hactenus de nominum diſtinctione.

Ad naturam verò adorationis vt veniamus, in primis certum eſt, Hunc actum eſſe Religionis, quamuis non habeat ſibi peculiarem virtutem reſpondentem ſub Religione.

Secundò certum eſt, Adorationem eſſe *Adoratio quid.* quemdam honorem ei delatum, qui excellat ipſum honorantem.

Tertiò, Rectè definiri adorationem, vt ſit honor cum ſubmiſſionis nota. Colligitur ex Damaſceno, Oratione 1. De imaginibus.

Quartò certum eſt, Adorationis actum quadam ſui parte, eaque præcipua & primaria, reſidere in voluntate. Præſupponit tamen bonam exiſtimationem excellentiæ eius qui adoratur in intellectu: verùm non conſiſtit in cognitione ſpeculatiua; ſed in recognitione practica, quæ recognitio non ſatis poteſt diſcerni cultu externo; nam idem is eſt in λατρείᾳ & δουλείᾳ, ſed maximè diſcernitur interiori voluntate & intentione.

Difficultas autem non vulgaris eſt, Vtrùm conſummari poſſit adoratio in ſolo actu interno? id eſt, Vtrùm ſicuti actus fidei perficitur interiùs, quamuis habeat exteriorem actum ipſam confeſſionem, ita interiùs perficiatur & abſoluatur aliquis actus adorationis, qui non habeat pro obiecto exteriorem actum. *An adoratio poſſit conſtare ſolo actu interno.*

Eſt enim ſententia quorumdam, quando in definitione dicitur, *cum ſubmiſſionis nota*, illam ſignificationem ſeu notam, debere intelligi in ſigno aliquo exteriori, ita vt non detur magis proprièdicta adoratio interior, quàm ſacrificatio: quamuis vt velle ſacrificare, ita & poſſim ſolo interiori actu velle adorare. Hanc ſententiam ſequitur Vaſquez lib. 1. De adoratione, diſp. 1. cap. 4. & plures pro ea auctores citat. *Sententia negatiua.*

Probatur Primò, Quia D. Thomas ponendo adorationem inter actus Religionis exteriores, videtur ſatis hanc opinionem indicaſſe: ſi enim eſſet aliqua plena adoratio interna, ſicuti eſt oratio, quid cauſſæ erat hanc internis, illam externis actibus annumerandi? *Probatur.*

Secundò, Adoro vel ab *ador*, id eſt frumenti genere ſacrificijs olim deſtinato dictum eſt, vt quidam ex præcipuis Grammaticis voluerunt; vel vt Valla, ab *oro*, quod eſt, ore precor. Vtrouis modo dicatur, exterior actus inuoluitur. 2.

Verùm iſta ſententia non placet, Primò, Quia ex hac ſequitur, Non poſſe nos ſola mente propriè Deum adorare. Secundò ſequeretur, Non poſſe Angelos propriè Deum adorare, niſi alio exteriori aliquo actu adhibito. Tertiò, Adoratio in ſpiritu commendatur nobis Ioannis 4. Quamuis autem ea, vt ſuprà diximus, non excludat exteriorem, non tamen includit, ſed fortè eam infert, quatenus exterior interioris effectus & cauſſa eſt. Confirmatur, Quia Patres Septimæ Synodi ideò videntur dixiſſe, non eſſe imagini Domini exhibendam λατρείαν in ſpiritu & veritate, quòd exiſtimauerint interiorem λατρείαν in ſpiritu & veritate ad prototypum ſolùm debere terminari; exteriorem autem, quæ ad imaginem terminatur, eſſe ſolùm reſpectiuam quamdam λατρείαν. Quartò, Adoratio, vt ſuprà diximus, eſt honor cum ſubmiſſionis nota: atqui ſignificatio iſta ſubmiſſionis coram Deo & beatis ſiue ſpiritibus ſiue hominibus fieri poteſt *Reiicitur reſp. 2.*



poteſt mente ſola; poſſunt ergo adorari mente ſola, quamuis homines in hac vita non adorentur, niſi ea nota fuerit exterior.

*Verior reſp.* Itaque verior videtur aliorum ſententia, propoſita per Suarez in 3. partem, tom. 1. diſp. 31. qui diuidentes adorationem in internam & externam, monẽt in adoratione plura poſſe diſtingui: ſcilicet iudicium de excellentia eius qui adorandus eſt; quò referri poteſt veritas adorationis, (in qua defecerunt Samaritani) vt in veritate adoret qui adorat ex verè æſtimata dignitate eius quem adorat, vt ſuprà attigimus. Item voluntatem exhibendi cultum: illa namque ita eſt neceſſaria, vt ſine ea vera non conſtet adoratio, & potiùs ficta vel irriſoria dicenda ſit. Item ipſum cultum, qui poteſt & interior eſſe & exterior: quamuis quando mortales adorantur, debeat eſſe exterior; oportet enim illum cultum, vt ſit adoratio, cum tali ſignificatione ſubmiſſionis adhiberi, quæ percipi poſſit ab eo qui adoratur. Imò ſignificatio vel nota videtur complere naturam adorationis: nam tria reliqua ferè communia ſunt omni actui Religionis. Sunt ergo in adoratione quatuor: exiſtimatio excellentiæ, voluntas colendi, ipſe cultus, & nota ſubmiſſionis. Primum & ſecundum tantùm interna ſunt, poteſtque in illis ſolis conſiderari quædam interior adoratio, ſicuti in voluntate mœchandi quædam fornicatio, ſed ita aliquam abſolui adorationem interiorem, nemo negat. Tertium ergo, ſcilicet ipſe cultus, non tantùm externus, ſed etiã internus eſt: quid enim oberit, quò minùs in adoratione cultus internus cõſiderari queat, ſicut in alijs Religionis actibus? Exiſtimant tamen quidam, externum ſolùm hîc debere conſiderari, ſed argumentis ſuprà productis id ſatis refutatur.

Illud ſolùm quæſtionem habere poſſit, Vtrùm, ſicuti diximus ſuprà, interiores actus virtutum Theologicarum pertinere poſſe ad cultum Religionis, eos ad diuinæ excellentiæ proteſtationem imperantis, ita etiam per eoſdem & in ijſdem abſolui poſſit adoratio?

Sanè verius videtur, propriè dictam adorationem plus proprij & ſtrictiùs religioſi cultus poſtulare; fortaſſe quòd concurrentibus pluribus reſpectibus, non ſatis diſcreta appareat in his notificatio ſubmiſſionis: nam fides principaliùs ſeruit primo, id eſt exiſtimationi excellentiæ; ſpes autem & charitas in ſecundo, adeoque in voluntate adorandi proclniùs conſiderantur occupari.

Quartum denique, ſcilicet ipſa nota ſubmiſſionis, ſimiliter non tantùm externum, ſed etiam internum eſſe poteſt: ſequitur enim naturam cultus, cùm per ipſum cultum fiat hæc notificatio. Huc pertinet, quòd ſpirituales creaturæ, ſecundùm modum loquendi Scripturæ, genua habeant ſui ordinis, quibus Deum adorent, de quibus illud Apoſtoli ad Philippenſes 2. *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium*, &c. De his etiam genibus intellexit D. Hieronymus Apoſtolum ad Epheſ. 3. *Huius rei gratia flecto genua mea.* Et præter locum iam adductum ad Philippenſes, in eius confirmationem producit Iſaiam: *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate.* & illud Pſalm. 118. *Adhæſit pauimento anima mea:* & tandem concludit, veram geniculationem eſſe in animo, eò quòd multi corporale flectentes genu, animæ nequaquam poplitem curuent. Verè itaque datur adoratio quędam internat non tantùm propoſitum adorandi; quomodo & homicidium internum datur; ſed ſecundùm ſe, vt datur oratio interna. Iſaiæ 34.

Ad argumentum in contrarium reſpondeo, D. Thomam reſpexiſſe ad vulgarem vſurpationem huius vocis: propter notificationem enim quæ in ſola exteriori adoratione apparet hominibus, videtur adoratio magis externa conſideranda, præcipuè cùm illa notificatio videatur non tantùm fieri ipſi qui adoratur, ſed etiam alijs; notificatio autem quæ eſt in oratione, fit tantùm ipſi qui rogatur. *Reſp. ad 1. Prob. ſenſtia negatiua.*

Ad alterum reſpondeo, Ex vocis etymologia infirmum eſt argumentum, quod vel hinc euidens eſt: ſi enim orare ſit ore precari, iam ne quidem oratio interna dabitur aut mentalis. *Ad 2.*

## CAPVT II.

### *De Oratione.*

### DVBIVM I.

### *Quid Oratio, & quotuplex?*

OMISSA vocis ambiguitate, quæ ſanè non parua eſt, ſed vtcumque nota (rectè enim quidam dixit, aliter hanc vocem vſurpare Grammaticos, aliter Logicos, aliter Rhetores, aliter Theologos & Iuriſperitos;) hîc orationem accipimus pro petitione facta Deo, vt eam definiuit Nauarrus: vel vt ex D. Thoma colligitur, accuratiùs definiri hîc poteſt oratio, Actus rationis practicæ, voluntatis deſiderium explicantis, & à Deo aliquid petentis. *Oratio quid.*

Ex qua definitione in primis intelligimus, Neque Deum neque creaturam irrationalem orare: quando enim Filius in Scriptura oraſſe legitur, id fecit per naturam aſſumptam. Spiritus ſanctus dicitur poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quia nos poſtulare facit. Pulli coruorum Deum inuocare dicuntur Pſal. 146. non propriè dicta oratione, ſed quia pro ſuo modulo diuinam bonitatẽ participare cupiunt, vt explicat D. Thomas art. 10. Rom. 8.

Colligitur etiam, Nos non orare ſecundùm partem inferiorem aut ſenſualitatem; quia ſenſus non percipit diuina, multo minùs per orationem aſcendit in Deum. Obiectiuè tamen ea quæ ſenſitiui ſunt appetitus, ad orationem pertinere manifeſtum eſt. Sola ergo creatura rationalis orat, Angeli, Beati, homines, & animæ diuina viſione fruentes, & viatores Dei cognitionem habentes: quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt? Animæ purgatorij; quamuis Abulenſis & alij quidam negent has animas orare: quibus fauet D. Thomas art. 11. ad 3. ſed ſine magna aſſeueratione loquitur; ſolùm enim dicit, quòd vt ſunt nobis inferiores, vtpote pœnis ſubiectæ, non ſint in ſtatu orandi pro nobis, ſed potiùs vt oretur pro eis. Verùm has animas non orare, probant, eò quòd ipſorum oratio non poſſit eſſe meritoria vel ſatisfactoria, vtpote quæ ſint extra ſtatum merendi, adeoque etiam extra ſtatum aliter ſatisfaciendi, quàm patiendo pœnam ſibi decretam. *Quinam orent.*

Sed oppoſita ſententia verior & probabilior eſt. Quod enim de merito dicunt aut ſatisfactione, neque Beati orando merentur aut ſatisfa-

ciunt, quos tamen de Fide est pro nobis orare. Præterea quamuis animæ istæ non orent pro diminutione pœnæ purgatorij, quam probè norunt sese non posse impetrare; neque etiam in particulari pro viuentium necessitatibus, quas verisimile est eas in particulari ignorare: non desunt tamen alia quæ rationabiliter saltem in genere petere nobis possint, & fortè etiam sibi petunt & impetrant, solatia Angelorum, reuelationes de statu amicorum, & vtrùm pro ipsis orent, & vt ad pro se orandum excitentur, & similia.

*Quid animæ petant sibi & nobis*

Sed dicent, In carcere positos non reputari dignos qui Regem precentur: sed magis indigni sunt Dei inimici, quos tamen compertum est ab oratione non repelli.

Hanc sententiam tenet Bellarminus lib. 2. De purgatorio, cap. 15. sequitur Suarez De purgatorio disp. 47. sect. 2. numero 3. tom. 4. qui addit, etiam à nobis posse illas animas rogari vt pro nobis orent. Sed cùm preces nostras non nisi extraordinaria via cognoscant, potiùs Bellarmino assentior, quòd orandæ non sint.

Animas in limbo oràsse pro populo Dei, docetur 2. Machab. cap. vlt. exemplo Ieremiæ & Oniæ.

Damnatus diues epulo pro fratribus orauit, ne venirent in locum illum tormentorũ, Luc. 16.

Dæmones si orent, numquam benè orant. Certè rogarunt Christum, ne mitteret eos in infernum, Lucæ 8.

At quæ pars creaturæ rationalis actum orationis elicit? Videtur enim, quòd voluntas, quia est actus elicitus virtutis Religionis, quam diximus esse in voluntate.

*Oratio elicitur ab intellectu.*

Certum nihilominùs est, orationem elici à ratione: est enim oratio quędã locutio; locutio autem interior est intellectus, qui est quasi lingua & interpres voluntatis. Deinde sicuti per intellectum propriè voluntati imperamus, & præcipimus inferiori; ita & superiorem rogamus: neque enim minùs orationes deprecatoriæ quàm imperatiuæ pertinent ad operationes intellectus.

Ad practicum autem intellectum oratio pertinet, quia est ordinatio quædam ad aliquid faciendum per alium, quæ non fit per solam apprehensionem speculatiuam, iudicium, vel collectionem.

*Differt oratio à desiderio & desiderij significatione.*

Vnde colligitur quid discriminis inter desiderium, desiderij significationem, & orationem. Desiderium enim voluntatis est; significatio desiderij, intellectus speculatiui; oratio autem est intellectus practici, & addit significationi desiderij inductionem, dispositionem, & ordinationem alienæ voluntatis ad desiderium illud implendum.

Ad rationem itaque dubitandi respondeo. Quomodo etiam in alia facultate existens actus possit dici elicitus à virtute Religionis, diximus q. 3. art. 1. quando de confessione fidei.

Dices, Si oratio sit actus Religionis, solus Deus erit orãdus, vt etiam definitione orationis indicatur; quod tamen non satis videtur consistere cum oratione, qua Sanctos inuocamus vt pro nobis orent.

Respondeo, Optimè consistere; nam etiam illa oratio est implicita Dei precatio: qui enim comprecatorem subornat, iam precari dicitur: ex Religione ergo in Deum Sanctos inuocamus; quamuis & ibi inferior cultus admisceatur. Manifestum istud erit, si consideremus qua ratione oratio sit actus Religionis: est enim Religionis, quia per eam adferimus cultum Deo vt omnipotenti, qui largiri possit; & vt summè bono, qui largiri velit quod petimus: quando autem Sanctos vt pro nobis orent ad Deum rogamus, illam omnipotentiam non in ipsis, sed in Deo agnoscimus.

Hinc patet, quomodo accipiendum sit, quòd veteres dixerint, solum Deum esse orandum. Illustris est locus Origenis lib. 5. contra Celsum: *Omnis petitio, omnis oratio, omnis supplicatio, & generatim actio, ad Deum, qui supra omnia est, referri debet per eum qui est supra omnes Angelos, Pontificem maximum, animatum Verbum, & Deum.*

*Quid in oratione petendum?*

Inquirendum & illud, Quidnam in oratione petere debeamus? Sicuti enim quidam dixerunt, Deum non esse orandum, eò quòd neque scientia nostræ indigentiæ, neque voluntas succurrendi desit omnipotenti Patri: vnde & Christus Dominus monuerit, *Scit enim Pater vester quid opus sit vobis antequam petatis eum*, Matth. 6. & Ioannis 16. *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos*. Ita videbitur cuipiam, non debere nos in particulari quidpiam petere, eò quòd orare sicut oportet nesciamus, sed Deus nouerit, vt Apostolus docet: qua ratione docuisse Socratem, in particulari nihil à dijs petendum esse, testatur Valerius Maximus, & ex ipso D. Thomas art. 5. Sed si ideò Deus generatim tantùm, vt bona det, rogandus sit, ne forsan quod particulatim petierimus, nobis bonum non sit; manifestum est, saltem ea in particulari bona peti posse, quibus nemo malè vitur, vt sunt dona virtutum. Ceterùm quænam particulariùs petẽda sint, pulcherrimè & compendiosissimè ostendit oratio Dominica, adeò vt D. Augustinus Epistola 121. dicat, licere quidem alijs verbis, sed non alia petere, quàm quæ illa oratione comprehenduntur.

Quæres, Quid si quis aliquid indecens à Deo petierit, eritne verè oratio?

Quidam putant, Non fore, eò quòd Damascenus lib. 3. De fide, cap. 24. definiat orationem, decentium à Deo petitionem. Ita tenet Caietanus hîc art. 4. dicit enim, si quis à Deo petat aliquid contrarium vitæ æternæ, ita vt oratio eius sit inordinata positiuè, verbi gratia, si petat vt possit seipsum vindicare, fore potiùs execrationem quàm orationem. Alij dicunt, Fore orationem, quamuis vitiatam. Ita Nauarrus suprà numero 18. & 29. pro se adducens D. Thomam in 4. dist. 15. q. 4. art. 1. qui doceat, additam à Damasceno illam particulam *decentium*, non esse orationi essentialem: nam licet quis indecentia à Deo petierit, orat quidem, inquit D. Thomas, sed carnaliter orat. Vnde illa conditio magis pertinet ad benè esse orationis, quàm ad rationem speciei. Confirmatur ex illo Psalmi 108. *Fiat oratio eius in peccatum.*

*Quomodo petitio vitiata fit oratio.*

Dicendum videtur, Si substantia actus & generalis natura orationis spectetur, veram hanc esse orationem, & Deo fieri, etiamsi dicto modo malè fiat: at si spectetur oratio strictiùs, vt est actus Religionis, non esse veram orationem, sicuti nec verè est actus Religionis, sed potiùs contra Religionem; ad eum ferè modum, quo quando falsum iuratur, potiùs periurium dicendum est, quàm iuramentum. Non est inquam verus actus Religionis, nec dispositiuè, ad infundendam vel augendam Religionem; quo modo peccatoris oratio aliàs bona ad Religionem pertinet: neque elicitiuè; quomodo ad Religionem spectat sola oratio iustorum: imò neque pertinebit ad Religionis virtutem acquisitam dispositiuè vel elicitiuè.



Si verò peccator non positiuè contraria vitæ spirituali in oratione sua petierit, sed inutilia ad eumdem finem, puta immodicas diuitias, aut sanitatem corporis, nihil curans vtrùm expediat animæ an obsit, existimat Caietanus, eiusmodi orationem non mereri nomen orationis simpliciter, cùm non seruiat ordini Religionis. Quæ doctrina probabilis est: nam in peccatorem sic orantem quadrat illud quod Dominus secundùm Septuaginta dixit ad Cain, quòd rectè offerant, non autem rectè diuidant. Quamuis & aliter accipi id possit, vt rectè preces offerant, sed non rectè diuidant peccatores etiam congrua Religioni petentes, sed non recedentes à peccatis suis: non rectè autem offerant, qui in re pro qua orant, Religionem non attendunt, sed solùm in eo quem rogant. Rectè D. Ioannes 1. Epist. cap. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus*, &c. *Et hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos.* Oportet ergo Deo placeat qui petit, Deo placeat quod petit, Deo denique placeat ipsa petitio. Vt ergo exaudiaris, fac Deo sis gratus & acceptus: cura etiam, ne petas nisi secundùm voluntatem eius; & in volito saltem formali petitio tua sit conformis diuinæ voluntati: denique cum fiducia magna petendum est, vt etiam Iacobus monuit cap. 1. Sicuti autem quod petimus, debet in formali volito esse conforme diuinæ voluntati, ita quod obtinemus, quando benè petimus, non semper est idem materiale, sed formali nostræ voluntati conforme est.

Quæres Postremò, Vtrùm oratio post deuotionem sit præstantissimus actus Religionis.

Respondeo affirmatiuè ex D. Thoma art. 3. ad 1. Ratio est, Quòd voluntas Religiosa primò seipsam ordinet ad Dei reuerentiam, quod fit per deuotionem: Secundò vicinam sibi facultatem intellectiuam, quod fit per orationem: Tertiò corpus proprium, per adorationem: Quartò res externas, per oblationes & sacrificia.

*Diuiditur Primò, in publicam & priuatam.*

Diuiditur autem oratio Primò in publicam & priuatam. Publica est, quæ nomine totius populi à publicis fit ministris. Hanc congruum est & reliqua habere publica, vt videlicet in templis fiat & clara voce, vt docet D. Thomas art. 12. Priuata fit à quolibet fideli, etiam sola mente in omni loco: de qua illud Apostoli 1. Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus.*

*Secundò, in mentalem & vocalem.*

Hinc Secunda intelligitur orationis partitio in mentalem tantùm, & simul vocalem. Nam quæ vocalis tantùm est, sine mente, orationis animam aut formam non habet, adeoque neque nomen meretur; quamuis quidam tertium illud membrum hîc adiungant, quos secutus est Nauarrus suprà num. 28. Nulla ergo vocalis tantùm est; nam illa potiùs Deum offendit, secundùm illud Isaiæ 29. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Et ad mendacium pertinet, illud non cogitare quod rogas. Glossa in cap. Quando autem, De consecratione, dist. 1.

*Oratio Wiclef. scitiæ operis.*

Intolerabilis autem error est eorum, qui quartum membrum addunt, orationem nescio quam vitalem comminiscentes, cui cum derogatione veræ orationis nimium tribuunt. Huius erroris auctor fuit Ioannes Wicleff, vt testatur Waldensis tom. 3. cap. 1. cuius eò tandem tendit doctrina, vt oratio mentis & vocis non sit præcepta à Deo, sed tantùm oratio operis: *Quia Deus*, inquit, *est auctor realis, qui non requirit cogitationem vel vocem, sed omnino vitam iustitiæ suæ complacentem.* Vtrumque ergo refutandum, & ostendendum, quòd oratio mentalis aut vocalis sit necessaria, & quòd ineptè dicatur esse aliqua oratio vitalis, quæ quartum membrum in hac diuisione constituat.

*Orationis necessitas.*

Quod ad prius attinet, rectè quadrat in Wiclefum, quod dixit Eliphas, Iob 15. *Quantum in te est, enacuasti timorem, & tulisti preces coram Deo.* Quanta autem sit orationis necessitas, variis Scripturæ locis docemur, Lucæ 18. *Oportet semper orare, & numquam deficere.* & cap. 21. *Vigilate omni tempore orantes.* 1. Thessalon. vlt. *Sine intermissione orate.* Ecclesiastici 18. *Non impediaris orare semper.* Ad hæc cùm à nobis non habeamus quidquam, oportet à Deo accipiamus, vt contra Pelagianum errorem tenet Ecclesia, quo tolli orandi studium & necessitatem sæpè docet Augustinus. Non accipimus autem nisi petamus, vt contra Monhemium quemdam recentiorem hæreticum, docet Iacobus cap. 4. *Non habetis, propterea quòd non postulatis.* In hoc peccarunt gigantes diluuio deleti, de quibus Ecclesiastici 16. *Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti.*

Ex his satis constat, esse Fidei, quòd aliquando oporteat Deum orare, saltem mentali oratione.

*Quando obliget oratio.*

De tempore autem quo obliget orandi præceptum, dicunt D. D. obligare in primis circa initium vsus rationis. Secundò, in magna tentatione propria. Tertiò, in magno periculo proximi aut Reipublicæ, quod solo orationis præsidio auertendum videatur. Quartò, Cùm Sacramentum sumendum vel conferendum, vel periculum graue subeundum, vel negotium magni momenti aggrediendum, vel Dei gratia peculiariter imploranda.

Denique, quia Scriptura monet, semper esse orandum, vel ipso lapsu temporis, neglectus orationis culpam contrahet: verbi gratia, si quis etiam integro mense nullo modo Deum oret. Consulendus Siluester, Angelus verbo Oratio, Azorius parte 1. lib. 9. cap. 34.

*An oratio vocalis sit laicis præcepta? Epist. 128. inter selectas.*

Vtrùm verò laicis sit in præcepto oratio vocalis, de quo se præsente Regem Angliæ Henricum VIII. disputasse testatur Erasmus in quadam ad eum Epistola, magis dubiæ quæstionis est.

Non esse putat Durandus in 4. dist. 15. q. 12. & Arragonius hîc art. 12. qui existimat, esse doctrinam S. Thomæ eodem art. Sed si attentè legatur D. Thomas, inuenietur hoc non docuisse: solùm enim dicit, ad priuatam orationem non esse necessarium quòd sit vocalis, esse tamen tres rationes ob quas etiam priuatæ orationes sint vocales. Vna, Quòd vox valeat ad excitandam de-

uotionem. Altera, Quòd oporteat non tantùm animo sed etiam corpore Deo, à quo vtrumque accepimus, debitum præstare obsequium. Tertia, Quòd interioris affectus vehementia in corpus redundet. In qua D. Thomæ doctrina adhuc relinquitur dubium, Vtrùm ob has causſas, Primam præsertim vel Secundam, non sit subinde præcepti etiam laico vocaliter orare? Augent istud dubium & aliæ rationes, ob quas conueniat etiam laico vocalis oratio. Recenset nonnullas Gabriel in Canonem, lect. 62. Vna est, Quòd Dominus vocalem orationem omnibus videatur præscripsisse, quando nos docuit orare: hoc enim differt oratio nostra ad Deum ab oratione ad hominem, quòd oratione nostra ad Deum, nobis à Deo præscripta, ipsi potiùs doceamur quid petere debeamus, quàm Deus quid petamus: quamuis ad Philipp. 4. ne apud homines iactentur, vel vt Angelis coram Deo innotescant, velit Apostolus vt *petitiones* nostræ *innotescant apud Deum*. Altera, Quòd oratio debeat habere mutuam ædificationem, quam non habet mentalis. Ex his ferè rationibus concludit Gabriel, saltem eos laicos qui ita fuerint imperfecti in deuotione, vt externæ orationis incitamento indigeant, debere non tantùm mente, sed etiam voce orare. Neque id mirum, quia ideò voce debent, vt mente quod debent possint. Ita quidem ille.

At si D. Augustini doctrinam Epistola 121. cap. 9. ad Probam De orando Deum, attendamus, communis omnium hæc est necessitas, vt statо tempore etiam verbis oremus, ne quod tepescere cœperit, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebriùs quasi orationis vocalis flabro inflammetur. Verba Augustini ita habent: *In ipsa ergo fide, & spe, & charitate continuato desiderio semper oramus, sed ideò per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum signis nosipsos admoneamus, quantumque ex hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus; & ad hoc agendum nosipsos acriùs excitemus.* Addo, probabile videri, hominem qui animo constat & corpore, etiamsi inter laicos substiterit, teneri non tantùm corde sed etiam exteriori gemitu & ore Dominum aliquando precari: exterior enim cultus in genere videtur esse Legis naturæ, vt D. Thomas docet de sacrificio. Videtur ergo esse Iuris naturæ, vt reddamus etiam vitulos labiorum nostrorum, Oseæ vltimo.

Sentit contrarium Suarez lib. 3. De oratione, cap. 6. & putat pro se esse communem sententiam. Sentit inquam, ex vi Iuris naturalis orationem vocalem non esse sub præcepto. Cuius sententiæ suam probabilitatem relinquentes, addimus, ad nostræ opinionis fundamentum ex Augustino desumptum, non sufficienter responderi, neq; moraliter loquendo, solùm per accidens nos obligari ad orationem vocalem: quia quod generale in omnibus est, in re morali non debet vt per accidens considerari.

Denique illud ab omnibus conceditur, si Confessarius laico preces iniunxerit vocales, non satisfacere eum sola mente precando, cùm & ipsa exterior precatio aliquam pœnæ habeat portionem.

Addo, extra controuersiam esse, debere ad vocalem orationem obligatum fore quemuis fidelem, si vel Ecclesia eiusmodi Legem ferre, vel ipse sibi per votum imponere voluerit. Eruditorum tamen quorumdam sententiæ, nec Legi naturæ nec diuina positiua, nec Ecclesiasticæ impositam esse laicis eiusmodi præcepti obligationem, non admodum repugno: quamuis existimem, saltem hac ratione, ne interior orandi affectus nimiùm tepescat, omnibus esse aliquam vocalis orationis impositam necessitatem.

Vitalem autem orationem non esse diuisioni addendam. Probatur, Quia ceteræ bonæ operationes, quas Wicleff vocat orationes vitales, non sunt orationes, sed passim in Scriptura ab orationibus distinguuntur. *De oratione vitali, seu operi.*

Dices, Vocari orationes illis locis, quibus iubemur semper orare. *Obiect.*

Respondeo cum D. Augustino De hæresibus cap. 57. Semper orare, est nullo die intermittere certa tempora orandi. Oratio ergo propriè ibi accipitur contra Wiclefum, sed tempus commodè accipitur contra Messalianos, Psallianos, vel Euchitas, qui propter eiusmodi Scripturæ loca, immodici fuerunt in orationibus. Vel dici potest cum eodem Augustino in Psal. 36. eum sine intermissione orare, cuius continuum desiderium ante Deum est, vbi mentalis orationis assiduitas commendata intelligi potest: vel sanè orandi perpetuum votum, vel deniq; desiderium ipsum, quod apud Deum loco orationis est: quamuis vt suprà diximus, oratio plus sit quàm desiderium. Ceterùm non malè quidam annotat, quando monemur non deficere in oratione, non hoc agi, vt intermissis bonis operibus vni instemus orationi, sed potiùs, vt quando differuntur petita, intelligamus nos salubriter exerceri, & propterea ab oratione non desistamus, exemplo viduæ interpellantis iniquum iudicem, quo ipse Dominus vtitur. Idem ferè annotauit D. Basilius Constitutionum cap. 1. Bona ergo & beata vita, non tam ipsa oratio est, quàm id pro quo oporteat nos orare, vt dicit Augustinus Epistola suprà citata ad Probam. Orare enim est colloqui cum Deo, (vt sæpè dicunt Patres. Consulendus Chrysostomus homil. 30. in Genesim:) non tantùm ambùlare cum Deo. Viuere, non est orare; sicuti neque loqui idem est quod viuere. Benefacere est quidem virtute orare, eò quòd benefactis mereamur ea à Domino impetrare, pro quibus rogare solemus, secundùm illud Ecclesiastici 29. *Conclude eleëmosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit.* Vnde & Glossa in Epistolam ad Thessalonic. suprà dicit, *Non cessat orare qui non cessat benè agere.* Verùm ista ita rectè dicta accipienda sunt, vt tamen non omnino propriè dicta sint: misericordiam enim facere, vt misericordiam consequaris, non est propriè orare, quamuis sit quodammodò manum porrigere, & quasi gestu quodam à Deo mendicare. *Resp.*

Tertia diuisio orationis traditur ex verbis Apostoli 1. ad Timoth. 2. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus.* Item ex similibus ad Philippenses 4. *In omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Hinc enim communis sententia, quamuis quidam pro iisdem acci- *Tertia diuisio ex Apostolo.*



accipiant, quatuor orationis partes seu species constituit; licet in earum explicatione nonnihil Doctores varient.

Cassianus Collat. 9. cap. 9. supposito tamquam certo & indubitato, Apostolum voluisse hîc quatuor membra orationis partiri, tria inquirit. Vnum, Quidnam per singula significatum voluerit Apostolus? Alterum, Vtrùm omnia ista in singulis orationibus iungantur, an verò singulatim ac seorsim adhibeantur? Tertium, Vtrùm aliqua vis sit in ordine quem seruat Apostolus?

Ad Primum quod attinet, Obsecrationem definit implorationem seu petitionem pro peccatis, qua vel pro præsentibus, vel pro præteritis amicis suis quisque compunctus veniam deprecatur. Orationes, quibus aliquid vouemus Deo. Postulationes intelligit orationes quæ fiunt pro alijs. Gratiarum actiones, quæ fiunt pro beneficijs Dei vel iam olim acceptis, vel præsentibus, vel etiam in futurum Dei benignitate præparatis. Ad Secundum respondet, Aliquando simul, aliquando seorsum exhiberi. Sanè coniungi posse, videtur Apostolus ad Philippenses indicasse. Ad Tertium, Omnino vult eodem quo posita sunt ordine exhibenda esse, eò quòd obsecratio sit eorum qui incipiunt Deo seruire, & adhuc peccatorum suorum aculeis remordentur. Oratio verò iam maioribus obtinendi fiducia incedat, quasi post Deo facta vota. Postulatio autem etiam pro alijs de se futura petere aliquid audeat. Denique gratiarum actio iam quasi obtenta Dei respiciat beneficia.

Augustinus epistola 59. quæst. 5. plura dicit de hoc loquendi modo Apostoli. Fatetur in primis, membra ista difficillimè discerni. Secundò, Non esse discernenda secundùm Latinam interpretationem, quam exactiorem desiderat, sed secundùm lectionem Græcam. Tertiò aduertit, Apostolum non retinuisse eiusdem vocis deriuationem, quando dixit, *Obsecro*: vbi habet verbum δέομαι: & quando dixit, *Obsecrationes*, vbi habet δεήσεις. Vnde factum sit, vt loco *obsecrationum*, alij codices habeant *deprecationes*. Monet Quartò, Nisi deprecationes intelligamus propriè, vt mala dicimur deprecari, bona autem precari; difficile fore eas distinguere ab orationibus seu precationibus, quæ secundo loco per vocem græcam προσευχὰς exprimuntur. Quintò addit, loco *Postulationes*, alios legere *interpellationes*, Græcè ἐντεύξεις: vbi magis videtur postulationis interpretationem amplecti. Denique quatuor ista in Missa distinguit, vt precationes siue obsecrationes intelligamus, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici; orationes, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum communicatur. Προσευχὴ enim dicitur, inquit, quasi ad votum; vt meritò ea intelligatur quæ fit ad votum seu oblationem: postulationes verò intelligit Augustinus fieri, quando populus benedicitur: *Tunc enim*, inquit, *Antistites velut aduocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimè offerunt potestati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis, vltimam commendauit Apostolus.* Hactenus Augustinus. *Obsecrationes.* *Orationes.* *Postulationes.* *Gratiarum actiones.*

Sunt & aliæ aliorum explicationes. Sed illud tandem in re obscura probabile videtur, obsecrationes vel deprecationes pertinere ad deprecanda mala præterita, præsentia, & futura; quo modo post orationē Dominicam precatur Ecclesia in Missa, quæ deprecatio respondet vltimæ petitioni orationis Dominicæ. Indicat ita intelligi posse Augustinus: tenet apertè Cassianus, sequitur Bellarminus De bonis operibus, in particulari, lib. 1. cap. 2. Orationes verò intelligi petitiones, quas pro se quisque facit: spes enim maior est impetrandi, quando quis Deo deuotus pro se orat. Fauet satis Cassianus; quamuis videatur parum considerasse quid differant εὐχὴ & προσευχὴ. Postulationes verò, quas facit pro alijs. In quo apertè iterùm conuenit Cassianus. Denique gratiarum actiones sibi & alijs communes de acceptis à Deo beneficijs; vt ficuti ab vltima orationis Dominicæ parte sumptum est exordium, ita corpus orationis desinat in Dei benedictionem, quæ primæ petitioni respondet. Et in hoc omnes satis conueniunt.

Alias diuisiones commemorat Azorius suprà lib. 9. cap. 32. vt orationis partes sint tres, lectio, meditatio, gratiarum actio; quarum prima secundæ, & secunda tertiæ materiam præparet. Vel vt alij volunt, quatuor; lectio, meditatio, petitio, gratiarum actio. Vel denique vt alij, quinque: addunt enim dictis quatuor, voluntatis affectionem, qua iam cælestium rerum desiderio inardescat, secundùm illud Psal. 38. *In meditatione mea exardescet ignis.*

## DVBIVM II.

### *Qualis attentio debeat esse in Oratione mentali?*

*D. Thomas art. 13.*

ATTENTIO triplex est. Ad verba, ne in eis erres. Ad sensum, si interiùs ores, quod exteriùs verba significant; aut saltem si non deprecatiuè perpetuò & formaliter, saltem apprehensiuè interiùs circa eadem occuperis. Ad finem orationis, si interiùs non occuperis circa verborum sensum, sed tamen circa Deum ipsum quem oras, vtpote si orationem Dominicam recitans, aliquid meditaris de Christi diuinitate, humanitate, vel passione, aut aliter iactes cogitatū tuum in Deum. *Attentio triplex.*

Sex etiam ferè modis intelligi potest, necessaria in oratione attentio. Primo, Vt vites peccatum, quasi secus facta oratio, hoc ipso fiat semper in peccatum. Secundo, Vt merearis orando. Tertio, vt quod petis, impetres. Quarto, Vt mentem orationi reficias. Quintò, Vt satisfacias præcepto, quòd forte teneris orare. Sexto, Vt oratio tibi cedat in satisfactionem pro peccatis. *Attentio sex modis necessaria.*

Primus modus obiectus est, tres sequentes ex triplici effectu traduntur à D. Thoma; reliquos duos adijcit Nauarrus De oratione cap. 13.

Distinguit autem istos modos, facile fuerit ostendere; quia potest cogitari vitare peccatum, qui reliquorum effectuum nihil consequatur. Similiter mereri potest orando, qui tamen non exaudiatur, vt patet in Apostolo deprecante stimulum carnis; neque reficiatur mente, vt patet in eo qui inuoluntariè distrahitur. Potest etiam impetrare qui non meretur; quia Deus aliquando negat propitius, & exaudit iratus, sicuti populo Israel petenti dedit Regem, & incapacem meriti absolutè dicti, peccatorem aliquando exaudit. Et similiter ferè in reliquis distinctio considerari potest.

test. Quo modo autem reipsa separari possint, patebit ex dicendis.

Ante omnia ergo hûc inuestigemus, Vtrùm incurrat aliquod peccatum, saltem veniale, qui sine vlla attentione orat, si nullo præcepto ad orationem teneatur?

*An peccet sine attentione orans citra præceptum.*

Peccare venialiter, tenet Beja, parte 2. casu vlt. Pro qua opinione citat Basilium, qui dicat, mente huc illucque vagante Deum orare, esse Deum magis irritare. Confirmatur, Sicuti enim Missam celebrare, etiamsi liberum fuerit, non tamen est liberum eam sine deuotione celebrare; ita licet orare liberum sit, non tamen sine magna inordinatione ab ea separatur attentio.

Aliorum sententia est, Nullum hîc regulariter esse peccatum. Ita Gabriel in Canonem Missæ, lect.62. dub.7. *Si orationes*, inquit, *ita sint voluntariæ, vt penitus omitti possint sine peccato, non est mirum quòd euagatio seu distractio tollens attentionem, non inducat peccatum; nisi fortè adesset contemptus, vel pusillorum scandalum.* Indicat eamdem sententiam Palude in 4. dist. 15. quæst. 5. art. 2. conclus. 4. & eum secutus Durandus quæst. 12.

Ceterùm prior sententia magis videtur fundata: semper enim est quidam contemptus interpretatiuus, Deum alloqui, & nolle attendere. Rectè Cyprianus lib. De oratione Dominica: *Quæ autem segnitia est alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cùm Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cùm te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cùm rogas, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est ab hoste in totum non cauere; hoc est quando oras Deum, maiestatem Dei negligentiâ orationis offendere; hoc est vigilare oculis, & corde dormire, cùm debeat Christianus & cùm dormit oculis, corde vigilare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico cantic. Ego dormio, & cor meum vigilat.* Hæc Cyprianus.

Sanè extra controuersiam esse debet, fore veniale, si quis continuans eiusmodi liberam orationem, non solùm non attendat, sed irreuerenter ea coniungere velit, quæ etiam minimam attentionē prorsus impediant: nisi enim iam alio animo verba precatoria recitet, non potest sine irreuerentia & aliquali contemptu, cum affectata & directè voluntaria eiusmodi distractione Deum alloqui.

Dico, *continuans*; quia videtur implicare, vt quis oret, qui saltem initio orandi intentionem non habeat. Ideoque in proposito erit meliori conditione, qui verba Psalmi intendit materialiter recitare, sine vlla intentione orandi, quàm qui ijs intendit Deum alloqui, & cum irreuerentia admiscet ea quæ omnem intentionem impediant.

Neque tamen D. Basilij adducta auctoritas omnino pro priori sententia rigidè intellecta est irrefragabilis; satis enim ea saluatur, si dicamus, vaga mente orare, non esse vmquam placare Deum, sed aliquando esse irritare Deum; vt rectè dicatur magis esse irritare quàm placare.

Ad confirmationem etiam dici poterit, Etiamsi Sacerdos celebret quando non tenetur, peccat tamen voluntaria distractione: iam enim non tantùm priuatim sibi orat, sed vt Ecclesiæ minister in tremendo mysterio sese ad Deum pro populo ponit intercessorem. Deinde vt docet Basilius in Breuioribus, quæst. 202. præsentia Domini peculiariter facit vt attentio debeatur, secundùm illud Psalmi, *Oculi mei semper ad Dominum.* item: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.*

Ceterùm pro deuotione & attentione precibus conuenienti, adduci non incongruè potest verbum Domini Matth. 6. *Orantes nolite multum loqui.* battologia enim in oratione prohibetur, ne orantis animum frangat, & à proposito auertat. Ideò viris sanctis, in priuatis potiùs breues & sæpiùs repetitæ preces probantur, quàm quæ vltra deuotionē prolongentur. Vide D. Chrysostomum ad eum locum Matthæi: Ambrosium De Cain & Abel, lib. 1. c. 9. Cassianum lib. 2. Instit. c. 10. & 11.

Inquirendum Secundò, Vtrùm oratio vocalis, saltem quæ in præcepto est, debeat fieri cum attentione.

*Oratio præcepta requirit attentionem.*

Affirmatiua responsio est certissima. Probatur ex cap. Quando autem, De consecratione, dist. 1. desumpto ex B. Cypriano, libro De oratione Dominica: *Vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus: cogitatio carnalis omnis & sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus aliud quàm id solum cogitet, quod precatur.* Addit, ideò Sacerdotem illud sublata voce ante orationem præfari, vt sursum corda habeamus. Denique, *Claudatur*, inquit, *contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat.*

Probari etiam potest ex cap. 1. De celebratione Missarum. Verùm clarissimè colligitur ex Scripturis, Isaiæ 29. *Populus hic labijs me honorat* &c. ad Ephesios 5. *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* 1. Corinth. 14. *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.* Ioannis 4. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Idem præclarè Bernardus Serm. 13. super Cantica: *Immolantes hostias laudis iungamus verbis sensum, sensui affectum, affectui exultationem, exultationi grauitatem, grauitati humilitatem, & humilitati libertatem.*

Inquirendum Tertiò, Vtrùm quando Ecclesia certam vocalem orationem præcipit, eius præcepto non satisfiat, eam recitando sine attentione: verbi gratia, Vtrùm Beneficiarius aut aliàs ad Horas Canonicas obligatus non satisfaciat præcepto Ecclesiæ, eas recitando sine attentione?

*An orationi præcepta satisfiat absque attentione.*

Est sententia quorumdam, Satisfacere. Ita Archidiaconus in Clementin. Graui, De celebratione Missarum, verbo Fructum labiorum: sentit enim, quòd satis sit labijs seruire in diuinis, cui Rosella verbo Horæ Canonicæ, numero 3. & alij nonnulli assentiuntur. Siluester tamen, eodem, quæst. 11. quamuis non requirat interiorem deuotionem seu attentionem vt satisfiat præcepto Ecclesiæ, requirit tamen eam animi sollicitudinem, qua excludantur impedimenta actus interioris, vtpote confabulationes, opera manualia, & similia.

*Opinio quorundam affirm.*

Sine attentione itaque Ecclesiæ præcepto satisfieri, suaderur Primò, Ecclesia non præcipit actum internum; non enim iudicat de occultis, vt dictum est in matera De Legibus: præciperet autem actum internum, si deuotionem vel attentionem in Precibus horarijs præciperet: dictum enim est suprà, deuotionem actum esse internum.

*Probatur.*

Secundò ex cap. Dolentes, De celebratione Missarum: *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & deuotè.* Ita enim hinc argumentantur: Quamuis, inquiunt, absolutè præcipiatur, vt studiosè

2.



diosè diuinum celebrent Officium, hoc est, inquit Glossa, quoad officium oris: vt tamen deuotè celebrent, potiùs consuli videtur quàm præcipi, quando propter variam & incertam deuotionem additur, *quantum eis Deus dederit*, præcipuè cùm contingat aliquando viros etiam sanctos deuotione destitui, secundùm illud Psal. 39. *Cor meum dereliquit me.*

3. Tertiò, Si ieiunandum sit ex præcepto Ecclesiastico, sufficit ieiunare, neque opus est ex feruore alicuius deuotionis illud implere; ergo similiter quando oratio præcipitur.

4. Quartò, Leo X. concessit Fratribus Minoribus, vt censeantur implere mandatum Concilij generalis dicti cap. Dolentes, De recitando Officio studiosè & deuotè, etiamsi cum distractione mentis, aut euagatione sensuum recitauerint, modò tamen id non faciant ex malitia. Refert Nauarrus, De oratione, cap. 19. num. 84.

*Prior sententia Negatiua.* Aliorum tamen sententia est, Non satisfacere, nisi saltem habeat talem deuotionem & attentionem, quæ requiritur vt oratio vocalis verè censeatur esse oratio, & actus Religionis. Mouentur Primò, Quia Ecclesia præcipiens actum Religionis, omne illud etiam internum præcipit, sine quo hic actus non possit esse Religionis.

*Obiect.* Si dicas, Hinc sequi, neque illum satisfacere lectioni Horarum, qui attentè quidem eas recitat, & animo Simoniaco, aut alio fine malo, ita vt ipsa recitatio non sit actus virtutis.

*Resp.* Respondebunt, Non sequi; Ecclesiam enim præcipientem actum orationis ea duntaxat interna censendam esse præcipere, quæ antecedenter requiruntur, vt hic actus possit esse Religionis; non autem suo præcepto excludere ea, quæ inficere possunt quasi accessoria quadam intentione eiusmodi actum; hoc enim potiùs ad finem præcepti quàm ad ipsum præceptum pertinet.

Secundò, Illud Ecclesiam existimant satis declarasse dicto cap. Dolentes.

Tertiò, Ecclesia præcipiendo Preces horarias, non præcipit rem indifferentem, vt solet fieri in Legibus merè positiuis, sed potiùs præceptum diuinum, quo peculiariter Ecclesiastici tenentur Deo in oratione seruire, determinat ad certas preces, simul declarando, non satisfieri diuino præcepto, nisi saltem illæ recitentur: quamuis P. Soto De vita sacerdotum, lect. 4. existimare videatur, subinde non satisfieri etiam illis recitatis. Sicuti ergo præcepto Ecclesiæ de annua confessione non satisfacit, qui actu quidem externo, sed fictè, sine animo sese accusandi, confitetur peccata suasita neque satisfaciet lectioni Horarum præceptæ, qui eas instar amentis, sine vlla interiori attentione recitauerit.

Hinc sententiæ, quatenus contra priorem requirit aliquam attentionem, omnino adhærendum est, & satis eam probant adducta argumenta; neque ad opposita difficilis est responsio.

*Resp. ad 1. Probationē sententiæ affirm. Quomodo Ecclesia præcipiat attentionē.* Ad Primum enim respondetur, Varijs modis conantur DD. explicare, quomodo Ecclesia cum actu externo præcipiat hîc mentis attentionem.

1. Primus est, Illud fieri per modum cuiusdam pacti impliciti, quasi Clericis Ecclesia det Beneficia ea lege, vt ipsi vicissim sese obligent ad deuotè orandum. Verùm iste modus meritò ab alijs reijcitur, Primò, Quia nimium probat; sic enim posset Ecclesia Beneficiarium obligare ad orationem merè mentalem: atqui planè à tali obligatione ipsa abstinuit; imò vt habet communis opinio, & abstinere debet. Secundò, Præceptum Ecclesiæ etiam inuoluit suscipientes maiores Ordines, etiamsi nullum habeant Beneficium, vbi ægriùs poterit intelligi pactum huiusmodi; nisi dicas, quòd tali demum onere admittantur ad Ordines, vt sese ad deuotè orandum ipsi obligent. Sed quodnam extat indicium huius pacti? Deinde, Quid si citra vllam intentionem suscipiendi huius oneris, aut etiam ignarus hujusmodi obligationis ordinetur, eritne liber ab Horis, vtpote qui pactus non sit? Denique, Sicuti Ecclesia præcipit omnibus fidelibus certis diebus audire Missam, cui præcepto non satisfit sine attentione, ita citra vllum pactum certas preces attentè recitare precipere potest, & præcipere censenda est quibusdam personis Ecclesiasticis.

Secundus ergo modus explicandi est, Non præcipere Ecclesiam deuotionem interiorem, sed solùm attentionem exteriorem, id est, vt exteriùs caueatur quidquid possit interiorem attentionem impedire, & quidquid ad eam fuerit exteriùs necessarium, adhibeatur. Verùm neque iste sufficere videtur: si enim exteriùs impedientibus amotis, & necessarijs admotis, mens interiùs ad attentionem non admoueatur, sed nihilominùs sua sponte distrahatur, non videtur satisfactum iri præcepto Ecclesiæ. 2.

Restat itaque Tertius modus, Vt Ecclesia præcipiens orationem vocalem, dicatur præcipere eam attentionem interiorem, quæ requiritur, vt oratio vocalis sit vera oratio. Veram enim orationem Ecclesia præcipit. Pro cuius intellectu notandum est, Ecclesiæ Legem duobus casibus cadere in actum interiorem coniunctum exteriori: Vnus est, Quando interior est quasi essentialis forma exterioris in ea specie in qua exterior præcipitur. Atque ita euenit in proposito: & tunc non est necessarium vt quod interiùs in mente ad speciem actus concurrit, ita exteriùs prodatur, vt discerni ab homine possit. Quamuis enim quis ita orare possit sine interiori attentione, vt exteriùs distractio non aduertatur; non tamen satisfaciet talis præcepto Ecclesiæ. Verum nihilominùs est, quod eruditus quidam monet, non diu sine attentione interiori recitari Preces horarias, quin etiam exteriùs aduerti possit defectus. Alter modus est, quando per externum actum satis proditur internus; tunc enim potest Lex Ecclesiastica eiusmodi internum actum punire, quod non potest quando actus exterior non satis eum prodit, qui intus in mente latens ipsum imperat. Vide forte non improbabiliter colliges, quamuis Ecclesia præcipiens Preces horarias, simul præcipiat attentionem internam, ipsam tamen non punire omissionem attentionis internæ, nisi etiam exteriùs ea percipi potuerit, quamuis reuerà per talem omissionem ipsius Ecclesiæ præceptum violatum sit. Quò pertinentia quædam addemus Dub. 4.

Ad Secundum argumentum respondeo, Cap. Dolentes, planè pro nobis esse. Quamuis enim prohibeat etiam externa impedimenta deuotionis, districtè tamen præcipit internam deuotionem. Quod verò addat, *quantum Deus dederit*, non eò pertinet, vt indicet, se consilij formâ solùm loqui: hoc enim excluserat verbis præce- *Ad 2.*

dentibus, *districtè præcipientes in virtute obedientiæ*: sed quia valdè magna est latitudo deuotionis, indicare voluit Concilium, se nolle præcipere certum gradum; præcipere tamen vt ne absit omnino omnis deuotio, & vt absit saltem voluntaria distractio: qui enim voluntariè distrahitur, non potest se excusare querelâ illâ Sanctorum, *Cor meum dereliquit me*, cùm ipse potiùs relinquat cor suum, & deuotionem cordis, quam Deus dederat, repudiet. Similis ferè est Constitutio Tridentina sess. 24. De reform. c. 12. *Compellantur in Choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis, Dei nomen reuerenter, distincte, deuoteque laudare.* quamuis propter vocem, *compellantur*, deuotio hic quatenus exteriùs proditur, vrgeri potiùs videatur.

*Ad 3.* Ad Tertium, Vt satisfiat præcepto Ecclesiæ de ieiunio, non opus est ieiunium deuotè suscipi, quia de substantia ieiunij non est interior aliqua deuotio, sicuti est de substantia orationis; sed sufficit ieiunium suscipi animo obediendi Ecclesiæ. Si quis enim idcò ieiunet, quia cibus negatur, non quia Ecclesia eum prohibet; necessitati paret, non Ecclesiæ.

*Ad 4.* Ad Quartum, Probabile est, Pontificem, quando excusat eos qui distrahuntur non ex malitia, propter scrupulosos ita locutum esse; vt eam demum distractionem voluptariam haberi velit, quæ quasi ex malitia seu notabili culpa accidit; non autem illam quæ incautis, aut etiam negligentioribus obrepit.

Inquirendum Quartò, Quænam attentio legenti Horas sit necessaria, vt satisfaciat præcepto Ecclesiæ.

*Attentio quæ requiritur ad Horas Canonicas.* Ad huius quæstionis solutionem satis iam via strata est. Dicimus ergo quidem requiri omnem illam quæ necessaria est, ne in verbis erretur, adeoque quæ excludat externos strepitus & impedimenta: sed præter eam existimamus opus esse tali mentis affectione, quæ, verè ponat orationem vocalem in genere orationis.

Inquirendum ergo vlteriùs, Quænam affectio & attentio illud præstet?

*Attentio triplex.* Vbi conducet cum Gabriele in Canonem suprà, obseruare triplicem attentionem, habitualem, virtualem, actualem. Habitualis attentio

*Habitualis non sufficit.* consistit in propensione quadam habituali animi, qualis potest esse etiam in dormiente. Talem attentionem non sufficere in Precibus horarijs, extra omnem est controuersiam: oportet enim eum qui orat, orationi inuigilare, secundùm illud Apostoli ad Colos. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Vbi interprete Cypriano suprà citato, docet & ostendit eos impetrare de Deo quod postulant posse, quos Deus viderit in oratione vigilare. Vnde benè dixit Nauarrus, eum qui soler se vestiendo dicere Horas, si in summo surgat, se vestiat & Horas sine errore pronuntiationis reciter, non satisfacere præcepto, quia non habet attentionem, nisi habitualem.

*Virtualis.* Virtualis autem attentio est, quando opus aliquod inchoatum est cum formali attentione, virtute cuius sine interruptione per contrariam aliquam intentionem continuatur.

*Actualis.* Actualis autem siue formalis attentio est, quando reipsa expresso actu attendimus. Quod fit in proposito variis modis; videlicet applicando nos ad orationem, vel ad satisfaciendum præcepto vera oratione, attendendo ad id quod petitur, ad Deum qui rogatur, aut ad aliquod diuinum mysterium. Itaque existimo, præter attentionem, quæ est circa rectam pronuntiationem, debere saltem virtualem esse attentionem ad aliquid istorum, quæ ex actuali aliqua inchoante actum facilè perdurat, nisi voluntariè contrarium aliquid admittatur.

Vnde sequitur, Non satisfacere eos, qui dum Horas reciant, externa aliqua ad Deum aut ad rem quæ verbis orationis significatur, per se non pertinentia meditantur, etiamsi in eorum meditatione Dei gloriam intenderent, & in pronuntiatione verborum nihil indecori admittant, etiamsi quoque geniculatione aut alio exteriori gesta magnam interim deuotionem præ se ferrent. Imò D. Bernardus videtur dissuadere meditationes etiam pias tempore Psalmorum, quæ ad propositum non pertineant. Verùm istud consilij est: consultissimum enim est, sensum orationis meditari.

Sequitur Secundò, Modò interior ista attentio seruetur cum debito decore pronuntiationis, omnem honestum actum externum, assumptum simul cum lectione Horarum, non impedire quò minùs satisfiat præcepto Ecclesiæ: nam & Monachi Ægypti simul manibus laborabant & orabant, & Ecclesia Sacerdoti celebraturo præscribit orationes, quas vestiendo pronunciet.

Sequitur Tertiò, Simili attentione posse satisfieri, etiamsi oratio vocalis iniuncta sit à Sacerdote pro pœnitentia; imò etiamsi à Deo esset immediatè præcepta. Quod tamen solùm asserimus, orationem spectando ex parte attentionis, adhuc locum relinquentes quæstioni, Vtrùm satisfaceret iniunctæ pœnitentiæ, qui eam impleret mortaliter vel venialiter peccando; aut, Vtrùm diuinæ Legi aliquod opus externum præcipienti, satisfieri possit per opus, quod ita aliqua circumstantia sit vitiatum, vt culpam contrahat etiam mortalem: multò minùs illam disputationem hîc ingredimur; Vtrùm possit quis benè mereri apud Deum eo ipso opere quo venialiter peccet? hæc enim omnia alterius sunt loci.

Sequitur Quartò, Præter peccatum commissionis in eo qui distractus legit Horas, ex præcepto Ecclesiæ sibi incumbentis, esse peccatum omissionis. Est autem inter commissionem istam & omissionem hæc disparitas, quòd commissio quæ est contra præceptum negatiuum non recitandi sine attentione propter irreuerentiam, solùm sit venialis: si enim postea repetat, durante præscripto tempore, non peccauit mortaliter. Ita Vasquez in 1. 2. disp. 160.

Sequitur Quintò, Expedire, ceteris paribus, quando oratio est libera, & priuatim fit, potiùs ea lingua orare quam intelligas: hoc enim attentionem iuuat, & sine eo præcipua attentio ad sensum non habetur. De quo consulendus Nauarrus De oratione, cap. 13. n. 7. Bonum tamen erit, seruare formulam ab Ecclesia approbatam: expedit enim Latinas Ecclesiæ Orationes in vernaculum, sermonem verti pro idiotarum vsu.

Sequitur denique, Satisfacere eum præcepto, qui ex intentione orandi, Deum laudandi, vel psallendi, vel religiosè recitandi, vel præcepto aut intentioni Ecclesiæ satisfaciendi se applicuit lectioni



lectioni Horarum, & eius applicationis virtute cum attentione sufficienti, ne in verbis erret sine notabili voluntaria distractione, lectionem continuat & absoluit. Itaque attentio talis requiritur & sufficit ad implendum Ecclesiæ præceptum de recitandis Horis, qualis requiritur & sufficit ad essentiam orationis vocalis.

Pro maiori explicatione totius huius dubitationis, addam nonnullas quæstiunculas, cum breui sua resolutione.

Prima erit, Vtrùm sufficiat, habitualiter intendere satisfacere præcepto Ecclesiæ, an verò necessarium sit habere actualem & formalem eiusmodi intentionem, vt satisfiat Ecclesiastico præcepto?

*Non requiritur vt intendat satisfacere præcepto.* Respondeo, Non opus esse, vt actu initio lectionis Horarum intendas satisfacere Ecclesiæ præcepto, sed sufficit quòd in præparatione animi intendas, ita vt si interrogatus fueris, sis responsurus te hoc intendere: quam intentionem licebit vocare habitualem. Imò si quis reciter quotidie Horas, vt ipse existimat sine præcepto, sed verè cum præcepto, talis satisfacere poterit præcepto: præceptum enim cadit in recitationem; non in recitationem, ex tali intentione satisfaciendi.

Secunda, Vtrùm ad orationem vocalem requiratur intentio orandi?

*Intentio orandi est necessaria.* Respondeo, Omnino requiri, quia sine intentione non est actio humana, adeoque nec religiosa. Debet itaque qui verè sit oraturus, aut præcepto de orando satisfacturus, se ad orationem applicare intentione aliqua Deum colendi. Differt autem hæc intentio ab attentione: est enim potiùs intentio cum attentione orandi, quàm ipsa attentio. Quare potest virtute intentio permanere ex parte in eo qui attentionem non habet, ne quidem virtute: potest enim virtute intentionis durare exterior pronuntiatio cum voluntaria distractione.

Tertia quæstiuncula, Vtrùm attentio ad Deum sufficiat cũ exclusione attẽtionis ad verba?

*Attentionem ad verba excludere non licet.* Respondeo, In oratione vocali certis verbis præscripta & præcepta non potest aduertenter excludi sufficiens attentio ad verba, ne in illis erretur sine peccato, quod pro magnitudine materiæ poterit esse mortale. Quando autem sine obligatione certis verbis vult quis orare, verbi gratia, recitando orationem Dominicam; si intendat illis verbis loqui Deo, non videtur à veniali excusari ita ea recitando, vt nullo modo curet attendere. Non tenetur tamen curare ne quid transiliat, sicut in oratione præcepta.

Quarta quæstiuncula, Vtrùm attentio ad verba sufficiat sine alia attentione in lectione Horarum ex obligatione præcepti?

*Quomodo attentio ad sola verba sufficiat.* Respondeo, Attentionem ad verba (sine voluntaria distractione) talem vt caueatur moraliter, ne in verbis erretur, cum virtuali attentione illis verbis orandi, sufficere. Quod obseruandum pro Monialibus quæ orant lingua Latina. Rectè enim dixit Pastor Abbas lib. 5. De Vitis Patrum, libello 5. num. 32. *Incantator virtutem verborum quæ dicit nescit, sed serpens audit, & scit virtutem eorum quæ incantantur, & subijcitur incantanti & humiliatur. Sic & nos, quamuis ignoremus virtutem ipsorum quæ loquimur, dæmones tamen audientes terrentur atque discedunt.*

Quinta quæstiuncula, Quando censeamur sufficienter ad verba attendere?

*Quænam attentio ad verba sufficiat.* Respondeo, Quando voluntariè non admittimus aliquid quod eorum debitam pronuntiationem impediat, sed ijs pronuntiandis quod in nobis est ita inuigilamus, vt verè subseruiat earum pronuntiatio virtuali intentioni orandi. Vnde patet, non esse opus vt super illa attentione fiat actualis reflexio; sufficit humano modo & liberè intendamus legitimæ pronuntiationi, virtute legitimæ intentionis.

Sexta quæstiuncula, Vtrùm Cantores conducti ad psallendum Horas Canonicas in Choro, teneantur habere attentionem?

*Cantoribus an attentio requisita?* Respondeo, Quando nec Beneficiati sunt, nec in Sacris, sed solùm vt conducti canunt, per se loquendo non peccant mortaliter non habendo attentionem.

Dices, Ita fieri posset vt nemo in oratione publica verè oraret.

Respondeo, Satis esse quòd totum corpus oret: adsunt enim, & vel ob hanc causam omnino conuenit vt adsint Clerici, qui ex obligatione deuotionem habent, & simul psallunt, & censetur totum corpus etiam per voces eorum qui conducuntur Deum laudare. Ita ferè Suarez De Religione tomo 2. lib. 4. c. 14.

Dices iterùm, Hinc sequi, rectè Medinam docuisse, Clericum, qui tenetur ad Horas, etiam sine attentione satisfacere præcepto Ecclesiæ, eò quòd in ipso Ecclesia oret, cuius Officium legit.

Respondeo, Hoc non sequi; quia Clericus obligatus ad Horas, obligatur ad orandum non tantùm vt ipse sit organum quo Ecclesia orat; cantor autem conductus solùm assumitur in subsidium vocis, quamuis venialiter peccet sæpè per irreuerentiam, quando notabiliter negligit omnem attentionem.

Septima quæstiuncula, Vtrùm qui materialiter intendit recitare verba orationis cum ea intentione, vt quantum Deus dederit, etiam interdum attendat, & verè oret, peccet?

Respondeo, Secluſa alia irreuerentia, talem, si oratio ei libera sit, non peccare: quomodo excusari poterunt, qui sic legunt Rosaria sine vlla obligatione. Fateor tamen, non expedire vt ita perfunctoriè orate quis assuescat, quod Scripturam monere quidam existimant illis verbis Ecclesiastæ cap. 5. *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo; Deus enim in cælo, & tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui.*

Octaua quæstiuncula, Vtrùm qui orat cum aliqua attentione, sed ex animi proposito & data opera excludit perfectiorem, peccet?

*Excludens perfectiorem attentionem non peccat.* Opinio Caietani q. 83. art. 13. est, Peccare. Sed verius est, non peccare, per se loquendo; quia (vt suppono) attentio quam habet, sufficit ad excludendum peccatum tam in oratione voluntaria quàm præcepta. Maior ergo attentio est planè libera, ipsa tamen oratio inficietur tamquam per malam circumstantiam, si quis ex affectione circa turpem distractionem voluntariè excludat perfectiorem attentionem.

Nona quæstiuncula, Qualis distractio sit mortalis in oratione præcepta, vtrùm quocumque modo voluntariam esse sufficiat, an verò oporteat esse voluntariam directè?

Respon-

*Quæ distractio sit mortalis?*

Respondeo, Dari posse casum, vbi voluntariè distractus solùm venialiter peccet, etiamsi oratio fuerit in præcepto. Quamuis enim, vt mortaliter peccet, non sit opus directè voluntariam esse distractionem, sed mortaliter peccet, quando valdè crassa & supina est negligentia in auertenda distractione cum aduertentia actus distractiui, & ipsius distractionis: peccat tamen solùm venialiter propter indeliberationem, quando negligentia auertendi distractionem est parua, & ne quidem interpretatiuè tam deliberata, vt communiter requirit culpa letalis.

## DVBIVM III.

### *Quinam obligentur ad Horas Canonicas?*

PRECES horariæ exemplum habent in sacra Scriptura. Iudæi enim quater in die legebant in volumine Legis Domini, & quater confitebantur & adorabant Dominum, 2. Esdræ 9. Dauid etiam media nocte surgebat ad confitendum Domino, & insuper septies in die ei laudem dicebat, vt ipse dicit Psal. 118. Accedit c. 3. Actorum, vbi fit mentio horæ orationis nouæ, vel vt expressiùs in Græco est, horæ illius orationis, quæ erat nona. Quod obseruare oportuit contra Lutherum, qui postquam abrogasset apud suos Horas Canonicas, noua interpretatione in editione noui Testamenti erratum suum tegere conatus est; vertit enim sic: *Petrus & Ioannes ascendebant in templum, circa horam nonam ad orandum.* Sed impudenter: nam & Caluinus ibi fatetur, ad imitationem eiusmodi horarum Hebræis vsitatarum, translatas esse in Ecclesiam Horas Canonicas. Sanè antiquissimas eas esse in Ecclesiastico vsu, patet ex Clemente De Constitutionibus Apostolicis lib. 8. cap. 34. *Precationes facite manè, tertia hora, ac sexta, & nona, & vespere, atque ad galli cantum.* Vbi Turtianus annotauit, traditionem de Horis Canonicis vnam esse ex illis, de quibus Apostolus Thessalonicensibus scripserat, *Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Cyprianus lib. De oratione Dominica, easdem Canonicas Horas ex Daniele probat. Item ex descensu Spiritus sancti, hora tertia. Ex eo quòd Petrus hora sexta ascenderit ad superiora domus vt oraret, Actorum 10.

Ex his patet, neque Pelagium I. aut I I. neque Damasum Horas Canonicas primùm instituisse, quamuis Pelagius præceperit eas seruari quæ iam priùs in consuetudine erant, & Damasus cum DD. Hieronymo & Ambrosio quarumdã precãdi aut laudandi formularum auctores sint. Quòd verò Cassianus lib. 3. De institut. cœnobiorum, cap. 4. suo tempore Primam celebrari cœptam indicet, intelligendum monuit Turrianus, non quasi verè primùm tunc instituta sit ista precandi hora, cuius contrarium satis vel ex ipso Clemente iam priùs adducto liquet: sed quòd fortè hanc Apostolicam traditionem tunc nondum in Occidente didicerant, vel quòd apud Monachos nocturnis vigilijs fessos in desuetudinem abierat, eoque opus fuerit Apostolici instituti innouatione.

*Initiati sacris Ordinibus.*

Ad Horas itaque Canonicas obligantur in primis initiati sacris Ordinibus, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi. De Presbyteris patet cap. 1. De celebratione Missarum, vbi ex Concilio Agathensi Presbytero permittitur, vt ex causa omnium Horarum pensum, Completorio excepto, manè persoluat: quod ijsdem verbis exstat cap. Presbyter, dist. 91. De Diaconis & Subdiaconis nihil ibi statuitur: neque enim placet quod quidam dicunt, Presbyteri nomine hîc etiam istos intelligi, eò quòd Sacerdotis nomine intelligi apertè dicantur Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, cap. Si quisquam, De cohabitatione Clericorum & mulierum. Glossa tamen dicit, debere extendi etiam ad ipsos, argumento sumpto ex cap. Cùm secundùm Apostolum, De Præbendis; vbi Clerici maiores dicuntur debere viuere de patrimonio Christi, & non ordinari sine titulo Beneficij, eò quòd Christi obsequijs deputentur. Verùm ex hoc loco non est firmum argumentum, nisi quatenus horum ordinatio titulum requirit, ratione cuius, vt infrà dicemus, teneantur ad Horas. Sumitur etiam argumentum ex cap. Eleutherius, dist. 91. vbi Pelagius Papa decernit, Clericos compellendos esse, vt quotidie Vigilias in Ecclesia celebrent. Quo cap. Glossa monuit, per Vigilias omne reliquum Officium posse intelligi. Apertiùs sanè, totum Officium diuinum cum ipsis Vigilijs Clericis incumbere, constat dist. 61. cap. vlt. ex Gregorio Papa. Apertissimum verò argumentum sumitur ex cap. vlt. dist. 92. desumpto ex Concilio Martini Papæ, vbi Presbyter, Diaconus, & quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus, deponendus dicitur, si contempserit venire in Ecclesiam ad quotidianum psallendi Officium matutinis & vespertinis horis.

Verùm ex his omnibus potiùs colligimus Ecclesiasticam consuetudinem, quæ initar Legis obliget eos qui firmiter sunt de Clero (quales sunt omnes Sacris initiati, aut iam Ecclesiæ deputati per titulum Beneficij) teneri ad Horas, quàm peculiare de hoc satis expressum habeamus præceptum: alioqui hanc obligationem passim omnes testantur DD. tam Theologi quàm Canonistæ, D. Thomas Quodlib. 6. art. 8. qui non aliter eam probat, quàm quòd specialiter Clerici, præsertim in Sacris constituti, ad Dei laudem sint assumpti, quam laudem determinauerit Ecclesia ad septem Horas Canonicas. Sequitur illud Antoninus 3. parte, tit. 13. cap. 4. §. 1. Siluester verbo Hora, quæst. 2. Angelus numero 3. Rosella & Armilla numero 1. Panormitanus in dictum c. 1. De celebratione Missarum: qui addit, esse tutius, vt etiam *Initiati minoribus Ordinibus tantùm non tenentur.* in minoribus Ordinibus constituti Horas legant, quod ex præcepto esse necessarium videtur sentire Glossa in dictum cap. vlt. dist. 92. Verùm id tantùm esse consilij, communis sententia est, & rectè monuit Angelus. Addit Nauarrus Enchiridio De oratione, cap. 7. numero 12. neque Iure, neque consuetudine, neque similitudine rationis præceptum quoad istos probari posse.

Si ergo dicas, De solis Presbyteris exstare textum Iuris Canonici;

Respondeo, Id nihil referre: quia ne quidem ex professo de illis hoc constitutum est Iure scripto, sed suppositum, & data occasione insinuatum potiùs quàm dictum cap. illo 1. De celebratione Missarum, cùm de consuetudine constaret, qua non soli Presbyteri, sed & Diaconi & Subdiaconi tenerentur. Adde, dicto cap. videri potiùs agi de publica recitatione Officij ratione Beneficij, quàm priuata ratione Ordinis. Clerici minorum Ordinum non tenentur ad Horas; imò ex Iure communi neque ad certas preces: consuetudo tamen seruanda, & ad eam obligandi sunt sicubi vigeat, vt certi quid recitent.



*Beneficiati.*

Secundò obligantur ad Horas Beneficiati Clerici, etiamsi in Sacris non fuerint. Probatur ex dicto cap. vlt. dist. 92. vbi obligantur Clerici Ecclesiæ deputati. Deputantur autem per Beneficium, vt communiter annotant DD. Probatur item ex cap. Quod à te, & cap. Diuersis, De Clericis coniugatis; vbi dicitur, Beneficiarios debere diuinis & Ecclesiasticis obsequijs vacare, & propterea vxoratos esse non posse. Denique clarissimè id statuit Leo X. in Concilio Lateranensi.

*An sufficiat quodcumque Beneficium.*

Sed quæritur hîc Primò, An sufficiat habere quodcumque Beneficium, etiamsi nullos vel admodum exiguos habeat fructus?

*Prima sententia affirmat. Probatur 1.*

Tres sunt sententiæ. Vna admodum rigida, Obligari ad Horas quoscumque Beneficiatos, etiamsi nullos vel exiguos percipere possint fructus: hoc enim eos debere sibi imputare, & ex patrimonio vel alia industria & labore supplere, sicuti supplet onera matrimonij, qui indotatam

2. duxit. Ducuntur Secundò, Quòd qui nomen militiæ dederit, vbi sciebat admodum exigua esse

3. stipendia, nihilominùs militare teneatur. Tertiò, Scienti & volenti non fit iniuria; neque igitur iniuria fiet Beneficiario, si ad Officium obstringatur, ad quod vltrò se obtulit suscipiendo Beneficium, præsertim cùm non ineat contractum Faciam vt des, aut locationis operarum, sed simpliciter diuino seruitio sese mancipet, habiturus

4. emolumentum quod fuerit. Quartò, Quamuis Beneficium fuerit tenue, gaudet tamen Benefi-

5. ciarius cæteris Beneficiariorum priuilegijs. Quintò, Clericus recipiens emolumenta ex Beneficio, iam quasi diuino Iure pro eis orare tenetur quorum merit temporalia; at eo ipso quo Beneficium

6. habet, tenetur Iure saltem Ecclesiastico. Denique, Beneficium datur propter Officium, cap. vlt. De rescriptis, in 6. Vbi autem Ius indistinctè de omni Beneficio loquitur, neque nos debemus distinguere. Hanc sententiam adeò multi sequuntur, vt omnino videatur dicenda communis. Glossa in cap. Clericus victum, dist. 91. quæ vtitur similitudine Matrimonij; Rosella numero 1. addens, etiam illum teneri qui habet Beneficium erectum ex proprio suo patrimonio; Armilla numero itidem 1. quæ tamen non obligat, quando nulli omnino citra culpam Beneficiarij perciperentur fructus, aut quando Beneficium esset ex patrimonio ipsius erectum. Quod rationabile videbitur, quando nondum est erectum in titulum; aliàs conueniet magis sententia Rosellæ. Siluester numero 3. Antoninus suprà. Addit Azorius alios complures. Idem sequitur Nauarrus suprà numero 27.

*Secunda sententia negat. Reijcitur.*

Secunda sententia est in altero extremo, Non teneri Beneficiarium ad Preces horarias, nisi possit ex Beneficio suo viuere. Sed istam improbabilem esse, meritò dixit Azorius. Neque enim tota sustentatio debetur pro sola recitatione Horarum: & manifestum est dicto cap. 1. De celebratione Missarum, Beneficiarios non excusari ab Horis, etiamsi victus supplendi gratia, manibus debeant laborare. Neque refert, in casu dicti cap. etiam ratione Sacerdotij ad lectionem Horarum obligasse; quia ratione Beneficij Presbyter parochialis partim per se, partim per alios publicè recitare iubetur, ad quod ratione solius Ordinis non tenebatur.

*Tertia sententia verior.*

Tertia sententia est media, Eum qui solum habet titulum, & nullos fructus, non teneri ad Horas; imò neque illum qui tenues admodum percipit fructus. Quanta autem summa sufficiat ad hanc obligationem, variant DD. Quidam dicunt sufficere quinque ducatos: alij octo vel decem, vt Sotus. Ducuntur Primò, Quòd ad effectum obtinendi secundum Beneficium non censeatur habere Beneficium, qui tenue habet, per cap. Is cui, De Præbendis, in 6. itaque volunt, etiam videri non habere quoad hunc effectum, vt teneatur tamquam Beneficiarius legere Horas. Secundò, Quamuis onus legendi Horas per se solum non respondeat toti sustentationi Clerici, respondet tamen certæ parti illius sustentationis: qui ergo illam partem non percipit in respondentibus fructibus, non videtur obligandus ad lectionem Horarum; qui enim altari seruit, debet de altari viuere. Tertiò, Parum in Iure pro nihilo reputatur, vt multis auctoritatibus probat Corsetus verbo Modicum. Idem ergo erit parum & nihil recipere in proposito. Hanc sententiam tenet Sotus lib. 10. quæst. 5. art. 3. quem sequitur Arragonius, & alij viri docti & pij hoc tempore.

*Qui nullos percipit fructus, nõ tenetur.*

In hac difficultate certum in primis est, Si nullos omnino Clericus recipiat per se vel alios Beneficij sui fructus, citra omnem suam aut suorum negligentiam, non obligari ad Horas. Sententia communior est Nauarri, Panormitani, & aliorum. Probatur ratione naturali: Nemo enim militat suis stipendijs vmquam. Amplianda est, vt etiam in illo procedat, cuius Beneficium ab initio aliquos fructus præbebat, sed nunc non præbet: quamuis in eo quidam disparitatem faciant. Limitanda tamen secundùm Nauarrum suprà, ne procedat in eo qui litigat pro Beneficio, cuius fructus sunt sequestrati. Si enim post sententiam sit eos recepturus, secundùm omnes tenetur ad Horas etiam tempore litis. Verùm hæc limitatio etiam ipsa est limitanda, vt tum demum quis ratione Beneficij litigiosi teneatur recitare, quando manet in eius possessione & administratione, licet periclitetur de restitutione fructuum. Ita ferè Suarez lib. 4. De Horis Canonicis, cap. 19. Item neque is excusatur, cuius primo anno fructus percipit fabrica, etiamsi illic fortè recepta non sit Extrauag. Ioannis XXII. quæ nouo Beneficiario, primo anno vult dari medios fructus; nam etiam nihil recipiens, tenetur ad Horas, non solùm quando fructus applicantur heredibus prædecessoris; quo casu eosdem ipse post mortem reciperet: vel quando senioribus Canonicis accrescunt; quo casu simili accessione ei compensantur tempore residentiæ: sed probabiliter etiam quando fabricæ vel alteri pio operi applicantur, quamuis de eo quidam dubitent. Ita Azorius, Nauarrus, & alij. Ratio est, Quia potiùs est existimandum, quòd fructus sequentium annorum imputentur huic Beneficiario pro officio primi anni, quàm quòd pia illa consuetudine sit derogatum Legi de recitandis Horis cum diminutione diuini Officij. Limitanda denique, ne in eo habeat locum excusatio, qui substituto cogitur tantum pẽdere, vt nihil su-

hil superfit; talis enim verè percipit fructus: & quamuis ab eo officio excusetur in quo substitutum habet, non tamen à personali onere Horarum magis videtur excusandus, quàm si personaliter deseruiret, sed potiùs minùs, vtpote qui magis officio desit. Item neque in eo qui consensit vt ei qui sibi Beneficium resignauit, reseruarentur omnes fructus loco pensionis, vt docet Nauarrus suprà num. 30. & cap. 20. num. 15.

Ac quid si retineat quis solum titulum, & ex dispensatione Pontificis alteri totam administrationem cum omnibus fructibus Beneficij relinquat? Existimat Suarez tomo 2. De Relig. lib. 4. cap. 20. num. 5. hunc administratorem teneri recitare; quod videtur æquum.

*Quomodo teneatur qui exiguos fructus percipit.*

Certum est Secundò, Non excusare illam tenuitatẽ, quę saltem tertiam partem suppeditat mediocris sustentationis. Imò ad modum probabilis est Prima sententia, quatenus dicit, Beneficiarium obligari ad integram lectionem Horarum, si accipiat quoscumque Beneficij fructus, quantumuis tenues: fructuum enim tenuitas non mutat naturam Beneficij, quamuis causam præbeat petendi à Superiore relaxationem oneris, sicuti fit in reductione Missarum, quæ supra vires Beneficio incubuerint. Neque videtur eiusmodi reductionem & diminutionem posse Beneficiarium solius Confessarij aut propria auctoritate facere, vt patet in alijs similibus.

Nihilominùs quoad plenam recitationem Officij diuini, verius existimo, eum excusari, qui admodum tenues prouentus habet, qui saltem sint inferiores tertia parte mediocris sustentationis vulgaris alicuius Clerici. Si enim ad obligationem hanc non sufficiat nudus Beneficij titulus, vt DD. communiter fatentur, & patet ex dictis; mirum esset, vnius aurei receptionem, posse tantam obligationem inducere; quod non aliam ob causam fieri videtur, quàm quòd vnus aureus non sit proportionatus tanto oneri inducendo. Quoad igitur quantitas non ascenderit ad probabilem illius oneris proportionem, satis probabile videbitur, excusari Beneficiarium ab officio Horarum plenè persoluendo. Verùm sicuti eo ipso quo Clericus est, naturali quadam Lege tenetur ad maiorem Dei cultum vel laudem, ita simili obligatione credibile est, pro rata eius quod percipit fructuum infra proportionem pensi horarij, nihilominùs ad alia diuini cultus seruitia teneri, sicuti obligatus fuisset, præueniendo determinationem Ecclesiasticam huius pensi Horarum: quam quidem obligationem existimo Clericum etiam sine Superioris auctoritate posse exoluere, aliquoties recitando Horas pro rata fructuum quos percipit, præsertim diebus Festis, Dei maiorem cultum, & otium à seruili opere, & curis sæcularibus, quibus fortè victus supplendus est, suo instituto postulantibus. Neque tamen existimo, talem, si omnino omittat Horas, neque suppleat hoc alijs orationibus, vel alio Dei cultu, iam esse iudicandum tamquam præuaricatorem præcepti Ecclesiastici, sed solùm naturalis Legis, adeoque secundùm ea quæ infrà dicemus, non teneri ad restitutionem fructuum.

Vnum hîc consideratu dignum fuerit, quòd Clericus probabiliter non teneatur orare præcisè quod Horæ Canonicæ habent, sed pro ratione suæ vocationis, Lege naturali ad Deum preces fundere debeat. Itaque etiamsi fortè Beneficij fructus pro sua tenuitate onus Horarum præcisè non postulent; fieri tamen facilè potest, vt non sit facturus opus supererogationis eiusmodi Clericus, quando in solutionem incumbentis sibi ex varijs caussis orationis, preces saltem illas deuotè recitat. In cuius probationem facit, quòd Sacerdos etiam ratione solius Ordinis teneatur aliquando celebrare, vt docet D. Thomas 3. parte, quæst. 82. art. 10. Reprehenduntur enim sacerdotes veteris Legis grauissimè, quòd non circa altaris officia dediti essent, contempto templo, & sacrificijs neglectis, 2. Machab. 4.

Ad argumenta contrariæ opinionis probabiliter respondetur potest. *Resp. ad 1. sententiæ.*

Ad Primum, Cùm intuitu stipendij quod ex Beneficio obuenit, Ecclesia imponat Clerico pensum Horarum, meritò censetur hoc ei relaxare, quando vel nihil vel admodum parum obuenit, quamuis non relaxet ei onus Clericali modo viuendi, & pro facultate Beneficij Ecclesiasticis ministerijs insistendi; sicuti qui vxorem pauperem ducit, eam quidem alit, sed non cum eo splendore quo alitur dotata. *argumenta. Ad 1.*

Ad Secundum, Sic militare tenetur in proposito, prout Ecclesia eum assumens intendit, quæ non censetur velle vt suis quis militet stipendijs. *Ad 2.*

Ad Tertium patet ex eodem fundamento responsio. *Ad 3.*

Ad Quartum, Vt alia sunt priuilegia, ita & alia onera, in habitu, vita, conuersatione. *Ad 4.*

Ad Quintum patet ex dictis. *Ad 5.*

Ad Sextum, Intenditur quidem officium quando datur Beneficium, sed fieri potest, vt in executione defectu instrumentorum & mediorum Beneficiarius excusetur. *Ad 6.*

Quæritur Secundò, Vtrùm coadiutor in aliquo Beneficio teneatur ad Horas? *An coadiutor in Beneficio teneatur ad Horas.*

Respondeo, Quamuis aliqui obligent adiutorem, ijs saltem diebus quibus officio fungitur vice Beneficiarij, vt Medina De oratione, quæst. 7. verius tamen videri, vt simpliciter est talis, non teneri. Ita sentit Nauarrus suprà cap. 20. numero 18. Azorius lib. 10. cap. 4.

Dico, *vt simpliciter est talis*; quia sic ad ea dumtaxat tenetur, ad quæ datus est coadiutor: fieri autem potest, in ijs esse aut etiam non esse recitationem Horarum, aut secundùm partem tantùm esse.

Quæritur Tertiò, Vtrùm quæcumque Cappellaniæ obligent ad Horas?

Respondeo affirmatiuè, si sint collatiuæ, id est, auctoritate Apostolica vel ordinaria institutæ: secùs si sint institutæ à solis testatoribus vel donatoribus, citra auctoritatem Pontificis vel Ordinarij. Nauarrus suprà num. 17.

Quæritur Quartò, Vtrùm Commendatarij teneantur? *De Commendatario.*

Respondeo, Teneri pro tempore quo tenent Beneficium commendatum. Ita Medina, Nauarrus, Azorius, post Glossam in cap. Nemo, De electione, in 6. communiter ab omnibus receptam, quæ Commendatarium obligat ad officium & residentiam.

Quæritur Quintò, Vtrùm teneatur Pensionarius? *Pensionarij non tenentur ad Horas.*

Respondeo, Non teneri. Ita communiter Doctores. Ratio est, Quòd pensio ex genere suo non detur



detur propter officium spirituale sicut Beneficium, sed sæpè ob priora merita, vel propter spem futurorum, vel propter debilitatem, vel in alimenta, &c. Accedit, quòd ratione vnius Beneficij non fit æquum duos obligari ad Horas: obligatur autem Beneficiarius; ergo Pensionarius est liber. Pius tamen V. obligauit eos qui habent Clericalem pensionem, id est quæ non datur nisi Clericis, ad Horas B. Virginis minores, cum onere restituendi fructus, nisi impleuerint, vt patet ex Constitutione, quæ incipit, Ex proximo Lateranensi, quæ refertur in 7. Decretal. Perri Matthæi, & apud Nauarrum in Enchirid. Esse autem vsu receptam, testatur Azorius. Si tamen Pensionarius ad Ordines vel Beneficium promoueatur, ratione quorum teneatur ad maiores Horas, desinit obligatio recitandi Officium B. Virginis, etiamsi pensionem retineat, Azorius suprà.

Quæritur Sextò, Vtrùm excusetur, qui in studijs est, & in Choro habet substitutum?

Respondeo, Non excusari: legitima enim de caussa absens à Choro, tenetur nihilominùs priuatim recitare, etiamsi ibi substitutum habeat. Argumentum ex cap. 1. De celebratione Missarum.

Quæritur Septimò, Vtrùm excusetur, qui nondum accepit possessionem, quamuis habeat collationem?

Respondeo, Non excusari, quando à die acceptatæ collationis verè est Beneficiarius, & ei debentur fructus. Secùs dicendum, si nihil fructuum ei currat ante acceptam possessionem, & non stet per ipsum, quò minùs possessionem habeat. Nauarrus suprà cap. 7. numero 29. Imò probabilius est, regulariter ante possessionem non teneri, vt post Flaminium docet Azorius: & sic in Curia Romana dicunt obseruari.

Quæritur Octauò, Vtrùm excusetur, qui duo parua habet Beneficia exigui prouentus?

Respondeo, Si prouentus coniuncti conficiant tertiam partem sustentationis, non secùs tenetur, ac si ex vno Beneficio tantumdem reciperet. Imò hoc ipsum quòd duo habeat Beneficia, facit vt magis quodammodò teneatur. Quamuis extra dubium sit, non teneri eum bis legere, qui duo habuerit etiam benè dotata.

*Religiosi professi ad Chorum.*

Tertiò obligantur ad Horas Religiosi ad Chorum professi. Ita cum communi docet Palude in 4. dist. 15. q. 5. qui admodum rigidè etiam hoc extendit ad Nouitios & Conuersos, vt illi quidem simpliciter teneantur, Conuersi autem secundùm modum sibi præscriptum. Docet idem Antoninus 3. parte tit. 13. cap. 4. § 1. Angelus hoc verbo, numero 3. Siluester quæst. 2. numero 6. qui dicit esse communem DD. in cap. Licet, De voto & voti redemptione. Textum pro hac sententia nullum adducunt, sed rationem, ob quam videri queat inualuisse consuetudinem quæ habeat vim Legis. Cùm enim Religiosi ab Ecclesia approbentur tamquam publici precatores, meritò videntur obligari ad publicam formam precum, quam Ecclesia præscripsit Ecclesiasticis, vt post Antoninum docet Nauarrus De oratione, cap. 7. numero 4. Est tamen quorumdam sententia, Non obligari Religiosos qui non sunt in Sacris, eo solo titulo quòd Religiosi sint, multò minùs Moniales (ita tenet Caietanus hoc verbo) eò quòd Monachorum ordo contra Regulares Clericos in eo distinguatur, quòd Clerici isti diuinis Horarum & ministerijs Missarum mancipati sint: illi autem destinentur contemplationi, eoq; nomine eis debeatur victus, vt iam concidat fundamentum Palude, existimantis Religiosos ad Horas obligari ratione sustentationis quam vt Ecclesiæ ministri accipiant. Caietanum sequitur Armilla, num. 4. Emanuel Sà dicit, hanc sententiam esse probabilem, sed non esse vsu receptam: & sanè qui eam tenent, fatentur standum esse consuetudini.

Dixi, *Professos teneri*; quia communiter tenent DD. contra Palude, Nouitios non teneri: manifestum enim est, eos nondum esse ab Ecclesia in publicos precatores acceptatos. Ita tenent tamquam certum Siluester, Caietanus, Armilla. Eadem ratione sequitur, non teneri eos qui professi sunt in Ordine non approbato: non teneri, inquam, ex præcepto Ecclesiæ, quamuis ex voto teneri possint, sicuti & illi qui vouissent Preces horarias simplici voto. *Nouitij non tenentur.*

Dixi, *teneri Professos ad Chorum*; quia Conuersi quos vocant, non tenentur. Siluester num. 7. *Conuersi nõ tenẽtur.*

De Monialibus eamdem esse rationem dixerunt Turrecremata in cap. 1. dist. 91. numero 15. Armilla hoc verbo, numero 5. Nauarrus suprà numero 21. Azorius lib. 10. cap. 6. & exstat hac de re Constitutio Synodi Moguntinæ, sub Rhabano, cap. 16. Procedit hęc doctrina sine vllo respectu ad illud, quòd quædam ex Sanctimonialibus soleant esse diaconissæ, & aliquid simile habere Ordinibus Ecclesiasticis: quamuis (vt videre licet apud Turrecrematam) quidam in hoc vim fecerint, moderanda tamen vt non teneantur nisi ad tales Horas, quæ in suo Choro recitari solent. *Moniales.*

Religiosi equites militaris Ordinis solùm tenentur ad Preces in Regula sua præscriptas, vt annotauit Azorius suprà quæst. 4. *Militares Religiosi.*

Religiosos fugitiuos non leuari hoc onere, tradit Nauarrus suprà numero 20. extendens idem ad ejectum sua culpa, aut etiam iniustè, modò verè maneat Religiosus. *Religiosus fugitiuus.*

Probabile tamen erit contrarium, quando dejicitur à statu destinatorum Choro, ad numerum Conuersorum, vt post Sotum annotauit Azorius. Eremitas non obligat Armilla, nisi ratione consuetudinis.

At necessariæ quæstionis est, Vtrùm qui obligantur ad Horas, mortaliter peccent eas omittendo? Opinio enim est Richardi Anglici in Quodlibeto, si ex sola negligentia omittas, non esse mortale; secùs si ex fastidio vel contemptu diuini cultus, vel ex consuetudine. Eadem sententia placuit, tamquam humanior, Angelo hoc verbo, numero 10. Rosella recitantem sine attentione etiam ex negligentia, modò citra contemptum, excusat quidem à mortali, non tamen omittentem, etiamsi omittat ex sola negligentia. Quæ quidem opinio quo ad priorem partem suprà refutata est. Posterior autem pars est communis DD. & omnino videtur asserenda. Ita tenet Siluester q. 12. num. 5. tamquam indubitatum, propter cap. Dolentes, De celebratione Missarum; Palude suprà, dist. 15. quæst. 5. D. Thomas ibid. quæst. 4. art. 2. resp. ad 4. quæst. Armilla eodem verbo, numero 1. Nauarrus cap. 7. De oratione, numero 5. Azorius lib. 10. cap. 7. qui testantur esse communem. *De obligatione. Omittens peccat mortaliter.*

Quamuis autem hæc sententia satis certa sit, veritatis tamen illustrandæ gratia, argumenta etiam oppositæ opinionis proponamus. Pro qua *Obiect. 1.*

in primis videtur facere, quòd illi saltem qui priuatim recitando satisfaciunt, non peccent mortaliter vnam vel alteram Horam omittendo; quia secundùm multorum sententiam, satisfaciunt sine vlla precatione interiori, modò exteriùs verba recitent: atqui exteriùs verba illa recitare, non videtur esse tanti momenti, vt omittens debeat dici peccare mortaliter.

*Obiect. 1.* Secundò, Fundamentum quod pro altera opinione petitur ex cap. Dolentes, infirmum videtur; tum quia, cap. contra illos agit, qui ex consuetudine diuinum Officium mutilabant, & irreuerenter recitabant; tum etiam quia non præcipit districtè sub pœna suspensionis recitare Horas vniuersaliter, sed illas Horas quæ publicè in Ecclesia debebant recitari, præcipit ibidem recitare studiosè & deuotè: cum quo stare potest, eum qui priuatim Horas omiserit, quas publicè recitare non tenebatur, non peccasse mortaliter. Imò fortè etiam, quòd qui publicè irreuerenter recitauerit, non peccauerit mortaliter peccato omissionis, sed commissionis, adeoque peccauerit mortaliter sic irreuerenter agendo, cùm sola omissione non fuerit mortaliter peccaturus. Confirmatur, Quia tales peccabunt mortaliter, etiamsi posteà durante eodem die Horas repetant, non peccato omissionis, ergo commissionis. Non est ergo inde sufficiens argumentum ad inferendum peccatum mortale omissionis generaliter eorum omnium qui Horam vnam non legunt.

Pro posteriore nihilominùs opinione facit, Legem istam Ecclesiasticam de legendis Horis, quæ quodammodò determinatiua est Iuris diuini naturalis, quo Ecclesiastici tenentur pro populo orare, aut Deum colere, non posse dici non obligare sub mortali, nisi vbi materia fuerit leuis, aut inaduertentia excusauerit. Inaduertentia autem non excusat negligentem, neque item materiæ leuitas, si vel Matutinum integrum, vel Laudes, vel aliquam ex reliquis Horis omittat: nam ad singulas illas Horas olim peculiariter solent Clerici conuenire, imò & sub pœna depositionis subinde concurrente contumacia constringi, vt patet cap. vltimo, distinct. 92. ex Concilio Martini Papæ, Pœna autem depositionis non statuitur pro peccato, nisi illud fuerit mortale, vt expressè docet Bernardus Diaz in Practica, verbo Deponi: æquiparatur enim excommunicationi laicorum, vt passim in Canonibus obuium est, & pœnæ mortis in pœnis sæculi, vt ibidem addit Diaz. Clericus ergo Ecclesiæ deputatus, mortaliter tunc peccabat negligens venire ad Matutinum & Vesperas. Vnde infero etiam, nunc peccare mortaliter non legendo Matutinum aut Vesperas: quòd enim nunc leuius eius sit onus, vt domi possit persoluere, non facit vt quod faciliùs potest, non implendo magis excusetur.

Ex his probabile est, esse mortale omittere integrum Nocturnum; quia etiam ad singula Nocturna solent olim distinctis Horis conuenire. Imò Nauarrus putat, esse mortale, tertiam partem vnius Horæ, etiam minimæ, omittere. Ita cap. 10. De oratione. Quæ sententia probabilis est: nam vt ipse rectè vrget cap. 7. regulariter quoad peccandum mortiferè, paria sunt omittere aliquod totum, & partem eius notabilem.

*Resp. ad 1.* Ad argumenta opposita respondeo. Ad Primum, Fundamentum istud suprà nos refutasse; neque satis consequenter eos loqui, qui dicunt obligari sub mortali, & tantùm obligari vocaliter recitare: vt meritò ex communi sententia, quæ obligat ad Horas sub mortali, colligamus etiam obligationem attentionis, & veræ orationis, quam suprà asseruimus.

Ad Secundum respondeo ex cap. Dolentes, *Ad 2.* Pro nostra sententia esse quidem solidum argumentum, sed non vnicum fundamentum, vt quidam præ se ferunt: absolutè enim cap. præcipit Officium recitari, idque districtè in virtute obedientiæ, quod signum est grauis obligationis. Neque refert, quòd etiam modum præcipiat, vt id fiat studiosè & deuotè quantum Deus dederit; quia non præcipit modum accidentalem, sed substantialem, id est eam saltem deuotionem, sine qua non esset verè oratio.

Ad Confirmationem respondeo, Eum qui Horas recitat cum voluntaria distractione, animo satisfaciendi præcepto, sine animo repetendi, non tantùm peccare peccato commissionis, sed etiam omissionis interiori, etiamsi posteà nondum decurso tempore excludat exteriorem omissionem repetendo.

At quæres, Sintne plura peccata, omittere vno die septem Horas? Nauarrus suprà cap. 7. num. 6. distinguit: si enim tantùm peccetur negligentiâ omittendo Horas, putat esse tantùm vnum peccatum, eò quòd septem Horæ sint vna tantùm oratio per septem horas distributa, quam etiam possis vno continuo tempore totam persoluere: si autem peccetur proposito omittendi, toties peccari, quoties propositum illud renouatur, & rursum denuò peccari, quando reipsa omittuntur. Vnde patet fieri posse, vt septem Horæ omittantur vno peccato, & vt vnam Horam velle omittere, septies repetito proposito, septem sint peccata. Idem tenet Azorius, qui Turrecremata & alios plures citat: quam peccati vnitatem non impediri credo, etiamsi ad singulas partiales omissiones aduertat. *An sint plura peccata omittere omnes Horas.*

At quid dicendum, si vnam Horam sciens omittat, sed proponat reliquas exoluere, posteà autem contingat etiam illas negligi?

Respondeo, Duo hîc esse peccata; quia per illud propositum voluntas interpretatiua, quæ est in omissione, fit discontinua: illa tamen duo non sunt tam grauia simul, ac est vnum eius, qui voluntatem omittendi ita non interrupit, & totidem Horas omisit.

Postremò hîc quæri possit, Vtrùm satisfaciat quis priuatim recitando Horas, si ita submissè recitet, vt ne ipse quidem audire verba possit?

Tractat Nauarrus De oratione, cap. 20. num. 14. & refert Medinam dicentem, opus esse vt etiam adstantes audire possint. Sed rectiùs ipse tenet, opus esse & sufficere, ita formari verba, vt ipse recitans ea audire vel intelligere queat: publica enim oratio debet quidem ex præcepto esse vocalis, sed clara & alta solùm de decentia, quæ decentia in proposito facilè cessat. Addit tamen Nauarrus, probabiliter fortè teneri posse, ea quæ iubentur in Horis dici secretò, sufficere mentaliter tantùm dicere, eò quòd Leo X. Minoribus concesserit, vt quidquid in Horis & Missa secretò dici debet, possint persoluere sola mentali oratione. Verùm istud non rectè sustinetur: quidquid enim sit de isto priuilegio, certum est, non posse conse-



consecrationis verba tantùm mentaliter recitari. Certum etiam est, Ecclesiam intendere, vt illa quæ secretò dici præcipit, voce licet submissa pronuntientur, non tantùm mente concipiantur.

## DVBIVM IV.

### *Quomodo teneatur restituere fructus Beneficiarius qui Horas non legit?*

*An teneatur Iure naturæ. Prima sententia.* PRIMO inquirendum, Vtrùm Iure naturæ Beneficiarius Horas omittens, teneatur ad aliquam restitutionem? Teneri, est sententia Angeli hoc verbo, num. 11. quam etiam tenuerunt Chalderinus, Ancharanus, Geminianus, Iason, Baldus, citati apud Azorium. Hos sequitur Couarruuias lib. 3. Variarum, cap. 13. num. 10. Adrianus in 4. De restitut. §. Pro responsione ad quæsitum; Sotus lib. 10. q. 5. art. 6. conclus. 3. Argumentum huius opinionis est, Quòd percipiens aliquid ob caussam quam præstare non curat, teneatur perceptum restituere, vt patet ff. De condictione caussa data, caussa non secuta: atqui Beneficium, inquiunt, datur propter officium, cap. vlt. De rescriptis, in 6.

*Secunda sententia negans veritatem.* Contraria, Non teneri, est sententia Panormitani in cap. 1. De celebratione Missarum, qui dicit, alteram esse nimis rigidam, Rosellæ & Siluestri verbo Clericus 4. quæst. 23. Armillæ eod. num. 27. & verbo Beneficium, num. 69. Probatur Primò, Quia Beneficium, inquiunt, non datur simpliciter propter officium, sed & vt Clericus assumptus in sortem Domini, viuat de patrimonio Christi, & non mendicet. cap. Diaconi sunt, ex D. Hieronymo, dist. 93 & cap. 2. De Præbendis. Secundò ex cap. Si quis in Clero, ex Concilio Agathensi, caussa 7. q. 1. Vbi alia pœnitentia iniungitur Clerico, qui defuit officio, nulla facta mentione restitutionis. Tertiò, Iure antiquo Clericus non residens priuatur Beneficio, cap. Ex parte, De Clericis non residentibus: nusquam tamen reperitur priuari fructibus perceptis. Quartò, Etiamsi Clericus non seruiuit dicendo Officium, seruiuit tamen Ecclesiæ vniuersali in Ordine Clericatus, Quintò, Etiam Clerico malè viuenti tenetur populus soluere decimas, cap. Tua nobis, De decimis, & tenet D. Thomas Quodlibeto 6. tenetur ergo etiam non fungenti officio; ergo non tenetur eas Clericus restituere. Ita argumentatur Siluester. Et sanè ad hominem loquendo, sequela confirmari potest, Quia nonnulli ex aduersarijs, ex quibus Adrianus suprà, non tantùm Clericum non recitantem Officium, sed etiam malè viuentem obligant ad restitutionem.

Posterior sententia videtur verior: quia donatio Beneficij Ecclesiastici, est quidem donatio sub modo, sed non est donatio sub conditione, vt benè Siluester. Inter has autem donationes hoc discriminis est, quòd quando posterior donatio subest, non impleta conditione, donatarius teneatur restituere; quando autem est donatio sub modo, multa eum excusare possint, vt non teneatur restituere, etiamsi modum non impleuerit; de quibus diximus suprà Dubio 9. De translatione dominij per donationem. Tale in primis erit, si donator non principaliter, aut non cum tanto rigore modum intenderit, quo modo ibidem diximus ex cap. Verùm, De conditionibus appositis, etiam Ecclesiam non teneri restituere rem sibi donatam sub modo, etiamsi modum non impleuerit: Ecclesia autem conferens Clerico Beneficium, intendit quidem Officium, sed non apponit donationi Officium tamquam conditionem; imò videtur intendere vt Clericus sustentetur, atque ita gratis sine mercede Officium implere possit. Vbi aduerte, Etiamsi principaliùs dicatur Ecclesia intendere Officium quàm Clerici sustentationem, & ex iustitia fortè Beneficiarius teneatur ad Officium; non tamen hoc ingredi formam collationis Beneficij: tenetur enim fortè ex iustitia ad spirituale Officium, qui illud suscepit, & se ad hoc obligauit suscipiendo Beneficium: ex tali enim promissione tacita vel expressa ius fortè oritur Ecclesiæ ad tale ipsius Officium: ex quo fiat, vt intermissum Officium debeat resarcire, illud posteà supplendo; idque fortè rursus ex iustitia, verbi gratia, si debeat aliquoties celebrare, & omisit, supplebit numerum Missarum omissum, quando obligatio celebrandi non est omnino aut principaliter alligata tempori iam lapso; illa enim ratione qui hodie non legit Horas, non tenetur eas cras bis legere, sed qui omisit priori parte diei, tenetur supplere posteriori.

Neq; tamen displicet quod Suarez docet lib. 4. De oratione cap. 29. si restitutio hîc admitteretur debita ex natura rei, posse eam fieri in eodem genere: verbi gratia, si quis omisit Officiū sex mensibus quando erat Beneficiarius, recitet alijs sex mensibus occurrens officium quando iam dimisit Beneficium, aut quotidie idem occurrens bis reciter, si Beneficium retinuerit, aut aliàs obligetur. Neq; refert, quòd tempus ei lapsum sit quoad euadendam inobedientiam mortalem, adhuc enim ei currit quoad reparandam iustitiam per restitutionem.

Ex dictis patet responsio ad contrariæ opinionis argumentum.

Secundò inquirendum, Vtrùm saltem Iure positiuo teneatur restituere fructus Beneficiarius, qui Horas neglexit?

*Iure positiuo tenentur restituere.* Vbi in primis obseruandum, eiusmodi negligentem semper dignum esse habitum qui fructibus priuetur, saltem per sententiam. Ceterùm tandem Lege positiua in Concilio Lateranensi sub Leone X. statutum est, vt quilibet habens Beneficium, si post sex menses ab eo obtento diuinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus, suos non faciat, pro rata omissionis recitationis Officij, & temporis, sed eos tamquam iniustè perceptos in fabricas eiusmodi Beneficiorum, vel pauperum eleëmosynas erogare teneatur. Denique constituitur pœna priuationis Beneficij in semestrem possessorem, si monitus in simili negligentia permanserit, ita vt quindecim dierum spatio Officium saltem bis non dixerit. Eamdem Constitutionem innouauit, declarauit & auxit Pius V. statuens, vnoquoque die quo Horas Beneficiarius omiserit, amittere eum omnes fructus illi diei respondentes, id est, qui se habeant ad fructus totius anni, sicut dies quo neglexit se habet ad annum. Secundò, Eum qui omiserit vel Matutinum, vel ceteras omnes Horas, amittere fructus medios illius diei; quique omiserit vnam Horam, amittere sextam eorum partem, etiamsi

præsens in Choro distributiones acceperit. Tertiò, Qualiacumque Beneficia etiam præstimonialia huic Legi esse subiecta. Denique Pensionarios Clericales simili proportione & onere obligari ad Horas B. Virginis.

Tertiò circa hanc Constitutionem quæritur, Vtrùm qui primo semestri ab obtento Beneficio omittit Horas, non teneatur restituere?

*Primo semestri omittens non tenetur.*

Respondeo, Non teneri, sed sufficere, vt indicat Constitutio Lateranensis, Deo pro eiusmodi omissione satisfacere.

Contrarium sentit Sotus suprà citatus, concluſ. 4. quem sequitur Petrus Matthæus in Notis suis ad 7. Decretal. Existimant enim, mendo librariorum, loco *per sex menses*, in Concilio legi *post sex menses*, eò quòd alioqui non satis sibi cohæreant & constent verba Concilij, & Constitutio partim nimis laxa, partim nimis rigida futura sit: nimis laxa, si toto semestri negligentem liberum à restitutione relinquat; nimis rigida, si lapso semestri etiam pro vna Hora omissa restitutionem exigat.

Sed non erit difficile ista diluere. Primum enim quod de mala cohærentia objcitur, proficiscitur ex siniſtro intellectu illorum verborum: *si verò vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit.* Neque enim significatur, citra tempus semestre negligentiam restitutione puniri, vltra semestre autem etiam priuatione: sed cùm esset constitutum de semestri possessore negligente, quòd etiam citra contumaciam debeat restituere, nunc statuitur de eodem semestri possessore, quomodo in casu contumaciæ debeat priuari Beneficio. Quod autem de nimia remissione objcitur, diluitur ex dictis: falsò enim supponit obiectio, deberi restitutionem istam Iure diuino. Denique quod de nimio rigore dicitur, facilè soluitur. Cùm enim Beneficium detur propter Officium, possunt Beneficiarij compelli ad Officium subtractione fructuum etiam illorum, quos manendo in Iure naturæ, aut communi indulgentia, non obstante negligentia, facerent suos: potest enim Ecclesia, rationabili de causſa, quæ hìc non deest, constituere, vt fructus suos non faciat, qui sic non seruierit: quo modo donatorem disponere posse in donatione modali, patet ex dictis Dubio 9. De donatione, suprà citata.

Vnde sequitur, Etiam ante sententiam Iudicis hos fructus debere ab omittentibus Horas restitui.

Sequitur Secundò, Etiam ab illis debere restitui, quibus incumbunt plura alia onera ratione Beneficij quàm lectio Horarũ: debere inquam restitui non tantùm fructus respondentes oneri lectionis Horarum prætermissæ, sed integros illius temporis, vt suprà Constitutionem Lateranensem explicuimus. Quod iterùm est contra quosdam: sed ita explicat Azorius 1. parte, lib. 10. cap. 14. q. 5.

Sequitur Tertiò, Si quis plura habeat Beneficia, siue in vno siue in nullo resideat, debere omnium fructus non secùs restituere si Horas omittat, ac si essent vnius tantùm Beneficij. Ita resoluit idem Azorius q. 6. & fauet ipsa Constitutio Lateranensis, quæ Beneficia exprimit plurali numero.

Atquid si simul Beneficium habeat cum pensione, restituétne etiam fructus pensionis?

Respondeo, Probabiliter id asseri, quia Horæ quas recitat, supplent vices Horarum B. Virginis. Itaque restituet, sicut omittens Horas B. Virginis.

Sequitur Quartò, Non excusari à graui peccato, qui primo semestri ab accepto Beneficio non dicit Horas, quod disertè monet Pius V. & indicat Concilium Lateranense.

Sequitur Quintò, Pro arbitrio Beneficiarij posse hanc restitutionem fieri vel fabricę vel pauperibus: sufficit enim seruare formam Legis positiuæ.

Quartò hìc inquirendum, Vtrùm ille qui sine attentione debita Horas recitat, teneatur restituere fructus? *De recitãte sine attentione.*

Tres sunt sententiæ. Vna affirmat, Non secùs teneri, ac si omnino omisisset. Ita Ludouicus Beja, parte 2. casu vlt. qui dicit esse communem, & citat D. Thomam hìc, art. 13. sed parum aut nihil pro hac sententia habentem. Tenet tamquam probabilem Azorius suprà q. 8. Pesantius q. 62. art. 2. disp. 2. De Horis Canonicis, Nauarrus De oratione, cap. 20. num. 32. Eamdem sententiam sequitur Petrus Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 233. ita saltem, vt ad lucrandum reditus Beneficij, putet Horas recitari debere cum attentione ad verba. Ludouicus Lopez 2. parte cap. 96. qui putat eum de quo est quæstio, saltem cum Papa debere componere super fructibus. Graffius lib. 2. cap 51. n. 7. Suarez De Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 26. *Prima sententia, Teneri ad restitutionem.*

Probari potest, Quia, vt suprà diximus, Ecclesia non tantùm præcipit orationem merè vocalem, sed simul veram orationem, quæ saltem aliquam attentionem requirat: ergo qui sine attentione recitauit, tenetur Horas repetere, & nisi repetat, fructus restituere; idem enim est, ac si non recitasset: par autem ratio, par ius parit.

Secundò, Lex pœnalis extenditur de vno in alium casum duobus concurrentibus, nimirum si subsit eadem ratio, & si contineatur saltem sub significatione larga verborum Constitutionis, vt tradunt plures DD. quos citant Nauarrus & Beja. Atqui in proposito verè est quædam omissio Horarum, (alioqui non teneretur repetere) & est eadem ratio: imò plus peccat qui sine attentione legit, quia omissioni addit peccatum commissionis, vt apertè tradunt Nauarrus & Pesantius.

Accedit Tertiò, Quòd Ius commune statutum in vtilitatem publicam, quale est de quo agimus, possit extendi secundùm receptam doctrinam Bartoli, præsertim cùm eò pertineat, vt consulatur saluti eorum qui recitare debent, & simul eorum pro quibus recitatur.

Altera sententia dicit, Sine attentione recitantem teneri solùm ad illam restitutionem, quæ sit Iuris naturæ, adeoque non ad restituendos integros fructus, vt Constitutio habet, sed ad receptos vel recipiendos præcisè pro onere Horarum intermissarum. Ita sentit Vasquez 1. 2. tom. 2. disp. 160. cap. 5. Verùm iam suprà ostendimus, Iure naturali aut diuino hìc non deberi restitutionem fructuum. *Secunda sententia.*

Tertia itaque sententia est, Ad nullam restitutionem fructuum teneri: quam credo veriorem, licet prima sit tutior & probabilis, præsertim eo supposito, quòd non satisfiat præcepto Ecclesiæ. *Tertia sententia verior.*

Sed



Sed probatur hæc tertia opinio, Quia ex Iure naturæ non tenetur, vt suprà ostendimus; Lex autem Ecclesiastica non punit defectum merè internum, nisi quatenus satis proditur in externo opere. Vnde consequens videtur, si interior distractio etiam exteriùs prodatur, puta per incompatibile attentioni opus exterius, posse eam puniri per Ecclesiam. Neque tamen inde continuò sequitur, reipsa puniri: multò minùs, puniri priuatione dominij fructuum, aut obligatione restituendi. Quare generatim existimo, eum qui Horas exteriùs recitauit, quantumuis distractus, (si tamen aliquo modo ad Ecclesiæ intentionem se conformare voluerit initio recitationis) non comprehendi Constitutione Lateranensi aut Pij V. de restituendis fructibus, procedit enim contra eos qui non dixerunt diuinum Officium. Quamuis autem iste non absolutè dixerit, dixit tamen, quod videtur sufficere vt pœnali Constitutioni eximatur, præcipuè cùm Pius V. qui ex parte Beneficiorum, Horarum, & quoad quædam alia extendit Constitutionem, ad solùm vocaliter sine attentione recitantem non extenderit. Ita sentiunt Medina & Corduba apud Azorium citati, Toletus lib. 2. cap. 12. fauet Leſſius lib. 2. cap. 37. dub. 2. De iustitia & iure. Vnde patet, quoad hunc effectum meliori conditione esse eum qui distractus voluntariè & mortaliter peccando recitauit, quàm qui mentali tantùm oratione aliàs meritoria horarias Preces absoluit.

*Resp. ad argumenta 1. sententiæ.*

Ad argumenta Primę opinionis respondeo. Ad Primum, Non tam videndum hìc esse quid Ecclesia præcipiat, quàm quid ponat oneris, sine quo non faciat Clericus fructus suos: illud autem onus negatiuè exprimit hoc modo, vt non faciat fructus suos, qui non dixerit Horas, lapso primo semestri: qui ergo dixerit post sex illos menses, sed sine vlla attentione & voluntariè distractus, non satisfacit præcepto Ecclesiæ; & in eo par est illi, qui omisit primo semestri: sed sicuti hic non tenetur restituere, ita nec iste.

Ad Secundum, De Legis pœnalis extensione Regula obiecta parum mouet, quia in punitione Ecclesiæ non est eadem ratio omittentis & sine attentione recitantis: Ecclesia enim intendit punire omissionem, in qua non est par, sed extensiuè minùs peccat distractè recitans, quia saltem exteriorem orationem vocalem non omittit. Quòd verò simpliciter fortè magis peccet, quàm purè omittens, parum ad rem facit, quia hoc est ex commissione, quam Ecclesia non intendit punire hac priuatione fructuum. Adde, non esse hìc propriè Constitutionem pœnalem; obligat enim, vt diximus, ante sententiam Iudicis; sed est modus à donatore appositus donationi, qui transeat in vim appositæ conditionis: peculiaris autem est ratio conditionem illam onerosam non extendendi, præcipuè cùm eiusmodi extensio posset facilè multis esse in laqueum, & parere multos scrupulos, & fiat ab omissione actus exterioris ad omissionem interioris, de quo parciùs solet Ecclesia statuere. Atque ita etiam patet ad Tertium.

Quintò inquirendum, Vtrùm Constitutio Lateranensis sit vsu recepta?

Non esse, sentit Sotus. Verùm Azorius suprà, Nauarrus cap. 25. num. 122. reprehendens Sotum, & passim DD. de ea loquuntur tamquam verè obligante & recepta. Quod omnino verum videtur post Bullam Pij V. Henriquez tamen De excommunicatione cap. 13. videtur dicere, in Hispanijs esse quidem receptam, sed non in illo rigore, vt integros fructus illius diei restituat, qui omisit Horas Beneficiarius, adeò vt liberent Parochum vel Episcopum restitutione quintæ partis, quatuor nimirum partibus retentis pro reliquis oneribus: Cappellanũ verò qui præter onus Horarum etiam Missarum habet, si tertiam partem restituat: eum verò qui non habet aliud onus præter has Preces, volunt integrè restituere, vt apertiùs constat apud Ludouicum Lopez 2. parte cap. 95. Verùm hæ moderationes nullo modo consistunt cum Constitutione Pij V. quam ex dictis constat satis apertè etiam Parochos velle integros fructus restituere, si Horas omiserint, & non tantùm obligare post sententiam Iudicis. Vti neque ista moderatio congruit, quam refert idem Henriquez, quæ eum à restitutione liberet, qui hodie omissum Officium cras suppleuerit: est enim communis sententia, ita tempori esse hoc onus alligatum, vt censeatur ineuitabilis omissio tempore iam lapso. Denique neque illa placere potest moderatio, quam Sotus, Lopez, & alij Sotum secuti adhibent, non esse in hac restitutione parui temporis, verbi gratia vnius aut alterius diei habendam rationem: est enim apertè contra Bullam, quæ etiam pro vna Hora restitutionem exigit. De quo consulendus Graffius suprà num. 9. Quòd ergo in rigore non sit recepta Bulla Pij ab iis qui eam in alienum sensum torserunt, mirum non est.

## DVBIVM V.

### *Quænam excusent à lectione Horarum?*

EXCVSATIO ab hoc præcepto ferè æstimanda est ex generalibus regulis de excusantibus ab obseruatione Legis humanæ. Pauca tamen monenda occurrunt.

Primò, Quia hoc onus legendi est personale, numquam occurrere casum in quo excusatus à recitatione Horarum, teneatur alium substituere qui suo nomine recitet.

Secundò, Non excusari vmquam obligatum ad Horas, etiamsi alium suo nomine recitantem substituerit: sicut enim non sufficit postridie recitare quod hodie omissum est, eò quòd tempori adhæreat obligatio; ita neque sufficit per alium recitare, nisi dispensauerit Pontifex: nam Episcopus dispensare non potest, vt cum communi sententia docet Suarez tom. 2. De Relig. lib. 4. De orat. cap. 28.

Tertiò, Non excusari à peccato mortali Beneficiarum non recitantem, etiamsi intendat omnes fructus donare fabricæ.

Quartò, Non excusari quempiam ratione censuræ Ecclesiasticæ: nam etiam excommunicatus & interdictus potest & tenetur dicere Horas.

Quintò, Excusat inculpata carentia Breuiarij. Debet tamen tunc memoriter recitari integra Hora, si eam fortè Ecclesiasticus memoriâ teneat: secùs dicendum, si solùm aliquot Psalmos teneat; censetur enim ea non esse recitatio Horæ, & excusat impotentia recitandi vllam Horam.

Sextò, Excusat infirmitas corporis, non so-

lùm ea quæ omnino recitationem impedit, sed etiam illa quæ iudicio Medici vel euidenter talis est, vt recitatio futura sit cum salutis corporis graui detrimento, vel non sine magno dolore aut vexatione corporis: non excusat autem leuis molestia. Quando etiam Medicus dubitat, pro interpretatione potest consuli confessarius, & pro dispensatione Episcopus, aut etiam inferior Prælatus, qui in rebus istiusmodi minoribus dispensare solet.

Septimò, Quamuis studium à lectione Horarum non excuset, potest tamen ingruere casus, vbi occupatio honesta incompatibilis & necessaria excuset, vtpote si Monialis curare debeat infirmos, neque ad tempus abesse possit.

## CAPVT III.

### *De Sacrificio.*

*D. Thomas quæst. 85.*

### DVBIVM I.

### *Quid sit Sacrificium?*

*Sacrificij significationes.*

SACRIFICII nomen analogum est, & metonymia quadam ad plura traducitur: ipsa enim victima interdum sacrificij nomine designatur, vsitata admodum, sed non perinde propria significatione. Sacrificium enim actiuæ significationis est, sicut opificium, vt non tam id quod factum est sacrum, quàm ipsam actionem sacram, qua sacrum fit, significet. Vnde non ita commodè etymon respicientes, definierunt quidam sacrificium, factum sacrum cum victimæ seu rei oblatæ aliqua mutatione. Quò etiam pertinet illud Isidori lib. 6. Originum cap. 19. *Sacrificium dictum quasi sacrum factum, quia prece mystica consecretur*, relatum caussa 1. quæst. 1. cap. Multi.

*Sacrificium generaliter dictum.*

Sumitur Secundò sacrificium omnino generaliter, pro omni opere quod agitur vt sancta societate inhæreamus Deo; relatum scilicet in illum finem, quo veraciter beati esse possimus. Ita accepit D. Augustinus lib. 10. De ciuitate Dei, cap. 6. Illud diuidi potest in interius & exterius. Interius indicatur Psalmo 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Exterius ad Hebræos vltimo. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiscì; talibus enim hostijs promeretur Deus.* Romanos 11. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem*, &c. Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Oseæ 14. *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

*Pro occisione.*

Sumitur Tertiò sacrificium pro occisione. Isaiæ 34. *Victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom.* Ezechielis 21. *Vt cædat victimas, exacutus est.* & cap. 39. *Concurrite vndique ad victimam meam quam ego immolo vobis.* Congruit verbum Græcum θύω, quod non tantùm sacrifico, sed & occido significat: quam significationem imitantur Galli.

*Error hæreticorum.*

Verùm in hac significatione cauendus error sectatiorum nostri temporis, qui putant illud Marci 14. *Primo die azymorum quando Pascha immolabant*, hac significatione eludere, vt agni paschalis immolatio non sit aliud quàm eius occisio, ne videlicet Christi Domini noua cœna aliam immolationem agni surrogatam agnoscant. Cauendus, inquam, hic error, & hoc modo reijciendus: Etiamsi immolatio aliquando in Scriptura impropriè accipiatur pro nuda occisione, impropria tamen locutione nõ vtitur Deus in dispositione Legis, quam edidit hac de re Exodi 12. & Deuteronom. 16. clarissima enim & propria oportet esse verba Legum & testamentorum. Ibi autem diserè præcipitur non tantùm occidi, sed immolari. Priori enim loco de agno vel hœdo (vteruis enim in phase vsurpari poterat) dicit: *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel*, &c. Posteriori autem, *Immolabis phase vespere ad solis occasum. Certa*, inquit Cyprianus, vel Auctor Sermonis De resurrectione Christi, *data est ex Lege distinctio, quæ esset Paschalis oblatio, & tempus, & locus, & modus, quando, vel vbi, vel quo modo sacra deberet hostia immolari.*

Voluit quidam hæreticus, in confirmationem dicti erroris aliquid facere, quòd Iacob Genesis 31. dicatur, immolatis victimis in monte, vocasse fratres suos vt ederent panem; quasi necessum sit immolationem hanc profanam intelligere, vtpote de qua edere potuerint idololatræ. Item illud 1. Reg. 9. *Sacrificium est hodie populo in excelso*; quasi sacrificium ibi accipiatur pro solemni conuiuio. Sed mirum est, hunc sectarium maluisse priori loco bis admittere improprietatem sermonis (non enim dicit textus *immolatis pecoribus*, vel *cæsis victimis*, sed *immolatis victimis*: & vt supra communem occisionem menti lectoris eleuet, in monte id factum addit) quàm meminisse, etiam alios cibos non immolatos potuisse apponi infidelibus, vt fuerint cibi sicut & iuramenti religione discreti, quamuis fœdere coniuncti. Mirum etiam, quid cogat sacrificium propriè dictum ab ea solemnitate conuiuij excludere quod celebrauit Samuel in Ramatha, præsertim cùm subiungat textus, *Quia ipse benedicet hostiæ*: & excelsus locus iterùm supra commune conuiuium, animum attollat. Accedit conformis lectio Septuaginta Interpretum: fauet paraphrasis Chaldaica, *Posuerunt oblationem sanctitatis hodie populo in domo consessus.* vbi videtur innui, quod Carthusianus dicit, fuisse oblationem pacificorum, adeoque eo die oblatam hostiam pacificam, de qua etiam populus offerens edebat. Fauet similis historia cap. 16. vbi Samuel dicit se ad immolandum Domino venisse. Iosephus quidem fauet alteri opinioni, vti & quæstiones seu traditiones Hebraicæ D. Hieronymo adscriptæ: sed quod diximus, longè verius videtur. Et vt esset verum quod Auctor illarum quæstionum dicit, & sequitur dictus sectarius, sacrificium esse positum pro prandio quod parauerat Samuel populo in Kalendis; quartam quidem iam habebimus sacrificij acceptionem, sed caussæ nostræ nihil officientem, vt qui satis ostenderimus, ad aliam sacrificij acceptionem pertinere immolationem paschalis agni.

*Sacrificium proprie.*

Est ergo postrema sacrificij, sed præcipua & maximè propria acceptio, secundùm quam definiri potest, Oblatio, qua res sensibilis & permanens ita exhibetur in protestationem diuini dominij immediatè ipsi Deo, vt in aliquod sacrum, quod inde fieri debeat, destructiua quadam mutatione consumatur.

Sed



Sed ne leuiter sacrificium definiendo grauissimam difficultatem (in qua Orthodoxos deficere, audent iactare hæretici) vno verbo videamur velle dissimulare: inuestigemus potiùs per partes, vt res tota plenius intelligatur. Concurrunt autem in sacrificio quatuor consideranda, vt docet Augustinus lib. 4. De Trinitate, cap. 14. cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, & pro quibus offeratur. Res istæ quatuor sunt, Deus, Sacerdos, victima, populus.

*Quatuor considerãda circa sacrificiũ.*

*Actio sacrificandi quatuor alia inuolauit: Consecrationem,*

Sed & in ipsa actione vnica sacrificandi quatuor quasi actiones considerantur, ratione formali distinctæ.

Prima est Consecratio hostiæ, quæ aliquousque reperitur quodammodò in omni actu Religionis, quo cultus Deo adfertur: ipsa enim ad Dei cultum destinatione aut translatione, res aut actio fit peculiariter diuina, sacra, Deo dicata. Hoc modo res Deo promissa per votum, eoipso sanctitatem aliquam moralem contrahit, ipsi oblationi præuiam; qualis etiam ferè erat primogenitorum, eo ipso contracta, quo Deus ea sibi reseruabat & offerri volebat. Sanè consecrationem in omni sacrificio agnoscit D. Thomas quæst. 85. art. 3. ad 3. quando ad sacrificium (vt etiam nomen indicat) dicit pertinere, quòd fiat aliquid sacrum, verbi gratia quòd panis benedicatur.

*Oblationẽ,*

Secunda est Oblatio facta Deo, quæ plus aliquid est quàm destinatio; sicuti dare plus est quàm destinare. Cernitur autem propriè dicta oblatio maximè in rebus externis & permanentibus, cùm generalis illa destinatio intelligi queat etiam in actionibus: referre enim & destinare aliquam actionem in Deum, non est propriè aliquid Deo offerre; respicit enim destinatio illa Deum vt finẽ, oblatio autem Deum respicit quasi personam cui offeratur, vt benè obseruat Suarez tom. 3. in 3. partem, disp. 73. sect. 5. Hanc oblationem esse in actu sacrificali, concors omnium est sententia, & docet Augustinus suprà citatus.

*Destructionem rei quæ offertur,*

Tertia est Destructio quædam, consumptio, vel mutatio destructiua vel consumptiua ipsius rei quæ offertur. Hanc agnoscit D. Thomas q. 86. art. 1. vbi docet, hoc differre sacrificium à nuda oblatione: quòd oblatione, quæ sit sacrificium, res exhibeatur in cultum diuinum, quasi in aliquod sacrum, quod inde fieri debeat consumenda; simplici autem oblatione res ita exhibeatur, vt in ipsa exhibitione integra maneat, quamuis contingat expendi, adeoque consumi in ministrorum vsus. Vbi aduerte, tria iam dicta, vnica actione absolui; nam vna & eadem actio potest esse consecratio, oblatio, & mutatio destructiua. Quare Scriptura de ijs qui filios dæmonibus immolabant comburendo, interdum dicit, quòd per ignem eos consecrabant. 4. Regum 17. *Consecrauerunt filios suos & filias suas per ignem.* Aliquando indicat, quòd consecrando offerebant. Ita Ezechielis cap. 16. *Immolasti filios meos, & dedisti illos consecrationem eis.*

*Professionẽ dominij dominy.*

Quarta resultat ex tribus dictis & intentione sacrificantis, nimirum Externa quædam & peculiaris professio supremi dominij ipsius Dei, & nostræ subiectionis. Hanc agnoscit D. Thomas dicta quæst. 85. art. 2. & omnes passim. Est enim sacrificium honor quidam soli Deo appropriatus, sicuti in Republica solet esse signum aliquod singulare honoris, quo solus Princeps honoretur. Vnde fit, vt nemo vmquam ei existimauerit sacrificandum, nisi quem Deum esse vel sciuit, vel putauit, vel finxit, vt docet D. Augustinus lib. 10. De ciuitate Dei, cap. 4. Vnde & cap. 19. ibid. eos refutat, qui dicebant, hæc visibilia sacrificia dijs alijs congruere, Deo verò inuisibili inuisibilia maiora, & meliora puræ mentis officia. Hinc etiam consequitur, vt ne quidem imagini Trinitatis aut Christi Domini offerẽdum sit sacrificium, quamuis deriuatiua & respectiua quadam latriæ adoratione colatur. Adoratio enim exterior non tantùm fit coram imagine, sed etiam ad ipsam quodammodò terminatur, licet ratione prototypi: communi enim loquendi modo dicimur illud adorare, quod exteriori adoratione contingimus, aut quod adorando osculamur, aut coram quo genuflectimus, aut simile submissionis notam exhibemus: orare autem, laudare illud, vel sacrificare ei non dicimur, coram quo exteriùs oramus, laudamus, sacrificamus. Cuius non alia ratio est, quàm quòd exterior laus, oratio, & sacrificium ex hominum vsu non habeant cultum præter eum, qui immediatè eius quod spiritu colitur, excellentiam proximè & propriè in eometipso profiteatur; adoratio autem cultum habeat qui ex hominum vsu eius qui adoratur excellentiam profiteatur, honoris signo applicato vesti eius, vel imagini, vel alicui alteri rei ei coniunctæ, quæ & ipsa adoretur, quando per eam ad eum qui in spiritu colitur, adoratio quasi transmittitur. Sic Regem adoras, si quod gestat sceptrum osculeris & adores: at si Regem ores, non sceptrum oras, sed tantùm coram sceptro.

His positis, duæ hîc potissimùm mouentur difficultates. Vna, Qualis mutatio hostiæ sit de ratione sacrificij? Altera, Quænam & qualis oblatio sit de essentia sacrificij?

*Qualis mutatio sit de ratione sacrificij. Prima sententia.*

Prima sententia hîc est, cuius meminit Matthæus Galenus lib. De sacrificio, cap. 6. debere esse mutationem talem, qua animal vium occidatur, ita vt sacrificium semper sit hostiæ viuentis occisio; imò Deum ita instituisse sacrificia, vt rarissimè etiam occisio suffecerit, & in solis rebus minutis, vt in passere leprosi; in alijs autem ferè vel tota, vel secundùm partem victima cremari debuerit.

*Oblatio herbarum.*

Sed hæc sententia apertè pugnat cum 7. cap. Leuitici, vbi habemus de sacrificio similæ in clibano, craticula vel sartagine, & tollit totam speciem illam sacrificiorum, quam Hebræi mincham appellant. Sanè ad animalia non debere restringi sacrificium, sed etiam in reliquis saltem viuentibus, pura herbis, debere agnosci, luculentus testis est Eusebius: is enim testatur ex Porphyrio lib 1. De præparatione Euangelica, cap. 6. gentiles primùm dijs suis herbam viridem obtulisse in sacrificium, & concremasse, quòd eæ antiquiores sint animalibus. Imò ab hac exhalatione Suvias vocem manasse, quod sacrificium Latinè dicimus.

*Secunda sententia.*

Secunda sententia est Francisci Suarez, De ratione quidem sacrificij esse aliquam hostiæ mutationem, sed non esse necessarium vt illa mutatio hostiæ sit destructiua; sufficere enim quòd aliquid sacrum fiat circa rem oblatam: nam in sacrificio Melchisedech non inuenimus mutationem aliquam factam circa rem oblatam, nisi fortasse quòd panis ille & vinum aliqua externa demonstratione oblata sint Deo, cum aliqua benedictione, seu eleuatione, vel fractione & distributione

ac sumptione per modum cibi & potus sanctificati. Similiter & in Leuitico similia sacrificia reperiuntur, præsertim in panibus propositionis, & alijs sacrificijs ex simila. Ita ille loco suprà citato: cui sententiæ insistens infrà disp. 75. sect. 5. dicit, agnum posse sacrificari absque immutatione reali & physica, si aliquid aliud sacrum circa eum fieret, quo censeretur moraliter manere sanctificatus, & ad sacros vsus deputatus. Addit etiam, effectiuam actionem loco destructiuæ posse in sacrificiis testari satis supremum Dei dominium, præsertim si ad hoc ipsum à Deo destinata, supernaturalis sit & diuina, & terminetur ad præsentandam Deo rem illi gratissimam, qua ipse maximè colitur & honoratur. Sentit ergo hîc Auctor eruditus, ad sacrificij rationem sufficere rei principaliter oblatæ mutationem moralem, qua ex non deputata diuino cultui iam ei deputetur: aut si physica actio requiratur, non tamen requiri destructiuam principalis hostiæ; imò posse sufficere productiuam seu effectiuam eiusdem hostiæ.

*Probatur 1.* Neque desunt pro hac opinione argumenta. Si enim destructiua mutatio hostiæ requiratur in sacrificio, Melchisedech non videtur sacrificasse, vtpote qui panis & vini destructionem non legatur vllam adhibuisse: imò neque adhibere potuit, cùm eadem quæ Deo sacrificauerat, Abrahæ & sociis in epulum exhibuerit, vt docet Clemens Alexandrinus lib.4.Stromatum.

2. Secundò, Non videtur esse sacrificium in Missa, quia principalis hostia est ipse Christus, qui iam non moritur, neque realem vllam destructionem, imò neque mutationem suscipit per consecrationem, vbi sacrificari & immolari dicitur.

3. Tertiò, Videtur huic sententiæ fauere D. Thomas hîc quæst. 85. art. 3. ad 3. *Sacrificia*, inquit, *propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit: sicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur: quòd panis frangitur, & comeditur, & benedicitur: & hoc ipsum nomen sonat. Nam sacrificium dicitur ex hoc quòd homo facit aliquid sacrum.* Hîc enim videtur indicare, vel solam benedictionem hostiæ sufficere ex parte mutationis ad sacrificium.

4. Quartò, Occisio aut destructio hostiæ solùm se habet materialiter in sacrificio, formaliter autem protestatio suprremi dominij Dei: atqui talis protestatio non minùs fieri potest hostiæ effectione quàm destructione.

5. Quintò, Etiam in Lege erant sacrificia sine hostiæ destructione, vt patet in panibus propositionis.

6. Sextò, D. Augustinus lib. 10. De ciuitate Dei, cap. 5. docet, sacrificium visibile ex genere suo nihil esse aliud, quàm inuisibilis sacrificij sacramentum, id est sacrum signum: atqui tale signum non requirit mutationem consumptiuam; ergo neque sacrificium.

*Tertia sententia probabilior.* Tertia nihilominùs sententia, vt communior, ita & probabilior est, Ad essentiam veri & propriè dicti sacrificij debere concurrere non solùm mutationem hostiæ moralem, sed talem, vt ex parte rei per ipsum sacrificandi actum hostia, prout subsistat termino sacrificationis, statum accipiat decliuiorem, & destructionem vel desitionem quodammodò includentem. Fateridum tamen, potuisse Deum aliam actionem eligere, quæ æquè appropriaretur protestationi suprremi dominij ex diuino instituto, & instituto humano obtineret nomen sacrificij, præsertim secundùm Latinorum vsum. Sed præsupposito quòd sacrificium sit species oblationis, distincta ab oblatione speciatim dicta, etiam illa quæ fiat in agnitionem suprremi dominij diuini, non videtur vera sententia, quæ moralem mutationem rei oblatæ putat ad sacrificij ratione posse sufficere. Sed oppositа est præferenda, quam tenet hîc D. Thomas art. 1. q. 86. quando docet, sacrificio non quouis modo rem fieri sacram, sed quasi consumi in illud sacrum, quod inde fieri debet. Ex recentioribus Matthæus Galenus lib. suprà citato cap. 6. Bellarminus lib. 1. De Missa cap. 2. Carbo De Legibus lib. 15. cap. 5. Alanus lib. 2. De Eucharistia, cap. 3. Pesantius De sacrificio, disp. 1. Henriquez lib. 9. cap. 1. Victoria Relect. De temperantia, num. 7. Arragonius hîc art. 2. & alij.

Ratio autem huius rei duplex est. Vna moralis, eaque essentialis, Quòd hac destructione hostiæ quasi vice nostri oblatæ, nostram exinanitionem, & respectu diuinæ maiestatis nihilationem & submissionem profiteamur. Altera mystica, Quòd eadem destructione Christi Domini in cruce sacrificium significetur. Prior ratio, vt dixi, essentialis est, & fuisset etiam in sacrificijs status innocentiæ. Posterior, quamuis etiam in sacrificijs illorum locum semper habuerit, qui fide saltem implicita crediderunt in Christum pro nobis morituram, propria tamen est statui hominis lapsi. Sed alijs modis idem confirmemus. Si ea mutatio moralis ad sacrificium sufficiat, quam sufficere videtur dicere Secunda sententia, imò etiam ad holocaustum sufficiat hostiam totam manere Deo dicatam, filia Iephte poterat in holocaustum offerri Domino, sicut habebat votum patris, sine occisione; quæ tamen, multùm dolente patre totoque Israele, errore voti paterni in victimam cæsa est, Iudicum cap. 11. Adhæc, verè opinio ista confundit oblationem speciatim dictam cum sacrificio, quæ sæpè distinguit Scriptura in veteri Testamento, & Apostolus ad Heb. cap. 5. & 8. Confundere Probatur; Si enim res oblata physicè non mutata, tota consecretur Domino, vt in perpetuum maneat ei consecrata, secundùm hanc opinionem iam non simpliciter offertur, imò nec simpliciter tantùm sacrificatur, sed offertur in holocaustum; atqui hæc tantùm est oblatio speciatim dicta, aliàs enim sacrificari dicentur Leuitæ, de quibus Numeri 8. *Offeret Aaron Leuitas munus in conspectu Domini à filijs Israel, vt seruiant in ministerio eius.* aut sanè sacrificaretur omne donarium, quod in perpetuum Domino sacerdotali oblatione consecratur. Quo modo si Iudith per sacerdotem Deo sacrauit spolia Holofernis, sacrificasse eadem dicetur, quod ab vsu sacræ & humanæ Scripturæ omnino est alienum. Accedit quòd consecretur res, Deoque iam dedicetur sacrificali consumptione: diuini enim dominij professione, ab omni alio vsu segregatur. Significat etiam consumptio ista, sacrificium à Deo acceptari, dum Sacerdos vice Dei rem consumit.

Ex quo obiter colligas, quomodo quasi irritum sit sacrificium quod non fit de proprio, sed de alieno: non enim potest in Dei dominium quasi transferre quis, abdicando sibi, & Deo dicando quod suum non est. Vnde etiam ratio colligitur, quare seipsum aut alium hominem immolare Deo homo non possit, cùm vita hominis in solius Dei sit dominio.



*Resp. ad arg. secundæ sententiæ.* Denique ad argumenta istius Secundæ opinionis probabilis admodum est responsio.

*Ad 1. Melchisedech propriè sacrificauit.* Ad Primum. Suppono in primis tamquam omnino certum, Melchisedech propriè dictum sacrificium in pane & vino Deo obtulisse, quia hoc satis apertè habet Canon Missæ. Indicatur Psal. 109. ad Heb. 6. & Genesis 14. & in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. ab Augustino lib. 1. Contra aduersarium Legis & Prophetarũ, c. 20. & in Psal. 33. & lib. 16. De ciuitate Dei c. 22. Clarissimè autem idem testatur Hieronymus ad Euagrium Epistola 126. vbi testatur esse sententiam Irenæi & aliorum veterum; Ambrosius lib. 3. De fide, cap. 5. & lib. 5. cap. 1. Eucherius lib. 2. cap. 18. in Genesim, Theophilact. in cap. 5. ad Hebræos, *Christus*, inquit, *pane & vino sacrificium consecrauit perinde ac Melchisedech.* Denique hanc esse communem veterum sententiam, docet Pererius in dictum c. 14. Genesis. Azorius tom. 1. lib. 10. cap. 8. dicit esse sententiam omnium Græcorum & Latinorum. Accedit ratio: Fidei est, Melchisedech fuisse sacerdotem; oportet itaque aliquod fuisse eius sacrificium: hæc enim tria, templum, sacrificium, sacerdotem, sese quodammodò consequi, indicat Augustinus Epistola 49. quæst. 3. & communiter dicunt DD. Non indicatur autem in Scripturis aliud eius sacrificium quàm in pane & vino, & illud veteres solum commendarunt adeò, vt benè DD. dicant, ordinarium eius sacrificium (addunt quidam, & solum) fuisse in pane & vino.

Sed quomodo sacrificauit? Sanè non erat difficile asserere, quamuis scriptum non sit, non defuisse ei modum quo sacrificaret panem ad destructionem aliquam alterando, vel particulam comburendo, & vinum libando, aut sanè vtrumque in honorem Dei consumendo, vt loquitur Bellarminus suprà citatus, difficile, inquã: id non erat, nisi de sacrificio Melchisedech participasse crederemus Abrahamum cum suis, panemque & vinum in sua adhuc natura subsistentia sumpsisse. Neque fortè satisfacient, qui massam oblatam Deo in sacrificium dicunt, ex qua ignis panem decoxerit, aut qui vino panem perfudisse dicunt. Vt enim alia omittam, vtrobique vinum sacrificatum quod participes bibant deest. Sed meminisse oportet, non deesse modum, quo parua quantitate, vt in mysterijs solet, de pane & vino sufficienter ad sacrificalem destructionem alterato; & etiam secundùm eamdem illam partem sacrificato, si omnino necesse sit, victores illi communicauerint: neque enim ad sacrificalem hostiæ mutationem opus est totaliter eam destrui, vt fit in holocausto. Quamuis enim moralis eius mutatio non sufficiat, & animalia non soleant sacrificari nisi occisione; in sacrificio tamen quod mincham appellant Hebræi, minor mutatio realis sufficiebat, vtpote quòd res oblata cum alia misceretur, liquore conspergeretur, aut similem mutationem subiret. Si tamen vt libetur vinum, debeat secundùm substantiam destrui & profundi, ita vt qui de vino iam libato bibunt, non omnino idem bibant; non satis apparet quid sibi velit illud Deuteronomij 32. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* item illud Esther cap. 14. *Et non biberim vinum libaminum.* nisi fortè gentiles prælibauerint sumendo partem, antequam reliquum libarent, vt indicant quidam eorum ritus describunt.

Vbi obiter nota, Quamuis in legali libamine offerentes non participabant, sicuti nec de adipe hostiæ, vt indicatur Numeri c. 28. & 2. Reg. 23. *Noluit bibere, sed libauit eam Domino.* eisque id fuerit interdictum, ne more gentium libare & sacrificare viderentur, vt docent Lira & Carthusianus in dictum cap. 32. Deuteronomij: in sacrificio tamen Missæ participare de eo quod libatum est, atque etiam in sacrificio Melchisedech de vino Deo in sacrificium oblato Abrahamum communicasse, quamuis de modo non perinde constet.

Henriquez lib. De Missæ sacrificio, cap. 1. n. 5. illum suggerit, vt Melchisedech sacrificauerit cõsumendo panẽ & vinum sumptione tã sua quàm Abrahami & sociorum. Verùm nullo modo placet confundi participationẽ sacrificij cum sacrificali consumptione aut destructione hostię. Quod ad panem attinet, Græci initio liturgię panem lanceolis perfodiendo, quodammodò (vt liturgiæ eorum testantur) sacrificantes, modum oftendunt non defuisse, quo & panem sacrificare, & nihilominùs de eo Abrahamo communicare Melchisedech potuerit: cui etiam consonum est quod habet Azorius sup. lib. 10. c. 17. vbi dicit, panem solere sacrificari, quando in frusta & particulas dissecabatur. Addo, Melchisedech fortè panem confregisse, & quasi in far molitum confricatione ac comminutione quadam rursum detriuisse; quo modo veteres immolare solebant.

*Ad Secundum.* Ad Secundum; Variè Catholici assignant sacrificalem in Missa mutationem. Prima sententia, *Prima sententia de sacrificali mutatione in Missa.* est eorum, qui contenti sunt mutatione panis & vini per transsubstantiationem. Sed eis vehementer obest, quòd hac ratione non ostendant, verè Corpus & Sanguinem Domini, aut ipsum Dominum in Missa sacrificari, sed tantùm panem & vinum; ipsum autem Christum tantùm in modum Sacramenti adesse, quo passionis memoria & efficacia applicetur. Oportet etiam istos hoc fateri, si non foret in consecratione panis & vini transsubstantiatio, sed simul cum illis esset Corpus & Sanguis Christi, vt Lutherani volunt, nullam superesse sacrificij rationem. Denique in hac opinione, quoad sacrificij rationem, non magnopere referet, vtrùm in altera tantùm, an in vtraque specie celebretur, cùm panis transsubstantiatio non dependeat à transsubstantiatione vini. Verùm ex tribus istis duo posteriora Matthæus Galenus pro absurdis non habet, sed ad primum quod pro incommodo habemus, non satis respondet, neque fortè responderi potest.

*Secunda sententia.* Secunda itaque sententia est, Mutationem istam satis in eo salvari, quòd consecratione facta Christus Dominus idem qui in cruce passus est, iaceat in altari, quasi occisa in cruce victima. In cuius confirmationem adducunt, quòd tempore Legis non fuerit necesse hostiam in ipso altari mactari, sed iam loco ad hoc destinato mactatam & adornatam solere in altari exhiberi, & ibidem ex parte aut omnino cremari & adoleri.

*Tertia sententia.* Tertia sententia vtrumque coniungit, & panis destructionem, & Christi occisi in altari exhibitionem. Ita tenet idem Galenus cap. 7. Sed illud in vtraque ista sententia difficile remanet, quæ tandem

tandem sit destructiua mutatio principalis hostiæ in hoc Missæ sacrificio; nam ea quæ fuit in cruce, iam quidem peracta est: quando autem Christus se in Cœna sub specie panis & vini in sacrificium offerebat, adhuc erat futura, adeò vt non videatur inde petendum huius sacrificationis supplementum, præcipuè cùm olim, vt etiam citatus auctor iste fatetur, occisa alibi hostia in altari non tantùm exhibebatur, sed saltem in parte iterùm destruebatur. Accedit quòd significatio mystica in sacrificio non possit supplere moralem: moralis enim essentialis est sacrificio, imò & fundamentum mysticæ. Cùm ergo representatio passionis sit mystica, & non nisi in mysterio, non potest sola sufficere ad sacrificium Missæ.

*Quarta sententia.* Quarta sententia est Ruardi art. 16. Sacrificalem mutationem in eo consistere, quòd Christus per consecrationem accipiat nouum esse sacramentale, quale in cælis non habet. Sed difficultatem hîc parit, quomodo accipere nouum esse priori nihil immutato, ad destructionem pertineat, cùm potiùs accessionem quamdam & acquisitionem præ se ferat.

*Quinta sententia.* Quinta sententia est, In transsubstantiatione esse tria, panis & vini desitionem, quæ propter se non intendatur; productionem Corpotis & Sanguinis Christi in esse sacramentali, quæ intendatur propter sacramentum; & productionem Corporis separatim sub specie panis, & productionem Sanguinis sub specie vini; quæ separatim facta productio, vt talis, intendatur propter sacrificium. Nimirum volunt huius sententiæ auctores, in hoc sacrificalem hostiæ esse mutationem, quòd quasi mactata exhibeatur, quando saltem vi verborum seorsum Caro, & seorsum Sanguis eius exhibentur, aut Caro exanguis, & Sanguis quasi effusus.

Sed moueri potest contrà, Reale sacrificium realem requirere mutationem ipsius hostiæ, quæ immolatur, adeò vt per concomitantiam non minùs hîc impediatur reale sacrificium, quàm realis mors hostiæ.

Secundò, Diuisio fit eo loco vbi res præexistit antequam diuidatur; si ergo in hac diuisione Corporis & Sanguinis sit Sacrificium, sacrificatur Christus non in altari, sed in cælo.

*Sexta sententia.* Sexta sententia est Bellarmini lib. 1. De Missa cap. vlt. Tria esse in consecratione, quorum duo ad mutationem hostiæ, tertium pertineat ad eius oblationem: est enim ibi conuersio panis in Corpus Christi, quod tali conuersione rectè dicatur sacrificari, quia animalia dicebantur sacrificari, eò quòd mortua supererent in sacrificio secundùm partem materialem, quasi sacrificari denominet hostiam vt substat termino sacrificationis. Est secundò exhibitio Corporis Christi quæ oblatio est, quia fit in altari aut quasi altari. Est tertiò non qualiscumque exhibitio, sed sub ea forma, vt iam res oblata ordinata intelligatur ad veram realem & externam mutationem & destructionem: exhibetur enim Corpus Christi in forma cibi, & Sanguis in forma potus.

Verùm contra hanc sententiam opponi potest. Primò, Quòd sacrificari dicatur non quod residuum est post mutationem sacrificalem, sed quod talem mutationem subit: neque enim in holocausto cineres producti ex victima sacrificari dicebantur; Corpus autem Christi non patitur in proposito mutationem illam panis.

Secundò, Vt infrà ostendemus, oblatio non distinguitur subiecto à destructione sacrificali, adeò vt saltem in ipsa destructione aliqua semper sit oblatio: hæc autem sententia subiecto videtur ea distinguere; mutationem enim ponit in pane, oblationem verò in exhibitione Corporis Christi sub specie panis.

Tertiò, Parum videtur referre, quòd sub ea forma hîc exhibeatur Corpus Christi, vt satis intelligatur iam destinari ad comestionem: neque enim destinatio ad comestionem est ipsa destructio, sed destinatio ad destructionem. Non ergo explicatur, quomodo in consecratione sacrificetur Corpus Christi, sed potiùs quomodo ad sacrificium subsecuturum destinetur: indeque ortum habuit Septima opinio, quæ mutationem quam inquirimus, ponit in hostiæ consecratæ fractione & mixtione; & Octaua, quæ in sumptione sacerdotis; & denique Nona, quæ in sumptione etiam populi communicantis. *Septima sententia. Octaua sententia, & Nona.*

Verùm quamuis non improbabilis sit ea opinio, quæ ex parte ponit hanc destructiuam mutationem sacrificalem in sumptione Sacerdotis; quæ tamen totam ponit, non æquè est probabilis; multò minùs quæ ponit in fractione aut populi communione, vt in 3. parte dictum est.

Vt igitur in argumento grauissimo responsionem tandem proferamus, Probabilius existimo, substantialem sacrificij Missæ mutationem in eo potissimùm sitam esse, quòd Christus Dominus, qui naturaliter homo viuus est, cibo potuique inidoneus, nisi occidatur, in hoc sacramento quasi iterùm mortuum accipiat esse, in quo iam tamquam occisus comedi, & Sanguis eius possit potari, quod sacrificij veri rationem habet, quamuis non realis immolationis, quia immolatio ex vsu vocis dicit cruentam sacrificationem. *Resp. ad arg.*

Si opponas, Ipsum Christum per consecrationem non verè in se mutari; *Obiect.*

Respondeo, Ad veram sacrificij rationem sufficere, quòd ipsa hostia virtute actionis sacrificatiuæ exhibeatur verè sub illis speciebus inanimatis, quasi occisa; hoc enim fini destructionis sacrificalis sufficit, qui consistit in offerentis contestatione quadam, qua profiteatur suam nihilationem & mentalem submissionem, atque adeò æstimationem supremæ Dei maiestatis, dono in eius honorem quasi destructo quod Christus Dominus principalis in Missa offerens, in confectione sacræ Eucharistiæ facit, quando in hoc ipsum Corpus suum sub specie cibi sistit in Sacramento, atque iterùm quasi occisum (reali meritò occisione dissimulata, quasi semel sufficientissimè facta, & perpetuò solùm commoranda) sese exhibet. Moralis ergo significatio externi sacrificij ex parte destructionis hostiæ hîc satis saluatur; significatio autem mystica, qua realis Christi mors significetur, valdè hîc aperta est; morali enim illa significatione se coram Patre quodammodò humilians Christus vt homo, repræsentat propriam mortem quam in cruce pertulit: ita, inquam, repræsentat, vt quasi iterùm immoletur, eo ipso quo sub specie inanima ponitur; quamuis, (quia talis repræsentatio sufficit) non iterùm cruentè immoletur, sed quod in cruce immolatum est cruentè, iterùm exhibetur immolatum, sed incruentè, sacrificatum *Resp.*



tum tamen verè. Quamuis enim Christus hîc non occidatur vt in cruce, quodammodò tamen illud in Sacramento patitur, quod in cruce passus est. Imò amplius: ibi enim separata est anima à corpore, sed non solùm ipsa integra mansit, verùm & corpus non vidit corruptionem: hîc autem eò descendit Christi dignatio, vt sese tradat sumendum in cibum & potum, ipse quidem mansurus incorruptus & integer, attamen pro specierum corruptibilitate, esse sacramentale totaliter dimissurus, anima non magis ab huiusmodi sacramentali destitione conseruante ibi Corpus, quàm si coniuncta non adesset; Corpore item non magis ibi conseruante Sanguinem, quàm si ibi per concomitantiam non adesset sub specie vini, sed Sanguis tantùm adesset effusus. Reale ergo in Missa est sacrificium, sed mystica immolatio. Iuuabit hîc, si consideremus quod paulò pòst ostendemus, immutationem hostiæ fieri offerendo, in oblatione autem spectati rem maximè vt est in exhibitionis termino, in termino autem actionis sacrificalis Christus Dominus hîc est in esse mortuo. Est ergo consecratio ex parte termini ad quem spectata, quasi quædam Christi mutatio, quamuis hîc mutatio ipsius in suo esse naturali facta solùm repræsentetur, & ne fiat quasi præueniatur per reproductionem, vt ita simul Christi incorruptioni, & immortalitati, & sacrificij huius perfectioni consulatur.

Si ergo huic sententiæ quis opponat, quod suprà Quintæ opinioni obiectum est, secundùm eam videri Christum in cælo immolari, quando in Missa sacrificatur; dicendum est, in altari sacrificari & immolari, vbi ad hoc ipsum replicatur & reproducitur: ipsa enim productio, vt diximus, est quodammodò sacrificalis in proposito destructio; terminus enim eius est esse quoddam mortuum rei viuæ, actiones autem à termino speciem habent.

Ad Tertium argumentum principale respondeo, Solam benedictionem non sufficere: sed tamen ad hostiæ consecrationem (vnde sacrificij nomen desumptum est) aliquid facere, & non aliud ibi voluisse D. Thomam. Sanè vt benedictio sacrificium distinguat à simplici oblatione, satis patet ex dictis, debere eam non esse simplicem, sed adducere realem mutationem, qualis reipsa est benedictio seu consecratio panis & vini in sacra Eucharistia, vt meritò eius hîc D. Thomas meminerit.

Ad Quartum respondeo, Etiam protestatio diuini dominij alijs Religionis actibus communis est, sed in sacrificio debet fieri cum nostræ submissionis tali nota, quæ habeat aliquam hostiæ destructionem; hostia enim vices nostras subit, qui nostram respectu Dei humiliationem, nihilationem, & perfectissimam seruitutem ac homagium quoddam exactissimum profitemur eius destructione, adeò vt si ista destructio desit, aliquid desit de perfectione huius exterioris professionis, & sacræ significationis. Adde quòd destructione res nostris vsibus eximatur, vt obseruat Alanus, & quasi Domino suo, quamuis bonorum nostrorum non indigo, sacrificatione ipsa in honorem eius destructa restituatur, vt indicat Valentia.

Ad Quintum, Quamuis panes propositionis à Sacerdotibus coquebantur & consumebantur, forrè tamen hoc factum non est sacrificandi gratia: ipsorum autem panum propositio & oblatio non fuit sacrificium, sicuti nec positio thuris, quod his panibus adiunctum erat; quamuis id posteà in sacrificium adhibebatur, de quo videre licet Riberam lib. 2. De templo, cap. 10. Non fuisse autem sacrificium, panes propositionis, diserte docet Azorius lib 10.cap.17. q.2.

Dices, Leuitici 24. de panibus istis dicitur: *Eruntque Aaron & filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto, quia Sanctum sanctorum est de sacrificijs Domini iure perpetuo.* Item Exodi 29. *Panes quoque qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonij comedent, vt sit placabile sacrificium, & sanctificentur offerentium manus.*

Ad priorem locum respondeo, Chaldæum loco *sacrificiorum*, habere *oblationes*. Ad posteriorem, Non agi de panibus propositionis. Secundò, fortè nec de sacrificio panum, sed indicari oblationem sacrificij pacifici arietis, vt interpretatur Carthusianus. Addo denique, si panes siue propositionum siue alij sacrificati dici debeant aut reperiantur (de quo modò non contendimus) æquè in illis facilè fore ostendere realem quam quærimus mutationem ac ipsum sacrificium.

Ad Sextum respondeo, D. Augustinum non intendere definire sacrificium de quo agimus, quando dicit, sacrificium visibile esse inuisibilis sacrificij sacrum signum; sed solùm voluit significare, quid ex genere & natura sua sit visibile sacrificium: relationem enim in illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus, sacrificium exteriùs significat; sed præter relationem in Deum, dicit propriè dictam oblationem; præter oblationem dicit hostiæ mutationem. Si tamen inde velimus definitionem sacrificij externi & propriè dicti perficere, qua distinguatur ab oblatione speciatim dicta, (quæ & ipsa sacramentum quoddam, id est sacrum signum dici queat inuisibilis sacrificij, sumpti in ea latitudine qua Augustinus accipit) dicemus sacrificium visibile esse signum sacrum sacrificij inuisibilis, cum excellentiori nostræ submissionis & diuinæ maiestatis protestatione, sita in rei oblatæ consumptione.

Secunda difficultas est, Quænam & qualis oblatio sit de essentia sacrificij? *De oblatione ad sacrificium requisita.*

De hac re nonnulla est inter DD. diuersitas. Existimat enim quidam, nullo modo sufficere illam oblationem quæ reperitur in ipso actu hostiæ destructiuo. Imò ibi putant nullam esse propriè dictam oblationem, quamuis sit quædam consecratio seu destinatio hostiæ in diuinum honorem. Vnde inferunt, si sola illa sacrificalis mutatio hostiæ fiat sine alia oblatione, non esse sacrificium propriè dictum: sed eiusmodi sacram actionem esse reijciendam ad sacra à sacrificijs distincta. *Quorumdam opinio.*

Iuuare videtur hanc opinionem, quod suprà diximus de distinctione consecrationis & oblationis. *Probatur 1.*

Affertur pro ea, Quòd hostia soleat leuari coram Domino, vt patet Leuitici 23. 2.

Item quòd Malachiæ 1. dicatur, *Sacrificatur & offertur.* Et quòd Tridentinum dicat, Sacerdotes habere potestatem consecrandi, offerendi & administrandi. 3. 4.

Accedit, quòd oblatio extern& propriè dicti sacrifi- 5.

sacrificij debeat esse sensibilis: atqui non est sensibilis ea oblatio, quæ ita tacitè fieri dicitur in Eucharistiæ consecratione, & hostiæ mutatione.

*Verior aliorum sententia.*

Nihilominùs vera est aliorum communis sententia, hanc hostiæ destructiuam mutationem, quando in sacrificio Deo fit, esse realem quamdam oblationem propriè dictam, qua hostia non tantùm Deo destinetur, dedicetur, aut consecretur, sed exhibeatur, transferatur, offeratur.

Probatur Primò. Quia Scriptura passim hoc indicat Leuit.1. *Holocaustum & oblatio est suauissimi odoris Domino.* Ezechielis 16. *Immolasti filios meos, & dedisti illos consecrans eis.* ergo qui consecrat & conficit immolando, secundùm Scripturam dat eoipso & offert hostiam ei cui immolat. Huc pertinet, quòd vbi eodem cap. paulò superiùs nos legimus, *Quos dedisti eis;* Chaldæus habeat, *Quos immolasti eis.* Item quod est cap. 20. eiusdem Prophetæ: *In oblatione donorum vestrorum, cùm traducitis filios vestros, per ignem vel polluimini.* Ecclesiastici 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Ibid. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Ipsum ergo victimare siue conficere hostiam, est offerre sacrificium Numeri 15. *Vnum ad liba fundenda eiusdem mensuræ in oblationem suauissimi odoris Domino.* Vinum ergo eoipso quo sacrificaliter quasi destruitur effusione libaminis, Deo offerebatur. Idem indicatur Isaiæ 57. *Ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium.* Denique libamenta fuisse sacrificia, apertè dicitur Leuitici cap.7. *Offerat simul & sacrificium, id est, libamenta eius.* Ezechielis 44. *Vt offerant mihi adipem & sanguinem.* Adeps & sanguis vix alia oblatione Deo videntur à Sacerdote offerri soliti, quàm illius crematione, huius autem effusione, vt patet Leuitici cap. 1. *Et offerent filij Aaron sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum.* Effusio ergo erat oblatio. Similia sunt cap. 4. & 7. de adipe. De vtroque Numeri 18. & tursum de libatione Ecclesiastici cap. 50.

Probatur Secundò ex sacrificio Eucharistiæ. In illo enim Christus Dominus non legitur consecratione facta adhibuisse vllam distinctam oblationem; imò potiùs præ se fert narratio Euangelistarum, qui dicunt, dando Discipulis consecrasse, inter consecrationem & sumptionem nullam interceßisse distinctam oblationem: obtulit tamen Dominus in sacrificium Deo Corpus & Sanguinem suum, vt dicit Tridentinum sub speciebus panis & vini. Supereſt ergo, vt hoc fecerit ipsa consecratione, qua, vt iam diximus, sacrificalem fecit mutationem: nam si verbalem oblationem dicamus esse essentialem, vt benè obseruauit Alanus, iam hæreticis arma suppeditamus contra Missæ sacrificium, cui hoc ipso Christi exemplum adeoque institutum adimitur, vtpote quem constet verbale illud offertorium non exercuisse in Cœna.

Probatur Tertiò ex sacrificio Crucis, vbi nulla apparet distincta oblatio, magis quàm in martyrio Sanctorum: sed indubiè fuit in ipsa hostiæ destructione, quod Isaias cap. 53. egregiè indicat illis verbis: *Oblatus est quia ipse voluit.* Et ipse Dominus Ioannis 17. *Et pro eis ego sanctifico meipsum.* vbi consecrationem à se exercitam ipsam mortem subeundo, & animam suam ponendo indicat fuisse oblationem sacrificij.

Probatur Quartò ex Patribus, qui sacrificium noui Testamenti absolui docent ipsa consecratione. Ita Chrysostomus Homil. De proditione Iudæ, Cyrillus Catechesi mystagog. 5. Verba referam, quia mirificè pro nobis sunt: *Deum,* inquit; *benignissimum oramus, vt super illa proposita Spiritum sanctum emittat, vt panem quidem faciat Corpus Christi, vinum verò Sanguinem Christi: omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia obscramus Deum,* &c.

Ne quis verò vim faciat in voce *confectum,* constat ex Græco, idem hîc esse quod perfectum; vt significetur, ipsa consecratione sacrificium omni ex parte consummatum esse. Conformia tradit Rupertus lib. 5. De Trinitate cap. 12.

*Resp. ad probationes oppositæ sententiæ. Ad 1.*

Supereſt vt ad obiecta in contrarium respondeamus. Ad primum dico, Consecrationem hostiæ, quæ fit per confectionem, simul esse veram oblationem: sistitur enim verè Deo, & quasi remittitur ei ipsa destructione, qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt: transit enim hostia ipsa per sui confectionem in partem Dei, vt benè ostendit Guilielmus Parisiensis Tractat. De Legibus, cap. 31. & 32. Et tunc à Deo acceptatur holocaustum, quando igne consumitur, in cuius acceptationis confirmationem aliquando ignis cælitus immissus deuorabat & incinerabat hostiam, vt benè obseruat Genebrardus in Psal.19.

Dices, Ergo thuris crematio est sacrificium.

Respondeo, Non sequi: potest enim in Dei honorem thus consumi, etiamsi ipsa consumptio non ordinetur in oblationem Deo factam, sicuti fit in sacrificijs. Fatemur ergo instituto esse separabilem oblationem à destructione alicuius rei, facta in honorem Dei, aut generaliter relata in Deum tamquam finem. Sed hoc dicimus, eiusmodi destructionem natura sua esse idoneam, vt per eam non solùm in Dei honorem tamquam in finem res absumatur, sed etiam Deo res per eam offeratur, si ita visum fuerit instituere; hoc ipsum autem satis institui, quando legitimè assumitur in sacrificalem mutationem. Vt enim hostia essentialiter munus est, ita mactare Deo hostiam, essentialiter est offerre; hostia enim formaliter fit ipsa mactatione: verbi gratia, agnus paschalis actu & formaliter fit hostia, ipsa cruenta immolatione: hostiam autem facere, est munus facere; facere autem munus seu donum, non est aliud formaliter loquendo, quàm donare seu offerre: mactare ergo hostiam est offerre.

*Ad 2.*

Ad Secundum, Quamuis controuerti possit, vtrùm illa eleuatio hostiæ fuerit oblatio, damus fuisse oblationem, sed negamus eo effici, ita pertinuisse ad essentiam sacrificij accessoriam illam oblationem, vt sine ea non potuerit alia sacrificio omni communis intelligi oblatio in ipsa hostiæ confectione seu destructione: perpetuam enim non fuisse huiusmodi eleuationem aut accessoriam oblationem in sacrificijs, ex Scripturis est manifestum: constat enim, subinde sola hostiæ destructione consummatum fuisse sacrificium, vt patet ex dictis, vbi tamen non potuit deesse oblatio.

Ad



*Ad 3.*

Ad Tertium respondeo, Locum Malachiæ non vrgere: quia vt omittamus quæ ex diuersa lectione peti possent, rectè dicetur, non aliud eo significatum, quàm oblationem mundam sacrificando offerri, & offerendo sacrificari.

*Ad 4.*

Ad Quartum, Rectè Tridentinum distinguit consecrare & offerre, quia saltem formaliter distinguuntur, quamuis in eodem actu reperiantur: & Lutherani potestatem consecrandi admittunt, non autem offerendi sacrificium. Debebat ergo Concilium vtrumque exprimere, præsertim cùm consecrare non tantùm sine oblatione possit intelligi, sed etiam reipsa esse si ita Christo placeret instituere, alioqui reipsa vnam & eamdem hanc esse potestatem, (ita vt Lutheranus sacerdos intendens consecrare, etiam offerat, vt probabilius existimo, quidquid alij dicant, sicuti per transsubstantiationem consecrat, quamuis hoc non intendat) indicauit D. Thomas 3. parte, quæst. 82. art. 1. ad 1. dicens, Sacerdotem accipere potestatem consecrandi, quando ei dicitur ab Episcopo: *Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium,* &c. Imò ipsa consecratione sacrificium in Missa offerri, clarissimè docet ibid. art. 10. & alibi.

*Ad 5.*

Ad Quintum respondeo, Oblatio sacrificij Missæ sufficienter est sensibilis: neque enim debet omnino sensibus esse exposita, sicuti est manuum eleuatio, aut verbalis oblatio; quia principalis offerens in propria specie hîc non est visibilis. Vnde neque mirum est, inuisibiliter manum eius extendi, & occultiùs hoc mysterium perfici: rectè enim dixit Gregorius Nyssenus Orat. 1. De resurrect. Christi, Dominum in Cœna præoccupasse cæremonia quadam violentum impetum Iudæorum, & iuxta quemdam ineffabilem sacrificij modum, & qui ab hominibus cerni nequeat, seipsum obtulisse oblationem & hostiam pro nobis. Secundò, Sicuti visibilis esse debet oblatio, ita & hostiæ mutatio: imò sufficit quòd oblatio suam sensibilitatem habeat in ipsa hostiæ mutatione. Si ergo consecratio satis fiat visibiliter, vt mutatio hostiæ sufficiat sacrificio visibili, etiam non deerit visibilis oblatio, etiamsi ponatur fieri in ipsa tantùm hostiæ consecratione vel confectione. Fit autem mutatio sacrificalis visibilis in sacra Eucharistia, non ratione sui si passiuè consideretur, aut ratione principalis mutantis qui est ipse Deus, ignis inuisibiliter consumens, qui inuisibiliter tremendum mysterium perficit; sed est visibilis in ministeriali Sacerdote, eiusque sacrificatiua actione, ipsisque hostiæ speciebus. Sacerdos enim visibilis, visibili seu sensibili actione ac verborũ pronuntiatione, gladio quasi quodam verbi Dei, hostiam visibilem Corpus Christi sub specie panis, & Sanguinem sub specie vini conficit, litat, offert, sacrificat, & incruentè immolat: tantum verò abest vt occultè nimis id fieri iure quis queri possit, vt meritò Ecclesia Latina etiam de eo quod magis palàm esse poterat aliquid ademerit: vult enim verba Christi, quibus perficitur sacrificium, Sacerdotem submisse pronuntiare, vt nimirum latente Christi virtute, mysterium occultè perfici vel hoc ipso significet.

## DVBIVM II.

### *Quotuplex sit Sacrificium?*

*Prima diuisio ratione finis.*

RATIONE finis diuiditur in holocaustum, pacificum, & propeccato. Cuius diuisionis rationem pulchram tradit Philo Iudæus: docet enim, duabus de caussis mortales sacrificare. Vna, Vt Deum sic colant, inducti solo iure ac necessitate honestatis, quod sacrificium holocaustum siue holocaustoma dicitur, totumque Deo cedit, vtpote nihil humanæ philautiæ admixtum habens, vnde dicitur λατρευτικὸν, & honorarium. Altera, Vt aliquid ab eo impetrent ipso cultu: impetrent, inquam, vel boni consecutionem, vel mali depulsionem. Si consecutio boni spectetur, sacrificium salutare seu pacificum dicitur; sin euasio vel depulsio mali, dicitur sacrificium pro peccato, seu propitiatorium vel expiatorium: huius species erat quod dicebatur pro delicto, id est pro peccato per errorem vel obliuionem admisso, vt post longam dissertationem resoluit Ribera De templo lib. 4. cap. 6. Holocausti, & sacrificij pro peccato, & pro delicto, tamquam trium distinctorum meminit Ezechiel cap. 40. *Vt immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto.*

Sunt qui aliter diuisionem hanc quadrimembrem faciant, distinguentes nimirum sacrificium pacificum, in pacificum speciatim dictum, quod & eucharisticum dicere liceat, vtpote quo gratiæ Deo agantur pro beneficiis iam acceptis; & sacrificium votiuum, cuius finis sit impetrare noua beneficia, vnde & impetratorium dici potest.

Possunt & ratione principij hæc eadem quatuor sacrificia vtcumque distingui: holocaustum enim à sola Religione est, propitiatorium simul est à virtute spei & pœnitentiæ, eucharisticum à virtute gratitudinis, votiuum à virtute spei.

*Secunda diuisio ratione efficientis.*

Secundò diuiditur sacrificium ratione efficientis in sacrificium Legis naturæ, Legis veteris, & nouæ. Primi generis sacrificia regulariter arbitrio hominum relicta sunt, quoad determinationem ritus: secùs de reliquis, quæ Deus immediatè per se instituit. Sacrificia Legis naturæ ex opere operato saltem adultis nihil conferebant gratiæ spiritualis. Sacrificia Legis veteris conferebant ex opere operato munditiam legalem siue emundationem carnis. Sacrificium nouæ Legis spiritualem effectum habet ex opere operato.

*Tertia diuisio ratione materiæ.*

Tertiò diuiditur sacrificium ratione materiæ in cruentum & incruentum: siue in victimam seu hostiam, quando ex animalibus offerebatur, quod fiebat cruentè; immolationem, quando ex rebus inanimis, sed solidis: & libamen, quando ex liquidis. Victimæ erant de terrestribus vel auibus: de illis tantùm sumebantur oues, capræ, boues; de istis tantùm columbæ, turtures, & passeres. De piscibus nihil assumebatur, partim quia non æquè sunt in potestate hominis; partim quia non ita facilè viui exhiberi poterant in templo mactandi.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm Sacrificium sit de Lege naturæ?*

*D. Thomæ quæst. 85. art. 1.*

*Resp. Affirmat.*

RESPONDET D. Thomas, Oblationem sacrificij in communi, esse de Lege naturali, sed determinationem ritus esse ex institutione humana vel diuina.

*Argumentum pro opposita sententia.*

Verùm ista responsio non caret difficultate; nam contra priorem eius partem obijcitur: Sacrificium habet aliquid in essentia sua inclusum, quod ex solo Iure naturæ homo adhibendum non cognoscit, multò minùs ex præcepto Legis

naturæ necessariò adhibendum est; igitur non est Legis naturæ. Patet sequela, Quia Lex naturæ naturaliter nota est, vt patet ex dictis 1. 2. De Legibus. Antecedens Probatur ex dictis hoc Cap. Dub. 1. vbi diximus, in sacrificio non tantùm esse hostiæ consecrationem & oblationem & diuini dominij professionem, sed essentialiter esse aliquam hostiæ destructiuam immutationem: atqui eiusmodi mutationem adhibendam esse, videtur ex superaddito diuino vel humano instituto promanare, non autem immediatè profluere ex æterna Dei Lege vel naturali, vt Iuris naturæ dici queat: destructio enim eius quod Deo offertur, non est Deo grata nisi tamquam signum; non est autem signum naturale, sed ex instituto: non est ergo Deo grata, & ex consequenti neque adhibenda sine congruè siue necessariò, nisi interueniente Legis positiuæ institutione.

Propter hoc argumentum Suarez 3. parte, tom. 3. disp. 75. sect. vlt. putat, sacrificium non esse Lege naturæ præceptum, quatenus specialem illum cultum includit qui est per hostiæ oblatæ mutationem, sed solùm quatenus includit generalem cultum latriæ externum: & non aliud velle D. Thomam, aut saltem tantùm velle, quòd sacrificium in speciali sua ratione sit consentaneum Legi naturæ, & impletiuum illius Legis, quamuis ex illa non simpliciter necessarium.

Hæc sententia non est improbabilis. Existimo tamen, D. Thomam plus voluisse, & plus hîc dici posse: Lex enim naturæ obligat hominem non tantùm ad cultum Dei externum, sed ad quàm optimo modo cultu externo profitendam summam & infinitam Dei maiestatem & dominium, & suam subiectionem & seruitutem. Optimus autem iste modus rursus quasi ex naturali quadam determinatione inuestigabili per humanam rationem, situs est in ritu sacrificali, quatenus habet rei oblatæ destructiuam immutationem, vt patet ex dictis Dubio 1. Sic ergo sacrificium Lege naturæ præceptum est. Similiter ferè determinat natura signa quædam politici honoris & amicitiæ, quale est inclinare sese, & iungere dextras. Voluisse autem D. Thomam, sacrificium secundùm propriam suam rationem esse de Lege naturæ, satis conuincitur ex responsione ad 1. Cùm enim in primo argumento dixisset, quæ sunt Iuris naturæ, communia esse apud omnes; & in argumento pro altera parte dixisset, quod est apud omnes, videri esse naturale: in hac responsione dicit, ideò in offerendo sacrificio omnes gentes conuenire, quòd sit Iuris naturæ; atqui omnes gentes non tantùm conueniunt in eo, quòd aliquid pro Deo etiam exteriùs colant, sed in eo quòd sacrificent; quamuis in variis ritibus, qui propterea sunt Iuris positiui, aut instituti superadditi, discrepent. Quando autem dicit D. Thomas, sacrificium esse de Lege naturæ, aut pertinere ad Ius naturale, indicare vult, esse præceptum Lege naturæ, ficuti occidere maleficos præceptum est Magistratui: ea enim similitudine hîc vtitur. Confirmatur ex 1. 2. quæst. 95. art. 2. ad 1. vbi de præceptis Legis naturæ se loqui satis significat, quando disputat, an aliquid sit Iuris naturæ, aut deriuetur à Iure naturæ. Sed omnem hac de re controuersiam tollit art. vlt. huius quæst. 85. vbi ex Lege naturæ docet aliquos obligari ad sacrificia pro se & aliis offerenda.

Est tamen quod collectioni D. Thomæ possit opponi. Quòuis enim apud omnes gentes aliquis sit vsus sacrificiorum, fieri tamen potest, vt non hoc inde sit, quòd sacrificare sit præcepti Legis naturæ, sed quòd fideles hoc traditione didicerint, infideles autem seu idololatræ non Deo, sed dæmoniis immolantes sacrificare edocti sint ab ipsis quos colunt dæmonibus, latriam hanc affectantibus; vel saltem sacrificandum esse, ex reliquiis primæuæ institutionis retinuerint. *Obiect.*

Nihilominùs non ita tantùm in genere sacrificandum esse Deo, humanum genus credidisse, sed etiam naturali ratione sciuisse, docet Eusebius lib. 1. Demonstration. Euangelic. Cùm enim naturali ratione videret homo, suam se vitam Deo debere offerre, quia non conueniebat humanum sanguinem sacrificari, vult Eusebius, Lege naturæ introductũ esse, vt loco ipsius hominis animalia, vel aliquæ aliæ hostiæ Deo immolarentur, tamquam ἀντίψυχον & ἀντίλυτρον quoddam; in cuius rei signum Lege statutum fuerit, vt sacrificantes manus victimæ imponerent. Sensit ergo Eusebius, Lege naturæ loco ipsius hominis res alias, præcipuè animalia, Deo sacrificari cœpisse. Vbi neque contendimus, defuisse Dei inspirationem supernaturalem, in primis Dei cultoribus; sed agnoscimus, etiam De Lege naturæ venire sacrificium, non tantùm de Patriarchalis institutionis reliquiis, aut diabolica æmulatione: nam & ipsos Patriarchas naturali Lege admonitos sacrificasse, docet Clemens lib. 6. Constitut. cap. 20. *Cùm sciret*, inquit, *Abelem, Noë, Abraham, item alios deinceps non iussos, sed Lege naturæ excitatos vltrò grato animo Deo sacrificasse*, &c. *Resp.*

Neque verisimile est, de diaboli truculentissimi nostri generis hostis æmulatione illa venire sacrificia, in quibus pro humana vita substituta est vita brutorum, aut (vt Pythagoricis & aliis quibusdam Philosophis magis placebat, qui ab omni cruentata victima abstinendum putabant) quid aliud ex rebus inanimis: nam vt testatur Eusebius lib. 4. De præparat. Euang. cap. 6. & 7. dæmones cæde & sanguine hominum summoperè gaudent, ideoque non animalium fuerunt mactatione in suis sacrificijs contenti, sed ipsos sibi homines crudeliter sacrificari voluerunt, adeò vt Aristomenes Messenius Ioui aliquando trecentos simul homines sacrificauerit, & aliquando per oraculum decimam hominum partem sibi immolari dæmones postulauerint; hominibus interim mirè vexatis, & integras regiones pro euitanda huiusmodi crudelitate deserentibus; subinde supponentibus pro charis filijs emptitios pueros; pro innoxijs, capitis aliunde reos, & tandem statuas pro veris hominibus, vt de singulis luculentè testatur ibidem Eusebius. Suffragatur etiam assertioni nostræ Anacletus Epist. 2. qui de Melchisedech, Abraham, Isaac & Iacob loquens, *Sed hi*, inquit, *spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate sacrificia obtulerunt*. Nimirum hoc voluit Pontifex quod ex Clemente diximus, naturali Lege excitatos, veteres illos antequam positiua Lege Deus Sacerdotes & sacrificia institueret, Deo sacrificasse sponte, non iussos, quia nimirum id satis iubebat Lex naturæ. Denique Serenus Abbas apud Cassianum collat. 8. cap. 23. iisdem institit vestigiis: *Quemadmodum*, inquit, *scire potuit Abel, necdum Lege mandante, quòd offerre Deo de primitiis ouium suarum, & de adipe ipsarum ad sacrificium deberet esse, nisi per insitam Legem naturaliter fuisset edoctus?*



Ex his concludo, etiam sacrificium secundùm generalem cultus diuini sibi essentialem determinationem posse aliquo modo dici pertinere non solùm ad inclinationem, sed etiam ad præceptum Legis naturæ: quamuis interim fatendum sit, vt Caietanus hoc artic. docet, sacrificandum esse Deo, non esse ex illis Legis naturæ principijs, quæ omnes sine difficultate norunt, adeoque non perinde clarè de sacrificio ostendi quod sit Legis naturæ, sicut de oratione etiam vocali, aut oblatione muneris in genere.

*Resp. ad argumentũ oppositæ sententiæ.* Ad argumentum oppositæ sententiæ respondeo, Vt sacrificium dicatur esse Legis naturæ, sufficit quòd immolatio Deo ex Lege naturæ facienda sit, esto vt hæc actio sit idoneum signum honoris, non pendeat merè ex natura rei, sed aliquo modo ex instituto: sic enim voce Deum laudare Legis naturæ est, etiamsi voces ex instituto significent. Aduerte tamen, sicuti non est ex instituto, quòd voce in genere homo cõceptum significet, sed naturale; ita neque esse ex instituto, quòd offerendo cum hostiæ mutatione Deum honoret, sed quòd hoc aut illud offeratur & immoletur.

At quærere hîc quispiam possit, Vtrùm dictamen illud Legis naturæ de sacrificando, supponat cognitionem lapsus totius generis nostri, aut saltem peccati propriæ actionis agnitionem includat?

*Sacrificium non præsupponit peccatum.* Respondeo; Quamuis hoc ipso quo se peccatorem, & non nisi morti destinatum homo agnoscit, deuinctior sit ad ἀντίλυτρον istud quod in sacrificio subesse suprà diximus, Deo offerendum; hoc tamen non est sacrificio essentiale: verisimile enim est, quòd homo etiam in statu innocentiæ obtulisset sacrificium. Quamuis enim Victoria suprà citatus putet, in eo statu futura non fuisse cruenta animalium sacrificia, vtpote quæ morti Christi præsignandæ seruiant; debitum tamen vitæ nostræ supremo Domino contestari debuissemus, etiamsi peccatores non fuissemus. Sufficiens enim huius homagij sacrificalis debitum eo ipso contraximus, quòd vitam à Deo acceperimus. Ita tenet Gregorius Valentia hîc disp. 6. quæst. 4. punc. 3.

Victoriæ tamen sententia non est improbabilis, & hactenus vera; quòd licet in statu innocentiæ hostia fuisset destructa aut immutata propter moralem quamdam significationem & protestationem, non tamen æquè congruè fuisset sumpta ex animalibus, quorum mactatio in sacrificiis maximè commendatur, propter typicam mortis Christi significationem, vel etiam moralem nostræ mortis, cui per peccatum sumus obnoxij, vt egregiè docuit D. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 3. ad 5.

Quæres Secundò, Quare Adam non obtulerit sacrificium, si sit Legis naturæ?

*Adam obtulisse sacrificium probabile.* Respondeo; Quamuis Adam non legatur obtulisse sacrificium, fortè quia à sacrificio Cain & Abel Scriptura cœpit, eò quòd aliquid singulare circa eorum sacrificium acciderit; vel quia non conueniebat eius propitiationem commendari, quasi & ipse esset sanctificationis origo, qui auctor culpæ fuerat: verius tamen videtur, etiam Adamum postquam per sapientiam eductus est è delicto suo, Deo sacrificasse, vt tenent post D. Thomam hîc ad 2. Sotus lib. 9. quæst. 1. art. 1. & Henriquez lib. 9. cap. 1. Imò credibile est, Adamum filios suos modum sacrificandi docuisse, vt docet idem Henriquez ex Eugubino De perenni Philosophia.

Quæres Tertiò, Vtrùm ex natura rei sacrificium debeat fieri ritu à Deo aut Republ. instituto, & per ministrum publicum, aut saltem talem, cui à Deo id muneris sit demandatum, aut cui nomine publico competat?

*Ritus Sacrificij à quo instituendi.* Respondeo quoad prius, Quamuis sacrificium sit Iuris naturæ, particularem tamen ritum posse à Deo aut Republica pro diuersitate temporum institui, sine quo oblatum sacrificium non sit verè sacrificium, sed degenerans quædam superstitio: & ita in populo Iudaico per Legem Moysi, & posteà in Lege noua Deus per se instituit. Antequam tamen Deus id restringeret; erat penes Rempub. aut capita familiarum, vt Sacerdotes constituere, ita & ritus præscribere sacrificales, adeò vt rati illi non fuerint, nisi diuinitus vel quasi publica aut Superioris auctoritate instituti.

At quomodo restrictio istorum rituum per Deum facta fuit?

*Per Deum restricti sunt ritus.* Respondeo, In veteri Lege tantùm fuit facta quoad gentem Iudaicam, ita vt fideles apud alias gentes adhuc manserint in priori libertate, quamuis potuerint etiam per Sacerdotes Leuiticos victimas legales curare offerri. In noua autem Lege generalis est, ita vt non magis nunc sit sacrificium, quidquid præter vnam Eucharistiam in sacrificium vbicumque locorum offertur, quàm si canem Iudæus tempore Legis veteris sacrificasset, aut vt Isaias loquitur cap. 66. in sacrificium excerebrasset.

*Minister legitimus requiritur.* Quoad posterius respondeo, Quando sine auctoritate capitis aut publica, aut Dei, siue ordinariè siue extraordinariè data, offertur sacrificium, non esse id legitimum, adeoque Deo non placere. Imò nec absolutè ea videri debere dici sacrificia; sicuti nec illa quæ offeruntur ei cui non oportet, quamuis tam hæc quàm illa propter substantiæ actus similitudinem, potiùs veniant sacrificiorum nomine, quàm quæ eo ritu fiunt quem Lex cassauerit: habetur enim maior ratio eorum quæ in recto veniunt, quàm quæ in obliquo. Quo modo accipi potest quod Augustinus dicit Epist. 49. quæst. 3. non culpandum esse in gentilibus, quòd constituant templa, instituant sacerdotia, & faciant sacrificia; sed quòd hæc idolis & dæmonijs exhibeant.

Quæres Quartò, Vtrùm Lex naturalis præueniendo positiuam, obliget ad sacrificia solùm vt sunt publici cultus, an etiam vt priuatæ deuotionis?

Respondeo, Priori modo tantùm obligare; quamuis etiam inclinet, vt ex priuata deuotione quisque particularis per ministros publicos offerri curet. Colligitur ex D. Thoma art. vlt. quæst. 85.

*Sacrificia sunt publici iuris.* Hinc sequitur, Sacrificia esse publici Iuris, vt docet Isidorus lib. 5. Originum, cap. 8. & obligari aliquas publicas personas, quarum id munus est, pro se & populo sacrificare.

Sequitur etiam, Rempub. aut eos quibus Reipublicæ cura incumbit, vigore huius Legis teneri curare, vt sint qui sacrificent, sumptumque sacrificiorum de publico suppeditare.

# CAPVT IV.

## *De Decimis.*

*D.Thomas quæst.87.*

### DVBIVM I.

### *Quotuplices sint Decimæ?*

*Diuiditur Primò in prædiales, personales,*

SOLEMNIS diuisio decimarum est in prædiales & personales. Prædiales vocant, quæ soluuntur ex prouentibus prædiorum. Personales, quæ ex lucris personæ. Reperitur hæc distinctio cap. Ad Apostolicæ, De decimis. Addunt communiter tertium genus, earum scilicet decimarum, quas mixtas vocant, quales sint ex fructibus pecorum, aliorumque animalium. Monet tamen Henricus Canisius in Summa Iuris Canonici, hoc tit. decimas illas reuocari ad prædiales, quando pecora in prædijs pascuntur; ad personales autem, quando domi aluntur. Fatetur tamen, posse oriri hic mixtionem decimarum, si partim domi, partim in prædijs pascantur. At rectè etiam illæ quæ soluuntur ex animalibus quæ in prædijs pascuntur, dicuntur mixtæ: non enim animalia sunt fructus prædiorum, sed humana cura ex huiusmodi fructibus pascuntur. *& mixtas.*

*Secundò in maiores, & minutas.*

Est & alia distinctio decimarum, cap. Ex multiplici, & cap Cùm in tua, eodem, in maiores & minutas: vbi Glossa minutas vocat, quæ sunt ex partu animalium & hortis.

### DVBIVM II.

### *A quibus, & quo Iure debeantur Decimæ?*

*Christiani tenentur ad decimas.*

RESPONDEO; Certum est in primis, Christianos debere decimas. Patet ex Clemente lib.2. Constitut. Apostolicarum c.25. 27. & 34. & lib.8. cap.30. & toto tit. De decimis, in Decretalibus, ex Constitutionibus Damasi in Concilio Romano, vt refert Baronius circa annum 382. Panormitanus in Rubric. De decimis, id probat ex Augustino, Ambrosio, Gregorio, & Hieronymo. Clementin. Cupientes, De pœnis, excommunicat Religiosos, auertentes à solutione decimarum in concionibus. Item dandas esse decimas constituit Synodus Foroiulienſis, cap. vlt. sub Carolo & Pipino; Moguntinensis tempore Lotharij, cap. 17. quæ addit pœnam excommunicationis; Rhemensis sub eodem Carolo, can. 38. Moguntina sub Rhabano, can. 10. Valentina, cap. 10. Aquensis, can. 18.

*Decimæ debentur ex iustitia.*

Certum est Secundò, Christianos debere decimas non tantùm ex obligatione charitatis, sed iustitiæ. Est contra Wiclefum, cuius art. 18. in Concilio Constantiensi damnatus ita habet: *Decimæ sunt puræ eleëmosynæ, & parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.*

*Quilibet debet decimas.*

Dicendum Tertiò, Quemlibet teneri ad solutionem decimarum, nisi à præstatione earum specialiter sit exemptus, cap. A nobis, eodem; cap. Si quis laicus, ex Concilio Moguntinensi, causa 16. q. 1. Hinc ad prædiales decimas non tantùm Catholici, & iustè possidentes, sed etiam Iudæi, hæretici, pagani, & iniustè possidentes, etiamsi ex furtiuo semine seminauerint, compelluntur.

*Quo Iure debeantur?*

At celebris controuersia est, vnde illud debitum oriatur, vtrùm ex Iure diuino, an ex solo Ecclesiastico?

*Canonistarum opinio. Fundamentum 1. 2.*

Canonistæ enim tenent, debitum decimarum esse Iuris diuini. Fundamentum eorum est, partim quòd Canones id videantur apertissimè dicere; partim etiam quòd in veteri Lege præceptum de soluendis decimis Exodi 22. Leuitici 27. Numeri 18. Deuteronomij 14. existiment fuisse merè morale, adeoque non cessare in filijs noui Testamenti, quorum iustitia magis debet abundare quàm Scribarum & Pharisæorum.

*Probatur ex Canonibus.*

Fauet Paschalis II. cap. Decimas, & Hieronymus cap. vlt. causa 16. quæst. 1. cap. Tua, cap. Tua nobis, cap. In aliquibus, cap. Parochianos, hoc tit. D. Gregorius cap. Quadragesima, De consecratione, dist. 5. *Iubemur*, inquit, *ab omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare*. Non cessasse autem præceptum decimarum cum legalibus tamquam cæremoniale aut iudiciale, suaderi potest Primò ex Clemente, dicto lib.2. Constit. cap.35. *Vos*, inquit, *scire oportet, quòd tametsi vos Deus à seruitute adscitorum vinculorum liberarit, liberarit, inquam, ab emundationibus, à victimis emissarijs, à lauationibus assiduis, ab aspersionibus, nondum tamen à pensionibus liberauit*, &c.

*Confirm.*

Confirmatur, Quia Christus Dominus Matthæi 23. & Lucæ 11. de decimis reddendis agens, *Hæc*, inquit, *oportuit facere, & illa non omittere*. Item alio loco Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*. Dei autem tributa sunt decimæ: nam illas sibi reseruauit, vt indicatur dicto cap. Tua nobis; & eiusmodi ius suum numquam remisit. Accedit quòd decimæ fuerint in vsu ante Legem: nam Abraham Sacerdoti Melchisedech dedit decimas, & Iacob Deo decimas vouit. Imò quasi naturali quodam instinctu etiam gentiles idololatræ dijs suis decimas se debere agnouerunt, vt patet ex Eusebio suprà citato, & Plinio, Diodoro, Plutarcho, Cicerone, Liuio, Herodoto, quos citatos videre licet apud Azorium lib.7. cap. 23. Hanc sententiam tenet Glossa in cap.1. De decimis, in 6. & ferè omnes Canonistæ. Imò Antonius de Butrio & Innocentius dicunt, contrariam non procul abesse ab hæresi, cùm apertè pugnare videatur cum Iure Canonico: quamuis quidam eorum, inter quos est Hostiensis, fassi sint, personales decimas non esse Iuris diuini, sed tantùm Ecclesiastici; prædiales autem esse Iuris diuini, propter cap. In aliquibus, suprà citatum. *Decimæ gentilium.*

*Verior sententia.*

Contraria nihilominùs sententia est communis Theologorum, Decimas quoad quotam non esse nunc Iuris diuini, sed tantùm Ecclesiastici, quamuis sustentatio ministrorum Ecclesiæ, quam per decimas populus præstat, sit Iuris diuini naturalis, & olim tempore Legis etiam secundùm quotam decimæ fuerint Iuris diuini positiui. Ita tenet D. Thomas hîc art. 1. & Quodlibero 2. art. 8. quem passim alij sequuntur. Probatur Primò, Si essent decimæ quoad quotam nunc Iuris diuini, vel essent Iuris naturalis, vel diuini positiui. Neutrum dici potest. Non prius, quia tempore Legis naturæ non fuerunt decimæ in præcepto, vt diserte tradit Hugo Victorinus De Sacramentis lib.1. parte 10. cap.3. & 4. & probat ex voto



ex voto Iacob: *Quòd enim*, inquit, *ex voto se facturum spopondit, quòd hoc ex necessitate mandati non deberet, patenter ostendit*. Secundò, Contra Legem naturæ nulla valet consuetudo, vt diximus quando De Legibus: atqui debitum decimarum mutatur vigore consuetudinis, vt satis apertè dicitur dicto cap. In aliquibus. *Illæ*, inquit ibi Innocentius III. *decimæ soluendæ necessariò sunt, quæ debentur ex Lege diuina, vel loci consuetudine approbata*. Tertiò, Illud est Legis naturæ, quod ex principijs naturalibus colligitur sine Lege positiua adiecta, vt patet Tract. De Legibus: atqui decimam partem Deo exhibendam esse potiùs quàm nonam aut vndecimam, determinatè ex eiusmodi principijs non colligitur, vt per se euidens est; sicuti neque colligitur, tributi loco præcisè decimam partem ei pendendam esse qui prædium concesserit. Vnde etiamsi congruentia aliqua in perfectione denarij numeri, quæ ex rei natura proueniat, consideretur, ex qua ratio aliqua desumi queat, quare Deus in Lege naturæ inspirauerit, & postmodum etiam iusserit oblationem decimarum; non tamen ea sufficiens est, vt dici queant Legis naturæ: nam & quando iussæ sunt, vt benè obseruat D. Thomas, ad aliam principaliùs rationem Deus respexit; vt nimirum vndecim tribuum contributione, æstimata simul parte quæ moraliter præsumi poterat defraudanda, inueniretur duodecimæ tribus Leuiticæ portio, quæ alioqui exors erat.

*Ad 2. fundamentum.*

Ad alterum fundamentum, quomodo præceptum decimæ partim morale sit, partim non sit, patet ex dictis. D. Clemens vtget manere qua parte morale est. Christus monebat, non omittendas esse decimas, sed obligante adhuc Lege; ita tamen vt simul significauerit, Legem de decimis non esse ex illis grauioribus & præcipuis Legis, quę semper essent duraturæ, qualia sunt iudicium, misericordia, fides, & vniuersim omnia moralia præcepta. Apud Matth. ita Dominus dicit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt Legis, iudicium & misericordiam & fidem; hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Item Deo quæ Dei sunt, reddenda Dominus monuit, & Legis naturæ est: sed vt præcisè decima sit Dei, olim Legis Dei positiuæ, nunc Ecclesiasticæ est. Iudicialia enim, vt alibi diximus, & hîc docet D. Thomas, quamuis non obligent ex veteri Lege, possunt tamen seruari in noua Lege. Denique decima gentilium non tam naturæ quàm diaboli Dei sacræmulantis inuentum fuit. *Ad Matth. 22.*

### DVBIVM III.

### *Quibus debeantur Decimæ.*

*Debentur Ecclesiæ & eius ministris.*

IN primis generatim dicendum, Ecclesiæ eiusque ministris deberi. Eas enim meritò Ecclesia sibi exegit ad diuinorum mysteriorum dispensatores, aliosque ministros alendos. Si enim vt esset cibus in domo Dei, vt dicitur Malach. 3. rectè olim inferebatur omnis decimatio, quando neque tanta erat dignitas ministerij diuini Sacerdotij, Sacramentorum & sacrificij, neque tanta multitudo templorum quanta in noua Lege, multo magis nunc pro æstimata ministrorum sustentatione decimæ exiguntur. Addit D. Thomas art. 3. quæst. 87. olim in veteri Lege pauperes seorsim habuisse suas decimas: nunc autem eo intuitu etiam Clericis solui decimas, vt inde pauperes sint participes, ne de superfluo vlla sit iusta futura querela. Præter duas istas Leuitarum & pauperum decimas, erant & tertiæ decimæ, quæ destinabantur peculiariter sacrificijs & cæremonijs, & cum suo fine cessarunt, vt dicit D. Thomas art. 1. ad 4. Iustè ergo locorum, vnam saltem decimam pendunt Christiani. In specie autem satis Iura declarant, prædiales decimas solui debere Parocho, cuius Parochiæ finibus prædia continentur: nam cap. Cùm contingat, hoc tit. apertè dicitur, perceptionem decimarum ad Parochiales Ecclesias de Iure communi pertinere, quod & alibi sæpè in Canonibus repetitur, cap. Cùm in tua, cap. Quoniam, eod. & cap. Statuimus, ex Anastasio Papa, cap. De decimis, ex Leone IV. cap. Questi sunt, ex Concilio Moguntinensi; cap. In sacris, ex Concilio Ticinensi, causa 16. q. 1. Possunt tamen prædiales istæ decimæ alijs Ecclesijs deberi consuetudine, præscriptione, ex priuilegio, ex compromisso, siue transactione: sed, vt diximus, Iure communi Parochiali Ecclesiæ debentur.

*Resp. ad argumenta.*

Pro solutione autem argumentorum oppositæ sententiæ, solùm aduertere oportet, in decimis considerari non tam debitum quotæ, quàm debitam ministrorum Ecclesiæ sustentationem, semel iam sic æstimatam: æstimationem enim factam in veteri Lege continuauit Ecclesia, atque ita decimæ censentur Legis diuinæ, partim quia sustentatio ministrorum, quæ in illis æstimatur, est Iuris diuini naturalis; partim quia ipsa æstimatio ad decimam partem non tam de nouo facta est per Ecclesiam, quàm ex Lege Dei retenta.

*Resp. ad Canones.*

Ad Canones itaque respondeo, Eos huc respexisse, quamuis interdum hoc sensu videri queant decimas dicere esse Iuris diuini, quòd ad Ius ministrorũ Dei pertineant, quomodo dicimus decimas esse Iuris Parochialis, quòd Baptismali Ecclesiæ, vt infrà dicemus, debeantur. Ita commodissimè accipitur cap. vlt. causa 16. quæst. 1.

Sed quædam hîc dubia suboriuntur. Primum, Quid possit Episcopus in perceptione decimarum?

Secundum, Vtrùm alij Clerici aut Religiosi,

qui ex priuilegio aut aliàs legitimè decimas possident, dicendi sint non proprio, sed nomine Parochialis Ecclesiæ eas possidere?

Tertium, Vtrùm ex priuilegio, aut aliàs legitimè, etiam laici possint proprio nomine possidere decimas?

Quartum, Quomodo præscribatur ius percipiendi decimas?

Quintum, Cui debeantur personales?

Sextum, An quando decimæ indefinitè per priuilegium concedantur, comprehendantur etiam nouales?

Ad Primum, Glossa in dictum cap. Cùm contingat, vtrimque re disputata, non permittit Episcopo ius decimarum in Parochijs ex Iure communi, sed tantùm ex consuetudine loci, vel in Parochia sibi propria, sicut quibusdam locis habet, vel in loco diœcesis, qui nullius sit Parochiæ, ex cap. Quoniam, hoc tit. Addit Panormitanus in dictum cap. Cùm contingat, etiam ad Episcopum pertinere decimas, quando prædia ex quibus penduntur, ita latè patent, vt non includantur finibus Parochiæ, aut quando Parochiæ non sunt distinctæ. Addit denique, reprehendens Glossam contrarium dicentem, etiam vbi de Iure competit decima Parochiali Ecclesiæ, nihilominùs quartam decimarum pertinere ad Episcopum, ex cap. Conquerente, De officio Ordinarij: pertinere inquam Iure communi, quia potest contra eam allegari præscriptio, vt patet cap. De quarta, De præscriptionibus. Extat prætereà in Glossa cap. Vnio 10. q. 3. sententia quorumdam, Posse Episcopum tertiam partem decimarum sibi sumere, si velit in se suscipere onus reparandi Ecclesiam: quod recipere videtur Serola verbo Decimæ, parte 1. quæst. 10. Sed standum hîc esse consuetudini, quæ in materia decimarum plurimùm valet, passim monent DD.

*Quomodo Episcopo competant decimæ.*

*Religiosi possidere possunt decimas proprio nomine.*

Ad Secundum, Non defuerunt qui ita sentirent, ex quibus est Caietanus: sed immeritò, vt ostendunt alij communiter, Sotus lib. 9. quæst. 4. art. 4. Arragonius hîc, Viualdus De præceptis Ecclesiæ, parte 5. cap. 4. Neque enim ita decimæ dantur pro ministerio verbi & dispensatione mysteriorum Dei, vt non etiam ob reliqua Ecclesiastica, puta altaris & Chori ministeria dari intelligi debeant, sicuti in veteri Testamento generatim dabantur Leuitis pro vniuerso tabernaculi ministerio & portione totius suę tribus, Deuteronomij 14. & Numeri 18. Fauet cap. Decimas 16. quæst. 1. Atqui etiam alij Ecclesiastici in Leuitico ordine computari debent, vtpote quibus competat istud, *Dominus pars hereditatis meæ*; & benedictio Leui, Deuteronom. 33. *Qui dixit patri suo, & matri suæ, Nescio vos.*

Psal. 15.

Ad Tertium, Certum in primis est, Numquam laicos nomine proprio potuisse recipere decimas. Est enim ius eas percipiendi spirituale, quod non cadit in laicum, sicuti nec ministerium Ecclesiasticum pro quo dantur tamquam eius stipendium. Ita communiter omnes DD. cum D. Thoma hîc art. 3. & patet cap. Ad hæc, cap. Quamuis, cap. Prohibemus, eodem, & cap. vlt. caussa 16. quæst. 1. quod est D. Hieronymi.

*Laicis quomodo decimæ competere possint.*

Constat Secundò, Licuisse Episcopo concedere decimas Laicis in feudum etiam perpetuum, ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. Argumentum ex cap. Querelam, Ne Prælati vices suas, &c. & cap. Cùm Apostolica, De his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.

Constat Tertiò, Dicto Concilio Lateranensi, eiusmodi concessionem Episcopis esse ademptam, cap. Statuimus, hoc tit. vbi id facere prohibentur sub pœna succisionis à statu suo, id est, depositionis. vel vt Glossa vult, suspensionis.

Sed hoc obseruandum est, ante Lateranense Concilium non potuisse quidem laicum vllo tempore præscribere ius decimarum primarium proprio nomine possidendum, quia eius est incapax, vt patet ex dictis De præscriptione; potuisse tamen præscribere ius secundarium, quod habet laicus cui decimæ legitimè conceduntur in feudum.

Verùm maioris quæstionis fuerit, Vtrùm laici, qui ante dictum Lateranense Concilium possederunt decimas in feudum perpetuum, possint post illud eiusmodi ius suum non solùm retinere, sed etiam cum consensu Episcopi illius Ecclesiæ à qua decimas habent, vendere alicui alteri laico?

*An laicus possit vendere laico decimas.*

Suppono ex communi, Eos posse retinere eiusmodi ius decimarum, tamquam legitimè natum, & ipsis non ademptum. Suppono etiam, Posse eos istud iuris transferre alicui Ecclesiæ cum consensu illius Ecclesiæ vnde habent, per cap. Cùm Apostolica, De ijs quæ fiunt à Prælatis. Sed quæro, Vtrùm consentiente eiusdem Ecclesiæ Episcopo, possint etiam transferre alteri laico? Videntur enim non posse, quia Episcopus post Lateranensem Constitutionem non potest de nouo laico dare decimas in feudum: dare autem videtur, quando consentit vt in alium laicum illud feudũ transferatur. Secundò, Dicto c. Cùm Apostolica, tamquam speciale conceditur, vt laicus feudum decimarum possit transferre alteri Ecclesiæ cum consensu Prælati Ecclesiæ vnde feudum habet. Tertiò, Quia hæc translatio est magni præiudicij: Ecclesia enim recuperat decimas, quando laicus qui eas in feudum habet, decedit sine filijs: atqui si liceat ei in alium laicum transferre, facilè impedietur hic reditus. Propter hæc argumenta Panormitanus in cap. Prohibemus, hoc tit. tenet negatiuè, & dicit esse sententiam communem. Sequitur Azorius parte 1. lib. 7. cap. 26.

*Argumentum pro sententia negatiua 1.*

Altera tamen sententia, quæ istud permittit, non est improbabilis, & tenet eam Glossa in dictum cap. sequitur Turrecremata in cap. vlt. caussa 16. quæst. 1. Siluester verbo Decima, quæst. 10.

*Verior sententia affirmatiua.*

Ad prioris enim opinionis argumentum Primum dici potest, Consentire translationi feudi priùs alienati, non esse de nouo concedere feudum, neque ei æquiualere, vt patet ex cap. 2. De feudis.

*Resp. ad 1. arg. opposita sententiæ.*

Ad Secundum, Innocentium III. ibi speciale solùm decidere, quòd Episcopi solius sine Capitulo consensus in eo casu sufficiat, quia de illo tantùm quæstio vertebatur.

*Ad 2.*

Ad Tertium respondeo, Huiusmodi incommoda hîc non obesse, neque propter illa claudi manus Prælato: potest enim Prælatus feudum semel legitimè constitutum, si ad Ecclesiam morte



te vasalli redierit, liberè alteri conferre, vt patet cap. vnico, De rebus Ecclesiæ non alienandis, §. Neque suprà. Item si à vasallo feudum illicitè fuerit alienatum, & sic ipso Iure commissum, potest Prælatus idem feudum alteri dare, etiam filio vel consanguineo eiusdem vasalli, vt patet dicto cap. 2. De feudis. Manifestum ergo est, Ecclesiam eiusmodi præiudicia non curare.

*De præscriptione decimarum.*

Ad Quartum dubium respondeo, Vnam Ecclesiam contra aliam spatio quadraginta annorum præscribere ius decimarum, vt patet cap. Accidentibus, De priuilegijs. Contra Romanam tamen opus est spatio centum annorum. Imò contra quamcumque Ecclesiam, sine titulo, præscriptione immemoriali opus est; nam bona fides in præscriptione non immemorabili non sufficit, quando ei Ius commune vel præsumptio contrariatur.

Sed difficultatem hîc mouet cap. Si de terra, eodem, De priuilegijs; vbi videtur dici, sufficere præscriptionem triginta annorum vnius Ecclesiæ contra alteram in decimis.

Respondeo, Hoc cap. agi de præscriptione Parochialis Ecclesiæ contra priuilegiatos, ne soluant decimas; contra priuilegium autem tale æquum videtur citiùs currere præscriptionem, quia res vnaquæque faciliùs ad naturam suam redit, vt obseruat ibi Glossa. Illud etiam de præscriptione decimarum monendum, etiamsi fortè alia Ecclesia contra Parochialem præscripserit decimas prædiales, nouales tamen quæ non potuerunt præscribi, quia non fuerunt possessæ, pleno iure ad Parochialem pertinere, cap. Cùm contingat, suprà citato.

*Decimæ personales quibus debeantur.*

Ad Quintum, Personales decimæ, quæ tamen hodie parum sunt in vsu de lucro personarum, debentur non Parochiæ in qua lucrum fecerunt, sed in qua Sacramenta percipiunt. Ita definitur cap. Ad Apostolicæ, hoc tit. cap. finali De parochijs, cap. Questi sunt 16. q. 1.

*An quando decimæ per priuilegii concessionem, etiam nouales reprehendantur.*

Ad Sextum respondeo, Nouales decimas non comprehendi, patet cap. Tua 1. §. vltimo, De decimis, vbi Innocentius III. ita dicit: *Nec occasione decimationis antiquæ (licet in feudum decimæ sint concessæ) sunt decimæ noualium vsurpandæ, cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potiùs restringenda.*

*Pro affirmatiua sententia argumentum.*

Sed opponitur, Capituli decisionem tantùm procedere de laicis, quibus decimæ in feudum fuerint concessæ: itaque si Ecclesiæ competat extra Parochiam ex priuilegio percipere decimas, etiam nouales decimas recipiet. Ita sentit Glossa ibidem, estque communis sententia, vt faretur Suarez tom. 1. De Religione lib. 1. cap. 23. qui tamen meritò sentit (quod etiam sentit Guitierres lib. 2. Canonicarum quæstionum cap. 21. vbi etiam alios pro se citat) indistinctè siue laicis siue clericis concessum sit priuilegium, non extendi ad noualia. Ratio eius est, quòd priuilegium extra Parochiam colligendi decimas, etiam in odiosis reputari debeat, quatenus lædit ius alterius quàm concedentis, etiam si Clericis fuerit concessum. Itaque strictè erit interpretandum, & nisi apertè nouales decimæ comprehendantur, aut nisi ita expressè totum ius decimandi sit concessum, vt non nisi torquendo verba, nouales possint excipi, debent censeri excluſæ. Imò etiam vbi expressè in priuilegio comprehenduntur, nihilominùs Parochiali Ecclesiæ medietas earum adiudicatur cap. 2. De decimis, in 6. *Statuimus prætereà, quòd idem indultum obtentum ab iis qui tempore impetrationis totaliter veteres percipiebant decimas, vltra medietatem decimarum noualium nullatenus extendatur: quia non est verisimile, si tunc de plena & integra perceptione veterum fuisset expressum, quòd Apostolica Sedes pariter & similiter noualium decimas in tam graue Parochialium Ecclesiarum dispendium indulsisset*, &c. Excipit tamen postea Pontifex priuilegium Cistercienſium & Carthusiensium.

*Obiect.*

Opponitur Secundò cap. Ex parte. eodem, De decimis; vbi idem Innocentius III. ita rescribit Abbati S. Columbæ Senonen. *Cùm tibi quod maius est fit concessum, vt videlicet decimas de laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de noualibus eas exigere satis potes; quia vbi maius conceditur, minus concessum esse videtur.* Hîc videtur Papa dicere, quòd qui priuilegium habet decimarum, etiam habeat noualium.

*Resp.*

Respondeo, Nullo modo hoc dicere Pontificem, sed solùm quòd qui iure Parochiali decimas habet, etiam habeat ius ad nouales, eò quòd minus sit quodammodò in maiori comprehensum. Argumentum autem eiusmodi locum non habet in priuilegijs, quæ restringenda sunt, & non admittunt argui à maiori ad minus, à minori ad maius, aut à simili.

Dices, Ergo, qui habet priuilegium non dandi decimas, deberet dare eas ex noualibus, si eorum expressa non fiat mentio.

Respondeo, Id non sequi, quia negatio distribuit. Itaque qui habet priuilegium non dandi decimas, satis videtur etiam habere non dandi nouales.

*Quibus debeantur mixtæ.*

Quæres, Cui Ecclesiæ debeantur decimæ mixtæ? Glossa in dictum cap. Ad Apostolicæ, decimas animalium vult censeri cum prædialibus, ita vt illius sint Parochiæ, in qua pascuntur: & si partim in vna, partim in altera pascantur, vult oportere diuidi. Fauet D. Thomas art. 3. ad 2. Siluester autem hoc verbo, q. 8. dicit, deferendum esse consuetudini; ea autem deficiente, putat, etiam illorum animalium decimas quæ continuò pascuntur in Parochia aliena, esse diuidendas inter illam & propriam Parochiam, quod videtur æquius.

## DVBIVM IV.

### *Ex quibus debeantur Decimæ?*

Iam ex dictis patet, ex omnibus rebus & lucris Iure communi deberi. Standum tamen esse consuetudini legitimè præscriptæ, quæ non tantùm in personalibus, sed etiam in prædialibus non soluentes excuset, quamuis illud posterius negent Canonistæ. Hoc tamen est discriminis inter prædiales & personales, quòd prædiales sine subductione laboris & impensarum integrè debeantur, cap. Pastoralis, De decimis.

## DVBIVM V.

### *Quomodo cesset obligatio Decimarum?*

*Cessat obligatio decimarum.*

Respondeo, Cessat vel consuetudine præscripta, vel præscriptione, vel priuilegio summi Pontificis, vel transactione,

vel denique remissione eius cui debentur.

*Præscriptione,* De consuetudine & præscriptione patet cap.In aliquibus, eodem, cap.1. De præscriptionibus, in 6.cap.De quarta,Extra.eod.

*Priuilegio,* De priuilegio constat cap. Ex multiplici, cap.Suggestum,cap.Ex parte, cap.Nuper, hoc tit. Moderatio tamen adhibetur dicto cap. Suggestum, vt ita multiplicatis Monasterijs, vt Parochiales Ecclesiæ per immunitatem eorum lædantur, debeant cum Parochialibus Religiosi componere;& cap.Nuper, Ne priuilegiati emant possessiones, ex quibus decimæ debeantur Ecclesijs, nisi fortè proMonasterijs nouiter fundandis.Imò si acquisiuerint quomodocumque de nouo,statuit Innocentius III. inConcilio generali Lateranensi, vt de illis decimas soluant illis Ecclesijs, quibus ratione prædiorum antè soluebantur, etiamsi eas proprijs manibus aut sumptibus excolant, nisi cum ipsis Ecclesijs aliter duxerint componendum.

*Transactione,* De transactione seu compositione patet, Quia potest quisq;iuri suo renuntiare. Vt tamen renuntiatio obliget successores,debet interuenire auctoritas Episcopi.Patet c.2. De transactionibus: facit ad eamdem cap. De cetero, cap. Veniens, eod. Imò, vt per transactionem laicus Ecclesijs vel Clericis in perpetuum decimam non soluat, non sufficit Episcopi auctoritas, sed requiritur Pontificis,vt docet Azorius suprà cap.26.quæst.5.

Vt transactio sit legitima, etiam requiritur, ne pro spirituali iure decimarum remisso, aliquid temporale ab altero præstandum interesserit, alioqui irrita erit transactio, vt apertè statuitur cap.vlt.De rerum permutatione.

*Remissione.* Per remissionem intuitu paupertatis potest liberari debitor decimarum,cap.vlt. causa 16.q.1. ex D.Hieronymo. Vitandi scandali causa ad tempus etiam remitti à Prælato possunt, non tamen in perpetuum,nisi à solo Pontifice. Argumentum ex cap.2.De donationibus.

## CAPVT V.

### *De Voto.*

*D.Thomas quæst. 88.*

### DVBIVM I.

### *Quid sit Votum?*

*D.Thomas art. 1. & 5.*

*Voti definitio.* VOTVM hîc non accipitur pro oratione aut desiderio, quamuis ita interdum accipiatur;sed vt est promissio facta Deo: talis enim descriptio traditur hîc à D. Thoma art. 5. & insinuatur Eccle. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere,displicet enim Deo infidelis & stulta promissio.* Ambrosius tamen lib.1.De Abel & Cain,c.7. vtramque significationem coniunxit,quando votum definit,Postulationem bonorum à Deo,cum soluendi muneris promissione. Sed hæc potiùs conditionati voti quædam species, quàm generalis voti definitio est; priorem itaque explicemus. Sensum eius luculentè reddit illa quorumdam definitio,quam D.Thomas recensет art.1.in 1.argumento, Votum est conceptio boni propositi, cum animi deliberatione firmata,qua quis ad aliquid faciendum vel non faciendum se Deo obligat. Neque multùm recedit illa Hugonis, quam etiam Magister adducit l.4. dist.38.Votũ est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ ad solum Deum, & ad ea quæ Dei sunt, magis propriè refertur: non multùm inquam recedit, nisi quòd aptata sit voto exteriùs nuncupato,quo matrimonium impediri queat.

*Propositum non sufficit ad votum* Quando ergo dicitur esse promissio, in primis significatur, non sufficere solum propositum. Si enim proponas aliquid in Dei gloriam facere, nondum vouisti. Imò neque sufficit ad votum, tale propositum cum exteriori eius significatione per verba, vt patet ex cap. Litteraturam, De voto & voti redemptione,vbi Alexander III. ita rescribit: *Hæc verba protulisti, Non diu hîc morabor, proponens in animo quòd Religionis habitum esses aliquando suscepturus: tibi ergo respondemus, Quod si plus non est in voto processum, transgressor iudicari non poteris, si non impleas quod dixisti.* Hactenus Pontifex.

Ex dictis colligitur, deliberatum propositum esse quamdam inchoationem voti, non tamen esse votum, vt rectè D. Thomas moneat, votum tria postulare, deliberationem, propositum, & promissionem.

*An votum includat propositum faciendi?* Vtrùm autem propositum faciendi quod vouesi, sit de essentia voti, variant DD. Sunt enim qui putent sufficere ad essentiam voti propositum siue intentionem vouendi, & intentionem promittendi ad essentiam promissionis. Est tamen satis probabilis altera sententia: expresè enim D.Thomas de proposito faciendi loquitur, quando dicit,propositum necessariò requiri ad votum: & ita tenet Valentia contra Caietanum, Sà, & alios. Vnde sequeretur,eum qui sine proposito faciendi promittit, verè non promittere; esse tamen cogendum vt seruet materiam promissionis, etiamsi eamdem dicat non fuisse materiam propositi, quia non est potiùs posterius credendum, in quo iam propriam turpitudinem fateur (certum enim est, esse illicitum, promittere sine proposito faciendi) quàm priùs, in quo adhuc erat melioris fidei. Cæterùm quamuis in voto, vbi Deo, quem non latet propositum,aliquid promittitur, non magis videatur esse vera promissio sine proposito faciendi, quàm si verbo quidem dicas te facturum, alijs autem indicijs simul significes te nihil tale intendere:credo tamen promissionem factam homini per se obligare, quamuis defuerit faciendi eius quod promittitur propositum, modò verè adfuerit intentio promittendi. Imò omnibus consideratis videtur verius, etiam obligare promissionem factam Deo, etiamsi ea fiat cum formali proposito non implendi: multò magis si tantùm fiat sine proposito implendi. Quamuis enim promittens Deo, proponens non facere, ei cui omnia nuda & aperta sunt, apertè mentiatur; saluatur tamen natura promissionis, adeoque sequitur vera obligatio. Votum autem à proposito benè distinguit Hugo Victorinus lib. 2. De Sacramentis,parte 12.cap.2.& 3. vbi dicit priùs nos cogitare, deinde delectari re cogitata, tertiò deliberatè affici, quartò proponere animo eius prosecutionem,quintò id ipsum promittere homini vel Deo per votum.

*Solum propositum non obligat.* Colligitur Secundò, Solum propositum non habere vim obligandi sub mortali, (imò regulariter nec sub veniali) etiam in materia voti Deoque



que gratissima, etiamsi omnino firmum fuerit, quamuis cum alijs quibusdam in hoc D. Thomæ aduersetur Glossa in dictum cap. Litteraturã, adducens cap. Qui bona 17.quæst.1. vbi ita Gregorius: *Qui bona agunt, si meliora agere deliberant, & post deliberata non faciunt, licet in bonis prioribus perseuerent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione.* Verùm originalis locus Gregorij lib. 1. Homilia 3. in Ezechielem, paulò aliter habet, & quidem ita, vt inde pateat, non voluisse Gregorium eos continuò peccare mortaliter, qui meliora quæ proposuerant, non fuerint executi. Neque dicit,in conspectu Dei cecidisse ex deliberatione; sed,cecidisse in deliberatione,& à melioribus istis quæ deliberauerant, excidere. Addit, inconstantiam hos accusare, & bono in quo pergunt, iam Deo minùs placere, quod fieri iubinde poterit propter venialem inconstantiam. Adducitur pro sententia Glossæ cap Consulti,& cap. Statuimus,De Regularibus; & cap.Beneficium,eod. in 6.Sed explicandi sunt hi loci de proposito promissione firmato, vel reipsa, vel quia promissionem in dubio pro maiori securitate Ius præsumit. Eò autem magis distinctio propositi & voti obseruanda est, quòd hæretici admittant, licere firmiter proponere continentiam, non tamen vouere, vt nimirum ob causam quam iudicauerint iustam,resilire liceat. Videatur Perkinsus in Catholico reformato,controuersia 8.cap.2.

*Obiect.* Supereſt argumentum pro obligatione propositi ex loco Lucæ cap. 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum,& respiciens retrò, aptus est regno Dei.*Se ineptum reddere regno Dei,est culpabile: atqui à bono proposito resiliens,hîc dicitur respicere retrò, & ineptum se reddere regno Dei; ergo id culpabile est.

*Resp.* Respondeo, Omissis varijs explicationibus sententiæ Dominicæ,verius esse, non tam improbari illis propositi inconstantiam, quàm damnari voluntatem quam deserat intentio bona. Qui enim voluntatem applicat ad Christum sequendum, sed intereà ita mentem ad temporalia curanda deflectit, vt à vestigijs propositis aberret, ineptus fit regno Dei; sicut ineptè arat, qui oculos suos aliò diuertit. Atque ita locum accepit Basilius Constit.monast.cap.21.

Quæret quis, An propositum non sufficiat ad tacitam professionẽ in Religione cum susceptione habitus? Videtur enim sufficere,per cap. Consulti, De Regularibus, vbi iubetur manere Monachus, qui cum proposito suscipiendi statum monasticum,habitum assumpsisset regularem.

Respondeo, Non sufficere, vt patet cap. Litteraturam, De voto, vbi Pontifex dicit, eum non obligari qui tantùm proposuerat aliquando Religionis habitum suscipere, quia nimirum deerat promissio.

Ad cap. Consulti, respondeo, Illud procedere in casu non nudi propositi, sed promissione firmati. Ita Sanchez in Decalogum lib. 4. cap. 1. & alij ab ipso citati.

Dices, Cap. apertè loquitur de eo qui solùm Nouitij habitum assumpserat, & nondum emiserat professionem.

Respondeo, In casu quidem ita propositum fuerat, sed dicta resolutio Pontificis post distinctionem apertè de eo procedit, qui non probationis causa, sed absolutè erat ingressus Religionem, & reliquerat sæculum, licet nondum fuerit professus secundùm Regulam Monasterij.

*Votum mentale obligat* Colligitur Tertiò, Votum etiam sola mente interiùs factum obligare. Verè enim Deo promittimus,& ipsum oramus etiam sola mente:homines autem qui non vident cor,oramus, eisque aliquid promittimus, quando exteriùs mentem aperimus, vt diximus quando de promissione. Mentalis voti exemplum est Annæ matris Samuelis 1.Reg.1.ex quo imperitè hæreticus quidam confundens propositum cum voto mentali, contendit, propositum ad votum sufficere: existimat enim, votum mentale Annæ non nisi propositum fuisse,& nihilominùs obligasse.

*Votum indeliberatũ* Colligitur Quartò, Eodem modo votum indeliberatum non obligare, quo non obligat indeliberata promissio, de quo ibidem diximus. Non tamen continuò debet censeri votum defectu deliberationis non obligare, si statim posteà eius pœnitear,vt contra Angelum docent Sotus & Valentia;vel si remissa passione ex qua vouisti, non eras voturus,vt contra Panormitanum docet Sanchius lib. 1. De matrimonio, disp. 8. numero 8. Neque etiam voto solutus erit, cui aliquid superuenit, quod si præsciuisset, non vouisset: neque opus est ea deliberatione, vt omnes circumstantias, etiam illas quæ communiter præuideri possunt,præuiderit vouens,vt patet cap.Veniens,hoc titulo, vbi Pontifex commutat votum, quod quidam in pueritia satis inconsideratè fecerat.Illa ergo deliberatio sufficit ad valorem voti, quæ sufficeret ad peccandum mortaliter. Vbi manifestum est, non requiri talem, qua omnes circumstantiæ præuideantur,quamuis defectus considerationis, vt minuit peccatum, ita hîc causa esse possit, quæ consideranda sit in voti commutatione aut dispensatione. Addo etiam, deliberationem ad votum necessariam non postulare temporis moram, sed posse natura tantùm interdum præcedere ipsum votum. Sanè etiam dum iudicium aliqua passione turbatum est, parua admodum temporis mora sufficiet;pura qua cogitet quid agat, & nihilominùs vouerat, vt tradunt hîc Caietanus, Arragon,& alij communiter.

*De votis puerorum,* Quæres, Quid dicendum de votis puerorum, in quibus dubitatur an fuerit sufficiens vsus rationis?

Respondeo, Ante septennium præsumitur non fuisse sufficiens;secùs post septennium.

Quæres, Quid si dubium an puer expleuerit septennium quando vouit?

Respondet Sanchius in Decalogum lib. 4. c.1. præsumi debere fuisse septennem, & validè vouisse; tum quòd rarum sit ante septennium vouere, præsumi autem debeat quod sæpiùs euenit euenisse; tum quia de voto constat, excusatio autem dubia est. Verùm isto casu verius est, debere iudicari pro libertate seu immunitate ab obligatione, si reliqua argumenta verè relinquant dubium, an cum vsu rationis votum sit emissum: est enim regula generatim vera, in dubio votum non obligare formaliter loquendo: atqui dubium de ætate nihil certitudinis addit, & testis qui se dubitare dicit, meritò repellitur, præcipuè si pro accusatore dicat; semper enim pro libertate,pro reo, aut possessione præsumitur. Si excusario dubia admittenda non sit, multò minùs accusatio. Quod verò dicitur, plerumque vota fieri post septen-

septennium, parum concludit: similiter enim vota plerumque fiunt cum vsu rationis, tamen non semper præsumuntur propterea sic facta, quando rationes subsunt dubitandi.

Quæres, Quid si septennium excessisse constet eum qui vouit, sed argumentum pro defectu rationis aliquod opponi possit, quod non minoris sit ponderis quàm præsumptio quæ ex ætate prouenit?

Respondeo cum Suare De voto lib.4 cap.6. In conscientiæ foro etiam tunc iudicandum fore, votum non obligare; ætas enim septem annorum potest contrario argumento compensari.

Quæres, Quid dicendum, quando qui vouit dubitat vtrùm passio sibi non ademerit deliberationem ad voti substantiam necessariam?

Respondeo, Si vtrimque æquè sit dubium, aut saltem probabile iudicium sibi formare non possit ex proprijs & intrinsecis argumentis quòd vouerit, probabile est, posse existimare quòd non vouerit, quia in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem.

*Dubitās an deliberatè vouerit, tenetur.*

Verius tamen est contrarium, & ita tenent communiùs DD. Sanchez suprà numero 10. Emanuel Sà hoc verbo, numero 2. qui citat Archidiaconum, Angelum, Siluestrum, & Azorium. Seruandum ergo tale votum dubium, vel petenda erit dispensatio, vt nunc dicit idem Sà correctus, qui in priori editione contrarium docuerat. At obseruandum est, ibidem apud Emanuelem Sà istud asseri non tantùm quando dubium est, vtrùm satis compos tui fueris dum vouisti, sed etiam quando dubium est vtrùm voti actum secundùm substantiam feceris: asseri, inquam, vtroque casu pro voto statuendum esse. Non tamen abs re videtur, quod docuit Sanchez suprà, priorem sententiam posse teneri, quando dubitas an voueris, etiamsi magis in eam partē inclines quòd voueris: posteriorem autem, quando certus es quòd voueris secundùm substantiā, verbi gratia, quòd ex animo exteriùs dixeris, Voueo Deo quòd illud faciam, sed dubitas vtrùm hoc feceris cum deliberatione sufficienti. Ratio diuersitatis est, quòd sic vtrobique iudicetur quodammodò pro possidēte; priori casu pro homine possidente libertatem, posteriori pro actu hominis, qui præsumitur habere modum agendi humanū, saltem post iustam ætatem agentis, adeoque præsumetur sufficienter esse deliberatus, nisi contrarium constet. Imò eo ipso iudicatur pro homine, qui iam quodammodò recessit à possessione propriæ libertatis, & posuit se quasi in possessione voti. Quomodo etiam reijcientur, qui dicunt, se animum quidem vouendi habuisse, sed dubitāt vtrùm habuerint animum sese obligandi.

Quod diximus, votum dubium, hoc est, de quo post diligentem inquisitionem manes dubius, non obligare, confirmatur ex cap. Ex parte, De censibus, vbi Pontifex declarat, eos quos erat dubium, prius votum solere exoluere ad maiorem mensuram, non esse cogendos vt maiori mensura exoluant.

Dices, Ab initio dubius de validitate matrimonij, tenetur eo non vti; ergo si dubiter an voluerit abstinere à matrimonio, tenebitur abstinere.

Respondeo, Negando sequelam; est enim disparitas, quia dubius de validitate matrimonij quod iam contrahit, non est in possessione iuris vtendi matrimonio præueniendo considerationem contractus matrimonialis; sicuti dubius an voluerit abstinere à matrimonio, est in possessione libertatis ducendi vxorem præueniendo considerationem voti.

Colligitur Quintò, Votum debere esse sponta- *Votum debet esse spontaneum, non extortum vi,*
neum, non extortum vi, metu, fraude: diximus enim, etiam illud in promissione requiri, & vt dicitur ex D. Ambrosio, cap. Non est 15. quæst. 1. voluntarium militem sibi eligit Deus. Quare si votum omnino fuerit inuoluntarium, certum est, coram Deo vi sua non obligare, ex quacumque demum causa exteriùs fiat.

Si autem fuerit inuoluntariū mixtum, maior est difficultas, vtrùm ipso facto nullius sit roboris?

Vbi in primis probabilius est, si per iniuriam *Neque metus,*
metus cadens in virum constantem ab homine tibi ad hoc ipsum incutiatur vt voueas, votum esse irritum. Constat etiam grauiter puniri sic cogentes, restitui suæ liberati sic coactos, ex Tridentino sess. 25. c. 18. & 19. De Regularibus. Monet tamen Sà hoc verbo, obligare votum ex metu non iustè ad hoc incusso, si accesserit iuramentum, De quo quando De iuramento.

Certum est Secundò, Non esse irritum votum, quando metus, quo extorquetur, aliunde ingruit quàm ab hominibus, vt voueas de industria agentibus; puta si voueas metu naufragij, aut hostis imminentis, quem à Deo per votum deprecaris: immeritò enim Lutherus præfatione in librum De votis monasticis, excusat à se violatum votum Religiosæ castitatis, quòd metu concepto naturaliter ex mortis horrore, prouenientē, vt Scholastici loquuntur, ab intrinseco, extortum fuerit & coactum. Rectiùs propheta Dauid Psal. 65. *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in tribulatione mea.* & Ionas cap. 2. *Cùm angustiaretur in me anima mea, quæcumque voui, reddam pro salute mea Domino.*

At dubitatur à nonnullis, Vtrùm teneat professio eius, qui ad Monasterium fugit, & ibi vouit, quia timuit extra illud ab insidiatore reperiri & occidi?

Panormitanus in cap. Sicut, De Regularibus, putat, non tenere. Sed magis placet aliorum generalis regula, metum etiam iniustè incussum non inualidare votum, nisi ad illud extorquendum sit incussus. Imò id verum existimo, siue euasio periculi in voto apponatur vt conditio, siue votum absolutum fiat in remedium periculi; modò tamen metus eam mentis turbationem non adducat, qua tollatur libertas.

Tertiò, Probabile est, quando metus etiam leuis ad hoc per iniuriam incussus verè est causa voti, Deum eiusmodi votum non acceptare, adeoque non obligare. Ita tenet Nauarrus cap. 17. numero 30. cap. 22. numero 31. Consulenda quæ diximus 1.2. quæst. 6. art. 6. Vnde cuipiam videbitur, etiam metum reuerentialem irritare professionem. Contrarium tamen, hunc metum non sufficere irritando voto, admodum probabile facit cap. finale, Qui Clerici vel vouentes, ad hoc allegatum à pluribus DD. huius sententiæ, quos latè citatos videre licet apud Sanchez lib. 4. disp. 6. numero 18. Dici ergo poterit, leuem metum non præsumi causam voti, & difficulter probari, ideoque iudicari quasi causa non fuisset.

Si fraus notabilis fuit causa voti, erit irritum, *Nisi fraus,*
vt si persuasus Ierosolymam propè esse voueat eò peregrinari. Sotus lib. 7. q. 1. art. 2. secùs si persuasus sit iter esse facile, cùm tamen sit molestum.



Extendenda hæc doctrina ad eum qui putans se voto non spontaneo teneri, sponte iterùm illud confirmat vel ratificat, non confirmaturus, nisi falsò existimaret sese obligari. Emmanuel Sà hoc verbo.

Quæres, Vtrùm votum emissum propter importunas aliorum preces obliget?

Non obligare, docet Glossa in cap. Sunt qui opes 17. q. 4.

*Ne importunis precibus,*

Contrarium tamen est verius. Quod enim rogati facimus, non facimus propriè coacti, sed liberè, nisi metus iustus accedat, puta si malè soleat tractare non obtemperantes, Princeps aut parer qui rogat. Ita tenet Panormitanus in cap. Cùm inter, De electione, num. 8. est tamen non omnino improbabilis sententia Sanchij dicto lib. 4. disp. 7. Votum irritari, quando preces instantissimæ concurrunt cum metu reuerentiali.

Quæri etiam potest, Quid sentiendum de voto per errorem emisso?

*Ne per errorē emissum.*

Respondeo, Si quis voueat nesciens quid sit vouere, vtpote existimans votum non obligare, aut non fieri Deo, non tenetur voto; verè enim non vouit. Error circa materiam voti tunc irritat, quando est circa materiam principalem. Idem dixero, quando est circa conditiones eius substantiales, aut circa circumstantiam ita notabilem, vt meritò consideretur vt moraliter pertinens ad substantiam huius particularis voti: verbi gratia, vouet quis ingredi Monasterium, vbi ignorat perpetuò abstineri à carnibus: ignorantia efficit vt voto non obligetur ingredi vel hoc vel aliud laxius Monasterium. Idem etiam dixero quoties quis errat circa circumstantiam, quæ est propria & finalis causa voti: secùs si tantùm fuerit occasio impulsiua, seu ratio secundariò mouens, aut circumstantia leuis momenti.

Hactenus de voto vt est promissio, quæ est quasi genus ipsius: nunc quædam adijcienda ad explicationem eius vt sit Deo, quæ est quasi ipsius differentia. Habet autem votum ex eo quòd fiat Deo, quòd sit actus Religionis. Cùm enim Religio, vt suprà dictum est, sit virtus cultum adferens Deo, & voto aliquid Deo promittatur; manifestum est, votum ad Religionem pertinere: quia quod Deo promittitur, hoc tamquam ipsi gratum in cultum eius quodammodò ordinatur. Sicuti enim homini sumus officiosi, eumque suo ordine colimus, aliquid ipsi promittendo; ita aliquid promittendo Deo, Dei cultum exercemus: quod adeò verum est, vt etiam tunc votum sit actus Religionis, quando id quod promittitur, alterius virtutis est. Neque enim tantùm Religionis est, vouere sacrificium, aut quid simile, sed est, vouere castitatem, paupertatem, obedientiam. Confirmatur Scripturis, Isaiæ 19. *Cognoscent Ægyptij Dominum, & colent eum in hostijs & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* Significatur enim Deus coli muneribus, non tantùm quando exhibentur, sed etiam quando ei per vota promittuntur; quamuis & ipsum promittere sit quodammodò dare, quia promissor fidem suam dat obsidem, vnde & gratiæ ei agi solent. Accedit quòd voto res Deo promissa quodammodò sanctificetur, secundùm illud Deuteronomij 12. *Quæ sanctificaueris & voueris Domino, tolles,* &c.

At quæres, Vtrùm præstare & promittere non pertineant ad eamdem virtutem? *Promittere & præstare an sint eiusdem moris.*

Respondeo, Affirmatur illud in primo argumento D. Thomæ art. 5. sed in Responsione dissimulat. Affirmauit tamen Caietanus, adeò vt velit etiam promissionem pertinere ad virtutem fidelitatis, ad quam pertinet impletio promissorum. Sed in hoc videtur excedere, quia promissio est obiectum potiùs fidelitati & infidelitati commune, quàm actus proprius virtutis fidei seu fidelitatis. Dicit ergo aliter Valentia, Istud non esse vniuersè affirmandum, Quia, inquit, ad virtutem fidelitatis pertinet, exequi quodcumque promissum, cùm tamen promissio non sit actus virtutis fidelitatis. Hæc Valentia. Sed credo, hoc solùm sensu, vt verum sit quod ex argumento D. Thomæ produximus, accipiendum esse, quòd honestas quę in opere promisso est, transeat etiam ad promissionem, adeoque eam habeant opus & eius promissio communem. Potest nihilominùs promissio & aliam habere honestatem, sicuti in proposito habet honestatem Religionis quam communicat actui promisso, à quo aliam illam accipit: verbi gratia, votum eleēmosynæ habet honestatem misericordiæ ab actu promisso, eleēmosyna autem, quæ fit ex voto, habet à voto honestatem Religionis. Tertia autem honestas fidelitatis accedit quatenus ideò fit eleēmosyna, quia promissa est. Promissio ergo in genere primam habet honestatem eamdem cum opere promisso: opus etiam promissum in se consideratum vt primum & directum obiectum promissionis, omnem suam honestatem promissioni transfundit, quamuis propriam habeat vt est obiectum fidelitatis, vbi iam promissum præsupponitur.

Quæres Secundò, Vtrùm votum sit Religionis actus elicitus, an tantùm imperatus?

*Votum quomodo sit actus Religionis.*

Respondet Valentia, In voto esse actum intellectus, quo quis decernit illud facere quod vouet; & actum voluntatis, quo vult & proponit idem facere. Quoad priorem actum dicit, votum pertinere ad prudentiam, cuius obiectum est agibile: hactenus tamen etiam elicitiuè pertinere ad Religionem, quatenus hoc ipsum iudicium est de opere pertinente ad Religionem; apperitiuas enim virtutes sese ad eiusmodi iudicia circa suum obiectum extendere. Quoad posteriorem dicit, eum simpliciter pertinere ad Religionem, imperatiuè autem ad prudentiam.

Dicendum breuiter, Quamuis ex illis quæ in voto concurrunt, deliberatio eiusque conclusio ad intellectum pertineant, propositum autem ad voluntatem; promissio iterùm, quæ, vt suprà diximus, genus est & substantia voti, ad intellectum, Religio autem sit in voluntate; rectè tamen dici, votum elicitiuè pertinere ad Religionem: morales enim quando actum dicunt elici ab aliqua virtute, non tam respiciunt potentiarum influxum, quàm habituum energiam, adeò vt sufficiat actum pertinere intrinsecè ad obiectum & regulam illius virtutis, à qua dicitur elici, & ab alia virtute non elici, etiamsi ab alia potentia eliciatur. Verùm de hac re similia alibi in alijs actibus monuimus.

Quæ-

*Votum an fiat ſoli Deo.*

Quæres Tertiò, Quomodo votum ſit actus Religionis, cùm Religio verſetur circa Dei cultum, votum autem etiam fiat Sanctis, imò & homini ſuperiori? Solet enim in Religionibus nuncupari votum, vel vt refert Azorius, in hunc modum: Voueo Deo, D. Auguſtino, & tibi Priori, &c. Vel vt Caietanus refert, hoc modo: Voueo Deo, B. Virgini, S. Dominico, & Sanctis omnibus, quòd obediens ero Prælato meo, &c.

De hac re non eodem modo loquuntur DD. quidam enim dicunt, etiam in illa vouendi forma non fieri votum Sanctis aut homini, ſed ſoli Deo, quamuis vouens Deo promittat quòd ſeruabit promiſſionem factam Sanctis & Prælato. Ita D. Thomas hîc art. 5. ad Tertium. Quæ quidem expoſitio Sanctos ponit cum Prælato, ita vt ipſis non fiat votum, ſed ſoli Deo, Sanctis autem ſicuti & Prælato, tantùm promiſſio.

Alij dicunt, votum fieri Sanctis hoc ſenſu, quòd Deo fiat in Sanctis, ſicuti blaſphemans Sanctum, intelligitur blaſphemare Deum; & ſicuti orationem, quæ & ipſa actus Religionis eſt fundimus etiam ad Sanctos. Ita in eumdem artic. Caietanus. Hæc expoſitio Sanctos ponit cum Deo, vt quodammodò ipſis votum fiat, non tantùm promiſſio, quia nimirum ſunt dij participatiuè, & in ipſis peculiariter eſt & honoratur Deus. Placuit hæc expoſitio etiam Bellarmino lib. 2. De Monachis, cap. 14. & lib. 3. De Eccleſia triumphante, cap. 9. Verùm hæc ipſa explicatio duplicem habet ſenſum. Vel enim dicitur in Sanctis ita votum fieri Deo, vt ad ſolum Deum terminetur, non autem ad Sanctos; quo modo in honorem & memoriam Sanctorum Deo ſacrificium offerimus: vel dicitur, vota etiam terminari ad ipſos Sanctos, vt reuerà ipſis vota fiant ſicut fiunt preces. Prior ſenſus ſatis conſiſtet cum explicatio-

*Quomodo fiat Sanctis.*

ne priori ſancti Thomæ; ſed poſterior nihilominùs etiam videtur verus, ita tamen vt votum quod fit Sanctis, quatenus ad eos terminatur, non ſit latriæ. Quando enim votum dicimus fieri Sanctis, analogicè votum accipimus, non in illa proprietate qua definimus eſſe promiſſionem Deo factam. Facit pro hoc loquendi modo Euſebius lib. 13. De præparatione Euangelica cap. 17. *Vota*, inquit, *ipſis facimus tamquam viris ſanctis*, &c. Facit etiam D. Auguſtinus lib. 20. Contra Fauſtum: cùm enim iſte Chriſtianis obijceret quòd gentilium ſacrificia vertiſſent in agapas, idola in Martyres, quos votis ſimilibus colerent, defunctorum vmbras vino placarent & dapibus; non aliud reſpondet Auguſtinus, quàm Chriſtianos non Martyribus, ſed in memorijs eorum Deo ſacrificare; ebrietates autem ad memorias Martyrum, ſi fiant, deteſtari. Vbi ſi vota, quæ Martyribus fieri Fauſtus obijciebat, improbaſſet Auguſtinus, indubiè de illis non ſiluiſſet. Præclarũ etiam eſt teſtimonium Theodoreti lib. 8. Ad Græcos, prope finem, vbi cum laude commemorat iam tum conſuetum morem, vt in memorijs Martyrum argentea vel aurea oculorum, manuum, vel pedum ſimulachra votorũ rei ſuſpenderent, quod ſignum eſt, aliquo ex dictis modo vel Martyribus, vel ſaltem in honorem Martyrum Deo vota fieri tunc ſolita. Neque enim de hoc admodum laboramus, qui propriè dicta vota ſoli Deo fieri debere fatemur, quamuis analogica ratione etiam competat Martyribus, quale nihil in voce ſacrificij habemus, quod ita Deo eſt proprium, vt creaturæ ne ſic quidem fiat commune. Accedat his præclarum teſtimonium Gregorij Turonenſis lib. 2. De hiſtoria Francorum, cap. 37. *Domino gratias agentes, & vota beato Confeſſori promittentes.*

Sed dicunt hæretici, citra idololatriam non poſſe eadem forma votum fieri Deo & Sanctis, vt ſit in Religionibus? *Obiect. 1.*

Reſpondeo, Iuramenta etiam ſimiliter fieri. Imò Matth. 5. indicatur, eum qui per creaturam iurat, quatenus in ea aliquid diuinum relucet, religione iuramenti non ſecùs teneri, ac ſi per Deum iuraſſet. Sicuti ergo per cælum, terram, aut Ieroſolymam iurare, non eſt idololatria, etiamſi eadem forma fiat qua per Deum iuramus, modò Deus ſenſu à creatura diſcernatur; ita neque erit in propoſito: nam & mortales homines orare licet ſimili etiam verborum forma, qua Deo dicimus, Oro te; cùm tamen oratio ſit actus latriæ, vt Deo tribuitur. *Reſp.*

Dicent iterùm, Æquè ergo poſſet votum fieri hominibus viuentibus nobiſcum, ac Sanctis cum Chriſto regnantibus? *Obiect. 2.*

Reſpondeo, Quòd aliqua deriuatione etiam ad illos pertinere poſſit, libenter admittemus, ſicut de Prælatis iam vidimus. Quòd autem æquè, vel pari gradu, negamus. Sicuti enim cælum, quod thronus Dei eſt, ſanctius eſt, & cogitatur quid Deo coniunctius, quàm terra quæ ſcabellum eſt pedum eius, ita tamen vt ad vtrumque coniunctionem deriuetur iuramenti religio; ita & voti religio deriuari poteſt ad Sanctos in hac vita, quamuis coniunctio eorum cum Deo non ſit tanta ac Beatorum. Adde quòd vouere, ſit ei promittere, qui bonorum noſtrorum non eget: indigent autem Sancti huius vitæ, quantumuis Deo coniuncti, ope aliorum membrorum, quia non poſſunt oculi dicere pedibus, Non eſtis nobis neceſſarij. Ratio ergo ſubeſt, cur potiùs Beatis quàm viatoribus Sanctis, aut Prælatis vouеamus. *Reſp.*

Dices, Nulla in Scripturis fit mentio voti facti Sanctis. *Obiect. 3.*

Reſponſionem indicat Bellarminus. Nimirum cauſſam eſſe, quòd non fuerit in vſu tunc cùm Scripturæ ſacræ conſcriberentur, mos ille vouendi Sanctis. Quæ ſanè reſponſio probabilior eſt quàm quod Lyra & Carthuſianus dixerunt, Prouerb. 20. mentionem fieri huius voti, illis verbis: *Ruina eſt homini deuotare Sanctos, & poſt vota retractare.* loco enim *deuotare*, legendum eſt *deuorare*; vt ſenſus ſit, Ruinam eſſe hominis, ſi Sanctos deuoret aut perſequatur, & nihilominùs exiſtimet votis ſe Deo poſſe placere. Non fuerunt ergo in vſu hæc vota, quando nondum erat propalata Sanctorum via, & poſt Chriſti paſſionem ea iam propalata, & quaſi aurora conſurgente Eccleſia, ſuccedente tempore cum memorijs celebrioribus Martyrum, cœperunt etiam eiuſmodi vota frequentari. *Reſp.*

Ceterùm vt clarè explicetur votum quod fit Sanctis, aduerte, quinque modis id intelligi poſſe. Primo, Vt votum capiatur pro promiſſione, ita tamen vt promittendo Sanctis tamquam in Deo noſtra vota videntibus, duliæ cultu eos veneremur. Secundo, Vt votum dicatur fieri Sanctis, quando ſimul Deo & Sanctis aliquid promittimus, maximè ſi Sanctis promittamus, quòd Deo reddemus vota noſtra. Tertiò, Si Deo voueamus aliquid in honorem Sanctorum, vel quòd faciemus aliquid in eorum honorem. Quartò, Si dicamur vouere Sanctis, quia Deo vouemus quatenus in Sanctis relucet, aut quia Sanctis promittimus, quatenus in eis Deus relucet. Quintò & poſtremò, Si voueamus Deo & Sanctis, id eſt coram Sanctis, vt teſtibus: ſolemus enim ita loqui, quaſi etiam teſtibus promitteremus, quod coram ipſis promittimus. *Quinque modis votum Sanctis fieri poſſit.*

*Religioſus inobediens eſt duplex peccatum admittat.*

Quæres Quartò, Vtrùm admittat duplex peccatum, vnum contra Religionem, alterum contra obedientiam, qui poſtquam Deo vouit quòd erit obediens Prælato, ei eſt inobediens?

Videtur admittere, quia Lex Eccleſiæ de Quadrageſima transfert ieiunium ad materiam neceſſariam virtutis temperantiæ: videtur autem in propoſito eamdem vim habere votum, quia eſt Lex quædam ſingularis, quam ſibi quiſque imponit. Si ergo votum transferat actum ad materiam neceſſariæ obedientiæ, tranſgreſſor non tantùm contra Religionem, ſed etiam peculiariter contra obedientiam peccat.

Caietanus hîc ſatis probabiliter hanc quæſtionem expediens, reſponder, Præceptum & votum in hoc conuenire, quòd vtriuſque materia ſit actus virtutis: hoc autem differre, quòd materia præcepti ſit actus neceſſarius ad virtutem ſeruandam, ſiue ex natura rei, & præueniendo Legem poſitiuam, ſiue ex ipſa Legis poſitione; voti autem materia vt ſic, propriè ſit actus ſupererogationis, neque ex voto fiat actus qui vouetur neceſſarius ad aliam virtutem, quàm ad Religionem. verbi gratia, ſi voueas ieiunare tali die, votum non facit vt ieiunare tali die ſit actus neceſſarius ad ſeruandam virtutem abſtinentiæ: ſi autem Eccleſia præcipiat eodem die ieiunare, præceptum eiuſmodi facit, vt actus ille transferatur ad materiam neceſſariæ abſtinentiæ. Ratio diuerſitatis eſt, inquit Caietanus, quòd votum non reſpiciat virtutem illam vt finem, ſicuti Lex, cuius eſt homines facere virtuoſos. Vnde infert, eum qui violat ieiunium contra Eccleſiæ præceptum, eſſe mortaliter intemperantem: eum autem qui obedientiam quam homini præſtare Deo vouit, non tam peccare mortaliter contra virtutem obedientiæ ſi votum non ſeruet, quàm contra Religionem: itaque tum demum duo peccata mortalia admittere, quando actus voto promiſſus aliunde habebat neceſſitatem ad propriam virtutem ſub mortali obligantem. Et hoc etiam modo intelligendus erit D. Thomas infrà quæſt. 186. art. 10.

## DVBIVM II.

### *Quæ ſit materia Voti.*

*D. Thomas art. 2.*

*Materia voti non ſunt mala.*

*Nec indifferentia.*

*Nec neceſſaria.*

RESPONSIO D. Thomæ eſt, Votum neque eſſe de malis; quæ enim Deo diſplicent, potiùs ei minamur quàm promittamus; neque etiam de rebus indifferentibus, quia nemini promittimus quod ei non eſt gratum, ſed adiaphorum, ſiue fiat, ſiue non fiat: neque etiam de abſolutè



*Melius bonum eſt materia voti.*

neceſſarijs aut impoſſibilibus, quia votum dicit promiſſionem voluntariam & per promiſſionẽ rei ſimpliciter neceſſariæ nihil accedit promiſſario, cùm tamen natura promiſſionis ſit, vt per illam aliquid ei quodammodò accedat: ſtulta ergo eſt eiuſmodi promiſſio. Debet etiam promiſſio eſſe obligatoria: atqui nemo poteſt obligari ad impoſſibile; debet ergo eſſe de re poſſibili, vt alibi diximus. Superſunt ergo illa bona quæ non habent abſolutam neceſſitatem. Hæc iterùm ſunt in duplici genere. Quædam enim habent neceſſitatem finis, quia ſine eis non eſt ſalus. *Hæc*, inquit D. Thomas, *non cadunt ſub votum quatenus neceſſaria, ſed ſolùm quatenus voluntariè ab homine fiunt.* Alia ne finis quidem neceſſitatem habent, quæ ſimpliciter ſunt materia voti, quando Deo ſunt gratiora quàm oppoſita, à quibus ad illa aſcenditur. Itaque illa quæ ſunt ſupererogationis, atque adeò melioris boni, maximè cadunt ſub votum. Vnde ſtatui hîc generatim poteſt, tunc præcisè votum obligare, quando quod promittitur, vel per ſe pertinet ad profectum quemdam melioris ſpiritualis boni ſecundùm naturam promittentis & promiſſi ſimul, vel ſecundùm conditionem promiſſi tantùm, ita tamen vt ex parte promittentis non ſit tale impedimentum, quo euidenter fiat vt ſic conari aſcendere non ſit ei aſcendere; vel denique ſecundùm conditionem promittentis tantùm, ita tamen vt reſpectu ipſius liquidum ſit, pertinere ad ſpiritualem aſcenſum: votum enim debet eſſe de meliore bono, hoc eſt de tali vt Deo ſit gratius, illud à vouente fieri, præſcindendo à voto, quàm oppoſitum: niſi enim gratius ſit promiſſario, hoc fieri quod promittis quàm oppoſitum, fruſtrà promittis ipſo non acceptante. Sicuti enim nihil præſtat qui nihil auget aut adijcit, ita nihil promittit qui tantùm in iis ſtat quæ promiſſarius æquè ex animi ſententia iam habet. Vouendum ergo quod Deo gratius.

An autem hoc vel illud gratius ſit, ex parte quidem operis facilè ſciri poteſt: quia verò propter variam conſiderationem ſubiecti contingit in aliquo non eſſe melius quod ſecundùm ſe & ordinariè melius eſt, non adeò certò ſemper ſciri poteſt, vtrùm illud idem quod ſecundùm ſe eſt melius, etiam ſit melius iſti, vel vt ab iſto præſtandum; vel vtrùm quod ſecundùm ſe non eſt melius, ſit futurum melius iſti, vel vt ab eo præſtandum. Vbi dicimus, ſicuti in rebus moralibus fieri ſolet, niſi conſtet de contrario, præſumendum & iudicandum eſſe pro rei natura, atque adeò ſupponendum, melius id eſſe quod ſecundùm ſe melius eſt: ſi autem conſtiterit de contrario illud ſequendum eſſe.

Hocta mquam fundamento poſito, particulariùs de illis inquiramus, de quibus dubitari ſolet, vtrùm poſſint eſſe voti materia.

*An opus præceptum ſit materia voti.*

Quæritur ergo Primò, Vtrùm opus præceptum poſſit eſſe materia validi voti?

*Opinio negatiua Probatur 1.*

Videtur enim non poſſe. Primò, Voti eſt, ex non debitore conſtituere debitorem, ſecundùm illud Deuter. 23. *Si nolueris polliceri, abſque peccato eris.*

*2.*

Secundò, D. Thomas in 4. diſt. 38. dicit, Votum de neceſſarijs ad ſalutem, non propriè ſed communiter votum eſſe: Inuenitur, inquit, aliquando, largè accipiendo, votum eſſe de his quæ

sunt sub tali necessitate scilicet præcepti, sed excludit talis necessitas votum propriè dictum, & ideò si votum accipiatur secundùm propriam sui rationem, est propriè de bonis illis ad quæ non omnes tenentur, quæ supererogationis sunt.

3. Accedit Tertiò, Quòd passim DD. videantur loqui secundùm hanc sententiam, quos latè citatos videre licet apud Azorium tom. 1. lib. 11. cap. 14. Imò hoc ipsum dici videtur, quando dicitur, votum esse de meliori bono, vt explicat hoc articulo D. Thomas; dicit enim, maius bonum, de quo sit votum, intelligi maius comparatione eius quod communiter est de necessitate salutis.

*Verior sententia affirmatiua.* Dicendum tamen est, verè etiam illa quæ præcepti sunt, posse cadere in votum. Probant hoc nonnulli, Quia Iacob votum vouit, Genesis 28. *Si fuerit Dominus mecum, &c. erit mihi Dominus in Deum.*

Si dicas, Debere intelligi, quòd habiturus esset Dominum in Deum per specialem cultum ad quem non tenebatur.

Contrà, Quamuis illud probabile putet D. Thomas, videtur tamen absolutè voueri quod erat præcepti: alioqui enim duo tantùm vouisset Iacob, cùm textus distinguat tria. Sed hoc argumento omisso, quia verius est, duo posteriora esse primi explicationem, melius probatur idem

2. Secundò ex rei natura. Cùm enim necessitas præcepti nobis relinquat naturalem potestatem contraueniendi, quid vetat quò minùs homo non tantùm à Deo Legem accipiat, qua prohibeatur tali potestate vti, sed etiam per votum legem sibi ponat? Neque enim vinculo vni aliud addi repugnat: nam potest Superior Legem positiuam addere de illis quæ erant Legis naturæ; & potest debitor creditori promittere solutionem, vt iam ex fidelitate, aut etiam iuramento, si illud apposuerit, incipiat debere quod priùs ex aliquo alio iustitiæ titulo tantùm debebat. Denique, potest superior illud idem quod voui mihi mandare, quare non vice versa possum

3. quod ille mandauit vouere. Tertiò, Religiosi vouent non tantùm castitatem supererogationis, sed etiam illam quæ est præcepti. Hoc argumentum tanti facit Valentia, vt propter illud oppositum responsionis nostræ, dicat esse errorem scandalosum in Ecclesia. Quartò, Possum votum quod

4. superiori anno feci, nunc renouare, etiamsi in perpetuum vouerim, vt patet ex vsu probatarum Religionum: arqui ibi cadit votum in rem quæ iam priùs erat præcepti; ergo etiam ab initio potest in eam cadere. Est tamen hoc discriminis, inter eum qui rem priùs præceptam vouet, & eum qui prius votum renouat, quòd iste præuaricando propter voti iterationem non peccet duplici peccato, sicuti peccat qui præceptum voto auxit. Azorius suprà cap. 14. Quintò, Etiamsi præcepto sim obligatus, possum tamen eamdem rem

5. vouere, cum intentione me obligandi, etiamsi præcepta non esset, vt non solùm acceptem, & testificer prius vinculum, sed etiam nouum vinculum Religionis apponam.

*Resp. ad Probationes oppositum. Ad 1.* Ad argumenta opposita facilis est responsio. Ad Primum, Ea est vis voti, vt ex non debitore faciat debitorem: sed ex eadem ista vi prouenit, vt si ex alio titulo inueniat debitorem, constituat nouo titulo debitorem.

Ad locum Deuteronomij respondeo, *Si nolueris polliceri, absque peccato eris:* sensus est, Liberum tibi erat abstinere à voto, imò & abstinere à re quam vouisti; quare si eam non voueris, & omiseris, eris absque peccato: quòd autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, sub graui peccato obseruare teneris. Itaque vis voti hîc explicatur in opere libero vbi magis elucet, non tamen dicitur, quòd ea nulla sit in opere præcepto.

Ad Secundum, D. Thomam explicat Caietanus, quem sequitur Azorius & alij communiter, quasi non diceret, de re præcepta non esse votum propriè dictum distinctum contra votum metaphoricè dictum, sed solùm vellet non esse votum propriè, quod nimirum obliget voluentem ad ea ad quæ aliàs non teneatur, & quod distinguatur contra votum communiter dictum, quod nimirum obliget ad illa quæ communiter homines ex præcepto debent. Hanc piam explicationem si amplectamur, dicemus, obligationem voti propriè, id est, solam esse in liberis, quando vouentur: in præceptis autem non esse propriè, id est non esse solam, sed communiter, quia simul concurrit ex præcepto obligatio. Alioqui dici potest, D. Thomam hunc loquendi modum hîc in Summa mitigasse, quando dicit, quæ præcepti sunt, cadere sub votum quatenus voluntariè fiunt, non autem quatenus sunt necessitatis, non præcepta autem propriissimè cadere sub votum; subindicans, etiam præcepta cadere sub votum propriè dictum, quatenus à necessitate naturali & obligatione, quæ addi potest ex voti religione, libera sunt, & quatenus per votum circa illa etiam de illa libertate nobis adimimus, quam præceptum nobis reliquerat. Ex quo etiam patet, quid dicendum sit ad Tertium.

*Ad 2.*

*Ad 3.*

*Non obligat votum de implendo omnia præcepta.* Ceterùm circa votum rei præceptæ duo adhuc notanda sunt. Vnum est, Etiamsi eadem possit esse materia voti, quæ præcepti; non continuò tamen licere homini sese voto adstringere ad omne omnino præceptum implendum & peccatum vitandum; est enim hoc quodam modo impossibile: *Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Eadem est ratio voti de vitando omni veniali: eiusmodi enim votum tamquam stulta promissio de re impossibili, Deo displicet, & non obligat nisi ad pœnitentiam temeritatis, adeò vt reus non sit præuaricati voti, etiamsi in ea inciderit quæ facilè vitare poterat eiusmodi voto implicitus. In particulari tamen ad vitandum hoc aut illud peccatum veniale, voto sese potest quis obligare: sed verius credo, non nisi venialem fore præuaricationem saltem regulariter, vt docet & benè probat Nauarrus cap. 12. num. 65.

*Neque de vitando omni veniali peccato.*

*Ad 4.*

*Ad 5.*

At quid dicendum de voto vitandi omnia peccata mortalia?

*Sciens de vitando omni mortali.* Sotus lib. 7. quæst. 1. art. 3. fatetur quidem de materia aliqua præcepta propriè dictum fieri votum, sed vt præcisè de ea fiat, dicit non esse consultum, nisi quando vir grauis, prudens & constans expertus obligatione voti se multùm contineri, ad rem aliquam esset procliuis, quæ occasio ei esset mali grauissimi & scandali, quod voto firmatus sit euasurus: multò minùs autem consultum esse dicit vouere numquam peccare mortaliter: imò simpliciter id dissuadendum putat, quia



quia difficilè ad modum obseruatu, & diiudicatu pænè impossibile, præcipuè in peccatis cordis, cùm vota, sicut & humanas Leges, conueniat esse de re magis comperta & obuia, ac videlicet vltra humanum modum homo se ligans illaqueet. Et hactenus quidem rectè.

Sed quærimus, An saltem si quis siue prudenter siue temerè voueat non peccare vmquam mortaliter, voto teneatur, ita vt dispensatione vel commutatione indigeat? Teneri, indicat Sotus: asserunt Toletus & Azorius: dubitat Nauarrus, & propendere videtur in partem negantem.

Tenendum tamen, validum esse eiusmodi votum. Sanè iuramentum de eodem fecit Dauid Psal. 118. *Iurauí & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Sed infirmis eiusmodi iuramenta & vota imitanda non sunt, quia rectè dicit in eum locum Ambrosius: *Noli vsurpare exemplum sacramenti, qui implendi sacramenti non habes potestatem.*

*In Baptismo non fit votum.* Alterum hîc notandum est, Christianos in Baptismo non facere propriè dictum aut veri nominis votum.

Contrarium contendunt nostri temporis Nouatores; imò eiusmodi votum renouari volunt, quoties mensæ Dominicæ communicamus. Ita Lucherus & Caluinus cum suis.

*Obiect. 1.* Probant ex definitione voti, quæ competat isti promissioni quam facimus in Baptismo: certum enim est, quòd Deo fiat; diximus autem, votum nihil esse aliud, quàm promissionem Deo factam.

2. Secundò auctoritate D. Augustini in Psal. 75. *Quid debemus vouere? credere in illum, sperare ab illo vitam æternam, benè viuere secundum communem modum, hoc totum omnes vouere debemus.* Accedit in eumdem locum ad verba illa, *Vouete & reddite*, Glossa interlinearis, quæ quodlibet opus bonum vouendum esse dicit.

3. Tertiò, Constat, Christianos, ceteris paribus, grauiùs puniri pro violata Dei Lege, non ob aliam, vt apparet, caussam, quàm quòd in Baptismo eam voto seruare promiserint.

4. Quartò probant auctoritate Magistri, D. Thomæ, Siluestri, Alphonsi à Castro, Dominici Soti, & Viguerij, qui omnes docent, votum aliud esse commune, aliud singulare; & commune esse illud quod in Baptismo omnes faciunt.

5. Quintò adducit recens quidam sectarius illud 1. Petri 3. *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio*, vel vt ipse legit, *stipulatio*, quasi hîc significetur promissio quæ Deo fiat.

Verùm omnino tenendum est, in Baptismo nec explicitè nec implicitè vllum esse veri nominis votum. Non esse explicitè, Probatur, Quia promissionis forma nulla est in verbis quæ baptizandus aut alius eius nomine profert, Abrenuntio, Credo, Volo. Non esse autem implicitè, Probatur, Quia si ita esset, vel hoc esset ratione Ecclesiasticæ Legis, sicuti votum castitatis implicitè fit per susceptionem Ordinis sacri; vel ex rei ipsius natura, quomodo post annum probationis perseuerans in habitu Religioso, non distincto ab habitu Professorum & conuictu Monasterij, censetur eoipso tacitè profiteri, & vouere quod status iste exigit. Atqui neutrum dici potest. Non prius; quia nulla est Lex Ecclesiastica exigens votum proprij nominis de seruanda Lege Christi à baptizandis, sicuti Lex exstat obstringens ordinandos ad castitatis votum. Non etiam posterius; quia professio Christiana non est professio voti, sed Legis. Quamuis enim, sicut de circumcidente se dicit Apostolus ad Galatas 5. quòd debitor sit vniuersæ Legis faciendæ; ita rectè dicatur quòd Baptismum suscipiens debitor peculiariter fiat vniuersæ Legis Christianæ seruandæ: non tamen contrahitur per votum eiusmodi debitum: votum enim est lex quædam priuata, quam sibi quis imponit, sicut & per alias promissiones. Illud autem debitum oritur ex Lege communi Christiana, quam Deus imponit, & in Baptismo se suscipere quisque profitetur.

*Resp. ad obiect. Ad 1.* Respondeamus ad contraria argumenta. Ad Primum. Nego, in Baptismo fieri propriè promissionem aliquam Deo; sed, vt diximus, potiùs exercetur Legis diuinæ quædam acceptatio, & diabolicæ seruitutis renuntiatio.

*Ad 2.* Ad Secundum respondeo, Augustinum de voto impropriè ibi loqui, & nihil velle aliud, quàm omnes debere habere votum implendæ vniuersæ Legis Christianæ: vel quod eòdem recidit, accipit votum Augustinus pro desiderio; quomodo & Glossa accipienda quæ obijcitur.

*Ad 3.* Ad Tertium, Grauiùs quidem peccant, sed quolibet peccato in communem Legem Christi bis peccarent, si voto ei adstricti sint, quod nemo dixerit; quamuis prius illud passim veteres dicant.

*Ad 4.* Ad Quartum, Votum commune, quòd Magister & alij eum secuti dicunt omnes facere in Baptismo, non est veri nominis votum, vt ex dictis patet: dicitur tamen votum, quia videtur esse quædam promissio. Verùm, vt omittam quod ex Caietano diximus, formam verborum quæ exiguntur à baptizando non continere promissionem, sanè qualiscumque hæc promissio non est talis, quæ ad votum sufficiat. Declaro. Duobus modis possum Deo præcipienti promittere seruare eius præceptum: vno, cum intentione noui vinculi adijciendi, quod sub peccato adijcere non tenebar; & sic promittimus Deo opus præceptum, vt supià diximus: alterum, cum intentione profitendi me suscipere & statuere implere illam obligationem, & vinculum quod imponit Lex Dei, sine animo alterius vinculi superaddendi; & hoc non tam est propriè promittere vt debeas, quàm admittere quia debes, & significare propositum obediendi, sine animo nouæ obligationis. Priori modo verè fit votum, & vt benè Caietanus, inhibetur Confessarijs, inducere pœnitentes ad sic promittendum, quòd abstinebunt à peccatis. Posteriori autem non fit votum, & rectè hoc modo exigunt Confessarij promissionem aut potiùs propositum abstinendi. Eoque modo intelligendi sunt Israëlitæ Exodi 19. *Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus*, nimirum quia Dominus locutus est, non quia nos locuti sumus, vt fit in voto, secundùm illud Deuteronomij 23. *Quod semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es.*

*Ad 5.* Ad Quintum, ἐπερώτημα rectiùs ibi verti, interrogationem, quam passiuè intelligentes Erasmus & Vatablus verterunt, hoc ferè modo, *Quo fit vt bona conscientia benè respondeat apud Deum.* Viderit ergo iste sectarius, qua ratione stipulationem vertat, nisi vt promissionem; adeoque vo-

tum quod in Baptiſmo in Scripturis non inueniebat, huic loco affingat.

*Sola præcepta nõ ſunt materia voti.*

Quæritur Secundò occaſione noſtri temporis hæreticorum, Vtrùm ſola præcepta ſint materia legitima voti, ita vt præſumptionis peccatum incurrant, qui Deo vouent opus aliquod ſupererogationis?

Lutherus lib. De votis monaſticis, & Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 13. docent, non licere aliud vouere, quàm quod præceptum eſt, in illis quæ referimus proximè & propriè ad Dei cultum: licere tamen ad vitanda peccata, aut alios bonos fines, ſi non in perpetuum, ſed ſolùm ad tempus voueas; perpetua enim illa vota de rebus liberis, purant in Lege noua non obligare, & eſſe contra libertatem Chriſtianam, inter Deum & hominem eiuſmodi vinculum ſuperaddi: quamuis fateantur, illam libertatem permittere, vt homo homini maneat in perpetuum obligatus. Vnde Lutherus infert, vota monaſtica non obligare, matrimonij autem vinculum perpetuò obligare.

Hunc errorem ſuum probare conantur Primò, Quòd videatur votum de re non præcepta pertinere ad cultum voluntarium damnatum ab Apoſtolo ad Coloſſenſes 2. his verbis: *Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione*: Græcè ἐθελοθρησκείᾳ, id eſt voluntario cultu.

2. Secundò prætexunt, Votis illis de voluntario Dei cultu præiudicari libertati Chriſtianæ, & hoc ipſum dicto loco ſatis oſtendiſſe Apoſtolum, quando eos reprehendit, qui dicunt, *Ne tetigeritis, neque guſtaueritis, neque contrectaueritis.*

At mirum eſt, in re clara ita eos cæcutire: ſi enim ante Legem Iacob vouit decimas ad quas non obligabatur, quare ſimile quid non licebit etiam poſt Legem, ſed tantùm ſub Lege? Quinimò videtur tempore Legis, vbi ſtrictior erat ratio diuini cultus, quando nimirum Dei cultoribus dictum erat, ne ad verbum Domini quidquam adderent, ſed illud dumtaxat facerent, quod ſibi nouerant præceptum, minùs id quàm aliàs licuiſſe. Quod enim dicunt, certa ratione præſcriptum eis fuiſſe quid vouere deberent, aut ſaltem extra quod vouere non poſſent, abſque Scriptura & fundamento dicunt. Sanè vouere aliquid Deo, conforme ſemper fuit Legi naturæ, vnde & omnes gentes dijs ſuis vota faciunt. Secundùm ſe ergo ad moralem materiam pertinet, quæ in omni Lege manſit inuariata, quamuis ex parte eius quod vouetur, ſemper ſpectandum fuerit quid Deo fuerit gratius, & de melioribus bonis, adeoque quid ex legalibus licitum pro varietate temporis. Verùm de hac re addemus aliqua infrà Dubio 6.

Cùm igitur in ijs quæ ad Dei cultum pertinent, non tantùm Sacramentorum vſum, ſed & ſacrificium, decimas, primitias, aliaſque oblationes liberas habeamus in Lege noua, vt patet ex antiquiſſimo & perpetuo Eccleſiæ vſu, nil vetat etiam in illis vota nunc fieri Deo, etiamſi præcepta non ſint. Nam quod dicunt Chriſtianæ libertati repugnare, ſi nouum Religionis vinculum cum Deo adijciamus vinculo Religioſi mandati ab ipſo accepti, non ſatis cum eo conſiſtit, quòd permittunt in moralibus nos vouere, verbi gratia, vouere abſtinentiam aliquot dierum à vino poſt intemperantiam: ſit enim temperantiæ actus Religioſus, quando Deo per votum promiſſus fuerit.

Neque maioris eſt ſoliditatis, quod de perpetuo voto excipiunt. Si enim à carnibus abſtinere aliquot diebus vouere liceat, cur non etiã perpetuò?

At, inquiunt, qui perpetuò à coniugio vouent abſtinere, longiùs progrediuntur in voto quàm liceat, quia præſcire poſſunt ſibi ad tempus id poſſibile fore, non perinde in perpetuum. Quid enim ſi continentiæ donum quod ad tempus habent, in perpetuum non habeant? Perinde ergo erit, ac ſi in voto ſuo dicerent, Seruabo continentiam ſemper, etiam tunc, quando mihi erit impoſſibile, quod indubiè ad ſtultas promiſſiones, quæ Deo diſplicent, reijciendum eſt.

Reſpondeo, Donum continentiæ per ſufficiens auxilium omnes habent, ita vt nemo ſit ab illo voto abſoluendus, tamquam à voto ſibi impoſſibili; hoc tamen verum eſt, vt prudenter tale votum emittas, oportere examinare, non ſolùm vtrùm ſufficiens Dei auxilium ad iſtud habiturus ſis; ſed etiam (quatenus ex ſignis id probabiliter præſciri poteſt) vtrùm efficax: illud enim non omnibus datur, ne quidem illis qui caſtitatem vouerunt; non enim omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt. Signum autem eſt futuræ huius efficaciæ, ſi Deus aſpiret vt voueas. Vbi iterùm ſpiritus diſcretione opus eſt: confidendum enim, quòd qui cœpit bonum opus, perficiet. Egregius eſt locus huc pertinens Iobi 22. vbi enim verſio noſtra habet, *Vota tua reddes*, habent Septuaginta, *Cùm orauerit autem tu ad eum, exaudiet te; dabit autẽ tibi reddere vota.* Vbi egregia paraphaſis exſtat apud Origenem in hæc verba: *Si Deo vllius te voti promiſsíve religione obſtrinxeris, ille ipſe hoc tibi præſtabit, vt quæ illius cauſſa ſuſcepiſti, poſſis perſoluere: ille enim eſt qui operatur in nobis velle & perficere.*

*Reſp. ad 1.* Ad locum Apoſtoli ſuprà obiectum reſpondeo, Damnari ab Apoſtolo ἐθελοθρησκείαν, id eſt ſuperſtitioſum cultum contra Dei voluntatem, ex humana voluntate inuentum, vt nunc vno verbo dicat Apoſtolus, quod in ſuperioribus diuiſis verbis dixerat θέλων ἐν θρησκείᾳ. Vota autem non pertinere etiam in noua Lege ad vllam ſuperſtitionem, patebit ex dicendis Dubio 6.

*Ad 2.* Ad alterum argumentum reſpondeo, Vouere non eſſe contra libertatem Chriſtianam, modò id quod vouetur, ei non repugnet: nam etiam ſectarij fatentur, quædam nos poſſe vouere. Erit ergo contra Chriſtianam libertatem, vouere Iudaica illa & Legalia, aut ſuperſtitionem Manichæorum, & ſimilium hæreticorum de certis cibis non guſtandis, tamquam adhuc Lege diuina vetitis, aut creatis à malo principio: ſecùs ſi voueas abſtinere temperantiæ cauſſa; vt ſectarij admittunt licere vouere abſtinentiam à vino.

*An vouere poſſit bonũ quod nequeat præcepti neque conſilij.* Quæritur Tertiò, Quomodo liceat aut non liceat vouere bona quæ non ſunt in præcepto, neque in conſilio, quale eſt verbi gratia ducere vxorem? De bonis enim illud eſſe, non tamen de melioribus, patet, Quia vtrumque dicit Apoſtolus 1. Corinth. 7. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit; & qui non iungit, melius facit.*

*Votum matrimonij quando irritum.* Ex fundamento ſuprà à nobis poſito, euidens eſt reſponſio, Regulariter eiuſmodi votum non ſolùm eſſe illicitum, ſed etiam irritum: tunc autem poſſe eſſe ratum, adeoque licitum, quando ex parte perſonæ vouentis liquidum eſt hoc pertinere ad ſpiritualem quemdam aſſenſum; quod quidem pluribus modis euenire poteſt. Primò quidem



quidem, Si ratione alicuius circumſtantiæ matrimonium cum tali, puta à ſe vitiata, ſit ei in præcepto: nam eo ipſo eſt de meliori bono, facto reſpectu ad bonum quod in eius omiſſione conſiderari poſſit. Secundò, Ratione neceſſitatis vel vtilitatis publicæ: commune enim bonum diuinius eſt, & pro ſimili cauſſa etiam cùm Religioſo diſpenſatur, vt relicto ſuo ſtatu ducat vxorem, vt infrà dicemus. Tertiò, Ratione propriæ fragilitatis & concupiſcentiæ, quia videt ſe continere non poſſe: tunc enim in illius mali remedium rectè vouet matrimonium, vt habet probabilior opinio, pro qua plurimos citat Sanchez lib. 1. diſp. 4. ſequitur idem Bellarminus lib. 2. De Monachis, cap. 14. docet enim, tum licere vouere matrimonium, quando melius eſt, certo tempore ac certæ perſonæ nubere, quàm nuptias omittere, idem tenet Suarez lib. 2. De voto, cap. 9.

Probatur, Qui periculosè vritur, meliùs nubit, ſecundùm illud Apoſtoli, *Melius eſt nubere quàm vri.*

Secundò, Sic tentatus poteſt in genere vouere quòd remedium Deo gratum tale adhibebit, quale prudens adhibendum iudicabit: ſi ergo prudenter ſalutarius ei videatur vt nubat, poteſt vouere nuptias.

Tertiò, Quamuis inuoluntarij concupiſcentiæ motus non ſint peccata, ſunt tamen contrarij legimentis; imò materialiter etiam Legi Dei, & ad morbum quemdam pertinent, captiuant hominem, & ad peccandum inducere conantur, cui malo remedium adhibere eſt virtute peccatum fugere futurum, quod non videtur cenſendum minus in bonis melioribus, quàm pœnitere de peccatis præteritis. Ergo ſicuti poteſt quis poſt peccatum vouere pœnitentiam particularem aliquam & vtilem, etiam ante peccatum poterit vouere remedium aliquod particulare & vtile, quale eſſe poteſt vſus matrimonij, adeoque matrimonium, vt patet ex Apoſtolo, qui non ſolùm vult propter fornicationem & incontinentiam, ne tententur à ſatana, coniuges coniugio vti, ſed etiam viduas quæ ſe non continent, nubere. Ille ergo qui incontinenter viuit, rectè ſecundùm Apoſtolum inducetur vt voueat ſe vxorem ducturum, quò vel ſic abſtineat à vita luxurioſa. Quamuis autem non omnino ſit eadem ratio eius qui tantùm tentatur; in propoſito tamen hactenus eſt eadem, quòd etiam talis intuitu inueniendi remedij, ne tentationi periculoſæ ſuccumbat, votum ducendi vxorem emittere poſſit.

*Obiect.* Dices, Etiam nuncupato tali voto poterit ingredi Religionem; non ergo elegit bonum melius.

*Reſp.* Reſpondeo, Negando conſequentiam. Quando enim votum dicitur debere eſſe de bono meliori, non eſt neceſſarium vt nullum ſit aliud melius quod vouere poterat, & quod cum actu per votum promiſſo non conſiſtat; ſed ſufficit vt huic melius ſit iſtud facere quàm oppoſitum, adeò vt faciendo cenſeatur aſcendere in profectu ſpirituali. Quæ autem meliora ſunt, non cenſentur in voto excluſa, ita vt per votum in quo ſoli Deo ſeſe obligat, nemo prohibeatur ad Deo gratiora vota tranſire, cap. Peruenit, De iureiurando. Qui ergo vouit medium euadendi incontinentiam minùs perfectum, poteſt eo omiſſo perfectius amplecti, adeoque ingredi Religionem, etiamſi vouerit ducere vxorem, aut etiam conſummato matrimonio vti, ſecùs ſi conſummauerit.

*Obiect. 2.* Dices iterùm, Videtur vanum eiuſmodi votum, quia non tantùm ingredi Religionem eſt melius matrimonio, ſed etiam virginitas non vota: ſi ergo virgo propter periculum incontinentiæ vouit nubere, beatior nihilominùs erit ſi ſic permanſerit, atque ita redibit delirium ſectariorum, ita vouendum eſſe, vt tamen in arbitrio vouentis maneat implere vel non implere.

*Reſp.* Reſpondeo, Propter hoc argumentum oppoſita ſententia eſt admodum probabilis. Dici tamen poteſt, eiuſmodi virginem beatiorem fore ſi virgo permanſerit: ſed in ſuppoſitione noſtra priori, quando ei conceſſimus votum matrimonij, illud erat, quòd ſine remedio probabiliter non eſſet virgo permanſura. Matrimonium ergo tamquam remedium vouit, cui ſi aliud quod concupiſcentiæ remedium certius adferat, & minùs præbeat impedimentum Dominum obſecrandi, inuenerit, illud amplectens, non erit rea omiſſi voti: ſed ſuppono propter incontinentiæ periculum, beatiorem eam non futuram ſi ſic permanſerit, itaque poſt votum matrimonij non poterit ſic permanere.

*Votum de ducenda fornicaria validũ eſt.* Quartò, Vouere poteſt quis validè matrimonium cum certa femina, quæ alioqui putaretur peritura, puta quia perpetuò victura in fornicatione, ita vt vi voti iſtius teneatur hanc ducere, ſi omnino matrimonium contrahere velit, erit tamen liber ſi voluerit Deo ſeruire in cælibatu, ſaltem adiuncto voto ſolemni perpetuæ caſtitatis. Ita docet Henriquez lib. 11. cap. 6.

*Obiect.* Sanchez tamen putat, non fore validum eiuſmodi votum, niſi alia cauſſa concurrat, quando eſt abſolutum, puta periculum propriæ incontinentiæ, vel niſi fiat ſub conditione, Si ducam, talem ducam. Præcipua eius ratio eſt, Quòd eiuſmodi votum impletum omnino præcludat viam ad bonum perfectius. Si enim talis conſummet matrimonium, non poteſt tranſire ad ſtatum continentiæ. Adde, ſi liceat vouere matrimonium cum iſta muliere, ne ipſa de incontinentia periclitetur, licebit & ob alias pias cauſſas, vtpote propter eius paupertatem, aut vt ab hæreſi conuertatur, aut vt proles inde ſuſcipiantur quæ piè inſtituantur: quæ omnia & ſingula ſi ſufficiant, facilè & quaſi regulariter licebit matrimonium vouere ſicut caſtitatem.

*Reſp.* Sed reſpondeo, Hæc non efficere, quò minùs ſententia Henriquez ſit probabilis: duo enim hîc ſpectare oportet, cauſſæ pietatem, & boni ſucceſſus certitudinem. Iam verò fieri poteſt, vt cauſſæ pietas non ſit tanta, ſi pauperem ducas, & certitudo non ſit tanta, ſi ob reliquas cauſſas ducas: vnde enim ſcis, vir, ſi mulierem ſaluam facies? Hæc de rato voto in his bonis.

*Votum matrimonij quando irritum.* Irritum autem erit, ſi voueas matrimonium, niſi ſalutare magis aliquid de te Deus diſpoſuerit: quia cùm hæc conditio tacitè inſit cuilibet voto, reſoluitur illud votum in ſimplex & abſolutum, quod diximus de ineundo matrimonio, niſi aliud addas, non tenere. Ita contra Sotum Sanchez, & colligitur ex dicto cap. Peruenit 2. De iureiurando: non enim propoſitum aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat. Et cap. Scripturæ, De voto: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſeruantiam commutare.*

*Votum de ludo non valet.*

Non etiam valet votum de honesto ludo, de amicorum instituendo conuiuio, de cibis salubribus sumendis, quamuis hîc ἐυτραπελίας, vrbanitatis, aut alicuius similis virtutis specimen occurrat: priuatio enim huius aliquantuli boni ferè adducit maius bonum, vnde fit vt faciliùs rata sint vota de non contrahendo matrimonio, de omittendo ludo, conuiuio, meliori cibo, si in eiusmodi omissione spectetur quòd facultatem præbeat liberiùs Deo seruiendi, aut occasionem maioris profectus, vt ferè fieri solet.

At quid dicendum, si quis voueat, aut in castitate se victurum, aut pauperculam intuitu pietatis ducturum?

Respondeo, Valere votum, si iste sit sensus, Voueo castitatem seruare, nisi pauperem duxero; non valere autem, si tantùm intendat vouere illud disiunctum: quia virtute tantùm vouet pauperem ducere, quæ pietas, vt ex probabili diximus, non sufficit.

*Votum vei mala malum est.*

Quæritur Quartò, Quid sentiendum de votis, quibus Deo promittitur actus letaliter malus, quale erat votum Iudæorum, Actor. 23. quo vouerãt, se nihil gustaturos donec occidissent Paulum?

Respondeo, Graue sacrilegium & quodammodò blasphemiam admitti in eiusmodi votis. Significatur enim, Deo esse gratum peccatũ, adeoque ipsum esse auctorem peccati: semper autem nouum peccatum est eiusmodi vota implere; est enim in talibus contra officium fidem seruare, vt rectè dicit Ambrosius lib. 3. De officijs, & Isidorus, relatus cap. In malis 22. quæst. 4. *In turpi voto, muta decretum.* vbi multa videre licet huc pertinentia.

At quæres, Quid si votum generale sit, vt possit habere bonum & malum exitum, quale videtur fuisse votum Iephte, Iudicum 11?

Respondeo, Certum est, non obligare in euentum malum, qualis accidit Iephte, siue illum intenderit voto suo comprehendere, siue non. Si enim non intendit, non promisit, quia verba non obligant vltra intentionem: si verò intendit, redit doctrina superior, quia rem Deo ingratam promisit, adeoque potiùs ex hac parte Deo minatus est. Et quamuis excusari possit à peccato in promissione, quia quod generatim promisit, fortè non prœuidit malum exitum habere posse: nihilominùs si reuerà malum exitum habeat, non tenetur implere; imò tenetur non implere. Argumentum ex cap. Quanto, De iureiurando.

Sed maioris quæstionis est, Quando tale votum debeat cẽseri ab initio fuisse irritum, ita vt ne quidem tunc voto teneatur, quando euentus bonus est, aut sanè talis, vt votum speciale ad eiusmodi euentum restrictum indubiè obligaret?

*Voti Iephte an licitum fuerit.*

Respondeo, Res explicari potest in voto Iephte. Si citra peculiarem Dei circa vitam hominis facultatem Iephte vouerit immolare Domino, quidquid sibi primùm occurrerit, siue de brutis, siue de hominibus, reuertenti de cæde filiorum Ammon è domo sua, non solùm illicitum, sed fortè etiam irritum emisit votum, nisi diuina inspiratione id fecerit, quasi ex facto super se Spiritu Domini, Deo dixerit, Quemcumque mihi primùm miseris obuiàm de domo mea, eoque ipso concesseris à me posse occidi, immolabo Domino in holocaustum. Est tamen probabilius, tale votum etiam citra reuelationem posse sustineri vt firmum, quatenus cadit in materiam debitam: quia vt inter homines, ita etiam apud Deum potest promissio censeri ex parte acceptata, & ex parte reiecta; & si sub disiunctione duo voueas, quorum alterum sit impossibile, alterũ possibile, teneris ad illud quod est possibile, vt infrà dicemus.

Secundò dico, Si Iephte nihil cogitans de euentu malo, simpliciter vouerit primò occurrens Deo immolare, indubiè tenet votum quoad illa quæ immolari Deo aliàs possunt, adeoque si aries occurrisset aut bos, tenebatur ex voto immolare, non autem quãdo filia. Quo autem modo Iephte reipsa illud vouerit, non est certum. Verisimile est, nisi reuelatio excuset, de qua non constat, temerè & inualidè vouisse, quia quasi de homine intendens dicit, *Quicumque primus fuerit egressus*, &c. Neque refert quòd dicatur factus super eum Spiritus Domini, quia factus intelligi potest non ad illum effectum, sed vt sese in hostes populi Dei accingeret, aliosque concitaret, vt verba præcedentia indicant: vel si etiam ad effectum vouendi in genere, fieri tamen potest, vt proprio spiritu excesserit. In hanc sententiam scribit D. Hieronymus lib. 1. Aduersus Heluidium, cap. 13. *Aplerisque*, inquit, *Hebræorum reprehenditur Iephte voti temerarij: si canis, inquiunt, si asinus occurrisset, quid faceret?* Ex quo volunt, Dei dispensatione esse factum, vt qui inprospectè vouerat, errorem votorum in filiæ morte sentiret. In eamdem sententiam, quamuis inquirendo magis quàm resoluendo, scribit Augustinus quæst. 49. in lib. Iudicum: *Dixerat*, inquit, *hoc quod Iephte fecit, à facto Abrahæ: quoniam ipse iussus obtulit filium suum, iste autem fecit quod & Lege vetabatur, & nullo speciali inhebatur imperio.* Imò putat Augustinus de homine tantùm immolando votum Iephte intelligendum, quando subiungit: *Non vtique his verbis aliquod pecus vouit, quod secundùm Legem holocaustoma posset offerre: neque enim est aut fuit consuetudinis, vt redeuntibus cum victoria de bello ducibus pecora occurrerent.* Adiungit, canes qui occurrere solent, immolationi per Legem ineptos fuisse. Lyranus putat, Iephte per ciuilem tantùm mortem Deo filiam immolasse, quo modo Religiosi dicuntur mundo mortui; quod probabile existimat Azorius, nisi obstaret consensus veterum. Rectè enim de hac re monuit S. Antoninus ex cap. Relatum, dist. 37. non esse facilè, relicta communi & probata in Ecclesia expositione, nouam proferendam. Hoc tamen boni habemus ex impleto voto Iephte (vt ex Ambrosio tradit Turrianus lib. 1. De votis monasticis) quòd metus inijciatur sponsionis prœuaricandæ quando cum incredibili patris dolore, filiam mactari Deus permittit. Iustinus respondet ad quæst. 99. à gentibus positam, putat, Iephte peccasse quidem incautè, ita indefinitè vouendo, sed implendo votum non peccasse; imò eius impletione meritum esse, vt Sanctorum catalogo ab Apostolo adscriberetur. Verùm hoc dici non potest, nisi ex ignorantia hæc immolatio, vel Dei dispensatione excusetur. Existimo autem, non excusari. Existimat tamen Suarez lib. 2. De voto, cap. 10. per magna virtutis signa in eodem opere ostensa, maximè verò per fidelitatem & Religionem in Deum, potuisse Iephte congruè disponi, vt faciliùs illius Deus misereretur.

Quæritur Quintò, Vtrùm voto teneatur, qui rem



*De voto ad malum finem.*

rem quidem bonam & per se voto idoneam vouit, sed malo fine?

Respondeo, Finis malus potest esse solius vouentis, vel voti, vel actionis per votum promissæ. Solius vouentis est, quando ex malo motiuo quis sese ad vouendum applicat, sic tamen vt neque voti, neque actionis per votum promissæ finem in eo statuat: vt si profiteatur in aliquo Monasterio opulento, vt in eo diuitijs abutatur. Voti malus finis est, quando vouet se Deo aliquid oblaturum, si impetret ab ipso victoriam in bello iniusto. Actionis per votum promissæ malus finis est, si voueat dare eleëmosynam propter vanam gloriam quam ex eleëmosyna quærit.

Si tantùm malus sit finis vouentis, rectè dicit Caietanus (quem sequuntur Sotus lib. 7. quæst. 1. art. 3. & Azorius 1. parte, lib. 11. cap. 15.) votum tenere, quamuis sic vouens peccet mortaliter. Est enim promissio de re Deo grata, quamuis malè ad eius exercitium alter applicetur, adeò vt validum votum non esset, si priori aliquo voto vouerat talem suam ad vouendum applicationem. Non tenet autem, si actionis per votum promissæ finis sit malus. Quando autem malus est finis voti, distinguendum est: vel enim qui vouet centum, vt obtineat victoriam in bello iniusto, intendit dare centum, antequam victoriam obtineat, eo fine vt à Deo obtineat; atque ita iam opus promissum vitiatur malo illo fine, vt redeat quod dictum est de fine malo rei promissæ. Vel intendit dare postquam obtinuit, sed tamen in gratiarum actionem quia obtinuit. Vbi iterùm videtur voti materia sic vitiari, vt omnino nullum sit: quia sic vouens pactum quodammodò init cum Deo, Promitto dare centum, si des iniustam victoriam; quale pactum nullo modo Deus acceptat, quia in eo per blasphemiam supponitur Deus esse fautor & auctor peccati, quasi & ipse donis nostris possit corrumpi. Conditio ergo talis turpis apposita, votum irreligiosum, adeoque nullum reddit. Vel denique intendit dare vbi victoriam obtinuerit, ponendo victoriam vt conditionem meri euentus, sicuti homini promitteret qui nihil ad victoriam esset cooperaturus: quo modo metaphysicè loquendo videtur votum fore validum, quamuis moraliter vix contingat sic abstrahere, vt fatetur Caietanus; vel vt veriùs Sotus, omnino non contingat, quia nemo talis sub mera conditione vouet, nisi vt Deum sui sceleris patronum ac fautorem compellans. Illud itaque potiùs hîc admittendum fuerit, validũ forè votum, si apponatur conditio euentus alicuius effectus, quem à Deo exspectare liceat, qualis est incolumitas, in bello iniusto aut duello, proles in adulterio, & similia.

Quæritur Sextò, Vtrùm vouens se veniale aliquod peccatum admissurum, peccet eo ipso mortaliter?

Suppono ex dictis, tale votum non esse validum aut obligatorium, & esse peccatum. Videtur autem esse mortale, propter speciem quamdam blasphemiæ: videtur enim significari, Deo gratum esse peccatum veniale.

*Vouens peccatum veniale, venialiter peccat.*

Verius tamen est, non esse nisi veniale, vt docet Sotus suprà. Ideò enim peccatum est tale votum, quia promittere non potes, quod non potes facere. Si ergo faciendo pecces solùm venialiter, etiam solùm venialiter peccabis promittendo facere.

Ad rationem dubitandi respondeo, Interpretatiuam illam blasphemiam non magis posse efficere vt sit peccatum mortale eiusmodi votum, quàm vt sit mortale, admittere aliquod peccatum veniale quasi Deo placens & in Dei gloriam: verbi gratia, si quis officiosè pro Dei gloria mentiretur, non attendens quòd Deus non indigeat mendacio nostro.

Quæritur Septimò, Vtrùm vouens opposita consiliorum, voto teneatur? verbi gratia, vouens non ingredi Religionem, numquam dare mutuum, aut eleëmosynam extra necessitatem, aut vouens quòd numquam ampliùs quidquam Deo vouebit?

Videtur enim teneri; quia plus est omittere, quàm promittere omissionem: cùm ergo liceat non ingredi Religionem, etiam licebit hoc ipsum promittere: si liceat promittere, ergo & Deo licebit voto promittere; si liceat vouere, non apparet ratio quare non teneat votum.

*Vouens opposita consiliorum peccat.*

Est tamen omnino dicendum, Eiusmodi votum non obligare ad sui impletionem, sed ad pœnitentiam; est enim peccatum: nam omissio melioris boni quod Deus consulit, non est ei grata vt ipsi promitti valeat, sicuti nemini rectè promitteretur omissio sui consilij. Ita tenet Caietanus hoc art. 1. Azorius suprà cap. 14. quæst. 6. Sotus, & alij communiter.

At quale peccatum est tale votum?

Certum in primis, fore mortale, si generatim ita voueas non dare eleëmosynam (eadem ratio de reliquis) vt etiam casum complectaris, quo id esset in præcepto: redit enim doctrina de vouente peccatum mortale.

Certum est Secundò, Si ita vouens sciat Deo displicere, & nihilominùs disertè velit significare Deo placere omissionem consilij Euangelici, similiter fore hunc Dei contemptum non immunem à crimine.

Tertiò, Erit mortale, si ideò Deo velit promittere, quia nouit ei ingratum esse: hoc enim non fieret etiam inter homines sine graui contemptu. Si nihil horum subsit, vt regulariter non subest, eiusmodi votum non videtur esse plus quàm veniale.

Notandum tamen, licere vouere quòd in posterum non emittes votum nisi scripto vel voce, ne deinceps temerè & inconsideratè voueas, vt docent Richardus, Siluester, Angelus, Azorius. Si tamen post tale votum nihilominùs sola mente voueas, peccabis quidem mentali voto, obstringêris tamen.

*Votum de non petenda dispensatione.*

Quæritur Octauò, Vtrùm liceat vouere, quòd numquam petes dispensationem voti aut iuramenti, etiam quando petere expediret?

Respondeo, Non licere, & inualidum eiusmodi esse votum quoad euentum deteriorem: ligaret tamen in casu quo melius est non petere dispensationem, nisi fortè ea fuerit vouentis intentio, vt noluerit promittere in vno casu non petere, nisi simpliciter possit sese obligare ad numquam petendum. Graffius 2. parte, lib. 2. cap. 12. num. 50. vbi cautè monet, quando tale votum est validum, & nihilominùs petitur dispensatio, oportere in ipsa dispensatione exprimere non solùm primum votum, sed etiam illud secundum de non petenda dispensatione: imò & tertium, si fortè additum sit, de non vtendo dispensatione, etiam petita & obtenta.

*Votum de se non defendendo.*

Quæritur Nonò, Vtrùm teneat votum quo voues numquam teipsum defendere, etiamsi ab inuasore esses occidendus?

Respondeo, Quamuis istud votum Graffius suprà num. 14. reijciat tamquam absolutè inualidum; censendum tamen esse inter ea quæ ex parte valida sunt, ex parte inualida. Erit enim validum casu quo inclinaret Christiana charitas, vt potiùs ipse permittas te occidi quàm inuasorem occidas. Neque enim placet quòd hîc Graffius nos remittat ad Legem aut præceptum Superioris, quasi certum sit indicium, votum non obligare, eò quòd in simili casu Lex non obligaret, hoc inquam non placet: quamuis enim non possim præcepto aut Lege ad hæc ab homine obligari, possum tamen meipsum obligare voto, in casum quo rectiùs ita facerem: nam in alterum casum quo meliùs me defenderem, fateor non valere votum. Si cui tamen propter perplexitatem & discernendi difficultatem ab his votis abstinendum videatur, non repugno.

Quæritur postremò, Vtrùm nulla res indifferens possit esse materia voti?

*Votum rei indifferentis.*

Respondeo, Nisi per accessoriam aliquam relationem ex indifferenti fiat bona, non esse materiam voti. Est communis Angeli, Siluestri, Caietani, Soti, Nauarri. Verbi gratia, proficisci ad certum locum, est res indifferens, ideoque si id voueas, non teneris: ad eumdem autè locum proficisci, vt ibi Deum vel Sanctos colas, iam est materia legitima voti, quia cultus ille non est res indifferens, & relatio non est vana. Vtrumque enim requiritur: si enim res indifferens non magis conducat ad finem bonum, quò eam refers, quàm eius oppositum, non erat materia voti.

Vnde sequitur, Non tenere votum, si supposita consuetudine qua vesci liceat, voueas in honorem B. Virginis, Sabbatis inter Natiuitatem & Purificationem vesci carnibus; tenere autem, si voueas abstinere.

Sequitur etiam, Si contingat eiusmodi relationem cessare, eoipso cessare votum: verbi gratia, vouisti non adire tales ædes, quia ibi erat persona te scandalizans: si contingat eam aliò migrare, cessat pro eo tempore obligatio voti, redeunte nimirum naturali rei indifferentia.

*Votum pro obtinēda re indifferenti validum est.*

Nota tamen, quòd quamuis votum non sit validum quando res indifferens vouetur, esse tamen validum, etiamsi fiat pro obtinenda re indifferenti: quo modo vouit Iephte, Iacob, & populus, Numeri 21. & passim vouetur pro salute corporali. Ita docet Siluester verbo Votum 1. q.4. & ratio euidens est, quia naturalium bonorum in genere moris indifferentium appetitus rationabilis, nō est indifferēs in moribus sed bonus.

## DVBIVM III.

### *Quotuplex sit Votum, & quomodo fiat solemne?*

### *D. Thomas art. 7.*

*Diuiditur Primò ratione materiæ in personale,*

*Reale,*

Ex materia votum diuiditur Primò in personale, reale, & mixtum. Personale est quo actus personæ vouentis promittuntur, puta oratio, ingressus Religionis, ieiunium, abstinere à nubendo: sub actu enim etiam omissionem intelligimus. Reale, quo non vouetur personæ impendium, sed rei. Tale est votum eleëmosynæ, oblationis, &c. Mixtum est, vbi ista concurrunt, vt partim promissum sit rei dispendium, & partim personæ impendium. Tale iterùm est triplex: vel enim principaliter promittitur quod personale est, vt reale ex sequela quadam annectatur; vt si voueas visitare sepulcrum Domini, ex consequenti promittis sumptus istius itineris. Vel econtrà principaliùs promittitur quod reale est, & consequenter solùm quod personale; vtpote si voueas certo loco aliquid Deo offerre, ex consequenti promittis labores itineris, quos fortè personaliter subire debes: vel æquè principaliter promittitur vtrumque, vt si tuo sumptu personaliter voueas militare pro recuperāda Terra sancta.

*Mixtum:*

*Quod ipsū triplex est.*

*Secunda diuisio, ex materia.*

Diuidi potest Secundò ex materia in votum rei præceptæ, & tantùm consultæ, de quo suprà.

*Tertia ex fine.*

Diuiditur Tertiò ex fine. Aliquando enim emittitur purè in Dei honorem, vt respondeat holocausto: aliquando in gratiarum actionem, vt respondeat sacrificio eucharistico: aliquando vouemus pro bono aliquo accipiendo, quod frequentissimum est, & respondet votiuo & impetratorio sacrificio: aliquando pro malo euitando, & respōdet eiusmodi votū sacrificio pro peccato.

*Quarta ex forma promissionis.*

Diuidi potest Quartò votum ex forma promissionis. Primò in conditionatum & absolutum. Conditio etiam interdum spectatur ex parte Dei promissarij, vt in voto Patriarchæ Iacob; aliquando ex parte hominis promittentis, vt si dicat, Nisi abstinuero ab hoc peccato, dabo talem eleëmosynam: qua forma factum votum, dicitur pœnale.

Secundò, In perpetuum & temporale; quando vel in perpetuum, vel ad tempus tantùm aliquid Deo promittitur.

Tertiò, In explicitum & implicitum, quale est in susceptione Ordinum sacrorum.

Quartò, In mentale, & voce vel scripto nuncupatum.

Quintò, In occultum & publicum. Vbi cauendum ne confundatur occultum cum interno, & publicum cum solemni; nam etiam externum potest esse occultum, & simplex publicum.

*In quo consistat solemnitas voti.*

Denique votum ratione formæ ad solemnitatem pertinentis diuiditur in simplex & solemne, de qua diuisione accuratiùs nobis agendum est. Est enim difficultas non exigua, in quo consistat hæc solemnitas, quatenus inducit in voto castitatis impedimentum dirimens matrimonium?

*Prima sententia.*

Omissis opinionibus quæ in hac distinctione vrgent, quòd votum publicum sit aut priuatum, quasi illud solemne sit, hoc simplex; aut quòd sit de præsenti vel futuro, quasi præcisè omne votum quo non se tradere Religioni quis promittit, sed iam se tradit, sit solemne; aut quæ dicit, solemne esse quo persona sese tradit, simplex quo sua tantùm promittit obsequia: aut solemne esse perpetuum natura sua, non item simplex. His inquam omissis, vt quæ nullo negotio refutentur, sit Prima sententia, quæ dicit, Solemne consistere in quadam benedictione seu consecratione spirituali. Indicat eam hîc D. Thomas, Solemnitas, inquit, voti attenditur secundùm aliquid spirituale, quod ad Deum pertineat, id est, secundùm aliquam spiritualem benedictionem vel consecrationem. Idem repetit art. 11. Fauent huic sententiæ Canones, quando vrgent in solemni voto, præcipuè virginum aut viduarum, con-



secrationem. Ita frequenter caussa 27. q. 1. cap. Nec aliqua, ex Cypriano, cap. Viduas, ex Concilio Aurelianensi, cap. Si quis sacro, ex eodem, cap. Sciendum, ex Concilio Arelatensi: quibus addi potest cap. Virgines, dist. 27. ex Hieronymo. Fauet etiam Dionysius Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 6. part. 1. vbi refert formam monasticæ consecrationis.

*Secunda sententia.*

Secunda sententia dicit, Votum solemne & simplex eiusdem materiæ, non differre nisi per Legem Ecclesiasticam, decernentem illo matrimonium dirimi, non isto.

Probatur Primò, Quia videtur desumi ex cap. vnico De voto, in 6. vbi Bonifacius VIII. consultus ab Episcopo Bituricensi, Quod votum debeat dici solemne, & ad dirimendum matrimonium efficax; ita respondet: *Nos attendentes quòd voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta, &c. declarandum duximus, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.*

Probatur Secundò, Quia Gregorius XIII. per Constitutionem quæ incipit, Ascendente Domino, & exstat apud Azorium 1. parte lib. 13. in Societate IESV voluit, votum simplex, quod in illa Religione post biennium emittitur, impedire matrimonium Religiosi, nondum legitimè dimissi; & eos, qui dicunt, auctoritate Sedis Apostolicæ non posse constitui, vt hactenus votum illud simplex æquiparetur solemni, indicat Pontifex non intelligere naturam & vim solemnis ac simplicis voti, reperens verbis Bonifacij, voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione esse inuentam: addens denique, non obstante cap. illo Bonifacij, quod habet, illud demum votum censendum solemne, quo dirimatur superueniens matrimonium, quod solemnizatum fuerit per Ordinem sacrum vel professionem in Religione approbata, etiam voto illo simplici Societatis matrimonium dirimi, vt dictum est. Imò præter tria dicta votorum genera, quartum addit Rebellus, quo etiam matrimonium dirimatur, votum scilicet solemne continentiæ, quod quis extra sacros Ordines, vel professionem Religionis, alicubi ex Ecclesiæ instituto emittat. Ita ille lib. 3. De iustitia, q.4. sect.1. num.7.

Probatur Tertiò per cap. Rursus, Qui Clerici vel vouentes; vbi dicit Cælestinus III. quòd votum simplex apud Deum non minùs obliget quàm solemne, & tamen istud matrimonium dirimat, non illud. Sensit ergo, traditionem in vtroque voto pariter posse subesse, & eiusdem ordinis esse obligationem, sed ex constitutione Ecclesiæ vnum esse impedimentum dirimens, non alterum.

Probatur Quartò, Distinctionis huius voti simplicis & solemnis matrimonium dirimentis mentio nulla reperitur ante Calixtum II. c. Presbyteris, dist. 27. vel Innocentium II. circa annum 1130. cap. Vt lex continentiæ 37. quæst. 1. vel, vt alij volunt, non reperitur ante Alexandrum III. cap. Meminimus, Qui Clerici vel vouentes, quem secuti sunt Cælestinus III. dicto cap. Rursus, & Innocentius III. cap. Insinuante, eodem. Videtur ergo olim ratum fuisse matrimonium initum post quodcumque votum etiam solemne aut publicum, antequam Ecclesia hoc impedimentum dirimens instituęret; quamuis interdum legatur Ecclesia coëgisse eos qui matrimonium contrahendo primam fidem irritam fecerant, redire ad priora vota, relicto coniugio, vt patet ex Nicolao Papa, cap. Quod interrogasti, dist. 27. & cap. Sicut 27. quæst. 1. ex Concilio Carthaginensi IV. cap. Viduas, ex Gregorio, cap. Nec aliqua, ex Cypriano, & alijs Canonibus sæpè eadem quæst. vbi frequenter æquiparantur adulteris eiusmodi feminæ votifragæ, & votum castitatis æquiparatur nuptijs, vt videre licet cap. De viduis, ex Pelagio Papa cap. Quæ Christo, ex Innocentio I. Imò citata illa dist. 27. cap. Si vir, & similiter cap. Si quis votum 27. dicta quæst. 1. absolutè statuitur ex Pœnitentiali Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, qui vixit anno 690. quòd vir qui post votum virginitatis duxit vxorem, pœnitere debeat, non autem vxorem dimittere: & D. Augustinus eadem dist. cap. Quidam, dicit, grauiter eos peccare, qui diuidunt coniunctos matrimonio post votum inito, & cap. Quotquot virginitatem, eadem q. 1. suprà citata, ex Concilio Ancyrano, inter bigamos recensentur, qui post votum matrimonio copulantur. Vbi iterùm eòdem pertinens reperitur testimonium Augustini cap. Nuptiarum, ex lib. De bono viduitatis, cap. 8. loquens enim de nubentibus post votum dicit: *Non quia ipsæ nuptiæ vel talium damnandæ iudicentur; sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides: damnatur non susceptio à bono inferiore, sed ruina à bono superiore.*

Probatur Quintò, Quia posset Ecclesia efficere, vt voto emisso in Religione approbata aut Ordine sacro suscepto non sit annexum impedimentum matrimonij, vt omnes fatentur.

*Tertia sententia.*

Tertia sententia voti hanc solemnitatem putat prouenire ex traditione & acceptatione quadam, qua Deus per Ecclesiam acceptet ita se tradentem per solemne votum, vt iam peculiariter incipiat esse Dominus corporis ipsius, & non magis qui sic vouit, habeat potestatem corporis sui ad actum coniugalem alicui tradendi, quàm vir aut mulier post coniugium. Ita tenet D. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. Vult enim votum inde dici solemne, quòd completam habeat vim obligandi: ea enim ad solemnitatem rei pertinere, quæ completum esse ei tribuunt; solere autem eos qui promissionem suam perfectam & completam volunt habere vim obligandi, ponere promissarium quasi in possessione eius quod promissum est, quadam traditione: vt si agrum det, qui fructus eius promisit; & qui seruitium, sese tradat in seruum. Votum ergo solemnizari quando quis se Deo tradit, diuinisque seruitijs mancipat, quod fit susceptione sacri Ordinis, & professione certæ Regulæ debito modo facta. Eumdem loquendi modum sequitur D. Bonauentura eadem dist. art. 2. q. 1. Vult enim votum solemnizari, quando vouens castitatem coram Superiore, loco Dei acceptante, transfert in Deum potestatem corporis sui quoad actum coniugalem, ita vt voto solemni superueniens matrimonium irritum sit, quamuis matrimonio non consummato superueniens votum solemne, per Religionis professionem, ipsum matrimonij vinculum

culum soluat. Idem sentiunt Richardus, Durandus eadem dist. Sotus lib. 7. quæst. 2. art. 5. Valentia puncto 5. De voto, Henriquez lib. 12. cap. 5.

*Votum solemne non est indispensabile.*

Circa hanc sententiam aduertendum Primò, Ex ea non sequi, votum solemne castitatis esse per Ecclesiam indispensabile; sicuti enim Prælatus ab Ecclesia approbatus vices subit promissarij ipsius Dei, in acceptatione voti, ita etiam proclitue fuerit eidem vel sanè summo Christi Vicario, Dei vices deferre in relaxatione promissionis.

Secundò, Non negare huius sententiæ auctores, pertinere ad Ecclesiam determinare, quomodo fiat aut non fiat validè hæc solemnis acceptatio, adeò vt si per hoc satisfieri possit, vt probabile est posse, modo loquendi Pontificum, qui dicunt (vt suprà citauimus) voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione esse inuentam, magna pars difficultatis, quæ in hac sententia esse possit, iam sublata sit. Neque enim huius sententiæ auctores necessariò negabunt, ipsam tradendi & acceptandi formulam, sine qua solemnitas non consistat, ex sola Ecclesiastica constitutione pendere, & posse sine tali forma impedimentum matrimonij dirimens voto annecti Ecclesiæ auctoritate, vt factum est in Societate IESV; & eadem auctoritate posse eiusmodi impedimentum tolli à tali forma, non tantùm in particulari per dispensationem, sed etiam generatim per Legem. Verùm tota quæstio est, Vtrùm dispensatio talis, qua conceditur post solemne votũ contrahi matrimonium, sit in Iure tantùm humano, quatenus relaxat Legem, vt validum sit Religiosi matrimonium? an etiam sit in Iure diuino, sicuti est quatenus relaxat vt liceat? Si enim traditio & ttanslatio potestatis corporis sit ad eum modum facta, quem habet Tertia ista sententia, relaxatio vt matrimonium valeat, est dispensatio in Iure diuino, sicuti est quando Pontifex dispensat in matrimonio rato non consummato. Si autem nulla facta sit translatio potestatis corporis, sed manens ea penes vouentem ligata potiùs sit per inductam Ecclesiastica Lege inhabilitatem, vt alteri transferri nequeat, dicta dispensatio erit merè in Iure Ecclesiastico.

Quamuis autem hæc Secunda sententia multis recentioribus placeat, nonnihil tamen contra eam scrupuli ex hoc reperitur, quòd ex ipsa sequatur, per nullum votum, quantumuis solemne, dirimi sequens matrimonium, nisi postquam de eiusmodi diremptione, Lex Ecclesiastica exstiterit. Vnde sequitur, vel talem ab initio extitisse, vel coniugia Monachorum post quæcumque solemnia vota, rata aliquando in Ecclesia fuisse, postmodum autem irritata. Prius tamen non facilè videtur probari, quia Legis eiusmodi, vt ex dictis in Probatione Secundæ sententiæ elucet, vix mentio vlla reperitur apud antiquos, vt inter alios fatetur Hesselius in 1. ad Timoth. 5. de quo tamen accuratiùs videbimus in sequentibus. Posterius falsum est, quia passim supponunt veteres, vt ex dictis constat, adulteris pares esse, qui post vota illa perfecta aut solemnia Religionis, transeunt ad nuptias; quamuis non simpliciter loquantur de illis qui post sacros Ordines, præsertim Sacerdotio inferiores, vxoribus copulantur, sed aliquando ministrare tantùm prohibeant, vt patet cap. Diaconi, dist. 28. Rectè etiam monuit D. Thomas loco suprà citato in responsione ad quoddam argumentum, quòd antequam essent istæ Regulæ quæ modò in vsu sunt, erat aliquis modus viuendi ab Ecclesia approbatus, quem qui suscepissent, haberentur post certum tempus eodem loco, quo nunc professi certam Regulam.

Secundò, Etiam scrupulum hîc mouet, quòd in hac sententia votum solemne professionis monasticæ per se non impediat nuptias carnales, sed tantùm ratione adiunctæ Legis, vt fit in crimine impediente coniugium, & similibus; cùm tamen Canones & veteres passim vrgeant spirituales quasdam nuptias in professione solemni castitatis.

Nihilominùs etiam Tertia sententia suam habet difficultatem. Non enim satis intelligitur, quomodo in promissione Deo solemniter facta subsit traditio potestatis corporis, quæ iam inhabilem reddat matrimonio ex natura rei: videtur enim illa traditio potiùs negatiuè quàm positiuè explicanda, vt vouens non tam Deo potestatem sui corporis tradat, quàm à se abdicet; nõ videtur autem illa potestas sic abdicabilis, vt in perpetuum maneat alienata, nisi concurrente Ecclesiæ decreto, talium matrimonia irritantis. Imò manendo in Iure naturæ, sicuti positiuè ad vsum copulæ non potest homo tradere potestatem corporis sui, ita vt ius seu dominium acquirat is cui tradit, nisi per carnale coniugium; ita extra illud coniugium non videtur ex nudo Iure naturæ ei relictus esse modus aliquis, quo se possit priuare potestate corporis sui, ita vt ius illud non retineat, quod retinent in mutua corpora coniuges, postquam mutuo consensu ingressi sunt Monasterium. His positis,

*Reiicitur prima sententia.*

DICO PRIMO. Non videtur sufficienter explicari solemnitas voti dirimens matrimonium, per solam consecrationem. Manente enim eadem consecratione, potest Ecclesia efficere, vt Subdiaconorum matrimonia modò sint valida, modò inualida. Secundò, Professio Religionis aliquando fit tacitè solùm, & sufficit ad hunc effectum vt dicit Bonifacius VIII. suprà citatus, vbi nulla apparet peculiaris consecratio. Tertiò, Quia in quibusdam Ordinibus, etiam quando expressè fit professio, nulla adhibetur forma præ se ferens vllam consecrationem, neque vestes aut persona aliquo peculiari ritu consecrantur. Quartò, Hæc assertio est communis sententia, & contrarium non sensisse D. Thomam, aliqui opinantur, sed solùm voluisse, consecrationem seu benedictionem esse cęrimoniam quamdam accidentalem.

Ad auctoritates in contrarium suprà allegatas respondeo, Esse in Religiosis duplicem consecrationem: vnam cærimonialem, quæ non est generalis, adeoque hîc non vrgenda, vt iam diximus; alteram interpretatiuam, & eo ipso resultantem, quo se Deo vouent: vt enim suprà diximus quando De sacrificio, & iterùm hoc Cap. Dub. 1. quæ Deo vouentur, eoipso quodammodò ei consecrantur. Verùm quamuis hæc consecratio admodum perfectè fiat in voto solemni; præueniendo tamen Ecclesiæ constitutionem, non irritat subsequens matrimonium, quia consistere eam posse cum vinculo matrimonij, vel ex eo liquet, quòd coniuges in matrimonij vinculo



eulo permanentes, mutuo consensu ingrediantur Monasterium.

*Probabile quod iure naturali dirimatur.*

DICO SECVNDO. Probabile est, dirimi matrimonium per votum solemne, non tantùm Iure Ecclesiastico, sed naturali. Ecclesiastico quidem, quatenus Ecclesiæ est decernere in quibus ipsa loco Dei velit acceptare traditionem, qua seipsum Deo mancipat qui vouet, & in quibus non velit: naturali autem, quatenus acceptatione facta, persona Deo deuota, vt dominij rerum externarum per votum paupertatis, ita potestatis aut dominij alieni corporis, vt fit in contractu coniugij accipiendi, incapax sit per votum castitatis. Fauet Tridentinum sess. 24. can. 9. De matrimonio: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica & voto, anathema sit.* Vbi votum pro Regularibus, Legem verò Ecclesiasticam videtur vrgere Concilium pro ordinatis. Itaque sensit, Religiosos non sola Ecclesiastica Lege impediri. Acceptatio ergo erit in arbitrio Ecclesiæ, sed votum iam acceptatum ex natura sua reddet matrimonio inhabilem, sicuti contractus matrimonij pendet ex arbitrio sponsæ; sed inito contractu, Iure diuino est sponsus incapax matrimonij ineundi cum altera.

Dices, Rationem hîc aliquam diuersitatis esse, quòd vnum matrimonium ex naturali aut diuino Iure cum altero sit incompatibile, non autem matrimonium cum Religionis vinculo, vt patet in coniugatis conuersis post consummationem. Non tamen plenè istud satisfacit, quia faciliùs impeditur matrimonium quando de nouo contrahitur, quàm dirimatur iam semel validè contractum. Vt enim validè contrahas, oportet verè tradas potestatem corporis tui; tradere autem non potes, si iam priùs per solemne votum eam Deo tradidisti, aut sanè tibi amisisti: per votum enim solemne teipsum propter regnum cælorum castrasti, vt iam non possis te ad coniugij vsum alteri validè magis tradere, quàm si à natura eunuchus esses. Neque potes in contractu matrimonij apponere conditionem non vsus, sed post matrimonium initum validè potest ex vtriusque consensu Deo promitti continentia, adeoque vinculum essentiale coniugio potest manere, superueniente vinculo seu obligatione non vtendi coniugio.

Denique eodem iure votum solemne dirimit sequentes nuptias, quo dirimitur matrimonium ratum non consummatum, per subsequentem ingressum Religionis: atqui, vt multi dicunt, hoc est ex Iure diuino; ergo & illud.

*Probabilius quòd Ecclesiastico tantum.*

DICO TERTIO. Probabilius est, Religionis votum solemne, vt & sacrum Ordinem, non ex natura rei, sed ex sola Ecclesiastica Constitutione dirimere matrimonium quod posteà contrahitur. Tenet Glossa in cap. Nuptiarum, verbo Vxores 27. q. 1. Azorius lib 12. cap. 6. Sanchez, & alij multi. Imò Panormitanus in cap. Rursus, Qui Clerici vel vouentes, testatur esse omnium Canonistarum. Sequitur Rebellus lib. 3. De iustitia, quæst. 4. sect. 1. & dicit hanc sententiam esse tam certam, vt absque ingenti temeritate hoc tempore negari nequeat, propterea quòd eam definierint Bonifacius VIII. & Gregorius XIII. Sed omissa hac censura, patet assertio ex dictis, quia remota Ecclesiastica Constitutione, numquam satis solidè ostenditur irritas esse Religiosi nuptias, sed tantùm sacrilegas, irreligiosas, & perfidas. Qui enim post coniugium ex consensu coniugis fit Religiosus, perfectè est Religiosus, non tamen adimit ei qui habet potestatem corporis sui, id est, coniugi illam potestatem; ergo neque solutus, quando ingreditur Religionem, adimit sibi potestatem illam corporis, ita vt matrimonio ex natura rei sit inhabilis, sed potiùs promittit non vti tali potestate, eam alteri non dare, seque mundo mortuum fore: atqui nisi per Legem Ecclesiasticam fiat inhabilis matrimonio, non erit propterea ex natura rei impotens ad validè contrahendum, aut ad copulam cui renuntiauit. Insinuat eiusmodi argumentum Augustinus illo cap. Nuptiarum, suprà citato: *Cùm laudabiliter*, inquit, *etiam viuente viro ex eius consensu continentiam femina Christo voueat, iam secundùm istorum rationem, nulla hoc facere debet, ne ipsum Christum, quod sentire nefas est, adulterum faciat, cui viuente viro nubit*, &c.

*Respondetur ad Prænationes secundæ assertionis.*

Ad locum ex Tridentino pro superiori assertione productum, respondeo, Nihil illum vrgere: nam in impedimento vtroq; tam Ordinis quàm voti est Lex Ecclesiastica & votum; sed in Ordine votum est ex Lege, in monastice autem Lex est ex voto. Adde, vtriusque, & voti & Legis Ecclesiasticæ fortè Concilium meminisse, quòd obstante voto illicitum, obstante Lege Ecclesiastica irritum sit tale matrimonium.

Ad alterum, quo suadebatur ex natura rei, vinculum monasticum, & matrimonij de nouo contrahendum esse incompatibilia, respondeo, Si ita esset, non magis posset de facto monasticum matrimoniali superuenire, quàm matrimoniale monastico; quamuis benè reddatur ratio, quare hoc minùs liceat quàm illud.

Ad postremum respondeo, Non conuenire inter D D. vtrùm Iure diuino positiuo, an ex natura rei, an denique Iure tantùm Ecclesiastico matrimonium ratum voto solemni dissoluatur; vnde negari poterat Minor, quamuis ea à quibusdam asserta sit. Maior tamen etiam non est vera: fieri enim posset, vt Iure diuino dissoluatur matrimonium ratum per sequentem professionem Religionis in fauorem melioris status, etiamsi eodem Iure non sit irritum matrimonium Religiosi, Deo qui voluntarium militem sibi eligit, transfugam non retrahente.

DICO QVARTO. Lex irritans matrimonium post solemnia aut ritè facta vota monastica, ab Apostolica traditione descendit, & semper in Ecclesia fuit.

Probatur Primò, Quia tale quid probabiliter colligitur ex Clemente III. Constitutionum cap. 1. indicat enim, iam tum temporis in Ecclesia fuisse distinctionem voti solemnis & simplicis; simplex enim insinuat, quando dicit, *Cum dono super se viduitatis maneat*: habere enim donum viduitatis super se, est promisisse apud se Deo castitatem vidualem, vt ibi Turrianus; qui libro 2. De votis monasticis dicit, huc pertinere illud Apostoli 2. Corinth. 8. quo laudat Macedones, quod non solùm omnia sua sibi dedissent in eleëmosynas pauperum, sed etiam seipsos dedissent primùm Deo, *Deinde nobis*, inquit, *per volun-*

*voluntatem Dei.* Deo dant se, qui vouent votum simplex: at Prælatis Ecclesiæ ministris Dei etiam sese dedunt, qui votum solemne emittunt.

Illud hic meritò considerandum est, cùm votum solemne fiat quasi coram publico Dei ministro, adeoque coram Ecclesia in cuius potestate est certis de caussis matrimonium dirimentia impedimenta statuere, omnino verisimile esse, Ecclesiam his votis apposuisse ab initio impedimentum dirimens: hac enim ratione plurimum potuit votifragos retrahere, quod constat omnibus modis eam ab initio conatam semper fuisse. Accedit (quod benè obseruat Glossa, & satis indicat textus cap. Vt Lex 27. quæst. 1.) eiusmodi regulas de matrimonijs post solemne votum non ineundis, debere censeri irritatorias. Vnde sic coniuncti, sæpè in Canonibus iubentur separari, in Monasteria retrahi, in carcerem detrudi, non recipi ad communionem viuente coniuge, & similia; quæ omnia videntur irritum supponere cõiugium illud sacrilegum. Sanè Canonem Synodi Chalcedonensis 15. qui tantùm prohibitionem sonat cum pœna excommunicationis, Concilium Triburiense can. 23. allegat, vt inualiditatem statuat & separationem.

Probatur Secundo ex Regula B. Augustini lib. 4. De Baptismo, cap. 24. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum est, sed semper retentum, descendit ab Apostolica traditione.* Quòd enim Monachorum coniugia sint irrita, vbi primùm constitutum sit, non facilè reperitur, & semper videtur in Ecclesia Romana creditum & retentum.

Tertiò, Innocentius I. Epistola 2. cap. 12. eas quæ post votum nubunt, dicit esse adulteras Christi. Refertur cap. Quæ Christo 27. quæst. 1. Vbi notandum, simili planè modo adulteras spirituales puniri excommunicatione sicut carnales, & nuptias superadditas pari iure censeri in vtrisque.

Quartò Tertullianus lib. De velandis virginibus, sub finem: *Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam.* Item lib. 1. Ad vxorem: *Malo Deo nubere.* Demum sub finem Exhortationis ad castitatem: *Deo nubere maluerunt*, &c. Similis locus Ambrosij Ad virginem lapsam cap. 5.

Probatur Quintò, Siricius Epistola 1. coniugia Monachorum dicit Legibus publicis & Ecclesiasticis Iuribus damnari. Quænam autem sint istæ Leges Ecclesiasticæ, declarat Epistola 4. vbi postquam dixisset, *Litteras dare placuit, non quæ noua præcepta aliqua imperent, sed quibus ea quæ per ignauiam desidiamque aliquorum neglecta sunt obseruari cupiamus, quæ tamen Apostolica & P P. Constitutione sunt constituta*; subiungit tamquam ex huiusmodi Constitutionibus vnam, vt Sacerdotes & Leuitæ ab vxoribus abstineant. Dubium autem non est, nihil minùs constitutum fuisse de Monachis, quos Dionysius suprà testatur solere diuisibili, id est coniugali vitæ, in sua professione renuntiare.

Sextò, Huc facit Concilium IV. Carthaginense: descripto enim voto viduarum solemni, earum quæ se Domino deuouerint, & veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ in Religioso habitu apparuerint, posteà verò ad nuptias sæculares transierint, eiusmodi viduas primam fidem irritam facientes, tamquam Dei adulteras excommunicat.

Denique huius sententiæ, quatenus ab ipso tempore Apostolorum impedimentum hoc dirimens matrimonium asserit, in Ecclesia fuisse, est D. Thomæ in 4. suprà, Turriani De votis monasticis, cap. 2. Pamelij in Cypriani Epistolam 62. Henriquez lib. 12. cap. 5. num. 7. qui tamen addit, quod non probamus, esse Iuris diuini.

Quædam nihilominùs hîc obijci possunt. In primis locus Cypriani Epistola illa 62. Ad Pomponium, vbi de virginibus quæ se Christo dicauerant, dicit, *Si perseuerare nolunt vel non possunt, melius est nubant, quàm in ignē delictis suis cadant.* *Obiect. 1.*

Respondeo cum Pamelio, Loqui illis verbis Cyprianum de virginibus quæ tantùm habebant simplex votum castitatis, non de velatis, de quibus eadem Epistola longè seuerius loquitur: neque enim velatis ea libertas erat habitus & habitationis, quam in istis fuisse ostendit hæc Epistola. Bellarminus tamen dicit, agi de illis quæ nondum vouerant sed deliberabant de vouendo, sicuti nunc. Nouitiæ. Argumentum petit inde, quòd D. Cyprianus illis matrimonium permittat, etiamsi perseuerare possint, sed nolint; quod ne quidem post simplex votum ita permitti debet. Sanè verba etiam Apostoli, quæ imitatur Cyprianus, *Si se non continent, nubant; melius enim est nubere quàm vri*, dicta sunt non nuptis & viduis, adeoque & omni voto castitatis soluti. Suspicor tamen Cyprianum vtraque voce vsum esse, *nolunt*, aut *non possunt*, quia in re tali vix est impossibilitas, nisi quando imperfecta voluntas. De iis ergo agit, quibus propter infirmitatem meritò indulgeatur dispensatio simplicis voti, aut sanè vt nubant tamquam minus malum permittatur. *Resp.*

Secundo obijcitur Augustinus De bono viduitatis cap. 9. qui refertur cap. Nuptiarum 27. quæst. 1. de nuptijs enim earum quæ Deo vouerant continentiam, ita loquitur, quasi illæ ipsæ nuptiæ non sint damnandæ, *sed damnatur*, inquit, *propositi fraus.* Similia prosequitur cap. 10. & 11. Fauet lib. De sancta virginitate, cap. 34. *Obiect. 2.*

Respondeo, D. Augustinum intelligendum esse vt loquatur contra eos, qui votum castitatis in feminis ita putabant per se æquiualere nuptijs, vt non minùs irritaret subsequens matrimonium, quàm si viro desponsata fuisset, quæ sponsa est Christi. Illud tamen locum habere post votum solemne, ratione antiquissimæ regulæ Ecclesiasticæ; quamuis non ex natura voti, neque ibi neq; vsquà negat Augustinus, & videtur asseruisse dictum Concilium IV. Carthaginense, cui ipse Augustinus interfuit: vt credibile non sit, contra eius Constitutionem, ipsum hîc agere. Sanè Augustinum de voto simplici tantùm intelligendum esse, docet Gratianus in fine dist. 27. Bellarminus lib. 1. De matrimonio, cap. 21. & est communior Catholicorum contra hæreticos responsio. Azorius tamen suprà citato cap. 6. dicit, non improbabiliter aliquos respondere, hæc & similia Patrum dicta etiam de velatis procedere & Monachis, sed eo tempore aut nondum esse editam Ecclesiæ sanctionem, aut saltem vsu non vbique receptam, vt voto Religionis solemni, matrimonium subsequens dissolueretur. Hæc quidem *Resp.*



quidem ille: sed probabilius est, quidquid sit de receptione, & vniuersali omnium cognitione per tot persecutionibus agitata sæcula, institutum hoc esse Apostolicum, cuius aliud non exstet initium. Quinimò posteriores Canones potiùs accessisse, vt modum ponerent irritatis matrimonijs, quàm vt Legis indulgentiâ dissimulatis frenum adderent: modũ, inquam, ponerent, declarando quænam tandem vota sola agnoscenda sint solemnia vt matrimonia dirimant. Si ergo Augustinus omnino debeat accipi de voto solemni, quod non est certum, consequenter verisimile est, ipsum, quia fortè in Africa non erat tunc in vsu, latuisse hac in parte regulam Ecclesiasticam, vt probabile esse insinuat Bellarminus lib. 2. De Monachis, cap. 34. Hoc interim certum est, illa quæ Augustinus adfert, solùm probare, quòd votum ex natura rei non dirimat matrimonium.

*Votũ paupertatis iure humano reddit incapacem dominij.*

Affine dubium est de voto solemni paupertatis, vtrùm etiam ipsum natura sua Religiosum reddat incapacem dominij?

Vbi verior est responsio, Eiusmodi incapacitatem non nisi humano Iuri tribuendam. Confirmatur ex Authen. De sanctissimis Episcopis, Conslit. 9. §. Si qua mulier: quæ Constitutio reperitur apud Gratianum 19. quæst. 3. cap. Si qua mulier. Ita tenet Azorius lib. 12. cap. 6. Vnde hoc ipsum, quòd non sibi sed Monasterio Monachus acquirat, Iuris etiam humani est, de quo diximus quando De subiecto dominij.

Huius item loci quæstio erit, Vtrùm sint tantùm tria vota solemnia, castitatis, paupertatis, & obedientiæ?

*Vota solemnia varia.*

Respondeo, Hæc tria vota monachatus substantialia, antiquiora & magis vsitata esse; non tamen repugnare, quin etiam alia adiungantur solemnia, vtpote obedientiæ peculiaris, in missionibus Romano Pontifici præstitæ, abstinentiæ à carnibus, viuendi vitam Quadragesimalem, militandi contra Fidei hostes, seruiendi ægris, & similia. Imò placet sententia Azorij, quidquid est materia voti, saltem natura sua, etiam posse esse materiam voti solemnis: præcipuè autem eius materia est castitas, tum quòd insignis eius sit effectus in matrimonio impediendo, tum etiam quòd cùm duo tantùm sint modi solemnitatis voti antiquo Iure, per sacrum Ordinem, vel probatam Religionem, vtroque modo castitatis votum fiat solemne.

Illud denique hîc monendum, meritò à Pio V. constitutum esse Constitutione vnica, De votis in 7. Decretal. per P. Matthæum edito, vt congregationes in communi, & sub obedientia voluntaria cum distincto à sæcularibus habitu extra votum solemne Religionis viuentes, teneantur eligere vnam ex Religionibus approbatis quam profiteantur.

## DVBIVM IV.

### *Quanta sit obligatio Voti?*

*D. Thomas art. 3.*

*Opinio Hæreticorum.*

VOTA non obligare docuit Wicleff apud Waldensem tomo 3. tit. 9. cap. 75. Lutherus in Iudicio suo De votis monasticis, Zwinglius tom. 2. cap. De votis.

*Argum. 1.*

Mouentur autem variè. Primò, Quòd vota sint contra libertatem Christianam. Quod manifestum esse volunt, quando sunt de cultu non præcepto.

Secundò, Quòd vota sint de rebus, quas Deus voluit esse liberas, quæque non possint fieri necessitatis per hominum traditiones. 2.

Tertiò, Quòd vota, præsertim perpetuæ castitatis, etiamsi ad tempus sint possibilia, postmodum tamen successu temporis fiant impossibilia, & propter hanc incertitudinem ab initio debeant censeri temeraria, irrita, & inania. 3.

Si dicas, Per preces posse obtineri, ne sint impossibilia; opponunt, precibus quidem obtineri dona communia, qualia sunt resipiscentia, & virtutes omnibus necessariæ; sed dona particularia, quale est continentiæ, non obtineri ab omnibus, etiamsi instanter petierint, non magis quàm sanitas & similia bona temporalia, & hoc indicasse Apostolum 1. Corinth. 7. *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo*, &c.

Quartò, Cùm nemo possit esse continens nisi Deus det, stultum & sine obligatione esse, si Deo velis dare vel promittere tuam continentiam, cùm ea tibi potiùs à Deo accipienda sit: hoc enim, inquit Zwinglius, nihil est aliud, quàm si promittas alicui, quòd sumptu eius in perpetuum victurus sis. 4.

Quintò, Nolunt vota filiorum de ingressu Religionis obligare contradicentibus parentibus, quos Deus honorare & audire præcepit, quod vrget Lutherus. 5.

Verùm nihil istorum propriè est huius loci, sed diuerticula hæc sunt occasiones quærentium recedendi à votis suis: votum enim legitimè factum obligare, vix negare audent, ideoque hæc vana subterfugia comminiscuntur.

*Sententia Catholicorum.*

Nihilominùs arctissimam esse voti obligationem, Probatur Primò Scripturis SS. quæ sæpissimè hoc indicant, Deuteronomij 23. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus*, &c. Prouerb. 20. *Ruina est homini deuorare Sanctos, & post vota retractare.* Ecclesiastæ cap. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissio, sed quodcumque voueris, redde; multoque melius est non vouere, quàm post vota, promissa non reddere.* Iob 22. *Vota tua reddes.* Leuit. 7. *Si voto vel spõte quispiam obtulerit hostiam*, &c. Hinc enim colligimus, quod ex voto offertur, non sponte, sed quasi debitum offerri, quamuis votum sponte fiat, quod videtur quosdam fallere, qui videntes vota esse spontanea, etiam votiua crediderunt spontanea esse & libera: contra quos benè hæc distinguit locus ex Deutronomio suprà citatus. Ostendit hoc debitum vox *reddes*: quod etiam Gentiles agnouerunt, quando eos qui vouissent, voti reos vocabant, donec soluissent; si autem non soluebant, voti damnatos appellabant. Psal. 75. *Vouete, & reddite*, &c. *Terribili, & ei qui aufert spiritum*, &c. Neque enim Deus est cui impunè possit illudi, vt sunt illi de quibus Baruch 6. *Si quis illis votum vouerit, & non reddiderit, neque hoc requirunt.* 1. Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Secundò ex Canonibus & Patribus. Luculentissimus locus est cap. Licet, De voto. Ambrosius lib. 9. in Lucam, ad cap. 20. Lucæ. *Quàm grauia vincula promittere Deo & non soluere*, Basilius quæst. 14. In fusè explicatis, votifragos dicit esse

sacrilegij reos,& in eos quadrare illud: *Si in Deum quis peccauerit,quis orabit pro ipso?*

Tertiò,Ratione. Si enim homini facta promissio obligat,quanto magis facta Deo,quæ non tantùm parit fidelitatis, sed Religionis vinculum : est tamen vnicum quod contrà admittitur peccatum, quia fidelitas ergaDeum pertinet ad Religionem, vt docet Caietanus verbo Votum. Quantum verò despliceat non seruata fides, latè exemplis & auctoritatibus Scripturarum ostensum videre licet apud Turrianum lib.1. De votis.

*An materia leuitas in voto à mortali excuset. Probatur negatiua pars 1.*

Quæres Primò, Vtrùm omnis fractio voti sit mortalis?

Videtur enim esse, Quia si materia sit leuis, non tenet promissio : indignum enim est, leuia ista Deum acceptare. Quando ergo satis grauis visa est voto, etiam videri debet obligationi sub mortali.

2. Secundò,Magnum & parum dicûtur respectiuè: si ergo omittatur non pars aliqua rei promissæ, sed tota,quantumuis parua videatur,erit mortale: multùm enim infidelis est, qui rei promissæ nihil præstat.

3. Tertiò, Canones cogunt ad soluendum iuratas vsuras, cap. Debitores, De iureiurando : atqui in solutione vsurarum videtur parum per se esse virtutis,præsertim quando non ampliùs indiges vsurarij ope,cui nihil verè debes.

4. Quartò,Per votum homo sibi ponit Legem: atqui si Deus rem exiguam præciperet, ita vt ea esset tota præcepti materia, obligaret eiusmodi Lex sub mortali;ergo,&c. Propter hæc ferè argumenta Caietanus quæst. sequenti, art. 7. quando res leuis est tota materia voti vel iuramenti, putat esse mortale eam omittere. Nihilominùs

*Affirmatiua pars tenenda.*

DICO PRIMO. Quamuis ex genere suo frangere votum sit mortale, vt patet ex auctoritatibus allegatis ; potest tamen esse venialis transgressio,quando materia quæ omittitur,est modica respectu eius quod voto promissum est. Est communis.

DICO SECVNDO. Idem dicendum esse, quando materia leuis est tota materia voti: estque eadem ratio iuramenti ; sufficit enim materiam in genere eius quod voueri poterat ,esse exiguam. Ita tenent Sotus, Arragonius, & communiter recentiores contra Caietanum.

DICO TERTIO. Etiam ex indeliberatione præuaricationis fieri potest, vt tantùm venialis sit voti violatio, etiamsi materia fuerit magna : hoc enim ex natura rei prouenit, vt deliberatio imperfecta sufficiat ad veniale, non ad mortale, & locum habet in omni materia.

*Resp. ad 1. argumentũ oppositæ sententiæ.*

Ad Primum argumentum respondeo, Deum qui & parua & magna largitur, etiam parua acceptare,siue donentur siue promittantur. Quemadmodum ergo sacrilegium ratione leuitatis materiæ quæ Deo aufertur, potest esse veniale, ita & fraus voti.

*Ad 2.*

Ad Secundum, Simili argumento probaretur etiam homini rem paruam promissam fraudando, promissorem peccare mortaliter. Dico ergo, rei totalitatem non repugnare eius paruitati ; potest enim ad alia eiusdem rationis fieri respectus.

*Ad 3.*

Ad Tertium, Si tum demum Ecclesia compellat soluere, quando mortale est non soluere ; in casu cap. oppositi, iuratæ vsuræ non erunt materia leuis, sed sufficiens ad mortale tam in vsurario exigente,accipiente,& retinente,quàm in mutuatario post iuramentum non soluente. Vt autem metiaris quantitatem materiæ iuramenti,non sufficit considerare quòd præueniendo ipsum iuramentum, actus videatur habere minimum virtutis ; sufficit enim quòd sit in materia virtutis, & quòd per se considerata ea non sit leuis.

*Ad 4.*

Ad Quartum,Diximus in materia de Legibus, vt homo Legem condat quæ obliget sub mortali, duo debere concurrere, videlicet intentionem simpliciter obligandi pro materiæ qualitate, & materiæ sufficientem qualitatem: vt autem Deus eiusmodi legem condat,sufficere intentionem sub mortali obligandi. Vnde exiitimo, etiamsi rem paruam homo Deo promitteret, addito iuramento execratorio, nihilominùs non fore eius præuaricationem hoc ipso mortalem.

Ceterùm illud hoc loco monuerim, circumspectiùs agendum esse in diiudicanda materiæ quantitate, quando actus sæpè iterandus promittitur ; singuli enim erunt parua materia : velle tamen semper omittere, poterit esse mortale, non quòd multa venialia faciant vnum mortale, sed quòd multæ minutæ partes materiæ, vnam notabilem constituant.

*Quomodo excludendum votum?*

Quæres Secundò, Quomodo votum debeat impleri,quod factum est sine determinatione circumstantiarum : verbi gratia, promisisti Deo aliquid offerre, sed non dixisti quantum, quale, quando,vbi,quæritur ad quid obligeris?

Qui sine intentione & expressione determinati temporis aliquid vouit, debet nihilominùs esse solicitus, vt commodo tempore reddat, ita vt secundùm prudentis iudicium non incurrat damnationem morosi debitoris. Quamuis enim Deus bonorum nostrorum non indigeat, attamen vt munera piorum exhibita respicit, ijsque placatur; ita significant Scripturæ sacræ, ipsi hanc moram displicere : Deuteronomij 23. Ecclesiastæ 5. Chrysostomus in Psal. 49. ad citò reddenda vota adhortatur ex incertitudine huius vitæ : neque enim cui tardanti impedimentum ex humanis casibus obuenerit, inde excusationem, sed potiùs reprehensionem inuenturum : cùm enim sciamus, incertum nobis esse huius vitæ tempus, oportet potiùs accelerare promissum, ne tempus desit, quàm excusare quia deest. Si aliud tempus te non habiturum scias,nunc teneris:itaque etiam teneberis, quando aliud habiturum non scis, & opportunum te habere vides.

Sunt qui hanc regulam ponant,vt tum demum damnabilis sit mora,quando qui vouit,remorsum conscientiæ de ea habuerit. Sed hæc regula inutilis est ; scrupulosus enim citò, alius ne tardè quidem remordebitur : quærimus enim quando debeat quis remorsum habere. Recurrendum ergo ad tempus, quo sibi Legem posuit vouendo : vbi si intentio tempori non sit alligata, ad prudentis iudicium,vt diximus, erit recurrendum. Neque tamen hîc prudens iudicabit ad normam præceptorum affirmatiuorum, quæ obligant tantùm pro tempore necessitatis ; votum enim vt tale, vt benè Caietanus,non est de necessario, atque adeò non potest inde determinationem temporis sortiri. Vnde sequitur, eum,qui vouit suscipere Sacramentum Confirmationis,non posse expectare vsque ad articulum quo Lege diuina sibi incumberet eius susceptio ex alia necessitate.

Cete-



Ceterùm si quis habuerit votum negatiuum absolutè factum, obligatur statim & semper ac pro semper, vt obligare solent præcepta negatiua, saltem quantum materia sinit, & nisi intentio vouentis restringat.Ita Suarez lib. 4. De voto, c.12.

*Qua quantitate aut qualitate.*

Sicut de tempore, ita & de reliquis circumstantijs res ferè iudicio prudentis relinquenda est: sufficit enim ea quantitate & qualitate votum soluere, quæ ad executionem promissi operis sufficiat. Vota enim in fauorem vouentis, cùm gratuita sint ab initio, benigniùs sunt interpretanda, & dissimulandum, etiamsi minus offerant posterioribus annis qui annuam oblationem vouerunt sine certa mensura,cap. Ex parte, De censibus. Neque opus est respicere ad illud quod expressisset vouẽdo, si memor fuisset,aut de quo tunc cogitabat:hoc enim non inducit obligationem,cùm habituale tantùm sit, aut sanè extra promissum, vt contra Siluestrum obseruat Valentia disp. 6. q. 6. puncto 4.

*Temerè vouens quo modo obligetur.*

Quæres Tertiò, Vtrùm temerè vouens obligetur? Videtur enim non obligari, quia potest licitè pœnitere de temerario voto.

Respondeo,Temeritatem non excusare, si reliqua adsint, vtpote si fuerit alioqui sufficiens deliberatio, qualis sufficeret ad peccatum mortale, & ex parte rei promissæ constet votum, secundùm superiùs dicta. Patet cap. Veniens, hoc tit. cap.Sunt qui opes 17.quæst. 4. ex Ambrosio : vbi ita tenet Turrecremata,& alij.

Ad rationem dubitandi dico, Duobus modis intelligi alicuius pœnitentiam de suo voto. Vno sic, vt votum implere non velit, quæ pœnitentia est peccatum, & ipsius pœnitentiæ pœnitentia agenda est:ruina enim est homini, vt Sapiens dicit suprà,post vota retractare. Quem locum Hieronymus in cap. 42. Ezechielis ita legit : *Laqueus est viri, citò quid de suis sanctificare : cùm enim votum fecerit, surrepit pœnitentia.* Alio modo subit vouentem facti à se voti pœnitentia, ita quidem vt doleat se votum feciſſe, non tamen vt habet honestatem virtutis ( hoc enim iterùm esset peccatum ) sed quatenus habuit adiunctam aliquam temeritatem, sic tamen vt velit implere ; & talis non peccat, si de sola temeritate doleat : continget tamen venialiter peccare, si de substantia actus propter se doleat. Azorius lib.11. cap.15. Secùs si propter rationabilem causam. Siluester verbo Votum 2.quæst.20.numero 1.

*De votorũ impossibilitate.*

Quæres Quartò, Vtrùm teneatur ille cuius votum fit impossibile?

Tractat istud D. Thomas hîc ad 2. & summa responsionis eius est, Talem debere hoc facere quod in se est,& saltem debere habere promptam voluntatem faciendi quod potest ; & si culpa sua inciderit in eam impossibilitatem, debere insuper etiam de illo peccato suo pœnitere.

Verùm circa generalem istam doctrinam multa moueri possunt.

Primò, Ad quid teneatur, cuius culpâ votum factum est impossibile?

Secundò, An liberetur, qui certo tempore vouit aliquid facere,si eodem tempore per morbum fuerit impeditus?

Tertiò, Qui vouit ingredi Religionem, quid faciet si non recipiatur?

Quartò, Quæ virginitatem vouit, ad quid teneatur ea amissa.

Quintò, Vtrùm excuset quòd votum fiat ita difficile, vt præuisa eiusmodi difficultate non vouisses?

*De culpabili impossibilitate.*

Ad Primum, Qui data opera votum sibi impossibile facit, eo ipso præuaricatus est. Si tamen impossibile manet, non iterùm præuaricatur non implendo. Sed obseruandum,aliquando ex parte tantùm votum fieri impossibile, & tunc regulariter pro parte possibili esse implendum. Argumentum ex cap. Quanto, De iureiurando. verbi gratia,habet quis votum simplex castitatis,quam sibi facit ex parte impossibilem quando matrimonium init & consummat ; tunc enim in potterum vxori tenetur reddere debitum : quia tamen in potestate eius adhuc est non petere debitum, hac ex parte manet voto ligatus, vt habet communior & verior opinio, pro qua sunt textus apertissimi cap. Quidam, cap. Placet, De conuersione coniugatorum.

At si votum sit castitatis, quæritur, vtrùm eo ligatus, debitum reddendo possit matrimonium posteà initum consummare?

*Voto castitatis obstrictus quo modo possit matrimonium consummare.*

Respondeo, Verius videri quòd possit, quia non tenetur Religionem ingrediendo vori possibilitatem sibi restituere. Neque enim videtur æquum,eum qui liberaliter promisit, obligare ad medium ita difficile, præsertim cùm omnis obligatio hîc oriatur ex ipsius intentione, quæ non videtur se se ad Religionis ingressum extendisse.

Excipe tamen hîc casum, quo non tenetur reddere debitum, puta quia coniunx adulterium admisit, aut quia bimestre primum adhuc currit, quo potest deliberare de ingressu Religionis. Quamuis admodum probabiliter quidam dicant, à redditione debiti illo bimestri eum non excusari, qui non deliberat ingredi Religionem, sed resoluit non ingredi, quia cap.Ex publico, De conuersione coniugatorum , duos illos menses concedit deliberanti de Religione.

At contra dicta oppones cap. Statuimus, De Regularibus, vbi dicitur, quemlibet renuntiare posse rei quod pro se nosci tur introductum ; ergo etiamsi non teneatur reddere debitum quia vxor fornicata est, non tamen peccabit reddendo, licet voto castitatis ante nuptias se obstrinxerit.

Respondeo, Quando redditio debiti solùm excusat, quia negando alteri fieret iniuria, verius est quòd non excusetur in proposito nostro reddens: qui enim priuilegium habet vt tempore interdicti possit audire Sacrum, peccat die festo non audiendo Sacrum tempore illo interdicti : renuntiatio enim proprij fauoris non valet, quando inducit ad delinquendum, aut quando est contra bonos mores, vt docet Panormitanus in cap. Si diligenti, De foro competenti. Adde, quòd non liceat cuipiam suo fauori renuntiare, si hoc cedat in læsionem Iuris alterius: in proposito autem læditur per eiusmodi renuntiationem Ius quod habet Deus ex promissione sibi facta.

*Qui habet votum Religionis,peccat consummando matrimonium.*

Si votum sit de ingressu Religionis, peccat prima vice etiam redditione debiti matrimonium consummando, quia adhuc ei possibilis est ingressus Religionis,quem sibi reddit impossibilem matrimonium consummando ; sed post consummationem potest non solùm reddere, sed etiam petere coniugale debitum.Neque enim qui vouit ingredi Religionem, adstrictus iam est voto castitatis antequam ingrediatur, sicuti qui vouit Or-

dines sacros susçipere, nondum tenetur ad Horas antequam eos susceperit. Aliter dicendum esset, si vouens ingressum Religionis, intenderet simul principaliter sese illo voto obligare ad castitatem.

Ceterùm si quis aliquamdiu in mora fuerit, etiamsi votum sine alia sua culpa ei postea fiat impossibile, existimat Panormitanus in cap. Licet, hoc tit. numero 14. Votum eius redimendum vel commutandum esse. Doctrinę tamen D. Thomæ conformius est, adeoque probabilius, talem teneri solùm ad pœnitentiam quòd tardauerit vota sua reddere, & ad illud de suo voto præstandum quod potest, nisi fortè Ecclesiæ aut homini aliquid sit ipso voto promissum, quod exigere potuerit; tunc enim vouens obligabitur ad sarciendum interesse.

Ad Secundum, Azorius lib. 11. cap. 15. q. 12. putat, Non teneri. Consentit Siluester verbo Votum 2. quæst. 6.

*Per morbũ impeditus quomodo teneatur?*

Certum in primis est, si quotannis quis voueat facere certam peregrinationem, & contingat vno anno impediri per morbum, sufficere quòd alijs annis votum impleat, neque teneri ad vllam commutationem.

Certum est Secundò, Quando copulatiuè quis vouit peregrinari, & hoc præstare ante tale tempus, teneri peregrinari, etiamsi toto illo tempore fuerit ei impossibile. Ratio est manifesta: quia duo vouit, quorum alterum tantùm factum est impossibile.

Certum est Tertiò, Si disiunctiuè quis vouerit, puta ieiunare vel orare, etiamsi ieiunare illo tempore non possit, teneri tamen orare.

Quartò denique dicendum est, Qui non aliter vouit peregrinari, quàm quia certo tantùm die intendebat se obligare, puta quia eo die erat futura translatio alicuius Sancti, quem colere volebat, vel etiam qui sine alia causa solùm intendebat copulatim per modum vnius vouere peregrinationem, & quidem tali die faciendam; si illo die ei fiat impossibilis, etiamsi impossibilitas non erat tempore voti, ad nihil tenetur, quia secundùm regulam D. Thomæ in 4. dist. 38. quidquid initio impediret votum, puta propter sui impossibilitatem, quando votum fit, impedit etiam posteà illud iam factum.

*Regula D. Thomæ.*

Potest tota hæc resolutio ferè reduci ad distinctionem qua vtitur Nauarrus. Vel enim tempus in voto apponitur tamquam terminus licitæ dilationis implendi voti: vt si dicam, Voueo ingredi Religionem ante Quadragesimam; significo enim, mihi licere differre ingressum Religionis, modò ingrediar ante Quadragesimam: & hoc casu certum, obligare votum etiam lapso illo tempore. Vel apponitur tempus tamquam terminus ipsius voti, siue ad finiendam obligationem; vt si voueam ieiunare in Vigilia alicuius Sancti principaliter in eius honorem, non teneor alio die ieiunare extra illam Vigiliam.

Dico, *principaliter*; quia si quis voueat ingredi Religionem in festo S. Francisci, principaliter intendens cultũ Dei per vitam monasticam, etiamsi secundariò intendat honorem Sancti, non est liber elapso festo. Quando verò dubium est, an tempus sit limes dilationis, an verò finis obligationis, examinanda est in primis intentio vouentis. Si & ista dubia fuerit, coniecturis standum erit viri prudentis.

At quæres, Vtrùm debeat præuenire, qui videt se impediendum?

Respondeo, Si sit onus annexum tempori certo, aut intentio vouentis fuerit non obligare nisi lapso certo tempore, non tenetur præuenire tempus, etiamsi nunc videat se tunc impediendum: tenetur autem præuenire, quando tempus appositum solùm erat limes dilationis; item etiam quando erat finis obligationis, si voti materia non erat proprium onus certi temporis.

*Qui vouit Religionẽ, quid facit si non recipiatur?*

Ad Tertium, Vel vouit principaliter ingredi hoc Monasterium, & quasi ex consequenti Religionem in genere; & tunc voto liberatur, si à Religiosis illius Monasterij post iustam instantiam non recipiatur: vel vouit principaliter ingredi Religionem, cogitauit autem ex consequenti de isto loco vbi non recipitur, & tunc repulsus non est liber, sed tenetur in alijs locis seriò & sedulò sollicitare. In alijs, inquam, tali numero, tali distantia loci, tali diligentia, qualiter prudens sufficere iudicabit. Si autem eiusmodi diligentia nihil profecerit, voto solutus est. Ita ferè hîc D. Thomas ad 2. & alij communiter. Imò patet ex dictis, talem posse ducere vxorem, & non teneri seruare castitatem, quod tenet Sotus lib. 7. quæst. 2. art. 1. ad 3.

Limitanda tamen sunt dicta, quando quis propter impedimentum temporale non admitteretur: is enim semel repulsus, si postmodum admittatur, tenetur; alioqui sine eiusmodi causa semel post debitam instantiam plenè repulsus, non teneretur ingredi, etiamsi posteà admitteretur.

Sed quid si tantùm vt laicum recipere velint, qui vouit Religionem ea intentione vt ad sacros Ordines ascendere possit?

Respondeo, Non teneri ad laici statum in Religione susçipiendum, sed manere liberum tamquam simpliciter reiectum: non enim obligatur vltra intentionem suam.

Dices, Videntur cum dictis pugnare cap. Quidam, & cap. Placet, De conuersione coniugatorum, suprà citata: ex illis enim constat, eum qui inuita vel non consentiente vxore professus fuerit continentiam, post mortem coniugis quæ eum repetiuerat, debere seruare castitatem, & non posse aliam ducere.

Sed respondeo, Minimè pugnare: qui enim inuita vxore professus est Religionem, iam vouit castitatem, quia professioni Religionis quam emisit, substantialis est professio castitatis: & quamuis Religionis professio in ipso non valeat pro voto solemni, resoluitur tamen in votum quoddam simplex, ratione cuius perpetuò teneatur ad castitatem quantum in se est, id est quoad potest sine alterius iniuria. In casu autem nostro non est vllo modo votum castitatis, sed tantùm Religionis obiectiuè.

*Quæ vouit virginitatem, ad quid ea amissa teneatur.*

Ad Quartum respondeo, Quæ virginitatem vouet, nisi aliud intendat, perpetuò vouet non cognoscere virum, adeoque perpetuam vouet castitatem. Quod manifestum est ex proposito virginitatis seruandæ: non enim censetur habere absolutè tale propositum, quæ in vllam copulam tota vita futuram consentit; multò minùs illa, quæ solùm in primam non consentit.

Neque refert, quòd non voueret virginitatem, nisi incorrupta iam esset: regula enim B. Thomæ suprà allegata, illud impedire si superueniat, quod



quod votum impediuisset ab initio, non est intelligenda de illis quæ votum ne fieret impediuissent, sed de illis quæ votum quod iam fit, si adessent, impedirent; id est, quæ impediunt valorem voti ex parte obiecti, etiamsi votum fiat quantum est ex parte vouentis, non autem quæ vouentis animum à vouendo diuerterent, vt benè Caietanus, Sotus, & alij communiter notant.

*Explicatur Regula D. Thomæ.*

Dico, *Nisi aliud intendat*; quia potest virgo voto se obligare ad seruandum tantùm castitatem nondum violatam, ita vt intendat non obligari ex voto nisi ad primam copulam vitandam, adeò vt si vi opprimatur, iam voto de cetero soluta sit, quasi cessante conditione quâ in promissione apposuit: similiter si culpâ suâ cadat, cõditio voti in posterum ipsa voti fractione cesset. Quando autem dubium est, vtro modo virginitatem vouerit, censendum est, priori vouisse: quando enim constat votum emissum esse, sed dubitatur de illis quæ ex parte vouentis præter naturam voti addi poterant, iudicatur pro voti natura, vt in simili diximus Dubio 1.

*Deo qui non vouisse si difficultatem præuidisset.*

Ad Quintum respondeo, Vt difficultas superueniens excuset, non est satis quòd ea præuisa non eras facturus votum, sed si talis sit vt cum tanta difficultate extraordinaria non censearis te voluisse obligare, adeoque illum casum virtute in voto tuo eximisse meritò existimeris, verius videtur te non teneri: ex eo enim fundamento suprà diximus non teneri eum ad ingressum Religionis, cui votum simplex castitatis per sequens matrimonium iam factum est impossibile, nisi ante consummationem Religionem ingrediatur. Tenet ita Sanchez lib. 4. in Decalogum c. 2. n. 29.

Quæres Quintò, Vtrùm votum obliget, cuius conditio fallit?

*Votum conditionale duplex,*

Respondeo, Votum conditionale duplex est, non pœnale & pœnale. Dico pœnale, si ingressum Religionis voueas, casu quo tale admiseris peccatum. Non pœnale, si eumdem voueas casu quo mater ante te obierit. Tale erat votum Iacob: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Adeò frequens est vsus huius voti apud gentiles, vt vix aliter vouisse dijs suis legantur.

*Pœnale, & non pœnale.* Genes. 28.

*Obligat impleta conditione.*

Vtrumque votum præcisè obligat, posita conditione; ea deficiente, non obligat, cap. Verùm, De conditionibus appositis. Hoc tamen pœnale differt à non pœnali, quòd in illo conditionis oppositum videatur potiùs esse intentum, quàm quod per modum pœnæ adiungitur. In voto etiam non pœnali ea potissimùm varietas consideratur, vt aliud sit sub conditione expressa, aliud sub tacita. Tacitæ conditionis latissimè patet vsus: quando enim Lege aut natura inest conditio, etiamsi forma voti sit absoluta, resoluitur in conditionatum, & conditione non exstante, non obligat. Tales conditiones generales sunt in omni voto: Si vixero, Si potero, Si Deo placuerit, Si Superior non sustulerit obligationem, c. Sanctus Paulus 22. quæst. 2. ex Gelasio Papa; cap. Quemadmodum, De iureiurando, cap. Non est, De voto. Specialis autem conditio censetur, quando non subintelligitur, nisi speciatim apponatur.

*Votum tacitæ conditionis.*

Ceterùm quamuis liberalior modus vouendi sit, quando absoluta promissione Deus prouocatur, sicuti & precibus & quolibet bono opere inducitur vt desiderium nostrum compleat; modus tamen sub particulari conditione vouendi omnino licitus est: friuolum enim est, quòd Innocentius putauerit tale votum pertinere ad Simoniam, quasi à Deo sanitatem aut etiam secundùm substantiam spiritualia dona promisso munere velimus emere: nam in primis qui sic promittit, non promittit donum tamquam pretium sanitatis, sed sanitatem ponit tamquam conditionem liberalis doni. Deinde propter retributionem Deo seruire exemplo Dauidis, sanctum est, vt diximus & limitauimus, quando De meritis. Denique non admittitur cum Deo Simonia, vt rectè obseruat Glossa in cap. Presbyter, dist. 82. quia Deus precibus & votis pijs laboribus omnia vendit, & nos ad emendum in Scripturis inuitat: Dominus est rei spiritualis, à nemine accepit vt gratis acceptum gratis dare debeat; neque eam vilipendit, quando liberali promisso nos ad vicissim promittendum allicit, sed sua dona coronat, qui & ipsa vota nobis aspirat.

*Aliquando obligat non impleta conditione.*

Nota, Interdum votum conditionale obligare, etiam non impleta conditione, Primò, Ratione scandali, quando conditio sola mente apposita est, & votum fuit publicum. Argumentum ex cap. Magnæ, §. Præterea, hoc tit.

Secundò, Quando obligatio non pendet tota vel principaliter ab euentu conditionis. Siluester hoc verbo 2. q. 2.

Tertiò, Quando vouentis culpâ impeditur euentus conditionis: verbi gratia, vouisti centum si Deus præseruet te à tali peccato, & interea neglecta omni fuga peccati, etiam solita & ordinaria, fortè etiam eo fine ne voto tenearis, præcipitas te in idem flagitium: tunc enim nisi certò scias te intendisse adijcere limitem voto, ex euentu quocumque talis peccati, voto nihilominùs teneberis, secundùm eumdem Siluestrum, quem sequitur Suarez lib. 4. cap. 17. quamuis dicat oppositum esse probabile, cò quòd videatur in conditione spectasse quod ex parte Dei sperari poterat, nimirum gratia efficax ad vitandum peccatum. Imò nisi constiterit, intentionem maiorem habuisse ad sese obligandum eum qui vouit, verius existimo, tunc demum hanc exceptionem admittendam esse, quando in voti fraudem, ne teneatur, peccatum admittit. Et ita tenet Sanchius. lib. 4. in Decalogũ suprà citato c. 23. n. 53.

Quartò, Quando vouisti aliquid à te implendum, si Petrus Paulo dederit centum, teneris, si Petrus obtulerit, etiamsi Paulus noluerit acceptare: quia oblatio habetur pro impleta conditione. Ita Canonistæ. Consulenda tamen erit vouentis intentio.

Quintò, Si conditio adiecta in non faciendo consistat, statim obligaris voto, vbi id non posse fieri constiterit: præcisa enim censetur pendentia conditionis per impotentiam. Imò si vouisti Religionem, nisi Petrus in Hispaniam abierit; probabile est, quòd statim teneatis, eo, cùm commodè possit, non abeunte, nec cogitante abire, nisi aliter expresseris.

*Quando non obligat impleta conditione.*

Ex aduerso interdum votum etiam eueniente conditione non obligat, puta quando conditio fuit contra substantiam voti, vt si quis solemniter Reli-

Religionem voueat ea lege, vt sibi liceat aliquam domum tamquam propriam possidere, etiamsi ea domus ei permittatur, votum non constabit, quia ab initio irritum fuit, vt ex communiori contra aliquos tenet Azorius q. 9. cap. 15. suprà.

At quid si voueat dotare Ecclesiam ea conditione, vt Episcopus curam & administrationem non habeat?

Respondeo, Votum non valere: donatio tamen sic facta teneret vitiata conditione. Argumentum ex cap. Sic quidam 10. q. 1. ex Concilio Toletano III. Ratio prioris partis est, quòd talis conditio illicita sit contra Canones: posterioris, quòd eiusmodi conditio auctoritate Canonis in donatione iam facta vitietur.

Quæres, Quomodo is qui vouit, debeat se gerere in procuranda vel non impedienda conditione sub qua vouit?

Respondeo Primò, Vi voti conditionati non tenetur qui vouit procurare vt extet conditio; non enim vouit conditionem ponere, sed hoc aut illud ea posita.

Secundò, Ratione voti non tenetur qui vouit aliter se circa conditionem gerere quàm teneretur si non vouisset.

Tertiò, Cauere tamen debet, ne in fraudem voti conditionem impedire conetur.

Quartò, Censetur etiam obligatus, quando conditio pendet ab alterius hominis voluntate, id præstare & id omittere, quod præstandum aut omittendum fuerit, vt alter ille liberam habeat circa conditionem decisionem. Itaque tenebitur patrem non celare suum votum, si voluerit ingredi Monasterium, si pater consenserit: neque poterit per fraudem efficere, vt pater consensum neget; neque ea importunitate vti, vt non censeatur patrem suæ libertati reliquisse. Poterit tamen rationes allegare, ob quas patrem consentire non conueniat, & significare, se desiderare ne consentiat: imò rogare poterit, ne consensum præbeat. Ratio est, quia satisfacit voto obstrictus, si conditionem suæ naturæ relinquat; ad hoc enim tenetur, non ad alia omittenda, quæ eam in sua natura non impediant.

*De obligatione voti cuius causa cessat.*

Quæres Sextò, An obliget votum, cuius causa cessat?

Respondeo, Si causa verè sit finis voti, ea cessante votum cessare; vouens enim non absolutè, rem promissam vult, sed per modum vnius cum illo fine: secùs si solùm impellens & inclinans ad vouendum. Prior pars patet ex dictis De donatione ob causam; ferè enim resoluitur eiusmodi promissio in conditionatam. Ita tenet Panormitanus in cap. Magnæ, hoc tit. quem sequuntur Siluester, Azorius, Suarez lib. 4. cap. 18. & alij: quamuis Glossa in idem cap. aliter sentiat: dicit enim, non excusari vouentem, licet causa voti cesset, cùm etiamsi sine causa vouisset, nihilominùs teneretur. Argumentum ex eod. cap. Magnæ, & cap. Ex parte 2. De conuersione coniugatorum: priori enim Innocentius III. vult eum voto teneri, qui illud emiserat causa implorandi Patronum Ecclesiæ, etiamsi Patronum obijsse intellexerit. Et posteriori cap. idem Pontifex vult mulierem solemni voto Religionis teneri, quod nuncupauerat post ratum matrimonium, quia virum suum falso rumore audierat lepra laborare. Sed cap. Magnæ, rectè exponitur de causa tantùm impulsiua, de qua secunda pars nostræ responsionis.

Maior difficultas est de cap. Ex parte. Verùm probabiliter etiam eadem solutio hîc accommodari poterit, vt propter illud non debuerit Goffredus facere exceptionem in voto Religionis. Fauent verba illa cap. *Prædicta mulier est inducta*, &c. Aliter tamen & probabiliùs dici potest, assertionem nostram procedere tantùm in voto simplici, adeoque votum solemne Religionis non esse irritum, etiamsi error sit in causa finali, etiam ex dolo. Argumentum ex cap. vlt. 20. q 3. ex Concilio Moguntino, modò non erretur in substantialibus voti. Ratio est, quòd votum solemne æquiparetur quoad hoc matrimonio, quod non inualidatur quocumque errore, nisi personæ & conditionis: est enim inconueniens, in amplectendo statu perpetuo & insolubili finem sibi præfigere extraneum, vt meritò ille non tamquam finis, sed tamquam impulsiua tantùm causa æstimetur: aliàs enim sequerentur multa incommoda & scandala, tumultuariè irritatis sic nuptijs & professionibus, quod benè expendit Sanchez lib. 10. de Martin. disp. 9. n. 20.

*Discrimen inter votum simplex & solemne.*

Ceterùm si dubites in voto simplici, vtrùm causa quæ cessat, fuerit finalis, an tantùm inductiua? In eo conueniunt D D. habendam esse tantùm inductiuam, & tenere votum. Ita Angelus verbo Votum 3. num. 5. Siluester eodem verbo 2. q. 8. Discernit autem Sanchius in Decalogum lib. 4. cap. 2. num. 38. causam finalem ab inductiua, quòd finalis ita animum ad disponendum moueat, vt ad eam obtinendam res electa dirigatur, ita vt ea non existente, non esset quis dispositurus: impulsiua autem animum ad disponendum iam determinatum impellat vel inciter ad libentiùs, aut celeriùs, aut tali modo disponendum. Si duæ sint causæ æquè principales, altera tantùm cessante; aut quando vna fuit principalior, cessante minùs principali, adhuc ligat votum, vt docet idem Siluester.

*De obligatione non nubendi. Sententia Caietani.*

Quæres Septimò, Quousque obliget votum non nubendi, an etiam ad castitatem tam præceptam quàm non præceptam?

Caietanus hoc articulo, & in Opusculo proprio de hac re docet, votum non nubendi esse idem cum voto castitatis supererogationis: pro qua sententia multos citat Sanchez lib. 9. disp. 33. num. 21. Probari potest. Qui vouet abstinere à nuptijs, etiam vouet abstinere ab vsu nuptiarum: atqui extra coniugium copula carnalis non est licita; vouet ergo abstinere ab omni copula licita. Confirmatur, Negatio eam vim habet vt destruat quidquid post se inuenit; quamuis ergo promittens matrimonium, non promittat actum, tamen promittens non inire matrimonium, etiam promittit non vti.

Altera tamen sententia est verior, quam tenet Sanchez, & est communior, vt patet ex auctoribus quos ipse citat. Pro qua

DICO PRIMO. Qui vouit non inire matrimonium, non peccat contra votum, etiamsi fornicetur contra Dei mandatum, & virtutem castitatis. Fatetur id Caietanus. Votum enim castitatis, vt manifestum est, latiùs patet quàm votum non nubendi.

DICO SECVNDO. Qui iniit matrimonium contra votum non ineundi, potest etiam petendo



do debitum illud consummare: neque enim tenetur voto castitatis. Tenet inter reliquos quoad petitionem debiti in consummatione, Emanuel Sà verbo Debitum coniugale, num. 4. Probatur, quia solùm vouit abstinere à statu coniugali, & si castitatem promisisset, vtique etiam præceptam promisisset: nam abstinens à nuptijs, non solùm à copula coniugali ex consequenti debet abstinere, sed generatim ab omni carnali copula: promisit ergo solùm castitatem consequenter, subsistente principali voti materia.

DICO TERTIO, Talis, si vxor moriatur, non potest ad secundas nuptias transire; redit enim possibilitas voti, & lex negatiua, qualem sibi per votum posuit, semper obligat.

Quæres Octauò, Possitne quis voto suo satisfacere, etiamsi actum promissum expleat immemor sui voti?

Non absimilem quæstionem tractauimus 1. 2. in materia De Legibus quæst. 90. art. 4. dub. 4. itaq; dicta eo loco, hîc ferè poterunt applicari.

*Verior sententia, Voto satis facere potes, etsi non cogites de eo.*

Respondeo ergo, Posse voto satisfieri etiã ab eo qui actu de voto nõ cogitat. Primò, Si virtute voluntatis explendi votũ opus promissum exequatur.

Secundò, Si opus liberè à se factum postmodum referat actu ad explendam voti obligationem, durante adhuc tempore quo voto satisfieri poterat. Secùs probabiliter dicetur, si tempus lapsum sit: vel enim inaduertentia fuit inuincibilis, & sic excusatur quidem à culpa, attamen votum non impleuit: vel est vincibilis, & tunc peccat præuaricatione voti, quod culpabiliter, quantum in se est, omittit; quia per accidens est quòd ex alio motiuo planè materialiter idem opus promissum fecerit.

Tertiò, Si votum sit de aliquo omittendo, impletur omissione illius etiam à non cogitante. Hæc satis probabiliter & conformiter illis quæ de Legis impletione diximus. Et hoc ferè modo voto applicat Azorius lib. 11. cap. 15. q. 14. Quia tamen probabile est, etiam ad præcepti affirmatiui impletionem non esse necessariam scientiam præcepti, vel intentionem illud implendi, sed satis esse quòd opus fiat scienter, & ex libera electione cum debitis circumstantijs pront directè præcipitur, adeò vt non tollat præcepti impletionem, quòd subditus habeat expressam intentionem per tale opus non implendi præceptum, sed per opus aliquod sequens, vt docet Vasquez 1. 2. q. 100. art. 9. Erit quoque probabile, ad similem modum, actum voto promissum impleri, etiam si non illo, sed tecuturo aliquo, intendas votum implere quando eum facis, modò te non obliges nouo promisso; adeoque etiamsi nihil de voto cogitans eum feceris, neque posteà eò retuleris: non enim vouisti hunc actum facere hac aut illa intentione, sed facere simpliciter, aut non omittere; & sicut præceptum non obligat ad faciendum ex motiuo obedientiæ, ita neque votum ad faciendum ex motiuo Religionis: quamuis tunc vt non ex voto fieret eiusmodi actus, ita neque esset Religionis.

Ex dictis infero, Valdè probabile esse, satisfieri præcepto aut voto per actum præceptum vel promissum, si is humano modo fiat, etiamsi intentio implendi Legem aut votum nec præcedat, nec comitetur, nec sequatur: præceptum enim & votum est, non de habenda intentione tali, sed de faciendo tali opere, vt ita sentiens vrget Sanchius in Decalogum lib. 1. cap. 13. num. 14. Si tamen eleëmosynam voto promisisti, & quod pauperi nunc das, velis cedere in solutionem mercedis quam fortè ei debes, nondum feciſti actum promissum voto: secùs si eleëmosynam pauperi des, animo non tunc, sed posteà per aliam eleëmosynam implendi votum.

At quid si quis voto obstrictus ad dandam eleëmosynam, eam det planè ignoranter, aut casu, aut etiam malo fine, ita vt non sit actus eleëmosynæ, persoluétne talis votum eiusmodi actu? Videtur enim defungi: quia si actus eleëmosynæ propter necessitatem ei tunc esset præceptus, liberaretur per talem actum obligatione præcepti, etiamsi non faceret actum virtutis eleëmosynæ.

Respondeo, Videtur non satisfacere voto. Ratio enim diuersitatis est, quòd præceptum cesset, quia tali actu tollitur necessitas pauperis, à qua præceptum, non autem votum pendet. Est tamen probabile quòd satisfaciat, si votum, vt ferè in talibus fit, potissimùm cadat in actum externum. Imò existimat Vasquius, etiam quando non satisfieret præcepto diuino in materia, verbi gratia Religionis, per subsistantiam actus præcepti sine modo virtutis; posse nihilominùs voto in eadem materia actu sine modo virtutis exercito satisfieri, quia nimirum potest quis sese voto ad actum Religionis secundùm substantiam obstringere, non intendens se obligare ad modum virtutis.

*Quando teneatur per alium vota persoluere.*

Quæres Nonò, Quomodo quis per alium votum suum persoluere teneatur, quando per se non potest?

In votis realibus & mixtis, saltem illis vbi quod reale est primariò vouetur, oportet per alium satisfaciat voto, qui per se non potest; in personalibus autem non tenetur, nisi intenderit se ad illud obligare. Censetur autem satis intendere, quando certò præscius perpetui impedimenti, nihilominùs vouet: ita enim votum est interpretandum, vt non sit deriſorium. Panormitanus in cap. Licet, De voto, num. 13. Patet hæc responsio, Quia in realibus non tam respicitur per quem fiat, quàm vt fiat: secùs in personalibus. Vnde Innocentius III. cap. Quod super his, eodem, indicat distinctionem inter eos qui pro defensione Terræ sanctæ emittunt votum peregrinationis, & eos qui faciunt votum peregrinationis pro satisfactione suorum peccatorum. Et ita tenet Siluester verbo Votum 2. Innocentius in c. Scripturæ, De voto, Azorius suprà q. 17.

*Iudex an cogat implere vota.*

Quæres Postremò, Possitne quis per Iudicem cogi vt votum simplex adimpleat?

Negatiua responsio videtur colligi ex D. Thoma ad 1. hoc artic. Respondet tamen Graffius affirmatiuè parte 2. lib. 2. cap. 12. num. 34. Probatur ex cap. Ex parte, De censibus, vbi Panormitanus & Glossa in cap. Scimus 12. q. 1. Imò qui vouit ingredi certam Religionem, potest cogi per Regulares illius Religionis ingredi vt promisit; & si in genere vouit ingredi vnam ex probatis, ad hoc ipsum potest cogere Ecclesia, vt ex Innocentio dicunt Panormitanus & Graffius.

Sed quid si de voto facto in iudicio non probetur, aut non probetur nisi confessione ipsius qui vouit?

Respondeo, Priori casu per Iudicem non cogi, indicat Graffius: non cogi etiam posteriori, nisi in foro confessionis Sacramentalis. Verius tamen credo & conformius prædictis, etiam tunc posse cogi: quia nemini præiudicatur nisi confitenti, & vertitur fauor animæ ipsius & Religionis. Subintellige tamen, quoad fieri potest sine detrimento secreti, maximè confessionis Sacramentalis. Probatur ex ijs quæ habet Gratianus in principio causſæ 14.quæst.2.& ex cap.1.& 2. De confessis.

Ad D.Thomam in oppositum allegatum respondeo, Ipsum dumtaxat loqui de promissione facta homini: illi enim tribuit obligationem Iuris naturalis, & adimit ciuilem. Secundò, Adimit quidem obligationem ciuilem promissioni factæ homini; sed non negat, voto, saltem ex Iure Canonico, inesse obligationem quam Iudex exigere valeat. Vnde rectè Panormitanus in dictum cap. Licet, dicit, laicum ratione voti, sicut & ratione iuramenti, esse de foro Ecclesiæ.

## DVBIVM V.

### *Vtrùm vnus possit obligari Voto alterius?*

*Votum merè personale vnius alterius non obligat.*

DICO PRIMO. Voto alterius merè personali citra proprium consensum nemo obligatur, siue sit extraneus, siue filius aut heres. Est communis DD. Angeli verbo Votum 3. §.3. Siluestri verbo Votum 2. quæst.9. Panormitani in dictum cap. Licet. Probatur Deuter.23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris.* Idem docet Basilius Regula 15. in longioribus, Bernardus epistola 1. Eódem faciunt cap. Puellæ, Leonis Papæ, cap. Sicut, Eugenij II. cap. Illud, Marcelli Papæ, causſa 20.quæst.1.cap. Cùm simus, De Regularibus. Suffragatur & ratio. Votum enim est promissio actiua, est Lex quam sibi quisque ponit; præcipere potest Superior, & sic obligare subditum; vouendo autem subditum non obligat, sed quisque votis illis obligatur quæ distinxerunt labia sua: coacta enim seruitia Deo non placent.

*Obiect.* Obijciuntur quædam capp. ex eadem quæst. 1. causſæ 20.cap. Addidistis, ex Gregorio; cap. Monachum, ex Concilio Toletano IV. cap. Quicumque, ex Isidoro; vbi adducitur exemplum ex sacra Scriptura: nam Anna Samuelem puerum Deo obtulit, qui in templi ministerio permansit. Addi poterat ex Nysseno Oratione De Christi natiuitate, exemplum B. Virginis, quam altera Anna instar Samuelis Deo in templo obtulerit. Denique cap. Significatum, De Regularibus: quibus omnibus statui videtur, si parens filium Deo in aliquo Monasterio obtulerit, filium voto parentis teneri.

*Resp.* Respondeo, Istis capp. hoc absolutè non statui, sed cum eiusmodi limitatione, vt videlicet vsque ad pubertatem filius teneatur manere in Monasterio cui oblatus fuerit à parentibus, post pubertatem autem non teneatur, nisi in casu, quo aliquamdiu iam pubes in Monasterio perseuerando tacitè censetur paternum votum confirmasse. Vt clarius id fiat, singula capp. inspiciamus.

In cap. Addidistis, quærebatur, Vtrùm sic oblatis, postquam pubertatis annos impleuerint, liceat egredi, & matrimonio copulari? Respondet Gregorius, Non licere. Sed intelligi potest de illis, qui post pubertatem aliquamdiu in Monasterio perseuerarunt, & iam professi fuerunt; non autem de illis, qui statim initio pubertatis egredi voluerint: vel sanè loquitur de illis, qui parentum voto expressum consensum præbuerant post pubertatem.

Cap. Monachum, dicit, Monachum fieri vel paterna deuotione, vel propria professione. Verùm illud cap. Clemens III. cap. Cùm virum, Extra. De Regularibus, indicat, debere accipi in casu, quo non constat professum ex parentum voluntate contradixisse; aut si contradixerit, constat posteà secuta ratihabitione, quod antè gestum fuerat, roborasse.

Cap. Quicumque, etiam accipi potest de eo qui voto parentum consensit instar Samuelis cuius exemplo vtitur.

Cap. Significatum, ita habet: *Si autem à parentibus fuerit oblatus, seu decimum quartum annum compleuerit dum Religionem intrauit, seu post decimum quartum annum professionem à se priùs factam, ratam habuerit, eum ad eamdem, vel ad aliam Religionem transire compellas.* In quo cap. tribus casibus præcipitur qui exiuit ad Monasterium redire: si post pubertatem intrauit, si post pubertatem votum priùs factum ratum habuit, & si à parentibus oblatus, ante decimum quartum annum exiuit: tunc enim retrahitur, vt ibi stet vsq; ad annos pubertatis; post annum autem decimum quartum, nisi velit ibi consistere, non cogitur, vt benè Glossa eodem cap. & apertissimè decidit eodem tit. dicto cap. Cùm sitis. Procedit ergo cap. Significatum, quoad hanc partem, de eo qui oblatus ante decimum quartum annum exiuit: imò si Turrecremataæ credimus in cap. Quòd intra 20. quæst. 1. num. 9. etiam ante pubertatem potest exire, qui inuitus à parentibus oblatus fuerit.

*Voto reali testatoris obligatur.* DICO SECVNDO. Voto alterius reali potest quis obligari. Patet in primis in herede, qui obligatur ad vota realia testatoris. Probatur *hæres obligatur.* cap. Licet, De voto, vbi dicitur, hæc vota pertinere ad onera hereditatis, & sub priuatione eiusdem, posse heredem ad ea implenda cogi. Idem dicitur L. Si quis rem, ff. De pollicitationibus, & est argumentum ex Gelasio Papa, cap. Siluester 11.quæst.1. tenetur enim quasi ex contractu, quia sub illo onere, adit hereditatem, vt benè Panormitanus in dictum cap. Licet. Vnde sequitur, non rectè quosdam dicere, non posse personali coactione compelli, sed tantùm ademptione hereditatis: verius enim est, etiam excommunicatione posse cogi, & omnino sicuti alij qui ex contractu debent. Quare etiam inuitus heres tenebitur voto reali defuncti. Ea tamen est differentia inter eum qui promisit implere testatoris votum, & eum heredem qui ad votum tale implendum prorsus inuitus est, & numquam cõsensit, quòd prior teneatur, etiamsi non adierit hereditatem, modò absolutè promiserit; secùs si promisit spe adeundæ hereditatis quam posteà non adit. Ita Siluester verbo Votum 2.q.11.n.5. posterior autem si hereditatem non adeat, non tenetur. Similiter si votũ superet vires hereditatis, solùm tenetur pro viribus: & secundùm quosdam potest legitimam deducere, quando hereditas est diuisibilis. Glossa in dictum cap. Licet. Secundùm omnes autem pro legitima retinenda meritò petit dispensationem. Siluester suprà.

DICO TERTIO. In voto mixto, vbi reale tantùm



*Ad votum mixtum quando teneatur.* tantùm est accessorium, ad nihil tenetur heres: vbi autem realis promissio vel par est personali, vel principalis, pro ea parte tenetur. Siluester suprà, numero 3. Azorius quæst. 15. Ex quo infertur, Si testator vouerat ingredi Monasterium, cui simul & bona sua legasset, non teneri heredem ad bona quæ solùm ex consequenti obuenissent Monasterio.

Quæres, Vtrùm filius teneatur ad vota personalia acceptanda, quæ pater iniungit sub intermissione maledictionis paternæ?

Respondet Panormitanus, Teneri. Sanè tenetur strictiùs quàm communi præcepto patris, quando materia talis est, quæ meritò censeatur præcipi potuisse à parente. Huc facit quòd dicto cap. Siluester, dicatur generatim, secundùm Leges auferri, vt indignis, hereditatem contra patris & auctoris sui factum venientibus. Vbi obseruat Glossa, secundùm antiquas Leges filium, si patris voluntatem non seruet, hereditate priuari, retenta tantùm legitima: extraneum autem heredem non similiter puniri, quando testatoris voluntatem non seruat. Certè quoad realia vota, vtriusque est eadem ratio, similiter quoad personalia vterque tenebitur, si voti impletio pro conditione posita sit. Si autem testator iniunxit personalis voti implerionem, & heres non acceptauit, tenebitur solùm, prout ex circumstantijs prudens iudicabit, & filius magis quàm extraneus: si verò acceptauit, tenetur; cap. Licet, De voto. sed tunc suum votum facit quod erat alterius.

*An per alium possit quis vouere.* Quæres Secundò, Vtrùm nullo casu possit quis per alium vouere?

Respondeo, Cùm votum fiat Deo qui vbique præsens & cordis inspector est, per se quisque Deo promittit, & votis tantùm suorum labiorum tenetur: si tamen coram hominibus testificationem addere velit, nihil impedit eam fieri per alium, estque hæc illustris differentia inter votum & iuramentum, quòd possit quis procuratorio nomine iurare, vt patet cap. Tibi Domino, ex Constitutione Othonis, dist. 63. & alijs ibi in Glossa citatis, non autem vouere. Ratio diuersitatis est, quòd iuramentum sit inuocatio Dei in testem, testimonium autem illud fiat hominibus; votum verò sit promissio Deo facta, vbi minùs interueniunt homines. Quamuis ergo testificatio voti possit fieri coram hominibus per procuratorem, & restringi ex intentione vouentis possit, vt non priùs obliget, quàm vbi procurator munere suo fuerit functus; iuramenti tamen ea natura est, vt magis interuenire procurator possit.

Quæres Tertiò, Quid si heres obligatus personali vel reali voto testatoris, per se implere non possit?

Respondeo, Ea quæ testator in simili impotentia per alium debuisset implere, secundùm dicta superiori Dubio, debebit & iste heres facere per alium, alia non item.

*Votum reale an pariat actionem realem?* Quæres Quartò, Vtrùm in rem promissam detur actio realis ex voto testatoris?

Respondeo, Non dari, sed tantùm personalem in heredem. Vnde sequitur, si rem testator alicui alteri alienauerit, donauerit, & tradiderit, non posse Ecclesiam cui ex voto obueniebat, prætendere prælationem: votum enim tantùm parit Ius ad rem, non Ius in re. Molina Tractatu 2. disp. 369. Vnde colligitur, quid dicendum sit, si rem voto promissam antequam actu donetur Ecclesiæ, testator alicui in particulari leget. Nota tamen, actionem personalem, quæ oritur ex voto reali, non esse personalissimam, vt vocant, qualis considerari potest oriri ex voto personali, & non potest institui contra heredem debitoris.

*De voto communitatis.* Quæres Quintò, Vtrùm quando Canonici aut ciues vouerunt celebrare aliquod Festum, teneantur illo voto successores?

Respondeo, Non teneri, nisi res abierit in consuetudinem, consuetudo in Legem. Azorius suprà. Addo ex Suarez lib.4.cap.9. nisi per modum præcepti obligentur ad idem faciendum quod Princeps & Respub. vouerint: obligẽtur, inquam, interueniente auctoritate Episcopi, quia tempore Legis nouæ est Ecclesiæ statuere de ijs quæ ad Dei cultum pertinent, non Reipublicæ.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm Christianis expediat vouere?*

*D. Thomas art. 4. & 6.*

QVAMVIS vouere liberum sit, est tamen non solùm de licitis, sed ex genere suo consultum. Singula breuiter ostendamus.

*Vouere non est præceptum.* DICO PRIMO. Vouere aliquid Deo, non est præceptum, neque fuit in vlla Lege. Quamuis enim disputent DD. vtrùm illa quæ præcepti sunt, etiam voueri possint, vt suprà diximus; nemo tamen dicit, ipsum vouere esse præceptum, sed omnes fatentur id liberum cuique relinqui. Patet Deuteron.23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris.* Et apertiùs cap. Licet, De voto: *Vniuersis liberum arbitrium est in vouendo.* Et iterùm cap. Magnæ, eod. *Vouete, & reddite: primum ad consilium, secundum ad imperium refertur.* Hoc adeò notum est, vt soleant distingui votiua contra præcepta, cap. Integritas 32.quæst.1.ex Ambrosio: *Virginitas res magis voti est quàm præcepti.*

*Obiect.* Obijci tamen potest illud Ecclesiastæ cap. 5. *Multo melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.* Olympiodorus enim in illum locum docet, fieri comparationem inter duo mala, quasi nihil vouere Deo, etiam malum sit; & Vrbanus Papa cap. Scimus 12. quæst.1. *Grauiùs, inquit, puniuntur qui votum non perfecerunt, quàm illi qui vitam sine voto finierunt.*

*Resp.* Sed respondeo, Genuinum sensum illius Scripturæ nobis fauere. Quando enim dicit, multo melius esse non vouere, indicat illud idem quod in Deuteronomio dicitur, *Si nolueris polliceri, absque peccato eris:* non autem illud quod Olympiodorus voluit, meritò ab alijs in hoc reprehensus. Est tamen verum, ad irreligiositatis vitium pertinere, si quis ita præferat solutam votis vitam, vt Religionem contemnat. Vrbanus, vt ibi Glossa, solùm videtur velle grauiùs puniri Christianos, qui vota præuaricati sunt, quàm qui sine fide bona egerunt opera.

*Obiect.2.* Obijcit quidam sectarius, vt probet vota non tantùm Iudaica esse, sed etiam Mosaica Lege fuisse præcepta, plurimas esse apud Moysen de votis Leges, Leuitici 27. Numeri 6. & 30. Deuteronomij 23. & apud Dauidem Psal. 75.

*Resp.* Respondeo, De votis extare Leges, sed non extare Legem qua præcipiantur: esto apud Psalmistam exstet adhortatio.

DICO SECVNDO. In omni Lege tam naturæ

*Votum semper laudabile.*

turæ quàm Mosaica & noua semper fuit, estque licitum & laudabile, Deo aliquid vouere. Admittunt sectarij de Lege naturæ & Mosaica, negant de noua. Sed conuincuntur erroris Primò ex Scripturis sacris: nam Isaiæ cap. 19. prædicitur, quòd nouæ Legis cultores vota vouebunt Domino, & soluent. Neque enim vllius est momenti quod Petrus Martyr opponit, Isaiam votis illis apud Iudæos vsitatis, voluisse indicare cultum spiritualem Christianorum: quia iurare per Dominum exercituum, colere Deum in hostijs & muneribus, erigere ei altare, vouere & soluere vota, non tantùm spiritualem & internum Dei cultum circumscribunt, sed cultum externum noui Testamenti, vt benè in illum locum obseruat Hieronymus, qui ex visibili altari extra Ierusalem colligit cum Apostolo, translato sacerdotio, & Legis factam esse translationem. Est & alter locus Psal. 64. *Tibi reddetur votum in Ierusalem*. Psalmus enim iste in finem inscriptus, etiam de noui Testamenti Ecclesia intelligitur à D. Hilario, & alijs. Tertius est Nahum 1. *Celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua, quia non adyciet vltrà vt pertranseat in te Belial*. Quam prædictionem de nouo Testamento intelligit D. Hieronymus. Adhæc quando Psal. 75. Ecclesiastæ 5. & alibi monemur vouere, vel vota reddere, vt nos moneri Augustinus & alij veteres passim intelligunt, non monemur alicuius cærimoniæ Iudaicæ: imò neque præcisè alicuius cærimoniæ, cùm votum sola mente fieri possit, & votum externum non magis ad cærimonias Iudaicas reijciendum sit, quàm oratio externa, vel adoratio. Accedit quòd 1. Timoth. 5. apud Christianos ab initio fuisse quædam vota constet. *Habentes*, inquit Apostolus, *damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id est, Vouerunt, & non reddiderunt, inquit Augustinus in dictum Psal. 75. Idemque passim alij confirmant. Basilius lib. De virginitate, Epiphanius in hæresi Montanistarum, Synodus Carthaginensis IV. cap. 104. *Damnationem*, inquit, *habebunt, quoniam fidem castitatis quam Domino vouerunt, irritam facere ausa sunt*.

*Obiect.*

Sed opponunt hæretici, Votum quidem generale in Baptismo facere Christianos, & eius transgressi hîc argui viduas, non autem votum speciale castitatis, aut simile. Ita Brentius, Caluinus, & alij. Confirmatur, Quia Apostolus dicit, *Primam fidem irritam fecerunt*; illam nimirum, qua primùm Christi fidem professæ sunt.

*Resp.*

Verùm facilè id refellitur. Oportet enim eam fidem hîc intelligere, ratione cuius præstitæ non tantùm nubere, sed & velle nubere damnabile sit: ea autem non est fides data in Baptismo; est ergo ea qua castitatem istæ vouerant, quæ prima dicitur, id est prior respectu eius quam posteà dant marito, quasi dicat Apostolus, fidem dando alteri, eam irritam faciunt quam per votum castitatis priùs dederunt Christo.

Alij aliter elabi conantur. Dicunt enim, fidem, cuius irritatio hîc dicitur damnabilis, esse illam quam dederant Ecclesiæ de fideli ministerio, quod etiam nuptias excludebat.

At si ministerium Ecclesiæ nuptias excludebat, adeoq; cælibatum in electione viduarum Ecclesia stipulabatur, quid obest quò minùs vt castitatem Deo vouerent constituerit, nisi quòd hoc sectarijs non placeat: quâuis veteres & Sancti passim dicât?

Sed aliam rimam inueniunt: Non ideò, inquiunt, damnationem habent quia nubere volunt, sed quia luxuriatæ sunt in Christo.

Respondeo, Hoc Apostolus non dicit: *Damnationem*, inquit, *habentes, quia primam fidem irritam fecerunt*, non quia luxuriatæ sunt.

Denique dicunt, has ideò damnari, quòd coniugio ineptæ ad coniugium post fidem Ecclesiæ datam transire volebant.

Sed manifestè hoc est contra textum: loquitur enim Apostolus de viduis iunioribus, quas etiam propter eiusmodi abutum nolit ab Ecclesia in posterum assumi, vel ad vouendum induci, sed potiùs nubere.

Exempla quibus vouendi consuetudo in Ecclesia probetur, passim obuia sunt in historia Ecclesiastica. Illustre est apud Theodoretum lib. 2. cap. 14. vbi virgines perpetuam castitatem professæ, narrantur malè tractatæ ab Arianis.

*Vouere tutius.*

Dico tertio. Expedit vouere. Probatur, Quia expedit bona meliora præstare de quibus sunt vota, vt patet ex dictis: & melius est ea præstare cum voto, quàm sine eo; quia induunt bonitatem Religionis, quæ est præstantissima inter virtutes morales, quando ex voto præstantur, & cum maiori firmitate præstantur, & magis seipsum homo Deo mancipat, quàm si voto liber, eadem præstiterit: plus enim est arbore cum fructibus, quàm fructus solos offerre. Qua similitudine id adstruit Anselmus libro De similitudinibus, cap. 84.

*Obiect. 1.*

Sed contrà obijcitur, Votum adducit faciendi necessitatem: expedit autem potiùs hilari libertate Deo seruire, secundùm illud Apostoli 2. Corinth. 9. *Non ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus*. Et ad Philemonem: *Vtine velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*. Hoc argumento quidam permoti dixerunt, stultum esse se voto obligare, vt refert D. Thomas lib. 3. Contra gentes, cap. 138.

*Resp.*

Sed respondeo, voto adduci necessitatem non coactionis, aut aliam quæ libertatem tollat, sed eam quam vocamus necessitatem ex fine, ex fine, inquam, seruandi fidem, nisi præuaricator esse velis. Hæc necessitas est in omni opere præcepto, quod tamè liberè facimus, quia ita facimus vt possimus omittere, si velimus peccare. Ideò ergo voti implendi incumbit necessitas, quia est quædam non peccandi, etiam quando possumus trâ'gredi, necessitas: illa, inquam, felix necessitas, quam Augustinus epistola 45. dicit ad meliora compellere, ideò commendabilis, quòd sit ex adhæsione libera ad finem.

*Quælem necessitatem votum adducat.*

Ad confirmationem ex Apostolo respondeo, Necessitatem hanc quæ ex voto est, non esse similem illi de qua vtroque loco agit Apostolus: de illa enim agit, quæ secundùm se tristitiam parit, quando nimirum contra proprium desiderium, alterius voluntatem quis cogitur quodammodò facere; in voto autem suum proprium exequitur quisque propositum, ideoque meritò gaudens & hilaris. Suum, inquam, propositum facit, quod tam impensè desiderauit exequi, vt vouendo ad ea transtulerit, quorum immutabile exequendi desiderium habebat, sese firmans in meliori bono, non auferens, sed in bono confirmans libertatem: quod manifestum est, quia & ipsa illa præcepti, adeoque voti implendi voluntas, ad cuius obiectum per hanc confirmationem, vt stabilior sit,



sit, transfertur res quando Deo promittitur, libera est. Talis ergo per votum inijcitur vouenti necessitas, qualis eius est peccandi impossibilitas, vt meritò D. Thomas art. 4. ad 1. has inter se comparet. Sed esto, qui vouit, etiam cum tristitia promissum expleat, non ideò statim omne meritum amittit, quia fortè ne tristitia ipsum auerteret à bono, voto se ligauit, sicuti se ligari curat, qui à Medico secandus est, ne salutarem sectionem doloris impatientia impediat. Ita Anselmus suprà cap. 81.

*Obiect. 2.*

Obijcitur Secundò, Per votum fieri vt damnabilius peccetur.

*Resp.*

Respondet D. Thomas art. 4. ad 3. Quando hoc non fit vitio rei, sed defectu hominis, non propterea desinere eiusmodi rem esse consultam. Addit Anselmus eodem lib. cap. 82. & 83. eum qui post votum præuaricatus est, sed pœnitentiam agit, minùs à Domino puniendum, quàm qui sine voto deliquit, quia castigabitur à Domino vt proprius seruus: qui autem ideò non vult promittere, vt possit liberiùs peccare, meritò grauiùs punitur.

*Obiect. 3.*

Obijcitur Tertiò, D. Prosper lib. 2. De vita contemplatiua, cap. vlt. vbi dicit, sic nos debere ieiunare, vt nos non necessitati ieiunandi subdamus.

*Resp.*

Respondeo, Ex sequentibus colligi, de ea necessitate loqui Prosperum, quæ coactionem adferat, deuotionē auferat: *Ne*, inquit, *iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariā faciamus*. Ita ferè D. Thomas art. 6. ad 1. Addi potest, ieiunium & liberam abstinentiam posse subinde melius omitti, quando id vel hospitalitas vel charitas postulat. Agit ergo contra eos Prosper, qui etiam in præiudicium charitatis hæc mordicus seruant. Vnde subiungit, prætextu pertinacioris propositi ieiunandi, non debere negligi charitatis officium erga hospites aduentantes, vel contristari spirituales fratres. Relinquit ergo Prosper sine reprehensione ieiunium votiuum, quod eas circumstantias habet, vt commendabile sit, eo ipso fieri commendabilius, quòd ex voto fiat.

*Obiect. 4.*

Obijcitur Quartò, Si vouere esset consilij, præiuisset Christus Dominus, & eius nos monuisset: atqui non præiuit neque præmonuit.

*An Christus non vouerit.*

Respondeo, Quòd Christus non vouerit, ratio est, quia non indigebat per votum in bono firmari sicuti nos. Ita D. Thomas art. 4. ad 3. Suarez tamen 3. parte, quæst. 40. art. 3. disp. 28. sect. 2. putat, non solùm Christum potuisse vouere, sed valdè probabile esse, quòd reipsa vouerit initio conceptionis redimere per mortem suam genus humanum. Sanè quidquid sit de facto, nulla apparet inconuenientia, ob quam Christum non decuerit vouere; quamuis benè appareat, non fuisse ei votum necessarium, vt firmaretur in bono, & fortè ideò nec vouerit, sicuti non legitur vsquam vouisse, & eò respexerit D. Thomas. Non videri inconueniens, Probo, Quia præstet firmitatem illam in bono, alium vsum habet votum: est enim etiam præciso illo vsu Deo gratum, quando res grata promittitur, sicuti & homini sibi facta promissio placet, non considerata hac ratione. Confirmatur, Deus, non obstante sua stabilitate, rectè promittit, & promissa iuramento confirmat, ad Hebr. 6. Quamuis ergo Deus non voueat, sicuti non orat, non offert vt Deus; Christus tamen vt homo, vt orare & offerre, ita & vouere sine incommodo fortè potuit, vt iam non fit necessarium illud Psal. 21. *Vota mea Domino reddam*, &c. ita restringere ad corpus Christi, ne personæ conueniat ratione humanæ naturæ. Quòd verò dicitur Christus non esse hortatus ad vouendum, verum non est: hortatus enim nos est, vt nosmetipsos castraremus propter regnum Dei, Matth. 19. de hoc enim dicit: *Qui potest capere, capiat*. Atqui secundùm interpretationem Sanctorum, id facimus per votum continentiæ, quo nobis quodammodò potestatem carnalis copulæ exscindimus, & quasi Deo totam arborem corporis nostri consecramus, vt iam mundo mortui, illi viuamus. Ita interpretatur Epiphanius in hæresi Valesiorum, Augustinus De sancta virginitate, cap. 30. Fulgentius De fide ad Petrum, cap. 3.

*Obiect. 5.*

Obijcitur Quintò, Iurare non est consultum; ergo nec vouere: vtrumque enim periculosum.

*Resp.*

Respondeo, Richardus Armacanus apud Waldensem lib. 3. Doctrinæ fidei, cap. 21. sentit, quando Dominus noster voluit sermonem nostrum esse, Est, est; non secùs à votis ac à iuramentis nos auocasse. Sed grauitèr in eo errauit, quia magis ad Dei cultum pertinet vouere, quàm iurare; sicuti magis hominem colit, qui ei aliquid ipsi gratum promittit, quàm qui eum in testem vocat. Quod facere iuras, vt tale, non tam est opus Deo quàm homini (cui fortè iurando promittis) gratum: vouere ergo consilij est, non autem iurare; etiamsi non spectetur periculum, sed sola vtriusque natura: quamuis vt in iuramento materia generalior, & occasio est facilior; ita & periculum frequentius sit. Ad vota facienda, non solùm ad reddenda nos monet Scriptura: ad iuramenta simpliciter non suadet, sed monet, quando iuratur, quomodo sit iurandum, & reddenda esse iuramenta. Iuramentum ergo à malo est, votum verò à malo non est. Imò aduerto ex Chrysostomo Hom. 12 in Epist. ad Romanos, potiùs non iurare esse consilij quàm iurare; quamuis vouere virginitatem aut pauperatem sit consilij. Itaque licebit vouere quòd non iurabis nisi coactus, quia abstinere à iuramento melius est.

*Discrimen inter votum & iuramentum.*

*Obiect. 6.*

Obijcitur Postremò, Si opus ex voto factum maioris sit meriti, expedit vt Religiosus obstrictus voto obedientiæ, nihil boni faciat sine nouo præcepto Superioris.

*Resp.*

Respondeo cum Dominico Soto lib. 7. quæst. 2. art. 4. Non sequi; quia promptior obedientia est maioris meriti, quæ non exspectat donec inculcetur præceptum. Monet ergo Sotus, ne eiusmodi præcepta postulent Religiosi, nisi quando res ardua fuerit, vel dubia.

## DVBIVM VII.

### *Quinam possint vouere? D. Thomas art. 8. & 9.*

*Quinam vouere non possint?*

Omissis illis qui omnino voti incapaces sunt, propter defectum rationis qua deliberare possint, vt voti natura postulat, quales sunt amentes, infantes, ebrij: septem ferè sunt hominum genera, quæ in votis suis multùm impediuntur ex duplici capite; vel quia alteri sunt subiecti vel obnoxij, vel quia non præsumuntur sufficientem habere rationis vsum, videlicet Religiosi, coniunx, præsertim vxor, Episcopi, Clerici sæcu-

fæculares, ſerui, filij familias,& pueri. De ſingulis dicamus.

*Vota Religioſorum.* Quæritur Primò, Vtrùm Religioſi ſine conſenſu Superioris validè voueant? Nullum enim votum validè emittere, videtur dici ex Baſilio cap. Monacho 20. q. 4. *Monacho non licet votum vouere ſine conſenſu ſui Abbatis: ſi autem vouerit, frangendum erit.* Addi poteſt cap. Non dicatis 12. q. 3. ex Auguſtino, vbi indicatur, Monachum non habere proprium velle, ſed ſe totum reſignaſſe in voluntatem Prælati. Idem videtur dicere D. Thomas hîc art. 8. ad 3. *Nullum*, inquit, *votum Religioſi eſt firmum, niſi de conſenſu Prælati.* Imò & ratio D. Thomæ videtur idipſum euincere: quamuis enim non omni tempore Religioſum occupet Prælatus, quouis tamen tempore occupare poteſt: atque adeò quamuis poſſit Religioſus reipſa vacans extra ordinem ſibi aſſumere liberam orationem vel meditationem, ſi tamen in poſterum ſe vacaturum ſimili operi Deo promittat, iam de otio ſuo tamquam ſibi libero diſponit, quod Prælato erat obnoxium, adeoq; tamquã de re alieni iuris inualidè diſponit. Etiſdẽ opinionis eſt Richardus in 4. diſt. 38. non propter rationem D. Thomæ: nam illa, licet benè defendatur à Caietano, ei videtur minùs efficax, cùm multa poſſit, inquit, vouere Religioſus, quibus ab obedientia ſui Prælati nullo modo impediatur, puta abſtinere ab his aut illis peccatis: ſed veram rationem exiſtimat eſſe Richardus, vel quia tantùm eſt onus Religionis, tantaque infirmitas humana, vt ſine periculo in neceſſariis deficiendi, adeoque fratres aut Prælatos aliquando moleſtandi, Religioſi nouum onus ſuſcipere nequeant; vel quòd Eccleſia voluerit nullum Monachi votum eſſe ratum dicto cap. Monacho; vel quia vt priora vota in ſubſequentem Religionis profeſſionem commutantur, cap. Scripturæ, De voto, ita etiam poſteriora. Sed duæ iſtæ poſteriores rationes parum ſunt ſolidæ, quia cap. Monacho, non eſt Lex Eccleſiæ, ſed Baſilio adſcribitur. Aliud etiam eſt, votũ ceſſare commutatione Religioſæ profeſſionis, aliud irritatione Prælati: adeò vt hinc non tam ratio aliqua peti poſſit, quàm aliqualis tantùm congruentia.

Hæc itaque ita generatim propoſita ſententia alijs non placet: & ſanè moderatione nonnulla etiam ex mente D. Thomæ indiget, quam per aſſertiones aliquot commodiùs proponemus.

*Votum ſtrictioris Religionis.* ASSERTIO PRIMA. Poteſt inuito ſuperiore Religioſus vouere tranſitum ad Religionem ſtrictiorẽm, ad quam de Iure, petita & non obtenta facultate, poterat tranſire. cap. Virgines 20. quæſt. 4. Gratianus, & Gloſſa §. Verùm, cap. Monachum, eadem quæſt. cap. Licet, De Regularibus: & eſt communis DD. quos ſequitur Caietanus hîc art. 8. Sotus lib. 7. cap. 2. art. 5. Graſſius 2. parte lib. 2. cap. 12. num. 30.

Quæres, Vtrùm in tali voto poſſit Prælatus petente Religioſo diſpenſare.

*An poſſit Prælatus in eo diſpẽſare.* Eſt probabilis opinio Soti, quòd poſſit.

Verius tamen credo, non poſſe: quia, vt Caietanus docet, tale votum omnino excedit poteſtatem Prælati, & tale quid in ipſa profeſſione tacitè reſeruatum eſt, ita vt in hoc Prælatus non ſit Prælatus, ita vt nec diſpenſare nec irritare poſſit: quamuis fateamur, non eſſe eiuſdem poteſtatis votum irritare, & in eo diſpenſare, de quo infrà.

Secundò, Talia vota minoris momenti erunt, ſi ad arbitrium iſtius Prælati & vouentis petitionem, laxentur per diſpenſationem. Tertiò, Intereſt alterius Monaſterij arctioris, vt votum præſtet qui ingredi vouit: imò ad hoc interdum agere poteſt, vt diximus ſuprà Dubio 4. ſub finem.

ASSERTIO SECVNDA. Poſſunt Regulares licitè quædam vouere in quibus ſubſunt ſuis Prælatis: quia intelligunt tacitè eam conditionem, Si Prælatus conſentiat aut non repugnet: quo caſu votum eorum validum eſt, poſita eiuſmodi conditione. Ita D. Thomas & Caietanus. Sed diſcernere oportet, quando ſufficiat Prælatum non contradicere, quando verò opus ſit poſitiuè conſentire, vt votum ſit validum, aut licitè impleatur; de quo ſit

ASSERTIO TERTIA. Si opus quod Religioſus vouet, ſit de illis quæ ſine venia Superioris facere non poſſet, intelligitur in voto ipſius conditio, Si Superior conſentiat; ſi verò ſit de illis quæ ſine venia facere poteſt, intelligitur conditio, Niſi Superior contradicat. Colligitur ex Caietano.

Sed iterùm difficultas eſt, ſi poſterioris modi fuerit votum, vtrùm ſufficiat Superiorem ignorare, & ideò non contradicere: nam in priori modo certum eſt, non obligare votum, niſi ex certa ſcientia Superior conſenſerit. Certum etiam eſt, conſenſum illum debere, ſi non implorati, ſaltem explorari, & votum inſinuari à vouente, alioqui redit doctrina ſuperiùs tradita, de eo qui culpa ſua euentum conditionis impedit: tacitè enim hoc ineſt, vt qui aliquid Deo promittit, ſi iſte conſenſerit, teneatur illius conſenſum vi promiſſi ſui explorare. De poſteriori ergo tantùm videndum eſt, de quo ſit

ASSERTIO QVARTA. Quando in voto Religioſi aut cuiuſcumque alterius ſubditi tantùm intelligitur conditio, Niſi Superior contradicat; ſtatim obligat votum, etiam nihil ſciente Superiore, donec contradicat. Conditio enim conſiſtit in negatione, quæ ſemper locum habet, donec ſuperueniat Prælati contradictio. Hactenus de Regularibus ſubditis. De Prælatis autẽ ſit

*Vota Prælatorum.* ASSERTIO QVINTA. Etiam Prælati Regularium in votis ſuis, ſi talia ſint vt impediant, aut dubitetur, vtrùm impediant eorum officium, pendent à voluntate Epiſcoporum; vel ſi exempti ſint, aliorum ſuorum Superiorum. Colligitur ex cap. Abbates 18. q. 2. quod eſt Concilij Aurelianenſis. Quid autem cenſendum ſit de voto Religioſi iam facti Epiſcopi, colligi poterit ex dicendis infrà Dubio 9. ad 7.

ASSERTIO SEXTA. Nullum votum Religioſi eſt validum contradicente Prælato, niſi de tranſitu ad arctionem Religionem. Ita tenet poſt D. Thomam Caietanus hîc art. 8. quod Sotus extendit etiam ad illa quæ in Regula quam priùs ſeruare vouit continentur, ita vt nec illud votum contradicente Prælato repetere poſſit: item ad præcepta, aut aliàs ad ſalutem neceſſaria.

Quæres, An ſit extendendum etiam ad vota Nouitij?

*Nouitiorum vota non irritat Prælatus.* Reſpondeo, Non eſſe: Nouitij enim vota non irritat Prælatus. Dicunt tamen quidam DD. poſſe ſuſpendere donec commutentur in profeſſionem. Ita ex Nauarro & alijs docet Sanchez lib. 9. diſp. 39. num. 43. Addit ſequenti numero, poſſe Præ-



Prælatum in omnibus illis Nouitiorum votis diſpenſare, in quibus poteſt cum Profeſſis: quamuis etiam Epiſcopus diſpenſandi cum eis poteſtatem retineat: quod intelligo, etiamſi Ordo fuerit exemptus.

*Poteſt reddere, non autem petere debitum.* Quæres iterùm, Vtrùm Prælatus poſſit ea vota irritare Profeſſi, quę in ſæculo aut nouitiatu fecit?

*De Votis ante profeſſionem factis.* Reſpondeo, Poſſe, eſto noluerit Religioſus ea per profeſſionem extingui: poſſe, inquam, irritare, ita vt non ſolùm ſuſpendantur tempore quo perſiſtit Profeſſus in Religione, ſed etiam in dimiſſo vel expulſo non reuiuiſcant. Si enim velit rata eſſe voluntate quæ profeſſionem præcedat, eiuſmodi voluntas circa votum eodem Iure cenſebitur quo vota præuia Religioni: ſi voluntate quæ comitetur, aut ſequatur profeſſionem, eodem ea Iure cenſebitur cum votis Religioſi, vt benè Silueſter verbo Votum 3. q. 7. num. 3. Ea ergo differentia inter Religioſi vota ex dictis patet, quòd quædam ab initio ſint inualida ſimpliciter, quæ etiam non conualeſcant conſentiente Superiore; vt ſi abſolutum votum emiſerit eius quod Superior prohibuerat, etiamſi poſteà conſentiat Superior, non tenetur niſi denuò voueat: alia inualida donec conſentiat Superior: alia valida donec contradicat Superior: alia denique ſimpliciter valida, etiamſi contradicat Superior.

*Vota vxoriũ.* Secundò quæritur de vxore, Vtrùm ipſius vota teneant contradicẽte marito & quid eo conſentiẽte: & quid de votis mariti, contradicente vxore?

Materiam iſtam attigit Lex diuina Numeri 30. vbi ferè quinq; iſta ſtatuuntur. Primum, Si poſtquam vxor vouerit, vir audierit, tenere votum, ſi tacuerit. Secundum, Si verò cõtradixerit vir voto vxoris ſtatim vt audiuit, ipſam non obligari. Tertium, In arbitrio viri eſſe, vxoris votum de abſtinentia ratum habere vel irritare. Quartum, Si vir audiens vxoris votũ, in alterum diem tranſtulerit ſententiam, ipſam teneri voto. Quintum, Si vir abutens poteſtate ſua, contradixerit vxoris voto, quod priùs diſſimulando iuſto tempore ratificauerat, ipſam quidem vxorem excuſandam, ſed virum portaturum iniquitatem eius, id eſt, reum fore fracti voti, non ſecùs ac ſi ipſe emiſiſſet, & non ſeruaſſet. D. Auguſtinus in Quæſtionibus ſuper Numeros, q. 59. putat duo priora accipienda de vxore quæ vouit exiſtens in poteſtate patris, ipſo conſentiente, ſed antequam votum impleat nupſit. Putat etiam non agi de omnibus votis, ſed de illis in quibus vxor eſt ſubiecta viro, atque adeò non comprehendi hac Lege votum caſtitatis, continentiæ ſiue abſtinentiæ concubitus, in qua paris ambo coniuges ſunt poteſtatis, ſecundùm Apoſtolum 1. Corinth. 7.

De hoc ergo potiſſimùm, adeoque primo loco hîc inquirendum, Anne valeat votum caſtitatis vnius coniugis, ſine conſenſu alterius?

*Coniunx vouens caſtitatem ſine conſenſu alterius.* Dicunt quidam, Omnino eſſe inualidum, tamquoad non petendum, quàm quoad non reddendum debitum. Ratio eorum eſt, Quòd eiuſmodi votum ſemper cedat in grauamen alterius coniugis, cui nimirum oneri erit ſemper exigere debitum, aut à coniugij vſu abſtinere.

Alij diſtinguunt. Si enim vir voueat caſtitatẽm, dicunt locum habere quod dictum eſt, propter verecundiam alterius ſexus. Si mulier vouerit, teneri non petere debitum.

Veriſſima tamen eſt Tertia ſententia, Vtrumuis ita poſt matrimonium conſummatum vouentem, debere vi huius voti abſtinere à petitione debiti, quatenus in petitione nihil concurrit quod quodammodò æquialeat redditioni. Vñde ſequitur, poſſe petere vt mos geratur alteri coniugi, ſi quod eius periculum timeat niſi petat, ſi deſiderare nouerit, &c. Vnde non malè dicunt, qui docent tres iſtas opiniones non ita multùm reipſa inter ſe diſſidere, & Tertiam eſſe quodammodò conciliationem priorum. In Prima enim verum eſt, iſti grauamini alterius coniugis aliquoties ſaltem petendo ſuccurrendum eſſe: quamuis in eo excedat, quòd omnino votum inualidet. In Secunda verum eſt, poſt votum caſtitatis à ſe emiſſum, faciliùs virum poſſe petere, eò quòd ſi numquam petat, vxori id grauius futurum ſit, quàm ſit viro, ſi vxor numquam petat. In eo tamen etiam iſta opinio excedit, quòd ſimpliciter concedat viro petitionem.

*Si voueat ante conſummationem matrimonij.* Hæc quidem de voto emiſſo poſt conſummatum matrimonium. Si autem alter coniunx voueat caſtitatem ante conſummationem, cum propoſito ingrediendi Religionem, non poteſt conſummare, etiam reddendo debitum primo bimeſtri; imò neque poteſt vmquam reddere debitum, quoties redditio per peccatum coniugis eſt ei prorſus libera: abſoluto tamen bimeſtri poterit conſummare reddendo, imò tenebitur, ſi quaſi ex iuſtitia fuerit exactum quia; ratione nudi propoſiti non tenetur ingredi Religionem. Si verò non habuerit propoſitum ingrediendi Religionem, exiſtimo verius eſſe, quòd non obſtante voto caſtitatis, etiam primo bimeſtri poſſit, imò debeat reddere debitum: nam liberum ei non eſt eo tẽpore negare, niſi animo ingrediendi Religionem, aut ſaltem de eo deliberandi, ideoq; ad illud ſeſe obligare nõ potuit, vt docet Sanchez lib. 9. diſp. 35. num. 23. Quamuis non ſatis id appareat conforme probabili alteri ſententiæ, quam idem auctor ſecutus fuit lib. 2. diſp. 24. num. 25.

*Si poſt conſummationem.* Si voueat poſt conſummationem matrimonij caſtitatem, verius videtur poſſe reddere debitum, etiam quando propter crimen coniugis non tenetur; quamuis non poſſit, ſi vouerit ante matrimonium ratum aut conſummatum, vt diximus Dub. 4. quæſt. 4. Ratio diuerſitatis eſt, quòd votum ſuperueniens conſummationi, ſit prorſus irritum quoad redditionem debiti, tamquam natura ſua iniuſtum; neque habeatur ratio extraordinarij caſus, quo per accidens liceat negare debitum. Qui enim vouit aliquid quod ſibi per ſe eſt impoſſibile eo tempore quo vouet, non obligatur, etiamſi poſteà miro caſu & inexpectato ſecundùm particulam aliquam fiat poſſibile. Votum autem præcedens conſummationem, eſt ſecundùm ſe totum validum, etiam quoad non reddendum, & per accidens ſolùm fit inualidum quatenus per Ius alterius fit de re illicita.

Sed dubitant quidam, Vtrùm dicta intelligantur ſolùm de exactione debiti, an etiam de amicabili petitione?

Reſpondeo, De vtraque intelligi: voto enim caſtitatis obſtrictus, nec exigere poteſt, nec petere; petitum tamen poteſt, exactum debet reddere. Imò etiam petitum reddere tenetur, eodem modo ac ſi voto non eſſet obſtrictus.

Quæri & illud poteſt, Vtrùm ſaltem ſub conditione, ſi coniunx conſentiat, intelligi poſſit vo-

uere abstinentiam à reddendo debito coniunx, qui vouet castitatem?

*Etsi votum à coniuge approberur, non potest negare debitum.*

Respondeo, Ne sic quidem intelligi posse. Imò etiamsi votum castitatis à coniuge altero approbetur, non censetur propterea comprehensa abstinentia à reddendo debito: non enim plus confirmauit quàm voto inerat. Aduertendum tamen si contingat solui matrimonium, superstitem teneri vi talis voti, abstinere à secundis nuptijs, quia tenetur eatenus, quatenus sese potuit obligare, vt apertè dicitur cap. Placet, De conuersione coniugatorum. Cùm ergo in voto castitatis contineatur abstinentia à contrahendis nuptijs, eaque libera sit viduo, debebit abstinere: si tamen solùm vouisset numquam petere debitum, poterit soluto matrimonio alteri coniungi.

Secundò inquirendum, Quænam vota circa talia sint licita vni coniugi sine alterius licentia?

*Quid circa votum castitatis possit absque consensu coniugis?*

Sanè potest coniunx etiam consummato matrimonio vouere, quòd, si fuerit aliquando liber à coniugio, ingredietur Religionem. Idem dicendum si vouea tin casum diuortij, per alterius adulterium. Item si in similes casus vouear susc ipere sacros Ordines. Imò etiamsi in voto non exprimat tempus quo erit licitum quod vouetur, non est ei illicitum tale votum, quia præsumitur intendisse vt licet: delicta enim non præsumuntur, L. Meritò, ff. Pro socio. Similiter iudicandum de voto non ineundi aliud matrimonium. De voto autem castitatis emisso, animo reddendi, non tamen petendi debitum, aut de voto numquam petendi, distinguendum est: si enim per se vota ista considerentur, licita sunt sine coniugis consensu; fieri tamen potest, vt aliquid venialis imprudentiæ adiunctum habeant, ratione proprij periculi & grauaminis considerandi in altero coniuge.

Tertiò inquirendum, Quomodo hæc vota valeant & liceant cum consensu coniugis alterius?

*Quid consentiente coniuge?*

Sanè in voto castitatis post consummatum matrimonium emisso, multum operatur consensus alterius coniugis, Primò, Vt qui sic vouit, certò non possit petere debitum: de quo vtrimque sunt opiniones, quando citra consensum vouit. Secundò, Vt non teneatur petere, etiam quando hoc fieret ad vitandum grauamen alterius, qui iam suo consensu sibi præiudicauit; nisi fortè quando videret in eo periculum incontinentiæ. Iste tamen consensus non operatur, vt qui consensit, non possit debitum petere; & qui vouit, non teneatur reddere; quamuis id quidam asserant. Si enim simpliciter solùm consensit in votum castitatis sui coniugis, non censetur, nisi aliud expressum sit, renuntiasse iuri petendi debitum, sed permisisse vt etiam cum aliquo suo præiudicio alter renuntiet simili suo iuri. Non efficit etiam, quin voto adstrictus possit reddere debitum vxori adulteræ, quæ in votũ simplex consensit nuncupatum post consummationem, & non in ordine ad ingressum Religionis; quia solùm consensit in eam castitatem, quæ directè præiudicat soli vouenti. Si verò cõiugis assensus datus sit non tantùm ad vouendam castitatem, sed ad vouendam omnimodam, quæritur quid fiet, si post eiusmodi consensum exigat debitum ab eo qui vouit?

Respondeo, Debere eum reddere, licet exigens mortaliter peccet: censetur enim quoad istam vicem irritare votum suo consensu factum.

Inquirendum Quartò, Quousque obligentur quando vtrimque vouerunt?

*Quando vterque castitatem vouet.*

Hoc fieri potest tribus modis. Primò, vt neuter consentiat in alterius votum. Secundò, vt alter vel vterque consentiat in votum alterius, independenter tamen à se mutuò voueant, sine forma reciprocæ conuentionis. Tertiò, Cum tali conuentione. Si Primo modo, neuter petere potest, vterque reddere tenetur. In Secundo modo, si alter tantùm consensit, is quidem suo consensu sibi præiudicauit in illis quæ directè grauant alterum vouentem, & indirectè cedunt in grauamem suum vt suprà dictum est; vouens autem efficit, vt illicitè petat si tamen exigat, alter tenetur reddere. Quamuis enim ille exigat contra religionem vori, hic tamen tenetur Lege iustitiæ reddere. Si vterque sic consensit, similiter dicendum, salua proportione. Si verò Tertio modo, neuter potest petere aut reddere, tenentur tamen cohabitare.

*Quomodo vir irritet vota vxoris*

Inquirendum Quintò, Quomodo vnus coniunx possit irritare votum alterius, & Primò, Quomodo vir vxoris?

Vbi in primis videndum, vtrùm vir irritet vota vxoris solùm per potestatem quam habet in rem voto promissam, an per potestatem quam habet in voluntatem vxoris, quomodo Prælatus potestatem habet in voluntatem Religiosi. Quidam enim dicunt, tantùm priori modo irritare, quibus videtur fauere Glossa, in cap. Manifestum 33. q. 5. Azorius lib. 11 cap. 16. Sed verius alij dicunt, virum posteriori modo habere potestatem in omnia vota vxoris, excepto voto continentiæ, in quod tantùm habet potestatem priori modo. Ita sentit D. Thomas hîc art. 8. ad 3. & eiusmodi exceptio videtur esse D. Augustini suprà citata, quæst. 59. in Numerum, quem multi sequuntur; quamuis contrarium teneat cum alijs quibusdam Sanchez lib. 9. disp. 39. numero 11. Putat enim, etiam votum non petendi debitum, posse à marito irritari pro tempore sui matrimonij.

Sed Probatur nostra sententia ex cap. Placet, De conuers. coniugat. vbi mulier citra consensum mariti ingressa Monasterium, & ab eodem reuocata, adeoque irritato quatenus in mariti potestate fuit eius voto, dicitur manere obligata ad non petendum debitum.

Respondet Sanchez, Illo casu virum non omnino irritasse votum vxoris, sed tantùm quoad ingressum Religionis, vel quia irrita fuit professio, sine vlla irritatione voti eam reuocasse.

Verùm hæc responsio non satisfacit, Primò, Quia non est verisimile, virum non irritasse tale votum quantum potuit, quando eam à Monasterio retraxit. Secundò, Quia Pontifex indicat, independenter à viri voluntate, sine tacita conditione consensus ipsius vel non dissensus, vxorem potuisse vouere non petere debitum. *Promisit*, inquit, *se non exacturam carnis debitum, quod erat in eius potestate*. Denique nulla facta eius mentione quòd maritus tale votum quoad petitionem debiti non irritauerit, vult illud soluto matrimonio esse in vigore, rationem reddens, quòd tunc non desierit obligare quod priùs obligabat. Facit etiam pro nobis cap. Si dicat, cap. Secundùm verba 33. quæst. 5. ex Augustino. Gratianus cap. Manifestum, ibid. dicit, quòd in votis castitatis & debito coniugij æquè mulier habeat potestatem viri, sicut & vir mulieris; & idem satis aperte dicit Apostolus



*Irritat omnis excepto castitatu.*

Apostolus 1. Corinth. 7. Itaque omnia vota vxoris facta tempore coniugij, pro tempore coniugij, vir irritat, excepto illo castitatis, quod non est ex parte rei promissæ in eius præiudicium.

Aliqui excipiunt votum moderatæ eleëmosynæ. Ceterùm quamuis de bonis familiæ possit vxor sine mariti scitu facere moderatam eleëmosynam, verbi gratia vigesimam partem annui prouentus non excedentem, non tamen ipso contradicente, multoque minùs eo renitente potest de eiusmodi quidquam vouere. Itaque poterit maritus talia vota irritare. De paraphernis tamen vouere potest etiam in magna quantitate: sed potest maritus, vt probabilius existimo, etiam illud votum irritare, quamuis valeat sine eius consensu.

Alij excipiunt votum de rebus necessarijs, vt de non mentiendo, &c. Sed neque ea exceptio est admittenda. Cùm enim mulier ob naturalem imprudentiam sit sub viri potestate in promissionibus Deo faciendis, quas alioqui temerè fortè faceret; potest eam vir, etiam in eiusmodi nouis vinculis de rebus necessarijs sibi inijciendis impedire.

Multò minùs illi audiendi sunt, qui excipiunt votum peregrinationis Ierosolymitanæ.

*Adulter quomodo irritet.*

Alij excipiunt casum quo vir notoriè esset fornicatus. Sed ille tum demum verè excipitur, quando propter viri adulterium mulier discessit, vel legitimè iam fecit diuortium: alioquin manendo sub ipso fine diuortio, subiacet legibus mariti in eiusmodi suis votis, modo iam dicto.

Sed quæres, Vtrùm postquam ab adultera recessit, teneatur ei non reconciliari, vt vota sua expleat.

Respondeo, Nisi sit votum castitatis vel Religionis, non teneri. Sicuti enim diximus suprà, propter medij difficultatem non teneri eum ad ingrediendum Religionem, antequam matrimonium consummet, qui obstrictus voto castitatis vxorem duxit: ita ob eamdem causlam hîc dicemus, vt alia sua vota mulier seruet, non obligari ad cælibatum, qui in votis non continetur, & admodum præ illis difficilis est.

Sed quid potest maritus in ea quæ voto promisit vxor in tempus soluti matrimonij?

*Quantum vota in tempus solutis matrimonio non possit vir irritare.*

Verius est, in illis quæ ad castitatem, ingressum Religionis, & ad non nubendum pertinent, nihil virum posse. Votum enim castitatis non potest vir irritare, nisi quatenus est in sui præiudicium: in alijs autem, in quibus probabile est eum habere potestatem in ipsam voluntatem vxoris vouentis, dicendum videtur, posse per maritum vxoris vota irritari, etiamsi fiant pro tempore quo non erit ei subiecta; quod proportionabiliter etiam applicandum est alijs subditis qui vouent tempore subiectionis in tempus quo non erunt subiecti. Consulendus Siluester verbo Religio 2. quæst. 15. & verbo Votum 4. quæst. 2. numero 5. Azorius lib. 11. cap. 17. quæst. 15. & 19. Hinc sequitur, Prælatum posse irritare vota Religiosi, emissa in tempus quo erit extra ipsius potestatem: quamuis id æquè generatim non possint maritus & dominus; perfectiùs enim voluntas Religiosi subiacet dispositioni Prælati.

*An maritus possit irritare vota emissa ante matrimonium.*

Similiter videndum, quid dicendum sit de votis ab vxore ante matrimonium emissis?

Respondeo ex cap. 30. Numeri, Augustino in illum locum, & cap. Noluit 33. quæst. 5. Illa posse maritum suspendere, quatenus eorum executio subest ipsius potestati, aut ei præiudicat, non autem propriè posse irritare. Probabiliter tamen & distinctè loquitur de hoc Sanchez, & putat omnia posse suspendere seu irritare, si ita vocem extendamus, excepto voto castitatis, Religionis, de rebus necessarijs; item votis realibus, puta de danda eleëmosyna: eiusmodi enim votum vult transire etiam ad tempus matrimonij, sicut alia priora debita, nisi fortè tempore voti mulier non fuerit sui iuris; tunc enim putat, virum quasi succedentem in locum patris aut tutoris, per quem votum erat irritabile, posse illud irritare. Quod notandum est, vt generatim statuatur, successorem in potestate posse irritare votum, quod poterat irritare eius prædecessor vt Superior sub quo fuit emissum. Dico, *vt Superior*; quia si solùm irritare poterat propter suum grauamen, quod fortè in successore locum non habet, non poterit irritare successor. Vnde fit, vt posterior maritus non possit eousque irritare votum castitatis, quod emisit vxor stante matrimonio priori consummato, quousque id poterat prior maritus, sed solùm quousque is potuisset, si ante matrimonium aut consummationem ipsa vouisset. Azorius cap. 17. suprà putat, maritum ea dumtaxat vota vxoris ante coniugium facta posse irritare, quæ in sibi debitis aliquo modo incommodant. Verùm textus Numeri, & eius interpres Augustinus generaliùs loquuntur, & videtur ea Lex in hac parte continere Ius morale, quod etiam in noua Lege seruandum sit.

Hinc sequitur, Multo magis patrem posse irritare vota omnia filij puberis, quæ fecit ante pubertatem, & in pubertate non renouauit, neque saltem tacitè ratificauit. Et ita tenet Caietanus hîc quæst. vltima, art. 5. Nauarrus cap. 12. Enchiridij numero 71. Valentia De voto, puncto 6. Beia parte 1. casu 49. Hæc enim vota habent conditionem illam implicitam, vt non valeant nolente patre. Vnde probabile est, patrem ea irritare posse, etiam quando filius omnino esset sui iuris, si modò eis nulla accessit ratificatio in pubertate.

*Si vir consenserit, quatenus irritetur.*

At quid dicendum, quando consentiente viro vxor vouit, poteritne etiam eiusmodi votum postea idem vir irritare?

Respondeo, & colligitur ex cap. 30. Numeri, Validè quidem posse, non tamen licitè sine iusta caussa, neque ita vt res voto promissa & iam tradita repeti possit. Si tamen consensus datus sit, sed votum nondum emissum, potest eum vir pro arbitrio reuocare. Denique à peccato non erit immunis vxor, quæ absque caussa iusta interpellat maritum, vt votum suum, alioqui validum, præcipuè ex eius consensu emissum, irritet. Verùm ista communia quoque sunt alijs superioribus & inferioribus.

Extendendum etiam est ad votum castitatis, quatenus à viro est irritabile, nisi in casu vbi mutuo consensu ambo vouissent: tunc enim neuter potest alterius illud votum irritare, nisi rursus vbi fracta semel per sacrilegium Deo data fide iterùm redierint in idipsum. Illud tamen obseruandum, maritum sine iusta caussa consensum reuocantem, non teneri ad votum quod reuocat, vt quidam dixerunt ex malè intellectis verbis Scripturæ, *Portabit ipse iniquitatem eius*: sed tenetur ad rescindendam irritationem: qua rescissa, non iam

iterùm redit voti obligatio; quia, vt suppono, fuit veri nominis irritatio, quæ planè extinguit obligationem, sed potest se de nouo vxor voto adstringere.

*Quænam vota mariti irritet vxor.*

Deinde dicere hîc oportet, quænam mariti vota irritet vxor?

Vbi verius est, omnia & sola absque consensu suo facta posse irritare, quæ sibi notabiliter præiudicant, quoad debiti redditionem & mutuam cohabitationem. Probatur, Quia quamuis mulieris caput sit vir, in re tamen coniugali vt mutui corporis habent potestatem, ita sibi mutuò sunt subiecti; quod indicat Apostolus suprà, quando dicit, *Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* insinuat enim, quando constat coniugium, etiam maritum in quibusdam vxori esse subiectum.

*Votum peregrinandi.*

Hinc sequitur, Non posse virum vouere, contradicente vxore, peregrinationem longam, etiam in Terram sanctam, caussa solius deuotionis: si tamen voueat ferendi subsidij caussa ipsi Terræ sanctæ, in fauorem eius Ius hoc ei concedit inuita coniuge, cap. Ex multa, De voto. Itaque sine consensu coniugis mulier nullam, vir breuem tantùm peregrinationem vouere potest.

Poterit etiam vxor irritare immoderatæ abstinentiæ seu ieiunij votum, quod debiti moderatam redditionem impedit; ita tamen vt non totum irritet, sed excessum, in quem tantùm ius habet.

Sequitur etiam, Non posse vxorem irritare votum mariti de non petendo coniugali debito; hoc enim fidei coniugali non præiudicat, si fiat cum moderatione suprà explicata: quamuis monendi sint coniuges, ne facilè eiusmodi votis sese implicent, vbi continuò eodem toro vti volunt; & si implicati fuerint, periculo suo consulant maiori cautela, vel per Episcopi dispensationem. Si autem vir vouit non reddere debitum, ex alieno vouit, ideoque eiusmodi votum non tam irritandum ab vxore, quàm per se irritum est, cap. Vna 33.q.5. ex Augustini Epistola Ad Armentarium.

*Vota Episcopi.*

Tertiò quæritur de Episcopo, Quàm ipse sit liber in vouendo?

Respondeo, Non licere ei emittere votum, quo dissoluatur vinculum quod est inter ipsum & propriam Ecclesiam, cap. Nisi cùm pridem, §. finali, De renuntiatione. Vnde non potest ingredi Religionem sine consensu Pontificis, cap. Licet, De Regularibus, D. Thomas quæst. 185. infrà art. 4. Nihil etiam vouere potest quo Ecclesiæ suæ grauiter præiudicet, cap. Sicut nostris, De iureiurando. Vnde cap. Magnæ, Extra. hoc tit, *Non licet Episcopo longa peregrinatio.* Imò irrita erunt Episcopi vota de longa peregrinatione, quando melius est eum residere, quàm petere à Pontifice summo talis absentiæ facultatem, vt benè Sanchius lib. 4. in Decalogum cap. 25.

*Clericorum sæcularium*

Quartò quæritur idem de Clericis sæcularibus. Sanè nec ipsis sine Superioris facultate peregrinationis longæ in præiudicium Ecclesiæ in qua residere tenentur, vota cõceduntur, cap. Non oportet, De consecrat. dist. 5. & dicto cap. Magnæ. Argumentum ex cap. Admonet, De renuntiatione, & alijs ibi in Glossa citatis. In voto tamen Religionis Clericus non pendet à consensu Episcopi. cap. Duæ sunt 19. quæst. 2. ex Vrbano Papa. Vnde possunt eo contradicente vouere Religionem, etiamsi iurauerint ipsi obedientiam. Qui enim in talibus afflati Spiritu sancto, priuata Lege ducuntur, Lege publica & communi non sunt reuocandi; dignior enim est Lex priuata quàm publica, vt ibi dicit Pontifex & Glossa. Simpliciùs dicetur, in promissione obedientiæ facta Episcopo, tacitè esse exceptum votum Religionis, sicuti transitus ad arctiorem Religionem in voto obedientiæ quod fit Prælato.

Quintò quæritur de votis seruorum, quousque reclamantibus dominis rata esse queant?

*De votis seruorum.*

Videntur quidam omnia seruorum vota arbitrio dominorum subijcere, sed verius est, ea sola esse subiecta, quæ præiudicant iuri herili. Neque enim herus serui vota irritat ea potestate quam habeat in serui voluntatem, sed ea tantùm quam habet in rem promissam. Argumentum ex cap. Relatum, De excommunicatione, & cap. Si seruus sciente, dist. 54. Docet Panormitanus in cap. Scripturæ, De voto.

Vnde sequitur, Vota quæ seruus fecit dum erat liber, & omnino suæ potestatis, dominum suspendere solùm quatenus sibi præiudicant, ita vt post manumissionem reuiuiscant.

Sequitur Secundò, Non posse dominum irritare vllum votum serui, quod spectat tempus futuræ libertatis.

Sequitur Tertiò, Si seruus votum suum referat partim ad tempus seruitutis, partim ad tempus libertatis, dominum pro priori tantùm tempore posse irritare: si autem ad nullum tempus referat, modò sit de præiudicantibus, potest dominus simpliciter irritare. Argumentum ex cap. Quidam, & cap. Placet, De conuersione coniugatorum, vbi reuocatus à coniuge ex Monasterio, ea mortua non cogitur ad Monasterium reuerti.

Sequitur Quartò, Non valere inuito domino votum serui de ingressu Religionis, susceptione Ordinum; valere tamen de certis precibus recitandis.

*De votis filiorum familias.*

Quæritur Sextò, Vtrùm ratum sit votum filiorum familias sine patris consensu?

Respondet D. Thomas art. 9. Si vsum rationis non habeant, nulla esse eorum vota: si ratione vtantur ante annos pubertatis, posse quidem, quantum in ipsis est, se voto obligare, sed eorum votum posse irritari per parentes; nullo autem modo ante annos pubertatis posse facere votum solemne Religionis, propter Legem id cauentem Ecclesiæ, quæ respiciat quod vt plurimum accidit: post annos autem pubertatis posse sese voto Religionis obligare, vel simplici vel solemni sine consensu parentum.

Dico itaque PRIMO. Vota ante rationis vsum emissa Iure naturæ nulla sunt. Patet ex definitione voti: diximus enim, esse promissionem deliberatam; æquiparantur enim pueri ante rationis vsum amentibus aut furiosis, quorum vota esse irrita habemus cap. Sicut, De Regularibus.

Dico secvndo. Si vsum quidem rationis habeat filius aut filia familias, sufficientem ad vouendum, sed ad annos pubertatis non peruenerit, vouet quidem interdum validè, sed eius votum potest irritari à parente vel tutore, sub cuius est potestate. Colligitur ex 30. cap. Numeri, & cap. Puella 20. quæst. 2. ex Concilio Triburiensi.

Sed



*Qui etas requiratur in vouente.*

Sed quæres, Quæ ætas ante pubertatem censeatur sufficere ad rationis vsum in voto necessarium? Graffius part. 1. lib. 2. cap. 26. dicit, debere esse prope pubertatem, hoc est decem annorum cum dimidio in masculis, & nouem annorum cum dimidio in feminis. Panormitanus autem in cap. Veniens, De voto, indistinctè dicit, ætatem non obesse ad obligationem Deo quærendam, modò sit annorum septem. Quæ sententia videtur vera. Solemne tamen votum non admittitur Iure antiquo ante pubertatem: nam quòd Canon 40. Sextæ Synodi natos decem annorum ad monachatum admittit, receptum non est. Tridentinum decimumsextum annum completum exigit sess. 25. cap. 15. De Regularibus. Basilius similiter in virgine sedecim annos exigebat, vt refertur in dicto Canone 40. Sextæ Synodi. Quando autem requiratur consensus patris vt votum filij familias sit ratum, quando autem sufficiat ipsum non dissentire, colligitur ex dictis De voto Religiosi.

*Differentia inter votum puberis & impuberis.*

Est differentia inter votum puberis & impuberis, quòd patet possit omne votum impuberis irritare (Emanuel Sà verbo Voti irritatio, numero 1.) non autem puberis: tantùm enim illa irritat, quæ præiudicant patriæ potestati, qualia sunt realia de aduentitijs & similibus, non autem de castrensibus. Personalia etiam irritare non potest, neque mixta, in quibus reale solùm ex consequenti & accessoriè venit, vt veniunt bona quando quis ingreditur Religionem; transeunt enim cum vouente. Item excipit Siluester verbo Votum 3. q. 6. votum Terræ sanctæ, cap. tamen Ex multa, hoc tit. quod Siluester allegat, non loquitur de filijs familias, sed tantùm de maritis.

Sed meritò quis quærat, Quamdiu duret potestas patria, irritandi vota post pubertatem: communis enim sententia videtur eam restringere ad tempus quo filius est minor viginti quinque annis.

Non improbabilis tamen est opinio Sanchez lib. 6. disp. 39. num. 10. in quacumque ætate patrem posse irritare realia ista vota filij familias: eò quòd nulla ætas eximat filium à patria potestate, licet senex sit, cùm nullo Iure id cautum sit.

*Mater an possit irritare vota filij.*

Huius etiam loci quæstio est, Vtrùm mater quoque irriret vota filij.

Respondeo, Si ipsa tutrix sit impuberis, aut curatrix puberis, non est dubium quin irritet. Probabile tamen est, etiam irritare mortuo patre, quando neque tutrix est neque curatrix, modò in eius potestate maneat filius aut filia, vt docet Emanuel Sà: quamuis contrarium teneat Azorius.

Non minor est illa quæstio, Quomodo dissimulantibus parentibus, & expressum consensum neque dantibus, neque negantibus, vota filiorum contingat conualescere, ita vt postmodum ab eis nequeant irritari?

Respondeo, Eiusmodi conniuentiam non efficere, quin posteà semper, quando quoad hoc sunt in patria potestate, valeant parentes eiusmodi vota irritare, nisi in casibus Iure expressis, qualis est dicto cap. Puella, vbi negatur parentibus irritatio voti, postquam impubes filia vno anno integro & die in Monasterio, ipsis scientibus & nihil contrà mouentibus, fuerit, quale quid etiam de filio statuitur cap. Si quis ante, De Regularibus.

Illud denique quæri hîc possit, Vtrùm per Constitutionem Tridentini, quæ ad professionem solemnem Religionis neminem recipit ante annum decimumsextum expletum, patria potestas quoad irritanda Religionis vota, vltra decimumquartum annum censeatur eousque prorogata?

Vbi omnino negatiuè respondendum est, vt benè obseruauit Azorius suprà cap. 17.

*Vota puerorum.*

Quæritur Septimò, Quid dicendum sit de votis puerorum?

Respondeo, Ferè id patet ex dictis: alioqui talium vota non continuò censenda irrita, patet ex cap. Venientis, De voto. Faciliùs tamen cum ipsis dispensatur, aut vota eorum commutantur, vt ibi Glossa, & dicemus infrà Dub. 10. Hactenus in particulari de illis quorum vota irritari valeant.

*Irritatio voti an requirat caussam.*

Circa ipsam autem irritationem generatim quædam obseruanda sunt. Primò, Ad ipsam tam vt validè quàm vt licitè fiat, non requiri caussam, nisi fortè quando votum semel Superioris consensu firmatū est. Indicat hoc textus Numeri 30. *In arbitrio viri erit, siue faciat siue non faciat.* & tenet Antoninus 2. parte tit. 11. cap. 7. §. 6. Azorius lib. 11. cap. 17. qui testatur esse communem: quamuis Sotus existimet esse veniale, sine caussa irritare. Ratio manifesta est, Quia voto subditi implicitè inest conditio, Nisi Superior contradicat, cui contradictioni subditus non ponit Legem, sed eam tam liberam relinquit, quàm ei liberum fuit vouere. Vbi insignis est differentia inter irritationem & dispensationem voti: dispensatio enim caussam requirit etiam vt validè fiat. Est & alia satis obuia inter dispensationem & irritationem differentia, quòd non omnes qui dispensare possunt, possint etiam irritare: Episcopus enim suorum subditorum vota nonnulla per dispensationem relaxat, non tamen potest ea irritare. Neque iterùm qui irritare possunt, etiam possunt dispensare, vt patet in coniuge, parente, &c. Tertia est differentia, Quòd in voti irritatione, etiamsi semel in illud Superior consenserit, minor caussa sufficiat quàm in dispensatione: quia, vt dicit Sanchez lib. 9 disp. 40. num. 7. irritatio innititur quodammodò potestati dominatiuæ, quæ non ita caussam postulat vt potestas dispensatiua.

*Differentia inter dispensationem & irritationem.*

*Superior debet in votum consentire.*

Secundò obseruandum, Quando votum tale est vt non sit ratum nisi consentiat Superior, regulariter non sufficere quòd consentiat in opus voto promissum, sed debere consentire in ipsam promissionem seu votum. Ratio est, Quia cum consensu in opus promissum consistit reuocatio & irritatio voti, vt patet in Prælato vel marito, rescindente votum Religiosi vel vxoris de rebus necessarijs ad salutem.

Dico, *Regulariter*; quia aliquando sufficit consentire in opus, quando nimirum opus est tantùm consensu Superioris, propter præiudicium quod ipse pateretur in opere, & non habet directè potestatem in voluntatem vouentis. Hoc modo dominus satis confirmat serui votum, si permittat eum peregrinari, etiamsi ignoret eum hoc vouisse.

Tertiò obseruandum, Quando subditus obli-

gatur voto donec illud irritet Prælatus, non debere continuò censeri Prælatum irritasse, quando facultatem concedere noluit operis explendi: solùm enim propter prohibitionem, ea stante, ad tempus excusabitur subditus, neque tenebitur Prælato indicare votum, etiamsi putet eo cognito consensurum, vt benè Caietanus hîc art. 8. Imò si pœnitudine ductus Prælatus posteà consensum præbeat quem priùs negauit, obligabitur subditus, non obligandus si primo dissensu votum fuisset irritum. Ita Sotus, Valentia, & alij.

*Vota semel irrita non conualescunt.*

Quartò, Vota semel absolutè irrita non conualescere, etiamsi subiectio desierit, modò irritatio fuerit propriè dicta, vt distinguitur contra suspensionem voti: votum enim tantùm suspensum conualescit, cùm ad eum casum peruentum fuerit, à quo poterat efficax habere principium, vt loquitur Cælestinus III. cap. Placet, De conuersione coniugatorum. Ita Sanchez suprà num. 35. Azorius, Sotus, Siluester, Angelus, & alij communiter. Suspensio enim fit manente vinculo voti, illicitam reddendo pro tempore materiam: irritatio autem soluit voti vinculum, ponendo conditionem, qua existente subditus noluit votum suum obligare.

*Potestas irritandi non est spiritualis.*

Denique obseruasse hîc iuuabit ad pleniorem irritationis intellectum, potestatem irritandi non esse Ecclesiasticam aut spiritualem, sed de se potiùs esse ciuilem & laicam, & descendere non ex Iure Canonico, sed naturali. Ex quo sequitur, Etiam in infidelibus esse, & in summo Pontifice non reperiri plenitudinem huius potestatis, vt validè rescindere possit quoduis votum laicorum sine causla, vt natura irritationis postulat. Ita docet ex Soto Azorius dicto cap. 17. qui non improbabiliter addit, ne quidem omnia Clericorum sæcularium vota posse summum Pontificem irritare; quamuis ea possit quæ ad gubernationem Ecclesiasticam aut res Ecclesiasticas pertinent: & Regularium ferè omnia vota irritare possit, saltem quæ humana potestate irritari possunt. Sanè substantialia Religionis vota Pontifex irritare nequit, etiamsi in ijs possit dispensare: neque enim sine causla & sine dispensatione solo suo nutu de Religioso potest facere non Religiosum. Vasquez in 1. 2. disp. 65. cap. 8.

## DVBIVM VIII.

### *Quot modis contingat Voto quempiam solui?*

PLVRIBVS id modis contingit, quorum aliqui iam explicati fuere: per mutationem materiæ, defectum conditionis, defectum causæ finalis, & irritationem. Superest via dispensationis, & commutationis. Commutatio quando sit voti personalis in reale, dicitur Redemptio: habet enim redemptio se ad commutationem, sicut emptio ad permutationem. Siluester verbo Votum 4. q. 1.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm in solemni Voto continentiæ dispenset Pontifex.*

*D. Thomas art. 11.*

CELEBRIS hæc est controuersia, cui tamen decidendæ via iam præstructa est ex dictis Dubio 3. vbi diximus, votum solemne castitatis ex sola constitutione Ecclesiastica dirimere matrimonium; quamuis, vt ibi insinuauimus, etiam ex altera sententia, quæ. Iure diuino putat hoc voto irritas fieri superinductas nuptias, non sequatur, in eo non dispensare Pontificem, quem constat etiam in quibusdam Iuris diuini, quæ ex voluntate humana initium sumpserunt, posse dispensare. Vt enim Pontifex hîc dispenset quoad valorem matrimonij, alterum ex duobus sufficit, vt vel possit ex Monacho manente Monacho facere maritum; siue quod idem est, vt voto Religionis possit adimere votum castitatis, vel ex Religioso facere non Religiosum. Vt autem non tantùm validè, sed etiam licitè dispenset, requiritur præterea, vt iusta causla esse possit ita faciendi: imò ne quidem validè sine iusta causla Pontifex ex Monacho faciet non Monachum, vel maritum, si Iuris diuini sit, consecratum per votum monasticum Deo cælibem vitam agere, aut semper Deo manere sic consecratum, vt ad vota mundi, cui iam mortuus est, redire non possit. De his ergo hoc Dubio implicitè quæritur.

*Prima sententia.*

Duæ sunt opiniones. Vna D. Thomæ hoc art. 11. negans posse Pontificem dispensare quoad castitatem in voto solemni Religionis, quam & alij multi sequuntur, Siluester verbo Votum 4. q. 5. Sotus lib. 7. q. 4. art. 2. Arragonius hîc, Turrianus lib. 2. De votis monasticis, Estius in 4. dist. 38. Magnum isti suæ sententiæ præsidium ponunt in verbis cap. Cùm ad monasterium, De statu Monachorum, §. vlt. vbi ita habet: *Nec æstimet Abbas quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ monachali, vt contra eam nec Pontifex possit licentiam indulgere.*

*Probatur.*

2. Secundò allegant cap. vlt. Leuitici: *Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non vendetur, neque redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Hinc enim haberi volunt, non posse ea quæ semel Deo sunt consecrata, exuere eiusmodi consecrationem aut profanari, quoad integra perseuerauerint. Vnde nec calix, inquiunt, semel consecratus, in profanos vsus distrahi poterit, nisi priùs destructus. Supponunt autem, voti solemnitatem in quadam consecratione consistere.

3. Tertiò, Est, inquiunt, contra Ius naturæ, rem semel alicui traditam iterùm ei adimi; ergo cùm voti solemnitas consistat in traditione, non poterit per dispensationem relaxari, sicuti diximus Dubio 7. non posse maritum vxoris votum irritare, quando ipso consentiente vouit, & rem promissam iam Deo tradidit.

4. Quartò adducunt illud Ecclesiastici 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Quo videtur significari, nihil esse tam dignum, quo compensante postponi debeat votum continentiæ. Confirmatur, Status monasticus est dignior matrimonio consummato: atqui istud non soluitur ob quamcumque necessitatem Reipublicæ superuenientem, quæ non minùs eius solutionem exigere posset, quàm voti solemnis; ergo multò minùs solui debet status monasticus: minùs enim cõuenit per res Deo consecratas, & personas mundo mortuas, sæculi necessitatibus subueniri.

Quin-



5. Quintò, Exemplum D. Matthæi, qui noluit cum Iphigenia dispensare, vt post votum castitatis nuberet Regi, per eiusmodi nuptias cum magna Regni parte ad fidem conuertendo, sed elegit Apostolus potiùs mori, quàm Christi sponsam alteri tradere.

6. Sextò, Ex absurdo. Sequitur enim, posse Pontificem efficere, vt dissoluatur matrimonium consummatum inter viuentes, vel vt duas quis simul habeat vxores. Faciamus enim Petrum ex consensu coniugis amplexum esse monastica vota, deinde Pontificem cum eo dispensare vt ducat vxorem, cùm non teneatur redire ad priorem, imò fortè nec possit, eò quòd & ipsa facta sit Monialis & similem dispensationem non habeat, poterit ducere aliam.

7. Septimò, Non dispensat Pontifex in voto solemni paupertatis, vt ostendit Nauarrus Commentar. De reditibus Ecclesiasticis, monito 11. ergo neque in voto castitatis solemni.

8. Octauò, Pontifex non potest efficere, vt professione Religionis non dirimatur matrimonium ratum præcedens; ergo neque facere potest vt eâ non dirimantur sequentes nuptiæ.

9. Nonò, Concilium Toletanum VI. Can. 6. contra desertores instituti sui Regulares ita statuit: *Si quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sententia à Christianorum cœtu habeantur extorres*, &c. Ex hoc Canone format argumentum eiusmodi Turrianus: Omne patrocinium pro deserendo semel suscepto monastico habitu interdictum est; ergo etiam patrocinium dispensationis: est enim genus quoddam patrocinij, dispensatio Pontificalis.

Decimò, Si potest Pontifex facere, vt maritus ante consummationem matrimonij factus Monachus iterùm fiat maritus, poterit etiam efficere, vt aliquoties vnius & eiusdem feminæ desinat, & iterùm incipiat esse maritus, quod est absurdum.

Vndecimò, Status monasticus æquiparatur matrimonio consummato quoad immobilitatem, quia monachatum professi comparantur castratis Matth. 19. cum castratis autem dispensari nequit vt vxorem ducant.

*Secunda sententia.*

Altera sententia affirmat, Posse Pontificem in castitatis voto per Religionis professionem solemniter emisso dispensare. Quæ tenenda est tamquam probabilior. Tenuerat eam D. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. Tenet Caietanus hoc art. excusans D. Thomam, quòd solùm neget posse dispensari, cum duplici limitatione. Vna, Si cap. Cùm ad Monasterium, ita statuat. Altera, Probabiliter hoc teneri posse. At magis ingenuè Siluester Ferrariensis quod res est fatetur lib. 3. Contra gentes, cap. 124. D. Thomam sententiam quam in 4. docuerat, hîc in Summa mutasse: quod enim Azorius dicit lib. 12. c. 7. D. Thomam solùm velle, quòd non possit Pontifex Monacho manenti Monacho indulgere licentiam contra votum castitatis; verisimile non est: quia apertè dicit, Pontificem non posse ex professo facere non Monachum, sicuti non potest ex Sacerdote facere non Sacerdotem. Tenet nobiscum Palude dicta dist. 38. quæst. 4. concluf. 11. Ioannes Maior q. 3. Richardus art. 9. quæst. 1. Dutandus q. 2. Valentia hîc puncto 7. Couarruuias De testamentis, cap. 2. num. 10. Nauarrus suprà, estque communis omnium Canonistarum, & communior recentiorum Theologorum, vt patet ex illis quos citat & sequitur Sanchez lib. 8. disp. 8. num. 7. Vt autem eam probemus,

*Pontifex dispensare potest in voto Religionis:*

DICO PRIMO. Potest Pontifex dispensare in voto solemni Religionis, vt validè contrahatur matrimonium ab eo qui professus fuerat. Probatur Primò, Quia vt suprà diximus, quòd votum solemne dirimat matrimonium sibi superueniens, est ex sola constitutione Ecclesiæ: in Legibus autem Ecclesiasticis plenam dispensandi potestatem habet Pontifex. Secundò, Per votum ponit quisque sibi Legem: atqui in tali Lege æquum est tacitè excipi casum quo Ecclesia ob publicam necessitatem aliud velit.

DICO SECVNDO. Datur casus quo liceat eiusmodi dispensatio: posita enim potestate, certum est, posse ingruere eam necessitatem Reipublicæ vel Ecclesiæ, aut tantam vtilitatem quæ sufficiat relaxando huic voto, verbi gratia, vt Regni pax conseruetur, vt ad fidem aliqua Regio conuertatur. Fatetur enim D. Thomas, continentiam posse sufficienter alio bono compensari.

*Non autem vt qui manet Religiosus habeat vxorem.*

DICO TERTIO. Non potest Pontifex dispensare vt Religiosus manens Religiosus vxorem habeat, & castitatis voto non teneatur. Patet dicto cap. Cùm ad Monasterium, item ex Dionysio citato suprà Dubio 3. qui refert, Monachum renuntiare vitæ diuisibili, id est coniugali, vt ibi diximus. Imò putat D. Thomas, inde dictum Monachum, quòd solus sit sine vxore, ex opposito nimirum illius diuisionis, ob quam de coniugato Apostolus dicat, *Et diuisus est*, quò etiam respexit Dionysius. Conformis est Cassianus Collat. 18. cap. 5. vbi Monachos dictos dicit à singularis ac solitariæ vitæ distinctione, eò quòd coniugijs, inquit, parentum consortio, & mundi conuersatione abstineant. Cùm ergo cælibatus monachatui naturaliter insit, non potest Pontifex, imò neque ipse Deus efficere, vt quis vtatur coniugio, & statum coniugalem simul cum statu monastico retineat: suppono enim, id manifestam contradictionem inuoluere. 1. Cor. 7.

*Matrimonium validum erit, Pontifice etiam sine causla dispensante.*

DICO QVARTO. Quando Pontifex sine causla dispensat cum Religioso vt vxorem ducat, validum est matrimonium, & quoad illud valida est dispensatio; quia vt diximus, irritū est Religiosi matrimonium tantùm Iure Ecclesiastico. Talis tamen dispensatus manet obligatus voto castitatis, & non potest petere debitum, quia inualida est dispensatio, quatenus relaxat naturalem obligationem voti castitatis, eò quòd neque in Iure diuino Papa, neque regulariter inferior in Lege Superioris validè dispenset sine causla: imò solus Papa poterit postmodum cum tali propter periculum animæ dispensare, vt qui tenetur reddere, etiam petat debitum; etiamsi dispensatio, quando ex voto simplici impeditur quis à petitione debiti, concedi soleat ab Episcopis, vt dicemus Dubio 10.

*Pontifex dispensat in Ordine sacro.*

DICO QVINTO. Potest Pontifex dispensare in voto continentiæ solemni ex susceptione Ordinis sacri. In hoc omnes ferè conueniunt. Quamuis enim in eo discrepent, vtrùm sactis Ordinibus sit annexum votum, an tantùm Lex continentiæ; in eo tamen ferè conueniunt, si votum sit annexum, non esse ei essentialiter an-

*Votum continentiæ Ordinibus sacris annexum.*

nexum. Sanè votum illis annexum esse, verior habet opinio, & conformior sacris Canonibus, cap. 1. dist. 28. ex Gregorio: *Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit.* Lex ista seruatur, quando conscij eiusmodi Legis, sine protestatione contraria Subdiaconatum suscipiunt: si enim ad professionem ac votum Religionis sufficiat in habitu vltra tempus probationis more aliorum professorum perseueraſſe, vt patet cap. Vidua, De Regularibus; etiam sufficiet ad vouendam castitatem, Ordinem Subdiaconatus suscepisse, in quo superioribus temporibus constet tale votum emitti solitum, & vt etiam nunc emittatur, saltem tacitè, Ecclesiam velle. Confirmatur ex cap. Diaconi, eadem dist. ex Concilio Ancyrano: *Quicumque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem professi continentiam, si posteà ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebunt.* Vbi in silentio suscipientium Diaconatum, habemus professionem & votum quoddam continentiæ. Item cap. Cùm olim, De Clericis coniugatis: *Nos attendentes quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit*, &c. vbi votum continentiæ intelligit doctissimus Pontifex Innocentius III. illud quod in susceptione Ordinum maiorum tacitè emittitur, vt docet ibi Glossa. Loquitur similiter Gratianus cap. De Syracusanæ, dicta dist. 28. Accedit cap. vnicum De voto, in 6. vbi dicitur, quantum ad matrimonium post contractum dirimendum, votum illud esse solemne, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, &c.

*Differt à professione Religionis.*

Illud tamen obseruandum, Votum solemne Ordinis sacri non esse omnino eiusdem efficaciæ cum solemni per approbatæ Religionis professionem: quia istud dirimit etiam prius matrimonium ratum, non consummatum; illud autem non dirimit, vt definiuit Ioannes XXII. in Extrau. De voto, quæ incipit, Antiquæ concertationis.

Differunt etiam in eo, quòd in Religioso per dispensationem status separetur ab homine, castitatis autem obligatio inseparabilis sit à statu: in Clerico autem ad sacros Ordines promoto contrà dispensatio fit separando ab Ordine obligationem castitatis, Ordine propter characterem manente inseparabili ab homine.

Ceterùm notandum hîc est, Valentiam tom.4. disp. 9.q. 5. puncto 5. §. 1. quando agit de annexis Sacramento Ordinis, ita explicare nostram sententiam apud recentiores communioré, vt reuerà videatur oppositum tenere, quod & Scotus, & Palude in 4. dist. 37. & alij præsertim Iureconsulti non pauci, fecerunt. Dicit enim votum continentiæ annexum Sacris Ordinibus, quod ad rem ipsam attinet, non esse aliud quàm obligationem ad non ducendam vxorem, & etiam ad perpetuam continentiam deinceps seruandam: nam hæc ipsa, inquit, obligatio, quatenus propter maiorem Dei cultum (qui aliàs in votis expressis respici solet) iis qui Sacris initiantur imposita est, votum continentiæ implicitum à DD. appellatur. Videtur inquam ita implicitum votum explicando Valentia, votum in Ordine sacro negasse: nam alioqui etiam in Baptismo propriè dictum votum esset admittendum, quod ipse Valentia cum communi Catholicorum, quam suprà Dubio 2. secuti sumus, refutat 3. suo tomo, puncto 2. De voto, sub finem.

Neque tamen sententiam Valentiæ omni probabilitate destitutam existimamus: pro ea enim facit, quòd, vt Palude dicit, non videatur admittendus iste modus vouendi implicitè ex solo statuto Ecclesiæ, & alia ratio sit de solemni voto quod implicitè fit in Religione, vbi ferè votum explicitum præcessit, aut saltem quia tota res ibi voti est, facilius votum præsumitur. Deinde vrgeri potest, quòd si hîc semper esset votum propriè dictum & solemne, non videatur sufficiens ratio, quare posterius eiusmodi votum non soluat matrimonium ratum priùs contractum, vt fit in voto Religionis; nam reuerà quoad rem coniugalem, Clericus non minùs esset mundo mortuus quàm Religiosus.

Dicunt quidam, rationem in eo sitam esse, quòd non conueniebat pluribus modis posse solui maritum matrimonio rato quàm vxorem, quæ tantùm capax est Religionis, non Ordinis.

Contrà, Eadem ratione etiam dices contra communem, ne sponsalia quidem solui debere per sacrum Ordinem; nam etiam in illis oportet contrahentes esse pares.

Sed his facilè respondebit, qui dixerit, Ecclesiam posse statuere, non tantùm vt qui ordinatur, eo ipso sese obliget tacitè ad castitatem, sed vt implicitum votum etiam emisisse censeatur. Rursum quia irritatio prioris matrimonij per sequens votum est ex iure tantùm Ecclesiastico, posse statuere Ecclesiam hanc irritationem in voto Religionis, in fauorem nimirum status illius perfectioris, in quo perfectiùs homo mundo moritur, etiamsi eamdem non statuat in voto solemni per susceptionem sacri Ordinis. Sanè permultum refert vtra sententia teneatur: si enim dicas, in Ordine non subesse illud votum, sed solam Legem Ecclesiæ, consequens erit, Clericum qui ex dispensatione sine legitima causſa vxorem ducit, non tantùm posse reddere, sed etiam petere debitum: in nostra autem sententia non poterit petere. Rursum in nostra sententia Clericus in Sacris peccat peculiariter in Religionem fornicando, in altera autem non item, nisi quasi ex consequenti.

*Causa prius nata non sufficit ad dispensationem vt sit solemnis.*

Dico sexto. In dispensatione quacumque voti solemnis castitatis non sufficit causſa priuata, puta periculum incontinentiæ in Clerico vel Regulari, sed opus est publica. Ita contra Richardum & Caietanum asserit Catharinus, quem sequitur Valentia, & Sanchez lib.8.disp.8. num. 2. & 8. Præcipua ratio est, Quòd Pontifex validè hîc non dispenset, nisi subsit iusta causſa; nulla autem possit peti iusta causſa ex priuata necessitate vel vtilitate, quæ sufficiat tot compensandis scandalis & publicis obloquijs. Adde, eiusmodi dispensationem cum Religioso non fieri sine detrimento aliquo status Religiosi, & nimis frequenter futuram esse, si ex priuata causſa concedatur. Fore etiam non exiguam hinc tentationem ingerendam, si tam facilis sit relaxatio. Denique cùm dispensatio numquam sit facienda cum detrimento boni communis, vt docet D. Thomas 1.2.q.97.art.4.ad 1. & hæc non fiat sine detrimento boni communis, nisi concurrente necessitate vel vtilitate publica, patet ob eam solam fieri posse. Propter hæc argumenta meritò ista sententia communis est, vt testatur Valentia, præcipuè in dispensatione Religiosi; quia in dispensatione Clerici fortè sustineri poterit, etiam supposita opinione probabiliori, quòd in sacro Ordine subsit tacitum votum, Pontificem posse in radice illius voti validè dispensare, etiam sine causſa, eò quòd eiusmodi tacitum votum subsit solùm ex Lege Ecclesiastica; quoad effectus autem ex Lege Ecclesiastica iam etiam ante secutos, possit eam Pontifex irritare, vt patet Clementina vnica De immunitate Ecclesiarum. At fortè hîc non tam effectus Legis quàm Lex ipsa quoad præteritum tempus tolleretur. Neque verum videtur, si verè votum fuit, posse Pontificem efficere vt votum non fuerit: imò neque vt solemne non fuerit, adeoque vt ob non publicam causſam validè in eo dispensari possit.



*Obiect.*

Dices, Qui solemniter castitatem vouet, eam vouet tamquam sibi expedientem, & cum implicita conditione, nisi ex rationabili causſa Pontifex relaxet. Erit ergo sufficiens causſa, si compertum sit, ipsi personæ vouenti fore melius transire ad nuptias.

*Resp.*

Respondeo, Conditionem generalem quæ tacitè inest, relinquere votum verè absolutum, vt suprà dictum est, & intelligendam esse pro subiecta materia.

Dico septimo. Non potest Pontifex cum Regulari ad contrahendum coniugium dispensare, ea apposita Lege, vt susceptæ prole teneatur, etiam inuita vxore, redire ad Monasterium. Neque enim potest Pontifex dispensare vt matrimonium contrahatur ad tempus, quod ex ipsa Lege diuina & naturali est Sacramentum, & indiuiduæ societatis perpetuum fœdus. Secundò, Conditio talis apposita est contra substantiam matrimonij, adeoque illud vitiat, vt patet cap. finali, De conditionibus appositis; vbi & nominatim dicitur irritari matrimonium, si dicat vir, Contraho tecum donec inueniam aliam ditiorem. Tertiò, Dispensaret alioqui Pontifex quodammodò in matrimonio consummato, & ideò sic tener Panormitanus in cap. Ex publico, De conuersione coniugatorum, numero 15. Potest tamen Pontifex addere suæ dispensationi hanc Legem, vt redeat ad Monasterium eo casu quo hoc ei etiam stante coniugio foret liberum, puta libere consentiente vel fornicante vxore; quo modo legitur id fecisse Nicolaus Iustinianus.

*Pontifex tenetur dispensare cum Religiosis.*

Dico octavo. In voto solemni castitatis cum Religiosis aliquoties Pontifex dispensauit: Alexander enim III. dispensauit cum dicto Nicolao, vt legitur in Vita B. Laurentij Iustiniani. Cum Ramiro Aragonum Rege Sedem Apostolicam dispensasse, testatur Paludanus. Cum Casimiro I. Poloniæ Rege similem dispensationem refert Azorius. Cum Constantia Regis Siciliæ filia, quæ ex Moniali coniunx Henrici VI. Imperatoris peperit Fredericum II. dispensasse Cælestinum III. vel qui ei proximè successit Clementem III. constat ex Antonino 3. parte, tit. 19.

*Obiect.*

Obijciunt aduersarij Primò, Historias istas incertas esse. Secundò, Fortè Religiosos istos tunc adhuc fuisse in Nouitiatu; aut si fuerint professi, non legitimè fuisse professos, puta quia non liberè, aut simili de causſa. Tertiò, Pontifices de facto quidem dispensasse, sed non legitimè; secutos quidem esse sententiam quam putabant probabilem, sed in hoc facto erraſſe, vel sanè, euulgatam quidem fuisse à Principibus eiusmodi dispensationem, non autem verè impetratam. Modestè hæc suggerens Turrianus, adducit Gelasium tomo De vinculo anathematis, ita scribentem in simili causſa: *Si assensus Pontificum interfuit, doceatur à quibus & vbi ille gestus sit, si secundùm Ecclesiæ regulam celebratus, si à paterna traditione profectus, si maiorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus.* Et paulò pòst: *Si assensus Pontificum secutus est, adulationis potiùs fuit quam legitimæ sanctionis.* In simili, inquam, causſa hæc dicta sunt, sed solùm de inferioribus Episcopis, non de summo Pontifice, de quo potiùs credendum, falsò eius dispensationes tales iactari, sicuti Zacharias Pontifex scribit de dispensatione quæ à B. Gregorio facta fingebatur. *De illo*, inquit, *qui viduam auunculi sui, quæ & ipsa fuit vxor consobrini sui, & sacrum velamen habere monstrata est, & à beata memoriæ Prædecessore nostro, sibi licentiam concessam esse diuulgauit, vt eam in perniciosso matrimonio assumere debuisset. Absit hoc vt Prædecessor noster ita præciperet: neque enim ab Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum siue Canonum institutis perhibentur.* Verùm ista omnia facilè diluuntur.

*Resp. ad 1.*

Ad Primum, Fidem illarum historiarum esse satis probatam, & certiorem quàm vt simpliciter eam neganti, contra ipsas credendum sit.

*Ad 2.*

Ad Secundum, Non fuisse in Nouitiatu, patet, quia constat Ramirum Abbatem fuisse, & post quadraginta annos in Monasterio transactos, ex dispensatione vxorem duxisse publica vrgente necessitate. Constat non tantùm S. Benedicti Regulam professus, sed iam tum Diaconus fuisse legitur. Constantiam etiam quæ iam quinquagenaria erat, fuisse solùm Nouitiam, ne minimum quidem exstat argumentum.

Alterum illud, *Fortè mualidè*, quia coactè fuisse professos, confutatione non indiget, cùm nullum exstet huius coactionis indicium. Addo quòd Ramirus potiùs coactus legatur exire auctoritate Pontificia, quàm vlla sit suspicio coactum fuisse ingredi.

*Ad 3.*

Ad Tertium respondeo, Non esse præsumendum, Pontificem dispensasse sine prudentum consilio. Et sanè in dubio pro Pontificis gestis præsumendum est.

*An possit Pontifex abrogare cælibatum Ordinibus sacris annexum.*

Dico nono. Non posset Pontifex licitè generatim abrogare Legem cælibatus annexam Ordini facto, posset tamen validè. Prior pars patet, Quia moraliter loquendo non potest esse iusta causſa vniuersim abrogandi hanc Legem, & concedendi nuptias omnibus Clericis. Vnde etiam peccarent priùs implicito voto castitatis per susceptum Ordinem adstricti, hac relaxatione vrentes, secùs dicendum de illis qui in posterum ordinarentur. Semper tamen in generali eiusmodi relaxatione peccaret Pontifex, quia continentia ista certam habet & perpetuam decentiæ rationem, ab ipsa Scriptura & sanctis Patribus deductam, & non potest ex relaxatione tantum bonum haberi, aut tantum malum caueri, quin præponderet hæc ratio. Quare meritò Sanchius lib.8. disp.8. numero 3. & Azorius lib.13. cap.13. q.5. reprehendunt Panormitanum in cap. Cùm olim, De Clericis coniugatis, contrarium opinantem, & existi-

existimantem, consultius fore propter quorumdam Sacerdotum incontinentiam, laxari legem continentiæ: meritò, inquam, id reprehendunt; agendum enim est potiùs vt alij sint Sacerdotes, quàm vt altæ sint Sacerdotij leges. Posterior pars patet, Quia tam cælibatus, quàm votum eius, mero Iure Ecclesiastico annectitur Ordini sacro.

Supereſt respondeamus ad argumenta initio proposita contra dispensationem cum Religioso.

*Resp. ad argumenta Ad 1.* Ad Primum respondeo, Quidam dicunt, illo cap. solùm significari, quòd Pontifex sine caussa pro libito non possit dispensare: colligunt ex illis verbis, *dare licentiam*. Alij id refutant, & dicunt, *licentiam* sonare facultatem rationi consentaneam, cùm derivetur à verbo *licet:* itaque significari, non ex facili caussa Pontificem in hoc voto dispensare; vel sanè non posse omnino, nisi commutando votum in aliud bonum Deo acceptius. Alij dicunt, ita loqui Pontificem, quòd certum non sit, ipsum posse dispensare, sed de hac eius potestate dubitetur. Alij non posse intelligunt non congruere potestati eius. Sed vera solutio est, Pontificem loqui de Monacho manente Monacho. Colligitur Primò ex illis verbis, *Ade: est annexa regulæ monachali*. Si enim etiam in sensu diuiso loqueretur de Monacho, ratio insinuata deficeret: dicetur enim etiamsi custodia castitatis sit annexa regulæ monachali inseparabiliter, non tamen regulam aut monachatum inseparabiliter annecti huic vel illi personæ. Colligitur Secundò ex illis verbis: *Nec æstimet Abbas quòd super habenda proprietate, possit cum aliquo Monacho dispensare*. ibi enim manifestum est agi de Monacho manente tali. Refert hanc expositionem Glossa ibidem, & sequuntur alij passim, ita vt Azorius dicat esse communem.

*Ad 2.* Ad Secundum argumentum, Illud duobus nititur fundamentis. Vno, Quòd res semel Deo consecrata, non possit eam consecrationem amittere, nisi destruatur. Altero, Quòd in professione Religionis sit quædam personæ consecratio. At neutrum hîc est solidum: prius enim vt minimum suas habet limitationes, ita vt tempore necessitatis liceat etiam rem sacram adhibere ad vsus non sacros, verbi gratia, calicem consecratam ad bibendum potiùs quàm siti moriaris; quo modo Dauid in necessitate comedit panes propositionis. Lex ergo illa Leuitici, saltem vt continet Ius naturæ, non ita debet accipi, quin rem Deo consecratam liceat in necessitate ad profanum vsum transferre. Adde, quando agitur de consecratione per votum, non esse absonum, rem sic consecratam posse desinere esse consecratam, per voluntatem alterius dispensantis, cùm certum sit id fieri per voluntatem alterius votum irritantis, vt Scriptura testatur Numeri 30. Deinde in illa Scriptura agitur de re etiam per simplex votum Deo consecrata: sequetur ergo, etiam in voto simplici non posse dispensari, si aliquid valeat eiusmodi collectio. Dicendum denique, Legem illam pro parte esse cærimonialem, adeoque non vrgendam, vt quæ morte Christi sit abolita. Secundò limitandum erit, ne sit necesse rem omnino destrui, sed sufficiat auferri ab ea formam in qua consecrata est: atque ita ablato monachatu in quo consecratus est, auferetur ab hoc homine ea consecratio, sicuti à calice aufertur consecratio, destructa tantùm eius figura.

Dices, Ipse monachatus est consecratio.

Respondeo, Id dici non posse, cùm votum simplex transeat in solemne interdum per tacitam quamdam professionem, sine vlla specie consecrationis, sine vllo interno charactere, per solum habitum externum, qui dispensante Pontifice, exui iterùm potest. Posterius etiam, vt patet ex dictis Dubio 3. non est omnino verum: ostendimus enim, ibi eamdem pænè consecrationem esse in voto simplici, quæ est in solemni.

Ad Tertium, Patet ex dictis Dubio 3. non esse *Ad 3.* in professione Religionis eiusmodi traditionem.

Ad Quartum respondeo, Bonum continentiæ *Ad 4.* non esse ita supremum, quin possit alio bono compensari, vt suprà diximus ex D. Thoma. Neque locus Ecclesiastici probat contrarium, sed solùm vult, inter bona temporalia nihil esse quod vir meritò non postponat castitati vxoris. Deinde etiamsi castitas secundùm se esset præstantissimum bonum, non inde sequitur, pro publica necessitate non esse subinde relinquendam; nam & vita contemplatiua ob similem necessitatem postponitur interdum actiuæ, cùm tamen sit præstantior. Ad Confirmationem, Ratio diuersitatis est, non quòd nuptiæ sint digniores Religione, sed quòd propter Sacramenti religionem in matrimonio consummato omnem dispensandi potestatem Christus hominibus ademerit, secundùm illud Matthæi 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. Indissolubilitas ergo matrimonij consummati est Iuris diuini: at quòd Monachus validè non ineat matrimonium, ex Lege est Ecclesiastica, vt suprà diximus.

Ad Quintum, Historia in primis non est certa. *Ad 5.* Paulus IV. historiam Abdiæ istius Babylonij, ex quo auctore narratio ista desumitur, prout nuper edita est, vt fide indignam reiecit. Consulendus Caietanus hîc art. 11. Sixtus Senensis in Bibliotheca, verbo Abdias, & Posseuinus in Apparatu. Deinde vt vera sit historia, nihil ea officit nostræ caussæ: potuit enim Matthæus Apostolus negare hanc dispensationem, vel quia Deo reuelante vidit non profuturam fidei propagandæ, vel quia putauit initio nascentis Ecclesiæ scandalum futurum maius, quàm quòd incerto successu compensari potuisset; vel denique quia non videbat sinceram promitti conuersionem à Rege: suspecta enim est illa forma promittendi, de medio regno futuro Christiano, vt eam refert Caietanus.

Ad Sextum, Non potest Pontifex dispensare, vt *Ad 6.* quis ducat secundam viuente ea cum qua matrimonium consummauit: secùs si tantùm contraxisset, non consummasset; tunc enim priore viuente per dispensationem fieri potest, vt ducat aliam. Sicuti enim mors naturalis consummatum, ita & ciuilis per ingressum Religionis dirimit matrimonium ratum.

Ad Septimum, Vt Monachus sit proprietarius *Ad 7.* contra vorum paupertatis, non dispensat Pontifex, vt constat ex dicto cap. Cùm ad Monasterium; sed potest indubiè Pontifex efficere, vt qui erat Monachus, desinat esse, & sic iterùm capax fiat dominij. Imò quia ipsa incapacitas est ex constitutione Ecclesiæ, vt suprà diximus, potest Pontifex validè illam amouere, etiam manente vtcumque statu monachali; quamuis vt actu habeat proprietatem Regularis manens talis, non possit validè indulgere propter status repugnantiam.



tiam. Illud tamen hîc disparitatis erit inter continentiam & paupertatem, quòd non perinde ingruat necessitas omnino relaxandi voti paupertatis primariò & per se, imò neque ex consequenti, sicuti castitatis aut continentiæ. Et hoc videtur voluisse Nauarrus. In Religioso tamen facto Episcopo aliquousque laxatur, non quidem vt dominium ipse habeat, sed vt liberum & independentem vsum fructum sui Beneficij: qui fructus, nisi dispensatione Pontificia ei indulgeatur, vt testamentum condat, (quod extensione quadam administrationis indubiè Pontifex potest, vt docet D. Thomas quæst. 185. art. 8.) non cedent post mortem Episcopi Monasterio, sed Ecclesiæ. Imò etiam ipso viuente sunt in Ecclesiæ dominio: non enim sibi aut Monasterio, sed Ecclesiæ suæ acquirit, cap. Statutum 18. quæst. 1. adiuncta Glossa. Secùs si esset tantùm titularis Episcopatus: in eo enim acquisita cedunt Monasterio. Emanuel Sà verbo Religio, numero 52. Caietanus in dictum art. 8. Episcopum quidem Religiosum subijcit regulæ in illis quæ non impediunt Episcopale officium, cum D. Thoma, quod consentaneum est, cap. De Monachis 16. quæst. 1. Sed existimat, ad ea ipsa seruanda non teneri sub pœnis & censuris, sub quibus fortè regula eadem præcipit; sicuti, inquit, tenetur magister ad legendum & meditandum magis quàm dum erat discipulus, quamuis non sub eadem coactione. Eamdem sententiam explicat in Opusc. 27. Quæst. quæst. 22. & vult talem Episcopum solùm teneri ad regulares obseruantias ex debito morali, non autem legali: cuius vestigijs insistit Sotus lib. 10. quæst. 5. art. 7. putat enim, ex Religioso Episcopum, ne quidem in illis quæ officium eius non impediunt, obligari legali debito, sed tantùm morali, etiamsi implicitè ea vouerit, quando Regulam seruare vouit: ad vota autem substantialia, putat eum legali adhuc obligatione teneri, quatenus cum officio Episcopali non pugnant. Videtur autem sentire, à voto paupertatis, tamquam contrario functioni Episcopali, liberari, conuictus hoc argumento: Episcopi ex sæculari Clero assumpti faciunt fructus suos, & verè sunt eorum domini, more quo nunc Ecclesia post Ecclesiasticorum bonorum diuisionem vtitur, & patet ex dictis De dominio: Episcopis autem Religiosis eodem planè Iure ab Ecclesia assignantur fructus sui Episcopatus, quo alijs qui ex Clero assumuntur; ergo etiam ipsi suorum fructuum sunt domini. Confirmatur, Quia possunt etiam in patrimonialibus bonis succedere, vt constat ex dicto cap. Statutum. Hanc Soti sententiam putat non improbabilem Sayola verbo Episcopus, 1. parte: ipse tamen ab ea recedit, vt etiam Azorius lib. 12. cap. 7. & alij passim: & satis clarum est, hanc esse sententiam D. Thomæ dicto art. 8. ad 3. Neque satisfacit quod Sotus dicit, D. Thomam respicere ad tempus, quo etiam ex Clero sæculari assumpti Episcopi, dominium non habebant suorum fructuum: vult enim D. Thomas, adeò Religiosos Episcopos manere obstrictos voto paupertatis, vt ne quidem patrimonij tempore Episcopatus sibi obuenientis fiant domini; sed, vt habet dictum cap. Statutum, ad altare ad quod fuerint sanctificati & titulari, debere eamdem hereditatem eos restituere, hoc est, Ecclesiæ Episcopali cui acquisiuerunt, relinquere. Negandum ergo est fundamentum Soti, eodem Iure quoad fructuum dominium censeri Religiosum & non Religiosum Episcopum. Hæc occasione Septimi argumenti.

*Religiosus factus Episcopus quomodo seruet votum paupertatis.*

Ad Octauum respondeo, Negando Antece- *Ad 8.* dens. Quamuis enim quidam opinati sint, matrimonium ratum solui professione Religionis Iure naturæ & quasi ex natura rei, & alij dixerint id fieri Iure diuino positiuo; alij tamen verius dicunt, solui tantùm Iure Ecclesiastico. Quamüis addi possit, quando Sancti ex peculiari diuina reuelatione post contracta non consummata matrimonia ad statum perfectiorem se transtulerunt, quasi diuina dispensatione solutum fuisse matrimonij vinculum, & hoc conforme erit cap. Ex parte tua, & cap. Verùm, De conuers. coniugatorum. Sed esto, non posset Pontifex efficere, ne Religionis professio dirimat quod antecessit ratum non consummatum matrimonium, & sit eiusmodi solutio Iuris diuini positiui; nego inde sequi, quòd etiam nequeat efficere vt superuenire possint post eiusmodi professionem validæ nuptiæ. Quòd enim prius non possit, fortè ratio erit, quia in Iure diuino non dispensat validè sine iusta caussa. Non potest autem subesse caussa iusta, propter iniuriam quæ fieret relictæ in sæculo, quæ numquam posset viuente viro Religioso alteri nubere: neque enim potest Papa dispensare vt validè contrahat cum secundo, manente vinculo cum priore.

Ad Nonum respondeo, Canonem illum trans- *Ad 9.* latum esse in Ius Canonicum 20. q. 3. cap. Procliuis: vbi post alios Turrecremata illud, *si quolibet patrocinio*, explicat de patrocinio alicuius potentis, quomodo apostasiam suam defendit Lutherus. Immeritò ergo hoc trahit Turrianus ad abolendum patrocinium dispensationis.

Ad Decimum, Vis argumenti huius in eo est, *Ad 10.* quòd sicuti non potest quis sæpiùs sacramentaliter absolui ab eisdem peccatis quoad culpam, neque sæpiùs manente eodem statu infirmitatis iungi, ita etiam non possit repetere contractum matrimonij, qui Sacramentum est, cum eadem muliere. In cuius rei confirmationem citatur Magister in 4. dist. 23. vbi dicat, quoad rei qua Sacramentum expletur sanctificationem, nullum Sacramentum iterari. Verùm huius argumenti vis nulla est, duabus de caussis. Vna caussa est, quòd non sequatur, Pontificis dispensatione non posse ex Monacho fieri maritum, ex eo quod non possit ex Monacho fieri maritus eius, quam semel deseruisset. Altera caussa est, quòd verum non sit, non posse in casu proposito, quando semel mulier est soluta à lege viri, cum eodem iterùm contrahere. Quid si enim à mortuis resurgat, cur non poterit cum eodem iterùm matrimonio copulari? Quod de Sacramentorum iteratione dicit Magister, potiùs pro nobis est: fatetur enim, posse frequentiùs suscipi reliqua Sacramenta, exceptis tribus. Neque verum est, ab vno & eodem peccato non posse quem sæpiùs absolui. Sed hoc alterius loci est.

Ad Vndecimum respondeo, Monachi non *Ad 11.* tantùm castratis, sed etiam mortuis comparantur, eò quòd omne ius amiserint ad sæculum aut sæcularia vota redeundi: at sicuti similitudine ista non impediuntur, quò minùs voti sui violatores de facto ad mundum redeant; & carnaliter cum mulieribus commixti sæculo filios apostatæ generent, quod nec mortui nec eunuchi possunt: ita fieri

fieri potest, vt libertas ad sæculum redeundi, & ad legitimas nuptias transeundi eis restituatur, pro regno mundi in temporalibus & spiritualibus seruando, qui seipsos castrauerant pro regno Dei.

## DVBIVM X.

### *Quis dispenset in reliquis Votis?*

*D. Thomas art. 12.*

*In solemni Voto solus Pontifex dispensat.*

DIXIMVS de voto solemni castitatis, & obiter de solemni paupertatis: nunc generatim addo, in omni voto solemni solum Pontificem dispensare. Imò docet hîc Caietanus ad 3. ex D. Thoma hac parte, quæst. vlt. art. 7. omnia vota quæ per se perpetua sunt, id est, quæ in perpetuum obligant, nisi aliud exprimatur, esse à solo Papa dispensabilia. In alijs autem, etiamsi per accidens propter expressum tempus perpetua sint, non esse reseruationem ex hac parte, docet Bartholom. Fumus in Armilla verbo Dispensatio, num. 16.

*Item peregrinationis in Terram sanctam.*

Præter vota solemnia perpetua castitatis & Religionis, sunt & alia in quibus solus Pontifex dispensat: tale in primis est votum peregrinationis pro succursu Terræ sanctæ, quod sibi reseruat Pontifex cap. Ex Multa, De voto.

Sed quæritur, Vtrùm votum illud vltramarinum (ita enim in Iure vocatur) non relaxetur ab alio, quando non est nuncupatum in subsidium Terræ sanctæ, sed solùm pro deuotione alia vouentis.

Panormitanus & Glossa in dictum cap. verbo Incumbit, Fumus suprà, Graffius lib. 2. c. 31. num. 21. putant, priori tantùm modo Pontifici reseruari: & sanè ita sonat dictum cap. Ex multa, & fauet cap. Quod super his, eodem. Siluester tamen verbo Votum 4. q. 3. num. 5. vtroque modo putat reseruari, si non expresso illo Iure antiquo, saltem consuetudine, cui consonent litteræ Papales, quibus indistinctè eiusmodi votum Sedi Apostolicæ reseruatur. Hæc sententia videtur verior, eamque sequitur Azorius, lib. 11. cap. 19. q. 4. Sotus lib. 7. q. 4. art. 3.

*Et ad Limina Apostolorum.*

Tale est secundò, votum peregrinationis ad Limina Apostolorum Petri & Pauli, & ad D. Iacobum Compostellæ, vt patet in Extrauag. communibus De pœnitentijs & remission. cap. vlt. Etsi Dominici.

Addit Nauarrus Comment. 1. De Regularibus, num. 21. votum peregrinationis Lauretanæ. Sed testatur Azorius, hanc reseruationem non esse in vsu, quamuis suspicetur diploma de ea extare.

*In votis conditionatis & pœnalibus dispensat Episcopus.*

Notat post Franciscum Victoriam Toletus lib. 4. cap. 18. Reseruationem Papalem intelligendam esse de votis absolutis, adeò vt in omnibus conditionatis & pœnalibus dispenset Episcopus. Id sequitur Emanuel Sà verbo Voti irritatio, num. 11. qui citat pro hac opinione Lopez, Henriquez, Arragon, & Bartholomæum Medinam. Est tamen contra Nauarrum consil. 15. De voto, & alibi. Sed tenet Sanchius li. 8. disp. 10. Extendenda etiam est ad tempus, quo fortè iam incursa est pœna vel posita conditio. Limitanda tamen, vt solùm obtineat, quando votum verè est conditionatum, apposita conditione quæ tacitè non ineat. Debet etiam conditio esse de futuro, vt videatur consensus suspendi: hæc enim impertectio voti efficit, ne censeatur reseruatum tamquam absolutè tale.

Hinc sequitur, non dispensare Episcopum in voto castitatis emisso sub hac forma, Voueo castè viuere, quando vxor erit mortua. Neque erit dissimile, in quo Si ponitur pro Quando, modò sit idem sensus.

Notandum Secundò, Episcopum contra has reseruationes dispensantem, non esse excommunicatum per dictam Extrauag. Etsi Dominici; quia Sixtus IV. ibi tantùm excommunicat eos, qui virtute priuilegij à se dati in his votis dispensant.

Nota Tertiò, Discrimen inter votum castitatis perpetuæ vel Religionis, & reliqua Pontifici reseruata, quòd illa duo priora relaxandi potestas non censeatur concessa generali concessione, nisi exprimatur. Hæc autem relaxandi potestas satis in generali censeatur expressa. Sed quid si detur potestas relaxandi omnia, excepto Ierosolymitano? Verius est, nondum comprehensum perpetuæ castitatis aut Religionis. Sotus suprà.

Notandum Quartò, Non videri omnino generaliter verum quod dicunt plures DD. seclusa reseruatione posse Episcopos dispensare in suis diœcesibus in omnibus votis, sicut potest Pontifex in toto orbe, nisi supponatur vera sententia, quæ tamen solùm vt probabilis à nobis asserta est, votum solemne Iure tantùm positiuo reddere inhabilem matrimonio. Si enim Iure diuino inhabilem reddat, etiamsi Papa eius dispensationem sibi non reseruet, non poterit Episcopus in eo dispensare, sed solus Papa, cui soli hoc Christus Dominus permiserit, vt vel sic publicæ necessitati consulatur, sicut solus Papa dispensat in matrimonio rato non consummato.

Notandum Quintò, Non carere quæstione assertum illud D. Thomæ suprà allegatum, In votis perpetuis dispensare solum Pontificem. Inde enim sequitur, omnia ferè vota de non faciendo, verbi gratia, de non nubendo, de non ludendo, esse reseruata Pontifici. Neque multùm minuit difficultatem Glossa Caietani, intelligendum id esse de perpetuis per se; quia reuerà ista duo commemorata sunt talia, obligant enim in perpetuum, nisi aliud exprimatur.

Dices, Forte D. Thomas solùm intellexit de votis affirmatiuis, & sic saltem cum limitatione Caietani verum dixit. Contrà facit, quòd sic votum assumendi sacrum Ordinem esset reseruatum Papæ. Alij ergo dicunt, D. Thomam solùm intelligere per vota perpetua, vota Religionis & castitatis. Ita Siluester verbo Votum 4. q. 3. num. 6. At certè neque illud satisfacit: dicit enim D. Thomas, Episcopum sine facultate Pontificis relinquere Episcopatum non posse, eò quòd voto perpetuo & solemni obligetur ad curam animarum retinendam, solus autem Pontifex dispenset in votis perpetuis. Votum ergo perpetuum, de quo D. Thomas, non solùm complectitur votum castitatis, aut Religionis, sed etiam curæ Episcopalis animarum. Itaque verus sensus D. Thomæ restringendus est ad vota de perpetuis diuinis obsequijs & castitatis; æquiparat enim Episcopum Religioso: vel sanè explicari potest de voto perpetuo, quod meritò reputetur inter maiores Ecclesiæ causas, qualia sunt vota castitatis, Religionis, & obligationes Episcoporum: eiusmodi enim causas ad Petri Sedem referendas esse, dicitur cap. Maiores, De Baptismo & eius effectu. Quidquid sit de mente D. Thomæ, retinenda est communis doctrina,



*Omnia vota perpetua non sunt reseruata.*

Non omnia vota perpetua esse reseruata Pontifici, sed tantùm vota castitatis & Religionis, vt colligitur ex dicta Extrauag. Etsi Dominici, & passim omnes DD. testantur.

*Episcopus aliquando dispensat in voto Religionis & castitatis.*

Imò quibusdam casibus etiam in voto castitatis & Religionis dispensat Episcopus. Primò, Si non erat castitatis perpetuæ, sed ad tempus, puta quoad fuerit virgo: secùs si vouerit quòd tota vita permanebit virgo, vt diximus suprà debere intelligi votum virginitatis, nisi aliud exprimatur. Ita Siluester suprà, Azorius q. 6. 1.

Secundò, Si ipsa castitas limitata sit, puta ad coniugalem, ad non perendum debitum, ad non fornicandum: in eiusmodi enim votis, quatenus dispensabilia sunt, dispensat Episcopus, quia nõ sunt absolutè vota castitatis, sed talis castitatis. Emanuel Sà suprà. Si tamen votũ non nubendi, quod, verbi gratia, in casum soluti matrimonij coniunx emittit, cedat in fauorem liberorum, quorum gratia alter coniunx id fieri sollicitauit, non dispensat in tali voto Episcopus, nisi consentiente parte, quæ præiudicium pateretur. 2.

Tertiò, Quando probabile imminet incontinentiæ periculum, si differatur dispensatio donec consulatur Sedes Apostolica, aut eius delegatus, in simplici voto castitatis dispensat Episcopus. Siluester suprà q. 4. Non rectè tamen hoc quidam probant ex cap. Veniens, Qui Clerici vel vouentes; quia ibi Episcopus dispensat vt delegatus Sedis Apostolicæ. Imò hoc extenditur ad omne votum Pontifici reseruatum: ratio enim quòd non credatur tali casu Pontifex reseruare, generatim in omnibus locum habet. Et ita tenet Sanchez suprà disp. 9. num. 23. 3.

At quid si periculum creetur, quod ne quidem eam patiatur moram, vt Episcopus consulatur, poterítne Parochus dispensare?

Respondeo, Non posse: quamuis enim consuetudo faciat vt quibusdam locis Parochus dispenset in ieiunij aut festorum obseruatione, in proposito tamen consuetudo est in contrarium.

Quartò, Quando votum castitatis vel Religionis non est totum votum, sed ponuntur ista vota sub disiunctione, siue alternatiuè cum alijs ab Episcopo dispensabilibus, verbi gratia, Voueo castè viuere, vel suscipere sacros Ordines: cùm enim satisfiat tali voto, implendo partem quæ ab Episcopo dispensabilis est, (impleuisse autem vt peccatum vitet censeatur, qui dispensatione liberatur) manifestum est, hunc per Episcopi dispensationem posse liberari. Ita Azorius. 4.

At quid si iam apud se statuerat non ordinari, ita vt vi voti determinatè obligetur ad castitatem?

Putat Sanchius, tunc Episcopum non posse dispensare. Ducitur argumento à simili, Quia in humanis debitor alternatiuus, creditori declarans quam partem eligat, non potest resilire, per Regulam Iuris in 6. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Deo autem eoipso quo in corde statuitur, satis illud propositum indicatur, cùm omnia eius oculis sint aperta. Hoc tamen non videtur clarum. Primò, Quia etiam homini facta insinuatio eiusmodi resolutionis, modò non fiat per modum promissi vel pacti ex natura rei, & ex Iure naturæ, non videtur eam obligationem parere, vt re adhuc integra à tali electione debitor non possit resilire, quidquid sit de Iure positiuo. Secundò, Etiamsi nudum propositum Deus videat, non tamen proponendo censemur Deo loqui, aut ei indicare nostrum propositum. Quare probabile existimo, eiusmodi propositum & electionis decretum, quando noua non accedit promissio, ita adhuc posse arbitrio vouentis mutari, vt reus fracti voti non sit futurus, si variet, & alteram partem postmodum eligat, siue ea præstantior, siue minùs præstans fuerit, adeoque semper posse in talibus Episcopum dispensare.

Quintò, Potest Episcopus dispensare vt ingrediatur laxiorem, qui vouit ingredi strictiorem Religionem: hoc enim non est omnino relaxare votum Religionis. Est communior, vt patet apud Sanchez; quamuis in contrarium scripserit Nauarrus Commentario 4. De Regularibus, nu. 10. Verum tamen fortè erit, solum Pontificem dispensare cum eo qui existens Religiosus vouit ingredi strictiorem, vt benè ex Caietano indicat Emanuel Sà suprà num. 18. Sed hoc limita iterùm, ne locum habeat, quando Episcopo subest vtrumque Monasterium, vnde & quò vouet migrare; tunc enim poterit dispensare vt possit manere: imò probabile est, sufficere Religiosum subditum esse Episcopo, vt eiusmodi dispensationem ab eo accipere possit, quamuis proprius Prælatus non possit cum ipso dispensare, vt suprà dictum est. 5.

Sextò, In voto ingrediendi Religionem non approbatam. Indicat Henriquez lib. 7. cap. 30. num. 6. Patet: non approbata enim Religio non est Religio seu status Religiosus; itaque idem erit, ac si quis vouerat se emissurum votum simplex castitatis, paupertatis, & obedientiæ, cum quo sine dubio dispensat Episcopus. 6.

Septimò, In voto assumendi habitum Beginarũ, qui, vt eruditus quidam dicit, est tyrocinium quoddam seu initium (vt nomen apud Flandros sonat) Religiosæ vitæ. Colligitur ex simili quod dicunt DD. de habitu Beatarum, Henriquez, Sanchez, & alij. 7.

Octauò, In voto ingrediendi & perseuerandi in Religione, quatenus est perseuerandi. Est enim distinctum à voto Religionis, cui satisfieri potest, si ingressus tempore probationis inueniat se minùs idoneum, vt ex D. Thoma docet Graffius 2. parte cap. 12. num. 32. Vnde sequitur, Si quis vouerat mori in Religione, vbi vtrumque continetur, & ingressus & perseuerantia, vt docet Nauarrus consilio 7. De voto; non posse eiusmodi votum Episcopum relaxare, nisi fortè quatenus est perseuerandi. 8.

Nonò, Potest Episcopus dispensare, vt differatur ingressus Religionis vltra tempus in voto expressum. Sanchez num. 9. 9.

Decimò, Dispensat in voto non reseruato, etiamsi in illud votum reseruatum per Pontificem commutatum sit. Emanuel Sà suprà n. 24. Sanchez num. 20. Sed sequenti Dubio quædam huc pertinentia dicemus. 10.

Vndecimò, Existimat quidam, posse Episcopum dispensare in voto castitatis, emisso ab existente in alterius potestate qui potuisset irritare. Sed refutatur id meritò à Sanchio lib. 8. disp. 9. 11.

num.4.reseruatio enim Pontificia ita illæsum reliquit Ius irritantis, vt dispensanti hoc patrocinari non possit.

12. Duodecimò, Potest Generalis Ordinis ex iusta caussa dispensare, vt Religiosus transeat ad Ordinem laxiorem. Ita Nauarrus in cap. Statuimus 19. q. 3. num. 11. & consil. 56. De Regularibus. Consilio tamen 63. & 65. strictiùs videtur loqui, propter verba Tridentini, cap. 19. De Regularibus, sess. 25. *Nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.* Probabile tamen est, illa constitutione solùm prohiberi translationem quæ fiat solius facultatis vigore, quasi ex arbitrio Superioris, sine iusta caussa, & causiæ cognitione, & consensu Conuentus.

Quæret hìc aliquis, Vtrùm dispensare in voto, sit dispensare in Iure diuino. Si enim ita sit, non dispensabit Episcopus, cùm vix Pontifici concedatur dispensatio in Iure diuino.

Respondeo, Voti dispensationem non esse dispensationem propriè dictam, sed absolutionem quamdam & relaxationem per materiæ mutationem; quo modo lex naturæ est dispensabilis, vt diximus quando De Legibus. Distinguitur tamen contra interpretationem, quia interpretatio solùm declarat, Legem naturæ hìc non obligare, dispensatio autem verè facit vt desinat obligare. Distinguitur etiam contra irritationem, quia hæc non requirit caussam, vt suprà diximus, sicut dispensatio: imò in Lege diuina irrita est dispensatio sine iusta caussa: hæc autem potestas in votis dispensandi, præueniendo reseruationem, est etiam est in Episcopis; quia hoc Ecclesiæ suauis gubernatio postulat, vt sicuti pater potest impuberis filij votum irritare, quia facilè contingit in tenera ætate aberrare, ita Ecclesiæ Princeps Episcopus possit dispensare in votis subditorum, vbi obligatio nascitur non ex sola voluntate diuina, sed concurrente, imò præcurrente humana, quæ potest facilè abertare ab eo quod magis expedit. Quia tamen sunt quædam obligationes Legis diuinæ, in quibus similiter concurrit humana voluntas, quæ si relaxarentur potestate aliqua humana, maiora ex huiusmodi relaxatione sequerentur incommoda, quàm ex inprospectè contractæ obligationis obseruatione, in illis dispensandi potestas nulla est in Ecclesia: tale est matrimonium consummatum. Est & tertium genus, in quo tantùm dispensat Pontifex ex grauissimis caussis, & nihil potest Episcopus etiam præueniendo reseruationem: tale est matrimonium ratũ non consummatum, vt diximus Notabili 4.

*Caussa dispensandi in voto.* Quæres Secundò, Quænam sint iustæ caussæ dispensandi in voto?

Respondeo, ex Nauarro consilio 4. De voto,

1. & alijs, talem esse Primò, Si votum emissum sit in ætate puerili, vel facilitate potiùs quàm arbitrio discretionis; hæc enim caussa sola per se sufficit, vt colligitur ex cap. Venientis, hoc tit.

2. Secundò talis est Magna perturbatio animi, quæ mouet ad vouendum; cap. Dudum, De conuersione coniugatorum. Idem dicendum de metu, quando votum metu emissum nonnihil eo ipso in sui deliberatione minutum est.

3. Tertiò talis est caussa, Probabile periculum sæpiùs præuaricandi. cap. Veniens, Qui Clerici vel vouentes, Azorius lib. 11. cap. 19. quæst. 17. Quomodo facilè dispensandum est cum coniugato obligato ad votum castitatis, vt possit petere debitum.

Quartò, Necessitas vel vtilitas publica vel priuata. 4.

Quintò, Dubium de rei promissæ bonitate, vtilitate, vel maioris boni impedimento ex ea emergente, aut quando dubitatur an verè votum sit emissum, aut potiùs, vtrùm emissum cum sufficienti deliberatione & intentione: quia dubitans an vouerit, non tenetur, vt suprà diximus Dubio 1. adeoque non indiget dispensatione. 5.

Sextò, Defectus caussæ impulsiuæ ad votum; nam & defectus ille minuit voluntarium. 6.

Circa caussam dispensationis huius notandum, Quòd votum de maiori bono est, eò excellentiorem oportere esse caussam dispensandi; & quando æstimanda erit prævalere, non esse tantùm considerandam promissi operis proprtam bonitatem, sed etiam illam quam habet secundùm superiùs dicta ex voto.

Secundò notandum, Non sufficere quamcumque caussam grauem, sed debere eam esse talem, vt obstet executioni voti: quod etiam locum habet, quando votum commutatur in minus; secùs, quando in æquale, aut maius: tunc enim sufficit quæcumque occasio, considerata maiori promptitudine qua vouens explebit opus commutatum, ex benignitatis agnitione, quæ semper in ipsa commutatione reperitur.

Hinc sequitur, Non esse iustam caussam dispensandi, etiamsi vouens offerat magnam pecuniæ summam piæ caussæ applicandam, quæ tamen possit sufficere ad commutationem, & etiam ad dispensationem in quibusdam alijs materijs.

Tertiò, Sufficere quòd caussa probabili prudenti iudicio habeatur sufficiens, imò quòd dubitetur an sit sufficiens.

Quartò notandum, Non semper opus esse vt maior sit caussa in dispensatione voti, quàm requiratur in dispensatione Legis humanæ: quamuis enim voti obligatio sit Iuris diuini, fieri tamen potest, vt bonum commune magis reuistat dispensationi in Lege quàm in voto.

Quintò, Posse defectum caussæ suppleri aliqua admixta compensatione, ideoque tutius esse, semper aliquam commutationem admiscere.

Sextò, Easdem caussas desiderari & sufficere in dispensatione iuramenti in solius Dei honorem præstiti, quæ desiderantur & sufficiunt in voto. Si tamen ad eamdem rem obligeris simul voto & iuramento, maior caussa dispensandi requiritur, quàm si altero tantùm: commutandi tamen caussa non requiritur maior. Ratio est, quòd materia quæ commutatur, vnica sit; obligatio autem quæ dispensando relaxatur, sit duplex. Neque tamen opus erit maiori caussa ex eo solo, quòd sæpè iteratum sit votum aut iuramentum; est enim eadem repetiti vis & obligatio.

Septimò, Non semper eamdem caussam sufficere, quando accessit votum de non petenda dispensatione, quæ sufficeret sine illo: fieri enim potest, vt posterius votum de non petenda dispensatione omnino fuerit deliberatum; tunc enim petenti dispensationem non sufficiet allegata imperfectio deliberationis, quæ fuit in priori voto.

D.VBIVM



## DVBIVM XI.

### *Cuius sit Vota commutare, & quo modo?*

*D. Thomas art. 12.*

VIDENDVM Primò, Possitne quis propria auctoritate votum suum commutare aut redimere.

*Proprium votum quo modo commutare non liceat.* DICO PRIMO. In minus bonum, certum est propria auctoritate non posse; quia hoc est in parte dispensare, quod est Superioris.

Limita tamen istud, nisi iste qui vouit, habeat potestatem in similibus votis dispensandi cum aliqua communitate, cuius ipse est pars: siue enim ea potestas ordinaria sit, siue delegata, modò non restricta ad certas personas aut certum numerum, probabilius est, talem etiam secum posse dispensare, vt docet Sanchez lib. 8. disp. 3.

Limita Secundò, Quando votum notoriè esset impossibile, aut sanè ita difficile, vt secundùm ea quæ diximus Dubio 4. certum sit non obligare; tunc enim vt prorsus omittere, ita & aliud minus poterit ipsemet vouens surrogare. Argumentum ex cap. Licet, De pœnitentijs & remissionibus. Tenet Couarruuias in cap. Quamuis 1. parte §. 3. num. 4.

*An liceat in æquale.* DICO SECVNDO. Non potest etiam in aliud æquale propria quis auctoritate votum suum commutare. Istud non æquè certum est ac primùm dictum. Tenent tamen vt plurimum DD. Caietanus hìc, Couarruuias suprà, Azorius lib. 11. cap. 18. Graffius parte 1. lib. 2. cap. 30. num. 6. Emanuel Sà suprà num. 10.

Contrarium tamen tenet Henriquez lib. 7. cap. 30. num. 5. Sanchez suprà disp. 9. num. 21. Medina in Instructione Confessorum, citatus apud Azorium, hoc argumento, Quòd non videatur fraudare, qui quod certò & manifestè constiterit esse æquale, reddiderit, cùm illud Deo æquè sit gratum & acceptum. Fauet Sotus lib. 7. resilit tamen & respondet ad Medinæ argumentum, Quando agitur de æqualitate, requiri alienum iudicium. Accedit quòd æquale vicinius sit minori quàm vt certò debeat statuere promissor, æquè id gratum fore Deo, ac illud quod promisit. Deinde ipsa recessio ab eo quod promissum est, quando propria sit auctoritate, habet aliquam deformitatem, vt meritò D. Thomas dicat hoc articulo, commutationem, nimirum in bonum æquale, quæ sola propriè est & purè commutatio, non debere fieri sine auctoritate Prælati qui in persona Dei determinet, quid sit Deo acceptum: & non obscurè idem dicitur cap. 1. De voto.

*An liceat in certò melius?* DICO TERTIO. Potest quis sine auctoritate Prælati commutare votum suum in illud quod certò & euidenter est melius, etiamsi illud melius non sit professio Religionis, de qua omnes admittunt, neque impediatur ipsa re per votum promissa.

De hac assertione non ita inter se conueniunt Doctores; est enim quorumdam opinio, tunc opus esse consensu & auctoritate Superioris. Ita videtur hìc sentire D. Thomas: quamuis explicari possit pro nostra sententia, & ita eum explicuerit Caietanus.

Sed apertè ita sentit Siluester verbo Votum 4. q. 7. num. 2. Panormitanus in cap. Peruenit 2. De iureiurando. Neque caret hæc sententia probabilitate vel argumentis. Primò enim adducunt *Sententia negatiua. Probatur 1.* cap. 1. De voto, vbi dicit Alexander III. an compensatio voti melior sit & Deo acceptior, debere eum iudicare qui præsidet.

Secundò, Quia si homini debes rem certam, non sufficit ei dare meliorem: quia vt dicit L. 2. ff. Si certum petetur, *aliud pro alio inuito creditore solui non potest*. Similia habentur Instit. Quibus modis tollitur obligatio, §. 1. 2.

Tertiò, Nemo potest in propria caussa esse Iudex, vel iurisdictione vti in seipsum: atqui sine iurisdictione votum commutari non potest. 3.

Habent & alia argumenta, sed minoris momenti. Opponunt enim Quartò ex cap. Licet, De voto, non licere cuipiam sine salutis dispendio post votum resilire. Et denique ex cap. Licet, De Regularibus, vbi Religioso non licet transire ad arctiorem Religionem, nisi petita facultate à Superiori. 4. 5.

Verùm nostra assertio communior est: eam enim tenet Angelus verbo Votum 4. num. 2. Sotus, Couarruuias, Graffius, & Caietanus suprà citati, Armilla eodem verbo num. 14. Emanuel Sà verbo Voti irritatio, n. 10. Nauarrus cap. 12. num. 75. Toletus lib. 4. cap. 8. Probatur Primò ex cap. Peruenit 2. De iureiurando: *Non enim propositum aut promissum infringit, qui in melius illud commutat*. *Verior affirmatiua.*

Dices, Intelligi de eo qui auctoritate Superioris commutat: ita enim ibi Panormitanus & alij.

Sed contrà, Vbi Lex non distinguit, neque nos debemus distinguere.

Probatur Secundò ex cap. Scripturæ, De voto, vbi propria auctoritate conceditur cuique temporale promissum in perpetuum commutare, quod nõ videtur ex alio fundamento statui, quàm quòd in notoriè melius proprio arbitrio commutare liceat. Eódem pertinet cap. Sanè, De Regularibus, vbi permittitur ingredi sine consensu Superioris, Monasterium strictius, professus in laxiori. Imò etiamsi laxior Religio habeat priuilegium, ne id fiat sine consensu Monasterij quod relinquitur, sufficit petiisse consensum, etiamsi non obtineatur, vt statuit Innocentius III. cap. Licet, eodem.

Probatur Tertiò, Quando quod substituitur, certò melius est & Deo gratius, non opus est arbitrio Superioris: quia vt colligitur ex D. Thoma, illud tantùm requiritur, vt Superior vice Dei declaret, quid Deo sit gratius: Deus enim per lumen rationis vel fidei ipsemet iam satis declarauit, & Vicarij sui partes in hoc præuenit.

*Non sufficit quòd in se sit melius.* Aduertendum tamen, Non sufficere quòd ex genere suo aliquid sit melius, sed oportere cum omnibus circumstantijs hìc & nunc prout à tali faciendum, melius esse & Deo gratius. Neque enim qui ieiunium vouit ad carnem refrenãdam, continuò poterit illud commutare in orationem: quamuis enim oratio sit præstantior, Deo tamen gratius est huius personæ ieiunium, quæ fortè indiget refrenatione carnis. Non ergo tantùm respiciendum quid in se præstantius sit, sed etiam quid ad magna bona obtinenda, aut vitanda mala vtilius, aut necessarium sit ipsi vouenti, proximo, vel Reipublicæ, ad quod designandum, inquit Innocentius suprà citatus, Christus Dominus non de Rachele secundùm carnem natus est,

sed de Lia; hoſpitio exceptus non à Maria, ſed à Martha. Ex quo colligitur, ſæpè euidens eſſe quid de ſe ſit melius, vbi tamen ambiguum ſit, quid Deo gratius: quo caſu pro commutatione adeundus erit Superior.

Supereſt reſpondeamus ad argumenta contrariæ opinionis.

*Reſp. ad Prob. ſententiæ oppoſitæ. Ad 1.* Ad Primum reſpondeo, Cap. illud, ne aduerſetur cap. Peruenit, & alijs ſuprà allegatis, debere ita intelligi, vt non determinet, ſine arbitrio Superioris non eſſe commutandum votum, etiam quando res clara eſt, & arbitrio nullo indiget, ſed ſolùm quando arbitrio alieno pro rei ambiguitate opus eſt (vt contingit in commutatione peregrinationis in eleëmoſynam, de qua agitur) illud ad Superiorem pertinere, nimirum propter rationem quam ex D. Thoma adduximus.

*Ad 2.* Ad Secundum reſpondeo, In illis quæ functionem non recipiunt, Leges non patiuntur, vt aliud, etiam melius, pro alio inuito homini creditori ſoluatur; quia non ſemper quò res melior, eò homini vtilior eſt aut gratior: at verò quò melior eſt, eò etiam ſemper Deo eſt gratior; *iudicia* enim eius *vera* ſunt, *iuſtificata in ſemetipſa*, Pſal. 18. ideoque ſemper functionem apud Deum eiuſmodi res recipiunt.

*Ad 3.* Ad Tertium, Minor apertè falſa eſt contra Canones ſuprà allegatos, & rationem: quando enim nullum eſt dubium, non eſt opus Iudicis ſententia, aut vlla iuriſdictione in voti commutatione, vt benè Azorius.

*Ad 4.* Ad Quartũ, Non reſilit qui in melius proficit.

*Ad 5.* Ad Quintum, Cap. illud pro nobis eſſe iam ſuprà oſtendimus.

*Reſeruatũ commutatum an commutet Epiſcopus.* Inquirendum hîc Secundò, Poſſitne vlteriùs Epiſcopus commutare votum quod ſibi reſeruatum Pontifex iam ſemel commutauit in aliquid non reſeruatum, verbi gratia, tranſmarinum in eleëmoſynam?

Quidam exiſtimant, Non poſſe. Ita videtur ſentire Nauarrus conſil. 25. De pœnitentijs & remiſſionibus. Fauet Gloſſa in cap. 2. De ſortilegijs, verbo Si tibi viſum; vbi dicit, Epiſcopum non poſſe minorem pœnitentiam imponere, quando Pontifex annuam præfixit. Similia habet Gloſſa *Pro negatiua parte.* in cap. Latorem 33. quæſt. 2. vbi generatim indicat, ſine Pontificis facultate non poſſe per Epiſcopum relaxari pœnitentiam ab ipſo iniunctam.

*Argum. 1.* Præcipuum eorum argumentum eſt ex communi Iuriſperitorum dicto, ſubrogatum ſapere vim & naturam eius cui ſubrogatum fuerit. Et ex L. Minor Magiſtratus, ff. De arbitris, vbi dicitur, Legem, ſententiam, vel pœnam à Superiori impoſitam non poſſe mutari ab inferiori: atqui eo ipſo quo Pontifex commutat votum, materia ſubſtituta habet rationem oneris à Pontifice iuſta de cauſſa iniuncti.

*2.* Nihilominùs verius videtur, commutatione *Verior affirmatiua.* voti reſeruati ſemel facta in materiam non reſeruatam, vlteriorem commutationem eſſe in poteſtate Epiſcopi, vel Confeſſarij, tempore Iubilæi, poteſtatem commutandi non reſeruata habentis, non ſecùs ac eſſet ſi ex primo voto deberetur: tranſlatio enim obligationis voti ad aliam materiam hîc extinguit per ſe reſeruationem; reſeruatio enim non inerat ratione obligationis voti vt talis eſt, ſed ratione talis materiæ. Atque ita patet reſponſio ad argumentum. Subrogatum enim eius cui ſubrogatũ eſt, naturã non ſapit in illis, quæ per ipſam ſubrogationẽ ſubrogatũ ab eo diſtinguunt. *Reſp. ad argumenta oppoſitum.*

Aliter quidam reſpondẽt, Subrogatum non habere naturam accidentalem eius cui ſurrogatur, ſed primæuam: votum autem eſſe reſeruatum, ad accidentalem naturam pertinere, cùm ex primæua natura poteſtati Epiſcopi ſubſit, atque ita illud argumentum pro nobis eſſe. Prior tamen ſolutio melior eſt, quia etiam illud vlteriùs commutare poſſet Epiſcopus, quod veniret ex commutatione voti, ſecundùm primæuam naturam indiſpenſabilis ab Epiſcopo, ſi quod tale daretur, verbi gratia, ſolemne caſtitatis.

*Ad 2.* Ad alterum reſpondeo, Eo argumento probari, quòd votum etiam non reſeruatum ſemel à Pontifice commutatum, non poſſit ſecundò ab Epiſcopo commutari: quod nullo modo dicendum eſt. Eſt ergo diſcrimen inter Legem, ſententiam, vel pœnam à Superiori manantem, & commutationem voti: quòd in illis Superior per ſe liget, in hac autem non per ſe, ſed applicando obligationem (quam vouendo ſibi quis impoſuit) tali materiæ. Aduerte tamen, quia votum promiſſio eſt, promiſſio autem ſolùm futurum tempus ſpectat; priori modo, hoc eſt per modum legis aut pœnæ, non autem poſteriori, ſcilicet per modum commutati voti, ligare Pontificem quando aliquid iniungit loco voti iam omiſſi, ſed quia peccatum contra votum non eſt reſeruatum, etiamſi votum reſeruatum ſit. Idem iudicium erit de hac ſatisfactione à Pontifice iniuncta, & ab inferiori commutanda, quæ de alia quacumque iniuncta pro peccato non reſeruato. Hanc noſtram ſententiam tenet Azorius, cap. 18. ſuprà, Sanchez lib. 8. diſp. 9. n. 20. Silueſter verbo Votum 4. q. 7. in fine. Fauet Gloſſa in cap. Tempora pœnitudinis 26. q. 7. Henriquez lib. 7. cap. 3. numero 5. probabilem indicat Suarez De pœnitentia, in fine.

*Obiect.* Dices, Non poteſt Epiſcopus mutare pœnitentiam, quam Papa iniunxerit pro peccato ſibi reſeruato; ergo neque rem in quam mutatum eſt votum reſeruatum.

*Reſp.* Reſpondeo, Verum eſſe Antecedens, niſi ex accidenti præſumi poſſit conſenſus Pontificis; ſed nego ſequelam. In pœnitentiæ enim talis iniunctione Papa vtitur poteſtate ſibi reſeruata, cùm eiuſdẽ ſit pœnitentiam iniungere, cuius eſt abſoluere; vt vtendo tali poteſtate, quamuis efficiat vt peccatum deſinat eſſe reſeruatum, adeoque ſecundò ab eodem poſſit pœnitens abſolui ab inferiori; non tamen efficit vt materia pœnitentiæ iniunctæ ſubſit tribunali Epiſcopi, vel inferioris Sacerdotis: manet enim pœnitẽtia pro reſeruato, quæ ſemper reſeruata eſt. Neque poteſt inferior quidquam in ſolutione illius peccati, niſi vigore iudicij iam à Pontifice facti. Illud itaque ſoluendo, & mitiorem pœnitentiam iniungendo, eneruare non poterit: commutationis autem voti natura eſt, vt materia mutetur, atque adeò inde pendens reſeruatio.

*An poſſit commutare qui poteſtatem diſpenſandi delegatam habet.* Tertiò inquirendum, Vtrùm poſſit commutare votum, quicumque poteſt in eo diſpenſare, & contrà.

Reſpondeo, Diſtinctione opus eſſe. Certum itaque Primò, Eum qui habet poteſtatem ordinariam diſpẽſandi in votis, etiam poſſe eadem commutare, hoc enim ferè admittunt DD. inter quos hîc vertitur diſputatio. Secundò, Certum etiam eſt, Eum qui habet poteſtatem commutandi vota, *bet.*

non



non habere eo ipſo poteſtatem diſpenſandi, ſine vlla partiali commutatione: maius enim non includitur in minori.

Dubium verò eſt de eo qui habet poteſtatem delegatam diſpenſandi, vtrùm poſſit commutare, ſaltem quando cauſſa ſubeſt, ob quam ſibi commiſſa eſt poteſtas diſpenſandi?

Poſſe videtur per cap. Cui licet, De Regulis Iuris, in 6. *Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus.* Et ita tenet Palude diſt. 38. quæſt. 4. art. 3. concluſ. 5. Sotus & Henriquez ſuprà, & alij citati apud Sanchez lib. 8. diſp. 3. numero 14. Ipſe tamen Sanchez, licet hanc fateatur probabilem, putat oppoſitam eſſe veriorem, Primò, Quòd regula illa, Cui licet plus, licet quod eſt minus, tum demum habeat locum, quando minus in maiori continetur tamquam pars in toto, vel tamquam ſpecies in genere; certum autem ſit, commutationem neutro modo contineri in diſpenſatione: non enim eſt partialis relaxatio vinculi, ſed tranſlario totius vinculi ad aliam materiam. Secundò, Ad diſpenſationẽ non opus eſt peritia, quæ requiritur in commutatione. Tertiò, Quando quis habet vtramque poteſtatem diſpenſandi & commutandi, licet poteſtas commutandi ei auferatur, non propterea diſpenſandi. Quartò, Priuilegium ita quidem interpretari oportet, vt aliquid contra lus operetur; ſed dato aliquo tali, in reliquis eſt reſtringendum, cap. Porrò, De priuilegijs: atqui poteſtas diſpenſandi ex priuilegio conceſſa, poteſt aliquid operari, etiamſi non includat poteſtatem commutandi; ergo ad iſtam non eſt extendenda. Hanc ſententiam ſequitur Nauarrus in Commentario De Indulgentijs, notab. 27. & Enchiridij cap. 12. numero 79. Azorius lib. 11. cap. 10. quæſt. 4. & cap. 18. quæſt. 7. priori enim loco id docet de iuramento, cuius in propoſito eadem eſt ratio quæ voti. Valentia hîc puncto 7. §. Denique.

*Probatur ſententia negatiua.* 1. 2. 3. 4.

Etiam hæc ſententia eſt probabilis, quamuis eius argumenta non planè conuincant.

*Reſp. ad 1. probationẽ.* Ad Primum enim dici poſſet, Licet commutare non ſit diſpenſare, in diſpenſatione tamen eſſe relaxationem omnimodam, & in commutatione eſſe relaxationem quoad hanc materiam, atque ita commutandi poteſtas videbitur incluſa in poteſtate diſpenſandi, quatenus vtraque conſideratur vt quædam poteſtas relaxandi: cuius rei ſignum eſt, quòd etiam fatentibus aduerſarijs, includatur poteſtas commutandi in poteſtate ordinaria diſpenſandi; hoc enim non eſt ob aliam cauſſam, quàm quòd ſimpliciter loquendo, poteſtas commutandi in poteſtate diſpenſandi contineatur.

*Ad 2.* Ad Secundum, Peritia quæ ſufficit vt diſcernatur, an ſine commutatione, mera vtendum ſit diſpenſatione, etiam ſufficiet ad commutandum. Adde, quòd in votis ſæpè ſoleat diſpenſario temperari aliqua commutatione, quod etiam ſeruat ſtilus Romanæ Curiæ, & indubiè ſecurius eſt, vt patebit infrà. Quomodo ergo dicitur Pontifex, qua ido committit poteſtatem diſpenſandi, non com nittere commutandi, adeoque tutiorem diſpenſandi modum?

*Ad 3.* Ad Tertium, Non diffitemur, poſſe ſuſpendi poteſtatem commutandi in eo cui relinquitur poteſtas diſpenſandi, ſiue eam ordinariam ſiue delegatam habeat: at ſi nihil de hac ſuſpenſione expreſſum primatur, dicemus talem etiam poſſe commutare.

*Ad 4.* Ad Quartum, Non erit magnum priuilegium diſpenſandi, ſi eo vti non liceat, niſi quando omnino nulla commutatio videbitur neceſſaria; imò ſi ſtrictè interpretari oporteat, & alterum excludi, rationabilius videbitur, eum qui ex priuilegio diſpenſat in votis, non poſſe relaxationem diſpenſatiuam facere, niſi admixta aliqua commutatione, vt ſufficiat priuilegium in eo quod minoris eſt relaxationis, aliquid contra lus poſſe operari.

*Reſponſio negatiua placet.* Ceterùm quamuis res iſta ſit vtcumque problematica, placet tamen magis poſterior ſententia: poteſt enim intelligi, priuilegium diſpenſandi in eum tantùm euentum concedi, quo liquidum ſatis fuerit non opus eſſe vlla commutatione, adeò vt delegans ſibi reſeruet caſum, quo commutatione, præſertim in rem æqualem, opus eſſet.

*Delegatus commutat tantùm in æquale.* Inquirendum Quartò, Vtrùm poteſtas delegata commutandi, tantùm intelligatur in rem æqualem?

Reſpondeo affirmatiuè. Conſtat enim ex dictis, poteſtatem commutandi non inuoluere poteſtatem diſpenſandi: certum autem eſt, quotieſcumque fit commutatio in rem minorem, aliquid admiſceri diſpenſationis. Ita Azorius cap. 18. ſuprà quæſt. 6. Nauarrus dicto Commentario De Indulgentijs, quamuis quidam aliter ſentiant, qui nimirum putant, in bonum æquale poſſe fieri commutationem propria auctoritate. Sed illud iam ſuprà refutauimus. Henriquez tamen lib. 7. cap. 30. numero 5. putat, delegatum ad commutanda vota, ea poſſe mutare in paulo minus, quod moraliter cenſeri queat æquale; quo modo non erat in noſtra ſententia ſuperuacanea poteſtas commutandi, etiamſi poſſet quiſque ſuo arbitrio votum mutare in æquale: quamuis & eo nomine vtilis eſſe poſſit, quòd ſaltem quando dubium eſt ſitne æquale in quod fit commutatio, tutus quis eſſe poſſit, legitima alterius poteſtate facta commutatione, non autem propria auctoritate.

*Quomodo ad commutationem requiratur cauſſa.* Inquirendum Quintò, Vtrùm commutatio voti requirat cauſſam?

Reſpondeo, Vt fiat in euidenter melius, non eſt opus alia cauſſa, etiamſi res promiſſa eſſet compatibilis iſti meliori, adeoque non eſſet maioris boni impeditiua: vt autem fiat in aliquod minus, certum eſt, opus eſſe cauſſa; quia vt diximus, tunc admiſcetur diſpenſatio, quam conſtat non poſſe fieri ſine cauſſa. Si verò fiat præcisè in bonum æquale, maior eſt dubitatio: ſed dicendum, etiam tunc cauſſam requiri. Probatur Primò, ex cap. 1. De voto, vbi id tenet Panormitanus cum alijs, eſtque communis DD. Secundò, Quia, vt ſuprà diximus, etiam tunc requiritur Superioris poteſtas, quæ non debet operari ſine proportionata cauſſa. Tertiò, Eſt ademptio obligationis reſpectu huius materiæ, atque adeò ea ex parte quædam relaxatio, vt meritò aliquam cauſſam, qualem habet diſpenſatio, requirat, eamdem ſaltem ſpecie, licet non æqualem; multo enim minor cauſſa ſufficit ad commutandum, quàm ad diſpenſandum. Quando autem partim commutatur, partim diſpenſatur, proportione quadam medium in cauſſa requiſita ſeruandum erit.

Neque tamen Soti & quorumdam aliorum placet ſententia, qui non putant vmquam poſſe ſubeſſe legitimam cauſſam ſimpliciter diſpenſandi

sandi sine commutatione; illos enim meritò refutat Valentia hìc puncto 7. sub finem, & Sanchez lib. 8. disp. 9. numero vltim. tum quòd Ecclesiæ praxis sit contraria, tum etiam quia quando dispensatur ex vrgentissima caussa publica, vel tali vt dubitetur an propter ipsam non cesset omnino voti obligatio, non censebitur dissipare bona domini dispensator sine commutatione votum relaxans.

Quæritur Sextò, Vtrùm delegatus ad commutandum possit substituere aliquem cui vices suas committat?

Respondeo, Non posse, si nudum ministerium non iurisdictio ei communicetur, vt docet Siluester verbo Delegatus, & ex eo Azorius suprà cap. 19. quæst. 22.

*Commutãs voti commutat etiã pœnam per votum incursam.*

Quæritur Septimò, Vtrùm qui habet facultatem delegatam commutandi votum, verbi gratia, Confessarius tempore Iubilei, etiam possit commutare pœnam per votum pœnale iam priùs incursam? Nauarrus enim consil. 32. De voto, existimat non posse, quem sequitur Graffius lib. 2. cap. 28. numero 5.

Sed contradicit Sanchez lib. 8. disp. 15. numero 14. Cuius opinio videtur magis fundata, quia reuerà talis pœna debetur ex voto, quod cadit sub commutationem. Imò videtur id extendendum etiam ad casum, quo pœna esset de votis reseruatis, verbi gratia, si vouit ingressum Religionis, vel non admittere tale peccatum; si admisit, poterit nihilominùs Confessarius delegatus ad commutanda vota non reseruata Pontifici, commutare obligationem illam ingrediendi Religionem: quia, vt diximus Dubio 10. non veniunt cum reseruatis, quæ debentur ex voto pœnali.

Quæritur Octauò, Vtrùm omnia vota possint commutari in Religionis ingressum?

*Omnia vota commutari possunt in Religionis ingressum.*

Communis opinio DD. est, Omnia vota emissa in sæculo, definere obligare per ingressum Religionis. Ita D. Thomas hic ad 1. Palude in 4. dist. 38. quæst. 41. art. 3. conclus. 2. Panormitanus, & alij in cap. Scripturæ, De voto: vbi tamen Glossa id restringit ad vota Religioni non consona. Sotus lib. 7. quæst. 4. art. 3. Couarruuias in cap. Quamuis, De pactis, parte 1. §. 3. numero 4. Nauarrus cap. 12. numero 78. Siluester verbo Votum 4. q. 7. n. 3 qui tamen excipit votum Terræ sanctæ, quod disertè includit Nauarrus, ex Caietano verbo Voti dispensatio, Azorius 1. parte, lib. 11. cap. 18. quæst. 15. Graffius 1. parte, cap. 30. lib. 2. Hæc sententia generatim asserta, satis exprimitur dicto cap. Scripturæ, De voto: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam nosci tur Religionis obseruantiam commutare.* Secundò, Hoc sequitur ex eo quod suprà diximus, licere propria auctoritate votum, in euidenter melius commutare. Tertiò Probatur à simili, Quia satisfactio iniuncta commutatur in professionem Religionis, vt patet cap. Quis aliquando, §. His auctoritatibus, verbo Non ergo necessaria. Et apertiùs cap. Admonere 33. quæst. 2. Vbi Astulpho Stephanus V. remittit pœnitentiam, si Religionem ingrediatur. Quartò, Si debitor tradat se in seruum creditori, priora debita extinguuntur. Quintò, Qui totam vitam suam Deo dedicat, censetur quasi in toto partem illam seruitij, quam voto promiserat, præstare, quia particulare in vniuersali includitur. Sextò, Religionẽ ingrediens meritur priori vitæ; meritò ergo soluitur illis votis, quæ ad rectiùs instituendam priorem vitam emiserat. Septimò, Singulares obseruantiæ non tatis congruunt vitæ religiosæ, soluetur ergo illis, tam quam maioris boni impeditiuis. Octauò, Regularis status tam multum secum fert oneris, vt grauari non debeat eiusmodi particularibus votis, sed meritò per moralem quamdam impotentiam superuenientem, Religiosus à votis eiusmodi prioribus censeatur excusandus.

In contrarium tamen nonnulla obijciuntur, quorum dilatio pleniorem explicationem certissimæ alioqui huic sententiæ addet.

*Obiect. 1.* Obijcitur Primò, Voti commutatione semel facta, non redit vmquam obligatio circa eamdem materiam, etiamsi opus substitutum negligatur: atqui si quis sua culpa relinquat Monasterium, aut eijciatur inde, redit obligatio votorum simplicium, quæ nuncupauerat ante professionem, vt docet cum alijs quibusdam Graffius suprà numero 3. ergo per professionem verè non sunt commutata, sed tantùm suspensa.

2. Secundò, Faciamus aliquem simplici voto vouisse ingressum Religionis arctioris, & ingredi postea laxiorem; si vota omnia soluantur ingressu Religionis, etiam soluetur illud de maiori bono, atque ita dabitur casus vbi quis propria auctoritate commutet votum in minus bonum, quod est contra dicta.

3. Tertiò, Multa sunt vota, quæ sine Religionis detrimento à Regularibus expleri possunt; ergo saltem illa non erunt commutata.

4. Quartò, Commutatio non est valida, nisi eo acceptante, in cuius gratiam fit: fieri verò potest, vt non intendat vllam commutationem, qui ingreditur Religionem.

5. Quintò, Vota necessitatis de rebus præceptis, verbi gratia de non mentiendo, commutari non possunt; ergo saltem illa non commutantur professione Religionis.

6. Sextò, Non tantùm professio, sed etiam ingressus Religionis præstat particularibus illis votis; ergo etiam Nouitius liber esset à prioribus votis, & maneret, etsi posteà egrediatur, & numquam profiteatur.

7. Septimò, Votum Terræ sanctæ non potest commutari sine Pontificis auctoritate, vt patet ex dictis Dubio 10. ergo proprio arbitrio nemo illud mutat in Religionem.

8. Octauò, Voti obligatio maior est quàm iuramenti, vt dicemus Capite sequenti: atqui hæc non cessat per ingressum Religionis, vt docet Nauarrus consilio 4. De Regularibus; ergo neque illa.

9. Nonò, Vota realia transeunt ad heredes, vt diximus Dubio 5. ergo saltem illis obligabitur Monasterium, quod succedit in bonis Religiosi.

10. Postremò, Si promisit quis pro alio votum implere, tenetur promissione etiam post professionem; ergo multo magis si ipse vouerit.

*Resp. ad 1.* Respondeo ad Primum, Nego Minorem cum Sanchez lib. 8. disp. 9. numero 21. neque enim commutatio facta est in Religionem sub conditione, Si in ea permanserit, sed simpliciter. Neque placet distinctio commutationis in eam quæ fit à Iure, & quæ fit ab homine; quasi in illa sit talis conditio, non in hac: cap. enim Scripturæ nullam habet significationem huius conditionis, & omnino



omnino voluntariè videtur sic distingui: quomodo autem semper liberum nihilominùs sit, relicta materia surrogata ei qui vouit implere primum votum, infrà dicemus. Citat Graffius pro se D. Thomam, sed immeritò: nihil enim tale dicit locis citatis, nisi fortè pro se rapiat, quòd distinctione 38. in 4. ipse D. Thomas in solutione cuiusdam argumenti dicat, per Religionis ingressum non tam fieri voti commutationem quàm ampliationem; inde enim sequi videtur, quod vult Graffius: si enim à particulari excuseris, quia aliquid vniuersalius præstas in quo illud continetur, indubiè vbi istud præstare desieris, redibit obligatio particularis, si ea erat perpetua: sed suppono, in proposito esse veram commutationem quæ fiat auctoritate Iuris, vt in sequentibus magis constabit.

*Ad 2.* Ad Secundum respondeo, Admisso casu non sequi quod infertur; quia vt benè Palude, melius est experiri & profiteri Religionem laxiorem, quàm tantùm experiri arctiorem. Adde ex Soto, hanc commutationem non fieri propria auctoritate vouentis, sed potiùs Canonis & Ecclesiæ: atque ita secundùm ipsum posset etiam fieri in minus bonum, aut de quo dubium sit, an sit maius. Neque tamen volumus eum qui vouit non solùm ingredi & profiteri, sed etiam permanere in Religione, liberari ipso ingressu à professione quàm voto promisit, aut ipsa professione liberari ab obligatione perseuerandi priori, vti neque ingressum laxius Monasterium liberari ab ingressu strictioris, quod fortè vouit ingredi & in eo perseuerare: eiusmodi enim vota Religione non soluuntur, sed adimplentur: quare eorum obligatio non cessat, nisi perfectè impleantur. Neque enim in proposito votum continetur in surrogato, sed potiùs contrà, continetur ipso surrogatum, quod propterea surrogari dici non debet, sed ex parte tantùm explere.

*Ad 3.* Ad Tertium, Eam non esse rationem adæquatam, ob quam vota priora in professionem Religionis commutentur, quod ægrè singulares obseruantiæ cum vita monastica consistant; sed quia ferè melior, magis stabilis & perpetua est vita regularis, aut saltè, quia Ius ita statuit in fauorem Religionis, & perpetuæ eiusmodi obligationis.

*Ad 4.* Ad Quartum, Si voto obstrictus quando Religionem profitetur, intendat illud seruare in Religione, non extinguitur tali professione eius obligatio, modò sit de talibus, quæ in Religione seruari possint: sed, vt diximus Dubio 7. poterit nihilominùs eiusmodi votum Prælatus irritare. Si autem ante professionem tale quid intenderit, eiusmodi intentio eodem Iure censetur cum votis præuijs, si desierit actu & virtute intendere, quando profitetur, vt benè Siluester suprà.

*Ad 5.* Ad Quintum, Quamuis à materia præcepta, quamdiu talis est, non possit tolli obligatio, illa nimirum qua etiam non vouentes tenentur, vt dicitur cap. Sunt quædam 17. quæst. 1. benè tamen potest tolli obligatio voti, & aliò transferri. Quare non videtur necessaria restrictio Graffij, qui excepit vota necessitatis. Vnde sequitur, eiusmodi Religiosum contraueniendo tali voto, peccaturum quidem, sed non fore votifragum.

*Ad 6.* Ad Sextum respondeo, Vtrùm etiam in Nouitiatum seu probationem Religionis vota priùs in sæculo facta sine auctoritate Superioris commutentur, non satis inter se conueniunt DD. Affirmant Couarruuias & Graffius, negat Siluester. Quamuis enim vota personalia per Nouitiatum fateatur suspendi, de realibus tamen id non fatetur. Dicendum videtur, posse quem propria auctoritate quædam vota temporalia in sæculo facta commutare in probationem Religionis, quam constet esse meliorem non tantùm singulis, sed omnibus quæ commutata voluerit; atque ita veram esse sententiam Couarruuiæ. Confirmari potest, Quia, vt diximus suprà ex cap. Licet, De Regularibus, potest Religiosus inuito Superiore transire ad arctius institutum, & soluitur temporali eius obedientia tempore probationis: si tamen non profiteatur, tenetur redire ad prius Monasterium, quia non potuit commutare perpetuum in temporale; & vicissim tenetur prius Monasterium eum recipere, vt docet Azorius lib. 12. cap. 14. quæst. 11. Reliqua vota tam personalia quàm realia, quæ in Nouitiatum commutari non potuerunt, manent tempore probationis suspensa: neque enim censenda sunt prorsus extingui, quia cap. Scripturæ, non loquitur de probatione, sed perpetua Religionis obseruantia: suspensa, inquam, manent certò ea personalia quæ Religionis tyrocinio repugnant, probabiliter etiam realia, & ea personalia quæ non repugnant. *Probabiliter* dico, qui sententiam Siluestri, quoad ista, plures sequuntur, inter quos Azorius, lib. 11. cap. 19. q. 21.

*Ad 7.* Ad Septimum, De voto Ierosolymitano subsidij caussa quidam dubitant, an commutari queat in professionem Religionis inconsulto Pontifice: nam de voto tali solius deuotionis caussa, adeò non dubitant Panormitanus & Glossa, in sæpè citatum cap. Scripturæ, vt etiam de illo, casum cap. illius forment aut intelligant; quia generatim loquuntur de voto ad Sepulchrum Domini. Omnino tamen generatim omne votum, etiam transmarinum subsidij caussa, continetur dicto cap. Scripturæ, vt præter Caietanum & Nauarrum suprà citatos, sentit D. Thomas in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 4. §. Ad quartam quæstionem; Armilla hoc verbo n. 14. Ad rationem ergo dubitandi dicendum est, Opus quidem esse auctoritate Pontificia, vt voti transmarini ab homine fiat commutatio; hìc autem fieri potiùs à Lege. Angelus verbo Votum 4. num. 2. tacitè quidem videtur nobis consentire; duplicem tamen ponit exceptionem. Vnam, Quando Rex quispiam potens nuncupasset votum de acquirenda Terra sancta: talem enim putat inconsulto Pontifice, non posse ingredi Religionem. Alteram, Si quis vouerit aliquid dare in subsidium Terræ sanctæ: hunc enim existimat non posse siue Pontificis consensu commutare votum ingrediendo Religionem.

*Ad 8.* Ad Octauum, De iuramentis promissorijs quæ soli Deo fiunt, aut quibus non homini Ius quæritur, sed tantùm Deo obligamur sine vllo respectu fauoris humani, eamdem esse rationem quæ est votorum, communis & verior est sententia, quam sequitur Sanchez lib. 8. disp. 2. nu. 18. & 19. Aliter dicendum de iuramentis, quibus homini principaliter obligamur: talia enim non commutantur in Religionem, vt benè probat

Nauarrus in argumento citatus. Dico, *principaliter*; si quis enim Deo voueat quòd Petro dabit eleemosynam, non intendens se obligare Petro, sed tantùm Deo, etiamsi votum iuramento confirmet, probabile est, posse in Religionem commutare sine consensu Petri, vt quosdam sentire testatur Siluester suprà num. 4. Quid verò censendum sit de opinione Nauarri, de qua in argumento, dicemus Cap. sequenti, Dub. 3.

*Ad 9.* Ad Nonum, Probabile est, vota realia posse commutari in professionem Religionis. Si tamen eiusmodi commutationem non intendat profitens, non est improbabilis opinio Palude, transire hoc onus realis voti ad Monasterium, sicuti transiisset ad heredem. Poterit tamen dici, nisi reseruetur, ipsa professione extingui, vt tenet Emanuel Sà verbo Voti irritatio, num. 6.

Sed roges, Vtrùm etiam quando certa res particularis voto promissa est, liceat in Religionem vel aliter commutare?

Palude sentit, Quando est votum reale speciale, verbi gratia, si quis certum suum equum voueat offerre Deo, non licere commutare, nisi eius interueniente auctoritate, qui posset Ecclesiæ equum alienare: eius autem consensu interueniente, etiamsi non sit Superior, licere commutationem. Hæc opinio non est improbabilis, & ex ea sequitur, si pater vouerit Monasterio offerre filium minorem, non posse ei surrogare seniorem, etiamsi is vtilior videatur futurus. Quando tamen substituitur aliquid in quo alterum ita continetur, vt per illud etiam inuito creditori homini in simili satisfieret, credo & voto satisfieri; vt si quis argenteam statuam vouit, & eiusdem magnitudinis reddat auream: hoc enim non est deficere, sed potiùs supererogare. Ægrè tamen admittendum videtur, vt talis commutatio fiat per professionem Religionis, nisi fortè res illa certa promissa sit eidem Monasterio quod vouens ingreditur.

*Ad 10.* Ad Decimum, Nego Antecedens; talem enim rectè liberat Emanuel Sà suprà num. 7. suscipit enim in se obligationem alterius, quæ in professionem Religionis commutabilis est, quatenus est ex voto.

Quæritur Nonò, Vtrùm is cuius votum iam semel commutatum est, satisfaciat, si relicto opere substituto, impleat primum votum?

*Commutatione facta etiam satisfacies implendo primum votum.*

Respondeo, Omnino satisfacere, quia potest quisque ei renuntiare quod pro se noscitur introductum. cap. Statuimus, De Regularibus. Certum autem est, commutationem fieri in fauorem eius qui vouit: imò commutatio sub ea tacitè fit conditione, vt vouens impleat rem substitutam, nisi malit votum implere, ne iustæ pœnitudinis humanitas amputetur, quo modo & appellationem interpositam licet reuocare. L. Si quis libellos, C. De appellationibus.

Vnde colligitur, Hoc locum habere etiam quando commutatio facta est in melius: semper enim liberum est vouenti redire ad primum promissum, nisi aliud obstet; quamuis non continuò teneatur, etiamsi propria ipsius culpa acciderit, vt res substituta nec impleta sit, nec præstari iam possit.

Sequitur etiam, Voto pœnali commutato, non incidi in pœnam priori voto appositam, etiamsi neq; votum impleatur, neque opus substitutum, vt docet Nauarrus consil. 14. De voto.

Sequitur denique, posse eum cuius votum sæpè est commutatum, eligere quodcumque voluerit, siue primum votum, siue vnum ex substitutis, vt docet Azorius suprà cap. 18. q. 12.

Postremò quæritur, Vtrùm facultas commutandi voti, quæ datur in Iubileo vel priuilegio, extendatur etiam ad ea vota, quæ emissa sunt post datum Iubileum aut post acceptum priuilegium; an verò solùm habeat locum in votis priùs emissis? Posterius enim asseruit Sotus suprà, eo tantùm argumento, quòd existimet, non satis decere in materia Religionis ita leuiter procedi, vt priùs commutandi votum detur licentia, quàm emissum sit. Nauarrus tamen Enchiridij cap. 12. num. 80. & latiùs Commentario De Indulgentijs, notab. 34. num. 4. & Azorius suprà q. 9. docent, extendi etiam ad posteriùs emissa. Quæ sententia verior est, Primò, Quia peccata constat eius virtute absolui, etiamsi post priuilegium fuerint admissa. Secundò, Quia vsus ita habet, vt testatur Nauarrus. Tertiò, Vbi Lex non distinguit, neque nos debemus distinguere. Quartò, Beneficium Principis, quando non est ambitiosum, nec tertio damnosum, latè est interpretandum, cap. Quamuis, De præbendis, in 6.

## CAPVT VI.

### *De Iuramento.*

### DVBIVM I.

### *Quid & quotuplex Iuramentum.*

*D. Thomas quæst. 89. art. 1.*

*Iuramentum quid sit dicitur.*

IVRAMENTVM putat Augustinus Sermone 28. De verbis Apostoli, inde dictum, quòd Ius reddamus Deo, quando per ipsum iuramus, debitam videlicet veritatem. D. Thomas indicat iuramentum inde dictum, quòd quasi pro Iure introductum sit, vt quod sub inuocatione diuini testimonij dicitur, pro vero habeatur. Hoc ferè secutus Couarruuias in cap. Quamuis, De pactis, initio, ex L. 5. ff. De iureiurando, inde deriuat, quòd Iure habeatur & Lege quidquid iuratum fuerit. Sumitur interdum ea vox in Scripturis pro voto. Ita enim accipere videtur Augustinus illud Psalmi 62. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* At nihil prohibet, iurare ibi propriè accipere vt communiter Interpretes. Nihilominùs iuramentum pro voto accipi videbitur Numeri 30. *Mulier si quidpiã vouerit, & se constrinxerit iuramento:* &c. vt obseruat Hesselius in explicatione Decalogi. Illud denique Matthæi 5. *Reddes Domino iuramenta tua*, de votis acceperũt nonnulli, sed malè; iuramenta enim rectè dicuntur etiam Deo reddi, cui nos obligant. Chrysostomus in Psalmum 14. & 109. & alibi obseruare nos monet, veteres iuramenti nomen pro simplici confirmatione & obligatione subinde vsurpare, quomodo etiam D. Basilius in Psalmum 14. accipi putat illud Psalmi 109. *Iurauit Dominus*, &c. & illud Psalmi 118. *Iurauí, & statui.* Verùm quorsum id inculcent isti Patres, ex sequenti Dubio patebit.

Quidquid sit de eiusmodi improprijs acceptionibus, nos hîc iuramentum propriè accipimus,



*Iuramentum proprè.*

mus, vt est inuocatio diuini testimonij. Sicuti enim per orationem Deum inuocamus adiutorem, ita per iuramentum ipsum inuocamus in testem nostrę assertionis vel promissionis; dignatur enim Deus, qui nec falli potest nec fallere, etiam in testem adhiberi in nostris negotijs, vt omnis controuersiæ, quæ propter mutuam diffidentiam aut partium ignorantiam vltrò citroque asserendo tolli non potest, finis sit iuramentum, vt dicit Apostolus ad Hebr. 6. Huc pertinet, quòd Deus dicatur Iudex & testis, Ieremiæ 29. & sæpè aliàs in Scriptura se testem esse inculcet.

*Iurare quid?*

Iurare itaque est Deum testem inuocare. Non dico, adducere; non enim qui diuini verbi testimonium adducit continuò iurat: aliud enim est quouis modo vri testimonio diuino priùs dato, atque aliud vt testimonium det, Deum inuocare. Hanc inuocationem exercemus propriè ex virtute Religionis, sicut & inuocationem quæ est in oratione: est enim iuramentum quædam Dei veneratio, vt meritò in Rhetoricis ad Alexandrum cap. 17. dicat Philosophus, iusiurandum esse cum diuina venerationè dictionem probationis expertem: & Cicero De officijs, esse affirmationem religiosam. Pertinet enim ad diuini numinis honorem, quòd omniscientiam & iustitiam eius iureiurando profiteamur. Conformis est descriptio Chrysostomi Homilia 9. in Acta: *Iurare est Deum vocare testem, & quasi fideiussorem dare dictis. Iuramentum enim est fideiussio, vbi mores fidem non habent.*

Ex fine iuramenti colligitur, Non posse id adhiberi in assertione generalium veritatum, sed tantùm in particularibus quæ facti sunt, & in quibus homines solent alios testes aut fideiussores implorare: si secùs fiat, ad Dei tentationem id pertinet. Deus enim hîc solùm inuocatur in subsidium deficientis testimonij; vt rectè idem Chrysostomus dicat, eum qui iurat, ipso suo iuramento quodammodò notari, vt cui fides non adhibeatur sine fideiussore, & quidem sine illo maximo.

Colligitur ex eodem fine, Nullum esse iuramentum merè mentale quod homini fiat; neque tamen est necessariò vocale, multò minùs per expressum verbum, Iuro, aut disertè dicendo, Per Deum, quamuis id quidam voluerint. Sed non solùm muti, sed etiam alij iurare possunt solo nutu aut solo attactu rei sacræ, vt quibusdam locis moris est: sufficit enim quòd habeant animum iurandi, & tali animo exteriorem eiusmodi attactum exerceant. Consulendus Couarruuias suprà.

Colligitur denique Sola mente ne quidem extendi posse prius eiusmodi inter homines iuramentum, ad materiam eo non comprehensam, vt etiam illa nunc iurata censeri queat: poterit tamen, si exteriùs illam ipsam voluntatem significes intentione de nouo iurandi, quamuis reuerà tunc non tam prioris iuramenti sit extensio, quàm noui additio. Nihil tamen impedit, quò minùs solo mentali actu, vt votum, vt ita & iuramentum promissorium Deo fiat. Hactenus de definitione.

*Diuiditur Primò in Assertorium & promissorium.*

Diuiditur autem Primò iuramentum in assertorium & promissorium. Assertorium non tantùm rei præteritæ vel præsentis, sed etiam futuræ esse potest: attamen quia de re futura vix iurari debet aut potest, nisi eam iurans possit ac velit præstare, ferè intelligitur promissorium, quando est de re futura. Magni autem refert vtro modo intelligatur: qui enim futurum hoc aut illud iurauit, periurus est, si non fiat; qui autem iureiurando interposito promisit quidpiam præstare, non statim erit periurus, modò voluntatem præstandi habuerit, etiamsi aliqua maiori necessitate impediatur quò minùs præstet. In promissorio enim iuramento non tam asseritur euentus rei promissæ, quàm propositum præstandi, omniq; legitimus ad hoc conatus, cum religiosa obligatione.

*Assertorium subdiuiditur in iudiciale & extraiudiciale.*

Assertorium subdiuidi potest in iudiciale, quod coram Iudice præstatur, & extraiudiciale. Iudiciale aliud est iuramentum calumnię, quando pars iurat, bona fide, non animo calumniandi, causam mouisse, prosequi, & se prosecuturam esse. Aliud iuramentum in litem, quando de re ipsa controuersa iuratur. Quod iterùm est duplex, necessarium seu decisorium, quod exigitur à Iudice ad terminandam litem, & recusari non potest sine causa: non necessarium, quod pars parti defert, & recusari potest, vt patet cap. vlt. De iureiurando. Actor tamen nihil probans non potest reum onerare delato iuramento, cùm etiam sine eo absoluendus sit, nisi in casu quo negaret propriam scripturam. Panormitanus ad dictum cap. vlt. & satis colligitur ex ipso textu. Exceptio autem de negante propriam scripturam, habetur ex Nouella De instrumentorum cautela.

*Promissorium subdiuidit.*

Promissorium aliud est absolutum, aliud conditionatum; imò ferè omnem varietatem admittit quam promissio, de qua suo loco. Chrysippus citatus apud Couarruuiam suprà, ita strictè accepit periurium, vt locum habeat in solo iuramento promissorio: quando autem assertoriè contra veritatem iuratur, non tam periurium quàm falsum iuramentum dici volebat, quasi peierare opponatur ei quod est fideliter iurare, non autem ei quod est verum iurare. Verùm istam distinctionem DD. non obseruant.

*Altera iuramenti diuisio.*

Diuidi etiam potest iuramentum ex parte testimonij diuini. Vel enim istud imploratur simpliciter vt tale, vel vt est à Deo simul Iudice. Cùm enim sententia nõ solùm supponat testimonium, sed ipsa etiam præmia & supplicia, quæ per sententiam Iudicis decernuntur, instar testimonij cuiusdam sint: si imploretur Dei testimonium priori modo, dicitur iuramentũ simplex; si posteriori, execratorium, quamuis implicitè semper etiam simplex sit execratorium. Quamuis autem periurium semper graui pœna dignum sit, iuramenti tamen execratorij punitio sæpiùs in hac vita reperitur, cuius exemplum habemus recens in quadam Flandriæ ciuitate, vbi periurus quidam nocte inuentus fuit redactus in cineres, cò quòd falsò cum execratione iurasset. Vide etiam simile apud Nicephorum lib. 5. cap. 9.

*Tertia iuramenti diuisio.*

Diuidi denique potest ex parte modi Deum inuocandi: hoc enim fit vel explicitè vel implicitè in creaturis in quibus Dei veritas relucet, vel tangendo rem sacram, animo iurandi. Consulendus Siluester verbo Iuramentum 1. q. 1. & 2.

DVBIVM

## DVBIVM II.

### *Vtrùm, & quo modo liceat Iurare?*

*D.Thomas art.2.4.5. & 10.*

*Error hæreticorum.*

NON licere iurare, docent hæretici complures, Catharistæ, Waldenses, Pseudoapostoli, teste Alphonso à Castro verbo Iuramentum. Addit Arragonius Manichæos: sed ipsos per Paracletum iurasse, testis est Augustinus disp. 2. Contra Fortunatum. Eumdem errorem Lorinus in cap. 9. Ecclesiastæ tribuit Albanensibus, ex Prateolo & alijs, & Turrecremata Syracusanis ex Hilario ad Augustinum. Denique Origenes Tract. 35. in Matth. non videtur alienus ab hoc errore. Similem fuisse errorem quorumdam Pelagianorum, testis est Augustinus Epistola 88. & 89. quæst. 5. quorum ridicula fuit vanitas, quòd putauerint mentem manere iniuratam, modò abstineatur à Præpositione *Per:* ideoque Apostolum numquam ea vsum esse, vt dixerit Per Deum, sed Coram Deo, Testis est Deus, &c. Philo Iudæus putabat, neminem posse iurare per Deum, nisi Deum ipsum, quòd nemini natura Dei perspecta sit; sed debere homines iurare per Dei nomen & verbum, quo interprete Deus innotuit. Sed contrà, verbum Dei est Deus, & nomen Dei est ipse Deus, Deuteronomij 28. *Nisi timueris nomen eius gloriosum & terribile, hoc est, Dominum Deum tuum.* Bernardus Sermone 65. in Cantica, quosdam refellit, qui iurare dicebant illicitum esse; pro celanda tamen fide, etiam peierare licitum esse, in hoc similes Priscillianistis, de quibus Augustinus lib. De hæresibus, cap. 70. testatur, vt cetera turpia sua dogmata celarent, vnum habuisse, *Iura, periura, secretum prodere noli.* Verùm in hac classe non infimi sunt nostri temporis Anabaptistæ, qui adeò tempore noui Testamenti illicitum esse putant iuramentum, quamuis olim instar libelli repudij permissum, vt potiùs sit moriendum quàm iurandum, id etiam exigente Magistratu. Fauebit his Theophylactus in cap. 5. Matthæi: *Porrò si dixeris quòd & Lex Moysi mala erat, quoniam iurare iubet, dic quòd tunc non erat malum iurare; post Christum autem malum est, sicut circumcidi, & in summa, quidquid est Iudaicum: fugere enim puero conuenit, viro minimè.* Wiclefi articulus 43. ita habebat: *Iuramenta illicita sunt quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia ciuilia.* A quo non abhorret Erasmus in Matthæum, & Iacobus Faber in cap. 5. Iacobi; qui tantùm permittit iuramenta publica in iudicijs, non autem priuata in contractibus.

*Catholica sententia, iuramentum esse licitum.*

Sed contra omnes istos Fidei est, etiam tempore nouæ Legis, etiam in contractibus ciuilibus licitum esse iuramentum. Probatur Primò ex Scripturis, vbi in primis Deus ipse sæpiùs dicitur iurasse: Geneseos 22. Psal. 109. & 131. Sapientiæ 12. Ieremiæ 44. Ezechiel. 16. Lucæ 1. Actorum 2. Hebr. 6.

*Obiect. 1.*

Dices ex Ambrosio lib. 1. cap. vlt. De Cain & Abel, cui adstipulatur quod habet Chrysostomus in Psalmum 109. & alibi, Ideò Scripturam inducere Deum quasi iurantem, non quòd Deus verè iuret, sed quæ asseuerantiùs promittit, & nostro loquendi modo iurat; quia quæ asseuerantiùs promittimus, iurare solemus. *Deus*, inquit Ambrosius, *non iurat, sed iurantium Iudex est, & vltor periurantium.*

*Resp. An iurare Deo conueniat.*

Respondeo, Non voluisse Ambrosium negare, quin Deus verè iurauerit, quod tam asseueranter dicit Scriptura, vt etiam iureiurando iurasse dicat dicto cap. Actorum 2. & Apostolus distinguit promissionem & iuramentum Dei, tamquam duas res immobiles. Et Innocentius III. cap. Etsi Christus, hoc tit. De vero iuramento Scripturam intelligit, sed solùm voluit, non eo modo iurare quo nos, quòd fide credentis indigeat, aut testimoniorum astipulationibus destitutus suffragium sacramenti requirat, cùm eius sermo sacramentum sit. Apostolus etiam hoc obseruat, homines per maiorem se iurare, Deum autem per semetipsum, quia maiorem se non habet. Vbi apparet, in Dei iuramento non tam testimonium accumulari, quàm fidem, ex eo quòd nos assueuimus iurantibus magis credere. Hinc etiam fit, vt Deus non possit execratorio iuramento iurare, quia istud maiorem qui perdat respicit: quamuis & alia huius sit caussa, quòd nihil mali admittat, nihil boni amittat immutabilis natura Dei.

*Obiect. 2.*

Dices iterùm, Fortè Deo, qui falli non potest, licere iurare; at homines qui falli possunt, non nisi temerè iusiurandum dictis suis apponere, quasi tam certa sint, vt diuini testimonij certitudinem mereantur.

*Resp.*

Respondeo, Qui iurat, non tantam præ se fert in suis dictis certitudinem, quanta est in diuino testimonio, aut illis quæ per fidem Deus reuelauit; sed in assertorio iuramento solùm inuocat Deum, vt testetur quòd tali certitudine qualem asserit, res quantum ipse scire potest, ita sese habeat. In promissorio Deum testem inuocat, suam animam Deo obligat, & Deum quasi fideiussorem promissario præbet, quòd fidem non fallet, quantum in se erit.

Probatur Secundò, Quia Dei cultores in veteri Lege, imò & ante Legem leguntur iurasse: Abrahamum enim iurasse, patet Geneseos 21. rogatus enim iurare, dicit, *Ego iurabo; & iniit fœdus cum Abimelech.* Vnde mirum est, D. Chrysostomum dicta Homil. 9. in Acta, dicere, Abrahamum tum pacta quidem fecisse, nondum tamen eius tempore fuisse iuramenta, sed demum ea orta & concessa esse, quando mala increuerunt. Sanè cap. 24. agens cum seruo suo, iuramentum exegit, & excepit fidelis à fideli, vt ipse fatetur Chrysostomus in illum locum. Iacob etiam cap. 31. iurasse legitur, & iuramentum exegisse ab Esau cap. 25. & à Ioseph cap. 47. Exodi 22. Dominus præcipit, non tantùm permittit, lites probationibus destitutas iuramento terminari. Deuteronomij verò cap. 6. per nomen suum iurari, & Exodi cap. 23. non iurari per deos alienos. Fruſtrà ergo hîc opponent, permissa tantùm iuramenta, non etiam probata fuisse: permissum, inquam, vt cùm à iuramento abstinere non possent, non per falsos deos, sed per Deum ipsum iurarent, aut nomen eius; quia Abraham pater fidei nostræ non fuit ad idololatriam pronus. Secundò, Similis est hic error alteri, suprà, quando De sacrificio, à nobis confutato, qui simili modo sacrificia dicebat Iudæis tantùm permissa. Tertiò, Quia etiam in noua Lege iuraturos fideles prædicitur Isaiæ 19. 45. & 65.



& 65. & iurasse legitur 1. Corinth. 15. *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres.* Iuramentum enim esse, patet ex Græco, vt Augustinus & alij passim obseruant. 2. Corinth. 1. *Testem Deum inuoco in animam meam.* Rom. 1. & 9. Philipp. 1. Galat. 1. Imò Psal. 62. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* & Psal. 14. in monte sancto requiescet, *qui iurat proximo suo, & non decipit.* Quartò, Etiam Angeli leguntur iurasse, Apocal. 10. Soli dæmones qui à Dei cultu abhorrent, numquam leguntur iurasse, tantum abest vt ita à malo sit iuramentum, quasi sit à diabolo, sicut Anabaptistæ volunt; quamuis hactenus à diabolo sit, quòd ipse iurandi necessitatem inuexerit: sicuti & Medicina à malo est.

Probatur Tertiò ex Patribus, Pontificibus, & Concilijs. Augustinus lib. 19. Contra Faustum, cap. 23. *Verum iurare nullum peccatum est.* Item Serm. 38. De verbis Apostoli, lib. De mendacio cap. 15. in expositione Epistolæ ad Galatas, ad illud, *Ecce coram Deo, quia non mentior:* & Epistola 154. ad Publicolam. Isidorus lib. 2. Sententiarum, cap. 31. *Non est contra Dei præceptum, iurare.* Tertullianus Apologetici cap. 32. testatur suo tempore Christianos iurasse, non per genios Cæsarum, sed per salutem Cæsarum. Refert Sozomenus lib. 7. cap. 3. pro sedando motu Antiocheno in caussa Meletij & Paulini præstantissimos de illo Clero iuramentum interposuisse. Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 3. §. pænult. *Si qui ex eis iuramenti religionem obstinatione damnabili respuentes iurare forte noluerint, ex hoc ipso tamquam hæretici reputentur.* Facit huc Toletanum VIII. c. 2. Idem luculentè ostendit Innocentius III. cap. Etsi Christus, De iureiurando, & Paschalis Papa, cap. Significasti, De electione. Denique nimis notorium est, Ecclesiam vti iuramento tamquam omnis controuersiæ fine, ad confirmationem, vt Apostolus loquitur ad Hebr. 6. Videantur in Iure Canonico Tituli De iureiurando, De purgatione canonica, De testibus, De hæreticis.

*Obiect. 1. ex scriptura.*

*2.*

Obijciunt ex c. 5. Matthæi, *Ego autem dico vobis non iurare omnino*, &c. & cap. 5. Iacobi, *Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester: Est, est; Non, non: vt non sub iudicio decidatis.*

*Resp. ad 1.*

Respondeo, Hæc tria ex Lege esse distinguenda: iurare; quando iuratur, iurare in nomine veri non falsi Dei; & iurare in vanum. Primum licitum, secundum præceptum primo præcepto Decalogi, tertium prohibitum secundo præcepto Decalogi. De primo per modum præcipientis nihil hîc dicit Christus, sed quia legitimè iuratur, etiam tacitè solùm inuocato diuino nomine, & expressa aliqua creatura, in qua Dei majestas resplendet, vt attigimus superiori, & latiùs dicemus Dub. 4. Posteriori autem modo, in vanum iurare, & peierare, nihil esse putabant Iudæi, nisi fortè quando in dono altaris, seu auro templi iurabatur, quod excipiebant propter suam anaritiam, vt patet Matthæi 23. De tertio illo propriè hîc loquitur Christus, vt non iurare prohibeat, sed in vanum iurare, non solùm per Deum, sed etiam per quamcumque creaturam, vt hac ratione refutet duplicem Scribarum & Pharisæorum errorem: vnum quem dixi, quòd mendaciter iurare per creaturam non sit peccatum; alterum, quòd pro re leuissima passim iurare liceat, modò verum iuretur. Admiscet tamen etiam consilium abstinendi quantum in nobis fuerit à quocumq; iuramento, vt benè expositioni priori, quæ est D. Augustini locis suprà citatis, addidit Bernardus dicto Sermone 65. in Cantica.

*Pharisæorum error.*

*Ad 2.*

In eamdem planè sententiam accipiendus est Iacobus, & aduertendum, tam Dominum quam Apostolum generatim loqui omnibus, inter quos aliqui sunt, qui omnino à iuramento debent abstineri; imò propter periculum periurij, quod ex infirmitate eis imminet, prohibendi, vt obseruat Ambrosius in illud Psalm. 118. *Iuraui, & statui.* Nemo autem est, qui quantum in se est, pro reuerentia diuini nominis, & nostræ infirmitatis defectu, in cauenda omni vt par est irreuerentia in iuramentis, non debeat ab eis abstinere. Sicuti enim honor Dei exigit, vt non nisi in nomine eius iuretur; ita etiam postulat ne iures, nisi quando te quasi alienum malum cogit. Alienum inquam, quia ex incredulitate, vel saltè ex aliorum fallendi consuetudine: proprium enim Christianæ vitæ est, vt omnis affirmatio pro iuramento sit. Vnde patet, quomodo sermo noster debeat esse Est, est; Non, non, & quomodo iuramentum à malo sit. Sanè quod non nisi per necessitatem licet, rectè dicetur quodammodò per Legem non licere, quia necessitas Legem non habet. Iuramentum ergo is demum licitè vsurpat, qui illud quoad potest, tamquam periculosum fugit; tunc enim demum Deus per iuramentum non inhonoratur, quando pro honore Dei quisq; vt potest tam periculosam timet professionem diuini honoris.

*Obiectiones ex Patribus*

Obijcitur Secundò, Veteres Christianos ita passim loqui de iuramento, quasi nobis omnino interdicto. Iustinus Apologia ad Antoninum: *Ne quisquam iuret omnino, semperque omnes verum dicant, hæc præcepit*, &c. Epiphanius sub finem lib. 3. *Seruatur ac cauetur, vt ne quis omnino iuret, neque committatur, neque deieretur ex præcepto ipsius Saluatoris.* Basilius in Psalmum 14. *Iuramentum in Euangelio omnino prohibetur.* & infrà: *Turpe est ac stolidum, seipsum velut indignum fide accusare, & iuramentorum securitatem inferre.* Addit, Apostolum 2. Corinth. 15. non iurasse, ne Euangelicam doctrinam negligeret, sed iermonem simplicem in iuramenti speciem protulisse. Idem dicit de Iosepho per salutem Pharaonis iurante: & in Homilia Ad adolescentes, quomodo ex Græcis auctoribus vtilitas capienda sit, laudat Cliniam Pythagoricum, quòd iuramento abstinuerit: *Cùm liceret*, inquit, *ipsi per iusiurandum trium talentorum multam effugere, exoluit potiùs quàm iurauit, & hoc cùm rectè iureiurando vsurus esset; ignarus, vt mihi videtur, præcepti, quod nobis iureiurando interdixit.* D. etiam Hieronymus in cap. 5. Matth. dicit, Iudæis tamquam paruulis fuisse permissum iuramentum per Dei nomen, quòd melius esset Deo id exhibere quàm dæmonibus: *Euangelica autem veritas*, inquit, *non recipit iuramentum, cùm omnis sermo fidelis pro iureiurando sit.* Similia habet Chrysostomus Homilia 17. in Matthæum. Homilia verò 4. Ad populum, reprehendit eos qui à cibis abstinebant, & non à iuramentis, cùm comedere non sit inhibitum, sed iurare. Contra iuramenta iterùm

*1.*

*2.*

*3.*

*4.*

*5.*

*6.*

*7.*

*8.*

agit

agit Homilia sequenti. Item Homilia 7. 8. 11. & multis sequentibus. Item Homilia De iuramento, tom. 5. Homil. in Acta, suprà citata. Homilia 15 in Genesim. Neque in re iusta, neque iniusta iurare licet, & alibi sæpissimè. Notabilis est locus Homilia 12. in Epistolam ad Romanos: *Non modò à periurio, sed etiam à quouis iuramento nos prohibet, atque vnà cum amicis & inimicos diligere præcipit, sicque & in omnibus aliis rebus cursus nobis longiores instituit: ac nisi pareamus, gehennam minatus est, ostendens hæc ipsa non magnificentiæ aut liberalitatis certantium esse, quemadmodum virginitas & paupertas, sed quòd omnino perfici debent; vrgentia enim & necessaria sunt, & quisquis ea non fecerit, vltimas pœnas daturus est.* Hactenus Chrysostomus, & apertè videtur dicere, non iurare esse præcepti, non tantùm consilij. In eamdem sententiam plures citat Sixtus Senensis, annotat. 26. lib. 6. Bibliothecæ, Athanasium, Hilarium, Ambrosium, Chromatium, Theophylactum, Oecumenium, Euthymium, & alios. Insignis est locus apud Victorem Vricensem, lib. 3. De persecutione Wandalica, vbi persecutores iuramenta de recipiendo Regis filio, & non destinandis litteris transmarinis exigebant, & Catholicos non iurantes, tamquam maiestatis reos, in exilium mittebant; iurantes autem nihilominùs mulctabant, tamquã qui contra Euangelij præceptum iurassent, in quo & præuaricationem Euãgelici præcepti ipse Victor agnoscere videtur.

*Resp. ad 1.* Respondeo, Iustinus loquitur vt Scriptura,
2. ideoque similiter intelligendus. Epiphanius post verba allegata adiungit restrictionem, *quantum eius fieri potest*, vt iam pro nobis faciat qui dicimus, quantum fieri potest, non esse iurandum. Basilij primus locus eumdem sensum habet cum
3. Euangelio. Secundus solùm arguit, non esse
4. sponte appetendum aut frequentandum iuramentum; qui enim in necessitate iurat, non accusat seipsum tamquam fide indignum, sed potiùs, cùm indignus habeatur ab alijs, cogitur iu-
5. ramento fidem augere. Tertius improbabilem habet Apostoli & loci Geneseos explicationem.
6. Quartus commendat factum Philosophi abstinentis iuramento, non quasi id omnino fuerit præcepti, sed quia fuit heroicum, præ se ferens magnam rerum diuinarum præ humanis æstimationem. Cùm verò dicit, *gnarus præcepti*, &c. Hactenus nobis fauet, quòd indicet, vt res est, præceptum qualecumque tandem Christi de vitando iuramento exstet, esse Iuris naturæ, quale à Philosopho præsciri potuerit: Iuris enim positiui nullum esse præceptum negatiuum in noua Lege, satis probabilis est quorumdam sententia: certum autem est, præcepto Iuris naturæ non inhiberi in necessitate iuramentum. Vidit ergo Philosophus iste, ad naturalis Legis inclinationem quamdam pertinere, ne pro caducis rebus, quando vertitur proprium tantùm damnum, iuramentum vsurpemus. Sed hæc inclinatio, tantùm ad consilium pertinet, vt meritò generali Christi præcepto etiam ipsa nobis commendetur potiùs quàm mandetur.
7. Ad modum loquendi Hieronymi & Chrysostomi respondeo, Non eos voluisse, iuramentum religiosum fuisse antiquis tantùm permissum, sicut permittuntur etiam intrinsecè mala: sed hoc volunt, Deum de iuramentorum modo legitimo Leges dedisse, quia videbat eorum infirmitatem hoc remedio carere non posse, & ex altera parte satius esse vt per Dei nomen quàm per idola iurarent. Sanè iuramentum aliquando in casu necessitatis Deum præcepisse, patet Exodi 22. *Iusiurandum erit in medio*, &c.

Ad reliqua loca Chrysostomi respondeo, 8.
Non eum vniuersim iuramenta damnasse, sed conatum omnino excidere consuetudinem passim iurandi pro re leuissima, quam in populo inueniebat; quo modo indubiè illicitum est iurare: adeò enim addicti erant irreligioso iuramento, vt eis exprobret Homilia in illud Psalmi 38. *Verumtamen vanè conturbatur omnis homo*, non eos Dei meminisse, nisi cùm eius nomen in vanum assumunt. Scopum hunc suum insinuat ipse Chrysostomus Homilia 5. Ad populum: *Superflua rescinde iuramenta.* Vt verò extirparet hanc consuetudinem temerè iurandi, inculcauit, omnino à iuramentis abstinendum esse ex præcepto Dei: & quidem rectè; quia iuramentum omnino illis vetitum est, quibus via est ad periurium. Accedebat, quòd consilium Christi generaliùs inueniebat de cauendo omni omnino, quantum in nobis fuerit, iuramento, vtpote cui periculum vix omnino desit: alioqui iuraturis constat Clericos solere Euangelia sancta porrigere, vt patet Homilia 12. in Opere imperfecto, in Matth. sed auctor iste non est Chrysostomus, neque ipse morem illum probat. Verùm eamdem consuetudinem etiam Chrysostomum in sua Ecclesia toleraſse (non toleraſſet autem, si omnino malum sit iurare) patet ex Homilia 15. Ad populum Antiochenum: *Horresco*, inquit, *cùm video quempiam prope mensam hanc venientem, & manus imponentem, & Euangeliis iurantem attactis.* Loquitur de altari, *in quo Christus*, inquit, *positus est immolatus.* Quis credat ab altari non prohibendos fuisse, si publicè accessissent inspiciente Episcopo, pro re toto suo genere iam illicita ibi perpetranda. Eodem pænè modo & alij sunt locuti; quamuis diffitendum non sit, rem istam inter Christianos quosdam aliquando fuisse dubiam; Publicolam enim à se dissentire fatetur Augustinus, & simile quid de se indicat Victor Vticensis.

Altera pars huius dubitationis est, Quomodo licitum sit iurare. Vbi inquirendum Primò, Quam honestatem habeat iuramentum? Secundò, Vtrùm sit frequentandum & appetendum? Tertiò, Vtrùm liceat quibusuis personis & quouis tempore?

Ad Primum quod attinet, quærit D. Thomas *De honestate iuramenti.* hîc art. 4. Vtrùm iurare sit actus Religionis siue latriæ? Sed quomodo ad Religionem pertineat iusiurandum, iam Dubio 1. obiter diximus, Deum se maiorem fateri eum qui per nomen eius iurat, testatur Apostolus ad Hebr. suprà citatus: vnde & Deuteronomij 6. iuramentum iungitur actibus latriæ. Notanda hæc doctrina contra quosdam Lutheranos, qui, vt testatur Lorinus in cap. 9. Ecclesiastæ, senserunt, iuramentum esse rem adiaphoram, vti & seruare iam præstitum; adeoque nihil interesse, iures an non iures, iuramentum serues an non serues, neutrobique enim peccatum esse. Verùm hîc duo considerauda sunt. Vnum, Iuramentum vt fiat Religionem



gionem non inclinare, & hactenus ad eam non pertinere; neque enim per se est actus præcepti aut consilij. At si aliunde ingruente necessitate iurandum sit, Religio præcipit vt sic iuretur, quòd simul ex opinione infallibilis veritatis Deus honoretur. Alterum est, Religionem nos constringere ad reddenda Deo iuramenta, de quo infrà plura Dubio 8.

*Non est frequenter adhibendum.* Quoad Secundum, Quamuis iuramentum, quando legitimè fit, sit actus Religionis, non fit tamen legitimè, nisi quoad fieri potest parcè fiat, & non nisi quadam exigente necessitate, quam explicabimus Dubio sequenti: Religio enim non inclinat ad facilè, sed potiùs ad non facilè iurandum; pertinet enim iuramentum ad illa bona quæ propter necessitatem solam appetuntur, quales sunt Medicinæ, vt docet Augustinus locis suprà citatis, & hîc apud D. Thomam art. 5. Secundò, Qui frequenter iurat, facilè peierat, aut sine iudicio & iustitia iurat, vt docet Ecclesiasticus cap. 23. *Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* Declarat id similitudine serui interrogati assiduè, seu quæstioni ac verberibus subiecti: sicut enim is non est immunis à liuore, ita anima sæpè iurantis, non est immunis à peccato, imò impletur iniquitate, & non discedet à domo eius plaga: & si fruſtrauerit, id est, si per inaduertentiam iuramentũ complere neglexerit, nihilominùs incumbet ei delicti expiatio, quam expiationem si neglexerit, delinquet dupliciter: & si in vacuum iurauerit, id est temerè, etiamsi proximo non videatur nocere, apud Deum tamen non iustificabitur, sed reus erit; imò ipse cum familia sua punietur. In hanc ferè sententiam tractat hunc locum D. Chrysostomus Homilia 14. Ad populum. Tertiò, Iniuria fit Deo, si leuiter in testem vocetur, sicuti & Regi, si in testem puerorum lusibus adhibeatur. Imò nec Sacerdotes in sæcularibus negotijs testimonium facilè dicunt, cap. Quamquam 14. q. 2. Quartò, Seruus non facilè audet dominum proprio nomine compellare, præ reuerentia: oportet ergo & nos Dei nomen non nisi reuerenter assumere. Chrysostomus Homilia 7. Ad populum. Quintò, Qui Deum in testem vocat in illis quæ passim homines sciunt, & aliter facilè si opus sit probari possunt, non tribuit Deo excellentem scientiam, sed communem tantùm, adeoque dignum cultum non adfert ei, quem in ordinem quodãmodò redigit. Sextò, Etiam ille qui optat sæpiùs hunc actum, vt Religionis est, exercere, peccat si simul optet dari occasiones iustas iuramento præstando: idem enim est, ac si ex affectu pœnitentiæ optet peccasse, vt habeat cuius pœniteat: oportet enim potiùs optare, ne vlla iuramenti inueniatur occasio, omnibus ita vitam instituentibus, vt omnis assertio pro iuramento sit. Septimò, Etiam supposita iusta occasione, oportet pro reuerentia diuini numinis, & propter horrendum periurij præcipitium, cui quodammodò appropinquat iurans, timidum & quasi inuitum ad iusiurandum venire, sicuti etiam supposito morbo, ægrè admittitur magnæ efficaciæ medicamentum, propter periculum quod vitæ imminet ex eius alteratione. Vnde liquet, minùs appetendum esse iuramentum, etiam posita iusta necessitate, quàm sit appetenda pœnitentia posito peccato. Octauò, Qui frequenter iurat vt sibi fidem conciliet, minùs inuenit fidem: rectè enim dicit Theophylactus in cap. 5. Matthæi, *Nulli minùs creditur, quàm qui frequenter iurat.* Nonò, Talis deierator non tantùm sese tamquam fide indignum diffamat, sed etiam proximos tamquam nimiùm diffidentes. Denique quamuis iuramentum, vt suprà ostendimus, non sit prohibitum, voluntas tamen iurandi est prohibita Iacobi 5. vt exponit Innocentius III. dicto cap. Etsi Christus, De iureiurando: *Ante omnia fratres mei, nolite iurare*, id est, inquit Glossa dicti cap. non habeatis voluntatem iurandi.

Dices, Vota ideò appetenda sunt, quòd quæ *Obiect.* ex voto fiant, bonitatem habeant Religionis: atqui etiam quæ ex iuramento fiunt, similem videntur habere bonitatem.

Respondeo cum D. Thoma art. 5. ad 1. Non *Resp.* habere. Ratio disparitatis est, quòd in voto Deus sit promissarius, in iuramento testis: promissario autem gratum sit opus promissum vt tale, adeoq; in cultum eius cedat, vt diximus quando De voto; testi autem vt tali, non necessariò est opus gratum, imò neque necessariò ad ipsum pertinet. Res est manifesta in iuramento promissorio: neque enim vt gratum Deo aliquid ibi promittitur, sed in gratiam hominis promissarij Deus testis adhibetur. Caietanus vt istud explicet, dicit, in iuramento esse duo. Vnum, vt exhibitum, Dei scilicet, reuerentiam. Alterum, vt expectatum, manifestationem nimirum veritatis, quam vt Deus faciat, iurando imploratur. Prius, inquit, ad iuramenti essentiam pertinet, posterius effectus potiùs est iuramenti, sicuti largitio eius quod petimus, orationis est effectus. Itaque oratio ad rem petitam refertur tamquam ad effectum, non tamen res petita necessariò ad Religionem pertinet, aut Religionis speciem induit. Similiter iuramentum ad manifestationem veritatis seu testificationem illam Dei speratam, tamquam ad effectum refertur: neque tamen vlla Religionis bonitas diffunditur in rem cuius veritatem Deus testatur. Notandum tamen, seruare promissum propter Religionem iuramenti habere aliquam honestatem Religionis, vt ipsa fidelitas religiosa sit, sicut infidelitas esset sacrilega; sed opus ex voto præstitum, alia insuper & perfectiori magisque peculiari ratione fit religiosum, vt patet ex dictis Dubio 1. De voto.

Quæres Vtrùm ex consuetudine temerè iurare *Ex consuetudine iurãs quomodo peccet.* sit peccatum mortale?

Respondeo, Si consuetudo displicens operetur contra mentem, vt lex carnis, quo modo aliquando eam operari docet Augustinus lib. Contra Fortunatum, disp. 2. certum est, minùs eum peccare, qui ex consuetudine temerè iurat: quando autem non displicet consuetudo, non excusat, vt patet ex ijs quæ diximus 1. 2. quæst. 6. art. 7. dub. 3. Ipsa enim consuetudo mortifera est, vt eam appellat D. Augustinus dicto Sermone De verbis Apostoli. Quomodo autem vincenda sit, docet Chrysostomus Homilia 5. Ad populum, & Concilium Turonense tempore Caroli Magni, can. 43. Imò fieri potest, vt propter consuetudinem iurandi etiam indeliberatum periurium sit mortale, quod propter imperfectionem actus, alioqui tantùm erat futurum veniale: valdè enim probabiliter Valentia docet hîc puncto 3. eum qui videt se ex consuetudine passim temerè iurandi, aliquando

inconsideratè iurare falsum, teneri sub mortali eam relinquere, adeoque consuetudinem propter periculum ei fieri mortalem, & periurium quod ex vna caussa quia indeliberatum, erat solùm veniale, fieri simpliciter mortale, nimirum in caussa sua consuetudine voluntaria.

Ad Tertium quod attinet, Quibus & quo tempore non liceat iurare?

*Quibus iurare licuit.*

DICO PRIMO. Vtilitas iuramenti est, quòd fides accedat dicto hominis. Cessat autem hæc vtilitas multis modis. Primò, Si aliunde constet, asserentem non mereri fidem, quantumuis iuratum: idque iterùm vel iudicij defectu, vel ex malitia. Iudicij defectu excluditur, qui non satis intelligit illud de quo affirmat, aut non assequitur, quanta reuerentia sit adhibendum iuramentum. Et hac ratione pueri ante pubertatem iurare prohibentur, & si iurare contigerit, possunt parentes iuramentum irritare, neque in iudicio iurare coguntur, cùm nec testes esse possint, cap. Paruuli, cap. Pueri, cap. Honestum 22. quæst. 5. Tenetur tamen impubes, si doli capax interposito iuramento promisit alicui operam suam: factus enim pubes, de hoc iuramento conuenitur, vt docet Glossa in dictum cap. Paruuli; vbi licet videre & alios casus quibus iurat impubes. Ex eadem caussa arcentur furiosi.

Ex malitia verò arcetur qui scitur aliàs peieraſse & contemnere iurisiurandi religionem: tali enim etiam iuranti non adhibetur fides, dicto cap. Paruuli. In caussa tamen propria periurus præstabit iuramentum calumniæ, si hoc omnino ad litigandum sit necessarium, quia nemo prohibetur agere in propria caussa. Glossa suprà citata, Azorius lib. 11. cap. 11. quæst. 6. contra quosdam videtur sentire, periuros quoscumque notorios, etiamsi in iudicio de periurio non sint conuicti vel confessi, repelli posse à iureiurando. Resolutiùs idem tenet Siluester verbo Iuramentum 2. quæst. 3. Eódem pertinent etiam infames ex alio crimine, siue infamia sit Iuris, siue facti.

Secundò, Cessat vsus iuramenti, si fides etiam non iuranti adhibeatur aut debeatur. Ob quam caussam Sacerdotes non facilè debere iurare, statuunt Canones cap. Nullus ex Ecclesiastico, & cap. Nullus Episcopus 22. quæst. 5. L. Cum Clericis, C. De Episcopis: *Ecclesiasticis regulis Clerici iurare prohibentur.* Glossa in cap. Quoties 1. q. 7. sex ponit casus, quibus licitum sit iurare Sacerdoti.

*Quando liceat Sacerdoti iurare.*

Primus est in negotio Fidei, cap. Significasti, De electione. Secundus pro obedientia, cap. Ego, De iureiurando, & dicto cap. Significasti. Tertius pro purgatione sui, caussa 2. q. 5. cap. Presbyter, ex Gregorio. Quartus in necessitate, quãdo alioqui in re magni momenti veritas opprimeretur, & præualeret iniquitas. Argumentum ex cap. Quamquam 14. q. 2. Quintus ne res sacræ pereant, cap. De Syracusanæ, dist. 28. Sextus, vt Ecclesia damnum sibi illatum recuperare valeat, caussa 2. quæst. 1. cap. In primis, ex Gregorio. Addit Septimò Siluester, pro pace posse Sacerdotes iurare, verbo Iuramentum 2. q. 3. Octauus, quando ab excommunicatione absoluuntur, cap. Ad reprimendam, De officio Iudicis ordinarij. Nonus, quando litem habent, possunt præstare iuramentum calumniæ, & de dicenda veritate, cap. Si de calumnia, De iuramento calumniæ, in 6. Dicit tamen Azorius, quòd Clerici in caussa Ecclesiæ litigantes, ad iuramentum calumniæ cogi non possint, ex cap. Imperatorum, De iuramento calumniæ. Laico tamen non possunt Sacerdotes aut alij Ecclesiastici iurare, etiam iuramento calumniæ, sine consensu Episcopi, vt dicitur dicto cap. Nullus ex Ecclesiastico, & Glossa ibidem. Reliqua autem iuramenta, ad instantiam partis habentis graue interesse, vel Iudicis laici, præstant Sacerdotes coram Iudice Ecclesiastico, non coram laico.

*Iuramentũ à ieiunis præstandũ.*

DICO SECVNDO. Postulat etiam reuerentia diuini nominis, vt iusiurandum non nisi à ieiunis præstetur, dicto cap. Honestum, & cap. Placuit, De testibus. Postulat, inquam, non de necessitate, sed de honestate, vt loquitur Glossa.

*Iuramentũ non præstatur diebus festis.*

DICO TERTIO. Non præstatur iuramentum iudiciale diebus festis, nisi magna necessitas vrgeat, vel pietas suadeat. cap. Conquestus, De ferijs. Intellige in sæcularibus negotijs, quia pro negotio spirituali, rectè die festo iuratur, vt docet D. Thomas hîc art. 10.

## DVBIVM III.

### *Vtrùm legitimo Iuramento tres comites adesse debeant, veritas, iudicium, & iustitia?*

*D. Thomas art. 3.*

*Iuramentũ tria includit.*

RESPONSIO est affirmatiua. Tria enim reperiuntur in omni iuramento, res quæ iuratur, iurans, & caussa ob quam iuratur. Ex parte rei requiritur veritas, ne quid falsi iuretur; alioqui erit iuramentum mendax: ex parte autem iurantis requiritur iudicium, ne temerè & sine necessitate imprudenter iuretur; alioqui erit iuramentum incautum deniq; ex parte caussæ opus est iustitia, vt affirmetur seu promittatur iuramẽto quod licitum est; alioqui erit iuramentum iniquum. Colliguntur tres illi comites ex cap. 4. Ieremiæ: *Et iurabis: Viuit Dominus; in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Ita collegit ibidem D. Hieronymus, ex quo desumptum est cap. Animaduertendum 22. q. 2. & ex illo Innocentius III. cap. Etsi Christus, De iureiurando.

*De veritate primo iuramenti comite.*

De singulis comitibus ordine dicamus: & Primò quidem de veritate, quæ præcipua est. Iuramentum enim principaliter ordinatur ad confirmationem dicti humani, & solent vniuersim omnia testimonia maximè spectare veritatem. Vnde & periurium maximè dicitur, quando deest veritas, vt testatur D. Thomas quæst. 98. art. 1. ad 1. quamuis generatim D. Hieronymus velit dici periurium, si vel vnus ex dictis comitibus desit, vt eum intelligit Glossa dicto cap. Animaduertendum, & Siluester hoc verbo, 2. quæst. 5.

*Quenam hæc veritas requirat.*

Veritas igitur hîc multa includit. Primò, Ne quid in assertorio iuramento falsi asseratur. In hoc peccabant illi de quibus Ieremiæ 5. *Quòd si etiam, Viuit Dominus, dixerint: & hoc falso iurabunt.*

Secundò, Ne quid asseratur mendaciter, id est, quod putetur falsum à iurante, etiamsi fuerit verum. De quo Zachariæ 5. *Maledictio veniet ad domum iurantis in nomine meo mendaciter.* Et cap. 8. *Iuramentum mendax ne diligatis.*

Tertiò, Ne quis iuret tamquam certum, de quo dubitat. Oportet enim dubia solùm iurare vt dubia; alioqui quamuis fortè ex parte rei verum iuretur, non iuratur in veritate: quia vt Glossa dicit in dictum cap. Animaduertendum, oportet iurare non tantùm in veritate rei, sed etiam conscientiæ. Et Augustinus Sermone 28. De verbis Apostoli, relatus cap. Homines 22. quæst. 2. *Fac alium qui putat falsum esse, & iurat tamquam verum sit, & forte verum est, periurus est.*



*An ignorãtia excusaret falsum iurantem.*

Vnde dubitari hîc potest, Vtrùm ignorantia non excusat falsum iurantem, quando est probabilis vel inuincibilis? crassam enim & affectatam non excusare, indubitatum est.

Sentiunt quidam, ne quidem inuincibilem excusare, quin saltem venialiter peccetur. Ita Bonauentura in 3. dist. 39. art. 1. quæst. 2. Ratio eius est: Quod non est, sciri non potest: quod autem certò non scitur, non debet iurari; peccat ergo etiam inuincibiliter ignorans falsum esse, quod iurat. Fauet Augustinus suprà citatus, & D. Thomas q. 98. art. 1. ad 3.

Verumtamen si quis, quod inuincibiliter putat esse, iuret ita esse, non videbitur is peccare, quia iuramentũ non vsurpatur nisi de rebus humanis, vt suprà dictum est, quarum non potest Mathematica esse certitudo; itaque qui iurat, non semper debet habere scientiam prorsus infallibilem, sed sufficit eam habeat, quam homines in controuersijs suis decidendis in aliorum testimonio desiderant. Non excusaretur tamen qui omnimodam certitudinem quam non habet profiteretur. Item si inuincibilem ignorantiam solùm haberet consideratus vt non iurãs: debet enim esse inuincibilis etiam respectu iurantis; non est autem, quando non adhibuit pro indaganda veritate eam diligentiam, quam diuini nominis reuerentia postulat in iuramento. Vnde sequitur, non sufficere quòd ignoret inuincibiliter esse falsum, sed opus est vt inuincibiliter existimet esse verum, & ne asserendo maiorem probabilitatem præ se ferat quàm reuerà habet.

Quartò requirit hîc veritas, Ne quis iuramento quid promittat sine animo implendi: hoc enim est, iurare in dolo, cap. 1. eadem quæst. 2. caussa 22. *In dolo iurat, qui aliter facturus est* (id est qui aliter proponit facere, inquit Glossa) *quàm iurat;* à quo dehortatur Psalmus 23. *Nec iurauit in dolo proximo suo.*

Quintò, Vt omnibus modis conetur implere quod iurando promisit.

Sextò, Qui per falsos deos iurat, non iurat in veritate, attamen is non tam peccat contra iuramenti comitem quàm contra iuramenti substantiam, de qua Ieremias præmittit: *Iurabis, Viuit Dominus.*

*De iudicio, secundo iuramenti comite.*

Iudicium, alter iuramenti comes, non est hoc loco actus iustitiæ, sed potiùs prudentiæ, vt nimirum licet de veritate iam certus, non continuò iures, sed circumspicias, ânne res digna sit, aut necessitas vel iusta vtilitas postulet, vt tam tremendi nominis testimonium inuoces. Si enim sine tuo iuramento aliunde fides habere possit, vel vt fiat fides, neque necessitas neque vtilitas postulet, temerè iurabis. *Quantum ad me pertinet,* inquit Augustinus cap. Peccatum 22. quæst. 1. ex dicto Sermone, *iuro. sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus: considero non mihi credi, nisi faciam, & ei qui mihi non credit, non expedire quod non credit,* &c. Vnde colligimus, etiam pro vtilitate alterius cui expedit credere, licere iuramentum vsurpare, vt feciſse legimus Apostolum. Adde ex cap. Etsi Christus, hoc tit. licere etiam Religioso iurare pro euitando damno Monasterij. Imò licet sæculari iurare pro euitando damno proprio.

*Peccatur defectu huius comitis.*

Defectu huius comitis peccant, qui ex consuetudine leui de caussa iurant. *Cùm tibi creditur,* inquit Augustinus, *iuras, & cùm nemo exigit, iuras, & horrentibus hominibus iuras.*

Deficiunt & in iudicio, qui sine debita fide & deuotione, & quouis modo incongruo iurant, vt docet hîc D. Thomas ad 2.

Ceterùm quando cum defectu huius comitis iuratur, dubium est, sitne semper mortale?

*An mortaliter.*

Respondet Siluester verbo Iuramentum 2. q. 8. Non semper esse mortale, sed quando interuenit contemptus, aut iurans exponit se notabili periculo periurij. Addit Bonauentura suprà, quæst. 3. eum qui indeliberatè mendacio addit iuramentum, posse excusari à mortali, quia nimirum in omni genere indeliberatio excusat à mortali, vtpote quæ excludat virtualem contemptum necessarium ad mortale. Item fieri posse, vt deliberet quidem de dicto, sed non de iuramento, & solùm peccet venialiter, quamuis id fiat admodum periculosè.

Hinc colligitur, quare Isaiæ 48. omisso iudicio, reliqui tantùm duo comites iuramenti, præteriti arguuntur: *Qui iuratis in nomine Domini, & Dei Israel recordamini, non in veritate, neque in iustitia.* Adde tamen ex Gabriele, in solemni iuramento non facilè posse excusationem prætendi ex actus indeliberatione, vtpote quæ per solemnitatem excludatur.

*Iustitia, tertius comes iuramenti.*

Tertius iuramenti comes est Iustitia, quæ postulat ne iniustum sit, aut aliquo modo illicitum quod iuramento promittitur. Qui omisso hoc comite vsurpat iuramentum, magis accedit ad periurium, quàm qui sine iudicio iurat, quia certiùs obligatus est ad non præstandum quod iurat.

*Peccatur defectu iustitiæ 1.*

Multis autem modis id contingit. Primò, Quando in se peccatum est mortale, vel veniale, quod promittitur. Et quidem priori modo certum est, ipsum iuramentum esse peccatum mortale: vel enim proponit facere quod promittit, vt iam sit in affectu mortalis peccati; vel non proponit: vbi præoccupatum quoddam periurium est, & in Dei contumeliam pernicioſum mendacium, adeoque mortale sacrilegium. Quando veniale est quod promittitur, est nihilominùs mortale peccatum, si iuramento desit implendi propositum: si autem non desit, quamuis nonnulli dicant mortaliter nihilominùs peccari, tam ipso iuramento quàm impletione rei iuratæ vt talis, vt Angelus verbo Iuramentum 5. quæst. 2. Hugo in cap. In malis 22. quæst. 4. verius tamen est, solùm venialiter delinqui tam iurando quàm seruando, vt habet communior DD. quam sequitur Siluester verbo Iuramentum 4. quæst. 2.

Neque est quòd quempiam hîc fallat locus Scripturæ Leuitici 5. *Anima quæ iurauerit & protulerit labijs suis, vt vel malè quid faceret vel benè, & id ipsum iuramento & sermone firmauerit, oblitaque postea intellexerit delictum suum,* &c. Neque enim eo significatur æquè obligari qui iurauit malè ac qui benè facere, sed malè facere intelligitur secundùm malum pœnæ, seipsum iciunio affligendo; benefacere, alicui beneficium præstando. Ita Hebræos interpretari testatur Vatabl us.

tablus. Suggerit tamen & aliam explicationem, vt qui iurauit malè facere, non dicatur peccasse non implendo, sed iurando. Alij dicunt, more Hebræorum malè vel benè facere positum esse pro eo quod est quidquam facere, sicuti Genesis 31. vbi nos legimus, *Caue ne loquaris contra Jacob quidquam durius*; Hebræa habent: *Ne loquaris bonum vel malum.*

2. Secundò peccatur contra hunc iuramenti comitem, Quando iuratur aliquid quod latitudine sua continet aliqua licita, aliqua illicita, cum proposito etiam illicita præstandi. Quomodo Herodes iurauit saltatrici: reipsa enim declarauit iuramentum se animo extendisse etiam ad illicita, si fortè ea peterentur. Marci 6.

3. Tertiò peccatur saltem venialiter, Quando aliquid promittitur maioris boni impeditiuum, puta, non ingredi Religionem. Quamuis enim licitum sit non ingredi, non tamen licitum est promittere non ingredi: nemo enim Superior permittit sibi subditum obligari ad non facienda sua consilia. Imò voluntas Dei, qua nobis vult aliquid consulere, includit præceptum, quo vetemur directè nos obligare in contrarium; omnis enim obligatio vim habet à Lege æterna: habet autem Lex æterna, non debere poni impedimentum diuinis consilijs; obstat enim ibi ius quoddam negatiuum, quale etiam pauper habet ne impediatur à petenda eleëmosyna. Vnde neque licita sunt iuramenta de numquam dando mutuo, vel eleëmosyna non præcepta.

Dubitant DD. Vtrùm hîc sit peccatum mortale, quoties omissio melioris boni iuratur?

Verius est, regulariter saltem non esse nisi veniale. Et ita tenet Caietanus hîc art. 7. Sotus lib. 8. quæst. 2. art. 3. Valentia hîc puncto 3. Nauarrus cap. 12. numero 16. Arragon art. 3. contra Siluestrum verbo Iuramentum 2 numero 7. adducentem pro se cap. Archidiaconum, dist. 85. vbi Gregorius contra quemdam promouendum ad Episcopatum, inquiri iubet, ánne verũ sit quod ferebatur, ipsum iurasse numquam susc ipere Episcopatum. Sed infirmum inde ducitur argumentum: fortè enim de hoc iuramento inquiritur, non quòd ipsum mortale peccatum fuerit, sed quòd illud præterire periurium fuisset: poterat enim tale iuramentum præstari, vt ibi ostendit Glossa, sine peccato mortali, quamuis non sine temeritate veniali.

*An iuramentum prædicandi in Anglia impediat ingressum Religionis. Pro Affirm. Arg. 1.*

Hinc Azorius lib. 12. cap. 5. docet contra Nauarrum, eos non impediri ab ingressu Religionis, qui iurarunt prædicare fidem in Anglia.

Attamen res ista maiori examine indiget. Pro Nauarro enim facit Primò, Quòd non sit euidens, tales iurasse minus bonum quàm sit status regularis; iurarunt enim virtute subire martyrium, quod esse melius Religione, docet D. Thomas hîc quæst. 124. art. 3.

2. Secundò, Non semper iuramentum est irritum, quando iuratur quod impedit maius bonum: si enim iures aliquod bonum ex quo indirectè impediatur maius bonum, teneris.

3. Tertiò, Iuramentum factum homini, etiamsi impediat maius bonũ, obligat, vt patet cap. Commissum, De sponsalibus; vbi iurata sponsalia dicuntur debere impleri, antequam sponsus Religionem ingrediatur; secùs de iuramento quod fit soli Deo. Iuramentum autem de quo Nauarrus, videtur etiam homini fieri, & contractus humani speciem habere.

Pro resolutione suppono Primò, Quando iuramentum fit tantùm Deo, aut de re faciendа intuitu diuini cultus principaliter, eamdem eius esse rationem, quæ voti, vt diximus Cap. superiori, Dubio vlt. ad 8. Obiter tamen hîc notandum, iuramentum de futuro aliquo in honorem Dei faciendo, non esse semper votum, aut includere votum: quamuis enim dicatur promissorium, non tamen necessariò in eo inuoluitur plena promissio, nisi omnis assertio de faciendo per ipsum asserentem, sit promissio.

Suppono Secundò, Eum qui iurando obligatur ex iustitia alicui homini ad præstandum quidpiam, quo ipsius iurantis maius bonum, verbi gratia ingressus Religionis, indirectè impeditur, non semper excusari ab eo quod iurauit, etiamsi ingrediatur Religionem, aut aliud quid præstet maius bonum promisso incompatibile; sed tum demum, quando in promissione iurata tacitè casus Religionis, vel maioris boni fuerit exceptus. In quibusdam enim certum est excipi, vt in sponsalibus iuratis vbi enim status promittitur, meritò censetur excipi status Deo gratior. In alijs non perinde excipitur: si enim iuramento promittas huic pauperi centum, non satisfacis eadem centum dando alteri pauperiori & meliori.

His positis, videtur Azorius rectè obseruare, huiusmodi iuramentum tacitè habere exceptum casum ingressus Religionis, eò quòd solùm aut principaliter Deo obliget, cui propter perpetuitatem Religio gratior est, ita vt omnia vota ac etiam iuramenta Deo præcisè obligantia in eam commutari valeant, vt suprà diximus. *Verior resp. negatiua.*

Ad Primum ergo respondeo, Martyrium qui dem esse actum maximæ perfectionis, non esse tamen materiam promissionis aut voti, sed potiùs propositi in casum necessitatis, quando persecutor inuaserit, vt docet D. Thomas citata q. art. 1. ad 3. *Resp. ad 1. arg. oppositum.*

Ad Secundum patet ex dictis: procedit enim solùm in quibusdam iuramentis quibus homini obligamur. *Ad 2.*

Ad Tertium, Vtraque pars negari potest: neque enim iuramentum, de quo agitur, obligat principaliter homini; neque verum est, eum qui iurauit sponsalia, impediri ab ingressu Religionis per illud cap. Commissum: casus enim cap. hoc quærit, Vtrùm ille qui iurauit hanc ducere intra biennium, si instante iam fine biennij deliberet, an velit ingredi Religionem, possit omittere iuramento promissum matrimonium? & respondet Pontifex, tutius esse vt ducat, quia post contractum matrimonium si elegerit, poterit, nimirum primo bimestri, & ante consummationem, ad Religionem migrare. Vbi non dicitur, quòd resolutus ingredi Religionem, teneatur priùs ducere eam cui id iurauit, quamuis id quidam putauerint, vt benè ostendit Azorius lib. 11. cap. 5. Sanchez lib. 1. disp. 43. cum alijs quos citant. *Ad 3.*

Quartò, Peccat secundùm quosdam, qui rem indifferentem iurando se facturum dicit, neque tenetur quamdiu ea est indifferens. Ita Caietanus hoc articulo, Graffius 2. parte, lib. 2 cap. 10. Emanuel Sà, hoc verbo, numero 10. Azorius suprà q. 1 Neque tamen secundùm hos DD. tenetur ab ea abstinere, sed potest materialiter implere, non autè quasi obligatus. Cauendum tamen, ne quasi rei *Quarto peccat decretalis instituta.*



rei adiaphoræ iurator, obligatione te liberum existimes, si cui promiseris pecuniam appositо iuramento: quamuis enim ea sit res indifferens secundùm se spectata, habet tamen vtilitatem respectu promissarij, ratione cuius inter res indifferentes eius exhibitio non debeat reputari; illa enim vtilitas, accedente promissione facit, vt iustum sit ei soluere, non indifferens: secùs quando nullus est promissarius, aut promissario non magis grata est rei indifferentis exhibitio quàm omissio. Quare si res promissa spectetur secundùm morem quem habet ante promissionem, ex propria specie, & reliquis circumstantijs à promissione præcisis, non est necessarium eam esse actum virtutis, sed potest esse in indiuiduo indifferens, modò sit grata & accepta promissario, quando est propriè dicta promissio. Si aliud voluerint Caietanus, Soto, & alij ex Thomistis, hoc inde prouenit, quòd existiment nullam esse actionem indiuiduam licitam, quin sit bona moraliter, promissiones autem & iuramenta sint de singularibus, vt patet ex illis quæ hîc dicit Caietanus §. Ad euidentiam.

*Differentia inter votum & iuramentum promissorium.*

Sequitur ex dictis elucens quædam differentia voti & iuramenti promissorij. Cùm enim votum sit promissio Deo facta, debet, quatenus tale, esse de re grata Deo: iuramentum autem cùm sit promissorium homini, solùm debet esse de re grata homini, & non ingrata Deo. Et quia res indifferentes in moribus possunt esse gratæ homini, non tamen vt tales actiones nostræ indifferentes sunt gratæ Deo; sequitur, iuramentum posse esse magis de re indifferenti quàm votum: iuramentum enim erit validum, etiamsi tantùm consideretur in re iurata vtilitas hominis cui iuratur; votum autem de re indifferenti non erit validum, nisi apponatur finis proportionatus cultui diuino.

*Quintò, qui proximi crimen prodit.*

Quintò, Secundùm Arragonium & Toletum peccat contra hunc iuramenti comitem, qui per iniustitiam iuramento assertorio aliquod occultum proximi crimen reuelat. Vbi iam modum habemus, quo hic comes etiam ad assertorium iuramentum pertineat.

## DVBIVM IV.

### *Vtrùm liceat Iurare per creaturam.*

*D. Thomas art. 6.*

*Iuramento solus Deus in testem vocatur.*

RESPONDEO cum D. Thoma, Principaliter in iuramento solus Deus in testem inuocatur, creaturæ autem quædam secundariò assumuntur ad iuramentum, non secundùm se, sed quatenus in eis diuina veritas manifestatur. In iuramento etiam execratorio inducitur aliqua creatura, in qua diuinum iudicium exerceatur. Sunt ergo aliquot modi liciti, quibus per creaturam iuretur; sunt itidem illiciti.

*Quomodo licitum per creaturam iurare.* 1.

Illicitum est in primis, creaturæ testimonium inuocare, tamquam ipsa per se sit prima & infallibilis veritas, cum quadam professione latriæ, quam subesse in iuramento diximus Dubio 2. Hoc modo per suos deos iurant gentiles, & sæpè in Scriptura prohibetur, & reprehenditur eiusmodi iuramentum Exodi 23. *Per nomen externorum deorum non iurabitis.* Deuter. 6. *Per nomen eius iurabis.* Iosue 22. *Ne iuretis in nomine deorum,* &c. Ieremiæ 5. *Iurant in his qui non sunt dij,* Sophoniæ 1. *Iurant in Melchom.* Amos 8. *Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt, Viuit Deus tuus Dan, & viuit via Berſabee.* Vbi iuramentum per deos falsos pro idololatria, & iuramentum pro latria, tamquam insignis pars pro toto, vt & alibi sæpiùs, ponitur. Egregiè ab hac peieratione deterret Tertullianus lib. De idololatria, cap. 20. *Quid,* inquit, *erat deieratio per eos quos eieraſti, quàm præuaricatio fidei cum idololatria? Quis enim per quos deierat, non honorat?*

2. Secundò, Illicitum est iurare per quamcumq; creaturam, sistendo in eius perfectione, tamquam ipsa sine peculiari ad Deum respectu, possit esse testimonium, quale in iuramento inuocatur: quamuis enim creatura talis non habeatur pro Deo, transfertur tamen ad eam virtute cultus latriæ, eo ipso quo per eam iuratur. Hoc modo intelligi poterit cap. Clericum 22. q. 1. ex Concilio Carthaginensi, vbi excommunicatur Clericus, qui monitus non desistit iurare per creaturam. Sunt qui illud excusent, quasi reuerà non sit iuramentum, indicat Emanuel Sà. Sed verius est, non esse excusandum; quia saltem est idololatria exterior, quando exterius tale iuramentum cum aliorum scandalo profertur, præcipuè si etiam significetur ipsa præcisio considerationis, qua iuramenta per creaturam excusantur.

3. Tertiò, Illicitum est vsurpare in iuramento illas creaturas, tamquam in quibus peculiariter non resplendeat diuina veritas, in quibus peculiariter non resplendet, aut quæ non satis honestè ac reuerenter, & præter morem, & quasi membratim diuiso Christo in iuramento nominantur, quomodo per capillos aut caput Christi, per lapidem, per canem, per felem iurare prohibemur cap. Si quis per capillum 22. quæst. 1. Ex Pio Papa: quamuis alij hoc intelligant de illis qui secundùm errorem Anthropomorphitarum, iurant per Dei capillos & caput, quasi Deus esset corporeus, vt in iuramento damnetur eiusmodi error. Quin & Tertiò intelligunt alij damnari procliuitatem præuaricandi, quasi iuratum sit per rem non existentem, cùm Deus incorporeus non habeat capillos, Quartò, Alij damnari volunt, si citra discretionem per quæuis Christi membra iuretur, etiam illa quæ in alijs inhonesta sunt, quod est peccatum blasphemiæ, significans in Christo Domino aliquid esse inhonesti, suppliciо capitis secundùm Leges Imperatorias puniendum, Nouella Vt non luxurientur contra naturam. Similem Legem tuliſſe Carolum V. testatur Graffius; qui tamen monet, hodie puniri tales pœna arbitraria. Huc etiam referri possunt creaturæ, quæ non sunt in rerum natura, aut quas vanitas gentilium pro dijs coluit: quomodo non licebit iurare per idolum quod nihil est, per Cerberum, per Herculem, aut per aliquid dijs immolatum, vel apud exta pecudum, quod prohibetur canone 16. Concilij IV. Aurelianensis; vel per genium Cæsaris, apud Tertullianum in Apologetico. *Iuramentum per membra Dei.*

Sed quod dicimus per illas creaturas non licere iurare in quibus peculiariter Dei veritas non relucet, est contra Turrecrematam in dictum cap. Clericum, qui putat, per omnem creaturam, vtpote in qua saltem aliquod reluceat Dei vestigium, licere iurare: decipitur autem ex quibus-

dam Augustini verbis Sermone 28. De verbis Apostoli, quibus asserit, eum qui per lapidem iurat falsum, esse periurum.

At verba ista D. Augustini nihil faciunt, vt probetur licere per quaslibet creaturas iurare, sed per nullam licere peierare, quod etiam nos libenter fatemur. Adde quòd Augustinus ibi iurantem per lapidem, intelligat iurantem per idolum, qui nec ipse impunè possit peierare, vt infrà ostendemus: sacratissimum enim Romanorum iuramentum erat, Iouem lapidem iurare, vt ex antiquitate ostendit Couarruuias §. 1. in c. Quamuis, De pactis.

Prægnantior locus nobis obijci poterat ex Augustino, lib. De vera Religione, cap. 2. vbi sine reprehensione refert factum Socratis, qui solebat iurare per canem quemlibet vel lapidem, & quidquid iuraturo esset in promptu, & quasi ad manum occurrisset. Sed ideò commendat eiusmodi factum Augustinus, quòd hac ratione Socrates erudire voluerit gentiles suos, quamuis neutrum sit rationi consentaneum, satius tamen esse diuinos honores ad Dei opificium, quàm ad hominum transferre.

Verius ergo est, non licere iurare, etiam per quamuis vilissimam creaturam, licet iuramentum fuerit priuatum; nam de publico constat: quamuis enim vestigium quoddam diuinæ veritatis in quauis creatura reperiatur, oportet tamen talis assumatur, in qua sic veritas Dei reluceat, vt seria Religione fides adstrui videatur. Et hæc est aperta doctrina Nicolai I. ad consulta Bulgarorum, cap. 67. *Sanè*, inquit, *possumus per eas dumtaxat creaturas iurare, quæ diuinis sunt cultibus deputatæ*. qualia dicit esse templa, altaria, Euangelium, & similia: non autem gladium, per quem gens ista iurabat.

*Iuramenta per creaturas quomodo licita.*

Licitum autem est per creaturas iuramentum duobus modis. Primo quidem simpliciter, Quando in testem adducitur Dei veritas in creatura relucens. Secundo execratoriè, Quando diris deuouetur, Deique Iudicis seueræ punitioni oppignoratur certa aliqua creatura, si fallaciter iuretur.

1. Priori modo licita & intelligenda esse iuramenta quæ fiunt per idoneas ad hoc peculiariter creaturas, luculentum habemus testimonium Matth. 5. & luculentius cap. 23. *Quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso: & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.* Secundo id probari potest exemplo Iosephi, Geneseos 42. *Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc.* Et infrà: *Per salutem Pharaonis, exploratores estis.* Huius exemplo primi Christiani iurabant per salutem Cæsarum. Testis Tertullianus in Apologet. cap. 23. quamuis, vt ibi notant Rhenanus & Pamelius, postmodum per Reges Francorum interdictum sit, ne quis per salutem Regis aut filiorum eius iuret. Quod si intelligas de iuramento execratorio, obuiam rationem habet. Sanè in eiusmodi forma, & simplex & execratorium iuramentum posse intelligi, tradunt cum D. Thoma Doctores. Tertiò etiam Apostolus 1. Corinth. 15. per creaturam iurauit; *Per vestram gloriam, fratres*, siue profectum Corinthiorum per gloriam intelligat, siue gloriationem quam de discipulis Magister habebat, siue quid simile. Iudith etiam per Holofernis animam iurasse legitur. Quartò, receptissimus fuit ab antiquo modus in Ecclesia iurandi per Euangelia, Crucem, Reliquias Sanctorum, aut per ipsos Sanctos, qui manifestabunt veritatem Dei, cum quo mundum iudicabunt, vt patet ex cap. Qui peierat 22. q. 5. cap. Archidiaconum, dist. 85. ex Gregorio, ex Glossa cap. Considera 22. q. 1. denique ex Chrysostomo Homilia 15. Ad populum: quamuis Couarruuias in cap. Quamuis, De pactis, part. 1. §. 1. num. 2. constitutione quadam Taurina meritò vetitum dicat, ne iuramenta præstentur super altaribus aut Sanctorum Reliquijs, etiam petente id parte.

Iudith 12.

Secundo isto modo in iuramento execratorio, creaturam ad se pertinentem quemquam posse in necessitate vsurpare, patet exemplo Apostoli 2. Corinth. 1. *Testem inuoco Deum in animam meam*: atque ita quodammodò per semetipsum quisquâ potest iurare, cùm altero illo genere simplicis iurisiurandi id non liceat: solus enim Deus per semetipsum ita iurat; & hoc quidam intelligunt significatum illis verbis apud Matth. *Neque per caput tuum iurauerис, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum.* 2.

*Obiect. 1.* Ad dices, Creaturæ, etiamsi in ipsis quodammodò Dei nomen inscriptum sit, non ideò possunt latriæ cultu adorari; ergo neque per ipsas licebit iurare.

*Resp.* Respondeo, Non sequi; quia adoratio latriæ exhibetur Deo tamquam in se summo: per iuramentum autem Dei veritas inuocatur ad testandam veritatem creatam, quæ testificatio consistit in manifestatione; diuina autem nobis per creaturas manifestantur. Ita D. Thomas in 3. dist. 39.

*Obiect. 2.* Dices iterùm, Dominus per creaturam iurare prohibuit Matth. 5. vt ibi exponit D. Hieronymus, qui etiam refertur cap. Considera 22. quæst. 1.

*Resp.* Respondeo, Quid Dominus ibi voluerit, iam suprà diximus. Quod ad Hieronymum attinet, hoc solùm voluit, ideò potiùs per creaturam quàm per Deum iurare nos esse à Christo prohibitos, quòd minùs in creaturis considerantes resplendentem Dei veritatem, faciliùs per eas peieremus, vt benè Glossa in dictum cap. Considera.

*An iuramentum per falsos deos obliget.*

Quæret quis, Vtrùm iuramentum per falsos deos, aut aliud similiter illicitum per creaturas, habeat vim aliquam obligandi.

*Arg. 1. pro resp. negat.*

Videtur enim non habere. Primò, Quò sanctius est illud per quod quis iurat, eo amplius tenetur, cap. Qui peierat 22. q. 5. ibi enim tres annos pœnitere iubetur, qui peierat in Cruce consecrata; annum autem vnum, qui in non consecrata, & apertiùs cap. Mouet, eadem caussa, quæst. 1. ex Augustino ad Publicolam, *Quanto per quod iuratur magis est sanctum, tanto magis est pœnale periurium.* Ergo cùm nihil sanctitatis sit in idolis, nulla erit eiusmodi iuramenti obligatio.

*2.* Secundò, Votum factum falso deo, non obligat; ergo nec iuramentum per ipsum.

*3.* Tertiò, Si quis improbatæ per Rempublicam religionis iuramentum præstiterit, pro eo haberetur atque si iuratum non esset. L. Non erit, ff. De iureiurando.

*Verior vt. 3. affirm.* Obligare tamen eiusmodi promissorium iuramentum, certissimum est, vt Augustinus docet citato cap. Mouet: non enim tantùm veritatem idoli, sed etiam fidem suam interposuit qui sic iurauit.



Sed quæres, Vtrùm peccet in Religionem, non seruando iuramentum?

Vtique peccat; quia per eum peierat, quem Deum verum putat: & licet falsum deum esse fortè agnoscat, si seriò nihilominùs iuret, iurisiurandi religione tenetur. Idem etiam in assertorijs iuramentis locum habebit, vt patet ex Augustino sæpè citato Sermone 28. De verbis Apostoli, & refertur cap. Ecce 22. quæst. 5. Videtur tamen id restringendum ad casum, quo vel iurans vel is cui iuratur, existimet sanctum esse illud per quod iuratur; ita enim indicat ipse Augustinus: & sic intelligenda erit Glossa in dictum cap. Mouet, dicens, non obligare iuramentum per falsos deos, quod fidelis facit fideli; non enim videtur seriò iurare.

*Resp. ad 1. argum. oppositum.* Ad argumentum Primum in alteram partem oppositum, respondeo cum Augustino, Etiamsi nihil sit idolum tibi, est tamen aliquid ei cui iuras: *Sanctum enim*, inquit, *putat cui iuras.*

*Ad 2.* Ad Secundum respondeo cum Turrecremata in dictum cap. Mouet, Esse disparitatem, quòd per votum idolo tamquam Deo aliquid promittatur; illi autem quod nihil est, non possit ex promissione quis obligari; per iuramentum autem obligemur etiam ad veritatem ipsi homini cui iuramus.

*Ad 3.* Ad Tertium dici potest cum Glossa nuper citata, Legem procedere de iuramento inter eos præstito, qui sunt eiusdem Religionis, secundùm quam falsa religione colatur is per quem iurant: vel solùm velle, quòd in foro exteriori tale iuramentum reijciatur.

Quæres Secundò, Sitne maius peccatum, per verum Deum iurare falsum, quàm per falsum iurare verum?

Videtur maius esse, quia id dicat apertè Augustinus dicto cap. Mouet, *Sine vlla*, inquit, *dubitatione minus malum est per deos falsos veraciter iurare, quàm per verum deum fallaciter.* Alteram tamen partem suadet, Quòd peccata contra primum præceptum sint grauiora ijs qui sunt tantùm contra secundum. Secundò, Quòd blasphemia & idololatria sint grauiora periurio, vt docet ipse D. Augustinus lib. Contra mendacium c. vlt. & ideò sic tenent Bonauentura in 3. dist. 19. in explicat textus, Turrecremata suprà, & alij communiter.

Ad Augustinum in contrarium productum respondeo, Ipsum tantùm velle, in genere periurij maius esse malum, iurare falsum per verum Deum, quàm verum per falsum deum; non enim aliud probant quæ loco probationis adducit: *Quanto* enim *per quod iuratur magis est sanctum, tanto magis est pœnale periurium*: Sanè in genere periurij adeò verum est, peius esse iurare falsum per verum Deum, quàm verum per deum falsum, vt etiam iurare falsum per verum Deum, sit peius quàm iurare falsum per falsum deum; cùm tamen melius sit iurare verum quàm falsum per falsum deum, sicuti melius est vnum tantùm quàm duo peccata admittere, vt ibidem docet Augustinus.

## DVBIVM V.

### *Vtrùm omne Iuramentum promissorium obliget sub mortali?*

*D. Thomas art. 7.*

*Opinio Caietani.* QVANDO res leuis iuramento promittitur, nihilominùs sub mortali illud obligare, ita vt periurus & æternæ damnationis reus futurus sit, qui promissum non præstiterit, sententia est Caietani hîc, quam refutauimus superiori Capite, Dubio 4. Caietano consentit Valentia hîc, puncto 3. concluſ. 3. Couarruuias lib. 1. Variarum resolutionum, cap. 1. num. 2. Armilla hoc verbo, numer. 12. Gabriel suprà citata dist. in 3. quæst. 2. art. 2. concluſ. 4.

In ea tamen hîc aduertendum Primò, Magnam in hoc poni vim à Caietano, quòd rei paruitas tum demum excuſet à mortali, quando parua est respectu eius quod secundùm se primariò & per se præcipitur. Putat autem, præcepta naturæ & ipsius Dei non esse ex se determinata ad res minimas, sed ad genera rerum; vota autem nostra & iuramenta posse determinata esse ad res minimas, adeoque tunc obligatura nihilominùs sub mortali.

Sed facilè hoc refutatur. Faciamus enim, Deum eamdem rem, quam iureiurando promisimus, nobis præcepisse in particulari & speciali mandato, non propterea semper erit mortalis eiusmodi præcepti transgressio, & tamen erit tota materia præcepti diuini. Ideò hanc distinctionem non malè reijcit Valentia; quamuis in eo fallatur, quòd existimet esse mortale periurium, etiam quando materia leuis fuerit solummodò pars rei promissæ. Dixi, non semper fore mortalem transgressionem; quia posse Deum rem paruam sub mortali præcipere, in 1. 2. diximus, quando De Legibus.

*Materiæ leuitas in iuramento assertorio non excusat sicut in promissorio.* Aduertendum Secundò, Materiæ leuitatem in iuramento assertorio non excusare à mortali periurium, vt sentiunt omnes DD. quos etiam sequitur Caietanus verbo Periurium. Ratio diuersitatis est, quòd veritas asserentis non minuatur ad diminutionem rei quæ asseritur: tam enim est verum, si commissum sit, paruum esse commissum furtum, ac magnum si commissum sit. Similiter tam falsum vnum quàm alterum, quando quod commissum non est asseritur; at infidelitas promittentis minuitur ad diminutionem rei promissæ. Sicuti enim est furtum paruum rei paruæ, ita parua est infidelitas, rem paruam promissam non præstare. Qui ergo assertorio iuramento confirmat aliquid falsi, simpliciter periurus est: qui autem postquam promisit iuramento rem paruam non præstat, periurus est, quatenus infidelis: est autem infidelis, quatenus defraudator; defraudator autem est non magnus, sed pro rei quantitate. Quantitas ergo rei etiam æstimationem peccati ingredietur, atque adeò efficiet, vt dumtaxat sit veniale periurium. Et ita sentit Nauarrus cap. 12. numero 10. Sotus lib. 8. quæst. 1. art. 7. Arragonius hîc art. 3. Antoninus 2. parte, tit. 10. cap. 4. §. 1. Siluester hoc verbo 4. quæst. 1. Azorius lib. 11. cap. 5. quæst. 3. Suarez lib. 3. De iuramento, cap. 16. Sanchez in Decalogum, lib. 3. cap. 4. numero 23.

Pro huius rei maiori explicatione, aduertendum Tertiò, Quamuis in omni iuramento Deus inuocetur in testem; in promissorio tamen etiam

habere se Deum instar fideiussoris , non quòd promittat præstare si iurans non præstet, sed quòd quasi per prouidentiam suam in se recipiat punire eum si non præstiterit, non solùm tamquam promissi præuaricatorem, sed vt Religionis violatorem. Debitoris autē oritur obligatio quædam ad fideiussorē, vt iam etiam ei debeat, ne quid ratione fideiussionis patiatur : patitur autem Deus iniuriam, quando offenditur, imò etiam quodammodò patitur, quando punire cogitur. Fideiussio ergo adscita per iuramentum promissorium, peculiarem obligationem inducit promissum præstandi, quia iurator iam ex Religione tenetur, quæ iustitia quædam est ad Deum, sicuti qui fideiussorem adhibuit, iam tenetur etiam ipsi, non tantùm creditori. Attamen sicuti creditorem fraudare, ex rei debitæ quantitate æstimationem accipit, ita & fallere fideiussorem.

Aduertendum Quartò, In promissorio esse aliquid assertorij iuramenti, de quo omnino eodem modo iudicandum sit sicuti de assertorio: talia ferè sunt, quòd iurans non mendaciter promittat, sed animo seruandi, animo promittendi, & sese obligandi, animo denique verè iurandi. Si quid istorum desit, rectè dicunt DD. ferè semper esse mortale. Consulendus Caietanus verbo Promissorium periurium, Azorius suprà, cap. 4. quæst. 1. qui testatur esse communem. Suarez lib.3.cap.17.

*Obiect. 1.* Præter argumenta Caietani quæ suprà soluta sunt, obijcit Valentia, Eum qui iuratam fidem in re leui fallit, Deum, quantum in se est, facere testem falsum.

*Resp.* Sed iam suprà dictum est, quomodo falsitas in promissis seu infidelitas ex rei leuitate solùm venialis sit, atque ita nondum peruertat finem, etiamsi Dei fidem ibi oppignoratam non liberet. Sanè si rem leuem euenturam iuramento firmasset sine promissione, periurium foret mortale, nisi aliunde quàm ex leuitate materiæ excusaretur : quando autem iuratam fidem in re leui fallit, venialis infidelitas est.

*Obiect.2.* Dices, Dei respectu hæc obligatio est sub mortali, quia qui iurat se rem paruam facturum proximo, Deum magna iniuria afficit nisi præstet, eo ipso quo eum facit testem falsi.

*Resp.* Respondeo, Qui iuramento promittit rem leuem facere, non tam propriè adducit Deum in testem suæ præstationis promissæ, quàm ipsius promissionis. Itaque si non præstet, propriè nullam adscribit Deo falsitatem, sicuti nec testibus in contractu adscribitur vlla falsitas, etiamsi non seruetur contractus ; sed potiùs verum esse quòd hic fidem fallat, eo ipso testantur qui testes contractus fuerunt. Læditur tamen honor testium, quasi in ipsos redundante quadam iniuria, quando is qui eos in testes sui contractus vocauit, non habita eius ratione, quòd etiam ipsos (ad quorum in veritatis amore opinionem iam res ipsa traducta erat) offendat, fidem promissam fallit. Læditur, inquam, sed excusari potest læsio aliquo vsque tamquam parua, quando ipsa infidelitas ratione materiæ parua est: non enim læditur nisi mediante ipsa infidelitate. Honor ergo Dei in proposito considerari debet contra Religionem parua quadam infidelitate læsus, adeoque non mortaliter.

Obijcitur Secundò, Tum demum leuitatem rei efficere ex eo quod ex genere suo est mortale; veniale, quando materia est immediatum & per se obiectum peccati : atqui in proposito, inquit, materia promissionis non est immediatum & per se obiectum, illius irreuerentiæ quæ committitur violato iuramento promissorio; ergo non potest leuitas rei promissæ illam irreuerentiam facere venialem. Maiorem probat inductione. Minorem, Quia si materia promissionis esset obiectum immediatum & per se huius irreuerentiæ, quando impletur esset obiectum reuerentiæ & Religionis, adeoque impletio esset actus Religionis, quod est contra D.Thomam, & ea quæ diximus suprà Dubio 2.

Respondeo, Nihilominùs Minorem non esse veram : quamuis enim seruare iuramentum, non sit actus Religionis, sicuti est ille qui ex voto fit; infringere tamen iuramentum non minùs est propriè & immediatè contra Religionem, quàm frangere votum. Cuius ratio est, quòd ad speciem mali sufficiat, non obstante tali deformitate, eligi actum cui ea annexa est : ad speciem autem virtutis non sufficiet facere actum ad quem ex eiusmodi virtutis obligatione tenearis, sed oportet saltem virtute intendas honestatem illius virtutis; virtute autem intendis, licet non actu, in opere votiuo honestatem Religionis, quia votum fit de re vt Deo cultum adferente eo ipso quo ei grata est. Itaque quando fit opus votiuum, etiam fit virtute, quia Deo gratum est : opus autem iuratum materialiter fit vt Religionem concernens, formaliter autem & virtute potiùs, quia homini promissum est, vt principalis intentio virtute redeat, quæ non est cultus diuini; is enim potiùs est occasionatus, quando ex aliqua necessitate adhibetur iuramentum.

Ad Probationem respondeo, Conditionem illam non esse veram : quamuis enim debitor non honoret suum fideiussorem soluendo creditori, inhonorat tamen & grauat non soluendo. Implendo ergo, primariò facit rem gratam promissario ; at non implendo, irreuerentiam admittit immediatè etiam in Deum : debitor enim fidem seruans, principaliter suam seruat, non fideiussoris; seruat, inquam, non tam fideiussori quàm promissario: violans tamen fidem, æquè in vtrumque peccat, aut fortè etiam magis in fideiussorem. Huius rei signum est, quòd promissarius obligationem tollat, etiam illam quæ inest respectu Dei, de qua dictum est, *Reddes Domino iuramenta tua:* quia Deo obligatur qui iurauit, non vt Deo in se præstetur, sed Deo in homine promissario; quo remittente, iam præstitisse censetur.

## DVBIVM VI.

### *Vtrùm Iuramentum graui metu extortum obliget?*

*D. Thomas art. 7. ad 3.*

*Pronuntiatio sententia.* NON obligare videtur ; Quia promissio simplex metu extorta non obligat, cap. 2. De *ratio sententia argumentum 1.* ijs quæ vi metúsve caussa, &c. & probat D. Thomas, Quia qui vim infert, meretur ne sibi promissum seruetur: quod autem inualidum est, non validatur iuramenti accessu. Argumentum ex cap. Si diligenti, De foro competenti. Iuramentum enim sequitur naturam eius cui confirmando apponitur, per cap. Accessorium, De Regulis Iuris, in 6. Vnde etiam iurata sponsalia soluit sequens fornicatio,



catio, vt docet Molina disp.151. tract.2. Confirmatur, Quia promissio & iuramentum in proposito cadunt in eamdem materiam : itaque sicuti in assertorio iuramento non est periurium, nisi in assertione sit mendacium ; ita neque periurium erit in promissorio, nisi in promissione sit infidelitas. Confirmatur ex cap. Iuramenti 22. quæst. 5. vbi dicitur, Dominum inter loquelam nostram & iuramentum nullam velle esse distantiam.

2. Secundò. Cap. Verùm, De iureiurando, dicuntur non puniendi tamquam pro mortali, qui non seruauerint iuramenta coacta.

3. Tertiò, Quod latroni iuramento extorto promissum, Iure ipse recipere non potest; si receperit, restituere continuò tenetur. Vel ergo non teneris ei: qui enim habes actionem ad repetendum, multo magis habes exceptionem contra agentem, L. Inutilis. ff. De Regulis Iuris; vel si tenearis, satisfacis saltem momentanea solutione statim repetendo, aut etiam vtendo compensatione post solutam medietatem, cùm iam liquidè alter tibi tantumdem debeat.

4. Quartò, Si tale iuramentum teneret, vel hoc ideò esset, quòd firmet promissionem, vel quòd manente irrita promissione ipsum pro Dei honore seruandum sit. Prius dici non potest, quia non est verisimile, iuramento firmari promissionem, quæ per se, adeoque Iure naturali est irrita & inanis. Si posterius dicatur, sequitur, tale iuramentum posse cōmutari arbitrio debitoris in melius, verbi gratia tantumdem dando Ecclesiæ vel pauperibus: hoc enim Deo gratius est, quàm si detur latroni.

5. Quintò, Non fit dispensatio legitimè sine caussa in iuramento, si verè obliget ; in hoc autem fit sine caussa.

6. Sextò, Qui iurat latroni quòd ipsum non denuntiabit, non obligatur, vt docet D. Thomas & alij communiter, & patet cap. Inter cetera 22. q.4. vbi dicitur, iuramentum non esse vinculum iniquitatis ; ergo neque qui iurauit non repetere solutam pecuniam, & denique neque ille qui iurauit soluere.

7. Septimò, Qui iurat redire ad iniquum carcerem, non obligatur, si mors inde immineat, vt docet Couarruuias l.1. Variarum cap.2.n.7. & alij ab ipso citati; ergo coactio & iniuria iurantē excusant.

8. Octauò, Ad iuramenta realia quæ obligant, etiam heredes iurantis tenentur ; ad hæc autem non tenentur à latrone extorta.

9. Nonò, Fieri potest, vt qui iurauit latroni soluere centum, postea iuret se non soluturum; facilè ergo fiet, vt priori iuramento liberetur.

10. Decimò, Iuramentum, præcipuè quod pro solius Dei honore obliget, debet cadere in actum virtutis, qualis non est soluere latroni centum.

11. Vndecimò, Sic iuratus debitor potest Iure agere contra eum qui coëgit, etiam ante dispensationem vt iuramentum sibi relaxet; ergo in foro animæ non obligatur.

12. Duodecimò, Cap. 2. De iureiurando, dicitur, Non obligari Episcopum iuramento, qui iurauit res suas vi sibi ablatas non repetere. Capitulum ita habet: *Peruenit ad nos, Laudscensem Episcopum ab Arnulpho comite rebus suis spoliatum, & iurare compulsum, quòd non repeteret sic ablata. Cognita igitur contumelia, valdè doluimus, asserentes ipsum Episcopum nullius iuramenti vinculis super hoc posse constringi, quem tamen absoluimus, quia nefandissima coactione iurauit.*

Obligare tamen eiusmodi iuramenta coacta, euidenter ostenditur cap. Si verò, hoc tit. vbi generatim docetur, iuramentum seruandum esse, quandocumque seruatum non vergit in interitum salutis æternæ, quamuis coacta, ad coërcendam iniquitatē cogētis, soleat Sedes Apostolica relaxare. Probatur Secundò cap. Debitores, eod. vbi statuitur ab eodem Pontifice Alexandro III. debitores vsuratum non esse cogendos ad soluendum; si tamen iurauerint, cogendos esse reddere Domino iuramenta sua. Sanctitas ergo iuramenti seruanda est, etiamsi inuoluntariæ & inefficaci promissioni accesserit. Tertiò, Cælestinus III. cap. Verùm, eodem, apertè dicit & supponit iuramenta coacta tenere. Quartò, Præstare quod latroni iurasti, ex parte tua honestum est: est enim redemptio propriæ vitæ per rem inferioris ordinis ; quæ ad prudentiam aut charitatem suiipsius pertinet; sicuti ad charitatem proximi pertinet, si ipsum ab iniqua seruitute aut morte redimas. Postremò ita docent omnes DD. cum D. Thoma hîc, & in 3. dist. 39. Siluester verbo Iuramentum 4. quæst. 7. Sotus lib. 8. quæst. 1. art. 7. Azorius lib. 11. cap.7.quæst.6. & Iureconsulti in dicta capp. Quare hæc sententia omnino tenenda est, & facilè respondetur ad contraria argumenta. *Sententia Affirmatiua uerior.*

Ad Primum respondeo, Argumentum postulare duo : Vnum, quare promissio extorta metu non obliget sine iuramento? alterum, quare obliget cum iuramento? *Resp. ad arg. sententia oppositæ.*

Ad prius respondet Caietanus, Rationem esse, quòd promissio debeat esse vtilis promissario: non posse autem ei esse vtile recipere quod metu extorsit, qui statim teneatur restituere. Verùm ista responsio non videtur satisfacere, quia de ratione promissionis non est, quòd res promissa sit vtilis promissario ; sufficit ei, gratam esse, & promissionem acceptatam. Hoc patet in voto ; neque enim promissiones nostræ fiunt Deo tamquam ipsi vtiles, sed sufficit esse acceptas. Azorius autem putat, eiusmodi promissionem simplicem metu ad hoc iniustè incusso à promissario extortam, Iure naturæ obligare in conscientia ; ne obliget autem, effici solo Iure positiuo ciuili & Canonico: efficiunt, inquam, quando non est iuramento confirmata ; quando autem confirmatur, relinquere eam Ius humanum suæ naturæ.

Sed dicendum est, Iure naturæ & per se esse inualidam eiusmodi promissionem, vt benè docet Sotus ; & Glossa in dictum cap. Debitores, apertè dicit, nullam parere obligationem etiam Iure diuino. Ratio est, quam D. Thomas indicat, quòd violentus exactor ex natura rei, etiam præueniendo humanum iudicium, mereatur ne sibi promissum seruetur, vel quia (vt diximus, quando De contractibus in genere, Dubio 3.) talis promissio, quamuis reipsa sit mixtè voluntaria, meritò tamen reputatur prorsus inuoluntaria, cùm quidquid ibi voluntarij est in promittente, censeatur à promissario per iniuriam ingestum, & pro voluntario non reputetur : vel denique, quia promissio sic facta, non plus tenet quàm donatio, cùm promittere sit dare fidem; neque appareat ratio, quare fides validè detur, si res eodem modo data non detur validè. Confirmatur, Quia ad promissionis obligationem non solùm debet concurrere pollicitatio, sed & promissarij acceptatio, vt diximus quan- *Promissio extorta per se est inualida.*

quando De promissione: atqui promissarius validè in proposito non videtur acceptare magis ipsam promissionem, quàm acceptare rem promissam.

*Accedente tamen iuramento fit valida.*

Ad posterius respondeo, Quamuis non teneat latroni, etiam post promissum, dare tamen latroni, esse actum honestum, vt suprà diximus: possum ergo proponere illum exercere, propositum illud exteriùs significare, & iuramento id confirmare. Quamuis autem promissio hîc contenta vel suppositа per se non obliget; obligat tamen iuramentum quatenus cadit in actus futuri liciti & honesti assertionem, quod tamen hactenus promissorij propriè dicti iuramenti rationem retinet, quia non intendit se obligare ad illud præstandum iurans, nisi quodammodò per modum promissionis. Vnde sequitur, quoad omnia quæ sunt in fauorem iurantis, iudicandum esse de hoc iuramento tamquam promissorio, verbi gratia, vt relaxari possit à promissario latrone, vt non sit nisi veniale periurium, si res parua promissa, & similia. Hinc patet, verum non esse quod adducitur, iuramentum niti valori promissionis, tamquam accessorium principali; sed in eadem materia super qua est promissio, iuramentum partem quamdam habet in quam incidens obligat, cùm promissio non obliget.

*Ad 2. An iuramentum coactum obliget sub mortali.*

Ad Secundum, Ex hoc cap. quidam docuerunt, iuramenta coacta tantùm sub veniali obligare. Ita videtur sentire Glossa, quando dicit, parum obligare, aut eius obligationem non debere dici simpliciter sub mortali esse: sed malè, quia solùm vult Pontifex, non esse sic peierantes puniendos ab Ecclesia in foro exteriori tamquam periuros, aut etiam tamquam qui mortale crimen admiserunt. Ex quo non sequitur eos mortaliter non peccasse; dissimulat enim Ecclesia in foro exteriori huius peccati punitionem, Primò, In odium eius qui coëgit sic iurare: quamuis propter reuerentiam iuramẽti, & vt auferatur materia deierandi, nolit Pontifex ante factum hoc eis dici vt iuramenta non seruent. Secundò, Ex commiseratione quadam eius qui metu præstitum iuramentum violauerit.

Notandum tamen, Panormitanum in cap. Si verò, eodem, existimare, eum qui ex metu iurauit, excusari à mortali, licet non præstiterit: imò & ab omni peccato excusari, modò iurando non intenderit se obligare. Verùm meritò hîc Panormitanum reprehendit Sotus. Si enim intendas iurare, obligaris, etiamsi non intendas te obligare; imò si exteriùs iuramentum facias sine animo iurandi, teneris ad cauendam irreuerentiam diuini nominis, quæ sequeretur si non serues. Quomodo autem liceat præter mentem exigentis iurare, aut simulatione vti, dicemus Dubio sequenti.

*Ad 3.*

Ad Tertium respondeo, Argumentum benè concludere, actionem nullam competere latroni, neque ei quidquam deberi; sed non concludit, non deberi Deo. Et hoc est quod voluit Pontifex dicto cap. Debitores, vbi mutuatarius cogitur vsurario iuratas vsuras soluere, non vt debitum ei soluat, sed vt Domino reddat iuramentum; quamuis ius habeat repetẽdi solutas, vt ibi textus apertè dicit, & actionem aduersus vsurarium, vt relaxet iuramentum, vt addit Glossa. Neq; satisfacit momentanea solutione, continuò vt tradidit, sua auctoritate propria eripiẽdo quod dedit, etiamsi res data functionẽ non patiatur, & talis omnino extet, vt rei vindicatio ei tamquam vero domino competat; hoc enim esset facto quod iurauit moraliter cõtrauenire. In iudicio tamen statim repetere eam poterit, nisi iurauerit non repetere. Compensationem, de qua in argumento, meritò reijcit Sotus, addens, ne quidem compensationi hîc locum esse, etiamsi tantumdem priùs latro deberet huic iurato debitori: neque enim iurauit dominium rei transferre, sed eam tradere. Alioqui eum qui iurauit soluere quod legitimè debet, posse nihilominùs liberari per compensationem, satis probabiliter defendit Couarruuias §. 4. parte 1. in cap. Quamuis, De pactis, vbi moderatio placet appositа per Siluestrum verbo Iuramentũ 4. q. 27. vt compensare possit qui sic iurauit soluere, nisi expresserit vel intenderit in iuramento soluere formaliter sine compensatione, quomodo intelligendum erit cap. Ad nostram, hoc tit. Atq; ita apparet, quomodo quoad compensationẽ interdum contingat deteriori loco esse eum qui iurauit latroni, quàm sit ille qui iurauit creditori legitimo.

*Ad 4.*

Ad Quartum, Patet ex dictis ad Primum, non firmari promissionem, sed obligare iuramentum ob reuerentiam numinis. Neque tamen potest commutari sicuti vota, vel iuramenta in Dei honorem præstita principaliter in melius ad arbitrium iurantis: quamuis enim obliget ob solam reuerentiam Dei, res tamen ad quam obligat, præstanda est principaliter in fauorem extorquentis, vnde & per ipsum potest relaxari hoc iuramentum. Quomodo autem contractus alioqui nulli, iuramento firmentur, dicemus Dubio 8.

*Ad 5.*

Ad Quintum, Nego subsumptum: neque enim hîc deest causa dispensationis, sed potiùs perpetuò subest, odium nimirum iniustè compellentis, miserabilis conditio vim passi.

Dices, Ergo Lege statuendum potiùs esset, talia iuramenta non tenere.

Respondeo, Posset fortè Ecclesia vniuersim eiusmodi iuramenta irritare, sed pro numinis reuerentia id non facit. Deinde hoc generatim statuto, daretur materia peierandi, vt indicatur dicto cap. Verùm: facilè enim nonnulli allegarent grauem metum, vbi vel leuis tantùm, vel nullus fortè interuenisset, aut sanè non iniustè incussus ad extorquendum iuramentum; quamuis Panormitanus in dictum cap. Verùm, existimet, etiam leuem metum sufficere, vt dispensetur cum iurato, quòd saltem id postulet odium cogentis.

*Ad 6.*

Ad Sextum respondeo, Qui iurauit non denuntiare, nihilominùs tenetur, quia fauori publico renuntiauit, cui renuntiare non poterat. Deinde cùm hoc sit in præiudicium iustitiæ publicæ, vergeret in deteriorem exitum, vt benè D. Thomas. Tertiò potest etiam esse contra bonum spirituale delinquentis, causa 2. quæst. 1. cap. Si peccauerit. Ita Siluester verbo Iuramentum 4. q. 11. Qui autem iurauit dare aut non repetere datam pecuniam, sibi tantùm præiudicat in illis quæ citra salutis dispendium præstare potest.

*Ad 7.*

Ad Septimum, Vtrùm qui id iurauit, teneatur cum certo capitis periculo redire ad iniustum carcerem variant DD.

*An obliget iuramentò de redeundo ad carcerẽ.*

Non teneri, præter Couarruuiam in argumento productũ, docet Glossa in Clementinam Pastoralis, §. Per violentiam, Gtaffius parte 1. lib. 2. cap. 10. Siluester hoc verbo 4. quæst. 26. & verbo Accusatio, quæst. vlt. qui tamen istud limitat, vt teneatur, si iurauerit animo se obligandi, secùs si solùm animo euadendi. Cum eadem limitatione loquitur Angelus verbo Iuramentum 5. quæst. 36. Negantem etiam istam partem secutus est Vasquez 1. 2. disp. 174. cap. 5 qui hoc etiam extendit ad carcerem iustum, quando sententia timetur iniusta, & vt nequeat redire absque peccato, eò quòd iuramentum non debeat esse vinculum iniquitatis. Denique, extendit, si timeat sententiam in detrimentum famæ aut rei familiaris, eò quòd etiam hæc bona, quamuis in suo sint dominio, non liceat ipsi sine causa prodigere. Nauarrus cap. 22. numero 18. ad iniustum carcerem redire, iuratum dicit non teneri; secùs si carcer sit iustus, etiamsi timeatur sententia capitalis iniusta. Denique Emanuel Sà hoc verbo, numero 11. similiter huic parti nẽganti adstipulatur.

Teneri docet Caietanus hîc ad 4. Sotus lib. 8. quæst. 1. art. 7 §. In quarto membro, Toletus lib. 4. cap. 22. Suarez tom. 2. De Relig. De iuramento lib. 2. cap. 10. Sanchez in Decal. lib. 3. cap. 11. numero 32. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 6. & alij nonnulli tam Theologi, quàm Iureconsulti. Res ambigua est.

Suppono Primò, Ad iustum carcerem vnde non timet iniustam sententiam, teneri iuratum redire.

Suppono Secundò, Plenè cum intentione sese obligandi eum de quo agimus, iurasse: nam si iurare sese simulet animo euadendi, quousque teneatur, infrà dicemus.

Suppono Tertiò, Eamdem esse rationem carceris iniusti & iusti, ex quo sententia iniusta expectatur, nam eo ipso fit iniustus, vt benè contra Nauarrum obseruauit Vasquez.

Quartò dico, Sententiam priorem videri communiorem, & satis probabilem, & fortè etiam in praxi securam.

Quintò, Non esse vllum dubium, quin talis iuramenti possit peti relaxatio, & sufficiat etiam ipsius Episcopi.

Sextò, Non videri verum quod Vasquez dicit, talem peccare redeundo, cùm hoc legantur fecisse laudatissimi viri, & ex naturali iudicio etiam Gentiles ita faciendum iudicarint. Attilius enim Regulus vt fidem seruaret, ad Carthaginenses occidendus redijt. Testis Valerius, Cicero, & alij: quem imitati sunt ex Christianis, teste Fulgoso, Guido Comes Flandriæ, Ioannes primus Gallorum Rex, & Renatus Dux Lotharingiæ. Imò etiam fide data per simplex promissum, non videtur per se illicitum redire; quamuis aliquæ circumstantiæ efficere possint vt non sit licitum ei qui tantùm promisit, quæ tamen non efficiant quò minùs sit licitum ei qui iurauit.

Septimò, Si tantùm damna temporalia in bonis externis timeantur, satis certum videtur, debere seruari iuramentum: rectè enim hîc docet D. Thomas, oportere potiùs damnum temporale subire, quàm iuramentum violare.

Octauò, Si quando iurat redire, nesciat sibi ex reditu mortem imminere, excusatur ab obseruatione iuramenti, quia virtute censetur apposuisse cõditionem, Si potuero sine periculo mortis: imò putat Suarez ne quidem teneri, quando iustus esset carcer, & iusta mors sequeretur; & quando iniustus esset, putat posse mente sola eiusmodi conditionem apponi.



Denique sententia Caietani, tale iuramentum verè obligare, videtur probabilior, nisi fortè in casu quo captiuus fugere posset; & teneretur ex eiusmodi carcere: tunc enim si iuret redire, etiam eo tempore quo fuga fiet impossibilis, non tenetur iuramento, ne sit vinculum iniquitatis. Pro Caietano insolubilis est illa ratio; quòd iuramentum obliget, quandocumque non vergit in dispendium salutis spiritualis, cap. Si verò, De iureiurando.

Dices, Debet esse actus virtutis qui iureiurando promittitur: hîc autem promittitur actus vitiosus, aut certè indifferens; ergo, &c.

Respondeo, Ex Dubio 3. constat, omne iuramentum promissorium obligare quantum est ex parte materiæ promissæ, modò duo concurrant; scilicet quòd ipsa res promissa sit licita, & quòd grata & accepta promissario: in comminatorio autem iuramento sufficit materiam esse licitam. Vtrùm autem commutari queat in omissionem, vt vult Caietanus, quando omissio promissione videtur melior, etiamsi in promissorio facto homini id non liceat, constabit ex dicendis infrà Dubio 11. Hîc autem non promitti actum vitiosum patet, Quia si reditus iste consideretur vt medium obtinendæ temporaneæ libertatis, ad componendas res domesticas, poterit prudenter captiuus eum velle, adeoque promittere & fideliter præstare, præcipuè adiuncto iuramento: neque enim sese ponit deteriori loco quàm erat ante promissionem, vt suppono. Si autem fide propria data, & per iusiurandum ipso quasi Deo oblide dato, melioris fiat conditionis, nihil inordinatum fuerit, si iterùm sibi libertatem adimat, vt fidem suam liberet, & iterùm vincula subeat, vt iuramenti vinculo soluatur; illas enim vices Religioni debet, qua sola interueniente iam liber erat. Deinde si eiusmodi iuramentum non obliget, quia promittitur res illicita, aut quæ iam satis præuidetur peiorem exitum habitura, quomodo ipsum iuramentum licitum fuit? Licitum autem esse Probo: Talis potest proprios filios obsides dare; quare non etiam se suosque execratorio iuramento, Deo deuouere, nisi redeat?

*Ad 8.*

Ad Octauum respondeo, Illa tantùm iuramenta de re aliqua præstanda ad heredes transire, quæ confirmant contractum: in nostro autem casu, vbi homini non nascitur obligatio, & res non debetur Deo nisi in gratiam iniqui compulsoris, nullum debitum transit ad heredes, sed Religionis obligatio personalissima est, eum solum afficiens qui iurauit. Videtur ita sentire Azorius, lib. 11. cap. 7. quæst. 5. Apertiùs Couarruuias in cap. Quamuis, De pactis, parte 1. §. 5. numero 4. vbi docet, numquam iuramentum obligare heredem quoad periurij crimen, ideoque non obligare, nisi ratione contractus validè initi per eum qui iurauit. Docet Secundò, ad heredes eius cui iuratum fuerit, transire actionem quæ erat ex iuramento, ita vt periurus sis futurus, nisi eis præstes quod defuncto iurasti. Argumentum ex cap. Veritatis, hoc tit.

*Ad 9.*

Ad Nonum, Iuramentum posterius contrarium priori, magni criminis est, & nullius roboris: est enim de re illicita iuranti. Patet cap. Intellecto, De iureiurando, cap. Sicut ex litteris, De sponsalibus. Quando autem actus contra iuramentum attentatus sit nullus, disputat Siluester verbo

verbo Iuramentum 4. quæst. 12. ex cuius mente rectè dixerimus, numquam esse ipso Iure nullum eo ipso quo fit contra prius iuramentum; sed tum demum, quando ei Ius resistit. Quare si minor iuret non alienare, & posteà contrario apposito iuramento alienet, alienatio erit nulla: testamentum autem secundum erit ratum, etiamsi quis iurauerit non condere aliud à primo.

*Ad 10.* Ad Decimum patet ex dictis ad Septimum. Addo, quamuis istud iuramentum non obliget te homini, obligat tamen quasi in gratiam iniqui compulsoris, vt non sit necessum, esse actum virtutis sicut in voto. Denique redemptio vexationis propriæ verè ad virtutem pertinet, vt suprà diximus. Omitto, promissionem præiacere quodammodò iuramento, & fidelitatis seu veracitatis alicuius esse illam seruare, etiam non obligantem: vbi si iures seruare, manifestum est, actum illius virtutis te iurare.

*Ad 11.* Ad Vndecimum, Quamuis Couarruuias suprà parte 1. §. 2. numero 1. existimet, non posse agi ad relaxationem, antequam obtenta sit à Superiore dispensatio; melius tamen alij admittunt, etiam à Iudice laico, aliàs competente, posse cogi partem, vt coactum iuramentum remittat, id petente parte coacta: & quando id compulsor non vult, posse Iudicem sua auctoritate quasi loco ipsius compulsoris, iuramentum irritum facere. Ita Molina disp. 149. tractatu 2. & fauet cap. 1. De iureiurando. Neque vlla videtur ratio, quare prius debeat peti relaxatio iuramenti, vt possit agi contra coactorem vt relaxet, saltem implorando officium Iudicis, cùm coactus non promiserit non denuntiare, neque validè id potuerit, vt suprà diximus. Itaque admisso Antecedente nego sequelam. Quamuis enim indirectè propter reuerentiam Numinis teneat latroni, nihil tamen impedit, quò minùs possim ipsum Iure cogere, vt relaxet iuramentum, ad quod relaxandum ipse mihi directè tenetur.

*Ad 12.* Ad Duodecimum respondeo, Cap. illud difficultatem habere: quia cùm dixisset Pontifex, Episcopum non teneri, dicit tamen se eum absoluere; dici potest, Episcopum illum partim fuisse iuramento obligatum, partim non fuisse obstrictum. Obligatus fuit non repetere per se, sine interueniente dispensatione: non fuit autem virtute istius iuramenti de non repetendo obstrictus non repetere, interueniente Pontificis relaxatione, quia hoc fuisset contra bonos mores. Repetere ergo non poterat per se, nisi absolutus, & ideò absoluitur. Repetere autem poterat proponendo querelam, & impetrando dispensationem; & ideò dicitur non fuisse obligatus ad non repetendum, non obstante, quòd iurasset non repetere. Ita ferè post Panormitanum Suarez lib. 2. De iuramento, cap. 10. Sanchez in Decalogum lib. 3. cap. 11. numero 37.

## DVBIVM VII.

***Vtrùm teneatur qui fingit se Iurare, & animo non Iurat, aut sine animo se obligandi Iurat, aut longè alio sensu quàm putet is, cui Iurat?***

*D. Thomas art. 7. ad 4.*

PRÆTER Interpretes D. Thomæ, tractant hac de re communiter DD. in 3. dist. 39. Siluester verbo Iuramentum 3. quæst. 2. Angelus eodem verbo 4. initio, Sotus lib. 8. quæst. 1. art. 7. sub finem, Turrecremata, & alij in cap. Hoc videtur, vel in cap. Quacunque 22. quæst. 5. Panormitanus in cap. Veniens, De iureiurando, Sanchez lib. 1. disp. 9. numero 8. & seqq. & in Decalog. lib. 3. cap. 6. 7. & 10. Couarruuias De pactis, suprà, §. 5. numero 1. Graffius parte 1. lib. 2. cap. 17. Nauarrus Enchiridij cap. 12. numero 14. & 18. & in cap. Humanæ aures 22. quæst. 5. Lopez parte 1. Instruct. cap. 42. Suarez to. 2. De Religione, lib. 3. De iuramento, cap. 9. 10. 11. Item lib. 2. cap. 7.

Permagnæ vtilitatis est ista quæstio, & multis difficultatibus in conscientiæ foro decidendis opportuna, at sanè ipsa admodum difficilis & intricata. Intentioni enim iurantis hîc standum esse, suadetur Primò, Sicuti Lex pendet in obligatione sua à mente & intentione Legislatoris, ita promissio qua sibi quisque Legem ponit & obligationem injicit, omnino videtur pendere ex intentione promittentis. Eadem verò est ratio iuramenti, præsertim promissorij, cùm nihil sit aliud quàm promissio iurata: & generatim omnis omnino obligatio, quæ non oritur ex Lege, oriatur ex voluntate eius qui obligatur. Secundò, Varijs locis id in Iure Canonico asseri videtur, cap. Humanæ aures, ex D. Gregorio, & cap. Qui peierare, vbi apertè id concludit Gratianus causa 22. quæst. 5. cap. Veniens, cap. Quanto, cap. Quinta vallis, hoc tit. cap. 1. eodem, in 6. Tertiò videtur ita sentire D. Thomas hîc ad 4. & in 3. dist. 39. quæst. 1. art. 3. vbi dicit, Iuramentum vt tale, & ex ratione iuramenti non obligare, nisi iuxta iurantis intentionem: contingere tamen vt obliget duobus modis. Vno, Si dolosè iurauit: tunc enim obligare ad sensum eius cui præstitum est, quatenus iurans aliter non satis cauet ne proximus dolo suo lædatur. Altero in foro externo, etiam quando sine dolo iurauit: obligari enim ad sensum quo communiter verba accipi solent. Sequitur Sanchius De matrimonio, suprà, numero 9. citans pro se Bonauenturam, Richardum, Gabrielem, & alios complures.

*Prima sententia.*

*2.*

*3.*

Nihilominùs contraria opinio, Standum hic esse potiùs intentioni eius cui iuratur, suadetur Primò ex dicto cap. Quacumque, quod ita habet ex Isidoro: *Quacumque arte verborum quisque iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit.* Secundò, ex fine iuramenti, qui est vt fiat fides ei cui iuratur: neque enim fieri ei fides potest, si alio quàm ipse accipit iuramentum sensu præstetur. Denique, alioqui fraus & dolus iuranti patrocinarentur.

*Simulans se iurare quando excusatur.*

Respondeo & DICO PRIMO. Non esse peccatum mortale, si quis simulet se iurare latroni aut alteri iniustè iuramentum exigenti, & animo non iuret, modò implere proponat id quod exteriùs iurat, & aliàs id licitum sit. Si tamen non intendat implere, probabilius est esse mortale, quia est periurium quoddam externum, quod videtur esse mortale, sicut idololatria externa. Confirmatur ex dicto cap. Quacumque; vbi indicatur, talem in vanum Dei nomen assumere, etiamsi proximum malo dolo non circumueniat. Confirmatur, Subest enim hîc scandalum quod contra charitatem est, & consecutiuè etiam contra Religionem: apparentia enim illà periurij cedit in Dei irreuerentiam, quia per eam alij inducuntur ad similia



similia periuria, vel dolosi iuramenta facienda, vt benè obseruat Suarez lib. 2. suprà citato, cap. 7. & ex ipso Sanchez in Decalogum lib. 3. cap. 10. n. 13.

Maius potest esse dubium, An coram Iudice legitimo legitimè interrogante sit mortale, fingere iuramentum quando implere proponis, & omne parti damnum auertis? Videtur enim non deesse periculum mortalis culpæ, quia hoc ipsum magnę fraudis est, quòd fideiussorem dare te Deum simules, & non des. Itaque in re magni momenti non apparet etiam istud excusandum à mortali, vt tenent Caietanus & Sotus.

*Quomodo obligetur.*

DICO SECVNDO. Qui simulat iurare, & non iurat, non tenetur præcisè ex vi iuramenti ad præstandum quod iurat: contingit tamen obligari in foro externo, vbi humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant, & etiam in conscientia ratione scandali, aut ne dolo suo malo iniustè proximus detrimentum patiatur. Sequitur ex doctrina D. Thomæ, & dicto cap. Humanæ aures, & magis elucescet ex sequentibus.

*Quando iurans possit vti restrictione mentali.*

DICO TERTIO. Qui sine animo se obligandi, sed tantùm animo euadendi iurat, verè obligatur ex iuramento, quia verè iurauit: si tamen positiuè excluserit animum se obligandi, fortè videri poterit tantùm exteriùs voluisse iurare, vt idem de ipso sit iudicium, quod de simulatore iuramenti. Et sic poterunt excusari DD. qui talem à iuramenti obligatione eximunt.

*De iurante alio sensu quàm is cui iuratur intelligit.*

DICO QVARTO. Alio sensu quàm is cui iuratur intelligit contingit duobus modis iurari: vno de industria, altero præter intentionē iurantis. Si posteriori modo iuratū fuerit, in foro conscientiæ tenebit iuramentum secundùm mentem iurātis, in foro exteriori habebitur ratio communioris vsus verborum, & secundùm illum seruandum iuramentum indicabitur. Si priori modo, vel id factum dolo malo, vel industria licita. Fit autem hoc licitè, quando ad iurandum iniustè cogeris directè vel indirectè; puta si latro exigat iuramentum, aut non exigat quidem, sed necem intentet, quam non euadas, nisi interposito iuramento: tunc enim iurare ei potes alio sensu quàm ipsum scis accipere; modò saltem sensus tuus verè per verba significetur. Per solam enim restrictionem mentalem non licere alio sensu iurare, quorumdam valdè probabilis sententia est: eiusmodi enim restrictio relinquit iuramentum externum tale, quale verba præ se ferunt. Quare idem videbitur de eo iudicium, qui sic iurauerit, quod de iurante tantùm exteriùs, siue simulante iuramentum. Ita ferè Sotus.

Contrarium sentit Graffius, Nauarrus in cap. Humanæ aures, citatum, & Enchiridij cap. 12. numero 14. & 18. Sanchez lib. 1. De matrimonio, disp. 11. numero 2. Siluester verbo Iuramentum 4. q. 7. n. 2. Angelus verbo Iuramentum 5. num. 9. Lopez suprà, & videtur hodie communis.

Sanè quando verba illo sensu accipi possunt quem iurans intendit, aut cum tali restrictione ab exigente iuramentum intelligi deberēt, recipienda est hæc sententia tamquam satis certa: quando autem non possunt illo sensu accipi, neque habet hominum vsus vt tale quid subintelligatur, neque ad illam restrictionem exigens iuramentum peculiariter tenetur; non est certa, sed tantùm probabilis, etiamsi exactio iuramenti secundùm sensum exigentis fiat cum iniuria & magno grauamine iurantis, quia talis exteriùs iurat falsum. Quod enim Nauarrus dicit, iurare verum, quia iuret dictum mixtum ex verbali & mentali; quod verum est, etiamsi verbale per se solum sumptum sit falsum, non videtur solidum; quia, vt diximus suprà, propriè non datur iuramentum mentale saltem inter homines: itaque quòd mente sola retinetur, non est idonea iuramenti materia. Illud tamen verum est, eiusmodi restrictionem mentalem restringere ipsam intentionem iurandi, ideoque efficere, vt iuramento non teneatur vt tali, nisi secundùm suam restrictionem mentalem. At licere sic exteriùs etiam latroni iurare, sine animo implendi quod verba sonant, nondum probatum est, neque videtur posse euidenter probari, stante dicto nostro primo, quod tamen ex communi sententia asserimus. Dici tamen potest in odium exigentis iuramentum iniustè, sensum illum benigniorem etiam mente sola suppletum vulgò facilius acceptari, quasi ipsis verbis tali casu satis significatum, sicuti similia in fauorem Confessionis Sacerdoti conceduntur; quamuis in Sacerdote etiam illud, quod priùs vtimus, locum habeat, ad sensum quem debet habere interrogans, ipsum respondere, quando exactus iurare an hoc audiuerit in Confessione, iurat se non audiuisse, ita nimirum vt reuelare debeat aut possit: cui sensui debet esse obnoxia omnis eiusmodi interrogatio, & iuramenti exactio, vt sit legitima.

Ceterùm commodius fortè lis ista componi poterit, si iniustè exacto dicamus licere iurare cum diuersa restrictione mentali, modò illa restrictio vel sit de illis quæ debebat in sua interrogatione subintelligere interrogans, vel saltem talis, vt in verbis quæ exteriùs proferuntur, intelligi aliquo modo possit, secundùm vsum loquendi, qui saltem interdum vsurpetur: minùs autem dicamus hîc licere illi, qui siue exactione iuramenti iurat, quamuis non sine coactione; puta quia latro non exigit quidem iuramentum, sed qui incidit in latrones, videt aut sperat se dimittendum, si iurauerit. Poterit itaque talis amphibologicis quidem verbis vti in suo iuramento, sed quandoquidem vltrò offert iuramentum, non poterit mentaliter illa supplere, quæ pars interrogando debuisset subintelligere.

Sentit contrarium Sanchius in Decalogum lib. 3. cap. 6. numero 21. existimat enim, parum referre, siue rogatus siue non rogatus quis iuret, modò iusta necessitate vel vtilitate ducatur, vtpote vt proximum placet, vt famam restituat iniustè ablatam.

Nihilominùs verius existimo, licere quidem in simplici sermone, sola mente supplendo veritatem tegere & dissimulare ex iusta necessitate, vel vtilitate, exemplo Christi Domini Marci 3. *De die illa nemo scit, neque Filius hominis.* vbi suppleuit, vt vobis dicatur. Et Ioan. 7. *Non ascendam ad diem festum*, vbi suppleuit, manifestè. Et Angeli Raphaëlis Tob. 5. *Ex filijs Israël ego sum Azarias Ananiæ Magni filius*; intelligendo, mysticè. Non tamen licere vltrò, etiam vrgente alia causa, non exactum iurare cum mentali eiusmodi restrictione, ob causam priùs dictam.

Dices, Cùm verè liceat asserere, & iusta sit necessitas iurandi, quare non licet eiusmodi dicto mentaliter restricto iuramentum apponere in nostro casu?

Respondeo, Ratio est, non quòd verè subesset periurium, sed quòd esset apparentia periurij, vt supradictum est, quæ cessat, quando qui exigit, ea debebat aut poterat intelligere.

Dices, Etiam in simplici sermone erit apparentia mendacij?

Respondeo, Vt tyrannum decipias, licet vti dissimulatione, non tamen licet exteriùs colere idolum, etiamsi contraria sit intentio. Eodem modo res est in proposito considerandа: quæ enim reuerentiam Dei concernunt, maiori religione sunt obseruanda.

*Tegens sensum quo iurat quando non peccet.*

DICO QVINTO. Qui licitè de industria aliter intelligit quàm qui accipit, non peccat, etiamsi non intendat implere eo modo quo alter iuramentum accipit; esto secundùm communiorem sensum ita verba accipienda forent, vt à promissario vel accipiente iuramentum intelligantur, neque teneatur implere, nisi secundùm suum sensum.

Vbi obseruandum est discrimen inter simulantem iurare cùm omnino non iuret, & tegentem sensum quo iurat: hoc enim licere patet, cap. Vtilem 22. quæst. 2. quamuis D. Hieronymus, cuius est illud cap. videatur plusculum indulsisse eiusmodi simulationibus; quæ quousque liceant, diximus quando De Fide.

Obseruandum Secundò, In negotio Fidei doctrinam istam non habere locum: peccas enim si coram Iudice tyranno ea arte verborum iures, vt secundùm tuum quidem sensum nihil admittas contra Fidem, communi tamen hominum iudicio, secundùm magis obuium sensum iudicantium admittas, de quo latiùs, quando De confessione Fidei, & videri potest insignis locus apud Tertullianum De idololatria cap. 22.

*Iurans dolosè alio sensu quomodo teneatur.*

DICO SEXTO. Qui in dolo iurauit proximo suo alio sensu, quamuis præcisè non teneatur vt iuratus ad sensum accipientis, verè tamen ad eum tenetur ratione doli, quatenus hoc necessarium est, ne proximus iniustè malo suo dolo lædatur. Et hoc sensu accipiendum erit dictum cap. Quacumque: ex vltimis enim eius verbis constat, de eo agi qui in dolo iurat. Atque ita patebit huius cap. conciliatio cum illo altero, Humanæ aures, adeoque ad argumenta in vtramque partem adducta.

Nota ex Graffio, Quando vtrimque in dolo iuratum fuerit, accipiendum esse iuramentum vt verba communiter sonant, vt doli quædam intelligatur compensatio, & iuramentum æstimetur quasi sine dolo.

## DVBIVM VIII.

### *Quanta sit obligatio Iuramenti?*

*D. Thomas art. 7. & 8.*

VALDE magnam esse obligationem iuramenti, & graue delictum periurij, Scriptura varijs locis ostendit: Zachariæ 5. *Omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur*; & infrà idem explicans: *Veniet ad domum iurantis in nomine meo mendaciter*. Sapientiæ 14. *Malè iurantes noceri se non sperant*. Ezechielis 17. periurium Sedeciæ, qui Regi Babylonis infideli non seruauit iuratam fidem, grauissimè Deus minatur se puniturum, etiam addito iuramento, vt discamus etiam hosti iuratam fidem esse seruandam, cogitandumque non tam cui, quàm per quem iuratum sit, ne iam hostis nobis sit fidelior, qui Dei nomini credidit, quod nos peierando despicimus. In eam ferè sententiam ibi D. Hieronymus. Consulendus Molanus in libris de hoc argumento editis, De fide hæreticis & rebellibus seruanda. Exstant & huius rei in historijs luculenta testimonia, quale illud est, quod refert Gregorius Turonensis lib. De gloria Martyrum. In vrbe enim refert admotos ad aram, sub qua erant reliquiæ S. Pancratij, periuros illicò vexatos fuisse à dæmone.

*An iuramentū validet contractum aliàs inualidum.*

At quæstio non exigua est, Vtrùm eam vim habeat obligandi iuramentum, vt validet contractum, vel actum aliàs inualidum?

Vbi in primis certum est, contractum ex natura rei inualidum, non firmari iuramento: verbi gratia, ex natura rei est irrita promissio vsurarum. Vnde etiamsi iuramentum apponatur, non validatur promissio, quamuis Deo oporteat reddere iuramentum, adeoque iuramentum per se obliget, vt suprà diximus, & patet per cap. Debitores, hoc tit.

Certum est Secundò, Quoties actus qui iuramento promittitur, natura sua malus est, eiusmodi promissionem non validari iuramento; imò ipsum iuramentum manere inualidum, vtpote cadens in materiam illegitimam, vt patet ex dictis Dubio 3.

Certum est Tertiò, Etiamsi actus qui promittitur, tantùm sit prohibitus Lege humana, eius promissionem etiam iuramento confirmatam non obligare: stante enim prohibitione, etiam ille actus manet illicitus.

Certum est Quartò, Quando ipse contractus Lege positiua simul prohibitus & irritus est, interdum accessiu iuramenti firmari, aliquando autem non firmari: quod omnino quando fiat, expedit discerni propter insignes differentias inde pendentes. Si enim firmetur qui nullus erat, iam fit non solùm firmus, sed irreuocabilis. Secundò, Si firmetur, etiam obtenta relaxatione iuramenti, non statim licet contrauenire contractui, per cap. Pactum legitimè, De Regulis iuris, in 6. secùs si plena esset obtenta relaxatio. Tertiò, Si firmetur, oritur præiudicium tertij, quod impedit relaxationem Superioris, quæ iustè aliàs postulata facilè conceditur, quando nullum quæsitum est Ius tertio. Quartò, Si firmetur, transit ex iuramento aliqua obligatio ad heredes iurantis, quæ aliàs non transit. Denique si firmetur, non potest repeti solutum: secùs si non firmetur; poterit enim repeti tamquam solutum sine causſa, sicuti quod iuratus soluit latroni.

Meritò itaque inquirendum, quando firmet?

Sanè quando contractus principaliter in fauorem publicum prohibetur, satis conueniunt Doctores, non firmari iuramento. Ratio est, Quòd iurans non possit fauori publico renuntiare, adeoque meritò censeatur prohibitio præualere. Confirmatur ex cap. Si diligenti, De foro competenti; vbi Clericus non renuntiat validè priuilegio fori, eò quòd concessum sit in publicum totius status Clericalis fauorem. Quando autem inhibitio facta est in fauorem & vtilitatem priuatam ipsius iurantis principaliter, etiamsi ex consequenti cedat in publicum fauorem, regulariter firmatur contractus accedente iuramento, partim quia potest quisque Iuri suo priuato derogare, partim quia



quia mens Legum prohibentium ista est, vt quamuis velint per se non valere tales contractus, velint tamen valere si iurentur: neque enim æquum est, inuito fauere contra fauorem Religionis; ideoque cap. 2. De pactis, in 6. talia iuramenta dicuntur seruanda, quando non vergunt in alterius præiudicium, aut æternę salutis dispendium. Similem Constitutionem videre licet Authentica Sacramenta puberum, C. Si aduersus venditionem.

Dico Regulariter; si enim reprobetur contractus in odium creditoris, ex cuius parte versatur turpitudo aliqua contra Legem naturalem aut diuinam, iuramentum in fauorem eius est quidem validum antequam relaxetur, quando solùm versatur damnum iurantis temporale; non tamen fit validus contractus: non enim facis vt odium illud cesset tua cessione. Item si disertè Lex non solùm irritet contractum, sed etiam iuramentum quod fortè apponetur, manet irritus contractus, etiamsi iuramentum apponatur. Couarruuias in cap. Quamuis pactum, De pactis, in 6. parte 2. §. 1. Itaq; iuramentum appositum inualido cõtractui, aliquando etiam ipsum est inualidum; aliquando ipsum quidem validum, non tamen validans contractum; aliquando & validum & validans, vt pro nostro instituto breuiter declarauimus. Addo tamen, etiam validum contractum, sed reuocabilem, iuramento addito fieri irreuocabilem, vt patet ex dicta Authentica Sacramenta puberum, & in eam tradit Guitieres num. 27.

Non desunt tamen qui existiment, numquam contractum irritum accessiu iuramenti validari, aut reuocabilem fieri irreuocabilem: sed per dictam Authenticam & similes Leges, si quæ sint, aut Canones, solùm statui, iuramentum inuiolabiliter esse seruandum, quod fieri potest manente irrito eiusmodi contractu. Imò arguunt quidam, vix ipsum iuramentum vim suam retinere, aut validè apponi, vt multum abesse intelligatur à firmando contractu, ex L. Non dubium, C. De Legibus. Sed retinendum est cum communi, per dictam Authenticam Sacramenta puberum, siue ea corrigat Leges priores, siue non, non tantùm statui, ipsum iuramentum in se esse seruandum, sed etiam inuiolabiliter seruandum esse in contractu cui apponitur, adeoque seruandum esse ipsum contractum, vt ipsum iuramentum ad sui robur trahat contractum, sicuti in natura sua illicitis, inualiditas contractus ad suam infirmitatem trahit iuramentum.

Ad L. autem, Non dubium, dici potest, vel eam esse correctam per dictam Authen. Sacramenta puberum; vel solùm procedere, quoad Leges omnino generaliter pro vtilitate aliqua publica, principaliter inhibentes contractum.

*Iuramentum validat contractum etiam Iure Canonico irritum.*

Quæres, Vtrùm iuramentum appositum etiam validet contractum qui erat irritus Iure Canonico?

Respondeo, Voluerunt quidam, Non validare: sed contrarium est verius: quia nullo fundamento id voluerunt, vt benè docet Sanchius in Decalogum lib. 3. cap. 12. num. 13. Itaque valebit donatio inter coniuges iuramento firmata etiamsi ea fuerit irrita etiam Iure Canonico, cap. finali, De donationibus inter virum & vxorem.

Secundò quæri hîc potest, Vtrùm iuramentum per infideles præstitum etiam validet contractum aliàs irritum?

Respondeo, Validare, si isti infideles vel Legibus Christianorum Principum, vel Ecclesiæ subsint.

*Quale debeat esse iuramentum quo contractus validetur.*

Tertiò quæritur, Quale debeat esse iuramentum quo contractus aliàs inualidus validetur; an sufficiat esse de implendo contractu, an verò disertè debeat esse de non reuocando contractu, de non repetendo pretio virtute contractus soluto, aut de non petenda contra eum restitutione aut dispensatione?

Hæc quæstio difficultatem habet. Tractat eam & absoluit Sanchius suprà citatus num. 19. & aliquot sequentibus; ex cuius sententia distinguendum est. Sunt enim quædam promissiones talis naturæ, vt etiamsi obligent, reuocari tamen possint, aut momentanea solutione expleri, sic vt beneficio Legis solutum repeti possit. Aliæ non habent eiusmodi naturam, sed si reuocentur, aut solutum repetatur, fallitur data fides. In prioris generis promissionibus magni refert, quomodo apponatur iuramentum, an sonet de soluendo, aut de soluto non repetendo: priori enim modo iuratus promissor tenebitur vi iuramenti soluere, sed poterit repetere solutum, nisi etiam hoc addiderit in iuramento, se solutum non repetiturum. Talis erit, verbi gratia, qui iurauit soluere vsuram aut quæ in ludo amisit, vbi Lex repetitionem concedit. In posterioris generis promissis sufficit iurare quomodo promittitur: operatur enim omnem effectum tale iuramentum, ac si disertè additum fuisset de non reuocando promisso, de non repetendo dato. Talis erit promissio de Petro instituendo herede: si enim illud iuraueris, non potes reuocare testamentum, quia non habet effectum promissio instituendi heredem, si ante mortem testamentum reuocetur, & post mortem reuocabile non est.

*De iuramento per Procuratorem præstito.*

Quartò quæritur, Vtrùm eamdem vim habeat iuramentum præstitum per procuratorem habentem mandatum iurandi?

Respondeo, Habere, etiamsi principalis dans procuratorium non iuret illud habere ratum. Si tamen constituens fuerit minor, debet etiam in ipsa commissione interuenire iuramentum ipsius minoris. Sanchez suprà num. 24. & aliquot sequentibus. Aduerte tamen, debere minorem esse puberem, per Authenticam Sacramenta puberum.

*An iuramentum posterius inualidet prius.*

Quintò quæritur, Quid valeat posterius iuramentum pro contractu, quando aliud iuramentum contrarium præcessit?

Respondeo, Aliqua hîc certa sunt, aliqua verò solùm probabilia. Certum in primis est, eum qui licitè & validè aliquid facere iurauit, non obligari posteriori iuramento, quo iuret illud idem non facere: verbi gratia, iurauit soluere promissas vsuras, & postmodum iuro eadem non soluere; teneor priori iuramento, non posteriori. Est ratio manifesta, Quia non possum iurare rem illicitam: hoc enim est contra comitem iustitiæ iuramento debitum, de quo diximus suprà Dubio 3. est autem mihi illicitum non soluere vsuras, quas soluere iurauí, cap. Debitores, De iureiurando.

Certum est Secundò, Eum qui vouit vel iurauit sine voto solemni, non ducere vxorem, peierare quidem quando iurat hanc ducere, teneri ta-

men hoc iuramento posteriori, non obstante priori. Ratio est, Quia virtute confirmat contractum qui est in promissione hanc ducendi; hic autem contractus quamuis sit ipsi illicitus propter iuramentum, est tamen validus, & iuramentum ei accedit vt esse validus, ita vt non sit de re illicita, sed de effectu eius; sicuti si quis iuret alere prolem ex fornicatione susceptam.

Hinc colligitur, Non fore validum iuramentum in proposito, si indefinitè iuret nuptias, quas priùs abiurauerat, puta cùm priùs iurasset non ducere, nunc iuret ducere vxorem, nullam designando personam, & sine forma contractus.

Probabile verò est in primis, Obligari eum posteriori iuramento, qui priùs iurauit non facere certum contractum iure humano irritum, qualem diximus suprà per iuramentum accipere robur, & posteà eumdem contractum facit, & pro eius robore interponit iusiurandum; verbi gratia, iurauit pubes minor habens tutorem, non contrahere sine eius auctoritate, contrahit tamen posteà, & iuramentum addit in eiusmodi contractus robur: verius existimo, eum obligari iurato illo contractu, non obstante periurio quod incurrit sic contrahendo. Imò certum videtur, non cadere iuramentum posterius in materiam illicitam, neque esse verè contrarium priori iuramento. Quamuis enim propter prius iuramentum fuerit illicitum huic minori contrahere, non tamen fuit illicitum, contractum iam initum seruare. Potuit itaque iurare quòd eum non reuocabit, licet iurauerit priùs, quòd eum non iniret. Et ita tenet Suarez tom. 2. De Religione lib. 2. cap. 30. quamuis aliter sentiat Sanchez in Decalogum lib. 3. cap. 12. n. 38. qui pro vtraque parte plurimos citat.

Dices, Quando iurauit non alienare, tacitè iurauit reuocare alienationem in euentum quo eam faceret: ex vi enim iuramenti quo iurauit non alienare, tenetur reuocare alienationem factam.

Respondeo, Id verum non esse: neque enim superfluè iurat Beneficiarius, quòd alienata sui Beneficij bona recuperabit, postquam iurauit ea non alienare; verius enim est, non teneri eum ingredi Religionem, qui postquam iurauerat se ingressurum Religionem, contraxit matrimonium, sed non consummauit, vt videtur etiam ipse Sanchez sentire ex ijs quæ tradit lib. 1. De sponsalibus, disp. 43. num. 9.

*Qui iurauit se non iuraturū, quomodo validè iuret.*

Quæres, Quid si iurauerit quis se non confirmaturum iuramento aliquem contractum, poteritne eiusmodi contractum iuramento reddere validum?

Respondeo, Probabile est, quòd reddet validum, quia verè tale iuramentum obligat, cùm in eo verè Deus in testem inuocetur, & res quæ iuratur, in se sit licita. Quare si iurasti non ducere vxorem, & in iuramento etiam hoc addideris, quòd numquam sis iuraturus, vt te obliges ad vxorem ducendam, & postmodum pœnitentia ductus, iuras quòd hanc duces, idque iuramento confirmas; teneris iuramento postremo, non obstantibus prioribus iuramentis. Idem dicendum, etiamsi iuraueris te velle irritum esse quod contrà fortè contigerit te attentare: non enim est in potestate priuati, irritare actus, qui lege Superioris manent rati.

At quid si ptius iuramentum factum sit in fauorem tertij, cui isto iuramento iam ius est acquisitum, poteritne præualere iuramentum posterius?

Respondeo, Si verè promissio iurata sit acceptata à tertio, eique Ius quæsitum, non posse præualere iuramentum posterius: imò neque contra sponsalia non iurata possunt præualere iuramenta posteriora. Argumentum ex cap. Cùm contingat, De iureiurando.

Denique quæres, Quid dicendum, quando contrahens tecum est conscius quòd iuraueris non contrahere?

Respondeo, Eo casu non iri confirmatum iuramento (alioquin obligante etiam sine legitima relaxatione non violando) hunc contractum secundùm communem sententiam, quam sequitur Suarez suprà: non enim confirmatur iuramento contractus aliàs inualidus, quoties interuenit turpitudo ex parte eius cui iuratur.

Pertinet huc etiam illa quæstio, Vtrùm in foro externo ex nudo iuramento oriatur actio & obligatio?

Disputat Couarruuias suprà 1. parte §. 2. n. 3. & respondet, vtroque Iure ex iuramento actionem competere & oriri obligationem, quidquid Innocentius & reliqui Canonistæ pro maiori parte in contrarium dixerint. Hæc responsio verior est, & satis certa quoad Ius Canonicum, cuius finis est, pericula animarum auertere, adeoque curare, ne contemnatur iuramenti Religio.

Superest vt iuramenti vim conferamus cum obligatione voti, vtra sit maior? *An maior sit obligatio iuramenti quàm voti.*

Iuramenti enim nō videtur esse maior, quia Iustinus q. 27. à Gentibus proposita, generatim docet, vim Legis iuramento cedere: ideoque Moysen cùm Lege vetaret mortuum contingere, propter iurisiurandi tamen religionem Iosephi ossa, vt adiurauerat, transtulisse. *Iuramentum enim*, inquit, *magis seruandum, quàm Legi parendum.* *Prima sententia.* *Probatur.*

Secundò, Iuramentum nos Deo obligat & simul homini; votum tantùm Deo. Vnde Pontifices facilùs solent vota relaxare quàm iuramenta. 2.

Tertiò, Votum metu ad hoc incusso factum, est nullum; vbi tamen iuramentum valeret, vt patet ex dictis. 3.

Quartò, Infirmius à fortiori confirmatur: atqui constat, subinde votum iuramento confirmari. 4.

Denique, Qui peierat, minuit diuinum honorem; qui votum non seruat, tantùm non auget. 5.

In contrarium tamen facit, quòd irreuerentia maior irrogetur, quando ea coniuncta est cum infidelitate, vel per infidelitatem irrogatur, quàm si simpliciter tantùm irreuerentia irrogetur: atqui votum infringens, non simpliciter peccat in Dei reuerentiam vt periurus, sed ipsi Deo est infidelis: solent autem domini ægriùs ferre famulorum irreuerentem infidelitatem, quàm simplicem aliquam irreuerentiam, puta si audeant requirere, vt dominus falsum testetur. *Secunda sententia.*

De hac re variant opiniones, & quidem D. Thomas præfert obligationem voti, alij iuramenti, vt Maior in 3. dist. 39. Michael Medina, citatus apud Nauarrum consilio 4. De Regularibus, cui & ipse Nauarrus satis fauet.

Sunt qui distinctione vtantur, quasi iuramenti, quando Deo præstatur, obligatio maior sit quàm voti; secùs quando iuramentum, vt ferè fit, præstatur homini. Ita refert Azorius lib. 11. cap. 5. q. 1.

4. Alij solo Religionis spectato vinculo, præferunt iuramentum; votum tamen præferri dicunt, si consideretur concurrens simul obligatio fidelitatis erga Deum. Ita Valentia hîc puncto 4.

5. Alij dicunt, Esse paris obligationis. Ita multi Canonistarum, & indicat Panormitanus in cap. Si verò, De iureiurando: dicit enim, de voto & iuramento tamquam paribus esse iudicandum, quamuis Ecclesia maioris faciat obligationem iuramenti, tamquam frequentioris, ne detur materia periurij.

*Verior sententia, votum magis obligare quàm iuramentum promissorium.*

Probabilior videtur modus loquendi D. Thomæ, ceteris paribus, iuramentum promissorium præstitum homini, minùs obligare quàm votum. Et ita tenent communiter D D. Azorius suprà, Siluester verbo Votum 4. q. 5. Sotus lib. 8. q. 1. art. 8. Henriquez lib. 7. cap. 30. num. 5. Nauarrus cap. 12. num. 32. quamuis ipse putet, si vtrumque Deo fiat, vel æquè principaliter in vtilitatem proximi vtrumque cedat, paris esse obligationis. At sanè pro D. Thomæ opinione etiam illo casu facit, quòd fidelitas erga Deum plus obliget quàm erga hominem: & iterùm, erga ipsum Deum plus obliget fidelitas, quàm reuerentia communi aliquo modo debita: nam irreuetentia in infidelitate includitur, non contrà; cùm etiam quando subdito Superior quis fidem fallit, ad quemdam contemptum eiusmodi infidelitas pertineat, vt benè Caietanus & Sotus obseruant.

Hinc consequens est, Etiamsi iuramentum fiat de re præstanda Deo, modò non includat votum, parere obligationem minorem quàm votum.

Patet item, Non rectè distinguere Valentiam, tum quia fidelitas erga Deum pertinet ad Religionem; tum etiam quia fortiùs obligat Religio ad votum, quàm ad iuramentum seruandum: in voto enim accedit inclinatio ad actum promissum, tamquam imperatum à virtute Religionis.

Patet denique, Neq; Nauarri moderationem esse necessariam: nam etiamsi res vtrobique æquè principaliter promissa fuerit in vtilitatem hominis, & cetera sint paria, maior tamen erit obligatio ex voto, ob causas dictas.

*Resp. ad argumenta primæ sententiæ. Ad 1.*

Ad argumenta opposita respondeo. Ad Primum, Iustinus non dicit, Legem de iuramento seruando superare omnem Legem, sed tantùm illam quæ est de non tangendo mortuo, aut similem cærimonialem, quæ non pertinet ad illa quæ maiora sunt Legis, sicuti Lex de reddendis votis & iuramentis.

*Ad 2.*

Ad Secundum, Inde vtcumque sequetur, iuramenti vinculum esse extensius, non autem esse fortius. Quòd verò Pontifex faciliùs vota relaxet, causa est, quòd per iuramenta acquiratur Ius homini, cui Dei Vicarius, vti nec ipse Deus, non facilè solet præiudicare, non consentiente eo cui Ius quæsitum fuerit.

*Ad 3.*

Ad Tertium, Ratio diuersitatis est, non quòd votum infirmius sit, sed quòd sit nuda promissio, quæ natura sua non obligat, siue Deo fiat, siue homini, quando per iniuriam & metum extorquetur. Vnde si votum sic extortum iuramento confirmes, verius est, obligare iuramentum, vt docet Emanuel Sà. Quamuis enim Deo non obligeris vt promissario, quia non acceptauit extortam sic promissionem, neque satis libera fuit vt obligationem pariat; obligaris tamen ei vt testi & fideiussori, secundùm ea quæ diximus Dubio 6.



Ad Quartum respondeo cum D. Thoma, Soto, & alijs, Etiam vinculum minùs forte posse addi fortiori, non quia per se fortiùs ligat, sed vt sint duo, quæ simul fortiùs ligent quàm alterum tantùm. Confirmatur, Quia vt voto iuramentum, ita & contrà, iuramentum voto superaddi contingit. *Ad 4.*

Ad Postremum respondeo negando, eum qui votum violat, dumtaxat non augere diuinum honorem, verè enim minuit; ideò enim Ecclesiastes cap. 5. dicit, longè melius esse non vouere, quàm vota non reddere: quòd multo deterius sit Deum per infidelitatem inhonorare, quàm abstinendo à votis, eius honorem non augere. *Ad 5.*

Hactenus cum D. Thoma comparauimus iuramentum promissorium tantùm cum voto: cùm enim votum sit promissio, putauit D. Thomas, manendo in eodem genere voti, comparationem esse instituendam cum promissione iurata, quæ votum non sit.

Quæritur itaque, An sit eadem ratio iuramenti assertorij? hoc est, Vtrùm etiam istius obligatio sit minor quàm voti? *Iuramentum assertorium magis obligat quàm votum.*

Sententia verior est, Non esse eamdem rationem, sed assertorij iuramenti esse maiorem obligationem. Ratio est, Quia periurus in assertione quodammodò spoliat practicè loquendo, quantum in se est, Deum veritatis primæ prærogatiua; voti autem violator solùm fraudat Deum debito obsequio. Itaque sicuti grauius est spoliare quempiam re sua, quàm negare debitum; ita periurium assertorium grauius est violatione voti.

Neque est hæc sententia contraria D. Thomæ, qui (vt diximus) solùm loquitur de iuramento promissorio. Ita sentit D. Thomæ propugnator egregius Raphaël de la Torre, Ordinis Prædicatorum, in suo Commentario ad q. 89. art. 8. huius partis, Suarez lib. 2. De iuramento, cap. 3.

## DVBIVM IX.

### *Vtrùm liceat Iuramentum exigere ab eo quem scis peieraturum?*

*D. Thomas q. 98. a. 4.*

VIDETVR id licere: quia fieri potest, vt Iudex sciat falsum eum iuraturum, cui ex officio, vrgente parte, imponit iuramentum. *Prima sententia. Probatur 1.*

Secundò, Faciamus verum esse, testem autem quem adduco, existimare id esse falsum, paratum tamen esse mei gratia iurare ita esse; potero, si necessitas postulet, formali eius periurio vti, ne innocens, & fortè etiam cum aliorum damno, occidar.

Tertiò, Alioqui vix liceret vmquam iuramentum exigere: si enim proximum, cum quo agis, verum iuraturum nosti, superfluum est iuramentum.

In contrarium tamen facit Augustinus Sermone 28. De verbis Apostoli, relatus cap. Qui exigit 22. q. 5. *Si nouit eum feciſſe, vidit feciſſe, & cogit iurare, homicida eſt.* Et Sermone 117. in *Secunda sententia.*

Nouis,ex quo desumptum est cap.Ille qui hominem,eadem quæst. *Qui hominem prouocauit ad iurandum, & scit eum falsum iuraturum, vincit homicidam*, &c. Neque est recipienda Glossa, quæ dicit damno vincere, eò quòd sit maius damnum in amissione illius animæ,quàm mille corporum, non autem grauitate culpæ, & cap.1.dist.13. contrarium dici. Recipienda, inquam, non est: quia, vt benè Turrecremata, periurium cùm sit peccatum directè in Deum, etiam grauitate superat homicidium. Neque contrarium dicitur cap. quod objicitur,sed solùm,quando ne periures deliberas crudeliter tractare proximum, vt fecit Herodes Ioanni,oportere te cogitare potiùs, bis tãtùm peccandum esse,quàm tripliciter:qui enim peierat,in suam animam peccat,& in Deum; qui autem occidit iniustè, in Deum, in animam suam, & in proximum peccat. Quæ congrua quidem est dissuasio,existimantis iuramentum posse esse vinculum iniquitatis: sed si crudè vrgeatur, probabit, omne peccatum contra præcepta secundæ tabulæ grauius esse peccatis in primam tabulam, cuius oppositum ex communi sententia omnino dicendum est.

*Priuato quando non liceat à peieraturo exigere iuramentum.*

Sit PRIMA CONCLVSIO. Priuatus exigens iuramentum ab eo quem nouit peieraturum, grauissimè regulariter loquendo peccat. Primò quidem peccato scandali in proximum, cuius manum quodammodò impellit in spirituali suiipsius homicidio, vt loquitur Augustinus: deinde in Deum, tamquam cooperator periurij; quia vt Apostolus dicit Rom. 1. *digni sunt morte* etiam illi qui consentiunt talia facientibus. Extendendum est id etiam, quando non inducitur quis ad peierandum, sed paratum se exhibet, quidquid dicat Siluester verbo Iuramentũ 2.q.9. Extendendum denique, vt locum habeat tam in promissorio iuramento,quàm in assertorio.

*Quando liceat.*

SECVNDA CONCLVSIO. Actor in iudicio potest iuramentum per Iudicem à parte exigere, etiamsi putet peieraturam, quando vt exigat, iustam rationem habet, puta quia necessarium est vel conducibile ad Ius suum tuendum, vel quia fortè aliter sententia ferri non potest.

TERTIA CONCLVSIO. Etiam priuatus potest pro confirmatione contractus à se initi petere à parte contrahente iuramentum,etiamsi nouerit eam peieraturam, si hæc iuramenti exactio erat ei necessaria,vel valdè vtilis,puta ad dandum contractui vires,vt coram Iudice petatur impleri. Patent hæ Conclusiones duæ ex generali doctrina morali, quæ habet, nullam culpam incurrere eum, qui petit id ad quod Ius habet, & quod alter præstare potest sine peccato, etiamsi præstiturus non sit sine peccato.Fatendum tamen, quando ad iuramentum non erat paratus, sed à te inducitur, debere esse causam magis prægnantem.

*Iudex quãdo possit exigere.*

QVARTA CONCLVSIO. Iudex etiamsi nouerit quempiam falsum iuraturum, quando pars vel ratio officij id postulat, potest nihilominùs eius exigere iuramentum: ipse enim fortè hoc debet ordini iustitiæ,vt iuramentum nunc exigat; neque tam sibi quàm alijs exigit, quibus officium suum negando, faceret iniuriam. Moraliter ergo non cooperatur aut consentit, quia quòd propter euenturum alterius peccatum non desistat ab officio sibi incumbente, iustam habet causam: neque enim Iudex debet esse iniustus, ne testis sit periurus; nam etiam minora peccata in nobis admittere non debemus, ne proximus admittat maiora. Accedit,quòd etiamsi sine peccato possit Iudex non exigere à tali iuramentum, nihilominùs possit exigere, si commodè aliter officio fungi nequeat: quomodo etiam pro negotiatione non omnino necessaria, diximus licere petere mutuum ab vsurario.

Non tamen displicet Alexandri Halensis monitio, Debere etiam Iudicem, quoad commodè potest, à iuramento talem repellere: sicuti nec illud quod alij dicunt, Non facilè debere exigere, quando nullus est in iudicio actor; pro quo facit cap. Clericos, De cohabitatione Clericorum & mulierum, vbi prohibetur Episcopus à Clericis exigere iuramentum de dimittendis concubinis, propter periculum periurij. Quod Panormitanus monet vtiliter extendendum, ne Scholares teneantur iurare quòd obedient Rectori.

*De iuramento quod præstatur occasione Beneficij, &c.*

Extendendum existimo etiam ad illos, qui iuramenta exigunt occasione alicuius muneris, gradus, Beneficij, vel status, quæ sciunt vt plurimùm integrè non seruari, aut vera non esse, modò talia exigentes eorum formam sine incommodo mutare possint. Neque excusantur hoc casu tales exigentes, quòd iuramenta dicantur eatenus seruari, quatenus in vsu sunt: non enim deberet in vsu esse, vt id seruandum iuretur, quod scitur in vsu non esse vt seruetur. Nemo praua humana consuetudine existimet, se contra Deum peierandi licentiam præscribere. Neque tamen displicet quòd Sanchius annotat lib.3.in Decalogum,c.14. eum qui iurauit statuta seruare, non teneri virtute iuramenti seruare ea statuta, quæ vsu recepta non sunt, aut per desuetudinem sunt antiquata; talia enim verè non sunt statuta. Sed non facilè tolerandum est, quòd in particulari ea iuranda exigantur, & seruanda iurentur, quæ sciuntur in perpetuum iam antiquata esse. Itaque quamuis vt statuta non obligent, fortè tunc tamen vt iurata obligabunt, nisi solùm iurentur ea tacita conditione, quatenus sunt statuta vsu recepta, quomodo id excusant Sanchez & Suarez ab ipso citatus.

Illud addiderim, in ijs quæ pertinent ad exclusionem ambitiosæ corruptelæ, iuramenta posse exigi, & non desinere rigidè obligare præstita, verbi gratia, quando iuratur quòd ij qui officia adeunt, non sollicitauerint, & similia, etiamsi sciantur à plerisque non præstari sine periurio.

*Resp.ad 1. Probat.1. sententia.*

Ad argumenta initio proposita ferè patet solutio ex dictis. Ad Primum, Iudex exigens iuramentum ad instantiam partis vtitur Iure suo: pars autem exigens,si peieraturum nouit aduersarium, interdum non peccat, secundùm ea quæ diximus secunda conclusione; interdum verò peccat, secundùm primam conclusionem.

*Ad 2.*

Ad Secundum, Prior conclusio est extendenda etiam ad illum, qui vel formaliter tantùm, vel tantùm materialiter scitur peieraturus, vt de hoc docet Azorius lib.11.cap.11. quæst.2. de illo autem vel par,vel etiam maior est ratio.

*Ad 3.*

Ad Tertium respondeo cum D. Thoma, Fieri posse vt dubitem de facto,confidam autem te verum quod nosti iuraturum. Augustinus tamen suprà De verbis Apostoli, indicat frequenter ad humanam tentationem pertinere, quòd à proximo exigas iuramentum, quamuis alibi testetur nusquam id prohibitum esse.

DV-



## DVBIVM X.

### *Vtrùm liceat ab eo exigere Iuramentum, qui per falsos deos iuraturus est?*

VIDETVR non licere: quia vt ostendimus Dubio 4. peius est per falsum deum iurare verum,quàm falsum iurare per Deum verum;ergo si malum sit prouocare peieraturum, vt iam dictum est, etiam malum erit iuraturum per idolum ad iurandum inducere.

*Licet exigere iuramentum à iuraturo per idolum.*

Licere tamen,apertè docet Augustinus Epistola 154.Ad Publicolam. Confirmari potest exemplis Sanctorum, Genesis 31. Iacob iuramentum accepit à Laban, qui iurauit per deum Nachor & Thare, quem constat fuisse idololatram.Iosue vlt. & probabimus Capite sequenti, Dubio 3. Genesis 26.dicuntur Isaac & Abimelech cum alijs idololatris sibi mutuò iurasse. Machabæi quoque cum Romanis & alijs idololatris fœdera inierunt, quos per falsos deos iurasse existimat Gratianus caussa 22.quæst.1.cap.Mouet.

*Non autem vt iuret per idolum.*

Omnino tamen cauendum, ne exigatur iuramentum per falsos deos, sicuti neque licet petere vt detur ad vsuram,vt suo loco diximus:hoc enim non est verè vti alterius malo, sed illud procurare, quod est consentire malè facientibus. Vnde neque tacitè licet acquiescendo approbare adiurationem factam per idolum, vt ex professo docet Tertullianus lib. De idololatria, cap. 21. *Omnis enim*,inquit,*eiusmodi patientia est idololatria*.Vnde & illum idololatriæ damnat, cui cùm quidam diceret, Iupiter sit tibi iratus; respondit: Imò tibi. Eódem pertinet,si per deos vanos benedici sibi Christianus permittat pura à paupere cui eleëmosynam dedit, contra quem agit Tertullianus ibid. cap.22.Itaque iuramentum licet ab eo exigere qui iurabit per idolum, non autem vt iuret per idolum: quod Augustinus probat, quia hoc sit tantùm vti fide & pace per tale iuramentum facta, quod omnino licere est manifestum. Contingit enim vt si nolimus vti pace sic facta, interposita iuratione barbarica, oporteat nos de hoc mundo migrasse,vt qui in terris vbi viuamus, locum non reperiamus. Huc facit, quòd qui iuramentum exigit ab idololatra ex caussa iusta, Iure suo vtatur, exigendo eius affirmationem religiosam: religio enim illa quæ est in iuramento, non solum Deum respicit, sed etiam illum cui iuratur; nam etiam homini cui iuras, religiosam assertionem debere potes.. Exigit ergo iste quod sibi quodammodò ex quodam conuiuendi Iure debetur, quando iuramentum exigit, etsi videat idololatram vero Deo non daturum quod ipsi debetur.

Vnde patet, si verè putes ipsum eum non iurare,quando per verum Deum,quem non colit, iurat,posse te instare pro vera iuratione, etiamsi hæc quam reijcis,sit per verum Deum, & subsecutura per idolum. Patet etiam discrimen, quare liceat dicere idololatræ,Iura mihi;non autem, Sacrifica, si cùm vero Deo sacrificare possit, scias sacrificaturum idolo: Ius enim conuersationis istud non æquè postulat ac illud. Patet etiam, quare mago qui licitè posset curare, non posses dicere, Cura, quando curaturum scis per magiam; hoc enim non est vti conuersationis humanæ communi societate, quam auctor naturæ indulget, sed præterito diuino & humano subsidio, dæmonis auxilium oblatum admittere, quod nobis non licet, quibus omnis societas dæmonum interdicta est. Verùm de hac re alibi. Vt ergo liceat iuramentum ab idololatra accipere, humanæ necessitatis conuersatio quodammodò extorquet, vt in simili loquitur Tertullianus dicto lib.cap.20.

## DVBIVM XI.

### *Quibus modis ab obligatione Iuramenti liberemur?*

*D. Thomas quæst.89.art.9.*

VARIIS id modis contingit: mutatione materiæ,irritatione,dispensatione,commutatione, remissione eius cui præstitum est, relaxatione Iudicis.

*Mutatione materiæ.*

Contingit enim Primò, aliquando ita mutari materiam, vt sic ea ab initio constituta, iuramentum non obligasset, sicut de voto dictum est. Quando autem eiusmodi mutatio certa est,potest quisque sine auctoritate Superioris iuramento suo contrauenire. Euenit autem istud ferè tribus modis. Vno, Quando materia fit ingrata promissario. Altero, Quando eius impletio definit esse actus virtutis, id est, quando vergit in deteriorem exitum, ita vt malum esset in eo seruare fidem, & iuramentum fieret vinculum iniquitatis. Denique, Quando conditio expressa, vel satis intellecta non impletur.

Primo modo cessant omnia iuramenta præstita soli Deo (quæ potiùs votorum naturam habent quàm iuramentorum) quando definunt esse de meliori bono; Deo enim semper gratius est quod melius: secùs si sint præstita homini. Secundo modo definit obligare iuramentum, quoties ex materia indifferenti vel bona fit illicita, non obstante iuramento priori, de eo opere faciendo. Quod addo, quia fieri potest, vt Superior aliquid prohibeat, nolit tamen eis prohibere, qui ex iuramento ad id tenentur; oportet ergo fiat illicita, etiam non obstante iuramento. Tertio modo conditionatum iuramentum non obligat, si promissarius conditionem non præstet, cap. Peruenit 2. cap. Sicut, hoc tit. cap. Verùm, De conditionibus appositis.

*Irritatione.*

Irritatione cessat iuramenti obligatio, quando etiam sine caussa potestatẽ eius habens, rescindit iuramẽti vinculum,siue ea potestas sit in voluntatem iurantis, siue in rem iuratã,siue in vtramque. Patet Numeri 30. & ex ijs quæ De voto diximus.

*Dispensatione.*

Per dispensationem autem cessat, non illam propriè dictam, quæ fit sola potestate Superioris, non priùs variata materia: neque rursus aliunde iam mutata materia; quem primum modum fecimus; sed subtractione quadam materiæ, per auctoritatem ipsius Superioris ex iusta caussa. Quod locum non habere in iuramento assertorio de præterito aut præsenti, rectè docet D.Thomas,sed in promissorio, de actu aliquo futuro. Quemadmodum enim futurus eiusmodi actus subest dispositioni Superioris, vt eum iubere possit aut vetare, adeoque efficere, vt ad eum subditus obligetur faciendum vel omittendum; ita etiam subest eiusdem dispositioni, vt efficere possit, ne ad talem actum subditus obligetur per iuramentum aut promissionem.

Verùm circa dispensationem iuramenti magna quæstio est, Vtrùm omnia illa iuramenta quæ in

*An iuramenta in materia reſeruata, in votis ſint reſeruata.*

tali verſantur materia, & eo modo, vt ſi vota forẽt, eſſent reſeruata Pontifici, etiam debeant cenſeri reſeruata: verbi gratia, iurauit quis ingredi Religionem, vtrùm cum eo non poſſit diſpenſare Epiſcopus?

*Sententiat.* Caietanus hîc, Sotus lib. 8. quæſt. 1. art. 9. & alij, dicunt, Vbi vota, ibi & iuramenta reſeruari: quos ſequitur Azorius, lib. 11. cap. 9. & eſt communior. Fundamentum eſt, quòd eiuſmodi iuramenta verè ſint vota, aut votum includant. Sicuti enim qui Petro iurat rem gratam præſtare, eamdem ipſi promittit; ita qui Deo iurat quòd ingredietur Religionem, ingreſſum illum Deo promittit. Confirmatur, Qui iurat ingredi Religionem, non præſtat iuramentum aſſertorium, ſed verè promiſſorium; promiſſarius autem eius non eſt homo coram quo forte iuratur, alioqui is relaxare poſſet, quod nemo dixerit; ergo Deus eſt promiſſarius, atque adeò eſt ibi votum, quod nihil eſt aliud quàm promiſſio facta Deo.

*2. ſententia.* Non reſeruari tamen vlla iuramenta, docet Tabiena verbo Iurare, quæſt. 20. cuius ſententiam Nauarrus conſil. 1. De iureiurando, numero 4. cenſet probabilem. Ratio eſt, quòd voti maior ſit obligatio quàm iuramenti, vt ſuprà ex D. Thoma diximus; à maiori autem non valeat illatio negatiua.

*3. ſententia verior.* Tertia eſt ſententia Sanchez lib. 8. diſp. 13. vtramque dictam concilians, priorem veram eſſe communiter, quia talia iuramenta ferè includant quoddam votum: poſteriorem autem in caſu, quando fierent ſine voto, vt aliquando fieri poſſe colligitur ex illis quæ diximus ſuprà Dubio 3. & manifeſtum eſt, ſi quis comminatorie iuret alicui ſe ingreſſurum Religionem. Et hæc ſententia videtur verior. Imò quia ad Sedem Apoſtolicam omnes cauſſæ maiores referuntur, cap. Maiores, De Baptiſmo & eius effectu; non malè Sotus, Azorius & alij monent, ſolum Pontificem diſpenſare in Statuis Collegiorum iuramento confirmatis, item in iuramentis inſignium perſonarum, Regum, etiam Comitum, Epiſcoporum, & ſimilium; item in iuramento immediatè ſubiectorum Apoſtolicæ Sedi; denique in iuramento quod interponitur rebus arduis & maximè dubijs.

Guitieres Canonicarum quæſt. lib. 2. cap. 22. numero 23. indicat, pro diſpenſatione in iuramentis ſemper adeundum eſſe Pontificem, quando ea ſeruari poſſunt, ſine interitu ſalutis æternæ, ex cap. Venerabilem, De electione. Sed hoc videtur nimis rigidum, & parum conforme conſuetudini, neque colligitur ex dicto cap. Probabiliter potiùs hoc aſſeremus cum Suare lib. 2. De iuramento, cap. 40. quandoquidem vſu receptum non eſt, Epiſcopos diſpenſare in iuramentis materiæ reſeruatæ in votis, generatim ſtatuendum eſſe, in talibus Epiſcopos diſpenſare non poſſe, cùm reſeruatio votorum maximè nitatur conſuetudine Eccleſiæ.

*Iuramentũ an poſſit relaxari nõ conſentiente promiſſario.* Secunda circa diſpenſationem quæſtio eſt, Vtrùm poſſit per eam relaxari iuramentum præſtitum in fauorem tertij, non conſentiente ipſo in relaxationem?

Reſpondeo, Regulariter negari diſpenſationem in præiudicium promiſſarij, cui ex acceptata promiſſione iurata Ius quæſitum fuerit.

Poſſunt tamen eſſe aliquæ iuſtæ cauſſę, ob quas etiam inuito Ius deroget Eccleſia: puta ſi iniquè iuſiurandum extortum ſit; quamuis tunc ſæpè Ius ei quæſitum non ſit, vt patet ex dictis Dub. 6. Relaxabitur tamen iuramentum quod in eius fauorem obligabat ipſo inuito. Idem dicunt locum habere, quando dubium fuerit, ſitne iuſta, honeſta & vtilis res promiſſa. Ita Azorius. Addit rectè Silueſter verbo Iuramentum 5. quæſt. 5. idem dicendum eſſe, quando ex iuramento grauis ſequeretur læſio iurantis, quam non præuidit: hoc enim æquiparatur reali cuidam dolo. Sed benè monet Graſſius parte 2. lib. 2. cap. 10. quando graue præiudicium partis vertitur, debere eam citari, antequam iuramentum ſiue per diſpenſationem, ſiue à Iudice relaxetur: ſecùs quando non eſt graue detrimentum, vt putat non eſſe in eo quòd iuratum ſit de non petenda relaxatione iuramenti. Secùs etiam dici poſſe exiſtimat, quando periculum eſt in mora, vel iurauit debitor non vocare creditorem in iudicium.

*Diſpenſatio iuramenti requirit cauſſam vt ſit valida.* Tertia quæſtio eſt, Vtrùm diſpenſatio iuramenti requirat cauſſam ſolùm vt licitè fiat, an verò etiam vt fiat validè.

Reſpondeo, Etiam vt validè: quia obligatio eius eſt Iuris diuini, in quo ſine cauſſa validè non diſpenſat Pontifex. Si tamen Ius, quod relaxatur, Eccleſiæ quæſitum ſit, poteſt fortè Pontifex validè illud remittere, etiam ſine cauſſa. Idem iudicium, ſi præſtitum ſit iuramentum in materia principaliter ſpectante ad Pontificem, in quo debet intelligi excepta fuiſſe auctoritas Papæ.

*Obiect.* Dices, In omni iuramento intelligitur auctoritas Superioris excepta, cap. Venientes, hoc tit. ergo ſemper validè Pontifex diſpenſat, etiam ſine cauſſa.

*Reſp.* Reſpondeo cum Siluestro ſuprà, quæſt. 2. negando Antecedens: nam cap. Venientes, hoc non dicit, ſed ſolùm intelligi in iuramento exceptum Ius Superioris. Quare ſi res quæ iuramento promittitur, ſine Pontificis auctoritate non poſſit alienari, poteſt eiuſmodi iuramentum Pontifex validè ſine cauſſa relaxare: ſecùs in iuramento quod præſtitum eſt principaliter ad vtilitatem alterius hominis in materia non pertinente ad Pontificem, aut etiam in præſtito ad honorem Dei, circa cultum & obſequium perſonale: nam validè fortè relaxat Papa ſine cauſſa iuramentum de dandis centum Eccleſiæ, non autem de ſeruanda caſtitate perpetua, & ſimilia.

*Commutatio.* Quartò ceſſat iuramenti obligatio per commutationem. Et ſi quidem ſit in Dei honorem principaliter, locum habent quæ De voto diximus, vt ibi monuimus. In comminatorijs frequenter locum habet commutatio in apertè melius ſine auctoritate Superioris; quomodo Caietanus inter reliqua matres excuſat, quæ vt iurarunt non puniunt filios: quod etiam generatim obtinebit, vbi non vertitur præiudicium tertij, per cap. Peruenit 2. hoc tit. vbi autem vertitur præiudicium tertij, non ſufficit in melius mutare, etiam cum Superioris auctoritate, ſed opus eſt vel ipſius tertij conſenſu, vel alia iuſta cauſſa: quod rectè cum Siluestro extenderimus, quando vertitur præiudicium non perſonæ priuatæ, ſed Reipublicæ; conſenſus enim eius erit requirendus, qui curam habet boni communis.

*Remiſſiua.* Quintò, Remiſſione eius in cuius vtilitatem & fauorem principaliter præſtitum eſt. Quæ expeditiſ-



peditiſſima eſt ratio exoluendi huius vinculi, neque cauſſam requirit. Nonnulla dumtaxat mouetur quæſtio, Anne valeat remiſſio eius cui iuramentum eſt præſtitum, quando promiſſum pertinet ad Dei honorem, vel aliorum vtilitatem; de qua D. Thomas hîc ad 2. Siluester ſuprà, num. 8. Graſſius numero 25. Sotus lib. 8. quæſt. 1. art. 9. Sanchez lib. 9. diſp. 37. numer. 20. & lib. 8. diſp. 9. vbi conſtans ſatis DD. reſponſio eſt negans, eò quòd in tali iuramento non tam is coram quo fit promiſſio, quàm Deus ipſe ſit promiſſarius, vel illi alij in quorum vtilitatem iuratur. Niſi ergo huius cui iuras voluntas in conditionem à te promiſſo tuo appoſitam veniat, puta ſi dicas, Promitto tibi, Religionem me ingreſſurum, ſubintelligendo, Si tibi ita viſum fuerit; promiſſionem talem ſolus is relaxat qui votum, quando res principaliter in Dei honorem ſcitur cedere, aut etiam quando de eo dubium remanet; nam in dubio pro materiæ qualitate, præſertim quando ea pietati ſeruit, præſumitur, niſi animus promittentis illud dirimat.

At quid ſi æquè ſit promiſſum ob vtrumque finem, in Dei honorem, & huius vtilitatem?

Reſpondeo, Ne tunc quidem partialem illum promiſſarium totum poſſe remittere, ſed tantùm quatenus ad ſe pertinet, ita vt eius remiſſione obtenta, poſſit iam Epiſcopus vel Pontifex diſpenſare, qui ſine ea non poſſet, vt in ſuperioribus diximus; ſicuti neque in votis, quæ vel ex parte principaliter facta ſunt in fauorẽ tertij Ius inde conſecuti. Si tamen ita promiſſum cedat in Dei honorem, vt id fiat quaſi conſecutiuè ex vtilitate ipſius hominis, ſufficit remiſſio hominis; verbi gratia, ſi puellæ pauperi quis iuratò nuptias promiſerit intuitu pietatis, vt contra quoſdam cum alijs Sanchius docet lib. 1. diſp. 52. rectè id extendens vt etiam obtenta remiſſione huius, non teneatur talis aliam pauperem ducere.

*Relaxatione Iudicis.* Poſtremò, Iudex relaxare poteſt iuramentum in pœnam eius cui præſtitum eſt. Cuius exemplum habemus ſuprà Dubio 6. ſub finem. Sic Pontifex relaxat iuramenta præſtita excommunicato, cap. Alius, cap. Nos Sanctorum, cap. Iuratos 15. quæſt. 6.

## CAPVT VII.

### *De Superſtitione.*

### DVBIVM I.

### *Quid Superſtitio & quotuplex? D. Thomas quæſt. 92. art. 1. & 2.*

*Superſtitio unde dicta.* SVPERSTITIO ſecundùm Ciceronem lib. 2. De naturâ deorum, nomẽ ſumpſit ab ijs qui pro ſuperſtite ſua prole nimij erant in dijs precandis. Reijcit id Lactantius l. 4. inſtitutionum c. 28. & potiùs dictam vult ab ijs, qui ſuperſtitem memoriam hominum defunctorũ tamquam deorum colebant, aut qui parentibus ſuis ſuperſtitibus, colebant imagines eorum domi, tamquam deos penates. At neuter aſſignando nominis rationem, adæquatè ſuppeditat definitionem ac rationem rei: ille enim tantùm ponit ſuperſtitionem in verorum Deorum nimio cultu, iſte autem tantùm in cultu falſorum deorum; cùm rectiùs D. Thomas vtrumque comprehendere doceat ſuperſtitionem, & cultum Deo aliter quàm oporteat, & etiam illi cui non oportet exhibitum. Priorem aptiùs videtur ſignificare vox Græca ἀδεισιδαιμονία, Coloſſ. 2. poſteriorem δεισιδαιμονίαν, Actorum 17. & 25. illa enim voluntarium cultum, hæc autem timiditatem dæmonum ſonat. Lucretius, quem refutat Iſidorus, vt Epicureus, omnem Religionem ſuperſtitionem exiſtimans, ſuperſtitionem dictam putabat de inani illo ac ſuperfluo timore ſuperſtantium rerum cæleſtium & diuinarum, quæ ſuper nos ſtant. Sanè etiam apud Ciceronem ſuperſtitionem aliquando pro Religione vſurpatam, obſeruat Lorinus in dictum cap. 17. Actorum; quod mirum non eſt, cùm veritate aliquando ſuperatus ſatis fateatur, ſuam Religionem nihil eſſe aliud quàm ſuperſtitionem, vt conuincit D. Auguſtinus lib. 4. De ciuit. Dei, cap. 30. Alias etymologias refert Iſidorus lib. 8. Etymolog. cap. 3. vtpote, quòd ſit ſuperflua aut ſuperſtatuta obſeruatio, aut quòd à ſenibus vſque ad delirium ſuperſtitibus profecta ſit. Nonius Marcellus aliam habet, inde petitam, quòd ſuperſtitioſi præ cultura deorum à ceteris curis ſuperſedeant; ſicuti & Religionem à relinquenda aliarum rerum cura pro vno Dei cultu nonnulli deriuant. Hactenus de etymo.

Vt verò definitionẽ indagemus, obſeruandum, ſuperſtitionem eſſe vitium Religioni oppoſitum. Cùm autem Religio ſit virtus moralis, aliarum ſimilium more conſiſtit in medio duorum vitiorum, quorum vnum in exceſſu, alterum verò in defectu verſatur. Prius declinat ad dextram, poſterius ad ſiniſtram, vt docet Hieronymus in cap. 57. Iſaiæ, & (vt Clemens Alexandrinus in Parenetico ad Gentes) priori vitio laborans, deſignatur per natum ex meretrice, qui multos ſibi aſciſcit patres propter veri patris ignorantiam; poſteriori autem laborans, deſignatur per eunuchum, diuina virtute & genitali priuatum, quorum vtrumque Moyſes ab Eccleſia prohibet. Deut. 23.

*Irreligioſitas.* Irreligioſitas quæ in defectu eſt, ad atheiſmum vergit, vel impietatem, eſtque contemptus quidam & neglectus cultus diuini. Quo vitio laborant non tantùm athei, ſed politici, qui nullo aut vix vllo, & poſt politica tandem negotia Religionem loco habent. Item periuri, tentatores Dei, Simoniaci, ſacrilegi, & ſimiles rerum ſacrarum temeratores. Talis erat ille apud idololatras, quem refert Clemens Alexandrinus ſuprà, rem iſtam declarans, Herculem ligneum in ignem conieciſſe, vt ſic decimumtertium ſibi laborem exhiberet.

*Superſtitio propriè.* Superſtitio eſt propriè illud vitium, quod in exceſſu eſt. Quamuis enim in Religionem non peccetur exceſſu cultus diuini ſecundùm quantitatem abſolutam, quia vt dicitur Eccleſiaſtici 43. *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, ſuperabundabit adhuc.* Et infrà; *Exaltate eum quantum poteſtis, maior enim eſt omni laude.* Peccatur tamen exceſſu ſecundùm quantitatem proportionis: proportio enim debita duo includit; Vt non colatur qui coli non debet, ſiue vt non ſuperinducatur creatura pro creatore, aut cum ipſo colenda; & Ne cultus exhibeatur quem exhiberi non oportet, ſiue ne ſuperinducatur præter voluntatem eius qui colitur voluntate colentis, cultus aliquis: quiſ-

quisque enim Deus, vt benè obseruauit Augustinus, eo colendus est modo, quem ipse præscripserit. Integra ergo erit superstitionis descriptio, si cum D. Thoma dicamus eam esse vitium secundùm excessum Religioni oppositum, eò quòd cultum afferat vel ei cui non oportet, vel eo modo quo non oportet.

*Eius definitio.*

*1. Diuisio.* Hinc colligitur diuisio superstitionis, in peccantem in eo qui colitur assumendo, & peccantem in cultu assumpto. Quæ membra cùm specie differant, patet superstitionem non esse speciem infimam, sicut est Religio. Monet Suarez, posse addi tertium membrum ex vtroque mixtum, eò quòd contingat superstitionem simul in vtroque peccare. Sed dissimulari id potest, quia vbi res ex toto genere est illicita, non est laborandum vt modus eius licitus inueniatur, qui distinguatur ab illicito.

Possunt tamen alia nonnulla contra hanc diuisionem obijci. Videtur enim Primò cõmitti superstitio, quæ consistere possit in actu merè interno.

*Obiect.1.*

2. Secundò, Quando verus Deus colitur, parum refert quomodo colatur; *Omnino*, inquit Lactantius, *quid colas interest, non autem quemadmodum colas.*

3. Tertiò, Iudæi nunc sacrificia sua offerentes sunt superstitiosi: neutro tamen membro ipsorum superstitio videtur contineri, quia verum Deum colunt, & ritu ab ipso instituto.

4. Quartò, Qui ritum adulterinum in Dei cultu substituit, non peccat per excessum, sed potiùs per defectum, sicuti qui creditori soluens supponit monetam falsam; itaque secundum membrum non continetur diuiso.

5. Quintò, Si quis ex nouis Arianis Deum veneretur exclusa personarum trinitate, superstitiosus est; neutro tamen membro eius superstitio continetur.

6. Sextò, Laicus qui bis in die communicat, non substituit Deo creaturam, aut legitimo cultui illegitimum, neque excedit in quantitate proportionis, sed absoluta; est tamen superstitiosus.

7. Septimò, Membra non videntur pugnare, quia Scriptura vocat idololatriam etiam quando verus Deus falso cultu colitur, vt quando in vitulo Israelitæ adorauerunt Deum, qui eduxerat eos de terra Ægypti, dicuntur mutasse gloriam suam in similitudinem vituli comedẽtis fœnum. Psal. 105.

8. Octauò, Indebitus cultus est omnis cultus à Deo non præceptus, vt patet Deuteronomij 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, neque addas quidquam, nec minuas.* Continebitur ergo secundo membro quidquid extra essentialia Sacramentorum & sacrificij Missæ cultus diuini est, atque ita Ecclesia arguetur superstitionis.

*Ad 1. nſp.* Verùm ad Primum respondeo, Argumentum duo petit: Vnum, An detur aliqua superstitio merè interna ratione indebiti cultus? quia ratione eius quod colitur dari, manifestum est: potest enim quis in animo suo deuotus esse idolo, ornare & adorare idolum. Alterum, An ea contineatur hac diuisione? Ad prius quod attinet, pars affirmans non improbabiliter suadetur hoc pacto: zelus pro cultu & honore Dei ad Religionem pertinet: zelus autem non secundùm scientiam, id est exorbitãs, de quo Apostolus ad Romanos 10. videtur ad superstitionem quamdam pertinere. Idem dici potest de timore indiscreto, & similibus, præcipuè cùm, vt suprà diximus, à timiditate apud Græcos superstitio appelletur. Sit ergo superstitio quædam interior, quod etiam placet Francisco Suarez. Hoc solum monuerim, non æquè in omnibus quæ ad interiorem Religionem pertinent, sese posse ingerere vitium superstitionis, sicuti irrepere potest in exteriori cultu, etiam in illis exterioribus, quæ non excedentibus actibus internis tamquam signa respondent. Neque enim excedi potest in maxima illa de Dei maiestate opinione, qui, vt dicit Ieremias cap. 32. est incomprehensibilis cogitatu: neque item in summa illa animi nostri submissione ad eamdem Dei maiestatem, quamuis exorbitari fortè possit in tempore quo exercerẽtur cum exclusione alicuius operis præcepti. At in ordine ad proximum, si indiscretè nimiùm ei offendamur, quasi pro Dei honore læso, cùm fortè ipse magis quàm nos Dei honorem promoueat, aut etiam respectu mali pœnæ quod à Deo nobis timeamus, potest interiùs in animo esse excessus. Ad alterum, Clarum est, posse internam superstitionem comprehendi hac diuisione, atque adeò quamdam pertinere ad posterius membrum, quamuis diuisio magis sit accommodata exteriori vitio.

*Superstitio interna.*

*Ad 2.* Ad Secundum, Lactantij dictum non est verum: potest enim esse superstitio, retento cultu veri Dei non vero, quamuis fortè etymon eousque non extendatur, sed inde dicta sit superstitio, quòd contemptis antiquis dijs recèns defunctorum superstes memoria coleretur secundùm illud Virgilij:

——— *Veterumque ignara deorum*
*Vana superstitio.* Libro 8. Aeneid.

Potest siquidem res significata latiùs patere, vt in alijs ferè solet, & ex nostris Scriptoribus passim constat, Ecclesiastico vsu hîc extensiorem esse.

*Ad 3.* Ad Tertium, Iudæorum superstitio ad secundum membrum pertinet: vtuntur enim ritu olim quidem à Deo instituto, sed pro hoc tempore ab ipso Deo abrogato, quod ipsum eis prædictum fuit, nimirum instar superstitiosi cultus, abominabilem futurum illum ipsum, licet à Deo institutum, Isaiæ cap. 1. & vlt. & alibi sæpè.

*Ad 4.* Ad Quartum respondeo, Per excessum hîc dicitur peccari propter materialem cultum qui censetur superinstitui & diuinis institutis superaddi humanæ voluntatis superstitione, quando talis adhibetur, vt contrarius sit legitimo. Vnde si quis contra præceptum Domini in solo pane celebraret, esset superstitio, vt colligitur, ex verbis Gelasij cap. Comperimus, De consecratione, dist. 2. Est enim hæc priuatio superflua, & licet omissio minus ponat in re quàm esse debeat, animus tamen sic omittendi, plus ponit in voluntate quàm per Legem Religionis esse debeat.

*Ad 5.* Ad Quintum, Si Deum adoret Arianus, nullo in particulari suo cultu permixto errore, non est superstitio; neque enim vt particularis aliquis actus cultus diuini superstitione careat, opus est vt colens nullam habeat falsam de Deo existimationem; sufficit quòd benè sentiat, saltem quoad substantiam, essentiam, & existentiam Dei, & aliquam eius prouidentiam agnoscat: imò retenta fide vnius Dei, hoc etiam sufficit, vt talis non censeatur cultum adferre ei cui non oportet, adeoque vt non sit idololatra, vel superstitiosus priori modo



modo, sed tantùm posteriori, quando superstitiosum aliquem cultum Deo exhibet.

*Ad 6.* Ad Sextum, Talem esse superstitiosum quatenus excedit in quantitate proportionis, quia adhibet in cultum quod aptum non est: non excedit autem in quantitate absoluta quæ supponat verum cultum, quia secunda Communio verus cultus non est.

*Ad 7.* Ad Septimum, Magnus is est hæreticorum nostri temporis error, quòd omnis superstitiosus cultus veri Dei sit idololatria, in quem conspirant, vt Catholicos, quos putant se posse superstitionis conuincere, odiosiùs traducant tamquam veros idololatras in cultu Imaginum & sacræ Eucharistiæ. Negamus itaque, Israelitas in vitulo coluisse verum Deum, contrarium contra Caluinum ostensuri Dubio 3.

*Ad 8.* Ad Octauum respondeo, Indebitus cultus est, qui nec diuino instituto, nec rationi est consentaneus, sed allatus humana tantùm voluntate.

Ad locum Deuteronomij, Prohibet illis verbis Iudæos Dominus, ne prætextu Religionis addant suo cultui ritus Gentilium suæ Legi contrarios, vt patet ex antecedentibus. Ceterùm sensum sectariorum recipi non posse patet, quia alioqui videbitur ipse Christus huius Legis præuaricator, quando Baptismum & reliqua Sacramenta instituit, vt calumniabatur Faustus apud Augustinum lib. 17. Contra Faustum cap. 2. Præuaricatores etiam fuerint, qui votiua quædam vel sponte offerebant Domino, quod tamen licuisse, patet Leuitici cap. 23. Præuaricata etiam fuerit Synagoga, quando instituit Festum pro victoria, Iudith cap. vlt. aut pro facto Esther & Mardochæi, Esther cap. vlt. aut pro victoria Iudæ Machabæi, 1. Machab. vlt.

## DVBIVM II.

### *Quomodo Superstitio admittatur per illegitimum veri Dei cultum? D. Thomas quæst. 93.*

*Cultus perniciosus duplex.* RESPONDEO cum D. Thoma, Duobus id fieri modis: scilicet per cultum perniciosum, & per superfluum. Vel enim ad finem cultus noxium est quod superadditur, vel tantùm inutile. Itaque cultus perniciosus erit, per quem falsi aliquid significatur. Quod iterùm fit duobus modis: Vno ex parte ipsius rei significatæ, cui minùs congruat significatio cultus: vt si quis nunc vsurpet ritus Iudaicos, quibus Christi mysteria significabantur futura. Altero ex parte colentis: vt si quis sese mysterijs celebrandis tamquam Ecclesiæ minister ingerat, cùm non sit; hac enim ratione fit falsarius.

*Cultus superfluus.* Cultus autem superfluus est, qui non significat quidem aliquid falsi, sed per se inutilis est vt glorificetur Deus, vel mens hominis ei subijciatur; quod fit, quando ad Dei gloriam non pertinet, neque ad mentis in Deum eleuationem, neque ad congruam carnis coërtionem, aut quando est præter Dei & Ecclesiæ institutionem, vel contra communem consuetudinem: cùm enim regnum Dei intra nos sit, exterior cultus si non conducat ad interiorem, superfluus est & degener; si interiorem etiam destruat, perniciosus est. Vtrumque indicatur illo Ioannis 4. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* In spiritu non adorat, qui exteriùs cærimonia inutili occupatur, quæ animi cultum non promoueat: in veritate non adorat, qui exteriori cultu veritatem cultus in animo interiùs Deo debiti euertit. Luc. 17.

Circa hanc doctrinam nonnullæ occurrunt difficultates. Vna, Quomodo pugnent primæ diuisionis membra, cùm in omni superstitione, de qua agitur, sit cultus inutilis & perniciosus: inutilis, quia verè Deus eo non colitur; perniciosus, quia mendaciter significatur coli, cùm non colatur: omne autem in Religione mendacium, perniciosum est, vt ex Augustino dicit D. Thomas. 1.

Altera, Vt dicatur falsus cultus ex parte rei significatæ perniciosus, ánne necessum sit ea intentione adhiberi, vt falsitas ista significetur? Si enim ais, non erit perniciosus cultus, si quis Christianus hodie ritus Iudaicos vsurpet, verbi gratia circumcisionem, vt in ea conformis sit Christo, quem alioqui iam credit venisse; quod licere opinatus fuit Caietanus 3. parte, quæst. 37. art. 1. aut vt discernatur esse ex Abrahamo secundùm carnem, aut denique vt moneatur corde esse circumcisus, quomodo Æthiopes Christianos antequam baptizentur circumcidi testatur Damianus Lusitanus lib. De Religione Æthiopum. Si neges, fuerit quoque superstitio perniciosa, quando Paulus circumcidit Timotheum. 2. Act. 16.

Tertia est circa cultum perniciosum ratione significationis falsæ ex parte colentis, quousque ille extendendus sit. Si enim eum intelligamus in ministerio vsurpato, quando effectus actionis pendet à legitima potestate, facilè videbimus, superstitionem posse subesse, verbi gratia quando qui non est Sacerdos, attentat consecrare: si verò effectus à potestate non pendeat, vel minister potestatem quidem habeat, sed non legitimam missionem, vtpote si non Sacerdos se pro Sacerdote gerens baptizet, aut si Sacerdos degradatus, excommunicatus, suspensus, vel interdictus celebret, non æquè apparet superstitionem subesse. 3.

Quarta est circa cultum superfluum quomodo is incurratur, vtrùm etiam quando quis ex præcepto Ecclesiæ indicta generatim ieiunia, quæ respectu sui fortè immoderata sunt, obseruat? & quando præter morem Ecclesiæ ea addit quæ sibi immoderata non sunt? 4.

Quinta, Vtrùm cultus perniciosus ex genere suo tantùm, an verò semper etiam in indiuiduo sit mortalis, & an idem sit iudicium de superfluo? 5.

Sexta, Quare peculiaris species non statuatur turpis cultus, cùm specialem adducat deformitatem, quòd in Dei cultum assumantur actiones non bonæ, vel indifferentes, sed natura sua flagitiosæ, turpes, aut intrinsecè malæ: vt si quis hominem aut etiam proprium filium Deo immoler, videtur peculiarem habere deformitatem, quam non habet si immolet agnum ritu Iudaico & mendaci, vel immundum aliquod animal ritu tantùm superfluo. 6.

Ad Primam respondeo, Omnem superstitiosum cultum esse superfluum, adeoque etiam falsitatem quamdam in essendo, siue vt res ipsa spectatur, secundùm actum exercitum habere eo ipso quo superstitiosus est: sed in diuisione nostra aliam considerari falsitatem, quam actio habeat vt alterius rei ex placito superaddito signum est. Verbi gratia, si immolem agnum quo Deus nunc non

*Resp. ad 1. Cultus superfluus & perniciosus quomodo distinguantur.*

non honoratur, ipso facto significo quidem me honorare Deum quem non honoro, verùm ab illa falsitate non dicitur in hac diuisione cultus falsus: significo prætereà, quasi signo ad hoc instituto, Christum verum agnum nondum pro nobis esse immolatum, & ab hac falsitate hìc peculiariter dicitur cultus falsus & pernicioſus; si priorem tantùm habeat, solùm dicitur superfluus.

Circa Augustinum à D. Thoma citatum, illud annotandum, Cap. 14. lib. De mendacio, aut etiam 13. vbi de eadem re loquitur, non dicere ipsum quòd mendacium omne in materia Religionis Christianæ sit pernicioſum, vt videtur eum citare D. Thomas; sed solùm, quòd mendacium, si fiat in doctrina Religionis, valdè sit detestabile, capitale, longeque fugiendum, adeoque in summo gradu horrendum. Cui doctrinæ non oberit, si aliquod mendacium facti sit in materia Religionis, quod non continuò dicatur pernicioſum: latiùs enim patet materia quàm doctrina Religionis. Quia tamen qui prioris membri superstitionem in cultu falso ex parte rei significatæ admittit, etiam in doctrina Religionis mentitur, rectè D. Thomas doctrina S. Augustini vtitur.

*Ad 2.* Ad Secundam respondeo, Non opus esse formali intentione talis mendacij vel falsitatis; sufficere interpretatiuam, quæ est eoipso quo contra Dei prohibitionem talis ritus vsurpatur. Vnde D. Paulus circumcidens Timotheum non fuit superstitioſus, quia ritus circumcisionis eo tempore quo legalia tantùm erant mortua, non mortifera, in illis solis qui Christum non recipiebant, & cærimonias Legis vt necessarias obseruabant, falsam illam significationem habebat: Christianis enim ob alium finem, vt sic Synagogæ funus deducerent, per Christi œconomiam id licuit ad tempus: licuit, inquam, sine detrimento Religionis Christi, quem veniſſe etiam illa ipsa Synagogæ quasi funebri pompa, occultiori consilio significabant, quò pluribus eius aduentus prodesset.

*Ad 3.* Ad Tertiam, Quando cultus tantùm est falsus ex parte colentis, vt non sit summè pernicioſus, est tamen pluſquam inutilis & verè pernicioſus, tum propter iniuriam quæ fit Deo, à quo talis se missum dicit, cùm non sit; cùm propter periculum falsæ doctrinæ, tum etiam propter iniuriam quæ fit illis quorum est vice Dei mittere, & illis ad quos se missum simulat: non enim solùm Deo, sed etiam vtrisque istis iniurius est eiusmodi falsarius. Eaq; deformitas etiam subest, quando effectus & valor ministerij non pendet à legitima missione ministri, quamuis tunc nonnihil culpa extenuetur, præcipuè si plurium salus hoc modo procurata sit; quomodo Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 14. extenuat culpam cuiusdam Græci, qui se simulans Sacerdotem, multos baptizauerat, & adducit etiam Apostolum ad Philippenses 1. cum illis dissimulandum duxisse, qui per occasionem annuntiabant Christum. Quando autem pendet effectus à potestate ministri, vt si non Sacerdos celebret, absoluat, &c. manifestum est esse plus quàm superfluum cultum, cùm etiam prioris generis ex parte rei significatæ falsitas ibi concurrat, verbis non efficientibus, quod in forma consecrationis significant. Aduertendum porrò, etiam ad hanc superstitionem pertinere, si missus quidem sit, sed aliud petat à Deo nomine Ecclesiæ quàm sibi commissum sit, orationes priuatas & incongruas loco publicarum obtrudendo.

Sed quæres, An ergo perniciosè superstitioſus erit minister, quicumque cærimoniam aliquam præter Ecclesiæ vsum adhibet?

Respondeo, Non fore: si enim ea ad substantiam cultus non pertineat, neque ipse propterea aliam personam aut commissionem finxisse censeatur, non erit pernicioſus cultus, sed vel sacrilegus abusus, vel sanè cultus superfluus, puta si celebret in veste non consecrata.

Quæres iterùm, Vtrùm cultus falsus ex parte colentis, reperiatur etiam in cultu priuato, an tantùm in communi, qui per ministros exercetur nomine totius Ecclesiæ?

Respondeo, Quamuis Caietanus propter modum loquendi D. Thomæ, qui dicit, hunc præcipuè posse contingere in cultu communi, existimet etiam in priuato reperiri: probabile tamen est contrariũ, & nihil aliud voluisse D. Thomam, quàm in cultu exteriori, præcipuè communi, falsitatem hanc ex parte colentis admitti posse. Qui modus loquendi verus est, etiamsi in solo communi admittatur. Quare si quis contra morem Ecclesiæ ieiunet die Dominico, non est superstitioſus cultu qui falsus sit ex parte colentis, sed potiùs qui falsus sit ex parte rei significatæ: derogat enim veritati Fidei de resurrectione. Item qui falsas Reliquias supponit, falsarius quidem est, sed ex parte rei significatæ.

*De alu-sione tenue cæ-moniu fa-cris.* Quæres denique, An pertineat ad hoc genus superstitionis, si quis abutatur cærimonijs sacris, aut etiam ipso Missæ sacrificio in alium vsum quàm institutio legitima ferat, de quali abusu loquitur cap. Quicumque 26 q. 5. Caietanus enim putat pertinere ad cultum falsum ex parte colentis: Suarez autem potiùs existimat esse sacrilegium quàm superstitionem. Rectè dixerimus, ad vtrumque vitium id pertinere: ad sacrilegium quidem, quatenus sacra cærimonia adimitur vero cultui; ad superstitionem autem, quatenus in falsum cultum adhibetur. Exemplum in eo qui Missam defunctorum vsurpat pro aliquo viuo vt citiùs extinguatur: defunctis adimens hunc ritum sacrilegus est; viuo in talem finem applicans, perniciosè est superstitioſus; estque falsarius, non tantùm ex parte colentis, quia tamquam minister Ecclesiæ facit contra eius mandatum, sed etiam ex parte rei significatæ, quia fortè sacra Officij verba ad falsum sensum detorquet.

*Ad 4.* Ad Quartam difficultatem respondeo, Fieri posse, vt quis propter suam infirmitatem etiam ab Ecclesia præceptum ieiunium non nisi superstitiosè obseruet. Citiùs tamen erit superstitioſum, si sua sponte, sine præcepto assumat indiscretè: si enim moderatam faciat abstinentiam, etiamsi hoc Ecclesia non præcipiat, non censebitur præter Dei & Ecclesiæ institutionem fecisse: secùs si populo talia indiscreto zelo imponere velit. Quamuis enim in particulari cultus iste exterior spiritui conducat; fieri tamen potest, vt in communi populo non conducat, sed potiùs communis Ecclesiæ constitutio & consuetudo.

*Ad 5.* Ad Quintam, Superstitio in cultu veri Dei semper est graue peccatum; gradatim tamen in ea



ea reperitur offensionis grauitas, propter quam varietatem ac alias deformitates quæ concurrere solent, admodum particulatim erit hoc peccatum in Confessione explicandum.

*Gradus superstitionis* 1. Detestanda maximè est ea quæ falsitatem continet ex parte rei significatæ circa doctrinam Fidei, vt patet ex D. Augustino cap. 14. De mẽdacio, suprà; ideoque per materiæ leuitatem numquam ea excusabitur à mortali, quamuis forrè possit ex imperfectione significationis excusari.

2. Secundum gradum obtinet ea, quæ falsitatem habet ex parte colentis, in illis vbi effectus impeditur, quæ & ipsa omnino ex genere pernicioſa & mortalis est, imò etiam vix fieri potest ex materiæ leuitate venialis.

3. Tertium, Quando effectus non impeditur, cuius suprà exemplum dedimus. Etiam hìc grauis & mortalis remanet offensa, propter crimen falsarij, de quo suprà.

4. Quartum denique gradum obtinet superstitio tantùm superflua, non pernicioſa. Hæc ita mortalis criminis rationem habet ex genere communi superstitionis, vt tamen ex materiæ leuitate certum sit, fore subinde venialem. Imò Valentia, Toletus, & alij dicunt, ex genere suo tantùm esse venialem, quando contemptus abest. Sed conciliari possunt cum nostra sententia, si etiam virtualem contemptum excipiant, qui subest quando in materia satis graui eiusmodi superflua superstitio exercetur. Vel denique dici potest, superfluum cultum diuidi in turpem, & superfluum tantùm. Turpis est, quando mendacium quidem deest, non tamen alia turpitudo, vt dictum est in difficultate Sexta. Superfluus tantùm, quando etiam turpitudo alia deest. Prior ex genere suo erit mortalis, posterior ordinariè tantùm venialis, quia ordinariè non est grauis eius materia. Atque ita etiam patet responsio ad difficultatem Sextam.

## DVBIVM III.

### *Quid Idololatria: Quotuplex: Vnde orta sit: Quanta eius culpa, & pœna?*

*D. Thomas quæst. 94.*

EXPERITA specie superstitionis in cultu veri Dei, tractanda est altera, quæ est in cultu dei falsi, in qua præcipuum locum habet idolatria, quia expressa & aperta est professio cultus falsi dei, & quasi purè destinatur in falsi dei cultum. Quia autem Deum colendo aliquid nobis obtinere studemus, quod vel ad cognitionem, vel ad actionem pertineat, duplex alia est species huius idolicæ superstitionis, non quidem omnino aliena à specie idololatriæ, sed minùs aperta. Vna, qua à falso deo diligi volumus in obtinenda cognitione, quæ Diuinatio dicitur, tractanda à nobis Dubio 4. & 6. sequenti. Altera, qua ab eodem volumus obtinere actionem vel effectum aliquem, quem nostris viribus consequi non possumus, quæ propriè Magia dicitur, de qua Cap. sequenti. Neque tamen negamus, tam diuinationem quàm magiam sæpè cum idololatria manifesta esse coniunctam: sed ex natura sua id non requirit, vti neque idololatria requirit coniunctam diuinationem vel magiam, quamuis ad earum effectus consequendos sæpè adhibeatur: idololatria enim nihil est aliud, quàm latria idoli. Quid latria sit, diximus cap. 1. Dubio 3. esse nimirum eam seruitutem, quæ propriè ad Dei cultum pertineat, adeoque esse cultum cum professione diuinitatis in eo qui colitur. Idolum diminutiuum est ab *εἶδος*, quod formam sonat, vt idolum nihil sit aliud quàm formula quædam & imaguncula, vt dicit Tertullianus lib. De idololatria, cap. 3. quem imitatur Isidorus lib. 3. Etymolog. cap. 11. addens, Latinos quosdam imperitè idolum à dolo deriuare: qualem fortè aut non multo minorem notam etiam incurrent, qui dixerint, diminutiuam vocem ideò vsurpatam, quò significetur non quantitatis paruitas, sed significationis seu repræsentationis in ipso idolo defectus. Neque pluris fortè faciendum, quod Fulgentio adscripta Mythologia indicat à voce *εἰδωδύμ*, quæ Latinè sonet speciem doloris, idolum deriuari; quamuis Hebræa vox *Auen* & dolorem & idolum significet. Quamuis autem ex origine vocis ita latè pateat idolum, ex vsu tamen illis imaginibus appropriatum est, quæ cultu latriæ creaturæ destinantur, aut quibus eiusmodi cultus impenditur; quamuis fortè extendi queat quadam accommodatione ad imaginem hominis scelerati, quem quis moribus similis fortè pro Sancto in ea sibi colendum putauerit: quo modo Sanderus lib. 1. De Imaginibus, idolum vocat omne id quod etiamsi rem subsistentem repræsentet, non tamen ea ratione, quæ illi secundùm naturam aut gratiam ineſt. Sed hæc extensio proprietatem vocis excedit; minùs illa, qua idolum vocetur creatura, quæ pro Deo colitur, etiamsi nulla eius sit imago, qualis significatio reperitur Zachariæ 11. *O pastor & idolum.* significatur enim Antichristus, qui vt ibi Hieronymus, se appellabit Deum, & volet ab omnibus adorari. Reperitur etiam hæc significatio apud D. Augustinum lib. 20. Contra Faustum, cap. 5. Sanè salua proprietate, idololatriæ vox simílem quamdam extensionem habet, vt non sit aliud, quàm latria creaturæ, siue ea animo tantùm fiat, siue etiam corporali cultu; siue in imagine, sine etiam siue ea: nam & dracones, vt testatur liber Danielis; & serpentes, vt patet in Æsculapio apud Romanos; item ignem, ventum, aërem, aut stellas, aut impetum aquarum, Solem & Lunam, vt testatur liber Sapientiæ cap. 13. pro dijs aliqui coluerunt. Alios coluisse crocodilum, leonem, bouem, arietem, adeoque Ægyptios pro dijs victimas coluisse, quasi dijs omnino carerent, testis est Athanasius Oratione Contra idola. Itaque rectè D. Thomas hìc art. 1. ad 4. docet, etiam sine imagine committi posse idololatriam: quamnis enim fortè idololatria absolutè non sit antiquior idolis, de quo infrà; certũ tamen est, apud Romanos esse antiquiorẽ, vt testatur Tertullianus in Apologetico, c. 25. & De idololatria suprà, Plinius lib. 34. c. 4. Plutarchus in Vita Numæ, qui testatur, centum & septuaginta annis ab Vrbe condita, templa sine idolis fuisse.

*Idololatria & Idolum vnde dicantur.*

*Idololatria propriè quid.* Idololatria ergo est superstitio, qua diuinus cultus ei exhibetur, cui non debet exhiberi. Vbi in primis refutatur nostri temporis sectariorum error, qui omnem superstitionem, etiam illam quæ est in illegitimo veri Dei cultu, idololatriam vocant: & quia illegitimum Dei cultum putant, si in imagine colatur, hunc cultum generatim

idololatriæ damnant, & Chriſti Imagines cum idolis confundunt.

At idololatriam non eſſe, niſi quando in eo erratur qui colitur, adeoque idolum vel creatura loco creatoris, aut honore diuino ſeu latria colitur, facillimum fuerit ex Scripturis & veteribus oſtendere, vt latè oſtendit Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 11. puncto 1. Quamuis enim metaphoricè interdum idololatria ad quæcumq; vitia transferatur, eò quòd peccator Deum derelinquens, interpretatiuè cenſeatur alium Deum ſibi conſtituere, eam nimirum creaturam ad quam ita conuertitur, vt pro ipſa Deum deſerat, eiuſque præceptum contemnat (à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt) ideoque Apoſtolus auaritiam vocat idolorum ſeruitutem: conſtat tamen, & nobiſcum fatentur ſectarij, propriè dictam idololatriam ad ſuperſtitionem pertinere, idque luculentè oſtendit locus ille Actorum 17. vbi Paulus ad Athenienſes dicit: *Per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video: præteriens enim & videns ſimulacra veſtra, inueni & aram, in qua ſcriptum erat,* IGNOTO DEO. Superſtitionem enim ponit in plurium deorum cultu, quæ etiam ignoto deo arâ poſuerit, ſtudio nullum prætereundi. Vbi autem reſpectu veri Dei cultus exorbitat, non eſſe idololatriam propriè, neq; in Scripturis ita vſquâ vſurpari manifeſtum eſt: quoties enim de idololatria propriè loquitur Scriptura, indicat ſe loqui de honore Dei tranſlato ad creaturam, Pſal. 105. Sapientiæ 13. 14. & 15. & alibi. Inſtar omnium eſſe poteſt inſinuata definitio idololatriæ, Sapientiæ 14. *Incommunicabile nomen lapidibus & ligni impoſuerunt*, vt ſignificetur non aliud eſſe idololatriam, quàm cultum latriæ tranſlatum ad creaturam; quod etiam Apoſtolus confirmat ad Rom. 1. *Seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori.*

Caluinus dicit, contrarium reperiri apud Apoſtolum 1. Corinth. 10. *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum Scriptura dicit, Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.*

*Hebræi in vitulo non coluerunt verum Deum.*

Sed immeritò: neque enim cultus vituli, de quo ibi Apoſtolus, erat cultus ſuperſtitioſus veri Dei, ſed falſi dei. Nam quod Caluinus dicit lib. 1. Inſtitut. cap. 11. num. 8. in vitulo populum coluiſſe verum Deum, quem in illo tamquam corporeo vultus eius ſymbolo voluerint quaſi oculis cernere, vt à præeunte imagine cognoſcerent Deum, qui iam eduxerat eos è terra Ægypti, itineris ſibi eſſe ducem, apertè eſt contra Scripturam Deuteronomij 32. vbi Moyſes queritur de hoc facto populi, & inter alia dicit, cùm Dominus ſolus dux eius fuiſſet, ſine alio deo alieno, quòd immolauerint dæmonijs, & non Deo, dijs quos ignorabant: qui noui & recentes venerint, quos non coluerint patres eorum, derelicto Deo vero, & Creatore in obliuionem tradito. Quid multa? inducitur ipſe Dominus comminans, ſicut ipſi pro Deo alium deum ſubſtituerant, ita ſe pro populo alium populum electurum. Idem dicitur dicto Pſal. 105. *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti ſunt Deum.* Caluinus dicit, non eſſe oblitos, non mutaſſe, ſed potiùs pro memoria eius ſollicitos, imaginem ei fabricaſſe, pugnans ex diametro cum expreſſo Dei verbo. Poteſt idem confirmari ex Apoſtolo 1. Corin. 8. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo. Nihil* enim idem eſt, quod nihil tale pro quali colitur, vt diuinitatis opinionem promereatur, aut ad ſalutem quidquam prodeſſe poſſit: colitur enim pro Deo. Subiungit autem Apoſtolus pro ratione ſui dicti: *Nullus eſt Deus niſi vnus.* Idem confirmatur ex cap. 10. vbi etiam negat idolis immolatum eſſe aliquid, pro ratione ſubiungens, quòd dæmonijs immoletur, non Deo: quaſi dicat, conſecrationem eius vanam eſſe, vt & is cui conſecratum eſt. In eum ferè ſenſum Chryſoſtomus in cap. illud 8. docet, idolum nihil eſſe. Cui conformis eſt Auguſtinus lib. 20. Contra Fauſtum, cap. 5. Vnde colligas, non rectè quoſdam illud *Idolum nihil eſt*, interpretari propterea dictum, quòd res in rerum natura non exiſtens idolo repræſentetur, vt facit Origenes Homilia 8. in Exodum, quem ſequuntur Oecumenius & Theodoretus: dæmonia enim exiſtunt, ipſorum tamen idolum etiam nihil eſt. Non abſimilis eſt locus Eſther 14. *Ne tradas Domine ſceptrum tuum his qui non ſunt*, id eſt, idolis, inquit Hieronymus in c. 7. Oſeæ: quamuis in 1. ad Galatas, eamdem ſententiã latiùs accipiat de omni eo quod falſum eſt.

Dices, Etiamſi Deus ſuo loco colatur, admittetur tamen idololatria, ſi quid coram eo ſimul colamus, in quo ſpem noſtram collocemus. Ita inculcant in ſuo Catechiſmo Calainiſtæ. Confirmatur ex verbis Legis, Exodi 20. *Non habebis deos alienos coram me. Deos*, inquit Caluinus, *alienos non tantùm ſibi Deus præferri, ſed nec æquari patitur, nec comites iungi, neque in ordinem ſe cogi.*

Reſpondeo, Verum eſſe quod in confirmationem aſſumitur, ſed non eo ſenſu quo volunt ſectarij, quem ipſi tegere quàm exprimere malunt. Vt enim in ſolum Deum credimus, ita in eum ſolum ſpem collocare, paſſim in Scriptura iubemur; ſcilicet tamquam in doni, quod ſperamus obtinere, auctorem. Vbi non excluditur ſpes obtinendi Sanctorum interceſſione, ſed potiùs includitur: in Domino enim confidimus de Sanctis, quòd, vt rogamus, nobis à Deo gratiam impetrabunt, ſicut de Theſſalonicenſibus ſe confidere in Domino dicit Apoſtolus, quòd præcepta ſua ſint ſeruaturi. Fatemur itaque, ad idololatriam pertinere, quicumque aſſumatur deus alienus, ſiue vt ſuperior, ſiue vt comes, ſiue vt inferior Deo: quamuis rectè dicatur, omnem idololatriam Deum loco ſuo turbare, etiam illam, quæ Deo inferiorem deum alienum coniungit, iuxta illud Iſaiæ 28. *Coangustatum enim eſt ſtratum, ita vt alter decidat; & pallium breue vtrumq; operire non poteſt.* & illud Euangelicum: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Ideoq; iſtud paſſim præ ſe ferunt veteres. Tertullianus De Idololatria, cap. 4. ideò idololatriam in Scripturis adulterio comparatam dicit, quòd quamuis vxor adultera maritum retinere videatur, fraudem tamen ei faciat, & alteri quod eius eſt conferat. Lactantius lib. 1. cap. 19. Inſtitut. ex profeſſo docet, fieri non poſſe, vt Deum colat, qui etiam falſos deos ſimul colere videtur, cùm veri Dei Religio ſit, illum eſſe vnum ac ſolum Deum credere. *Luc. 16.*

Ex dictis deducitur, Etiamſi Imagines, quas habet Catholica Eccleſia, eſſent à Deo prohibitæ, non tamen poſſe appellari idola, vt volunt ſectarij: *Imagines noſtræ idola vocari non poſſunt.*



ſectarij: idolorum enim, vt inquit Euthymius in Panoplia, nulla aut falſa ſunt exemplaria, cùm deos repræſentent qui non ſunt dij: at Imaginum apud nos vera ſunt exemplaria, & verè referunt id quod appellantur.

Hactenus de natura & quidditate idololatriæ: nunc de eius varietate nonnulla dicenda.

*Duplex idololatria.*

D. Thomas duplicem facit idoli cultum: Vnum, quo ipſa imago pro Deo colebatur; alterum, quo in imagine creatura aliqua alia per eam repræſentata loco veri Dei colebatur.

*Prima, qua imago pro Deo colitur.*

Prior modus adeò inſignem habet coniunctam ſtoliditatem, vt meritò quis miretur, quomodo in mentem rationali creaturæ ea venire potuerit. Exaggerat eam Sapiens cap. 13. *Pro ſanitate quidem infirmum deprecatur, pro vita rogat mortuum, & in adiutorium inutilem inuocat, & pro itinere petit ab eo qui ambulare non poteſt, & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum euentu petit ab eo qui in omnibus eſt inutilis.* Iſaias cap. 44. Ieremias cap. 10. & Baruch cap. 6. Dauid Pſalm. 113. Habacuc cap. 2. Paulus Actorum 19. Vera autem ratio ipſius eſt, humanæ mentis ex labe originali cæcitas, & occæcatio quæ ſequitur veri Dei ex creaturis cognoſcibilis neglectum. Ideò ergo eos qui oculos habent & non vident, colunt, quia ſimiles fiunt illis qui faciunt ea, vt dicit Pſalmus citatus, vt & ipſi iam oculos mentis habeant, & non videant, vt dicit Ieremias cap. 5. Vt tamen nonnihil tegeretur hæc inſania, diabolus per ſuos cultores tale quid commentus eſt, vt idola quidem ſecundùm ſe faterentur ſenſu omni deſtituta, ſed arte quadam deificâ homines poſſe ex imaginibus facere deos, eis nimirum occultis quibuſdam myſterijs inſerentes ſpiritus dæmonum vel angelorum, per quos idola benefaciendi & malè vim habere potuerint, vt ex Mercurio Triſmegiſto refert Auguſtinus lib. 8. De ciuitate Dei, cap. 24. Videntur itaque exiſtimaſſe, deos ſimulacris vniri, ſicuti vniuntur Angeli boni aut mali condenſatis ex aëre aut aliunde aſſumptis corporibus: quem errorem reſponſis & alijs præſtigiis diabolus confirmare non deſtitit.

Eſt tamen etiam illud fatendum, quoſdam fictè ſolùm ſimulacra pro dijs coluiſſe. Sicuti enim dæmon Chriſto genuflectit, non affectu inclinatus, ſed intellectu conuictus; ita ſenſatiores quidam idololatræ econtrà idola exteriùs adorabant, non ex opinione inſitæ eis diuinitatis, ſed voluntate conformandi ſe populo, vt de Varrone teſtatur Auguſtinus lib. 6. De ciuitate Dei, cap. 6.

*Altera, qua ea imagine creatura pro Deo colitur.*

Alter modus eo quidem incommodo carebat, quòd ad lapidem aut lignum incommunicabile Dei nomen prima origine non transferret, ſed non enadir alterum illud, quod Apoſtolus ad Rom. 1. reprehendit: *Seruientes creaturæ potiùs quàm Creatori.* Imò huius generis cultores etiam in priorem modum turpiſſimè delabuntur. Cùm enim creaturæ, quam volunt, ſtatuunt imaginem, facilè fit vt ſemel à vero Dei cultu deuij, quod temerè prototypo creato deferebant, quaſi nouo adulterio transferant in imaginem: & hoc præ ſe fert locus Sapientiæ 14. *Affectui aut Regibus deſeruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus aut ligni impoſuerunt.* Ad eiuſmodi autem tranſlationem diuini honoris, dicit Scriptura eodem loco, concurriſſe hinc peritiam artificum, inde vulgi imperitiam: vulgus enim eius quem colebat priùs vt hominem, allectum gratia & venuſtate artificioſæ imaginis, pro deo habuit imaginem, & ars materiam quodammodò deificauit, vt ex eodem Sapientiæ libro docet D. Athanaſius Oratione Contra idola.

Idololatria autem, qua in imagine colitur diuino honore repræſentata per eam alia creatura, varia erat pro varietate creaturæ repræſentatæ. Nam aliqui homines pro dijs colebant, vt Iouem, Mercurium, & ſimiles: alij mundũ ipſum, propter eius animam, quam Deum exiſtimabant, in idolis varijs quaſi vnum ſeſe colere profitebantur, vt idola diuerſa diuerſis quidem mundi partibus reſponderint, ſed in omnibus vna illa anima fuerit culta: verbi gratia, in Apolline coluerint Solem, in Diana Lunam, in Vulcano ignem, in Neptuno aquas, in Dite terram, vt ex Varronis ſententia memorat Auguſtinus lib. 7. De ciuitate Dei, cap. 16. Alij denique non vnum ſpiritum in idolis colebant, ſed diuerſos, gradibus quaſi inter ſe diſtantes, vt eis quidem ſit vnus Deus ſupremus, ſed ſub ipſo alij minores dij, ſubſtantiæ nimirum ſpirituales à ſummo Deo creatæ: Angelos enim quos nos dicimus, deos ipſi faciebant, fraude apoſtatarum angelorum independentiam quamdam à Creatore ſuo ipſis; ſi non ſpeculatiuè, ſaltem practicè, attribuentes, quam in primo ſuo peccato affectarunt. Acceſſit, quòd quidam exiſtimauerint, Angelos eſſe increatos: alij Dei prouidentiam ignorantes, putauerint, etiam ignaro, vel inuito, aut non curante ſummo Deo, minores illos deos in multis poſſe prodeſſe vel obeſſe. Sub his ipſis Intelligentijs ſeparatis, ſubſtituebant tertio loco animas cæleſtium corporum, quibus ſubeſſe dicebant dæmones; dæmonibus autem animas hominum, quas pro vario merito in dæmonum vel deorum claſſem transferri volebant. Ita ferè idem Auguſtinus ex ſententia Platonicorum, lib. 8. De ciuitate Dei, cap. 14. Hæc quidem varietas cultus prototypi in ſimulacris, ferè etiam ſine ijs eſſe potuit, niſi quòd homines pro dijs magis culti ſint in imaginibus, quàm in ſeipſis. Huc etiam pertinet Varronis iſta apud Auguſtinum diuiſio Theologiæ in naturalem, ciuilem, & fabuloſam. Prima ex Philoſophorum iudicio, ſecunda ex vſu ciuium & Pontificum, tertia ex priuatæ cuiuſdam traditionis vanitate de hominum diuinitate, quam ex affectu ementiebantur, deorum cultum efformabat. Ad naturalem pertinebit cultus ſine imagine quorumdã ſpirituum ſuprà expoſitus. Ad ciuilem, cultus eorumdem in imaginibus, ſiue imaginum loco eorumdem. Ad fabuloſam, cultus hominum loco deorum.

Alia diuiſio ex parte creaturæ quæ colitur in ſimulacris, ſumi poteſt ex cap. 20. Exodi: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra.* Primo membro prohibetur idololatria, qua colerentur tamquam dij Angeli, Sol, Luna, ſtellæ: ſecundo, qua coluntur homines, bruta animalia, ſerpentes: tertio, qua colerentur aquatilia.

*Origo idololatriæ.*

De origine autem idololatriæ accuratè differitur Sapientiæ 14. Et Primò quidem dicit Scriptura, neq; fuiſſe idola ab initio, neque fore in

perpetuum: quasi significet, vt multi exponunt, & prima ætate ante diluuium, ob recentem adhuc memoriam creationis, idololatriam non fuisse, & sexta ætate per Christum fore extirpandam. Secundò indicat inanis gloriæ studium (*superuacuitatem* vertit noster) mattem esse idololatriæ. Quomodo autem mater sit, docet Lactantius lib. 1. instit. c. 15. nimirùm primos Reges à rudiori populo pro dijs habitos fuisse, siue virtutem admirante, siue in adulationem præsentis potentiæ, siue ob beneficia; errorem autem ipsorum, Regum interitu sumpsisse incrementum, quo auferri potius debebat. Cùm enim magnum sui desiderium reliquissent; homines eorum simulacra pro solatio finxerunt; progressique longiùs, memoriam defunctorum colere cœperunt. Sic ergo dum grati in homines esse voluerunt, eos in veri Dei ignominiam deificarunt. Ita quidem Lactantius. At paulò aliter Sapiens, quando subiungit; *Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem*, &c. vbi idololatriæ initium non refert in studium quo populus Reges, sed quo defunctum filium pater coli voluerit. Dicunt quidam, Auctorem non simpliciter originem idololatriæ referre, sed tantùm Ægyptiorum, apud quos primùm idolum fuerit simulacrum, quod Cyrophanes posuit filio. Alij Sapientem volunt non primum idololatriæ principium, sed magis tritum aut publicum attulisse. Alij tantùm exempli gratia, quod de filij imagine dicit, posuisse; idque solùm vrgere, quòd vanum gloriæ studium præcipuè mortuis impensum fuerit idolatriæ initium. Alij, vt Isidorus lib. 8. Etymolog. cap. 11. videntur hunc locum accipere non de quauis idolatria, quæ etiam sine imagine, vt diximus, fieri potest; sed de ea quæ fit per imagines, vt referatur ortus earum imaginum, in quibus primò cœpit hæc idololatria, quæ indubiè primùm positæ sunt ex desiderio mortuorum, quod exemplo filij illustrauit Sapiens; fortè respiciens ad Ægyptiacæ idololatriæ initium; alioqui apud Assyrios aliud fortè fuisse principium idololatriæ huius per Ninum, qui patris sui Beli fecerit imaginem, vt restatur cum multis alijs Hieronymus in cap. 2. Oseæ. Nihil tamen nos cogit recedere ab obuio sensu Scripturæ, vt dicamus simpliciter primum principium idololatriæ, quæ saltem exerceatur in imagine, illud fuisse, quòd pater defuncti filij memoriam coli voluerit, quamuis origo illa per Belum fuerit in historijs humanis adeò celebris, vt etiam alia passim idola Bel vel Baal nomine vocarentur, sicut Imperatores Cæsares à primo Cæsare.

*Obiect.* Dices, Sapiens loquitur de celebri & vulgata origine, quando subiungit: *Hic error tamquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.*

*Resp.* Respondeo, Sapientem ex priuata origine idolorum, ad publicum cultum figmentorum transire. In eo itaque quod tradit, error quidem priuatus fuit, sed Legem peperit publicam. In facto autem Nini, ipse primus error instar Legis fuit ab initio. Nostræ explicationi fauet quædam historia, quæ repetitur lib. 1. Mythologiæ, D. Fulgentio falsò adscriptæ. Sed is liber nullius est auctoritatis, & vt coniicit Molanus, à quodam Placiade Fulgentio Grammatico consutus.

Sed dubitatio supereſt adhuc bipartita de origine idololatriæ, abstrahendo ab imaginibus, vnde illa originem vel occasionem habeat, & quando cœperit? Causam idolatriæ huius indicat idem liber Sapientiæ cap. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Orta enim est, vt etiam D. Thomas docet, partim ex ignorantia veri Dei, partim ex vano affectu hominum, partim ex impostura dæmonum. Vtrùm autem idololatria per has causas exorta fuerit, antequam simulacra colerentur, & quando cœperit, ambiguum est. *De origine idololatriæ, abstrahendo ab imaginibus.*

Admodum probabile est, non fuisse ante diluuium, siue prima mundi ætate, vt docet hîc D. Thomas, art. 4. *An fuerit ante diluuium.*

Contrarium tamen nonnulli docuerunt. Auctor enim Quæstionum veteris & noui Testamenti, apud Augustinum, quæst. 83. & Iustinus in Paræneſi ad Gentes, primos parentes videntur facere idololatras, quasi crediderint se futuros deos; aut alium deum esse præter vnum. Alij Enos faciunt non tam idololatram, quàm idolum, eò quòd vbi nos legimus, *Iste cœpit inuocare nomen Domini*, quidam codices habeant, *Hic cœpit vocari nomine Domini.* Alij dicunt, tempore Enos cœptam esse idololatriam, eò quòd quidam legunt, *Tunc cœptum est profanari nomen Domini.* Sanè D. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis testatur, pleroſque Hebræorum arbitrari, quòd tunc primùm in similitudine & nomine Domini fabricata sint idola. Conciliant quidam ista cum vera lectione vulgata, vt apud pios quidem tunc publicè magis ea cœperint tractari quæ Religionis sunt, sed apud impios cœpisse idololatriam. Tertullianus lib. De idololatria, cap. 4. citat Enoch prophetantem contra idololatras. Sed hoc non conuincit, tunc temporis idololatriam fuisse.

Itaque verius existimo, ante diluuium non fuisse. De hominibus loquor; non enim nego angelos Satanæ ipsum tamquam similem Altissimo per idololatriam coluisse, etiam antequam homo caderet. Sanè primos parentes non fuisse idolatras, certum est, neque credidisse hoc sensu esse futuros sicut deos, quasi plures dij reperiri possint, sed in scientia boni & mali Deo assimilandos. Quamuis enim D. Ambrosius De Paradiso, cap. 13. dicat, Euam à serpente tentatam fuisse ad idololatriam, iniecta plurium deorum mentione; fieri tamen potest, vt ipsa illud *Eritis sicut dij*, non intellexerit de dijs qui iam tum plures fuerint, sed quòd similitudine quadam ad Deum, dij futuri erant, cùm potius per peccatum dij esse desiterint. Adhæc idololatria ægrè consistit cum fide. Primos autem parentes fidem retinuisse etiam post peccatum, valdè probabilis multorum est sententia, vt alibi diximus. Denique non est verisimile, ex tam sublimi statu, & tam familiari cum Deo conuersatione, & recentissima suæ creationis memoria repentè delapsos esse in idololatriam, præsertim cùm statim per pœnitentiam videantur educti è delicto suo, & Dei alloquio quasi continuò vsi. Accedit auctoritas Epiphanij lib. 1. Contra hæreses, circa initium, dicentis, Adamum non fuisse idololatram. *Primos parentes non fuisse idolatras.*

Tempore Enos autem non indicat Scriptura ortam fuisse idololatriam, sed opinio ista nata est ex ambiguitate vocis Hebrææ, quæ aliquando significat *incipere*, aliquando *polluere*, aliquando *occidere*: cùm enim prima significatio vera esset, per errorem secunda substituta est.



Quando autem post diluuium cœperit idolatria, incertum est. Epiphanus suprà putat, sine simulacris ortam esse, post diuisionem terræ circa tempora Sarug, nepotis Phaleg, proauí verò ipsius Abrahæ; tempore autē Thare, patris Abrahæ, vigesima generatione post Adamum, annis ter mille trecentis triginta duobus à mundo condito fieri cœpisse simulacra, imò eorum inuentorem hunc Thare fuisse. Verùm hæc Epiphanij traditio non vsqueadeò comperta est quoad omnino primam idololatriæ originem, sed probabilis quoad originem eius in progenie Heber, in qua Dei cultus, vt & lingua Hebraica, remanserat, vt testatur Augustinus lib. 16. De ciuitate Dei, cap. 12. Non enim est verisimile, in alijs Gentibus, quæ magis alienæ erant à Dei cultu, non priùs fuisse inuentam idololatriam, quàm in Gente magis tenaci veræ Religionis. Deinde, quamuis Thare dicatur seruisse dijs alienis, Iosue cap. 24. non tamen credibile est, ipsum, in cuius domo peculiariter custodita est plantatio ciuitatis Dei, vt loquitur Augustinus, adeò in idololatria excelluisse, vt primus idola statuerit. Hæc itaque incerta sunt: satis tamen id probabile, ante idola idololatriam fuisse, vt diserte adstruit Tertullianus suprà cap. 3. Ad illud enim Sapientiæ 14. *Initium fornicationis idolorum inuentio*; quo videtur significari, initium sumpsisse idololatriam, (quæ per fornicationem phrasi admodum familiari in Scripturis sacris intelligitur) ab ipsis idolis, eruditus quidam dicit, intelligi posse de idololatria communi & generali. Alius in dubium reuocat, an ne ibi fornicatio pro idololatria sumatur? Sanè defectio publica à cultus diuini exercitijs videtur ibi dicta fornicatio, & simulacrorum cultui adscripta. Hactenus de origine.

Sequitur ostendenda grauitas huius peccati, de qua D. Thomas art. 2. & 3. Consistit autem huius peccati malitia in eo, quòd honor soli Deo debitus, detur alicui creaturæ: est enim hoc peculiare quoddam crimen læsæ maiestatis diuinæ. Neque tunc solùm locum habet eiusmodi crimen, quando ex infidelitate procedit, aut quando ex interiori idololatria, seu falsa opinione diuinitatis in idolo, & vero affectu illud colendi, exhibetur exteriùs cultus idolo: sed etiam quando creaturæ exhibetur signum externum adorationis soli Deo debitæ, cum intentione illud seriò exteriùs exhibendi, & alijs falsò id significandi quod significat; est enim etiam illud pernicioſissimum facti mendacium contra diuinum honorem: secùs esset si tantùm mimicè exhiberetur, ne quidem animo exteriùs seriò exhibendi, sed tantùm repræsentandi quid alij exhibeant; sic enim nullum est peccatum, vti nec mendacium, quando materialiter aliorum mendacia referimus. *Quale peccatum idolatria.*

*Idololatria triplex.* Triplex ergo hîc distinguenda idololatria, scilicet ex infidelitate, externa interiori coniuncta, & merè externa. Prima reliquarum deformitatem includit, vt & secunda tertiæ: vnde facilè colligitur, quis ordo sit inter eas grauitatis. Sanè primam prægtauat professio quædam infidelitatis: & quidem vbi vnius veri Dei præcessit cognitio, nulla poterit inuincibili ignorantia excusari talis idolatra: Deum enim cognoscens, non vt Deum glorificat; admittit enim ei quod alijs communicat, sicuti Regem in honorat, qui alios vt Reges salutat. Secundam idololatriam quidam voluerunt excusare, quasi possis diabolo, ne noceat, diuinum exhibere honorem, etiamsi probè noris, ipsum non esse Deum. Sed intolerabilis est iste error, non tantùm in Fide, sed etiam in Philosophia: neque enim tu rectè Deo es iniurius, honorem eius dando illi tyranno à quo iniuriam times, præsertim cùm Deum & ipsius & tuum iudicem esse noueris, eiusque prouidentiam agnoscas. Imò videri possit secunda hæc idololatria, præcisè in hoc genere peccati rem considerando, primâ grauitate superare: deformius enim est eum honorare vt Deum, quem non existimes esse Deum; cediturque in maiorem Dei agniti contemptum, & ex quodam eius odio videtur procedere. Tertiam, id est externam tantùm idololatriam, quidam licere putabāt ad vitanda quædam incommoda, præsertim grauia, vt si tyrannus necem intenter, nisi exteriùs saltem idolum colas. Sed etiam isti grauissimè errarunt, vt patet ex dictis De confessione Fidei. Imò iste modus plus habet de mendacio quàm præcedentes. D. Augustinus lib. 6. De ciuitate Dei, cap. 10. Senecam sic deos colentem reprehendit his verbis, *Eò damnabilius agebat, quòd illa quæ mendaciter agebat, sic ageret, vt eum populus veraciter agere existimaret.* Vnde tamen non rectè colligas, non esse minus peccatum quàm in primo & secundo modo: Augustinus enim solùm vult, Senecam plus malo suo exemplo nocuisse, quàm scenici nocuerint deorum sacra in theatris celebrantes. Itaque varij modi huius peccati ita inter sese comparandi sunt. *Ex infidelitate.* *Externa interiori coniuncta.* *Merè externa.*

Sed inquirendum, Vtrùm idololatriæ peccatum ex genere suo sit grauissimum omnium peccatorum, adeoque etiam grauius illis, quæ contra virtutes Theologicas admittuntur? *An sit grauissimum peccatorū.*

Videtur enim esse, quia D. Thomas art. 3. apertè dicit, Si grauitas consideretur ex parte ipsius peccati, idololatriam esse peccatum grauissimum in illis quæ contra Deum admittuntur, sicuti maximum crimen in Regem fuerit, si honor eius alteri tribuatur.

Contrà tamen facit, quòd idololatria sit contra Religionem quæ est virtus moralis; infidelitas autem sit maius peccatum quouis peccato quod contingit in peruersitate morum, vt docet D. Thomas suprà quæst. 10. art. 3. imò peccata quæ opponuntur virtutibus Theologicis, ex genere suo esse grauiora alijs peccatis, apertè docet idem D. Thomas quæst. 10. art. 3. Verius ergo est, inter omnia peccata moralia, grauissima ea esse quæ in Religionem admittuntur, nam propter affinitatem huius virtutis ad Theologicas, de qua suprà diximus, etiam illa contra Deum peculiariter admittuntur: inter peccata autem contra Religionem, adeoque etiam sic contra Deum admissa, grauissima est idololatria. Et fortè non aliud voluit D. Thomas: quamuis enim dici possit, ipsum considerasse idololatriam vt supponit peccatum infidelitatis, propter responsionem ad 1. hoc tamen non satisfacit, quia odium Dei est grauius infidelitate. Quamuis autem Caietanus contendat, semper includi in idololatria Dei odium, rectè tamen id Suarez refutat, quòd verificari non possit nisi de interpretatiuo odio, quale repe-

ritur in quolibet peccato mortali. Certum enim est, Philosophos, qui in gratiam vulgi deos colebant, id ex formali Dei odio non fecisse.

*Quomodo dici possit grauissimum.*

Si tamen velimus modum quo idololatria dici queat omnium peccatorum grauissima, is non deerit, si modò consideretur secundùm grauitatem quamdam extensiuam ex coniunctione aliorum vitiorum, quam D. Thomas vrget in solutionibus argumentorum, & Sapiens, *Infandorum idolorum cultura omnis mali caussa est & initium & finis.* Vbi rectè Carthusianus significatum vult, omnia vitia ex idololatria oriri posse ac solere, & eam esse quasi apicem extremum, quò tandem tamquam ad peruersitatis fastigium, pessima quæque euadant. Fauet Scriptura 1. Reg. 15. *Quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere*; indicat enim reliquam Dei inobedientiam esse quodammodò participatam quamdam idololatriam. Deinde si idololatria consideretur in habitu, & tamquam professio quædam, nihil est ea nequius, cùm sit professio omnis nequitiæ, & in primis vitiorum contra virtutes Theologicas, totiusque seruitutis diabolicæ. Ipse tamen diabolus, vel quicumque se pro Deo vult adorari, perfectiùs participiat malitiam ipsius idololatriæ quàm colens.

Sap.14.

*De pœna idololatria.*

Hactenus de culpa. Sequitur tractanda pœna idolatriæ, non quidem ea quæ futuræ vitæ est, aut etiam quæ in hac vita per subtractionem gratiæ diuinæ & temporales diuinitus immissas grauissimas afflictiones, de quibus Scriptura satis testatur Rom. 1. & Deuteron. 28. sed temporalis quæ ab Ecclesia infligitur baptizatis, si quando ad idololatriam deficiant. Et quidem si tantùm mentale sit peccatum idololatriæ, certum est, in foro externo non puniri: si autem exterius ex infidelitate, incurruntur pœnæ latæ in apostatas & hæreticos, de quibus quando De infidelitate.

*An idolatra externus tantùm incurrat pœnas.*

Sed dubium est, Vtrùm pœnas & censuras Ecclesiasticas contra apostatas aut hæreticos statutas, verè in conscientia incurrat, qui idololatriam tantùm exteriorem admiserit, verbi gratia ex timore aliquo humano, sicut fecit Marcellinus?

Incurrere videtur, quia verè admittit idololatriam, & Ecclesia maximè punit actum exteriorem. Deinde, qui furtum admittit non ex auaritia vt communiter admitti solet, sed ex alio affectu, punitur nihilominùs ordinaria pœna furti, & si contra furem esset lata excommunicatio, eam non euaderet. Propter hæc argumenta ita tenet hîc Caietanus art. 1.

Sed non incurrere, est communior sententia, adeoque tenenda, cùm Leges pœnales, quantum id verba permittunt, sint restringendæ.

Ad argumentum prius respondeo, Pœnas illas non esse latas contra idololatram, sed contra apostatas & hæreticos: idololatra autem exterior tantùm, de quo agimus, non est propriè infidelis, quamuis peccet contra fidei confessionem. Quamuis autem Ecclesia non puniat actum merè internum, sæpè tamen, vt etiam hîc fieri existimamus, non punit externum, nisi qui certum habeat respectum ad internum.

Ad posterius, Esse dissimilitudinem inter furtum & idololatriam, quòd non æquè ad speciem furti complendam concurrat affectus formalis auaritiæ, ac opinio diuinitatis concepta de idolo, aut affectus verè idolum honorandi, concurrat ad speciem idololatriæ; ad completam enim speciem furti sufficit in rebus externis poni eiusmodi **inæqualitatem, rationabiliter** inuito domino; ad completam autem **idololatriæ** speciem, quæ rapina quædam est **diuini honoris, non** sufficit exterior thurificatio facta idolo, **sed concurrere** debet opinio de idoli diuinitate, **vel affectus** verè honorandi: veritas enim honoris ex **tali mentis** dispositione plurimum pendet, quamuis **voluntas** exteriùs significandi, quòd deferas eiusmodi honorem idolo, sine tali dispositione interiori consistere possit.

## DVBIVM IV.

### *Quid Diuinatio, & quotuplex?*

*D. Thomas quæst. 95. art. 1. 2. 3.*

*Diuinatio vnde dicta.*

DIVINATIO, à diuis dicta est. Neque ex hac origine in malum sonat, nisi per diuos intelligantur dij Gentium, adeoque dæmonia. Nostri tamen Scriptores, præsertim Scriptura sacra, diuinationem in malum semper accipiunt, ita vt numquam legitimam Dei prædictionem diuinationem appellent, sed visionem vel prophetiam. Testis D. Hieronymus cap. 3. Michææ. Prouerbiorum quidem cap. 16. illis verbis, *Diuinatio in labijs Regis*, accipitur vox ista pro prudenti coniectura in administranda iustitia, vel per quamdam translationem pro oraculo, vt significetur, iudicia Regis instar oraculi habenda esse: sed nusquam pro boni vatis prædictione, quod tantùm voluit Hieronymus, immeritò propter hunc locum Prouerb. à Daniele Malonio in 2. dist. 7. quadam limitatione correctus. Glossa in cap. Numquam 1. quæst. 1. ineptiùs D. Hieronymi sententiam ita exponit, vt quando dixit, numquam in bonam partem in Scripturis diuinationem capi, *numquam* acceperit pro *rarò*, eò quòd cap. Eos qui, eadem quæst. Petrus dicatur diuinus Apostolus, quasi verum non sit, Scripturam diuinationem semper accipere in malum, eò quòd Tarasius huius cap. auctor, diuinum accipiat in bonum.

*Quid diuinatio.*

Diuinatio itaque est peruersa vsurpatio notitiæ, alicuius rei occultioris, vel prædictionis futurorum, adminiculatione dæmonis, apertè vel tacitè ad hoc inuocati.

Dico *peruersa*, quod D. Thomas dicit *indebita*. Consistit autem hæc peruersitas in eo, quòd contra Religionem, quæ nos diabolo abiuratos, & ab omni eius societate alienos Deo obligat, nos abducat in diaboli partes.

Vnde colligitur, Non quamuis indebitam affectationem notitiæ pertinere ad diuinationem: si enim à Deo eam affectes, licet inordinatè, vt discipuli à Domino reprehensi Act. 1. quibus dicit, *Non est vestrum nosse tempora*, &c. non id pertinebit ad diuinationem, sed potiùs ad Dei tentationem, aut aliam imprudentem curiositatem. Vnde Achaz dicit Isaiæ 7. *Non petam, & non tentabo Dominum.*

Colligitur Secundò, Diuinationem esse superstitionis speciem, & quidem ikius generis, quæ versetur circa cultum illius qui colendus non est. Attamen quomodo omnis etiam curiosa veritatis interrogatio dæmoni facta, ad cultum dæmonis, aut Dei irreligiosam irreuerentiam pertineat, non ita clarum est: si enim ea solùm ab eo interrogemus, quæ naturaliter nouit, non apparet quomodo ad eum transferamus Dei cultum: neque enim omnem illum reueremur aut colimus, à quo quippiam discimus, verbi gratia, si à puero horam aut viam; neque in eo diuinitatem agnoscimus, sed tantùm Angelicæ naturæ eminentiam, subtilioris sensus acumen, experientiam callidiorem, propter tam magnam longitudinem vitæ, & similia. Itaque quamuis aliunde mala fortè sit eiusmodi interrogatio: puta quia omnis communicatio nobis cum dæmone sit interdicta, non tamen videbitur ad superstitionem pertinere.

*Curiosa interrogatio à dæmone illicita.*

Contrarium tamen omnino dicendum est, Primò, Quia cùm diabolus omni suo beneficio hoc agat, vt ei loco Dei adhæreamus, & à Deo apostatemus, tali periculo sese exponens peccat in Religionem nos Deo coniungentem. Cauendum enim semper est, vt monuit D. Augustinus lib. 2. De Genesi ad litteram, cap. pænult. ne pacto diabolicæ societatis, vel tali communione irretiamur. Secundò, Non tantùm peccamus contra Religionem, quando aliquid Deo proprium à creatura petimus, sed etiam quando à creatura talia petimus, quæ non dabit nisi affectando opinionem excellentiæ diuinæ. Consulens ergo dæmonem, aut eius beneficio vtens, consentit & cooperatur idololatricæ huic rapinæ diuini honoris: peccat enim in Regi debitum obsequium, qui à iurato eius hoste ad defectionem sollicitante munus accipit. Tertiò, Qui à dæmone oraculum quærit, ipso facto significat quòd non sit Deus alius verus, cuius sufficiens sit bonitas, prouidentia & maiestas, secundùm illud 4. Regum 1. *Numquid quia non erat Deus in Israel, mittis vt consulatur Beelzebub deus Accaron?* Denique, Est hæc sententia D. Thomæ hîc art. 2. quam eruditè explicat & sequitur Caietanus art. 4. quamuis contrarium docuerit Valentia hîc puncto 3. Rectè enim D. Augustinus lib. 2. De doctrina Christiana, cap. 23. generatim pronuntiat, quidquid procedit ex societate dæmonum & hominum, superstitiosum esse.

Dico, *Vsurpatio notitiæ*; vt contineatur diuinatio, tam ea quæ committitur quando notitia expetitur & quæritur ope dæmonis, quàm quæ committitur ipsa communicatione talis notitiæ, quando verbi gratia diuinus se consulentibus respondet dat. Ita explicat quoad vtramque diuinationem D. Thomas art. 1.

Dico, *Rei occultioris*; quia non tantùm de futuris, sed etiam de præsentibus & præteritis instituitur diuinatio; verbi gratia, non tantùm an hîc fur futurus sit, sed quis istud furtum admiserit, aut quis rem furtiuam apud se detineat, vt patet cap. 2. De sortilegijs.

Dico, *Adminiculatione dæmonis*; non enim erit diuinatio, nisi Dei æmulus consulatur. Quare si qua reuelatio inordinatè petatur à Deo, Angelis, aut Sanctis, aut curiosiùs aliquid inquiratur arte naturali, non erit diuinatio.

*Quænam à dæmone interrogari possint.*

Dico, *Apertè vel tacitè ad hoc inuocati*; si enim adiuretur dæmon, & quærantur ea quæ vtilia sunt ad eius eiectionem, qualia sunt, quod eius nomen, vt nominatim constringi possit; quæ caussa obsidendi hominem, vt ea ad cautelam amoueatur; quos socios habeat, vt etiam eos secum cogatur educere; vel si cogatur fateri, quæ pertinet ad aliorum ædificationem, non est diuinatio: non enim honoratur, sed potiùs inhonoratur, quando adiuratione cogitur. Certum etiam est, non inuocari, quando occurrens ex iusta vtilitate interrogatur, quomodo etiam Dominus eum interrogauit, *Quod tibi nomen est?* Marci 5. Caueant tamen Exorcistæ, ne superflua curiosiùs dæmonem interrogando vel deprecatiuè adiurando, vel aliquod obsequium obtinendo vel extorquendo, in hoc vitium incidant. Rectè monuit de his Siluester verbo Adiuratio, numero 4. & 5. putat tamen non esse mortale, si Exorcista sine deprecatione imperet dæmoni, vt dicat curiosa & nihil ad expulsionem facientia, non vt credat, sed ex quadam leuitate & curiositate.

*Diuinatio diuiditur.*

Rectè diuiditur diuinatio ex parte inuocationis dæmonis, in inuocantem explicitè, & tacitè solùm inuocatem. Explicita inuocatio eius vel fit vt Dei, vel vt Angeli, de qua diuersitate Dubio sequenti. Implicita admodù variè etiam admittitur, vtpote per astra, somnia, auguria, aut sortes, quibus sese dæmon immiscet, de quibus in sequentibus.

## DVBIVM V.

### *Quomodo in Diuinatione peccetur inuocatione dæmonis?*

*Diuinatio aperta inuocatione dæmonis.*

ALIQVANDO dæmon inuocatur apertè, & si quidem id fiat per sacrificia, aut cærimonias ad Dei cultum determinatas, est expressa idololatria diuinationi coniuncta: si verò solùm fiat per honorem quasi duliæ, vt propter naturæ suæ præstantiam dæmon honoretur, & rogetur tamquam Angelus, non tamquam Deus, non erit quidem expressa idololatria, sed tantùm interpretatiuè & participatiuè; eritque vera superstitio, ex caussis superiori Dubio allegatis. Contingit etiam apertæ huic inuocationi, coniunctam esse blasphemiam & similes abominationes, quando consulens promittit dæmoni vt sæpè dæmon exigere solet, quòd renuntiet Christo, quòd numquam Deo reconciliabitur, vel Sacramentis eius vtetur, vel animam suam dæmoni deuouet, aut perpetuam obedientiam promittit. Item credulitas coniuncta, magnam sæpè habet deformitatem, dum mendaci spiritui creditur tamquam infallibili instar Dei, cum quadam captiuatione intellectus in eius obsequium. Vbi iterùm inuoluitur quædam idololatria vel infidelitas.

Ad apertam etiam inuocationem dæmonis, adeoque ad simpliciter diabolicam diuinationem in hac materia pertinet, non solùm quando diserte verbis dæmon inuocatur, sed etiam quando aliquid fit ex intentione, ad quod certò scitur requiri eius opera. Quod fieri potest duobus modis, videlicet vel adhibita aliqua quasi externa cærimonia, vel nulla eiusmodi cærimonia adhibita. Posterius iterùm fit duobus modis, vel in vigilia, vel in somno. In vigilia quatuor modis. Primò objcit dæmon homini species visibiles rerum, quæ alioqui non sunt præsentes, & dici potest præstigium; estque imitatio quædam diuini miraculi, quo tenebantur oculi discipulorum ne Christum agnoscerent, Lucæ cap. vlt. aut Sodomitarum, ne inuenirent ostium Lot, Genesis 19. aut Syrorum, ne cognoscerent Eliseum 4. Reg. 6. Deinde, auribus infert verba quæ vult, suo modo æmulans modum quo Deus locutus est Samueli 1. Regum 9. Tertiò operando in phantasia;

quomodo Deus Prophetis varia reuelabat, poteſtq; dici pſeudoprophetia, niſi ſimul furore aliquo diuinus agitetur, quale quid accidit in diuina prophetia 1. Reg. 10. tunc enim dicetur arreptitius. Quartò, dæmon in ſuis prophetis quodammodò habitat, ſicut Spiritus ſanctus in Moyſe, Num. 11. quomodo diuinant Pythonici qui dæmonem habent in ventre, & per eum reddunt oracula. Conſulendus Auguſtinus ſuprà lib. 2. De doctrina Chriſtiana. In ſomno quomodo fiat diuinatio, dicemus Dubio 7.

*Diuinatio exteriori adhibita cærimonia quadruplex.*

Exteriori autem adhibita cærimonia expreſſa illa & perta diabolica diuinatio fit ferè quatuor modis. Primus eſt, Quando dæmon in idolo aut arca reſpondet, imitans Deum reſpondentem per propitiatorium. Secundò reſpondet per ſacrificia ſibi impenſa in viſceribus hoſtiarum, ſigno aliquo portendens idipſum de quo interrogatur, quod dicitur aruſpicium. Tertiò per apparentem quamdam ſuſcitationem mortuorum, quæ dicitur necromantia. Quartò per aliquam figuram quæ appareat in re inanimi. Vnde ſecundùm abuſum quatuor elementorum natæ ſunt gæomantia, hydromantia, aëromantia, & pyromantia.

*Quomodo tacitè inuocetur dæmon.*

Hactenus de diuinatione qua dæmon apertè inuocatur. Nunc de ea qua tacitè inuocatur, generatim dicamus. Vbi in primis explicandum eſt, quomodo diſcerni queat, vtrùm quando non apertè inuocatur, tacitè ſaltem inuocetur?

In eo autem facilè DD. conueniunt, dari aliquam ſuperſtitioſam diuinationem ſine pacto explicito cum dæmone, & nullam dari ſine pacto cum dæmone. Hoc itaque videndum, quando implicitum pactum cenſeatur ſubeſſe, ſiue quid requiratur, & quid ſufficiat ad eiuſmodi pactum?

Scitè admodum Suarez dicit, opus eſſe ne per diuinam opem, ſed vana ſit inquiſitio per medium ineptum, & de ſe inutile: eſſe autem ineptum, vel quia cognoſcenti, vel quia rei cognoſcendæ improportionatum. Cognoſcenti homini in naturali ordine improportionatum eſt, quod ſub ſenſum nullo modo cadit: omnis enim noſtra cognitio eſt per ſenſum; rei autem per modum inquiſitionis cognoſcendæ, improportionatum medium eſt, quod eius nec cauſſa eſt, nec effectus: aut ſi cauſſa ſit, non ſatis ad talem effectum in ſe prænoſcendum eſt determinatum: aut ſi effectus aliunde eſſe potuit quàm ex tali cauſſa, quæ ex illo colligatur. Item requiritur ad improportionatum cognitionis medium, ne ſignum fortè ſit ex diuina inſtitutione illius quod inde prædicitur: ſiue enim per huiuſmodi ſignum, ſiue apertè, aut per prophetiam, aut per internum inſtinctum, quem ſatis probabiliter conſtet eſſe à Spiritu ſancto, Deus reuelet, certum eſt ſine diuinationis vitio id poſſe prædici; quamuis vbi quis abuteretur Dei dono, verbi gratia, prophetando in pretio, cenſeatur eius prophetia facta diuinatio, vt loquitur D. Hieronymus.

Quoad poſterius, videndum, vtrùm ſufficiat ad implicitum cum dæmone pactum verè ſubſiſtens, vel ſaltem præſumendum, quòd prænotio aut prædictio ſit vana, aliquo ex modis prædictis? Ad verè enim arguendum eiuſmodi pactum, videtur non ſufficere. Si enim vana ſit collectio cauſſæ ex effectu, quando effectus non ſequitur ex illa ſola cauſſa, ſed etiam aliunde in ſolidum poni poteſt, vt iam dictum eſt, ſequitur neque ex prædictione vana rectè colligi implicitum cum dæmone pactum, cùm aliunde quàm ex eiuſmodi pacto ea poni poſſe videatur. Confirmatur, Numquam eſt pactum implicitum, quin virtute reſoluatur in aliquod explicitum: contingit autem ſæpè nullum explicitum pactum præceſſiſſe, quod aliquo modo concernat vanam hanc coniectationem.

Contrarium tamen cum D. Thoma, & communi aſſerendum eſt, quandocumq; ſeriò quis in vanam prænotionem ſic incumbit per eiuſmodi media aut ſigna, vt non tam falli in legitimo aliquo medio, præſertim naturali, quod intendat, videatur, quàm vti arte diuinatoria, verè ipſum vti implicito quodam pacto dæmonis, ſeu ſocietate dæmoniorum. Si enim aliunde non prouenire hanc prænotionem ſciat aut ſcire debeat, quàm ſe immiſcentis ope dæmonis; etiam negligens idipſum ſcire, cùm negligentia periculum tanti criminis non ſatis vt oportebat excluſerit, irretitur pacto occulto ſocietatis diabolicæ. Cùm enim contra Dei Legem, qui inimicitias poſuit inter ſemen mulieris & ſerpentis, & toties in Scripturis inculcauit, diuinos non eſſe conſulendos, & alia ad huius vitij prohibitionem pertinentia, qui dæmonis vtitur aliqua ope, relicta ſtatione caſtrorum Dei, iam in ſocietatis quoddam pactum cum ipſo dæmone tranſit; tum quia is opem nullam præſtat, niſi ad promouendam ſocietatem deſertionis, tum propter cauſſas ſuperiori Dubio allegatas. Accedit quòd fidem adhibens ſigno dæmonis, ineat quodammodò cum ipſo pactum, quale eſt inter diſcipulum & magiſtrum: ſicuti enim Chriſtus Dominus aliquando exigebat fidem qua iuuandi ſibi id ab ipſo fieri poſſe quod petebant crederent; ita etiam exigit dæmon, vt iam quodammodò conſtet inter diſcipulum hominem, & magiſtrum dæmonem, contractus Facio vt facias. Huius rei argumentum eſt, quòd ſi quis non credens ſecutum effectum, ſigna diuinatoria vel magica adhibeat ſolùm materialiter, & ſine ſcandalo, non peccet mortaliter, aut peccato ſuperſtitionis, & ferè effectus non ſequatur, ſed tantùm delinquat venialiter otioſa actione. Cauendum tamen, ne hoc ioco creetur periculũ ad ſeria veniendi: ſolet enim interdum dæmon ſeſe iocis iſtis immiſcere; & aliquando compertum eſt, ad ſola verba magica materialiter ex confeſſione ſagarum recitata, effectus magicos ſecutos eſſe. Poteſt & hac ratione pactum hîc oſtendi: qui enim ſperat eiuſmodi effectum ex tali ſigno, vel nititur natura, vel inſtitutione. Non nititur in propoſito naturâ, vel Dei aut hominum inſtitutione, ſed diabolica; ergo vel ea quæ priùs facta eſt, vel quæ nunc fit: vtrumuis dicatur, ad diabolici pacti vſum pertinet.

*De adhibente ſigna magica materialiter tantùm.*

Itaque ad argumentum oppoſitum reſpondeo, Ex dictis patet, prædictionem iſtam vanam, quæ eſt in diuinatione, non aliunde poni, quàm ex pacto dæmonis.

Ad confirmationem dico Primò, Sæpè hîc præcedere pactum explicitum cum alijs. Secundò, Hoc non eſſe neceſſarium, quia vt diximus circa definitionem Simoniæ, ad virtuale ſeu tacitum pactum ſufficit commutatio rerum aut actionum realis, verbi gratia, tacitè emit qui inſtitori numerat pretium, quod nouit conſtitutum, & mercem aufert. Ad eumdem modum qui ſeriò exercens talem actionem credit ſecuturum effectum, quem ſolus dæmon facturus eſt, cenſetur emere talem opem ab ipſo dæmone, ſemper ſeſe ad pernicioſa eiuſmodi commercia ſibi volentibus credere exhibente.



*An diuinatio aperta & tacita differant ſpecie.*

Ceterùm dubitatur, An duæ iſtæ diuinationes, quarum vna habet inuocationem dæmonis apertam, & dicitur à quibuſdam ſimpliciter diabolica; altera tacitam, quam dicunt diabolicam mixtam, differant ſpecie? Differre enim, videtur docere D. Thomas hîc art. 3. Contrarium ſentit Suarez.

Dici poteſt, In rigore quidem non eſſe duas ſpecies: vnuocè participantes naturam diuinationis; æquiualenter tamen eſſe duas ſpecies ſub eodem iſto analogo ita diſtinctas, vt earum differentia etiam in confeſſione ſit explicanda, quamuis ſolæ circumſtantiæ mutantes ſpeciem, non autem in infinitum aggrauantes in eadem ſpecie, eſſent neceſſariò confitendæ. Quamuis enim expreſſum & tacitum votum non differant ſpecie, etiam moraliter, neque neceſſum ſit in peccato contra votum explicare, an votum expreſſum fuerit an tacitum: diuinatio tamen in qua apertè inuocatur dæmon, differt ſpecie ab ea in qua tantùm inuocatur tacitè; quia motiua, ob quæ vtraque prohibita eſt, ſunt diuerſa, ita ſaltem vt ſpecie non conueniant, quamuis in analogo fortè conueniant: prior enim prohibetur potiſſimùm, ne ſerui fiamus dæmonis; poſterior, ne fiamus ſocij. Si hoc non ſatisfaciat, accedit quòd vel propter ſola peccata coniungi ſolita, quæ certum ſit ſpecie diſtingui, moraliter meritò reputentur ſpecie diſtingui.

*An ſint ſpecies infimæ.*

Dubitatur etiam, Vtrùm ſint ſpecies infimæ? Videtur enim diabolica mixta plures ſpecies ſub ſe continere, quas nonnulli diſtinguunt hac ratione, vt vna verſetur in ijs rebus tamquam ſignis vanè obſeruandis, quæ ſine humana ope euenient: & quidem ſi caſu occurrant eiuſmodi ſigna, peculiari nomine omina dicuntur. Altera in illis quæ per hominem fiunt. Prioris generis diuinationem vocat D. Thomas hîc art. 3. in fine Corporis, ab vſitata aliqua ſpecie augurium; poſterioris, ſortilegium. Sanè & ipſa hæc genera ſimili diſtinctione in plures ſpecies ſubdiuiduntur; ſed vt ipſorum, ita & iſtarum diſtinctio non eſt ſpecifica aut formalis, ſed tantùm materialis.

Dices, Principia diſtinguunt ſcientias; ergo rectè ſpecies diuinationum variantur ſecundùm diuerſas materias, quæ ſunt quaſi diuerſa earum principia.

Reſpondeo, Non ſequi: Primò, Quia etiamſi vt cognitiones differrent ſpecie, non tamen propterea vt vitia moralia. Secundò, Ne quidem vt cognitiones differunt ſpecie, quia principia iſta formaliter non differunt, ſicut principia diuerſarum ſcientiarum, ſed ſolùm materialiter, ſicut notitia accepta per litteras, & per ſermonem. Vnus enim eſt diabolus, qui per omnia iſta ſigna ſuos inſtruit, & tantùm materialiter differt inſtructio quæ fit per aſtra, ab ea quæ fit per ſortes, ſicuti eadem eſt fides quæ Deo adhibetur, ſiue traditum ſit eius verbum, ſiue ſcriptum, ſiue per Prophetam, ſiue adhibita externa cærimonia, ſiue ſine illis. Hæc ergo omnia quibus abuntur diuini, nihil ſunt aliud quàm lingua quædam dæmonis, ſeu ſigna ex communi conſenſu dæmonis & diuinorum inſtituta: non enim ideò vſurpata primùm ſunt, quia hæc ſignificabant; ſed ipſa vſurpatione, quaſi pacto quodam tacito interueniente, effectum eſt vt talia ſignificarent, quemadmodum docet D. Auguſtinus lib. 2. De doctrina Chriſtiana, cap. 24.

Dubitatur denique, Vtrùm quoties ſubeſſe ſolet alicui actioni tacita dæmonis inuocatio, ſit omnino intrinſecè malum, eam cum ſimilitudine quadam merè materiali vſurpare? Omen enim videtur licitè vſurpaſſe ſeruus Abrahæ, Geneſis 24. Ionathas, 1. Reg. 14. Dauid, 1. Reg. 20. Philiſthæi comprobante Domino, 1. Reg. 6. Huc pertinet, quod Probus Ambroſio dixit, *Vade & fac non vt Iudex, ſed vt Epiſcopus.* Item quod ſibi accidiſſe narrat Auguſtinus lib. 8. Confeſſionum, cap. 12. quando ad vocem pueri cantantis, *Tolle, lege*; legit illud Apoſtoli, *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum: & carnis curam ne feceritis in deſideryjs.* Augurium videbitur exercuiſſe Ioſeph, Geneſis 44.

Dicendum nihilominùs eſt, Numquam licere vſurpare, niſi contraria intentione adimatur eis formale diuinationis, quod fit quando non adhibentur vt ſigna, ſed vt cauſſæ vel effectus; vel ſi vt ſigna, adhibentur vt ſigna à Deo accepta. Vnde patet, vanum eſſe eorum errorem qui auguriorum quidem omnem vſum damnent, non tamen ominum.

Ad exempla reſpondeo, Eliezer ſeruũ Abrahæ non eſſe vſum vano omine, ſed à Deo ſignum petiiſſe, quod ſine vitio tentationis Dei, aut diuinationis, Prophetæ vernaculus Dei inſtinctu facere potuit, præcipuè cùm & hoſpitalitas illa, quam in puella requirebat, ſuapte natura pertinere potuerit ad cauſſam ob quam Iſaaco deſtinanda eſſet. Ionathas etiam non ſine diuino inſtinctu ita egiſſe videtur: arguit fiducia, Dei mentio, euentus miraculoſus, teſtimonium totius populi, quòd cum Deo operatus eſſet. Idem iudicium de Dauide & alijs; quamuis Dauid non tam ex nudo ſigno, quàm ex cauſſa collegerit effectum, ex ira Saulis perſecutionem: nam vt dicitur Prouerbiorum 16. *Indignatio Regis, nuntij mortis.*

*An Ioſephi augurium exercuerit.*

Ad augurium Ioſephi quod attinet, multis modis reſpõderi poteſt: Primò, Non aſſerere Ioſephum, ſe in augurandi ſcientia peritum, ſed interrogatiuè loqui: famulum autem qui id aſſeruit, ita ex mandato Domini fuiſſe iocatum, vt ſentit Auguſtinus quæſt. 145. in Geneſim: quamuis & iſtud alij per interrogationem legant. Sanè non placet quod Pererius indicat, famulum quidem quando per ſcyphum dominum ſuum augurari ſolitum dixit, fuiſſe mentitum, non autem dominum, quando ſe peritum in ea arte dixit, nulla facta mentione ſcyphi: textus enim apertè habet, mandante domino ita famulum locutum fuiſſe, vt etiam obſeruauit Auguſtinus. Secundò, Cùm dicit, *An ignoratis quòd non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia.* dici poteſt, hoc intelligendum eſſe de vulgi opinione; quaſi dicat, An neſcitis, quod omnes prædicant? Tertiò, Augurandi ſcientia poteſt in bonum accipi,

cipi, vt ibi rectè Pererius, vt nihil ſit aliud augurari, quàm præſagire futura, cuius ſanè peritiam ex Dei dono habebat Ioſeph, qui, vt ſuperiori Capite dicitur, ſpiritu Dei erat plenus. Vel ſanè Quartò, hanc ſcientiam ipſius Ægyptij, quorum ſermone, quò magis lateat, vtitur, augurandi ſcientiam vocabant; quo modo Daniel cap. 4. vocatur princeps ariolorum, & cap. 5. dicitur habere ſpiritum Deorum. Quintò, Secundùm lectionem Septuaginta, quam ſequitur Auguſtinus, & ſimilem habet Vatablus, non dicitur Ioſeph peritus augurij, ſed potiùs quòd ſimiles ei augurari certiſſimè poſſint. Qui commentarius ſuperiori iunctus, perficiet plenum ſenſum.

## DVBIVM VI.

### *Sítne illicita quæuis Diuinatio per aſtra?*

*D. Thomas quæſt. 95. art. 5.*

*Quomodo per aſtra veniamus in cognitionem.*

PER aſtra in cognitionem alicuius occultæ rei in his ſublunaribus venire non poſſumus, niſi altero duorum modorum, ſcilicet viâ inuentionis, vel viâ diſciplinæ. Viâ quidem inuentionis, quando per nos in ipſis aſtris inuenimus medium aliquod cognitionis rei inueſtigatæ. Tale nullum eſt, niſi quod cauſſa ſit vel effectus rei cognoſcendæ. Viâ autem diſciplinæ, quando per illum qui nouit, ſigno aliquo ſcientiam ſuam communicantem diſcimus. Itaque ex aſtris non poſſumus occulta ſcire, niſi per Deum, aut Angelum, ſiue bonum ſiue malum, nobis ſignificetur. Quod iterùm duobus modis in hac via contingit. Vno, vt ſignificetur, aſtra hoc cauſſare, quod fieri poteſt etiam non inſpectis aſtris: Altero, vt ſignificetur, hoc in ipſis cælis ſcriptum eſſe, aut vt quaſi ibi ſcriptum legendum exhibeatur.

Tota ergo hæc diſputatio duobus membris comprehendetur. Priori dicemus, Quænam poſſint, quænam verò non poſſint ex aſtris viâ inuentionis cognoſci, tamquam ex cauſſis? certum enim eſt aſtra non eſſe rerum ſublunarium effectus, cùm potiùs, vt Philoſophus dicit, tota vis orbis inferioris à ſupernis dirigatur. Poſteriori, Quomodo viâ diſciplinæ ex aſtris aliquid poſſit aut non poſſit cognoſci?

*Quidnam ex aſtris poſſit vel non poſſit cognoſci viâ inuentionis?*

Ad prius quod attinet, DICO PRIMO. Certum eſt, aſtrorum magnam eſſe efficaciam ad quoſdam effectus in his inferioribus producendos, quorum notitia plurimum ad res humanas conducat, præſertim ad artem Medicam, nauticam, & agriculturam. Eſt omnino certa, communis, & D. Thomæ, & Sixti V. in Motu proprio, qui incipit, Cæli & terræ, edito contra Aſtrologos iudiciarios. Notitiam iſtam inueſtigare, ad veram Aſtrologiam pertinet: Aſtronomia enim circa aſtrorum naturam, vim, curſum, & ſimilia occupatur.

*Aſtrologia duplex.*

Aſtrologia duplex eſt, vna naturalis & licita, quæ effectus ex vera Aſtronomia prædicit: altera iudiciaria, quæ ad vanam diuinationem pertinet, & dici poteſt Aſtromantia. Ad veram itaque Aſtrologiam pertinebit, ex aſtrorum conſideratione prædicere æſtus, frigora, pluuias, tempeſtates, fertilitates, ſterilitates, & ſimilia. Huc pertinet illud Matth. 16. *Facto veſpere dicitis, Serenum erit: rubicundum eſt enim cælum*, &c. *Faciem ergo cæli diiudicare noſtis.* Item Lucæ 12. *Cùm videritis nubem*, &c. *faciem cæli & terræ noſtis probare.* Dominus enim ibi non reprehendit, ſi ex cæli rubore veſpertino ſerenitatem, ex matutino autem pluuiam futuram colligamus; imò tacitè id rectè fieri indicat. Quò pertinet quod apud Lucam addit, *Et ita fit.* De ſimili ſignificatione illud Geneſis 1. *Et ſint in ſigna & tempora, & dies & annos*, intellexit Baſilius Homilia 6. De opere ſex dierum: quod & exemplo illuſtrat Lunæ, tertio die puritate ſua ſtabilem portendentis ſerenitatem.

DICO SECVNDO, Etiamſi Aſtrologus naturalis, vel certiùs prædicat quàm præſcire poſſit, vel calculo, aut alia ſimili imperitia erret, non tamen erit eiuſmodi eius erratum ad ſuperſtitionem aut diuinationem reijciendum; neq; enim pacto implicito cum dæmone vtitur: non enim procedit viâ diſciplinæ, ſed inuentionis; neque aliter hîc ſeſe dæmon immiſcet, quàm in quibuſcumque vitiis, neque peculiare hîc quidquam eſt contra Religionem, ſed vanitas ſolùm quædam aut præſumptio.

*Quidnam liceat ex ſiderum conſtellatione circa pueri natiuitatem?*

DICO TERTIO. Probabiliter dici poteſt, non eſſe de ſe malum, aut toto genere ex natura rei illicitum, ex ſiderum conſtellatione obſeruata pueri natiuitate, coniectare eius temperamentum, & ex temperamento naturalem aliquam inclinationem futuram, & propenſionem ad has aut illas paſſiones, vitia, aut virtutes, puta iram, manſuetudinem, libidinem, & ſimilia. Ita ſentit Suarez, Delrio lib. 3. cap. 3. quæſt. 1. concluſ. 2. & ſentire videtur hîc D. Thomas ad 2. quando dicit, ideò interdum Aſtrologos vera prædicere, præſertim de illis actionibus humanis, quæ à multitudine dependent; quòd plures homines ſequantur paſſiones corporales, ideoque actus eorum vt plurimùm ſequantur cæleſtium corporum inclinationem. Quamuis dici poſſit, D. Thomam non loqui de inclinatione aſtrorum quæ ſit tempore natiuitatis, ſed eo tempore quo exercendæ ſint illæ ipſæ quæ prædicuntur actiones.

Confirmatur aſſertio: Cùm enim temperamentum humani corporis pendeat à cauſſis naturalibus, & homo hominem generet atque Sol; veriſimile eſt, cæleſtes influentias multum poſſe in eiuſmodi temperamento producendo. Itaque ex illis coniectare tamquam ex cauſſis, non poterit per ſe eſſe malum.

*Quid non.*

DICO QVARTO. Vana nihilominùs eſt eiuſmodi Genethliacorum coniectatio de fortunis & moribus, imò & de ipſa complexione hominis, ex obſeruato Horoſcopo & cõſtellatione quæ fuerit tempore natiuitatis, aut quæ erit tempore vitæ, & videtur vniuerſim, ſaltem quoad mores & fortunas prædicendas, damnata in Bulla Sixti V. ſuprà citata; imò & in ipſis ſacris Scripturis, Iſaiæ 47. *Saluent te augures cæli*, &c. Deuteronomij 18. *Gentes iſtæ augures & diuinos audiunt.* Ieremiæ 10. *A ſignis cæli nolite metuere*, Galat. 4. *Dies obſeruatis & annos*, &c. Canones contra Aſtrologos videre licet cauſſa 26. quæſt. 2. & tribus ſequentibus. Leges ciuiles L. 2. 5. & 7. C. De maleficis & Mathematicis, & L. Mathematicos, C. De Epiſcopali audientia, vbi & proprios codices cremare iubentur: cui conforme eſt quod habemus cap. 19. Actorum: *Multi ex eis qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt*, &c. Quamuis enim curioſitatis nomen admodum latè pateat, de Aſtromantarum



ſum tamen ſeu Mathematicorum libris id accepit Auguſtinus Concione ad Pſal. 61. vbi Mathematicum non niſi per publicam pœnitentiam admittit. Non minor fuit in hoc ſeueritas Alexandri III. cap. Ex tuarum, De ſortilegijs, qui Preſbyterum ſimplici zelo conatum inſpectione aſtrolabij rem furto Eccleſiæ ſurreptam recuperare, ad annum integrum iuſſit eſſe ab altari ſuſpenſum. Leo I. Epiſtola 91. Priſcillianiſtas damnat, quòd per duodecim cæli ſigna corpus hominis diſtinxerint, quaſi ſimus ſub aſtrorum poteſtate, quòd fatalibus ſtellis & animas hominum & corpora adſtrinxerint. Eumdem errorem damnat Bracarenſe I. Can. 9. & 10. damnatur item Can. 72. in collectione Græcorum Canonum per Martinum Bracarenſem tom. 2. Conciliorum: item Toletano I. in confeſſione Fidei: *Si quis Matheſi vel Aſtrologiæ exiſtimat eſſe credendum, anathema ſit.*

*De fortunis.*

Aſſertionem in primis probemus de fortunis. Effectus fortuitus non habet certam aliquam cauſſam naturalem; eſt enim non ens vnum, ſed ſimpliciter multa: naturalis autem virtus ad vnum aliquod eſt determinata, ſicut vna eſt cuiuſque rei naturalis forma. Quamuis ergo cælum cauſſa eſſe poſſit vnius fortè effectus concurrentis in fortuito euentu, non poterit tamen determinata eſſe cauſſa ipſius concurſus plurium cauſſarum, qui merè per accidens euenit. Secundò, Quæ proſperè aut ſecùs homini in vita obueniunt, à Deo diſponuntur, ſine cuius prouidẽtia ne capillus quidem capiti noſtro excidit: ſi ergo aſtra hîc aliquid determinatè efficere poſſunt, non tantùm voluntati noſtræ libertatem adiment, ſed & diuinæ, cui & ipſa perpetuò ſubſunt, ita vt ad nutum ſuum, eorum curſum ſiſtere & retrouertere poſſit, vt fecit tempore Ioſuæ. Vanum ergo eſt aſtris ea ſubijcere, quæ aſtrorum Conditor & rector ſibi reſeruauit.

*De moribus.*

De moribus, quoad actus liberos vnde ij potiſſimùm æſtimantur, res æquè certa eſt. Cùm enim ea ſit natura liberi actus, vt procedat à cauſſa indeterminata, vanum eſt ex aſtris, tamquam ex cauſſa determinata, eum velle prædicere.

*Obiect.*

Dices, Aſtra ponunt inclinationem, contra quam poſſet quidem niti libertas hominis: ſed ſatis probabiliter præſcitur quòd non nitetur, quia ea eſt noſtri generis corruptio, vt facilè vitijs ſuccumbamus; ergo ſaltem in malis poterit Aſtrologus particularis alicuius hominis mores probabiliter prædicere.

*Reſp.*

Reſpondeo, Neque ita rectè ſtatui: vel enim inclinatio illa, eſt ex aſtris quæ concurrebant tempore natiuitatis, de quo mox dicemus, & oſtendemus ex illis mores colligi non poſſe; vel eſt ex illis quæ concurrunt cum ipſis moribus. Atqui non niſi vanè ex illis prædicuntur liberi mores: rectè enim inſignis quidam Aſtrologus dixit, Sicuti rigente cælo qui balneum intrat, calere poteſt, ita fieri poſſe, vt alijs ex cauſſis affectio illa quæ ex aſtris ad hoſce mores erat, ſuperetur. Oporteret itaque præuidere non tantùm inclinationem aſtrorum ad eiuſmodi actus liberos, ſed etiam concurſum reliquarum cauſſarum, quæ diſpoſitiuè aut obiectiuè in illis concurrere poſſunt; qui concurſus cùm ſit per accidens, vt ex dictis patet, ex aſtris tamquam cauſſa ſua nullo modo præſciri poteſt. Addo, non ſatis poſſe oſtendi alicuius momenti inclinationem ad certum, verbi gratia, vitium ex aſtris prouenire in particulari homine, hoc certo tempore; quamuis quòd integra aliqua gens inclinata ſit ad certas paſſiones, veriſimiliter aliquam ex cæli adſpectu & diſpoſitione cauſſam habeat, ſed ita rurſus obſcuram, vt faciliùs ex effectu cauſſam, quàm ex cauſſa effectum conijcias. Præterèà vel is de quo in particulari prædicit Aſtrologus, eſt ex numero ſapientum, vel ſtultorum. Si ſapientum, cùm ſapiens dominetur aſtris, falletur Aſtrologus: ſi ſtultorum, nihilominùs falletur, quia longè maior eſt in omnem partem inconſtantia ſtultorum, qui vt Luna mutantur, quàm ſapientum. Vnde & Sapiens Prouerb. 30. omnino impoſſibile indicat, præſcire viam viri in adoleſcentia, quando nimirum circumfertur omni vento paſſionum. Denique aſtrorum curſus fuiſſet idem, ſi homo non peccaſſet, mores autem longè diuerſi; ergo certum eſt, non poſſe eos ex aſtris prædici.

*De complexione.*

De complexione ex genitura coniicienda, illud in primis obſeruandum, Rationem debere reddere Genethliacos, quare eam æſtiment ex momento, quo proles è matris vtero egreditur, cùm multis modis fieri poſſit, vt paulò citiùs aut tardiùs egrediatur, vix tamen in vllo quoad complexionem mutata.

Secundò, Dicant, an ex ſolis aſtris exiſtiment hanc complexionem pendère: certum enim eſt, multùm, imò multò magis pendère ex diſpoſitione materiæ, ex efficacia proximæ virtutis actiuæ; non ergo vſqueadeò vrgenda ſola conſtellatio.

Tertiò, Sit ita, pendeat res tota à conſtellatione; quare ea potiùs obſeruabitur quæ eſt tempore natiuitatis ex vtero, quàm quæ fuit tempore conceptionis, tempore animationis, totoque tempore geſtationis? Sanè ex parentum imaginatione, tempore conceptionis non ſolùm temperamentum, ſed etiam colorem non parum pendẽre, tradunt naturales, & experimentis confirmant. Conſtat etiam ex incurſibus, aut affectionibus, vel ſpectris quæ prægnantibus obueniunt, plurimum ſæpè alterari prolem, atque inde tota vita characteres retinere, cùm non æquè adhæreant affectus materni, verbi gratia, dolores qui fuerint tempore partus. Fatetur iſta Ptolomæus, ſed ideò inſpici vult tempus natiuitatis, quòd tempus conceptus ignotum ſit; quaſi verò ideò vana proferenda ſint, quòd certiora ſint ignota.

*Quænam incertam faciant prænotionem complexionis.*

Quartò, Etiamſi demus, ex aſpectu ſiderum qui eſt tempore natiuitatis, complexionem prolis plurimùm pendere; plura tamen ſunt quæ incertam faciant prænotionem eius ex illa cauſſa. Vnum, quòd inſtrumenta & aſtrolabia, vt ipſi Aſtrologi fatentur, valdè ſint fallacia. Alterum, quòd difficile ſit noſſe & diſcernere præcisè momentum illud ſeu morulam natiuitatis, qua etiam gemini debeant diſcerni, quorum alter alterius plantam tenuerit, vt accidit in Iacob & Eſau. Vrget Baſilius Homilia 6. in Geneſim, Auguſtinus lib. 5. De ciuitate Dei, c. 5. Gregorius Homilia 10. in Euangel. Tertium, Quòd ſignorum etiam ortus latitudinem ſuam habeat: hora enim, & tertia parte horæ aſcendunt, vt dicit Origenes apud Euſebium libro 6. De præparatione Euangelica, cap. vlt. minima autem temporis morula, vt Genethliaci dicunt, magnam facit mutationem.

Quar-

Quartum, Quòd non redeat facilè, neque à principio mundi huc vsque redierit eadem omnino positura cælorum, idemque omnino mutuus respectus siderum, qualem Astrologi considerant, vt contra eosdem rectè ostendit Mirandula lib. 5. cap. 2. Omitto negligentiam & imperitiam, quæ, vt benè ostendit idem Auctor lib. 2. cap. 7. & 8. ferè solet esse maior in illis, qui plus in eiusmodi prognosticis præsumunt: quamuis, vt idem testatur lib. 9. cap. 7. fateantur Genethliaci, adhuc apud se incertum esse, quomodo domus sint diuidendæ, quantum earum vires extendantur, & quibus signis vtendum. Fatales etiam horæ, quas vocant, omnino eis occultæ sunt. Accedit aëris intermedij illusio; Euro enim flante, sidera apparent maiora: varietas de distantia Planetarum inter se, de motu octaui orbis, & alijs multis; vt meritò Astrologo dicatur quod est Iobi cap. 38. *Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?*

*An viâ disciplinæ ex astris cognosci possint futura contingentia?*

Itaque decisa lite ista de notione & prædictione talium viâ inuêtionis, quasi effectuum ex caussis, superest examen alterius modi, Vtrùm saltem viâ disciplinæ in cælo tamquam in libro quodam descripta, addisci, videri & præuideri queant futura contingentia? Hoc enim non ignobiles quosdam Auctores dixisse, testatur Augustinus lib. 5. De ciuitate Dei, cap. 1. vt nimirum quod efficere non posse demonstrata sunt, saltem loqui & tamquam signa indicare astra videantur. Sensit id Origenes in illud Geneseos 1. *Et erunt in signa.* teste enim Eusebio lib. 6. De præparatione Euangelica, cap. 9. docet, cælos quidem non esse caussas rerum humanarum, esse tamen in eis descripta tamquam in libro quodam, signa quædam omnium rerum humanarum, & futurorum contingentium, & quidem talia, vt non ea per se possint homines intelligere, sed debeant à superioribus virtutibus siue Angelis, quibus propriè depicta sint, discere: cui conforme est quòd legantur dæmones in idolis, quasi in astris ea legerent, futura prædixisse. Luculentus testis Eusebius lib. 5. c. 4. suprà. Eiusdem sententiæ est Ciccus Esculanus commentator Ptolomæi; quamuis fateatur, artem istam admixtione diabolicæ esse vitiatam.

*Argum. 1. pro opinione affirm.*

Probatur hæc sententia Primò ex eodem illo Geneseos loco: *Et sint in signa.*

2. Secundò ex cap. 34. Isaiæ: *Complicabuntur sicut liber cæli.* Cuius similis est locus Apocalyp. 6. *Cælum recessit sicut liber involutus.* Hinc enim apparet, vsque ad diem iudicij cælum esse instar libri aperti, in quo res humanæ legi possint.

3. Tertiò ex cap. 5. Iudicum: *De cælo dimicatum est contra eos; stella manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt.*

4. Quartò ex eo quod Iacob dixisse fertur, *Legi in tabulis cæli, quæcumque contingent vobis & filys vestris.* Ita refert Origenes ex libro quodam cui titulus erat, Narratio Ioseph, magnæ apud multos auctoritatis.

5. Quintò ex Augustini lib. 2. De Genesi contra Manichæos, cap. 21. *In perspicuitate & simplicitate cælestium corporum omnes omnino motus animi latere non arbitror.*

6. Sextò, Cometæ sunt signa, quæ insignes casus futuros portendant; ergo & reliqua astra.

7. Denique Astrologi sæpè vera prædicunt.

*Resp. ad 1.* Sed ad Primum respondeo, Astra quidem esse in signa, sed non illorum euentuum, quos ex ipsis vana ista Astrologia prædicit. Quorum autem sint signa, indicatur illo eodem loco, & explicatur Ecclesiastici 43. *Luna in omnibus in tempore suo ostensio temporis, & signum æui: à Luna signum dici festi.* Secundò sunt signa eorum effectuum qui à cælo pendent, vt serenitatis & pluuiæ, vt docet D. Basilius suprà citatus. Sunt ergo signa, non Astrologica, sed Astronomica, aut etiam Politica, & interdum miraculosa.

*Ad 2.* Ad Secundum respondeo, Similitudinem illam libri & cæli non esse positam in scriptione quæ in vtroque sit; & vt esset, non sequeretur inde, omnia in cælo esse descripta, sicuti in vno libro non omnia describuntur: sed posita est in materia libri, quæ est quasi pellis seu membrana quædam extensa: fulgent enim ad nos astra tamquam characteres quidam ex membrana extensa. Solent enim olim libri ex volumine membranæ constare, qui extensi, erant conspicui & vsui idonei; conuoluti, erant vsui inidonei: ita cælum in creatione dicitur à Deo extensum sicut pellis, Psal. 103. absoluto autem mundi fine, inuolui sicut membrana quædam, aut sicut liber complicari. Consulendus in eum locum Augustinus & Viegas in dictum cap. Apocalyps. & alij ab ipso citati.

*Ad 3.* Ad Tertium, Locus iste nihil facit pro Astrologis: vel enim per stellas cæli, vt alibi, significantur Angeli propugnatores populi Israëlitici; vel si stellæ propriè accipiantur, solùm significabitur, sic aërem ceteraque elementa, ipsum cælum & tempus fauisse populo Dei, vt ipsæ quoque stellæ solitæ imbres ciere, censeantur contra Sisaram pro Israële pugnasse. Ita Caietanus, & alij.

*Ad 4.* Ad Quartum, Quamuis liber ille apud Origenem & alios quosdam tam Iudæos quàm Christianos magnæ fuerit auctoritatis, reuerà tamen nullius esse debet, vtpote, qui non tantùm illum de quo agimus, sed & alios multos habeat errores, qualis est quòd Angeli quidam sint ad inuitationem Christi incarnati. Vnde meritò inter apocrypha relatus est ab Athanasio in Synopsi, & Sixto Senensi lib. 2. Bibliothecæ.

*Ad 5.* Ad Quintum, Crassum illud erratum est Iulij Sireni, qui quod Augustinus dixit de cælestibus seu spiritualibus corporibus hominum beatorum, intellexit de cælis. Voluit autem Augustinus nihil in beatitudine esse simulatum, vt exteriùs vnus beatus alteri aliud obtendat, quàm quod in corde cogitet; imò potiùs omnes cogitationes in corpore relucere. Ex quo, vtrùm sequatur quòd sibi mutuò cogitationes occultare nequeant, alterius loci est examinare: neque enim hoc quidquam ad Astrologos nostros iudiciarios pertinet.

*Ad 6.* Ad Sextum, Cometas non esse certa signa eiusmodi effectuum, vt vulgò putatur, verius est: & vt verè Regum mortem aut aliquid simile portendant, non id efficient vt mera signa, sed fortè vt coëffectus, eò quòd ab eisdem caussis cum illis pendeant. At quæ caussa inde esse poterit determinatè potiùs Regum mortem quàm vulgarium effectura? Sanè si ratio naturalis consulatur, incerta hæc portenta: nam quod à teniore Regum complexione, aut maiori choleræ abundantia petunt, vix coniecturæ suffecerit, nedum certitudini. Non improbabiliter tamen dici potest, Deum interdum insolitis eiusmodi cæli mutationibus, insignes illos effectus portendere, quo modo fecisse legimus 2. Machab. 5. quando apparuerunt in aëre equites discurrentes. Ita sentit Serrarius in illum locum Machabæorum, & probat egregio dicto Caroli Magni ex Fasciculo temporum, Plinio, Seneca, & alijs.

*Ad 7.* Ad Septimum, Hoc fieri interdum ex occulto pacto cum dæmone, qui pro naturæ suæ perspicacia, multa aliunde nouit conijcere, quæ interim astris adscribi curet. Ita Augustinus lib. 5. De ciuit. Dei, cap. 7. & alibi. Aliquando imaginatio facit, vt qui Astrologos consulunt, ex apprehensione incidant in morbum, aut adspirent ad honores sibi prædictos, & aspirantes consequantur. Est simile in Apophthegmatibus Plutarchi, vbi Agesilaus subornat ariolum, qui in iecore astu descriptis victoriæ notis exercitum ita animauit, vt pauci contra ducenta millia hostium victoriam obtinerent. Aliquando in pœnam Deus finit mala prædicta euenire, ipsisque dæmonibus quod prædixerant procurare. Augustinus De diuinat. dæmonũ, cap. 5. Ad hæc sæpè casu ita euenit vt prædicitur. Augustinus lib. 4. Confess. cap. 3. & lib. 7. cap. 6. quod pulchro quorumdam adolescentum exemplo probat lib. 12. De Genesi, cap. 22. qui ioco fingentes se Mathematicos, verum prædixerunt aut coniecerunt. Denique aliquid hìc potest sagacitas & vsus Mathematici. Phauorinus apud Gellium lib. 14. cap. 1.

Meritò ergo monemur Deuteronomij 13. eiusmodi vanos homines, etiam cùm vera prædixerint, esse vitandos; imò tunc maximè, vtpote vbi suspicio augeatur latentis diabolicæ societatis.

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm Diuinatio per somnia sit licita?*

*D. Thomas q. 95. art. 6.*

RESPONDET D. Thomas distinguendo, Diuinationem per somnia esse licitam, quando ea procedunt ex reuelatione diuina, vel diuinatio procedit attenta aliqua caussa naturali, siue interna siue externa, quatenus ea verè ad effectum præuisum sufficit: non esse autem licitam, sed superstitiosam, quando caussatur ex reuelatione dæmonum, interueniente aliquo cum ipsis pacto, siue expresso, quando ad hoc inuocantur; siue implicito, quando diuinatione vltra debitum modum extensæ sese immiscent, vti semper immiscere censendi sunt.

*Quotuplex diuinatio per somnia.*

Pro huius doctrinæ illustratione quæritur Primò, Quotuplex sit diuinatio per somnia?

Auctor libri De spiritu & anima, Augustino adscripti, cap. 25. docet, quòd sit quintuplex: oraculum, visio, somnium, insomnium, & phantasma.

Oraculum, cùm Deus vel sacra persona in somnis apparens, de futuris apertè prænuntiat. Tale fuit somnium Iosephi & Magorum, Matth. 1. & 2.

Visio, cùm id quod videt quis, eodem modo quo vidit, euenit. Tale fuit somnium Ioseph, Geneseos 37.

Somnium est figuris tectum, & sine interpretatione intelligi non potest. Tale fuit somnium Nabuchodonosor, Daniel. 2. & Madianitæ, Iudic. 7. pincernæ & pistoris, Geneseos 40. Pharaonis, Geneseos 41.

Insomnium, quando id quod fatigauerat vigilantem, ingerit se dormienti.

Phantasma, quando qui vix dormite cœpit, & adhuc vigilare se existimat, aspicere videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas varias, lætas aut turbulentas. Ita ferè ille.

*Caussa somniorum.*

Alia potest esse somniorum diuisio secundùm caussam, vt alia sint naturalia, alia supernaturalia, alia mixta, prout caussa fuerit vel naturalis vel supernaturalis. Dicit enim Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 48. somnia ex sex caussis prouenire, quarum tres primæ sint naturales, plenitudo corporis, inanitas, antecedentes diurnæ cogitationes & curæ: supernaturales autem, illusio dæmonis, vel reuelatio Dei: mixtæ, quando cum reuelatione vel illusione caussa naturalis concurrit.

*An diuinatio ex somnijs sit illicita.*

Quæritur Secundò, Vtrùm omnis diuinatio ex somnijs sit illicita?

*1. Opinio.*

Arbitrantur id quidam ex Philosophis, vt Xenophanes Colophonius, & Epicurei. Argumentum pro hac opinione profert Tiræus lib. 3. De apparitionibus spirituum, & alij, inde petitum, Quòd Dei maiestate videatur indignum, per somnia agere cum dormientibus, præcipuè cùm facilè somnia contemni soleant.

Aliud habet Pererius, Quòd omnia somnia videantur esse eiusdem naturæ ac rationis, adeoque cùm constet plurima ad prænotionem nihil valere, indicio esse, quòd nulla valeant.

Tertium erit eiusmodi: Quod inordinatum, inconstans, ac superfluum est, non est à Deo aut natura: talia sunt somniorum præsagia; ergo neque à Deo, neque à natura sunt; aliunde autem non possunt vllam habere auctoritatem.

Quartum, Si verè præsaga essent somnia, non ea daret Deus sordidis & indoctis hominibus, vt fieri compertum est, sed optimis & sapientibus. Ita Aristoteles.

*2.* Econtrà alij fidem arrogant omnibus omnino somnijs: quæ inopinabilis opinio tribuitur Protagoræ non ignobili Philosopho, & quibusdam Stoicis, omnibus somnijs nescio quam significandi vim adscribentibus; quamuis fassi sint, ita tenuiter aliquando expressa esse somnia, & eam esse nostri ingenij & solertiæ tenuitatem & tarditatem, vt tamquam inutiles subtiliùs descripti apices nobis pereant. Ita de Telmessensibus testatur Tertullianus De anima, cap. 46.

*3.* Tertia erit opinio Aristotelis, in rebus quidem Medicis naturale quoddam præsagium aut indicium ex somnijs admittentis, à Deo autem vlla immitti negantis. Ita lib. De diuinatione per somnia.

*Vera sententia.*

Verùm his omnibus postpositis, certum est, neque omnia, neque nulla somnia esse idonea comparandæ notitiæ alicuius occulti: vti etiam certum est, quædam ad hoc ipsum somnia diuinitus immitti. Illud Homerus & Virgilius adumbratum voluerunt geminâ insomniorum portâ: vnâ corneâ, qua veritas ad nos transmissa resplendeat; eburneâ alterâ, qua nihil veri transmittatur, sicuti per ebur lux transparere nequit. Ita ferè ex Homero Tertullianus De anima, dicto cap. 46. Rectè id probauit D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 48. *Somnia etenim nisi plerumque ab occulto hoste per illusionẽ fierent, nequaquam hæc vir Sapiens indicaret, dicens: Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Eccli. 34. *Et iterùm,*

Leuit. 19. *rum: Non augurabimini, nec obseruabitis somnia. Quibus profectò verbis, cuius sint detestationis ostenditur quæ auguriis coniunguntur. Rursus nisi aliquando ex cogitatione simul & illusione procederent,*
Eccles. 5. *vir Sapiens minimè dixisset, Multas curas sequuntur somnia. Et nisi aliquando somnia ex mysterio re-*
Gen. 31. *uelationis orirentur, nec Ioseph præferendum se fratribus somnio videret, nec sponsum Mariæ, vt ablato puero in Ægyptum fugeret, per somnium Angelus admoneret. Rursum, nisi aliquando somnia ex cogitatione simul & reuelatione procederent, nequaquam Daniel propheta visionem Nabuchodonosor edisserens, a radice cogitationis inchoasset, dicens: Tu Rex cæpisti cogitare in strato tuo, quid esset futurum post hæc.* Eadem ferè habet 8. Moral. c. 18. Sunt ergo aliqua notitiæ inepta somnia, illarum nimirum rerum, quarum neq; causæ, neque effectus, neque coëffectus, neque signa sunt. De his latè agit Ecclesiasticus cap. 34. *Somnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia.* Et infrà: *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum.* Quod tamen non ita accipiendum est, quasi velit Sapiens, nullam esse coniectationem ex somnio naturali: rectè enim Philosophus communiter receptus, suprà dicit, optimos Medicorum somnia ægrorum obseruare; sed loquitur de collìgendis fortunis, aut futuris contingentibus, de quorum ex somnijs suis præsagio soleant extolli imprudentes; vel, vt quidam monet, loquitur de somnio ab extrinseco immisso.

Vt ergo discernamus vtilia notitiæ somnia ab inutilibus, videndum Primò, Sintne causæ eorum quæ inde prædicuntur?

*Somnia non sunt causa eorum quæ ex iis prædicuntur.*

Sanè ex hoc capite non possunt somnia hîc esse vtilia: vix enim est imaginabile, quidnam ex ipsis somnijs tamquam causis prædici queat, nisi fortè adiunctis alijs superstitionibus & coniecturis. Si enim memor somnij sui, confidentiùs rem aliquam quis aggrediatur, liberum id ei est, neque ex somnio causam, sed solùm occasionem aliquam habet. Rursum si propter præcedens somnium aliquid viter, non hoc ideò facit, quòd immediatè somnium, aut etiam verè huius sit causa; sed quòd mens permota somnio, fortè tamquam signo aut aliquo præsagio vero vel falso, ad ita faciendum hominem applicet: sic enim ex fide indigno somnio aliquando imprudentes operantur, & verum faciunt quod falsò collegerunt. Opus enim non ex somnij sequitur vero præsagio, sed ex libertate hominis. Si alius quispiam audito tali somnio, & cognito imprudentium talium more, actum prædicat, ex somnio quidem tamquam ex occasione, ex more autem tamquam probabili causa, quod futurum est aliqua probabilitate conijciet.

*Quomodo ex somnio tamquam effectu aliquid coniectari possit.*

Videndum Secundò, Vtrùm ex somnio tamquam effectu aliquid coniectari possit.

Sanè posse in rebus Medicis, certum est, verbi gratia, de complexione hominis, de morbo, & similibus: quinimò quoties causa somnij naturalis est, eam ex somnio coniectare licebit, quamuis & alijs adminiculis opus sit, eò quòd ex varijs causis idem somnium prouenire possit. Quando autem causa est supernaturalis, difficilius erit discernere, vtrùm à dæmone sit, an à Deo, vel diuina per Angelum reuelatione. Signum erit esse potiùs à dæmone, si sit de re inutili, aut cum illecebra quadam turpitudinis, si semper cum horrore proueniat somnium sine compensatione aliqua tranquillitatis, & lætitia subsequente. E contrà conijcies esse à Deo, ex præstantia rerum quæ reuelantur, vtpote si tales sint quas solus Deus nouerit, verbi gratia, futura planè libera, quæ in causis quasi grauidis & prægnantibus præuideri non potuerunt, aut cogitationes cordium, modò sæpè eadem vt significata, ita verè in rebus extiterint. Item somnium conijcies esse à Deo, ex effectu, si quamdam spiritus suauitatem, & propensionem ad deuotionem pariat: imò vix vllo alio indicio multi dicunt hîc opus esse, quàm interiori quadam illuminatione & sapore, quo quisque diuina qui subit somnia ea discernit, vt hoc ipsum ea esse à Deo, notum per eadem fiat, sicuti per se nota sunt prima principia, & lumen non indiget alio lumine, vt videatur. Ita D. Gregor. lib. 4. Dialogorum cap. 48. & lib. 8. Moral. cap. 19. quem alij sequuntur. Indicatum volunt Ecclesiastici 34. *Nisi ab Altissimo emissa fuerit visitatio.*

Verùm admodum salutaris est monitio Isidori lib. 3. Sententiarum, cap. 6. non faciè somnijs tamquam diuinis esse credendum, eò quòd ex varijs causis oriantur nobis haud perspectis, & satanas sæpè in Angelum lucis se transfiguret. Itaque in dubio semper iudicabimus somnia non esse ex Dei reuelatione. Neque satis est dubio huic dirimendo, rem esse sanctam, de qua in somnis monemur: ad talia enim etiam diabolus hortabitur, vt vel sic fidem mereatur, qua vel illudat tunc, vel postmodum fallat. Neque etiam satis est, rem euenisse vt erat prædicta: monuit enim Scriptura Deuteronom. 13. *Etiamsi dixerint vobis, & ita euenerit, ne credatis eis.* Ex ea idem monent Augustinus, Isidorus, & alij.

Quod tamen dictum est de diuino illo gustu, comitante diuina somnia, non ita accipiendum est, quasi absolutè semper sit necessarius: quamuis enim semper is sufficiat ad firmiter reuelationi credendum, non tamen est necessarius ad probabiliter existimandum, veram & à Deo esse somnij significationem.

*Quomodo tamquam coëffectu.*

Tertiò videndum, Vtrùm ex somnio tamquam coëffectu siue causæ eiusdem effectu aliquid conijci possit?

Iste prænotionis modus vix potest hîc habere locum, nisi quando de valetudine ex somnio conijcit Medicus.

*Quomodo tamquam ex signo.*

Superest ergo Quartus modus, quo ex somnio tamquam signo aliqua noscantur aut prædicantur. Ex naturali prædicere, vanum est; ex diabolico, superstitiosum; ex diuino, propheticum. Quamuis enim aliquando contingat, quæ naturali somnio continentur, ita postmodum euenire ex causis occultis, aut etiam casu; nihil tamen certi inde haberi potest, & vix suspicio aliqua, vt rectè monet Caietanus. Quænam autem sint istæ causæ occultæ, quidam conijcere conantur. Stoici dicebant, animi nostri naturam esse diuinam, ideoque ab exteriorum sensuum operatione vacantem vegetiorem fieri, non tantum vt præteritorum reminiscatur, & præsentia sentiat, sed etiam vt futura præsentiat. Synesius in Spiritu phantastico, quòd vehiculum quoddam animæ faciebat, tim pressa putabat simulacra omnium rerum,



rum, & tamquam in speculo quodam relucere præsentium quidem clariora, præteritarū autem minùs perspicua, obscurissima autem rerum futurarum: cùm enim futuri effectus quasdam habeant prægressiones in suis causis, putabat per somnia naturaliter eos posse præsignari: inæqualiter tamen id fieri, pro varia temperie & dispositione, vt etiam in speculis pro varietate materiæ & figuræ, variæ admodùm similes redduntur imagines. Congruam itaque dispositionem procurandam esse illis qui bona somnia captant, quod Pythagoras fecisse legitur, qui ideò etiam suis fabas tamquam onerosum & inflatum pabulum interdixerit, quem meritò ridet Tertullianus suprà, quòd Daniel, esu leguminum contentus, optimus fuerit somniorum interpres. Verùm ista vel ipsis somniis, in quorum defensionem adducuntur vaniora figmenta, & Platonicis ac Pythagoricis potiùs nugis quàm Christianæ doctrinæ consentanea, meritò explodunt passim Theologi. Consulendus Pererius lib. De obseruatione somniorum, quæst. 2. Vana ergo coniectatio futurorum ex naturali somnio. Ex diabolico esse superstitiosam, per se clarum est, vt & diuina somnia esse vtilia; de quibus nonnulla hîc addenda.

*Cur Deus sæpe per somnia reuelat.*

Occurrit autem in primis tradenda ratio, quare Deus, qui id æquè in vigilia potest, sæpè legatur per somnia, quæ nota volebat, reuelasse? Vnde illud Eliu Iob 34. *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.*

Vna autem huius rei ratio inde petitur, Quòd ipsa quies diuinis radijs recipiendis hominem aptiorem reddat, sicuti in aqua non agitata facilius hominis facies tamquam in speculo resplendet. Secunda, Quòd faciliùs nulla opposita ratiocinatione, diuina reuelata homo in somno recipiat, & fidem vt decet adhibeat. Tertia, Quòd animus à sensu abstractior, magis sit idoneus ad diuina capienda. Quarta, Vt potentia Dei ostendatur, qui possit etiam dormientes docere. Quinta, Vt hac ratione commendetur animæ immortalitas, quæ possit etiam tunc diuina contemplari, quando corpus somno quasi sepultum iacet: de quo videndus Augustinus Epist. 100. ad Euodium. De omnibus autem istis modis Pererius suprà quæst. 4. Coimbricenses addunt in Problematis suis Sextam causam, Quòd ipsum noctis silentium aliquid conducat ad maiorem reuerentiam Dei, qui posuit tenebras latibulum suum. Idem habet Bonauentura in 2. dist. 25. sub finem; vbi & Septimam addit rationem, Quòd in somno potiùs agatur homo, quàm agat; in reuelatione autem diuina magis se habeat per modum suscipientis quàm agentis. Addit denique Octauam, Quòd dormiens sit medius inter viuentem & mortuum, ideoque faciliùs videat ea quæ sunt Dei, qui dixit, *Non videbit me homo, & viuet.*

*An visio sit perfectior reuelatione.*

Secundò videndum, Sitne perfectior ratio prophetiæ in reuelatione quæ fit per somnium, quàm quæ fit in vigilia. Esse enim perfectiorem videtur, quia senioribus, adeoque perfectioribus tribuitur, Ioëlis cap. 2. *Iuuenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt.* Contrà tamen facit D. Thomas quæst. 174. art. 3. apertè docens, visionem quæ fit in vigilia, obtinere superiorem gradum prophetiæ præ reuelatione quæ fit in somno, quasi maius lumen propheticum esse oporteat, quod etiam occupatum circa sensibilia ad supernaturalia abstrahere valeat.

Ad hæc benè respondet Lorinus in cap. 2. Actorum, visiones esse perfectiores istis reuelationibus, quæ in somno fiunt solùm per modum visionis æquè obscurè; sed illas reuelationes per somnia esse perfectiores, in quibus Deus per diserta verba loquitur, eò quòd verba in signis principatum teneant; & de talibus accipiendum esse Ioëlem, & eodem art. idē fateri D. Thomam.

Tertiò quærendum, Quænam in somnijs diuinis reperiatur diuersitas?

*Somniorum diuinorum diuersitas.*

Certum est, aliquando ea esse obscura, quamuis frequenter sint clara. Obscuræ fuerunt visiones quas in somnijs habuisse leguntur quidam, quibus Deus non est locutus, sed per imagines & similitudines futura indicauit. Et hoc quidem Gentilibus accidit, vt intelligentiam à Sanctis accipientes eos honorarent, & in seruis suis Deum, vt accidit Nabuchodonosor: ipsis autē interdum fidelibus ad exercitium, vt obscura instantiùs reuelari peterent, & reuelata pluris facerent; vel sanè, quia prophetiam ipsam Deus voluerit esse obscuram; vel denique, quòd compendiosiùs eiusmodi visione quàm sermone fiat reuelatio.

Alia est differentia diuinorum somniorum, quòd nonnulla accidant cum magna corporis & animæ commotione & horrore, sicut accidit Abrahæ & Nabuchodonosor: alij somnium viderint sine intelligentia, quod ijs cōtingere solet, qui simul propheræ non sunt: imò Nabuchodonosori & ipsum somnium suum diuinum excciderat; aliquando tamen ad tempus etiam Prophetis Deus somnia vult esse obscura. Denique quòd diuina somnia aliquando immittantur post preces, quibus hoc ipsum postulatum est; aliquando post vehementem de eadem re cogitationem & curam, vt accidit B. Ioseph sponso D. Virginis.

Quartò examinandum quod Iamblicus & alij quidam dixerunt, Sitne verum, somnia non esse diuina, nisi quæ obuenerint primo aut extremo somni tempore: apud Ethnicos enim istud ita persuasum fuit, vt alia somnia tamquam præsagio inepta reijcerent.

Sed meritò id tamquam fictitium & inane repudiatur: causæ enim ob quas Deum diximus potiùs in somno quàm in vigilia aliquid reuelare, non tantùm habent locum in initio aut extremo somni, neque ita Dei potentia restringenda est.

*An mens in somnijs aliquando sit libera.*

Denique illud quærendum, Vtrùm mens hominis in diuinis somnijs ita aliquando soluta sit, vt libero actui sufficiat? Videtur enim Salomon in somnio habuisse actum meritorium, qui necessariò liber est; hoc enim indicat Dominus, quando dicit: *Quia postulasti*, &c. 3. Reg. 3.

Respondeo, Vel Salomonis petitionem non fuisse Deo gratam in somnio per se, sed ob aliam eiusdem rei in vigilia postulationem, pro qua fortè tot hostias, vt ibi describitur, immolauerit; vel non esse Deo difficile, vsum perfectum rationis, qui ad actum liberum & meritorium sufficiat, homini in somno præbere; & talem Salomoni præbuisse. Pererius post Tostatum existimat, nullum ibi fuisse meritum, nullam pe-

titionem Salomonis, nullam Dei approbationem, sed tantùm illa Solomonem somniasse, eoque somnio significatum esse quid in vigilia petendo à Deo mereretur accipere. Sanè & istud admodum probabiliter dicitur.

*Resp. ad 1. argum. primæ opinionis.* Ex dictis non erit difficile respondere ad argumenta contra diuina somnia initio proposita. Ad Primum enim, Quare eiusmodi somnia immittere, Deo non sit indignum, cùm potiùs eius reuerentiam promoueat, iam dictum est.

*Ad 2.* Ad Secundum, Non esse omnia eiusdem rationis, docuit nos Ecclesiasticus suprà citatus.

*Ad 3.* Ad Tertium, Palàm est, suum vsum & constantiam habere diuina somnia.

*Ad 4.* Ad Quartum, Valere hoc argumentum contra somnia diabolica in superstitione Gentilium, non autem contra diuina, quæ ferè solent obtingere viris præstantibus, si non scientia, saltem pietate; nisi quando ab aliis interpretanda etiam impijs quibusdam ostensa sunt.

## DVBIVM VIII.

### *Sitne vniuersim reprobandum præsagium, quod desumitur ex augurio, omine, & similibus.*

*D. Thomas quæst. 95. art. 7.*

*Præsagium ex augurio, &c. quomodo illicitum.* RESPONDEO cum D. Thoma, Omnis eiusmodi diuinatio, si extendatur vltra illud ad quod potest pertingere secundùm ordinem naturæ vel diuinæ prouidentiæ, est superstitiosa & illicita: secundùm ordinem autem naturæ non potest pertingere, nisi ad causas, effectus vel coëffectus, vt patet ex dictis: secundùm ordinem autem diuinæ prouidentiæ possunt insuper esse nuda signa. Si ergo naturalia esse dicantur, tria priora; si verò supernaturalia, singula quatuor ista erunt examinanda: & vbi nihil eorum subesse constiterit, clarum erit, vanam & superstitiosam esse diuinationem.

*Augurium quomodo vanum.* Vnde colligitur Primò, Vanum esse & superstitiosum, obseruare motus & garritus auium, ad ea præsagienda, quæ cum illis non habent caussam communem à cælo, & aëre, nisi fortè supernaturaliter sese Deus immiscere sciatur. Cautè tamen legendus Caietanus, quando bella hominum putat eamdem habere caussam in cælo cum cholerica dispositione in animalibus, ex qua procedant certi mugitus & garritus: quamuis enim pugnæ animalium ex tali constellatione prædici vtcumque fortè possint; ex pugna tamen animalium prædici non poterit bellum, quod ex hominum libertate pendet, & multis alijs modis impediri potest: vt enim D. Thomas benè monet, bruta animantia, cùm tantùm habeant animam sensitiuam, cuius omnes potentiæ sunt organicæ, magis obnoxia sunt dispositioni continentium corporum, maximè cælorum.

*Omina quomodo superstitiosa.* Colligitur Secundò, Vniuersa omina esse superstitiosa, nisi prudenter existimentur in particulari dirigi à Deo; tunc enim vt probabiliter conijcias determinatum euentum, aliquid valent; non tamen poteris ex illis procedere ad opus, nisi Dei lumine aut præcepto munitus, vt vtiliter monuit Caietanus.

*Chiromantia vana.* Colligitur Tertiò, Chiromantiam non tantùm superstitiosam, sed vanissimam esse, vtpote ex qua citra artem diabolicam nihil veri prædicatur, nisi mero casu: lineæ enim manuum mearum non possunt significare quid sim facturus, multo minùs quid alius mecum acturus, vt inde fortunæ prædici valeant & infortunia. Deinde quare potiùs in manu hominis eiusmodi signa quæruntur, quàm in facie, fronte, gressu, aut oculis in Physiognomia loquacissimis? Confutat hanc vanitatem operosè Ioannes Franciscus Picus lib. 6. De superstitiosa prænotione, cap. 2. arguit in primis eius vsurpatores inconstantiæ, quòd inter se conuenire non possint de principijs suæ artis, verbi gratia, sitne medius digitus Soli an Saturno tribuendus, & minimus digitus Mercurio an Veneri assignandus? Deinde, quòd dicant, stabiles non esse manus lineas, sed mutari quandoque, & alias aduentare, aut quòd in iisdem lineis vel solus color nonnihil mutatus, vt in ieiuno aut frigido alius esse solet quàm in non ieiuno aut calido, totam exhauriat aut immutet prædictionem. Denique alia plura similia eis opponit, quibus immorari non est operæ pretium.

*Obiect. 1.* Sed objciunt Chiromantæ illud Iob cap. 37. *Qui in manu omnium signat, vt nouerint singuli opera sua*; vbi Deus videtur dici signa, quibus discerni queant hominis cuiusque futura opera, in manibus singulorum descripsisse. Confirmatur ex illo Exodi 13. *Et erit quasi signum in manu tua.* Vbi apparet, quòd velit Deus Hebræis fore solemnitatem illam azymorum signum memoriale liberationis ex Ægypto, qualia esse solent signa manibus indita aut impressa, quæ nimirum Chiromantia obseruat.

*Obiect. 2.* Objciunt Secundò Philosophum problemate 49. vbi quærit tamquam de re comperta, quare illi sint diuturnioris vitæ, quibus lineæ per totam palmam perfectè extenduntur.

*Resp. ad 1.* Ad locum Iob respondeo, Difficilem quidem esse, & varias Catholicorum explicationes, sed omnino nullam quæ faueat Chiromantis. Admodum probabilis est illa, quam præfert ceteris illum in locum Pineda, quòd significetur Deus per tempestatem & cæli inclementiam signare in manu cuiusque hominis opera ipsius hominis, id est, ibi quasi sigillo includere, vt ea exteriùs reipsa exercere nequeant, & simul agnoscant quàm ea sint infirma, quæ ita facilè à Deo impediantur.

Ad Confirmationem dico, *Signum* ibi non accipi pro lineamento manus aut simili signo, sed pro signo, arte, & cura, vsurpato ad peculiaris rei memoriam, fortè similitudine transsumpta ab annulis.

*Ad 2.* Ad Philosophum dici potest, Ipsum non fauere huic iudiciariæ Chiromantiæ, sed physicæ Chiromantiæ, si qua talis dicenda, quæ pars quædam sit Physiognomiæ. Fauent Petrus Pataninus Medicus, Pineda suprà, qui citat & alia Philosophi loca, & pro hac explicatione adducit Franciscum Georgium, & Franciscum Vallesium; neque in re ipsa repugnat Ioannes Franciscus Picus suprà. Solùm ergo vult Philosophus, lineas benè protensas in manu, indicare bonam complexionem, ex bona autem complexione posse sperari longiorem vitam.

DVBIVM



## DVBIVM IX.

### *Vtrùm Diuinatio per sortes sit illicita?*

*D. Thomas quæst. 95. art. 8.*

*Sortes sunt triplices.* SORTES dicuntur, cùm aliquid fit vt ex eius euentu res occulta vel dubia cognoscatur vel discernatur. Sunt autem sortes in triplici genere. Diuisoriæ, quando per eas inquiritur, quid cui sit adhibendum. Consultoriæ, quando indagatur quid agere oporteat. Diuinatoriæ, quando quæritur quid sit futurum.

*An licita? Argum. pro opinione affirm.* Quæritur, An hæ sint licitæ? Esse enim licitas, multis exemplis videtur suaderi. Dominus enim iussit sorte diuidi terram promissionis, Iosue 14. Samuel 1. Reg. 10 sorte eligit Regem. Sortibus missis deprehenditur Dei iudicio Ionas, Ionæ 1. vt & Achan, Iosue 7. & Ionathas, 1. Reg. 14. Matthias in Apostolum sorte electus est, Actorum 1. Caper emissarius sorte eligebatur, Leuit. 16. ministeria etiam sacerdotalia sorte diuidebantur, Lucæ 1. *Sorte exijt vt incensum poneret.* Item auctoritate. Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Augustinus Concione 2. in Psal. 30. ad illa verba, *In manibus tuis sortes meæ. Audito nomine sortium, non debemus sortilegos quærere; sors enim non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana, diuinam indicans voluntatem.* Quæ verba etiam referuntur caussa 26. quæst. 2. cap. Sors.

*In contrarium.* Ex aduerso sortes non esse licitas, videtur ex cap. Ecclesia, De sortilegijs, vbi Honorius III. sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnat. Huiusmodi damnatio etiam colligi poterat ex Innocentio III. cap. Quia propter, De electione; item cap. Non statim, dicta caussa 26. quæst. 2 ex Hieronymo in Ionam dicitur, non oportere sortibus credere: neque enim priuilegia quæ fortè in exemplo Matthiæ & Ionæ deprehenduntur, posse facere Legem communem. Ibidem cap. 3. ex Augustini Epistola 119. cap. 20. inhibetur, ne sortes legantur de paginis Euangelicis ad negotia sæcularia. Eódem pertinentia habemus caussa 26. quæst. 5. cap. Non liceat, & cap. Sortes, Leo IV. sortes tamquam diuinationes & maleficia damnat. Hanc enim cleromantiam pertinuisse ad superstitionem Gentilium, patet Ezech. 21. *Stetit Rex Babylonis in biuio in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas.* Osææ 4. *Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annuntiauit ei.*

*Sortes diuisoriæ quomodo licitæ.* Pro resolutione DICO PRIMO. Sortes diuisoriæ naturâ suâ licitæ sunt. Contingit tamen illicitas fieri, Primò, Si cedat in alicuius iniuriam, quòd diuisio sorti committatur, sicuti cederet in Reip. vel Ecclesiæ iniuriam, si Officium aut Beneficium conferatur per sortem mittendam inter omnes tam dignos quàm indignos. Cessat hæc caussa, si absque præiudicio dignorum, qui fortè nulli reperiuntur, tantùm mittatur inter æquè dignos in officijs ciuilibus: nam in electionibus ad Beneficia, Iure positiuo etiam tunc prohibitum est, vt patet ex dicto cap. Quia propter, & cap. Ecclesia. Imò omnino generalis ea est prohibitio, extendenda ad omnem omnino electionem Ecclesiasticam, etiamsi tantùm per eam comparetur iurisdictio ad vnum actum. Extendenda denique ad electionem vel nominationem compromissarij qui eligat, vt patet apertè ex dicto cap. Ecclesia.

*In electionibus ad Beneficia illicita sunt.* Vnde si quæratur, Vtrùm quando etiam iterata vota aliquoties sunt paria, liceat in Ecclesiastica electione recurrere ad discerniculum sortis? Obuia responsio est, Iure communi id non licere: prohibitum enim est vniuersè illud remedium, neque est necessarium, quia superest remedium compromissariorum, ex dicto cap. Quia propter. Itaque opus esset dispensatione Pontificia.

Sed quæritur, Vtrùm electio per sortes sit irrita? Respondeo, Esse, ex dicto cap. Quia propter. Contrauenitur enim formæ ibi traditæ, qua sola valida futura dicatur electio.

Denique quæritur; Vtrùm dicta prohibitio, cap. Ecclesia, etiam extendenda sit ad casum quo per sortes dirimeretur lis in caussa beneficiali.

Respondeo, Hoc non prohiberi quidem per illud cap. esse tamen illicitum ob aliam caussam; quòd nimirum hac ratione fieret, vt Beneficium quis obtineat sine vero titulo, item quòd priuatæ pactiones in Beneficijs sint illicitæ. Erit tamen licitum, si fiat auctoritate Iudicis: sententia enim tunc ei titulum præbebit, cui sors fauerit.

Contingit Secundò, Sortes diuisorias fieri illicitas propter irreuerentiam rei sacræ, vt si profana hereditas diuidatur sortibus, acceptis ex apertione libri Euangeliorum, qui abusus tollitur dicto cap. 3. caussa 26 quæst. 2.

*Consultoriæ & diuinatoriæ illicitæ sunt.* DICO SECVNDO. Sortes consultoriæ & diuinatoriæ ex toto genere illicitæ sunt, nisi adhibeantur ex diuina inspiratione, & ab ipso Deo expectetur veritatis manifestatio. Cùm enim naturalis caussatio hîc locum nó habeat, omnis illa declaratio à Deo expectanda & petenda est. Si tamen sine inspiratione Dei adhibeantur consultoriæ sortes, non erit peccatum superstitionis, sed potiùs quædam Dei tentatio.

Notandum tamen, sine speciali Dei inspiratione licere in magna necessitate dubium, quod aliter dirimi non potest, oratione præmissa dirimere sorte; quomodo Augustinus suasit dirimendú, quisnam ex pluribus Sacerdotibus debeat in persecutione pro consolatione fidelium à fuga abstinere. Sed non malè existimat Suarez, has sortes potiùs inter diuisorias esse censendas quá consultorias; quamuis confidatur per Dei prouidentiam eas esse dirigendas: eiusmodi enim fiducia etiam in sorte diuisoria adhiberi potest, secundùm locú Prouerb. suprà citatum. Vt enim maneat sors tantùm diuisoria, sufficit nullum à Deo exquiri signum, sed nudam sortis directionem; non vt sciatur quid agendum, sed cùm cõstet quid agendum, vt discernatur à quo potiùs agendum sit.

Illud sanè egregium est discrimen inter sortes diuisorias & consultorias, quòd quando in diuisorijs peccatur, non æquè procliue sit sortes fieri superstitiosas, sicuti est quando peccatur in consultorijs: ferè enim degenerant in diuinatorias, etiamsi occultum dumtaxat cum dæmone pactum intercedat, eo ipso quo manifestatio veritatis aliunde quàm à Deo expectatur per sortes. Cùm verò diuinatio pertineat ad eam speciem superstitionis, quæ creaturam pro Deo colit; certum est, posse sortes esse superstitiosas, etiamsi eo modo non sint propriè diuinatoriæ: quamuis

enim in eis tunc aliquando occurrat sacrilegij aut tentationis Dei peccatum, aliquando tamen non deest superstitio indebiti cultus, vt patet cap. Aliquanti 26. quæst. 5. ex Concilio Agathensi, vbi reprehenduntur quidam, qui sub nomine fictæ Religionis, per eas quas Sanctorum sortes vocabant, diuinationis scientiam profitebantur. Itaq; *Sortes varie.* sortes quædam honestæ sunt, aliæ indifferentes, aliæ illicitæ. Rursum ex illicitis quædam non sunt contra Religionem, sed aliter vanæ & illicitæ; aliæ contra Religionem, & superstitiosæ. Hæ superstitiosæ iterùm sunt in duplici genere: quædam enim pertinẽt ad superstitionem falsi cultus, aliæ ad superstitionem simpliciter diabolicam, quæ falsus deus colitur, adeoque ad quamdam idololatriam. Quod iterùm fit vel explicitè, cum expresso dæmonis cultu, qui formalem adducet idololatriam; vel tantùm implicitè, ex tacito quodam pacto. Ex hac varietate sortium facilius responderi poterit ad argumenta initio proposita.

*Resp. ad Arg. 1. sententiæ. Ad 1.* Ad Primum, Iosue 14. fors fuit diuisoria secundùm Dei præceptum & Iustitiam distributiuam adhibita, sine vlla læsione commutatiuæ, adeoque manifestè licita.

*Ad 2.* Samuel etiam sorte quidem consultoria, sed diuina, non diuinatoria elegit Regem, non fortunæ committens Regis electionem, non vt in conuiuijs Modiperator eligitur, sed diuinam certò expectans approbationem: statuit enim tribus Israel coram Domino, & sorte inquisiuit, quem Dominus elegerat. Vbi singularem habemus descriptum modum consulendi Dominum per sortes, qui tunc videtur fuisse in vsu.

*Ad 3.* In sorte qua deprehensus est Ionas, Deus sese miscuit, in pœnam profugi Propheræ, & propter mysterium: quod enim superstitiosè aut vanè inchoatum est, Deus aliquando in oraculum vertit, vt patet in suscitatione Samuelis per Pythonissam, 1. Reg. 28. de qua Dubio 3. Cap. sequenti. Et in directione vaccarum, per quas sortilegi Philisthæi diuinabant, vtrùm casu accidisset eis plaga, an à Deo Israel. Fortè etiam diuina inspiratione consilium illud de mittendis sortibus viri isti inuenisse videri poterant, vt indicat Glossa in dictum cap. Non statim; nisi hoc esset contra communem Interpretum.

*Ad 4.* In deprehensione Achan interceßit Dei præceptum.

*Ad 5.* In deprehensione Ionathæ per sortes à Saule adhibitas, Primò considerandum, non satis tutum fore exemplum Saulis hominis temerarij: iurauit enim temerè, & mox à populo persuasus, aliud facit; ideoque quod Abulensis dicit, ipsum sortes misisse ex instinctu Spiritus sancti, id vt in textu ne suspicabilem quidem habet probationem, ita vix vllam meretur fidem. Illud verius, etiam temerè iactas à Domino fuisse temperatas has sortes: imò fortè inter reliqua etiam in punitionem illius temeritatis; deprehensus enim est ipse Saul cum filio, & non potuit in filio euadere. Quia tamen Saul per illam sortem Dominum consuluit, & fortè consuetudo in hoc ei fauebat, eiusmodi eius excusatio non erit improbabilis, si quis ea vti velit.

*Ad 6.* De Matthia per sortem electo, in primis considerandum est, non repugnare hoc Ecclesiastico mori, & Legi in omni Ecclesiastica lectione sortes interdicenti; nondum enim erat eiusmodi Lex: & vt fuisset, manifestè cessante eius causa, potuisset à capite Ecclesiæ in ipsa dispensari. Secundò, Non fuit hîc sors missa sine peculiari Spiritus sancti instinctu. Tertiò, Non fuit missa nisi inter duos quos ipsi Apostoli tamquam idoneos, sine sorte iam elegerant. Et quâuis, vt suprà dixi, ne sic quidem licere sorte vti in Ecclesiasticis electionibus; peculiaris tamen hîc fuit ratio diuinam sortem adhibendi, quia ad Apostolatum non tam Apostolorum erat quempiam assumere, quàm ipsius Christi, adeoq; Dei & Spiritus sancti. Diuinum ergo oraculum meritò expetierunt, præmissa tamen duorum idoneorum electione, quo & hominibus satisfieret, & à specie diuinæ tentationis longiùs recederent. Quartò, Non erant istæ sortes merè diuisoriæ, sed simul consultoriæ: verisimile enim est, Apostolos, quando dixerunt, *Ostende quem elegeris*, &c. expetijsse & obtinuisse à Deo signum aliquod visibile, quo declararetur is cui sors diuina faueret, quamuis etiam propriè dictas sortes adhibuerint, & hæ quoque fauerint Matthiæ. De diuino enim illo iudicio luculentum est testimonium Dionysij De Ecclesiastica hierarchia, cap. 5. parte 3. quamuis ipse videatur propriè dictas sortes excludere. In altero extremo versari videntur Chrysostomus & Beda, qui defectum quemdam Spiritus interpretantur, quòd ad sortes Apostoli recurrerint, vtpote qui id numquam posteà in talibus vsurpauerint; nam & Diaconos sine sorte elegerunt. Sanè & summum Pontificem tum demum Iudæi sorte eligere ausi sunt, quando vicini iam excidio, omni ἀπορίᾳ diffluebant, & Phanem quemdam rusticum, cui sors fauerat, Pontificem, cùm nihil ea dignitate dignum haberet, constituerunt, teste Iosepho lib. 4. De bello Iudaico, cap. 5. Neque tamen Chrysostomus, quando dicit Homil. 3. in *Acta*, *Quoniam non erat Spiritus missus, sortibus rem peragunt*, (quem Beda & etiam D. Leo secuti videntur) ita accipiendus est, quasi defectum sanctitatis in Apostolis notauerit; sed solùm voluisse credendus est, quòd pro imperfectiore statu, in quo tunc erat Ecclesia, nondum accepto Spiritu sancto, etiam plenam instructionem non habuerint Apostoli, an & quomodo alius in locum Iudæ esset substituendus. Prius quidem ex Scriptura decidit Petrus, sed in posteriore considerat eos Chrysostomus hæsisse, & medio modo, id est partim sua electione, partim Dei sorte precibus implorata & explorata, rem quasi cunctantiores, & Spiritus quoad gratiam gratis datam indigos, tentasse.

Ceterùm Leuitici 16. & Lucæ 1. de sorte diuisoria agitur. *Ad 7.*

Prouerb. 16. solùm dicitur, sortes non ita esse casuales & fortuitas, quin etiam temerè missæ in sinum magna Dei prouidentia temperentur. Augustinus solùm vult, non omnes sortes esse malas: in oppositum autem allatæ auctoritates declarant, non simpliciter eis esse credendum, imò in quibusdam cauſſis non debere adhiberi, vt in electionibus Ecclesiasticis, aut de libris sacris non debere sumi ad profana terminanda; aut denique consultorias citra Dei opem vel diuinatorias non esse vsurpandas. *Ad 8.*

DV-



## DVBIVM X.

### *Vtrùm vti obseruantijs artis notoriæ sit illicitum?*

*D. Thomas quæst. 96. art. 1.*

*Ars notoria illicita est.* ARS ista, quę ritibus quibusdam seruatis, promittit scientiarum infusionem sine humano labore, quo passim eæ solent addisci, illicita est & inefficax. Illicita, quia, vt suprà diximus, à dæmone etiam quæ naturaliter nouit, signis & pactis eius, etiam tacitè solùm interuenientibus, discere non possumus. Certum autem est, inuentum esse diabolicum, eiusmodi artem, cùm non sit à Deo, aut cælo, aut reliqua natura, vt tamquam per se clarum suppono. Reliquum ergo est, vt effectus eius omnis, si quem habeat, adeoque ipsa eius inuentio sit à diabolo. Inefficax autem, quia dæmon non potest veras scientias infundere, vt fatetur Porphyrius apud Augustinum lib. 10. De ciuitate Dei, cap. 9. Si videatur id facere, prouenit hoc inde, quòd fortè exteriùs verbis colloquendo quædam scientiarum fundamenta tradat, aut sanè quòd interiùs suggerat, non nouæ speciei impressione in phantasia, sed priorum compositione, vt typos ordinant Typographi, eaque corporis alteratione, qua futurum nouit vt potiùs istis speciebus homo occupetur quàm alijs, quod aliquando tanta facit celeritate & industria, vt sibi illa eadem homo quasi cogitando videatur mirabili modo scientiam acquirere; aut denique per modum spiritus assistentis, tum demum singula suggerendo, quando vsu veniunt, ea promptitudine & dexteritate, vt ex habitu scientiæ sibi videatur homo ea proferre, quæ ex speciali tantùm suggestione habet optimè ea callentis dæmonis. Cui modo satis consentaneum est quod Anabaptistæ experiuntur, qui mox vt resipiscunt, omnem eiusmodi quam videbantur habere Scripturarum scientiam, nescio quo cibo aut potu sumpto subitò comparatam, subitò iterùm amittunt. Neque enim subita eiusmodi Scripturarum notitia vires dæmonis superat; nam in Vita S. Norberti apud Surium, ope dæmonis idiota quidam subitò nactus Scripturarum notitiam legitur.

Aduerte tamen, interdum dæmonem hominem corporaliter possidentẽ, per linguam energumeni loqui arcana, quæ ignorat possessus, quamuis per eius linguam dicantur: & hoc modo Scripturas videri scire Anabaptistas existimat Raphaël de la Torre, quæst. 90. art. 2. & q. 96. art. 1. disp. 1.

Meritò ergo ars notoria à Theologis damnatur. Parisiensium damnationem refert Delrio lib. 3. part. 2. quæst. 4. sect. 2. Ceterùm huc pertinentia alia addemus Cap. sequenti, Dubio 2. Quamuis enim ars notoria quędam habeat communia cum diuinatione, præsertim quando esset de illis rebus cognoscendis, quæ naturaliter cognosci non possunt; potiùs tamen videtur ad magiam pertinere, quatenus in vsu est, quia est ferè de illis subitò cognoscendis, quæ humano labore cognosci possunt, sed multo longiori tempore.

Illud hîc non est prætereundum, experientiâ constare, eos qui arti huic diabolicæ operam dederunt, aliquando ad amentiam fuisse redactos, aliquando ad magnas infirmitates. Refert Petrus Ciruelus lib. De superstitonibus, quemdam ex eis, cùm post superstitiosos ritus verba illa adderet sacra, *Veni sancte Spiritus*, à dæmone in turbine abreptum fuisse, & vix viuum euasisse.

# CAPVT VIII.

## *De Magia.*

## DVBIVM I.

### *An sit, & quid sit Magia, & quotuplex?*

MAGIÆ nomen origine Persicum est vel Chaldæum, vt testatur Hieronymus in cap. 2. Danielis; quamuis alij quidam conati sint Græcam ei facere etymologiam. Illud certum est, ab initio honestum fuisse, siue magus simpliciter Philosophum significauerit, vt ibi vult Hieronymus; siue eum qui haberet facultatem, qua res inusitatas & admirandas, ratione quadam occulta, sed naturali, efficeret, applicando nonnullas virtutes alijs occultas; siue vteretur Deo siue Angelo magistro, aut proprio exquisitionis studio & solertia, vt alij volunt. At postmodum quando quod naturæ viribus propriaque solertia, aut Dei ope non consequebantur, dæmonis ope attentarunt, translata est vox magiæ à licita ad illicitam & diabolicam, qualis mutatio etiam reperitur in voce Sophista, Tyrannus, Astrologus, Mathematicus.

*Dari aliquam eam magiam.* De licita illud monendum, Certum esse, aliquam eam dari, quæ ad Physicam, Medicam, aut Mathematicam, aut Mechanicam pertineat, quam exercuêre tres primi isti Christi adoratores, Matthæi 2. & Galenus, qui se testatur vulgò habitum fuisse illiciti illius generis magum, propter artis Medicæ peritiam.

*Duplex magia: naturalis, & artificialis.* Diuiditur licita magia in naturalem, & artificialem. Illius ab insita natura, huius ab humana industria mirus effectus est. Addi potest tertium membrum, illa quæ à Deo vel Angelo doceretur. Quartum quidam addunt illam, quam dæmones ex naturalium cauſſarum efficacia homines docuerunt. Sed hæc illicita est, & ad diabolicam reijcienda.

Rectè & illud hîc à nonnullis mouetur, quamuis magia naturalis sit licita, vitandum tamen esse nimium eius studium, eò quòd soleat dæmon ei sese miscere, & reprehensione non careat curiositatis & inutilitatis.

*An detur magia diabolica.* Addiderim denique, sæpè solere magos, quando diabolica arte vtuntur, prætexere hanc magiam naturalem & licitam. Imò non desunt qui asserant, nullam omnino esse magiam diabolicam, vel quòd omnes quos veros agnoscũt magiæ effectus, naturæ adscribant, ideoq; patrocinentur passim magis, tamquã naturalibus, vt Pomponatius; vel quòd existiment, vix vllum effectum verum esse ex illis de quibus accusantur magi, vt ipse contemptus in maleficorum cedat impunitatem, vt Ponzinibius; vel denique, quòd vel Angelos omnino, vel saltem dæmones esse negent, aut omnino spiritum omnem creatum & increatum, ita vt nec Deum, nec Angelum, nec animam immortalem credant. Argumẽtis vtuntur varijs. Omisso enim crasso explorato errore atheorum vel Sadducæorũ, qui omnino Angelos esse negabãt; vel alio-

rum, qui (vt refert Origenes Tractatu 4. in Matth.) dæmones esse negabant qui hominibus sint molesti: dicebant enim, verbi gratia, lunaticis non dæmonium, sed lunam tantùm nocere. His inquam prædamnatis, & à causſæ suæ defensione exclusis, vrgent alij

*Argumenta pro opinione negante.*

1. Primò, Tantum discriminis naturalis chaos inter naturam humanam & Angelicam interiacere, vt nulla inter dæmonem & hominem pacta interuenire queant: neque enim deorum cum hominibus esse conuersationem, vt Danielis 2. pro ignorantia sua allegant magi. Ita Ioannes Wierus & ipse magus.

2. Secundò dicunt, Figuris quibusdam & imaginibus omnes effectus magicos fieri, quæ vim habeant à similibus in cælo, per quamdam sympathiam naturalem rerum inter se similium, sicut echo in opposito pariete causſatur, aut in concauo speculo collecti solares radij oppositum corpus repercussi inflammant.

3. Tertiò, Eosdem effectus tribuunt naturali hominis complexioni, quasi benè dispositæ humano in corpore animę omnis corporata natura obediat; aut quod ineptius est, ipsa complexio quodam libramento æquali qualitatum miraculis patrandis sufficiat. In qua vesania eousque progressi sunt, vt etiam miracula Christi Domini sic facta esse dicere ausi sint.

4. Quartò, Eam dicunt imaginationis esse in homine efficaciam, vt miris istis efficiendis vel ipsa sufficiat, adeoque vnus homo possit alterum sanare, fascinare, res loco mouere, pluuias & fulgura ciere, radijs quibusdam aut spiritibus vi suæ imaginationis emissis.

5. Quintò dicunt, Solo contactu, visu, voce, afflatu, vel nudi lintei applicatione vulnera & morbos sanari, & alia mira naturaliter fieri posse, eò quòd spiritus per arteriam ex corde promanēt, & alterius qui fortè contingitur, videtur, audir, afflatur, alligatur, sese arterijs, adeoque cordi insinuent, eò fortiùs, quò vehementiori affectu quasi eiaculati fuerint.

Verùm hæc argumenta non persuadent, quin omnino certò constituamus, aliquam esse diabolicam magiam, qua ipse diabolus per sibi explicitè vel implicitè confœderatos, verè mira ista patret: imò auorum nostrorum memoriâ etiam in quibusdam Academijs hæc ars diabolica, tamquam vera quædam facultas tradita fuit, postmodum meritò explosa. Sit itaque

*Non omnia quæ per magos fiũt, sunt præstigiosa.*

ASSERTIO PRIMA. Non omnia quæ per magos fiunt, sunt præstigiosa, sed multa ita fiunt vt apparent. Probatur, Quia magi Pharaonis fecerunt veros serpentes, vt sentit Augustinus lib 3. De Trinitate, cap. 7. & 8. & Apollonius magus mira multa verè fecit, teste Iustino in responsione ad quæst. 24. Orthodoxorum. Secundò, Non tantæ pœnæ essent in magos constitutæ, si omnia quæ per eos fiunt, essent illusoria. Tertiò, Quis veram calamitatem aut necem neget, vbi segetes, animalia, vel homines incantauerint aut venenauerint. Quartò, Facit cap. Si per sortiarias 33.q.1. vbi dicitur, verè impediri vsum coniugij per maleficia. Denique communis hæc est omnium Theologorum sententia in 2.dist.7.& 8. Victoriæ Relect. De arte magica, Binsfeldij in Præludijs De confessionibus sagarum, Francisci Pici lib. 7. De prænotionibus, cap. 3. Spinæi, quæst. Destrygibus, & in Apologijs contra Ponzinibium.

*Neque virtute naturali magorum.*

ASSERTIO SECVNDA. Opera illa mira magorum, non fiunt semper virtute naturali ipsorum magorum, aut rerum quas adhibent: neque enim naturalis ea vis est vnguenti, vt eo vnctus per longissima spatia subitò transferatur, aut inuisibilis incedat; neque virtutis est naturalis, citra dæmonis pactum, vt possit pro libitu suo magus tempestates & grandines concitare. Neque tamen ita dæmoni hæc adscribimus, vt diuinæ prouidentiæ subtrahamus. Vnde sit

*Ad maleficium tria concurrunt.*

ASSERTIO TERTIA. In maleficijs tria concurrunt, Dei voluntas permittens, diaboli potestas perficiens atque instigans, & hominis malefici voluntas liberè consentiens. Exprimuntur tres istæ causſæ dicto cap. Si per sortiarias: nisi enim Deus permiserit, nihil potest dæmon; Deus enim ponit circulum in naribus eius, & illudit ei quasi aui captiuæ, neque vlteriùs volitat, quàm sinat filum diuinæ permissionis, Iob 40. ideò neque in porcos Gerasenorum ire potuit, nisi Christo permittente; tantum abest vt potestatem in oues Dei habeat, inquit Tertullianus De fuga in persecutione, cap. 2. Quomodo autem dæmon & magus pactione quadam concurrant, in solutione Primi argumenti nunc dicemus.

*Resp. ad argumenta opposita. Ad 1.*

Ad Primum itaque respondeo, Inter dæmonem & hominem clarissimè docent Diuinę litteræ posse pactum interuenire: pactum enim Christo Domino diabolus obtulit, Matth. 4. quādo dixit: *Hac omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Et quamuis Christus respuit, magi tamen acceptant similia pacta oblata, aut sanè recipiunt expetita. Huc pertinere putant D. Thomas quæst. 95. art. 4. Ioannes XXII. in Extrauag. Super illius specula, & Sixtus V. in Bulla contra Astrologos, illud Isaiæ 28. *Dixistis enim, Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* & infrà, *Pactum vestrum cum inferno non stabit.* Sanè accommodari locus potest; quamuis fortè nomine pacti cum inferno potiùs significetur illa securitas, quam sibi temerè de inferno vitando mali promittunt, vt explicat Cyrillus, quem sequitur Sasbout, & alij. Denique huic pacto nihil obesse posse naturarum distantiam, conuincit, quòd etiam inter Deum & homines, vbi maior est distantia, pacta & fœdera intercedere posse Scriptura sæpè testetur. Cùm enim naturæ hæc distantia non efficiat, quin dæmon & homo inter se colloqui possint, vt patet quando exorcizantur energumeni; quid ni etiam hac non obstante distantia, inter sese pacisci poterunt?

Dices fortè cum Ioanne Wiero, Hoc obesse, quòd tanta sit dæmonis fraudulentia, vt nulla cum eo pacta inita rata haberi debeant?

Benè quidem: at neque nos id volumus, rata eiusmodi esse aut obligare pacta, sed dumtaxat eiusmodi intercedere, qualia & inter latrones, cuius pacti meminit sæpè Augustinus, & ex eo cap. Illud 26. quæst. 2. & ex Rhabano cap. Nec mirum 26. quæst. 5. Est autem pactum vel magisterij & discipulatus, vnde solent sagæ dæmones vocare Magistellos; vel generatim societatis, vt vocare solet Augustinus. Fit autem explicitè & implicitè. Explicitè, vel solemniter vel sine solemnitate: aliquando enim fit coram testibus, aliquando sine illis. Magus ferè erat Christianitatem, dæmon pollicetur vasallo & socio fidam operam,

*De pacto inter dæmonem & magum.*



operam, vt in hac vita votis eius obtemperet, & in futurum beet, addito promisso, quòd post hanc vitam magus fiet etiam ipse dæmon, & cum alijs dæmonibus in aëre principatum obtinebit, & vt hoc persuadeant, solent ipsi dæmones in specie defunctorum magorum apparere, & conuentibus se sistere. Denique charactere Baptismi & Confirmationis, quoad fieri potest, oblitterato, etiam suum characterismum dæmon imprimit, interdum in aliqua parte corporis secretiori, quam suo cauterio ita sensu priuet, vt quantumuis acres & penetrantes punctura in ea non sentiantur. Exigit & iuramentum de numquam adoranda sacra Eucharistia, de contumelia afficiendis Sanctis eorumque Reliquijs, Aqua lustrali, & alijs ab Ecclesia benedictis abijciendis & vitandis, Confessione numquam Sacerdoti integrè facienda, celando commercio isto diabolico, frequentandis conuentibus indictis, iussisque fideliter exequendis, ac diabolo quotquot potuerit adiungendis.

De pacto implicito idem hîc dicendum, quod de diuinatione diximus: magia enim & diuinatio non aliter differunt, quàm quòd hæc per diabolicum pactum quærat scientiam, illa alicuius operis patrationem.

*Ad 2.* Ad Secundum, Ridiculum est asserere, figuras veras accipere virtutem ex sympathia ad fictitias illas cælestes, quæ mera sunt entia rationis; & vt habet articulus Parisiensis, est error in Fide, Philosophia, & vera Astronomia.

*Ad 3.* Ad Tertium, Vanum est, animæ humanæ, præsertim coniunctæ corpori, eiusmodi virtutem adscribere, vt ei ad nutum pareat natura corporea; hæc enim virtus est solius Dei: nam vt benè D. Thomas 1. parte, quæst. 100. art. 2. ne quidem Angelis natura corporalis ita obedit. Miracula etiam temperamento corporis adscribere, omnino esse vanum, rectè ostendit Michaël Medina, De recta in Deum fide, lib. 2. cap. 7. Primò, Quòd vix imaginabilis sit eiusmodi æqualitas. Secundò, Quòd naturaliter non sit possibilis, etiamsi imaginabilis esset. Tertiò, Quòd etiam reipsa existens, nihil ad hos effectus miros extra ipsum hominem conferat; temperamentum enim non exerit vim suam in alios, sed solùm in sui subiecti naturales functiones & exercitia.

*Ad 4.* Ad Quartum, Vis imaginatiua multum quidem valet in proprio corpore ad diuersos & miros effectus, illos nimirum qui cum ipsa naturalem coniunctionem habent; sed ad corpus alienum, nulla saltem arcta coniunctione copulatum proprio corpori, non potest se extendere, sicut neque ad effectus in proprio corpore, qui cum ipsa nō habent naturalem coniunctionem. Vtrùm aliquid possit in alieno corpore arctè coniuncto, dubitari probabiliter potest; prægnantis enim imaginatio afficit prolem, vt & imaginatio parentum in conceptione: sed hoc nihil præsidij attulerit magis pro extrinsecis istis effectis miris patrandis quasi naturaliter, virtute solius imaginationis.

*Ad 5.* Ad Quintum, Sicuti illud asseritur sine fundamento, ita facilè reijcitur. Est quidem verum, esse quædam occulta naturæ miracula in contactu quarumdam rerum, vtpote remoræ piscículi, torpedinis, magnetis; aut etiam in aspectu: sed ad effectus magicos communiter saluandos, nihil eiusmodi spiritus emissi vel immissi conduxerint. At si quis contactu solo sanet, aut simile quid miri efficiat, potiùs Dei dono aut diaboli dolo id efficere cēsendus erit. Verùm de his infrà Dub. 8.

*Frequentiùs præstigiosa sunt, quàm per magos fiunt.*

ASSERTIO QVARTA. Frequentiùs opera illa mira, quæ per magiam dæmones à magis pro-uocati faciunt, fallacia sunt & præstigiosa, non verè talia qualia apparent. Et quidem certum est, vera non esse, quando excedunt potentiam diaboli, qui non potest multa quæ Deus sibi reseruauit, vtpote mortuos suscitare, cæcum à natiuitate illuminare, & similia quæ omnem creatam virtutem excedunt. Quando autem talia sunt, quæ verè per dæmones fieri possunt, non propterea semper verè fieri censenda sunt, Primò, Quia fortè vera efficere non permittuntur à Deo; quomodo magi Pharaonis in tertio signo defecerunt, digito Dei impediti. Secundò, Quia licet possint verè facere, & non impediantur, id tamen nolunt, quia gaudent præstigijs & hominum deceptionibus, vel quia fortè difficilius eis est, vera facere applicatis causſis naturalibus, quàm præstigijs illudere.

*Quid magia.*

Ex dictis patet, quid sit magia: est enim superstitio, qua dæmon expresse vel tacitè inuocatur ad miri alicuius operis patrationem.

Est *superstitio* ad idololatriam pertinens, non solùm quando dæmon expresse inuocatur vt Deus, tunc enim habet expressam idololatriam coniunctam; sed etiam quādo inuocatur expresse vt Angelus vel porētior creatura: nam etiam tunc interpretatiuè inuocatur vt Deus, quia hoc ipse in eiusmodi inuocatione affectat, vt dixi superiori Capite, Dubio 4. Imò idem dicendum est, etiamsi implicitè solùm inuocetur, & virtute tantùm concurrat aliquod diabolicum pactum.

*Duplex magiæ:*

Hinc colligitur diuisio quædam huius diabolicæ magiæ, in eam quæ dæmonis inuocationem habet explicitam, & eam quæ tantùm implicitam.

*Explicita.*

Prior non potest excusari à grauissimo peccato mortali, etiamsi res minima fuerit ad quam perficiendam dæmon inuocetur: imò etiamsi secundùm substantiam suam mira non sit, sed ordinarium aliquod obsequium, quod etiam per famulum fieri posset; semper enim ad superstitionem, adeoque ad veram magiam pertinebit. Neque obest, quòd in definitione *miri operis patratio* exprimatur; sufficit enim hoc ipso mirum esse quòd à dæmone fiat, neque potest vllam fidelis hîc ignorantiam prætendere.

*Implicita.*

Posterior exerceri potest duobus modis. Vno, quando quis sciens magos eiusmodi signis vti, eadem adhibet: altero, quando vtitur ex probabili ignorantia. Priori modo mortale est, posteriori potest esse veniale, si ignorantia satis sit probabilis & antecedens, ita vt si meliùs instruatur, paratus sit omittere. Potest autem hîc subesse interdum probabilis ignorantia: cùm enim per vires naturæ multa ab hominibus naturali scientia, aut licita naturalium agentium applicatione fieri possint, quæ eadem fiunt arte magica; fieri potest, vt quis, præsertim rudior, inculpabiliter existimet, media quæ adhibet, vim naturalem habere ad huiusmodi effectum; cùm reuerà non habeant nisi ex implicito pacto dæmonis.

Nulla hîc est tertia addenda nostræ diuisioni magia diabolica, quæ dæmones sine inuocatione compellat ad effectus magicos, vt voluit Cornelius Agrippa: omnis enim magia tacitam saltem habet inuocationem; quamuis fieri possit, vt qui habet pactum cum superiore dæmone, per illum

illum cogat dæmonem inferiorem, vt patet apud D. Augustinum lib. 10. De ciuitate Dei, cap. 9.

*Aliæ diuisiones.*

Sunt & aliæ magiæ diuisiones. Materialis est illa quam indicat Plinius: *Ex aqua*, inquit, *& sphæris, & ex aëre, & stellis, & lanacris, & pelubius, securibusque, & multis aliis modis diuina promittit, præterea vmbrarum inferorumque colloquia.*

Iamblicus, Proclus, & Porphyrius duplicem aliter faciunt magiam. Vnam vocant Theürgiam, qua certis quibusdam hostijs & cærimonijs boni & beneficij vtipsi vocant, dæmones inuocantur, quorum auxilio mira fiant opera. Alteram vocant Goëtiam & Necromantiam, quæ mortuos excitat & consulit.

Suidas tres species ponit: Goëtiam, quæ manes elicit, dicta à lamentis quæ ad sepulcra fiunt: Magiam, quæ sit inuocatio dæmonum beneficorum, ad bonum aliquod efficiendum: & Pharmaciam, quæ venenum aliquod letale per os ingerit.

Hoc vitij habent postremæ istæ duæ diuisiones, quòd vtraque videatur aliquam commendabilem magiam facere, cùm vera doctrina habeat, omnem magiam esse Goëticam, aut saltem æquiparari isti infaustæ & noxiæ, nullam esse bonam, beneficam aut theürgicam, sicuti nec vlli sunt dæmones benefici, vt vana Gentilitas credidit.

## DVBIVM II.

### *Quid possint Magi in animis hominum?*

PRIMO dicamus, quid possit magia in intellectu aut sensu interno. Vbi occurrit dubium, An possit infundere scientiam?

Diximus superiori Capite, Dubio 10. Non posse, & quibus modis videatur id facere, cùm non faciat.

*An ars notoria pertineat ad magiam.*

Illud hîc inquirendum supereſt, Vtrùm verè ars notoria pertineat ad magicam superstitionem? Videbitur enim cuipiam non pertinere necessariò ad vllam superstitionem: potest enim illa arte vtens, non à dæmone, sed ab ipso Deo scientiam istam exspectare, potestque simul abstinere ab illis quæ ad indebitum Dei cultum pertinent, quamuis interim peccet inordinata petitione vel tentatione Dei. Secundò, Esto, superstitiosa admisceat, non propterea admittet superstitionem diabolicam, sed tantùm indebiti cultus. Quod confirmatur, Quia D. Thomas quæst. 96. art. 1. ad 3. dicit, societatem dæmonum in arte notoria non habere locum. Tertiò, Esto, procedat ex pacto cum diabolo, videbitur tamen ad diuinationem pertinere, non ad magiam, quia hoc differt magia à diuinatione, quòd in hac homo à dæmone iuuari velit in scientia & cognitione, in illa autem in aliqua alia operatione.

*Resp. affirmatiua. Resp. ad argumenta opposita.*

Dico nihilominùs, Verè hanc artem pertinere ad magiam, quia ad mirum effectum dæmon ipsius auctor in ea inuocatur: & ad Primam obiectionē respondeo, Tunc non fore artem notoriam; imò neque id erit illicitum, si conuenientia media adhibeantur: rectè enim studio coniungitur oratio aut ieiunium, pro adipiscenda à Deo scientia; & licet in medijs fortè neglectus aliquis intercedat, quo vitiosa fiat præsumptio, non tamen necessariò pertinebit ad superstitionem.

Ad Secundum, Fieri quidem posse, vt qui inordinatè à Deo quærit scientiam, tantùm peccet superstitione indebiti cultus: at (nisi fortè ex valdè probabili ignorantia) hoc non potest euenire ei qui vtitur arte notoria: irretitur enim societate diaboli, qui est auctor huius artis. Ad Confirmationem respondeo, Mendum esse in codicibus D. Thomæ, vt monet & confirmat ex Caietano Suarez (& animaduersum est in editione postrema Parisiensi) legendum enim est sine negatione; aliàs non responderet D. Thomas ad argumentum, & sibi contradiceret, quia iam in Corpore dixerat, signa artis notoriæ pertinere ad pacta quædam significationum cum dæmonibus fœderata.

Ad Tertium, Pertinet ad magiam, quia vtens arte notoria non est diuinus: neque enim didicit aliquid occulti à dæmone mediatè vel immediatè tamquam loquente siue per verba siue per signa, quod requiritur in diuinatione, sed scientiam habet de rebus non occultis, sed talibus, quæ communiter labore humano addiscuntur, dæmone quasi operante; aut saltem formaliter hoc intenditur in arte notoria, vt operatione quadam infundatur scientia: quamuis vt præcedenti Capite, Dubio 10. monui, dæmon qui in operando affectat videri facere scientem, aliquando id faciat interiùs occultè, & quasi in ea qualitate imperceptibiliter in phantasia loquendo.

Hinc patet, Etiam ad hanc magiæ speciem pertinere, si quis extra artem notoriam in comparanda scientia dæmonis auxilio vtatur, vt si vtatur vanis obseruantijs, quibus memoriam iuuet, vel ingenium acuat. Pertinebit etiam, si colloquio & magisterio dæmonis Grammaticam vel Physicam quis discat, vel similem humanam scientiam. Neque hoc fiet inefficaciter: si enim Deus permittat, verè potest colloquendo exteriùs in humana forma, vel interiùs in phantasia dæmon hominem in talibus instruere, quamuis rectè D. Thomas eam intellectus nostri illuminationem quæ ad purgationem pertineat, dæmonibus adimat. Hoc modo Tertullianus De habitu muliebri, homines multa per dæmones didicisse putat, quæ spectent ad ornatum mulierum, vtpote auri fodinas, herbarum & lapillorum vires, & similia: non potest tamen dæmon simul in instanti scientiam aliquam latiùs patentem docere, sed præstigioso modo interiùs eam successiuè docet ea celeritate, vt videatur infudisse, Quomodo autem id fiat, vt inquiramus,

*Quomodo dæmon possit in animam & in eius interiores motus.*

DICO PRIMO. Potest dæmon sensus hominis interiores mouere, non quidem nouas species organis imprimendo, sed formas in eis inuentas miscendo per localem motionem spirituum & humorum, vt secundùm imaginationem etiam illud videatur, quod sic numquam visum fuit secundùm se totum, quamuis necessarium sit secundùm partes priùs visum fuisse. Ita ferè D. Thomas quæst. 16. De malo, art. 11. & patet ex dictis 1. parte, quæst. 111.

*Quomodo intellectum.*

DICO SECVNDO. Dæmon naturali sua virtute posset fortè aliquo sensu hominis intellectum iuuare & confortare (vt quidam DD. dicunt) non tamen hoc facere potest per se immediatè producendo aliquam in hominis mente qualitatem, quod est solius Dei, vt in 1. parte dictum est. Supereſt ergo hoc faciat applicando organis sensuum aliqua actiua naturalia, per quæ commoto sensu moueatur etiam intellectus.



*Dæmon potest hominem instruere.*

DICO TERTIO. Potest dæmon hominem instruere, vel quia ex parte specierum intellectum commouendo immutat, vel quia signa quædam exteriùs adhibet, quibus intellectus excitetur ad aliquid apprehendendum, quod etiam homines facere possunt; vel interiùs quodammodò disponendo & ordinando species imaginarias, vt inde nouit secuturam alicuius intelligibilis apprehensionem.

*Quomodo exteriores sensus ludificet.*

Hæc de intellectu & interiori sensu. Exteriorem sensum, certum est posse multis præstigiis ludificare, vt aliud longè appareat quàm sit, & quod est non appareat, de quo infrà Dubio 5. & 7. Potest etiam per vnguenta temporibus applicata, vel alio artificio, diuturnum & profundissimum immittere homini soporem, & sensibus stuporem, vt tormentis perferendis sufficiat. Facere etiam potest, vt diu quis ferat inediam: quinimò potentiam vegetatiuam in suis functionibus variè potest impedire, de quo nonnulla dicemus Dubio 9.

*An in voluntatem quid possit.*

Minimum potest in hominis voluntate, quamuis media turbatione sensus interioris, ad inordinatum amorem concitare possit, vt docet L. Eorum, C. De maleficis, frustrà reclamante Wiero: non tamen ita concitat, vt necessariò pertrahat ad peccandum, vt cum D. Thoma diximus 1.2.q.80. art. 3. Vel enim priuat vsu rationis, & ita dispositus homo peccare non potest; vel non priuat, & potest homo resistere libidini concitatæ in parte inferiori, vt meritò per articulum quemdam Parisiensem, qui reperitur apud Gersonem, De erroribus circa artem magicam, tom. 1. definitum sit, philtris non cogi voluntatem ad consensum; & dicta L. Eorum, deflectere dicat maleficos, animos pudicos ad libidinem. Flectendi enim vox media est necessitati & libertati: aliquando enim diabolus ita ad insanum amorem mouet, vt turbato sensuum interiorum vsu, libertatem tollat; aliquando solùm minuit, non omnino tollit. Exempla habemus in Cypriano illo qui Iustinam conabatur dementare. Testis Nazianzenus Oratione In laudem Cypriani; in Simone mago, Actorum 8. in Basilio quodam apud Gregorium lib. 1. Dial. cap. 4. iuuenis cuiusdam apud Hieronymum in Vita Hilarionis; alterius adolescentis, apud Epiphaniū hæresi 30. Hippomanes hoc philtro infame est apud Propertium & alios. Ne hæc dementatio à diabolo eueniret B. Iob cauisse Dominum, quando dixit, *Verumtamen animam eius serua*, vult Serenus Abbas apud Cassianum Collat. 7. cap. 12. & apud Pinedam in eum locum Rabbi Salomon, Olympiodorus, Didymus & alij; quamuis alij quidam hoc de vita seruanda intelligant, pro quibus est frequens vsurpatio in Scriptura animæ pro vita, adeò vt Vatablus loco *animæ*, non dubitauerit hîc *vitam* ponere. Priorem tamen explicationem sequitur D. Hieronymus Epistola 34. *Animæ*, inquit, *sanitas reseruatur, ne si illud percussisset in quo est sensus mentisque iudicium, non esset culpa peccantis, sed eius qui statum mentis euerterat.* Retineri ergo ea explicatio poterit, vt his verbis cautum sit, ne Dei athleta ab aduersario exarmetur, cum quo sine rationis vsu decertare non poterat.

*Quomodo hominem possit dementare.*

Variis autem modis potest dæmon hominem dementare: vel applicando quæ naturaliter hoc operentur, vel ad quæ tamquam signa ipse operetur; aliquando ipse hominem intrat & possidet, aliquando sumendum homini aliquod philtrum porrigitur, aliquando puluis corpori vel vesti tantùm aspergitur, aliquando signum aliquod extra ipsum hominem ponitur, quo posito per se dæmon aut arte aliqua sibi nota, hominem amentem faciat, aut amantem. Huc pertinet illud Baruch 6. *Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa oliuarum*, &c. Oliuas enim succendebant maleficio quodam amatorio, nimirum imprecantes sic insano suo amore viros succendi, vt probabiliter admodum explicat Delrio. Naturaliter hîc cooperantur quæ naturalem habent vim totum corpus accendendi, humores concitandi, semina irritandi, vires genitales commouendi, imaginationem perturbandi, eoque appetitum sensitiuum ad actus venereos commouendi, & propter sympathiam quam voluntas habet cum hoc appetitu, etiam ipsam voluntatem sollicitandi & vellicandi.

*Quomodo ad certam personam amorem determinet.*

Quæres, Quomodo dæmon potest efficere, vt determinatè in huius amorem quis impellatur? Respondeo, Postquam ad libidinem hominem concitauit, potest curare vt persona quam amari vult, sese præsentem exhibeat, & in sui amorem alterius libidinem conuertat. Secundò, Potest incenso ad libidinem certæ personæ importunam in imaginatione facere suggestionem, tamquam dignæ amari, fortè auertendo etiam simul ab aliis. Tertiò, Priuat hominem vsu rationis, tum commouet sensus interiores eo modo quo nouit opus esse, vt ad talem personam non solùm amore afficiatur, sed concitato cursu omnibus perruptis contendat, quomodo expectabat apud Epiphanium suprà adolescens ille, vt ad se, magijs dementata femina Christiana accurreret.

Ex dictis patet, Non rectè quosdam putasse, in L. Eiusdem, §. Adiectio, ff. Ad Legem Corn. De sicarijs, philtra inter bona venena censeri: hoc enim ex eo textu conuinci non potest, licet distinguat amatoria venena ab ijs quæ ad occidendum parantur, ideoque ad Legem illam Corneliam de sicarijs pertinent. Verius Ouidius dixit:

*Philtra nocent animis, vimque furoris habent.*

*An possit animam abstrahere à corpore.*

Hactenus diximus quid possit magia in anima corpus informante: addendum quid possit in abstrahenda à corpore? Sanè experientiâ constat, magos sæpè habere miras extases, quas dæmon curare potest vel obstruendo meatus spirituum sensitiuorum, vel eosdem spiritus retrahendo ab organis sensuum exteriorū ad organa sensuum interiorum, ibiq; captiuos detinēdo.

Sed cauenda est sententia Bodini lib. 2. De dæmonomania cap. 5. existimantis, posse dæmonem realiter animam è corpore magi educere, & post talem extasim iterùm ad corpus animandum reducere: error enim is est circa Fidem, quæ soli Deo suscitationem mortui possibilem asserit. Neque enim hæc licentia animæ concessa putanda est, vt sine morte possit esse fugitiua. Rectiùs sensit idem Bodinus, quando subiungit contra Cardanum, extases non ita esse in potestate hominis, vt possit eas pro arbitrio suo quando voluerit pati, sicuti se posse iactabat Cardanus; verè enim fortassis iste potuit, sed ex arte magica, vtpote magi filius: si enim Bodino credimus, farebatur patrem

patrem ſuum annos integros triginta ſpiritum familiarem habuiſſe. Verùs D. Auguſtinus inter miracula naturæ refert lib. 14. De ciuitate Dei, cap 24. quòd Preſbyter quidam Reſtitutus nomine, extatim quando volebat pateretur. Quod verò de Hermotimo ex Plinio ibi ſimile Ludouicus Viues adduxit, etiam ad magicos effectus reiiciendum eſt.

## DVBIVM III.

### *Virùm ope dæmonum Magi efficere poſſint vt defunctorum animæ viuentibus appareant?*

*Opinio hæreticorum.* PRIMA opinio hîc in eo verſatur extremo, vt omnino neget aliquando defunctorum animas apparere. Ex quo conſequens eſt, vt etiam diuina diſpenſatione id vmquam fieri negetur. Ita tenent inter alios noſtri temporis ſectarios Caluiniſtæ. Inter veteres videtur eſſe Tertullianus De anima, cap. 57. vbi dicit Primò, Nulli animæ inferos patere ad exitum. Secundò, Quoties Dei virtute animæ repreſentantur, eas in corpore rediuiuo, iterumque à ſe informato exhiberi. Tertiò, Omnem exhibitionem animæ ſine corpore rediuiuo eſſe præſtigioſam, non veram. Excuſare Tertullianum ab hoc paradoxo conatur Pamelius, ſed reuerà non ſatis excuſat. Dici tamen poteſt, Niſi velimus Tertullianum ſibi contradicere; non ita crudè eſſe accipiendum quod hîc dicit, ſed ſolùm velle, quòd omnis exhibitio mortuorum ſine corporibus propriis, debeat præſumi præſtigioſa, niſi de diuino miraculo aliunde conſtiterit: dicit enim lib. De reſurrect. carnis, cap. 55. Moyſen apparuiſſe in transfiguratione in imagine carnis nondum receptæ.

Auctor quæſtionum ad Antiochum, apud Athanaſium, quæſt. 11. & 13. ideò dicit Deum non permittere, vt vlla vmquam anima defuncti ad nos redeat, & de inferorum ſtatu certiores nos faciat, ne dæmones inde occaſionem habeant, maiori cum veriſimilitudine mentiendi ſeſe eiuſmodi animas eſſe, fidemque ſuis de inferorum ſtatu mendacijs arrogandi. Verùm iſte Auctor non eſt magnæ auctoritatis. Chryſoſtomus Homilia 29. in Matth. videbitur huic errori fauere, ſed non fauet: ſolùm enim contra illos agit, qui volebant animas poſt mortem liberè hîc inter nos oberrare. Illis enim opponit, quòd in locis ſibi deſtinatis diem iudicij expectare debeant. Vtrùm autem Dei diſpenſatione, quod ſponte non poſſunt, aliquando inde egredi poſſint, non dicit. Similiter loquitur Auctor Operis imperfecti, Homilia 8. Idem Chryſoſtomus Paræneſi priori ad Theodorum lapſum, animam à corpore exutam, dicit à nemine vmquam eſſe viſam: ſed intelligit nudam animam, ita vt pulchritudo eius diſcerni poſſit à mortalibus, non videri. Difficilior eſt locus Concione 4. De Lazaro, ex Lucæ cap. 16. tom. 2. vbi dicit, Deum non mittere ad nos mortuos, quòd etiam eorum miſſio ſua frequentia abiret in contemptum. Secundò, Quòd ſub eorum ſimulacris diabolus errores diſſeminaret, vt meritò Deus occluſerit fores, ne quis inde huc nuntiatum quid ibi agatur aduenìat. Verùm neque iſte locus conuincit; non enim negat Chryſoſtomus ſimpliciter, aliquando Deum huc animas demandare, ſed ob certum illum finem, vt inferorum nobis ſupplicia denuntient, quæ ex Moyſe & Prophetis aliiſque ſacris Scripturis, niſi credamus, ne quidem ſi quis ex mortuis ſurrexerit, credemus. Hinc tamen non ſequitur, quin ob finem aliquem alium particulare Deus ſinat interdum ad nos emigrare animas defunctorum. Accenſet Perkinſus auctorum huius opinionis catalogo Iſidorum lib. 8. Originum, cap. 9. Sed eo capite nihil pro iſta opinione dicit, niſi quòd indicet ſe dubitare, vtrùm verè apparuerit aut ſimpliciter, aut ad incantationem Pythoniſſæ anima Samuelis. Nihil hoc ad rem noſtram, qui de ſuſcitatione diuina agimus in genere, de Samuele infrà dicturi. Adducit & Theophylactum in cap. 8. Matthæi; verùm is Chryſoſtomi doctrinam ſecutus, ſolùm dicit, animas hîc non oberrare, poſtquam ſemel corpore ſolutæ ſunt. Nos quærimus, An ſaltem Deo duce vel Angelo bono, aliquando egrediantur?

*Secunda ſententia.* Secunda ſententia eſt in altero extremo, Sine peculiari Dei diſpenſatione animas aliquando apparere, vel quòd liberè hîc præſertim circa ſuorum corporum ſepulcra vagentur, vel quòd ſaltem virtute diabolica, adeoque etiam magica ſiſti poſſint, vt in Endor fecit Pythoniſſa.

*Tertia ſententia verior.* Tertia ſententia media eſt, Verè aliquando apparere, ſed neque pro ſuo, neque pro dæmonum arbitrio, ſed pro diuino beneplacito, adeoque non niſi Deo iubente, vel peculiari diſpenſatione concedente aut permittente. Pro hac veriſſima & communi Theologorum ſententia contra hæreticos

*Anima aliquando vere apparuit.* DICO PRIMO. Certum eſt, Dei iuſſu aut permiſſu verè aliquando apparere animas defunctorum. Sanè hoc Deum poſſe, dubitari non poteſt: imò & ipſæ animæ, niſi detinerentur, loco ſeſe mouere, & huc excurrere propria vi poſſent, vt infrà probabimus; quamuis fortè non æquè poſſint propria virtute ſibi aptare corpus, in quo citra informationem appareant ſicut Angeli; hoc enim videtur negare D. Thomas, De malo, q. 16. art. 1. ad 2. & 1. parte q. 117. art. 4. quando docet, non poſſe naturali ſua virtute animam vllum mouere corpus, quod non informet. Vnde ſequitur, ne quidem proprium corpus ad ſepulcrum ferre poſſe, aut è ſepulcro illud extrahere, in eoque apparere. Si ergo finis rationabilis eſſe poſſit apparitionis veræ animarum, & aliquando apparuiſſe videantur, aut etiam à fide dignis tradatur, non eſt cur fidē abrogemus. Talem autem finem non deeſſe, manifeſtum eſt, ſiue petitionem ſuffragij pro exiſtentibus in Purgatorio ponas, ſiue conſolationem vel monitionem vtilem, aut dignam correptionem viuentibus, ſiue ipſius animi corporis ſui amatoris quoddam in quiete auctarium, dum monet de ſepultura curanda aut honoranda, vt de ſanctis Geruaſio & Protaſio Ambroſius teſtatur.

Reipſa ergo de facto aliquando apparuiſſe, Probatur Primò ex 1. Reg. 28. vbi Samuel verè apparuit, adiuncto loco Eccleſiaſtici infrà citando; apparuit inquam, non virtute diaboli, ſed auctoritate Dei, vt infrà docebimus.

Secundò, Quia Moyſes apparuit in monte Matth. 17. apparuit inquam, vt ſuprà ex Tertulliano diximus, in imagine carnis nondum receptæ. Neque enim audiendi ſunt, qui dicunt, in proprio



proprio corpore iam rediuiuo, & anima informato apparuiſſe, vt Auctor De mirabilibus ſacræ Scripturæ lib. 3. cap. 10. Alphonſus Mendoza Quodlibeto 5. Barradius lib. 10. cap. 28. deceptus malè intellectis verbis D. Hieronymi, quæ ita habent: *Dat Chriſtus ſignum, Moyſe ab inferis reſurgente.* Neque enim vult Hieronymus, corpore ſimul & anima ab inferis ſuſcitatum Moyſen, ſed vult animam inde ſuſcitatam, quomodo Samuel dixit Sauli, *Quare inquietaſti me vt ſuſcitarer.* Vtuntur & illo argumento, quòd vera fuerit gloria & maieſtas, quæ ibi apparuit in Moyſi corpore, & quòd dicatur ipſe Moyſes apparuiſſe. Verùm iſtud poſterius nihil vrget, quia commune eſt omni apparitioni animæ, vt dicatur in ea ipſe homo apparere. Alterum autem diluitur, ſi dicamus, in corpore aërio aut ex elementari materia imperfectè mixto, potuiſſe reſplendentem verè Moyſen apparere, quomodo & Angelus apparuit teſtis reſurrectionis, ſolari vultu, & lucido habitu.

Multò minùs audienda eſt eorum temeritas, qui dicunt, imaginariè tantùm apparuiſſe: hoc enim eſt Dei verbo illudere. Si enim viſi ſint in maieſtate, ſi verè collocuti cum Chriſto, verè ergo fuerunt præſentes; neque vllus veterum proferetur pro hac ſententia: nam quæ ex Ambroſio & Auctore De mirabilibus ſacræ Scripturæ pro ea proferuntur, benè contra Hugonē Cardinalē refutauit Sixtus Senenſis & Mendoza ſuprà.

Longè abſurdiſſimum eſt, ſi quis dicat, Moyſen numquam fuiſſe mortuum, ideoque ipſum ibi viuum, non animam eius apparuiſſe: quia apertè repugnat Scripturæ, contra quam nulla valet auctoritas.

Si mortuū dicas, ſed ſtatim reſurrexiſſe; Rabbinorum id delirium eſt, ex eo inuentum, quòd ſepulcrum eius ignorum ſit. Sanè D. Auguſtinus lib. De cura pro mortuis, cap. 15. hunc locum irrefragabilem exiſtimat, & ex eo apertiſſimè noſtram ſententiam tenet, vt fatetur Perkinſus in Problemate de Catholiciſmo Romanæ fidei, ſub finem, vbi tamen probandum ſuſceperat, veteres de hac re vel omnino ſilere, vel contrarium docere. Sed tantum abeſt vt hoc ſolus dixerit Auguſtinus, vt non facilè ſit alicuius auctoritatis allegare alium qui diſſenſerit.

Tertiò, Vtitur Tiræus apparitione Oniæ & Ieremiæ lib. 2. Machab. cap. 12. ſed non videtur id exemplum vrgere, quia non fuit apparitio facta vigilanti, de qua hîc laboramus, ſed dormienti, quæ fieri ſoler ſine reali eius qui apparet præſentia: neque eſt dubium, quin poſſit in ſomnio dæmon facere animam defuncti apparere dormienti. Probabilior, ſi ex Scripturis vlterior probatio deſideretur, erit illa, quæ petitur ex Lucæ cap. vlt. vbi Diſcipuli putabant ſe ſpiritum videre, quam opinionem eis eximens Dominus, dicit: *Spiritus carnem & oſſa non habet*: hoc enim de ſpiritu hominis veriſimiliùs accipitur, qui licet hominis ſit, carnem tamen & oſſa inſtar hominis non habeat. Sed infirmioribus vti non eſt neceſſum: omnes enim pænè omnium ſæculorum huc vſque Patres huic veritati adſtipulantur, quos latè & per ſingula ſæcula diſtinctos citat Delrio.

DICO SECVNDO. Poſſet dæmon, ſi permitteretur, animam ex inferno aut Purgatorio huc adducere, aut etiam deferre. Si enim poteſt totum hominem loco transferre, vt dicemus Dubio 6. poterit etiam animam, præſertim cùm virtus eius incorporea ſit. Lucæ 16. Lazarum Angeli deferunt in ſinum Abrahæ, & epulo videtur per dæmones ſepultus in inferno: ipſi enim fortè, tamquam diuinæ iuſtitiæ miniſtri, talium animas repetunt, vt dicitur Lucæ 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te.*

*Anima quomodo per ſe redire poſſent.* DICO TERTIO. Etiam anima poſſet per ſe ad nos venire, ſi vellet, & permitteretur. Sanè animas beatas venire ad nos quando volunt, docet D. Thomas. Et ne exiſtimemus, hanc earum virtutem ſeſe quocumque transferendi, eſſe ſupernaturalem, obſiſtit communis DD. ſententia, tribuentium eam tamquam naturalem animæ ſeparatæ, quam contra Durāndum in 3. diſt. 22. q. 3. tuetur Sotus in 4. diſt. 45. q. 1. art. 3. concluſ. 1. Probatur, Quia alioqui valdè imperfecta creatura eſſet anima, ſi quod etiam vermiculi poſſunt, ſeſe non poſſet ad locum quem appetereret mouere, quæ hîc etiam corpus mouet. *Quomodo moueantur localiter.* Mouetur tamen anima localiter, non ſucceſſione, quæ tempore noſtro menſuretur; ſed motu diſcreto, quo mouentur Angeli, vt in inſtanti poſſit eſſe in alio loco vicino adæquato. Quantus autem animarum ſit locus, an par omnino omnibus, & an loco adæquato plura corpora, in quibus appareant, habere poſſint, ex proportione ad ea quæ de Angelis in 1. p. docentur, conijcienda erunt.

Hinc colligitur, Quando D. Auguſtinus animarum apparitionem miraculo tribuit dicto lib. De cura pro mortuis, hoc eum dicere propterea, quòd præter ordinem ſit naturæ, mortuos viuorum rebus intereſſe, non quòd animæ virtutem ſe mouendi non habeant.

*Necromantia vana eſt.* DICO QVARTO. Non poteſt dæmon, multò minùs magus, quando voluerit, vnam animam ex ſuo receptaculo ciēre; & necromantia hoc promittens, vel eo nomine vana & præſtigioſa eſt: ſed quoties verè apparent humani defunctorum ſpiritus, vt aliquoties apparere dicendum eſt, licet non toties ac quidam è vulgo putant, Dei id iuſſu aut peculiari ſit permiſſione.

Non poſſe animas per artem magicam, vel per dæmones huc euocari, Probatur, Quia iuſtorum animæ non ſunt in manu diaboli quem vicerunt, ſed in manu Dei: eſtque inter ipſarum receptaculum & dæmones, chaos magnum firmatum, quo impediatur ad eos tranſire ſatan, vt colligitur Lucæ 16. animæ autem Purgatorij & inferni etiam non ita ſunt in poteſtate cuſtodis illius carceris, vt iniuſſu Iudicis audeat eas dimittere: ſeruus enim ingratus traditus eſt tortoribus non vt exeat quando illi volunt, ſed quoadusque reddat vniuerſum debitum, Matth. 18. Vnde epulo non audet petere vt ipſe poſſit exire, ſed Abrahamum rogat, vt Lazarum mittat.

*Obiect.* Obijcitur apparitio Samuelis; videtur enim virtute dæmonis, anima eius ſuſcitata per Pythoniſſam.

Circa hanc obiectionem duo ſunt examinanda. Vnum, Vtrùm verè anima Samuelis ibi apparuerit? Alterum, Vtrùm ea ſuſcitatio facta ſit per magiam?

*An anima Samuelis verè apparuerit?* Ad prius quod attinet, eſt aliquorum etiam veterum ſententia, non verè apparuiſſe. At veteres iſti hactenus pro noſtra aſſertione ſunt, quòd

ideò negent veram fuisse hanc Samuelis suscitationem, quia putant secutam ex arte magica, ex qua non existiment veram sequi posse eiusmodi apparitionem. Est hæc sententia Tertulliani De anima, cap. 57. qui addit, neque vllius alterius Sancti animam extrahi posse à dæmone; vt aduertas, ideò negare Samuelem verè apparentem, quòd dæmonem neget posse extrahere. Eiusdem sententiæ est Auctor Quæstionum apud Iustinum, quæst. 52. non ipse Iustinus, vt infrà patebit. Hieronymus in cap. 6. Matth. *In Samuelis*, inquit, *phantasmate Pythonissa loquitur ad Saulem, Cras erit mecum.* Item Auctor Quæstionum veteris & noui Testamenti, quæst. 27. Eamdem sententiam sequitur Iansenius in cap. 46. Ecclesiastici, & alij.

*Prima sententia negatiua.*

*Pro ea argument. 1.*

Neque desunt pro ea argumenta, quæ etiam D. Augustinum aliquando dubium, imò proclivem in hanc opinionem reddiderunt: nam lib. 2. Ad Simplicianum, q. 3. vrget Primò, Quod De Samuele dicitur, posse intelligi de eius phantasmate, eò quòd imagines rerum soleant earum nominibus appellari, quarum sunt imagines.

2. Secundò, Facilè potuisse dæmonem ab Angelo vera illa quæ Sauli prædixit discere, Dei dispensatione ita volentis Regem punire.

3. Tertiò, Quòd spiritus apparens, aliquid falsi admiscuerit, quando indicauit Saulem cum Samuele postridie futurum: magno enim interuallo post mortem separari bonos à malis, patet Lucæ 16.

4. Quartò sic argumentatur Auctor Quæstionum veteris & noui Testamenti: Samuel vel volens obtemperat Pythonissæ, vel inuitus, vtrumque incommodum; prius enim sanctitati, posterius priuilegio sanctitatis repugnat.

5. Quintò idem Auctor prædictionem illam de morte Saulis eleuat, quasi non fuerit prophetia, vt propter eam verè dicatur apparuisse Propheta; & probat, Quòd facile sit diabolo pridie occasum corporis præuidere, cùm signa quædam soleant apparere morituris, quippe à quibus Dei protectio amota videtur.

6. Sextò addit idem Auctor, Quando dicit Scriptura, intellexisse Saulem quòd Samuel esset; solùm referre quod factum est, nimirum ipsum Saulis intellectum, siue is interim verus esset, siue, vt verè fuit, falsus: intellexit ergo, sed falsò.

7. Septimò addit, Si verus Samuel apparuisset, numquam se permisisset adorari, vt qui tanto zelo & gradu inculcauerat, solum Deum esse adorandum.

Addere possumus Octauò, Non esse verisimile, quòd Deus Sauli miserit aut permiserit Samuelis prophetiam, cui ne per somnium quidem respondere volebat, omne genus oraculi denegans.

*Verior sententia affirmatiua.*

Nihilominùs verior videtur altera sententia, Samuelem verè apparuisse. Quam præfert Augustinus De cura pro mortuis, cap. 15. recedens ab eo quod scripsit lib. 2. De doctrina Christiana, cap. 23. & ab ea dubitatione qua iunior scripserat ad Simplicianum. Indicat autem non posse huic opinioni contradici, si in Canonem recipiatur liber Ecclesiasticus: *Samuel propheta defunctus vitio Sauli etiam Regi futura prædixit, quamuis nonnulli non ipsum fuisse qui potuisset magicis artibus euocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem illum existimant similitudinem figurasse, cùm liber Ecclesiasticus, quem Iesus filius Sirach scripsisse traditur, propter eloquij nonnullam similitudinem, Salomonis pronuntiatur, contineat in laude patrum, quòd Samuel etiam mortuus prophetauerit. Sed si huic libro ex Hebræorum (quia in eo non est Canone) contradicitur; quid de Moyse dicturi sumus, qui certè & in Deuteronomio mortuus, & in Euangelio cum Elia, qui mortuus non est, legitur apparuisse viuentibus?* Tenet eamdem Iustinus in Dialogo cum Tryphone: *Samuelis*, inquit, *animus ab ea quæ Pythone afflata erat, Saulis rogatu reuocatus est.* Denique veram animæ Samuelis apparitionem tenet fuisse Iosephus lib. 6. Antiquit. cap. 14. Basilius Epistola 80. D. Thomas part. 1. q. 89. art. 8. ad 2. Lira Carthusianus, Caietanus, Mendoza, Victoria, Bellarminus, Pererius, Suarez, & ferè communiter recentiores Catholici, licet hæretici contrarium doceant; Petrus Martyr in Locis communibus, Scribonius in Physiologia sagarum, & alij. Argumenta pro nostra sententia quædam sumuntur ex sacra historia, alia ex cap. 46. Ecclesiastici. Priora sunt aliquo modo solubilia, non perinde posteriora. Priora faciunt sententiam nostram probabilem, posteriora plus quàm probabilem, imò oppositam vix probabilem relinquunt.

Ex historia igitur ita argumentatur Primò, Saul dicitur intellexisse quòd esset Samuel, quo modo non videtur locutura fuisse Scriptura, si in eo fuisset deceptus.

Dices, Verum quidem corpus Samuelis tunc recèns mortui, sepulcro extractum dæmonem exhibuisse, & lineamentis eius agnitis, intellexisse Saulem quòd esset Samuel.

Respondeo, Ita factum esse, refert quorumdam opinionem Carthusianus in eum locum, & Mendoza suprà citatus. Sed non est probabile, tum quia veteres non annotant corpus Samuelis, sed spiritum apparuisse; tum etiam, quia verum non est, Samuelem tunc recenter mortuum fuisse, vt in recenti cadauere dæmon apparere potuerit, vt per necromantiam dicunt auctores huius sententiæ solere fieri; mors enim eius narratur cap. 25. & hîc solùm repetitur propter seriem historiæ: tum denique quia corpus eius non potuit vera ista prædicere operâ dæmonis, qui ea ignorabat. Vnde peti potest Secundum argumentum, Prædixit belli euentum definito tempore, & quòd tam Saul quàm filij eius essent cædendi, quæ futura contingentia non ita determinatè potuit dæmon præscire: solâ autem coniecturâ hæc assecutum esse, non est verisimile. Tertium, Quòd Pythonissa territa fuit, quasi præter modum consuetum spiritus apparuerit, existimant Hebræi ad probandum propositum nostrum pertinere; dicunt enim, vmbras arte magica suscitatas solere inuerso modo accedere, cùm Samuel rectus prodierit. Quartũ inde desumunt quidam quòd spiritus iste aliquoties magnum nomen Iehouæ repetierit, à quo dæmones abhorrere solent. Quintum addit Pererius ex illis verbis, *Faciet tibi Dominus sicut locutus est in manu mea.* His enim significat se esse illum eumdem, per quem Deus priùs hoc ipsum erat comminatus.

Sed, vt dixi, hæc omnia probabiliter solui posse



*Resp. ad 1. probationẽ.* posse videntur. Ad Primum enim iam suprà diximus, quid respondeat ille Auctor Quæstionum veteris & noui Testamenti. Et quamuis quod

*Ad 2.* idem auctor ad Secundum respondet, non satisfaciat vel probabiliter, sicuti neque quod ad Primum, euidenter: dicet tamẽ qui euadere voluerit, ex D. Augustino ad Simplicianum, cùm vult Deus, etiam per infimos & infernos spiritus aliquem vera cognoscere, temporalia dumtaxat & ad istam mortalitatem pertinentia, facile id esse, & non incongruum: possunt enim dæmones Deo volente per Angelos ista cognoscere.

*Ad 3.* Ad Tertium, Quod de diuersa vmbrarum apparitione Hebræi dicunt, non esse compertum. Deinde, non tam videtur timuisse mulier, quia videbat Samuelem, quàm quia iam tum intellexit se coram Rege magiam suam exercere, quem quia magos & ariolos sustulerat, etiam absentem, vt putabat, præfata erat se timere. Denique si reuelationes diuinæ etiam cum horrore aliquando fiant, vt diximus Capite præcedenti, Dubio 7. non mirum si cum terrore exerceatur diabolica ista necromantia.

*Ad 4.* Ad Quartum, Satanas qui se transfigurat in Angelum lucis, potest Dei nomen vsurpare vt fallat.

*Ad 5.* Quintum, quod magni facit Pererius, vix vllius videbitur roboris: dicetur enim ad simulationem diabolicam pertinere, quòd phantasma Samuelis dicat in manu sua Dominum olim eadem prædixisse.

His ergo in medio relictis argumentis, maximè firmamus sententiam nostram ex loco Ecclesiastici; neque verisimile est de hac re apud veteres tantam dubitationem futuram fuisse, nisi inuenti fuissent, qui de huius libri auctoritate dubitarent, eò quòd non sit in veteri Canone Iudæorum. Verba ita habent: *Post hoc dormiuit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem eius de terra, in prophetia delere impietatem gentis.* vbi Græca habent, μετὰ τὸ ὑπνῶσαι αὐτὸν προεφήτευσε: *Postquam ipse dormiuisset, prophetauit.* Hîc dicit Scriptura, post mortem Samuelem prophetasse, prædicendo Sauli suam mortem, & punitionem populi pro suis peccatis, idque exaltata voce sua de terra, id est ascendendo de terra ex loco quietis suæ.

Dicit Iansenius, Non aliud significari, quàm ad laudem Samuelis pertinere, quòd tanti prophetiam ipsius Saul in angustijs fecerit, quod que illius merito Deus per dæmonem ab Angelo edoctum veritatem reuelare voluerit.

At certè hæc nimis torta sunt & violenta citra necessitatem, cùm Scriptura in proprio sensu citra eam, id est, citra fidei ac morum iacturam, aut simile incommodum accipienda sit, secundùm receptissimam ipsius D. Augustini regulam. Neque enim ad solidam Prophetæ laudem multum conferet, quòd in eius persona diabolus, etiam admixtis fortè quibusdam falsis, vt pro altera sententia quidam asserunt, vera nonnulla prædixerit: parata enim erat Pythonissa quemuis alium suscitare, vt nihil peculiare obtigerit Samueli, vnde tanta ei laus accesserit. Ad hæc, si tantùm merito ipsius hæc Regi reuelata sunt, non rectè post dormitionem seu mortem feciſse dicitur. Denique si prophetia fuit, vt eam Scriptura vocat, oportet aliquis fuerit Propheta: neque enim credo dicturi sunt, Deum tamquam per os asinæ Balaam, aut Caiphæ, per illud Samuelis spectrum locutum esse; quinimò ideò magis necesse fuit præter opinionem interuenire Samuelis animam, ne diuinatrici prophetia adscriberetur, sed consulti merito temeritas consulentis corrigeretur.

*Resp. ad Arg. oppositæ sententiæ. Ad 1.* Ad contrariæ opinionis argumentum Primum respondeo, Non posse intelligi de imaginario Samuele, quod ad veram Samuelis laudem retulit Ecclesiasticus.

*Ad 2.* Ad Secundum, Sit possibile; quare ita factum non existimemus, iam diximus.

*Ad 3.* Ad Tertium, Secum futuros dixit, quia in futuro sæculo partem suam erant habituri, in hoc amissuri; habituri inquam in occultis receptaculis pro Dei iustitia & misericordia distribuendis, non humana præsumptione diiudicandis: insulsum enim fuisset, si præter Dei iussum Propheta particulariùs hæc explicuisset, verbi gratia dicendo, Ionathas quidem mecum erit, tu autem in parte reproborum, &c. præsertim cùm non soleat Deus, neque sine aliquo incommodo possit, viatori suam reprobationem reuelare. Significatur ergo, vt benè Augustinus suprà ad Simplicianum, non æqualitas felicitatis, sed similitudo conditionis mortis, præcipuè cùm tunc omnes etiam iusti ad inferos descenderint.

*Ad 4.* Ad Quartum, Huius suscitationis magia non fuit causa, sed tantùm occasio, sicut diuinatio Balaam prophetiæ, & missio ad deum Accaron, fuit occasio cur Elias Ochozię prophetauerit mortem 4. Reg. 1. Non ergo inuitus à dæmone, neque etiam volens adductus est Samuel, sed Deo, vel vt loquitur Augustinus suprà, occultioribus summæ Legis imperijs obtemperauit.

*Ad 5.* Ad Quintum, Quod dicitur de signis in morituro homine apparentibus, etiam dum sanus est, eadem facilitate reijcitur qua asseritur.

*Ad 6.* Ad Sextum, Quòd verè intellexerit, ex Ecclesiastico iam constat.

*Ad 7.* Ad Septimum, Adoratio non semper est latrię, sed latior vocis est vsus, pro veneratione cum corporis inclinatione, vt etiam Abraham filios Heth adorauit.

*Ad 8.* Ad Octauum, Hoc ipsum ita signum est, respondere non interrogatum, & tacere rogatum. Negabat Deus oracula ordinaria indigno eiusmodi gratia; hoc autem extraordinarium, durum & dirum dedit digno sic puniri.

*An suscitatio Samuelis sit facta per magiã.* Ad Posterius, Vtrùm extracta virtute dæmonis è Limbo anima Samuelis apparuerit; omnino dicendum videtur ex dictis, Dei, non diaboli virtute apparuisse. Neque refert, quod dicat, *Quare me inquietasti vt suscitarer?* hoc enim dicit partim quia occasionem præbuerat Saul huic suscitationi, partim etiam quia quantum in se fuit, inquietauit Prophetam, & è loco quietis extraxit. Neque probabile est, quod Iustinus contra Tryphonem suprà citatus dixit, tum temporis etiam iustorum animas sic fuisse in potestate dæmonum, vt eas potuerint etiam è Limbo extrahere; rectiùs enim Sapientiæ 13. etiam de illo tempore dicitur: *Iustorum animæ in manu Dei sunt*, &c.

## DVBIVM IV.

### *Quomodo discernantur spiritus apparentes, an boni sint an mali?*

CVM frequenter arte magica fiat vt dæmon in specie animæ separatæ appareat, inquirendum generatim, quibus tãdem signis dignosci possint eiusmodi apparitiones. Nam vidimus suprà, quòd propter frequentes & obuias quæ hîc subesse solent fallacias, quidam omnino negauerint verè vmquam apparere animas, non satis aduertentes, hac ratione ferè etiam conclusum iri, ne Angelos quidem bonos debere apparere, quò semel omnis amputetur occasio satanæ sese transfigurandi in Angelum lucis. Ne tamen hîc profiteri videamur quod supra humanas vires est, & ad supernaturale Dei donum discretionis spirituum pertinet: subsidia quædam solùm promittimus, quibus Dei accedente gratia ac vera humilitate, probabiliter admodum, si non certò, discerni queat, sitne qui apparet spiritus angelicus an humanus: item an beatus an verò purgationi, aut etiam damnationi obnoxius. Scripserunt de hac re Gerson, tractatu De distinctione verarum visionum à falsis, Operum suorum Alphab.19.Tiræus part.2. De locis infestis,Delrio l.2. q.26.sect.3.Raphael de la Torre q.95.a.3. disp.3.S.Antonius apud Athanasium in Vita monet exemplo Iosue,initio magna fiducia interrogandum spiritum apparentem, anne sit noster, an aduersariorũ:*Cùm aliqua sese*,inquit, *obtulerit visio,audacter requirite,quis sit ille & vnde venerit;ac sine mora,si Sanctorum fuerit reuelatio,angelica consolatione timor vertetur in gaudium: si verò diaboli fuerit oblata tentatio,fidelis anima percunctationibus euanescit.* Poterunt ad hanc rem conducere sequentes Regulæ.

*Regulæ ad discernendos spiritus.*

1. *Vnde colligatur an sit dæmon.*

Regula Prima. Quando spiritus apparens exhorrens ad res sanctas aut nomina sancta, aut etiã præstito quod semel exegit, temerè videtur sæpiùs reuerti, & sine causta pergit esse molestus, præsumi meritò potest esse dæmonem; imò etiamsi dicat se esse animam quamdam damnatam, dæmon erit, quòd vix vmquam damnatæ animæ egredi sinantur. Idem dixero, si apparitioni eiusmodi causſam prætexat, ex qua constet non solere bonos spiritus, aut etiam humanos damnatos apparere: puta si dicat se euocatum carmine magico. Denique dæmonem rectè putes, Primò, Si aliquid proferat contra sanam doctrinam: hoc enim anathema habet manifestum ad Gal. 1. *Sed licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Quamuis verò Deus de potentia absoluta possit abrogare ea quæ Legis sunt positiuæ, non est tamen credendum spiritui, qui aliquid eiusmodi abrogationis contra ritus Sacramentorum, cælibatum Sacerdotum, monastica vota, præsertim castitatis, Quadragesimale Ecclesiæ ieiunium, contra primatum Ecclesiæ Romanæ protulerit. Quod obseruandum contra reuelationes nostri temporis hæreticorum.Itaque contra tales Leges,reuelationes ne miraculis quidem muniri possunt, dispensationes autem reuelaræ in particulari non recipientur etiam contra alias Leges, nisi miraculis munitæ sint, vt docet Innocentius III. cap. Cùm ex iniuncto,De hæreticis. Addo, etiamsi de se licitum sit quod reuelatur, non tamen semper licitum est acquiescere reuelationi; quia diabolus sæpè prætextu virtutis ad vitia pertrahit, prætextu hospitalitatis ad temulentiam, prætextu futuræ eleemosynæ ad cupiditatem pecuniæ corrogandæ,de qua re pulchrè differit B. Arsenius apud Metaphrasten in Vita eius. Secundò signum est esse dæmonem, Si ad Dei aut Sanctorum contemptum aut odium quouis modo inducat, si ad superbiam excitet, si dissuadeat ne consilij causſa quæ reuelat communices, aut ne probos accedas, sed suspectos; si adulatoria, si curiosã & ad rem non pertinentia ingerat, si quid falsi, superstitiosi, aut aliàs mali vel ludicri suadeat, exhibeat, aut præ se ferat: quamuis enim interdum,licet rarò, appareant animæ damnatæ, non tamen sinuntur mala suadere, ludicra agere,aut sese ostentare sicuti dæmones. Dubitat tamen Tiræus, ánne ad ludicra ista interdum à dæmonibus cogantur?

Regula Secunda. Si post timorem, qui solet concipi primùm apparente spiritu, propter conditionis aut naturæ distantiam (naturaliter enim magnarum rerum adspectu terremur) succedat gaudium,bonus est spiritus; secùs si incussa formido permanserit. Ita D. Antonius apud Athanasium suprà. Et potest cõfirmari apparitionibus Angelorum,quas Sacræ litteræ narrant initio fuisse terribiles,sed subsecuta consolatione placidiores. 2.

Regula Tertia. Non facilè præsumitur esse anima, sed potiùs dæmon, si appareat in forma non humana, sed alicuius bestiæ; aut si in humana forma appareat, insignem tamen extra ordinem, & monstrosum aliquem habeat in corpore defectum, vtpote si pedes sint cornei, bouis, equi, &c. vt ferè solent esse apparente dæmone, aut videatur esse sine capite, aut supra modum staturã procerus, vel exilis: quamuis enim possit dæmon facilè perfectam formam humanam exhibere, Dei tamen prouidentiâ fit, vt vix vmquam, etiam fortè omnino numquam in forma humana appareat, quin deformitate aliqua queat dignosci, puta atrocitate vultus, aut vngularũ feritate. Constat ex confessione sagarũ, multisq; alijs historiis apud Tiræum suprà c.26. 3.

Aduerte tamen, quamuis anima non appareat in specie bruti, interdum tamen apparere Angelum in specie columbæ. Ratio diuersitatis est, quòd anima ferè appareat vt dignoscatur, Deo non aliter dispensante: non meliùs autem dignoscitur, quàm si appareat in schemate proprij corporis. Aliquando tamen visæ leguntur animæ in specie globi ignei, vt à D. Benedicto anima Germani Capuani apud Gregorium 2.Dialog.35. In specie columbæ vidit idem Benedictus animam sororis,ibid.cap.34. Monet etiam Binsfeldius Præludio 12. De confessionibus maleficorum, quosdam obseruasse, quòd dæmon numquam appareat in specie ouis aut columbæ. Denique si in corpore alicuius defuncti dæmon appareat, monet idem auctor, non solere apparere in corpore boni, sed peccatoris, eò quòd Deus bonorum corpora, quæ Spiritus sancti fuerunt habitacula, ab eiusmodi iniuria defendat.

Regula Quarta. Probabile erit, si spiritus in specie mulieris appareat, non esse Angelum bonum. Ita Tireus. Delrio tamen putat, aliquando Angelos bonos in specie mulieris apparuisse. Exemplum adducit ex Vita Laurentij Iustiniani. 4.

Regu-



Regula Quinta.Probabile itẽ est,lętiore vultu, aut candido colore apparentes,animas beatas esse, non purgationi vel damnationi obnoxias, quæ ferè solent nigriores & tristiores apparere;quamuis & illæ quæ in Purgatorio detinentur, & iam ferè omnino expiatæ sunt, soleant cum nonnulla luce ac candore apparere. Niger color damnationem arguit, præsertim omninodus & in plena luce. Vtrùm autem truci vultu ad peccatorum increpationem aliquando etiam appareant beatæ animæ, non immeritò quis dubitet. Itaque circumstantiæ simul expendendæ erunt.

Illud hîc aduertendum, ipsum aliquando diabolum in formã Christi Domini apparuisse, vt constat apud Sulpitium in Vita S. Martini. Similiter apparuisse B. Pachomio, narratur in eius Vita.

Regula Sexta. Ex humana voce spiritus vix distinguuntur: nam obscurior vox non est malis propria, sed etiam bonis communis. Si tamen ferina vox sit, probabile est esse dæmonem: qui enim Deum imitari voluit, nunc bestias imitatur, vt benè ei exprobrauit Datius Episcopus Mediolanensis apud Gregorium lib. 3. Dialogorum cap. 4. Idem dixero de immani strepitu ad terrorem & molestiam dumtaxat facientegemitus enim & suspiria militant pro expiandis spiritibus, nisi impatientia adiuncta, aut quid simile damnatos arguat. Sermo diuinatorius prodet dæmonem esse potiùs quàm animam. Tiræus cap 28.

Posterior Regula desumitur ex nocumentis. Damna enim & mala magna viuentibus illata,arguunt dæmones auctores potiùs quã animas. Angeli tamen boni aliquando vulnera & necem inferunt; imò & de sanctis animabus id legitur, sed fortè Angeli eas repræsentantes intulerunt.

*Quomodo reuelationes discernantur.*

De reuelationibus discernendis illud addiderim, diuinas discerni quodam suo proprio lumine, sicut lumen corporale seipso proditur. Secundò discernũtur dono discretionis spirituum. Tertiò, gustu quodam interno & experimentali, quomodo S. Monica eas discernebat apud Augustinum lib. 6. Confessionum. Ceterùm has reuelationes illi soli habent, qui eas non affectant. Quando dubiæ sunt, cruce se signet cui fiunt. Prófuit etiam aliquando, quòd sputum in faciem reuelantis iecerit: si enim est bonus spiritus; boni consulit zelum nolentis decipi; si malus, superbiæ quadam indignatione recedet. Si quis se reuelationes habere narret Confessario aut alteri consilij causſa, non erit ei facile applaudendum, sed potiùs erit reprimendus, vt benè monuit Gerson.

## DVBIVM V.

### *Quid Magia possit in transformatione corporum, verbi gratia vt ex homine appareat lupus?*

RESPONDEO, Non posse virtute diabolica aut magica humanum corpus verè mutari in corpus alterius alicuius animalis perfecti, vt præstigijs suis magi facere videntur. Neque etiam posse animam extrahi ex corpore humano, & coniungi corpori ferino, aut semel separatam vllum corpus iterùm informare, nisi virtute diuina, adeoque quidquid de transformatione corporum magia ostentat, merè præstigiosum esse, patet cap. Episcopi 26. quæst. 5. vbi dicitur infidelis esse & pagano deterior, qui dixerit posse aliquam creaturam transformari, nisi ab ipso Creatore. De his transformationibus præstigiosis mira videre licet apud D. Augustinum lib. 18. De ciuitate Dei, cap. 17. & 18. Plinium lib 8. cap. 22. Tractat de eadem Rhabanus cap. Nec mirum 26. quæst. 5. D. Thomas quæst. 6. De potentia, art. 5. ad 6. & 1. parte, quæst. 114. art. 4. ad 2. DD. in 2. dist. 7. Victoria Relect. De magia; Remigius lib. 2. Dæmonolatriæ, cap. 5.

Verùm vt hæc responsio apertiùs declaretur, ostendamus non posse arte dæmonis fieri, vt humanum corpus verè mutetur in corpus lupi, felis, asini, equi, aut auis, perseuerante in eo informante anima; multis enim modis hoc est impossibile. Primò, Quia cùm Angelus possit tantùm corpus animalis producere, applicando actiua passiuis, vt post D. Augustinum lib. 3. De Trinitate,cap.9. docent communiter Theologi, non potest per se citra vniuocam generationem producere corpus alicuius animalis perfecti: neque enim ineſt vllis causſis aliis,prętęrquam animalibus per viam seminalem, vis vlla producendi corporis similis animalis perfecti. Imò videmus & mulas ideò naturam steriles reliquisse, quòd earum generatio aliunde suppleatur. Ad similem modum tota reliqua creatura sterilis est & ineſficax ad organizandum corpus animalis perfecti, exceptis solis eiusmodi animalibus cum semine. *Humanum corpus in corpus alterius animalis perfecti immutari non potest.*

Secundò, Etiamsi dæmon posset sine semine corpus lupi subitò producere, non tamen potest vlla sua virtute efficere, vt anima humana illud informet: hoc enim iterùm omnem vim creatam superat, quia anima non est actus cuiusuis corporis,sed sic dispositi & organizati. Sicuti enim radicitus anima suas habet potentias peculiares, quæ virtute diabolica ab ea non sunt separabiles; ita & corpus quod informet, suam debet habere dispositionem & organizationem. Et sicuti fieri non potest, vt per aurem fiat visio,& per oculum exerceatur auditus, eò quòd visus & auditus sint quodammodò formæ talium organorum; ita fieri non potest, vt corpus lupinum informet humana anima. Hinc anima corpus iam indispositum, quale est dum homo moritur,& cadaueris dispositiones habet, ampliùs informare non potest, etiamsi eodem loco à Deo relinqueretur.

Tertiò, Etiamsi posset dæmon lupinum corpus producere, eique animam humanam coniungere, nullo tamen modo verisimile esset, hoc ei permittere Deum. Primò, Quia sine Dei iussu anima non potest corpus suum relinquere & pro libitu repetere. Secundò, Quia solẽt tales magi ad corporum suorum humanam figuram redire, nisi fortè interim carnem humanam voraverint, vt de Arcadibus ex Varrone refert Augustinus suprà: atque adeò per hanc opinionem iam non tantùm hæc metaphormosis, sed etiam resuscitatio mortui dicetur dæmoni possibilis; quod verum esse miraculum, omnem virtutem creatam superans, omnes Orthodoxi constanter tenent: D. Thomas Quodlibeto 4. art. 5. & lib. 4. Contra Gentes,cap.81. Sotus in 4. dist. 43. q. 1. art.2.

Quartò denique dici non poteſt dæmon hominem interficere, & ſubitò ita cadauer eius diſponere, vt ex potentia materiæ reſultet forma lupi; quia oſtendimus, non poſſe vilum animal perfectum producere: & rectè dicit Chryſoſtomus Homilia 29. in Matth. fieri non poſſe, vt vmquam hominis corpus in aſini corpus transmutetur.

*Obiect. 1.* Supereſt vt argumentis quæ obijci poſſunt, ſatisfiat. Primum ſumetur à conſtantiſſima magorum confeſſione & certiſſima experientia, de hominibus mutatis in lupos, feles, aſinos, equos, aues.

*2.* Secundum ex cap. 4. Danielis, vbi Nabuchodonoſor legitur in beſtiam mutatus.

*3.* Tertium ex cap. 19. Geneſis, vbi vxor Lot verſa eſt in ſtatuam ſalis.

*Reſp. ad 1. Quibus modis decipiantur ij qui putant ſe mutari in beſtias.* Ad Primum reſpondeo, Decipi ſemper magos, quando vel ſe vel alios ſua arte putant mutari in beſtias. Decipiuntur autem à dæmone variis modis. Vel enim facit dæmon (quod etiam vi morbi vel maniæ fieri poſſe teſtantur Medici) vt videatur homo ſibi eſſe lupus aut aſinus, cùm remaneat in ſpecie humana, & alijs non alia ſpecie videatur: cuius rei exemplũ narrabat de patre ſuo Præſtantius quidam apud Auguſtinum ſuprà l.18. de ciuit. c.18. Vel facit vt non tantùm brutũ ſibi homo videatur, ſed etiam alijs; vel ſanè alijs, etiamſi non ſibi, per præſtigias. Sic alijs videbatur equa mulier illa quã liberauit D. Macarius apud Palladium. Vel tertiò ſubſtituit dæmon homini beſtiam, in quam eum vult videri cõuerſum, ipſo homine ſiue incolumi ſiue enecato, & in alium locum ſubitò tranſlato; vel ſanè inuiſibili reddito eodem loco, & ei immiſſo ſomnio quo idem videatur ipſe facere, quæ per ſurrogatam beſtiam, aut ſanè per ipſum dæmonem beſtiæ vices exequentem fiunt. Aliquo ſimili modo ceruam ſubſtituit Iphigeniæ filiæ Agamemnonis, & aues ſociis Diomedis. Ad eumdem modum veriſimile eſt, ſæpè lycanthropiam exerceri, vt nimirum ipſe quidem homo ſomniet ſe oues aut etiam infantes laniare, dæmon autem vel ementita ſpecie lupi, vel incitans verum aliquem lupum eiuſmodi lanienam procuret. Vel denique quartò dæmon ipſum hominem induit pelle lupina, aut lupo ſimile corpus affingit, animo ingerit per phantaſmata lupinam feritatem, vireſque addit ad atrocem eiuſmodi rabiem exercendam. Fit verò vt amputato pede eiuſmodi lupi, pes aut manus verè homini amputetur; vel quia ſubſtantialiter ſuberat, vel quia dæmon eodem membro hominem mutilet quo in fera mutilatus videbatur. Exempla ſuppeditabit Sprengerus.

*Ad 2.* Ad Secundum reſpondeo, Duobus modis deficere argumentum. Vno, Quòd Rex ille verè non ſit mutatus in beſtiam. Secundò, Quòd à virtute diuina tranſitus fiat & collectio ad diabolicam. Neque enim ſequitur id dæmonem poſſe, etiamſi Deus feciſſet: at Deum eiuſmodi mutationem ibi non feciſſe, quidquid in contrarium dixerit Bodinus, omnino dicendum eſt; pœnitentiam enim egit Tyrannus non in alieno corpore, ſed eodem in quo peccauerat: euaſit tamen Nabuchodonoſor quodammodò beſtia diuino iudicio, vt ſecutus Rupertum lib. 6. De victoria verbi Dei, in eum locum tradit Pererius. Primò propter maniam, qua ſibi fera videbatur, vt indicant illa verba: *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Secundò, Quia multùm immutata fuit complexio corporis, vnde ſecuta eſt ferina deformitas, appetitus pabuli bouini, priuatio vſus rationis, mutatio inceſſus; manibus enim & pedibus reptabat, & vt Tertulliani verbo vtar, De patientia cap. 13. *cum ſqualore & pedore ſeptenni ab humana forma exulabat.* Tertiò, Quia ſigna magna edebat animi ferini, quale erat in primis, quòd nudus iniuriis aëris expoſitus incederet: vnde & pili ei nati ſunt, & vngues ad ſimilitudinem auium, id eſt, vt exponit Pacianus, *Longè incuruis vngubus manus horrentes, aquilas mentiebantur.* De quo etiam videndus Tertullianus lib. De pœnitentia, cap. vlt. Item vox incondita: non enim humana voce loquebatur, ſed brutum quid ſtridebat. Conſulendus etiam Molina 1.part.quæſt. 111.art.4. Epiphanius in Daniele videtur maiorem hanc mutationẽ facere, ſed virtute diuina factam, licet videatur indicare fuiſſe Regem à dæmone obſeſſum, quod etiam placet Tiræo, part. 2. De dæmoniacis, cap. 29. Deſcribit autem Epiphanius ſic Nabuchodonoſorem, vt anteriore parte bos fuerit, poſteriore leo, quòd nimirum laſciuiant initio libidine tales Reges, poſteà verò ſæuiant tyrannide.

*Nabuchodonoſor an mutatus in beſtiam.*

Ad Tertium, Corpus vxoris Lot verſum eſt in ſtatuam ſalis virtute diuina: vnde non ſequitur tale quid dæmonem poſſe. Deinde vt poſſit eiuſmodi prodigioſam mutationem facere, non tamen ſequitur, quòd poſſit hominem in lupum aut ſimile animal mutare: facilius enim eſt animatum corpus in alterius generis corpus inanimatum tranſmutare (quomodo cadauera quibuſdam locis lapideſcunt) quàm efficere vt corpus hominis tranſmutetur in corpus lupi, & illud ſic tranſmutatum anima rationalis informet, iterumque illud ferum mutare in humanum corpus, ad quod iterùm anima reuocetur. *Ad 3.*

Omitto argumentum quod deſumi poſſe videbatur ex mutatione naturali feminarum in viros, de qua certiſſimæ exſtant hiſtoriæ, quas refert Delrio; quia contra quem agimus Bodinus, fatetur infirmum id eſſe, neque tam pertinere ad corporis aliquem transformationem, quàm eius quod latebat apparentiam; itaque etiam illud aſſerendum, eum qui verè vir fuerit, nulla naturali virtute aut diabolica poſſe fieri feminam, aut contrà, feminam virum.

## DVBIVM VI.

### *Sitne vera ſagarum, quæ ad longa ſpatia ſubitò fieri dicitur, per artem magicam tranſlatio?*

*Varie opinantur.* VAriæ ſunt hac de re opiniones. Quidam dicunt, Numquam verè transferri: quorum nonnulli non tam ex animi ſententia loquuntur, quàm vt ſagis quoquo modo patrocinentur, quas per vanitatem iſtam coram Iudicibus excuſare nituntur. Ita Wierus, Agrippa, & alij.

Alij verè putant non transferri. Sed ij rurſum in duplici ſunt differentia: quidam enim ratione nituntur naturali, omnemque eiuſmodi translationem meras dæmonum putant eſſe præſtigias; quos ſecuti ſunt Lutherus & Melanchthon.

Alij auctoritate nituntur cap. Epiſcopi 26. quæſt.



quæſt. 5. de quo infrà: malè enim intellectum iſtud cap. magnam partem Canoniſtarum in hanc traxit opinionem.

Alij fatentur quidem, aliquando verè transferri ſagas, ſed dicunt rariùs id contingere, & frequentiùs, cùm ſe transferri putant, verè non transferri. Ita Nauarrus cap. 11. numero 38.

Alij denique dicunt, regulariter, aut ſanè ſæpiſſimè tranſlationes iſtas verè fieri, & non in ſola imaginatione: quibus ſatis fauet experientia.

*Dæmon poteſt ſagarũ corpora transferre.* DICO PRIMO. Poteſt dæmon ſagarum corpora verè transferre. Si enim non poſſet, vel deeſſent vires, vel impedirentur. Deeſſe dici non poteſt, quia etiam montes transferre poteſt, quamuis non poſſit mouere quantitate quacumque creabilem molem corpoream, defectu virium proportionatarum, & hoc ſit ſolius virtutis diuinæ. Vtrùm autem poſſit totam terræ molem motu recto loco mouere, ſi permittatur, dubium eſſe poteſt. Suarez Metaphyſica diſputatione 35. ſect. 6. numero 26. affirmat, poſſe dæmonem, ſi naturalis eius vis ſpectetur, totam terræ globum projicere vſque ad concauum Lunæ. Verius tamen videtur, Non poſſe; & conformius D. Thomæ quæſt. 16. De malo, art. 10. ad 8. *Non eſt*, inquit, *proportionatum naturæ dæmonum, vt mutent ordinem elementorum mundi.* Sanè ſaltem Deo impediente non poſſe, confirmatur ex cap. 2. ad Hebræos, *Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ.* Itaque quod in Epiſtola Firmiliani, quæ eſt 75. apud Cyprianum, ſaga quædam vel dæmoniaca promittebat ſe facere poſſe vt terra moueretur, de partiali terræ motu verum eſſe potuit, non de totali. Fortè tamen etiam totius terræ motus non excedit adunatas vires omnium dæmonum, ſed Deus non permittit vt moueant, ſicuti neque vt contrario modo Angeli rotent cælorum orbes. *An poſſit mouere totum terræ globum.*

*Obiect.* At dices, Si vnus Angelus moueat primum mobile, cuius reſpectu terra inſtar puncti eſt; quare non poſſet etiam totam terram?

*Reſp.* Reſpondeo, Etiamſi fortè Angelus moueat cælum, non tamen inde ſequitur, quòd poſſit ſurſum totam mouere terram, Primò, Quia cæli motus is eſt naturalis. Secundò, Quia circulariter ad axem, etiam puer poſſet ſphæram æneam mouere, quam ſurſum leuare ne quidem plures viri coniunctis viribus poſſent. Valdè tamen magna corpora poteſt dæmon etiam minimus mouere: cùm enim naturalia in dæmonibus manſerint integra, vt ex Dionyſio D. Thomas & alij Theologi communiter docent, magnaque vis ſit Angelorum in mouendis corporibus, vt in 1. parte docet idem D. Thomas, conſequens eſt, etiam poſſe dæmones magna quædam corpora per aëra ſubitò deferre. Neque exiſtimandum eſt, id minùs in viuis corporibus poſſe. Prophetam enim Habacuc ſubitò ex Iudæa, tranſtulit Angelus in Babylonem, & iterùm ex Babylone in Iudæam, apprehenſo capillo capitis eius, in impetu ſpiritus ſui, id eſt, efficacia potentiæ ſuæ concitato motu ac impetu. Ita Danielis 14.

Vbi aduertendum eſt, propriæ ac naturali Angeli virtuti adſcribi hanc tranſlationem, ne quis cum Vlrico Molitore hîc opponat, maiorem boni Angeli quàm mali eſſe virtutem. Aduerte etiam, non videri ita in capillo portatum Prophetam, vt impetus non fuerit etiam reliquo corpori impreſſus, ſed conuenienti ſitu, directo capite, ſuauiter etiam reliquo corpori motiuam vim impreſſam fuiſſe, quod multum facit ad fatigationem impediendam, & reſpirationem non intercludendam. Aduerte Tertiò, non opus eſſe vt Angelus qui corpus deferat, in alio corpore illud moueat, ſicuti ſagæ in hirco ſuo equitant, ſed ſolo impetu ſpiritus ſui poſſe hanc tranſlationem dæmonem vel Angelum perficere: ſi aliter cum ſagis dæmon faciat, hoc pertinet ad minuendum horrorem, aut ad maiorem illuſionem, vel aliquid ſimile. Eõdem facit quod Actor. cap. 8. legimus, *Spiritum Domini*, (id eſt iuſſu Spiritus ſancti Angelum propria virtute) rapuiſſe Philippum. Ita interpretatur Lorinus, & fauet D. Hieronymus in cap. 63. Iſaiæ.

*An Chriſtus à diabolo per aëra ductus.* Tertium exemplum erit ipſius Chriſti Domini, quem diabolus bis tranſtulit, Matth. 4. ſemel in pinnaculum templi, ſemel in montem valdè excelſum; per aëra enim hanc factam eſſe tranſlationem plurimi ſentiunt. Gregorius Homilia 16. in Euangelia, ex eo Gloſſa ordinaria; Nazianzenus oratione De Baptiſmo, Auctor Operis imperfecti, Homilia 5. Hieronymus in eum locum; Bonauẽtura in Vita Chriſti; Abulenſis in eumdem locum. Ex recentioribus Barradius tom. 2. lib. 2. cap. 4. Lorinus ſuprà, Suarez 3. parte, quæſt. 41. diſp. 29. Toletus in 4. cap. Lucæ. Probant ex illis verbis, *Aſſumpſit eum*; item illis, *Statuit eum ſuper pinnaculum templi.* Secundò, Indecens eſt, ſuaſione dæmonis Chriſtum relicta eremo in ciuitatem venire: vt enim ei non fuerit periculoſum, exemplum tamen eremitis eſſet periculoſum.

Probabilis eſt hic commentarius, at non omnino certus: quòd enim Dominus non per aëra vectus, ſed terra ductus ad hæc loca fuerit, ſentit Auctor De cardinalibus Chriſti operibus, apud Cyprianum, Origenes Homilia 31. in Lucam; Anſelmus & Euthymius in cap. 4. Matthæi, & alij, quos ex recentioribus ſequitur Maldonatus, Ianſenius, Heſſelius, & alij. Deinde facilè reſpondetur ad argumenta in contrarium adducta: vt enim dicitur hîc diabolus Chriſtum aſſumpſiſſe, ita & Chriſtus dicitur aſſumpſiſſe Diſcipulos, Matth. 17. Statuiſſe etiam ſuper pinnaculum, parum conuincit; quia vt ex Hegeſippo & Euſebio conſtat, quod etiam refert Anſelmus, ad pinnaculum erat pedibus acceſſus, & dicuntur Scribæ Iacobum Iuſtum conſtituiſſe in pinnaculum templi. Quod indecens dicitur ſuaſione diaboli ductũ fuiſſe Chriſtum, refellit Origenes, dicens, Dominum tamquam athletam & diabolo etiam locum pugnæ deferentem, eò profectum eſſe.

Quidquid ſit de Chriſti hac tranſlatione, certum eſt, veteres, quos hinc inde citabimus, exiſtimaſſe, poſſibilem eiuſmodi quam volumus tranſlationem fuiſſe, vt pro nobis vtrique hactenus faciant, qui id ſolùm probare nitimur; quamuis interim reuerà etiam probabilior ſit prior opinio, quæ de facto eam ponit: neque enim ſatis veriſimile eſt, è deſerto inacceſſo & adeò diſtanti, longo tẽpore, & magna fatigatione cum diabolo Dominum iter feciſſe, & fortè, vt Toletus monet, qui in ſpecie hominis primò tentauerat, nunc ſe angelum faſſus, ſed bonum ſe fingens, aliò Dominum tentandum tranſfert. Ceterùm ſemper dæmonem quò minùs vtatur poteſtate hac, à Deo impediri, etiam dici non poteſt. Vnde enim conijcie-

mus potiùs hunc effectum diuinitus semper impediri, quàm alios non minùs miros aut pernicioſos?

DICO SECVNDO. Cùm id possint, velle aliquando dæmones realiter lamias per aëra deferre, non nisi improbabiliter negari potest. Sæpè enim videt dæmon eiusmodi realem transl tionem plurimùm conducere ad maiora peccata: aliáve mala per sagas perpetranda; plus enim dæmonem colunt, quando simul congregatæ Orgia celebrant: ibi de malis perpetratis aut omissis rationem ei reddunt, ibi statuunt quæ damna hominibus sint inferenda, ibi præmia dantur diligentioribus, & verbera infliguntur segnioribus, ibi fœdissima quæque exercentur, quæ cum tanta fœditate extra comitia ista geri non potuissent.

*Sagæ frequenter verè transferuntur.*

DICO TERTIO. Omnino certum est, aliquando, imò valdè frequenter verè magos & sagas per aëra subitò ad longa spatia per dæmones transferri. Hanc assertionem euidentissimè probant Acta quæ ex confessione sagarum fideliter descripta referuntur à pluribus, Paulo Grillando, Sprengero, Spinæo, Remigio, Delrio, Binsfeldio, & alijs: estque communis DD. vt refert Suarez. Abulensis dicit, non posse sine impudentia negari. Binsfeldius concluſ. 12. De confessionibus maleficorum, dicit esse communem, cui contradicere repugnet Theologiæ, Philosophiæ, & rerum experientiæ certissimæ. Primò enim sunt quædam exempla, in quibus certissimò constet ipsas sagas in medio cursu à dæmone fuisse desertas, & pedibus ad longa spatia domum redire compulsas; imò hac occasione aliquando proditas fuisse. Secundò, Aliquando qui non erant magi, sese vngentes, aut diabolica symbola vsurpantes, delati sunt ad loca distantia & concluſa, ibiq; ab alijs deprehēsi, modum quo eò peruenissent, detexerunt. Tertiò, Aliquando qui non erat magus dorso sagæ impositus, deuectus legitur, & medio cursu in spinas deiectus, ibi inuentus malè affecto corpore: translatio itaque vera, vt vera deprehensio, vera vulnera, &c. Quartò, Adrianus VI. & alij Pontifices, quorum Bullæ extant apud Binsfeldium, volunt Inquisitores procedere contra sagas ad testimonia complicum; qui processus erit vanus & iniquus, si solùm imaginariè, non autem verè ad cursum delatæ sint: non enim potest Iudex testes dormientes adhibere, quod benè in Iudæis

In Psal.63. reprehendit Augustinus. Quintò, Facilius est dæmoni verè transferre sagas, quàm ita afficere vt omnino videantur sibi volare, conuiuari, &c. & posteà errorem non agnoscant, vt solemus agnoscere illusionem somniorum: ergo quamuis vtrumque possit, non est cur negetur, frequenter etiam verè transferre. Sextò, Ecclesia ex B. Maximo Taurinensi publicè recitat historiam, quam Clemens Romanus, Hegesippus, Arnobius, Cyrillus Ierosolymitanus, & alij habent, Simonem magum magica arte per aëra volasse, & D. Petri oratione detractum, & cruri fragio punitum. Omitto vt minoris fidei, quòd Hermogenes magus à dæmone iussu Iacobi Apostoli per aëra delatus narretur, vti & D. Ambrosius Mediolano Romam, vt refert Spinæus. Certioris auctoris est, quod est apud Gregorium lib. 1. Dialogorum cap. 4. De Basilio mago, qui se Equitij Abbatis cellam sæpè dicebat in aëra suspendisse. His adde quod D. Anselmus in cap. 4. prioris ad Timotheum, de Aginnensibus scribit his verbis: *Discedent enim à fide veritatis, attendentes spiritibus erroris, id est dæmonibus, qui per artem fallaciæ loquentur eis, vel apparebunt, & aliqua velut bona dabunt, vt eos errare faciant, vel in errore detineant: sicut Aginnensibus hæreticis nouimus contigisse, quos dæmones in equorum specie noctibus apparentes portant per aëra vbicumque voluerint, & copiam eis temporalium rerum ministrant, & prauis dogmatibus imbuunt.*

Sed plura in contrarium hîc moueri possunt. Præcipuum est cap. illud Episcopi, suprà citatum, quod omnino videtur definire, sagas non verè & realiter, sed tantùm imaginariè transferri: dicit enim, videri fieri hanc translationem, quia dæmon in somnis deludens mentem quam captiuam tenet, per deuia quæque deducit, & cùm solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hoc non in animo, sed in corpore euenire opinatur. *Obiect.1.*

Alterum peti potest ab experimentis: dicunt enim sagæ, in eiusmodi conuentibus se benè pransas, nihilominùs postmodum æquè famere ac si cibum non gustassent; ijs etiam locis vbi se vinum magna copia bibisse existimant, nihil minùs reperitur. 2.

Denique sæpè deprehensæ sunt altissimùm dormire eodem loco, quando se putabant asportatas, & conuenticulis eiusmodi interfuisse. Exempla videre licet apud Spinæum & alios. Sunt ergo somnia tantùm, non veri isti cursus: locum enim in ijs habet quod est Isaiæ cap. 29. *Somniat esuriens & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius.* 3.

Respondeo ad Primum, De cap. illo Episcopi, duo videnda sunt. Vnum, quanta sit eius auctoritas: alterum quis verus intellectus. Ad prius quod attinet, non desunt qui negent vllius esse auctoritatis, pro quorum sententia multa adfert Spinæus. Dicunt enim, esse Concilij alicuius Prouincialis, & desumptum esse ex libro De spiritu & anima, cap. 28. qui falsò inscribitur Augustino: extat etiam sub nomine Hugonis Victorini, lib. 2. De institutis monasticis, cui etiam illum adscribunt Vincentius in Speculo, & Trithemius. Quidam putat esse Gregorij, sed improbabiliter. Alij suspicantur esse Hugonis Etheriani. At nullo modo verisimile est, Canonem istum ex hoc libello esse desumptum, potiùs crediderim ex Canone in libellum partem illam esse translatam. Est ergo Canon iste alicuius Concilij originaliter, fortè Ancyrani, quod licet Prouinciale, confirmatum tamen est à VI. Synodo, Can. 2. Quòd Ancyrani sit Concilij, quorumdam codicum inscriptio testatur, & codex vetustus sedecim librorum partialium in primo tomo Conciliorum. Vel saltem eius auctoritas reijci non potest; quia, vt notatur in editione Gregoriana, etiam in Damasi Vita, tamquam Romani sub eo celebrati Concilij, similia habentur, quod etiam placet Baronio ad annum Domini 382. Denique communis sententia recipit huius Canonis auctoritatem. Neque tamen contemnenda coniectura Delrij lib. 5. sect. 16. sicuti Gratianus Canoni quædam de suo addidit, ita eriam ante Gratianum vero Canoni Ancyrano à Burchardo esse quædam addita: putat autem, solum §. 1. qui finitur illis verbis, *Debet mundari sancta Ecclesia*, esse Concilij Ancyrani; reliqua autem à Burchardo aliunde adiecta, *Resp. ad 1.*



adiecta, potiùs disputationis, quàm constitutionis speciem habentia. Videndum itaque de intellectu huius Canonis: is autem indubiè ille est, vt damnetur eorum credulitas, qui putent hæc verè euenire istis sagis sicuti ipsis videntur, non quòd nihil veri interuenire possit, sed quòd multa falsa & pernicioſa, adeoque impossibilia, narrationi admisceantur. Non ergo damnatur, qui dixerit, verè sagas per dæmones transferri; sed primò, qui dixerit eas equitare cum Diana dea Paganorum, cùm Diana non sit dea, neque libertatē equitandi habeat, sicuti nec Herodias, de qua idem credebant mulieres, de quibus Canon, vt patet ex illis quæ diximus Dubio 3. Damnatur ergo qui fidem adhibet magico isti præstigio tamquam miraculo, quo aliquid numinis adstruatur extra vnum verum Deum: damnantur etiam, qui credebant alteri quàm vni Deo diuinum impendendum honorem, aut talia suadentem, & ad talia hominem deferentem, bonum esse spiritum. Secundò damnatur, quòd putent se in veris animalibus equitare, adeoque posse homines in animalia vel in deos mutari, aut omnino vllam creaturam sine naturalium agentium applicatione posse immediatè creari, aut in aliam fallorum deorum virtute transmutari. Sanè perfecta eiusmodi animalia ne quidem agentium naturalium applicatione posse à dæmone produci, iam suprà ostendimus: & secundùm ista erunt accipienda extrema cap. verba, quæ conclusionem quamdam totius disputationis exhibent, eumque damnant qui dixerit, creaturam posse fieri vel mutari, nisi ab ipso Creatore, videlicet sine applicatione agentium aliorum naturalium; quia si illa applicentur, iam quodammodò ab ipso Creatore fiunt eiusmodi effectus, qui talem seminibus vim dedit. Tertiò damnatur, quòd eo ipso quo sibi arte diabolica sic transferri videntur, sibi persuadeant sese verè fuisse translatas, cùm diabolus etiam in hoc possit illudere, & Apostolus de suo raptu non audeat dicere, vtrùm in corpore factus sit, nec ne: & hoc vrgent verba ista, *Cùm solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hoc non in animo, sed in corpore euenire opinatur.* vbi aduertendum, non dicere Canonem, Cùm solus spiritus hoc semper patiatur.

Dices, Posteà dicit, *Quis verò tam stultus ac hebes sit, qui hæc omnia quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur?*

Respondeo, Etiam ibi hoc solùm velle, quòd stultum sit, eo ipso quo in spiritu ista fiunt, existimare continuò fieri etiam in corpore, cùm tantùm in animo facta similiter videri poterant. Quamuis autem ex eiusmodi apparentia non præsumatur vera sagarum translatio, ex alijs tamen, vt suprà diximus, indicijs ea satis constat: eò autem quidam in diabolica ista arte proficiunt, vt omnino discernere queant, vtrùm verè an tantùm in spiritu transferantur. Credibile tamen est, sæpè hoc eos ignorare, vt de feliciore suo raptu Apostolus dicebat. Tradunt nonnulli, diuersis magos vti vnguentis, quando in spiritu tantùm, & quando reipsa volunt conuenticulis interesse; aliquando autem, nescio quid crassi vaporis euomere, in quo tamquam in speculo gestorum imagines contemplentur. Apud alios reperitur, quòd interdum sine vnctione ad aliud signum deferantur: item quòd quædam sagæ etiam vnctæ transferri non possint, nisi quando dies adest indictus quo conueniendum est; aliæ autem transferantur quando volunt. Item quòd non magi, vt suprà meminimus, etiam vncti transferantur, si quem curiositate aut simili defectu locum dent diabolo, vt pacto eius irretiri, saltem tamquam tirocinij istius candidati valeant: nihil autem operari vnguentum in eo, qui cum contemptu, & plena in Deum fide adhibuerit, vt vel inde constet, non virtute aliqua sibi insita, sed tantùm vt signa concurrere hæc vnguenta ad miram istam translationem. Denique pro pleniori ad illud cap. satisfactione aduertendum est, non constare, vtrùm tunc quando Canon iste condebatur, in vsu fuerit realis sagarum translatio; vires enim suas his posterioribus temporibus magis exerit diabolus. Item neque hodie eiusmodi translationes fieri sine magnis illusionibus, vtpote quòd scopæ videantur hirci, &c. Spinæus dicit, tunc quidem sagas fuisse infideles, quibus interiori sola tentatione & illusione facilè prævalebat dæmon, qui apud Christianas in fide adhuc manentes mulieres ea sola non præualeret, nisi etiam realem illam translationem, qua ad omne scelus animantur & inescantur, adhiberet. Sagæ enim, de quibus Canon, errorem habebant speculatiuum, quo credebant in falsos deos; sagæ autem nostræ non propriè credunt in falsum deum, sed verum Deum eierant, & diabolo, quem sciunt non esse Deum, diuinos honores exhibent. Multas alias differentias adfert Delrius lib. 5. sect. 16. qui putat à centum quinquaginta plus minùs annis solùm cœpisse sagarum illam sectam quæ hodie grassatur; multumque falli Iudices, qui eas comparent cum illis mulierculis, de quibus Canon iste Ancyranus.

Ad Secundum respondeo, Varias illusiones interuenire in conuiuijs illis sagarum, ac inde non sequi, quòd nec ipsæ quæ illudantur, aliquando sint præsentes. Aliquando tamen etiam veros cibos comedunt, & verè vinarijs cellis damnum inferunt: neque enim verum est, semper famelicas domum redire, quamuis sæpè ex cursu & choreis fatigatæ postridie deprehendantur: aliquando autem neque præsentes sunt, neque verè comedunt, sed solùm in spiritu ista eis videntur. *Ad 2.*

## DVBIVM VII.

### *Vtrùm per artem Magicam possint magi sese inuisibiles reddere?*

RESPONDEO, Efficere quidem posse magos vt non videantur, sed non vt verè sint inuisibiles. Vt non videantur, varijs modis opera dæmonis efficiunt, Primò, mutatione ex parte obiecti: deinde mutatione ex parte medij: tertiò, mutatione ex parte organi. Quartum modum addit Binsfeldius, quo saltem ipsi dæmones in corpore assumpto vni sint visibiles, alteri inuisibiles, petitum ex potestate quam habeat Angelus, siue bonus siue malus, in corpus à se assumptum: putat enim eam habere quam habet anima beata in corpus gloriosum, vt nimirum appareat vni vel pluribus quibus voluerit, & ab adstantibus alijs non videatur, vt accidit in Christo Act. cap. 9. Similiter putat sola voluntate etiam dæmonē posse efficere, vt vox qua sagæ loquitur, etiam in aëre formata, circulariter non immutet medium, sed solùm

*Quatuor modis obiecti poteſt vt non videatur. efficere*

solùm sonet apud sagam cui loquitur; & pro hac sententia adducit Albertum & Iosephum Anglez.

*Reijcitur quartus modus.*

Verùm iste Quartus modus tam quoad visum quàm quoad auditum non videtur verus: nam quod ad visum attinet, procedit à virtute supernaturali ad naturalem. Dæmones tantùm habent naturalem cum quodam artificio, supernaturalem non habent. Quòd ergo beatus in glorioso corpore ab vno à quo videri vult videatur, & non ab alio, fieri potest inde prouenire, quòd nisi velit, non videatur lumine extrinseco, sed sola suæ claritatis luce, quæ, vt & aliæ dotes, perfectè subsit imperio ipsius animæ: sic enim idem beatus resistere potest occurrenti corpori non glorioso, & si velit, illud penetrare. Verùm ista virtus non competit dæmoni in corpore assumpto, multo minùs in corpore magi. Si ergo hic vel iste ab vno & non ab alio videatur, oportet id fiat aliquo alio ex præcedentibus tribus modis.

Quod ad auditum attinet, quando Angelus suo more loquitur, potest vni siue homini siue Angelo sic loqui, vt alter etiam adstans non intelligat: quo autem modo id fiat, dictum est quando de locutione Angelorùm in 1.parte. Sed quando loquitur voce formata in aëre, non potest vni homini sic loqui quin alter audiat, nisi aliquid operando in ipso medio aëre vel organo non audientis, verbi gratia in aëre impediendo circularem eius per sonum immutationem, quod facilè potest: concussio enim illa localis aliquid habet mutationis, in qua valdè dominatur Angelus etiam malus; nam & iste potestatem magnam aëris habet, & refulget in naturalibus, retinuitque potestatem quoad motum localem corporum, vt suprà diximus. Restat ergo veri tres illi alij modi.

*Dæmõ quomodo visum fallat ex parte obiecti.*

Ex parte autem obiecti potest dæmon fallere visum in primis sola celeri agitatione, & subita occultatione, varia collocatione, incisione vel conglutinatione occulta: sicuti enim qui speculo excipit radios solares, eos in quem voluerit motione speculi contorquet & dirigit; ita subita motione obiecti, & in reliqua parte impedita specierum emissione, facere potest dæmon, vt ab vno res videatur, ab alijs autem adstantibus & intentis non videatur. Secundò, Apposito minerali quod eam virtutem habeat, vt corpus cui apponitur appareat longè diuersum. Tertiò, Certa quadam collocatione obiecti respectu oculi, qua fiat vt res longè aliter videatur sæpè habere. Quartò, Rem visam loco mouendo, & aliam similem, sed phantasticam, subitò substituendo.

*Quomodo ex parte medij.*

Ex parte medij Primò, Impediendo ne per medium deferantur species, aut saltem vt conus specierum non pertingat ad pupillam. Vbi iam facillimus est modus, quamuis & alius non desit, quo efficiat dæmon in assumpto corpore apparens, vt à saga videatur, non ab adstantibus; adstantes enim quantumuis coniuncti, non vident per easdem specierum lineas, imò nec oculi duo eiusdem hominis. Secundò, Immutando sic species, vt rem longè aliam quàm sit repræsentent. Tertiò, Obtenebrando aërem intermedium, aut etiam ita illuminando, vt adspectum vel obtundat vel dissipet. Quartò, In aëre quasi speculum per condensationem exhibendo, quo res quæ ante oculos est lateat, & alia quæ retrò est videatur.

Ex parte organi, vel per motum ipsius organi, vel turbatis spiritibus, permistisque humoribus. Item impediendo, ne species ex sensu exteriori per spiritus deferantur ad interiorem, vt qui videt sine sensus communis interiori iudicio, videat quasi non videns, ad eum ferè modum, quo audire solemus, & non percipere nos audire, quia non attendimus. Facilè etiam dæmon potest, vt oculo recipiente speciem straminis, spiritus commoueant internos sensus ad perceptionẽ per speciem trabis, vt quodammodò homo vigilans somniet, & certissimò sibi persuadeat, se trabem videre, quando tantùm videt stramen. Hæc ferè apud Remigium lib.3. Dæmonolatriæ, c.11. Molinam in 1.parte, q.111. art.4. Binsfeldium Prælud. vlt. Petrum de Aquila in 2.dist.8.

*Quomodò ex parte vel.*

## DVBIVM VIII.

### *Quid possint sagæ in conferenda hominibus aut brutis sanitate, vel nece inferenda aut morbo?*

*D.Thomas q.96.art.2.*

*Dæmon nõ potest verè quosuis morbos sanare.*

Dico primo. Non videtur asserendum, quosuis omnino morbos, quantumuis incurabiles, aut vulnera quæcumque letalia, dæmonis arte verè posse sanari. Sicut enim non potest cæcum natum facere videntem, ita quasdam corporis humani partes iam labefactatas, vnde vitæ conseruatio pendet, aliquando non potest reparare. Eadem erit ratio de vulneribus quibus eiusmodi partes iam destructæ sunt, præcipuè si recentiora non sunt, sed temporis decursu harmonia partium læsarum omnino perierit. Idem iudicium de mutilatione notabili, aut monstrosa valdè corporis constitutione, verbi gratia, sine tibijs, aut tam exilibus, vt nullam habeant proportionem aut vsum. Hæc notasse, iuuerint ad discernenda vera miracula, quæ ad Memorias Sanctorum in Catholica Ecclesia omni ætate facta leguntur, & etiam nunc post magnam defectionem variorum sectariorum in sola Romanæ fidei Ecclesia perseuerant.

*Tribus modis simulat se sanare.*

Dixi, *verè*; quia tribus modis simulat dæmon se etiam talia sanare, scilicet ex parte vel morbi, vel sanationis, vel sanitatis. Primo modo, quando non verè talis est morbus qualis apparet, sed arte diabolica immittitur similis, aut præstigio aliquo fit eius mutatio. Secundo modo, quando sibi dæmon curat adscribi, quod per Deum, aut Angelos, aut Sanctos fit; quomodo etiam miracula Christi per sua membra sibi curauit adscribi. Tertio modo, quando sanitas non verè sequitur, sed vel ex parte solùm subleuatur æger, vel videtur etiam plenè sanatus, dæmone subleuante, & vires supplente, alijsque artificijs sanitatem simulante, ægrumque ipsum ac alios fallente, quam fraudem ferè breui tẽpore tãcùm exercere potest.

*Mortuum suscitare nequit.*

Dico secvndo. Multo minùs potest dæmon aut per eum magus mortuum aliquem suscitare. Impeditur autem tribus modis. Primò, Quia anima statim post mortem Dei iudicio mittitur ad certum receptaculum, vnde non potest per dæmonem ad corpus reduci, vt diximus Dubio 3. nisi ex speciali Dei permissione, quæ rara est, & nullo modo in dæmonis arbitrio: imò numquam ea permissio fieri cogitanda est, quando in eum finem dæmon animam ex inferis extraheret, vt hominem se suscitare mentiri possit.

Secun-



Secundò, Quia non potest corpori iterùm introducere illam dispositionem quam informatio requirit. Tertiò, Quia etiam corpori sic dispositio, non habet potestatem vniendi animam, nisi per motum localem; localiter autem vnita anima, vt suprà diximus, non continuò etiam tale corpus informat, sed opus est iussu Dei, qui solus infundit animam: etiamsi enim ex luto iam cum omni sua dispositione esset formatum corpus humanum, tamen vt homo fiat in animam viuentem, opus est vt in faciem eius Deus inspiret spiraculum vitæ, vt fecisse legitur Gen.2. Ideò Apoc.11. vbi describitur resuscitatio duorum illorum testium, dicitur, *Spiritus vitæ à Deo intrauit in eos.* Propter Secundam causam, dæmon non potest vllum animal perfectum resuscitare, aut efficere vt verè iterùm simili anima cadauer informetur.

Quæres, An saltem animalia quæ ex putrefactione oriuntur, possit eadem numero suscitare?

Respondeo, Neque id posse: quamuis enim possit, quia nouit, vim caloris putredinalis, & cetera ad hoc requisita, cadauer talis animalis iterùm simili anima viuificare; quia tamen non potest eamdem numero animam reproducere, non propriè resuscitat animal mortuum: ad resuscitationem enim propriè dictam requiritur, non tantùm identitas numerica materiæ, sed etiam formæ. Itaque solus Deus hoc poterit: quamuis immeritò quidam etiam Deum posse negauerint, quorum refutatio alterius est loci. Quamuis autem mortuos dæmon verè non suscitet, simulare tamen potest se suscitare, ad eum modum quo sanationem simulare diximus. Atque ita responderi potest ad multas eiusmodi narrationes, præsertim Gentilium.

*Quæ morbos sanare possit.*

Dico tertio. Potest dæmon illos morbos sanare, qui virtute naturalium agentium applicatorum sanari possunt. Ex arte enim eiusmodi vires nouit primò proprij sensus acrimonia, deinde longo vsu & experientiâ: attendit enim ad talia antiquus serpens, quia nouit se per illa posse homini sanitatis auido insidiari. Tertiò etiam per bonos Angelos, qui ea ex Dei reuelatione sciunt, quædam huc pertinentia potest didicisse: hos enim ferè modos ponit Augustinus lib.2. De Genesi, cap.17.

*Quomodo liceat vti scientia à dæmone acepta.*

Dico qvarto. Non est illicitum, sine vlla societate cum dæmone, vti illa scientia recuperandæ sanitatis per occultas rerum naturalium vires, quas scitur dæmonem docuisse. Imò posset magus conuersus illa vti: vsus enim tunc non fundatur in societate dæmonis, sed in virtute à Deo data, & iam per experimentum explorata, vt benè Suarez De superstit. cap.15. n.24. Fauet Victoria Relectione De arte magica, numero 15.

*Dæmõis operacedente, plus valent vires agentiũ naturaliũ.*

Dico qvinto. Artificio dæmonum accedente plus valent vires herbarum & reliquorum naturalium agentium ad sanitatem subitò causſandam, vel naturalem suum effectum producendum, quàm valeant si applicatio fiat tantùm ab homine medico. Sequitur hoc ex duobus principijs omnino notissimis. Vnum, Plus posse artem cum natura, quàm naturam solam. Alterum est, Dæmonem superare artificio omnem artem humanam. Prius patet, quia artifex naturâ vtitur quodammodò vt instrumento: instrumentum autem operatur vt motum, & singularem vim à principali agente participat. Dico, *quodammodò*; quia quodam sensu in omni ista operatione physica, ipsa naturalia agentia sunt principales causſæ, indeque fit, vt calor natiuus qui est in humano semine, possit ossa, neruos, & carnem generare, prout est instrumentum animæ, quod non potest prout calor est; ita non possit vis alicuius herbæ applicatæ à dæmone plus operari in corpore humano, quàm naturaliter ipsa in se contineat. At quia applicatio artificiosiùs fit à dæmone quàm ab homine, fit vt virtus eius naturalis plus exeratur, & expeditiùs operetur, quando eam dæmon applicat. Quocirca coci concinnantis suaue edulium, magis proposito quadrat: neque enim anima ibi tantùm est causſa sine qua non, sicuti considerari potest dæmon aut cocus respectu physicæ efficientiæ, quæ post localem applicationem sequitur.

*Salutatores quomodo sanent morbos.*

Dico sexto. Quamuis ars medica, humanâ industriâ comparata, superetur ab arte magica; sæpè tamen magica arte ea in hominis sanitate procuranda fiunt, quæ facilè etiam arte medica fieri poterant. Vtrùm autem in talibus liceat vti opera eius qui magicè effecturus est, si simul sit Medicus, dicetur Dubio 13.

Dico septimo. Aliquando qui putantur sanare virtute Dei supernaturali ex dono gratis dato, sanant morbos aut vulnera sine remedijs naturalibus vel propriè artificialibus, vt testatur Suarez sup. n.25. sed solùm verbis ad Deum deprecatorijs, cum signo Crucis, vel alio simili non superstitioso. Delrio lib.1. cap.3.q.4. eos ita describit, quasi contactu, sibilo, afflatu, aut osculo, vel nudi lintei appositione sanent. Addit ex eorum arcanis, quòd seruent modos tangendi certos, numerum, & alias cærimonias, quòd ad virtutem hanc exercendam multo vini potu opus se habere dicant, quòd soleant panem à se admorsum porrigere morsis à cane rabido, vel infectis toxico; quòd dicant se in præsentia alterius Salutatoris maiori salutandi virtute præditi sanare non posse: item naturaliter vnum Salutatorem ab altero cognosci, etiam aliàs numquam visum. Addit postremò, sibi compertum, per Salutatores illos plures sanatos, posteà in grauissimos dolores, & sæpè in morbos sæuiores incidisse, & vt plurimùm infaustum vitæ exitum sortiri. Idem lib.3. part.2.q.4. sect.7. dicit, eos affectare opinionem sanctitatis, cùm tamen Victoria, Nauarrus, & alij passim testentur, non solere eos esse vitæ probæ. Addit, omnia gratis dici curare, cum sola lintei applicatione; & certam verborum, qua vtuntur, formam, ad longum recensset. Raphaël de la Torre hac parte quæst. 96. art. 2. disp.7. dicit, vt plurimùm hos Salutatores vel gratia sanitatum non pollere, vel ea abuti, eò quòd vanas in curandi modo habeant obseruantias, quas necessarias esse dicant, & quòd vana quædam iam recensita iactitent, & insuper quòd dicant, omnes veros Salutatores habere impressa vestigia rotæ S. Catharinæ, & quòd septimo filio suo sine intermedijs feminis hæc virtus obtingat, & quòd in locis remotis gesta cognoscant absentes, denique quòd sine adustione possint prunas tractare, clibanum ardentem ingredi, &c.

Cete-

Cetertùm de his Salutatoribus ſub diſtinctione dicendum eſt. Vel enim promiſcuè omnes alios, ſiue ſanguine aut origine ſibi iuncti ſint, ſiue non ſint, eiuſmodi artem docent, certumq; id ſignum eſt, non eſſe donum naturale aut ſupernaturale, ſeu gratiam curationum, alicui certo hominum generi conceſſam. Neque enim naturalia dona aut gratiæ gratis datæ per doctrinam ita alijs communicari poſſunt, vt etiam ipſi incipiant eadem naturalia vel ſupernaturalia miracula facere: natura enim ad certa eſt determinata, neque diſpoſitioni vel voluntati hominis ſubiacet: gratias etiam gratis datas non homo, ſed Spiritus ſanctus diſtribuit ſingulis prout vult. Vel non docent neque diſcunt, ſed tamquam à Deo ſibi conceſſo dono vtuntur; & tunc aliunde reſtabit examinandum, an iudicandi ſint ſuperſtitioſi, an verò naturaliter vel ex gratia gratis data curare. Videndum enim in primis, quale initium eiuſmodi virtus habuerit, ànne interceſſerit aliqua ſaltem tacita inuocatio dæmonis. Secundò, Vtrùm vis ponatur in illis in quibus veriſimile non ſit naturam aut Deum operari hæc mira; verbi gratia, in nudi lintei applicatione, aut certa ligatura, aut certorum verborum pronuntiatione, aut panniculi cum certa benedictione alligatione: hæc enim hanc praxim magiæ ſuſpectam reddent. Suſpicionem etiam addit, ſi Catholicus non ſit qui exercet; imò tunc niſi virtus ſit naturalis, certò conſtiterit eſſe diabolicam, quia hæretici non faciunt hactenus miracula: imò etiam ſi Catholicus ſit, modò ſit improbæ vitæ, res manet valdè ſuſpecta, præcipuè ſi per modum doni permanentis videatur hoc beneficium habere: nam, vt benè ex D. Thoma & Victoria Suarez, licet interdum malis conferatur gratia aliqua gratis data, vix tamen ſolet conferri permanenter & quaſi habitualiter, & ad arbitrium ipſorum. Fieri itaque poteſt, vt quidam Salutatores liberi ſint à vitio ſuperſtitionis, non, vt Pomponatius & A Vera cruce volunt, quia per naturam hoc donum habeant: quæ enim poterit ea vis eſſe corporis humani, vt ſolo contactu ægrum ſanet, aut vulneri medeatur? Nam ad aſtrorum influxum recurrere nihil eſt aliud, quàm ad aſylum ignorantiæ confugere. Deinde non ſemper eſt idem aſtrorum influxus: conueniens itaque expectandus eſſet, quod neutiquam ipſos obſeruare videmus.

Adducunt, ſolo alterius aſpectu hominem poſſe faſcinari & in morbum deijci, itaque nec mirum, ſi tactu ſanari poſſit.

Reſpondeo, Antecedens non eſſe certum. Improbatur probabiliter à Delrio, & quibuſdam Medicis, quamuis ex D. Thoma ratione naturali & experientia illud defendat Azorius lib. 9. c. 25. Sed eſto, ſit aliqua faſcinatio naturalis, qua teneri infantes malè afficiantur, ſicut aſpectu menſtruatæ ſpeculum, ſi terſum & mũdum fuerit, inquinatur; an propterea naturalis quædam ex ſolo aſpectu ſanatio concedenda erit? Facilius eſt ſanitatis harmoniam turbare quàm reparare: multa naturaliter hominem excæcant, nihil repertum quod naturaliter poſſit plenè extinctum viſum reparare. Denique ſi naturaliter hæc fiant, quorſum tam multa tamquam neceſſaria adhibent, vt ex dictis patet, quæ naturaliter ad eiuſmodi effectum nihil conducant? Sunt quidem in rebus naturalibus quidam valdè occulti effectus, ſed tales, vt totam ſequantur ſpeciem, vt patet in torpedine piſciculo manum piſcatoris diſtantem torpore afficiente; remora piſciculo naues ſiſtente, quantumuis magnas; hyenæ vmbrâ canes mutas reddente; lupina chorda agninam in eadem cithara inutilem reddente; magnete ferrum attrahente. Reſtat ergo, vt qui excuſantur, donum habeant Dei ſupernaturale; omnis enim obſeruatio, cuius effectus expectatur aliter quàm per rationem naturalem, vel per diuinum miraculum, vt de pacto dæmonum ſupecta debet reprobari, vt habet doctrinale iudicium Academiæ Pariſienſis apud Gerſonem Opuſculo contra imagines aſtronomicas. Supernaturale donum quibuſdam Dei beneficio concedi credibile eſt, & hoc modo iſtos Salutatores excuſat Nauarrus Enchiridij cap. 11. num. 36. ex Margarita Confeſſorum. Verùm ſæpè ſubeſſe iſti praxi ſuperſtitionem, omnino verendum eſt, vt benè monuerunt Victoria & Raphaël de la Torre; & vt etiam videtur velle Suarez, non ſunt abſoluendi qui intendunt vti hac arte, duobus concurrentibus: vno, quòd adhibeant illa quæ non apparet quomodo naturaliter aut vt diuina ſigna operentur: altero, quòd ea promiſcuè diſcatur, doceatur, & exerceatur validè à quibuſuis. Neque refert, quòd verba quæ adhibent, valdè ſancta ſint; quia etiam magi valdè ſancta verba adhibent, vel ad fraudes ſuas occultandas, vel vt ſimplices illaqueent faciliùs, & damnabiliùs perdant, vt habet alius articulus Pariſienſis. Nam, vt benè Gerſon, *Quò verba ſunt ſanctiora, eò maioris flagitij eſt abuſus*; tum etiam quia ſolent & nudi lintei applicationem adhibere, quæ à ſuperſtitione non æquè facilè excuſatur. Obſeruatio autem in centum particulis ſancta, ſi in vna particula ſit vana, tota eſt ſuſpecta & infecta, vt habet quædam propoſitio Gerſonis ſuprà. Tum denique, quia non eſt veriſimile, Deum verbis illam vim dare, vt à quocumque edocto prolata, ſanitatem conferant; fides potiùs in Deum, quæ ad miracula plurimùm valet, requirenda erat, & in diſcipulis huius artis exigenda. Itaque quamuis per ignorantiam Salutator fortè excuſetur, exigendum tamen erit in pœnitẽtia ab eo propoſitum abſtinendi. Neq; enim poteſt quaſi ex dono ſupernaturali certam promittere ſanitatem, qui de Dei promiſſione tali incertus eſt, quamuis eiuſmodi ars publicè toleretur, eò quòd de Dei dono non venire, exploratum ſatis non ſit. Sanè non videtur eam D. Auguſtinus probaturus fuiſſe, qui lib. 2. De doctrina Chriſtiana, cap. 20. ad ſuperſtitionem reijcit ligaturas & remedia, quæ Medicorum quoque diſciplina condemnat. & cap. 23. ad ſocietatem dæmoniorum dicit pertinere omnia imaginaria ſigna, quæ ad remediorum aliarumque obſeruationum curam ſpectant, quæ non ſunt ad dilectionem Dei & proximi tamquam publicè conſtituta, ſed per priuatas appetitiones rerum temporalium corda diſſipant miſerorum.

Dices, Veriſimile eſſe, ex alicuius Sancti merito prouenire eiuſmodi gratiam, qui fortè apud Deum promeritus ſit, vt quicumque à ſe vſurpatam eiuſmodi orationem aut pium opus adhibuerit, talem conſequatur effectum.

Reſpondeo, Vt certò inde effectum promittas,



tas, ſicuti iſti Salutatores faciunt, oporteret te certum eſſe de eiuſmodi perſuaſione. Neque enim damnandus eſt, qui pia fiducia ex meritis alicuius Sancti ad bonum opus felicem euentum ſperauerit, ſine certitudinis præſumptione. Probent ergo coniecturam, & deſiſtant à certi effectus præſumptione.

*De forma qua vtuntur in ſanando animali.*

Secundò, Hîc examinanda eſt forma, quam proponit ſanandi bouis aut alterius pecoris Felix Malleolus, ex qua vna omnes ſimiles noſcendæ; eſt verò talis: *Si virgo Chriſtum peperit, liberetur hoc animal hac paſſione in nomine Patris*, &c. Quæritur, An liceat hoc modo ſanare animalia? Licere, ſuſtinet ille Malleolus, & pluribus argumentis conatur probare; at ſanè ita friuolis, vt confutatione non indigeant, quamuis ea Delrio confutauerit: tali enim aſſertione & ſimilibus alijs meruit iſte Felix, infeliciter Theologica tractans, cùm Iuris eſſet peritus, annumerari auctoribus interdictæ lectionis. Euidens enim eſt, eſſe ſuperſtitioſum, certò promittere animalis ſanitatem ad recitata eiuſmodi verba, cùm talem promiſſionem per ſe aut per alium Deus nuſquam feciſſe legatur, neque Eccleſia tale quid approbet, aut tradat à Deo profectum; vt meritò iudicio Epiſcopi Spirenſis & peritorũ Studij Heydelbergenſis ante cẽtum annos eiuſmodi doctrina tamquam erronea damnata ſit: qui enim eiuſmodi forma vtitur, virtute quidem magus eſt, quia ſcire debebat, à dæmonis pacto eiuſmodi curationem venire, formaliter autem Dei tentator, in quem quadret illud Iudith 8. *Qui eſtis vos qui tentatis Dominum? Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei.* Hactenus de ſanitate ſuperſtitioſè quæſita.

*Malefici facilius nocent.*

Dico octavo. Necem vel morbum certiùs multo malefici inferunt. Hoc enim eorum proprium: nam corpus non ſanant, niſi vt animam occidant. Hoc etiam manifeſtum, dæmonis vires non excedere: cùm enim morbi ex cauſſis naturalibus omnes oriri poſſint, quas facilè adhibere poteſt, facile etiam ei eſt ipſos inferre, vt mirum ſit, Hippocratem, Auicennam, & alios quoſdam Medicos ideò negare à dæmonibus infligi morbos, quòd ex naturalibus cauſſis omnes oriri poſſint. Dubium itaque hîc nullum eſſe poteſt, & ſi quod eſſet, experientia quotidiana, aut ſaltem Scriptura ſacra adimeret: nam B Iob varios grauiſſimoſque morbos ſatan inflixit, ſola lingua intacta, filijs etiam eius necem intulit, exterminator angelus primogenitos Ægypti necat, Aſmodæus maritos Saræ, ſpiritus malus atra bile diuexat Saul, angelus ſatanæ colaphizat Paulum. Idem patet in lunatico, Matth. 17. ſæuam lycanthropiam cauſſabat legio dæmonum in quodam, Lucæ 8. Mulierem incuruatam vexabat dæmon octodecim annis conuulſione ſpinæ dorſi, Luc. 13. incæſtuoſus Corinthius traditur ſatanæ in interitum carnis, 1. Cor. 5.

*Dæmon multa potest per magos quæ vi non permittentur.*

Dico nono. Dæmon multa in his maleficijs per ſagas poteſt, quæ per ſe non permitteretur facere: Deus enim pauciora dæmoni in hominem permittit, noſtro generi cõſulens ſua tutela & Angelorum cuſtodia. Ratio eſt, vt hinc Dei bonitas, inde hominum malitia oſtendatur. Ita Victoria Relect. De arte magica, & Suarez c. 17. Verbi gratia, ſi homo hominem ſuadente diabolo veneno vel gladio tollere velit, ordinaria quaſi lege Deus id permittit, & niſi permittat, ad miraculum quodammodò pertinet impeditio: ſi verò dæmon id velit, ordinaria Dei lege quaſi impeditur. At ſi homo hoc per dæmonem velit, mixto modo Deus ſe habet: quamuis enim non tam ordinaria hîc ſit Dei permiſſio, ac eſt quando per ſe homo nocet homini, & quaſi adhibita ſpiritali nequitia, ſingulari etiam cuſtodia bonorum Angelorum Deus in ſubſidium veniens hominem defendat; eſt tamen maior, quàm dum per ſe ſolum vult nocere dæmon. Hinc fit, vt ſæpè effectus magici in illis impediantur, qui ſe peculiariter diuinæ cuſtodiæ commendarunt, aut aliàs commendati ſunt.

*Duobus modis nocent vel iuuant Magi.*

Dico decimo. Morbos auferunt aut inferunt ſagæ duobus modis: Vno, applicando naturalia agentia; idque vel magicè, vel naturaliter tantùm. Magicè ſi dæmon ea tunc quando applicanda ſunt doceat aut etiã adferat, & in ipſa applicatione dirigat. Non magicè, ſi priùs ea didicerint, etiam à dæmone, nunc autem independenter ab eo ſine vllo ipſius concurſu vtantur.

At quid ſi naturale toxicũ præbeat homini vel animali vt obediat dæmoni magus, quia fortè dæmon in conuenticulo magorum concluſit tale aliquid faciẽdum eſſe, crimine hoc magicè operari?

Reſpondeo, Tale flagitium, tamquam maleficium diabolicum, à Iudice punietur, quia maleficium eſt ratione noxæ, & diabolicum eſt ratione pacti ex quo originaliter procedit, non eſt tamen actus artis magicæ elicitus, ſed tantùm imperatus, alioqui etiam magicus eſſet actus, quando naturali modo pedibus proficiſcitur magus ad conuenticulum.

*Quibus ſignu vtantur.*

Altero qui vſitatior eſt, vtendo ſignis quibuſdã ad quæ dæmon vel per ſe motu locali, vel turbatione interioris diſpoſitionis corporis, vel corporali poſſeſſione, vt mox docebimus; vel deniq; applicando actiua paſſiuis, mirè hominem diuexat, vel vexare deſinit aut ſanat. Sic aliquando terra ex prima congregatione, vbi dæmoni homagiũ præſtiterunt, ſublata, ad maleficia ſua vtuntur; aliquando infantis ad hoc occiſi & liquati iuſculo: ad maiora etiã rebus ſanctiſſimis, adeoque, quod horrendum eſt, ipſo venerabili Sacramento; aliquando imagunculis ex cera vel alia materia confectis: prout enim illas pungunt & transfigunt, ita is pungitur & transfigitur quem cruciatum volunt. Aliquando characteribus, aliquando verbis, aliquando rhithmis & carminibus, aliquando ſub limine oſſa, glomos crinium, ſerpentes, bufones, aut ſimile quid occultè ponunt: aliquando vtuntur ſola aliqua ligatura, aliquando ſolo attactu, afflatu, aſpectu, laude, &c. aliquando puluere nigro ad nocendum, albo ad ſanandum, & mille alijs modis. Sæpè etiam quando magicè ſanant, ſimulant ſe quędam naturalia remedia adhibere, & differunt ſanationẽ, ne dolus prodatur, vt teſtatur Remigius lib. 3. Dæmonolatriæ, cap. 3.

*Faſcinatio.*

Cetertùm ex modis iſtis magicis de quibuſdam dubium mouetur, Vtrùm ad ſignorum adhibitionem, an ad cauſſarum applicationem pertineant, qualis in primis eſt faſcinatio & figuræ ſeu imagines Aſtronomicæ?

Dico vndecimo. Non eſt improbabile, vt ſuprà diximus, eſſe aliquam faſcinationem quæ pertineat ad magiam naturalem; vulgò tamen quæ intelligitur, ferè eſt ſuperſtitioſa & ad magiam dæmoniacam reijcienda, proximè ni-

tens signo vim habente ex pacto diabolico. Ita sentit D. Basilius Homilia De inuidia, vbi eos refutat, qui existimant, solo aspectu inuidos quasi fluxione quadam ex oculis diffluente, bonam habitudinem inuisi defloratę; puratque potiùs ad dæmonis operationes eiusmodi fascinum pertinere, quod verius est: visus enim non fit emittendo, sed species visibiles recipiendo, vt habet præcipuorum Peripateticorum opinio.

*Imagines Astronomicæ. Opinio Caietani.*

DICO DVODECIMO. Probabile non est, virtutem aliquam naturalem ad effectus magicos habere imagines illas Astronomicas. Sentit Caietanus, imagines istas duobus modis esse considerandas: semel vt quoddam corpus artificiale, aut cum certis quibusdam characteribus, quatenus arte fiunt; & sic fatetur eas vim non posse habere, nisi ex pacto dæmonis, tamquam nuda signa. Aliter, vt effectus quidam sunt cæli, ad ipsarum productionem cõcurrentis; quomodo existimat vim habere naturalé ad miros istos effectus, atq; adeò sic licitum esse earum vsum & obseruationem. Figuram enim, verbi gratia leonis in auro, sub tali sidere efformatam, singularem vult habere virtutem, & esse quasi secundam quamdam stellam, propter conformitatem ad tale sidus. Sed est ridiculum, vt diximus Dub. 1. estque contra D. Thomam hîc ad 2. & 5. Contra Gentes, cap. 105. & alibi. Item contra D. Augustinũ li. 10. De ciuitate Dei, cap. 11. Chrysostomum Homilia 8. in Epistolam ad Colossenses; cõtra Tridentinum in Indice librorum prohibitorum; Sixtum Senensem lib. 2. Bibliothecæ. Ex professo scripsit contra eos Gerson, qui inter alia rectè vrget, characteres & figuras, vt tales, ex caussa naturali non plus habere efficientiæ, quàm entia merè Mathematica, in quibus secundùm Philosophum nec bonum est nec finis. Denique confutatur hæc opinio Primò, Quòd in cælo nulla sit figura, leonis verbi gratia, aut virginis; & vt esset, cùm ea numquam sit visa, numquã à Deo reuelata, nullus potest eius obseruandæ esse vsus, cùm obseruari nequeat. Secundò, Esto, sit & possit obseruari; negandum tamen vim aliquam ex ea deriuari ad terrestrem imaginem: in cælo enim ipsa figura vim nullam habet; & vt haberet, non eam cõmunicaret imagini: non enim concurrit vt figuratum ad talem imaginem, alioqui non posset fieri imago leonis, nisi sub signo leonis. Cùm ergo semper fieri possit, sempereamdem vim habebit.

*Obiect.1.* Dicet Caietanus, Figuram aliquid facere ad faciliorem motum, item in viuentibus esse magnam partem organizationis.

*Resp.* Respondeo, Inde non sequi, ipsam per se esse actiuam, aut proprium agendi principium, ita vt iam aurum quod vim sanandi non habebat, habere eam incipiat, quia talis figuræ. Addo, neque probabile videri, virtutem sanandi, quæ fortè auro priùs inerat, figura iuuari, nisi fortè quatenus ad commodiorem ea fecerit applicationem.

*Obiect.2.* Objici etiam potest D. Thomas contra Gentes suprà, vbi dicit: *Potest aliquis dicere, quòd nihil prohibet, quin constitutionem figuræ, quæ dat speciem imagini, consequatur aliqua virtus ex influentia cælesti, non secundùm quod figura est, sed secundùm quod caussat speciem artificiati, quod adipiscitur virtutem ex stellis. Sed de litteris, quibus inscribitur aliquid in imagine, nihil aliud potest dici quàm quòd signa sint.* Hactenus D. Thomas.

*Resp.* Respondeo, D. Thomam ex sententia alterius hoc quidem proponere, sed non probare: imò ex dictis improbatum satis supponere. Ita ibi Ferrariensis. Addo, solùm voluisse D. Thomam ibi obtinere, quòd saltem vsus harum imaginum superstitionis conuincatur per adiunctos characteres, qui propriè sunt ad naturam rationalem directi indices, vt manifestum sit, non tam vim naturalem hîc esse quærendam, quàm significationem diabolici instituti & pacti agnoscendam; alioqui neque id negandum est, admodum modestè contra Astrologos agere D. Thomam, & vt monuit Gerson suprà, exemplo magistri sui Alberti, tantum tribuisse Astrologiæ, quantum ratio & vera Theologia admittit.

*De sagittariis magis.*

DICO DECIMO TERTIO. Probabile est, sagittarios, de quibus titulus est in Decretalibus, magorum quoddam esse genus, sagittis arte diabolica certò admodum directis noxam inferentibus. Id contra communes & gregarios, vt ipse vocat, Canonistas probabiliter opinatur Delrio, lib. 3. parte 1. quæst. 4. sect. 4. Probatur, Si Pontifex ageret de communi arte sagittariorum, non vocaret eam mortiferam & odibilem. Neque refert, quòd solùm eam prohibeat exerceri contra Christianos sub anathemate; ex hoc enim non habemus, aliter exercentes non peccare, aut etiam ab anathemate liberos esse, sed solùm hoc peculiare anathema non incurrere. Fateor tamen rem istam esse incertam; quia fieri potest, vt Innocentius III. cuius est Canon, damnauerit eos qui nouo aliquo genere sagittarum aut balistarum contra Christianos vterentur, quod præter modum consuetum esset noxium. Canon ita habet: *Artem illam mortiferam & odibilem balistariorum & sagittariorum, aduersus Christianos & Catholicos exerceri de cetero sub anathemate prohibemus.*

*Magi efficere possunt vt quis a dæmone possideatur.*

DICO DECIMO QVARTO. Negandum non est, posse magos efficere vt quis à dæmone occupetur, possitque iterùm sic obsessos liberare. Prima pars Probatur, Quia exemplis constat, Deum aliquando hoc permittere. Patet apud Hieronymum in Vita Hilarionis, apud Anastasium Nicænum, apud Theodoretum in Historia sanctorum Patrum in Macedonia, apud Sprengerum parte 2. quæst. 1. cap. 10. Tiræum De dæmoniacis, parte 1. cap. 16. Delrium suprà, sect. 7. Confitentur id dæmones quando eijciuntur; & sagæ, quando à Iudice torquentur. Sunt tamen aliqui DD. qui id fieri negent, quibus fauere Baronium ad annum Christi 68. videtur sentire Delrio. Sanè Baronius solùm ibi censet, non esse veram Anastasij narrationem, dum Simonem narrat inter alia quosdam dæmonibus per artem magicam subiecisse. Et omnino fatendum est, non tam facilè id posse magos ac alia damna & maleficia; non quòd dæmoni potestas desit, sed quòd à Deo non tam facilè permittatur hominem corporaliter occupare. Cautè tamen legendum quod idem Delrio dicit, Deum hoc non solere permittere, nisi ob graue aliquod obsessi peccatum. Moderatiùs & veriùs loquitur Tiræus, frequentissimè accidere, vt propter peccata sua hanc dæmonum carnificinam homines sustineant. Ita suprà parte 2. cap. 29. & cap. 31. ex Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, probat, interdum sine sua culpa homines à dæmonibus possideri. Delrio tamen fauet Augustinus lib. 4. De ciu. Dei, cap. 34. *Dæmones nisi quos fallendo deceperunt, possidere non possunt.* Item Cassianus Collat. 8. c. 19. sed exponi potest de ordinaria Lege. Moderatissimè de hac re loquitur D. Hieronymus Epistola ad Paulam De dormitione Blesillæ, qui inscrutabili Dei iudicio caussas eiusmodi vexationis putat relinquendas.



Dico igitur cum Raphaele de la Torre, quæstione 90. articul. 2. dispur. 21. sæpè propter peccata sua, aliquando propter aliorum, præsertim coniunctorum, aliquando etiam sine sua aut aliorum culpa actuali, homines à dæmone possideri. Peccata autem propter quæ dæmon homines inuadendi potestatem habeat, non sunt ita certa: constat tamen experientiâ, id factum propter infidelitatem, indignam Communionem, blasphemiam, luxuriam extraordinariam, & superbiam. Neque videtur ratio negandi, quòd per magos procuretur vt quis à dæmone possideatur: si enim ad imprecationem parentum dæmon possideat prolem innocentem, quid ni etiam ad imprecationem matris sagæ?

*Triplex genus maleficij.*

Per exorcismos non tam facilè liberantur illi energumeni, quos per maleficium dæmon inuasit; quia exorcismi non æquè valent contra maleficia ac contra simplicem diaboli possessionem. Quod vt intelligatur, notandum est, triplicis generis esse maleficia. Vnum est, in quo physicè dæmon totum facit; alterum, in quo physicè nihil facit; tertium, in quo partim solùm physicè operatur dæmon, partim actiua naturalia applicata passiuis. Explico singula. Primi generis maleficium erit, quando dæmon ad puncturas imaginis maleficiati ipsum cruciat. Secundi, quando per venenum aliquod dæmon intulit morbum, & recessit, relicto misero caussis naturalibus. Tertij generis maleficium erit, quando malum quidem dæmon inflixit per caussas naturales, sed persistit in nocumento, & ipsum nocumentum peculiari cura & assistentia sua conseruat. Contra primum genus multùm valent exorcismi, contra secundum nihil, contra tertium aliquid. Quamuis verò possessio hominis, quando est ex maleficio, videatur esse primi generis; difficilior tamen eius est curatio per exorcismos quàm simplex alia possessio, vel quia Deus facilius sinit hominem per hominem lædi quàm per solum dæmonem, vt diximus assert. 9. vel quia adulti per maleficium à dæmone possessi, numquam innocentes sunt, sicuti esse aliquando energumenos iam diximus: quam caussam attigit Raphael de la Torre q. 96. art. 2. disp. 13.

*Dæmon quomodo dæmonem ejciat.*

Altera pars clara est: discedunt enim à corporibus sic obsessis dæmones, vel remotis signis quæ magi remouere possunt, vel coacti potestate superioris dæmonis ad hoc à mago inuocati, vel nouo adhibito signo ex pacto dæmonis. Dæmonem enim aliquando per dæmonem eijci, res est certissima: hac enim arte Apollonius Tyanæus plurimos sibi discipulos conciuit; hac arte ipsum Christum Dominum vti, Iudæi calumniati sunt, quando eum in principe dæmoniorum dixerunt eijcere dæmonia: indeque nostram assertionem colligit Cassianus suprà.

Neque refert quòd Dominus videatur dicere, non pelli dæmonia per dæmones, nisi suum regnum dissolutum velint: loquitur enim de eiectione hostili sine conspiratione in eumdem finem, qui ad desolationem regni diabolici vergat, ad quam non tendit ea qua dæmonium à dæmone eijcitur; nam eiectionem suam ordinant dæmones ad maiorem hominis à fine suo auersionem, & maius regni sui stabilimentum. Vnde aliquando sic electo vno integra legio subingressa legitur. Verùm ad hostilem & sine conspiratione eiectionem pertinebat electio Christi, qua integram legionem simul pellebat, neque vllum redire sinebat. Sanè si ita dæmon vnus alium eijcere solitus fuisset, non tam diuturnum perstitisset regnum eius, sed diu ante Christi aduentum fuisset mutua dissensione dissipatum.

## DVBIVM IX.

### *Virùm sagæ impediant vsum matrimonij?*

*Magi impediunt vsum matrimonij*

TRACTANT hanc quæstionem Theologi in 4. dist. 34. aut ad Supplementum D. Thomæ, quæst. 58. art. 2. Canonistæ caussa 23. quæst. 1. cap. Si per sortiarias, & Extra. De frigidis & maleficiatis; Sprengerus in Malleo, parte 1. quæst. 8. & parte 2. quæst. 1. cap. 6. A Vera cruce in Speculo coniugiorum, 1. parte, art. 4. Delrius lib. 3. parte 1. quæst. 4. sect. 8. Sanchez lib. 7. disp. 94. Binsfeld. concl. 6. De confession. maleficorum; Raphael de la Torre, quæst. 96. art. 2. disp. 10.

DICO PRIMO. Potest dæmon & per dæmonem sagæ impedire copulam coniugalem. Fatentur omnes DD. exceptis illis quorum meminit D. Thomas suprà, refutatis qui omnes effectus magicos fictitios putant. Sanè si quis verus magicus effectus sit, erit iste adeò certa & quotidiana experiẽtia exploratus & deploratus. Patet ex dicto cap. Si per sortiarias, & toto titulo De frigidis & maleficiatis, suprà citato. D. Thomas Quodlibeto 11. art. 10. videtur dicere, quòd sit de fide, dæmonẽ posse impedire carnalem copulam. Reipsa impedire, supponit Innocentius VIII. cap. 4. De maleficis, in 7. Decretalium P. Matthæi.

*Quibus modis id fiat.*

Modos quibus impediatur vsus coniugij maleficio, quinque ferè antiqui Scholastici adferunt. Apud Palude ferè recensentur isti. Primus, *fiat.* Quo dæmon impediat corpora ne coniungi possint, nimirum vel ea distinendo diuersis locis, vel phantasmate interiecto, vel alio vero corpore. Secundò impedit, Refrigerando virum per virtutem rerum naturalium, quam optimè nouit: si enim virtute lapillorum, herbarum, radicum, succorum, aliisve pharmacis naturalibus homo seipsum, vt quidam Origenem feciſſe volunt, vel alium castrare vel euirare possit, quanto magis id potest dæmon, cuius potestati, addo etiam subtilitati, nulla super terram comparatur? Tertiò, Turbando imaginationem, ita vt mulier viro reddatur exosa, idque vel simpliciter, vel quando eam voluerit cognoscere. Quartò, Membrum malè afficiendo. Quintò, Prohibendo immissionẽ spirituum. At rectè fatetur Palude, etiam aliis id fieri modis. Certissimus est ille, quo mulier arcetur, aut dolore aliquo à concubitu impediatur, quod accidisse mulieribus domus Abimelech, putat Augustinus lib. 2. De nuptijs, cap. 15. aut quo semen prolificum exiccetur, aut membra interiùs ligentur & absondantur, aut præstigio adempta videantur: verè enim non adimi pater, quia à dæmone non possent restitui, sicuti restitui solent amotis signis. Hæ ferè caussæ proximæ. Ipsorum autem maleficiorum ritus innumeri sunt, & ex

dæmonis placito pendent. Formulas supra quinquaginta repetiri scribit Bodinus. Inuoluitur autem superstitio, quando dæmonis interuentu id fit, etiamsi solùm doceat applicare, aut applicet causas naturales; est autem immune hoc ligamen à superstitione, quamuis non à crimine, quando fit sola applicatione rerum naturalium sine interuentu dæmonis. Quare autem frequentiùs instrumenta generationis quàm alia hominis membra maleficio obnoxia sint, eam reddit rationem D. Thomas, quòd corruptio peccati, per quam homo factus est seruus diaboli, in nos per actum generationis deueniat. *Fortitudo enim eius in lumbis eius, & virtus illius in umbilico ventris eius*, Iob 40. adiuncta interpretatione Gregorij Homilia 13. in Euangel. Similem enim ob causſam, quia per serpentem diabolus mulierem tentauit, etiam in serpentibus crebrior est vsus maleficij, quasi in prioris facti memoriam. Huc pertinet quòd Asmodæus viros Saræ non in coniuio, sed in lecto occidebat: effrenis enim libido, quæ plerumque ad hunc actum vulgò pronuba esse solet, potestatem dæmonio facit, vt præmonuit Raphaël Tobiam.

At quare viri magis sunt obnoxij maleficio ligaminis quàm feminæ? Fortè quòd ex parte eorum principium actiuum generationis sit, & plus operæ ac apparatus in instrumentis qui faciliùs turbetur. Ita communiter DD. Sanchez huc etiam pertinere putat, quòd plures sint sagæ quàm magi.

*Impedimentum aliquando absolutum, aliquando respectiuũ.*

Dico secvndo. Maleficium ligaminis aliquando est absolutum, aliquando tantùm respectiuum; aliquando perpetuum, aliquando solùm temporale. Absolutum dico, quando nullam potest cognoscere. Respectiuum, quando à certa tantùm maleficiatus impeditur. Respectiuum frequentius esse, testatur ex Abulensi Sanchius. Patet tota ilta assertio ex Can. Si per sortiarias, suprà citato, & cap. finali, De frigidis & maleficiatis, ex Honorio III. Rationem reddit prioris partis D. Thomas. Vnam, Quòd dæmon sit causa voluntaria, non ex naturali necessitate agens: alteram, Quòd quando ex parte imaginationis est impedimentum, facilè fiat, vt ea virum moueat ad vnam mulierem, non ad aliam. De posteriori parte disputatur, quando De matrimonio: nisi enim impedimentum maleficij sit perpetuum, non potest dirimere contractum matrimonium. Tam absolutum autem quàm respectiuum posse esse perpetuum, facilè ostenditur. Fieri enim potest, vt omnibus licitis remedijs adhibitis, tolli nequeat eiusmodi impedimentum: vel enim coniuges ignorant signa quæ posita sunt, vel ea auferre non possunt, vel sine nouo maleficio sciri, adeoque tolli non possunt, vel etiam pactum dæmoniacum hoc habet, vt perpetuum sit ligamen; vel si temporale sit, fortè magus iam eius est oblitus, vt etiam ipse tollere noxam non possit: imò ea lesio facta esse potest, vt ne dæmon quidem sanare possit, adeoque maleficium iam excedat modum ligaminis, & fiat impotentia. Dum multa autem incerta hîc intercurrunt, præsumit hanc perpetuitatem Ecclesia, post triennalem omnis remedij legitimi experientiam frustratam, dicto cap. finali, De frigidis & maleficiatis.

Quæres, Vtrùm hoc maleficio tantùm impediri soleat coitus licitus coniugalis?

Respondeo, Vix aliter solere accidere, sentit Raphael sup. disp. 11. Sed constat etiam illicitos concubitus, præsertim cum certa persona, hoc maleficio interdum impediri.

## DVBIVM X.

### *Vtrùm dæmones magis aut sagis succubi fiant & incubi, & vtrùm inde queat proles generari?*

Primo examinandum, Vtrùm aliquando verè exerceant copulam carnalem magi vel sagæ cum dæmonibus, an verò semper in his eludantur, vt vel non sit vera copula, vel non sit verè dæmon cui commiscentur? Quorumdam sententia est, merum esse præstigium, & nihil vmquam tale verè contingere. Ita Plutarchus in Numa, quidam sagarũ patroni, Ponzinibius, Cardanus, Baptista à Porta, & similes, quibus & alij ex sectarijs accedunt, vt Scribonius, & Fichardus. Fauent etiam quidam Medici, qui spurcum hunc dæmonis congressum in naturalem morbum conantur mutare, quem dum succubus est dæmon, hyphialtem; dum incubus, ephialtem appellant.

*Dæmon aliquando fit succubus aut incubus.*

Verùm opposita sententia, quòd verè aliquando hanc turpitudinem exerceant dæmones cum magis aut sagis aliisve mulieribus aut viris, omnino certa est & communis. Tenet eam Augustinus lib. 15. De ciuitate Dei, cap. 23. vbi dicit, esse impudens hoc negare. Scholastici in 2. dist. 8. D. Thomas 1. parte, quæst. 51. art. 3. ad 6. ex recentioribus Binsfeldius conclus. 5. De confess. maleficorum; Innocentius VIII. in Bulla contra maleficos, quæ exstat in 7. Decretal. edito per P. Matthæum, Sprengerus parte 2. Mallei, quæst. 1. c. 4. Delrio lib. 2. quæst. 15. Spinæus quæst. De strygibus, cap. 6. Auctor Dæmonomaniæ, lib 2. cap. 7. Grillandus lib. De sortilegijs, Remigius lib. 1. Dæmonolatriæ, cap. 6. Ioannes Nider in Formicario, cap. 10. Exemplum est in Vita Pachomij Abbatis, cap. 9. Probatur ratione. Constat Angelos posse naturali virtute formare sibi corpora ex aëre aliáve elementari materia ita affabrè condensata ac dispositа, vt etiam pedes eis lauari possint à manu non deprehendente carnis imitationẽ, vt comedere videantur, sicut ex Genesi & Tobia patet. Poterunt ergo in assumptis eiusmodi corporibus mali angeli carnalem actum imitari: & quamuis eum non per omnia assequantur, quia verè vitalem non exercent, sicuti neque verè comedunt dum id simulant; motum tamen sensibilemque actus illius substantiam exhibere possunt, ea ipsa virtute naturali, qua pro suo in corpora quoad motum localem dominio, similia alia factitant. Si exercere hunc actum sic possint, & velle interdum, non est cur dubitetur, cùm norint eiusmodi exercitium plurimùm ad finem suum conducere, vt nimirum fœditati eiusmodi implicitos homines à Deo auertant, sibique adiungant: nullum enim peccatum maioris est adhæsionis, & difficilioris correctionis, aut maioris illecebræ, nullum quod æquè secundùm corpus simul & animam hominem coinquinet, vt per illud meritò dicat Apostolus 1. Corinth. 6. hominem in corpus suum peccare. Non est ergo cur fides negetur narrationi omnis ætatis, omnis conditionis, vtriusque sexus hominibus quàm plurimis, qui de hac fœditate testimonium ferunt, quo pleni sunt libri eorum qui de magicis rebus scripserunt: pari enim forma id testantur viri graues, ne putentur aniles fabulæ. Idem similiter testantur etiam plenè conuersi magi, ne qua dæmonis fraus putetur subesse.



*Obiect. 1.* Verùm pro contraria opinione obijcitur Primò auctoritas veterum, qui refutarunt illum intellectum loci Geneſis 6. quo secundùm lectionem quamdam Septuaginta interpretum, Angeli Dei videntur appetijsse mulierum concubitum & peregisse. Serenus Abbas apud Cassianum, Collat. 8. cap. 21. *Nullo*, inquit, *modo credendum est, spiritales creaturas coire cum feminis carnaliter posse.* Chrysost. Homilia 22. in Genesim, plura in hanc sententiam dicit. Primò, Non esse possibile, incorpoream naturam habere concupiscentiam concumbendi cum mulieribus: in resurrectione enim quando non nubent neque nubentur, homines dicuntur similes futuri Angelis Dei. Secundò, Incorpoream naturam non debere existimari corporibus carnali copula misceri. Tertiò, Corpoream naturam non posse cum incorporea voluptuarium actum exercere, eò quòd ea vel conspecta, homo soleat horrorem concipere, vt patet in Daniele cap. 10. cuius ad visionem Angeli compages dissolutæ, vires omnes ablatæ, halitus intercluſus. Item vrgetur auctoritas Epiphanij in hæresi Gnosticorum, quæ est 26. cuius hæc sunt verba: *Quando Elias, inquiunt, assumptus est, rursus deiectus est in mundum; venit enim, inquiunt, vna ex dæmonibus, & tenuit, & dixit ipsi: Quò vadis? habeo enim liberos à te, & non poteris ascendere, & hîc dimittere liberos tuos. Et dixit, inquiunt, Elias: Vnde habes liberos à me, cùm ego in castitate vixerim? Et dixit illa, inquiunt: Certè quando insomnia somnians, sæpè in defluxu corporum euacuatus es, ego eram quæ assumpsi à te semina, & genui tibi filios.* Hanc stultitiam refutans Epiphanius, vrget, improbabile videri, incorporeum spiritum carnalem actum exercere.

*Resp.* Respondeo, Veteres illos circa locum Geneſis meritò in aliorum commentarijs improbasse, Primò, Quòd incorporea natura carnali libidine exarsisse diceretur in filias hominum. Secundò, Quòd vitali actu seminasse putaretur instar virorum, aut sine assumpto corpore per se verè concubuisse. Tertiò, Quòd diceretur ita concubitum peregisse, vt ex suo quasi semine mulieres imprægnauerit. Similia dicunt occasione illorum verborum 1. Corinth. 11. *Ideò debet mulier velamen habere supra caput, propter Angelos*, contra prauum intellectum quorumdam, de quo videndus Tertullianus De velandis virginibus, cap. 7.

Ad horrorem quem Chrysostomus allegat, respondeo Primò, Sagas sine horrore dæmonibus misceri posse propter assumpti corporis venustatem & familiaritatem quam cum eis habent. Secundò, Aliquando potest mulier cognosci à dæmone, quem verè putet esse virum. Tertiò, Esto, intercedat nonnullus horror, non inde sequitur, saltem inuitas non posse ab illis satyris mulieres cognosci.

Ad Epiphanij locum respondeo, Meritò ipsum in Gnosticis damnare, quòd sexum virilem aut femineum in dæmonibus distinguebant, quo carnalem actum etiam sine assumpto corpore exercere valeant: quò etiam pertinet quod Psellus ex Marco quodam, & ex Psello Ludouicus Viues, ad dictum locum Augustini refert, dæmones saltem quosdam semen iacere, habereque membra genitalia, sed non instar hominum, &c. Verùm licet hæc tamquam fabulosa rectè reijciantur, inde tamen non sequitur, non posse dæmones in assumpto corpore vt humanam carnem, ita & carnis actum imitari, & verè modo iam explicato mulieribus aut viris copulari: quod illustratur, Quia etiam de anima viri separata dici posset, quòd copulam per se exercere non valeat, cùm sit natura spiritalis. Differentia tamen est, quòd animæ saltem in radice vel virtute potentiam generandi, quæ distinctionem sexus postulat, habeant, non autem dæmones.

*Obiect. 2.* Secundò obijcitur, Si carnaliter copulentur mulieribus, vel hoc faciunt vt suæ, vel vt mulierum libidini satisfaciant. Prius illi dicunt, qui asserunt plus à dæmonibus appeti eas quæ capillatura sunt præstantiores. Sed improbabiliter, semel eo posito, quòd Intelligentiæ separatæ nullo carnalis libidinis irritamento capi possint. Posterius alij asserunt, qui etiam inde rationem petunt, quare plures mulieres quàm viri sese dedant magiæ, & quare deformes vetulæ potiùs sint sagæ, quòd nimirum maribus despectæ saltem dæmones inueniant maritos. Ita Daniel Malonius in 2. dist. 7. disp. 3. Verùm neque istud rectè dici videtur; quia etiam probis mulieribus contra voluntatem, improbi aliquando dæmones fuisse deprehensi sunt, ipsiſque sagis referuntur aliquando vim inferre frustrà contranitentibus. Itaque parum sibi constat hæc coniectura.

*Resp.* Respondeo, Generalis finis dæmonum est, vt adulterent imaginem Dei, & quacumque ratione fœditate tali commaculent; interdum libido mulierum accedit: quamuis subinde insuaui hoc congressu ea illudatur, numquam subest carnalis libido ipsius dæmonis. Quamuis enim hoc vitio maximè delectetur, vt sæpè PP. testantur, & inter alios Cassianus suprà citatus; obiectiuè tamen id capiendum est, quatenus in hominibus id inuenit aut procurat, & vt sit, quouis modo adiuuat; cuius rei signum suggerit idem Cassianus, quòd numquam legantur dæmones inter se eiusmodi turpitudinem exercuisse, quod eò magis mirum, quia incubi & succubi vtrumque sexum in assumpto corpore mentiuntur. Quare autem plures sint sagæ quàm magi, si aliqua ea sit ratio, quæ fortè inde possit peti, quasi mascula dæmonum natura potiùs quàm feminea sit, ideoque in turpitudinis societatem solicitet potiùs feminas: sanè certior est, quæ petitur à sexus infirmitate, minori iudicio, maiori superstitione, vindictæ studio, impatientia, & similibus, propter quæ etiam primæ mulieres apud Romanos venena propinasse leguntur apud Valerium Maximum. Adde quòd per mulierem initium factum sit peccati. Sicuti enim serpentes ex animantibus faciliùs incantantur, vt superiori Dubio diximus, quia dæmon abusus est serpente in deceptione humani generis; ita fieri potest, vt quæ prior fraudi succubuit mulier, sicut alijs ærumnis, ita etiam huic malo præ viro magis sit obnoxia. Quod de capillatura additur, Niderius ex Guilielmo Parisiensi testatur ita esse, sed rationem reddit, quòd nimirum puniatur hac ratione extrinsecus composita capillatura contra D. Petri monitum, vt terreantur à tali modo prouocandi viros, quo in tam

fœdum sui ludibrium, Deo iustè permittente, etiam dæmonas prouocent.

Dices, In Græco textu Tob. 6. dicitur, dæmonium adamasse Saram, cuius septem maritos occidit.

Respondeo, Non dicere Scripturam quòd amauerit, sed dicit Tobias se hoc audiuisse: audiuerat autem hoc vulgò ex falsa opinione iactatum, quasi ideò maritos occiderit dæmon, quòd eos tamquam riualis odisset. Ita ibi Serrarius.

*Obiect. 3.* Tertiò objicitur, Affines huic morbo esse hyphialtem & ephialtem, & fieri posse, vt hac similitudine homines illusi decipiantur.

*Resp.* Respondeo, Si malè affectis hæc tantùm euenirent, plus istud haberet probabilitatis: nunc autem sano omnino corpore, sine vlla humorum perturbatione in vigilia, vix finita insolenti saltatione, quæ non nisi à validis fieri queat, hæc accidere, etiam fide dignissimi testantur. Deinde quæ morbi passio esse potest, quando magus cum succubo dæmone scelus illud patrat?

*Obiect. 4.* Quartò objicitur, Magos profiteri hanc artem, vt mulier quæ semel cognoscitur, existimet sæpiùs id fieri. Ita refert Niderius.

*Resp.* Respondeo, Non negamus possibilem, sed non credimus semper subesse eiusmodi illusionem.

Quæres, Vtrùm in hoc nefario congressu sit peccatum Sodomiæ?

Respondeo, Ex toto genere peccatum illud esse Sodomiticum. Dæmon enim, cum quo committitur, est extra speciem humanam, ideoque sagæ etiam vt Sodomitæ essent puniendæ, vt docet Delrio lib. 5. sect. 16.

Quæres Secundò, Vtrùm insuper præpostera Venere etiam vtantur?

Niderius in Formicario cap. 10. ex Guilielmo Parisiensi testatur, numquam dæmonem sub viri specie cum viro copulari; alibi etiam à menstruata abstinuisse, refert Binsfeldius sub finem conclusionis 5. fortè Deo vel hac ratione fœditatem illius vitij ostendente, à quo & dæmon abhorreat. Conatum tamen in contrarium, refert Remigius Dæmonolatriæ lib. 1. cap. 6. Alteram sanè huius nefandi vitij speciem extra vas debitum satis familiarem esse dæmoni, locuples testis est Paulus Grillandus De sortilegiis. Itaque etiam de hoc Confessarij & Iudices sint solliciti.

*An ex incubo possit generari proles.* Quæres Tertiò, Vtrùm vmquam generetur proles ex diabolico isto congressu, quando dæmon est incubus? Poterat seorsim disputari hìc de actu & potentia, sed non est necessarium, quia cùm faueant historiæ parti affirmanti, qui negant factum, ideò ferè negant, quia putant impossibile. Solùm ergo videamus, ánne reuerà debeat hoc censeri impossibile?

*1. sententia.* Vna sententia dicit, Esse impossibile, dæmonem incubum ex humano semine, quod excepit succubus, procurare veram hominis in femina per suam copulam, sine alia copula viri, generationem.

*2. sententia.* Altera dicit, Id esse possibile. Vtraque sanè probabilis.

*Pro sententia negatiua argum. 1.* Pro priori facit Primò, Quòd vix imaginabile sit, quomodo spiritus qui in semine necessarij sunt ad hominis generationem, dæmon in hac translatione conseruare queat, donec per copulam & quasi factitio congressu mulierem fecundauerit. Videntur enim isti spiritus continuò à corde viri debere immitti, sicut radij à sole, ita vt etiam in conseruari dependeant ab influxu cordis, quatenus sunt prolifici. Secundò, Verius est, saltem viribus naturæ sine Dei miraculo non perfici hominis generationem, nisi etiam seminante muliere: vnde & pollutionis seu mollitiei peccatum admittere mulier potest; & in confesso est, eiusmodi seminis resolutione ardorem libidinis remitti, ad eum modum quo remitti consueuit, fluxu ad conseruationem speciei destinato. Verior enim est & communior Medicorum & naturalium sententia, fœtum non tantùm ex sanguine formari tamquam materia, sed etiam ex semine femineo & virili, quo ad partes solidiores, quales sunt venæ, arteriæ, nerui, & similes, quæ facilius ex re solidiori & viscosa, cuiusmodi semen est, quàm ex sanguine formantur: necessarium ergo semen mulieris. Atqui verisimile non est, frigido illo & inepto congressu eius seminationem posse prouocari ea celeritate, vt citiùs non dissipentur spiritus necessarij in semine virili, quos facillimè dissipari argumento sunt tot irritæ copulæ, etiam inter virum & mulierem. Accedit quòd calor seminis prolificus facillimè sit exspirabilis, calori siderum affinis & cognatus, dissimilis calori igneo, adeò vt artificioso dæmonis fomento non videatur posse vel ad breuissimum tempus conseruari. Tertiò, Talis infantis 3.
dæmon non esset pater; ergo non debet dici posse generare. Quartò, Dæmon vt suprà diximus, non 4.
potest producere vllum animal perfectum; ergo multò minùs hominem. Quintò, Experientiâ sagarum constat, semen quod dæmones adferunt, 5.
semper esse frigidùm: atqui tale non potest non esse sterile. Sextò, Nulla est experientia in contrarium 6.
quin ad eam probabiliter possit responderi. Vel enim potest verè magus à dæmone translatus & præstigiosè transformatus muliere abuti, vel in partu substitui aliunde puer, quem cambionem inde nuncupent: vel ipse dæmon vt maritum egit, ita & prolis potest vices subire. Septimò, Indignum videtur, Deum infundere animam rationalem ad eiusmodi diabolicum congressum, & 7.
perficere opus diaboli. Demum metus & horror 8.
qui hìc non desunt, solent impedire conceptionem. Propter hæc & similia argumenta hanc sententiam tenent Vlricus Molitoris, cap. 10. De pythonicis mulieribus, & Remigius lib. 1. Dæmonolatriæ, cap. 6. Dubitat autem hac de re Pererius lib. 8. in Genesim, disp. 3. vti & Scotus in 2. dist. 8.

*Verior sententia affirmatiua.* Alij tenent, ex hac copula posse generari verum hominem, cuius pater non sit dæmon, sed ille cuius est semen. Hæc sententia valdè antiqua est: ita enim olim tenuisse Ægyptios, testatur Plutarchus suprà citatus. Sequitur eam D. Thomas in 2. dist. 8. art. 4. & fauet 1. parte, quæst. 1. art. 3. ad 6. Tenent etiam Bonauentura art. 3. quæst. 1. Ægidius Romanus art. 2. quæst. 1. qui dicit esse certam; Petrus de Aquila, eadem dist. Malonius disp. 7. Sprengerus part. 2. quæst. 1. cap. 4. Serrarius in 6. caput Tobiæ, Molina 1. part. q. 50. art. 1. Delrio lib. 2. quæst. 15. Binsfeldius suprà concl. 5. & alij Theologi communiter; quamuis vt testatur idem Binsfeldius, Iurisconsulti & Medici quidam Theologiæ ignari contradicant. Probat Primò hoc D. Thomas auctoritate, Quia multi



multi ita dicant, & quod multis videtur, non possit omnino falsum esse, secundùm Philosophum 7. Ethicorum. Secundò probat Bonauentura, quia industria qua valent singulari, possunt dæmones ad breue tempus, quo hìc opus est, semen in suo vigore conseruare. Quod confirmatur, quia subtilitas & altitudines satanæ magnæ sunt & inscrutabiles, & super terram non habet parem sibi in potestate, vt indicatur Apocalyps. 2. & Iob 41. Vnde & D. Augustinus lib. 3. De Trinitate, cap. 9. exaggerat subtilitatem & celeritatem, qua Angeli seminibus animalibus congruè applicatis, vt industrij in hoc genere agricolæ, non quidem animalia producant, sed faciant vt producantur. Tertiò probant Malonius, Serrarius, Delrio & alij varijs exemplis. Leguntur enim in historijs quidam ex concubitu dæmonum generati. Ita de Hunnis eorum historia refert, quòd ex strygibus Gothicis & Faunis nati sunt. Arcturum & Merlinum ex incubo progenitos, vetus narrat historia. Omitto quòd similia reperiuntur de Homero, Hercule, Alexandro Magno, Ænea, Seruio Tullo, & Semideis. Item de vniuersis incolis insulæ Cypri apud Niderium suprà. De Luthero mater id fassa, ipse non negauit, vt soler, contentiosiùs: solùm respondit hoc objicienti Cochleo, fieri non posse vt qui mulieris sit filius, ex incubo sit procreatus. Ita ipse in Symposiacis. Addit Petrus de Aquila, fortè etiam Antichristum ita generandum. Quartò, Ad faciliorem huius rei fidem facit, quòd matrix vim habeat attrahendi semen; quod duobus exemplis confirmant. Vno ex D. Thoma Quodlib. 6. art. 18. de quadam, quæ salua virginitate ex patris semine concepit: altero ex Auerroë apud Binsfeldium de quadam quæ semen in balneo attraxerit.

Posterior ista sententia, quamuis certa non sit, vt putauit Ægidius, videtur probabilior quàm opposita, non tam propter exempla quæ fallere posse fatemur, quàm quòd dæmonis subtilitatem & celeritatem non satis, vt D. Augustinus suprà citatus moner, intellectu assequamur, & ex similibus non minùs miris, probabiliter conijciamus eam etiam huc vsque pertingere.

Circa hanc tamen doctrinam notandum, Nullo modo asserendum esse, quòd ex proprio semine incubi generent. Secundò, Non esse verum actum generationis ex parte incubi, sicuti neque est agricolæ seminantis. Tertiò, Non asserere nos, quòd semper quando volunt, procurent dæmones sic generationem; multa enim sunt quæ hoc impedire possunt, puta distantia aut sterilitas seminis, indispositio mulieris; neque enim semper eam vt volunt dæmones ad hunc actum disponunt; prouidentia Dei hoc ipsum impediente, quale aliquando sagis de frigiditate seminis conquerentibus responderunt, illud incommodi se tollere non posse. Quartò, Faciliùs alias mulieres impregnari ab incubis quàm sagas, fortè quòd hæ dæmonem agnoscentes minùs ad seminandum moueantur, aut sanè propter frequentem & confusam libidinem steriles sint, vt esse solent meretrices.

*Resp. ad argumenta opposita. Ad 1.* Superest respondere ad contraria argumenta. Ad Primum, Non videri verisimile istos spiritus prolificos in conseruatione dependere à corde patris actu influente: conceptio enim fit in matre vi ipsius seminis, neque est verisimile, tam longè recedere semen hominis à communi natura seminum.

Ad Secundum, Potest etiam mulier tunc se- *Ad 2.*
minare. Docet enim Niderius suprà in fine capitis 4. dæmonem posse efficere vt maior sit voluptas mulieri in hac copula quàm in naturali: nouit enim artifex ille, vt diximus Dubio 2. mirè ea quæ libidinis sunt, irritare. Fateor tamen cum Caietano hìc quæst. 95. art. 3. ordinariè hanc copulam minùs esse delectabilem quàm sit naturalis; nam & carnis temperaturam perfectè se imitari non posse, ipse dæmon aliquando falsus est, vnde semper quasi glaciale est eius corpus.

Ad Tertium & Quartum, Patet ex dictis, di- *Ad 3.*
cendum esse verbis D. Augustini, quòd dæmon *& 4.*
eiusmodi prolem non generet, sed generari faciat.

Ad Quintum, Verum quidem est in sagarum *Ad 5.*
abusu semen sæpè esse frigidum, imò frequentiùs non esse verum semen, sed ementitum aliquid eius loco: at experientiâ potiùs probari potest, aliquando verum adhiberi, adeoque fecundum, quàm improbari.

Ad Sextum, Iam præfati sumus, exemplis in *Ad 6.*
hac re nos non niti: suscepimus maximè probandum, esse possibile quod stat, etiamsi possibilis sit quoque illusio, sicut de translatione sagarum dictum est Dubio 6.

Ad Septimum, Deus tunc non perficit opus *Ad 7.*
diaboli, sed suum: humano enim semini hanc virtutem ipse indidit, quando dixit: *Crescite & multiplicamini.* Eodem argumento efficies, ex concubitu illicito non debere nasci prolem, ne Deus cooperari malo videatur, quod refutat D. Augustinus De nuptijs & concupiscentia, lib. 2. cap. 24. & alibi.

Ad Octauum patet ex dictis ad Secundum. *Ad 8.*
Adde, non semper agnosci dæmonem à muliere, & sæpè reputari virum.

Quæres Quartò, Vtrùm etiam ex succubo dæ- *Ex succubo non potest proles generari.*
mone & viro verè concipi possit fetus humanus?

Respondeo, Id fieri non posse, non solùm in sententia eorum qui volunt semen mulieris concurrere, sed etiam in omni Physicorum probabili sententia. Neque enim verisimile est, vitalem illum actum, quo mater in conceptione prolis debet concurrere, posse sufficienter imitari succubum dæmonem. Secundò, Non potest menstruum sanguinem idoneum suppeditare, vt qui digestionem nullam habeat, nullum verum sanguinem. Tertiò, Vt hæc omnia possit, quî poterit sufficere nouem mensium gestationi, fomentis illis vitalibus, alimento fetus vitali, quod non potest esse nisi à vegetante matris anima? Denique est hæc sententia communis Theologorum, quos suprà citauimus. Exempla quæ in contrarium adferuntur, explicanda sunt secundùm dæmonis fallacias in Sexto argumento suprà commemoratas.

Quæres Quintò, Vtrùm possit incubus dæ- *Incubus potest efficere vt producatur pygmæus.*
mon efficere, vt qui producitur, gigas sit aut pygmæus.

Respondeo affirmatiuè, Vt gigas sit efficere *gigas.*
potest, suffurando semen copiosum & idoneum ab homine calido & forti, seligendo mulierem si-

militer ad hoc idoneam: item intendendo voluptatem, tam in decisione seminis quàm in conceptione. Addit Ægidius, cùm aliquid etiam constellatio ad hominis complexionem conferat, posse hanc in prole dæmones obseruare meliorem, deligendo tempus optimæ constellationis, & fortè propter eiusmodi præstantiam quædam Gentes gloriantur se ex tali diabolico congressu progenitas, cùm verè hoc ad infamiam magis pertineat, quàm à latronibus & piratis progenitum esse, vt benè monuit Ludouicus Viues suprà citatus. Atque ita quidem potuissent ab Angelis gigni gigantes illi, de quibus Genesis 6. sed absit vt boni Angeli, de quibus quædam lectio Septuaginta loqui videtur, hanc fœditatem exercuerint: iam enim boni esse desiissent, quod dici non potest, quia vt contra hanc opinionem rectè veteres, Chrysostomus & alij, lapsus Angelorum nullus est post lapsum hominum. Per artes tamen magicas mali angeli similem fœditatem posteà introduxerunt. Dico, *posteà*; quia, vt dixi Dubio 3. Cap. præcedenti, ante diluuium non fuit idololatria, magia autem quodammodò ad idololatriam pertinet, vt diximus Dubio 1. Gigantum ergo illorum parentes non fuerunt Angeli boni aut mali, sed vt nostra habet interpretatio, *filij Dei*: per filios autem Dei homines intelliguntur, non vt quidam volunt homines proceri siue magni vt cedri Dei: neque etiam vt alij volunt, homines potentia & dignitate magni, quasi filij Iudicum, quòd Hebræis Dei nomen plurale etiam Iudicibus tribuatur: neque denique generatim homines secundùm Dei adoptionem viuentes, vt sit oppositio inter filios Dei & filias hominum, qua, vt Psalmus 4. dicit, diligunt vanitatem, & quærunt mendacium: sed intelliguntur filij Seth, vel quia ipse Deus fuerit appellatus, vti & filius eius Enos, propter insignem in Deum pietatem, vel quia præcipui cultores Dei fuerunt in posteritate Seth. Gigantes etiam plures fuisse post diluuium, sacræ & profanæ historiæ, ossa & reliquiæ immanes, etiam in hoc Belgio testantur. Vtrùm isti hoc modo saltem originaliter generati sint, dubium relinquo; generari potuisse tantùm assero.

*Item vt pygmæus.*

Simili ratione contrarijs adhibitis cautis de pygmæis dicendum, vsqueadeò potest dæmon ludere in humana genitura. Neque tamen necessarium est, vt hîc obiter moneamus omnes pygmæos fateri veros homines esse: fieri enim potest vt adeò exili sint statura, quæ humanæ animæ functionibus non sufficiat, vt potiùs simiarum quoddam genus quidam eruditi opinati sint.

*Remedium contra incubos.*

Quæri potest Sextò, Quid remedij sit contra improbitatem incuborum & succuborum dæmonum.

Respondeo, Niderius suprà quinque potissimùm esse dicit remedia, videlicet 1. Exorcismos. 2. Exercitationem sacrã, qualis est vsus signi crucis, Salutatio Angelica, inuitatio ad Dei benedictionem. 3. Sacramentalem confessionem. 4. Loci mutationem. 5. Impuri spiritus solemnem excommunicationem, quam legitur contra quemdam adhibuisse D. Bernardus. Verùm generatim de maleficij remedijs & detectione plura in sequentibus.

## DVBIVM XI.

### *An de sagis Iudices rectè capiant experimentum per probam aquæ frigidæ?*

*Aquæ probatio triplex.*

PRO quæstionis intellectu notandum, Aquæ frigidæ probam triplicem esse. Vna erat eiusmodi, Suspectus de crimine iubebatur mittere manum in fontem aut aliam aquam frigidam, & aliquando aliquid ex ipso fundo leuare: si sine noxa manum retrahebat, habebatur innocens; si verò eam aqua lædebat & vrebat non secùs ac si feruida fuisset, habebatur nocens. Videtur hęc proba in fauorem innocentis inuenta post probam aquæ feruentis: in hac enim ipse innocens saluus esse non poterat, nisi per miraculum; in frigida autem sine miraculo erat incolumis, ac sine miraculo non lædebatur nocens. Colligit hunc modum Delrio ex Vita S. Gangulphi.

Alia erat, in qua iterùm ad simile grauamen innocentis redibatur: nisi tertiò emergeret totus in aquam immersus, non absoluebatur, vt refert idem Delrio. Abbas tamen in cap. Sententiam, Extra. Ne Clerici vel Monachi, &c. ab ipso citatus, paulò aliter dicit, videlicet innocentem pronuntiari solitum eum, qui in aquam deiectus fundum non tetigisset.

Tertia est illa, de qua agimus, hodie in quibusdã locis vsurpata contra sagas, vt nimirum ea sagæ habeat indicium, quæ supernatarit aquis iniecta. Magnum iterùm grauamen innocentis, dum commutata sorte, quod ei beneficium & salutare ex se esse videtur, & etiam in simili proba esse solebat, fit exitiosum, quasi non nisi à dæmone, aut diuina punitione profectum. Ritus aliquis sacer benedictionis aut exorcismi nullus adhibetur, sicut in similibus solebat antequam id prohiberetur ab Innocentio III. in Concilio Generali, cap. Sententiam, fortè quòd vtentes hac proba, nouerant propter hanc prohibitionem futurum, vt nemo Clericorum ad huiusmodi ritum operam impendere audeat. At quia proba aquæ frigidæ generatim saltem vt tunc erat in vsu, etiam ipsa apertè interdicta est per cap. Mennam 2. q. 5. §. posteriori, qui est Alexandri II. licet prior §. sit Gregorij I. & per cap. Ex tuarum, De purgatione Canonica, quod est Lucij III. nouam hanc formam superstitiosus aliquis Iudex fortè excogitauit, quæ damnata non videretur, eò quòd post Canones damnãtes eiusmodi vulgares probationes, demum videretur inuenta, aut saltem priùs non ita fuerit frequenter vsurpata. De hac ergo quærimus, an sit licita? Licitam esse, pauci admodum scriptis suis defenderunt. Ex sectarijs vnus reperitur Scribonius, ex Catholicis vnus Iureconsultus, ex Theologis omnino nullus. Qui verò scriptis suis damnarunt, multi sunt ex Theologis. Tiræus De dæmoniacis, cap. 10. dicit, nullo modo esse licitam, nec sine summa Dei contumelia admitti. Eiusdem sententiæ est Delrio lib. 6. cap. 4. quæst. 5. Binsfeldius. Ex Iureconsultis plurimi quos citat Godelmannus, qui testatur omnes facultates Iuris omnium Academiarum totius Germaniæ ita resoluisse. Ex hæreticis Bodinus, Wierus, & alij. Sit itaq; nostra

CONCLVSIO. Proba aquæ frigidæ quæ ho-



*Proba aquæ frigidæ illicita est.*

hodie in sagis vsurpatur, improba est & illicita. Probatur Primò, Quia apertè satis continetur prohibitione Canonum: nam cap. Consuluisti 2. quæst. 5. Stephanus V. reiectis aliquot probationibus vulgaribus quæ tunc erant in vsu, generalem regulam subiungit: *Quod sanctorum Patrum documentis sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum: spontanea enim confessione vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro indicare.* Et cap. Mennam, non tantùm aquæ frigidæ purgatio nominatim damnatur, sed & quælibet purgatio popularis inuentionis. Item dicto cap. Ex tuarum, non tantùm iterùm reijcitur probatio aquæ frigidæ, sed generatim dicitur, omnia eiusmodi peregrina indicia esse interdicta. Sanè hæc proba quæ nunc vsurpatur, si tunc vsurpata non fuit; non tamen magis est documento Patrum sancita, quàm illa vetus, non minùs populari inuentione incerto auctore introducta, non minùs ad peregrina iudicia reijciẽda. Ad hęc c. Dilecti, quod est Honorij III. De purgatione vulgari, interdicitur purgatio ferti candentis, eò quòd eiusmodi iudicia sint penitus interdicta, vtpote in quibus Deus tentari videatur: atqui non minùs in probatione aquæ frigidæ, de qua agitur, tentatur Deus, quàm illa quæ olim erat in vsu; aut sanè à dæmone signum per superstitionem exquiritur, aut peccati vtraque species concurrit: posterior quidem propter vsurpatum signum pacti diaboli cum vincibili ignorantia; prior verò propter formalem petitionem miraculi à Deo, sine legitima necessitate. Hæc tam aperta probæ huius per Canones prohibitio facta, obtinuit vt apud peritos Iudices, & in locis vbi Canonum viget obseruantia, ea non sit in vsu: vsus quidem eius apud hæreticos Canonum contemptores nuper aliquamdiu in Germania inualuit, & in his partibus apud quosdam Catholicos eorum exemplo, apud quosdam inquam tantùm, idque ex sola ignorantia & simplicitate; at multis locis, etiam apud Germanos, ipsis etiã sectarijs id curantibus, iste abusus nunc emendatus est, & in Belgio sub Religiosissimis Principibus nostris iam exoleuit.

Probatur Secundò, Praxis illorum Iudicum contra quos agimus, etiam hoc nomine superstitionis laborat, quòd sagas explorandas certo modo ligent, vt dextra manus sinistro pedi, & contrà sit alligata. Dico, *etiam hoc nomine*; nec enim etiam defuerit superstitio, etiamsi nulla adhibeatur eiusmodi ligatura, sed ad cumulum mali etiam istud accedit.

Probatur Tertiò, Fallax est ista proba, ergo illicita. Probatur Antecedens Primò, Quia aliquando deprehensum est, vnam & eamdem ab vno & eodem sæpiùs iniectam, nunc mergi, nunc supernatare. Secundò, Aliquando deprehensum est, quòd ea quæ lictore inijciente supernatarat, alio inijciente mergeretur. Tertiò, Naturale est, hominem, antequam submergatur, aliquoties sese exerere, aliquando magis aliquando minùs, vbi fortè rudis Iudex fallitur. Quartò, Olim sagæ submersæ leguntur apud Dubrauium lib. 8. Historiæ Bohemorum, in Vita Vratislai Regis: & de alia quadam diutiùs vi sub aquis detenta per carnificem, & ibi submersa, habet Delrio. De sex alijs, quas constabat esse sagas, in aquam iniectis, ibique submersis, testatur Godelmannus. Quintò, Fieri potest, vt innocentes occulta ex caussa naturaliter supernatent. Sextò, Catholicus citatus, defensor huius sententiæ, fatetur, eam non posse sufficere ad nouum indicium, ex quo quis torturæ aut morti adiudicetur, sed solùm quando sufficientia sunt ad torturam indicia, adhiberi pro validiore affirmatione; ideoque fatetur eam dimittendam quæ supernatarit, etiamsi alia sint indicia quæ sufficiant ad capturam, non tamen ad torturam. Quæ aduersarij confessio certissimo est argumento, de huius probæ valore nihil certi esse, adeoque vsurpantes tam peregrinum & incertum indicium grauiter peccare.

Probatur Quartò, Si quid certi indicet hæc proba, hoc facit vel naturaliter, vel supernaturaliter. Quòd naturaliter, dici non potest: vel enim id esset ex antipathia aquæ & strygum, vt vult Scribonius; vel quòd naturaliter omnes sagæ sint leuiores, vel quòd omnes sint à dæmone possessæ; qui constet corpore leui. Primum dici non potest; dicunt enim, sagas, si ob aliud crimen adiudicentur pœnæ submersionis, suffocari in aquis, vt alij. Imò hoc dicere coguntur vt magnum vitent incommodum: si enim quis parricidij reus ad aquas damnaretur, & etiam ligatus supernatet, signum est innocentiæ. Fac itaque commisisse parricidium eam quæ occultè saga est, si aquas euaserit, quia saga absoluenda esset à parricidio. Deinde naturalis ratio non facilè redditur, quare potiùs aqua odium habeat sagarum quàm alia elementa: supernaturalis autem quam reddere conatur Scribonius, nulla fide fulcitur Secundum etiam dici non potest: quamuis enim in Germania sagas appendant, & dicant quatuordecim aut quindecim libras eas deprimere non posse; vanũ tamen prorsus id est, & ex principijs generalibus, quibus damnantur probationes vulgares, omnino ad tentationem Dei aut superstitionem reijciendum docet Delrio q. 6. Itaque petitur principium, si statuas probam aquæ frigidæ: vtiusque enim caussa est pactum quoddam cum dæmone occultum ipsorum sic explorantium. Tertium denique dici non potest, quia non omnes sagæ sunt possessæ corporaliter à dæmone, vt docet Tiræus De dæmoniacis, p. 2. cap. 19. Hoc velint sagæ, vt pro possessis habeantur iam captæ, & aliquando simulare conatæ sint, vt sic confessiones suas dæmoni adscriberent, sibi autem conciliarent innocentiæ opinionem & impunitatem: neque etiamsi possessæ essent, propterea supernatarent; nam grex ille porcorum, quem legio dæmonum possedit apud Gerasenos, Matthæi 8. ruit præceps in mare, & ibi submersus & suffocatus est, vt Marcus & Lucas apertè dicunt. Omitto tamquam exploratã erroris, quod de corpore dæmonum leui adducitur: hoc enim in prima parte, quando De Angelis, refutauimus.

Restat ergo supernaturalis operatio in hac proba, adeoque vt vel Deus per bonum Angelum fortè elementi aquæ præsidem, vel aliter, hanc supernatationem pro bono iustitiæ in odium criminis causset, vel vt eam ipse dæmon publica iustitia coactus efficiat, vel vt dæmon ex priuata sua pactione, aut malitia eam curet, quia vult benè sagas occidi ac secum damnari. Quòd Deus faciat, dici non potest, Primò, Quia infallibilius

lius fieret & certius. Secundò, Quia magis hoc ab Ecclesia agnosceretur, quę nobis quæ Dei sunt ex tradita sibi potestate proponit: huic autem praxi se opponit. Eodem modo ostenditur, nec per bonum Angelum vel malum Deum hoc facere. Tertiò, Quia refert Cæsarius lib. 9. maleficos, qui freti maleficio in flumine ambulabant, proiecta Eucharistia in flumen, demersos esse. Supereſt ergo, vt dæmon hanc immersibilitatem sua pactione aut malitia faciat: si pactione, ergo qui primò sic exploravit, pactum explicitum aliquod habuit cum dæmone, & qui praxim vsurpant, implicito pacto inuoluuntur. Si malitia absq; pacto facere dicas, admodum precariò fidem postulas: neq; enim certus semper est, quòd saga iam explorata non cõuertetur; neq; semper existimandus est velle sagas necari, sæpè enim conatur eas liberare. Denique vt ita sit, nec hoc liceret Iudici, vt dæmon sic operetur, proiectione in aquam procurare, vt aliquod inde sumatur indicium: talem enim testem non licet Iudici citare. Neque videtur pacti impliciti interpretatio, aut species sortis diuinatoriæ hîc deesse, secundùm ea quæ diximus Dubio 4. Cap. præcedenti. Aliud esset, si Iudex exorcismis aut adiuratione certò dæmonem cogere posset ad fatendum veritatem criminis de quo agitur: sed non potest, vt patet ex ijs quæ docet Augustinus lib. 83. Quæstionũ, q. 79. & hoc etiam admodum peregrinum esset iudicium. Dei iudicium exercet Iudex: non potest suspectis eiusmodi tentamẽtis sanctitatem tribunalis profanare, aut indicium inde capere, vt suprà monuimus, quando De Iudice, Dubio 24. Neque enim in re tanti momenti licet ei qui Lex est animata, aliquid non legitimum, & non indubitatè licitum adhibere. Concludo, hac proba vtentem non tantùm coram Deo graui crimine maculari, & peccatum inobedientiæ contra Canones incurrere, sed si inde ad necẽ procedat, verè esse homicidam coram Deo & hominibus, adeoq; in syndicatu debere super hoc conueniri. Consulendus Binsfeldius li. 1. De confess. sagarũ.

*Obiect. 1.* Obijcitur Bernardus Sermone 66. in Cantica, vbi probat zelum Catholicorum, qui hæreticos, scilicet Pauperes de Lugduno, exploratos indicio aquæ eos non recipientis, ideoque hæreseos quam priùs occultabant conuictos, deinde eam profitentes, tumultuaria & præcipiti nece è medio sustulerunt.

*Resp.* Respondeo, Bernardum testimonium illis Catholicis dedisse, quòd zelum quidem haberent, sed non secundum scientiam, ideò enim addit: *Approbamus zelum, sed factum non suademus.* Imò ex hac narratione Bernardi colligimus, istum modum probandi per aquam frigidam à Pontificibus esse damnatum; est enim is saltem damnatus, qui erat tempore Lucij III. vt patet cap. Ex tuarum, suprà citat. vixit autem Lucius ferè tempore Bernardi.

*Obiect. 2.* Obijcitur Secundò, In odium huius criminis magici, & quia difficillimæ est explorationis, cùm tamen maximè expediat puniri, meritò ex hac parte antiquarũ esse Ecclesiasticum Canonem.

*Resp.* Respondeo, Si esset inhibitio merè Iuris positiui, tale argumentum aliquam posset habere apparentiam: sed quia probatio ista prohibita est, quia mala est, & Dei tentatrix, vt ex dictis patet; nulla consuetudine potest prohibitioni, saltem vt naturalis est, derogari. Neque enim sunt facienda mala, vt eueniant bona. Deinde si ita est, quare non similiter in vsum reuocant indicium per ferrum candens, aquam feruentem, & similia?

*Obiect. 3.* Obijcitur Tertiò, Deus similes purgationes sæpè per miracula approbauit, & Numeri 5. simile quid constituit in aquis zelotypiæ, & Concilium Wormatiense, cap. Sæpè 2. q. 5. statuit, vt furto in Monasterio admisso, Abbas vel alius ab eo deputatus Sacrum celebret, in quo omnes communicẽt in hæc verba: *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.* Similem probationẽ iniungit Episcopo aut Presbytero c. Si Episcopo, ibid.

*Resp.* Respondeo, Purgationi vulgari aliquando miraculum interuenisse, vel quia præesserat diuina inspiratio, vel quia excusabat vtentes aliquousque bona intentio vel ignorantia, & Deus volebat innocentiæ patrocinari, aut nocentem punire. Aquæ zelotypiæ probam faciebant non vulgarem, sed ex Dei peculiari institutione, quæ satis excludit Dei tentationem: non enim sibi sumit aut præsumit aliquod de Deo experimentum, qui signo aut medio à Deo oblato & instituto vtitur, sed pro nostris aquarijs non exstat tale Dei diploma.

*Aquæ zelotypiæ.*

Ad Concilium Wormatiense duplex est responsio: vna dicit, in hoc erasse. Ita D. Thomas 3. parte, quæst. 80. art. 6. ad 3. Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 14. puncto 1. Raphael de la Torre hîc quæst. 97. art. 4. disp. 2. Altera responsio, hanc purgationem non esse vulgarem, aut natura sua illicitam, quando fit auctoritate Iudicis Ecclesiastici competentis. Neque fit vt exterius Deus aliquo signo occultam veritatem prodat, sed solùm quasi in testimonium & iuramentum innocentiæ. Legitur enim apud Sigebertum ea vsum esse Pontificem Adrianum, & similiter Gregorium VII. apud Lambertum Schafnaburgensem. Ita Delrio lib. 4. cap. 4. quæst. 3. & fauet Suarez De tentatione.

*Proba per S. Communicatum illa. cita.*

Examinandũ, An hodie Iure positiuo sit licita? Putat enim Delrio, esse prohibitam cap. Dilecti, De purgatione vulgari, & cap. Tribus gradibus, De consecra. dist. 2. Sed prius cap. solùm loquitur de probatione ferri candentis: posterius autem ex Clemente I. nihil continet magnopere vrgens. Quidquid sit, non est vsurpanda, propter periculum animæ, & irreuerentiam Sacramenti. Si enim ab eo quem putes peieraturum non liceat tibi iuramentum exigere, neque licebit suspectum de crimine prouocare ad iudicium Corporis Domini. Accedit quòd eiusmodi suspectis non rectè administretur Sacramentum. Si tamen res occulta & valdè magni momenti sit, & vrgente maxima necessitate, eiusmodi purgationem Iudex competens, præcipuè ipse Summus Pontifex indicat, ea spe, quòd reuerentia Corporis Domini prævalebit, & veritatem aperiet; probabile est, illud non esse damnandum. Gregorius enim VII. insignis fuit Pontifex, qui ita fecisse legitur.

Probabilior tamen videtur opinio D. Thomæ, qui improbat eiusmodi probationem, adeò vt eam non excuset, quòd à Iudice aliàs legitimo imponatur: neque eam iustificet exemplum Pontificum, qui in re facti vulgi morem fortè sunt secuti: neque stabiliatur decreto Concilij Prouincialis, quod potuit errare; vt meritò Glossa dixerit, eiusmodi Prouinciales Canones per alios Canones Pontificum (nimirum similia damnantes) esse reuocatos. Fateor tamen, non esse illicitum, si quis conscius innocentiæ, dicat se paratum esse sacram Communionem accipere, vel mortem subire, modò solùm velit allegare probam qua semetipsum homo probat, antequam Communionem accedit, vel mortem subit.



## DVBIVM XII.

### *An liceat amouere signa maleficij?*

TRACTANT DD. in 4. dist. 34. quando De impedimento maleficiatorum, Henricus de Gandauo Quodlib. 5. q. 33. Sanchez l. 7. disp. 95. & seq. Suarez hîc c. 17. & 18. Delrio l. 6. c. 2. q. 2. & 3. Petrus Ledesma ad quæst. 58. Supplementi D. Thomæ, Caietanus Opusc. De maleficio, Henriquez lib 12. de Sacram. c. 8. n. 3. Binsfeldius in tit. C. De maleficis, q. 5. Graffius l. 2. c. 6. Siluester verbo Maleficium, q. 8. & 9. Angelus verbo Superstitio, n. 13. Gabriel in 2. dist. 8. q. 2. art. 4. Raphaël de la Torre hac parte, q. 95. art. 4. disp. 3.

*Licitum deitruere animo contemnendi.*

Obseruandum in primis, neminem vmquam dubitasse, quin liceat destruere signa maleficij, animo contemnendi, irridendi, & ostendendi vanitatem artis diabolicæ: hoc enim modo insinuauimus suprà Dubio 6. etiam licere in contemptum vsurpare & ponere materialiter ipsa signa maleficij, excluso satis diabolico pacto; quomodo Philippus Galliarum Rex, vt refert Gerson Tract. De erroribus circa artem magicam, in ignem proiecit Astronomicam imaginem, quam arte magica dicebant baptizatam, in eum finem, vt ipsa destructa ipse Rex interiret: *Videbimus*, inquit pientissimus Rex, *ánne potentior sit damon ad me perdendum, quàm Deus ad saluandum.*

Similiter extra controuersiam est, licere destruere signa magica ne per ea Deus offendatur, vel proximus peccare pergat, sicut licet destruere idola.

Extra controuersiam etiam esse debet, quòd liceat declinare à loco in quo signa posita sunt, per quæ diabolus nocet. Cuius moris etiam esse videtur, quòd in secretiori aliqua parte templi, vbi præsentes esse nequeant qui maleficio ligaminis putantur nocituri, matrimonia contrahantur; videtur enim hoc non mereri vllam reprehensionem.

*An liceat amouere tatendendo sanitatem.*

Sed in quæstionem venit, Vtrùm liceat intendere sanitatem amotione signorum magicorum, verbi gratia, vtrùm Regi maleficiato per similem imaginem acũbus aut gladiolis transfixam, vt fieri aliquando suprà diximus, licuisset similiter eam comburere, spe recuperandæ sic sanitatis?

*Pro negatiua arg. 1.*

Videtur enim non licere, Primò, Quia hoc est exspectare sanitatem à diabolo: remedium enim illud non est naturale, quia sicuti naturaliter signa non caussant morbũ, ita nec eorum amotio caussat naturaliter sanitatem. Neque est supernaturale diuinum, vt patet; ergo supereſt vt sit diabolicum. Simili enim collectione suprà Dubio 8. assert. 7. ex sententia Doctorum, magicos effectus inuestigandos diximus.

2. Secundò, Amotio vel destructio signi per se est res indifferens, sicuti abluere manus, & similia; ergo si licet hæc signa amouere, etiam licebit actionem aliquam indifferentem eo fine adhibere, vt pactum dæmonis vexantis exspiret; si verbi gratia cum saga pactus sit, quòd vexabit, nisi aliquoties de die abluas manus: hoc autem esset positiuam actionem ex sola diaboli institutione in remedium vsurpare.

3. Tertiò, Aliquando ex pacto dæmon obligatur non solùm cessare à vexatione, sed etiam positiuè, adhibitis in contrarium remedijs, subitò maleficiatum sanare; quo casu remouens signum per artem magicam, videtur prouocare ad eiusmodi sanationem dæmonem.

4. Quartò, Cap. Si per sortiarias 33. quæst. 1. vbi enumerantur legitima remedia maleficij, huius remedij nulla fit mentio, cuius tamen cùm facile & obuium sit, maximè oporrebat meminisse.

5. Quintò, S. Hilarion, vt refert S. Hieronymus in Vita eius, noluit hoc remedio vti, quamuis dæmon indicaret vbi signa essent posita, ne dæmon aut solitis incantationibus recessisse vidèretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem.

6. Sextò, Si remedium hoc esset licitum, non solùm esset alicuius meriti, sed etiam præcepti, quo quisque modo licito debet sibi aut proximo in vitæ necessitate consulere: atqui præcepti non esse, nisi fortè respectu ipsius maleficí, qui signum posuit, omnes fatentur; ergo &c.

7. Septimò, Contingit pactum dæmonis hoc habere, vt signo amoto hic quidem conualescat, sed vel ipsa saga vel alius quispiam malè à dæmone excipiatur; amotionem ergo impediet Religio, quia virtute erit positio noui maleficij: impediet etiam iustitia & charitas ei debita qui noxam subibit.

8. Octauò, Sæpè ne sciri quidem potest signum maleficij, nisi per nouum maleficium; aliquando sciri quidem sine eo potest, tolli autem sine eo non potest: vix ergo licebit magum requirere vt tollat maleficium, nisi fortè illum eumdem qui posuit.

9. Nonò, Non licet ipsum dæmonem rogare vt signum maleficij tollat; ergo neque magum: hoc enim esset declinare ad magos, quod Scriptura prohibet; sed fortè solùm hunc verberibus, illum exorcismis cogere.

10. Decimò, Dæmon etiam amoto signo potest nocere, vt Deus etiam posito signo maleficij potest nos conseruare; ergo malè facit qui auferendo potiùs sperat quòd dæmon non nocebit, quàm quòd Deus conseruabit; aut saltè aliquo modo dæmonem timet, cùm solum Deum esse timendum moneat Scriptura.

11. Vndecimò, Tollens signum maleficij cum intentione vtendi pacto dæmonis, peccat; ponens signum maleficij, cum expressa protestatione quòd nolit vti pacto dæmonis, non peccat, vt suprà dictum est: ergo non est magis licitum tollere quàm ponere.

12. Duodecimò, Diabolus non cessat nocere nisi vt grauiùs posteà noceat; sunt enim eius beneficia, inquit Leo Sermone 19. De passione, cunctis nocentiora vulneribus.

13. Decimotertiò, Franciscus à Victoria damnat praxim Iudicum, qui maleficis abradunt omnes pilos totius corporis: atqui hoc solùm fit ea intentione, vt si quid vnguenti aut signi magici adhæreat, tollatur; ergo damnauit amotionem signorum.

14. Denique, Si licitum sit tollere hæc signa, licebit à

bit à mago ad hoc parato petere vt ea tollat per nouum maleficium, ſi aliter facere nolit, aut non poſſit, vti licet à parato dare ad vſuram, petere mutuum ſub vſuris.

*Affirmatiuæ ſententia tenenda.*

Ceterùm omnino reſpondendum eſt, Licitum eſſe amouere aut deſtruere ſigna maleficij vt dæmon deſinat nocere. Ita tenent omnes DD. qui ſcripta ſua typis euulgarunt, quorum aliquos ſuprà citauimus. Prodiit tamen nouiſſimè typis excuſus Commentarius eximij viri D. Guilielmi Eſtij in 4.Sentent. vbi diſt.34.§.8. & 9. contraria ſententia præfertur. Sed ſententia noſtra etiam in Academia Louanienſi communiter modò tenetur, quamuis Delrio & Raphael ſuprà citati teſtentur, quondam D. Ioannem Heſſelium aliter tenuiſſe, eumque nonnullos ſecutos fuiſſe. Probatur Primò, Quamuis ſciam dæmonem infidelem eſſe in ſuis promiſſis, & inefficacia eſſe iſta ſigna, ſi per ſe ſpectentur, iiſque amotis non amoueri à dæmone omnino poteſtatem, aut etiam voluntatem nocendi; ſcio tamen, opinionem fidelitatis in ſuis pactis ipſum affectare, adeoque ad poſitionem talium ſignorum velle magis nocere, & ijs amotis à nocumento velle deſiſtere. Scio etiam, non æquè per ſe poſſe dæmonem obtinere Dei permiſſionem vt noceat, ac poteſt concurrente praua voluntate malefici, vt oſtendimus ſuprà Dubio 8. aſſert. 9. Itaque ſine vlla interpretatiua aut practica profeſſione falſitatis, poſſum amotione talis ſigni à me vel à proximo, vel à iumentis aut rebus meis vel proximi, noxam maleficij amoliri: nihil autem aliud Lege naturæ vetitum, nulla etiam Lex poſitiua id prohibens concurrit; eſt itaque licitum. Secundò, Qui ſignum tollit, non cooperatur diabolo, ſed ei aduerſatur, ſicuti qui idolothytum in cloacam proijcit. Ita ferè Henricus à Gandauo. Adde, Scripturam commendare eos qui aras, ſtatuas, lucos idolorum, aut etiam libros magicos incendunt. Tertiò, Deſtruit opus diaboli, quod eſt meritorium. Ita Scotus. Quartò, Hæc deſtructio ſigni formaliter eſt opus hominis ſcientis impedimentum ſanitatis, non autem malefici aut declinantis ad magos: vitat enim potiùs, & ab eis deſtructo ſymbolo declinat, ſicuti proditionis non fit particeps, ſed potiùs ei aduerſatur, qui proditionis ſigna deſtruit. Ita Caietanus & alij. Quintò, Malefico, ſi pœniteat, iniungendum eſt, vt ſigna quæ ſine maleficio tollere poteſt, tollat. Ita legitur Theodorus Archimandrita Theodoro mago iniunxiſſe. Ad ſimilem modum Confeſſarius pœnitenti iniungat, vt deſtruat ſi quas habeat imagines Aſtronomicas, ſuperſtitioſa amuleta, aut periapta, ſcripta certa verba dæmonis ad curandum ſuperſtitioſè, chirographum quo dæmoni ſe obligat & Chriſto renuntiat. Sextò, Si per ſe licitum ſit deſtruere iſta ſigna, ita vt in contemptum dæmonis deſtrui poſſint, etiam poſſunt deſtrui intentione recuperandæ ſanitatis, aut vt dæmon deſinat nocere; nam etiam iſte finis bonus, eſt medium proportionatum nec inordinatum, vt patet ex Prima probatione. Septimò, Licet maleficos tollere; ergo & maleficia: ſi enim inſtrumenta diaboli animata, quid ni inanimata? Octauò, Aliquando miraculo diuino oſtenſa ſunt hęc ſigna, vt poſſent tolli, vt ex narratione Bellarmini refert Delrio. Denique, Ex ſolutione contrariorum argumentorum veritas reſponſionis explicatior & firmior euadet. Itaque

*Reſp. ad 1. argumenti oppoſitum.*

Ad Primum reſpondeo, Sanchez diſp. 95. affirmare, quòd hoc medium ſine dubio ſit naturale: quod verum eſt, quatenus ad illud concurrit is qui ſimpliciter remouet, quia naturali modo aufert ſignum. Neque refert quòd priuatiuus eius effectus, videlicet deſitio vexationis diabolicæ, pendeat quodammodò ex ſuperſtitioſo pacto: hoc enim ideò eſt, quia vexatio pendet à ſigno, ex pacto diabolico poſito. Qui ergo non conſentit pactioni vt vexationem inducat, nulli hîc pactioni diaboli conſentit. Sic autem amouentem ſigna non conſentire, eſt manifeſtum: ſicuti enim poſitio ſigni, vt talis, ad perfectionem, exercitium, & complementum pacti diabolici pertinet; ita amotio, vt talis, præcisè pertinet ad quamdam amotionem ipſius pacti exerciti, quæ amotio diſſenſum ſaltem aliquem reſpectiuum pacti dicit, nullo autem modo conſenſum, approbationem, vel cooperationem. Denique, cùm etiam poſitiuus effectus, ipſa nimirum vexatio, pendeat à diabolico pacto, ſi ſciens & potens tollere, poſſit ſeruare aut non tollere eiuſmodi ſigna, vt aduerſarij volunt, ita vt non inuoluatur pacto ſuperſtitioſo quatenus morbum infert; quare ſine incommodo tali, non magis poteſt tollere eadem ſigna vt nos volumus? Sanè in charitatem & Religionem peccat, qui cùm ſine incommodo poſſit, non tollit magica eiuſmodi ſigna proximo noxia: ſi autem tollat, actum Religionis & charitatis, aut etiam iuſtitiæ, ſi ipſe ea poſuerit, exercet. Dicimus itaque, amotionem ſigni naturalem eſſe, effectum autem eſſe moralem & priuatiuum, ceſſationem pacti diabolici; quam intendere, ſanctum eſt.

Dices, Amouens ſigna, virtute dicit diabolo, Pactus es amoto ſigno te ceſſaturum à nocumento; nunc igitur me ſigno amouente, præſta quod promiſiſti, & nocere deſine.

Reſpondeo, Amouens ſigna, in propoſito non loquitur diabolo, nec pacto eius vtitur, ſed turbat pactum quod cum dæmone habebat magus, ſicuti turbaſſet pactum, quod cum Rahab meretrice inierant exploratores, qui funiculum coccineum feneſtræ eius alligatum deturbaſſet, Ioſue 2.

*Ad 2.*

Ad Secundum, Huius ſolutio poſtulat reſolutionem illius quæſtionis, Anne liceat ad diſſoluendum maleficium illa adhibere, quæ ex Dei inſtituto vel natura non ſunt ad hoc vtilia, ſolùm ideò, quia diabolus in pacto ſuo talem appoſuit conditionem, ſe ceſſaturum à læſione, ſi talia fiant? Sanè, quamuis non ſit omnino hoc æquè certum licere, ac quòd liceat deſtruere ſigna maleficij, neque huius conceſſio ex illius conceſſione pendeat, quia plus eſt aliquod quaſi poſitiuum ſignum de nouo ponere, quàm vetus deſtruere. Si tamen nonnullæ adhibeantur cautelæ, exiſtimo etiam iſtud licere, & hoc ipſum ſequi ex eo, quòd liceat pro vitãda vexatione, magica ſigna deſtruere. Et ita apertè tenet Siluester ſup. q.9. & Suarez hîc cap.17.n.16. Leſſius lib.2. c.44. dub.6. n.45.

*Quomodo liceat operi aliquo indifferenti nocumento amouere.*

Cautela autem prima eſt, Ne opus illud indifferens adhibeatur tamquam naturaliter valens ad excludendam dæmonis vexationem: hoc enim vanum eſſet; neque ſuperſtitionis vitio careret.

Secunda, Ne adhibeatur tamquam nouum ſignum, quo poſito dæmon quaſi ex peculiari & præciſo pacto, aut conditione à ſe appoſita debeat à vexatione ceſſare; hoc enim modo vt adhibeatur,



tur, maximè videtur diabolus intendere, quando talia ſuis pactis apponit, & per ſe aut per ſuos reuelat quaſi pro remediis, noua ingerens vulnera: hoc enim modo adhibens, vtitur ſocietate & pacto dæmonis.

Tertia, Vt ſolùm vſurpetur tamquam deſtructiuum quaſi prioris ſigni. Cùm enim res in ſe ſit indifferens & licita, non apparet, quare non poſſit adhibere prout deſtructiua maleficij, vt ſit quaſi moralis quædam ablatio ſigni, quo poſito dæmon nocebat. Si enim ſciam dæmonem non nocituru quando locum mutauero, quia pactus eſt hoc tantùm loco nocere; dubium non eſt, quin poſſim mutare locum.

Quarta, Vt abſit omne ſcandalum. Quamuis enim vtaris vt amotiuo ſigni, videri tamen potes vti vt ſigno. His concurrentibus, licitum videtur etiam illo caſu, quo dæmon quaſi duo pacta fecerit, vnum, quo promiſit nocere donec hoc fiat; alterum, quo promittit deſinere à nocumento ſi hoc fiat. Neque opus eſt, quòd credam Deum non permittere, vt noceat facto à me tali opere indifferenti; quia eiuſmodi credulitas non videtur rationabilis: imò etiam quando opus tale eſſet, quod Deo in ſe eſt gratum, puta audire tres Miſſas vno die, aut, vt cuidam ſagæ reuelatum à dæmone dicit Bodinus lib.3.cap.3. (ſi fidem in re ad Religionem pertinente mereatur hæreticus) inuocare SS. Trinitatem, S. Antonium, & S. Michaëlem, celebrare tres Miſſas, &c. poterit illud ſimiliter fieri, vt de indifferenti opere diximus, etiamſi non credatur dæmonem opere iſto pio completo à Deo impediendum, ſed in vim ſuæ pactionis ceſſaturum. Neque enim credibile eſt, me teneri abſtinere ab operibus iſtiuſmodi piis, etiam liberis, etiamſi intelligam dæmonem, ſi ea fecero, à maleficio quo me vexat, vi pacti ſic initi deſtituturum.

*Obiect.* Objicit Sanchez, qui contrarium tenet diſp.95. numero 3. non niſi vanè adhiberi & ſuperſtitioſè, quæ naturaliter ad effectum nihil conferant. Deinde ad dæmonis honorem videri pertinere, quòd eius voluntati acquieſcas, hæc vana adhibendo.

*Reſp.* Sed patet ſolutio ex dictis, præcipuè ex Tertia cautela. Adde, non magis me acquieſcere dæmonis voluntati in propoſito, quàm dum ſimpliciter amoueo ſigna, ad quorum amotionem promiſit ſe dæmon ceſſaturum à vexatione: ipſa enim amotio etiam actus quidam indifferens eſt, & parum refert, ſiue dæmonis ſignum ponas ſitum in omiſſione, verbi gratia pactum eſſe, quòd ad voluntatem ſagæ nocebit illis qui non lauerint manus, ſiue ponas in re poſitiua. Similiter parum referre videbitur, ſiue amotio aliquid materialiter ponat, ſiue tantùm auferat.

*Obiect.1.* Objicit Raphaël de la Torre hac parte q.95. art.5. diſp.3. vbi etiam contrarium tenet, hoc eſſe maleficium maleficio ſoluere, quod non magis licet quàm liceat vti ſigno magico, vt dæmon deſinat nocere.

2. Secundò, Actio poſitiua quam elegit dæmon ad ſigna magica euertenda, non habet ad hoc vim naturalem aut ſupernaturalem, ſed ſolùm vt ſignum diaboli; itaque qui eo vtitur, cooperatur dæmoni, vtens ſigno diabolico.

3. Tertiò, Illa actio ex ſolo dæmonis præſcripto per magum indicato, habet eiuſmodi vim; ergo qui eo vtitur, magico præſcripto vtitur.

4. Quartò, Eadem ratione liceret adhibere quædam ſigna poſitiua à dæmone inuenta, ad euitanda mala ab eodem vel alio dæmone inflicta; verbi gratia, liceret vti diabolica incantatione ad liberandum obſeſſum, quem dæmon ſine arte magica inuaſiſſet.

*Reſp. ad 1.* Verùm ad hæc argumenta dici poteſt, ad Primum, Hîc non eſſe vſum maleficij formaliter loquendo, cùm ſolùm hac poſitiua actione maleficiatus vtatur, vt ceſſet ſignum noxium, & actio in ſe ſit indifferens. Quare mihi non liceret re indifferenti vti ad licitum finem (qualis eſt deſtructio ſigni maleficij) eò quòd dæmon cum mago tale pactum fecit?

*Ad 2. & 3.* Ad Secundum reſpondeo, Eodem modo ſignum magicum priùs non habet vim nocẽdi naturalem aut ſupernaturalem, ſed ſolùm ex pacto; & tamen illud tollere licet ſine communicatione cum diabolico pacto: videtur itaque etiam licere hanc actionem indifferentem adhibere ſub eodem formali. Vnde etiam patet reſponſio ad Tertium.

*Ad 4.* Ad Quartum reſpondeo, Id non ſequi, quia hoc eſſet vti maleficio, vt diaboli artificium eſt: & hoc cauit maximè Hilarion, quando videri noluit dæmonem ſolitis incantationibus receſſiſſe, vt retulimus ſuprà in Quinto argumento. In propoſito autem noſtro non vtimur maleficio, ſed limitem ei ponimus per actionem alioqui vſibus humanis familiarem. Neque enim dicimus, ad hunc effectum licere exhibere verba ſuperſtitioſa, aut ſcripta diabolica, aut quid tale; ſed lotionem manuum, aut rem eiuſmodi indifferentem.

*Ad 3.* Ad Tertium initio propoſitũ reſpondeo, Eo non obſtante, maleficiatum huius præſcium, poſſe nihilominùs amouere ſigna, nihil curãdo de ſecundo iſto dæmonis pacto, ſed tantùm intendendo deſtructionem prioris. Si quid inde poſitiui beneficij à dæmone ſequatur, hoc non cenſetur ab eo maleficiatus exſpectare: quamuis enim præſciuerit dæmonem id collaturum, nec prece tamen nec cultu aut inuocatione expreſſa vel tacita id procurat, nec per ſe illud acceptat, ſed ſolùm per accidens, hoc in ſe per modum tantùm patientis admittit, quod licere docet Raphaël de la Torre ſup. art.4.diſp.2. ſub finem. Si contrarium dicamus, non ſolùm grauamus miſerum maleficiatum, ſed videmur ſtabilire dæmonis tyrannidem: iam enim modum haberet, quo in immenſum noceret, omneque maleficium facere poſſet ſignorum ablatione inſolubile. Deinde, nimia hæc eſſet infirmorum hominum tentatio, quæ vt euitetur, reſtricta eſt diuinitus multùm diabolica poteſtas. Denique etiamſi Rex edicto caueat, ne quid beneficij à Reipublicæ hoſte accipias, poteſt tamen ciuis captiuus aliquid facere, quod pertineat ad captiuitatis euaſionem, aliaſque licitum ſit, etiamſi decreuerint fortè hoſtes, alium ſcopum habentes, benefacere illi qui eiuſmodi quid fecerit.

*Ad 4.* Ad Quartum, Procedit argumentum ab auctoritate negatiua, non à negante; ideò enim cap. omiſit hoc remedium, quia obuium & naturale, de quo nemo dubitet, niſi ſophiſticè, vt indicauit Scotus: nam & bruta animantia ea excutiunt, & perdunt quæ ſibi noxia norunt. Eccleſiaſtica remedia proſequebatur illo cap. Hincmarus. Ad noſtrum hortari non erat opus: ſi enim

notum fuisset maleficij signum (sæpè enim, imò plerumque illud latet, vt & ipse maleficus) ad Episcopos non fuisset itum pro remedio, & hoc ipsum in Canone supponitur. Si Pontifices illicitum iudicassent hoc remedium, vtique prohibuissent, sicut purgationes vulgares, aliaque superstitiosa.

*Ad 5.* Ad Quintum, Licitum fuisset Hilarioni signa illa à dæmone indicata inquirere & amouere: noluit tamen. Primò, Quia dæmon, licet fortè verè signa maleficij prodebat, aliqua tamen falsa simul allegabat, vtpote quòd inuitus esset puellam ingressus, nimirum vi maleficiorum coactus: item non posse se egredi, nisi amoris sublimina-ribus maleficij signis. Poterat Hilarion amoris signis, potuit & miraculo pueliam liberare. Si priori modo liberasset, res erat obnoxia calumniæ: videri enim poterat solitis incantationibus recessisse dæmon: videri inquam poterat, illis, qui hunc modum nouerant, dæmonem suggessisse; ignorassent autem quousque eo vir sanctus vteretur: visus etiam fuisset vir Dei adhibuisse mendaci fidem in duobus illis, quæ diximus, mendacijs. Maluit itaque in digito Dei eijcere dæmonium, & sic ostendere quòd tergiuersator, vt simulabat, inuitus non intrasset, sed egredi cogeretur. Itaque vbi per miraculum sine Dei tentatione remedium in promptu est, omitti poterit amotio signi magici, etiamsi licita, imò & aliàs necessaria.

Dices, Hoc videtur esse cõtra D. Augustinum lib. 22. Contra Faustum, cap. 36. *Pertinet*, inquit, *ad sanam doctrinam, non tentare Deum, quando habet homo quod faciat.*

Respondeo, Non continuò tentat Deum Sanctus qui habet donum miraculorum, etiamsi miraculo id faciat, quod humano modo fieri poterat, præsertim quando peculiaris est caussa, potiùs miraculo vtendi. Ita ergo agere quidem poterit dono miraculorum pollens; at verò quid ordinarius exorcista facere debeat, luculentè nobis præscripsit Rituale Romanum nuperrimè magno Ecclesiæ bono, iussu S. D. N. Pauli V. editum, titulo De exorcizandis obsessis à dæmonio his verbis: *Iubeat dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam aut maleficia signa vel instrumenta; quæ si obsessus ore sumpserit, euomat; vel si alibi extra corpus fuerint, ea reuelet, & inuenta comburantur.* Post hanc Ecclesiæ Romanæ ordinationem, non video quo modo nunc dubitari de veritate nostræ responsionis, aut oppositum eius sustineri possit.

*Ad 6.* Ad Sextum, Nego minorẽ. Imò præcepti esse, omnes sentiunt, quando per miraculum proximo succurri non potest, vel quando in amotione non esset tale incommodum, quod secundùm Leges communes iustitiæ & charitatis excusset. Omnes, inquam, ita sentiunt, quamuis rem indubitatam minùs solliciti fuerint inculcare.

*Ad 7.* Ad Septimum respondeo, In primis certum esse, quòd nocumentum sagæ ex remotione signi præuisum non efficiat, vt nequeam amouere; ipsa enim inuasit: licet autem inuasorem etiam cum suo damno mihi repellere. Si noxa immineat alicui tertio innocenti, possum nihilominùs vti iure meo in amoliendo à me maleficio, hoc enim præter intentionem meam est, & non teneor abstinere à remedio quo directè iuuer, sicuti in materia De homicidio diximus, posse pragnantem sumere medicinam sibi ad vitam necessariam, & directè non ordinatam ad necem prolis, etiamsi ea secutura præuideatur.

*An liceat adhibere actionem indifferen. tem nocitu-ram alteri.*

Sed dubium est, An eo casu etiam liceat actionem aliquam indifferentem, & aliquid ponentem quasi destructiuam signi exercere, vt licere aliàs diximus in responsione ad Secundum: verbi gratia, si saga esset tangenda, aut moderatè percutienda, aut alterius innocentis iumentum tangendum, quod tunc inciperet languescere, quando tuum sanaretur.

In hunc casum Sanchez ex sententia Ouandi, requirit sententiam Iudicis, antequam maleficiato id liceat. Ex quo sequitur, contra innocentem hoc fieri non posse. Delrio etiam lib. 6. cap. 2. sect. 1. simpliciter tunc putat non licere cogere maleficum vt maleficium tollat.

Videtur tamen rectiùs distingui: Si enim actio tua ex natura aliquo modo determinaret aut attingeret eum qui dæmonis vexationem te liberato subiret, & is esset innocens; credo non licere; quia alter ius habet, ne circa ipsum noxiam eiusmodi actionem exerceas: circa sagam autem quæ nocuit propter ius defensionis, de quo suprà, credo licere, seruato moderamine in effectu physico, (quo modo dicunt DD. licere moderato verbere cogere sagam, vt soluat maleficium) etiam sine sententia Iudicis. Quare sententia Ouandi locum habebit, quando opus esset immoderata sagæ verberatione.

*Ad 8.* Ad Octauum respondeo, Argumentum solùm concludere, non adeò frequentem esse vsum huius remedij, de quo propriè non disputatur; solùm enim dicimus esse licitum. Verum nihilominùs non est, tam rarum & restrictum eius esse vsum. In primis, Quia magi sæpè reuelant amicis suis eiusmodi sua signa. Secundò, Contingit magum qui non posuit, scire arte magica vbi posita sint, & tunc etiam non est illicitum eum rogare vt tollat, si absque nouo maleficio id sit facturus, vt rectè docet Sanchez. Tertiò, Aliquando ipse dæmon reuelat exorcismis coactus (vt patet in facto Hilarionis) eiusmodi signa vbi sint posita. Quartò, Aliquando, Deus siue boni Angeli, vt patet ex dictis.

*Ad 9.* Ad Nonum, Propter hoc argumentum quidam putarunt licere sagam verberibus compellere potiùs quàm rogare vt signum tollat; sed malè. Quamuis enim modus cogendi per moderata verbera efficacior sit, & ideò à multis commendatus: per preces tamen & blanditias, imò & per munera idem apud sagam agere licet, & à doctis piisque viris vt fiat consultum legitur, exclusa semper petitione aut exspectatione noui maleficij. Respondeo itaque, Sequelam non valere: cum mago enim non est nobis societas interdicta in illis quæ licitè facit vt homo, cum dæmone autem omnis societas est interdicta.

*Ad 10.* Ad Decimum, Quamuis possit Deus conseruare signo posito, & diabolus nocere etiam amoto; vt tamen dicitur dicto cap. Si per sortiarias, permittit Deus occulto, numquam autem iniusto iudicio, vt noceat diabolus posito signo, quando, licet possit etiam aliàs, magis vult. Quod de solo Deo timendo additur, intelligendum est eò spectare, vt creatura non timeatur tamquam omnipotens cui resisti nequeat: at inde non sequitur,



quitur, mala quæ à creaturis post lapsum nostrum Dei permissione imminere videntur, non posse à nobis timeri, & quantum in nobis est, caueri: imò qui non cauet, reprehenditur à Sapiente Prouerb. 27. *Astutus videns malum, abscondit se, paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia.* Sanè cauit veneficam Iezabel Elias, de quo 3. Reg. 19. *Timuit ergo Elias, & surgens abijt.*

*Ad 11.* Ad Vndecimum, Nego sequelam. Est enim discrimen, quòd ponere maleficium vt tale, intrinsecè malum sit; tollere autem vt tale, licitum natura sua sit.

*Ad 12.* Ad Duodecimum, Beneficia diaboli cunctis sunt nocentiora vulneribus illi, cui præ se fert diabolus ex intentione benè facere: is autem in nostro proposito est magus, si talis persistat, & pactio habeat quòd amoto signo dæmon desinet nocere; alioqui tota magorum colluuies, in cuius gratiã pacta sua perfidus impostor seruat, vt iustitiæ specie à vera iustitia homines abducat. Si autem pactio non sit de desistendo, desistere à maleficio non est propriè beneficium, etiam respectu magi: nisi iterùm consideres ideò dæmonem desistere, vt euidentior sit effectus pacti nocumenti. Ceterùm respectu maleficiati tantùm desistit malefacere, non autem benè facit. Denique Leonis dictum accipi debet de beneficio dæmonis acceptato: si enim sanet etiã nolentem, malum maius intendens, non propterea reipsa sic sanato magis nocet, aut maius malum corporale vel spirituale infligit: sicuti enim promissio non acceptata non obligat, ita donatio facta inuito & non acceptanti, non parit reciprocum benefactoris in eo amorem, qui dæmonis amor omni vulnere nocentior est.

*Ad 13.* Ad Decimumtertium, Si ista abrasio solùm fiat vt hac ratione signa tollantur, licita est; neque id negauit Victoria, sed eam improbat, si per ipsam putetur dæmon pellendus nulla rationabili allegata huius virtutis caussa. Ita num. 16. §. Et primum omnium.

*Ad 14.* Ad Decimumquartum, Argumentum istud quærit, Vtrùm liceat petere à mago, vt nouo maleficio soluat maleficium, si ad hoc paratus sit? Celebris hæc est quæstio, & altera pars principalis nostræ dubitationis.

*An liceat petere à mago ad hoc parato vt maleficio soluat maleficiũ.*

Conuenit in primis inter Doctores, Non licere magum ad hoc inducere, si paratus non sit; hoc enim esset inducere ad peccatum, quod nunquam licet. Suppono enim, non licere mago, maleficium à se positum minimo maleficio tollere, etiamsi totus mundus periret; non enim sunt facienda mala vt eueniant bona. Sed quia ferè eoipso quo magi sunt, solent ad hoc esse parati, quæritur, An saltem tunc liceat hoc ab eis remedij petere, sicuti licet à parato fœnerari petere mutuum, & à parato iurare per falsos deos petere iuramentum, iusta necessitate concurrente, vt suprà suis locis ostendimus. Neque tunc iterùm difficultas renouanda est ibi sopita, An liceat dicere, Solue nouo maleficio; certum enim est, hoc esse declinare ad magos, & consentire maleficio: sed quæritur, An tali liceat dicere, Iuua me modo aliquo licito; vel simpliciter, Iuua me. Et quia prior modus supponit, quòd aliquo modo licito magus iuuare possit, varia iterùm hìc oritur quæstio. Quæritur enim Primò, Si nullo licito modo iuuare possit, & hoc ipsum satis noueris, vtrùm aliquo modo eius operam implorare possis? Secundò, Vtrùm quando licito modo iuuare potest, puta amouendo signa, possis simpliciter rogare vt iuuet, non determinando petitionem ad modum licitum. Tertiò, Vtrùm quando dubitas an possit licito modo iuuare, possis eius opem implorare? Quartò, Quid faciendum tibi sit, quando nosti quidem licito modo posse, sed probabiliter existimas quòd nouo maleficio vtetur? Verùm Quartam illam quæstionem, quia hodie valdè controuersa est, peculiariter tractabimus sequenti Dubio.

*An liceat petere, si licito modo iuuare non possit. Prima opinio.*

Ad Primam itaque quod attinet, tres sunt sententiæ. Vna dicit, Licere à tali mago subsidium petere, & peccato eius vti ad soluendum maleficium. Ita tenet Angelus verbo Superstitio, n. 13. secutus Aureolum, & vtitur similitudine eius qui paratus est iurare per falsos deos. Probari potest Secundò, Quia licet ipsi dæmoni imperare per exorcismos, vt maleficium tollat, etiamsi sciatur hoc non nisi nequiter facturus.

*Altera opinio.*

Secunda sententia dicit, A tali malefico non licere precibus aut pretio petere vt maleficium maleficio soluat, sed licere minis & verberibus exigere; aut sanè, si quod ibi subsit peccatum, longè id leuius esse, quàm declinantis ad magos. Ita Remigius lib. 3. Dæmonolatriæ, cap. 3. Ratio est, Quòd qui minis & verberibus exigit, non honoret eum à quo exigit, sicuti qui precariò petit. Vnde & Constantinus in L. Nullus, C. De maleficis, tum demum eum punit, qui aruspice vsus fuerit, quando aruspicem suasionibus vel præmijs aduocauerit. Secundò non solùm in sagæ, sed etiam in dæmonis cõemptum cedit eiusmodi violentia: nam & ipse retractationem talem ægerrimè fert, cùm nocere potiùs desideret. Tertiò vtitur similitudine: non enim qui furi rem quam auferre conatur, minis aut vi illata extorquet, in vllo furem honorat, aut aliquid se indignum admittit. Quartò exemplo Exorcistarum, qui energumenos ligant, verberant, terrent, & sine crimine sunt.

*Tertia sententia verior, Non licere.*

Tertia sententia nec prece, nec minis, aut vi illata, aut quouis alio modo permittit procurare, vt operam suam impendat talis maleficus. Quæ omnino certissimò tenenda est; estque communis omnium DD. Basilium in Psalmum 45. D. Thomæ in 4. dist. 34. art. 3. Bonauenturæ, & aliorum eadem dist. Caietani, Nauarri, Delrij Sanchij, & aliorum suprà citatorum; Turrecrematæ, & aliorum Canonistarum in cap. Si per sortiarias, suprà citatum. Probatur ex sacris Litteris quæ damnant eos qui declinant ad magos, ariolos, aut diuinos consulunt, Leuitici 19. & 20. Deuteronom. 18. 4. Reg. 1. & alibi. Secundò ex Iure Canonico, caussa 26. q. 2. cap. Qui sine Saluatore, ex Augustino; item cap. Admoneant, & cap. Non obseruetis 26. quæst. 7. ex eodem Augustino; cap. Si quis ariolos, cap. Qui diuinationes 26. quæst. 5. ex Canone 23. Concilij Ancyrani; item cap. 2. De sortilegijs. Tertiò ex Iure Codicis, L. Nullus, & L. Nemo, C. De maleficis. Denique probatur ratione. Consentit facienti qui petit aut cogit vt faciat: consentiens autem facienti malum, dignus est morte, sicut ipse faciens, Rom. 1. Secundò, Dæmonem colit qui alium ad eius cultum inducit, siue pretio vel præmio, siue vi aut metu, vt tyranni: atqui

actus magicus est quidam dæmonis cultus; ergo qui quempiam ad illum inducit, etiam ipse dæmonem colit. Tertiò, Reus est læsæ maiestatis, & infidelis vasallus, qui petit vel accipit auxilium ab hoste sui Regis, etiam illud offerente, qui ab initio semper cum Rege certat de statu, & nihil beneficij confert, nisi quo sollicitet ad defectionem: cùm enim naturaliter benè afficiamur Benefactori, debemus omne dæmonis beneficium vitare, propter inimicitiam quam inter nos & ipsum Deus posuit: parum autem refert quòd per alium quis accipiat, modò sciat ab illo hoste venire. Ita ferè Silvester, qui opinionem Aureoli dicit esse nefandam occasionem infinitorum peccatorum, & conducibilem augendo regno diaboli. Non leuior censura est in articulis Parisiensibus apud Gersonem, vbi tamquam error damnatur art. 6. quòd licitum sit aut permittendum maleficia maleficijs repellere; & art. 7. quòd quis possit cum aliquo dispensare in quocumque casu, vt licitè talibus vtatur. Ex quo intelligimus, quo loco habendum sit quod Sprengerus narrat de quadam dispensatione super hoc obtenta per quemdam Episcopum maleficiatum, part. 2. quæst. 2. fol. 389. in eo multùm reprehensibilis, quòd existimet posse Papam dispensare, vt liceat nouo maleficio vti ad soluendum vetus: est enim hoc intrinsecè malum contra Ius naturæ.

*Resp. ad Probationes Primæ opinionis.*

Itaque ad Primum argumentum pro opinione Prima respondeo, Non esse simile: quia qui iuramentum exigit ab infideli, assertionem iuratam exigit, quæ sibi quodammodò debetur ratione conuictus humani, & quam alter præstare potest sine idololatria: in proposito autem, quod petitur, non potest magus, vt supponitur, legitimè præstare.

Ad Secundum respondeo, Quamuis dæmon omnia sua nequiter faciat, & vt diximus parte 1. quæst. 64. art. 2. nullum habeat actum moraliter bonum, sed semper malum, licet tamen ei per exorcismos imperare vt exeat ab homine, & ne ampliùs introëat in eum, & similia, quæ ex obiecto suo bona sunt, aut saltem licita: dæmon enim liberè in illis apponit malum finem, ideoq; peccat apponendo, quamuis non demereatur propter statum. Itaque etiamsi per impossibile esset aliquis inter homines qui bonum nullum posset benefacere propter depraua tã voluntatem, liceret tamen ei bona quædam imperare; verè enim quod imperatur, benè fieri potest; at maleficium benè fieri non potest.

At quæres, An liceat sine deprecatione petere à dæmone vt nocere desinat?

Respondet Suarez cap. 18. num. 5. Id non licere, nisi simul addatur aliquid, quo significes te hoc non petere deprecando, aut ex amicitia, sed contemptim, & quasi cum iurgio; verbi gratia, si dicas, Abi hinc, cessa malefacere. Ceterùm quamuis verum sit, non licere dæmoni dicere, Peto vt cesses, nihil addendo quo contemptum aut obiurgationem significes nutu, verbo, vel modo pronuntiandi; non liquet tamen, secluso scandalo, quomodo imperatiuo modo vtens, & animo solo amicitiam aut deprecationem excludens, peccet dicendo dæmoni, Cessa.

*Resp. ad 1. arg. Secundæ opinionis.*

Ad Primum Secundæ opinionis respondeo, Quamuis qui verberibus pulsat sagam, neque eam neque dæmonem videatur colere, reuerà tamen dæmonem colit, si ideò pulset, vt maleficio ipsa vtatur, sine quo quod petit, facere non potest. Maleficium enim, dæmonis cultus est, & qui ad illud cogit, ad dæmonis cultum cogit, & dæmonem iam honorat. Adde, quòd grauiùs peccet qui ad actum intrinsecè malum cogit, quàm qui tantùm hortatur aut rogat. L. Nullus, parum ad rem facit: illa enim in odium aruspicum, eos mulctat qui pretiò vel suasione ipsos in domum suam induxerint. Vnde consequens esse non potest, apud Deum reos non esse qui minis ad aruspicia eos coëgerint. Neque enim Lex ista adæquatè peccatum punit, sed fauori aruspicum derogat: quamuis probabiliter aliqui sic exponant, vt etiam casum Remigij complectatur. Adde, etiamsi apertè Lex diceret, nullam pœnam mereri eum qui verberando coëgisset: attamen absoluendo in foro exteriori, non absolueret in foro Dei, vt patet in simili Lege sequenti. ibid. vbi impunè permittitur magica incantatio ad sanitatem recuperandam, quam tamen non solùm punit Lex Dei & Canonica, sed etiam Constitutio Leonis Imperatoris & Caroli V.

*Ad 2.* Ad Secundum, Non minùs honoratur dæmon, quando signum ponis ne noceat, quàm dum ponis vt noceat: quamuis enim libentiùs noceat, obsequeris tamen ei tamquam confœderatus, in vtramuis partem pacto vtens. Deinde quando nocere desistit, beneficus videtur, & magis Deo, quod semper affectat, in hominum opinione assimilatur. Verum quidem est, quòd frequenter simulet se inuitum retrahi, & quòd retractus soleat in ipsammet clientulam suam sæuire, nisi in alterum saga ipsa sæuiat; sed non ideò in tali retractu non colitur, sed vel simulat se aliter coli malle, vel reuerà mauult, cum maiori hominum damno.

*Ad 3.* Ad Tertium, Est dissimile: talis enim non fit socius furis, noster autem coactor fit socius dæmoniorum, ad quorum sacra compellit: nulla enim protestatio quòd nolis honorare dæmonem, te iuuat, si actio quam facis aut fieri curas, sciatur certò eius cultum continere, vt benè obseruat Sanchius. Protestatio ergo tum locum non habebit, quando moraliter certus fueris quòd maleficus nouo vtetur maleficio.

*Ad 4.* Ad Quartum, Neque illud est simile: non enim terrore suo adigunt ad faciendum aliquid ex obiecto malum.

*An liceat simpliciter petere vt iuuet, quãdo licitò modo iuuare possit.*

Ad Secundam quæstionem respondeo, Debere exprimere modum licitum, verbi gratia, dicendo, Iuua me modo licito; non autem dicendo solùm, Iuua me. Quamuis enim etiam licito modo magus iuuare possit, quando tamen vis vti eius operâ, & nescis vtro modo, licito an illicito volet iuuare; debes eum simul hortari vt licito modo id faciat. Sicuti etiam quando spes eius obtinendi affulget, teneor petere vt sine vsura mihi præstetur mutuum, aut sine idololatria iuramentum. Ita Caietanus Opusc. De maleficio, Sanchez disp. 95. num. 11. in fine, Delrius lib. 6. cap. 2. sect. 1. quæst. 2. Si tamen probabiliter existimes quòd sua sponte modo licito remedium sit adhibiturus, non peccabis indefinitè petendo.

Existimat Suarez, numquam peccare, & ad quæstionem absolutè respondet affirmatiuè, nimirum



nimirum quando petens timet & dubitat, an alius superstitioso, an verò licito modo sit soluturus maleficium, si certò nouit licito modo soluere posse, talem non peccare absolutè petendo, eò quòd petitio ex se sit indifferens, & ex parte personæ cesset morale periculum, & in dubio possit præsumi bonum potiùs quàm malum.

*Verius non licere.*

Sed quod diximus, verius est, Primò, Quia procliue est scandalum aut cooperatio ad malum, quando enim magus à se peti videt auxilium, cogitare potest à se tamquam mago peti, sicuti quando à Medico petitur auxilium, à Medicina quodammodò petitur. Secundò, Quia non videtur satis cauere diuino honori, qui eiusmodi determinationem relinquit arbitrio viri diabolici. Tertiò, Indicas quasi ex Religionis contemptu, tibi indifferens esse vtro modo fiat: qui enim à magis iuuari volunt, si veræ Religionis sint memores, solent stipulari, quòd non nisi licitis vtentur. Quartò, Si non esset magus, rectè præsumeretur potiùs bonum quàm malum; sed quando magus esse scitur, qui æquè libenter, imò libentiùs magicè operatur quàm licitè, & fortè diabolo sic studet placere, non est præsumendum potiùs bonum quàm malum, quia semel malus, semper præsumitur malus; peccas itaque tali periculo eum obijciens.

*Quidsi dubites an licito modo iuuare possit.*

Ad Tertiam quæstionem respondeo, Non posse me eius opem simpliciter implorare, de quo dubito an licito modo iuuare possit. Ita Suarez, Sanchez, Delrio. Ratio est, Quia in dubio præsumitur aliter non posse iuuare quàm magicè, quia hoc frequentius est, vt magi aliter soluere maleficium non possint. Et hoc maximè verum erit, quando magus qui aditur, putatur non esse ille idem qui maleficium posuit: is enim præsumitur etiam de ipsis maleficij signis nihil posse scire, nisi per nouum maleficium. Secundò, Si dubito an ipse possit licitè præstare quod peto, etiam dubito an licitè petam; operans autem ex conscientia dubia, peccat, vt diximus 1. 2. Quæ ratio etiam poterit habere locum, quando aditur magus qui nocuit. Credo tamen, absolutè posse peti vt nocere desinat; hoc enim semper licitè potest & debet. Quamuis enim non semper magus efficere possit vt dæmon desinat nocere, si tamen faciat quod licitè potest & debet, ipse nocere desinit. Potest etiam semper in tali dubio peti, vt si licitum habeat modum, iuuet. Sed rectè monet Delrio, licitum istum modum, quem se habere dicit aut simulat, explicandum esse & examinandum.

## DVBIVM XIII.

*Virùm liceat petere remedium ab illo maleficio, qui sciatur quidem posse licito modo maleficium tollere, moraliter tamen certò aut probabiliter putetur id non nisi nouo maleficio sublaturus?*

*Sententia affirmatiua*

LICERE tenent aliquot recentiores, Petrus Ledesma in quæst. 58. Supplementi, artic. 2. dub. 2. conclus. 3. qui neminem pro hac sententia citat, sed dicit multos viros doctos ita tenere, & sibi videri certã. Sanchez lib. 7. De matrimonio, disp. 95. numero 11. cum quadam limitatione idem sentit: dicit enim id licere, modò non permittatur maleficus maleficiato applicare medicinam aliquam vanam & superstitiosam, eò quòd hoc esset non tantùm vti peccato alterius, sed etiam medio seu remedio intrinsecè malo. Addit Secundò, Quando spes esset quòd prodesset monitio, legem charitatis obligare petentem, ad monendum maleficum, vt licito modo curet. Idem Auctor lib. 2. in Decalogum, cap. 41. addit Tertiò, Non licere petere à maleficio vt soluat maleficium, quod constat modo licito solui posse, quando constat illum modum licitum ab eo ignorari, eò quòd sic dispositò sit quasi impossibilis. Quod extendit ad casum quo dubites, an magus eum modum licitum noscat. Addit ex Suare, non æquè in casu nostro licere petere remedium à maleficio, ac licet petere mutuum ab vsurario, propter scandalum quod non æquè euitatur hîc atque ibi, cùm per se satis notum sit, mutuatarium non approbare vsuras. Suarez De superstitione, cap. 18. numero 10. sine limitatione simpliciter hanc partem amplectitur. Citat pro ea Henriquez lib. 2. De matrimonio, cap. 8. numero 3. sed iste hoc apertè non tenet: solùm enim vult, licere à maleficio, qui potest licito modo maleficium soluere, petere vt soluat; quod etiam superiori Dubio verum esse, satis ostendimus: in limitato autem casu huius nostri Dubij non loquitur. Tenet idem Raphael de la Torre in huius partis q. 95. art. 4. disp. 2. assertione 5. qui tamen monet, extra necessitatem id non licere.

*Negatiua sententia.*

Non licere, tenent Binsfeldius, in tit. C. De malef. quæst. 5. conclus. 3. Caietanus Opusc. De maleficio; Delrio lib. 6. cap. 2. sect. 1. quæst. 2. vt fatetur Sanchius; quamuis Delrium conetur explicare Suarez, quasi non loquatur in casu quo maleficus signa maleficij licito modo destruere possit, sed solùm quo tolli possint licitè ab alio, quamuis ab hoc non possint nisi per nouum maleficium. At frustrà ita aliò trahitur inuitus Delrius: subiungit enim eiusmodi assertionem, Licet à malefico petere vt maleficium tollat, quandocumque probabiliter credo, illum sine maleficio, modo aliquo licito id facere posse, siue quandocumque non sum moraliter certus, quòd vtetur modo illicito. Deinde in fine quæstionis etiam illum qui dubitaret, ánne licito vel illicito modo sit vsurus, cùm licitum habere sciat, vult non posse vti eius operâ sine examine modi adhibendi; multo minùs si post examen deprehendatur modus illicitus reipsa adhibendus. Videntur quoque omnes idem sentire, qui dicunt, non licere à malefico, quantumuis parato, petere amotionem maleficij, quando id putatur facturus per nouum maleficium: qui sanè modus loquendi omnium est DD. præter Angelum & Aureolum. Ita Gerson De erroribus circa artem magicam, Siluester verbo Maleficium, quæst. 8. & alij passim.

*Probatur sententia negatiua 1.*

Pro hac sententia facit Primò, Quòd quamuis aliquo casu liceat vti peccato proximi, numquam tamen liceat vti societate dæmonis: vtitur autem societate dæmonis, qui vtitur operâ magi, vt est magus; vtitur autem operâ magi, vt magus est, qui vult vti eius operâ, etiamsi intelligat non aliam sibi sperandam nisi magicam, esto alia mago sit possibilis. Tria asseruntur in hoc argumento, quæ singula videntur euidentia in vera Theologia.

*Omne commercium cũ dæmone interdictum est.*

Primum est, Numquam licere vti societate dæmonis. Apertè istud inhibet Scriptura 1. Cor. 10. *Nolo vos socios fieri dæmoniorum.* Imò per inimicitias

tias quas Deus posuit inter nos & serpentem, prohibita est nobis cum eo omnis communicatio dati & accepti, adeò vt materialis & formalis societas dæmoniorum non ita distingui possit sicut societas furum, aut vsuratiorum, aut infidelium, aut aliorum hominum peccatorum: idque non ideò solùm, quòd quidquid dæmon agit, malè agat; sed quia, vt ostendimus in simili, Cap. superiori, Dubio 4. & fatetur etiam Suarez, omni beneficio suo erga nos affectar opinionem diuinitatis, & nos ad defectionem à Deo sollicitat, cuius defectionis periculo nos censemur exponere, si vel minimum eius in nos officium vel beneficium, vel vllum cum eo commercium aut societatis specimen admiserimus. Societate enim eius vti non possumus, quin socij eius continuò fiamus interpretatiua conspiratione, propter strictissimam periculosi commercij inhibitionem: furis autem societate in bonum vti possumus, etiamsi non fiamus socij furum. Ad societatem autem dæmonis pertinere, si quis vtatur operâ magi vt magus est, negari non potest; sicuti negari non potest quin vtatur commercio fœneratoris vt fœnerator est, qui sub vsuris ab eo mutuum accipit, eiusque peccato vtitur promittens stipulatas vsuras. Denique vti operâ magi vt magus est, etiam illum de quo agimus, qui nouit quidem magum licitè posse iuuare, sed non sperat ab eo iuuari, nisi per maleficium, & nihilominùs operâ eius vtitur, patet: sic enim vtitur operâ vsurarij vt vsurarius est, qui mutuum ab eo promissis vsuris accipit, quod aliter non daturum nouit, etiamsi possit. Confirmatur hæc Probatio grauissimâ sententiâ Tertulliani lib. De idololatria, cap. 11. *Grauiora*, inquit, *delicta quæque pro magnitudine periculi diligentiam extendunt obseruationis, vt non ab his tantùm abscedamus, sed etiam ab ijs per quæ fiunt: licet enim ab aliis fiat, non interest, si per me.* Secundò, Talis consulens magum, sine Saluatore vult habere salutem contra cap. Qui sine 26. quæst. 1. ex Augustino. Denique talis non satis cauet magna illa & necessaria vigilantia, qua nobis dæmon per beneficia, quæ ei aliena sunt, ad sua nitens adducere, cauendus est, secundùm eumdem Augustinum Enchiridij cap. 69.

2. *Accedens magum, exspectat effectum à dæmone.* Facit pro hac sententia Secundò, In proposito nostro accedens magum, non exspectat effectum à Deo, neque rationabiliter à natura: atqui aliter effectum exspectans, inuoluitur implicito pacto dæmonis, vt habet artic. Parisiensis 3. apud Gersonem, & conformè est D. Augustino & communi DD. vt patet ex dictis Dubio 18.

3. Tertiò, Articulo 6. ibid. apud Gersonem damnatur, qui permittendum dixerit vt maleficia maleficiis pellantur: atqui in proposito nostro petens à malefico remedium, saltem permittit sibi per maleficium remedium parari. Neque videtur hoc multùm excusare, quòd physicè nihil superstitiosum sibi applicari permittat, vt Sanchez cauendum fatetur: sufficit enim quòd permittat pro se tale remedium parari. Neque apparet, quomodo eo moraliter non censeatur vti. Cap. Si de area 26. quæst. 1. ex Augustino damnatur Christianus, qui de area sua vel torculari sciens & prohibere potens, permittit aliquid tolli ad sacrificia dæmoniorum: peccat ergo qui sanitati suæ per similia consuli permittit. Sanè peccasset Ochozias, si nuntios, quos nouerat ituros ad Beelzebub, etiamsi ad Eliam aut ad Deum Israël ire potuissent, pro sua sanitate consultum misisset.

Quartò, Ratio qua Siluester & alij vtuntur contra Angelum, etiam hîc locum habet, quòd nimirum reus sit diuinæ maiestatis, qui ab eius hoste ad defectionem sollicitante, sibi beneficium conferri permittit. Rectè Sotus lib. 8. De iustitia, quæst. 3. art. 2. hoc fieri non posse dicit, propter iugem militiam & inimicitiam quam contra diabolum exercere debemus sine vllis induciis, aut specie dissimulationis: quare neque tamquam superiores, neque tamquam inferiores aut pares dæmones nobis, tractandi sunt aut habendi, sed solùm tamquam perpetui hostes, à quibus nihil auxilij, nihil officij sperare, aut vltrò oblatum mediatè vel immediatè accipere liceat. 4.

Dico, *mediatè*; sicuti enim à Deo auxilium petit, qui illud per Dei Prophetam petit; ita à diabolo, qui per magum petit. Imò faciliùs hîc subest interpretatiua petitio, & sufficit scientis & potentis impedire permissio quæ est in proposito nostro, cum adiuncta aliqua specie datæ occasionis.

Quintò, Cap. Non obseruetis, Augustino in multis codicibus adscriptum, caussa 26. quæst. 7. quo Gerson & alij vtuntur, ita habet: *Qui autem talibus magis credunt, aut ad domos eorum euntes, aut suis domibus introducunt vt interrogent, sciant se Fidem Christianam & Baptismum præuaricasse.* Atqui is de quo agimus, ad domum magi accedit, & remedium à magia accipit. 5.

Sextò, Oppositasententia aperit fenestram incantationibus: non enim deerunt magi, qui simul artem Medicam profitebuntur, & probabiliter persuadebunt se posse naturaliter curare, quod tamen scientur superstitiosè facere. Deinde ipsi magi qui maleficium posuerunt, sæpè possunt modo licito curare: itaque semper tales poterunt, quando probabiliter id constiterit, prece, pretio, minis, aut etiam verberibus moderatis à priuato, aut etiam grauibus à Iudice, quæ necis aut grauis morbi periculum adducant, induci aut compelli vt iuuent maleficiatum, etiamsi certissimò sciatur, quòd noua incantatione vtentur, ad quam æquè solét esse procliues ac ad licita remedia. Imò vel hac occasione diaboli instinctu erunt procliuiores, vt sic saltem simpliciores irretire videatur. 6.

Septimò, Si quis indigeat operario, non posset vti mago quem sciret magicè opus suum expleturum, etiamsi id posset naturali labore facere; quamuis in simili necessitate posset petere mutuum ab vsurario eiusque operâ vti. Quis enim dixerit, si auriga quispiam magus sit, qui te possit naturali ope per equos & currum suum Antuerpiâ Louanium transferre, licere tibi cum eo pacisci, vt te hinc eò transferat, etiamsi præscieris, quòd non per equos suos, sed per ipsum dæmonem transferet? 7.

Octauò, Oblatum iuramentum infidelis, oblatum mutuum vsurarij possum, si indigeam, acceptare, etiam præscius idololatriæ & vsuræ: si autem oblatum maleficium, quo sanet à mago, accepterm, ita me gero, quasi non esset Deus in Israël. 8.

Nonò, Vti malitiâ alterius, aliquando licet; vti autem maleficio alterius, non licet, quia vsus maleficij alieni per se specialiter omni iure est interdictus, vt ex dictis patet: cuius ratio bona indicatur à Siluestro. Quia vsus maleficij alieni in proposito 9.



posito non est sine consensu in aliquid quod sine peccato fieri non potest: requirens enim operam maleficij in proposito, consentit in eam quam de facto præstabit, quatenus per ipsam iuuabitur; iuuatur autem vt interuenit opera dæmonis. Secùs est in petente mutuum ab vsurario: is enim non iuuatur per vsuras quæ potiùs grauant, sed solùm consentit in mutuum quo iuuatur.

10. Decimò, Non minùs fit socius dæmoniorum qui præscius interuenturi maleficij vtitur operâ maleficij, quàm qui præscius immolationis factæ, vescendum accipit idolothytum; esto poterat idē à quo accipit petitas in genere carnes suppeditare non immolatas. Poterit ergo qui non præsciuit maleficium nouum adhibendum, excusari, si quod petiuit, sciebat sine maleficio alterum posse præstare: non poterit autem, si præsciuit maleficium adhibendum.

11. Vndecimò, Si magus non posset te maleficio iuuare, sed sola naturali remotione signorum; scires autem quòd non sit à te inducendus vt signa amoueat, non peteres ab eo remedium. Quando ergo in proposito petis, ideò petis, quia vides quòd saltem per maleficium iuuabit, quod est vti maleficio aut societate diaboli: & nequam hominem callentem eiusmodi artem, adeoque ipsam artem magicam consulere, quod sub grauissimis pœnis meritò interdictum est cap. Si quis Episcopus, ex Concilio Toletano IV. caussa 26. quæst. 5. & cap. 2. De sortilegijs.

12. Duodecimò, Magnum argumentum peti potest ex Rituali Romano suprà citato. Verba referam: *Aliqui* (dæmones) *ostendunt factum maleficium, & à quibus sit factum, & modum ad illud dissipandum: sed caueat ne ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios quàm ad Ecclesiæ ministros confugiat, aut vlla superstitione, aut alio modo illicito vtatur.* Hæc sententia videtur vera, maximè propter primam rationem.

*Argumenta pro sententia affirmatiua.* Contrariæ sententiæ auctores vnico nituntur fundamento, quòd aliquando liceat vti peccato proximi, quando nimirum quod petо, ipse sine peccato præstare potest, & ego iustam habeo caussam petendi, aut non subtrahendi materiam, aut etiam materiam suppeditandi, vt patet in petente mutuum ab vsurario, iusurandum ab infideli iuraturo per idolum, Sacramentum à Parocho concubinario, & docet luculentè D. Thomas De malo, quæst. 13. art. vlt. ad 17. 18. & 19. & alibi. De vsura & iuramento dictum est suprà hac parte, & de Sacramentis in 3. parte, & ostendimus, idem licere, suprà De scandalo, Dubio 4.

*Respond.* Sed respondendum est, Licere quidem tribus istis casibus & similibus vti peccato proximi, sed inde non sequi quod infertur, licere etiam vti maleficio proximi, quia bono quod nobis est ex actione malâ proximi, possumus vti aliquo casu, etiamsi talem proximi actionem circa nos impedire possimus, vt patet ex dictis, quando De scandalo: bono autem quod nobis est ex actione diaboli circa nos, non possumus vti, si illam actionem diaboli impedire & auertere sit in nostra potestate; quia etiam bonum ab ipso non possumus acceptare. Licet ergo hominis mihi aliquando benè vti vitiato per vsuras mutuo, illicito iuramento, aut prauo ministerio; quia mutuo, ministerio, & iuramento eius possum vti, imò humana societas ad eiusmodi vsum ius præbet. Non licet autem ope dæmonis per maleficium mihi à malefico procurata vti, quia in nullo mihi licet dæmonis ope aut societate vti, nec in bono acquirendo, nec in malo pellendo. Neque ea quæ naturaliter nouit, & mihi vsui essent, possum ab eo siue per se, siue per magum offerente discere vel accipere quantumcumque bonum est, si à dæmone sit, & hoc sciam ab ipso esse, & cùm possim auertere, hoc permittam vt ab ipso mihi obueniat, iam mihi malum est, cui nihil ab eo accipere præceptum est, quem etiam dum verè & probè loquitur, exemplo Christi & Apostoli compescere potiùs debeo: parum enim refert, quòd magus possit petitioni meæ licito aliquo modo satisfacere, cùm sciam quòd interueniet opera dæmonis, qua vti etiam per magum omni modo mihi est illicitum. Cùm enim magum, quem non aliter subuenturum noui, quamuis licito modo subuenire possit, imploro, duos imploro, magum & dæmonem, aut potiùs in mago dæmonem: dæmon autem qui à me imploretur aut acceptetur, licitè nullo modo me iuuare potest. Itaque peto, quòd licitè me scio acceptare non posse.

Dices, Homine tantùm vti sic petentem, non diabolo. *Obiect.*

Respondeo, Verè vtitur diabolo per hominem, quem nouit per diabolum adiuturum; sicuti Deo dono vtitur, qui Medico vtitur, quia Medicinam creauit Altissimus. Deinde non tantùm vtitur homine, sed vt proximo principio, vtitur arte hominis diabolica, qua vti non potest sine societate diaboli: eâ autem irretitur, qui vtitur eius confœderato, & transfugit à Deo ad partes diaboli. *Resp.*

Dices iterùm, Non vtitur nisi vt homine qui possit legitimè iuuare; sicuti qui mutuum accipit vtitur fœneratore vt mutuatore. *Obiect.*

Respondeo, Mutuatarium verè vti malo fœneratoris, & cum eo commercium vsurarium inire: at omne commercium cum dæmone interdictum est, adeoque etiam cum mago, vt tali; quare nec ab vsurario mutuum accipere licebit sub vsuris aut sine vsuris, si illud arte diabolica suppeditaturus sciatur, etiamsi aliter suppeditare possit: rectè enim dicit D. Augustinus lib. 4. Contra Iulianum, cap. 7. *Aliud est malo benè vti quod iam inerat, & aliud est malum perpetrare quod non erat.* *Resp.*

Obijcies, Quando vtor iuramento iurantis per falsos deos, etiam vtor societate eius cum idolis. *Obiect.*

Respondeo, Id verum non esse, suprà ostendimus, quando De iuramento, Dubio 10. Confirmatur, Quia iurans, Iouem inuocat in testem, dicit, Sic me perdat, sic me iuuet Diespiter; tibi nihil confert nisi fides, qua homo tibi iungitur, qua rectè vteris; magus autem inuocat dæmonem vt te iuuet. Fœderi ergo iungeris, per quod iuuari sustines, sicuti iuranti iungeris in pacto fidelitatis, qua in humani conuictus necessitate iuuaris. Si idololatris, quibus fortè conuiuendi necessitas est, in talibus communicare non liceat, oportebat nos de hoc mundo exisse: at magi inimici sunt totius generis humani, vt dicit Constantinus L. Etsi, C. De maleficis; & sunt naturæ peregrini, vt dicit idem eodem tit. L. Multi, quia non tantùm alienæ, sed etiam propriæ vitæ quodammodò insidiantur, propriorum infantum corda deuorant, fruges vnde vita hominum sustentari solet, perdunt; denique ob facinorum magnitudinem, quasi antonomasticè malefici vocantur, *Peccato proximi vti, aliquando, maleficio aut actione diaboli, numquam licitum.*

ei nimirum confœderati,ad eum transfugę,adeoque ipso etiam quodammodò peiores, qui homicida est ab initio, & nihil aliud meditatur, quàm nostri generis perditionem,& diuini cultus euersionem. Vnde factum est, vt etiam apud Gentiles exosissimi fuerint magi, vt docet Augustinus lib. 8. De ciuitate Dei, cap. 19. Ideò enim apud Poëtam Dido iurabat, se magicas inuitam accingier artes: ideò Leges 12. Tabularum supplicium ei statuunt, qui alienas fruges incantassit: ideò Apuleius copiosissima oratione crimen huius artis à se alienum asseruit. Testantur id Mathematici Vrbe & Italiâ pulsi, vt eorum angeli cælo, vt est apud Tertullianum De idololatria, cap. 9. Quare non placet quod Adrianus Quodlibeto 3. art. 2. insinuat, non tam Ius naturæ, quàm positiuum impedire, quò minùs in casu nostro liceat vti operâ magi: ius enim naturæ obstat, & quidem tam clarum, vt etiam gentilitas cæca vtcumque id viderit. Verum quidem est, hoc Ius naturæ aliquid quasi positiuæ Legis supponere de perpetua exercenda cum dæmone hostilitate: hoc enim naturale est, supposita Dei permissione, qua voluit eum qui nos traxit in peccatum, ad exercitium nostrum permittere perpetuum insidiatorem & hostem; hostis enim huius suppositi calliditate, potentia, & perpetuis insidiis, naturali Lege ab omni eius commercio tamquam summè nobis periculoso diuellimur.

Nunc verò denique patet, admodum dissimile esse quod adducunt de petente Sacramentum à ministro peccatore, quasi æquè liceat à diaboli ministro expectare sacra diaboli, eò quòd res licita æquè petatur vtrobique, ac licet à Parocho expetere Sacramenta Christi. Excusatur hoc communione diuina, grauatur illud communione diabolica; Parochus in ritu quem adhibet, non peccat, quamuis adhibendo legitimum ritum sancta non sanctè tractet, eoque peccet; magus autem diabolicum adhibet ritum. Illum ergo non magis pro te tolerabis, quàm cum hæretica cærimonia Baptismum, aut benedictionem per idola. *Benedici*, inquit Tertullianus suprà, cap. 22. *per deos nationum, maledici est per Deum.* Subiungit quod nostro admodum quadrat proposito: *Si dedero eleëmosynam, vel aliquid præstitero beneficij, & illi mihi deos suos, vel coloniæ genium propitios imprecetur, iam oblatio mea vel operatio idolorum honor erit.* Et infrà: *Deus videt quoniam propter ipsum feci, pariter videt quoniam propter ipsum feciſſe me nolui ostendere, & præceptum eius idolothytum quodammodò feci.* Hæc, inquam, proposito nostrò quadrant: damnat enim Tertullianus illum Christo initiatum, qui sustinet sibi benedici per deos nationum, & hoc non auertit, etiam dum eleëmosynam facit propter Deum. Si eleëmosyna tua, res Deo grata, quodammodò in idolothytum vertatur, quia sustines inde benedictionem idololatricam, etiamsi poterat, imò aptior erat ad Dei potiùs benedictionem prouocare quàm ad diabolicam: quomodo non vertetur in idolothytum supplicatio tua, qua à diabolico homine vt homine quidem iuuari, sicut fieri poterat, postulas, à diabolico autem per maleficium benedici sustines? Benedictio enim malefica honor est dæmonis, & idololatria. Vnde DD. grauiter reprehendunt Iudices, qui cogunt maleficas ad benedicendum maleficiatis, vt videre licet apud Delrium lib. 6. cap. 2. sect. 1. quæst. 2. Sanchium sup. disp. 95. numero 10. Ceterùm istud de hoc Dubio, studio veritatis inuestigandæ disputasse sufficiat.

Sed quæres, Quid sit sentiendum de probabilitate & securitate in praxi sententiæ oppositæ?

*Quid in praxi licitum sit secundùm sententiam affirmatiuam.*

Respondeo, Postquam diu multumque hac de re cogitaui, & cum multis viris doctis contuli, mihi videri distinctione quadam posse vtcumque dirigi securamque reddi in praxi conscientiam, vt prior opinio, quæ affirmat licere, possit in praxi tamquam probabilis, salua maiori probabilitate sententiæ oppositæ, tolerari & admitti, quando agitur de sanitate aut sospitate, aut alio bono hominis per dæmonem aut maleficium ablato recuperando; & nihil superstitionis applicatur sanando, sed solùm desinit ei nocere dæmon, & sanitatem, aut bonum ablatum redire permittit: tunc enim non propriè accipimus à dæmone beneficium, sed Dei donum nobis impedire desistit. Posterior autem semper obtineat, quando à dæmone propriè prouenit aliquid beneficij, ita vt quodammodò censeamur fieri eius beneficiarij, eo beneficio operâ magi ab ipso dæmone accepto, aut sanè eius operâ vti videamur extra casum quo merè agimus pro nostræ læsionis ab ipso inflictæ ablatione. Aduerto enim, duas deformitates esse hîc excludendas; vnam, quòd occasionem peccandi videamur mago præbere. Illa vt talis, poterit excludi per necessitatem; sicuti dùm ab vsurario accipimus mutuum cum promissione vsurarum. Altera est, quòd non satis vitemus societatem & communicationem cum diabolo. Hæc tum demum videtur probabiliter excludi, quando dicto modo pro sola nostra indemnitate agimus.

Hinc infertur, Etiamsi quis fuerit in necessitate, non licere ei, quod etiam suprà insinuauimus, petere à mago mutuum ad vsuras, si magus credatur pecuniam mutuandam à dæmone per magiam inuocato accepturus, etiamsi aliunde dare mutuum possit. Licet tamen in commercijs recipere & exponere pecunias, quas magus arte diabolica inueniendo occultum thesaurum effodit. Ratio diuersitatis est, quòd donum à diabolo proueniens possit in triplici statu considerari. Primò, Quando actualiter offertur aut confertur à diabolo. Tunc eo vti, esset illud acceptare, & pertineret ad societatem diabolicam. Secundò, Quando donum quidem iam antè datum, sed in eius conseruatione aliquid superstitiosum ex præscripto magi adhibetur, vtpote si sanitas debeat conseruari appenso ad collum aliquo scripto seu amuleto superstitioso. Et hoc casu etiam illicitum est vti donis diaboli. Tertiò, Quando donum siue cum peccato siue sine peccato initio acceptum, nunc omnino est independens à potestate diaboli. Et eo casu licet id conseruare, eoque vti. Benè hæc distinxit Raphael de la Torre disp. 1. ad art. 4. quæst. 95. huius partis.

*Donum diaboli triplicitèr considerari potest.*

Aduertendum porrò hîc est, Non admittere nos, hanc praxim esse probabilem, quando non certò constaret, magum posse licito medio iuuare; tunc enim semper esset peccatum graue, ab eo petere auxilium, etiamsi esset paratus, propter rationes superiori Dubio adductas.

Dices, Etiam tunc vtor Iure meo, agens pro sola indemnitate.

Respondeo, Ius istud non facit vt sint facienda mala vt eueniant bona; facis autem in proposito malum,



malum, quando alium requiris vt id faciat quod non nisi malè facere potest, aut saltem facis id de quo dubitas an sit licitum, dubitando de eo vnde pendet eius permissio.

Dices iterùm, Gentilis non potest licitè iurare, quia vel iurat per falsum deum, vel iurat per eum quem non putat deum; licet tamen ab eo iuramentum exigere.

Respondet quidam, Neminem laborare ita ignorantia vnius Dei, quin saltem confusam veri Dei notitiam habere possit, & sua culpa ea careat; quia saltem in primo instanti vsus rationis eam habuit vel potuit habere, ideoq; sua culpa ei esse impossibile, iurare per verum Deum, idque satis esse vt liceat ab eo exigere iusiurandum quod per verum Deum præstare potest, etiamsi per falsum deum sit iuraturus.

Aliter respondeo, Si quis omnino ignoraret modum iurandi per Deum verum, ab eo non licitè posse exigi iuramentum; sed eos cum quibus Christiani agunt, non posse omnino id ignorare, cùm saltem videant quando à Christianis iuramenta vicissim exigunt, eos iurare per Deum verum: & si omnino putentur ignorare, non petatur ab eis in genere vt iurent, sed vt per verum Deum iurent; tunc enim si dicant nescire alium verum Deum quàm suum idolum, poterit fidelis acceptare eorum iuramentum per idolum: hoc enim non est inducere ad malum, sed vtendo iure suo, petere quod rectè præstari potest.

## DVBIVM XIV.

### *Quænam licita, quæve illicita maleficij remedia?*

SVPERIORIBVS duobus Dubijs diximus de remedio licito ex amotione signi, & illicito ex nouo maleficio; nunc de alijs naturalibus, supernaturalibus, & superstitiosis remedijs inquirendum. Et primùm quidem de naturalibus.

*De remedijs naturalibus.*

Vbi in primis non potest magnam habere quæstionem, Anne liceat remedia naturalia adhibere, quæ similibus malis adhiberi solent, quando malum in conseruari non ampliùs pendet à maleficio, etiamsi per maleficium inflictum sit: verbi gratia, non est dubium, quin arte Medica liceat curare vulnus, quod maleficio inflictum est. Sed nostri instituti est potiùs videre, an aliqua, & quænam remedia naturalia rectè adhibeantur tollendo effectui, qui adhuc pendet à maleficio, adeoque quæ adhiberi possint ipsi maleficio in se prout caussat talem effectum. Ex Scriptura enim videntur nobis quædam eiusmodi naturalia remedia commendari. 1. Reg. 16. citharа contra insultum dæmonis adhibetur, & meliùs habebat Saul, citharizante Dauide. Tobiæ 6. ex pisce quodam traditur ab Angelo remedium; dicit enim Tobiæ: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.*

*An dentur quæ ex se valeant contra maleficium?*

*Pro affirmatiua argum. 1.*

1. Secundò, Idem colligitur ex Canonibus: cap. enim Dæmonium 26. q. 7. quod tribuitur Hieronymo, ita habet: *Dæmonium sustinenti licet potras vel herbas habere sine incantatione.* Flagellum dæmonum per Hieronymum Mengum documento 3. præscribit, vt certa quadam benedictione ista adhibeantur.

3. Tertiò, Iosephus lib. 8. Antiquit. Iudaic. narrat, quemdam Eleazarum Iudæum per radicem à Salomone inuentam, dæmones ab energumenis abstraxisse.

4. Quartò, Sunt qui existiment, conuitijs dæmonem posse abigi quasi naturaliter, quibus fidem accommodat Lutherus in Symposiacis. Sanè etiam D. Antonius conuitijs legitur dæmonem excepisse apud Athanasium.

5. Quintò, Sunt qui arbitrentur, galli cantu quædam maleficia dissipari. Ita ex sagarum confessione Remigius lib. 1. cap. 14. Dæmonolatriæ, quod alij ex dissidio naturali galli & serpentis confirmare nituntur.

6. Sextò, Lotionem manuum matutinam prodesse, traditum reperitur apud eumdem Remigium cap. 10.

7. Septimò, Idem auctor alibi putat salem maleficia soluere.

8. Denique alia multa eiusmodi remedia collegit Delrius lib. 6. cap. 2. q. 3. sect. 2.

Vt propositæ quæstionis explicationem inueniamus, quædam præmonenda sunt.

*Res corporeæ indirectè tantùm prosunt contra maleficia.*

Vnum, Directè res corporeas in dæmones virtute sola naturali nihil posse, sed tantummodò secundariò & indirectè. Est hæc communior Theologorum sententia, certissimo nitens fundamento, nimirum rem corpoream, cùm solùm imprimere queat qualitatẽ corporalem, non posse naturaliter agere in spiritum, qui eiusmodi qualitate non magis affici potest, quàm vox esse alba, aut lapis intelligere. Alterum est, Indirectè & secundariò verè naturalia quædam contra maleficia prodesse remedia, idque variis modis. Primò, Morali tantùm efficientia, puta, quia illis applicatis signum maleficij cessat, de quo diximus Dubio 12. Vel quia dæmon talibus offenditur, quomodo nonnulli dicunt eum offendi cæso aut irriso dæmoniaco, eò quòd quæcumq; talia dum fiunt circa corpora obsessa, dæmon accipiat vt facta in sui despectum ac ludibrium. Vel quia licet naturalia sint, tamen rememoratiua sunt rei alicuius quam indignissimè fert dæmon: quomodo fortè ipsa insufflatio Exorcistę reddit eum memorem succensionis ignis infernalis quo continuò ardet; thus accensum, orationis Sanctorum; sulphur cum igne, carceris infernalis; ruta, amaræ Christi passionis. Volunt tamen vt ista efficaciam habeant, certo modo priùs debere benedici. Secundò, Potest etiam moralis tantùm esse efficientia, immediatè in ipsum maleficiatum: verbi gratia, si quid dum intelligitur eum voluptate afficiat, quam non ferat dæmon, quomodo Philosophiæ studiosos minùs maleficijs esse obnoxios quidam dixerunt. Tertiò, Physica efficacia se exerit in maleficiatum, vel per qualitatem aliquam occultam ipsius substantiæ; quo modo in lapillis & herbis vis esse potest contra maleficium: vel per manifestam aliquam qualitatem, qualis est quæ ab elementorum qualitatibus prouenit; affectus autem ita maleficiatus, vel faciliùs & leuiùs fert molestias dæmonis: vel sanè dæmon ipse qui vexaturus erat, non vexat, aut vexare desinit, eò quòd per naturalia illa tollatur praua dispositio, verbi gratia, atræ bilis vel melancholiæ, quam tamquam suæ vexationi idoneam obseruare solet. Sicuti enim gaudet dæmon locis tenebrosis & opacis, ita tristioribus illis

illis affectibus, quasi animi quibusdam tenebris gaudere dicunt. Nota tamen, non omnino dependere dæmonis recessum ab eiusmodi remedijs, sed ipsum solùm inclinari vt recedat, vel vexare desinat.

*Resp. ad argumenta sententiæ affirm. Ad 1. Quomodo Dauid citharæ Saulem iuuerit.*

His itaque positis, Respondeo ad Primum, Dauidis citharam nonnihil sedasse humores, quibus Saul agitabatur, Regemque vexationi diabolicæ ijs sedatis minùs fuisse idoneum, vel quia dispositio cessabat, qua posita solitus sit vexare grauiùs; vel quia indignabatur sese in suo domicilio concentu illo turbari. Sunt qui ad sacra remedia recurrant propter significationem crucis Christi, quam cithara illa præfiguraut. Alij ad sacrorum carminum melos, quæ Dauid cithara concinebat. Apud Tiræum De dæmoniacis, parte 3. cap. 48. quidam hoc Dauidis sanctitati adscribunt; sed parum probabiliter; quærebant enim famuli Saulis virum non tam sanctum quàm psallendi peritum: ideò ille qui suggerebat de Dauide, nullam sanctitatis mentionem facit, sed peritiæ psallendi. Neque refert quòd dicat, *Et Dominus est cum eo.* Hoc enim vltimo loco solùm ad cumulum adijcit, & non tam sanctitatem quàm prosperitatem videtur sonare. Neque hoc voluit Augustinus lib. 5. In Iulianum, cap. 5. quamuis Dauidis sancti citharam Regem à spiritus mali molestia dicat releuatum. Ipse Tiræus inter alia suggerit dici posse, voluptate Musicæ recreatum Regem leuiùs molestiam illam tulisse; sed plus vult Scriptura, quando dicit, *Recedebat ab eo spiritus malus.* Addit Tiræus quosdam dicere, neque improbabiliter, naturalem dæmonum potestatem diuinitus restringi, rebusq; naturalibus quibusdam subijci & torqueri, sicuti igni infernali. Ita etiam sentire videtur Delrio lib. 6. cap. 2. sect. 2. quæst. 3. Hoc posito, idem facilè applicari poterit citharæ Dauidis.

Verùm omnino improbabile est (quod refert Azorius lib. 9. cap. 26. quosdam dicere) & videtur ita ferè sentire Pellicanus in eum locum, spiritum malum qui Saulem vexabat, non fuisse dæmonem, sed atræ bilis spiritum & humorem, qui si magnus sit, vexat & cruciat homines, præsertim quando dæmonis operâ excrescit. Hoc inquam improbabile, quia Saul fuisse arreptitium, non tantùm Augustinus, Gregorius, Hieronymus, & alij passim Patres, sed & ipsa Scriptura dicit, Spiritum enim Domini dicit ab eo recessisse, & malum successisse, exagitasse, inuasisse, & ipsum Saulem in medio domus suæ propheтasse.

*Quomodo cor piscis apud Tobiam dæmonium fugarit.*

Ad locum Tobiæ, Quomodo piscis iste dæmonem fugauerit, variæ sunt sententiæ. Dicunt in primis quidam, quòd naturaliter. Pro qua sententia citantur Bartholomæus Faius, Gregorius Tolosanus, & Raimundus Lullus. Secundò, Alij dicunt, quòd supernaturaliter ex sola Dei voluntate, sicut ignis inferni cruciat dæmones. Ita Vallesius in Sacra Philosophia. Tertiò, Alij quòd supernaturaliter ex sacra quadam significatione, quâ indicauit Prosper De promissionibus, parte 2. cap. 39. vt nimirum fumus ex pisce signum fuerit sacrum passionis Christi, qui ἰχθὺς seu piscis dicitur, ex celeberrimo illo acrostico carmine Sibyllæ, de quo Augustinus lib. 18. De ciuitate Dei, cap. 23. Quartò, Alij putant, nec naturaliter nec supernaturaliter piscem quidquam contulisse, sed Angelum more humano agentem & cauentem ne prodiretur angelica sua natura, simulasse quòd per piscem curaret, cùm alia inuisibili virtute dæmonem pelleret & cæcitatem sanaret, sicuti simulauit se comedere & bibere, cùm alio inuisibili cibo nutriretur, vt ipse fatetur cap. 12. Quintò, Alij dicunt, ex opere operantis tantùm fugasse, vt signum precum Tobiæ & Saræ. Sextò, Alij volunt, non docere Angelum, vi fumi dæmones expelli, sed tantùm asserere ipsos fugandos, quando fumus excitatus fuerit, sicuti ad signum tubæ exeunt deuicti milites. Vnde cap. 8. non dicitur per fumum, sed per ipsum Raphaëlem Asmodæum esse profligatum. Ita Tiræus suprà. Septimò, Lutherani & alij hæretici negant sacram aut etiam veram hanc esse historiam, sed dicunt esse poëma quoddam fabulosi alicuius Iudæi. Sed hi sine fronte sunt. Pellicanus eorum assecla, quamuis librum ponat extra Canonem, ipsos tamen hunc locum vrgentes refutat. Sed hactenus iterùm infeliciter, quòd insinuet dici posse dæmones esse corporeos, ideoque virtute naturali aliquid posse nidorem piscis in eis fugandis, sed virtute occulta quæ pertineat ad magiam naturalem. Alij denique non satis fidentes naturali virtuti huius piscis, coniungunt simul supernaturalem, & mixtam volunt fuisse hanc operationem. Ita Serarius ibi in cap. 8. quæst. 3. Vult enim ipso creationis initio in humani generis subsidium contra dæmonas corpora infestantes iecori illi vim istam fuisse inditam, concurrisse nihilominùs sacram passionis Christi significationem, amotionem libidinis carnalis, & preces nouorum coniugum. Ceterùm inter has omnes Tertia explicatio videtur probabilissima, ea tamen adhibita restrictione, vt non intelligatur ordinatum remedium, nisi sicut ipsum spiritale est, ita etiam cum quadam spiritali congruentia applicetur, Dei videlicet aut Angeli monitu: neque enim hominis, sed Dei hæc medicina, cui & Raphaëlis nomen quadrat.

Ad Secundum respondeo, Canonis permissionem eò pertinere, quòd indirectè saltem ad mitigandam dæmonis vexationem ista iuuent, vt ibi indicat Turrecremata. *Ad 2.*

Ad Tertium respondeo, Iudæum illum per diabolicam magiam dæmonem extraxisse, eamque artem non esse traditam à Salomone, nisi fortè quando fuit idololatra. Ita Pererius lib. 1. De magia, cap. 3. Addit Serarius, etiamsi Salomon eiusmodi naturalia aliqua antidæmonia in herbis vel plantis, de quibus, teste Scriptura, accuratissimè disputauit, fortè reliquerit: ea tamen solùm valuisse modo indirecto, leuiorem seu tolerabiliorem reddendo vexationem corporalem, corpore meliùs affecto, aut sanè ex coniunctione sanctarum precum. Sed non ritè Iudæos illos exorcizasse, ac potiùs in Beelzebub eiecisse dæmonia, argumento erit Iustinus Contra Tryphonem, improperans ei his verbis: *Exorcistæ vestri eadem qua etiam apud gentes arte adhibita, adiurant, incensisque odoribus & vinculis vruntur.* *Ad 3.*

Ad Quartum respondeo, Conuitia prodesse, sed ordinatè in ipsum dæmonem eiaculata, coniuncta cum oratione sacra & vera fide, qualia sunt Antonij apud Athanasium, Christianorum apud Prudentium contra Symmachum, & apud Mengum *Ad 4.*



gum Exorcismo 4. Delrium, & Serarium suprà. Nihil autem prosunt vana iuramenta, scurrilia & iracunda conuitia, quæ commendauit Lutherus in Symposiacis. Serola 1. parte, verbo Superstitio, post Nauarrum, consil. 52. De sententia excommunicationis, improbat praxim, qua soleant pisces quidam monstrosi excommunicari, abiurari, maledici & execrari.

*Ad 5. An galli cantus fuget dæmones.*

Ad Quintum, Ex galli cantu antiquum quidem, sed fabulosum est (quatenus illud asseritur naturale) antidæmonium. Esto enim, sit galli & serpentis quædam antipathia; ànne idcircò eadem erit cum gallo serpentis illius antiqui, & leonis infernalis? Illud verius, potestatem tenebrarum odisse lucem, ideoque ad galli cantum aufugere, tamquã ad lucis nuntium, vt & reliquus errorum chorus, & latronis mucro, vt ex Ambrosio canit Ecclesia, cui etiam consentit Prudentius in Hymno de galli cantu, non quòd dæmones etiam interdiu nocere nequeant, sed quòd commodiùs nocendi tempus sit nocturnum, quo etiam magis lateant sagæ, quo denique minùs impediuntur piorum precibus. Adde forte, etiam significationem sacram, puta resurrectionis, quæ id temporis acciderit, diabolum odisse, aut sanè horrere ad signum illud futuri iudicij: antelucanus enim iste galli cantus, vt inquit Prudentius, nostri figura est Iudicis. Et infrà:

*Ferunt vagantes dæmonas*
*Lætos tenebris noctium,*
*Gallo canente exterritos,*
*Sparsim timere & cedere.*

Causas reddit, Quòd galli cantus sit signum aduentus Dei & resurrectionis tam Christi iam factæ, quàm nostræ futuræ.

*Ad 6. Lotio manuum.*

Ad Sextum, Lotio manuum per se directè non amolitur maleficiũ, sed fieri potest, vt ita sit limitata pactio dæmonis, vt expiret facta lotione. Si amoliri dicant sagæ, vt apud Remigium, vel falsa est persuasio, vel dicto tantùm modo vera, vel denique circa eiusmodi actionem admodum vsitatam, superstitiosum quid dæmon commendare intendit pro suo regno amplificando.

*Ad 7. Sal non consecratũ.*

Ad Septimum, Sal non consecratum non videtur conueniens remedium naturale: sed etiam illud dæmones oderunt, fortè propter aliquam significationem, vel vt in re communissima inducant superstitionem, simulant se salem odisse. Quando verò benedictum est, & in illum vsum ritè consecratum, indubiè rectè annumeratur supernaturalibus remediis; ideò enim Alexander I. Epistola 1. relatus De consec. dist. 3. mandat benedici salem inter cetera, *Vt diaboli*, inquit, *insidias auertat, & à phantasmatis versutijs hominem defendat.*

*Ad 8. De remedijs supernaturalibus.*

Ad postremum patet ex suprà notatis.

Hactenus de antidæmonijs naturalibus: sequitur dicendum de supernaturalibus & Ecclesiasticis. De his tractatur cap. Si per sortiarias 33. q. 1. & ibi à Canonistis; à Theologis autem in materia De matrimonio, quando de impedimento maleficiatorum. Tractat etiam Delrio lib. 6. cap. 1. sect. 3. quæst. 3.

Eiusmodi in primis remedium est fides magna in Deum. 1. Petri 5. Ephes. 6. Consulendus Athanasius in Vita B. Antonij, Epiphanius Hæresi 30.

Secundò, Preces ad Deum. Genesis 20. 2. Corinth. 12. Matth. 15. Tobiæ 8.

Tertiò, Meditatio passionis Christi. Niderius in Formicario, cap. 4.

Quartò, Confessio peccatorum, & vera pœnitentia: iinò sine ea reliqua non iuuãt. Delrius sup. Hinc dictum cap. Si per sortiarias, commendat Sacramentum Pœnitẽtię cum profusis lacrymis.

Quintò, Etiam reliqua Sacramenta, præsertim sacra Eucharistia, & sacrificium Missæ. Cassianus Collatione 22. cap. 6.

Sextò, Exorcismi Ecclesiæ. Cyprianus lib. De idolorum vanitate, Hieronymus in Vita Hilarionis, Vita B. Bernardi. Non tamen valent exorcismi ex opere operato: non enim Sacramenta, sed sacramentalia sunt, vt passim DD. docent. Victoria Relect. De arte magica, Tiræus De dæmoniacis, parte 3. cap. 47. Opus autem operantis in exorcismis variè impeditur, vel ex occulto Dei iudicio, vel defectu dispositionis in eo qui exorcizatur, vel defectu exorcizantis, puta si non sat probus sit, aut muneris sui peritus, vt accidit filijs Scæuæ Act. 19. Si saga exorcizetur contra maleficium taciturnitatis, vt crimen in iudiciali quæstione confessa supplicio afficiatur, non decet per Ecclesiasticum id fieri, propter defectum perfectę lenitatis, qui in speciem videbitur subesse in hac promotione iudiciariæ quæstionis. Vnde nec Ecclesiæ nec tribunalium vsus habet, vt Clerici exorcistæ tunc adhibeantur. Si tamen laicus adsit, qui iudicio Ordinarij idoneus sit exorcismo faciendo, is eam exorcizare poterit. Nauarrus De officio Iudicis ordinarij, consi. 6. Delrio in Anacephalæosi, lib. 6. monito 10. Quare non videtur probandum quod dicitur in Malleo maleficarum, parte 3. quæst. 15. posse à Sacerdote in iudicio sagam coniurari ad lacrymas fundendas in argumentum innocentiæ, & continendas in argumentum criminis. Ceram tamen & Aquam benedictam adhibere licet.

Neque debet nos hîc in contrarium mouere Historia Sanctorum Patrum per Theodoretum, in Macedonio, vbi Sanctus iste dæmonem cogit ad ferendum testimonium contra magum quemdam in iudicio: quia Sancti sæpè peculiari lege Spiritus sancti ducti, ea faciunt quę potiùs mirari oporteat quàm imitari. Deinde quia iste Sanctus, mago iam per dæmonem conuicto, veniam à Iudice impetrauit, dicens, non esse fas vt taliter conuictus capitis damnetur.

Ceterùm de exorcismi remedio illud addiderim, Wiclefum existimasse id esse naturale: dicebat enim, exorcismorum virtutem esse de reliquiis illius virtutis, qua Adamo proprio nomine compellanti creaturæ obediebant, vnde putabat Hebræa potiùs lingua, quæ prima fuit, & ipsius Adæ, exorcismos valere. Econtrà sectatores quidam ipsius exorcismos reijciebant tamquam remedia superstitiosa. Vtrosque refutat Waldensis tom. 3. tit. 24. cap. 168. Vide etiam Augustinum lib. 10. De ciuitate Dei, cap. 22.

Septimò, Signum crucis. Epiphanius suprà, & alij passim.

Octauò, Reliquiæ Sanctorum. Act. 19.

Nonò, Ieiunium. Matth. 17. Et exercitium humilitatis. Suarez cap. 17. numero 6. De ieiunio obserua, valere ad eijciendum omne genus dæmoniorum, non tamen per se esse necessarium, sed solùm in quodam certo genere eijciendo, quod regulariter non eijcitur nisi in ieiunio & oratione.

Deci-

Decimò, Largior eleëmosyna. Dicto cap. Si per sortiarias.

Vndecimò, Aspersio Aquæ benedictæ. Epiphanius suprà, Tripartita historia cap. 34. lib. 9. Gestatio item Agni cerei à Pontifice benedicti. Patet ex forma benedictionis.

Duodecimò, Inuocatio SS. Trinitatis aut nominis IESV. Marci vlt. Act. 19. Huc etiam pertinet inuocatio B. Virginis, aliorum Sanctorum, & Angeli Custodis.

Decimotertiò, Ritus & cærimonias Ecclesiæ colere. Niderius suprà.

Decimoquartò, Publicam iustitiam benè exsequi. Idem ibid. Monuit tamen Remigius lib. 3. cap. 11. non esse verum quod vulgò credunt, dæmones omnes vires amittere circa fagas, vbi semel in Iudicis manus venerint, & exemplis refutat.

Decimoquintò, Pia scripta seu amuleta sacra & Rosaria ad collum appensa, seruatis conditionibus quas requirit D. Thomas quæst. 96. art. 4.

Decimosextò, Recursus ad viros sanctos, aut habentes donum miraculorum. Delrio suprà. Hactenus de Ecclesiasticis remedijs. De superstitiosis generalia iam satis dicta sunt, singularia verò sunt infinita.

## DVBIVM XV.

### *Quibus modis dignosci queat, ánne quis sit maleficiatus?*

HÆC quæstio vtilitatem habet & necessitatem. Vtilitatem, quia prædicta licita remedia adhibenda sunt, quando scitur maleficium subesse; alioqui vel frustrà adhibebuntur, vel vera remedia postponentur. Necessitatem, quia omnes ferè calamitates quæ maleficio inferuntur, etiam possunt euenire ex caussa aliqua naturali sine maleficio. Signa ergo aliqua statuenda sunt, quibus maleficia discerni queant.

Et quidem illud generatim hic obseruasse iuuabit, quando Medici iudicabunt non prouenire à naturali caussa morbum, & aliunde constat à Deo sine dæmonis ministerio non esse immissum, præsumi esse ex maleficio.

*Indicia maleficij.*

Particularia verò indicia erunt Primò, Si in corpus afflicti immissa inueniantur talia, quæ naturaliter eò inferri aut in eo generari non solent, qualia sunt in stomacho crines, ossa, ferramenta, acus, ligna.

Secundò, Si omnino subitò quis corripiatur malo, aliàs sanus, maximè si id fiat ad leuem contactum ipsius sagæ aut alterius rei, de qua non sit verisimile, quòd naturalem talem habeat effectum.

Tertiò, Si mala eueniant ex ligaturis, imaginibus, characteribus, & similibus.

Quartò, Si morbus sit notus, & consuetis ac prodesse solitis remediis nihil minuatur.

Quintò, Si afflictus videatur habere puncturas in corde quasi acu pungeretur, aut bolum in gutture nunc ascendentem, nunc descendentem.

Sextò, Si subitò fiat mutus, & iterùm restituatur ei loquela.

Septimò, Si valdè diu angustias magnas patiatur, & magna violentia torqueatur, & nihilominùs per interualla recreatis viribus quasi in eodem statu permanet, & contra vim morbi diu perdurat: signum enim est, eiusmodi morbum instar torturæ ab externo agente per interualla caussari, & non esse ab interna aliqua naturali partium aut humorum indispositione.

Octauò, Si dum nihil prosunt naturalia remedia, inueniantur prodesse exorcismi aut supernaturalia remedia; aut si adhibitis remedijs siue naturalibus siue supernaturalibus magis affligatur.

*Superstitiosa indicia.*

Inter superstitiosa verò indicia habendum est, quod vulgò adhibere solent ex plumbo liquefacto. Solent enim obseruare plumbo in aquam effuso, quænam figuræ resultent, quasi Saturno nescio quid in eo plumbo operante. Sed vanitate plenum id est, & omnino reprehensibile. Ludit enim in his rebus dæmon, qui figuras fraudi suæ accommodas format, quas Planeta formare virture sua non potest, nec ad infusionem variare nouit, cùm hoc sit solius rationalis naturæ. Quare meritò reprehendendus est Sprengerus, non satis reijciens hoc experimentum.

IN-

# INDEX ET ORDO COMMENTARII DE IVSTITIA ET RELIGIONE.

## TRACTATVS I.

De Iustitia, Iure, & Dominio in genere. *pag.* 278

### CAPVT I.

De Iustitiæ acceptionibus, definitione, diuisione. *ibid.*

DVB. I. *Quot modis Iustitia accipiatur & diuidatur.* ibid.
DVB. II. *An Iustitia legalis sit particularis virtus.* ibid.
DVB. III. *Quid sit Iustitia.* 279
DVB. IV. *An Iustitia particularis rectè diuidatur in Distributiuam & Commutatiuam.* 280

### CAPVT II.

De Iuris acceptionibus, definitione, & diuisione. 281

DVB. I. *An Ius siue Iustum dici possit sine conformitate ad rectam rationem, & sine bona dispositione operantis.* ibid.
DVB. II. *Quid sit Ius quod dicitur esse obiectum Iustitiæ.* ibid.
DVB. III. *Quomodo Ius sit diuidendum.* 282

### CAPVT III.

De Dominio, Titulo dominij, & Possessione. 283

DVB. I. *Quid sit Dominium.* ibid.
DVB. II. *Quid Vsus, Vsus fructus, & reliqua imperfecta Dominia.* ibid.
DVB. III. *Quid sit Dominium altum, item Dominium iurisdictionis.* 284
DVB. IV. *Vtrùm in rebus vsu consumptibilibus Dominium distinguatur ab vsu seu Iure vtendi.* ibid.
DVB. V. *Quid sit Titulus.* 285
DVB. VI. *Quid Possessio.* ibid.
DVB. VII. *Quotuplex sit Possessio.* 286
DVB. VIII. *Quomodo acquiratur Possessio & amittatur.* ibid.
DVB. IX. *Quid emolumenti ac priuilegij secum ferat Possessio.* 287

### CAPVT IV.

De subiecto Dominij. 287

DVB. I. *An rationalis natura sit subiectum Dominij.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm pueri & amentes capaces sint Dominij.* ibid.
DVB. III. *Vtrùm peccator habeat Dominium.* 288
DVB. IV. *Vtrùm filiusfamilias, qui adhuc est in potestate patris, habeat Dominium.* ibid.
DVB. V. *An vxor habeat alicuius rei Dominium.* 289
DVB. VI. *An seruus habeat Dominium.* ibid.
DVB. VII. *Vtrùm Religiosi habeant Dominium aliquarum rerum.* ibid.
DVB. VIII. *Vtrùm Clerici non Religiosi sint capaces Dominij.* 291

### CAPVT V.

De obiecto Dominij. 295

DVB. I. *An cæli cadant sub hominum Dominium.* ibid.
DVB. II. *An homo cadat sub Dominium hominis.* ibid.
DVB. III. *An vita hominis cadat sub hominis Dominium.* 296
DVB. IV. *An bona spiritualia cadant sub hominis Dominium.* ibid.
DVB V. *An homo sit dominus suæ famæ & honoris.* 297

### CAPVT VI.

De prima rerum diuisione, & acquisitione Dominij earum quæ nullius vmquam fuerunt, neque in commune à societate aliqua humana possidentur. 297

DVB. I. *An conueniens fuerit inter homines diuidi rerum Dominia?* ibid.
DVB. II. *Quo Iure introducta sit rerum diuisio.* 298
DVB. III. *Quomodo comparetur ferarum Dominium.* ibid.
DVB. IV. *An à te vulnerata fera etiam fiat alterius capientis.* 299

DVB. V. *An tua erit fera, quæ meo laqueo capta est, si eam inde abstuleris.* 299
DVB. VI. *Vtrùm venatio possit prohiberi in locis publici Iuris.* ibid.
DVB. VII. *Quomodo puniri possit, aut teneatur ad restitutionem, qui contra legitimam prohibitionem fuerit venatus.* 300
DVB. VIII. *Venæ metallicæ primùm inuentæ cuius Dominio accenseantur, domini fundi, inuentoris, an Principis.* ibid.

## CAPVT VII.

De acquirendo priuatis Dominio rerum, quas homines vel ciues in commune possident, vel quę priuati alicuius fuerunt, sed domini amiserunt. 300

DVB. I. *An prohiberi possit lignatio in siluis communibus, aut pastio in pascuo communi.* ibid.
DVB. II. *Thesaurus inuentus ad quem pertineat.* 301
DVB. III. *Quomodo comparetur Dominium rerum à priore domino abiectarum & derelictarum.* ibid.

## CAPVT VIII.

De translatione Dominij, priori domino inuito, potissimùm per Præscriptionem. 302

DVB. I. *Quid sit Præscriptio.* ibid.
DVB. II. *An ad Præscriptionem requiratur possessio.* ibid.
DVB. III. *An titulus sit ad Præscriptionem necessarius.* 303
DVB. IV. *Qualis bona fides ad Præscriptionem requiratur.* ibid.
DVB. V. *Quantum temporis requirat Præscriptio.* 304
DVB. VI. *Vtrùm sit tutus in conscientia, qui post legitimam Præscriptionem, agnito errore, rem detinet.* 305
DVB. VII. *Quænam præscribi non possint.* 306
DVB. VIII. *Quibus concedatur restitutio in integrum contra Præscriptionem.* 307

## CAPVT IX.

De Promissione præuia Donationi, qua transfertur Dominium volente priore domino. 307

DVB. I. *Quid sit Promissio.* ibid.
DVB. II. *An aliquam obligationem inducat Promissio interna.* 308
DVB. III. *Vtrùm obliget Promissio merè externa, facta sine animo promittendi aut se obligandi.* 309
DVB. IV. *An Promissio obliget ante acceptationem promissarij.* ibid.
DVB. V. *Qualis acceptatio sit necessaria, vt promissio reuocari non possit.* 310
DVB. VI. *Quinam possint pro absente promissionem aut donationem acceptare.* ibid.
DVB. VII. *An Promissio facta ob turpem caussam obliget.* 311
DVB. VIII. *An simplex Promissio obliget sub mortali.* ibid.
DVB. IX. *Quibus modis Promissio quæ verè obligabat, desinat obligare.* 313
DVB. X. *Quomodo Promissio irrita sit Iure positiuo.* ibid.

## CAPVT X.

De translatione Dominij per Donationem. 314

DVB. I. *Quid sit Donatio.* ibid.
DVB. II. *Quotuplex sit Donatio.* ibid.
DVB. III. *Quinam possint donare.* ibid.
DVB. IV. *An coniunx validè donet coniugi, aut pater filio non emancipato.* 315
DVB. V. *Quantum liceat donare.* 317
DVB. VI. *An Donatio facta ob caussam, irrita sit, si caussa verè non subsit.* 318
DVB. VII. *An error in demonstratione vitiet Donationem.* 319
DVB. VIII. *Quomodo valida aut inualida sit Donatio facta sub conditione.* ibid.
*De Conditionibus vitiantibus dispositionem.* ibid.
*De Conditionibus quæ vitiantur, sed non vitiant.* 320
*De Conditionibus quæ neque vitiant neque vitiantur, sed suspendunt.* ibid.
*De Conditionibus quæ neque vitiant neque vitiantur, neque suspendunt.* 321
DVB. IX. *Quomodo valida sit Donatio facta sub modo.* ibid.
DVB. X. *Quibus casibus Donatio possit reuocari.* 322

## CAPVT XI.

De translatione Dominij per Testamentum. 324

DVB. I. *Quid Testamentum.* ibid.
DVB. II. *Quotuplex sit Testamentum.* ibid.
DVB. III. *Quis possit Testamentũ condere.* ibid.
DVB. IV. *Quis possit institui heres.* 327
DVB. V. *An testamentum destitutum solemnitate Iuris, sit nullum & irritum etiam in conscientia.* 328
DVB. VI. *An omne testamentum sit nunc validum, quod sit coràm Parocho & duobus testibus, aut coram quatuor testibus sine Parocho.* 330
DVB. VII. *Quot testes oporteat esse, vt testamentum saltem in conscientia sit validum.* 331
DVB. VIII. *Quas ob caussas alias, testamentum Iure nullum fiat & irritum.* ibid.
DVB. IX. *Quas ob caussas liceat exheredare ascendentes vel descendentes.* 333
DVB. X. *An testamentum semper possit reuocari.* ibid.
DVB. XI. *An mutari possit vltima voluntas per rescriptum Principis, aut dispensationem Pontificis.* 334
DVB. XII. *Quinam succedãt ab intestato.* ibid.
DVB. XIII. *Quid Falcidia & Trebellianica.* 335
DVB. XIV. *Quibus modis possit aliquis heredi substitui.* ibid.

## CAPVT XII.

De translatione Dominij per ludum & sponsiones. 336

DVB. I. *An Ludi & Sponsiones ex natura sua sint illicita.* ibid.
DVB. II. *Quinam Ludi, & quibus sint interdicti Iure canonico aut ciuili.* ibid.
DVB. III. *Quæ conditiones iusti lucri per Ludum.* 337

## TRACTATVS II.

De Restitutione. 338

## CAPVT VNICVM.

DVB. I. *Quid sit Restitutio.* ibid.
DVB. II. *An Restitutio sit actus exterior Iustitiæ commutatiuæ.* ibid.
DVB. III. *Quomodo differat Restitutio à solutione & satisfactione.* ibid.
DVB. IV. *Vnde oriatur obligatio Restituendi.* 339
DVB. V. *Qualis culpa requiratur, vt quis teneatur Restituere ratione damni dati.* ibid.
DVB. VI. *An Restitutio sit necessaria ad salutem.* 340

## TRACTATVS III.

De iniuriis in corpus proximi per homicidium, mutilationem, verberationem, adulterium, & stuprum, & necessaria restitutione. 341

## CAPVT I.

De Homicido voluntario. *ibid.*

DVB. I. *Vtrùm occidere quæcumque viuentia ad esum sit licitum.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm liceat occidere peccatores.* 343
DVB. III. *Vtrùm priuata auctoritate liceat occidere maleficum.* ibid.
DVB. IV. *Vtrùm licitum sit priuata auctoritate occidere tyrannum.* ibid.
DVB. V. *Vtrùm liceat marito occidere vxorem & adulterum in adulterio deprehensos.* 345
DVB. VI. *Vtrùm liceat patri occidere adulterum filiæ & ipsam filiam in adulterio deprehensam.* ibid.
DVB. VII. *Vtrùm liceat occidere eum qui te inuadit vt occidat.* 346
DVB. VIII. *An inuasus possit ex intentione occidere inuasorem.* 348
DVB. IX. *Vtrùm qui sua culpa est inuasus, possit se defendere.* ibid.
DVB. X. *An qui per sententiam aut statutum à quolibet potest occidi, possit nihilominùs pro defensione vitæ suæ, in necessitate ineuitabili, occidere priuatum aggressorem.* 349
DVB. XI. *Vtrùm vitandæ mutilationis gratia liceat inuasorem occidere.* ibid.
DVB. XII. *Vtrùm liceat occidere innocentem, quando iniustè te inuadit ex ignorantia, aut quando sine eius occisione effugere non potes.* ibid.
DVB. XIII. *Vtrùm liceat occidere furem pro defensione rei suæ.* 350
DVB. XIV. *Vtrùm liceat quempiam interficere pro defensione pudicitiæ & honoris.* 351
DVB. XV. *An pro defensione proximi liceat iniustum inuasorem occidere.* 352
DVB. XVI. *Vtrùm liceat Medico vel prægnanti cum periculo partus, vel partui cum periculo matris succurrere.* 354
DVB. XVII. *Sitne homini aliquando licitum, seipsum occidere.* 355
DVB. XVIII. *Sitne licitum vel Iudici condemnare reum ad bibendum venenum, vel condemnato bibere.* 356
DVB. XIX. *Quibus modis liceat aut non liceat propriæ morti cooperari, aut eius periculum subire.* 357
DVB. XX. *Vtrùm quis possit vitandæ mortis caussa seipsum mutilare.* ibid.
DVB. XXI. *Vtrùm liceat pro bono publico innocentem occidere, aut tradere tyranno occidendum.* 358

## CAPVT II.

De Homicidio casuali. 360

DVB. I. *Vtrùm Homicidium casuale, sit peccatum.* ibid.
DVB. II. *Quomodo discerni queat Homicidium merè casuale seu inculpabile ab interpre-*

*terpretatiuè voluntario, in eo qui dat operam rei licitæ.* 360
DVB. III. *Quando quis dat operam rei illicitæ, vtrùm semper ei imputetur Homicidium quod casu inde secutum fuerit.* 361
DVB. IV. *Vtrùm teneatur is qui leue vulnus per iniuriam influxit, de morte secuta negligentiâ Chirurgi aut vulnerati.* ibid.
DVB. V. *An tibi imputandum sit, si mancipium tuum, fera, iumentum, aut filius hominem occiderit.* 362
DVB. VI. *Vtrùm tenearis de morte tertij, secuta ex tuo maleficio in alium.* ibid.

CAPVT III.

De restitutione Homicidæ. 363

DVB. I. *Debeátne aliquid restitui pro vita, membro, aut cicatrice.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm Homicida teneatur ad expensas in Medicos & exequias.* 364
DVB. III. *Vtrùm Homicida teneatur ad damna realia.* ibid.
DVB. IV. *Vtrùm heredes Homicidæ teneantur pro ipso restituere.* 365
DVB. V. *An excusentur à restitutione heredes Homicidæ, qui luit pœnam capitis.* 366
DVB. VI. *Vtrùm teneatur ad restitutionem qui in defensione moderamen excessit.* ibid.
DVB. VII. *Vtrùm Homicida teneatur ex iustitia orare & satisfacere pro anima occisi.* ibid.
DVB. VIII. *Quibus Homicida restituet.* 367

CAPVT IV.

De iniuria per Stuprum & Adulterium, & eius restitutione. 367

DVB. I. *An Stuprum addat fornicationi specialem deformitatem.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm parentibus aliquid restituendum sit, quando virgo consensit in Stuprum.* 369
DVB. III. *Quid restituet qui per vim violauit.* ibid.
DVB. IV. *Quidnam restituet qui virginem seduxit sine promissione nuptiarum.* 370
DVB. V. *Quid restituet qui promissis nuptiis virginem ad peccandum induxit.* ibid.
DVB. VI. *Vtrùm voto simplici continentiæ aut ingrediendi Religionem adstrictus, teneatur eam ducere, quam promisso coniugio violauit.* 371
DVB. VII. *An stuprator excusetur à restitutione, si corrupta aquè benè nupserit ac si virgo fuisset.* ibid.
DVB. VIII. *Vtrùm adulter, non secuto partu, immunis sit à restitutione.* ibid.
DVB. IX. *Quid restituet adulter, si proles ex adulterio nata sit.* 372
DVB. X. *Quomodo adultera restituet quando prolem marito supponit.* ibid.

TRACTATVS IV.

De iniuria Furti, Rapinæ, aut aliàs damni illati in fortunis, eiusque restitutione. 374

CAPVT I.

Quam & quantam restitutionem postulent Rapina & Furtum. *ibid.*

DVB. I. *Quid Furtum.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm Furtum & Rapina differant specie.* 375
DVB. III. *Vtrùm Furtum sit peccatum mortale.* ibid.
DVB. IV. *Vtrùm peccent mortaliter, aut saltem sub mortali teneantur restituere, qui multis minutis Furtis magnam tandem quantitatem acquirunt.* 378
DVB. V. *An peccent mortaliter, & sub mortali teneantur, qui singuli exiguum damnum intulerunt, sed omnes simul satis magnum.* 379
DVB. VI. *An ne Furtum aut peccatum mortale is committat, qui sibi occultè rem suam, aut sibi debitam vindicat.* 380
DVB. VII. *Vtrùm fur continuò peccet donec restituat.* 381
DVB. VIII. *Vtrùm fur teneatur restituere, etiamsi res furtiua apud se perierit sine sua culpa.* 382
DVB. IX. *Vtrùm fur teneatur ad summam rei quæ fuit tempore detentionis æstimationem.* 383
DVB. X. *Vtrùm fur teneatur restituere fructus rei furtiuæ.* 384

CAPVT II.

De Cooperantibus ad Furtum vel damnum. 384

DVB. I. *Quinam cooperari censendi sunt ad Furtum vel damnum.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm qui positiuè concurrunt, non teneantur quando non fuerint causa sine qua non.* ibid.
DVB. III. *Quomodo singuli positiuè concurrentes ad Furtum teneantur.* 385
*De Iubente.* ibid.
*De Consulente.* 386
*De Consentiente.* 387
*De Laudante.* 388
*De Receptante.* ibid.
*De Participante.* ibid.
DVB. IV. *Quando teneantur qui indirectè aut priuatiuè ad aliorum furta concurrunt.* 388
DVB. V. *Vtrùm nouem hi Furis cooperatores semper teneantur in solidum.* 390
DVB. VI. *Quo ordine teneantur restituere plures qui ad damnum concurrerunt.* ibid.
DVB. VII. *Vtrùm vno restituente ex pluribus in solidũ obligatis, reliqui sint liberi.* 391
DVB. VIII. *Vtrùm reliqui maneant liberi, quando offensus vni ex offensoribus damnum remittit.* 392



CAPVT III.

De obnoxijs restitutioni ratione rei acceptæ. 392

DVB. I. *Vtrùm teneatur restituere, qui rem alienam aut fructus eius, bona fide existimans esse suam, consumpsit vel alienauit.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm si emeris bona fide rem furtiuam à fure, possis comparente domino rescindere contractum, & eam restituere furi, vt sic recuperes pretium.* ibid.
DVB. III. *Vtrùm emptor bonæ fidei, si rem furtiuam distraxerit, teneatur domino de pretio.* 394

CAPVT IV.

Cui sit facienda restitutio. 394

DVB. I. *Vtrùm debitor ille liberetur, qui satisfecerit creditori sui creditoris, ipso inscio & inuito.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm bona seu debita incerta sint pauperibus restituenda.* 395
DVB. III. *Vtrùm inuenta, quorum dominus quidem aliquis est, sed diligenter inquisitus non reperitur, sint pauperibus loco ipsius domini restituenda.* 397
DVB. IV. *Vtrùm etiam illi domino sit restituendum, aut creditori soluendum, qui vel sibi vel alijs re obtenta nocebit.* 398

CAPVT V.

Cuius expensis debeat fieri restitutio. 399

DVB. VNIC. *Vtrùm creditoris, an verò debitoris expensis fiat restitutio.* ibid.

CAPVT VI.

De ordine in restitutione seruando ex parte rerum restituendarum & creditorum, quando omnibus satisfieri non potest. 400

DVB. I. *Sitne restituendum ante omnia quod debetur ratione rei acceptæ.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm certi creditores sint præferendi incertis.* ibid.
DVB. III. *Vtrùm ex debitis certis ea priùs soluenda sint, quæ licitè sunt contracta.* 401
DVB. IV. *Vtrùm venditori de re adhuc exstante apud eum qui creditò emit, aut nondum soluit, sit soluendum ante alios creditores.* 402
DVB. V. *Quo ordine soluendum sit hypothecarijs.* 403
DVB. VI. *Vtrùm priùs petenti liceat priùs soluere.* 404
DVB. VII. *Vtrùm liceat ex bonis defuncti accipere expensas funeris, quando eius debita excedunt hereditatem.* ibid.
DVB. VIII. *An debitor possit præferre æqualibus aut potioribus eum creditorem qui pauperior est.* 405

CAPVT VII.

De excusantibus à restitutione. 405

DVB. I. *Vtrùm impotentia debitoris excuset à restitutione.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm remissio creditoris excuset à restitutione.* 407
DVB. III. *Vtrùm cessio bonorum excuset à restitutione.* 408
DVB. IV. *Vtrùm Religionis ingressus excuset à restitutione.* 409
DVB. V. *Vtrùm compensatio excuset à restitutione.* 411
DVB. VI. *Vtrùm excommunicatio creditoris excuset à restitutione.* ibid.

TRACTATVS V.

De Contractibus. 413

CAPVT I.

De Contractibus in genere. *ibid.*

DVB. I. *Quid sit, & quotuplex Contractus.* ibid.
DVB. II. *Qui possunt contrahere.* 414
DVB. III. *Quomodo Contractus irriti sint, aut obnoxij restitutioni in integrum.* ibid.

CAPVT II.

De Emptione & Venditione. 415

DVB. I. *Quodnam censeri debeat iustum rei pretium.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm liceat rem vendere pluris quàm valeat, aut emere minoris.* 416
DVB. III. *Vtrùm tenearis minoris vendere, si noueris similium rerum breuì adfore magnam*

*magnam copiam, adeoq; pretium minuendum.* 418
DVB. IV. *Liceátne pluris rem diuendere quàm emeris.* 419
DVB. V. *Vtrùm chirographa iustè emantur minoris quàm contineant, & emi possint etiam dimidio pretij, quando difficilis futura videtur solutio, etiamsi emptori ratio in promptu sit eam facilè obtinendi.* 421
DVB. VI. *Si tradam tibi rem meam vendendam, verbi gratia decem, & pluris te vendere contigerit, vtrùm mihi satisfacias dando solùm decem.* 423
DVB. VII. *Vtrùm monopolia sint illicita.* ibid.
DVB. VIII. *Vtrùm venditor debeat emptori indicare vitium mercis.* 424
DVB. IX. *Vtrùm in contractu societatis mercatoriæ possit socius pacisci de certo lucro, salua sorte? siue, Vtrùm triplex contractus, scilicet societatis, assecurationis sortis, & assecurationis certi lucri, simul inter eosdem iniri possit.* 425
DVB. X. *Quæ iusta lucrorum diuisio in societate mercatoria.* 428
DVB. XI. *Vtrùm liceat rem vendere creditò vltra iustum pretium quo vendi solet præsenti pecunia, aut anticipato pretio liceat emere citra iustum.* 429
DVB. XII. *Vtrùm liceat tibi numerato pretio redimere ex incontinenti minoris, quod pluris creditò vendidisti.* 430
DVB. XIII. *Cuius periculo pereat res vendita nondum emptori tradita.* 431
DVB. XIV. *Vtri tradenda sit res duobus vendita.* ibid.
DVB. XV. *Vtrùm liceat venditori rei venditæ fructus percipere, donec soluatur sibi pretium, non deducendo eos in sortem.* ibid.
DVB. XVI. *Vtrùm liceat vendere cum pacto redimendi, aut emere cum pacto retrouendendi.* 433
DVB. XVII. *Vtrùm venditor teneatur emptori de euictione.* ibid.

## CAPVT III.

### De Mutuo & Vsura. 434

DVB. I. *Quid sit Mutuum.* ibid.
DVB. II. *Quid sit Vsura.* 435
DVB. III. *Vtrùm Vsura sit illicita, & quo Iure sit prohibita.* ibid.
DVB. IV. *Vtrùm sit Vsura, si tibi ea lege dem mutuum, vt vicissim mihi remutues, aut à me certas merces emas.* 438
DVB. V. *Vtrùm sine Vsura liceat ex mutuo sperare amicitiam & eius emolumenta.* 440
DVB. VI. *Vtrùm sit Vsura, mutuare ea lege, vt Beneficiũ aut officium tibi conferatur.* ibid.
DVB. VII. *Sine Vsura, si quis ea lege det ei mutuum quem offendit, vt iniuriam condonet.* 441
DVB. VIII. *Si mutuo cum pacto, vt simul cum sorte mihi aliunde debitum soluas, an sit Vsura.* 442
BVB. IX. *Vtrùm peccet qui sine pacto intendit lucrum ex Mutuo.* ibid.
DVB. X. *Vtrùm Vsura mentalis obliget ad restitutionem.* ibid.
DVB. XI. *Vtrùm ratione secundarij vsus pecuniæ mutuò datæ, puta quia danda sit in pignus, liceat quid vltra sortem accipere.* 443
DVB. XII. *An liceat mutuatori aliquid accipere vltra sortem ratione damni emergentis.* 444
DVB. XIII. *Vtrùm liceat aliquid accipere vltra mutuatam sortem ratione lucri cessantis.* 446
DVB. XIV. *Vtrùm ratione periculi, molestiæ, aut expensarum quæ timentur in repetenda sorte, liceat mutuatori aliquid supra sortem exigere.* 449
DVB. XV. *Vtrùm ex eo liceat mutuatori aliquid exigere vltra sortem, quòd ad tempus cariturus sit sua pecunia, & obligatus sit ante illud tẽpus eam non repetere.* ibid.
DVB. XVI. *Vtrùm possit gener retinere fructus pignoris pro dote sibi à socero assignati, non computando eos in sortem.* 450
DVB. XVII. *Vtrùm interueniat Vsura in Montibus pietatis.* 451
DVB. XVIII. *Sine Vsurarium, pœnam conuentionalem exigere à mutuatario existente in mora.* 453
DVB. XIX. *Vtrùm liceat mutuatori aliquid vltra sortem accipere ratione præsumptæ donationis mutuatarij.* 454
DVB. XX. *Quando valor rei mutatus est pendente mutuo, secundùm quem oporteat mutuatarium restituere.* 455
DVB. XXI. *Vtrùm vsurarius acquirat verum dominium Vsurarum.* ibid.
DVB. XXII. *Vtrùm liceat aliquid ab vsurarijs accipere.* 457
DVB. XXIII. *Vtrùm heredes vsurarij teneantur restituere Vsuras, & quousque.* 458
DVB. XXIV. *Ad quid teneantur cooperatores Vsurarij.* 459
DVB. XXV. *Quænã sint pœnæ Vsuriorũ* 462
DVB. XXVI. *Vtrùm liceat accipere Mutuum ad Vsuram.* ibid.

## CAPVT IV.

### De Cambijs. 464

DVB. I. *Quid & quotuplex Cambium.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm ex Cambio minuto licitum sit aliquid lucrari.* ibid.
DVB. III. *Quomodo lucra in Cambio locali sint licita.* 465
DVB. IV. *Vtrùm Cambia, in quibus pretium variatur pro temporis intercapedine, sint licita.* 466
DVB. V. *Quænam considerandæ sint quoad iniustitiam in Cambiis siccis.* ibid.
DVB. VI. *Vtrùm licitè accipiant Campsores suas prouisiones siue honoraria.* 467
DVB. VII. *Vtrùm possit Campsor pacisci de interesse aut recambio, si campsarius fuerit in mora.* 468
DVB. VIII. *Vtrùm ex Cambio custodiæ licitum sit lucrari.* ibid.
DVB. IX. *Vtrùm ratione mutati valoris pecuniæ oporteat campsarium aliquid addere Campsori.* ibid.
DVB. X. *Vtrùm Campsor cui pro sorte debentur decem, pro interesse autem, & prouisionibus tria, quando ad computum recipit tria, possit ea accipere in solutum pro interesse & prouisionibus, an verò teneatur tria minuere de sorte.* 469
DVB. XI. *Vtrùm conditiones expressæ in Bulla Pij V. obligent Campsores in conscientia.* ibid.

## CAPVT V.

### De Reditibus. 470

DVB. I. *Quid sit Census.* ibid.
DVB. II. *Quotuplex sit Census.* ibid.
DVB. III. *Vtrùm nouum Reditum liceat emptione & venditione constituere.* 471
DVB. IV. *Quæ sint necessaria in contractu censuali ex Iure naturæ.* ibid.
DVB. V. *Quæ conditiones sint necessariæ ex Iure positiuo ad iustum Reditum.* 472
DVB. VI. *Vtrùm hæ Martini V. Calisti III. & Pij V. conditiones vbique obligent.* ibid.
DVB. VII. *Super quibus rebus possit constitui Census.* 473
DVB. VIII. *Vtrùm liciti sint Census personales.* 474
DVB. IX. *Vtrùm liciti sint Census perpetui irredimibiles.* 476
DVB. X. *Vtrùm liciti sint Census redimibiles.* 477.
DVB. XI. *Vtrùm licitus sit Census vtrimque redimibilis, aut cum pacto reaimendi quando voluerit emptor.* ibid.
DVB. XII. *Vtrùm liceat emere Censum, ea lege apposita, vt non redimatur, nisi maiori aliquo pretio quàm emptus est.* 478
DVB. XIII. *Vtrùm censuali contractui possit apponi pactum quòd redimetur Census eadem moneta.* ibid.
DVB. XIV. *Vtrùm conditiones aliæ quæ in censualibus contractibus apponi solent, sint licitæ.* ibid.
DVB. XV. *Quomodo liciti sint Census temporales, quando pensiones speratæ excedunt sortem.* 479
DVB. XVI. *Quodnam æstimandum sit iustum Reditus pretium.* 480
DVB. XVII. *Quid restituendum, si quis minoris iusto emerit Censum.* 481
DVB. XVIII. *Vtrùm liceat minoris redimere Censum quàm emptus est.* ibid.

## CAPVT VI.

### De Vectigalibus & Tributis. 482

DVB. I. *Quid Tributum & Vectigal.* ibid.
DVB. II. *Quænam sint conditiones iusti Tributi.* ibid.
DVB. III. *Quis habeat legitimam potestatem imponendi Tributa.* 483
DVB. IV. *Quænam sit legitima caussa indicendi Tributum.* 484
DVB. V. *Quomodo contingat Tributa esse iniusta defectu bonæ formæ seu proportionis inter eos qui contribuunt.* 485
DVB. VI. *Vtrùm Clerici sint exempti à Tributis.* 486
DVB. VII. *Quo Iure Clerici sint exempti à Tributis.* 487
DVB. VIII. *Quænam per Ecclesias & Ecclesiasticas personas intelliguntur, quando à Tributis eximuntur.* 488
DVB. IX. *Quæ bona Ecclesiæ vel Ecclesiasticorum sint exempta à Tributis.* 489
DVB. X. *Quæ pœnæ statutæ violatoribus istud priuilegium Ecclesiasticæ immunitatis.* 491
DVB. XI. *Quibus casibus liceat exigere Tributum ab Ecclesia vel Ecclesiasticis.* ibid.
DVB. XII. *Super quibus non debeant imponi Tributa.* 492
DVB. XIII. *Vtrùm mortaliter peccent qui iusta defraudant Tributa.* ibid.
DVB. XIV. *Vtrùm Tributum debeatur antequam exigatur.* 494
DVB. XV. *Vtrùm pœnitentes à Confessarijs sint adstringendi ad restitutionem defraudati Tributi.* ibid.
DVB. XVI. *Vtrùm creditor Principis possit fraudando Vectigal sibi compensare.* ibid.

# TRACTATVS VI.

### De Iudicijs. 495

## CAPVT I.

### De iniustitia Iudicis. *ibid.*

DVB. I. *Vtrùm Iudicium sit actus Iustitiæ.* ibid.

DVB. II. *Vtrùm iudicare sit licitum.* 495
DVB. III. *Vtrùm liceat ex sufficione iudicare.* 497
DVB. IV. *Vtrùm dubia sint in meliorem partem interpretanda.* 498
DVB. V. *Quænam sint conditiones iusti Iudicis.* 500
DVB. VI. *Vtrùm in propria causa possit quis esse Iudex.* ibid.
DVB. VII. *Quomodo Iudices peccare contingat vsurpato iudicio.* 501
DVB. VIII. *Vtrùm Clericus iudicari à laico possit.* ibid.
DVB. IX. *Vtrùm tyrannus vsurpato peccet iudicio, quoties Ius dicit.* 503
DVB. X. *Vtrùm Iudex in peccato mortali existens licitè iudicet.* ibid.
DVB. XI. *Vtrùm irrita sint & illicita iudicia Iudicis excommunicati.* 504
DVB. XII. *Vtrùm Iudex officio priuatus, iudicando peccet vsurpato iudicio.* 505
DVB. XIII. *Vtrùm Iudex reum quem priuata scientia nouit innocentem, possit ad duorum falsum contra eum testimonium, tamquam legitimè convictum, condemnare.* 506
DVB. XIV. *Vtrùm ex priuata scientia possit Iudex reum condemnare.* 509
DVB. XV. *Quot modis Iudex procedat iuridicè in criminalibus.* 511
DVB. XVI. *Vtrùm sufficiat esse accusatum, vt possit quis legitimè de crimine à Iudice interrogari.* 512
DVB. XVII. *Quid & quotuplex Inquisitio.* ibid.
DVB. XVIII. *Vtrùm liceat Iudici instituere inquisitionem generalem, nulla præcedente infamia.* ibid.
DVB. XIX. *Vtrùm inquisitio specialis regulariter non fiat nisi præcedenti infamia.* 513
DVB. XX. *Quando liceat citra infamiam Iudici instituere inquisitionem specialem contra certam personam.* ibid.
DVB. XXI. *Quomodo procedendum sit ad inquisitionem, quando crimen est notorium, sed latet auctor.* 514
DVB. XXII. *Vtrùm infamis aut etiam conuictus de vno crimine, possit interrogari de alijs occultis.* 516
DVB. XXIII. *Possitne Iudex reum iam conuictum interrogare de socijs occultis, nulla infamia laborantibus.* ibid.
DVB. XXIV. *Quando possit Iudex reum adiudicare torturæ.* 517
DVB. XXV. *Vtrùm possit Iudex reum damnare, cuius confessionem extorsit contra Iuris ordinem.* 518
DVB. XXVI. *Vtrùm liceat Iudici pœnam à Lege constitutam augere, minuere, vel remittere.* 519
DVB. XXVII. *Vtrùm liceat Iudici aliquod munus accipere.* 521

## CAPVT II.
De iniustitia Accusatoris & Testis. 522

DVB. I. *Quid Accusatio, & quænam in ea solemnitates Iuris.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm accusare aliquando sit præceptum.* ibid.
DVB. III. *Vtrùm possimus accusare priuatim priùs non monitum.* 523
DVB. IV. *Vtrùm Accusator possit desistere ab accusatione inchoata.* ibid.
DVB. V. *Vtrùm Accusator qui in probatione defecerit, semper teneatur ad pœnam talionis.* 524
DVB. VI. *Quinam in Iudiciis reijciantur à ferendo testimonio.* ibid.
DVB. VII. *Vtrùm semper sufficiat duorum aut trium testimonium.* 525
DVB. VIII *Vtrùm semper requisitus à Iudice debeat ferre testimonium.* 526
DVB. IX. *Quando testis ratione testimonij præstiti vel omissi teneatur ad restitutionem.* 528

## CAPVT III.
De iniustitia Rei & Aduocati. 529

DVB. I. *Vtrùm Reus legitimè à Iudice interrogatus, teneatur contra se veritatem fateri.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm Reus citra peccatum mortale possit verum crimen negando, dicere, accusatorem contra Iuris ordinem procedentem mentiri, aut calumniari.* 530
DVB. III. *Vtrùm vià exceptionis, aut vt inualident testimonia, possint Reus & eius Aduocatus occulta testium crimina detegere.* 531
DVB. IV. *Vtrùm liceat Reo iudicium per appellationem declinare.* ibid.
DVB. V. *Vtrùm Reus debeat parère sententiæ contra se latæ, præsertim quando est secundùm allegata & probata, sed contra veritatem.* 533
DVB. VI. *Vtrùm per sententiam damnatus ad carcerem possit fugere.* 534
DVB. VII. *Vtrùm ad licitam fugam possit quis reum iustè incarceratum iuuare aut hortari.* ibid.
DVB. VIII. *Vtrùm Aduocati pauperibus debeant gratis patrocinari.* 535
DVB. IX. *Vtrùm Aduocatus possit dubiam causam tuendam suscipere.* 536





DVB. X. *Quando clienti aut parti teneatur Aduocatus.* 537

# TRACTATVS VII.
De iniurijs in Honore & Fama. 537

## CAPVT I.
Quando fiat iniuria in Honore & Fama. *ibid.*

DVB. I. *Quid Honor & Fama.* ibid.
DVB. II. *Quid Detractio, Contumelia, & Susurratio.* 538
DVB. III. *Vtrùm Detractio sit peccatum mortale, minus tamen Contumeliâ.* ibid.
DVB. IV. *Sitne mortale, vni prudenti reuelare alterius peccatum.* ibid.
DVB. V. *Vtrùm liceat reuelare proximi peccatum, vt euitetur malum, vel procuretur bonum peccantis, vel reuelantis, vel eius cui reuelatur, vel alterius.* 539
DVB. VI. *Vtrùm proximi peccata notoria liceat narrare eo loco vbi nondum sciuntur.* 540
DVB. VII. *Vtrùm iustè diffamatum in vno, liceat diffamare in alio, præsertim minori.* 541
DVB. VIII. *Vtrùm liceat mortuorum occulta referre peccata.* ibid.
DVB. IX. *Vtrùm vt sit detractio, oporteat illam versari circa peccatum mortale.* 542
DVB. X. *Quale peccatum sit, seipsum infamare.* 543
DVB. XI. *Vtrùm in tormentis liceat se vel alium infamare.* 544
DVB. XII. *Vtrùm sit detractio, si narres iniuriam tibi ab alio allatam.* 546
DVB. XIII. *Vtrùm censendus sit detractor, qui narrat se crimen alterius audiuisse, non tamen asserit esse verum.* ibid.
DVB. XIV. *Vtrùm liceret eius Famæ derogare, qui nomen sibi simulando comparasset.* 547
DVB. XV. *Vtrùm audire & tolerare detractorem, sit peccatum.* ibid.
DVB. XVI. *Quale peccatum sit, componere vel euulgare Libellum famosum.* 548

## CAPVT II.
De restitutione Famæ & Honoris. 549

DVB. I. *Quis obnoxius sit; & speciatim, Vtrùm ille reparandæ Famæ sit obnoxius, qui nonnisi ex inuincibili ignorantia vel sua vel auditorum, Famam læsit.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm Superior infamati aut detractoris obnoxius fiat restitutioni, quando obtrectatorem non impedit.* 550
DVB. III. *Vtrùm ad restituendam Famam teneantur heredes detractoris.* 551
DVB. IV. *Quid restituendum in Fama læsa; & speciatim, An omne damnum ex infamia secutum.* ibid.
DVB. V. *Vtrùm detractor teneatur ad aliquid infamato, pro eo specialiter, quòd tanto tempore subiacuerit infamiæ.* ibid.
DVB. VI. *Quomodo Fama restituenda; & speciatim, Anne sufficiat simpliciter retractare, An verò incumbat detractori curare, vt fides adhibeatur retractationi; & An opus sit retractare apud omnes ad quos infamia peruenit.* 552
DVB. VII. *Quomodo restituet detractor, quando de vero crimine infamauit.* 553
DVB. VIII. *Vtrùm qui diffamauit, teneatur aliquando Famam pecuniâ compensare.* 554
DVB. IX. *Quænam à restitutione detractorem excusent; & speciatim, Vtrùm debeat restituere famam cum periculo propriæ vitæ.* ibid.
DVB. X. *Vtrùm cum Famæ propriæ periculo debeat restituere obtrectator.* 555
DVB. XI. *Vtrùm liberet obtrectatorem, quòd Fama aliunde iam sit recuperata.* 556
DVB. XII. *Vtrùm hîc liberet obtrectatorem, quòd alio euentu nunc crimen factum sit publicum.* ibid.
DVB. XIII. *Vtrùm excuset, quòd in alio genere detractor læsi Famam auxerit.* ibid.
DVB. XIV. *Vtrùm qui se mutuò infamarunt, possint vti compensatione.* 557
DVB. XV. *Vtrùm valeat & liceat remissio infamati.* 558
DVB. XVI. *Quomodo Honor per contumeliam læsus sit restituendus.* ibid.

# TRACTATVS VIII.
De iniuria & restitutione in Bonis spiritualibus. 559

DVB. I. *Quomodo restituat qui læsit in Bono animæ siue innato, siue acquisito.* ibid.
DVB. II. *Quid restituat qui in peccatum cum graui iactura Boni spiritualis, supernaturalis & infusi, proximum, maximè per iniuriam, fraudem, aut dolum induxerit.* 560
DVB. III. *Ad quid teneatur qui abstraxerit quempiam à Religione.* 561

# TRACTATVS IX.

## De Iustitia distributiua. 563

### CAPVT I.

De Acceptione Personarum. *ibid.*


DVB. I. *Quid Personarum acceptio, & quale peccatum.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm Personarum acceptio locum habeat in dispensatione spirituali.* 564
DVB. III. *Vtrùm Personarum acceptio locum habeat in exhibitione honoris & reuerentiæ.* ibid.
DVB. IV. *Vtrùm in iudicijs locum habeat peccatum Acceptionis personarum.* 565
DVB. V. *Vtrùm Acceptio personarum locum habeat in collatione officiorum secularium.* 566


### CAPVT II.

De Beneficiis Ecclesiasticis. 567


DVB. I. *Quid Beneficium Ecclesiasticum & quotuplex.* ibid.
DVB. II. *Quid Ius patronatus & quotuplex.* 568
DVB. III. *In quibus conueniant aut differant Ius patronatus laicum & Ecclesiasticum.* 569
DVB. IV. *Cuius sit conferre Beneficia.* ibid.
DVB. V. *Intra quod tempus debeat fieri collatio.* 570
DVB. VI. *Vtrùm liceat aliquando conferre Beneficium non idoneo & indigno.* 571
DVB. VII. *Vtrùm liceat conferre digno, omisso digniore.* ibid.
DVB. VIII. *Vtrùm qui promouit dignum præterito digniore & ipse & sic promotus teneantur restituere.* 574
DVB. IX. *Vtrùm illegitimus sit capax Beneficij.* 577
DVB. X. *Quomodo Ordo requiratur ad Beneficium.* 578
DVB. XI. *Quæ ætas requiratur ad Beneficia.* 579
DVB. XII. *Quomodo calibatus requiratur in Beneficiario.* ibid.
DVB. XIII. *Quomodo morum probitas requiratur in Beneficiario.* 580
DVB. XIV. *Quæ scientia necessaria sit idoneo ad Beneficium.* 581
DVB. XV. *Quomodo defectus corporis impediat obtentionem Beneficij.* 582
DVB. XVI. *Quæ intentio requiratur in Beneficium obtinente.* ibid.
DVB. XVII. *Sitne licitum habere plura Beneficia.* 584
DVB. XVIII. *Quibus ex causis dispensatio licita sit super pluralitate Beneficiorum.* 586
DVB. XIX. *Quomodo Beneficia requirant residentiam.* 587


### CAPVT III.

De Simonia. 588


DVB. I. *Quid sit Simonia.* ibid.
DVB. II. *Quale peccatum sit Simonia.* 592
DVB. III. *Quotuplex sit Simonia; & An aliqua sit Iuris humani tantùm.* 593
DVB. IV. *Vtrùm Pontifex possit esse Simoniacus.* 595
DVB. V. *Vtrùm sit Simonia, dare pretium pro Sacramentis etiam in necessitate.* 597
DVB. VI. *Vtrùm liceat accipere pecuniam pro spiritualibus actibus.* 600
DVB. VII. *Vtrùm sit Simonia, dare aliquid pro ingressu Religionis.* 604
DVB. VIII. *Vtrùm pro doctrina Theologica liceat temporalis pretij stipendia pacisci.* 607
DVB. IX. *Quomodo committatur Simonia circa collationem Beneficiorum, & alia spiritualibus annexa.* 609
DVB. X. *Vtrùm citra Simoniam liceat compensare fructuum inæqualitatem in permutatione Beneficiorum.* 610
DVB. XI. *Sitne licitum resignare Beneficium in fauorem certæ personæ.* 614
DVB. XII. *Vtrùm liceat resignanti Beneficium seruare pensionem.* 616
DVB. XIII. *Vtrùm redimere pensionem sit Simoniacum.* 617
DVB. XIV. *Vtrùm liceat resignare Beneficium in confidentiam, hoc est, cum eo pacto, vt resignatarius illud denuò resignet pro voluntate resignantis.* 618
DVB. XV. *Vtrùm liceat conferre Beneficium pro munere quod est à manu, vel ab obsequio, vel à lingua.* 619
DVB. XVI. *Vtrùm sit Simonia, conferre Beneficium propter timorem.* 620
DVB. XVII. *Vtrùm in Beneficijs liceat redimere vexationem.* 621
DVB. XVIII. *Quæ sint pœnæ Simoniacorum.* 623
DVB. XIX. *Vtrùm Simoniaci teneantur ad aliquam restitutionem.* 627


TRA-



# TRACTATVS X.

## De Religione. 631

### CAPVT I.

De Religione in genere. *ibid.*


DVB. I. *Quid Religio.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm Religio sit præstantissima virtutum moralium.* 633
DVB. III. *Quos actus habeat Religio.* ibid.


### CAPVT II.

De Oratione. 637


DVB. I. *Quid Oratio, & quotuplex.* ibid.
DVB. II. *Qualis attentio debeat esse in Oratione mentali.* 641
DVB. III. *Quinam obligentur ad Horas Canonicas.* 646
DVB. IV. *Quomodo teneatur restituere fructus Beneficiarius qui Horas non legit.* 651
DVB. V. *Quænam excusent à lectione Horarum.* 653


### CAPVT III.

De Sacrificio. 654


DVB. I. *Quid sit Sacrificium.* ibid.
DVB. II. *Quotuplex sit Sacrificium.* 661
DVB. III. *Vtrùm Sacrificium sit de Lege naturæ.* ibid.


### CAPVT IV.

De Decimis. 664


DVB. I. *Quotuplices sint Decimæ.* ibid.
DVB. II. *A quibus, & quo Iure debeantur Decimæ.* ibid.
DVB. III. *Quibus debeantur Decimæ.* 665
DVB. IV. *Ex quibus debeantur Decimæ.* 667
DVB. V. *Quomodo cessèt obligatio Decimarum.* ibid.


### CAPVT V.

De Voto. 668


DVB. I. *Quid sit Votum.* ibid.
DVB. II. *Quæ sit materia Voti.* 673
DVB. III. *Quotuplex sit Votum, & quomodo fiat solemne.* 680
DVB. IV. *Quanta sit obligatio Voti.* 685
DVB. V. *Vtrùm vnus possit obligari Voto alterius.* 692
DVB. VI. *Vtrùm Christianis expediat vouere.* 693
DVB. VII. *Quinam possint vouere.* 695
DVB. VIII. *Quot modis contingat Voto quempiam solui.* 702
DVB. IX. *Vtrùm in solemni Voto continentiæ dispenset Pontifex.* ibid.
DVB. X. *Quis dispenset in reliquis Votis.* 708
DVB. XI. *Cuius sit Vota commutare, & quo modo.* 711


### CAPVT VI.

De Iuramento. 716


DVB. I. *Quid & quotuplex Iuramentum.* ibid.
DVB. II. *Vtrùm, & quo modo liceat Iurare.* 718
DVB. III. *Vtrùm legitimo Iuramento tres comites adesse debeant, veritas, iudicium, & iustitia.* 722
DVB. IV. *Vtrùm liceat Iurare per creaturam.* 725
DVB. V. *Vtrùm omne Iuramentum promissorium obliget sub mortali.* 727
DVB. VI. *Vtrùm Iuramentum graui metu extortum obliget.* 728
DVB. VII. *Vtrùm teneatur qui fingit se Iurare, & animo non Iurat, aut sine animo se obligandi Iurat, aut longè alio sensu quàm putet is, cui Iurat.* 732
DVB. VIII. *Quanto sit obligatio Iuramenti.* 734
DVB. IX. *Vtrùm liceat Iuramentum exigere ab eo quem scis peieraturum.* 737
DVB. X. *Vtrùm liceat ab eo exigere Iuramentum, qui per falsos deos iuraturus est.* 739
DVB. XI. *Quibus modis ab obligatione Iuramenti liberemur.* ibid.


### CAPVT VII.

De Superstitione. 741


DVB. I. *Quid Superstitio & quotuplex.* ibid.
DVB. II. *Quomodo Superstitio admittatur per illegitimum verì Dei cultum.* 743
DVB. III. *Quid Idololatria: Quotuplex: Vnde orta sit: Quanta eius culpa, & pœna.* 745
DVB. IV. *Quid Diuinatio, & quotuplex.* 750
DVB. V. *Quomodo in Diuinatione peccetur inuocatione dæmonis.* 751
DVB. VI. *Sitne illicita quæuis Diuinatio per astra.* 754
DVB. VII. *Vtrùm Diuinatio per somnia sit licita.* 757


DVB.

DVB. VIII. *Sine vniuersim reprobandum præsagium, quod desumitur ex augurio, omine, & similibus.* 760
DVB. IX. *Vtrùm Diuinatio per sortes sit illicita.* 761
DVB. X. *Vtrùm vti obseruantijs artis notoriæ sit illicitum.* 763

## CAPVT VIII.

### De Magia. 763

DVB. I. *An sit, & quid sit Magia, & quotuplex.* ibid.
DVB. II. *Quid possint Magi in animis hominum.* 766
DVB. III. *Vtrùm ope dæmonum Magi efficere possint vt defunctorum animæ viuentibus appareant.* 768
DVB. IV. *Quomodo discernantur spiritus apparentes, an boni sint an mali.* 772
DVB. V. *Quid Magia possit in transformatione corporum, verbi gratia vt ex homine appareat lupus.* 773
DVB. VI. *Sit ne vera sagarum, quæ ad longa spatia subitò fieri dicitur, per artem magicam translatio.* 774
DVB. VII. *Vtrùm per artem Magicam possint magi sese inuisibiles reddere.* 777
DVB. VIII. *Quid possint sagæ in conferenda hominibus aut brutis sanitate, vel nece inferenda aut morbo.* 778
DVB. IX. *Vtrùm sagæ impediant vsum matrimonij.* 783
DVB. X. *Vtrùm dæmones Magis aut sagis succubi fiant & incubi, & vtrùm inde queat proles generari.* 784
DVB. XI. *An de sagis Iudices rectè capiant experimentum per probam aquæ frigidæ.* 788
DVB. XII. *An liceat amouere signa maleficij.* 791
DVB. XIII. *Vtrùm liceat petere remedium ab illo malefico, qui sciatur quidem posse licito modo maleficium tollere, moraliter tamen certò aut probabiliter putetur id non nisi nouo maleficio sublaturus.* 797
DVB. XIV. *Quænam licita, quæve illicita maleficij remedia.* 801
DVB. XV. *Quibus modis dignosci queat, ánne quis sit maleficiatus.* 804

IN-

# INDEX LOCORVM SCRIPTVRAE QVÆ IN HOC OPERE EXPLICANTVR.

## GENESIS.

GENES. I. Et sint in signa & tempora, & dies & annos. 754,b
*Gen.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, *&c.* 287,b
*Gen.* 2. Hoc nunc os ex ossibus meis. 90,a
*Gen.* 2. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ. 213,a
*Gen.* 6. Isti sunt potentes à sæculo, viri famosi. 537,a
*Gen.* 9. Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, *&c.* 342,b
*Gen.* 21. Ego iurabo; & inijt fœdus cum Abimelech. 718,b
*Gen.* 25. In me sit, fili mi, illa maledictio. 10,b
*Gen.* 27. Ego sum primogenitus tuus Esau. 9,b
*Gen.* 28. Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum 689,a
*Gen.* 29. Os meum es, & caro mea. 213,a
*Gen.* 31. Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius. 724,a
*Gen.* 38. Si fuerit Dominus mecum, *&c.* erit mihi Dominus in Deum. 674,a
*Gen.* 39. In argumentum fidei retentum pallium ostendit. 1,b
*Gen.* 42. Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc. 726,a

## EXODVS.

EXOD. 1. Benefecit Deus obstetricibus; & quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domus. 134,a
*Exod.* 4. Non credent mihi, neque audient vocem meam. 17,a
*Exod.* 7. Nomen meum Adonai non indicaui illis. 22,b
*Exod.* 8. Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro? Quòd si mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruent. 634,b
*Exod.* 13. Et erit quasi signum in manu tua. 760,b
*Exod.* 18. Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam. 500,a
*Exod.* 19. Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. 675,b
*Exod.* 20. Non facies tibi sculptile; neque omnem similitudinem, quæ in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. 747,b.
*Exod.* 22. Iusiurãdum erit in medio, *&c.* 720,b
*Exod.* 22. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, *&c.* nec vsuris opprimes 437,a
*Exod.* 23. Insontem & iustum non occides. 359,b. 506,b
*Exod.* 23. Per nomen externorum deorum non iurabis 725,a
*Exod.* 23. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc eum. 200,b
*Exod.* 29. Panes quoque qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonij comedent, vt sit placabile sacrificium, & sanctificentur offerentium manus. 659,b
*Exod.* 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. 206,a

## LEVITICI.

LEVIT. 1. Et offerent filij Aaron sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum. 660,a
*Leuit.* 1. Holocaustum & oblatio est suauissimi odoris Domino. *ibid.*
*Leuit.* 5. Anima quæ iurauerit, & protulerit labiis suis, vt vel malè quid faceret, vel benè, & idipsum iuramento & sermone firmauerit, obliteq; posteà intellexerit delictum suum, *&c.* 723,b
*Leuit.* 7. Si voto vel sponte quispiam obtulerit hostiam, *&c.* 685,b
*Leuit.* 7. Offerat simul & sacrificium, id est, libamenta eius. 660,a
*Leuit.* 20. Quòd si neglexerit populus terræ, nec voluerit eum occidere, succidam ipsum, & omnes qui consenserunt ei. 520,b
*Leuit.* 24. Eruntque Aaron & filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto, quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini iure perpetuo. 659,b
*Leuit.* 27. Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non vendetur, neque redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. 702,b

## NVMERI.

NVMER. 6. Languent circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum. 138,a
*Num.* 8. Offeret Aaron Leuitas munus in conspectu Domini à filiis Israël vt seruiant in ministerio eius. 656,b
*Num.* 11. Sin aliter tibi videtur, obsecro vt inter-

interficias me,& inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. 206,b
*Num.* 15. Vinum ab liba fundenda eiusdem mensuræ in oblationem suauissimi odoris Domino. 660,a
*Num.* 21. Et separabis Domino partem. 576,a
*Num.* 22. Cur percutis me ecce iam tertiò,*&c.* 237,a
*Num.* 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur. 9,a
*Num.* 25. Occidat vnusquisque proximos suos. 500,b
*Num.* 30. Mulier si quidpiam vouerit, & se constrinxerit iuramento,*&c.* 716,b
*Num.* 30. In arbitrio viri erit, siue faciat siue non faciat. 701,b

## DEVTERONOMII.

DEVT. 1. Date ex vobis viros sapientes & gnaros. 500,a
*Deut.* 4. Non addetis ad verbum quod vobis loquor,nec auferetis ex eo. 82.a
*Deut.* 6. Per nomen eius iurabis. 725,a
*Deut.* 6. Non tentabis Dñm Deum tuum. 261,a
*Deut.* 12. Non facies similiter Domino Deo tuo. 634,a
*Deut.* 12. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, neque addas quidquam, nec minuas. 82,a. 742,a
*Deut.* 13. Etiamsi dixerint vobis, & ita euenerit,ne credatis eis. 758,b
*Deut.* 13. Vt omnis Israël audiens timeat, & nequaquam faciat vltrà quidquam huius rei simile. 149,b
*Deut.* 17. In ore duorum vel trium testium peribit qui interficietur. 508,a
*Deut.* 17. Manus testium prima interficiet eum. *ibid.* b
*Deut.* 17. Venies ad Sacerdotes, & Iudicem qui fuerit temporibus illis, qui indicabunt tibi iudicium veritatis. 68,b
*Deut.* 18. Gentes istæ augures & diuinos audiunt. 754,b
*Deut.* 19. In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. 241,a. 329,a
*Deut.* 23. Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, aut fruges, aut quamlibet aliam rem, sed alieno. 437,a
*Deut.* 23. Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno. 233,a
*Deut.* 23. Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ. 201,a
*Deut.* 23. Cùm votum voueris Domino Deo tuo,non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus,*&c.* 685,b
*Deut.* 23. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. 673,b. 693,b
*Deut.* 23. Quod semel egressum est de labiis tuis,obseruabis,& facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es. 675,b
*Deut.* 25. Non alligabis os boui triturãti. 342,a
*Deut.* 28. Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies. 437,a
*Deut.* 28. Nisi timueris nomen eius gloriosum & terribile,hoc est Dominum Deum tuum. 718,a
*Deut.* 30. Iuxta te est sermo valdè in ore tuo, & in corde tuo,vt facias illum. 101,b
*Deut.* 31. Iosue coram omni populo præcepta dedit, & Sacerdotibus librum Legis commisit. 74,b
*Deut.* 32. Ego occidere & viuere faciam. 296,a
*Deut.* 33. Qui dixit patri suo & matri suæ, Nescio vos. 666,a

## IOSVE.

IOSVE 22. Ne iuretis in nomine deorum. 725,a

## IVDICVM.

IVDIC. 5. De cælo dimicatum est contra eos; stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt. 736,a

## LIBRI REGVM.

1. REG. 2. Si in Dominum peccauerit vir,quis orabit pro eo? 234,a
1. *Reg.* 8. Hoc erit ius Regis: agros vestros, *&c.* tollet, & dabit seruis suis. 484,b
1. *Reg.* 9. Sacrificium est hodie populo in excelso. 654,b
1. *Reg.* 15. Quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere. 750,a
1. *Reg.* 16. Directus est spiritus Domini à die illa in Dauid & deinceps. 193,a
1. *Reg.* 16. Recedebat ab eo spiritus malus. 802,a
1. *Reg.* 31. Quare inquietasti me vt suscitarer? 769,a. 771,b
1. *Reg.* 31. Faciet tibi Dominus sicut locutus est in manu mea. 770,b
2. *Reg.* 6. Si bestia tetigerit montem, lapidabitur. 237,a
2 *Reg.* 7. Si iniquè aliquid gesserit,arguam eum in virga virorum,*&c.* 193,b
2. *Reg.* 12. Tu es ille vir. Peccaui Domino. Dominus transtulit peccatum tuum. 237,b
2. *Reg.* 23. Noluit bibere, sed libauit eam Domino. 657,b
3. *Reg.* 19. Timuit ergo Elias, & surgens abiit. 795,a
3. *Reg.* 20. Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius. 520,b
4. *Reg.* 1. Numquid quia non erat Deus in Israël, mittis vt consulatur Beelzebub deus Accaron? 751,a
4 *Reg.* 17. Consecrauerunt filios suos & filias suas per ignem. 655,a

## PARALIPOMENON.

2. PARAL. 19. Amarias Sacerdos & Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porrò Zabadias filius Ismaël,qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. 71,b
2. *Paral.* 22. Furata est eum de medio filiorum Regis. 229,a

## NEHEMIÆ.

NEHEMIÆ 4. Peccatum eorum coram facie tua non deleatur. 201,a

## TOBIAS.

TOB. 2. Reddite eum dominis suis,quia non licebit nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere. 340,a
*Tob.* 5. Ex filiis Israël ego sum Azarias Ananiæ magni filius,*&c.* 553,b. 733,b
*Tob.* 6. Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum. 801,a
*Tob.* 12. Quando orabas cum lacrymis,& sepeliebas mortuos,*&c.* 221,b
*Tob.* 15. Ab illo exige vsuram,cui meritò nocere desideras. 435,a

## IVDITH.

IVDITH 6. Ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te. 171.a
*Iudith* 6. Præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes,humilias. 171,b
*Iudith* 9. Exaudi de tua misericordia præsumentem. 171,a
*Iudith* 13. Sperabant eam iam non esse venturam. 156,a

## IOB.

IOB 1. Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta illos. 89,a
*Iob* 2. Verumtamen animam eius serua. 767,a
*Iob* 2. Benedic Deo & morere. 155,b
*Iob* 5. Paruulum occidit inuidia. 245,b
*Iob* 9. Sub quo curuantur, qui portant orbem,*&c.* 169,b
*Iob* 15. Quantum in te est, euacuasti timorem, & tulisti preces coram Deo. 639,b
*Iob* 19. Miseremini mei saltem vos amici mei. 159,b
*Iob* 19. Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. 14,a
*Iob* 21. Ducunt in bonis dies suos,& in puncto ad inferna descendunt. 163,b
*Iob* 22. Vota tua reddes. 685,b
*Iob* 26. Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius. 169,b
*Iob* 29. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. 506,b
*Iob* 29. Oculus videns, testimonium reddebat mihi, eò quòd liberassem pauperem vociferantem. 354,a
*Iob* 31. Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quòd inuenisset eum malum. 200,b
*Iob* 32. Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. 608,b
*Iob* 34. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens illos instruit disciplina. 759,a
*Iob* 37. Qui in manu omnium signat, vt nouerint singuli opera sua. 760,b
*Iob* 38. Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra, *&c.* 756,a

## PSALMI.

PS. AL. 5. Sepulcrum patens est guttur eorum. 133,b
*Psal.* 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. 172,a
*Psal.* 13. Dominus spes eius est. 156,a
*Psal.* 14. Qui iurat proximo suo, & non decipit. 719,a
*Psal.* 14. Opprobrium non accepit aduersus proximos suos,*&c.* 548,b
*Psal.* 15. Dominus pars hereditatis meæ. 666,a
*Psi.* 16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. 122,a
*Psal.* 17. Deus meus,adiutor meus, & sperabo in eum. 158,a
*Psal.* 18. In Sole posuit tabernaculũ suum. 60,a
*Psal.* 18. In omnem terram exiuit sonus eorum,&c. 94,b
*Psal.* 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. 30,b
*Psal.* 23. Nec iurauit in dolo proximo suo. 723,a
*Psal.* 26. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. 164,a
*Psal.* 30. In manibus tuis sortes meæ. 761,a
*Psal.* 32. Omnia opera eius in fide. 2,a
*Psal.* 36. Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua. 245,b
*Psal.* 36. Cùm ceciderit, non collidetur; quia Dominus supponit manum suam. 193,a
*Psal.* 38. Verumtamen vanè conturbatur omnis homo. 720,b
*Psal.* 39. Cor meum dereliquit me. 643,a
*Psal.* 39. Annuntiaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. 51,b
*Psal.* 44. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. 60,b
*Psal.* 45. Vacate & videte,*&c.* 420,a
*Ps.* 49. Si videbas furẽ, currebas cum eo. 384,b
*Psal.* 49. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, *&c.* existimasti iniquè quòd ero tui similis, arguam te. 548,b
*Psal.* 49. Tu verò odisti disciplinam. 244,a
*Ps.* 49. Sacrificiũ laudis honorificabit me. 654,a
*Psal.* 50. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. 193,a
*Psal.* 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. 654,a
*Psal.* 51. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa, propterea Deus destruet te in finem. 538,a
*Psal.* 53. Voluntariè sacrificabo tibi. 562,a
*Psal.* 54. Non defecit de plateis eius vsura & dolus. 436,a
*Psal.* 58. Ne occidas eos, nequando obliuiscantur populi mei. Disperde illos,*&c.* 21,a
*Psal.* 62. Laudabuntur omnes qui iurant in eo. 716,b,719,a
*Ps.* 64. Tibi reddetur votũ in Ierusalem. 694,a
*Psal.* 65. Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in tribulatione mea. 670,b
*Psal.* 70. Quoniam tu es patientia mea. 177,a
*Psal.* 70. Quoniam non cognoui litteraturam. 420,a
*Psal.* 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. 89,a
*Psal.* 75. Vouete & reddite,*&c.* terribili,& ei qui aufert spiritum,*&c.* 685,b
*Psal.* 81. Eripite pauperem,& egenum de manu peccatoris liberate. 506,b
*Psal.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus. 120,a
*Psal.* 86. Fundamenta eius in montibus sanctis; Dominus narrabit in scripturis populorum & principum horum qui fuerunt in ea. 4,a
*Psal.* 90. Quoniam in me sperauit, liberabo eum. 156,b
*Psal.* 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. 16,b

*Psal.* 98. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius. 75,a
*Psal.* 100. Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar 538,a
*Psal.* 100. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat 420,a
*Psal.* 104. Nolite tangere christos meos 93,a
*Psal.* 105. Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum : obliti sunt Deum 746,a
*Psal.* 106. Posuit terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea 206,a
*Psal.* 108. Fiat oratio eius in peccatum 638,b
*Psal.* 109. Iurauit Dominus, *&c.* 716,b
*Psal.* 110. Initiũ sapientiæ timor Domini 168,a
*Psal.* 111. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis 169,a
*Psal.* 111. Iucundus homo qui miseretur & commodat, quia in æternum non commouebitur 223,a
*Psal.* 111. Dispersit, dedit pauperibus 228,a
*Psal.* 117. Bonum est sperare in Domino quàm sperare in principibus 159,b
*Psal.* 118. Adhæsit pauimẽto anima mea 637,a
*Psal* 118. A mandatis tuis intellexi 206,a
*Psal.* 118. Iurauì & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ 675,a.716,b
*Psal.* 118. Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine 562,a
*Psal.* 118. A verbis tuis formidauit cor meum 128,a
*Psal.* 118. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum 265,b
*Psal.* 120. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi ; auxilium meum à Domino 89,b
*Psal.* 138 Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es 128,a
*Psal.* 140. Corripiet me iustus in misericordia 232,b
*Psal.* 144. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis 2,a
*Psal.* 144. Miserationes eius super omnia opera eius 219,b

## PROVERBIA.

PROVERB. 1. Timor Domini principium sapientiæ 168,a
*Prou.* 3. Quem enim diligit Dominus, corripit 232,a
*Prou.* 4. Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te 548,a
*Prou.* 5. Iustorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit vsq; ad perfectam diem 210,b
*Prou.* 6. Non grandis est culpa cùm quis furatus fuerit : furatur enim vt esurientem impleat animam : deprehensus quoque reddet septũplum 229,a
*Prou.* 6. Deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet 519,b
*Prou.* 9. Principium sapientiæ timor Domini 168,a
*Prou.* 9. Noli arguere derisorem, ne oderit te 238,a
*Prou.* 11. Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia 342,a
*Prou.* 12. Qui negligit damnum propter amicum, iustus est 444,b
*Prou.* 13. Lucerna impiorum extinguetur 121,a
*Prou.* 14. Qui despicit proximum suum, peccat 498,b
*Prou.* 16. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur 761,a
*Prou.* 16. Indignatio Regis, nuntij mortis 753,b
*Prou.* 16. Vniuersa enim propter semetipsum operatus est Dominus 173,a
*Prou.* 17. Omni tempore diligit qui amicus est 194,b
*Prou.* 17. Gloria filiorum patres eorum 558,b
*Prou.* 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis 228,a.436,a
*Prou.* 20. Ruina est homini deuotare sanctos, & post vota retractare 672,b.685,b
*Prou.* 20. Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumq; abominabile est apud Deum 509,a
*Prou.* 23. Veritatem eme, & noli vendere scientiam 591,a
*Prou* 24. Cum detractoribus ne commiscearis; quoniam repentè veniet perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit, *&c.* 541,a.548,a
*Prou.* 24. Ne insidieris & quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius 548,b
*Prou.* 24. Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, *&c.* 200,b
*Prou.* 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses 354,a. 506,b
*Prou* 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; & si sitit, potum da illi 200,b
*Prou* 25. Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentis 548,a
*Prou.* 27. Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus 252,b
*Prou.* 27. Astutus videns malum abscondit̃us est, paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia 795,a
*Prou.* 28. Qui subtrahit aliquid à patre suo, & matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est 377,b
*Prou.* 29. Qui cum fure participat, odit animam suam 384,b

## ECCLESIASTES.

ECCLE. 5. Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo ; Deus enim in cælo, & tu super terram; idcircò sint pauci sermones tui 645,b
*Eccle.* 5. Si quid vouisti Deo, ne morẽris reddere ; displicet enim Deo infidelis & stulta promissio 668,a.685,b
*Eccle.* 5. Multo melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere 685,b.693,b
*Eccle.* 7. Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi 232,b
*Eccle.* 7. Quod nemo possit corripere, quem ille despexerit 233,a
*Eccle.* 10. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit 538,a

## CANTICVM CANTICORVM.

CANTIC. 2. Ordinauit in me charitatẽ 202,b
*Cant.* 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias 52,b
*Cant.* 6. Vna est columba mea 59,b





*Cant.* 8. Fortis vt mors dilectio 179,b
*Cant.* 8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem 194,b

## SAPIENTIA.

SAPIENT. 1. Sermo obscurus in vacuum non ibit 538,a
*Sap.* 1. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum 98,a
*Sap.* 3. Spes tamen illorum immortalitate plena est 163,a
*Sap.* 9. Per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi Domine à principio 92,b
*Sap.* 10. Reddidit iustis mercedem laborum suorum 11,a
*Sap.* 10. Eduxit de delicto suo 23,a
*Sap.* 12. Eos qui exerrãt partibus, corripis 238,b
*Sap.* 12. Quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti 296,a
*Sap.* 13. Iustorũ animæ in manu Dei sunt 771,b
*Sap.* 14. Infandorum idolorum cultura omnis mali causa est & initium & finis 749,a.750,a
*Sap.* 14. Affectui aut Regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt 746,a.747,a
*Sap.* 14. Malè iurantes noceri se non sperant 734,a
*Sap.* 16. Tu es Domine qui vitæ & mortis habes potestatem 296,a

## ECCLESIASTICVS.

ECCLI. 1. Initium sapiẽtiæ timor Domini 168,a
*Eccli.* 2. Væ his qui perdiderunt sustinentiam 170,a.355,b
*Eccli.* 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis 223,a
*Eccli.* 4. Eleëmosynam pauperis ne defraudes. *Et infrà:* Redde debitum tuum 226,b
*Eccli.* 4. Secundùm vires tuas exportigens da pauperi. Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Nónne aliis relinques dolores & labores tuos in diuisione sortis? Da, & accipe, & iustifica animam tuam 228,a
*Eccli.* 7. Mortuo non prohibeas gratiam 541,b
*Eccli.* 7. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses 212,a
*Eccli.* 10. Est homo qui honoratur propter substantiam suam 554,a
*Eccli.* 10. Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo 153,b
*Eccli.* 11. Bona in mala conuertens insidiatur, & in electis imponet maculam 546,b
*Eccli.* 11. Priusquam interroges ne vituperes quemquam ; & cùm interrogaueris, corripe iustè 232,b.234,a
*Eccli.* 11. Ante mortem ne laudes hominem quemquam 541,b
*Eccli.* 12. Benefac humili, & non dederis impio ; prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit 231,b
*Eccli.* 12. Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam ; & si non ab ipso, certè à Domino 228,a
*Eccli.* 16. Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti 639,b
*Eccli.* 17. Disciplina intellectus repleuit illos; creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum, & mala & bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum 119,b
*Eccli.* 17. Mandauit illis vnicuique de proximo suo 209,a.224,a
*Eccli.* 18. Non impediaris orare semper, & non verearis vsque ad mortem iustificari 188,b
*Eccli.* 19. Corripe amicum : sæpè enim fit commissio, vt non omni verbo credas 235,b
*Eccli.* 19. Qui credit citò, leuis corde est 15,b
*Eccli.* 19. Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat : Non feci ; aut si fecerit, ne iterùm addat facere, *&c.* 232,b
*Eccli.* 19. Amico & inimico noli narrare sensum tuum : & si est tibi delictum, noli denudare; audiet enim te, & custodiet te, & quasi defendens peccatum odiet te, & sic aderit tibi semper 544,a
*Eccli.* 20. Concupiscentia spadonis deuirginauit iuuenculam. 358,a
*Eccli.* 23. Est & alia loquela contraria morti, non inueniatur in hereditate Iacob 155,a
*Eccli.* 24. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt 100,a
*Eccli.* 26. Difficilè exuitur negotians à negligentia 420,a
*Eccli.* 26. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ 702,b
*Eccli.* 27. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium emptionis & venditionis angustiabitur peccatum 420,a
*Eccli.* 28. Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis 548,b
*Eccli.* 28. Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo. *Et infrà:* Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius 437,a
*Eccli.* 28. Susurro & bilinguis maledictus 538,a
*Eccli.* 29. Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo 228,a
*Eccli.* 29. Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam ne dimittas eum vacuum : perde pecuniam propter fratrem 223,a
*Eccli.* 29. Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum 228,a
*Eccli.* 29. Conclude eleëmosynam in sinu pauperis, & hæc pro te orabit 640,b
*Eccli.* 30. Sicut spado complectens virginem, *&c.* 358,a
*Eccli.* 34. Nisi ab Altissimo emissa fuerit visitatio 758,b
*Eccli.* 34. Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata. *Ibid.* Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui 660,a
*Eccli.* 34. Qui aufert in fudore panem, quasi qui occidit proximum suum 376,a
*Eccli.* 35. Qui facit misericordiam, offert sacrificium 221,a
*Eccli.* 37. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia, & cum muliere de ea quæ æmulatur : cum timido de bello, *&c.* 245,a
*Eccli.* 43. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, superabit adhuc. *Et infrà:* Exaltate eum quantum potestis, maior enim est omni laude. 741,b
*Eccli.* 44. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi 185,b
*Eccli.* 46. Post hoc dormiuit & notum fecit

regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terra, in prophetia delere impietatem gentis 771,a
*Eccli.* 51. Respiciens eram in adiutorium hominum,& non erat 158,a

ISAIAS.

ISAIÆ 1. Quiescite agere peruersè, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso 220,a
*Isa.* 1. Subuenite oppresso,si fuerint peccata tua vt coccinum,quasi nix dealbabuntur 223,b
*Isa.* 1. Principes tui socij furum 384,b
*Isa.* 2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium 60,a
*Isa.* 2. Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini 104,b
*Isa.* 3. Peccatum tuum sicut Sodoma prædicauerunt,nec absconderunt 544,a
*Isa.* 3. Rapina pauperis in domo vestra 340,a
*Isa.* 7. Non petam, & non tentabo Dominum 750,b
*Isa.* 8. Timorem eius ne timeatis, neque paueatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pauor vester,& ipse terror vester 166,b
*Isa.* 11. Fides cinctorium renum eius 2,a
*Isa.* 18. Væ terræ cymbalo alarum 138,a
*Isa.* 19. Cognoscent Ægyptij Dominum: & colent eum in hostiis & muneribus: & vota vouebunt Domino, & soluent 671,a
*Isa.* 22. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius 28,b
*Isa.* 26. Claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio 104,b
*Isa.* 28. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum: qui crediderit, non festinet 92,b
*Isa.* 28. Dixistis enim, Percussimus fœdus cum morte,& cum inferno fecimus pactum. *Et infrà:* Pactum vestrum cum inferno non stabit 764,b
*Isa.* 29. Somniat esuriens, & comedit: cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius 776,b
*Isa.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me 642,b.639,a
*Isa.* 32. Principes in iudicio præerunt 495,b
*Isa.* 33. Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem,iste in excelsis habitat 548,b
*Isa.* 34. Victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom 654,a
*Isa.* 34. Confortate manus dissolutas,& genua debilia roborate 637,a
*Isa.* 34. Complicabuntur sicut liber cæli 736,a
*Isa.* 47. Saluent te augeres cæli, *&c.* 754,b
*Isa.* 53. Oblatus est quia ipse voluit 660,a
*Isa.* 55. Ecce testem populis dedi eum 3,a
*Isa.* 57. Ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium 660,a
*Isa.* 61. Omnes qui viderint eos, cognoscent illos;quia isti sunt semen,cui benedixit Deus 60,a

IEREMIAS.

IEREM. 4. Et iurabis: Viuit Dominus,in veritate,& iudicio,& in iustitia 722,b
*Ierem.* 5. Iurant in his qui non sunt dij 725,b
*Ierem.* 5. Quòd si etiam, Viuit Dominus, dixerint:& hoc falsò iurabunt 722,b
*Ierem.* 7. Omnis fur,sicut ibi scriptum est,iudicabitur 376,a
*Ierem.* 10. A signis cæli nolite metuere 754,b
*Ierem.* 15. Si steterit Moyses & Samuel coram me:non est animus meus ad populum istum:eijce eos, *&c.* 138,a
*Ierem.* 20. Seduxisti me Domine, & seductus sum 9,b
*Ierem.* 22. Non concrepabunt ei, Væ dominæ, & væ inclytæ; sepultura asini sepelietur 222,a
*Ierem.* 23. Quid paleis ad triticum,dicit Dominus 54,a
*Ierem.* 31. Dabo legem meam in visceribus eorum 60,b

BARVCH.

BARVCH 6. Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa oliuarum, *&c.* 767,b

EZECHIEL.

EZECH. 3. Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annuntiaueris ei vt auertatur à via sua impia; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram 236,a
*Ezech.* 16. Immolasti filios meos,& dedisti illos consecrationem eis 660,a.655,a
*Ezech.* 18. Qui ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit, *&c.* hic iustus est 435,b.436,a
*Ezech.* 18. Si genuerit filium ad vsuram dantem,& amplius accipientem,numquid viuet 436,a
*Ezech.* 18. Si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem 195,a
*Ezech.* 18. Cùm auerterit se iustus à iustitia sua, *&c.* 193,a
*Ezech.* 21. Stetit Rex Babylonis in biuio in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas 761,a
*Ezech.* 21. Vt cædat victimas,exacutus est 654,a
*Ezech.* 22. Vsuram & superabundantiam accepisti 435,b
*Ezech.* 27. Et Rex vnus erit omnibus imperans 39,b
*Ezech.* 33. Si dicente me ad impium, Morte morieris,non annuntiaueris ei vt auertur à via sua impia;ipse impius in iniquitate sua morietur,sanguinem autem eius de manu tua requiram 236,a
*Ezech.* 33. Si dixero impio,Morte morieris,& egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit,nec fecerit quidquam iniustum,vita viuet 340,a
*Ezech.* 39. Concurrite vndique ad victimam meam, quam ego immolo vobis 654,a
*Ezech.* 40. Vt immoletur super eas holocaustum,& pro peccato,& pro delicto 661,b
*Ezech.* 44. Vt offerant mihi adipem & sanguinem 660,a

DANIEL.

DAN. 4. Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmosynis redime 223,a
*Dan.* 4. Forsitan ignoscet delictis tuis *Ibid.*
*Dan.* 4. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei 774,b
*Dan.* 11. Dominabitur thesaurorum auri & argenti 19,b

PROPHETÆ MINORES.

OSEÆ 4. Populus meus in ligno suo interrogauit,& baculus eius annuntiauit ei 701,a
*Oseæ* 6. Misericordiam volui, & non sacrificium 221,a
*Oseæ* 9. Facti enim sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt 215,a
*Oseæ* 10. Seminate vobis in iustitia 222,b
*Oseæ* 13. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne 92,b
*Oseæ* 14. Reddemus vitulos labiorum nostrorum 654,a
AMOS 8. Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt, Viuit Deus tuus Dan, & viuit via Bersabee 725,b
IOELIS 2. Iuuenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt 759,a
IONÆ 2. Cùm angustiaretur in me anima mea, quæcumque voui, reddam pro salute mea Domino 670,b
MICHÆÆ 2. Vtinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potiùs loqueter 207,b
*Mich.* 3. Sacerdotes eius mercede docebant 608,b
*Mich.* 4. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium 60,a
*Mich.* 6. Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ 27,b
NAHVM 1. Celebra Iuda festiuitates tuas,& redde vota tua,quia non adijciet vltrà vt pertranseat in te Belial 694,a
HABACVC 3. Domine audiui auditionem tuam, & timui 128,a
SOPHONIÆ 1. Iurant in Melchom 725,b
ZACHARIÆ 5. Omnis iurans ex hoc simpliciter iudicabitur. *Et infrà:* Veniet ad domum iurantis in nomine meo mendaciter 734,a
*Zach.* 5. Maledictio veniet ad domum iurantis in nomine meo mendaciter 722,b
*Zach.* 5. Omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur 376,a
*Zach.* 8. Iuramẽtum mendax ne diligatis 722,b
*Zach.* 11. O pastor & idolum, derelinquens gregem 106,a
MALACHIÆ 1. Si ego pater, vbi est honor meus 632,a

MACHABÆORVM.

1. MACHAB. 5. Applicuit ad eos,& anathematizauit eos 206,b
1. *Machab.* 3. Expanderunt libros legis,de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum 634,b
2. *Machab.* 6. Propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, *&c.* 166,b
2. *Machab.* 9. Iustum est subditum esse Deo 281,a
2. *Machab.* 14. Nisi Iudam mihi vinctum tradideritis, istud Dei fanum in planitiem deducam, *&c.* 359,a
2. *Machab.* 15. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi à Deo adfuturum 158,a

MATTHÆVS.

MATTH. 4. Assumpsit eum. *Item:* Statuit supra pinnaculum templi 775,b
*Matth.* 4. Hæc omnia tibi dabo,si cadens adoraueris me 764,b
*Matth.* 5. Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi 236,a
*Matth.* 5. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita 60,a
*Matth.* 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque munus tuum ante altare,& vade priùs reconciliari fratri tuo 559,a
*Matth.* 5. Reddes Domino iuramẽta tua 716,b
*Matth.* 5. Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum 200,b
*Matth.* 5. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, *&c.* 719,a
*Matth.* 5. Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, *&c.* 524,b
*Matth.* 5. Ego autem dico vobis non resistere malo;sed si quis te percusserit in dexteram maxillam,præbe ei & alteram 248,a
*Matth.* 5. Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos 200,b
*Matth.* 5. Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium 496,b
*Matth.* 5. Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis 216,a
*Matth.* 5. Si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt? 134,b
*Matth.* 6. Orantes nolite multum loqui 642,b
*Matth.* 6. Scit enim Pater vester quid opus sit vobis antequam petatis eum 638,b
*Matth.* 6. Fiat voluntas tua 174,a
*Matth.* 6. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum 215,a
*Matth.* 7. Nolite iudicare, vt non iudicemini 496,a
*Matth.* 7. Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc enim est Lex & Prophetæ 203,a
*Matth.* 7. Domine, nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus 125,a
*Matth.* 8. Non inueni tantam fidem in Israël 125,b
*Matth.* 9. Non veni vocare iustos, sed peccatores 200,a
*Matth.* 10. Primus Simon, qui dicitur Petrus 27,a
*Matth.* 10. Dignus est enim operarius cibo suo 602,a
*Matth.* 10. Ad præsides & ad reges ducemini propter me in testimonium illis & gẽtibus 102,b
*Matth.* 10. Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista,fugite in aliam 104,b
*Matth.* 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, *&c.* 166,b
*Matth.* 10. Qui negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo qui in cælis est 101,b
*Matth.* 10. Qui amat patrem & matrem plus quàm me,non est me dignus 203,b
*Matth.* 11. Non surrexit inter natos mulierum maior

maior Ioanne Baptiſta: qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo 187,a
*Matth.* 12. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt 173,b
*Matth.* 13. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem 149,b
*Matth.* 14. Modicæ fidei, quare dubitaſti 125,b
*Matth.* 15. Sinite eos, quia cæci ſunt & duces cæcorum 266,a
*Matth.* 15. O mulier, magna eſt fides tua 125,b
*Matth.* 16. Facto veſpere dicitis, Serenum erit: rubicundum eſt enim cælum, *&c.* faciem ergo cæli diiudicare noſtis 754,a
*Matth.* 16. Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt 3,a.6,b
*Matth.* 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam 27,a
*Matth.* 16. Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam 57,b
*Matth.* 16. Et tibi dabo claues regni cælorum 28,b
*Matth.* 16. Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis 45,a
*Matth.* 16. Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur 205,b
*Matth.* 18. Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis 265,b
*Matth.* 18. Si manus aut pes tuus ſcandalizat te, proijce eum abs te: melius enim eſt tibi, *&c.* 205,b
*Matth.* 18. Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum 71,a
*Matth.* 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum 200,a. 232,b
*Matth.* 18. Adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum 329,a
*Matth.* 19. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ 213,a
*Matth.* 19. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet 706,b
*Matth.* 19. Qui poteſt capere, capiat 695,b
*Matth.* 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Dicit illi: Quæ? Ieſus autem dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, *&c.* 87,a
*Matth.* 20. Veniens ego recepiſſem vtique quod meum cum vſura 437,a
*Matth.* 21. Vos feciſtis eam ſpeluncam latronum 421,a
*Matth.* 22. Reddite quæ ſunt Cæſaris; Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo 493,a.664,b
*Matth.* 22. Hoc eſt maximum & primum mandatum 203,a
*Matth.* 22. Diliges proximum tuum ſicut teipſum 199,a. 208,a
*Matth.* 22. In his duobus mandatis vniuerſa Lex pendet & Prophetæ 267,a
*Matth.* 23. Quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo: & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum 726,a
*Matth.* 23. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum & cyminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt Legis, iudicium & miſericordiam & fidem; hæc oportuit facere, & illa non omittere 665,b
*Matth.* 24. Quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum 53,b
*Matth.* 24. Refrigeſcet charitas multorum: qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit 193,a
*Matth.* 24. Et prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus. Et tunc veniet conſummatio 94,a
*Matth.* 24. Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes 104,b
*Matth.* 24. Super omnia bona ſua conſtituet eum 177,b
*Matth.* 25. Quamdiu feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis 221,a
*Matth.* 26. Qui acceperit gladium, gladio peribit 248,a
*Matth.* 27. Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius; vos videritis 509,a
*Matth.* 28. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi 57,b

## MARCVS.

MARC. 3. Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet 156,a
*Marc.* 5. Quod tibi nomen eſt? 751,b
*Marc.* 13. De die illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius 553,b.733,b
*Marc.* 14. Primo die azymorum quando paſcha immolabant 654,a
*Marc.* 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur 87,a
*Marc. vlt.* Qui non crediderit condemnabitur 151,b.139,b

## LVCAS.

LVC. 1. Sorte exijt vt incenſum poneret 761,a
*Luc.* 1. Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei 234,b
*Luc.* 3. Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet eſcas, ſimiliter faciat 220,b
*Luc.* 3. Contenti eſtote ſtipendiis veſtris 247,b
*Luc.* 4. Aſſumpſit eum. Statuit eum ſuper pinnaculum templi 775,b
*Luc.* 6. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum 102,a
*Luc.* 6. Peccatores peccatoribus fœnerantur 437,a
*Luc.* 6. Benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes 436,a
*Luc.* 6. Dimittite, & dimittemini 523,a
*Luc.* 6. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? 237,b
*Luc.* 8. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt 193,a
*Luc.* 9. Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare 140,a
*Luc.* 9. Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, *&c.* 102,a
*Luc.* 9. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei 669,a
*Luc.* 10. Nolite portare ſaculum, *&c.* 140,a
*Luc.* 10. Dignus eſt enim operarius mercede ſua 420,b
*Luc.* 10. Dicite primùm, Pax huic domui: & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; ſin minùs, ad vos reuertetur 139,a





*Luc.* 10. Et quis eſt proximus meus? 200,a
*Luc.* 11. Numquid porriget ei ſcorpionẽ? 171,b
*Luc.* 11. Quod ſupereſt, date eleëmoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis 220,b
*Luc.* 12. Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te 769,b
*Luc.* 12. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid faciant 221,b
*Luc.* 12. Si ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam 375,b
*Luc.* 12. Cum videritis nubem, *&c.* faciem cæli & terræ noſtis probare 754,b
*Luc.* 14. Exi in vias & ſepes, & compelle intrare 141,b
*Luc.* 15. Da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit 110,a
*Luc.* 15. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? 53,b
*Luc.* 16. Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent 3,a
*Luc.* 16. Si in iniquo mammona fideles non fuiſtis: quod verum eſt, quis credet vobis? 245,b
*Luc.* 16. Vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula 231,a
*Luc.* 17. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum 232,a
*Luc.* 17. Si ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi 559,a
*Luc.* 17. Adauge nobis fidem 2,a. 126,a
*Luc.* 17. Regnum Dei non venit cum obſeruatione; neque dicent: Ecce hîc, ecce illic; ecce enim regnum Dei intra vos eſt 60,b
*Luc.* 21. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt 9,a
*Luc.* 23. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos 42,b
*Luc.* 24. O ſtulti & tardi corde ad credendum 14,b
*Luc.* 24. Spiritus carnẽ & oſſa non habet 769,a

## IOANNES.

IOAN. 1. Vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit 3,a
*Ioan.* 2. Nolite eam facere domum negotiationis 421,a
*Ioan.* 2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud 10,b
*Ioan.* 2. Ieſus autem non credebat ſemetipſum eis 2,a
*Ioan.* 3. Scimus qui à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo 16,b
*Ioan.* 3. Quod natum eſt ex carne, caro eſt 135,b
*Ioan.* 3. Qui non credit, iam iudicatus eſt. *Et infrà:* Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam 94,a.131,b
*Ioan.* 4. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus 635,b
*Ioan.* 4. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare 642,b. 743,a
*Ioan.* 4. Iam non propter tuam loquelam credimus; ipſi enim audiuimus & ſcimus quia hic eſt verè ſaluator mundi 6,b
*Ioan.* 5. De me enim ille ſcripſit 22,b
*Ioan.* 5. Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me 16,b
*Ioan.* 5. Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis 136,b
*Ioan* 5. Quomodo vos poteſtis credere qui gloriam ad inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis 84,a
*Ioan.* 6. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit 83,b
*Ioan.* 6. Sciebat ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum 174,a
*Ioan* 7. Non aſcendam ad diem feſtum 733,b
*Ioan.* 7. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini 496,a
*Ioan.* 8. Qui ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat 503,b
*Ioan.* 8. Nemo te condemnauit mulier? nec ego te condemnabo 343,a
*Ioan.* 8. Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt 23,a
*Ioan.* 8. Quæretis me, & non inuenietis, & in peccato veſtro moriemini 133,a
*Ioan.* 8. In lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt 329,a. 526,a
*Ioan.* 8. In veritate non ſtetit 119,b
*Ioan.* 8. Si non crediderit is quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro 133,a
*Ioan.* 8. Seruus non manet in domo in æternum 53,b
*Ioan.* 8. Nobis non licet interficere quemquam 258,b
*Ioan.* 10. Nemo animam meam tollit à me, ſed ego pono eam à meipſo 487,a
*Ioan.* 10. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis: mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit 106,a
*Ioan.* 10. Non rapiet eos quiſquam de manu mea 52,a
*Ioan.* 10. Fiet vnum ouile, & vnus paſtor 59,b
*Ioan.* 10. Si mihi non vultis credere, operibus credite 16,b
*Ioan.* 10. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi 17,b
*Ioan.* 11. Scio quia reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die 14,a
*Ioan.* 11. Vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum 53,b
*Ioan.* 12. Hæc dixit Iſaias quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo 23,a
*Ioan.* 12. Qui enim facit legem, iuſtus eſt, & mandatum Dei vita æterna eſt 94,a
*Ioan.* 14. Si diligitis me, mandata mea ſeruate 267,a
*Ioan.* 14. Spiritus ſanctus docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis 82,a
*Ioan.* 14. Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis 57,b
*Ioan.* 14. Hæc locutus ſum vobis apud vos manens; paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis 23,a
*Ioan.* 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. *Et infrà:* Si quis in me non

non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet 121,b
*Ioan.* 15. Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis 129,b
*Ioan.* 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos 208,a
*Ioan.* 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam quis ponat pro amicis suis 189,a.209,a.216,b
*Ioan.* 15. Amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis 173,b
*Ioan.* 15. Iam non dicam vos seruos; quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, *&c.* 173,b
*Ioan.* 15. Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis 23,a.173,b
*Ioan.* 15. Oderunt & me & Patrē meum 244,a
*Ioan.* 15. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo 131,a.133,a
*Ioan.* 15. Si opera non fecissem in eis quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent 15,b.17,b
*Ioan.* 16. Ille arguet mundum de peccato 133,a
*Ioan.* 16. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem 23,a.45,a
*Ioan.* 16. Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos 638,b
*Ioan.* 17. Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum 88,b.94,a
*Ioan.* 17. Sicuti tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis vnum sint 174,a
*Ioan.* 17. Et pro eis ego sanctifico meipsum 660,a
*Ioan.* 18. Ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati 3,a
*Ioan.* 20. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt 29,a
*Ioan.* 20. Multa quidem & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt vt credatis quia Iesus est Christus Filius Dei; & vt credentes vitam habeatis in nomine eius 82,b
*Ioan.* 21. Pasce agnos meos. Pasce oues meas 29,b.501,b
*Ioan.* 21. Contristatus est Petrus quia dixit ei tertiò, Amas me? 172,a
*Ioan.* 21. Hoc autem dixit, significans qua morte esset clarificaturus Deum 102,b

## ACTVS APOSTOLORVM.

ACT. 1. Non est vestrum nosse tempora, *&c.* 750,b
*Act.* 4. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri 133,a
*Act.* 4. Si iustum est in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate 203,b
*Act.* 4. Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia 284,b
*Act.* 5. Quæ est hæresis Sadducæorum 144,a
*Act.* 5. Oportet magis obedire Deo quàm hominibus 203,b
*Act.* 6. Conuocantes duodecim discipulorum multitudinem 72,a
*Act.* 8. Spiritus Domini rapuit Philippū 775,b
*Act.* 9. Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Regibus & gentibus 102,b
*Act.* 15. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum 144,b
*Act.* 16. Crede in Dominum Iesum, & saluus eris 99,b
*Act.* 17. Per omnia quasi superstitiosiores vos video: præteriens enim & videns simulacra vestra, inueni & aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo 746,a
*Act.* 19. Multi ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt, *&c.* 754,b
*Act.* 20. In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei 25,b
*Act.* 20. Nec facio animam meam pretiosiorem quàm me 200,a
*Act.* 20. Non enim subterfugi quò minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis 23,b
*Act.* 20. Beatius est magis dare quàm accipere 82,a
*Act.* 21. Audierunt de te, quia discessionem doceas à Moyse, *&c.* 154,a
*Act.* 23. Ignorabam fratres, quòd Princeps Sacerdotum esset 558,b
*Act.* 23. De spe & resurrectione mortuorum ego iudicor 159,a
*Act.* 26. Secundùm certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus 144,b

## EPISTOLA AD ROMANOS.

ROM. 1. Accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei 2,a
*Rom.* 1. Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo 94,b
*Rom.* 1. Iustitia Dei reuelatur ex fide in fidem 2,a
*Rom.* 1. Seruierunt potiùs creaturæ quàm Creatori 746,a
*Rom.* 1. Non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus 384,b
*Rom.* 2. Inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas: in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas 503,b
*Rom.* 2. Gloria & honor & pax omni operanti bonum 93,a
*Rom.* 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt 134,b
*Rom.* 3. Non sunt facienda mala vt eueniant bona 205,b
*Rom.* 5. Gloriamur in spe gloriæ 157,a
*Rom.* 5. Spes non confundit 156,b.164,a
*Rom.* 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis 176,a.177,a
*Rom.* 5. Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori 216.b
*Rom.* 5. Commendat autem charitatem suam Deus, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est 216,a
*Rom.* 8. Prudentia carnis mors est; sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest 135,b
*Rom.* 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius 54,a
*Rom.* 8. Spe salui facti sumus 156,b.157,a
*Rom.* 8. Spes quæ videtur, non est spes 156,a. 162,a





*Rom.* 8. Quod enim videt quis, quid sperat? 110,b.162,a
*Rom.* 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum 288,a
*Rom.* 8. Certus sum, quia neque mors, neque vita, *&c.* neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo 194,a
*Rom.* 9. Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem 206,a
*Rom.* 9. Omnis qui credit in eum, non confundetur 99,b
*Rom.* 10. Hoc est verbum fidei quod prædicamus: quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris 95,a
*Rom.* 10. Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? 86,b
*Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam 14,b. 101,b.111,b.
*Rom.* 10. Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, *&c.* 94,b
*Rom.* 11. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, *&c.* 654,a
*Rom.* 12. Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus 107,a
*Rom.* 12. Vnicuique diuisit Deus mensuram fidei 125,b
*Rom.* 12. Multi vnum corpus sumus in Christo 59,b
*Rom.* 12. Charitate fraternitatis inuicem diligentes 198,b
*Rom.* 12. Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ 348,a
*Rom.* 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: & si sitit, porum da illi 200,b.231,a
*Rom.* 13. Reddite ergo omnibus debita 493,b
*Rom.* 13. Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal 482,a.493,b
*Rom.* 13. Non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit 140,a
*Rom.* 13. Si malum feceris, time 140,a.168,a
*Rom.* 13. Qui diligit proximum, Legem implenit 203,a
*Rom.* 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est 2,a.135,a
*Rom.* 14. Stabit autem, quoniam potens est Deus statuere eum 165,a
*Rom.* 14. Quis es qui iudicas alienum seruum? 497,a
*Rom.* 14. Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundùm charitatem ambulas 262,a
*Rom.* 15 Reddite ergo omnibus debita 340,a

## I. AD CORINTHIOS.

1. COR. 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Dominus iis qui diligunt illum 86,b
1. *Cor.* 3. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus 28,a
1. *Cor.* 3. Omnia vestra sunt, vos autem Christi 288,a
1. *Cor.* 4. Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die 544,a
1. *Cor.* 4. Blasphemamur & obsecramus 154,b
1. *Cor.* 5. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? 142,a
1. *Cor.* 5. Si is qui frater nominatur, est fornicator, *&c.* 234,b.497,a
1. *Cor.* 5. Quid enim mihi de illis qui foris sunt iudicare 54,b.139,b
1. *Cor.* 5. Eos qui foris sunt, Deus iudicabit 139,b
1. *Cor.* 6. Sic non est sapiens quisquam in vobis, qui iudicare possit fratrem suum? 495,a
1. *Cor.* 6. Iam omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos 496,a
1. *Cor.* 6. Neque fures regnum Dei possidebunt 376,a
1. *Cor.* 6. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est 175,a
1. *Cor.* 6. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt 595,b
1. *Cor.* 7. Volo omnes homines esse sicut meipsum 210,a
1. *Cor.* 7. Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, *&c.* 685,b
1. *Cor.* 7. Qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit; & qui non iungit, melius facit 676,b
1. *Cor.* 8. Percutientes conscientiam fratrum infirmam, in Christum peccatis 262,a
1. *Cor.* 9. Quis enim pascit gregem, & de lacte eius non comedit? 493,a
1. *Cor.* 9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? 211,b
1. *Cor.* 10. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum Scriptura dicit, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere 746,a
1. *Cor.* 10. Vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus 59,b
1. *Cor.* 10. Nolo vos socios fieri dæmoniorum 797,b
1. *Cor.* 10. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. *Et infrà:* Si quis dixerit, Hoc immolatum est dæmoniis; nolite manducare, *&c.* 106,b
1. *Cor.* 10. Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant 544,a
1. *Cor.* 11. Ideò debet mulier velamen habere supra caput, propter Angelos 785,a
1. *Cor.* 11. Nam oportet & hæreses esse 144,a. 145,a
1. *Cor.* 12. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem 590,a
1. *Cor.* 12. Hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus, diuidens singulis prout vult 181,b
1. *Cor.* 12. Multa quidem membra, vnum autem corpus 59,b
1. *Cor.* 12. In vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus *ibid.*
1. *Cor.* 12. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro 182,b
1. *Cor.* 12. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto 124,b
1. *Cor.* 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest 220,a
1. *Cor.* 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc 160,b

1.*Cor.*13. Maior autē horum est charitas 161,a
1.*Cor.*13. Charitas non æmulatur 211,a
1.*Cor.*13. Charitas numquam excidit 194,b
1. *Cor.* 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate 83,b
1. *Cor* 13. Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est 122,a
1.*Cor.* 14. Si orem lingua, mens mea sine fructu est 642,b
1. *Cor.* 15. Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres 206,b.719,a.726,a
1.*Cor.*15. Quomodo dicunt quidam in vobis, Quoniam resurrectio mortuorum non est? 56,a
1.*Cor.* 15. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria 199,b

## II. AD CORINTHIOS.

2. COR. 1. Testem inuoco Deum in animam meam 719,a 726,b
2.*Cor.*3. Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis 60,b
2.*Cor.*3. Non sumus sufficientes aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis 124,b
2. *Cor.* 4. Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur 83,b
2. *Cor.* 4. Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur 100,b
2. *Cor.* 5. Per fidem enim ambulamus & non per speciem 12,b.119,d
2.*Cor.*6. Nemini dantes vllam offensionē 107,a
2.*Cor.*6. Per infamiam, *&c.* 544,a
2. *Cor.* 6. Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes 288,a
2. *Cor.* 6. Quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conuenientia Christi cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? 54,a
2.*Cor.*6. Nolite iugū ducere cū infidelibus 106,b
2.*Cor.*8. Propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis 296,b
2.*Cor.*8. Deuitantes hoc, ne quis vos vituperet in hac plenitudine quæ ministratur à nobis 544,a
2. *Cor.* 8. Prouidemus bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus 107,a.544,a
2. *Cor.* 9. Qui parcè seminat, parcè & metet 222,a
2.*Cor.* 9. Non ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus 694,b
2. *Cor.* 10. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt 248,a
2. *Cor.* 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi 14,b
2. *Cor.* 10. Spem habentes crescentis fidei vestræ 126,a
2. *Cor.* 12. Filij non debent parentibus thesaurizare, sed parentes filiis 212,b
2.*Cor.*12. Cùm essem astutus, dolo vos cepi 9,b

## AD GALATAS.

GALAT. 1. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi 3,a. 5,a
*Gal.* 1. Sed licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit 3,a. 82,a 772,a
*Gal.* 3. Vt promissio ex fide daretur credentibus 99,b
*Gal.* 3. Priusquam autem veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ reuelanda erat: itaque lex pædagogus noster fuit in Christo 91,a
*Gal.* 3. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis 55,a
*Gal.* 4. Dies obseruatis & annos, *&c.* 754,b
*Gal.* 5. Euacuati estis à Christo qui in lege iustificamini, à gratia excidistis 123,b,193,a
*Gal.* 5. Omnis lex ex vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum 203,a
*Gal.* 6. Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis 211,b
*Gal.* 6. Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei 231,b

## AD EPHESIOS.

EPHES. 1. Quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia; vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ 23,a
*Epheſ.* 1. Det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri, *&c.* 121,a
*Epheſ.* 1. Vt sciatis quæ sit spes vocationis vestræ, & diuitiæ gloriæ hereditatis 157,a
*Epheſ.* 2. Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum 4,a.28,b
*Epheſ.* 3. Quod aliis generationibus non est agnitum, filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis & Prophetis in spiritu 22,b
*Epheſ.* 4. Vnum corpus & vnus spiritus 59,b
*Epheſ.* 4. Vnus Deus, vna fides 59,b.116,a
*Epheſ.* 4. Vnum baptisma 59,b
*Epheſ.* 4. Vnicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi 181,b
*Epheſ.* 4. In opus ministerij in ædificationem corporis Christi 4,a
*Epheſ.* 4. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in virum perfectum, *&c.* 57,b.590,a
*Epheſ.* 4. Veritatem autem facientes in veritate, crescamus in illo per omnia, *&c. Et infrà:* Augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate 182,a
*Epheſ.* 4. Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum in omnem iuncturam subministrationis secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit 26,a.54,a
*Epheſ.* 4. Desperantes seipsos tradiderunt impudicitiæ 170,a
*Epheſ.* 4. Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo 101,b
*Epheſ* 5. Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum 106,b
*Epheſ.* 5. Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino 642,b
*Epheſ.* 5. Nemo vmquam carnem suam odio habuit 199,b
*Epheſ.* 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia 90,a

## AD PHILIPPENSES.

PHIL. 1. Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque diem Christi Iesu 165,a
*Phil.* 1. Oro vt charitas vestra magis ac magis abundet 182,a
*Phil.* 1. Manere autem in carne, necessarium propter vos 207,b
*Phil.* 2. In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, *&c.* 637,a
*Phil.* 3. Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus 189,b
*Phil.* 4. In omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum 640,b

## AD COLOSSENSES.

COLOSS. 2. Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis 199,b.676,a
*Coloſſ.* 3. Induite vos viscera misericordię 219,a
*Coloſſ.* 3. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis 111,b. 179,a.219,a
*Coloſſ.* 4. Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione 644,a

## I. AD THESSALONICENSES.

1. THESS. 2. Cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicut est verè, verbū Dei 3,a
1. *Theſſ.* 5. Omnia probate, quod bonum est tenete 152,a
1. *Theſſ.* 5. Ab omni specie mali abstinete vos 262,a
1. *Theſſ.* 5. Corripite inquietos 232,b
1. *Theſſ.* 5. Integer spiritus vester & anima & corpus 591,a

## II. AD THESSALONICENSES.

2. THESS. 1. Supercrescit fides vestra, & abundat charitas 126,a.182,a
2. *Theſſ.* 1. Si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant 280,a
2. *Theſſ.* 2. Cuius est aduentus secundùm operationem satanæ in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus 19,b
2. *Theſſ.* 2. Tenete traditiones quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam 81,a
2. *Theſſ.* 3. Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem 56,b.232,b
2. *Theſſ.* 3. Ne commisceamini cum illo vt confundatur 142,a

## I. AD TIMOTHEVM.

1. TIM. 1. Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta 161,b
1. *Tim.* 1. Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt 84,a
1. *Tim.* 1. Quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare 142,a
1. *Tim.* 2. Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus 640,b
1. *Tim.* 2. Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus 639,a
1. *Tim.* 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ 223,b
1. *Tim.* 5. Viduas honora: item qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur *ibid.*
1. *Tim.* 5. Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior 210,b.211,b.216,a
1. *Tim.* 5. Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt 694,a
1. *Tim.* 5. Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant 238,b.241,a
1. *Tim.* 6. Radix omnium malorum est cupiditas 420,a
1. *Tim.* 6. Qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum 288,a

## II. AD TIMOTHEVM.

2. TIM. 1. Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor; scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare 164,a
2. *Tim.* 1. Scio enim cui credidi 3,a
2. *Tim.* 2. Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus 420,a
2. *Ti.* 2. Si negauerimus, & ille negabit nos 101,b
2. *Tim.* 2. Ille fidelis permanet, seipsum negare non potest 9,a
2. *Tim.* 2. Noli verbis contēdere: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium 138,a
2. *Tim* 2. Quorum sermo vt cancer serpit 125,a
2. *Tim.* 2. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc 6,b
2. *Tim.* 2. Seruum Domini non oportet litigare, sed cum modestia corripere eos qui resistunt, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem 139,a
2. *Tim.* 3. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes 51,a.115,a
2. *Tim.* 3. Tu verò permane in iis quæ didicisti 83,b
2. *Tim.* 4. Insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patiētia & doctrina 50,a
2. *Tim.* 4. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, quem & tu deuita 539,b

## AD TITVM.

TIT. 1. Coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum 135,a
*Tit.* 2. Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei 156,a
*Tit.* 3. In spem vitæ æternæ *ibid.*
*Tit.* 3. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita 55,b.150,b

## AD HEBRÆOS.

HEB. 2. Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ 775,a
*Heb.* 3. Quibus autem iurauit non introire in requiē ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? 131,b
*Heb.* 6. Impossibile est mentiri Deum 9,a
*Heb.* 6. Fortissimū solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam tamquam anchoram habemus animæ tutam & firmam, incedentem vsque ad interiora velaminis 160,a.164,a
*Heb.* 9. Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium 163,b
*Heb.* 10. Consideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum 548,b
*Heb.* 10. Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur 526,a
*Heb.* 10. Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem 156,b.164,a

*Heb.* 11. Est autem fides substantia rerum sperãdarum, argumentũ non apparentium 8,b.109,a
*Heb.* 11. Sine fide impossibile est placere Deo 94,a.133,a.135,b
*Heb.* 11. Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis 57,b
*Heb.* 11. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit 13,b.22,a
*Heb.* 11. Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem 22,b
*Heb.* 12. Quem enim diligit Dominus corripit 232,a
*Heb.* 13. Beneficentiæ & communicationis nolite obliuiscì 654,a
*Heb.* 13. Talibus enim hostijs promeretur Deus 221,a.654,a

IACOBI.

IAC. 1. Postulet autem in fide nihil hæsitans 2,a
*Iac.* 1. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrẽ hęc est, visitare pupillos, *&c.* 634,a
*Iac.* 2. Tu sede hîc benè, *&c.* 573,b
*Iac.* 2. Ite in pace, calefacimini, & saturamini 115,a
*Iac.* 2. Dæmones credunt & contremiscũt 120, b
*Iac.* 2. Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam 220,a
*Iac.* 4. Vnde bella & lites in vobis? nónne hinc? ex concupiscentijs vestris quæ militant in membris vestris 496,b
*Iac.* 4. Non habetis, propterea quòd non postulastis 639,b
*Iac.* 4. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi & iudicat legem 539,a
*Iac.* 5. Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum: sit autem sermo vester: Est, est; Non, non: vt non sub iudicio decidatis 719,a.721.b
*Iac.* 5. Si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem, *&c.* 561,a

I. PETRI.

1. PET. 1. Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum 99,b
1. *Pet.* 1. In fraternitatis amore simplici ex corde inuicem diligite attentiùs 267,b
1. *Pet.* 3. Parati semper ad satisfactionẽ omni poscenti vos rationẽ de ea quę in vobis est spe 100,a
1. *Pet.* 5. Cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilẽ gloriæ coronam 122,a

II. PETRI.

2. PET. 1. Donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris 114,b
2. *Pet.* 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia 144,a
2. *Pet.* 2. Melius eis erat viam iustitiæ non cognoscere, quàm post cognitionem retrorsum conuerti 138,b

I. IOANNIS.

1. IOAN. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus 10,a
1. *Ioan.* 2. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si ex nobis fuissent, permansissent vtique nobiscum 52,a.55,a
1. *Ioan.* 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus 179,b. 234,b
1. *Io.* 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus 122,a
1. *Ioan.* 3. Videbimus eum sicuti est 178,a
1. *Ioan* 3. Peccatum est iniquitas 278,a
1. *Ioan.* 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare 194,a
1. *Ioan.* 3. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte 179,b
1. *Ioan.* 3. Qui non diligit manet in morte 112,b.179,b
1. *Ioan.* 3. Et nos debemus pro fratribus animas ponere 104,b.208,a.209,b
1. *Ioan.* 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? 219,a
1. *Ioan.* 4. Deus charitas est 176,b
1. *Ioan.* 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo 179,b
1. *Ioan.* 4. Timor non est in charitate 168,a
1. *Ioan.* 4. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum 198,b
1. *Ioan.* 5. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se 3,a

II. IOANNIS.

2. IOAN. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum, spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui 81,b

APOCALYPSIS.

APOC. 2. Habeo aduersum te quòd charitatem tuam primam reliquisti 191,b
*Apoc.* 2. Blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse 154 b
*Apoc.* 3. Qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit 28,b
*Apoc.* 3. Quem enim diligit Dñs corripit 232,a
*Ap.* 6. Cælũ recessit sicut liber inuolutus 756,a
*Ap.* 11. Spiritus vitæ à Deo intrauit in eos 779,a
*Apoc.* 12. Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone 26,a
*Apoc.* 16. Blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas 243,b
*Apoc.* 21. Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo, paratam, *&c.* 51,b
*Apoc.* 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc, *&c.* 188,b
*Apoc.* 22. Si quis apposuerit super hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto 82,a

IN-

# INDEX RERVM PRAECIPVARVM HVIVS OPERIS.

Abel.

ABEL *dicitur primum Ecclesiæ membrum* 57,a

Abortus.

*Abortum procurans peccat* 354,b

Acceptio personarum.

*Acceptio personarum quid, & quale peccatum* 563,a.b
*Quomodo locũ habeat in exhibitione honoris* 564,a.b
*Deus non est acceptor personarum* ibid.a
*Quando sit peccatum mortale in exhibitione honoris* ibid.b
*Quomodo acceptio personarum locum habeat in iudicijs* 565,a
*Quomodo locum habeat in collatione officiorum sæcularium* 566,b

Accusatio, Accusator, Accusatus.

*Sine accusatore nemo potest damnari* 509,b
*Sufficit virtualis accusator* ibid.
*Accusatus debet citari, & non potest damnari nisi saltem duobus testibus conuictus* 510,a
*Accusatio non sufficit vt quis possit legitimè de crimine à Iudice interrogari* 512,a
*Accusatio quid sit, & quæ solemnitates ad eam requisita* 522,a
*Accusare quinam non possint* ibid.
*Quando accusare sit præcepti* 522,b
*Licere aliquando accusare, Fidei est* 523,a
*An possimus accusare priùs non monitum* ibid.b
*Quando accusator possit desistere ab inchoata accusatione* ibid.
*Lex talionis contra accusatorem deficientem vix in vsu est* 524,b

Acedia.

*Acedia quid sit, & quomodo superetur* 245,a

Actus spiritualis.

*Actus spiritualis est duplex, ex principio, & ex fine tantum* 600,a
*Quænam consideranda circa actum spiritualem, vt pro eo possit aliquid accipi* ibid.b
*Pro labore interno actui spirituali pretium accipere non licet* 601,a.b
*Titulo sustentationis aliquid accipere licet* 603,a

Adam.

*Adam peccando non amisit fidem* 58,a
*Habuit aliquam fidem incarnationis Christi* 90,a
*Adam ante lapsum habuit fidem* 119,a
*Adam obtulisse sacrificium probabile est* 663,a

Adoratio.

*Adoratio quid sit* 636,a.b
*Adoratio potest constare solo actu interno* ibid.b

Adulter.

*A marito adulteræ non potest occidi* 345,a
*Quomodo patri licitum occidere adulterum filiæ & filiam deprehensam* ibid.b
*Adulter non secuto partu liber est à restitutione* 371,b
*Tenetur tamen in conscientia marito pro iniuria satisfacere* ibid.
*Adultèra non tenetur se prodere vt possit restituere* 372,b
*Prole ex adulterio nata tenetur adulter cum adultera sarcire damna* 373,b
*Casus quo solus adulter tenetur* ibid.
*Dubitans an sit sua proles, non tenetur* ibid.

Aduocatus.

*An liceat reum ad licitam fugam hortari aut iuuare* 534,b
*Aduocatus tenetur pauperi gratis patrocinari* 535,b
*Aduocatus in causa dubia potest vtrinùs parti patrocinari* 536,a
*In causa sanguinis non licet postulare contra reum probabiliorem causam habentem* ibid.
*Aduocatus aduertens causæ iniustitiam, tenetur monito cliente eam deserere* ibid.
*Tenetur clienti de damno quod dedit dolo vel lata culpa, aut si indebita stipendia extorserit* 537,a
*Quomodo aduocatus peccet in iusta causa* ibid.

Ægyptij.

*Ægyptij plantis numen tribuebant* 341,a

Ætas.

*Quæ ætas requiratur ad Beneficium Ecclesiasticum* 579,a
*Ætas requisita in Episcopo* 582,a & seq.
*Ætas requisita in vouente* 701,a

Aleator.

*Aleator quis dicendus sit* 336,b

Amens.

*Amentes capaces sunt dominij* 288,a
*Amens donare non potest* 314,b

Amicitia.

*Amicitiæ ratio reperitur in charitate* 173,a
*Conditiones amicitiæ* ibid.a.b

Amphibologia.

*Quando liceat vti amphibologia* 553,b

Anabaptistæ.

*Anabaptistæ adimunt Magistratui vsum gladij* 343,a
*Anabaptistæ dicunt iudicia esse illicita* 495,b

Anathema.

*Anathema à Christo quid significet* 207,a

Angelus.

*Inter Angelos est vnus supremus* 25,b
*Angeli viatores habuerunt fidem* 119,a

Animæ defunctorum.

*Animæ defunctorum aliquando viuentibus verè apparent* 768,b
*Negant hæretici* ibid.a
*Si permitterentur, possent per se ad nos venire* 769,b
*Non possunt per artem magicam huc euocari* ibid.
*Quomodo moueantur localiter* ibid.
*Quomodo discernendæ bonæ animæ à malis* 772,a

Animæ Purgatorij.

*Non sunt de iurisdictione Papæ* 39,b
*Retinent fidem* 123,a
*Etiam orant* 637,b

*Quidnam sibi & nobis petant* 638,a

Annus vitæ hominis.

*Anni vitæ hominis quousque computandi* 365,a

Antichristus.

*Antichristo maiora miracula permittentur quàm vnquam Pseudoprophetis fuerunt permissa* 20,a

Apostasia.

*Apostasia variè sumitur* 153,a
*Apostatæ easdem pœnas cum hæreticis incurrunt* 154,b

Apostolus.

*Apostoli iurisdictionem acceperunt immediatè à Christo, & ab eo fuerunt ordinati Episcopi* 36,b
*Apostoli potuerunt per se ordinare Episcopos inconsulto Petro* 37,a

Appellare, Appellatio.

*Appellare aliquando licitum* 531,b
*Quænam sit materia iustæ appellationis* 532,a
*Omnes iniustè grauati à Iudice habente superiorem possunt appellare* ibid.
*A cuius iudicio & ad quem fiat appellatio* ibid.
*Quis modus interponendæ & admittendæ appellationis* ibid.b
*Quanto temporis spatio & quoties possit appellari* ibid.
*Quis sit effectus appellationis* 533,a

Aqua.

*Probæ aquæ frigidæ an sit indicium sufficiens ad torturam accusati magiæ* 518,b
*Aqua frigidæ proba triplex* 788,b
*Proba aqua quæ hodie in vsu est, fallax & illicita est* 789,a

Aqua zelotypiæ.

*Vim habebat ex Dei institutione* 790,b

Arbiter.

*Arbitri an sine iurisdictione iudicent* 500,b

Ars notoria.

*Illicita est* 763,a
*Pertinet ad magiam* 766,a

Assecuratio.

*Assecuratio sortis & certi lucri in contractu quomodo licita sit* 426,a
*Modi liciti & illiciti assecurationis* ibid.b

Astra, Astrologia, Astrologus.

*Quomodo per astra veniamus in cognitionem, & quidnam ex eis possit cognosci viâ inuentionis* 754,a
*Quid viâ disciplinæ* 756,a
*Astrologia duplex, naturalis & iudiciaria* ibid.
*Quidnam liceat ex astris prædicere circa pueri natiuitatem* 754,b
*Quid de fortunis, moribus, complexione* 755,a
*Astra quarum rerum sint signa* 756,a
*Ex astris futura contingentia cognosci non possunt* ibid.
*Astrologi quomodo aliquando vera prædicant* 757,a

Attentio.

*Attentio triplex in oratione, ad verba, ad sensum, & ad finem orationis* 641,b
*Attentio sex modis necessaria in oratione* ibid.
*Sine attentione orans citra præceptum, peccat venialiter* 642,a
*Oratio præcepta requirit attentionem* ibid.b
*Quomodo Ecclesia præcipiat attentionẽ* 643,a. &seq.
*Quænam attentio requiratur ad Horas Canonicas* 644,a
*Attentio triplex, habitualis, virtualis, & actualis* ibid.
*Excludens perfectiorem attentionẽ non peccat* 645,b
*Eum qui sine attentione recitauit Horas Canonicas, non teneri restituere, verius est* 652,a

Augurium.

*Quomodo vanum* 760,a

Baptismum, Baptizati.

BAPTIZATI *omnes etiam inuitè cogi possunt ad Catholicam Religionem seruandam* 140,b
*Natus ex parentibus Christianis ad Baptismum cogi potest* 140,b
*Morituro infanti ex Christianis parentibus sine Baptismo, succurrendum cum periculo vitæ* 208,b
*In Baptismo non fit votum* 675,a

Beati.

*In Beatis non est fides* 122,a
*Neque spes vt est virtus Theologica* 162,a
*Habent quosdam actus secundarios spei: sibi enim sperant gloriam corporis, nobis beatitudinẽ* 163,a

Beatitudo.

*Beatitudo est obiectum materiale spei* 157,a

Bellum.

*Bellum siue in Turcas, siue in alios, aliquando etiam Christianis est licitum & necessarium* 247,a
*Auctoritas indicendi bellum est penes Principem Reipublicæ perfectæ* 249,a
*Item penes Pontificem, & Prælatos Ecclesiasticos, quando simul sunt supremi Principes* ibid.
*Quomodo teneantur ad restitutionem, qui sine legitima auctoritate bellum intulerunt* ibid.b
*Caussæ iustæ belli non sunt, diuersitas Religionis, amplificatio Imperij, gloria Principis, aut aliud ipsius commodum proprium* 249,b
*Caussa iusti belli inferendi est iniuria Reipub. impedienda, sarcienda vel vindicanda* 250,a
*Oportet vt iniuria sit notabilis, & quomodo ea diiudicanda* 250,a
*Princeps antequam bellum indicat, tenetur examinare an iustæ sint caussæ, & ab aduersario satisfactionem petere* ibid.b
*Si post diligens examen maneat iustitia belli dubia, rationibus negotium transigendum est* 251,a
*Milites gregary an peccent si dubitent de iustitia belli* ibid.b
*Bellum iustum formaliter tantùm, materialiter tantùm, & vtroque modo simul* 252,a
*Bellum vtrimque iustum non est nisi ex ignorantia* ibid.
*Finis belli est stabilienda pax Reipub. recuperatio amissorum, & iusta vindicta* ibid.b
*Non licet Principi Christiano contra Christianos in auxilium vocare infideles* ibid.
*Princeps ex iustitia debet militibus stipendia* 253,a
*Militibus quænam incumbant* ibid.
*Non potest miles deserere stationem, quamdiu est spes prælandi* ibid.
*Duces qui in delectu plures milites computant quàm habeant, tenentur ad restitutionem; similiter illi qui in delectu subornantur* ibid.
*Milites qui ab hospitibus suis plus exigunt quàm eis constitutum est, tenentur ad restitutionem* ibid.
*Pro hostibus non sunt habendi, etiam quoad direptionem bonorum, quicumque non sunt pars Reipub. hostilis* ibid.b
*Quomodo mobilia quæ hostes occupauerant, fiant militum recuperantium* ibid.
*Princeps non potest cum aduersarijs componere innitis & neglectis subditis quibus damna intulerant, & si composuerit, ad ea resarcienda tenetur* 254,b

*Mobi-*



*Mobilia iusto bello hostibus erepta iure gentium fiunt occupantium* 254,a
*Immobilia sunt ipsius Principis* ibid.b
*Quinam occidendi occupata ciuitate hostili* ibid.
*Innocentes, etiamsi ex parte hostium sint, non licet occidere nisi per accidens* 255,a
*Possunt tamen spoliari bonis externis* ibid.
*Quinam præsumantur innocentes quoad bellū* ibid.
*Innocentes qui verè sunt pars Reipub. hostilis, modo non sint Christiani, possunt per iustum bellum capti in seruitutem rediqi* ibid.b
*Capto in bello iusto fugere licet* 256,b
*Clericis & Episcopus illicitum pugnare* 257,a
*Quibusdam tamen casibus licitum* ibid.b
*In bello iusto licet vti insidijs* 258.a
*Diebus festis licitum bellare, si sit necessitas* ibid.b

Beneficium Ecclesiasticum.

*Beneficium quid sit, & quomodo differat à pensione* 567,b
*Beneficia vnde originem habeant* ibid.
*Diuiduntur in propriè & impropriè dicta* 568,a
*Item in maiora & minora* ibid.b
*In curata & simplicia* ibid.
*In regularia & secularia* ibid.
*In patronata & non patronata* ibid.
*Mulier potest habere Beneficium* 568,a
*Beneficia confert summus Pontifex, Episcopus, Capitulum Sede vacante* 570,a
*Laicus non potest conferre Beneficium* ibid.
*Intra quod tẽpus debeat fieri collatio Beneficij* ibid.b
*Beneficium non debet conferri indigno, quando dignus haberi potest* 571,a
*An liceat aliquando conferre indigno* ibid.
*An liceat conferre digno præterito digniore* ibid.b
*Magis idoneus, licet minùs dignus, est præferendus* 572,a
*Dignus ex eadem Ecclesia digniori externo præferri potest* ibid.
*Si ex certa familia assumendus sit, ille præferendus magis idoneis* ibid.
*Institutus potest præsentatus minùs dignus* ibid.b
*Patronus tenetur præsentare digniorem* ibid.
*Nisi sit fundator Beneficij* 573,a
*Pauper idoneus præferri potest diuiti magis idoneo* ibid.
*In electionibus eligendus dignior* ibid.
*Collatio digno facta, omisso digniori, valida est* ibid.b
*Quando sit mortale conferre Beneficium minùs idoneo* ibid.
*Quando dignior reseruandus est alteri Beneficio in quo necessarius est Ecclesiæ, licet conferre minùs digno* ibid.
*Resignare Beneficium digno, præterito digniore, licet* 574,a
*Qui promouit indignum, ipse & indignus promotus tenentur restituere Ecclesiæ damna illata* ibid. & seq.
*Ad nihil tenentur digna præterito* 575,a
*Ad nihil tenetur qui promouit dignum præterito digniare* 576,a
*Concursu indicto, quando Collator teneatur dignioribus præteritis* ibid.
*Dignior in cõcursu præteritus potest appellare* ibid.b
*Dignus cum dignioribus concurrẽs, non peccat* 577,a
*Illegitimus non est capax Beneficij* ibid.
*Quis possit cum eo dispensare* ibid.b
*Illegitimus qui per dispensationem obtinet Beneficium, potest eo dimisso aliud acceptare* ibid.
*Non tonsuratus est incapax Beneficij* 578,a
*An liceat hodie conferre Beneficium ei qui cras erit Clericus* ibid.
*Quædam Beneficia altiores Ordines requirũt* ibid.b
*Parochialem Ecclesiam adeptus, infra annum debet Presbyter ordinari* ibid.
*Quæ ætas requiratur ad Beneficia* 579,a
*Coniugati excluduntur à Beneficijs* ibid.b
*Casus quo coniugatus potest obtinere Beneficiũ* ibid.
*Qui sponsalia contraxit, an debeat primari Beneficio* ibid.
*Matrimonium validè contrahens ipso Iure amittit Beneficium* 580,a
*Per irritum matrimonium non amittitur* ibid.
*Arcentur à Beneficijs Criminosi, Hæretici eorumque fautores, filij, &c.* ibid.b
*Impetrantes Beneficium viuentis, Hostiliter tractantes Cardinalem, Homicidæ, Concubinarij incorrecti, &c.* 581,a
*Beneficia Simoniacè impetrata vacant* 580.b
*Illiterati non sunt ad Beneficia admittendi* 581,b
*Non habens scientiam sufficientem, illicitè promouetur* 582,a
*Corpore notabiliter vitiatis non debent conferri Beneficia* ibid.b
*Pastoratum suscipiens sine animo Sacerdotij, tenetur restituere* ibid.
*Etiam ante sententiam* 583,b
*Quid si dubius fuerit, aut postea animum mutarit* 583,a
*Quid si acceptet parochialem Ecclesiam animo quidem Sacerdotij suscipiendi, sed non ministrandi in cura suscepta* 584,a
*Suscipiens Episcopatum sine animo Sacerdotij tenetur* ibid.
*Acceptans Beneficium, intendens post aliquod tempus vxorem ducere, an teneatur restituere fructus* ibid.
*Beneficiorum pluralitas Iure illicita est* 585,a
*Et ob quas caussas* 584,b
*Beneficium sufficiens quodnam sit* 585,b. & seq.
*Triplex incompatibilitas Beneficiorum* 586,b
*Pœna acceptantis plura Beneficia* ibid.
*Caussæ dispensationis super pluralitate Beneficiorum* ibid. & seq.
*Quisnam possit dispensare* 587,b
*Non sufficit ad dispensationem quòd Beneficiarius expendet suos fructus in pios vsus* ibid.a
*Beneficia quibus cura animarum est annexa, requirunt residentiam* ibid.b
*Beneficia simplicia non semper requirunt residentiam* 588,a
*Quænam caussæ excusent à residentia* ibid.

Beneficij permutatio.

*Permutatio Beneficij absque Superioris consensu est illicita* 611,a
*Quis Superior hic intelligatur* ibid.
*Quomodo Beneficiati inter se tractare possint de permutatione* ibid.b. & seq.
*Quænam Beneficia permutari non possint* 612,b
*Requiritur caussa vt permutatio Beneficiorum sit licita* 613,a
*Quando prouentus Beneficiorum sunt inæquales, quomodo liceat compensatio in permutatione* ibid.b. & seq.
*An Beneficia viâ permutationis vacent* 614,a
*An Beneficia cũ pensionibus permutari possint* ibid,b
*Permutatio triangularis an sit licita* 616,b

Beneficij resignatio.

*Resignatio Beneficij in fauorem certæ personæ an sit licita* 615,a.b
*Verius est esse illicitam* 616,a
*Resignans Beneficium non potest seruare pensionem absque consensu Superioris* ibid.b
*Quænam iustæ caussæ reseruandi pensionem* ibid.
*Quænam Beneficia non possint grauari pensione* 617,a
*Quænam proportio debeat esse pensionis ad fructus Beneficij* 616,b
*Non licet resignare Beneficium in confidentiam* 618,a.b
*In electionibus ad Beneficia sortes illicitæ sunt* 761,a

Blasphemia, Blasphemus.

*Quid sit Blasphemia* 154,a
*Blasphemia potest esse sine infidelitate* 155,a
*Repugnat virtuti Religionis* ibid.
*Scripturæ à nomine blasphemiæ abhorrent* ibid.
*Blasphemi gladio olim puniri solent* ibid.b
*Quænam blasphemia Spiritus sancti* ibid.

Bona incerta.

*Quænam dicantur bona incerta* 395,a
*Bona incerta per maleficium parta Iure positiuo debentur pauperibus* ibid.b
*Bona incerta sine iniustitia acquisita ex consuetudine pauperibus danda* 396,a
*Compositio cum Pontifice super bonis incertis iusta est* ibid.
*Quando Episcopus aut Princeps possit transigere super bonis incertis* ibid.b
*Qui bona incerta dedit pauperibus, non tenetur comparenti domino* 397,a
*Non liberatur à solutione certorum debitorum, qui cum Pontifice composuit super incerta* 400,b

Cærimoniæ.

CÆRIMONIÆ. *Legis veteris non fuerunt superstitiosæ* 634,b
*Cærimoniæ sacrificij à quo sint instituendæ* 663,b

Caluinus.

*Caluinus miracula affectauit* 18,a

Cambium.

*Cambium variè accipitur* 464,a
*Diuiditur in minutum & locale* ibid.
*In reale & siccum* ibid.
*Purum & impurum* ibid.
*Quomodo ex cambio minuto liceat aliquid lucrari* ibid.b
*Cambio locali varias ob caussas lucrari licitum est* 465,b
*Cambium Francofurtense quomodo usurpetur, & quibus titulis excusetur* 466,a
*Cambia sicca quomodo fiant, & an sint licita* ibid.b. & seqq.
*Campsores licitè accipiunt suas prouisiones* 467,b
*Campsor potest exigere suum interesse* 468,a
*Recambium Iure naturæ iniquum non est* ibid.
*Ex cambio custodiæ licitum est lucrari* ibid.
*An ratione mutati valoris pecuniæ debeat campsarius aliquid addere campsori* ibid.b
*In cambio non licet interesse, aut prouisiones adycere sorti* 469,a
*Conditiones expressæ in Bulla Pij V. an obligent campsores in conscientia* ibid.b

Canonici.

*Canonici non possunt abesse vltra tres menses quolibet anno* 588,a
*Quanam ætas requiratur in Canonico* 579,a

Cantores.

*Conducti ad psallendum Horas Canonicas in Choro, an teneantur habere attentionem* 645,b

Captus, Captiuus.

*Capto in bello iusto fugere licet* 256,b

Carcer.

*E carcere licet fugere, etiamsi custodes occidendi sint* 106,a

Caro.

*Carnium esus ante diluuium licitus fuit* 341,b
*Carnis humanæ esus illicitus* 342,a
*An licitus sit in extrema necessitate* ibid.
*Medicamentum ex carne humana quomodo licitum* ibid.b

Census.

*Census quid sit* 470,a
*Differt census ab emphyteusi* ibid.b
*Census quomodo diuidatur* ibid.
*Census licitè constituuntur* 471,a
*Conditiones Iure naturæ in contractu censuali requisitæ* ibid.b
*Conditiones requisitæ Iure positiuo* 472,a
*Census potest constitui super alio reditu* 473,a
*Item super omnibus bonis indefinitè* ibid.b
*Non autem super re quæ neque sit, neque censeatur immobilis* ibid.
*Census perit pereunte re censui subiecta* 474,a
*Census potest constitui super bonis Ecclesiasticis, non super Ecclesia ipsa* ibid.b
*Census personales liciti sunt* 475,a
*Census perpetui irredimibiles liciti sunt* 476,a.b
*Item redimibiles* ibid.a
*An licitus sit census vtrimque redimibilis* ibid.
*An liceat emere censum non redimibilem, nisi maiori pretio quàm emptus est* 478,a
*An liceat apponere pactum, quòd redimetur census eadem moneta* ibid.b
*Quænam conditiones in censualibus pactis apponi soleant, & an licitæ sint* 479,a.b
*Census temporales liciti sunt* ibid.
*Quodnam æstimandum iustum pretium censuum* 480,a.b
*Qui minoris iusto emit censum, tenetur supplere pretium* 481,a
*An liceat minoris redimere censum quàm emptus est* ibid.a.b

Cessio bonorum.

*Cessio bonorum quid sit, & quomodo excusset à restitutione* 408,b
*Non prodest fideiussoribus debitoris* 409,a

Charitas.

*Charitas inde dicatur* 172,a
*Charitas, amor, dilectio, quomodo distinguatur* ibid.
*In charitate reperitur ratio amicitiæ* 175,a
*Non constituimur Dei amici, nisi infuso habitu creato charitatis, neque potentia ordinaria aliter fieri potest* 176,a
*Potest Deus sine charitatis habitu creato, nos constituere sui amantes* 175,b
*Spiritus sanctus non est charitas qua nos Deum diligimus* 176,b
*Charitas quomodo infinitæ virtutis* 177,b
*Charitas est virtus specialis* ibid.
*Charitas est vna virtus, non distincta in plures species* 178,b
*Quomodo charitas versetur circa bonum diuinum vt est obiectum beatitudinis* ibid.a
*Præter charitatē infusā datur aliqua acquisita* 178,b

*Charitas est excellentissima virtutum* 178,b
*Est maior fide & spe* 179,a
*Sine charitate non potest esse aliqua perfecta virtus* 180,a
*Quomodo charitas sit forma virtutum* ibid.b
*Charitas est forma fidei* 112,a

Charitatis subiectum.

*Charitas est in voluntate vt subiecto* 181,a
*Charitas nobis non ineſt naturaliter, neque viribus nostris acquiri potest, sed per infusionem Spiritus sancti* ibid.
*Charitas non infunditur secundùm capacitatem naturalium* ibid.b
*Quomodo infundatur secundùm proportionem nostræ dispositionis* 182,a
*Charitas huius vitæ potest augeri* ibid.
*Habitus charitatis augetur accessu noui gradus* ibid.b
*Augetur quolibet actu charitatis* 183,b
*Charitatis augmento nullus terminus præfigitur in hac vita* 185,a
*Homo charitatem suam auget non effectiuè sed meritoriè tantùm* ibid.
*Charitas & gratia semper simul augentur* ibid.b
*Quam proportionem Deus seruet in augmento charitatis* 186,a
*Fieri potest vt in diuersis perfectior intensione sit charitas viæ quàm patriæ* ibid.b
*Habitum charitatis patriæ numquam excedere finalem charitatem viæ quoad intrinsecam & physicam perfectionem, probabile est* 187,b
*Charitas finalis viæ semper est maior qualibet præcedente* ibid.
*Non datur in homine aut Angelo tanta charitas quin Deus possit creare maiorem* 188,b
*Charitas quatuor modis potest dici perfecta* 189,a
*Charitatis tres gradus, incipiens, proficiens, & perfecta* ibid.b
*Charitas secundùm intensionem augeri potest, non minui* ibid.& seq.
*Quomodo secundùm extensionem minui possit* 191,a
*Quomodo indirectè charitas per peccata venialia minuatur* ibid.
*Charitas semel habita potest amitti* 192,b
*Amissa non semper recuperatur* 195,a
*Amittitur per quemlibet actum peccati mortalis* ibid.b
*Quomodo charitas per peccatum excludatur demeritoriè an effectiuè* 196,a

Charitatis obiectum.

*Bonum diuinum est obiectū formale charitatis* 197,a
*Obiectum materiale est ipse Deus* 198,a
*Eadem charitate qua Deus propter se diligitur, diligitur proximus propter Deum* 178,b.198,b
*Charitas ex charitate diligenda* 198,b
*Homo ex charitate seipsum diligere debet* 199,a
*Etiam corpus suum* ibid.b
*Peccatores sunt ex charitate diligendi* ibid.
*Inimici quomodo diligendi* 200,b
*Angeli ex charitate diligendi* 202,a
*Non dæmones aut damnati* ibid.b

Charitatis ordo.

*In charitate considerandus aliquis ordo* 202,a
*Deus magis diligendus quàm proximus* 203,a
*Triplex modus diligendi magis vnum quàm alterum, obiectiuè, appretiatiuè, intensiuè* ibid.
*Quomodo intensiuè posset quis magis diligere proximum quàm Deum* 204,a
*Homo magis debet diligere Deum quàm seipsum* ibid.b
*Seipsum tamen magis quàm proximum* 205,b
*An debeamus nosipsos magis diligere quàm Christum vt est homo* 207,a
*Vnus proximus magis diligendus quàm alius* 210,a
*An magis diligendus melior quàm nobis coniunctior* ibid.b
*Parentes magis diligendi quàm alij proximi* 212,a
*Quomodo pater magis diligendus quàm filius* ibid.b
*Quomodo parentes magis diligēdi quàm vxor* 213,a
*Quomodo ordo charitatis maneat in patria* ibid.b

Charitatis actus.

*Actus charitatis quantumuis necessarius reddit hominem iustum & Dei amicum* 174,a
*Quilibet actus charitatis meretur augmentum charitatis* 183,b
*Charitati magis proprium est amare quàm amari* 214,a
*Per charitatem Deum immediatè attingimus* 215,a
*Quomodo sit magis meritorium diligere inimicum quàm amicum* 216,a
*Est magis meritorium diligere Deum quàm proximum* 217,a

Charitatis præcepta.

*Præcepta dilectionis Dei & proximi, sunt præcepta specialia ab aliis præceptis distincta* 266,a
*Præceptum de diligendo proximo etiam accipiendum de interna dilectione, non de sola exhibitione operis* 267,b

Chirographa.

*Chirographa quomodo liceat vel non liceat minoris emere quàm valeant* 421,b.& seqq.
*Quid si solutio emptori sit facilis* 422,b

Chiromantia.

*Chiromantia vana est* 760,a.b

Christianus.

*Christianus Christiano non fit seruus per bellū* 256,a

Christus.

*Quomodo Christus pertineat ad obiectum primarium fidei* 2,b
*In Christo viatore non fuit spes vt est virtus Theologica* 163,a
*Christus non vouit* 695,a
*Christus debuit facere miracula* 17,a
*An à diabolo per aëra ductus fuerit* 775,b

Claues.

*Quid per claues significetur* 28,b

Clericus.

*Clericus à laico iudicari non potest* 501,a
*Quinam Clerici gaudeant priuilegio fori* ibid.b
*Potest Clericus laicum trahere ad seculare tribunal in caussa seculari, & coram eo reconueniri* 502,a
*Clericus non potest renuntiare priuilegio fori* ibid.
*Clericus non potest compelli vt in caussa sanguinis testimonium ferat* 527,a
*Clericis ludus alæ interdictus* 336,b
*Quomodo eis liceat vel non liceat pugnare* 257,a.b
*Clerici sunt capaces dominij* 291,a
*Bonorum stabilium Beneficij non sunt domini* ibid.b
*Fructuum Beneficiorum habent dominium* 292,b
*Obligantur sub mortali pauperibus relinquere superflua ex Beneficijs* 294,a
*Validè ea alienant* ibid.
*Quousque possint bonis Ecclesiasticis amicos augere* 295,a
*Clerici exempti sunt à tributis* 486,a
*Quo Iure exempti sint* 487,b.& seqq.

*Clerici sponte tributum soluentes peccant* 491,b
*Quibus casibus liceat exigere tributum à Clericis* ibid.& seq.

Cometæ.

*An sint certa signa aliquorum futurorum euentuum* 756,b

Commutatio.

*In minus bonum aut æquale propria auctoritate commutare votum non licet, in certò melius licet* 711,a
*An possit commutare vota, qui potestatem habet delegatam dispensandi* 712,b.& seq.
*Quomodo commutatio voti requirat causſam* 713,b
*Delegatus commutat tantùm in æquale* ibid.
*Commutans votum potest commutare pœnam per votum incursam* 714,a
*Omnia vota commutari possunt in Religionis ingressum* ibid.
*Commutatione facta, licet satisfacere implendo primum votum* 716,a
*Commutatione cessat iuramenti obligatio* 740,b

Compensatio.

*In quibus rebus compensatio locum habeat,& quomodo excuset à restitutione* 411,a
*Qui se mutuò infamarunt, quomodo possint vti compensatione* 557,a
*Compensare non potes reddendo maledictum pro maledicto* ibid.
*Quibus casibus compensatio in infamatione locum non habeat* ibid.

Concilium.

*Quid Concilium* 61,a.64,a
*Concilium quadruplex, Generale, Nationale, Prouinciale, & Diœcesanum* 61, a
*Requisita ad Concilium generale* 61,b.64,b
*Quando conuocandum* 62,a
*Quinam ad Concilium generale vocandi* 62,a 65,a
*Pontifici competit Concilium conuocare* 62,b.71,a
*Non Imperatoribus* 63,a.72,b.73,a.b
*Neque Cardinalibus* 44,b
*Concilium generale potest errare, quando non sequitur institutionem Sedis Apostolicæ* 64,a
*Conciliorum vtilitas* 61.b 66,a
*Causſæ Concilium conuocandi: Ortus nouæ hæresis, Schisma inter Rom Pontifices* 66,b
*Vt ineatur ratio ad resistendum communi hosti Ecclesiæ* 67,a
*Suspicio hæresis in Pontifice* ibid.b
*Dubitatio suborta circa electionem Pontificis & Reformatio generalis* 68.a
*An Concilium generale aliquãdo necessarium* ibid.b & seqq.
*Pontifici competit Concilio præsidere per se aut per Legatos suos, non Imperatori aut Principibus* 62,b.74,b.& seqq.
*In primo Concilio Ierosolymitano præsedit B. Petrus* 31,a

Concubinarij.

*Concubinarij incorrecti arcentur à Beneficijs Ecclesiasticis* 580,b

Condemnatus.

*Condemnatum à Iudice non tenemur redimere* 353,b

Conditio.

*Quid sit conditio* 319,b
*Conditio impossibilis in matrimonij contractu aut testamento habetur pro non adiecta* 319,b
*Conditio impossibilis donationem irritat* ibid.
*Conditio turpis an vitiet donationem* 320,a
*Conditio de rebus necessarijs habetur pro non adiecta* 320,a
*Conditio qua legatarius impeditur à matrimonio, habetur pro non adiecta* ibid.
*Conditio à Religione retrahens, habetur pro non adiecta* ibid.b

Confessarius.

*Confessarius usurarij non iniungens ei restitutionem, quomodo peccet* 461,b
*Confessarius quomodo cum fure se geret* 382,b

Confidentia.

*Confidentia quid sit, & an licita sit in resignatione Beneficij* 618,b
*An licita sit in pensione* 619,a

Coniuges.

*Coniuges non habẽt mutui corporis dominium* 296,b
*Quomodo vnus coniunx irritet vota alterius* 698,b & seq.

Consentiens.

*Consentiens in furtum non tenetur ad restitutionem nisi fuerit causſa damni* 388,a

Consulens.

*Consulens furtum, etiamsi consilium reuocauit, tenetur ad restitutionem* 386,b

Contentio.

*Contentio quomodo sit peccatum mortale* 246,b

Contractus.

*Contractus quid sit & quotuplex* 413,a
*Diuiditur in nominatum & innominatum* ibid.
*Quatuor species contractus innominati* ibid.
*Quinam possint contrahere* 414,a
*Error & metus quomodo irritent contractum* ibid.b
*Quibus competat restitutio in integrum in contractibus* 415,a

Conuiuæ.

*Conuiuæ non habent dominium ciborum, sed tantùm vsum* 284,b

Cooperans, Cooperati.

*Cooperans ad furtum quando teneatur in solidum de damno* 390,a
*Quo ordine cooperatores furis teneantur ad restitutionem* ibid.b
*Si vni ex cooperatoribus offensa remittatur, non liberantur reliqui* 392,a
*Sex modi cooperandi ad furtum directè, & tres indirectè* 384,b
*Quomodo cooperans debet esse causſa sine qua non, vt teneatur cum fure* 385,a
*Si tuo suasu fur securiùs aufert vel plus, probabiliter teneris de toto* ibid.b

Cornelius Centurio.

*Cornelius Centurio fidem habuit supernaturalem* 22,b

Corpus humanum.

*Non potest virtute diabolica in corpus alterius perfecti animalis mutari* 773,b
*Quomodo decipiantur qui putant se mutari in bestias* 774,a

Correptio fraterna.

*Correptio & correctio quomodo distinguantur* 231,b
*Correptio est actus charitatis, item misericordiæ* 232,a
*Præceptum quo obligamur corripere, comprehenditur generali præcepto charitatis & eleëmosynæ* ibid.b
*Quinam ex præcepto corripiendi* 233,b
*Non sola venialia cadunt sub correptionem* 234,b
*Peccata ex ignorantia & infirmitate admissa cadunt sub correptionem* 234,a
*Præceptum correptionis se etiam extendit ad peccata admissa in Deum, proximum, & ipsum peccantem* ibid.
*Negligens corripere venialiter peccantem quando peccet venialiter* 235,a
*Magistratus secularis non tenetur sub mortali tollere consueta peccata venialia, secus de Prælatis Religiosorum* 234,b
*Non licet corripere de peccato quod constat emendatum esse per pœnitentiam* 235,a
*Peccatum de quo corripis, debet certò constare* ibid.b
*Proximus corripiendus etiam in ijs peccatis quæ Magistratus tolerat* ibid.
*Omnes omnino homines tenentur tempore & loco proximum corripere fraternè* 236,a
*Priuatus quisque non tenetur ad correptionem iudicialem* ibid.
*Prælati arctiùs tenentur ad correptionem quàm priuati* ibid.
*Prælati ex charitate tenentur inquirere subditorum vitam, vt eos paternè corripiant* ibid.
*In extrema necessitate spirituali tenetur quisque, etiam cum periculo vitæ, ad correptionem* ibid.b
*Quomodo possit vel non possit corripere Prælatum suum* ibid.a
*Quomodo peccator obligetur ad corripiendum* 237,b
*Iudex in mortali peccato iudicialiter corripiendo proximum non peccat mortaliter, si scandalum absit* ibid.
*Cessat præceptum correptionis, quando proximus ex correptione non fieret melior sed deterior* 238,a
*Iudex tenetur corrigere, etiamsi peccator futurus putetur deterior* ibid.
*Corripiendus ille qui initio exacerbandus, postea tamen emendandus ex eadem correptione* ibid.b
*Quomodo corripiendus qui ex ignorantia inuincibili peccat* 239,a
*Quis ordo seruandus in correptione* 240,a
*Quomodo emendatus propter periculum recidiuæ vlteriùs sit corripiendus vel deferendus* 242,a
*Ante priuatam correptionem non licet adhibere testes, aut denuntiare Prælato* 240,a
*Quem vsum habeant testes adhibendi in correptione* 242,a
*Quomodo liceat Prælato in Confessione denuntiare fratris crimen vt eum corripiat* 243,b

Creatura.

*Omnis inferior creatura aliquid perfectionis accipit à superiore* 86,a

Creaturæ irrationales.

*Non sunt diligendæ ex charitate* 199,a

Crudelitas.

*Crudelitas in bruta illicita est* 341,b

Culpa.

*Culpa lata, latior, latissima. Item leuis, leuior, leuissima* 333,a

Cultus.

*Cultus pernicioſus & cultus superfluus quis dicendus* 743,a
*Et quomodo distinguantur* ibid.b

Cultus diuinus.

*In quo consistat cultus diuinus* 632,a
*Cultus externus in nouo etiam Testamento Deo debetur* 634,b

Custos.

*Custos potest se occultare vt furem deprehendat* 390,a

Dæmon.

Dæmones *aliquo modo credunt* 120,b
*Vident illam fidem esse veram quam Ecclesia credit* ibid.
*Post lapsum non retinuerunt fidem infusam* ibid.
*Non sunt ex charitate diligendi* 202,b
*Quænam à dæmone interrogari possunt* 751,a
*Curiosa interrogatio illicita est* ibid.
*Quomodo sensus interiores hominis & intellectum mouere possit* 766,b
*Potest hominem instruere* 767,a
*Quid possit in voluntatem & sensum exteriorẽ* ibid.
*Quomodo possit hominem dementare, & ad certam personam amorem determinare* ibid.b
*Non potest animam realiter à corpore abstrahere* ibid.
*Ope dæmonis sine Dei iussu aut permissu magi efficere non possunt vt anima viuentibus appareant* 768,b
*Posset, si ei permitteretur* 769,a
*Potest sagarum corpora deferre* 775,a
*An possit mouere totum terræ globum* ibid.
*Dæmon visum fallere potest vel ex parte obiecti, vel ex parte medij, vel ex parte organi* 778,a
*Non potest verè quoſuis morbos sanare* ibid.b
*Quosnam sanare possit* 779,a
*Sæpè simulat se sanare* ibid.
*Mortuum suscitare nequit* ibid.
*Quomodo liceat vti scientia à dæmone accepta* ibid.
*Dæmonis ope accedente, plus valent vires agentium naturalium* ibid.
*Dæmon multa potest per magos, quæ ei non permitterentur* 781,a
*Dæmon quomodo dæmonem eiiciat* 783,a
*Dæmon aliquando sit succubus aut incubus* 784,b. & seqq.
*Omne commercium cum dæmone nobis est interdictum* 797,b.& seq.
*Opera diaboli numquam licitum est vti* 799,a
*Donum diaboli tripliciter considerari potest* 800,b
*Et quomodo eo vti vel non vti liceat* ibid.

Damnati.

*Damnati non retinent fidem* 121,b
*Neque habent spem* 163,a
*Non sunt ex charitate diligendi* 202,b

Dauid.

*Quomodo coram Achis simulauit se furere* 107,a
*Peccando amisit iustitiam* 193,a
*Quomodo citharã Saulem iuuit* 802,a

Debitor, Debita.

*Debitor qui satisfacit creditori sui creditoris ipso inuito, quando liberetur* 394,b
*Debita quomodo præscribantur* 305,a
*Propter necessitatem debita solùm sopiri verius est* 406,a

Decimæ.

*Diuiduntur in prædiales, personales, & mixtas* 664,a
*Item in maiores & minutas* ibid.
*Christiani tenentur ad decimas ex iustitia* ibid.
*Quo Iure debeantur* ibid.b
*Decimæ debentur Ecclesiæ & eius ministris* 665,b
*Decimæ quoad quotam nunc non sunt Iuris diuini* 664,b
*Quomodo Episcopo competant decimæ* 666,a
*Religiosi possunt eas possidere* ibid.
*Quomodo laicis competere possint* ibid.
*Quomodo præscribatur ius percipiẽdi decimas* 667,a

*Quibus debeantur decimæ personales* 667,a
*Cui Ecclesiæ debeantur decimæ mixtæ* ibid.b
*Decimæ Iure communi debentur ex omnibus rebus & lucris* ibid.
*Decimarum obligatio cessat præscriptione, priuilegio, transactione, vel remissione* 668,a

Desperatio.

*Desperatio est peccatum* 169,a
*Potest esse sine infidelitate* 170,b
*Desperatio est periculosius peccatum quàm odium Dei aut infidelitas* 171,a
*Desperatio quomodo oriatur ex luxuria & acedia* ibid.b

Detractor, Detractio.

*Detractio quid sit* 538,a
*Est peccatum mortale ex genere suo* ibid.
*Tribus modis sit venialis* ibid.
*An sit mortale, vni prudenti reuelare alterius peccatum* ibid.b
*Quomodo liceat reuelare proximi peccatum, vt euitetur malum vel procuretur bonum peccantis, vel reuelantis, vel alterius* 539,b
*Vno loco notorius, alibi sine iniustitia infamatur* 540,b
*Peccabitur tamen contra charitatem* 541,a
*Diffamatum de vno peccato, non licet de alio infamare* 541,b
*Mortuorum occulta peccata referre non licet* ibid.
*Septem modis incurritur peccatum detractionis* 542,b
*Circa quæ versetur detractio* ibid.
*Quomodo liceat illatam iniuriam alteri reuelare* 546,a
*An sit detractor, qui narrat se crimen alterius audiuisse, non tamen asserit esse verum* ibid.b
*An liceat eius famæ derogare, qui simulando sibi nomen comparasset* 547,a
*Audiens, inducens, vel tolerans detractorem quomodo peccet* ibid.b
*Quomodo qui detractionem audiuit possit inquirere de veritate* 548,b

Deuotio.

*Deuotio est actus Religionis* 635,b

Deus.

*Deus est materiale obiectum Fidei primarium* 2,b
*Deus mentiri aut fallere non potest etiam per potentiam absolutam* 9,a
*Deus est obiectum formale Spei, vt auxiliator* 158,a
*Deus potest timeri* 166
*Potest Deus sine charitatis habitu creato nos constituere sui amantes* 175,b
*Deus charitas est quæ Deus nos diligit, non qua nos Deum diligimus* 178,b
*Deus est materiale obiectum charitatis* 198,a
*Deus magis diligendus quàm proximus* 203,a
*Deus propter seipsum diligendus* 214,a
*Quomodo Deum amare possimus propter bona temporalia* ibid.b
*Quomodo Deus possit totaliter amari* 215,a
*Deus non est acceptor personarum* 564,a

Diabolus.

*Diabolus per se nullam formã potest producere* 18,b
*Vide* Dæmon.

Diffidatus.

*Diffidatus à quolibet occidi potest* 343,b
*Diffidatus potest se defendere* 349,a

Dignitas.

*Dignitas quid sit* 568,b

Discordia.

*Discordia quomodo sit peccatum mortale* 246,a

Dispensatio.

*Dispensare potest Pontifex in voto solemni Religionis, & in Ordine sacro* 703,b
*Ad dispensationem voti solemnis requiritur caussa publica, priuata non sufficit* 704,b
*Solus Pontifex dispensat in voto castitatis perpetuæ, Religionis, peregrinationis in Terram sanctam, ad limina Apostolorum, & ad D. Iacobum in Compostella* 708,a
*In votis conditionatis & pœnalibus dispensat Episcopus* ibid.
*In quibusdam casibus dispensat Episcopus in voto castitatis & Religionis* 709,a
*Quænam iustæ caussæ dispensandi in voto* 710,a.b
*Dispensatio iuramenti requirit caussam vt sit valida* 740,b

Disputare.

*Disputare non licet cum infidelibus quasi in dubium reuocando articulos Fidei* 138,b
*Disputatio cum hæreticis inutilis est & periculosa* ibid.a
*Laicis & indoctis illicitum disputare cum hæreticis* ibid.b
*Quibus Clericis & Religiosis liceat* 139,a
*In disputatione à quibus abstinendum* ibid.

Distractio.

*Distractio in oratione quænam sit mortalis* 646,a

Diuinatio.

*Vnde dicta, & quid sit* 750,b
*Diuiditur in explicitam & tacitam* 751,b
*An differant specie* 753,a
*Diuinatio exteriori adhibita cærimonia quadruplex* 752,a
*Diuinatio qua dæmon tacitè inuocatur* ibid.
*De diuinatione per astra* 754
*Diuinatio per somnia quædam licita, quædam illicita* 757,b
*Diuinatio ex augurio, omine, &c. quomodo illicita* 760,a
*Diuinatio per sortes an licita* 761,a

Diuisio.

*Diuisio rerum quando fuerit necessaria* 297,a
*Quo Iure introducta* 298,a

Dominium.

*Dominium quid* 283,a
*Dominium directum* ibid.b
*Dominium vtile* ibid.
*Dominium altum* 284,a
*Dominium iurisdictionis diuiditur in sæculare & Ecclesiasticum* ibid.
*Dominium rerum quæ vno actu absumuntur an distinguatur ab vsu* ibid.b
*Dominij subiectum* 287,b
*Dominium Dei* ibid.
*Dominium Angelorum* ibid.
*Pueri & amentes capaces sunt dominij* 288,a
*Dominium consistit cum peccato* ibid.b
*Dominium quarum rerum habeat filius familias* ibid.
*Dominium vxoris & seruorum* 289,a
*Dominij obiectum* 295,b
*Dominia rerum ante lapsum fuissent indiuisa* 297,a
*Post lapsum est necessaria diuisio* ibid.
*Dominium ferarum quomodo comparetur* 298,b
*Dominium vsurarum non acquirit vsurarius* 455,b

Dona



Dona Spiritus sancti.

*An distinguantur à virtutibus* 129,a.130
*Virtutes Theologicæ sunt perfectiores donis Spiritus sancti* 130,b

Donatio.

*Quid sit donatio, & quæ ad eam requirantur* 314,a
*Quotuplex sit* 314,b
*Donare non possunt, amens, prodigus, impubes, filius familias* 314,b
*Vxor* 315,a
*Religiosus* ibid.
*Donatio inter coniuges quomodo inualida* 315,b
*Donatio patris in filium non emancipatum* 316,b
*Donatio vltra 300. solidos inualida absque insinuatione* 317,a
*Donatio omnium bonorum, nisi sit ad pias caussas, inualida est* 317,a
*Donatio ob caussam irrita est si caussa non subsit* 318,b
*Donatio facta sub conditione vitiante dispositionem* 319,b
*Conditiones quæ pro non appositis habentur in donatione* 320,a
*Conditiones quæ suspendunt donationem* 320,b
*Donatio facta sub modo quando valida sit* 321,b
*Donatio reuocatur ob ingratitudinem donatarij* 322,a
*Reuocatur etiam, si donatori nascantur filij* 323,a
*Donatio mortis caussa, tribus modis reuocatur* 324,a

Dos.

*Quomodo dos æstimanda ad quam stuprator tenetur* 370,a

Dubius.

*Dubius in fide est infidelis* 145,a
*Dubia quomodo in meliorem partem interpretanda* 499,a

Duces belli.

*Qui in delectu plures milites computant quàm habeant, tenentur ad restitutionem* 253,a

Duellum.

*Duellum quid sit* 259,a
*Quibus casibus alteri parti licitum* ibid.
*Duellum illicitum est quod suscipitur ad solam ostentationem virium, aut honoris defensionem* 260,b
*Item illicitum pro sola vindicta, vel pro voluptate spectaculi, vel spontanea criminis purgatione* 261,a
*Spectatores duelli quomodo peccent* 261,b

Ecclesia.

ECCLESIA *est columna & firmamentum veritatis* 5,b
*Auctoritas Ecclesiæ tribus modis consideratur* 5,a
*Quænam sit essentia Ecclesiæ* 51,a
*Soli prædestinati non sunt de Ecclesia* ibid.
*Ecclesia dicitur sponsa Christi* 51,b
*Hortus conclusus* ibid.
*Tota pulchra* 54,a
*Mali sunt in Ecclesia* 53,b
*Non baptizati non sunt in Ecclesia* 54,b
*Neque hæretici aperti, secùs de occultis* 55,b
*Schismatici non sunt in Ecclesia* 56,b
*Neque excommunicati* ibid.
*Cœpit Ecclesia à primis parentibus* 57,a
*Non ab Angelis* ibid.
*Abel dicitur primum membrum Ecclesiæ* ibid.
*Perseuerat Ecclesia à principio mundi vsque ad finem sine interruptione* 57,b
*Ecclesia est vnica & eadem* 59,b
*Duplex vnitas Ecclesiæ, permanens & successiua* 59,b
*Ecclesia est visibilis, & semper dignosci potest* 60,a
*Potest Ecclesia impedire ne infidelis præficiatur fidelibus* 142,b
*Quomodo possit Ecclesia subditos subtrahere à potestate infidelium* 143,a
*Ecclesia semper recipit hæreticos & relapsos ad pœnitentiam* 152,b
*Ecclesia immunitas quibus concedatur* 502,b

Eleazarus.

*Eleazarus se occidens excusatur* 356,a

Electio.

*Electiones per sortes ad Beneficia, illicitæ* 761,a

Eleëmosyna.

*Eleemosyna est actus charitatis* 220,a
*Quomodo peccatoribus prosit, eisque sit commendanda* ibid.a.b
*Eleëmosyna alia corporalis, alia spiritualis* 221,b
*Eleëmosyna spiritualis præstat corporali* 222,a
*Eleëmosynis non remittuntur peccata quoad culpam sine pœnitentia* 222,b
*Ex charitate facta valet ad satisfaciendum pro peccatis, & ad augmentum meriti* 222,b
*Quomodo extra charitatem facta sit dispositio ad gratiam* 223,a
*Dare eleëmosynam est aliquando præcepti* ibid.
*Præceptum eleëmosynæ vbi in Decalogo contineatur* 223,b
*Præceptum eleëmosynæ quomodo cesset obligare* 224,a
*De necessariis vitæ tuæ non teneris succurrere proximo* 224,b
*De superfluis personæ & vitæ succurrendum extremè indigenti sub peccato mortali* 225,a
*Extremè indigenti ex charitate succurrendum, non ex iustitia* 225,b
*Ex superfluo personæ eleëmosyna sub mortali præcepta etiam in graui proximi necessitate* 227,a
*Quomodo sufficiat extremè indigenti succurrere per mutuum, &c.* 228,a
*Quomodo liceat vel non liceat eleëmosyna de iniustè acquisitis* 229,b
*Quibus casibus possit facere eleëmosynam, qui sub alterius potestate est constitutus* 230,b
*Expedit plures imperfectè iuuare quàm pauciores perfectè* 231,b
*Eleëmosyna quomodo etiam malis danda* 231,a

Elias.

*Elias deplorat se solum relictum* 58,b

Emphyteusis

*In quo differat à censu* 470,b

Emptio, Emptor.

*Emere minoris quàm res valeat, quando licitum sit* 418
*Emptor sciens rem esse maioris pretij quàm æstimet venditor, peccat emens minoris iusto* 424,b
*Emere citra infimum iusti quomodo liceat anticipato pretio* 430,b
*Emere cum pacto retrouendendi licitum est* 433,a
*Qui emit rem futuram bona fide, potest furi rem restituere vt pretium recuperet* 392,b
*Si mala fide emit à fure, tenetur domino rem restituere* 393,a
*Emere pignora mutuatariorum ab vsurarijs quomodo licitum sit* 458,a

Episcopus.

Episcopus.

*Quomodo Episcopi positi sint à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei* 37,*b*
*Quomodo sint Apostolorum successores* ibid.
*Episcopi vocantur à Pontifice fratres* 38,*a*
*Vocati ad Concilium vniuersale venire tenentur* 62,*a*
*Quidnam scire teneantur* 89,*a*
*Episcopus aliquid legans Hæretico excommunicatur* 151,*a*
*Episcopis illicitum pugnare* 257,*a*
*Quomodo Episcopus se possit immiscere testamentis* 334,*a*
*Quando possit transigere super bonis incertis* 396,*b*
*Episcopus debet habere notitiam veteris & noui Testamenti* 582,*a*
*Quænam insuper requirantur in Episcopo* ibid. & seq.
*Quænam ætas requiratur* 579,*a*
*Tenetur ad residentiam* 587,*b*

Eremitæ.

*Eremita testari possunt* 326,*a*

Error.

*Quomodo irritet contractum* 414,*b*

Esau.

*Esau an fuerit Simoniacus vendendo primogenita* 589,*a*

Euangelium.

*An sit prædicatum per totum mundum* 94,*b*

Eucharistia.

*Proba per S S. Eucharistiam illicita est* 790,*b*

Euictio.

*Euictio quid sit* 433,*b*

Excommunicatio.

*Excommunicatio creditoris non excusat debitorem à solutione vel restitutione* 411,*b*. & seqq.
*Excommunicatus an validè & licitè iudicet* 504,*a*
*An reus possit excommunicari si se non prodat* 515,*b*

Falcidia.

FALCIDIA *quid* 335,*b*

Fama.

*Famæ & honoris homo est dominus* 292,*b*
*Fama quid sit & quomodo differat ab honore* 537,*a*
*Famam pecuniâ non esse compensandam, probabilius est* 554,*a*
*Vide* Restitutio honori; & famæ.

Famuli.

*Famuli vsurariorum an teneantur de vsuris* 459,*b* & seqq.

Fascinatio.

*An detur aliqua fascinatio* 780,*a*.781,*b*

Fera.

*Feræ Iure gentium fiunt occupantis* 298,*b*
*Non sunt fructus fundi* ibid.
*Quando naturalem libertatem recuperent* ibid.
*Feræ à te vulnerata an fiat capientis* 299,*a*
*Laqueo tuo capta quando tua dici debeat* ibid.
*Quando extraheuntis* ibid.

Festi dies.

*Festis diebus bellare licet si sit necesse* 258,*b*
*Quomodo non peccent milites omittentes Sacrum propter bellum die festo* 258,*a*

Fides.

*Fidei nomen variè accipitur* 1,*a*
*Pro assensu* ibid.
*Pro habitu* ibid.*b*
*Pro fidelitate* 2,*a*
*Pro conscientia* ibid.
*Fides rarò pro fiducia accipitur in Scripturis* ibid.
*Vnde dicatur Catholica* 4,*b*
*Fides secundùm naturam resoluitur in auctoritatem primæ veritatis* 6,*b*
*Quomodo resoluatur in auctoritatem Ecclesiæ* 5,*a*
*Fides non resoluitur in auctoritatem humanam, quamuis per homines ad credendum applicemur* 6,*b*
*Fides non potest inclinare ad assensum falsum* 11,*a*
*Assensus fidei est liber, & non sine pio affectu* 14,*b*.15,*a*
*Propositio credendorum sit variis modis* 15,*b*
*Quod fide diuina creditur, debet esse euidentis credibilitatis* 15,*b*
*Fidem Catholicam Romanam esse credibilem, est euidens* 16,*b*
*Per miracula* ibid.
*Oracula Prophetarum, &c.* 20,*b*
*Post lapsum Adæ fides semper fuit eadem secundum substantiam, neque successu temporis articuli credendi aucti sunt* 21,*b*
*Secundùm explicationem creuit numerus articulorum* 22,*b*
*Explicatio fidei in Principibus populi perfectissimum statum habuit quando Lex gratiæ cœpit promulgari* 23,*a*
*Eadem fides semper sufficit ad beatitudinem quæ sufficit ad iustitiam* 90,*b*

Fidei obiectum.

*Variis modis fidei obiectum accipi potest* 2,*a*
*Deus est obiectum materiale fidei primarium* ibid.*b*
*Quomodo Christus pertineat ad obiectum primarium fidei* ibid.
*Fidei obiectum formale est auctoritas primæ veritatis* 3,*a*
*Ad obiectum fidei potest aliquid pertinere etiamsi non sit propositum per Ecclesiam* 4,*a*.*b*
*Reuelata particularibus Sanctis an sint fide credenda* 4,*b*
*Obiectum fidei ex parte rei creditæ est quid incomplexum: consideratum autem ex parte credentis, est quid complexum per modum enuntiabilis* 6,*b*
*Obiectum fidei an possit esse aliquid visum aut scitum* 12,*a*.*b*.13,*a*
*Quomodo non visum pertineat ad obiectum fidei* 14,*a*

Fidei actus interior.

*Credere est cum assensione cogitare* 83,*a*
*Credere est actus elicitus ab intellectu, liber tamen propter imperium voluntatis* ibid.
*Actus fidei distinguuntur per credere Deo, Deum, & in Deum* 84,*a*
*Vno actu credimus Deo, Deum, & in Deum* 85,*b*
*Peccatores non credunt perfectè in Deum* 84,*b*
*Non rectè dicimur credere in Ecclesiam* 85,*a*
*Infideles non verè credunt Deum* 85,*a*
*Credere aliquid supra rationem naturalem, est necessarium necessitate medij* 86,*a*
*Maior in adultis est necessitas fidei quàm Baptismi* 87,*a*
*Fidei præceptum est supernaturale* 88,*a*
*Credere est actus supernaturalis* 99,*a*
*Credere est honestum & Deo gratum, ita vt sit meritorium* 97,*b*
*Actus internus fidei ita est bonus, vt non possit fieri malus* 98,*a*
*Quid sit explicitè vel implicitè credere* 88,*a*
*Credere aliquid explicitè, necessarium necessitate medij* 88,*b*

*Non omnes æqualiter tenentur ad habendam fidem explicitam. Superiores tenentur ad fidem magis explicitam* 88,*b*
*Quid teneantur Superiores explicitè credere* 89,*a*
*Quid commune vulgus fidelium* 89,*b*
*Mysterium incarnationis ante Christum non necessariò credebatur explicitè necessitate medij* 91,*a*
*Necessitate præcepti tenebantur maiores explicitè credere in Christum venturum* 91,*b*
*Quonis tempore post Adæ lapsum necessarium fuit implicitè saltem credere Christi incarnationem* 92,*a*
*Post Christi passionem, nondum sufficienter promulgato Euangelio, non erat necessarium necessitate medij explicitè credere in Christum* 93,*a*
*In quibus annuntiatum erat Euangelium, tenebantur explicitè credere in Christum* 93,*b*
*Euangelio sufficienter diuulgato, omnibus adultis necessaria est fides explicita in Christum* 93,*b*
*Necessitate præcepti hodie tenentur omnes explicitè credere incarnationem quoad articulos Symboli Apostolorum* 95,*a*
*Quænam ex præcepto sint ab omnibus credenda præter articulos incarnationis & Trinitatis* 95,*b*
*Quando obliget præceptum in animo eliciendi actum fidei* 96,*a*
*Quando obliget præceptum discendi ea quæ sunt fidei* ibid.
*Quando censeatur fides sufficienter proposita vt infidelis teneatur credere* ibid.
*Explicitè credere Trinitatem, est de necessitate salutis* 96,*b*
*Actus fidei aliquando imperatur à charitate* 99,*b*
*Quando ratio inductiua ad ea quæ sunt fidei, minuat meritum fidei* ibid.

Fidei actus exterior.

*Confessio fidei est actus exterior fidei* 100,*a*
*Peccat verbis negans fidem, quamuis animo retineat fidem* 101,*a*
*Præceptum confitendi fidem, aliquando obligat* 102,*a*
*Interrogatus à tyranno, aut ab eo qui publica fungitur potestate, tenetur etiam cum periculo mortis disertè profiteri fidem* 102,*b*
*Licet dare pecuniam ne cogaris sacrificare idolo* 104,*a*
*Numquam licet vti rebus aut admittere actiones quæ ordinatæ sunt ad professionem alicuius falsæ sectæ* 106,*a*

Fides vt est virtus.

*Definitio fidei ex Epistola ad Hebræos* XI. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, *explicatur* 109, & seqq.
*Conuenit hæc definitio fidei formatæ & informi* 111,*b*
*Cur potius dicatur fides substantia rerum sperandarum quàm timendarum vel amandarum* 110,*b*
*Fides est in intellectu vt in subiecto* 111,*b*
*Charitas est forma fidei* 112,*a*
*Fides infusa informis est eiusdem speciei cum formata* 113,*a*
*Fides formata est virtus* 114,*a*
*Fides informis est virtus imperfecta* 115,*a*
*Fides est virtus intellectualis* ibid.*b*
*Fides quomodo sit vna virtus* 115,*b*.116,*a*
*Fides est prima virtus* 116,*b*
*Fides est certior scientiâ & aliis virtutibus intellectualibus* 117,*a*
*Item est certior dono intellectus, sapientiâ & scientiâ, quatenus sunt dona præsentis vitæ* 118,*a*
*Fides certior est quàm experientia sensus* 118,*b*
*Fides ordine dignitatis spem præcedit* 161,*b*
*Ordine originis etiam charitatem* 161,*a*

De Fidem habentibus.

*Angeli viatores & homo in statu innocentiæ habuerunt fidem* 119,*a*
*Dæmones aliquo modo credunt* 120,*b*
*Dæmones post lapsum non retinuerunt fidem infusam* ibid.
*Animæ Purgatorij retinent fidem* 123,*a*
*In damnatis non manet fides* 121,*a*
*Neque in Beatis* 122,*a*
*Qui discredit vnum articulum fidei, non retinet fidem informem de reliquis* 123,*a*.*b*
*Habitus fidei maior est in vno quàm in alio* 125,*b*
*Fides in eodem homine etiam peccatore potest crescere, non autem minui* 126,*a*
*An habitus fidei informis aliquando infundatur peccatori sine charitate* 126,*a*
*Quomodo fides informis aliquando possit esse maior formatâ* 127,*b*

Fidei caussa.

*Fides infunditur homini à Deo* 127,*a*
*Fides etiam informis est donum Dei* 128,*a*

Fidei effectus.

*Timor est effectus fidei* 128,*a*
*Similiter purificatio cordis* 129,*a*

Filius, Filia.

*Filius familias in quibus bonis habeat dominium* 288,*b*
*Testari non potest* 325,*a*
*Filia sine consensu parentum nubens, quando exheredari possit* 333,*a*

Fiscus.

*Fisco debita præscribuntur quinquennio* 305,*a*
*Fiscus quando succedat ab intestato* 335,*a*

Fœtus.

*Fœtus quo tempore animetur* 354,*b*

Fructus.

*Fructus ex re vendita adhuc pendentes sunt emptoris* 432,*a*
*Fructus medij temporis, quando contractus rescinditur, ad quem pertineant* ibid.*b*.
*Fructus rei furtiuæ à fure restituendi, non fructus industriæ* 384,*a*

Fuga.

*In persecutione licitum est fugere* 104,*b*
*Aliquando præceptum est fugere* 105,*a*
*Aliquando illicitum* ibid.*b*
*E carcere fugere licet, etiamsi custodes occidendi sint* 106,*a*
*Iusto bello captus potest fugere* 256,*b*

Fur, Furtum.

*Furtum variè accipitur* 374,*a*
*Furtum propriè est iniusta & occulta acceptio rei alienæ inuito domino* ibid.
*Furtum formale & materiale* ibid.*b*
*Furtum & rapina differunt specie* 375,*a*
*Furtum manifestum & occultum non differunt specie* ibid.
*Furtum aliter fit inuito domino quàm rapina* 375,*b*
*Furtum leuius est peccatum quam alia contra Decalogum* ibid.
*Est peccatum mortale ex genere suo, fit tamen veniale ex indeliberatione actus, & ex materiæ leuitate* 376,*a*

*vel quòd dominus non sit satis inuolutarius* 377,*b*
*Varia considerandа in æstimatione furti mortalis* ibid.*a.b*
*Furtum rei paruæ vnde sequitur nocumentum magnum, est mortale* ibid.*b*
*Furti mortalis quantitas eadem respectu pauperis & diuitis* 378,*a*
*Auferens à paupere magis contra charitatem peccat.* ibid.
*Qui minutis furtis intendit diteſcere, in ſingulis peccat mortaliter* ibid.*b*
*Qui non intendit, vbi peruenerit ad quantitatem notabilem, tenetur reſtituere ſub mortali* 379,*a*
*Quando talis poſſit excuſari à reſtitutione* ibid.
*Qui ſinguli exiguum ſed ſimul magnum damnum intulerunt, ſi conſpirauerint, tenentur omnes in ſolidum ſub peccato mortali* ibid.*b*
*Videns exemplo ſuo alios furari hoc ipſo non tenetur ad reſtitutionem, ſicut quando alijs non eſt cauſſa, vel de alijs nihil ſcit* 380,*a*
*Rem propriam quando occultè vel aperta vi auferre liceat* ibid.*b*
*Fur continuò peccat donec reſtituit* 381,*a*
*Quomodo deſinat peccare detentor rei alienæ* ibid.*b*

Futura contingentia.

*Non poſſunt cognoſci ex aſtris* 756,*a*

Galli cantus.

GALLI *cantus an fuget dæmones* 803,*a*

Gaudium.

*Gaudium eſt effectus charitatis* 217,*a*
*Non eſt virtus à charitate diſtincta* 218,*b*
*Gaudium in hac vita non impletur ſed in futura* ibid. *a*

Gener.

*Gener an poſſit retinere fructus pignoris pro dote aſſignati* 450,*a.b.*

Genethliaci.

*Genethliacorum coniectatio de fortunis, moribus & complexione, damnata eſt* 754,*b*
*Quænam incertam faciant eorum coniectationem* 755,*b*

Gloria.

*Gloria quid ſit* 538,*a*

Gnoſtici.

*Gnoſticorum error, licere exteriùs negare fidem ſi corde retineas* 101,*b*

Gratia.

*Gratia ſemper ſimul cum charitate augetur* 185,*b*

Habitus virtutum.

HABITVS *virtutum an augeantur non tantùm intenſiuè ſed etiam extenſiuè* 183,*a*
*Homo auget effectiuè habitus quos effectiuè produxit: infuſos tantùm meritoriè augere poteſt* 185,*a*
*Quomodo peccatum corrumpat habitum infuſum* 197,*a*

Hæreſis, Hæreticus.

*Hæretici numquam fecerunt vera miracula* 18,*a.*19
*Hæretici aperti non ſunt de Eccleſia: ſciùs de occultis* 55,*b*
*Hæretici qui dixerunt licere exteriùs negare fidem, ſi interiùs retineatur* 101,*b*
*In hæreticis non manet habitus fidei* 123,*a*
*Hæretici non dicunt, Dominus Ieſus, in Spiritu ſancto* 125,*a*
*Hæreſis maius peccatum Iudaiſmo vel Paganiſmo* 138,*a*
*Cum hæreticis diſputare, inutile & periculoſum* ibid.
*Laicis & indoctis illicitum diſputare cum hæretici* 138,*b*
*Hæreticorum ritus difficiliùs ſunt tolerandi quàm aliorum infidelium* 143,*b*
*Hæreſis electionem ſignificat* 144,*a*
*Hæreſes nomen varie ſumitur* ibid.
*Hæreſis non poteſt conſtare ſine errore ex parte intellectus* 145,*a*
*Requiritur etiam pertinacia* 146,*a*
*Ad hæreſim requiritur profeſſio Chriſtianiſmi* ibid.
*Qualis pertinacia requiratur ad hæreſim* ibid.*b*
*Definitio hæreſis* 147,*b*
*Hæretici incorrigibiles rectè iuſto iudicio Magiſtratus occiduntur* 148,*b*
*Hæretici quomodo excommunicati* 150,*b*
*Hæretici prohibentur hereditario Iure ſuccedere Catholico* 151.*a*
*Hæreticorũ libri non ſunt legẽdi ſed cõburendi* ibid.*b*
*Eccleſia ſemper recipit hæreticos etiam relapſos ad pœnitentiam* 152,*b*
*Reuertens ab hæreſi debet hæreſim abiurare* 153,*a*
*Hæreticis non manet ſpes* ibid.*b*
*Hæretici arcentur à Beneficijs Eccleſiaſticis* 580,*b*
*Iurare licitum eſſe negant* 718,*a*
*Defunctorum animas viuentibus quandoque verè apparere negant* 768,*a*

Heres.

*Heres obligatur voto reali teſtatoris* 692,*b*
*Quomodo teneatur ad votum mixtum* 693,*a*
*Heredes homicidæ tenentur ad damna realia* 365,*b*
*Etiamſi damnetur pœna capitis* 366,*a*

Homicidium, Homicida.

*Homicida duplex damnum infert, ſcilicet perſonale & reale* 363,*a*
*Pro damno perſonali nihil reſtituendum* ibid.*b*
*Tenetur ad damna realia* 364,*b*
*Homicida tenetur ad expenſas in Medicos, non ad expenſas funeris* ibid.
*Tenetur ad lucra quæ impediuit, & quomodo hæc æſtimanda* 365,*b*
*Non tenetur ex iuſtitia orare pro occiſo* 367,*a*
*Tenetur reſtituere heredibus neceſſarijs* ibid.
*Non tenetur fratribus, pauperibus, creditoribus aut famulis* ibid.*b*
*Quomodo teneatur qui moderamen inculpatæ tutelæ exceſſit* 366,*b*
*Publica auctoritate licet occidere peccatores qui Rempub. turbant* 343,*a*
*Priuata auctoritate non licet* ibid.*b*
*Diffidatus à quolibet occidi poteſt* ibid.
*Occiſor diffidati quando peccet* ibid.
*Quis tyrannus occidi poſſit* 344.*b*
*Maritus adulteram vxorem occidere non poteſt* 345,*a*
*Quomodo patri licitum occidere adulterum filiæ & ipſam filiam deprehenſam* ibid.
*Seruato moderamine licet occidere innaſorem* 346,*b*
*Furem quomodo pro defenſione rei tuæ occidere poſſis* 350,*a.b*
*Pro defenſione pudicitiæ occidere licet* 351,*b*
*Quando liceat pro defenſione honoris* 352,*a*
*Item pro defenſione proximi* 353,*a*
*Seipſum occidens quomodo peccet* 355,*b*
*Pro caſtitate ſeruanda non licet ſe occidere* ibid.
*Neque ad euadendum dedecus* 356,*a*
*Aut vitandum peccatum* ibid.
*Propriæ morti cooperari directè non licet: indirectè ex cauſſa licet* 357,*a*

*Homi-*

*Homicidium merè caſuale non eſt peccatum* 360,*a*
*Etiamſi des operam rei illicitæ* 361,*a*
*Regulæ ad dignoſcendum homicidij caſualis reatum* 360,*b*
*Ex errore vnum pro altero occidens, homicida eſt* 361,*b*
*Si vulneratus negligentiâ Chirurgi aut propriâ moriatur, ad quid teneatur vulnerator* ibid.
*Si mancipium tuum aut fera aut filius hominem occiderit, quomodo tenearis* 362,*a b*
*Quomodo tenearis de morte tertij ſecuta ex tuo maleficio in alium* 363.*a*
*Homicidæ arcentur à Beneficijs Eccleſiaſticis* 580,*b*

Homo.

*Homo ſeipſum ex charitate diligere debet* 190,*a*
*Hominis ad ſeipſum non eſt iuſtitia* 280,*a*
*Homo ab homine licitè poſſidetur* 295,*b*
*Non eſt dominus vitæ ſuæ* 296,*a*
*Habet dominium quorumdam bonorum ſpiritualium* ibid.*b*
*Item honoris & famæ ſuæ* 297,*b*
*Quamdiu præſumatur homo victurus* 365,*a*

Honor.

*Honor quid ſit* 537,*a*
*Honor per contumeliam læſus quomodo reſtituendus* 558,*b*
*Quibus modis honor alicui debitus ſit* 559,*b*
*Quomodo honorandi diuites & Magiſtratus* 564,*b*

Horæ Canonicæ.

*Quænam attentio ad eas requiratur* 644,*a*
*In lectione Horarum non licet excludere attentionem ad verba* 645,*a*
*Quomodo attentio ad ſola verba ſufficiat* ibid.
*Horæ Canonicæ exemplum habẽt in Scriptura* 646,*a*
*Quando fuerint inſtitutæ* ibid.
*Tenentur ad Horas Canonicas initiati ſacris Ordinibus* 646,*a.b*
*Beneficiati* 647,*a*
*Religioſi profeſſi ad Chorum* 649,*a*
*Religioſi fugitiui non excuſantur* ibid.*b*
*Non tenentur recitare Horas initiati minoribus Ordinibus* 646.*b*
*Beneficiati qui nullos percipunt fructus* 647,*b*
*Penſionarij* 648,*b*
*Nouitij* 649,*b*
*Conuerſi* ibid.
*Religioſi militares* ibid.
*Coadiutor in Beneficio* 648.*b*
*Quomodo obligetur Beneficiarius exiguos fructus percipiens* ibid.*a*
*Quomodo teneantur Commandatarij* ibid.*b*
*Omittens Horas aut notabilem partem, peccat mortaliter* 649,*b.*& ſeq.
*An ſint plura peccata, omittere omnes Horas* 650,*b*
*An ſatisfaciat tam ſubmiſſè recitans vt ne ſeipſum audiat* ibid.
*Beneficiarius qui Horas non legit, tenetur ad reſtitutionem non Iure naturæ* 651,*a*
*Sed Iure poſitiuo* ibid.*b*
*Etiam ante Iudicis ſententiam* 652,*a*
*Primo ſemeſtri omittens Horas non tenetur reſtituere* ibid.
*Peccat tamen* ibid.*b*
*Eum qui ſine attentione recitat non teneri reſtituere, verius eſt* ibid.
*Quænam excuſent à lectione Horarum* 653,*b*
*Excuſatus non tenetur alium ſubſtituere; & aliquem ſubſtituens non excuſatur* ibid.

Hypotheca, Hypothecarij.

*Hypotheca habetur expreſſè vel tacitè* 403,*a*
*Quibus competat tacita hypotheca* 404,*a*
*Ex hypothecarijs ceteris præferendus qui prior eſt tempore* 403,*a*
*Hypothecarij præferendi debitoribus perſonalibus* ibid.*b*

Iacob.

IACOB *dicendo, Ego ſum Eſau, non fuit mentitus* 9,*b*

Idololatra, Idololatria.

*Idololatræ vendentes ſua Sacerdotia, committunt Simoniam* 592,*a*
*Idololatria vnde dicatur, & quid propriè ſit* 745,*b*
*Hebræi in vitulo non coluerunt verum Deum* 746,*a*
*Quomodo idolum nihil ſit* ibid.*b*
*Imagines Catholicorum idola vocari non poſſunt* ibid.
*Idololatria duplex, Vna qua imago pro Deo colitur: altera, qua in imagine creatura pro Deo colitur* 747,*a*
*Idololatriæ origo* ibid.*b*
*An fuerit ante diluuium* 749,*a*
*Quale peccatum ſit idololatria* ibid.
*An ſit grauiſſimum* ibid.*b*
*Idololatria eſt triplex, Ex infidelitate, Externa interiori coniuncta, & Merè externa* ibid.
*Pœna idololatriæ* 750,*a*
*Idololatra internus non incurrit pœnas* ibid.

Iehu.

*Simulauit ſe cultorem Baal* 108,*a*

Iephte.

*An licitè vouerit* 678,*a*

Illegitimus.

*Illegitimus non eſt capax Beneficij, & quis poſſit cum eo diſpenſare* 577,*a*

Illitteratus.

*Illitteratus quis dicatur, & quomodo arceatur à Beneficijs* 581,*b*

Imaginatio.

*Hominis imaginatio an ſit tam efficax vt ſufficiat ad res loco mouendas, & ad mira efficienda* 765,*a*

Imago.

*Imagines Catholicorum idola vocari non poſſunt* 746,*b*

Imagines aſtronomicæ.

*Non habent virtutem naturalem ad effectus magicos* 782,*a*

Immobilia.

*Immobilia iuſto bello hoſtibus erepta, Iure gentium fiunt occupantis* 254,*a*

Imperium.

*Pontifex tranſtulit Imperium à Græcis ad Germanos* 49,*b*

Impubes.

*Impubes donare non poteſt* 314,*b*
*Neque teſtari* 325,*a*

Incubus.

*Dæmon aliquando fit incubus* 784,*b*
*Ex incubo poſſet generari proles* 786,*b*
*Incubus efficere poteſt vt producatur gigas aut pygmæus* 787,*b.*& ſeq.
*Remedium contra incubos* 788,*a*

Inducens.

*Inducens aliquem ad peccandum vi, metu, fraude, ad quid teneatur* 560,*b*

Infamare.

*Seipſum infamare aliquando mortale eſt peccatum,*

*aliquando solùm veniale* 543,a.b
*In tormentis seipsum infamare, quando aliud non timetur incommodum, licet* 544,b
*An liceat alium infamare in tormentis* ibid.

Infidelitas, Infidelis.

*Quomodo sit peccatum* 131,a
*Infidelitas merè negatiua non est peccatum* 131,a
*Qui non credit fide sufficienter proposita, peccat grauissimè* 131,b
*Infidelitas est in intellectu sicut in subiecto, sed in voluntate sicut in motiuo* 123,b
*Infidelitas est maius peccatum omnibus peccatis quæ contingunt contra virtutes morales, non autem omnibus peccatis quæ contingunt contra alias virtutes Theologicas* 133,a
*Non omnia opera infidelium sunt peccata* 134,a
*Infideles non possunt facere opera vitæ æternæ meritoria* 134,a
*Infidelitatis tres species, Paganismus, Iudaismus, hæresis* 136,b
*Hæresis inter illas maius est peccatum* 137,b
*Infideles non sunt compellendi ad fidem; possunt tamen coërceri ne fidem impediant* 139,b
*Infidelis qui semel susceptam fidem reliquit, potest ab Ecclesia cogi ad eam denuò recipiendam* 140,b
*Natus ex Christianis parentibus potest cogi ad fidem Christianam* 140,b
*Verè baptizati etiamsi coacti, cogi possunt ad Catholicam Religionem* 140,b
*Communio cum infidelibus illicita* 141,b
*Quomodo liceat infidelibus vendere ea quæ abutentur in cultu infidelitatis suæ* 142,a
*Quomodo infideles possint habere dominium super fideles* 142,a
*Potest Ecclesia impedire ne infidelis præficiatur fidelibus* 142,b
*Quomodo Ecclesia possit subditos subtrahere à potestate infidelium* 143,a
*Ritus infidelium ex causa possunt tolerari à Principibus Christianis* 143,a.b
*Pueri infidelium inuitis parentibus non sunt baptizandi* 143,b
*Infidelitatis peccatum demeritoriè corrumpit habitum fidei, non effectiuè* 197,a
*Infideles non verè credunt in Deum* 85,a

Ingratitudo.

*Ob ingratitudinem reuocatur donatio* 322,a
*Ingratitudo quanam ad exheredationem sufficiat* 333,a

Inimici.

*Inimici sunt diligendi* 200,b
*Etiam in veteri Lege erant diligendi* ibid.
*Lex de diligendis inimicis magis obligat in nona Lege* 201,b
*Signa dilectionis omnibus communia, etiam inimicis sunt exhibenda ex præcepto* 201,b
*Quomodo sit magis meritorium, diligere inimicum quàm amicum* 215,b

Innocens.

*Innocentes, etiamsi ex parte hostium sint, non liceat occidere nisi per accidens* 255,a
*Possunt tamen spoliari bonis externis* ibid.
*Innocentes qui verè sunt pars Reip. hostilis, per iustum bellum capti, modò non sint Christiani, in seruitutem redigi possunt* ibid.
*Innocentem iniustè inuadentem occidere licet* 349,b
*Innocentem pro bono publico occidere non licet* 358,b
*Quid si ab alio inuasus sine innocentis occisione euadere non possit* ibid.
*An liceat innocentem tradere tyranno* 358, & seqq.

Inquisitio, Inquisiti.

*Inquisitio quid sit & quotuplex* 512,a
*Inquisitio generalis institui potest nulla præcedente infamia* 512,b
*Specialis regulariter non fit nisi præcedat infamia* 513,a
*Inquisiti quando peccent, & quousque possint obligari* 512,b
*Quibus casibus liceat instituere specialem inquisitionem citra infamiam* 514,a
*Quomodo procedendum ad inquisitionem quando crimen est notorium, sed latet auctor.* ibid.

Insidiæ.

*Insidiis in bello iusto vti licet* 258,a

Interesse.

*Interesse quid sit & quomodo diuidatur.* 444,a

Inuasor, Inuasus.

*Inuasorem occidere licet seruato moderamine* 346,b
*Quomodo liceat pro defensione proximi* 353,a
*Etiam ex intentione* 346,b
*Inuasus sua culpa potest se defendere* ibid.

Inuenta.

*Inuenta quorum dominus non reperitur, possunt retineri ab inuentore* 397,b
*Si res inuenta fuerit ex bonis Ecclesiæ, & nesciatur cuius, Prælato tradenda erit* 398,a

Inuidia.

*Inuidia est peccatum mortale* 245,b
*Differt à zelo, odio, & nemesi* ibid.

Ioannes Baptista.

*Ioannes Baptista miracula non fecit* 17,a

Ioseph.

*An augurium exercuerit* 753,b

Iubere.

*Iubens furari, tenetur ad restitutionem ante reliquos mediatè solùm concurrentes* 385,b
*Etiamsi solùm implicitè iusserit* 386,a
*Excusatur si mandatum reuocauit* ibid.

Iudæi.

*Iudæi tolerandi sunt inter Christianos* 142,a
*Casus in quibus per Ius positiuum interdicta est Christianis communio cum Iudæis* 142,a
*Iudæorum pueri inuitis parentibus non sunt baptizandi* 143,b
*Iudæi non possunt admitti inter Christianos ad exercendas vsuras* 461,a

Iudex.

*Quanam sint conditiones iusti Iudicis* 500,b
*Nemo potest esse Iudex in propria causa* ibid.
*Iudici quis potest esse subditus quatuor modis* 501,a
*Laicus non est ordinarius Iudex Ecclesiastici, etiam quoad ciuiles causas* 501,b
*Peccat Iudex secularis in loco sacro iudicium sanguinis exercens, vel extra illum reos violentè extrahens* 502,b
*Iudex Ecclesiasticus potest reos ex loco sacro extrahere* ibid.
*Quomodo Iudex in peccato mortali existens licitè iudicet* 503,b
*Index excommunicatus an licitè & validè iudicet* 504,a
*Iudex officio priuatus quando peccet vsurpato iudicio* 505,b
*Iudex debet potiùs mortem pati quàm innocentem in causa capitis aut mutilationis damnare* 506,b
*In*





*In minoribus causis, quando videt aliter se non posse, potest iudicare secundùm allegata & probata* 507,a
*In causis matrimonialibus statur promissionibus contra priuatam Iudicis scientiam* 507,b
*Iudex sine accusatore neminem potest damnare, sed sufficit virtualis accusator* 509,b
*Non potest accusatum damnare, nisi saltem duobus testibus conuictum* 510,a
*Iudex etiam supremus non potest condemnare ex priuata scientia* 510,a.b
*Iudex tenetur absoluere eum qui ex actis probatur innocens, etiamsi priuatim sciat nocentem* 511,a
*Iudex tenetur de damno reo damnato per priuatam scientiam sine testibus* ibid.
*Iudex iuridicè tribus modis procedit in criminalibus* 511,b
*Iudex potest instituere inquisitionem generalem, nulla præcedente infamia* 512,b
*Quibus casibus possit instituere specialem inquisitionem citra infamiam* 514,a
*Quomodo procedet ad inquisitionem quando crimen est notorium, sed latet auctor* 514,b
*An possit conuictum de vno crimine interrogare de aliis occultis, aut sociis occultis* 516,a.b
*Iudex regulariter peccabit, & ad restitutionem tenebitur, damnando reum cuius confessionem extorsit contra Iuris ordinem* 518,b.& seqq.
*Casus quo non peccet, neque ad restitutionem teneatur* 519,a
*Quando Iudex possit augere pœnam à Lege statutam* 519,b
*Quando possit remittere vel diminuere pœnam* 520,a,b
*Iudex non potest munera accipere, sed ordinaria honoraria, sportulas, exiguum quid in esculentis & poculentis, &c. licet* 521,a.b
*Iudex non peccat, in mortali iudicando proximum, modò scandalum absit* 237,b
*Iudex tenetur corrigere, etsi peccator putetur futurus deterior* 238,a
*Quomodo peccet iudicando pro amico secundùm sententiam probabilem* 565,b
*An possit cogere ad impletionem voti simplicis* 691,b
*Iudex rèum condemnare non potest ad bibendum venenum* 356,b
*Non potest præcipere reo vt se mutilet* 358,a

Iudicium.

*Iudicium est actus iustitiæ* 495,a
*Iudicare licitum est* ibid.b
*Temerè iudicare quando sit peccatum mortale, & quando solùm veniale* 492,b. & seq.

Iuramentum.

*Vnde dicatur* 716,b
*Quid iuramentum propriè* 717,a
*Nullum iuramentum quod homini fit est merè mentale* ibid.
*Diuiditur in assertorium & promissorium* ibid.
*In simplex & execratorium* ibid.b
*Iurare licitum esse negant hæretici, asserunt Catholici* 718,a
*Iurare etiam Deo competit* ibid.b
*Quam honestatem habeat iuramentum* 720,b
*Iuramentum non est frequenter adhibendum* 721,a
*Ex consuetudine iurans, quomodo peccet* ibid.b
*Quibus iurare liceat vel non* 722,a
*Iuramentum à scientis præstandum* ibid.b
*An iurare liceat diebus festis* ibid.
*Quando Sacerdoti iurare liceat* ibid.a
*Iuramentum tria includit, rem quæ iuratur, iurantem, & causam ob quam iuratur* 722,b
*Quidnam requiratur in veritate iuramenti vt non peccetur* ibid.
*An ignorantia excuset falsum iurantem* 723,a
*Iuramenti tres comites, veritas, iudicium, & iustitia* 722, b. & seq.
*Quomodo peccetur defectu iudicij vel iustitiæ* 723,b
*Differentia inter iuramentum & votum promissorium* 725,a
*Cuius sit maior obligatio* 736,b
*Iuramento solus Deus in testem vocatur* ibid.
*Quomodo illicitum per creaturam iurare* ibid.
*Quomodo licitum* 726,a
*Iuramentum promissorium per falsos deos obligat* ibid.b
*Maius est peccatum iurare verum per falsum deum, quàm per verum Deum iurare falsum* 727,a
*Materia leuitas in iuramento promissorio excusat à mortali, non in assertorio* 727,b
*Iuramentum etiam graui metu extortum obligare, verius est* 729,b
*Iuramentum de redeundo ad iniustum carcerem obligare, verius est* 731,b
*Simulans se iurare quando excusetur* 732,b
*Et quando obligetur* 733,a
*An obligetur ille qui alio sensu iurat quàm intelligit is cui iuratur* ibid.
*Quando iurans possit vti restrictione mentali* 733,b
*Tegens sensum quo iurat, quando non peccet* 734,a
*Iurans dolosè alio sensu quomodo teneatur* ibid.
*Quanta sit obligatio iuramenti* 734,a
*Quando iuramentum validet contractum alias inualidum* ibid.b
*Iuramentum validat contractum qui erat irritus Iure Canonico* 735,a
*Quale debeat esse iuramentum quo contractus validetur* 735,b
*An iuramentum posterius inualidet prius* ibid.
*Qui iurauit se non iuraturum quomodo validè iuret* 736,a
*Votum magis obligare quàm iuramentum promissorium, verius est* 737,a
*Secus de assertorio* ibid.b
*Quando liceat vel non liceat iuramentum exigere à peieraturo* 738,a
*De iuramento quod præstatur occasione Beneficij, gradus, &c.* ibid.
*Licet exigere iuramentum à iuraturo per idolum, non autem licet exigere vt iuret per idolum* 739,a
*Liberamur ab obligatione iuramenti mutatione materiæ, irritatione, dispensatione* 739,b
*Commutatione & remissione eius cui præstitum est* 740,b
*An iuramenta in materia reseruata in votis, etiam sint reseruata* 740,a
*Iuramentum regulariter non potest per dispensationem relaxari non consentiente promissario* ibid.
*Dispensatio iuramenti requirit causam vt sit valida* 740,b
*Iuramento redditur testamentum irreuocabile* 334,a
*Iuramentum calumniæ quinque complectitur* 530,a

Ius.

*Ius variè accipitur* 281,a
*Quid sit Ius* ibid.b
*Quodnam eius obiectum* ibid.
*Ius diuiditur in naturale & positiuum* ibid.a
*Ius naturale diuiditur* ibid.a
*Ius positiuum diuinum* 282,b
*Ius humanum* ibid.
*Ius gentium* ibid.
*Ius ciuile* ibid.
*Ius Canonicum* ibid.
*Ius in re* ibid.
*Ius ad rem* ibid.
*Ius æquale & inæquale* ibid.

Ius patronatus.

*Ius patronatus quid sit* 568,b
*Diuiditur in laicale & Ecclesiasticum* 569,a
*Quomodo differant laicale & Ecclesiasticum* ibid.
*Ius patronatus vendi non potest* ibid.
*Quomodo amittatur* ibid.

Iustitia.

*Variè accipitur & diuiditur* 278,a
*Quid sit iustitia* 279,a
*Iustitia legalis est complexio omnium virtutum* 278,b
*Iustitia legalis non est idem quod pietas, vel obseruantia* 279,a
*Iustitia particularis diuiditur in Distributiuam & Commutatiuam* 280,b
*Distributiua & commutatiua iustitia aliquando in eamdem materiam concurrunt* 281,a
*Ius obiectum iustitiæ* 281,b

Laicus.

LAICO *illicitum disputare cum hæreticis* 138,b
*Quibus casibus liceat* 139,a
*Laicus potest laico vendere decimas* 666,b
*Laicis etiã est oratio vocalis præcepta* 639,b. & seq.
*Laicis quomodo decimæ competere possint* 666,a

Latria.

*Quid sit, & vnde dicatur* 636,a

Libellatici.

*Quinam sic dicti* 103,b

Libellus famosus.

*Libellus famosus quid sit, & quæ pœna componentis vel euulgantis* 548,b

Libri hæreticorum.

*Non sunt legendi sed comburendi* 151,b
*Legentes, retinentes, imprimentes excommunicantur* 152,a

Lictor.

*Lictor non potest eum quem certò nouit innocentem occidere, etiamsi propter falsa testimonia damnatus sit* 507,a

Lignatio.

*Lignatio in siluis communibus potest prohiberi* 300,b

Lotio manuum.

*An prosit contra maleficia* 803,a

Lucrum.

*Lucrum iniustum secutum ex emptione ad quam propter mutuum alterum obligasti, non est obnoxium restitutioni* 439,a
*Lucrum quid sit* 444,a
*An pro lucro cessante mutuator aliquid exigere possit* 446,b
*Conditiones quibus liceat stipulari de lucro cessante* 447,a.b.448,a

Ludus.

*Ludus ob lucrum quomodo illicitus* 336,a
*Ludus alearum Iure ciuili interdictus* 336,b
*Clericis Iure Canonico prohibetur* ibid.
*Conditiones iusti lucri per ludum* 337,a
*Quando lucrum restitutioni sit obnoxium* ibid.
*Quando victus repetere possit lucrum in foro externo* 337,b

Magia, Magi.

MAGIA *vnde dicatur* 763,b
*An liceat adhibere signa magica materialiter tantùm* 752,b
*Datur aliqua licita magia, quæ diuiditur in naturalem & artificialem* 763,b
*Datur etiam aliqua diabolica* ibid.
*Non omnia quæ per magos fiunt sunt superstitiosa* 764,a
*Sed frequentiùs sunt talia* 765,b
*Opera magorum non semper fiunt virtute naturali magorum* ibid.b
*De pacto inter dæmonem & magum* ibid.
*Quid sit magia* 765,b
*Est duplex, explicita & implicita* ibid.
*Aliæ diuisiones magiæ* 766
*Per artem magicam non possunt animæ huc euocari* 769,b
*Per magiam non potest humanum corpus in corpus alterius animalis perfecti mutari* 773,b
*Magus quomodo possit efficere vt non videatur* 777,b
*Magi faciliùs nocent quàm sanant* 781,a
*Duobus modis nocent vel iuuant, & quibus signis vtantur* 781,b
*Efficere possunt vt quis à dæmone possideatur* 782,b
*Magi sagittarij quinam sint* ibid.
*Magi possunt impedire vsum matrimonij* 783,b
*Quibus modis id fiat* ibid.
*Non licet petere vt nouo maleficio tollat maleficium* 795,a
*An liceat simpliciter petere vt iuuet, quando licito modo iuuare potest* 796,b
*Quid si dubites an licito modo iuuare possit* 797,a
*Non licet petere remedium ab eo qui licito modo iuuare posset, sed putatur non nisi nouo maleficio sublaturus maleficium* 797,b
*Accedens magum, expectat effectum à dæmone* 798,a

Magistratus.

*Magistratus quomodo honorandus* 564,b
*Magistratus secularis non tenetur sub mortali tollere consueta venialia peccata, nisi multùm turbent Remp.* 234,b

Maleficium.

*Ad maleficium tria concurrunt, permissio Dei, potestas diaboli, & malefici voluntas* 764,b

Maleficium ligaminis.

*A dæmone inferri potest* 783,b
*Aliquando est absolutum, aliquando tantùm respectiuum, aliquando perpetuum, aliquando solum temporale* 784,a
*Cur viri magis sint obnoxij huic malo quàm fœminæ.* 784,a

Maleficij remedia.

*Res corporeæ indirectè solùm valent contra maleficia* 801,b
*Quænam sint remedia supernaturalia contra maleficia* 803,a. & seq.
*Quibus indicijs dignosci possit an quis sit maleficiatus* 804,a
*Non licet maleficium nouo maleficio tollere* 795,a

Male-

Maleficij signa.

*Licitum ea destruere animo contemnendi* 791,a
*Licitum ea amouere vt dæmon desinat nocere* 792,a
*Quomodo liceat opere aliquo indifferenti nocumentum amouere* ibid.b
*An liceat adhibere actionem indifferentem nocituram alteri* 794,b
*Manichæi neque herbis neque bratis volebant vitam adimi* 341,a

Maritus.

*Maritus irritare potest omnia vota vxoris, excepto castitatis* 699,a

Matrimonium.

*Matrimonio hæreticorum coram ministro hæretico assistere non licet* 108
*Ad coniuium nuptiale hæreticorum ire quomodo licitum sit* 107,b
*In causa matrimoniali statur probationibus contra priuatam Iudicis scientiam* 507,b
*Matrimonij votum quando validum sit* 676,b
*Et quando irritum* 677,b
*Irritatur matrimonium per votum solemne Iure Ecclesiastico tantùm* 683,a
*Matrimonium validum erit, etiamsi Pontifex sine causa dispenset* 703,b

Medicina.

*Medicina directè faciens ad abortum, illicita* 354,b

Melchisedech.

*Propriè dictum sacrificium in pane & vino Deo obtulit* 637,a

Metus.

*Metus quomodo irritet contractum* 414,b

Milites.

*Milites dubitantes de iustitia belli quando peccent* 251,b
*Militibus debentur stipendia ex iustitia* 253,a
*Quænam militibus incumbant* ibid.
*Non potest miles relinquere stationem quamdiu est spes prævalendi* ibid.
*Milites tenentur ad restitutionem, si ab hospitibus plus exigant quàm eis constitutum est* 253,a
*Quomodo milites non peccent propter bellum die festo Sacrum omittentes* 259,a

Minoritæ.

*Minoritæ an habeant alicuius rei dominium* 284,b

Miracula.

*Miracula sunt proprium opus Dei* 16,b
*Quod miraculis comprobatur, debet credi* ibid.
*Ad quid miracula sint necessaria* 17,a
*Christus debuit facere miracula* ibid.b
*Necesse est vt miracula faciat qui noua prædicat* ibid.
*Caluinus miracula affectauit* 18,a
*Vera miracula quæ dicantur* ibid.
*Quatuor gradus miraculorum* ibid.b
*Hæretici numquam fecerunt vera miracula* 18,a. 19
*Miracula Donatistarum reijciuntur* 18,b
*Magorum Pharaonis & Iudæorum* ibid.
*Miracula Antichristi* 20,a

Misericordia.

*Misericordiæ motiuum est malum inuoluntarium proximi* 218,a
*Defectus est ratio miserendi ex parte miserentis* ibid.b
*Misericordia est virtus* 219,a
*Distincta à charitate* ibid.
*Quomodo sit maxima virtutum* 219,b
*Misericordia iuuat ad acquirendam charitatem & iustitiam* ibid.

Mobilia.

*Mobilia iusto bello hostibus erepta Iure gentium fiunt occupantis* 254,a

Moderamen inculpatæ tutelæ.

*Seruato moderamine licet occidere inuasorem* 346,b
*Qui moderamen excessit quomodo teneatur restituere* 366,b
*Moderamen quomodo seruandum* 346,b

Monarchia.

*Monarchia est optima forma regiminis* 25,a

Monopolium.

*Monopolium fit quatuor modis* 423,b

Montes pietatis.

*Montes pietatis quid sint, quæ conditiones ad eos requisitæ, & an liciti sint* 451,a

Mora.

*Quando debitor censeatur esse in mora* 446,a

Moyses.

*Moyses quomodo voluerit deleri de libro Dei* 206, a
*Moyses occidendo Ægyptium an iudicauerit sine iurisdictione* 500,a
*Moyses fuit Sacerdos* 75,a
*Moyses miraculis claruit* 17,a
*Moyses quomodo apparuit in monte Thabor* 768,b

Mulier.

*Mulier potest habere Beneficium* 568,a
*Mulier Papa non fuit* 48,a
*Mulier testis esse non potest in testamento* 330,b

Munus.

*Munus à manu, ab obsequio, vel à lingua quid sit* 619,a
*An faciant Simoniam* ibid.b

Mutilare.

*Seipsum mutilans sine necessitate, peccat* 357,b
*Iudex non potest reo præcipere vt se mutilet* 358,a

Mutuum, Mutuator.

*Quid sit* 434,b
*In quibus rebus reperiatur* ibid.a
*Qui possint dare mutuum* ibid.b
*Quinam mutuarij priuilegiati* ibid.
*Mutuarijs ab vsurario repetentibus vsuras non datur actio in foro externo* 437,b
*Mutuare vt alter vicissim mutuet, an sit vsura* 438,a
*Obligare mutuatarium vt à te merces emat, vsura est* 439,a
*Mutuare vt statim remittes, non est vsura* 438
*Ex mutuo amicitiam sperare licet, & ex amicitia lucrum* 440,a.442,b
*Mutuare vt statim accipias officium sæculare quod gratis conferri solet, non est vsura* 440,b
*Secùs si mutues vt in futurum detur officium* 441,a
*Si mutues vt conferatur Beneficium, erit Simoniacus* ibid.
*Dare mutuum ei quem offendisti vt iniuriam condonet vel damnum remittat, an sit vsura* 441,b
*Mutuare vt simul cum sorte aliunde debitum recuperes, licitum est* 442,a
*Ex mutuo immediatè intendere lucrum, mentalis vsura est* ibid.
*Mutuator potest aliquid accipere ratione damni emergentis* 444,a

*Potest paciſci de damno aut eius periculo* 445,a
*Si non ſit pactus de damno, nihil exiget, niſi mutuatarius fuerit in mora* ibid.
*Vel coëgerit ad mutuandum* ibid.b
*Mutuator an poſſit aliquid accipere ratione lucri ceſſantis* 446,a.b.& ſeqq.
*Ratione periculi, moleſtiæ, &c. aliquid accipere poteſt* 449,a
*Pro carentia pecuniæ nihil exigere licet* ibid.b
*Quomodo mutuator aliquid poſſit accipere ratione præſumptæ donationis mutuatarij* 454,b
*Quando valor rei mutatus eſt, pendente mutuo, ſecundùm quem oporteat mutuatarium reſtituere* 455,a

Naaman Syrus.

NAAMAN *Syrus, quomodo adorauerit in templo Remmon* 107,b

Nabuchodonoſor.

*An mutatus fuerit in beſtiam* 774,a

Naufragi.

*Naufragorũ bona non habentur pro derelictis* 301,b

Neceſſitas.

*Quando cenſeatur quis eſſe in extrema neceſſitate ſpirituali* 208,a
*Neceſſitas extrema corporalis quæ ſit* 224,a
*Neceſſitas grauis* 224,b
*Communis neceſſitas* ibid.
*Quomodo in neceſſitate extrema vel graui liceat pueri clàm furripere* 228,b
*Propter neceſſitatem extremam aut grauem poteſt differri reſtitutio* 405
*Propter neceſſitatem debitum ſolùm ſopiri verius eſt* 406,a
*Qualem neceſſitatem inducat votum* 694,b
*Neceſſarium ad ſalutem duobus modis aliquid dicitur, neceſſitate medij, & præcepti* 85,b

Necromantia.

*Vana eſt & præſtigioſa* 769,b

Negotiatio.

*Negotiatio quid ſit* 419,b
*Multa habet peccandi pericula* 420,a
*Sacris initiatis & Monachis eſt interdicta* ibid.
*Negotiatio cum debitis circumſtantiis licita eſt* 420,b

Notarius.

*Notarius an poſſit pro altero acceptare promiſſionem vel donationem* 310,a
*Notarius vſurarij inſtrumenti quomodo peccet* 460,a

Notorium.

*Notorium duplex, Iuris, & facti* 540,b

Nouitij.

*Nouitij teſtari poſſunt* 325,b

Obiectum.

OBIECTVM *in potentijs & habitibus cognitiuis, variis modis conſideratur* 2,a: 3,b

Odium.

*Odium duplex, inimicitiæ & abominationis* 243,a
*Deus quomodo non poſſit odio haberi* 243,b
*Mali quomodo Deum odio habeant* ibid.
*Odium Dei eſt maximum peccatum* 244,a
*Odium proximi eſt maximum peccatorum quæ in proximum committuntur* ibid.b
*Odium oritur ex inuidia* 245,b

Omen.

*Omina ſuperſtitioſa ſunt, niſi in particulari dirigantur à Deo* 760

Oratio.

*Quid ſit oratio* 637,b
*Sola creatura rationalis orat* ibid.
*Oratio elicitur ab intellectu* 638,a
*Differt oratio à deſiderio* ibid.
*Quid in oratione petendum* 638,b
*Quomodo petitio rei malæ ſit oratio* ibid.
*Diuiditur oratio in publicam & priuatam* 639,a
*In mentalem & vocalem* ibid.
*Alia diuiſio orationis ex Apoſtolo* 640, b.& ſeq.
*Quo tempore obliget orandi præceptum* 639,b
*Oratio vocalis an etiam laicis præcepta* ibid.
*Oratio vitalis ſeu operis, an ſit oratio* 640,b
*Quomodo diſtinguantur orationes à poſtulationibus, obſecrationibus, &c.* 641
*Oratio præcepta requirit attentionem* 642,a
*Quando oratio eſt libera, præſtat orare ea linguâ quam intelligas* 644,a
*Ad orationem requiritur intentio orandi, ſed non requiritur vt intendat ſatisfacere præcepto* 645,a
*Quænam diſtractio in oratione ſit mortalis* 646,a

Panes propoſitionis.

PROPOSITIO *panum propoſitionis non fuit ſacrificium* 659,b

Parentes.

*Quomodo magis diligendi quàm alij amici* 211,b. 212,a
*Quomodo parentes magis diligendi quàm filij* 212,b
*Pater matri anteferendus* 213,a
*Quomodo parẽtes magis diligendi quàm vxor* ibid.

Participans.

*Participans in furto quando obligetur ad reſtitutionem* 388,b

Pater familias.

*Pater familias quando teneatur de furtis famulorum* 390,a

B.Paulus.

*B. Paulus per Antonomaſiam dicitur Apoſtolus* 31,b
*Quomodo optarit eſſe anathema à Chriſto* 206,a

Paupertas.

*Paupertas non debet mutare ordinem in reſtitutione ex Iuſtitia debitum* 405,a

Paupertas ſpiritus.

*Eſt beatitudo reſpondens dono timoris* 169,a

Pax.

*Pax concordiam includit* 218,a
*Non eſt virtus à charitate diſtincta* ibid.b

Peccator.

*Peccator imperfectè credit in Deum* 84,b
*Peccatores quomodo ex charitate ſint diligendi* 199,b
*Peccatores non diligunt ſeipſos* 200,a
*Peccatores quomodo teneantur ad corripiendum delinquentem* 237,b
*Peccator non tenetur pœnitere vt correptioni ſit idoneus* 238,a
*Peccans ex ignorantia inuincibili quomodo corripiendus* 239,a

Peccatum.

*Peccato proximi tribus caſibus vti licet* 799,a

Peccatum mortale.

*Per quemlibet actum peccati mortalis amittitur charitas* 195
*Quomodo peccatum excludat charitatem, meritorie an effectiuè* 196,a
*Quomodo peccatum corrumpat habitum infuſum* 197,a

Pecca-

Peccatum veniale.

*Non minuit directè charitatem* 190,b
*Quomodo indirectè minuat charitatem* 191,a
*Peccatum veniale non eſt committendum pro curanda ſpirituali proximi ſalute, aut eius peccato mortali auertendo* 207,b

Peculium.

*Peculium caſtrenſe quod ſit* 288,b

Penſio.

*Penſio non poteſt ſeruari ex reſignato Beneficio ſine conſenſu Superioris* 616,b
*Quænam ſint iuſtæ cauſſæ reſeruandi penſionem* ibid.
*Quæ proportio debeat eſſe penſionis ad fructus Beneficij* ibid.
*Quænam penſiones ſint materia Simoniæ* 617,a
*Penſio extinguitur gratuita remiſſione* ibid.b
*Quænam penſiones & quomodo redimi poſſint* ibid.
*Penſiones ſine conſenſu Pontificis non poſſe redimi, probabilius eſt* 618,a
*In penſione Eccleſiaſtica, illicita eſt confidentia* 619,a

Permutatio Beneficij. *vide* Beneficij permutatio.

B.Petrus.

*Chriſtus præfecit Petrum toti Eccleſiæ* 27,a
*Petrus dicitur fundamentum Eccleſiæ* ibid.b
*Petro datæ claues regni cœlorum* 28,b
*Hæreticorum obiectiones contra Petri primatum* 30,b 31
*Petrus præſedit in primo Concilio Act* 15. 31,a
*Petrus in Pontificatu ex inſtituto Chriſti habet ſucceſſorem* 32,a
*Petrus Antiochiæ fuit Epiſcopus* 33,a
*Romæ Epiſcopatum poſtea tenuit, ibidemque mortuus eſt* ibid.
*Petrus Romanum Epiſcopatum euexit in ſummum Pontificatum* ibid.b
*Petrus fidem non amiſit quando Chriſtum negauit* 41,b
*Amiſit tamen charitatem* 193,b
*Miſſus cum Ioanne in Samariam* 31,b

Phinees.

*Phinees an punierit ſine iuriſdictione* 500,a

Pontifex Summus.

*Conueniebat vt ſub Chriſto eſſet vnum viſibile caput totius Eccleſiæ* 25,a
*Monarchia Pontificis in Eccleſiæ regimine non eſt impoſſibilis, neque illicita neque ſuperuacanea* 26,b
*Pontifex ex Chriſti inſtituto eſt B. Petri ſucceſſor* 32,a
*Summus Pontificatus non poteſt à Romana Sede ſeparari* 35,b
*Pontifex immediatè à Chriſto accipit ſuam poteſtatem* 36,a
*Solus Pontificem ab initio habuiſſe poteſtatem per ſe aut alios conferendi Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus iuriſdictionem Epiſcopalem, probabile eſt* 37,a
*Pontifex quomodo dicatur Epiſcopus Oecumenicus* 38,a
*Pontifex habet iuriſdictionem in ſingulos fideles* ibid.b
*Concedit animabus Purgatorij Indulgentias per modum ſuffragij: non habet tamen in illas iuriſdictionem* 39,b
*Pontifex eſt ſuperior Concilio Vniuerſali* ibid.
*Non poteſt errare quando ex cathedra aliquid circa fidem definit* 42,b
*Tenetur ante deciſionem adhibere conſilium & inquiſitionem prudentium & intelligentium* 43,a
*Poteſt ferre Leges in conſcientia obligantes* 44,b
*Non poteſt in generalibus legibus ferendis errare* 45,a
*Quænam Leges poſſit abrogare* ibid.
*Non poteſt errare in Sanctorum canonizatione* 45,a
*Neque in qualificandis propoſitionibus* ibid.b
*Quid de propoſitionibus Philoſophicis* ibid.
*An vt priuata perſona, poſſit labi in hæreſim* 46,a
*Ob aliud crimen ab hæreſi aut infidelitate non excidit Pontificatu, neque ob infidelitatem mentalem* 47,b
*Ob profeſſionem hæreſeos, poſſet Papa ab Eccleſia deponi, non tamen ob aliud crimen, etiamſi eſſet incorrigibilis* 48,a
*Papa notoriè hæreticus excidit eoipſo Pontificatu* ibid.
*Papa vt Papa non habet poteſtatem temporalem* ibid.b
*Niſi indirectè & ex conſequenti* 49,a
*Papa Principes in vſu iuriſdictionis ſuæ delinquentes interdum depoſuit* 49,a
*Subditos ab eorum obedientia abſoluit* ibid.b
*Pontificis poteſtas in temporalia, vacante Imperio* ibid.
*Papa tranſtulit Imperium à Græcis ad Germanos* ibid.
*Pontifici competit conuocare Concilium* 62,b.71,a
*Eique præſidere* 62,b.74,b.& ſeqq.
*Pontifex poteſt eſſe Simoniacus in illis quæ Lege naturæ ſunt Simoniaca, non in illis quæ lege Eccleſiaſtica* 595,b
*An Pontifex poſſit ſe ſubmittere iudicio alterius* 501,a
*Pontifex quomodo poſſit imponere tributa* 483,a
*Diſpenſare poteſt in voto ſolemni Religionis & Ordine ſacro* 703,b
*Matrimonium validum erit, etiamſi Pontifex ſine cauſſa diſpenſet* ibid.
*Aliquando diſpenſauit cum Religioſis* 705,a
*Non poſſet licitè abrogare generatim Legem celibatus Ordinibus ſacris annexam; poſſet tamen validè* ibid.b
*In quibus votis ſolus Pontifex diſpenſet* 708,a
*Pontifex veteris Teſtamenti potuit errare* 44,a

Poſſeſſio, Poſſeſſor.

*Poſſeſſio quid* 285,b
*Poſſeſſio triplex, naturalis, ciuilis & ciuiliſſima* 286,a
*Poſſeſſio quomodo acquiratur* ibid.b
*Quomodo amittatur* 287,a
*Immobilia quomodo deſinant poſſideri* ibid.
*Quomodo mobilia* ibid.
*Poſſeſſoris priuilegia* ibid.

Poſſeſſor bonæ fidei.

*Poſſeſſor bonæ fidei dubitans an res ſit ſua, poteſt eam retinere* 392,b

Prælatus.

*Prælati arctiùs tenentur ad correptionem fraternam quàm priuati* 236,a
*Prælati ex charitate tenentur inquirere in ſubditorum vitam vt eos paternè corripiant* ibid.
*Conſiderandus Prælatus vt Iudex, vt frater, & vt ſpiritualis pater* 236,b
*Prælatus quando cum periculo vitæ teneatur corripere* 236,b
*Prælati quomodo corripiendi* 237,b
*Quomodo Prælati iudicialiter procedere poſſint contra*

*tra fraternè tantùm denuntiatum* 242,*b*
*Prælatus quando non possit remittere illatam infamiam* 558,*a*
*Potest irritare vota professi ante professionem emissa* 697,*a*

Præscriptio.

*Variè accipitur* 302,*a*
*Quid sit* ibid.*b*
*Ad præscriptionem requiritur possessio* ibid.
*Item bona fides* 303,*a*
*Præscriptio minor tricennali requirit tituli probationem* ibid.
*Error Iuris impedit præscriptionem* ibid.*b*
*Ignorantia facti non impedit* ibid.
*Præscriptio bona fide inchoanda est* ibid.*a*
*Quantum temporis requirat præscriptio* 304
*Causæ cur præscriptio concessa* 305,*b*
*Qui legitimè præscripsit, postea cognito errore rem retinere potest* ibid.
*Quænam præscribi non possint* 306,*b*
*Quibus concedatur restitutio in integrum contra præscriptionem* 307,*a*

Præsumptio.

*Præsumptio sumitur multis modis* 171,*a*
*Potest consistere cum fide* ibid.*b*
*Præsumptio triplex, & quomodo locum habeat in conscientia* 469,*b*

Pretium.

*Pretium rerum venalium aliud iustum, aliud vulgare, & quomodo hæc inter se differant* 415,*b*
*Pretium Lege taxatum seruandum est* 416,*a*
*Quando Lege taxatum non est, standum est vulgari* ibid.*b*
*Quibus casibus cessante legitimo, vendentes non adstringantur ad pretium vulgare* 417,*b*

Princeps.

*Non potest compellere infideles ad fidem, etiam sibi subditos* 139,*b*.140,*b*
*Non potest sibi non subditis idololatris bellum indicere vt cessent ab idololatria* 140,*a*
*Potest Princeps compellere sibi subditos, vt exteriùs retineant professionem Catholicæ Religionis quam priùs fuerant professi* ibid.
*Potest sibi subditos coërcere vt desinant blasphemare, & publicè idololatriam exercere* ibid.*b*
*Potest cogere vt aliquando intersint concionibus Christianis* 141,*a*
*Potest tolerare ritus paganorum, quando eos sine graui incommodo impedire non potest* 143,*b*
*Ex magna ratione posset hæreticis concedere publicum exercitium suæ sectæ* ibid.
*Princeps Christianus non potest infideles in auxilium vocare contra Christianos* 252,*b*
*Princeps ex iustitia debet militibus stipendia* 253,*a*
*Non potest cum aduersarijs componere inuitis & neglectis subditis quibus damna intulerunt* 254,*b*
*Potest sibi seruare certa loca ad venationem, etiam inuito populo* 299,*b*
*Quando possit transigere super bonis incertis* 396,*b*
*Princeps permittens vsuras quomodo excusetur* 460,*b*
*Principis creditor an possit sibi compensare fraudando tributum* 494,*b*

Priscillianistæ.

*Error eorum, licere exteriùs negare fidem, si corde retineas* 101,*b*

Priuilegium fori.

*Priuilegio fori gaudent Clerici* 501,*b*
*Item domestici & officiarij Episcoporum* 502,*b*
*Ecclesiastici non possunt renuntiare huic priuilegio* ibid.*a*

Prodigus.

*Prodigus donare non potest* 314,*b*
*Neque testari* 325,*a*

Professus.

*Professum à Religione abducens ad quid teneatur* 562,*b*

Proles.

*Prolis conceptionem impediens peccat* 354,*a*
*Mater etiam mortis rea non secanda vt proles baptizetur* ibid.

Promissio, Promittere.

*Quid sit promissio* 307,*b*
*Qualis deliberatio ad eam requiratur* ibid.
*Metu extorta irrita est* 307,*b*
*Propositum non sufficit ad promissionem* 308,*a*
*Promissio interna homini facta non obligat* ibid.*b*
*Promissio merè externa vel ioco facta non obligat* 309,*a*
*Promissio non obligat ante acceptationem promissary* 309,*b*
*An per alium acceptari possit* 310,*a.b*
*Promissio ob turpem caussam quando obliget* 311,*a*
*Promissio quando obliget sub mortali* 312,*a*
*Promissio in spiritualibus bonis quomodo obliget* 312,*a*
*Quibus modis desinat promissio obligare* 313,*a*
*Promissiones quæ Iure irritantur* ibid.*b*
*Promissio graui metu extorta inualida est* 729,*b*
*Accedente iuramento fit valida* 730,*a*
*Promittere & præstare an sint eiusdem moris* 671,*b*

Proportio.

*Proportio Arithmetica & Geometrica* 280,*b*

Propositio.

*Propositio hæretica quænam dicenda* 147,*b*
*Propositio erronea, scandalosa, temeraria, malè sonans, quænam sit* 45,*b*

Propositum.

*Propositum non sufficit ad promissionem* 308,*a*

Proximus.

*Quomodo liceat mori pro proximo* 209 *b*
*Unus proximus magis diligendus quàm alius* 210,*a*
*An magis diligendus melior quàm nobis coniunctior* ibid.*b*
*Proximus diligendus ex charitate* 204,*a*
*Homo debet magis diligere seipsum quàm proximum* 205,*b*
*Possumus optare vt nos ipsi potiùs careamus gratijs gratis datis, quàm proximus gratia gratum faciente* 207,*b*
*Proximo tenemur in extrema necessitate spirituali succurrere cum periculo vitæ* 208,*a*
*Secùs si tantùm fuerit in graui necessitate* ibid.*b*
*Proximo in extrema necessitate vitæ temporalis, possumus succurrere cum periculo propriæ vitæ* 209,*a*

Pueri.

*Pueri capaces sunt dominij* 288,*a*
*Pueri Iudæorum & infidelium inuitis parentibus non sunt baptizandi* 143,*b*

Rapina.

RAPINA *& furtum differunt specie* 375,*a*

Raptus





Raptus.

*Raptus quid* 374,*b*

Ratihabitio.

*Ratum habens furtum alterius, non tenetur ad restitutionem* 386,*a*

Razias.

*Razias seipsum occidens excusatur* 356,*b*

Receptans.

*Receptans furem quando excusetur* 388,*a*

Repræsaliæ.

*Repræsaliæ quænam sint* 255,*a*
*Potest eas Princeps interdum concedere* ibid.

Religio.

*Religio vnde dicta* 631,*a*
*Quid sit* ibid.*b*
*Religio est virtus moralis* ibid.
*Religio est vna virtus* 632,*a*
*Dari Religionem acquisitam & non tantùm infusam, verius est* ibid.*b*
*Quomodo Religio differat ab alijs virtutibus* 633,*a*
*Religio est præstantissima virtutum moralium* ibid.
*Actus Religionis alij interiores, alij exteriores* ibid.*b* & seq.
*Religio distinguitur à virtutibus Theologicis* ibid.

Religionis ingressus.

*Pro Religionis ingressu aliquid exigere vel accipere tamquam pretium non licet* 604.*b*
*Sponte oblatum accipi potest* ibid.
*Pro sustentatione monasterij vel Religiosi exigi aliquid potest* 605,*a*
*Pro recreatione Conuentus tamquam debitum exigere aliquid non licet* 606,*b*
*Religionis ingressus quomodo excuset à restitutione* 409,*b*
*Ad quid teneatur qui abstraxit aliquem à Religione* 561,*b*
*Quænam sint iusta caussa dissuadendi Religionem* 562,*a*
*Quomodo teneatur Nouitium vel Professum abducens* ibid.*b*

Religiosus.

*Religiosi decimas possidere possunt* 666,*a*
*Religiosus inobediens, an duplex peccatum admittat* 673,*a*
*Religiosi habent dominium rerũ spiritualium* 289,*b*
*Religiosorum communitas habet dominium rerum mobilium* 289,*b*
*Quibus modis concedatur eis aliquarum rerum vsus vel administratio* 290,*a*
*Modi introducti à Concilio Tridentino quibus Religiosi vitium proprietatis incurrunt* 290,*b*
*Quomodo donare possint* 315,*a.b*
*Non possunt testari* 325,*b*
*Religiosus factus Episcopus quomodo seruet votum castitatis* 707,*a*
*Non potest Pontifex dispensare vt Religiosus manens Religiosus vxorem habeat* 703,*b*
*Pontifex aliquando dispensauit cum Religiosis* 705,*a*

Rerum diuisio.

*Rerum diuisio quo Iure introducta* 298,*a*

Resignatio Beneficij. *vide* Beneficij resignatio.

Respublica.

*Respublica non habet dominium in malefactores* 296,*b*

Restitutio.

*Quid sit restitutio* 338,*a*
*Est actus Iustitiæ commutatiuæ* ibid.
*Ex sola Iustitia distributiua læsa non oritur obligatio restituendi* 338,*a*
*Restitutio differt à solutione & satisfactione* 338,*b*
*Restituendi obligatio vel ratione acceptionis vel ratione rei acceptæ* 339,*a*
*Ex culpa lata tenetur quis ad restitutionem* 339,*b*
*Aliquando sufficit culpa leuissima* ibid.
*Restitutio est necessaria ad salutem necessitate præcepti* 340,*a*
*Quando non restituens incurrat nouum peccatum* 382,*a*
*Vtens re furtiua quæ vsu non fit deterior, non peccat* ibid.
*Quomodo Confessarius cum fure se geret* 382,*b*
*Si res furtiua apud furem perierit, certò peritura apud dominum sine iure recuperandi, fur non tenetur restituere* 382,*b*
*Res facta melior reddenda vti est* 483,*a*
*Re facta deteriore in valore intrinseco, supplebit fur æstimationem* 383,*b*
*Fur tenetur ratione acceptionis & rei acceptæ* ibid.
*Fructus rei restituendi, non fructus industriæ* 384
*Pretium elocationis restituendum* ibid.
*Furem receptans quando excusetur* 388,*a*
*Qui indirectè ad furtum concurrunt quomodo teneantur ad restitutionem* 388,*b*
*Non impediens aut non manifestans furem quando teneatur ad restitutionem* 389,*a*
*Qui ex iustitia tenebatur impedire, tenetur ad restitutionem damni* 389,*a*
*Non tamen tenetur fisco ad mulctam* ibid.*b*
*Vno restituente ex pluribus in solidum obligatis, an reliqui sint liberi* 391, *b*
*Propter necessitatem extremam potest differri restitutio* 405
*Item propter grauem necessitatem* 407,*a*
*Creditor ex delicto tenetur cum detrimento status sui restituere* 406,*b*
*Ob damnum notabile potest differri restitutio* 407,*a*
*Quinam sint incapaces remissionis in restitutione* 408,*a*
*Restituenda sunt fraudata tributa* 494.*a*
*Qui in naturali bono læsit quomodo teneatur restituere.* 559,*b* & seq.
*Quid restituet qui in bonis spiritualibus læsit* 560,*a*

Restitutio ratione rei acceptæ.

*Qui rem alienam, existimans esse suam, consumpsit vel alienauit, tenetur in quantum ditior factus* 392, *a*. 394,*a*
*Qui gratis accepit rem à fure, tenetur eam domino reddere* 392,*b*
*Qui bona fide emit à fure, potest restituere rem furi vt pretium recuperet* ibid.
*Si mala fide emit à fure, restituet rem domino* 393,*a*
*Dominus rei ordinariè non tenetur emptori etiam bona fidei pretium restituere* 393.*a*
*In debito ratione solius rei acceptæ expensas in restitutione faciendas feret dominus rei* 399,*b*
*In debito ex delicto, debitor omnes feret expensas restitutionis* ibid.
*Quando in debito ex contractu expensas restitutionis ferat ille in cuius cedit vtilitatem* 400,*a*

Restitutio honoris & famæ.

*Qui ex inuincibili ignorantia famam alicuius læsit, quomodo*

*quomodo teneatur restituere* 549,*b*
*Hæc restitutio aliquando facienda expensis læsi, aliquando eius qui læsit* ibid. & seq.
*Superior infamati vel detractoris si non impediat detractionem, an teneatur ad restitutionem* 550,*b*
*Heredes detractoris, non tenentur ad restituendam famam* 551,*a*
*Omne damnum ex infamia secutum restituendum est* ibid. *b*
*Probabile est, teneri detractorem ad aliquid infamato pro mora qua infamiæ subiectus fuit* 552,*a*
*Quo nodo fama restituenda* ibid. *b*
*Apud quos teneatur retractare* 553,*a*
*Quomodo restituet qui de vero crimine infamauit* 553,*a.b*
*Famam pecuniâ non esse compensandam, probabilius est* 554,*a*
*Detractor non tenetur cum periculo vitæ restituere, quamuis possit* 555,*a.b*
*Casus quo tenetur cum periculo vitæ restituere* ibid.
*Detractor tenetur restituere cum periculo propriæ famæ, quando aliter non potest* 555,*b*
*Famâ aliunde recuperatâ liberatur detractor* 556,*a*
*Item si crimen aliunde sit factum publicum* ibid. *b*
*Non excusatur detractor in alio genere famam augendo* 556,*b.* & seq.
*Qui se mutuò infamarunt, quomodo possint uti compensatione* 557,*a*
*Quibus casibus non possint uti compensatione* ibid. *b*
*Quando infamia remitti possit ab infamato, & quando non* 558,*a*

Restitutio cui facienda.

*Bona incerta per usuram aut maleficium parta, Iure positiuo debentur pauperibus* 395,*b*
*Non est restituenda res ei qui ea ouenta sibi vel alijs nocebit* 398,*a.b*

Ordo in Restitutione.

*Debitum ratione rei acceptæ ante omnia restituendum* 400,*a*
*Creditores certi incertis præferendi* ibid. *b*
*Debita ex delicto, & ex contractu licito, nullum habent inter se ordinem* 401,*a*
*Venditorem rei adhuc exstantis apud eum qui creditò emit, reliquis creditoribus præferendum probabile est* 402,*a*
*Ex hypothecarijs ceteris præferendus qui prior est tempore* 403,*a*
*Etsi generalem tantùm habeat hypothecam* ibid.
*Hypothecarij præferendi debitoribus personalibus* ibid. *b*
*Vxor quoad dotem præfertur reliquis habentibus tacitam hypothecam* ibid.
*Creditori propter priorem petitionem non est priùs soluendum* 404,*a*
*Expensa funeris quibus creditoribus præferantur* 404,*b*
*Pauperes non debet mutare ordinem in restitutione ex iustitia debitum* 405,*a*

A Restitutione excusantia.

*Non liberatur à solutione certorum, qui cum Pontifice composuit super incerta* 400,*b*
*Excusant à restitutione Impotentia debitoris* 405,*b*
*Necessitas extrema* ibid.
*Remissio creditoris* 407,*b*
*Compensatio* 411,*a*
*Quomodo cessio bonorum excuset* 408, *b* & seqq.
*Religionis ingressus quando excuset à restitutione* 409,*b.* & seqq.
*Excommunicatio creditoris non excusat* 411,*b*
*Iactura famæ aut honoris quomodo excuset à restitutione* 406,*b*
*Periculum spiritualis damni excusat* 407,*a*

Restitutio in integrum.

*Restitutio in integrum quid sit* 415,*a*
*Quibus concedatur in contractibus* ibid.
*Minor viginti quinque annis quomodo restituatur in integrum in contractibus* ibid.
*Restitutio in integrum quibus concedatur contra præscriptionem* 307,*a*

Reuelatio.

*Reuelationes quomodo discernendæ* 773,*a*

Reus.

*Reus an possit excommunicari si se non prodat* 515,*b*
*Conuictus de vno crimine an possit interrogari de alijs occultis, aut de socijs* 516,*a*
*Reus legitimè interrogatus post probationem semplenam aut sufficientia indicia tenetur fateri* 529,*a*
*In causa capitali quamdiu est spes euadendi, non teneri fateri, probabile est* ibid. *b*
*Similiter si agatur de pœna triremium, mutilationis, confiscationis omnium bonorum, aut graui dedecore* 530,*b*
*Quando dubium est vtrùm legitimè interrogetur, potest reus se gerere sicut quando interrogaretur illegitimè* ibid.
*Reus citra peccatum mortale potest verum crimen negando, dicere, accusatorem contra Iuris ordinem procedentem mentiri* ibid.
*Quomodo liceat reo occulta testium crimina detegere* 531,*a*
*Si obijciat falsum crimen, peccat* ibid.
*Reus quando possit appellare* 531,*b*
*Reus non tenetur parere sententiæ iniustæ* 533,*a*
*Condemnatus ad mortem potest fugere carcerem & vincula frangere, etiamsi alij captiui simul fugituri sint* ibid.
*An teneatur ad reparationem effracti carceris* ibid. *b*
*Custodibus vim inferre non potest* ibid.
*Condemnatus ad mortem potest à fuga abstinere* 534,*a*
*An possit reus ad carceres damnatus fugere* ibid.
*Reus condemnatus ad bibendum venenum bibere non potest* 536,*b*

Ritus.

*Ritus sacrificij à quo instituendi* 663,*b*

Ritus infidelium.

*Quomodo tolerandi* 143

Rixa.

*Rixa quid sit* 259,*a*

Sacrificium.

*Quid sit, & eius variæ significationes* 654,*a.b*
*Quatuor circa sacrificium consideranda, cui, à quo, quid, & pro quibus offeratur* 655,*a*
*Actio sacrificandi inuoluit consecrationem hostiæ oblationem, destructionem rei quæ offertur & professionem diuini dominij* ibid.
*Qualis mutatio hostiæ sit de ratione sacrificij* ibid. *b* & seq.

*Qualis*



*Qualis fiat mutatio sacrificalis in Missa, variæ sententiæ* 657,*b.* & seq.
*Quænam oblatio sit de ratione sacrificij* 659,*b*
*Thuris crematio non est sacrificium* 660,*b*
*Sacrificium diuiditur in holocaustum, pacificum, & pro peccato* 661,*a*
*Item in sacrificium Legis naturæ, veteris, & nouæ* ibid. *b*
*Item in cruentum & incruentum* ibid.
*Oblatio sacrificij est de Lege naturæ, sed determinatio ritus est ex institutione* 661,*b.* & seq.
*Sacrificium non præsupponit peccatum* 663,*a*
*Ritus sacrificij à quo sint instituendi* ibid. *b*
*Requiritur legitimus minister* ibid.

Sagæ.

*Facilius nocent quàm iuuant* 781,*a*
*Quibus signis vtantur* ibid. *b*
*Duobus modis nocent vel iuuant* ibid.
*Quibus modis possint impedire vsum matrimonij* 783,*b*
*Aliquando verè transferuntur* 775,*a.* 776,*a*
*In conuiuijs suis aliquando veros cibos comedunt, sapius illuduntur* 777,*b*

Sagittarij magi.

*Quinam sint* 782,*b*

Salomon.

*An in somnio habuerit actum meritorium* 759,*b*

Salutatores.

*Quomodo sanent morbos* 779,*b*
*An sint superstitiosi* 780,*a.b*
*Quæ forma vtantur in sanando animali* 781,*a*

Sampson.

*Sampson seipsum occidens quomodo excusetur* 356,*a*

Samuel.

*Samuel verè apparuit Sauli* 768, *b.* & 769. *b* & seqq.
*An suscitatus fuerit per magiam* 771,*b*

Sanguis.

*Sanguinatio cadaueris occisi coram reo an sufficiat ad torturam* 518,*b*

Scandalum.

*Scandalum diuiditur in actiuum & passiuum* 261,*a*
*Passiuum diuiditur in datum & acceptum* ibid.
*Scandalum actiuum quid sit* ibid. *b*
*Deformitas scandali in quo sita* 262,*a*
*Quando scandalum sit peccatum mortale* ibid. *b*
*Quando veniale* ibid.
*Quando scandalum sit speciale peccatum* 263,*a*
*Opus quod habet speciem mali non sit sine scandalo quâdiu non exuit quodammodò speciē mali* 264,*b*
*Inducere aliquem ad illud quod sine peccato præstare non potest, semper est peccatum scandali* ibid.
*Petere vt illud faciat quod sine peccato facere potest, etiamsi nouerim sine peccato non facturum aliquando licet, aliquando non* 265,*a*
*Scandalum non cadit in viros perfectos* ibid. *b*
*Bona spiritualia necessaria non sunt dimittenda propter scandalum* 266,*a*
*Quæ solum sunt in consilio, subinde differenda sunt ne scandalum oriatur* ibid.
*Propter scandalum pusillorum omittendum quidquid sine peccato omitti potest* ibid. *b*
*Quænam temporalia propter scandalum dimittenda* ibid.

Schisma.

*Schisma quid sit* 246,*a*
*Diuiditur in coniunctum hæresi, & non coniunctum* ibid.
*Est peccatum contra charitatem* ibid. *b*
*Quomodo schisma aliquando sit maius peccatum infidelitate* ibid.

Scientia.

*Scientia eminens, mediocris, & sufficiens quæ dicatur* 582,*a*
*Quænam scientia in Episcopo requisita* ibid.

Secretum.

*Secretum quando possit reuelari* 527,*b*

Sepelire.

*Sepelire mortuos est opus misericordiæ* 221,*b*

Seruus, Seruitus.

*Quibus modis quis fiat seruus* 295,*b*
*Serui quarum rerum habeant dominium* 289,*a*
*Seruitus quo Iure introducta* 295,*b*

Simonia.

*Simonia à Simone mago nomen habet* 588,*b*
*Quid sit Simonia* 589,*a*
*Ad Simoniam requiritur respectus ad aliquod temporale* ibid. *b.* & seq.
*Quid per spirituale intelligatur in definitione Simoniæ* 591,*a*
*An omissio actus spiritualis sit materia Simoniæ* ibid. *b*
*Triplex est deformitas in Simonia* 592,*a*
*Simonia non est hæresis propriè* ibid. *b*
*Simonia non est maximum peccatorum* ibid.
*Non potest esse venialis ratione paruæ materiæ* 593,*a*
*Diuiditur Simonia in mentalem, conuentionalem, realem, & mixtam* 593,*a*
*Item in Simoniam Lege naturæ prohibitam, & prohibitam Lege positiua* 593,*b*
*Dari aliquam Simoniam solo Iure Ecclesiastico prohibitam, verius est* 594,*a*
*Quænam donationes gratuitæ pertineant ad Simoniam* 595,*a*
*Pontifex potest esse Simoniacus in illis quæ Lege naturæ sunt Simoniaca, non in illis quæ lege Ecclesiastica* ibid. *b*
*An contrahens Simoniacè cum Pontifice incurrat pœnas Simoniacorum* 596,*b*
*Pro Sacramento tamquam pretium aliquid dare non licet, sed pro materia Sacramēti licet* 597,*a.b*
*Quomodo liceat in necessitate dare pro redimenda vexatione* 598,*a.b*
*Quando redimere vexationem in Baptismo sit præcepti* 599,*a*
*Redemptio vexationis etiam locum habet in Confirmatione, Eucharistia, & Extrema vnctione* ibid. *b*
*Omnium Sacramentorum collatio Simoniacè facta valida esse potest* 630,*b*
*Consecrationes Ecclesiasticarum, &c. non sunt irritæ, etiamsi fiant Simoniacè* ibid.
*Nolle matrimonium contrahere nisi certam summam alter promittat, non est Simonia* 599,*b*
*Pastor nolens assistere matrimonio nisi numerato pretio, est Simoniacus* 600,*a*
*Pro spirituali actione tamquam pretium aliquid accipere non licet* ibid. *b*
*Quomodo liceat pro labore antecedente & consequente* ibid.
*Pro labore interno actioni spirituali pretium accipere non licet* 601,*a.b*
*Quomodo pro cantu aliquid accipi possit* 602,*b*
*Titulo sustentationis pro actu spirituali aliquid*

accipere licet 603,a
Ratione obligationis ad certo loco ministrandum, aliquid accipere licet ibid.b
Index Simoniam committit vendendo iustitiã 604,a
Collatio Beneficiorum, iurisdictionis, Indulgentiarũ, dispensationis, pertinet ad materiã Simoniæ ibid.
Pro Religionis ingressu pretium accipere non licet 604,b
Pro sustentatione Monasterij vel Religiosi exigere & accipere aliquid licitum est 605,a
Pro recreatione Conventus in Religionis ingressu aliquid exigere tamquam debitum non licet 606,b
Vt allicies aliquem ad conuersionem, aliquid dare licitum est 607,a
Quomodo liceat dare alicui pretium vt faciat actum virtutis ibid.
Pro doctrina Theologica & interpretatione Scripturæ quæ in scholis fit, licet pacisci pretium 607,b & seqq.
Non licet vendere licentiã docendi Theologiã 608,b
Pretium dans pro præsentatione, resignatione, electione, &c. Beneficij, est Simoniacus 609,b
Pro honoratiore loco sepulturæ aliquid accipere non licet 610,b
Purè spiritualia inter se commutari possunt absque Simonia 614,b
Quænam pensiones sint materia Simoniæ 617,a
Munus à manu facit Simoniam 619,b
An munus ab obsequio aut lingua faciat Simoniacum ibid.
Conferens Beneficium propter amicorum preces, peccat citra Simoniam ibid.
Etiam si indigno conferat 620,a
Quomodo sit Simonia, conferre Beneficium propter timorem amittendi aut non acquirendi rem aliquam 620,a.b
Dare Beneficium inimico cum pacto vt nullas inimicitias contra te suscipiat, Simonia est ibid.
Licet dare pecuniam ne indignus obtrudatur Ecclesiæ 621,a
Quomodo liceat indigno iam promoto dare pecuniam vt resignet ibid.
Qui ius habet ad Beneficium, potest redimere vexationem 621,b
Electus non potest redimere vexationem quoad confirmationem ibid.
Institutus potest redimere vexationem quoad possessionem quam nondum habet 622,a
Licet redimere vexationem illorum qui Iure prodesse non possunt ibid.
Quomodo liceat redimere vexationem per rem spiritualem 622,b
Vexatio in temporalibus redimi non potest re spirituali 622,b

Simoniacorum pœna.

Committentes Simoniam in Ordinibus suspenduntur 623,a
Etiam ab Ordinibus priùs ritè susceptis ibid.b
Ignoranter à Simoniaco ordinatus an possit ministrare 623,b
Simoniacè ordinans & ordinatus sunt ipso Iure excommunicati 624,a
Simoniacus circa primam tonsuram etiam pœnas incurrit ibid.
Simoniacus realis in Beneficiis excommunicationem incurrit ibid.
Venditione vel emptione pensionis non incurruntur pœna 624,b
Legitimè adeptus collationem, sed Simoniacè confirmatus, excidit ipso Iure etiam collatione ibid.
Per Simoniam mentalem non incurruntur pœnæ Iuris 625,a
Quænam Simoniæ conuentionalis sit immunis à pœnis ibid.
Quænam Simoniæ confidentialis pœna 625,b
Quænã Simoniæ prohibitæ solo Iure positiuo 626,a
Pœna Simoniæ circa ingressum Religionis ibid.
Quis dispenset in pœnis Simoniæ 626,b
Quibusdam casibus Episcopi possunt dispensare in his pœnis ibid.
Pretium Simoniacum non est restituendum Iure naturæ 627,b
Neque Iure diuino, sed Iure positiuo restituendum Ecclesiæ 629,a
Verius est restituendum esse ante sententiã 629,b
Quænam actiones per Simoniam inualidentur 630,a
Simoniaca Beneficiorum collatio irrita est ibid.
Ordinationes factæ Simoniacè, irritæ sunt quoad exercitium, non quoad characterem ibid.

Simulare. Simulatio.

Simulare idololatriam aut falsam sectam aliquam numquam licet 107,a
Dauid simulauit se furere coram Achis 107,a
Iehu simulauit se cultorem Baal 108,a
Simulatio non est intrinsecè mala 10,a
Rebus vtitur, sicut mendacium verbis ibid.

Societas.

Societas in contractu licita est 426,a
Potest socius pacisci de certo lucro, salua sorte ibid.
Quomodo dividendum lucrum, quando vnus pecuniam, alter operas confert 428,a

Somnia.

Somnium est quintuplex 757,a
Somnia ex sex caussis proueniunt ibid.b
Diuinatio ex somniis quædam licita, quædam illicita est ibid.
Somnia non sunt caussæ eorum quæ ex iis prædicuntur 758,a
Ex somnio tãquã effectu aliquid cõiectari potest ibid,
Item tamquam ex coëffectu, & ex signo ibid.b
Cur Deus sæpè per somnia reuelat ea quæ vult nota 759,a
Somnia diuina diuersa sunt ibid.b
Mens in somnio non est libera 759,b

Sortes.

Sortes sunt vel diuisoriæ, vel consultoriæ, vel diuinatoriæ 761,a
Diuisoriæ quomodo licitæ sint ibid.
In electionibus ad Beneficia illicitæ sunt ibid.
Consultoriæ & diuinatoriæ illicitæ sunt ibid.b

Spes.

Spei nomen variè accipitur 156,a
Habitus spei Theologicæ est virtus ibid.b
Spes informis etiam est virtus ibid.
Beatitudo est obiectum materiale spei 157,a
Quomodo bona creata pertineãt ad obiectũ spei ibi.b
Obiectum formale est Deus vt auxiliator 158,a
Spes directè respicit proprium bonum, non autem alterius 159,a
Non licet sperare in homine tamquam prima caussa mouente in beatitudinem ibid.b
Spes est virtus Theologica ibid.b.160,a
Est virtus distincta ab aliis Theologicis 160,b
Spes est in appetitu rationali vt in subiecto 162,a
Spes vt est virtus Theologica non est in Beatis 162,a
Nec in damnatis 163,a

Beati habent quosdam actus secundarios spei: nobis sperant beatitudinem, sibi gloriam corporis 163,a
Spem habent omnes iusti qui Deum clarè non vident 163,a
Spes non amittitur per quoduis peccatum mortale: amittitur per desperationem & infidelitatẽ 163,b
In spe viatorum est aliqua certitudo 164,a
Spes habet certitudinẽ quæ excludat desperationem, non autem quæ omnino excludat timorem ibid.b
Spes potest esse tam certa vt excludat timorem 165,b
Spes non impeditur euidenti cognitione ibid.
Quando obligat præceptum spei 172,a

Spiritus.

Spiritus apparentes quomodo discernendi an mali sint an boni 772,a
Vnde colligatur quòd sit dæmon ibid.

Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus non est charitas qua nos Deum diligimus 176,b

Spiritualis.

Spiritualis quomodo omnia iudicet 500,b

Sponsio.

Sponsio de rei alienæ veritate licita est 336,a

Spurius.

Non tenetur credere matri dicenti ipsum esse spurium 373,b
An spurio suadendũ vt Monasteriũ ingrediatur ibi.
Spurij non succedunt ex testamento vel ab intestato, sed sola accipiunt alimenta 328,a

Stuprum.

Stuprum variè accipitur 367,b
Non addit nouam speciem fornicationi 368,a
Nisi vis inferatur 369,a
Distinguitur à raptu 368,b

Stuprator.

Tenetur supplere dotem 369,a
In violentum stupratorẽ pœna capitis statuta 369,b
Tenetur in conscientia ad damna quæ intulit, & ad satisfactionem pro iniuria ibid.
Qui falsis promissis aut fraude induxit, tenetur ac si vim intulisset 379,a
Item si minis, aut precibus importunis ibid.b
Qui promissis nuptiis induxit, tenetur deceptam ducere 370,b
Etiãsi adstrictus voto simplici continentiæ 371,a
Quibusdam casibus non tenetur 370.b
Stuprator excusatur à restitutione si corrupta æquè bene nupserit ac si virgo fuisset 371,b

Suadere.

Suadens furtum, tenetur ad restitutionem 385
Suadens minus furtum ad auertendum maius, quomodo excusetur 387,a
Suadẽs furi vt nõ restituat, quomodo teneatur 387.b
Quomodo malus suasor teneatur persuaso ibid.

Subditus.

Subditus quis potest esse Iudici quatuor modis 501,a

Substantia.

Substantiæ nomen variè accipitur 110,a

Substitutio.

Substitutio quid sit 335,b
Substitutionis sex species ibid.

Succubus.

Dæmon aliquando fit succubus 784,b
Ex succubo non potest generari proles 787,b
Remedium contra succubos. 788,a

Superstitio.

Vnde dicta 741,a
Quid sit superstitio propriè ibid.b.& seq.
Datur quædam superstitio interna 742,b
Diuiditur superstitio in peccantem in eo qui colitur assumendo, & peccantem in cultu assumpto ibid a
Omnis superstitio est cultus superfluus 743,b
Qualis sit superstitio in abusu cærimoniarum sacrarum 744.b
Quinam gradus grauitatis in superstitione 745,a
Quomodo admittatur superstitio in cultu veri Dei 743,a. & seqq.

Suspicio.

Suspicio ex peccato oritur, estque peccatum 497,a

Susurratio.

Susurratio quid sit 538,a

Testamentum.

Testamentvm quid sit 324,a
Diuiditur in scriptum & nuncupatum ibid.b
Non possunt testari impuberes ibid.
Furiosi aut mente capti 325,a
Surdi qui simul muti sunt ibid.
Nisi ad pias causssas ibid.
Itẽ Prodigi, Serui, Filij fam. & Religiosi 325,a.b
Damnatus ad mortem 327,a
Publicus vsurarius ibid.
Infamis ob libellum famosum ibid.
Beneficiati quomodo de fructibus Beneficiorum testari possint 326,a.b
Nouitius testari potest 325,b
Eremita testari potest 326,a
Heredes instituti non possunt hostium ciuitates 327
Professi Ordinis Minorum ibid.
Hæretici & apostatæ ibid.
Filius naturalis potest institui heres, quando non sunt legitimi ascendentes vel descendentes 328,a
Testes in testamento requisiti 328,b
Testamenta minùs solemnia sunt rata in conscientia 329, a. 331, a.b
Testamentum coram Parocho & duobus testibus factum, validum est 330,a
Femina testis esse non potest 330,b
Duo testes sine Parocho non sufficiunt 331,a
Irritũ est testamentum non plenè voluntarium ibid.
Captatorium ibid.
Item in quo non instituitur heres 332,a
Irritum etiam est, si imperfectum reliquit ibid.
Inofficiosum ibid.b
Heres quibus de causssis amittat hereditatem ibid.
Quando exheredari possit 333,a
Testamentum semper est reuocabile ibid.b
Etiam ab eo qui à morte resurgeret ibid.
Appositum testamento iuramentum reddit irreuocabile; si reuocetur, rata erit reuocatio, quamuis peiura 334,a
Episcopus quomodo se possit immiscere testamentis ibid.
Quando opus pium impleri non potest, potest Episcopus aliud substituere 334,a
Si possit impleri, solus Papa commutat 334,b
Ab intestato succedunt descendentes ibid.
His deficientibus ascendentes 335,a
Deinde fratres, & eorum filij ibid.
Quid Falcidia & Trebellanica 335,b

Testis.

Quinã in iudiciis testes esse non possint 524,b.& seq.
Iure naturæ duo testes sufficiunt ad probationẽ 525,b
Quando Iure ciuili plures requirantur 526,a
Legitimè requisitus tenetur esse testis ibid.b
Quidam non tenentur testificari, etiam vbi alij tenentur ibid.

*Testis an possit reuelare secretum* 527,a.b
*Qui falso testimonio sciens damnum dedit, tenetur ad restitutionem* 528,a
*Item qui legitimè interrogatus innocentem non liberat* ibid.
*Quid si occultum crimen detexerit* 528,b
*Qui nondum interrogatus fugit, non tenetur ad restitutionem, quamuis peccet* ibid.a

Thesaurus.

*Thesaurus inuentus ad quem pertineat* 301,a

Timoris donum.

*Timor est effectus fidei* 128,a
*Deus potest timeri* 166,a
*Quid sit timor* ibid.
*Diuiditur in filialem, initialem, seruilem, & mundanum* 166,b
*Timor mundanus semper est malus* ibid.
*Timor seruilis non est malus secundùm substantiam* ibid.
*Timor gehennæ non est malus* 167,a
*Timor seruilis & filialis specie differunt* ibid.
*Timor quatenus est seruilis, non manet cum charitate* ibid b
*Quomodo timor sit initium sapientiæ* 168
*Timor initialis est imperfectus quidam timor filialis* 168,b
*Timor est donum Spiritus sancti* ibid.
*Timor filialis augetur cum charitate, seruilis minuitur* 169,a
*Timor seruilis non manet in patria* ibid.
*Dono timoris respondet paupertas spiritus qua est beatitudo* ibid.b

Titulus.

*Titulus quid sit* 285,b
*Titulus verus & præsumptus* ibid.

Tobias.

*Quomodo per cor piscis dæmonium fugauerit* 802,a

Tortura.

*Quibus casibus non sit adhibenda tortura, & quæ indicia ad eam requirantur* 517,a.b
*Quando quis sapius possit torqueri, & quanam circa torturam cauenda* 518,a.b

Traditio.

*Traditio quid sit* 80,a
*Traditiones diuiduntur in diuinas & Apostolicas* 81,a
*Dantur traditiones diuinæ* ibid.
*Quomodo discernenda traditio Diuina aut Apostolica* 82,b
*Traditio diuina est eiusdem auctoritatis cum Scriptura* 83,a

Trebellanica.

*Trebellanica quid* 335,b

Tributum.

*Tributum quid sit* 482,a
*Conditiones iusti tributi* ibid.b
*Quinam habeant potestatem imponendi tributa* 483,a.& seqq.
*Præscriptione potest quis habere potestatem indicendi tributa* 483,b
*Quænam legitimæ caussa indicendi tributum* 484,a.b
*Quando certa est iniustitia caussæ licitæ, quiuis tributum fraudare potest si absit scandalum* 485,a
*Quid si iustitia caussæ sit dubia* ibid.
*Quænam proportio seruanda in eos qui contribuunt* ibid.b
*Tributa super esculentis & poculentis licita sunt* ibid.& seq.
*Clerici exempti sunt à tributis* 486,a
*Et quo Iure exempti sint* 487,b & seq.
*Quænam per Ecclesias & Ecclesiasticas personas intelligantur, quando à tributis eximuntur* 488,b. & seq.
*Quænam bona Ecclesiæ vel Ecclesiasticorum sint exempta à tributis* 489, b
*Exigentes tributa ab Ecclesijs vel Ecclesiasticis, excommunicantur* 491,a
*Clerici sponte tributum soluentes peccant* ibid b
*Quibus casibus liceat tributum exigere ab Ecclesia vel Ecclesiasticis* ibid. & seq.
*Super quibus non debeant impuni tributa* 492
*Defraudantes iusta tributa peccant* 493,a
*An tributa soluenda antequam exigantur* 494.a
*Pœnitentes à Confessarijs vrgendi ad restitutionem fraudati tributi* ibi.
*Creditor Principis an possit fraudando vectigal sibi compensare* ibid.b

Tyrannus.

*Tyrannus dupliciter quis dici potest* 503,a
*An peccet vsurpato iudicio quoties Ius dicit* ibid.
*Tyrannus est quis per abusum potestatis, vel per vsurpatam potestatem* 343,b
*Tyrannus per abusum potestatis occidi non potest* 344,a
*Secus de tyrãno per vsurpatam potestatem* ibid.b

Vectigal.

VECTIGAL *propriè quid sit vide* Tributum. 482,a

Venatio, Venator.

*Venator tenetur ad damna agris illata* 298,b
*Venatio potest prohiberi à Principe* 299,b
*Venator an teneatur restituere feram captam contra legitimam prohibitionem* 300,a

Venæ metallicæ.

*Venæ metallicæ cuius sint, Principis, domini fundi, an inuentoris* 302,b

Venditio.

*Vendere rem pluris quàm valeat, an licitum* 416.a
*Ex eo quòd res venditori valdè chara sit, non licet* 417.b
*Quando tempore solutionis res pluris valebit, potest pluris vendi quàm nunc valeat* 418,a
*Peregrino emptori regulariter non licet plus vendere quam ciui* ibid.b
*Quomodo liceat pluris vendere illis qui minutim emunt* ibid.
*Vendere pretio currenti, quamuis scias breui minuendum, licitum est* ibid.
*Quomodo liceat pluris diuendere quàm emeris* 419,b.& seqq.
*Venditor tenetur indicare vitium mercis occultum ex quo ei damnum euenire posset* 424,b
*Qui ex ignorantia rem vendiderit cum defectu, eum vbi resciuerit, tenetur sarcire* ibid.
*Quando vitia mercis sunt manifesta & emptor suo iudicio fidit, an teneatur venditor illud indicare* 425,a
*Vendere creditò vltra iustum quomodo liceat vel non liceat* 429,a
*Quomodo liceat numerato pretio redimere minoris, quod pluris creditò vendidisti* 430,b
*Res vendita cui pereat* 431,a
*Res duobus vendita priori emptori tradenda* ibid.b





*Res vendita fructificat emptori, exceptis certis casibus* 431,b & seqq.
*Vendere cum pacto redimendi eodem reddito pretio licet* 433,a
*Venditor tenetur emptori de euictione* ibid.b
*Casibus quibusdam exceptis* 434,a
*An liceat vendere officia secularia* 566,b.& seq.
*Quomodo liceat infidelibus vendere ea quæ abutentur in cultu suæ infidelitatis* 142,a

Vestes.

*An liceat Christiano vti vestibus infidelium* 108,b. 109,a
*Posset ex caussa Christianus deponere vestem Christianis propriam* 109,a

Vidua.

*Vidua non potest retinere fructus pignoris pro dote assignati* 450,b

Virtus.

*Nulla virtus potest esse perfecta sine charitate* 180,a

Virtus Theologica.

*Quid sit virtus Theologica* 159,b
*Quomodo versetur circa Deum* 160,a
*Quænam sit dignior inter virtutes Theologicas* 161,a
*Virtutes Theologicæ sunt perfectiores donis Spiritus sancti* 130,b
*Inter virtutes Theologicas charitas maior est* 179,b

Visio.

*Quid sit* 757,a
*An sit perfectior reuelatione* 759,a

Votum.

*Quid sit* 668,a
*Propositum non sufficit ad votum, quamuis ad illud requiratur* ibid.
*Votum mentale obligat, secùs de indeliberato* 669,b
*Quid dicendum de votis puerorum, in quibus dubitatur an fuerit sufficiens vsus rationis* ibid.
*Dubitans an deliberatè voueat, tenetur* 670,a
*Votum debet esse spontaneum, non extortum vi, metu, fraude* ibid.b
*Nec importunis precibus, nec per errorem emissum* 671,a
*Votum quomodo sit actus Religionis* ibid.b
*Vota fiunt Deo* 672,a
*Quinque modis vota Sanctis fieri possunt* ibid.b
*Voti materia non sunt mala, nec indifferentia, aut necessaria, sed melius bonum* 673,b
*Opus præceptum est materia voti* ibid.& seq.
*Votum de implendo omnia præcepta non obligat, neque de vitando omni veniali peccato: secùs de vitando omni mortali* 674,b
*In Baptismo non fit votum* 675,a
*Sola præcepta non sunt materia voti* 676,a
*Votum matrimonij quando ratum sit* ibid.b
*Et quando irritum* 677,b
*Votum de ducenda fornicaria validum est* ibid.
*Votum de ludo, non valet* 678,a
*Votum rei malæ malum est* ibid.
*Vouens peccatum veniale, venialiter peccat* 679,a
*Votum Iephte an licitum fuerit* ibid.
*An obliget votum rei bonæ in malum finem* 679,a
*Vouens opposita consiliorum, peccat* ibid.b
*Votum de non petenda dispensatione voti aut iuramenti, an validum sit* ibid.
*Res indifferens non est materia voti, sed votum pro obtinenda re indifferenti validum est* 680,a
*Votum se non defendendi validum est* ibid.
*Diuiditur votũ in personale, reale, & mixtum* ibid.b
*Item in conditionatum & absolutum* ibid.
*In simplex & solemne* ibid.
*In quo consistat solemnitas voti, variæ sententiæ* ibid.& seqq.
*Votum solemne non est indispensabile* 682,a
*Per votum solemne matrimonium dirimi Iure naturali, probabile est, sed probabilius quòd Ecclesiastico tantùm* 683,a
*A temporibus Apostolorum votum solemne fuit impedimentum dirimens* ibid.b.& seq.
*Vota non obligare hæreticorum error est* 685,a
*Arctissimè obligare tenent Catholici* ibid.b
*Votum magis obligat quàm iuramentum* 737,a
*Non omnis fractio voti est mortalis* 686,a
*Excusat materiæ leuitas* ibid.
*Quomodo votum emissum sine determinatione circumstantiarum sit exoluendum* ibid.b
*Temerè vouens quomodo obligetur* 687,a
*Quomodo teneatur ille cuius votum sit impossibile* ibid.
*Quomodo voto castitatis obstrictus possit matrimonium consummare* ibid. b
*Qui habet votum Religionis, peccat consummando matrimonium* ibid.
*Morbo impeditus quò minùs expleat votum, quomodo excusetur* 688,a
*Quid faciet qui vouit Religionem, si non recipiatur* ibid.b
*Ad quid teneatur amissa virginitate, qui eam vouerat* ibid.
*De eo qui non vouisset si difficultatem præuidisset* 689,a
*Votum conditionale duplex, pœnale, & non pœnale* ibid.
*Votum conditionale obligat impleta conditione* ibid.
*Aliquando etiam ea non impleta* ibid.b
*Et aliquando impleta conditione non obligat* ibid.
*An obliget votum cuius caussa cessat* 690,a
*Quousque obliget votum non nubendi* ibid b
*Voto satisfacere potes, etiamsi non cogites de eo* 691,a
*Quomodo quis per alium votum suum persoluere teneatur quando per se non potest* ibid.b
*An quis possit per Iudicem cogi ad impletionem voti simplicis* ibid.b
*Votũ merè personale vnius, alterũ non obligat* 692,a
*Voto reali testatoris heres obligatur* ibid.b
*An per alium possit quis vouere* 693,a
*Votum reale non parit actionem realem* ibid.
*Quomodo votum communitatis obliget successores* ibid.b
*Vouere non est præcepti* ibid.
*Vouere semper fuit licitum & laudabile* 694,a
*Vouere consultum est* ibid.b
*Qualem necessitatem inducat votum* ibid.
*Discrimen inter votum & iuramentum* 695,b
*Septem hominum genera non possunt vouere* ibid.
*Religiosi an sine consensu Superioris validè voueant* 696,a
*Nullum votum Religiosi est validum contradicente Prælato nisi de transitu ad arctiorem Religionem* ibid.b
*An Prælatus possit in eo dispensare* ibid.a
*Nouitiorum vota non irritat Prælatus* ibid.
*Prælatus potest irritare vota Professi ante professionem emissa* 697,a
*Coniunx vouens castitatem potest reddere debitum,*

*non autem petere* 697,*b*
*Etiamsi votum à coniuge approbetur, non potest debitum negare* 698,*a*
*Quomodo vnus coniunx irritet vota alterius* ibid.*b*. & seq.
*Maritus irritare potest omnia vota vxoris, excepto castitatis* 699,*a*
*Quænam vota in tempus soluti matrimonij aut ante matrimonium emissa irritare possit* ibid.
*Si vir consenserit, validè sed illicitè irritabit votum, si causa non subsit* ibid.*b*
*Quænam vota martti irritet vxor* 700,*a*
*Quænam vota Episcopi sint irrita* ibid.
*Clericorum sæcularium* ibid.
*Seruorum, filiorum familias* ibid.*b*
*Puerorum* 701,*b*
*Quæ ætas requiratur in vouente* ibid *a*
*Differentia inter votum puberis & impuberis* ibid.
*Mater an possit irritare vota filij* ibid.
*Irritatio voti an requirat causam* ibid.*b*
*Differentia inter voti irritationem & dispensationem* ibid.
*Vota semel irritata non conualescunt* 702,*a*
*Potestas irritandi vota non est spiritalis* ibid.
*In voto solemni continentiæ potest Pontifex dispensare* 703,*b*
*Votum continentiæ ordinibus sacris annexum est, & quomodo differat à professione Religionis* 704,*a*
*Votum paupertatis facit Religiosum incapacem dominij* 290,*a*

Voti dispensatio.

*In dispensatione voti solemnis castitatis non sufficit causa priuata, sed requiritur publica* 704,*b*.
*Quænam vota reseruata Pontifici* 708,*a.b*
*An solus Pontifex dispenset in votis perpetuis* ibid.*b*
*Quando Episcopus possit dispensare in votis reseruatis* 709,*a*
*Cuius sit vota commutare* 711,*a.b*
*Votum reseruatum commutatum in non reseruatum dispensat vel commutat Episcopus* 712,*a*
*Omnia vota commutari possunt in Religionis ingressum* 714,*a*

Vsura, Vsurarius.

*Variæ significationes Vsuræ* 435,*a*
*Quid sit* ibid.*a,b*
*Vsura mentalis & realis* ibid.
*Vsura aperta & palliata* ibid.
*Vsura prohibita Iure diuino, Canonico, & naturali* 436,*a.b*
*Vsura mentalis tribus modis admittitur* 442,*b*
*Quomodo vsura mentalis obliget ad restitutionem* ibid.
*An sit vsura, exigere pœnam conuentionalem à mutuatario* 453,*b*
*Vsurarius non acquirit dominium vsurarum* 455,*b*
*Quomodo liceat ab vsurarijs aliquid accipere* 457,*a*
*Vsurarij heredes ad quid teneantur* 458,*b*
*Cooperatores vsurarij quinam teneantur* 459,*a*
*Ponens pecuniam apud vsurarium, quando non peccet* ibid.*b*
*Quinam famuli vsurariorum teneantur de vsuris* ibid.
*Notarius vsurarij instrumenti quomodo peccet* 460,*a*
*Vsurarij quomodo à Magistratu tolerari, admitti & inuitari possint* 461,*a*
*Compellentes soluere vsuras, tenentur ad restitutionem* ibid.
*Elocans vsurario domum, quomodo teneatur* ibid.*b*
*Confessarius vsurarij non iniungens ei restitutionem quomodo peccet* ibid.
*Vsurarius publicus testari non potest* 327,*a*
*Vsurarij manifesti qui dicantur* 462,*a*
*Pœnæ ijsdem constitutæ* ibid.
*Vsurarium sepeliens, suspenditur ab officio* ibid.*b*
*Quomodo liceat accipere mutuum ad vsuram* 462,*b*

Vsus.

*Vsus secundarius pecuniæ vendi potest* 443,*b*
*Vsus quid* 284,*a*
*Vsus profanus* 295,*a*

Vsusfructus.

*Vsusfructus quid* 283,*b*
*Vsusfructus quibus modis extinguatur* ibid.

Vxor.

*Quomodo possit dare eleëmosynam* 230,*b*
*Vxor quarum rerum habeat dominium* 289,*a*
*Quomodo succedat ab intestato* 335,*a*
*Quanam vota mariti irritet* 700,*a*

FINIS.

AP-

# APPROBATIO.

POST Theologicarum Virtutum Tractatum, nihil isto vtilius, vt in quo de Iustitia ac Religione, optima methodo, breuiter ac neruosè differitur; vnde cuique haurire liceat scientiam salutis ad seruiendum Deo in sanctitate & Iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ suæ.

*Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apostolicus & Archiducalis librorum Censor.*

## SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLAE CLARAE EVGENIAE Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſsimorum Belgicæ Principum, Priuilegio cautum est, ne quis IOANNIS MALDERI *Episcopi Antuerpiensis, S. Theologiæ in Academia Louaniensi quondam Professoris, De Virtutibus Theologicis & Iustitia & Religione Commentarios*, præter Balthasaris & Ioannis Moretorum fratrum voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi impressos in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XXIX. Nouembris, M. DC. XIII.

Signat.

*Boudewijns.*

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD BALTHASAREM ET IOANNEM
MORETOS FRATRES.
M. D C. X V I.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE ZARAGOZA